R. P. DIDACI
DE BAEZA,
PONFERRADIENSIS,
SOCIETATIS IESV
THEOLOGI,

COMMENTARIORVM ALLEGORICORVM,
& Moralium de CHRISTO figurato in veteri Testamento,


TOMI DVO:

Quorum primus continet Historias Adami, Iacobi, Isaaci, & Danielis, in quibus Christus conceptus, & in vtero existens, & natus, & à Regibus adoratus exprimitur: Secundus autem vitam Moysis complectitur.

EDITIO POSTREMA,

AB INNVMERIS, QVIBVS PRAECEDENTES SCATENT, MENDIS,
quàm accuratissimè, secundùm mentem Authoris, vindicata:

Quadruplicique, Librorum, scilicet, & Capitum; Locorum Communium; Locorum sacræ Scripturæ; ac Rerum selectiorum Indice: ac demum Summa Concionum totius anni, ad vsum Concionatorum perutili, locupletata.



LVGDVNI,
Sumptibus Gabrielis Boissat, & Sociorum.
M. DC. XXXVI.
SVPERIORVM PERMISSV.

FLORENTISSIMO
ADOLESCENTI,

DON ANTONIO PIMENTEL, ET QVIÑONES,

Epist. dedic. Tom. I.

COMITI DE MAYORCA, BENAVENTANI, Comitis, & Comitatus de Luna hæredi Primati, Clarissimarum Familiarum de Pimentel, & Quiñones Principi,

DIDACVS DE BAEZA, SOCIETATIS IESV FILIVS, S.

IESVM Optimum Maximum meditatus, splendidissimum Parentem tuum ambiui, PRINCEPS ILLVSTRISSIME, de cuius virtutum coronis radiantem addidi coronidem meis studiis. Vbi ad IESV figuras in veteri Testamento erectas accedo, feror ad te, imò rapior ad Parentis tui expressissimam figuram; vt quæ vera sub illo amarunt videri, adumbrata sub eius candidissima imagine lucem videant. Iuit per auitas tibi stylus noster curules; catenatas stemmatis tui coronas, perperésque gloriarum volatus non siluit: & quamuis posset triumphalibus adoreis familiæ tuæ defatigari; non adeò explicandis antiquorum radiis infirmaretur, vt inde ad decantandam amœnissimam adolescentiam tuam fieret obtusior: qui si in scribendis Maiorum tuorum virtutibus fuisset hebetatus, tuis denuò meritis acuminaretur. Iuuenis ille es, qui in regalissimo natalium culmine nunquam fumauisti claris in dies auctus luminibus, quem in florentium annorum suauitate Musarum tenent deliciæ, & (quod Principibus insolens) nulla lubricæ ætatis nouerunt præcipitia. Nec miror: quæ enim hominis effrænis bellua tot reptat principes, in te cœlesti viri frequenter religata celsissimos virtutum tuarum præmonstrat triumphos; cui gloriosius censetur, si inter perfectos Christi, quàm si inter Præfectos Imperij constitueretur. Igitur, & in hoc, tanti Parentis verissima effigies, diuinissima per me do-

nandus effigie fuisti; quam olim ad prisci sæculi solatia præformatam nunc ad te mitto, id est, Christum figuratum, qualem sacra Pagina studiosissimè figurauerat in suis Heroïbus, quanquam nondum syncera luce radiatum. Quippe adhuc originariis Proceribus suspiratus, solùm in radice florebat, donec excisus à Virgine, tandem nostra sæcula beauisset. Nam & tu quoque in ætatis adhuc Aurora, in nostra gaudia effigiatus, spem facis robustioris lucis; quam pleno iam radiorum tuorum orbe, solidissimis magnæ tuæ indolis dotibus orbi affundes: florémque tuum, fragrantissimè nunc spirantem, in generosissimi saporis fructum enutrias. Ita speramus; ita veluti diuinante ratiocinamur impetu à curiosa emergentis genij tui contemplatione, quem viuidi spiritus, & quidquid in adolescentibus commendatur, implent. Tantum Deus, & nostris præsagiis, & suis in te donis opulentissimè, longúmque faueat. Vallis-Oleti, Octobris mensis die 29. Anno 1632.

EXCEL

EXCELLENTISSIMO DOMINO,

DON IOANNI FRANCISCO PIMENTEL, DVCI, AC COMITI DE BENAVENTE, DVCI DE VILLALON, COMITI DE MAYORGA, & Cigales, Marchioni de Castro, Domino Domus de Herrera,

Epist. dedic. Tomi II.

DIDAC. DE BAEZA, SOC. IESV FILIVS S.

PRISCVS en ille Moyses, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, inter istas papyros, haud aliter ac olim in sua papyracea fiscella ad scopulos impingẽs, læua sorte naufragaretur, nisi se bono genio obtulisset humanitas tua, quæ lucem emendicantem ab vndis assereret, largáque foueret clemẽtia. Neque dubito, grandiorẽ meum Moysem, plusquàm annorum successu, fauore tuo factum, multa in populum gratia valiturum, quòd sub tanti Principis auspiciis felicissimus adoleuerit; siue quòd non ingratus apud homines cõmendabitur, quem tu cunctis gratissimus amauisti; siue quòd Domo tua, virtutum omniũ, & gratiarum asylo, Christiana comitate institutus cunctorum semetipse cordibus insinuabit. O longè felicissimum modò, quàm olim Moysem, qui simulatam illam sub Ægyptiorum Rege potiùs captiuitatem, quàm adoptionem, sub maiori Domino felicissimus in libertatem ingenuè commutabit. Siue enim titulorum superbiam, & semesas per atria Maiorum imagines perquirat; siue sacratissimum chorum virtutum, tam dudum à Magnatum pectoribus, ædibúsque exulantium; omnia reperiet, alia aliis coràm non sine miraculo refulgentia.

Video illum tuum vulturem, auem auguratissimam, hæc omnia felicissimè portendentem, postquàm ad tua stemmata nidum sibi structura perpetuum, ac nobilissimum aduolauit. Nanque sub illo augurio excitari Familiam tuam, sub quo imperaturæ quondam vrbis mœnia Romulus erigebat, nobis ritè præsagiebat, tuæ supra cunctas Familiæ tã eminens fastigium, quàm fuerit illius imperij inconcussa præ cæteris magnitudo. Nec successus fefellit: nam post longissimam sæculorũ seriem tot Principes Familiæ tuæ debet Hispania, quot viros nobilissimè genitos nobiliùs educauit. Proreges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, plures sunt, quàm vt, si vellẽ, cogerentur in numerum. Imò ætas nostra

non sine præteritarum inuidia vidit non minùs septem Duces, Excellentissimi Parentis tui fratres, Patruos tuos, simul in armis terra, maríque constitisse, quatuor sub literarum signis militasse, tres alios præcipuas Hispanicæ Coronæ partes gubernantes. Tantus mehercule partus alterius similis spes omnes abstulisset, nisi tua Domus, túque ipse prolem non minorem edidisses, iam à pueritia sub tanti Parentis educatione ad facinora suorum Maiorum audentem.

Iam istos Martis generosos spiritus, quos in suis cunabulis Gens tua armis incitatissima præsentit, nónne etiam tuus vultus fatidico clangore vaticinatus est? Ille sanè vrbis conditor, qui saltu à germano contemptam angusti vallis munitionem fraterno sanguine consecrauit; augurio istarum auium victor arcem in Palatino monte ardentissimè sólicitabat, plenus spe, bellatricē eam fore, quæ sub assuetis sanguini, & præda auibus erigebatur. Ita illi inter strages, cædésque venati vultures spoponderant. Et quidem par tuorū cum Romanis præsagium non dispar exitus confirmauit. Quippe per vastissimum Orbem non sine multo sanguinis hostilis dispendio Gens tua Hispanas Aquilas circumtulit; quæ nunquam maiori præda grassatæ sunt, quàm cum tuo sociatæ vulturi, catenatis non minùs quinque Regibus, tota inimicorum sanguine maduerunt. Sed parum esset, nisi pernicissimus vultur vltrà volasset, & simul cum deuinctis Regibus catenaretur. Per syrtes, breuiáque nouus quæsitus est Orbis, in quē per longissima spatia tuæ Familiæ gesta vagarentur, quæ sanè tractus noti terrarum non capiebant. Nouit præsagus vultur, quæ stemmata sibi in nidū auspicatissimum destinaret: breuiùs ibi quiescens vniuersū Orbem transcurrit tāquam vehiculo triumphans portaretur, quàm si velocissimis suis alis continuo labore concitatis transvolauisset: vberiorem sanguinis prædam, qua saginetur, habebit prope nidum, quàm si perpetua sólicitudine, quacunque volitans quæsiuisset.

Quòd si vna tibi militaris auorum gloria nobilitatem peperisset, infecissétque tibi purpuram cruentus ille sanguis, quo madefacti toti Maiores tui inter arma rubebant, Magnus adhuc audires: tamen virtutibus, quæ à te sunt, Maioribus maior emicuisti. Obnoxiam tibi fortunam strictiùs deuinxisti, quàm illi tui maiores Reges viderunt, qui moribus ad virtutem compositis fecisti, ne inconsulta temeritatis rea damnaretur, tot tibi stemmata, tot honores, tot simul nobilissimas Familias subdens, quæ constat meritorum potiùs esse mercedem. Tanta possides, tanta mereris illis virtutibus, quæ vera cum maiestate maritantur. Non miror: inuenisti vberrimum fontem, è quo viuidam Regum virtutem exhaurias. Nec longiùs, quàm à vulturis tui indole sagacissima hanc regalem virtutem augurabor; vt, quæ me per tuæ nobilitatis incrementa auis peruexit; virtutum tuarum fontes indagaturum reducat. Nimirum, more Aquilæ, ad cruentum Christi corpus, qui quondam temerario ad pectus vulnere æstuanti amoris impetum demulsit, cum tuo vulture frequentissimè aduolas, volucríque ductrice sanguini assueta limpidissimos cruoris fontes exsugis. Nec tantus negotiorum æstus, quibus desudas, fontes istos excæcat, aut siccat. Ecce virtutum tuarum principia, quæ si durant, felicissimos tibi successus confirmant. Denique quos mereris, quos optamus.

FACVLTAS

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS CASTELLANI.

EGo Ildefonsus del Caño, Prouincialis Societatis Iesv in Castellana Prouiocia, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum Patre Mutio Vitellescho Præposito nostro Generali, facultatem facio, vt *Commentaria de Christo figurato*, à Patre Didaço de Baëza nostræ Societatis composita, & eiusdem Societatis grauium, doctorúmque hominum iudicio approbata typis mandentur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus, in nostro Villagarciensi Collegio 29. mensis Augusti, anno 1634.

Ildefonsus del Caño.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

EL Licenciado Don Pedro Carillo de Acuña del Consejo de su Magestad, Colegial de Santa Cruz de Valladolid, Prouisor y Vicario general de todo su Obispado, electo Auditor de la sacra Rota, Canonigo Penitenciario de la Santa Iglesia de Valladolid, y Cathedratico de Prima de Leyes en esta Vniuersidad: Por la presente doy licencia al P. Diego de Baeça, de la Compañia de Iesvs, *para que pueda imprimir, è imprima los Libros de* Christo figurato in veteri Testamento, *atento, que me consta, por relacion de personas doctas, à quien ha sido cometido, que contiene sana, y prouechosa doctrina, y que por ser lleno de erudicion, serà de grande vtilidad à los doctos, que le leyeren. Fecha en Valladolid Iulio 30. de 1633.*

Licenc. D. Pedro Carillo de Acuña.

Lucas Martinez de Aranxo.

CENSVRA ET IVDICIVM PATRIS

Francisci de Soria, sacri Ordinis D. Basilij Magni, & Qualificatoris à sancti Officij Inquisitionis censuris.

IMperante, Faueote Regali Austriacæ ac semper Catholicæ Majestatis Senatu; Opus magis admirationi compactum, censura quàm egens, *Commentaria Moralia in veteri Testamento de* Christo *figurato*, mihi commissum à Reuerendo P. Didaco de Baëza, haud inæquali virtutis ac scientiæ libramento micante elaboratum, fulgentissimis è lucubrationibus editum attentè vidi, voluptuosè perlegi. Qui quidem quioarius tomus (illo licèt Pentateuchus ordine compleatur) æstimatione, & pretio indubiè posset nuncupari Pentarchus Hîc abest tantùm, taoti ingenij acumina vt deficiant, mysteriorum Philosophia extinguatur, eneruetúrve; quòd in dies crescere, & quasi nouis pullulare stolonibus, ex hoc saltem egregiè defæcato Volumine experimento constat. Hîc materia grauis, alta, obscura, pooderoso differitur stylo, excelsis enucleatui conceptibus, meridiana graditur methodo. Et quò profundiùs fodit Author, altiùs iostruit. Sed hoc mirum? Ingentem hunc Societatis Iesv alma religione, scientia, decore, genuit, docuit, habet Familia Virum; de qua fortassè sumpsit nostro Isaias sæculo felix auspicium, intonans: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Et, vt expressit iuxta Hebraicam veritatem Procopius, *de fontibus Iesu.* Et inter tot vnus, nisi iam vnicus, præbet sitienti populo potum. Hîc omnia simplicibus mira: multa etiam literatis rara: nulla fidei dissona: innumerabilia moribus apta inueni. Dignum, ni fallor, Opus in lucem quod prodeat, lucem omnibus vt tribuat, &c. In sancti P. N. Basilij Magoi Cœnobio Regiæ Curiæ 29. Aprilis, anno Domini 1632.

Fr. Franciscvs de Soria.

APPROBATIO D. LICENC. D. IVAN PEREZ Delgado, Collegij Sanctæ Crucis Vallis-Oleti Alumni, & Durandi Theologiæ Professoris in Academia Pintiana.

EX Decreto Domini Licentiati, D. Petri Castillo, & Acuña Collegij Sanctæ Crucis murice purpurati, apud Pintianos in alma Ecclesia Cathedrali Pœnitentiæ Cathedræ, & in florentissima Academia Cæsarei Iuris propria possessione Vesperarij antecessoris sedentis, & totius huius Episcopatus Vicarij generalis, summa cura, & alacri animo euolui Librum, *Allegorica*, *& Moralia de* CHRISTO *in veteri Testamento* continentem, elaboratum à doctissimo Patre Didaco Baëza, Religioso Societati IESV adscripto. Volumen hoc quinarium numerum complet Operum Authoris: fauet ætati, ne sit sterilis, & effœta. Magna Authorem fama præcesserat, maior inuenietur fama. Dicit semper fœcundè, sed tanquam nihil scripserit, assidua lectio in Patribus, & Ecclesiæ DD. multa studia elucent. Ponderationes tersæ, graciles, dulces, graues semper, & erectæ. Procemiatur aptè, narrat apertè, pugnat acriter, colligit fortiter, ornat excelsè, postremò docet, delectat, afficit; sensus Scripturæ reconditos reserat, occurrant verba, sed qualia? Quæsita, & exculta, vt poscit materia subiecta, omnia ingenio pari, quæ quisque, nisi perlegere concupiscit, saxeus, ferreúsque est: nam quæ in veteri sacra Pagina de Christo adumbrata fuêre, tanta elucidatione iam clarescunt, vt verè de tanto viro Societatis dicam, lumen, quod sibi maiores sui prætulerunt, posteris ipse præfert. Ornat hæc morum probitas, quæ nihil ad ostentationem, cuncta ad conscientiam refert, rectíque facti non ex populi mercede, sed ex facto petit; is cùm communibus magis commodis, quàm priuatæ iactantiæ studuerit, ita nunc in ratione edendi non propriæ laudi, sed aliorum vtilitatibus seruiuisse conspicitur: meminit cordatè, *Quanto maiore animo honestatis fructus in conscientia, quàm in fama reponatur.* Insectatur vitia, non homines: vnde meritò inceuentam Author suo calamo gloriam reportauit, in alta pace, hilaritudine magna, omnium ore laudatam, omnium votis optatam. Iudico sanè huius Viri scripta grande ornamentum Societatis IESV, grande Hispaniæ, grande sæculo, grande etiam Catholicæ Religioni allatura. Subscripsi in hoc maximo sanctæ Crucis magni Cardinalis Hispaniæ Domini, ac semper Domini mei Collegio, quod in æuum feret ætatem, Idibus Martij, anno Christiano 1632.

Licenc. IOANNES PEREZ DELGADO.

ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI, D. Francisci Sancij de Villanueua, Archiepiscopi Mazariensis, nunc Canariensis electi, Maiestatis Catholicæ Consiliarij, & Concionatoris, Sanctissimi PP. Vrbani VIII. Assistentis Approbatio.

EXIMII Parentis pulcherrimum fœtum, primigeniis speciosissimis (inclyta venustate, colore viuido, apta membrorum dispositione conspicuis) simillimum fratrem, *non habentem maculam, neque rugam*, magni Senatus decreto maxima inspexi voluptate. Sexta certè hac prole Optimum Patrem R. Didacum de Baëza, è Societate Iesu insignem Theologum, denuò fœcundum *dotauit Deus dote bona.* Dum verò *elegantem infantem*, non *in littore maris habitantem*, sed *in carecto ripa Nilotici fluminis* nascentem intueor, seu eruditissimi decoris venustum corpus, seu abditæ sapientiæ celsissimum animum attendas: *formosum valde, & incredibili pulchritudine omnium oculis gratiosum, & amabilem* proclamandum esse non ambigo. Neutiquam ergo hæc scripta, ipsis Gratiarum manibus, è Paradisiacis aruis, vbi

Ephes. 5. *Gen. 30.* *Exod. 2.* *Gen. 49.* *Exod. 2.* *Esther 2.*

Zephyris melioribus halant
Perpetui flores;

Claud. de Rapt. Pros.

festiuo lepore decerpta, luce tantùm digna iudico; sed
Linenda cedro, & leui seruanda cupresso.

Horat. in Art. Poet.

Sic enim de Auctore de Christiana Republica, & sacris literis benemerentissimo iandiu censuit vterque Orbis: quandoquidem *sapientiam eius enarrant gentes, & laudes enunciat Ecclesia.* Sic autumo, sic voueo. Mantuæ Carpentanorum pridie Kalendas Maij, anno salut. 1634.

Eccl. 39.

FRANCISCVS, *Archiepisc. Mazariensis.*

FACVLTAS

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV *in Prouincia Lugdunensi.*

EGo Ioannes Fillæus, Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi Præpositus Prouincialis, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij, 1583. Henrico IV. 20. Decembris, 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Februarij, 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab hominibus nostræ Societatis compositos absque Superiorum eius permissione imprimant: permitto IACOBO CARDON, Lugdunensi Bibliopolæ, vt Opus, quod inscribitur: *R. P. Didaci de Baëza, Ponferradiensis, Societatis* IESV *Theologi, Commentariorum Moralium de* CHRISTO *figurato, Tomi duo*, ad sex proximos annos imprimere, ac liberè diuendere possit. Datum Gratianopoli die 9. Septembris, 1634.

IOANNES FILLÆVS.

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE, in sacra Theologia Magister, in Ecclesia S. Crucis Custos, & D.D. Alphonsi Ludouici du Plessis de Richelieu, Illustrissimi Cardinalis, ac Reuerendissimi Archiepiscopi Lugdunensis, Vicarius Generalis substitutus: Fidem facimus, visum à nobis librum, qui inscribitur: *R. P. Didaci de Baëza, Commentariorum Allegoricorum & Moralium de* CHRISTO *figurato, Tomi duo*; nihilque in eo ab Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ fide, Sanctorúmque Patrum sana doctrina alienum contineri. Lugduni, die 13. Augusti, 1634.

DEVILLE.

CONSENSVS.

D*idaci de Baëza, Societatis* IESV, *Commentaria Allegorica & Moralia de* CHRISTO *figurato*, mandari typis, & in lucem edi, sumptibus IACOBI CARDON Bibliopolæ Lugdunensis, ego Regis Consiliarius & Procurator in Lugdunensi Præfectura non impedio, die 23. Augusti, 1634.

PVGET.

PERMISSIO.

Librum, qui inscribitur: *Didaci de Baëza, Societatis* IESV, *Commentaria Allegorica & Moralia de* CHRISTO *figurato*, à IACOBO CARDON, Bibliopola Lugdunensi, in lucem edi permittimus. Datum Lugduni, die 23. Augusti, 1634.

SEVE.

INDEX

INDEX LIBRORVM, ET CAPITVM.

LIBER I.

Adamus, siue Iesus conceptus.

LIBER II.

Iacob, siue Christus in vtero.

LIBER III.

Isaac, siue Christus natus.

LIBER IV.

Daniel, siue Christus à Regibus adoratus.

LIBER V.

Moyses, siue Iesus in Aegypto.

LOCI

LOCI COMMVNES,

Iuxta numerum paginarum, & paragraphorum.

Mors

Loci Communes.

INDEX

INDEX AD CONCIONATORVM VSVM.

Priori numero pagina; posteriori verò paragraphus denotatur.

In Dominicam I. Aduentus.

Luc. 21.

In Dominicam II. Aduentus.

Matth. 11.

In Dominicam III. Aduentus.

Ioan. 1.

omnem temporalem gloriam à ſe abdicat:in præſentia enim Ieſu facilè principatus omnes contemnuntur. 169,26.

Non negauit, quia non ſum ego Chriſtus. Sic Sacerdotis filius, & genere ipſe Sacerdos in humilitate debebat fundari. 594.8.

Non ſum. Totus erat Ioannes in eis oſtendendis, quibus carebat: vuliora enim nobis ſunt, quæ infirmitatem recelunt. 486,14.

Non ſum. Denique Ioannes abſolutè, & ſine addito, dicit: *Non ſum.* Vt ſe oſtendat creaturam, cuius patria eſt ipſum nihil. 184,58.

Ego vox clamantis, &c. Non Prophetæ, non hominis; ſed ſolius vocis perſonam ſibi aſſumit: non enim intereſt, quòd magnam, vel paruam perſonam egeris, ſed quòd quam egiſti, perfectè egeris. 182,53.

Ego vox clamantis in deſerto, &c. Diſſimulat ſe eſſe pluſquàm Prophetam, imò negat ſe eſſe, & fatetur ſe vocem ſolam eſſe Dei clamantis. Et meritò ſe Dei vocem dicit, quando ſupra humanas vires eſt, quòd quis ſuam obtegat præſtantiam. 330,3. Dicitur Ioannes vox, quia ſeruiebat Verbo Incarnato: id enim fit quis, quod adorat. 457,9.

Cur ergo baptiZas? Paulò antè illum, vt Prophetam venerabantur, modo vt reum tractant, inquirentes cur baptizet? Sic creaturarum fauor, quàm citò mutatur. 454,2.

In Dominicam IV. Aduentus.

Luc. 3.

Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem, Zacharia filium, in deſerto. Vbi Pilatus, & Herodes, & Anna, & Caiphas erant Ieroſolymis, meritò Ioannes agit in deſerto: ab impiorum enim conſortio fugiendum eſt. 243,7.

Item, dum in deſerto eſt, verbo Domini impletur: ſunt namque temporalia deſpicienda, vt acquiratur æterna. 280,15.

Sub principibus Sacerdotum Anna, & Caipha. Sub talibus Principibus, non miror, quod Reſpublica perdatur, quando plus eam lædunt Principum peccata, quàm hoſtes. 339,20.

Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zacharia filium in deſerto. Inter tot tyrannos, vnum Ioannem excitat Deus, eius enim poteſtatis eſt, quòd infirmus quiſque poſſit ſtare aduerſus validiſſimos aduerſarios. 338,19. Vnus pro virtute ſtans ſufficit. 330,5.

Zacharia filium. Vnus bonus filius valet parentes ſuos ornare, ditare. 323,7. & alibi. Vide in Indice.

Item *Filium Zacharia.* Non otioſè ponitur pater eius Zacharias: ſed, quia virtutum paternarum laus magnum eſt calcar filiis ad ſalutem. 344.32.

In omnem regionem Iordanis. Semper Iordanis ſalutaris: loca enim à Deo homini ſalutaria facta, ſemper ſunt ſalutaria. 488,1.

Prædicans Baptiſmum pœnitentiæ Meritò ad omnem Iordanis regionem venit prædicans Baptiſmum: quia Baptiſmi aqua extendit cœlum, vt plures caperet. 207.8.

Vox clamantis in deſerto, &c. Totus fiebat vox, vt Deum laudaret. Væ, qui nullam vocem ad Deum emittit tota die. 290, 8. Vt clamaret, erat in deſerto. Sic Concionator, vt clamet, abſtineat à temporalibus. 266,12. Vide, *Concionator.*

Vox clamantis in deſerto, &c. Vox Dei efficacior omni opere ad creaturarum corda mouenda. 342,27. Et vide de voce & operibus in Indice rerum.

Salutare Dei. Ieſus ſalutem halat, 190,11. Etiam puniens eſt deſiderabilis. 133,48.

Dominica Septuageſima.

Matth. 20.

Exiit primo mane conducere. Deus in primis honorandus. 274,2. 298,25.

Conducere operarios, &c. Laboris honeſti occupatio virtutem conſeruat. 19,10.

Conducere operarios, &c. Ecce tibi, quos miniſtros eligat Dominus, vt vineam ſuam excolat; nimirum, operarios, hoc eſt, qui non excedant operariorum cultum, non ament lautitias Principum. Miniſtri enim iuſtitiæ lautè viuentes perdunt Reſpublicas. 395.12.

Exiit primo mane conducere. Quod à primis incunabulis bonum bibitur, firmior durat. 416,7.

Conuentione facta ex denario diurno. Notanter vocauit denarium diurnum, ne putaretur eſſe de rebus ad noctem huius ſæculi pertinentibus, ſed de iis, quæ ad regnum lucis æternæ ſpectant. Non enim ſpectari debet merces temporalis ab iis, qui virtuti operam nauant. 433,5.

Miſit eos in vineam ſuam. Non in mundi, ſed in Dei vineam mittuntur boni operarij: nulla enim ſeruitus creaturis impendenda eſt, ſed Deo. 206,7. Item, quia Deus non exigit ab homine labores propter corruptibilia. 27,16.

Vidit alios ſtantes. &c. Dona ad plures Deus mittit. 194,6.

Circa vndecimam verò exiit. Et tertia, & ſexta, & vndecima hora, qui exiit vocare peccatores, Deus eſt; quando ſolus Deus illos nouit expectare. 271,25.

Nemo nos conduxit. Non adeò mala erat cauſa otioſorum, quando non fuerant conducti ad opus, vt eſſet, ſi poſt conuentionem, & inceptum opus redirent ad otium. Hoc enim maximè cauendum erat. 438,1.

Ite & vos in vineam meam. Sub diuinis præceptis nihil non poteſt humana fragilitas. 445,17.

Incipiens à nouiſſimis. Temporis prærogatiua parui momenti eſt apud Deum. 416,6.

Acceperunt ſingulos denarios. Nihil illis ſubtrahitur mercedis: quæ enim pro æternis fiunt, nullam ſciunt ruinam. 475, 47. In æterna patria non viuitur niſi de anteactis laboribus. 441,7.

Dominica Sexageſima.

Luc. 8.

Exiit, qui ſeminat, &c. Bonus æternorum bonorum ſeminator, nihil credit futuris: quod eſſet periculoſiſſimum. 496,4. Tunc futura promittens placet, quando de præſenti præſtat aliquid. 349,7.

Aliud cecidit ſecus viam, &c. Non ſolùm ſemen iacit ſecus viam, ſed & ſuper petram, & inter ſpinas, & in terram bonam. Cauet enim bonus, ne feratur eius affectus, & beneficentia ad ſolum vnum, quod damnoſum eſſet. 198,14.

Aliud cecidit ſecus viam, &c. Quod in via trita, ſiue in petroſis, ſiue in ſpinis cecidit, perditur: ille enim Dei oſtio reſpondet, qui ſe præparat priùs, & excolit. 436,12.

Cecidit ſecus viam. Quod à volucribus comeditur, ſecus viam erat: in quaſcunque enim tentationes, periculáque deuenias, via euadendi manet. 447,22. 449,27.

Volucres cæli comederunt illud. Volucres comedunt, quod ſecus viam iacebat, non quod in via erat: qui enim in via virtutis proficit, abigit volucres malignas. 157,4.

Aliud cecidit inter ſpinas. Rectè diuitiæ vocantur ſpinæ, quarum eſt detinere properantes ad Deum. 120,21. 121,22.

Fecit fructum centuplum. Fructus à gratia vberiores, quàm à natura. 108,34.

Cecidit ſupra petram, &c. Miror, quòd & ad petras, & ſpinas ſuum ſemen permittat Deus ire: ſed ſola Dei beneficentia eſt, quæ nullis obicibus impeditur. 459,14.

Dominica Quinquageſima.

Luc. 18.

Et tertia die reſurget, &c. Omnis labor deficit ſub reſurrectionis vel vmbra. 371,8. 568,7.

Erat autem verbum iſtud abſconditum ab eis. Verbum crucis erat abſconditum, nec percipiebatur: Quid tunc? *Factum eſt, cùm appropinquaret Iericho, cæcus quidam ſedebat ſecus viam, mendicans.* Benè, vbi dicitur abſconditum verbum Crucis, introducitur cæcus mendicans: quia homo habet alimentum à Cruce. 21,13.

Dixerunt autem ei, quòd Ieſus Nazarenus, &c. Ieſu nomen cuique auſpicatiſſimum. 489,4.

Miſerere mei. Pro ſe toto miſericordiam poſtulat, qui oculis egebat: quia non æſtimatur ſalus, quæ integrè non ſanat. 134,49.

Domine, vt videam. Hoc vnum ex Deo requirit homo, nimirum, vt videat: magna enim felicitas hominis eſt, quòd oculis excipiat ea, quæ imminent. 268,18.

Miſerere mei. Oculis indigebat; ſed non pro ſolis oculis, ſed pro ſe toto maluit miſericordiam petere: diuini enim ſpiritus eſt non dimidiatè, ſed integrè ad dona venire 537.14.

Stans Ieſus iuſſit illum adduci ad ſe, &c. Non iuit ad illum Ieſus; ſed magis expectauit, vt ille ad ſe veniret: quia ſola temporalia quærebat: quærentium enim diuiniora, & altiora, ea illi ſiſtuntur. 466,29.

Adduci ad ſe, &c. Magna Dei dignatio, quòd per ſeipſum attendat hominis ſaluti. 520,1.

Sequebatur illum magnificans Deum, &c. De gratitudine habes plurima in Indice rerum.

Feria

Feria IV. Cinerum.

Matth. 6.

Feria V. Cinerum.

Matth. 8.

Feria VI. Cinerum.

Matth. 5.

Sabbatum post Cineres.

Marc. 5.

Dominica I. Quadragesimæ.

Matth. 4.

Feria II. à Dominica I.

Matth. 25.

Feria III. à Dominica I.

Matth. 21.

Feria IV. à Dominica I.

Matth. 12.

Feria V. à Dominica I.

Matth. 15.

Niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſraël. Bona erepta Iudæis reparantur in Christo. 235,8.

Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & dare canibus. Hoc regaliſſimum in homine, quod ſic vni tribuat, vt nulli alij officiat. 624,9.

Dare canibus. Afflictam canis nomine ferit, vt qui eius ingenium virtutem nouerat. Magnæ enim probationes non niſi fortiſſimis adhibendæ. 630,14.

Etiam, Domine: nam & catelli, &c. Oratio aſſidua omnia ſibi ſubiicit. 72,1.

Comedunt de micis. Quia temporalem ſalutem quærit, micis contenta eſt: in ſolis enim ſpiritualibus æſtimanda eſt copia. 623,7.

Feria VI. à Dominica I.

Ioan. 5.

Iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Et cur non iaceant claudi, & aridi, imò & mortui, qui expectant aquæ motum? Qui enim creaturis fidit, nil citiùs ſperet, quàm mortem. 110,1.

Angelus autem Domini ſecundùm tempus deſcendebat, &c. Audio Angelorum deſcenſus in piſcinã & miror, quòd nõ notetur eò etiam veniſſe Diabolũ. Iob 1. *Cùm veniſſent filij Dei, vt aſſiſterent coram Deo, affuit inter eos etiam Satan.* Ibi cum Angelis & Satan affuit, cur ſimiliter in præſenti non dicitur affuiſſe Satan? Erant tunc Iobi res proſperiſſimæ: non miror, quod tũc Diabolus ſeſe ingereret inter Angelos, vt eis noceret. In præſenti autem ſola cernebatur multitudo languentium, aridorum, cęcorum, claudorum, expectantium motum Angeli. Inter tot calamitoſos Diabolus non apparet; ſed vt mortuus iacet. 611,14.

Item, *Angelus autem.* Angeli ſalutares homini. 531,1.

Qui prior deſcendebat, ſanus fiebat. Angeli præſentia vnum ſanabat: ſolus Ieſus ſufficiens eſt pluribus. 414,2.

Et qui prior deſcendiſſet, &c. Primus in aliqua virtute magnam gloriam reportat. 65,6.255,45.

Triginta & octo annos habens in infirmitate ſua. Quòd non inueteraſcamus in peccatis, de magna Dei miſericordia venit. 52,17.

Hunc cùm vidiſſet Ieſus iacentem, &c. Triginta octo annis expectauit aduentum Angeli, & per tam longum tempus Angelus non illi aduenit: Ieſus autem illi modò adeſt præſtò, vt qui velocior ſit omni creatura in fauendo. 483,9.

Vis ſanus fieri? Homini iacenti triginta & octo annos in infirmitate offertur ſalus, ne quis credatur adeò inueteratus, & obduratus in peccatis, qui non poſſit recipere ſanitatẽ. 92,4.

Vis ſanus fieri? Voluntarij in re ſalutis æternæ præſtantiſſimi. 636,26.

Hominem non habeo. Hominem non habere computat in cauſas pœnarum; quantò maior pœna eſt Deum non habere. 532,3.

Tolle grabatum tuum, & ambula. Peccata non de leni diligentia tolluntur. 57,18.

Suſtulit grabatum ſuum, &c. In re ſalutis ne prorſus fidas aliorum diligentiæ. 302,35.

Suſtulit grabatum, & ambulabat. Vt Ieſus iuſſerat grabatum tollere, & ambulare, ſic ſuſtulit, & ambulauit. Nihil enim prætermittendum ex iis, quæ ad Deum ſpectant. 538,16.

Iam noli peccare, ne deterius, &c. Reproborum eſt facilè in eadem vitia recidere. 442,9.

Sabbatum à Dominica I.

Matth. 17.

Aſſumpſit Ieſus Petrum, & Iacobum, &c. *& transfiguratus eſt ante eos.* Qui cum Ieſu cliuum montis ſubeunt, eius gloriam transfigurationis participant: nunquam enim non in bonum proficiunt, quos cum Ieſu labores ſubimus. 57,29. Sic reguntur ſubditi, vt in partem laboris, & in partem leuaminis intrent. 59,33.

Duxit illos in montem excelſum ſeorſum. In montem duxit, vt tenaciùs afficerentur ad viſionem, pro qua laborauerant. 670,12. Apparitiones cœleſtes crebriùs rudibus, quàm ſapientibus, cur? 350,9.

Transfiguratus eſt ante eos, &c. Cur, qui ſe tot ignominiis deuouerat, modò voluit in gloria oſtendi? Vt teſtaretur, gloriam ſuam non partam laboribus, ſed innatam ſibi, quod præſtantius. 568,6.

Reſplenduit facies eius ſicut Sol. Vbi Chriſtus, ibi & lux. 136,54.

Ea za ac Chriſto figur. Tom. I.

Item in præſenti, Chriſtus, ſicut Sol, Apoſtolis oſtenditur, quibus in vocationis principio, vt lux exortus eſt. Ait enim Iſaias 9. *Primo tempore alleuiata eſt terra Zabulon, & terra Nephthali: & nouiſſimè aggrauata eſt via maris trans Iordanem Galilææ gentium. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem,* &c. Quæ verba de vocatione Apoſtolorum intelliguntur, ſed cur ibi lux, in præſenti Sol ortus eſt eis? Ibi ſedebant in regione vmbræ mortis, nullos gradus fecerant pro ſalute quærenda: in præſenti multa fecerant, ſua reliquerant, in montem aſcenderant, & pro diligentiarum augmento, & gratiæ augentur. 238,8.

Reſplenduit facies eius ſicut Sol. In ſolo Ieſu gloriæ veritas, in aliis pictura, & adumbratio. 544,28.

Ecce apparuerunt illis Moyſes, & Elias, loquentes cum Ieſu. Poſſet Ieſus alios viros ſanctiſſimos de nationibus trahere in hac oſtenſione gloriæ ſuæ: maluit autem de populo Iſraelita afferre Moyſem, & Eliam: pertinebat enim ad gloriam, & felicitatem eius, quòd oſtenderetur præcipuè cultus à ſuis. 168,23.

Marcus c.9. dicit: *Apparuit illis Elias cum Moyſe.* Quaſi Elias præcipuus fuerit in illa glorioſa apparitione. Et cur Elias præcipuus? Moyſes ad illam gloriam peruenit mediante morte, & ſepultura? Elias autem nullo vitæ ſumptu, ſed integris omnibus ad gloriam illam acceſſit. Nec parum auget dignitatem, quòd ad illam perueniat integris omnibus. 154, 31.

Lucas addit c.9. *Erant Moyſes & Elias viſi in maieſtate.* Origenes legit: *Viſi in gloria.* Magna Moyſis præſtantia nihil minùs gloriæ, & dignitatis oſtendere in fine vitæ, quàm in ipſa vita. 160,9. Item, hi glorioſi habitu in populo apparent, vt oſtendatur, quam glorioſior quiſque ſub Chriſto. 178,44.

Loquentes cum Ieſu. Dicit Lucas, quòd in dignitatum gloria, eius depoſitionem attendas. 376,18.379,23.

Bonum eſt nos hic eſſe. Sanè ibi non ſolùm gloria Chriſti repræſentabatur, ſed etiam eius paſſio: loquebantur enim Moyſes, & Elias de exceſſu, *quem completurus erat in Ieruſalem,* vt tradendus à ſuis, vt percutiendus à gentibus. Hæc, Petre, bona ſunt, an mala? Sic malitia Iudæorum delectaris, vt dicas, bonum eſſe illi audiendæ intereſſe? Bonus Petrus non mala attendit, ſed bona: quia iuſtorum eſt, ſola bona proximorum videre. 14,1.

Bonum eſt nos hic eſſe. Non poſſum in præſenti non laudare eos, qui in vna dignitate quieſcunt, nec ad alias contendunt 337,17.& 575,9.

Item: *Bonum eſt nos hic eſſe.* Alij Euangeliſtæ notant Petrum, quod neſciret, quid diceret, dum tam paruis, temporalibúſque luminibus contentus eſſet: non enim à bono, ſed à malo venit, quòd ad parua attendas. 373,12.

Faciamus hic tria tabernacula. Præſtanti viro detrimentoſum eſt magna non aggredi. 340,23. Item, vnde piſcator audet in ædificationem tabernaculorum? Ad præſentiam Dei remuneratoris maiora viribus præſumit. 543,26.

Faciamus hic tria tabernacula. Vnde Petrus tam audax ad inſolitos labores, vt piſcator cùm ſit, non dubitet operam dare tabernaculis conſtruendis? Nõnne labor erat, & maximus, & inſuetus, quòd tres ſoli piſcatores tria tabernacula efficerẽt? Aſt dum præ oculis haberet Saluatoris gloriam: hæc præſens facit, vt contemnat labores. 106,29. Ecce tibi indicium Petri ſublimitatis, fundamentum eius pacatiſſimi imperij, nimirum, *Faciamus tria tabernacula.* Cura hæc conſtruendi ſacra, amplificandi Religionem erectis templis, & facit imperia, & æternat. 118,17.

Tibi vnum, Moyſi vnum, &c. Hæc Petri verba notans Lucas c.9. ait: *Non ſciebat, quid diceret.* Et meritò Petrus non ſciebat, quid diceret, cùm habens Ieſum; vel Moyſem, vel aliam creaturam meminiſſet. 121,23.

Tibi vnum, Moyſi vnum, &c. Moyſem, & Prophetas trahit in concordiam, & vnanimitatem; ille enim præclarum Deo munus offert, qui ab omni diſcordia alienus eſt. 635,24.

Item, *Tibi vnum, Moyſi vnum,* &c. Qui tantam vnitatem fundat, nihil ſibi præſumit; & meritò: ibi enim ſolùm poteſt eſſe concordia, vbi proprium lucrum contemnitur. 636,25.

Ecce nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce vox de nube dicens: Hic eſt filius, &c. Expende, in qua nube reſonet vox Dei, nimirum, in nube mundiſſima, in nube lucida: vbi enim Diuinitas eſt, in externa puritate & munditie manifeſtatur. 123,25.

Surgite nolite timere. Omnes timores abigit Ieſus. 95,9.

Dominica II. Quadragesimæ.

Repeie præcedentis Sabbati Euangelium: ideò illud latiùs exposuimus, vt seruiant notæ pro Sabbato, & Dominica die.

Feria II. à Dominica II.

Ioannis 8.

Ego vado, & quæretis me, & in peccato vestro moriemini. Sine Christo etiam virtutes algent, & in interitum ruunt. Dicuntur enim hi quæsituri Christum, & in peccato tandem morituri. Vnde morituri in peccato, qui quærunt Christum? Ait ipse: *Ego vado.* Vbi ipse Christus iam abiit, iam a te fugit, vel potiùs illum à te expulisti. Sine Christo quidquid boni facias, algebit, & in interitum ruet. 38,46. & 60,34.

Quæretis me, & in peccato vestro moriemini. In ratione quærendi Deum, adhuc ad temporalia respiciebant, & temporalia æstimabant: vnde non miror, quòd peccatum non exuant. 442,8.

Quò ego vado, vos non potestis venire. Illi Iesu possunt appropinquare, qui ei in forma viuendi conformantur. 343,29.

Quò ego vado, vos non potestis venire. Vix fieri potest, vt cœlestium bonorum, & temporalium viæ terantur simul ab vno. 63,1.

Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Qualia sunt ea, quibus quis innutritus est, talis eius est vita; vt, deliciis terrenis innutritus, illis incubat, belli dura expauet; sic qui superior est iis deliciis, statim illis quasi alienis bellum indicit. 41,3.

Vos de deorsum estis. Impij terrenis semper sunt affixi. 433,6.

Ego non sum de hoc mundo. In quo vel vmbra Dei est, nihil mundiale, nec terrenum est. 400,4.

Dixi ego vobis, quia moriemini in peccato. Ecce tibi vnde Iesus adeò longanimis est in tolerandis impiis; ex eo nimirum, quia eorum supplicium certò imminens cernit. 530,23.

Cùm exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis. In morte se quis facit agnosci. 642,13.

Principium, qui & loquor, &c. Felix ille, qui in re virtutis, semper quasi in principio viget. 160,9.

Feria III. à Dominica II.

Matth. 23.

Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi, &c. Ideò cath[illegible] labuerunt, vt sederent, vt sola quiete, & honore fr[illegible]ntur, quod malum est. 165,17.

Super cathedrà Moysi sederunt Scribæ, &c. Et Moyses, & Scribæ sederant in eadem cathedra; Moyses multa bona traxit, Scribæ multa mala. Non enim locus, in quo es, sed affectus animi trahunt bona, vel mala. 389,19.

Dicunt, & non faciunt. Linguæ splendor in re virtutis ad modicum valet. 361,35. Lingua autem cum operibus iuncta plurimùm prodest. 359,30.

Quæ dixerint vobis, seruate. Non ad facta, sed ad verba impiorum etiam magistrorum iubet attendere. Potens enim est Deus de indispositis & repugnantibus laudes elicere diuinas. 556,13.

Omnia opera sua faciunt, vt videantur. Ea esset felicitas summa, si quæ pro vanitate faciunt, faceres pro salute æterna. 475,48.

Alligant onera importabilia. Non rigor, sed lenitas proficit. 229,27. Præcepta rigorosa potiùs mollienda sunt multis aliis concessionibus. 22,15.

Amant primas cathedras, &c. Hoc sufficit, quòd dicantur hi honorum ambitores, vt inde ostendantur ad omne scelus prompti. 174,34.

Et patrem nolite vocare, &c. Vni Deo nos submittamus. 169,25.

Feria IV. à Dominica II.

Matth. 20.

Ecce ascendimus Ierosolymam, & Filius hominis tradetur. Quod semel oblaturus erat holocaustum, sæpe animo tractat; & meritò: magnum enim inde lucrum venit, si sæpè animo tractemus, quæ oblaturi sumus Deo. 417,9.

Item: De morte subeunda, eiúsque circunstantiis meritò antè agit Dominus, vt ostendat, quam salutare sit homini, quòd nihil in morte repentinum illi obueniat. 416,8.

Tradetur Principibus Sacerdotum, & tradent eum gentibus Nunquam Principes soli sunt in culpis, nec in pœnis. 23,18.

Ad illudendum, & flagellandum, &c. Qui semel vnum peccatum admittit, facilè ad multa alia ruit. 253,42. Ecce quot opprobria, quot illusiones, quot flagella, quot tormenta finiuntur in Iesu: habet enim hoc vet patienter sustinens, quòd omnia tela inimicorû exhaurit. 222,9. Et illa emollit. 224,13.

Tertia die resurget. Ecce tibi patientiæ fructus: nunquam enim non messis patientiæ feracissima. 309,50.

Accessit mater filiorum Zebedæi. Patrem ij habebant, sed per matrem consilium suum explicare maluerunt: vt enim principatum ambiebant, sic Principum ingenium referebant, quorum consilia, & secreta apud mulierculas sciuntur certiùs. 243,18. Et quorum est inter mulieres frequentiùs esse, quàm inter viros fortes. 145,12.

Sedeant hi duo filij mei. Humana malignitas vni sibi honores præsumit. 557,15. Item erroneus animus in munerum distributione non virtutes animi, sed externam nobilitatem aspicit. 567,4.

Vnus ad dexteram, alius ad sinistram. Cur non ad dexteram sedeant ambo? Solius est diuini Spiritus admittere consortes in dignitate. 554,9.

Vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram. Vide, quò ducat fœmina filium suum, nimirum, ad Iesu sinistram, vbi reponendi sunt damnati: & quam rarò mater non affert ruinam filio. 279,11. Et quis de fœmina aliud educet, quàm sinistram, quam ruinam, nisi Deus? 41,4.

Adorans, & petens. Humilitas efficaciam orationi præbet. 543,25. Reuerentia exhibenda Deo. 343,30.

Nescitis, quid petatis. Contentionibus de primatu vnus Deus valet mederi. 582,4.

Potestis bibere calicem, &c. Horrendæ passionis calicem propinat illis: quia qui se super alios extollunt, nequit fieri, vt in plura discrimina non incidant. 615,19. Regnandi libido non ictibus frænatur. 377,19.

Feria V. à Dominica II.

Luc. 16.

Induebatur purpura. Superbus vestium ornatus in peccatore, pene occludit aditum saluti. 533,5.

Epulabatur quotidie splendidè. Vt noscas, qualis fuerit hic diues, eius proponitur epulum: in re enim gulæ maximè patet, quis quisque sit. 459,13. In adeò superfluis conuiuiis iam designatur huius ruina: salus namque ibi est, vbi temporalia cum mensura sumuntur. 471,38. Superflui cibi obliuionem Dei generant. 553,5.

Epulabatur quotidie, &c. Nimia ciborum ingluuies, quidquid virtutis est, & religionis, vilipendit. 78,12.

Et erat quidam mendicus plenus vlceribus, &c. Hoc præstantis est viri, quòd vel mediis ærumnis nihil Deo perficiant contrarium. 374,14.

Iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus. Ad ianuam diuitis iacet pauper prorsus destitutus, & despectus; quia cum diuitiarum amore non stat proximorum amor. 269,20.

Nemo illi dabat. Non solùm expenditur perditio diuitis ex eo, quòd ipse non dabat, sed quòd in tota illius domo nemo dabat, quando vel vxor si daret, salutem marito acquireret. 8,12.

Vt moreretur mendicus. Quanta felicitas cum morte nuda, & sola confligere! 230,29.

Moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis. Felix, qui mala temporalia sciunt conuertere in virtutum facinora, quibus portaretur in cœlum. 640,6.

Mortuus est & diues, &c. Temporalia bona, quò priùs florent, eò citiùs euanescunt. 364,41.

Mitte Lazarum, &c. Diligentiæ aliorum non prorsus fidendum in re salutis, & vitæ. 302,35.

Feria VI. à Dominica II.

Matth. 21.

Plantauit vineam, &c. Quid non plantat, & largitur Deus homini suo, in quo ditando, & munerando vigilat? 4,4.

Plantauit vineam, sepem circundedit, fodit torcular, ædificauit turrim. Vide, quot tibi parauit, & facit manus diuina. Optatum equidem superant diuina beneficia. 450,28.

Fodit torcular, ædificauit turrim. Non stetit in torculari ædificato; sed inde progressus est ad ædificationem turris pro maiori vineæ firmitudine. Post passionis dominicæ torcular firmiora sunt, & durabiliora Dei beneficia. 484,11.

Lazaru[illegible]

Locauit eam agricolis. Non gratis omninò conceſſit, ſed eam locauit, multis enim emere, & comparare debemus, quod nobis in particulari ſit Deus. 100,19.

Miſit alios ſeruos plures prioribus. Hoc mirum, quòd dum ſerui Dei percutiebantur, occidebantur, plures alij eſſent, qui exſurgerent ad negotium animarum. Sed habent hoc preſſuræ pro Chriſto, quòd excitant in Dei ſeruis feruentiorem zelum animarum. 286,3. Item, res virtutis nunquam non habet defenſores. 126,31.

Peregrè profectus eſt. Ecce occaſionem ruinæ in iſtis agricolis, quòd ab eorum oculis diſceſſit Deus; cuius vel ſola memoria potens eſt homines continere in virtute. 548,7.

Iterum miſit alios ſeruos. Qui dederat vineam, vidit ſeruos occiſos ab agricolis: & nihilominùs mittit alios. Sic beneficia præſtita benefactorem trahunt in alia. 576,11.

Nouiſſimè miſit ad eos filium, &c. De charitate Chriſti in homines maxima. 39,1.

Miſit filium ſuum dicens; Verebuntur. Spiritus Dei eſt cunctari ad pœnam. 585,12.

Verebuntur fortè filium meum. Vt pudor, & verecundia neceſſaria eſt peccatoribus in re ſalutis. 50,13.

Factus eſt in caput anguli; Per paſſionem ſuam exaltatus eſt Chriſtus. 285,1.

Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti, &c. Magna Dei miſericordia eſt, quod ſic peccatores obdurati pereant, vt alij proficiant. 588, 18. Et quod impiorum ſupplicio deterreantur boni ab ſceleribus. *ibid.* 19.

Sabbatum à Dominica II.

Luc. 16.

Da mihi portionem ſubſtantiæ. Vide malam filij indolem: qui enim bonus eſt, nec honorem, nec ſubſtantiam viuo parenti eripit. 93,5.

Da mihi portionem, &c. Hoc petebat nequam filius. Quàm bonus eſt, qui nec manum habet, qua bona eripiat parenti viuo. 604,7.

Diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſè. 612,1. 613,2. Vide plura de luxuria in Indice rerum.

Diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſè. Luxuria nec ſanguinis diſpendio parcit. 152,26. Præſentiſſima perditionis occaſio. 288,4.

Facta eſt fames valida, &c. Iniquitas in corde hominis prædeſtinati ingentes ærumnas, & calamitates temporales parit. 73,2.

Cupiebant implere ventrem de ſiliquis Qui à Deo deficiunt, nihil non luctuoſum, & vile complectuntur. 552,4.

Ad ſe reuerſus, &c. Afflictio carnis voluptatum efficit contemptores. 220,6. Eſt fructifera. 254, 44. Excitat homines vt ad Deum confugiant. 73,3.

Surgam, & ibo ad patrem. Illud promptiſſimum refugium in malis, ſi ad Deum recurramus. 589,22.

Peccaui in cœlum, &c. Pœnitentia deſtruit penitùs peccata. 98,16. Vbi adeſt, ibi vicinus Deus. 94,7.

Oſculatus eſt eum. Dominus quos amat, oſculis purificat, alios igne. 641,9.

Stolam primam. Peccata per pœnitentiam ablata, decorem induunt. 629,10.

Dominica III. Quadrageſimæ.

Luc. 11.

Erat Ieſus eiiciens Dæmonium, &c. Ieſus ſolam malitiam perdit, cætera reformat. 259,55. Vi præcipitat Dæmones. 96,11. Nunquam Ieſus non protegit hominem, vbi à Diabolo impugnatur. 131,43. Item, expendendum illud: *Erat.* quandam enim infinitudinem temporis importat, vt qui ab ipſo primo Incarnationis inſtanti, iam bellum dæmoni indiceret. 41,3. 69,1. Et liberaret ſuos. 70,3.

Erat Ieſus eiiciens Dæmonium. Chriſtus Dominus omnia Diaboli venena abſorbuit. 610, 12. Diabolus perdit, Ieſus ſanat 421,19. Chriſti vicinitas trahit gratias. 377,10.

Cùm eieciſſet Dæmonium, loquutus eſt mutus. Eiecto priùs Dæmonio mutus ſanatur, vt diſcamus, priùs eiicere peccata ad corporis etiam acquirendam ſanitatem. 409,9.

Loquutus eſt mutus. Bona oratio de ſilentio, & de ore clauſo naſcitur. 360,31.

Et cùm eieciſſet Dæmonium, locutus eſt mutus Non ſolùm eiicitur Dæmon, ſed & mutus loquitur: via enim æſtimaretur ſalus, quæ non eſſet integra. 134,49. 257,51.

Admiratæ ſunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub Principe Dæmoniorum eiicit, &c. Quidam ex turba fuerunt, qui tantam blaſphemiam dixerunt: non enim probi, & ſapientis hominis eſt talibus contumeliis vti. 107,32.

Admiratæ ſunt turbæ. Illud mirandum, quòd non ſolis verbis, ſed & operibus ſalutem proximi tractet. 379,23.

In Beelzebub eiicit Dæmones. Duo fecerat Ieſus, & Dæmonium expulerat, & muti linguam ſoluerat. Impij autem expulſionem Dæmonij Dæmoni tribuere non audent, quando linguæ directio euidentiſſimè venit à Deo. 380,26.

Feria II. à Dominica III.

Luc. 4.

Fac & hic in patria tua. Contemnunt externa, dum in ſuis non vident aliquid. Nullo enim efficaciùs trahitur homo, quàm iis, quæ circa ſe ſunt. 419,36.

Quanta audiuimus facta in Capharnaum. Non ſolùm Hieroſolymis, in Sancto, inter Sacerdotum victimas; ſed & in aliis locis à religione alienis virtutes Dominus operabatur: non enim debet virtus vera, aut loco, aut tempori alligari. 138,7.

Fac & hic in patria tua, &c. Ardentiùs ſolent illæ virtutes exerceri, quibus quiſque ſuis vtilior eſt. 104,26.

Nemo Propheta acceptus in patria. Nemo apud ſuos euadit inuidiam. 318,1.

Item: *Nemo Propheta acceptus in patria.* Cauenda patria, & cognitio, quæ impediunt, ne muneri ſpirituali operam demus. 527,15. Patria & natura poſthabenda gratiæ. 546,4.

Niſi in Sarephtha Sidoniæ ad mulierem viduam. Vna Sarephtana vidua præfertur cæteris, ad quam vadat Elias: quia & illa in maiori afflictione erat; vt quæ non habens bona, habebat filios, quæ maxima tentatio eſt. 412,15.

Niſi in Sarephtha Sidoniæ ad mulierem viduam. Non loci ſublimitas, ſed virtus hominis ſpectatur à Deo. 18,8.

Nemo mundatus eſt, niſi Naaman Syrus. Quia ipſe diligentiam adhibuit, quæ apud Deum valet. 79,13. Non enim ſtertentibus, ſed vigilantibus adeſt Deus. 248,30.

Nemo eorum mundatus eſt niſi Naaman Syrus. Naaman à lepra mundatus eſt: Iſraelitæ in lepra, & ægritudine, imò & in morte relicti ſunt, quia ingratiſſimi, adeò vt cùm à Ieſu Domino decem leproſi mundati eſſent, ſolus vnus alienigena gratiam retulerit. Cur ergo non pereant ingratiſſimi. 423, 24.

Feria III. à Dominica III.

Matth. 18.

Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe, &c. Peccata etiam in amicis, & fratribus caſtiganda. 111,3.

Corripe eum, &c. Tunc proximum amas, & fratrem, quando in illum à Deo decretam ſeueritatem exerces. 615,8.

Lucratus es fratrem tuum. Magnum homini lucrum eſt, quòd de eius ſplendore habeat alius, quo fulgeat, aut viuat. 555,11.

Lucratus es fratrem tuum. Non rigor, ſed lenitas potentior eſt ad duriſſima quæque debellanda. 99,17.

Sit tibi tanquam ethnicus, &c. Hoc eſt, ab Eccleſia eiiciatur: creſcit enim honor, & decor familiæ, de expulſione malorum. 166,19.

Sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus. Ethnici erant ſine Deo vero, ideò non parua pœna eſt, quòd quis ſine Deo ſit. 532,3.

Si duo è vobis conſenſerint, &c. Chriſti Domini milites præſtantiſſimi à concordia fulgent. 634, 22. Qui vnanimes, & concordes, ij præclarum munus Deo offerunt. 635,24.

Feria IV. à Dominica III.

Matth. 15.

Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur, &c. Apoſtoli accuſantur à Phariſæis coram Ieſu: nam ſingularis alicuius virtus nunquam non trahit in ſe inuidorum linguas. 561,2.

Ipſe reſpondens ait illis, &c. Sanè & diſcipuli erant cum Ieſu, & accuſari ſe audierant, cur pro ſe non reſpondent? Cur tacentibus illis vnus reſpondit Ieſus? Qui reſpondebat Ieſus, ſimul docebat diſcipulos tacere. Nam ſilentium humile

iniuriati frangit aduerſariorum iras. 573,4.

Quare & vos tranſgredimini,&c. Qui diſcipulos Chriſti accuſabant,terribilem accuſationem ſuſtinent.Nunquam enim damnum melioribus illatum non percutit inferentem. 296, 21.Imò quod damnum alteri infers,& tu patieris. 306,43.

Tranſgredimini mandatum Dei propter traditiones veſtras. Nimis meticuloſi, & ſcrupuloſi in paruis temporalibus vorant ingentia animæ pericula. 573,5.

*Honora patrem,& matrem.*Parentum obſeruantia inter prima religionis fundamenta. 163,15.

Hypocritæ,benè prophetauit.&c. Verba ſunt hæc iraſcentis in accuſatores:vehementer enim iraſcitur Dominus in eos, qui ad infirmiora reſpiciunt virorum præſtantiſſimorum. 561,3.

Item ait:*Hypocritæ,benè prophetauit,*&c.Scribas,& Phariſæos Principes populi non dubitat hypocritas vocare:vt enim eſt Deus,ſic apud illum mundialis potentia corruit. 448,25.

Populus hic labiis,&c. De Scribis, Principibúſque loquutus ait : *Populus hic.* Peccatores enim non diſtinguuntur a fæce plebis. 602,1.

Populus hic labiis me honorat. Bonus Dominus non ad verba,ſed ad veſtigia,ſed ad opera attendat ſeruorum. 304, 39.

Si duo ex vobis conſenſerint, &c. Concordia potens ad obtinenda bona. 164,16.

Sum in medio eorum. Vt gaudet Ieſus conuictu hominum. 39,1.

Docentes doctrinas, & mandata hominum. Colendus eſt animus non tuta humana,ſed inata diuina præſcripta, vt perſeueret in vita. 192,3.

Feria V. à Dominica III.

Luc. 4.

Introiuit in domum Simonis, &c. Ieſus hoſpitium accipit in domo Simonis, & eius ſocrui dat ſalutem,etenim qua parte aliquid accipit,ſe totum effundit. 40,2.

Introiuit in domum Simonis. Intrans in Simonis domum, ſic illum honorabat, vt doceat, quam optimi patrisfamiliàs ſit honorare ſeruos ſuos,quo eius mandata exequantur. 135,8.

Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus. Non illa ex nomine ſuo , ſed ea generi nomine vocatur, *ſocrus Simonis.* In quo ſufficienter oſtenditur, & mulieris infirmitas , quæ nomine non agnoſcitur ſuo , & Simonis præſtantia, qui ſub proprio nomine ſeitur.535,10. Vbi quam miſerum ſit, nihil virtutis præſtare,quo ex nomine cognoſcaris.

Et rogauerunt illum pro ea. Cur illa non magis pro ſe rogat? Vt magnis ardebat febribus,ſic morti ſe putabat vicinam : & ideò bona Simonis ſocrus de nullo temporali curat. Vtinam ſic omnes morti appropinquantes temporalium amittant curat.603,4. Item, rogauerunt pro illa : quia oratio pro aliis efficaciſſima eſt. 610,10.

Rogauerunt illam pro ea.&c.Orationis beneficio omnes aduerſarias poteſtates contemnimus. 290,7. Et in viris ſanctis quàm efficax oratio. 247,29.

*Surgens miniſtrabat illis.*Occupatio honeſti laboris eſt cauſa virtutis conſeruandæ.19,11. Item, ſalutem acceptam impendit ſeruiens benefactori ſuo : gratitudo enim pignus eſt accipiendi aliud beneficium. 205,5.

*Et continuò ſurgens miniſtrabat.*Dum moras abrumpit,vt miniſtret Chriſto,ſe illi gratam maximè oſtendit. 214,25.

Surgens miniſtrabat , &c. Nec ipſa,quæ paulo antè languebat, excuſatur a Chriſti miniſterio in domo Petri, vt hinc eius domus videas felicitatem, in qua nemo non ſeruit Deo. 411,44.

Feria VI. à Dominica III.

Ioan. 4.

Fatigatus ex itinere,ſedebat ſic ſupra fontem. Vt Samariam expugnet,fatigatus accedit;quia a paſſione,a laborum ſuſtinentia maxima venit Chriſtianorum fortitudo. 219,26.

Fatigatus ex itinere ſedebat ſic. Etiam dum ſedet, non tollit fatigationem itineris ; ſed magis illam ſeruat : vt qui ſciat, quam conducat coniungere opera voci ad expilcandos homines.359,30.Vt eſt efficax ſermo,cui præcedunt opera virtutis. 599,8.

Fatigatus ex itinere ſedebat ſic. Et fatigationem & ſeſſionem ſimul in Chriſto Ieſu video. Nec miror, quando paſſiones in Chriſto feſtinatiſſimum tranſitum ad gloriæ ſeſſionem habent. 422,21.

Hora erat quaſi ſexta. Dum tardat mulier venire vſque ad ſextam horam,non miror,quòd Ieſus defatigetur, & doleat, quando moroſi homines in accedendo in magna pericula veniunt. 214,25.

Da mihi bibere. Petit potum à fœmina, cùm primùm ipſa aquam hauriat:gaudet enim Dominus ſemper primus honorari. 298,25.

Da mihi bibere. Quod Deo datur, in augmentum ibit.431, 1.Et id magis à nobis habetur. ibid.2.

Quomodo tu, Iudæus cùm ſis, bibere à me poſcis? In Ieſu non attendendæ ſunt leges ordinariæ. 186,1.

Si ſcires donum Dei : : forſitan petiſſes , &c. Muliebre ingenium ad dona capienda promptius. 353,15.

Petiſſes ab eo,& dediſſet tibi aquam ,&c.Non Solem,non ſtellas,ſed aquam petiſſes,& dediſſet:quia qui ſcit Dei dona,non expetit illa,quæ multùm ſplendeant,ſed quæ proſint.310,53.

Dediſſet aquam. Nec paruum eſt aquæ donum ; quando de aquæ pœnitentiæ virtute cœlum extenditur, vt peccatores capere poſſit. 207,8.

Vnde ergo habes aquam viuam? Carnales putant, non eſſe, quæ oculis non vident. 470,4.

Patre noſtro Iacob. Meritò vocat patrem Iacob, à quo religionem biberat : ille enim ſolus pater habendus, qui docet, quæ Dei ſunt. 345,44.

Domine,da mihi hanc aquam Nunc primùm Dominum vocat, quæ reuerentia exhibita ſe præparat ad gratias diuinas. 343,30.

Quinque viros habuiſti Fœminarum cupiditatibus tenentur homines,ne liberi ſint. 410,15.

Item : *Quinque viros habuiſti, & nunc quem habes,non eſt tuus.* Virorum vita vxorum qualitatem deſignat. 630,13.

Mirabantur,quòd cum muliere loquebatur,&c.D.Chryſoſt.putat admirationem fuiſſe, quòd cum muliere tam vili loquebatur.Et quidem quòd homo nobilis cum vilibus mulieribus conuerſationem habeat ſine ingenti damno , mirandum eſt, quando tunc ſolet perdi populus , cùm nobiles viri ad viles fœminas currunt. 32,35.

Sabbatum à Dominica III.

Ioan. 8.

Adducunt Scribæ , & Phariſæi mulierem deprehenſam in adulterio. Multi erant publici peccatores:& tamen Senatores Ieroſolymæ vnam adducunt adulteram ſummo Iudici;& meritò:quia caſtitatis zelus firmat regna.36,42.Et quia vel vna fœmina laſciua inficit populos. 54,21.

Adducunt Scribæ & Phariſæi mulierem deprehenſam, &c. Hæc fuit tota felicitas adulteræ,quod punienda coram Ieſu ponatur : vbi enim in punitionibus Deus aſpicitur , nunquam non ingens inde fructus. 485,12.

Hæc mulier modò deprehenſa.&c.Seueri iudices in vilem fœminam ſunt ; rarò enim mundialia tribunalia in perſonas potentes exurgunt. 494,15.

Modò deprehenſa eſt in adulterio. Dum res in templo agerentur,credibile eſt,ibi deprehenſum fuiſſe adulterium, cùm laſciuia minime ſacra vereatur. 151,25.151,27.220,5.

Tentantes eum. Aſtute Ieſum in legis rigore tentabant, vt qui ab vtero ſuauitate orbem alliciebat. 140,1.187,3.

Moyſes mandauit nobis huiuſmodi lapidare. Vide ſpiritum Moyſis, & ſpiritum Dei : Dei ſpiritus a manſuetudine commendatur. 584,11.

Huiuſmodi lapidare Iuſtiſſima lex duriter laſciuiam tractat, vt quæ ægrè,& difficulter curetur. 146,15.

Digito ſcribebat in terra. Peſſimis accuſatoribus vt reſpondeat, digito ſcribit in terra,illos ad lectionem inuitans Scripturæ , tacitique ſermonis, quo ſine dubio in meliorem frugem ibunt. 534,7.

Qui ſine peccato eſt , primus in illam lapidem mittat. Exoat ſe primò ſceleribus,qui alios velit corripere. 625,2.

Incipientes à ſenioribus. In longa antiquitate nunquam non rugæ. 348,5.

Dominica IV.

Ioan. 6.

Sequebatur eum multitudo magna. Et quando multitudo non eſt cum Ieſu,qui ab vtero populum refert numeroſiſſimum? 69,2. Et vnum Ieſum multi ſequuntur : quia ipſe ad omnes ſufficit. 76,8.

Sabb.

Subiit ergo in montem. Per aſpera,& dura nobis vitam parat. 42,5.

Cùm ſubleuaſſet oculos. Oculi Principum loquuntur eorum animum erga ſubditoa. 28,27.

Dixit ad Philippum: Vnde ememus panes, &c. Priùs examinat Dominus,an per homines panes afferri poſſent ? Quæ enim diligentiis humanis poſſunt fieri, non ſunt totaliter Deo committenda. 490,6.

Item: *Vnde ememus panes ?* Quærit ex Philippo remedium, quo tot homines ſuſtententur, vt illum erigat in æmulationem diuinæ beneficentiæ,quam æmulationem maximè Deus amat in ſuis creaturis. 559,3.

Vnde ememus? Non interrogat vt ignarus:ſciebat enim,quid eſſet facturus:nimirum,vbi ipſe erat,omnia bona erant. 111, 6.

Facite homines diſcumbere. Charitas Chriſti in homines maxima. 39,1.

Cùm gratias egiſſet,diſtribuit. Paucos panes accipiens,vt ſaturet ingentem multitudinem,gratias agit in primis. Gratus enim animus difficillima quæque perficit.368,48. Gratitudo nunquam non lucroſa. 634,21.

Quantum volebant. De pauceis *panibus & piſcibus*, accipiunt multi,quantùm volebant:quia panes ſeſe multiplicabant in fauorem comedentium : ſic enim creaturæ æmulantur diuinam beneficentiam erga Deum. 433.4.

Impleti ſunt. Mundum repleuit benedictione. 114,8.

Impleuerunt duodecim cophinos,&c.Quinque panes famelicis distributi duodecim implent cophinos : ſemper enim eleemoſyna duplum metit,&c.473, 44. Data egenis non exhauriuntur. 487,16.

Fugit iterum. Dum illum Regem volunt facere propter miraculum, meritò fugit : non enim admittendum temporale præmium pro facinore virtutum. 433,5.

Feria II. à Dominica IV.

Ioann. 2.

Inuenit in templo vendentes. Semel iam ementes à Ieſu fuerant eiecti è templo Matt.21. & iterum inueniuntur in templo eſſe : nihil enim non vorant homines, vt ad conſueta lucra reuertantur. 303,36.

Et cùm feciſſet quaſi flagellum,&c. Quaſi flagellum oſtendit, & omnes expauent, & fugiunt : à quouis enim ſigno diuinæ iræ maior pauor creatur,quam ab omni creaturarum furore. 177,7.

Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, &c. Nullo magis claret Dei miniſter, quàm in puniendis proteruis. 451,30. Imò in eo oſtenditur Dei gloria,& pulchritudo. 401,8. Et vbi ſupplicia deſunt,etiam deſunt, qui conuertantur ad Deum. 397,16.

Quaſi flagellum. Dum iraſcitur in ementes hos,non flagellum,ſed quaſi flagellum facit:ſolet enim inter iraſcendum,& miſericordiæ locum præbere. 562,4. Dei vocat quaſi flagellum : quia quælibet calamitas temporalis minima apud Deum. 564,10.

Omnes eiecit. Mirabar,quòd omnes nummularios, & vendentes ſolo quaſi flagello eiicerentur : ſed non eſt in auaritia valentia. 552,14.

Nummulariorum effudit æs,& menſas ſubuertit,&c. Nummularios aſperrimè tractat, vendentibus autem columbas pacificè dicit; *Auferte iſta.* Cur cum iis manſuetè, & cum illis rigidè? Nummularij erant fundamentum, & cauſa totius mercatus:ideò acriùs erant puniendi. 277,6.

Domum patris mei,domum negotiationis. Reuerentia pro ſacris adhibenda. 426,30.

Zelus domus tuæ comedit me. Hoc proprium eſt maximorum virorum,quòd zelo impulſi peccatoribus oblatrent. 265,11.

Feria III. à Dominica IV.

Ioann. 7.

Iam die feſto mediante aſcendit Ieſus in templum,& docebat. Feſti dies piis operibus tranſigendi, non otio : grauiſſimum enim eſt,in otioſa vita virtutem conſeruare. 492,11.

Docebat. Et mirabantur Iudæi. Quantus erat Ieſus, qui ſermone Iudæorum duritiem molliebat? 359,29.599,7.

Et docebat. Et mirabantur Iudæi,&c. Doctrina,quæ à Deo eſt, omnes ſuperat humanas facultates. 241,14.

Mea doctrina non eſt mea,&c. Mirabantur Iudæi, vnde Ieſus poſſet iam diuina myſteria explicare:quibus ille oſtendit,vnde id poſſet, nimirum,quia doctrina ſua, non humana erat, nec ſæcularis,quæ inepta eſt ad diuina oſtendenda. 262,3.

Sed eius, qui miſit me. Vndique Dei patris ſollicitat gloriam,illámque omnibus præfert.Id quod magni lucrifes eſt. 601,12.

Si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoſcet de doctrina, &c. Priùs iubentur facere Dei voluntatem, vt deinde cognoſcant : qui enim non ſolis oculis, ſed & manibus ſalutem negotiatur,præproperam ſalutem trahet. 612,16.

Qui autem quærit gloriam eius, qui miſit illum, hic verax eſt. Meritò qui Dei gloriam quærit, veritatem pertingit : quia qui ſuam quærit gloriam,hic cæciſſimus eſt,& vel patentiſſimas veritates non videt. 289,5.

Item: *Qui gloriam quærit eius, qui miſit illum*, &c. Ecce tibi optimi ſtemmata miniſtri, qui ſtudeat gloriæ, & famæ ſui Principis : qui enim miniſter ſui principis, gloriæ, famæque non proſpicit,mulctandus eſt. 366,20.

Feria IV. à Dominica IV.

Ioann. 9.

Vidit hominem cæcum à natiuitate. Quem videt à natiuitate cæcum,hominem vocat;& meritò:ille enim verus homo eſt, qui probatur ærumnis,tentationibus,376,17. Item, Afflictio ſubditi efficax, vt afficiat Dominum. 379,22.

Quis peccauit,hic,aut parentes eius,vt cæcus naſceretur? Peccata parentum tunc prorſus exitialia ſunt filiis, quando in illis conſeruata inueniuntur. 282,19.

Item in filio cæco parentes vocantur in mali ſuſpicionem: nam bonorum parentum filius bonus cenſetur. 198,15.

Manifeſtentur opera Dei in illo. In danda ſalute genus manifeſtatur diuinum. 108,11.

Vt manifeſtentur opera Dei in illo. In cæco illuminato apertiſſime Dei opus manifeſtatur,cuius proprium eſt,non inferre malum,cui non afferat & medelam. 382,3.

Item: *Vt manifeſtentur opera Dei.* Qui boni ſunt,per benignitatis opera in Dei agnitionem adducuntur. 383,5.

Me oportet operari opera eius,&c. Sanitatis opera Dei:cui illud primum eſt,vt benefaciat ſuis. 378,28.

Expuit in terram,& fecit lutum. Non miror, quòd luto vtatur ad lumina præſtanda,quando is eſt Ieſus meus,qui in vili opere ſciat & mundum ſubiugare. 199,17.

Fecit lutum,liniuit ſuper oculos eius,& dixit ei : Vade,&c. Qui ob oculos habet lutum infirmitatis ſuæ, ſecuriſſimè iubetur ire:non enim deflectet à via ſalutis. 567,5.

Laua in natatoria Siloe, &c. Vbi eſt lauacrum ſacri Baptiſmi, ibi finiuntur ærumnæ ; quæ tunc grauiſſimæ ſunt, cùm hoc lauacrum deficit. 388,16.

Abiit ergo,& lauit, & venit videns. Vt Ieſu obtemperans abiit,& lauit, ſtatim venit videns : ſunt enim virtutis præmia in vicinio. 116,12.

Feria V. à Dominica IV.

Luc. 7.

Defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ. Qui vnicus erat in amore matris,defunctus oſtenditur,nec aliud citiùs à creaturis amantibus excipies,quàm mortem ipſam. 110,1.

Filius vnicus matris ſuæ. Parentes maximè in filiorum pœnis affliguntur. 483,22.

Et hæc vidua erat,&c. Vt omni terreno ſolatio vacuata, & viduata in coniuge,& in filio defuncto, ſic aptior gratiis excipiendis diuinis. 539,17.541,21.

Miſericordia motus ſuper illam, &c. Cur ſic afficitur ad hanc viduam? Videbat in matre dolente vnigeniti mortem, rem ſuam:vt ipſe vnicus filius eripiendus erat matri ſuæ, mortique tradendus.Nec miror,quòd afficiatur ad ſua. 535,9.

Acceſſit,& tetigit,&c. Chriſti vicinitas augmenta gratiarum adducit. 377,20.

Acceſſit,& tetigit loculum,&c. Ad nullum Chriſtus accedit, quem miris benedictionibus non augeat. 814,8.

Adoleſcens,tibi dico,ſurge. Vt ſolus Ieſus poteſt de adoleſcentia triumphare. 6,8.

Dedit illum matri ſuæ. Felices nos, qui habemus Matrem Mariam,cui ſanè concedimur à Deo,vt viuamus. Cuius efficaciſſimum eſt patrocinium. 10,14.11,15.

Dedit illum matri ſuæ. In hoc viuimus nos,quòd à Ieſu dati ſumus Matris noſtræ Mariæ patrocinio. 415,5.

Feria VI. à Dominica IV.

Ioan. 11.

Miſerunt ſorores eius ad Ieſum. Lazari ſorores mittunt ad Ieſum maximè ſollicitæ de fratria ſalute: at ipſe Lazarus, & languens, & morti propinquus in nulla ſollicitudine oſtenditur eſſe pro ſororibus ſuis relinquendis. De Imperatore Valent. expendit D. Ambr. in eius oratione, quòd moriebatur in hæc verba: *Væ miſeris ſororibus meis.* Sic bonum fratrem angebat ſororum derelictio. Cur & de Lazaro ſimilis ſolicitudo non dicitur? Sanè hoc ſalutarius, quod moribundus, nulli potiùs quàm ſibi conſulat. 604,5.

Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei. Gloria Dei in omnimoda carnis mortificatione, & abnegatione oſtenditur. 509,4.

Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei. &c. Audiens amici infirmitatem, non dolet, non turbatur, non properat accurrere. Et cur in amici ruina non magis dolet? Sciebat totam illam ruinam eſſe pro Dei gloria, ibi autem ſolùm dolent impij. 257,50.

Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos, vt credatis. Ex viſa morte Lazari aſſerit Ieſus Apoſtolos ſuos vni Deo credituros eſſe: ſumma enim eſſet ſtultitia, & miſeria, quòd videntes creaturarum defectum alteri fiderent, quam Deo. 310,6.

Si fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus. Apud Deum ſolùm vita, & ſalus hominis eſt tota. 311,56.

Nunc ſcio, quia quæcunque popoſceris, &c. Quàm certa mulieris huius confidentia erat in Ieſu, tam certa erat mortis fraternæ ruina. Facit enim confidentia iuſtos à malis inſuperabiles. 308,49.

Nunc ſcio, quia quæcunque popoſceris à Deo, dabit tibi. Nunc cùm mortuum videt, adhuc ſperat agens cum Ieſu: qui enim cum Deo negotiatur, ſupra communes viuendi vias ſpem figat. 558,2.

Ego ſum reſurrectio, & vita. Cur ſe reſurrectionem prius propoſuit? Reſurrectio mortem ſupponebat, vt erat ſuffigendus cruci: in cuius crucis ſigno nihil non ſperari poſſet ſupra humanas vires. 600,10.

Ego ſum reſurrectio. Expende rationem, ob quam ſperandam aſſerit Ieſus Lazari reſurrectionem; nimirum, quia Ieſus ipſe reſurrectio eſt. Sed quid, quòd Ieſus ſit reſurrectio, vt Lazarus reſurgat? Multum ſanè: nam, vt Lazarus hoſpitium præbuerat Ieſu, debebat etiam participare gratias illius. 311,55.

Qui credit in me. De fidei valentia, vide 598,5. & 6.

Vbi poſuiſtis eum? A mulieribus interrogat, quo in ſepulcro locauerint fratrem defunctum: vt innuat, quam lethales ſint hominibus fœminæ. 515,18.

Vbi poſuiſtis eum? Meritò D. Chryſologus notat, iis verbis mulieres argui, de quarum laſciuia venit, quòd adoleſcentes in perditione ponantur. 179,45.

Tollite lapidem. Videte, quid iubeat tolli, vt vitam det Lazaro, non iubet tolli ſibi aurum, nec argentum; ſed ſolùm iubet tolli à ſepulcro lapidem. Verè in hoc ſaluator, & protector Lazari, qui ſine ſumptu eius procurat incolumitatem. 180,49.

Sabbatum à Dominica IV.

Ioan. 8.

Ego ſum lux mundi. Niſi Dei illuminatio præcedat, non gradum facies in ſalute. 280,13.

Ego ſum lux mundi. Dei dona ad plures extendenda ſunt. 503,59.

Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. Diuinorum præceptorum obſeruatio, quæ eſt Chriſti ſequela, illuminat. 501,15.

Qui ſequitur &c. In ſequela hac Dei oſtenditur diuina virtutis obſeruatio: quæ enim breuis eſt, & horaria, vix cenſetur apud Deum. 512,11.

Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. Veræ ſapientiæ ſectator, & cultor, mortis vt euadit diſcrimina. 246,27.

Non ambulat in tenebris. Hæc ſolida felicitas eſt, quæ nullum caſum videat. 237,5. Quæ enim occaſum habent, ſomnia ſunt. 253,41.

Habebit lumen vitæ. A Deo neceſſaria veniunt ad vitam, a malo ſuperflua. 37,44.

Item, vt hæc eſt prima Domini laua, quòd ei ſuppetant neceſſaria ſubditorum vitæ. 255,46.

Habebit lumen vitæ. In Chriſto Ieſu pro nobis paſſo noſtrum eſt leuamen, & vita. 484,10.

Iterum, *Habebit.* Firmiora, & durabiliora ſunt, quæ à Chriſto paſſo veniunt. 484,11.

Vos ſecundum carnem iudicatis. Cæcitas communis hominum, quòd corporalem ſolam magnitudinem ſpectent. 225,16.

Dominica V. Quadrageſimæ.

Ioan. 8.

Dicebat Ieſus turbis, & Principibus Sacerdotum, &c. Vbi Principes reprehenſibiles erant, etiam turba populi eandem cauſam habebat: ſequuntur enim populi ingenium Principum. 446,20.

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Magna nequitia eſt, non credere veritati, quando veritas vel nuda potentiſſima ſit, vt perſuaderi faciat. 105,28.

Non auditis, quia ex Deo non eſtis. Quippe diuinitatis propria eſt cognitio veritatis. 5,5.

Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es, & Dæmonium habes? Expende illud, *benè dicimus nos:* nimirum, nos peſſimi hominum, generatio praua, & adultera: non enim alij contumelioſa verba proferrent. 107,32.

Samaritanus es, Dæmonium habes. Ecce Dominicæ paſſionis acerbiſſimum; nimirum, quòd appetatur verbis iniurioſis. 482,6. 583,8.

Et vos inhonoraſtis me. Maximum Iudæorum piaculum, quòd Ieſum Dei filium inhonorarent; quando diuina, & cœleſtia nunquam non ſolent reuerentiam ſui ingenerare. 499,11.

Eſt qui quærat, & iudicet. Vbi tot petitur iniuriis, ad Dei iudicium recurrit, vt doceat, nihil eſſe iniurias, & pœnas humanas, ſi cum iudicio Dei comparentur. 480,2. Vel iudicium memorat, vt quod potentiſſimum ſit ad duriſſimos quoſque trahendos. 502,17.

Eſt qui quærat, & iudicet. Blaſphemiis tauris auditis iudicium tremendum proteſtatur, & meritò, quando blaſphemiæ vel ſolùm auditæ periculum tutoræ inferunt. 47,7.

Si quis ſermonem meum ſeruauerit, &c. Verba Chriſti Domini maximè confirmant, & ſuauiant homines. 506,26.

Feria II. à Dominica V.

Ioann. 7.

Miſerunt Principes, & Phariſæi miniſtros, vt apprehenderent Ieſum. Dixit ergo eis Ieſus: Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum. Vide, quàm blandis verbis excipiat comprehenſores ſuos. Cur non magis illos percutit? Abſtinet à correptionibus, quæ non ſunt profuturæ. 530,24.

Et vado ad eum, qui miſit me. De comprehenſione ſua, & de morte ſua locutus, ait Dominus: *Vado ad eum, qui miſit me.* Cur non duriori vocabulo vtitur, vt dicat: Rapior ad mortem? Sanè non rapiebatur, ſed ipſe ſpontaneus ibat, & quod ſpontaneum cuique eſt, facile, & ſuaue ducitur. 214,36.

Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum. Quid intereſt, quòd ad modicum ſit Deus nobiſcum? Sanè id & peſſimis Iudæis præſtitit: vnde non magni à nobis æſtimandum eſt. Quis enim æſtimet, quod tribuitur etiam peſſimis? 213,23.

Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum. Diuinum eſt, quod in vita ſuſtineantur reprobandi. 519,27. Et maluit adhuc modicum cum illis eſſe, quia vel in modico poterant negotiari ſalutem, ſi vel triduo conuerterentur ad illum. 498,7.

Vbi ego ſum, vos non poteſtis venire. Nec mirum, quòd ſic excludantur à conſortio Dei, qui mortem illi machinabantur, quando animus ſanguinarius nunquam non à ſacris excluditur. 327,14.

Vbi ego ſum, vos non poteſtis venire. Planè impuri homines, plenique ſæcularibus illecebris, non poterant eſſe cum Ieſu, cuius aſſecla ab omni impuritate debet eſſe immunis. 193,4.

Quæretis me, & non inuenietis. Duriſſima pœna homini eſt, quòd Deum non habeat. 532,3. Iudæi auro inhiantes veritatem non poterant inuenire: quia obcæcat auaritia. 544,29.

Si quis ſitit, veniat ad me. Deus vnus ſufficit homini ſatiando. 606,11.

Si quis ſitit, veniat ad me. Ieſus ab ipſa natiuitatis hora ſeſe nobis exhibuit cœleſte conuiuium. 188,6.

Feria III. à Dominica V.

Ioann. 7.

Non volebat in Iudæam ambulare. quia quærebant eum Iudæi interficere. Quòd interfectores suos cauebat Dominus, non erat res timoris, sed voluntatis diuinæ. Non enim dicit: Timebat in Iudæam ambulare. sed ait: *Non volebat.* Vt omnem suspicionem timoris excludat. Ille enim in diuinorum executione triumphat, qui omnem à se timorem humanum depellit. 565,1.

Vade in Iudæam. In festo scenopegiæ monebant Dominum, quòd iret Ierosolymas: erat enim tota Iudæorum religio alligata loco. Ex quo patet nostra libertas felicissima, qui vbique locorum nos possumus sistere Deo. 553,15.

Manifesta te ipsum mundo. Nec enim fratres eius credebant, &c. Meritò dicuntur non credidisse in Iesum, qui putabant gloriam miraculis procurandam, & non potiùs sanguinis effusione. Famæ enim Christianæ præconia non cuilibet operi, sed virtutum culminibus debentur. 500,13.

Tempus meum nondum aduenit, &c. Fratrum consilia, & opportunitatem iis verbis Dominus deludit, ostendens salutare esse cuique multitudinis contemnere instantiam. 578,16.

Tempus meum nondum aduenit. Instigabant eum, vt ad honorem expiscandum volaret: quibus sapienter docet Dominus honores non præripiendos, sed expectandos. 178,42.

Item, tempus suum vocat tempus opportunum & tempestiuum, & meritò, quando opportunitas, & tempestiuitas temporis ad bonos effectus à solo Deo venit. 191,1.

Vos ascendite, &c. *Ego autem non ascendam,* &c. Cognati, parentésque in tantum sunt sequendi, in quantum ad Deum ducunt, alioquin relinquendi. 92,3.

Vos ascendite ad diem festum hunc. Ego autem non ascendam. Meritò negat se ascensurum ad festum ob aucupandam temporalem gloriam. Spiritualis enim homo periculosè se ad temporalia conuertit. 639,5. Et facilè temporalia contemnit, qui respicit æterna. *ibid* 4.

Feria IV. à Dominica V.

Ioann. 10.

Facta sunt encænia, &c. Encæniorum Festa erant Festa renouationis templi, quibus Iesus aderat in porticu Salomonis, vt ostendat, quàm illi placeat affectus, qui semper nouus & recens est 537,5. 595,9. Et quidquid ad nouitatem vitæ spectat, opus est Dei. 432,3.

Ambulabat Iesus in templo. Mihi crede, numquam encænia veriora facta sunt, hoc est, renouationis Festa nunquam certiora sunt facta, quàm vbi Iesus interfuit: de beneficio enim eius certissimè renouamur. 43,8.

Circundederunt ergo eum Iudæi, &c. Non vnus, aut alius; sed multi iunctim Iesum impetunt, nec aliter audent: vt enim excludunt à se Christum, sic sunt infimi, & viles, quando robur, & fortitudo à Iesu venit. 140,2.

Quousque animam nostram tollis, &c. Perfidi isti in hoc vno sapiunt, quòd in re diuinæ cognitionis malam putent dilationem, & procrastinationem. 392,5.

Animam nostram tollis. Meritò Christi manum optant à se repellere, quando eius spicula in anima sentiunt: est enim solus pauendus ille, qui potest animam perdere. 97,14.

Ego agnosco eas. Iesus ab ipso vtero omnes homines in indiuiduo nouit, & electos oues nominauit. 11,16.

Ego & Pater vnum sumus. Optimè probatur Diuinitas ex vnitate Patris, & Filij, & eorum concordia: extra Deum autem nunquam duo inueniuntur, qui conueniant in vnum. 143,8. Concordia solùm esse potest, vbi perfecta virtus. 224, 14. A solo Iesu venit. 33,38.

Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, testimonium perhibent de me. Sed vos non creditis, &c. Et opera, & verba Christi euidentissima erant testimonia eius: sed Iudæis vertebantur in perniciem ex eorum abusu; quod summum erat illis malum. Infectum enim malum est, quod malorum remediis mala crescant. 375,16.

Vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum. & non rapiet quisquam de manu mea. Magna est illa manuum fortitudo, quibus nihil eripi potest. Sed vnde tota illa fortitudo manuum incipit? Ait: *Vitam æternam do eis.* Ex quo incipit dare, si amplè beneficentiam effundere, eius fortitudo crescit, quæ ex benefaciendo est. 575,10.

Multa bona opera ostendi vobis: propter quod eorum opus me lapidatis? Meritò accusantur hi miseri, quando eorum summa ostenditur ingratitudo, qui inter ipsa beneficia obliuiscuntur benefactorem Deum. 512,12. Et iustissima Iesu querela, quòd lapidetur ab iis, quibus toties benefecit. Maximus enim dolor est, quòd percutiaris ab iis, quibus beneficia feceris. 599,9.

Feria V. à Dominica V.

Luc. 7.

Quæ erat in ciuitate peccatrix. Vna fœmina mala nullum non inficit. 54,21. 220,5.

Vt cognouit, quòd Iesus accubuit, &c. Vnus Iesus est, qui cohibet carnales voluptuosósque appetitus. 29,29.

Vt cognouit, quòd Iesus accubuit in domo Pharisæi, attulit, &c. Ecce tibi de hac eadem fœmina dicitur Ioan. 11. quòd miserit ad Iesum, sic enim ait: *Miserunt ergo sorores eius ad eum,* &c. Modò non mittit; sed ipsa vadit per se. Cur tunc misit, & modò ipsa vadit? Tunc tractabat de recuperanda salute fratris, modò tractat de recuperanda in se gratia, quæ solo proprio labore recuperatur. 540,20.

Stans retrò secus pedes eius, lacrymis cœpit, &c. Cur non magis veretur publicum? Cur non magis cauet ministrorum despectus, conuiuarum fastidia? Ardor interioræ virtutis nulla nouit externa mala pauere. 506,25.

Item, *Stans retrò,* &c. Non statim euolandum ad summa. 499,10.

Lacrymis cœpit rigare, &c. Carnis mortificatione diutiùs, perseuerantiúsque Deus habetur. 510,5.

Lacrymis cœpit lauare pedes eius, & capillis, &c. Lasciuia ægrè, & difficulter tollitur. 146,15.

Capillis capitis sui tergebat. Ornatus, & cultus corporis vix inueniri potest cum vera compunctione. 60,35.

Et capillis capitis sui tergebat. Non capillos intortos habebat, sed deiectos ad Dei pedes: vt iam casta animo erat, sic & in externo habitu apparet, vt plùs placeat. 498,9.

Aquam pedibus meis non dedisti, &c. Mundiales largissimi sunt, vt seruiant suis cupiditatibus, non vt seruiant virtuti. 513,15.

Hæc autem lacrymis, &c. Et lacrymis, & capillis, & vnguento, & osculis Deum sollicitat: multis enim virtutum facinoribus comparandus est Deus. 100,19.

Non cessauit osculari pedes meos. Virtutis in studio non quiescendum. 165,18. 261,2. In illo non progredi, reproborum est. 161,11.

Feria VI. à Dominica V.

Ioann. 11.

Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium aduersus Iesum. Erant equidem in hoc concilio aliqui timentes Deum, vt Nicodemus, vt Nathanael, & alij, qui tamen minimè nefariæ sententiæ obsistunt. Curiales enim, & Palatini etiam boni, hoc vnum attendunt, vt sibi prospiciant. 483,11. 407,5.

Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Quia signa faciebat Iesus, ad mortem petebatur, absdubium quin ab inuidis: hoc enim est proprium præstantissimorum hominum, quòd cum inuidia confligant, de illaque triumphent. 434,8.

Hic homo multa signa facit. Hominem putant, quem signis multis, & miraculis diuinis clarum testantur: sic semper temporales homines ambitione pleni ad patentissimas cæcutiunt veritates. 289,5.

Si hunc dimittimus sic, venient Romani. Futurum Romanorum aduentum probè augurantur: præsentem autem illius causam, nimirum, Christi passionem ignorant. Sic temporalium rerum amatores acuti ad futura præsagienda sunt; ad præsentia videnda cæcissimi. 252,39.

Venient Romani, &c. Impij homines seditiones, & tumultus metuunt in diuinarum virtutum studio. 370,6.

Tollent locum nostrum. Etiam seditionis crimen æstimant temporales virtutem, qua lucra temporalia minuuntur. 371, 7.

Tollent locum nostrum, &c. Hoc solùm timent, quòd bona temporalia perdant; quæ dum integra veniant, nihil æstimarent Deum perdidisse. 162,12.

Vos nescitis quicquam. Nihil scitur, nihil cernitur, dum Christus non scitur, nec cernitur. 97,13.

Vnus moriatur homo, ne tota gens pereat. Hoc prophetans dixit

Sabbatum à Dominica V.

Ioan. 11.

Dominica in Ramis palmarum.

Matth. 21.

Feria V. in Cœna Domini.

Ioan. 13.

Feria VI. in Paraſceue.

Dominica Reſurrectionis.

Marc. 16.

F I N I S.

DE IESV FIGVRATO IN VETERI TESTAMENTO.

QVIDQVID de vera IESV apud homines præsentia, nobis Euangelia cecinêre, quæ potui cura libris decem & octo enucleaui; Viri diuini facinora oculis conspicienda dedi, sermones morali libra expendi. Quid tunc? Vt qui, solis ardores passus, vmbrarum expetit refrigeria; sic ego, inter tot diuinæ vitæ lumina versatus, sub eius vmbris, & sedere, & quiescere summoperè contendo. A viuidæ lucis tuæ radiis, IESV bone, ad vmbras tuas feror; vt dum quod de te in Veterum figuris adumbratum est, vigili studio pervoluo, nihil nisi te mediter; sub cuius luminibus, vt studij mei labores suscepi; sic sub eiusdem vmbris ab omni labore supersedeam.

LIBER PRIMVS.

ADAMVS, SIVE IESVS CONCEPTVS.

CHRISTI Domini conceptionem in vtero virgineo, qui referat, vnus Adamus est, qui, vt primas in se ostendit lineas Christianas, sic primus venit à nobis celebrandus.

CAPVT PRIMVM.

Adamus creatur, & in Paradiso habitationem, & adiutorium accipit.

Textus Historia.

SEXTVM diem mundus recens attigerat, & sese diuinæ personæ in opus humanum accingunt, *Faciamus*, inquiunt, *hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Vox minimè vnius quantumuis præcellentis personæ; vt rectè conuincit Theodoret. *quæst. 10. in Genes.* nec vox prolata ad Angelos, qui minimè concurrere possent humano operi, vt euidens est, & multis probat Pererius, *lib. 4. in Gen. cap. 2.* Igitur vox est trium diuinarum personarum conuenientium ad opus; quarum secunda, nempe Verbum, teste Eugubino, suam operam nauat in forma, imagine, habitúque humano, gerens speciosissimam, diuinissimámque formam, & iucundissimam omniúmque humanarum formarum pulchritudinem superantem. Hanc speciem, diuinámque pulchritudinem, clementissimus, formosissimúsque assumens, quam erat, post multa tempora, vsque ad carnem, & ossa assumpturus, creabat hominem, largiens ei speciem hâc tantam, ipse primus archetypus, speciosissimus, ipse speciosissimæ prolis Creator. Nec crediderim Angelorum ministeria aliqua defuisse opifici tanto, qui, vt creaturis solet remittere, quæ ipsæ possunt, sic remisit Angelis pulueris, cæterorúmque elementorum mixtionem, cui ipse summus opifex solus temperamentum indidit proximum carni humanæ. Angelorum ministerium fuit ad summum elementaris materiei congestio; ab vnius autem Dei virtute, & halitu homo subitò elaboratus extitit perfectus, & integer, animo, & corpore constans, ingenio præstans, facie venustus. Si forma eius quæratur, exacto corpore, longissimis breuior, procerior, eminentiórque mediocribus, quæ trigesimumquartum ætatis refert annum. Lacteus splendor tota in facie diffusus, iuuenili rubore non confusus, sed illustratus candet; regnat toto in corpore vigor; cui, Deus rector, & naturæ perfecta temperies, & vitæ alimentum tribuunt æternum durare. Si animi dotes exquiras, omnigena scientia illi data est, qua orbis Doctor, & Parens, & creatura vtatur, & filios doceat, omniáque possit contemplari, moderari. Nec in naturæ terminis hæsit eius speculatio, imò inde progressa opificis sui Trinas accepit cognoscere Personas, & filij Dei aduentum futurum

Theodoret.

Pererius.

futurum in carne, non quæ hic trahebat remissionem peccati, sed quæ ostendebat consummationem gloriæ naturæ humanæ. Ea denique pollebat sapientia Adamus, qua non posset falli, vt D. Thom. ait *1. part. quæst. 94. art. 4.* & D. August. *lib. de libero arbit. cap. 10.* Quid de eiusdem dicam sanctitate primo in vitæ halitu fulgurante? Gratia illum diuina à primo vitæ instanti ornauit, quam vniuersæ virtutes facto agmine comitantur. Nihil in illo rebelle, nihil rationi repugnans existit, sed animales quoque passiones, & appetitus iustam rationis metam sequuntur, in quo consistit iustitia originalis: & exurgit dominium potentissimum ad subiicienda, domandique omnia, licèt ferocissima, animalia. Omnes hæ dotes, nimirum intellectus vis, rationis ordo, sapientia, gratia, virtutes, dominium, immortalitas insuper, & fœcunditas ad gignendum sibi in iis omnibus simile, vt viuidissimi colores hominē faciunt viuidissimā Dei imaginē. Cui talis à Deo paratur habitationis locus, vt prorsus nequeā eius diuitias, & gratias adumbrare. Accipite vos D. Basil. qui, *homil. de Paradiso*, sic pingit pulcherrimū istud primi hominis habitaculū. *Quemadmodum Deus hominem à cæteris animantibus, discreta, ac singulari dignatus est formatione: itidem & hominis apparuit, sub-que condidit manu præamœnam, ac deliciis omnifariam diffluentem mansionem: locum vtique omnem exsuperantem creaturam, visendæ pulchritudinis suspiciendum, & admirabilem: locum dote prælusicam, & spectatu dignissimum, & qui, ob situm celsitudinem, nulla sui parte admittit tenebras, nulla tenebrescit caligine: vtpote quem exorientium syderum splendor irradiat, & vndique suo lumine circumfundit. Retinet hic peramœnam, ac iucundissimam Veris temperiem, luce dissimè collustratus, & splendidissimo aere. Illuc igitur Deus plantauit Paradisum, vbi nulla esset vis ventorum, nulla tempestatum intemperies, nulla grando, nulla fulmina, nulla procella, ac turbines, non tortoria, ac violenta fulgura, non Hyemalis glacies, non Veris humiditas, non Æstatis exæstuatio, non Autumni siccitas, sed temperata, & pacifica inter se temporum consonantia: singula quoque horum adornata propria amœnitate; cùm nec præcedens à sequente quicquam insidiarum metuere posset: dum neque verno decori subsequens æstas noceret, neque æstiui, vel autumnales fructus præ sensu desiderent. Nam ita locum hunc constituit, vt fatis alioquin illum anni singula tempestates circumlustrarent; imo præcipuis illā suis facultatibus stipantia, ac commoditatem conferunt singula tempora; vernale, quod habet delicatum, & iucundum; æstiuum esculentæ in alimoniam, autumnale hilaritatem; hyemale otium, & quietem. Deinde vt terra esset pinguis, mollis, & verè fluens lacte, & melle, ad fertilitatem frugum accommoda, ac fertilissimis aquis irrigua, quæ profectò incredibilem quandam pulchritudinem exhiberent. Subtiles enim aquæ illæ, ac perspicuæ, & multum quidem iucunditatis spectantibus conferunt, plus vtilitatis.* Hactenus D. Basilius Paradisi amœnissimam temperiem explicabat, quam de arboribus sine numero, fructuum suauissimorum implent diuitiæ, frondentium ramorum oblectat spectaculum. Quot arbores, tot mensæ gratissimis epulis fartæ, tot cupienti exhibita conuiuia: vnam solùm, de tam multis arborem, præceptum Conditoris iubet esse intactam, non quòd ab aliis dissimilis sit vel specie, vel suauitate, sed quia conditori placuit, hanc solam in obedientiæ exercitiū reseruare. De præcepti cōtemptu in huius arboris fructu gustato tot insurgunt mala, tam longa miseriarum experientia serpit, vt meritò ab effectu isto, mali, bonique scientiæ vocetur arbor. Innumeras læsuras parit vnius læsura arboris, penes quam illæsam omnis prosperitas, omnis fœlicitas plaudit. Et ne qua fœlicitas cultori numinis deficiat, inter tot arborū syluas, inter tot fructuum suauitates, excogitata fuit à conditore vna alia præstantissima arbor, quæ in medio posita omniū, eos ederet fructus, qui vel prælibati in longissima sæcula sine senio ætatem, sine molestia vitā æternarent. Maluit diuinissimus artifex homini suo nota, inemptaque remedia creare, quàm Medicorum fidei sue permittere, iniquissimam mercedem ex superuacua curationis mora captantium. Ad hanc voluptatum segetem, fœlicitatum syluam, mūdialis imperij primam sedem deduxit Dominus Deus Adamum, cui imperare iubet, & animantibus præsidere. Nec mora, adsunt vniuersa animantia, ex Regis moribus mansueta, lenia, subdita, quorum naturis à Rege Adamo intimiùs penetratis, additis nominibus naturæ claritatem adauget. Iam dies prouecta erat, & instabat diuina quies: animalia venire desierunt, & Adamus loqui desiit. Non laboris fatigatione, nec otiantis animi incuria, sed summi artificis operatione labitur in somnum: dormientem conuenit Deus, illi costam ad hoc solùm adnatam eximit; ex qua formosissimā effingit puellam, & dat Adamo expergefacto sociam. Crediderim quòd ambo abierūt in amplexus, & quòd salutatione mutua functis, non modò quid dicerent, sed & qui loquerentur, vacauit cogitare. Tunc igitur alterius forma ad oculos alterius tota peruenit: & in mutuam admirationem stupuere, alterna contemplatione rapti, id quisque miratus in alio, quo ipse vicissim mirantem implebat. Ætas, pulchritudo, arcanus luminum vigor, amœnitas vultus, & quamuis in diuersa naturæ venustate vna maiestas. Cum tanta speciei monstrum erat, & sapientiam, & sanctitatem conuenisse. Ora virginea silentium adornat. vir totus adstupens sociæ pulchritudini, quod animo sentit, nescit verbis dissimulare. O, inquit, dimidium animæ meæ! ô præstantior mei pars, tota humani pectoris hamus, & tota amor! Quod blandum in carne, quod forte in ossibus accepi, tibi tulisti, blanditias tuas adoro, robur meū tibi lito, sacro. Nunquam erit in hominis potestate affectus partiri inter Sponsam & Patres, parentibus se omnes negabunt, vt nihil sponsæ debeatur. Hæ Adami blanditiæ Euam implebant. & summus omnium Creator nuptiis suis conuiuium adornabat: in cibum offert quidquid suaue è terra nascitur, & inter tantam ciborum copiam, nullus vestium cultus paratur. Equidem erat tunc vterque splendidissima vestitus nuditate.

D. Thom.
D. Aug.
D. Basil.

PARS PRIMA.

Adami, & Christi symbola.

HIc prima Adami dies profert nobis perspicuum Adamum à Deo exortum, in omni decore absolutum, perfectè elaboratum, visibilium creaturarum facilè principem, Creatori subditum, in amœnissima, & penè sibi adnata sede exaltatum. Liceat iam huic primo Dei operi componere secundum aliud, cuius conceptioni, siue primo in mundum ingressui faceem prætulere omnia prima, & fœlicia Adami.

§. I.

Solus Adamus è viris à solo Deo conditus potuit Christi Domini conceptionem adumbrare.

VBi maris, & fœminæ commistio non est, omnis creaturarum virtus vacat, vt homo producatur: à sola Omnipotentis Dei virtute potest homo fieri, vbi non præcessit coniunctio carnalis. Quæ coniunctio vt non inuenitur in Adami, & Christi exortu, sic neuter aliam sui potuit cognoscere auctricem, quàm diuinam manum: nec Iesu conceptio in alia, quàm in Adami formatione, potuit clariùs adumbrari. De Iesu progenitoribus locutus Luc. c. 3. ait: *Iesus erat incipiens, quasi annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph, Qui fuit Heli :::: Qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Et meritò non in Dauide, nec in Abrahamo Christi Domini generationem, & prosapiam terminauit, sed inde ascendens, vsque ad Adamum, & Adami authorem peruenit, vt manifestè ostenderet in sola Adami origine posse Christi Domini conceptionem ab vno Deo elaboratam delineari. Quò respiciens Diuus Ambrosius *lib. 3. in Luc. circa finem*, aiebat: *Iam de ipso Adam, qui iuxta Apostolum, figuram accepit Christi, quid pulchrius debuit conuenire, quàm vt sacrosancta generatio à Dei Filio inciperet, & vsque ad Dei Filium deduceretur, creatúsque præcederet in figura, vt natus in veritate sequeretur: ad imaginem factus præiret, propter quem Dei imago descenderet?* Vt nullus hominum purorum Deum immediatum, & vnicum authorem habuit, nisi Adamus; sic in nullo nisi in Adamo potuit concepti Christi imago ad viuum exprimi. Non hominis, non Angeli, nō creaturæ vllius opus fuit generatio, nullam etiam operationem creaturarum admisit. A Deo solo elaboratus processit in figura, vt ostenderetur, qui operante Deo, concipiendus erat à Virgine. Ad hæc idem Amb. serm. 37. de Quadrag. ait. *Adam de terra virgine natus est, & Christus de Maria Virgine procreatus. Illius maternum solum nec dum scissum fuerat, istius maternum secretum nunquam concupiscentia violatum. Adam Dei manibus plasmatur è limo; Christus Dei Spiritu formatur in vtero. Vterque ergo oritur sine patre, vterque Virgine vtitur matre, vterque, sicut Euangelista dicit, Filius Dei est, sed Adam creatura est filius, Christus verò substantia.* Hæc ibi.

Luc. 3.
D. Amb.
D. Amb.

§. II.

§. II.

Ut immediatè ex terra factus fuit Adam, sic immediatè ex Virgineo sanguine perfectus Christus: Semper contermina Maria Christo.

SVos habet gradus natura, per quos ad perfectissimas formas progrediatur, nunquam enim a creaturis cernuntur ex infimis elementis summa elaborari. Vbi ex luto adhibito Ioan. 10. cæci oculi compinguntur, euidenter ostenditur id opus non esse naturæ, sed Omnipotentissimæ Diuinitatis, quæ sola potest infima hæc sine medio in summa transmutare. Quod præclarè meditans Theodotus, *hom. 2. in Christi Natiuitatem, posita in Concilio Ephesino, tom 6. cap. 10.* ait: *Etenim ex terra limo vas fictile, aut later conficitur; non oculorum elegantia formatur; non tenues illæ membranæ fiunt; non pupillæ decor, aut varietas constituitur, non ipsius circumferentia artificium tanta cum coloris venustate efformatur. Lutum enim in oculorum nobilitatem nostra arte euchi non potest. Itaque quod terra natura non patiebatur, hoc suscepit miraculorum patratore, communis ipsius naturæ legi non seruiente, sed naturam ad sua ipsius voluntatis nutum rapiente.* Nescit natura ire nisi per consuetos gradus, vt ex infimis per media tandem possit sublimia tangere. Ex luto facit laterem, aut plantam aliquam, seu vermem facit, ex sanguine fœmineo & virili semine in matrice decocto embryonem operatur, qui immediatè in hominem transit. Vide apud Iob cap. 10. hominis naturalem formationem, ait enim: *Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? Ossibus & neruis vestisti me, vitam, & misericordiam tribuisti mihi, &c.* Expende per quos gradus accedatur ad vitam capessendam humanā: priùs apparet lacteus humor, qui durescit quasi in caseum, deinde ossa, & nerui conflantur, & tandē vita datur humana. Nec enim lutum, aut fœmineus sanguis vlla naturæ vi, vlla nostra arte in nobilitatem hominis potest sublimari. Itaque, quod natura non patiebatur, hoc fecit naturæ author in Adamo, hoc fecit in Christo quando Adamum operans lutū ad hominis nobilitatē immediatè euexit, & Christum constituit immediatè ex virgineo sanguine. Quippe ait Genes. 2. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ:* terra enim, siue limus immediatè in hominem desiit, vt meritò dicat D. Basil. Seleuc. orat. 2. *Vidit hominem, non carnem in matrice sculptam, non in naturæ officina luteum embryonem; sed vidit hominem immortali manu editum, &c.* Non terra, & statim caro, & rursus embryo, & tandem homo, sed, nullo alio mediante, terra in hominem desiit. Similiter ex virgineo Mariæ sanguine Christus Dominus coalitus extitit: non per varias decoctiones, & formationes virgineus sanguis processit; sed immediatè, & per se assumptus fuit ab immortali manu, vt ex illo Christus fieret. Accinit illud Isaiæ vaticinium, cap. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Virga Maria fuit, flos Iesus, vt malūt Tertul. *lib. de carne Christi*, Leo. *ser. 4. de Natiuit.* Ephrem, *de Mariæ laudibus*, Amb. *de benediction. Patriarch. cap. 4.* sed expende quòd flos de radice immediatè dicatur ascēdere, commune quidem est, quòd radix in truncum durescat, truncus in virgulas, & ramos tenerescat, & tener ramus flores in se ortos ostendat. Sed, in diuinissimi floris Iesu formatione, omnes aliæ formationes mediæ abfuerunt, non radix, & statim truncus, & ramus, & tandem flos; sed radix, & immediatè flos extitit: hoc est, non virgineus sanguis, & statim caro in matrice scalpta, & embryo, & denique Christus; sed ex virgineo sanguine immediatè Christus ab immortali manu fuit editus. Quò forsan spectans Chrysol. dum premit illa verba: *Ecce concipies in vtero,* sic loquitur serm. 141. *Quis antè poma carpit, quàm planta suam tribuat, & impendat industriam? Quis præter viam ad vllam peruenit mansionem? Beata ergo, & verè beata Maria, &c.* Sanè hæc est summa Mariæ beatitudo, quòd quidquid Mariæ est immediatè, desinat in Christum: Maria est, & nullum mediū est, & statim Christus. O præstantissima radix Maria, ex qua immediatè fit sanctitatum Dominus. Lex cauebat Leuit. 19. de cæteris arboribus: *Quando ingressi fueritis terram, & plantaueritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum: poma, quæ germinant, immunda erūt vobis, nec edetis ex eis. Quarto autem anno omnis fructus eorū sanctificabitur laudabilis Domino.* Nihil plantarum permittitur Deo offerri, nisi post quatuor annorum generationes: transitura erat prima, secunda, & tertia, & quarta fructuum generatio, vt fructus possit assumi, & sanctus, & laudabilis esse Domino. Ex quo ait Chrysost. serm. de Pentec. *Vide legis conditoris prudentiam, fructum primum nec offerre concessit, ne Deo immaturus offeratur, sed dimitte, inquit, quia primus est nec offeras, quia oblationi nondum dignus est fructus, nec accipienti conuenit immaturus.* Defæcari debebat fructus per multas generationes, vt tandem dignus inueniretur conspectui diuino. Omni arbore longè præstantior est radix Christi Maria, cuius purissimus sanguis nullas alias medias decoctiones, nullas alias formationes recipit, sed ipse per se immediatè assumitur, vt ex illo fons vniuersæ sanctitatis constituatur, nempe Christus.

Theod. *Iob 10.* *Genes. 2.* *D. Basil.* *Isai. 11.* *D. Chrys.* *Leuit. 19.* *D. Chrys.*

§. III.

Virginitas vt seruiuit, & Adami, & Christi formationi.

NOn dubito, quin de corrupta posset Christus Dominus concipi; maluit tamen de Virgine, vt sic Christus conceptus responderet Adami formationi. Ait Irenæus, lib. 3. cap. 31. *Quemadmodum ille Adam de rudi terra, & adhuc virgine, nondum enim pluerat Deus, & homo non erat operatus terram, habuit substantiam, & plasmatus est manu Dei, id est, Verbo Dei. ita recapitulans in se Adam ipse Verbum existens ex Maria, quæ adhuc erat Virgo, rectè accipiebat generationem Adæ recapitulationem.* Non aliter voluit Iesus concipi, quàm fuerat Adam formatus; vtriusque formationi virginea, humanóque operi prorsus ignota materia affuit; vtrique virginitas plausit, sed Christo magis. Adeò enim Christus virgineam habitationem coluit, vt extra illam putetur peregrinari, exulare. Quò refero illud D. Basil. Seleuc. *orat. 39.* aientis: *Ægrotabant hominum animæ, dum magnus ille medicus peregrinabundus adueniret è Virgineo emicans thalamo.* Expende, quando dicatur Dominus peregrinabundus aduenire, nimirùm, quando è virgineo emicat thalamo. E cœlo enim in virgineum thalamum venit, e virgineo thalamo in mundum, quando autem è cœlo emicat, in Virginem veniens, minimè peregrinatur, sed exultat quasi gigas ad currendam viam suam. At quando è virgineo thalamo emicans venit in mundum, tunc iam quasi cogitur exulare, & peregrinabundus errare. Virginitas sola est, quæ propria reputatur Deo mansio, vnde aiebat Sophronius, *orat. 1. de Christi Natiu. Deus è Virgine natus in mediam prodiit; & quis hodie diuinus non efficiatur? Quis quò propius ad Deum accedere queat, ad Virginitatis sanctitatem non anhelet?* Est Deus vicinus virginitatis, extra quam peregrinus reputatur, virginitatem teneat, qui tenere amat Dei vicinium: nullius enim Deus sic voluit esse proprius, vt est proprius Virginitatis. Hinc *in Appendice 5. ad tom. 6. Concilij Ephesini, cap. 2.* inquit Theodotus, *hom. de Nat. Christi*, componens virgineum vterum cum Paradiso. *Et illa terra virgo erat, & ista Virgo. Sed illīc quidem arborem nasci præcepit Deus: huius autem Virginis ipse Creator secundùm carnem factus est germen. Virgo Paradiso gloriosior facta est; ille enim Dei cultura factus est, hæc autem secundùm carnem Deum coluit eligentem hominis copulari naturæ.* Sic virginitas Deum tenuit, vt hortus propria sua tenet germina; sic Deus fuit in Virgine, vt germen, plantáque est in natiuo suo solo. Vnde de virgineo ventre locutus Psal. 84. ait: *Benedixisti Domine terram tuam.* Etsi enim Mariæ viscera terrena erant; tamen quia virginea, adeò propria Dei erant, vt ad illa veniret Dominus tanquam ad sua. Quod notabat Rupert. *lib. 1. de Oper. Spirit. sanct. cap. 11.* inquiens: *Amplius autem in hoc terra ista præpollet, quia terra Domini est. Non enim illic dixit Scriptura, Formauit Deus hominem de limo terræ suæ: hic autem dicit, Benedixisti Domine terram tuam.* Domini semper censetur esse alma virginitas, extra quam apparet peregrinabundus. Sed scire cupis, vnde Deus tanto fuit affectus virginitatis amore in puncto suæ Incarnationis? Multa enim in mundo per coniugatos patrarat; coniuges erant omnes primi Patriarchæ, coniuges erant strenui Duces, & Saluatores; nec illos eligens Deus attendit ad gloriam virginitatis: vbi autem se se accinxit, vt ipse homo fieret, humanáque vestiretur carne; tunc totus afficitur erga virginitatem. Et cur tunc maximè, & non antea sic virginitatem Deus amauit? In assumptione hominis pro salute humana, extremæ suæ misericordiæ Deus aperuit thesauros, & quo tunc misericordior apparuit, eo apparere debuit virginitatis amantior, misericordiæ enim ardens affectus est, qui nouit pretium virtutis tantæ; aiebat Virgo Maria Luc. 1. *Fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius, & misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.* Vbi sui adlectionem ad Incarnationis magnum mysterium expauet, simul Dei misericordiam omnibus generationibus communicatam decantat, quasi innuat, quòd inde virginitas tanta à Deo acceperit, quòd Deus suam ingentem mise-

D. Iren. *D. Basil.* *Sophron.* *Theodot.* *Psal. 84.* *Rupert.* *Luc. 1.*

ricordiam omnibus manifestarit, summa enim misericordiæ circa omnes manifestatio sola potuisset virginitatis pretium æstimare.

D. Basil.

Quò spectans Diuus Basilius Seleuc. *orat.* 39. ait: *Quomodo virgineum pelagus audens tentabo, & magni mysterij scrutabor altitudinem, nisi me, vt inexpertum vrinatorem, ò Deipara, doceas veterem hominem deponere? Nisi mentis os misericordia compleas, quæ tui partem fundum peruadas, &c.* Mos est vrinatoribus, dum sese in pelagi profundum demittunt, oleo implere ora, quo inter aquarum ima effuso, margaritarum speciositatem facilè vident. Hinc Basilius, virgineum pelagus tentaturus, vrinatorum more, misericordiæ oleo petit impleri, de cuius misericordiæ virtute putat venire, quod inueniatur, & æstimetur virginitatis margaritum. Qui enim diues, auarus est, is nuptias amat, vt diuitiarum suarum hæredes, & seruatores gignat filios; at qui misericordia implent, non filios, non consanguineos spectat suarum diuitiarum seruatores, habens pauperes, quorum manibus credit melius afferuari diuitias, vnde huic plus semper plaudit virginitas.

§. IV.

In ipso conceptionis puncto humanam, & regiam perfectionem Iesus habuit, instar Adam. Vbi, in quo sit præstantius dominium.

Gen. 1.

VIx Adami formationem instat Dominus, & ecce tibi subirò apparet Adamus perfectus, imò regius homo factus. Ait enim, Genes. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis vniuersæque terræ. Et creauit Deus hominem, &c.* Hominem decreuit creare, & vt decreuit, sic fecit, nihil moratus est, sed temporis momento perfectum, & regium à suis manibus editum contemplatur.

Basil. Sel.

Sic D. Basilius Seleuciensis orat. 5. *Vidit hominem immortali manu editum; & Dei digito ex tempore perfectum absolutúmque simulacrum: vidit simul fictum, simul Regem factum. Nam præsit, inquit, piscibus maris, &c.* Vno eodémque momento Adamus in hominis perfectione, & regia dignitate ab omnipotente Deo elaboratus conspicitur; in quo pulcherrimè delineatur diuinissimus Adami filius Iesus, qui vt humanarum conceptionum moras abrupit, sic in primo conceptionis suæ instanti, & humanam & regiam perfectionem sibi adscripsit.

Ierem. 53.
Isai. 9.
Psal. 66.

Hinc Ierem. 53. de Iesu dicit, *Germinauit Dominus germen iustum.* Isaias autem eum, non germen, sed florem vocat, cap. 9. *Et flos de radice eius ascendet.* Et Psalmo 66. *Terra dedit fructum suum.* Vbi idem Dei filius in conceptu, & germen, & flos, & fructus vocatur; quasi ex tunc omnem perfectionem, & maturitatem adimplens.

Guar. Ab.

Ait Guarricus Abbas serm. 1. de Annunt. *Bene autem simul vocatus germen, & flos, & fructus, qui sine gradu profectus ab initio conceptus sui omni virtute, & gratia in se ipso extitit perfectus.* Simul & germen erupit, & fructus apparuit maturus, simul & conceptus, & perfectus extitit in gratia, & natura.

Matth 1.

Ait enim Angelus ad Ioseph, Matth. 1. *Noli timere, accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Expende illud, *quod in ea natum est.* Intra matris vterum concipitur fœtus, non nascitur; natiuitas enim iam dicit perfectionem infantis, extra vterum extracti. Cur ergo non magis dicit, quod in ea conceptum est, sed maluit dicere, quod in ea natum est? Equidem & in ipso conceptionis instanti sic perfectus homo Iesus apparuit, vt nullus vnquam fuerit perfectior natus.

D. Basil.

Pro quo aiebat Diuus Basilius Magnus, homil. 55. *Hinc deprehendere licet, quòd non secundum communem modum carnis constitutio Domino fuit. Conceptum namque illico perfectum fuit, non per internalla paulatim formatum, vt planè verba declarant. Non enim dicit, quod in ea conceptum est, sed quod in ea natum est.* In aliis, fœtus conceptus per quadraginta dies expectat perfici, vt capax fiat rationalis animæ, ex qua constituens infans nascatur. Longè aliter peracta fuit Christi Domini conceptio; nullus sic essentialiter perfectus homo natus est, vt homo perfectus Iesus apparuit in ipso conceptionis instanti.

Ioann. 1.

Quò refero Ioannem c. 1. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratia, & veritate.* Expende illud, *plenum gratia, & veritate*, nunquam enim Verbum factum carnem esse noscimus, quin plenum omni essentiali hominis, Deique perfectione noscamus. Quæ verba notans Aymon. *serm. in Natiuit.* ait:

Aymon.

Singulari gratia Dei filio in homine, quem assumpsit, datum est à Patre, vt ex quo homo esse inciperet, perfectus esset Deus, perfectus & homo. Nullum momentum fuit, in quo Iesus inueniretur, vel humana, vel diuina perfectione vacuus, sed cùm primùm conceptus fuit, omni perfectione essentiali plenus, & perfectus Deus, & perfectus homo apparuit.

Ierem. 31.

Ierem. *cap.* 31. ait: *Creauit Dominus nouum super terram: Fœmina circumdabit virum.* Adhuc fœminæ ab vtero circumdatus, non iam puero, non infans, sed vir vocatur, vt qui in ipso conceptionis instanti virilem habeat maturitatem.

D. Bern.

Pro quo Diuus Bernardus *hom.* 2. *super Missus est*, fatur. *Vir erat Iesus necdum etiam natus, sed sapientia, non ætate, animi vigore, non viribus corporis, maturitate sensuum, non corpulentia membrorum. Nec enim minus habuit Sapientiæ, vel potius, non minus fuit Sapientia Iesus conceptus, quàm natus, paruus, quàm magnus. Siue ergo latens in vtero, siue vagiens in præsepio, siue iam grandiusculus, interrogans Doctores in Templo, siue iam perfectæ ætatis, docens in populo, æquè profectò plenus fuit Spiritu sancto.* Præcox equidem fuit virginei vteri fructus, vt vel ante tempus maturesceret, & in primo vitæ limine iam ostenderet humanæ perfectionis grauissimos canos. Et, quod mirere magis, simul perfectè fictus, & simul Rex apparuit, virgineus enim venter, non solùm formationis officinam, sed & Iesu exhibuit thronum regalem.

Guar. Ab.

Quò respiciens aiebat Guarricus Abb. serm. 1. de Annuntiat. *Regali siquidem ex progenie Virgo electa est, generositate quidem regia nobilis proles, sed virtute regia nobilior indoles, vt æterno regi filio regia materna quoque nobilitas regium honorem defenderet, & venientem à regali sede Patris, regalis etiam thronus in Aula virginalis Reginæ susciperet matris. In ipsa quippe, & ex ipsa Sapientia ædificauit sibi domum, & in ipsa parauit sibi thronum, cùm in ea, & ex ea corpus aptauit sibi ita ad omnia perfectum, & congruum, vt & domus ei sit ad quiescendum, & thronus ad iudicandum.* Idem fuit Verbo Dei virgineis visceribus concipi, ibique sibi humanum corpus aptare, & thronum sibi apparare, & regium in se decorem ostentare, vt meritò ex tunc posset, & perfectus homo, & Rex prædicari. An non Rex, qui eam humanitatis stolam induit, quæ reliquis hominibus, & salutem, & gloriam ex tunc parabat?

Cant. 3.

Meritò Cant. 3. *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Diadema assumptum à matre vocat humanitatem, quam Verbum, in puncto Incarnationis, assumpsit, vt ait Philo, Cassiod. Diuus Gregorius Guilhelm. Honor. Bed. Haym. Alcuin. Alan. D. Bernard. *serm.* 2. *de Epiphan.* ita vt incarnari verbum diuinum in Mariæ vtero, idem sit ac coronari à matre, nec antea carnem sumit, quàm coronam, cùm corona, & caro idem Verbo diuino sint. Et vnde caro ex Maria accepta habuit esse Deo corona? Exhibita à Maria Verbo fuit caro illa, quæ ex tunc pro hominum salute dedicata esset; nec potuit non in se regium decorem ostendere, quæ se hominum consecrabat impertiendæ saluti: Vt dicat sapienter Diuus Ambrosius de Virgin. Institut. capite 16.

D. Amb.

Beatus & Mariæ vterus, qui tantum Dominum coronauit, quando formauit. Coronauit eum, quando generauit, quia etsi eum sine aliqua sui operatione formauit, quia Spiritus sanctus superuenit in Virginem, tamen hoc ipso, quod ad omnium salutem eum concepit, & peperit, coronam capiti eius æternæ pietatis imposuit. Hoc ipso quod à Maria intelligatur Verbum diuinum conceptum pro salute hominum, intelligitur verè Rex coronatus, verè Dominus. Ex quo soluta manet quæstio à Cardin. Toleto proposita ad illa Angeli verba, Luc. 1. *Dominus tecum.*

Luc 1.

Quærit enim sapientissimus Doctor, Annot. 70. in Lucam: Cur Angelus non dixit, Deus tecum, sed, Dominus tecum? Equidem vbi Angelus meditabatur Deum in Maria, & ex Maria conceptum, non potuit in illo non magis proclamare Dominicum, & regium honorem. Ille enim præstantissimum se ostendit Dominum, qui facit consecrari saluti hominum. Compone modò duos animalium dominos, nimirum, Adamum, & Noemum; vtrique tanquam domino subduntur animalia omnia: vterque illa sub potestate sua habet, sed Adamus in Paradiso, Noemus in Arca, Adamus, vt nomina imponat illis; Noemus, vt illa pascat, & eripiat morti? Vter ergo præstantior animalium dominus? An Adamus qui totus fœlix, totus delitiis affluens solas nominum voces format, quibus animalia honoret:

an Noemus in conficienda Arca desudans, in parandis cibis laborans, & ingenti labore procurans, qualiter animalia inter diluuij tempestates seruentur ad salutis portum? Pulchrè D. Basil. Seleuc. *orat. 6.* dirimit quæstionem, dicens ad Noemum: *Esto honorarius animalium dominus, quàm Adamus; dedit ille nomen, tu salutem confer.* Ille honorarior dominus, qui non vices solas, sed & labores maximos saluti subditorum consecrat.

D. Basil.

§. V.

In Conceptionis instanti omnigenam sapientiam habuit Christus. Diuinitati semper propinqua cognitio veritatis.

CAntatissima est Adami sapientia, de qua Magist. Sentent. 2. *distinct.* 23. Bonauent. ibi, *art.* 2. *quæst.* 1. *&* 2. D. Thom. 1. *part. quæst.* 94. & alij, quos refert Pereira, *lib.* 5. *in Genes.* dum Adami scientiam super omnes mortales, per quinque integras quæstiones expendit. Nemo in rerum naturalium cœlestium, terrestriumve cognitione Adamo doctior; nemo illo in politicis oculatior, nemo etiam illo in diuinis instructior. Sed & Iesus hanc summam sapientiæ laudem sibi ab ipso Incarnationis instanti præhabuit. Simul enim sanctissima Iesu anima, & corpori, & Verbo diuino vnita fuit, & omnium rerum ex Deo scientiam habuit. Aiebat diuinus Pater, Psalm. 44. *Eructauit cor meum verbum bonum; dico ego opera mea Regi. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Quæ verba ad filij Dei Incarnationem trahens Rupert. sic ait, lib. 1. de Operib. Spirit. sancti, cap. 12. *In veerum Virginis verbum bonum cor Patris eructauit, & dixit ipso opera sua Regi. Quomodo? Lingua, inquit, mea, id est, Spiritus meus ve vera calamus velociter scribentis, verbum meum, verbum bonum natura humana velociter inscripsit, & sic dixi opera mea Regi, vt assumptum hominem nihil lateret, omnium quæcunque feci.* Simul assumpsit Deus hominem, & illi omnia sua opera dixit, hoc est, illi omnium rerum scientiam indidit. Ex quo enim Verbum Patris, Dei filius, sibi humanam naturam copulauit, factúsque est Christus filius Dei, non potuit non esse in Christi anima tota sapientiæ plenitudo. Quod Ioannes notat, cap. 1. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, (& vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre) plenum gratiæ, & veritate.* Expende, quæ est gloria vnigeniti Dei, nimirum, *plenum gratia, & veritate*, hoc est, quod plenitudinem habeat omnium veritatum, quòd nulla veritas inueniri poterit, quam, qui dicitur filius Dei, non percalleat. Ex quo Damas. *lib. 3. Fidei orthodox. cap. 22.* eleganter probat, idem esse humanitatem Christi caruisse aliquando omnigena sapientia, & caruisse vnione ad Verbum. Quippe ait: *Qui autem Christum progressus in sapientia, & gratia perinde fecisse aiunt, ac si earum incrementum acciperet, non à primo illo carnis ortu factam esse vnionem asserunt, nec personalem vnionem tuentur. Nam si caro à primo ortu Deo Verbo vnita est, imo potius in ipso extitit, ac personalem cum eo identitatem habuit, quid tandem afferri potest, quin omnibus prorsus sapientia, gratiaque opibus affulserit?* Non magis tardauit Deus in communicanda omnigena sapientia animæ Christi, quàm in communicanda illi personalitate diuina. Et simul Christus filius Dei à primo exortu apparuit, & plenus omnium cognitione veritatum; & simul humana caro Verbo diuino vnita fuit, & omnigenam rerum sapientiam hausit. Nec miror, quòd Christi humanitas ex tanto iubaris consortio omnium veritatum lumen capiat; quando ex quo Deus homini vnitur, & tota natura hominis oculorum lumina acuit. Hinc Luc. cap. 18. dicitur: *Factum est autem, cùm appropinquaret Iesus Iericho, cæcus quidam sedebat secus viam, &c.* Iesus Iericho appropinquat, & cæcus adest, qui cæcitatem exuat, & acquirat oculorum claritatem. De quo pulchrè Diuus Gregorius *hom. 2. in Euangel.* ait: Notandum verò est, quòd cum Iesus Iericho appropinquare dicitur, cæcus illuminatur. Iericho quippe interpretatur Luna. Luna in sacro eloquio pro defectu ponitur carnis, quia dum menstruis momentis decrescit, defectum nostræ mortalitatis designat. *Dum igitur conditor noster appropinquat Iericho, cæcus ad lumen redit: quia dum diuinitas defectum nostræ carnis suscepit, humanum genus lumen, quod amiserat, recepit.* Expende quam simul & Deus ad carnem humanam, & lumina venerunt ad genus humanum, nequit enim Deus vllius menti appropinquare, quin simul illam orner agnitione veritatis. Et quando diuinitas affuit, & veritas mansit obtenebrata? Sanè futurus Christi proditor discipulos prorsus latebat, imò de eius agnitione soliciti cœperunt singuli dicere, *Nunquid ego sum, Domine? Et ipse respondens ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo; Væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. Respondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit: Nunquid ego sum Rabbi?* Sic Matth. cap. 26. circa quæ verba illud venit notandum, quòd in principio cùm omnes interrogabant, solus Iudas tacebat, tunc cæteri dicunt, *Nunquid ego sum Domine?* & Iudas tacet: post autem signum in conuiuio exhibitum à Iesu, tacentibus cæteris, solus Iudas ait, *Nunquid ego sum Rabbi?* Cur non magis silentio te abscondis miser? cur, vt antea tacuisti, modò non taces, vt sic te possis condiscipulis occultare? Pulchram rationem reddit D. Chrysostom. *serm. 2. de Fer. 5. Pass.* aiens: *Cùm discumberet cum duodecim discipulis suis, & manducantibus eis diceret: Amen dico vobis, quod vnus ex vobis tradet me; ascendit Christus propria Deitatis tribunal, & illud conuiuium velut catastam ante se constituens conscientia tormento confiteri compulit reum.* Expende illud, *ascendit Christus propria Deitatis tribunal*, dissimulabat antea Iesus propriam Diuinitatem, & inde proditoris sui technæ latebant, occultabantur sub dolis, sub mendaciis. Vbi autem ad Diuinitatis propriæ tribunal accessit, propinqua Diuinitas non passa est latibulum veritatis, sed vel conuiuium in catastam vertit, quæ reos confiteri compelleret, & suæ faceret veritatis cognitione illustrari. Fallor nisi huc respexit illud Sapient. 9. *Da mihi sedium tuarum assistricem Sapientiam:* meritò Sapientiam, veritatum indagatricem, vocat assistricem sedium diuinarum, vbi enim Diuinitas assidet, non potest non assistere veritatis reuelatio. Vnde Origen. *in cap. 8. Ioan.* ait: *Quamdiu semina veritatis, quæ in animis nostris insita sunt, eiúsque principia seruamus, nondum à nobis Verbum discessit.* Sunt semper simul & veritas, & Diuinitas, adeò vt nequeant ab inuicem separari. Aiebat enim Iesus, Ioann. 9. *Quò ego vado, vos non potestis venire.* Et cur non veniant ad locum, ad quem vadit Iesus? Aut quis locus est ille tam abstrusus perfidis Iudæis? Sanè locus, in quo est Iesus, prorsus inaccessibilis Principibus Iudæorum, locus est, in quo & Sapientia, & veritas est. Sic D. Thom. in Cat. fatur: *Vbi scilicet veritas, & Sapientia est, hoc est enim, vbi est Iesus.* Quicunque enim locus Verbo Dei datur, idem datur veritati, & occluditur mendacio.

Psal. 44. *Rupert.* *Damas.* *Luc. 18.* *D. Greg.* *Chrysost.* *Sap. 9.* *Origen.* *D. Thom.*

§ VI.

Omni sanctitate depictus Iesus à primo Conceptionis instanti. De benedictionis cœlestis oleo formationi immixto habet durare imago diuina.

IN Adami conditione illud maximè venit mirandum, quòd sic conditus fuerit, vt simul apparuerit omnibus virtutibus, & naturalibus, & supernaturalibus ornatus. Id quod confirmant verba illa Genes. 1. *Creauit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam.* Licèt enim ratio essentialis imaginis in ipsa hominis substantia consistat, tamen certum est, illam perfici, & consummari virtutibus, vt coloribus, iuxta explicationem nostri Pereiræ, *lib. 4. in Genes. disp. de imag. Dei, quæst. 7.* Sic etiam sentire videtur Nyssenus, *lib. de Opificio hominis, cap. 5.* fatus: *Quemadmodum pictores coloribus quibusdam figuras humanas in tabulis exprimunt, omnique studio colores proprios, & conuenientes addere picturæ suæ conantur, vt pulchritudinem eius, quod exprimunt, exemplaris accuratè in imaginem ipsam transferant: sic nostrum etiam Conditorem existimabis, indentem virtutes animæ nostræ, iisdem veluti coloribus imaginem suam ad similitudinem propria pulchritudinis ornasse.* Vt non intelligitur perfecta, & consummata imago, nisi de coloribus additis, sic viuida Dei imago, non antea absoluta percipitur, quàm virtutibus, donisque supernaturalibus ornatur. Adcò vt, ex quo dicitur Adamus ad imaginem Dei factus, iam ibi intelligatur in omni virtute perfectus, diuinæ gratiæ stola cādidatus, cæterisque naturalibus, supernaturalibúsque donis decoratus. Nō aliter Iesus in ipso suæ Cōceptionis instāti decorem indui,

Gen. 1. *Nyssen.*

induit, quo sese absolutissimam Dei imaginem ostentaret. Psalm. 138. ait ipse Dominus: *Substantia mea in inferioribus terræ.* Expressiùs in rem præsentem Hieronym. *Imaginatus sum in nouissimis terræ.* Siue vt Symmachus: *Variegatus sum in infimis terræ.* Maternum alnum vocat inferiora, seu infima terræ, & opus Incarnationis comparat operi picturæ, sic enim conceptum se dicit, quomodo pingi solent aulæa eleganti colorum varietate. Equidem de colorum appositione, & vmbris arte additis exemplari suo imagines perfectissimè assimilantur: sic Christi humanitas virtutum, & supernaturalium donorum coloribus, vt imago, & pictura Dei absolutissima configebatur. Quò respiciens D. August. *serm. 5. de Nat.* ait: *Cœlestis propago germinabat in vtero, & in eximio partu virginea viscera coruscabant. Humanis gressibus portabatur pictura Deifica, &c.* Expende illud, *pictura Deifica*; iis erat in conceptu suo Iesus virtutibus, vt coloribus, & vmbris pictus, vt nihil deficeret, quominus dici posset absolutissima pictura, & imago Deitatis. Quod innuens Angelus Luc. 1. ait ad Mariam: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*: ad quæ verba D. Nyss. *orat. de Natiuit.* ait: *Virtus igitur Altissimi, quæ Christus est, per aduentum Spiritus sancti formatur in Virgine. Quemadmodum enim vmbra ad præcedentium corporum figuram effingitur, sic forma, & indicium Diuinitatis, in virtute ipsius, quæ paritur, ostendetur, & imago, & signum, & adumbratio, & splendor exemplaris per admirabilem rerum effectionem demonstrabitur.* Itaque in Iesu, dum in Maria concipitur, omnis Diuinitatis virtus adumbratur; sic vniuersæ Dei virtutes, & gratiæ, & benedictiones tunc in eo apponuntur, vt absolutissima ex tunc fiat Diuinitatis imago. Et ne quid picturæ perfectissimæ, siue imagini deficiat, præter virtutum omnium colores, addit Psalm. 44. *Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Vt colores constituunt picturas, sic oleum colores æternat, & acuit, nec vlla potest esse perfecta imago, quæ sine oleo fiat. Excessit quidem Deifica pictura Iesus, vt in virtutum coloribus, sic in benedictionum oleo omnes alios, quando ab ipso conceptu omni benedictione abundabat. Rupert. lib. 1. de Oper. Spirit. Sancti, cap. 13. *Præ consortibus, inquam, tuis, vnxit te Deus. Non enim quemadmodum consortes tui, qui postquam in delictis, & peccatis concepti sunt, deinde per gratiam miseratoris dimissa singula percipiunt dona benedictionis; non, inquam, sic tu; sed in ipsa conceptione plenitudinem possides totius benedictionis, vt de tua plenitudine accipiant omnes consortes, & participes tui.* Nullum benedictionis oleum est, quo non perfundatur, & impleatur Iesus in ipsa Conceptione sua; imò quidquid ad Iesum formandum accipitur, cœlestium benedictionum oleo assumitur perfusum, quod, etsi alia defuissent, sufficeret ad æternandam diuinam in hoc fœlici homine picturam. Materia enim colorum, quæ ad picturas efficiendas assumitur, tunc facile ruit, & temporum cedit iniuriis, cùm oleo non perfusa fuit; vbi autem oleo venit permixta, inter ipsas temporum iniurias illæsa durat. Sanè in terreno homine Adamo pictura Dei fuit, & fuit Dei pictura in Iesu homine cœlesti, & diuino; illa vel succulenti pomi tactu turpata corruit, hæc inter inauditas iniurias stetit pulchra. Sed illa materiam sine oleo benedictionis accepit, hæc nihil sibi assumit, quod benedictionum oleum non sudet. De illo ait Gen. 2. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, &c.* de hoc dicitur Psal. 84. *Benedixisti, Domine, terram tuam.* Ad formationem Adami, & Christi terra virginea assumitur, sed in Adami formatione terra non benedicitur; benedicitur autem in formatione Christi. Ait Rup. lib. 1. de Oper. Spir. sanct. c. 11. *Hominem illum terrenum cum isto cœlesti homine conferentes, hoc primum in factura illius abesse perspicimus, quòd terram ipsam, cuius de limo formaret eum, non benedixit Deus. Ecce autem in ista cœlestis hominis factura noua, Psalmista succinit: Benedixisti Domine terram tuam.* Et cur non duret æternum pictura; cuius vel primæ formationi cœlestium benedictionum oleum infunditur?

Psal. 138. — *D. Aug.* — *Luc. 1.* — *D. Nyss.* — *Psal 44.* — *Rupert.* — *Gen. 2.* — *Rupert.*

§. VII.

Adami & Christi origo antiquitate illustris. Regius splendor ab antiquitate originis.

FOrmauit igitur Deus hominem de limo terræ, ait *Genes.* 2. nec sub cœlo potuit inueniri terreno limo antiquior alia creatura. Priùs terra sub aquis limus erat; deinde, imperio Dei apparuit arida; tunc cætera omnia, quæ in terra, & aqua sunt, & mouentur, & in cœlis clarent. Tandem homo non ab astris, non ex pulchris aliis mixtis, nec ex aquis, sed ex antiquiori, & longæuiori terræ limo ad omnium regnum paratur. Huic assimilem generationem Iesu Lucas narrat, cap. 3. dicens: *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph. Qui fuit Mathat, qui fuit Leui, &c. Qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Nullius vnquam generatio sic in primam omnium originem protracta est: nemo primæuum generationum omnium fontem in propria enarranda prosapia adiuit, quare ergo Lucas, assuetum morem prætervolans, Christi genealogiam non terminat in Dauide, neque in Abrahamo, sed inde ascendit vsque ad Adamum? Sanè vt imperaturi animalis origo non aliunde, quàm ab elementorum primo, quàm à longæuiori terræ limo petita fuit; sic Regis regum prosapia ab antiquiori, & primo omnium generationum humanarum fonte ostendenda erat: valet enim plurimùm antiquitas originis, vt regius splendor apud nobiles animos commendationem habeat. Sic apud Cassiod. *lib. 9. variar.* 25. Senatorem quendam commendat Athalaricus Rex Italiæ: *Iste Amalos cum generis sui claritate restituit, euidenter ostendens in decimamseptimam generationem, stirpem nos habere regalem. Perpendite, quantum vos in nostra laude dilexerit, qui vestri principis natiuitatem docuit ab antiquitate mirabilem. Vt sicut fuistis à Maioribus vestris semper nobiles æstimati, ita vobis rerum antiqua progenies imperaret.* Commendat subditis principem ab antiquo profecta series originis clara: valde enim nobilitantur homines illi, cuius princeps per notissimos auos in primos rerum fontes originem suam potest ostentare. Ec quis hoc haberè cunctis principibus mundi, nisi Iesus solus, cui dedit Lucæ calamus posse à nobis cognosci per longissimam proauorum seriem vsque ad Adamum, & Deum? Verè Iesus Rex Regum est; verè sub hoc Rege homines possunt gloriari, quando hoc multum facit ad regis commendationem, quod non recens in throno, & subitò appareat, sed proauorum fumosissimas ostenter imagines. Aiebat Ecclesiastes cap. 10. *Væ tibi terra, cuius rex puer est, & cuius principes manè comedunt. Beata terra, cuius rex nobilis est.* Non crediderim carpi à Salomone infantilem regis imperitiam, quæ crebro regnis accidit, nec semper ominosa est regno, vt multis probat noster Pineda in præsenti. Sed potiùs credo vocari à Salomone, regem puerum, illum qui subitò, & non per merita, nec per paternam hæreditatem thronum scandit: qui prorsus in regno, in dignitate nouitius est: nec vllos vel meritis, vel natura præ se fert in regno canos. Sic apud Latinos vocantur noui homines; & apud Hispanos noui Christiani, qui nobilibus, & antiquis in splendore, & religione atauis carent. Hunc sensum insinuat illud, quod regi puero opponitur, *Rex nobilis*: nobilitas autem semper dicit canam in splendore, & claritate prosapiam. Vnde, vbi noster dicit: *Beata terra, cuius Rex nobilis est*, legunt Septuag. *Beata terra, cuius Rex tuus filius ingenuorum*: & lectio Veneta ait: *Benè tibi, ô terra, si Rex tuus fuerit filius nobilium.* A parentibus, & atauis habeat claram, & notam prosapiam Rex, qui fœlicitatem regno parat. Vt in præsenti dicat Thuanus fœlicem prouinciam,

In qua deducta numerans à stirpe vetustos
Iactat auos Princeps, &c.

Id quod etiam exemplis adductis illustrat Paraphrasis Chaldaica huius loci apud Complutenses, aiens: *Væ tibi terra Israel in tempore, quo regnauerit super te Ieroboan impius. Beata erit terra in tempore, quo regnauerit super te Ezechias filius Achaz, qui erit de genere domus Dauid.* Ecce ibi puer Rex dicitur Ieroboan, non ob aliam causam, quàm quòd è plebis fæce sine vlla maiorum, aut meritorum claritate subitus apparuit in regno. Non sic Ezechias, sed vt ex parte, & vetustissimis atauis notus, sic vtilis fuit, & salutaris regnis.

Luc. 3. — *Cassiod.* — *Eccl. 10.* — *Septuag* — *Thuan*

§. VIII.

Non ex vetula, sed ex Puella genitus Iesus. A solo enim potenti Iesu brachio venit, quòd triumphes de adolescentia.

SEx dies agebat solos terra, & de adeò recenti materia, & quasi primis terræ cunabulis Adamus construitur à Deo. Apud Sinas solet argilla longissimis sæculis abdi, vt veterascens pulcherrimis construendis vasis deseruiat; non sic in principio, sed recens nata tellus statim assumitur, vt

pulcherrimus

pulcherrimus hominum Adamus ex illa fiat. In hoc Adamus Christo simillimus, qui à Virgine puellares annos minimè excedente, concipitur. Expectati sunt, vel Saræ, vel Elisabeth cani, vt magnus Isaac, aut magnus Ioannes conciperetur; vt in talium conceptione plus gratiæ deferretur, quam naturæ. At vt concipiatur Christus, non vetula, sed puella quindecim annorum eligitur, & cur non senescit magis argilla, ex qua tantum vas efformandum erat? Cur non senescit, & elanguet caro, ex qua spiritibus purior, & præstantior filius nascatur? Voluit vel in hoc Deus suam omnipotentiam ostentare, quòd vel in iuuentli, aut penè infantili ætate, aras possit erigere Sanctitati. Maturi anni, cana senectus dum ministrat gratiæ, non multum ostendit diuinæ potestatis; at quòd inter infantiles pene annos virguncula sic viuat, vt Deitatis thronos superet, & Deum capiat, hoc fieri potest à solo omnipotenti Dei brachio. Video ab Euangelistis natiuitatem Ioannis celebrari, & statim de illo tacere, donec virum perfectum insinuant esse iam in Iordane baptizátem. De Iesu autem & prædicát quòd natus est, quòd adoratus à Magis, quòd in templum adductus, quòd duodennis ascenderit Ierosolymam, & ibi cum Doctoribus disputauerit; quòd post hæc subditus esset parentibus, ait quippe Lucas, cap. 2. *Descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis.* Cur de Ioanne infante nulla dicuntur, & de Iesu infante tanta prædicantur? Ait Diuus Ambrof. lib. 5. in Luc. *Nec quemquam mouere debet, quod altiori consilio Ioannis infantiam diximus prætermissam, Christi verò oportere esse descriptam. Non enim omnium est dicere; Factus sum infirmus infirmis, vt infirmos lucrifaciam.* Non equidem Ioannis puerilia sic in lucem edi meruerunt, vt Iesu puerilia; quando sola Iesu omnipotentia valuit sic inter infirma ætatis versari, vt ingenti gloria perfunderet omnes ætates. Non equidem humanæ, sed diuinæ potestatis est, quòd iuuenis, vel infans omni ex parte Diuinitatem halet. Quò spectabat Sapientis illa difficultas, Prouerb. 30. *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro, viam aquilæ in cœlo, viam colubri super petram, viam nauis in medio mari, viam viri in adolescentia.* Alia, & celebris litera habet, *in adolescentula.* Et quidem siue legatur, *in adolescentia,* siue legatur, *in adolescẽtula,* per vtramque lectionem crediderim cõceptionem Saluatoris poni in vtero Virginali: in cuius cõtemplatione tunc omnis sapientia creata absorbetur, cùm clarissima, purissimáque Dei verbi cõceptio ab adolescenti, & pene infantili matre peracta consideratur. Magnum esset, quod fœmina circumdaret virum, conciperet Deum: at quod fœmina adolescẽs puellaribus annis sic posset Deo aptari, vt valeat impleri Deitate, hoc penitus omnem sapientiam creatam euacuat, & commendat Dei potestatem. Nonne suprema diuinæ potestatis commendatio est, quòd omnis virilium virtutum thesaurus, & integer, & securus tradatur adolescentiæ seruandus? Aiebat in re non absimili D. Basilius Seleuc. orat. 39. *Quid aiunt, qui, superstitiosa religione laborantes, trepidant timore, vbi non est timor, ne quod Deus patiatur, cùm passiones hominum, sine passione medicatur, ac ideò credere refugiunt Dei Incarnationem ventre mulieris esse concreditam. Hoc Deo honorificentius, hoc modo magis impatibilis demonstratur, quòd & patibili celatus sit corpore, & quod diuinitatis impatibilitatem ostendat.* Hoc sibi dictum persuadeant, qui Marianam ætatem in Verbi conceptu vsque ad trigesimum annum prolongabant, refugientes concedere Verbi Incarnationem virgunculæ penè infantili fuisse concreditam. Hoc sanè Deo honorificentius est, hoc modo magis impatibilis, magis immaculabilis, magis potens demonstratur, si in se infante, & infantili matre, nihil non diuinum, & virile halet. Hinc trahe dicta *tom. 4. in Euang. lib. 16. cap. 19. §. 4.* Hinc etiam Mariæ magnitudo debet supra modum extolli, quam non vber senecta, non maturi anni, non venerabiles cani aptauerunt, vt possit diuino puerperio ministrare, sed in rudibus annis, in florida adhuc ætate, in ipsa feruenti adolescentia, sic se composuit Maria, vt mundi pretium, ipsum Dei filium generaret. Psalm. 91. aiebat; *Iustus vt palma florebit, & sicut cedrus Libani multiplicabitur.* Est hoc omnibus ferè iustis commune cum palma, commune cum cedro, quòd non nisi post longam ætatem in flores, & fructus abeant. Vni Mariæ fuit ea gloria singularis, quæ non annos palmæ expectauit, sed in primo ætatis flore, in flore, & fructu omnes excedebat palmas. Ait S. Amedeus, hom. 7. de laud. Mariæ. *Iustus vt palma florebit, & sicut cedrus Libani multiplicabitur. Palma enim multo numeroso spatio, florere dicitur, & cedrus Libani annoso prouectu multiplicatur. Sic iustus, animo canescens, vt palma florebit diuturnitate. Hinc Psalmista subiungit: Adhuc multiplicabuntur haud dubium, quàm iusti, in senecta vberi. Aduertendum itaque optimis moribus, ac singularis iustitia Mariam, quæ super Angeles meruit exaltari, &c.* Quando iustorum est in senecta vberi fructificare, Maria super omnes exaltatur palmatos iustos, quæ vel in adolescentia diuinis fructibus mundum implet. Et quis neget gloriosum, imò & rarum id consequi in florida ætate, ad quod nec potest cana modestia peruenire?

Luc. 2. — *D. Ambrof.* — *Prouerb. 30.* — *Basil. Sel.* — *Psalm. 91.* — *Amed.*

§. IX.

Efformato Adamo statim datur delitiarum Paradisus; sic Iesu, in ipso Conceptionis puncto, datur Paradisus, siue Paradisus sit Dei visio, siue ipsa Maria Virgo.

NEc mora, formatur Adamus Dei manibus, & eisdem adducitur in voluptatum deliciarúmque locum, in floridissimum Paradisum, vbi naturæ quadam frueretur beatitudine. Quid plura? Iesus etiam in ipso conceptionis articulo positus fuit in Paradiso, euidẽtissimam habuit Dei visionem, & ex illa plenariam possedit beatitudinem. Quò crediderim spectare illud Psalm. *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* Totus ille fluminis torrens, qui lætificat cœlestem patriam, qui beat Angelos; adhuc in primo gressu viæ Iesum implebat, satiabat. Sic Richard. Vict. *lib. 2. de Emanuele, part. 1. cap. 23.* ait: *Totus ille torrens voluptatis eius vsibus cessit: & mirum quomodo homo vnus, imò puer paruulus totum absorbere potuit. De hoc torrente, & cæteri potantur, & satiantur, sed in patria, iste hoc ipso potatus est, etiam in peregrinatione sua. De torrente in via bibet; propterea exaltauit caput. Sed, vt adhuc memoriæ amplius, iste paruulus, qui nobis datus est, mellea quadam & supercœlesti dulcedine, prius est cibatus, quàm natus. Certè ex quo cœpit homo esse ab ipsa hora conceptionis suæ repletus est totius dulcedinis, totius suauitatis plenitudine.* Ecce tibi Iesus, in ipso conceptionis instanti, positus in loco voluptatis, positus in Paradiso, possidens beatitudinem singularem. Rursus Ezech. cap. 44. ait: *Porta hæc clausa erit; non aperietur, & vir non transiet per eam; quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa Principi. Princeps ipse sedebit in ea, vt comedat panem coram Domino.* Porta hæc Maria est, Princeps Iesus; qui dicitur esse in vtero eius comedens panem coram Domino, hoc est fruens conuiuio beatificæ visionis. Sic Guar. Abb. *serm. 3. de Annunt.* inquit: *Ineffabili beatitudine, Verbo pascebatur anima Iesu, Verbo ipsi in persona coniuncta, & incomparabili fœlicitate, Princeps ille sedens in porta virginalis vteri, panem Verbi coram Domino comedebat.* Eadem erat mensa beatitudinis, & Verbo, & animæ Christi; quæ in virgineo vtero fruebatur Paradisi delicijs. Sed & alius delitiarum hortus, alius illi Paradisus plantatur, nempe viscera Mariæ matris. Nonne Maria Iesu floridissimus, & amœnissimus Paradisus extitit? Aiebat Proclus, *orat. in Concilio Ephesino habita, tom. 6. cap. 7.* dicens: *Hæc impollutus ille illibatæ virginitatis thesaurus, decúsque & ornamentum, hæc spiritualis secũdi Adami Paradisus.* Minimè amœniorem Paradisum habuit Adamus in Edem, quàm Iesus in Maria matre habuit. Cui dicebat Damascenus orat. de Dormitione Deip. *O virgineæ prærogatiuas humana conditione sublimiores. Tu enim Virgo es solium illud regium, cui adstiterunt Angeli, Dominum, & effectorem insidentem cernentes. Tu spiritualis Edem extitisti, antiqua illa sanctior, & diuinior. Siquidem in illa terrenus Adamus commemorabatur: at in te Dominus cœlestis.* Accinit Diuus Basilius Seleuc. *orat. de Annunt.* sic alloquens Mariam: *Aue perpetuæ virens castimoniæ Paradise, in quo vitæ lignum plantatum, omnibus salutis fructum fundit. Ex quo itidem quadripartitus Euangeliorum fons demanans, mortalibus fide exornatis miserationum flumina vbertim emittit.* Nec miror floridissimam Virginem Mariam vocari, & esse Deo Paradisum, imò credo ab illa mille produci paradisos: quibus homines suos excipiat. Cant. 4. ait: *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, &c.* quasi nullò se cõuerteret Maria, quò floridissimos, & ditissimos non emitteret paradisos. Sic fatur D. Amedeus, *homil. 7. de laudibus Mariæ,* dicens: *Maria præsentia gratam Veris temperiem exhibebat, & quò fauens se verteret, Paradisus erat. Emissiones tuæ, ait sponsus, Paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus & crocus. Habet quippe Maria Paradisus mala punica in varietate virtutum, fructus pomorum in perfectione operum. Habet Cyprum cum nardo, illam fertilem vuarum, hanc miri odoris herbam aromaticam, ob sobriam ebrietatem sensuum, & suauè fragrantem opinionem virtutum.* Sic ille. Expende illa: *quò fauens se verteret, Paradisus erat;* nullum respexit Maria, cui florentissimum non emitteret Paradisum, in quo se ab æstu huius mortalitatis reciperet, & lignum, quo possit viuere inueniret.

Ric. Vict. — *Ezech. 44.* — *Proclus.* — *Damasc.* — *Basil. Sel.* — *Amed.*

§. X.

Adami operatio prima circa Paradisum, sic prima, & suauior operatio Christi circa Mariam Virginem.

INter amœnissimas vitæ innocentis delitias, vnum opus à diuina prouidentia Adamo procuratur, ne otio torpeat, sed suaui operatione sese exerceat circa Paradisi culturam. Hoc opus, hic suauissimus labor erat Adamo, nimirum, quo excolebatur Paradisus. Datus itidem fuit non absimilis labor Iesu Domino, cuius præcipuum, & suauissimum opus fuit Maria Virgo. Operatus est Dominus salutẽ in medio terræ, vbi spinas, & tribulos reportauit pro fructu. Vnum Mariæ opus fuit Iesu meo, & præcipuũ, & absolutissimũ, & suauissimũ, quale erat Adamo opus circa culturam Paradisi. Quo respiciẽs D. Amb. *lib. 2. in Luc.* fatur: *Dominus redempturus mundum, operationem suam inchoauit à matre, vt per quam salus omnium parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.* Itaque primum Saluatoris opus fuit Virgo Maria: ex quo nõ equidem spinas, & tribulos, sed floridas suauitates Saluator perciperet. Et quando de virginitatis cultura omnimoda suauitas Iesu non adspirat? Is erat titulus Psalmi 44. *Psalmus pro iis, qui cõmutabuntur, filiis Chore.* Vbi Symmachus, teste Hieronymo, legit: *Triumphus pro floribus filiorum Chore,* sicut passim dicitur, *filiorum caluaria.* Quid flores cum caluatio? Sanè caluarij filij in Iesu meo, & tribulos, & spinas producebant, spinosa erat, & scoticosa tota res caluarij; vnde ibi rosæ, vnde spinæ? Qua parte Virgo Maria stabat, & in se omnes virgines repræsentabat, Saluatoris opus, & suaue, & floridum reddebat. Sic D. Pasch. *lib. 1. in Psalm.* 44. ad Virgines, fatur: *Quoniam vos estis, quæ secundum nobilitatem generis flores estis Ecclesiæ, quæ virore pudicitiæ, & splendore castæ dilectionis sponso serta componitis, & coronam spineam mutatis quotidie in gloriam triumphantis.* Corrupta terra, spinosũ ostendit cultorẽ suũ, at Virginea Mariæ tellus floridũ ostendit suũ operariũ: sic enim operatur Iesus in Maria, vt minimè punctiones recipiat, sed triumphos agat floribus redimitus, non aliter atque in opere suauissimo, floridissimo. Sanè suauissimam, præstantissimámque operam nauabat Dei filius in cultura arui virginei, dum accubat ibi. De Salomonis throno dicitur, 3. Reg. 10. *Non est factum tale opus in vniuersis regnis;* & similiter, cap. 7. dicebatur: *Super capita columnarum opus in modum lilij posuit:* Quæ gloriosissimè in Maria Deipara perfecta sunt, in illam enim ingrediens Deus, tale opus fecit, quale non est factum in vniuersis regnis, virgineam carnem auro Diuinitatis texens: nec destitit ab opere, sed in dies excrescere faciebat in Matre puritatis lilia. Vnde D. Amb. apud Dion. Carthus. *ser. 3. de Concept. Mariæ,* ait: *Incomprehensibilis incomprehensibiliter operabatur in Matre, & Sol ipse iustitiæ, Sol sapientiæ in sempiterna in mente Genitricis sua clarissimè splenduit, calefecit, peregit gratiosissimè & quasi continuè.* Diuinissimus colonus virginei agri, non ibi otiabatur, sed mira continuè operabatur, quibus agrum cælesti thesauro diuitem in immensum ditaret. Quippe ait Carthus. in serm. 3. de Annunt. *Cum Maria Dei filium concepisset, & portaret eum in vtero, quis cogitare queat, quantis supernarum charismatibus gratiarum implebatur quotidie? Verè, sicut D. Amb. ait, Incomprehẽsibilis incomprehensibiliter operabatur in Matre. Implebat animam eius sapientiæ salutaris splendoribus, charitatis diuinæ ardoribus, diuinarum contemplationum suauitatibus.* Nihil virtutis requires, quod in virgineo Mariæ Paradiso non operatus fuerit diuinissimus eius colonus, & filius. Ex quo aiebat Richardus à Diuo Laurentio, vetustus author, vt qui floruit abhinc quadringentis annis; in 1. lib. de laud. B. Mariæ cap. 6. *Notandum, quod quia illa nobilis virgo Israel futura erat Mater Dei, thalamus sponsi, dilecta dilecti, vnica vnicè: Ideo Dei filius singulariter, & mirabiliter in ipsa voluit operari, vt quæ pretium vniuersitatis debebat parere, cum statu quolibet vniuersitatis haberet aliquid commune: & cum coniugatis quidem commune habuit partum prolis; cum continentibus votum castitatis; cum virginibus perseuerantiam virginitatis; vt dum continentes, coniugatas, & virgines, partu suo redimeret, simul & fructus trigesimus, sexagesimus, & centesimus promeret.* Ecce quàm diuinè operatur nouus Adam in virgineo Paradiso, quem incolit.

Ambr. — Psalm. 44. — Symmac. — D. Pasc. — 3. Reg. 10. — D. Ambros. — Carthus. — Richard.

§. XI.

Vt Adamus Paradisum, sic Deus conceptus Mariam per se immediatè custodit, ne Angelorum custodia indigeat.

NOn solùm Adamus factus est Paradisi cultor, sed & custos, ait enim, *vt operaretur, & custodiret illum,* qui hortus paulò pòst, & romphæam versatilem, & Angelum pro custodia tenuit, vbi iustitia floruit originalis, per vnum omnium corporalium regem Adamum manebat firmiter custoditum. Non equidem in statu innocẽtiæ requisiti sunt satellites, nec arma inuenta pro Paradisi custodia, vnus rex, & dominus Adamus per se ipsum florentissimæ sedis erat custos. Habuit hanc gloriam Maria, quæ, vt sub iustitia originali florebat, Angelorum nullo indigebat præsidio, ex quo regem omnium creaturarum, & Deum intra purissima tenuit viscera. Quid faceret custos in Paradiso, vbi peccatum non erat, & Dominus omnium erat? Sanè crediderim, protectionem, & progressus Mariæ non fuisse à Deo Angelis, aut alij creaturę permissos, sed ipsum Deum per se ipsum sic inuigilasse Mariæ, vt licèt illa haberet Angelorum omnium famulitium, nullius tamen indigeret auxilio. Aiebat Gabriel Luc. 1. *Spiritus Sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quæ verba sic expendit Carthusianus serm. 1. de Annunciat. circa verba Euangelij: *Virtus Altissimi, id est, omnipotentia Patris summi, obumbrabit tibi, id est, suam potestatem immensam tua capacitate contemperabit, vt eius efficientiam, & influentiam ferre queas. Sicque immediatè per se exercebit in te, quod facit in aliis per causas secundas, & naturales.* Ex quo Deus Mariæ thalamum intrauit, ibique fecit potentiã in brachio suo, quam per Angelos aliis præbet protectionem, & custodiam, eam per seipsum præstat Mariæ, vt habens in se Deum, nullius custodiam, siue auxilium requirat. Cant. 8. sic mirabundi introducuntur Angeli loquentes de Maria: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delitiis affluens, innixa super dilectum suum?* Vnus dilectus conspicitur iuxta Mariam, cui soli ipsa innititur, nullius alterius, vel famuli brachium requirens. Quò spectans D. Philippus Abbas lib. 4. in Cant. cap. 1. sic angelicam admirationem elucidat. *Quæ est ista, cui solidatur excellentia specialis, vt mulier nulla prior, nulla ei posterior sit æqualis, vt nostro etiam videatur tam patrocinio non egere?* Planè habens Maria dilectum filium cui innitatur, non eget fulcro, nec patrocinio Angelorum: de quo videndus 1. tom. in Euangel. historiam, lib. 1. cap. 7. §. 17.

Luc. 1. — Carthus. — Cant. 8. — D. Phil.

§. XII.

Sicut Adamus, sic Christus sub obedientia sumpsit vitæ auspicium; vtrique enim præceptum à Deo impositum est, Adamo recens facto, Christo in primo conceptionis instanti.

QVo die, vel qua hora, Adamus primam vidit lucem, in Paradiso ponitur, & præceptum accipit, quo abstinere iubetur à scientiæ boni, & mali ligno. Sic enim ait Genes. 2. *Præcepitque ei dicens: Ex omni ligno Paradisi comede. De ligno autem scientiæ boni, & mali, ne comedas.* Neque putandum est hoc præceptum fuisse Adamo sanctissimo tunc positum absque magna ponderis ratione, quam tradit D. Bonauentura, in præsenti apud Lippomanum, inquiens: *Deus prohibuit homini esum illius ligni, propter meritum obedientiæ acquirendum ex parte hominis, & propter ostendendum iurisdictionis suæ imperiũ in homine.* Præcepto vetatur esus ligni alioquin liciti, vt sic puræ obediẽtiæ meritum acquirat homo, & diuinæ iurisdictionis imperium in homine innotescat, quem à tali esu arcebat, non aliqua rei malitia intrinseca, aut disconuenientia, sed solum præceptum positum. Hæc cum Adamo facta sunt, nec miror, quando simul & vitam humanam, & præceptum diuinum hausit Christus Dominus. Vix Deus homo in virgineo Paradiso apparuit conceptus, & in eodem conceptionis instanti Pater homini illi diuinissimo reuelat omnem œconomiam Incarnationis; liberationem humani generis non aliter, quàm per acerrimam mortem crucis peragendam, cuius liberationis, & Redemptionis per crucem præceptum illi posuit; præceptum, inquam, cuius perseuerantia in libera potestate amantissimi filij foret. Adeò vt quoties homo Deus Christus à Patre peteret ablationem præcepti, illud statim placidissimus, & lætissimus Pater suspenderet. Posito autem præcepto paterno, non erat liberum Iesu à Redemptionis humanæ per crucem via deflectere; erat tamen semper illi liberum Patrem rogare pro suspensione præcepti, quæ oratio æquè grata esset Deo, ac ipsa adimpletio præcepti, quòd per illam solueretur, & liberum maneret Iesu omnes mortis, & crucis occasiones arcere. Quod insinuat Iesus Matth. 26. vbi Petro, impedienti eius comprehensionem, dicit: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi, &c.* Et quidem liberè poterat Iesus, quoties volebat, Patrem rogare, pro suspensione præce-

Gen. 2. — Bonau. — Matth. 26.

pti,

dum autem non rogat, dum tacet, dum admittit, ab ipso conceptionis instanti præceptum instat paternum de reparatione humana per crucem peragenda. Huc spectant verba Psalm. 39. *Sacrificium, & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi. Holocaustum, & pro peccato non postulasti: tunc dixi, Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Quibus explicatur, quid inter Iesum, & Patrem in instanti Incarnationis tractabatur; meritò enim Diuus Paulus ad Hebræos cap. 10. addidit: *Ideò ingrediens mundum dicit, Hostiam, & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi:.: Tunc dixi, Ecce venio, &c.* Primum in mundo gradum facit Iesus, & simul videt legalia sacrificia à Deo respui, sibique aures perforati, perfici, vt dictis, & præceptis diuinis sit audiens. Vnde Chaldæus legit: *Aures ad auscultandum præcepta tua perforasti mihi.* Et cur non repellantur sacrificia vetera, vbi præceptis diuinis capiendis arrectæ intelliguntur Christi aures? Sanè meritò dicitur, 1. Reg. cap. 15. *Melior est obedientia, quàm victima, & auscultare magis, quàm offerre adipem.* Introeunte Iesu in mundum abierunt victimæ legales, fastidia crearunt, quia ex tunc apparuit Iesu auris diuinis dictis audiens, præceptisque submittens caput. Nec otiosè noster posuit; *Aures autem perfecisti mihi:* siue vt Græcus apud Eusebium de Præparation. *Aures autem mihi meas perfecisti:* quasi innuant non apertionem solam aurium, sed & perfectionem, & ornatum, qui, ea obedientia præceptis diuinis exhibita, venit auribus. De quo ornatu, ait Nazianzen. orat. 1. *Vtinam mihi adiuncta esset auricula, qua non grauiter audire possem, atque aureu inauris pretioso sardio alligata, hoc est, sapientis sermo auri rectè audienti.* Vt aurium ornatus venit ab aureis inauribus, sic interioris auriculæ ornatus, & perfectio consistit in eo, quod audiens sit dictis sapientium, & præceptis. Quo ornabat sponsam Dominus Canticor. 1. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Vbi Honorius, apud Delrium: *Fiunt murenula, id est, inaures, quæ sunt orna in mulierum, & intelliguntur sacra Scriptura, quæ docent obedientiam, quæ est ornatus animarum.* Ecce tibi ingredienti mundum Christo perficitur auris, quæ non grauiter audit durissima reparandi per crucem hominis præcepta. Ecce tibi, vt etiam Christi ex tunc ornantur aures, pretiosisque inauribus ditantur, dum auscultare, & obedire incipiunt, dictisque & præceptis diuinis implentur: vt iam ex tunc voluntatem Dei faciat, eiusque legem, & præcepta tota amplectatur mente, & perfectissimam exhibeat obedientiam. Accinit Isaias cap. 50. apud quem ipse Dei filius ait: *Erigit manè, manè erigit mihi aurem, vt audiam quasi magistrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abij. Corpus meum dedi percutientibus, &c.* Sibi fatetur erectas, & apertas aures ad audiendum manè, manè, hoc est, multò manè, nimirum in primo vitæ humanæ diluculo; cùm primùm homo apparuit in vtero matris, iam Deus Pater ad eius aures intonabat, iam erigebantur eius aures, & aperiebantur, vt præcepta Patris audiret, quæ ipse libentissimè accepit, nec recusauit, cùm posset, sed sub illis voluit perseuerare. Ex quo D. Bernard. *serm. 28. in Cant.* ait: *Quàm beatus, qui ait: Dominus Deus aperuit mihi aurem, & ego non contradico, retrorsum non abij? Vbi voluntariæ obedientiæ habes formam, & longanimitatis exemplum. Qui enim non contradicit, spontaneus est, & qui retrò non abiit, perseuerat.* Verè voluntariæ obedientiæ formam nobis ostendit Iesus, dum sub ipso conceptionis puncto se Patri subiicit, eius prorsus obediens præceptis & dictis. Vt dicat Damas. lib. 3. c. 18. *Ipse vt homo in se, ac per se, id quod humanum erat, Deo ac Patri submisit (præstantissimam videlicet formam, atque exemplum nobis sese præbens,) Patrique obediens factus est.* Nec ad horam voluit habere humanam naturam, quin illam ostenderet subditam, & obedientem præceptis, & imperiis diuinis. Quò respiciens Paul. ad Gal. 4. aiebat: *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Non priùs tempore ex muliere factus apparuit, & postea factus sub lege: sed simul, ac ex muliere carnem sumpsit, sub Patris lege sese constituit. Et quidem sub nulla alia lege potest dici factus Iesus, nisi sub lege, & præcepto speciali Patris: non enim factus fuit sub lege Moysis, quam licet implebat, non tenebatur illa; nec sub alia lege humana factus potuit dici, super omnes enim has leges erat ipse Princeps. Tantùm vbi ex muliere fit, Patris sui iurisdictionem veneratur, & eiusque imperio, & præceptis ordinat vitam. Quam legem, & præceptum in Christo euidentissimum non ausus est negare impius Arius, imò ea illo arma sumpsit aduersus ipsum Christum. Sic enim ait in disputatione Athanasij: *Athanasium nescius Arius in errore versatur Scriptura diuina, eò quòd in substantia Dei coæquet Filium Genitori, cùm ipse Filius de se protestetur, & dicat: Pater maior me est: &, qui me misit, mandatum mihi dedit.* Sic impius hæreticus obiicit Iesu, ne possit haberi Patri coæqualis, sub cuius mandatis, & præceptis viuit. Cuius argumenti vim vt effugiat Chrysostomus, putat à Patre nullum propriè mandatum, aut præceptum venire ad Christum; sed faciliùs, & certiùs depellit argumentum Athanas. in illa disputat. cum Ario, ostendens in Christo duas naturas, humanam alteram, alteram diuinam. Secundùm Diuinitatem non viuit Christus sub Patris legibus, nec illi subiicitur: secundùm humanitatem, quis neget Iesum Patri subditum, & sub eius imperio, præcepto, & legibus posse viuere? Ait ibi Athanas. *Christus igitur filius Dei in forma serui, quam assumpsit ex Virgine, Patri dicitur esse subiectus, Apostolo Paulo affirmante: Vbi venit, inquit, plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege. Ille igitur dicitur esse subiectus, qui sub lege ex muliere noscitur generatus.* Quid est, *sub lege ex muliere noscitur generatus?* Id puto esse, quod in ipsa sui humana generatione, in ipso eius instanti, & articulo iam sub lege, & præcepto Patris constringebatur: neque id mirum, quando & tunc assumptæ carnis ratione verè erat subiectus Patri. Nec credo Christum, qui tantus erat in maioritate Patris explicanda, vt clarissimè testetur, & dicat, *Pater maior me est*, non elegisse præceptis eius constringi, vt sic paternam magis ostenderet iurisdictionem, & dominium, cuius legibus, & præceptis, vel ipse homo Deus apparet constrictus. Imò putarim, nullum diuinæ excellentiæ clarius spectaculum posse ostendi mundo, quàm illud quo Iesus ostenditur sub præceptis diuinis. Maris notissimam pulchritudinem ostendens Nazianzeni frater Cæsar. dial. 1. sic finit: *Pulchrum spectaculum mare albicans, cùm ipsum constans tenet tranquillitas. Iucundum item est, quando ad auras matutinas horridum dorso purpureo, caruleóve spectantibus obiicitur, neque violenter propinquam terram pulsat, neque penitus quiescens, sed pacificis quibusdam amplexibus littora sua salutans, ad semetipsum resilit. Pulchrum item, quod diuinum præceptum veneretur. Huc vsque venies, & non transgredieris, sed in temetipso collidentur tui fluctus. Idem ad reprehensionem temeritatis, stolidi tuisque nostri inditum sibi metum ostendit, ne paululum quidem fluctibus vltra terminum excurrens, conspicuam littoribus lineam imprimens, quasi lingua mandat, ne transgrediatur terminum mandati diuini.* Et quidem hoc pulcherrimum spectaculum præbet mare quotidie: cuius immensa aquarũ vastitas, ingens concurrentium fluctuũ multitudo sese subdit, & sinit constringi præcepto diuino. Cùm fluuij liberè vagentur, & discurrant, sola paupertatis suæ lege cõstricti, illa maris penè infinita magnitudo, tota illa aquarũ congeries sub præceptis, mandatisque diuinis existit. Quid spectabilius? Sanè pulchrius aliud spectaculum in rẽ nostram ex hoc subiicio. Quòd homo ille & Deus, Christus Iesus, in quo omnis plenitudo Diuinitatis inhabitat, in quo omnes gratiarum thesauri, in quo infiniti exercitus virtutũ, hic tantùs diuinũ imperium, & præceptũ reuerétur, & diuini mandati terminis sese cõstringit. Quid pulchrius, quid excellẽtius excogitari potest, ad extollendã diuinã iurisdictionẽ, & dominium? Quid efficacius ad confundẽdos miseros homunciones, qui per prata vagantur cupiditatũ suarum, nulla ratione habita mandati diuini? Sanè apud Iob c. 36 inde maximè extollitur imperiũ diuinũ, quod regalissima animalia sibi subdat, mãdatisque suis cõstringat. Ait enim: *Nunquid volet Rhinoceros seruire tibi, aut morabitur ad præsepe tuũ? Nunquid ad præceptũ tuum eleuabitur Aquila?* Deus est, & nõ alius, cui sese subdãt Rhinoceros, & Aquila, adeóque diuinũ imperium sese super omnia erigit, vt ipsum solum possit præceptis aquilas cõstringere, & Rhinocerota ad præsepe suum ligare. Hoc magnum diuini imperij argumentũ, sed accipe maius, nimirum quòd magnus ille Iesus, ipsissimus Dei filius, Angelorũ Dominus, omnium Princeps, sic se subdat Patri, vt de eius mãdato in præsepi reclinari, & ad crucẽ ascendere, seu eleuari nõ dubitet. Quis Diuinitati hîc gloriã eripiat, ne velit eius præceptis tantũ subditũ in præsepi iacere, & eleuari in cruce? Dedit Deus præceptum Adamo iusto, ad ostendendã iurisdictionẽ suã in homine, & nõ daret præceptũ Christo, ex quo sic in immẽsum extollitur diuinũ imperium, & iurisdictio? Accepisti, ô bone Iesu, præceptũ de saluãdis hominibus; non quod egeres calcare ad præstandã hominibus salutẽ; sed vt ostenderes excellentiam imperij diuini, vt pulcherrimum spectaculum faceres Deo,

Psalm. 39. — Hebr. 10. — 1. Reg. 15. — Euseb. — Nazian. — Cant. 1. — Isai. 50. — D. Bern. — Damasc. — Ad Gal. 4. — Athanas. — Athanas. — Nazian. — Iob 36.

Deo, & Angelis, & hominibus, dum tuarum gratiarum & virtutum maria terminum vereneur præcepti diuini. Accepisti præceptum, vt obstrueres Adami inobedientis ora, ne putaret difficiliorem fuisse viam suam præceptis obsitam, & inde magis arduam à se fuisse obedientiam petitam, quando humani cordis est in vetitum niti. Accepisti præceptum, vt purissime, defæcatissimeque obediens impleres præscriptum: non enim pura obedientia est, quæ liberè, & sine vlla obligatione, & subiectione formali existit. Pro quo ait D. Laurentius Iustinianus, Opuscul. de Contemptu mundi, cap. 9.

Lau. Iust.

Duplex præceptum primus homo habuit, vnum natura ad custodiendum bonum datum; alterum disciplina ad promerendum bonum promissum. Quod quidem bonum melius non poterat mereri, quàm per puram obedientiam, quæ tunc mera est, quando præceptum ex se obligat, & non ex alia causa. Itaque vt pura esset obedientia Adami, non datur illi diuinæ voluntatis signum, sed præceptum illi imponitur. Et post pauca: *Hanc obedientiã experimento operis Christus didicit, hanc consummatus in cruce compleuit. Proinde quisque Christianus discat à Christo iussa diuina perficere, & fanctè sibi tradito obedire mãdato.* Et quidẽ paratus erat Iesus, vel ex signo voluntatis paternæ, nullo expectato præcepto, ad opus currere, quod nõ tam erat forma obedientis subditi, quàm diligẽtis amici. At voluit puræ obediẽtiæ formã implere, præbẽs se obedientem subditum sub præcepto constrictum, vt inde homines discant iussa diuina perficere, & diuinis mandatis obedire, in quo consistit obedientia pura. Quò forsan respexit Diu. Bern. in Sententiis, inquiens:

D. Bern.

Dominum Iesum Christum subire crucis, & mortis ignominiam, tria quædam præcipua coactione voluntaria compulerunt. Filialis, & pura obedientia, qua prioris inobedientiæ piaculum solueretur. Expende illud, *filialis, & pura obedientia*, nimirùm, obedientia Christi fuit purissima, dum per illam, ex præcepti obligatione, ostendebatur humanitas Christi Deo formaliter, & essentialiter subdita: quo in immensum extollebatur imperium diuinum, diuináque iurisdictio.

§. XIII.

Adamo adiutorium simile prouisum est. Ubi quàm sese mutuò adiuuent Deus, & homo in Christo ad reparandam humanam salutem.

CReato Adamo, & in Paradiso constituto, ecce quasi Deum tangit alia solicitudo, ne solus esset Adamus, quo totum diuinum consilium de mundo creando impleret. Quare ait, Gen. 2.

Genes. 2.

Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi. Et quid faceret solitarius Adamus in vastissimo mundo, nisi ei promisum esset adiutorium, cuius societate minimè sentiret molestias solitudinis? Nec crediderim in solo Adamo abominatum fuisse Dominum solitudinem, sed iam tunc illam in tota hominum natura abominabatur; & similiter curabat homini præstantissimum diuinitatis adiutorium adiungere. Quod notans Diuus Anastasius Sinaita, in Examer. libr. 9. ait:

D. Anast.

Dixit Dominus Deus: Non est bonum, hominem esse solum. Et propterea ei vnitus est Deus Verbum, vt non sit ampliùs homo solus, sed cum Deo totus, non solùm in vna quadam hypostasi, sed etiam et per virtutem vnitus. Nihil poterat homo solus honstatis acquirere; nihil poterat ad reparandam humanam salutem; &, quod magis mirere, vbi homini mors per reparatoris mortem erat absorbenda, nihil ad talem reparationem poterat ipsa sola Diuinitas. Datus est Deus Verbum homini adiutorium; & datus est homo adiutorium Deo Verbo; & dum Deus, & homo fit Christus, ipse ex valore Dei, & passione hominis habet, vnde humanam possit reparare salutem. De quo sapienter Proclus, homil. de Christi Natiuitate, apud Concilium Ephesinum, tom. 6. cap. 7.

Proclus.

Venit quidem Deus ad saluandum, sed & pati quoque illum oportuit. At quomodo vtraque hæc fieri potuerunt? Homo purus saluare non poterat, Deus solus pati nequibat. Quid igitur? Ipse Emmanuel Deus factus est homo, & id quidem, quod erat, saluauit; quod verò factum est, passiones subiit. Ecce tibi, quàm se mutuò adiuuent Deus & homo in Christo, vbi in Paradiso virgineo coniunguntur. Sanè & homo requirebat adiutorium Dei, & Deus non poterat, sine homine, per mortem hominem redimere. Huc voco illud Apocal. cap. 5.

Apoc. 5.

Et vidi in dextera sedentis super thronum librum scriptum intus, & foris, signatum sigillis septem. Et audiui Angelum Dei fortem, prædicantem voce magna: Quis est dignus aperire librum, & soluere signacula eius? Et nemo poterat in cælo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum, neque respicere illum. Sanè liber ille erat tota executio Redemptionis humanæ, & œconomiæ Christianæ, quam perficere, nec Angelus, nec dæmon, nec solus homo, nec solus Deus poterat. Quid tunc? Actumne erat de homine? Absit: imò vnus de senioribus dicit Ioanni flenti, & deploranti hominem: *Ne fleueris: Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid aperire librum.* Quando nec Angelus, nec homo solus, nec Deus solus potest Redemptionem humanam per mortem perficere, ecce tibi Leo, qui illam perficiat. Et quis tantus est Leo? Nimirum Leo de tribu Iuda, hoc est, filius Iudæ, & radix Dauid. Sanè vt erat de tribu Iuda, sic erat de domo Dauid: vtriusque enim erat filius, & Iudæ, & Dauidis; cur ergo mutat appellationem, & vocans eum filium Iudæ, maluit vocare Dauidis radicem? Erant equidem in fortissimo isto Leone duæ naturæ, humana, & diuina: secundùm humanam erat filius Iudæ, & Dauidis filius, secundùm diuinam erat radix, & origo, tam horum, quàm vniuersæ creaturæ. Meritò ergo vbi dicitur hominem redemisse, & simul dicitur Iudæ filius, & radix Dauidis: nisi enim in illo conuenirent natura, quæ radix est omnium, & natura, quæ est hominis filius, minimè posset per mortem reparare humanam salutem. Sapienter ait Rup. ibi lib. 4.

Rupert.

Cur ergo, vt de tribu Iuda, non ita dixit, de stirpe, vel semine Dauid? Videlicet, quia tali dictione causam non tetigisset, vnde Leo sit, & vnde vincere potuerit. Christus namque vnde de tribu Iuda est, & ex semine Dauid, non vnde Deus est, neque inde mortem vicit, aut resurgere potuit, sed inde homo est, & inde tanquam agnus mori, vel occidi potuit. Magnificentius ergo dictum est, radix Dauid, quia sicut radix vitem, sic patrem sua carnis Dauidem portat Christus secundum suam Diuinitatem, &c. Explicari oportebat in Christo, & humanitatem, & Diuinitatem conuenisse, vt ille solus crederetur proficere reparationi humanæ potuisse. Vnde Paul. ad Ephes. 1. ait:

Ad Eph. 1.

Mirificauit nos in dilecto Filio suo. In quo habemus Redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum. Ad quæ verba pulchre ait Proclus vbi supra:

Proclus.

Qui vniuersam naturam ex nihilo produxerat, ex Virgine humanam naturam assumit, assumptámque in mortem contradit, eámque in modum Redemptionis pretium dissoluit, iuxta illud: in quo habemus Redemptionem per sanguinem ipsius. O rem stupendam! Eiusmodi nunquam fuit, nec est, nec erit, quàm vnus ille, & solus ille, qui, secundùm dispensationem, ex Virgine natus est Deus, simul & homo. Vt Filius est, indiuulsam cum Patre vnionem retinet: vt verò rerum opifex, nullius virtutis indiget: vt autem misericors, immensa, inexhaustáque misericordia, atque sympathia pollet: denique pontifex dignissimus est, qui apud Patrem intercedat. Horum autem omnium nihil vnquam simile, nihil æquale in alio quopiam comperias. Compone modo hæc verba Procli cum Apocalypsis citatis: hic dicit Proclus: *Eiusmodi nunquam fuit, nec est, nec erit, quàm vnus ille, &c.* In Apocal. autem dicitur: *Et nemo poterat in cælo, nec in terra, neque subtus terram aperire, &c.* Et quidem dum in cœlo solus Deus, & Angelus inueniebatur, & in terra solus homo, nec in cœlo, nec in terra inueniri poterat, qui salutem hominibus præstaret, quando nec Deus sine homine, nec homo sine Deo; sed Deus & homo Christus potuit hanc salutem consummare. Pro quo eleganter dicebat D. Leo serm. 12. de Pass.

D. Leo.

Cernendum est, ad quæ prouehatur humilitas infirmitatis, & ad quæ inclinetur altitudo virtutis, quid sit, quòd caro sine verbo non agit; & quid sit, quòd Verbum sine carne non efficit. Sine Verbi enim potentia non conciperet Virgo, nec pareret: & sine veritate carnis obuoluta pannis infantia non iaceret. Sine Verbi potentia non adorarent Magi puerum nouo sydere declaratum. & sine veritate carnis non iuberetur puer in Ægyptum transferri, quem Herodes cupiebat occidere. Sine Verbi potentia non diceret vox Patris missa de cœlo; Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. & sine veritate carnis non protestaretur Ioannes, Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Sic nec homo sine Deo sibi adiuncto, nec Deus sine homine poterant, iuxta diuina decreta, salutem humanam consummare, in cuius consummatione sese mutuò Deus, & homo adiuuarunt.

§. XIV.

Adamo data Eua in adiutorium simile; Christo vt data est Maria. Ubi quam efficax Mariæ patrocinium.

NOtissimum est quale adiutorium parauerat Dominus Adamo, nimirum, parauit illi pulcherrimam sponsam Euam, de cuius adiutorio & lætam ageret vitam, & filios gigneret, & ad sanctè honestéque viuendum instrueret.

Hoc

Hoc adiutorium in Eua Adamo paratum recognoscunt ferè omnes Doctores, quos vidi. Sed venienti in mundum Christo, quale paratum adiutorium in Maria? Sanè dum in cruce absoluebat Dominus humanam salutem, dicit Ioan. cap. 19. *Stabat autem iuxta crucem Iesu Mater eius*: quo videri posset Maria in Redemptione mundi aliquod adiumentum præbuisse. Verùm D. Ambr. lib. 10. in Lucam prudenter cauet: *Maria ante crucem stabat, & piis spectabat oculis Filij vulnera, quia expectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem. Aut fortasse, quia cognouerat, per Filij mortem, mundi Redemptionem, aula regalis putabat se, & sua morte publico muneri aliquid additurum. Sed Iesus non egebat adiutore ad omnium Redemptionem, qui dixit; Factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber. Suscepit quidem Matris affectum, sed non quæsiuit hominis auxilium.* Non erat talis nouus Adã Iesus, qui egeret adiutorio ad soluendũ pretium pro Redemptione mundi, sed neque vlla pura creatura posset per se solam ad hoc pretium exhibendum concurrere. Tamen Iesus sic partitus est negotium humanæ salutis, vt quod iustitiæ erat, ipse solus per se perficeret absque adiutore vllo. Quod autem gratiæ, & misericordiæ manebat, id matri remisit, ne quid gratiæ, & misericordię daretur, nisi adiuuante intercessione Mariæ. Hinc, dũ crucis sub statera pretium mundi solueret, videns discipulũ Ioannẽ, & in eo vniuersos, ostẽdénsque illi Mariã, ait illi: *Ecce mater tua.* Cur Domine iubes à tuis respici aliam matrẽ, præcipuè cùm tot doloribus illos in lecto crucis vitæ reparturire curas? Nonne tuus sanguis illis sufficit? Cur non magis satagis, vt in te verum, & vnicum reparatorem solũ respiciant? Pulchrè ad hæc ait D. Amb lib. 10. in Lucam: *Plùris putat quòd victor suppliciorum, atque pœnarum, victor diaboli, pietatis officia diuidebat, quàm quòd regnum cœleste donabat.* Expende illud: *pietatis officia diuidebat*: equidem quidquid iustitiæ satisfaciendæ erat, tibi integrũ reseruabat, at quod misericordiæ, & pietatis erat munus, hoc cũ Matre partiebatur. In re iustitiæ solus tibi Iesus est, in re gratiæ, & pietatis etiam admittitur intercessio Matris; sicque in salute hominis reparanda conueniunt & officium iustitiæ ex parte solius Christi, & munus misericordiæ, & pietatis, pro quo stat Maria mater. Vnde Arnoldus Carnotensis, de laudibus Mariæ, ait: *Hoc stupendum est, quòd consummata dispensatione Incarnationis, expiraturus Iesus Matrem tanto affectu honorat victor suppliciorum, & quasi sui immemor, ad Matrem de cruce conuertitur, & colloquitur, intimans quanti apud eum meriti esset, & gratiæ, quam solam in illo puncto respiceret, cùm iam in capite vulnerato, fossis manibus, & pedibus, in vltimis esset. Mouebat enim eum Matris affectio, & omnino tunc erant vna Christi, & Mariæ voluntas, vnúmque holocaustum ambo pariter offerebant Deo, hæc in sanguine cordis, hic in sanguine carnis. Verùm breui est sermone colligendum, quo initio, quo progressu, ad hunc beatitudinis cumulum Virgo sancta deuenerit, vt cum Christo communem in salute mundi effectum obtineat.* Ecce tibi & Iesus, & Maria in vnam voluntatem salutis humanæ reparandæ concurrunt, ambo idem holocaustum offerunt Deo, ambo eundem effectum reparationis obtinent, nec Christus sine Maria, nec Maria sine Christo; sed ambo sese mutuò adiuuant: Christus vniuersum ponit valorem iustitiæ, nec ad hoc ponendum, aliquem adiutorem admittit, Mariæ intercessionem adhibet, vt quod gratiæ est fiat, sic ex iustitia Christi, & fauore Mariæ, quæuis salus hominibus obtingit. Huc accedit Diu. Bernard. *ser. de Beata Maria,* inquiens: *Sic nimirum prudentissimus & clementissimus artifex, nobis nouum formauit Adam ex veteri, & Euam transfudit in Mariam. Et quidem sufficere poterat Christus, siquidem, & nunc omnis sufficientia ex eo est, sed nobis bonum non erat esse hominem solum. Congruum magis vt adesset nostræ reparationi sexus vterque, quorum corruptioni neuter defuisset. Fidelis planè & potens mediator Dei, & hominum Christus, sed diuinam in eo verentur homines maiestatem. Opus est mediatore ad Mediatorem istum, nec alter nobis vtilior quàm Maria.* Salua res erit, vbi non solus homo Deus Iesus apparuerit, sed & cum illo nobis affulserit Maria Virgo. Ad quam Virginem æquè bene aptarim verba data à D. Anastasio Sinaita, pro Ecclesia. Hic enim ait lib. 9. Examer. *Adhortor Iudæum, & Græcum seu Gentilem, vt quærat, & possideat illam adiutricem, quam Deus fecit ad ferendam opem toti generi hominum adiutricem non carnis & voluptatis, non seminis, & sanguinis, adiutricem & contagem, & quæ nequaquam fuit insidiatrix, sed salutaris, sed conseruatrix, sed illuminans, sed beneuola, peccata purgans, non faciens, in regno Dei introducens, non ex eo expellens, adiutricem, quæ parit filios vitæ, & hæredes vitæ æternæ: Adiutricem, quæ Magos efficit Apostolos, & facit publicanos Euangelistas, redditque meretrices, virgines honestiores.* Huc perueniunt Mariæ adiutoria; sub quibus nemo desperat, nemo non nisi singularem salutem promittat sibi. Si sub tanta adiutrice viuis, si tantæ matris filius es, quisquis sis, licèt peccator, licèt scelus ipsum, licet Iudas, potes sperare salutem. Libentissimè enim in hoc subscribo D. Philippo Abbati, qui totam Iudæ ruinam iralut ex eo, quod suspendio præoccupatus non peruenit ad tempus, quo filius posset esse tantæ matris. Sanè Iudas proditor fuit Christi, sed & Petrus fuit negator, & Ioannes & cæteri omnes Apostoli desertores fuerunt, quando relicto eo fugerunt. Cur ergo euadentibus cæteris in diluuio passionis, solus Iudas mansit suffocatus? Erat iuxta crucem Iesu Ioannes, & in eo erant discipuli vniuersi, qui tunc eatabant, pro quibus omnibus dicit Iesus Ioanni, cap. 19. ostendens illi Mariam; *Ecce mater tua.* Quid tunc? Qui tunc erant in statu, in quo cum Ioanne potuerunt sub tantæ Matris tutela versari, ij omnes & potuerunt saluari, solus ille perijt, qui, morte suspendij præuentus, non potuit esse sub tutela tantæ Matris. Pulchre ait Philipp. Abb. lib. 3. in Canticor. cap. 8. *Omnes denique tulit aqua, lapsis diluuium, culpa mersit: sed cæteris per gratiam euadentibus, Iudas perditus non emersit. Ille quippe diffidentia suffocatus, laqueato gutture se suspendit; Ioannes arcem gratiæ, viuendi fastigium apprehendit, quia Christus in cruce patiens, curam Iudæ à sua longè beneuolentia relegauit; Ioannem verò diligens curam eius matri Virgini delegauit: Mulier, inquit, ecce filius tuus.* Fœlices, qui delegati sunt tutelæ tantæ Matris, qui potuerunt censeri filij Mariæ; ij à naufragio culpæ euadent liberi, euaserunt Apostoli, euasit Ioannes, quia eorum cura data est Mariæ; perijt Iudas, quia non datus fuit inter Mariæ filios, euasisset enim, si hanc fœlicitatem obtinuisset.

Ioan. 19. — D. Amb. — Ioan. 19. — D. Ambros. — Arnold. — D. Bern. — D. Anast. — Phil. Ab.

§. XV.

Maria vt similis redemptrix hominum Dei filio.

DIxeram adiutorium Mariæ datum Iesu, in mundi negotianda salute, sed non dixi, hoc adiutorium fuisse simile Dei Filio, vt adiutorium Euæ fuit Adamo simile. Imò potiùs discreueram adiutorium Mariæ ab adiutorio Christi, quando hoc erat in re iustitiæ, & illud in re gratiæ, & intercessionis. Sed age, videamus an Maria potuit adiutorium præbere in negotianda humana salute simile Dei Filio. Et quidem qui viderit Verbum Dei in Mariæ vtero accipere, quod æquiualens offerat pro mundi vita, non abnegarit Mariam similiter Dei Verbo adiutorium saluti hominũ obtulisse. Habes enim Gen. 32. quòd cùm Iacob solus esset in agro, *Vir luctabatur cũ eo*, nimirum, Filius Dei sub viri forma manus cũ Iacob conseruit, sic attemperans vires suas, vt Iacob non impar in viribus, nec absimilis in figura corporis, & modo luctæ maneret. Sed, Deus bone, qui fieri potuit, quòd homuncio vilis non impar, nec inæqualis videretur Dei filio in lucta, sed illi similes? Pulchrè D. Ambr. *lib. 2. de Iacob cap. 6.* rationem insinuat dicens: *Eò quòd, ex eius erat generatione Dominus Iesus oriũdus ex Virgine, qui Deo nec impar, nec inæqualis esset.* Quia Iacob per Virginem habiturus erat filium Iesum, qui par esset, & æqualis Deo, ideò & ipse Iacob, nec impar, nec inæqualis in lucta apparuit Dei filio. Quid plura? Quando ipsa Virgo per se ipsam concepit Deum, carnéque sua illum in vtero vestiuit, qui coæqualis erat Patri, non dubito quin ea hoc capite in lucta pro humana salute appareat similis Dei Filio. Redemit Dei filius sanguine suo hominem, spinásque humanorũ laborum mutauit in lilia. An non similiter dici potest fecisse Maria? Ait ipsi Cant. 7. *Venter tuus aceruus tritici vallatus lilijs.* Sunt in vtero virgineo, & triticũ, & lilia, triticũ est Dei filius tunc cadens in terrã, quando ingressus est Mariæ vterũ. Lilia sunt homines iusti, qui de grani illius vicinitate habẽt, quòd floreant, & reuiuiscant. Nec miror, quòd granũ illud, seu tritici aceruus sit in vtero Mariæ; illud magis mirandum venit, quòd inibi inueniãtur etiam Sanctorũ candẽtia lilia. Nónne lilia Sanctorum refloruerunt de sanguine Christi solo, quid illis cum vtero Mariæ? Sanè vt de sanguine Christi florent Sanctorum lilia, quia sanguis Christi de vtero Mariæ est; etiam dicuntur reflorere de sanguine Mariæ. Et sicut Dei filius nos redemit sanguine suo, sic Maria dici posset redemptrix nostra sanguine etiam suo, nimirum, sanguine Christi, quia ab illa duxit originẽ. Iuxta quod aiebat D. Amedeus, hom. 6. de laudibus Mariæ: *Vallata igitur Sanctorum lilijs Redemptoris Mater, aptissimè hunc illis congruentem poterit proferre sermonem. Gaudium meum, & corona mea omnes vos estis,*

Gen. 32. — D. Amb. — Cant. 7. — Amed.

acquisiti sanguine meo, & carne sumpta de carne mea. Et quidem nos redempti sumus sanguine Mariæ, quando sanguis Christi pro nobis effusus, sanguis erat Mariæ, vt inde appareat, quàm simile adiutorium Redemptionis nostræ Filio suo Maria præstiterit.

§. XVI.

Adamo adducta animalia, vt nomina ab illo acciperent, similiter & Iesu in conceptionis instanti propositi sunt homines vniuersi, qui & nomina iuxta meritum cuiusque acciperent.

Genes. 2.

ECce tibi Adamo in Paradiso agenti vniuersa adducuntur animalia, ait enim Gen. 2. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animalibus terræ, & vniuersis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea, omne enim quod vocauit Adã anima viuentis, ipsum est nomen eius.* Itaque adductorum animalium naturam inspiciẽs Adamus, optimèque callens eam; nomina naturę accommodata appingebat, quibus ornabantur animalia quæque. Quid tunc? Cùm primùm Filius Dei virginali in Paradiso apparuit factus homo, in primo suæ conceptionis instanti omnigenam omnium futurorum notitiam accepit, vt concors est Theologorum cum D. Th. definitio. Obiecta sunt ex tunc Christi menti vniuersa futura, & præterita; vniuersi homines conditi, & condendi, vniuersi Angeli; imo vniuersa Dei auxilia, vocationes congruæ, & sufficientes; merita & demerita tam hominum, quam Angelorum: tunc ipse nouus Adamus singulos homines, & Angelos apprimè noscens, eos ex nomine vocat, & iuxta singulorum meritum nomina apponit. Herodem iam tunc in vulpem designabat, ait enim, Luc. 13. *Dicite vulpi illi.* alios viperas, alios lupos, alios scorpiones, alios hœdos, alios oues, iam tunc eligens, & nominatim designans, quos in caules suas habere velit, & sese illorum custodem decernit. Sic enim ait D. Anastas. Sinaita lib. 9. Exam. *Introduxit Deus omnes gentes bestiinas, & eas adduxit ad Christum secundum Adamum, vt videret, quid vocaret eas; vnumquemque conuenienter suis meritis, & vita quam egerit. Et ideo vocauit quidem oues, eas, quæ statutæ sunt à dextris; hœdos verò, quæ à sinistris. Agnos autem, vt qui Christum sequantur. Vnde etiam nominat lupos, qui gregi insidiantur, Iudæos, & genimina viperarum, & alios vulpes. Et omne, quod vocauit, hoc est ei nomen. Hoc est, non leuiter, nec temerè, sed conuenienter vniuscuiusque actæ vitæ, & meritis conuenientia nomina imponit Christus.* Nec potest dubitari, quin omnia animalia, hoc est, vniuersi homines, sub peccato originali brutescentes, imò & vniuersi Angeli fuerint Christo in primo conceptionis instanti ob oculos propositi, vt videret, quid vocaret eos, nimirum, vt videret, quos ad nomina salutis traheret, quos relinqueret in stercore proprio vt iumẽta putrescere. Et tunc Iesus attentis singulorum meritis, vulpes, scorpiones, lupos, hœdos clamans, illos auersatur, oues autem singulari lætitia vocans, illas amplectitur. Huc traho verba illa Prouerb. 8. vbi iuxta Bedæ, Rodulphique sententiam Sapientia incarnata, nimirum Iesus, de se ita loquitur: *Delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, & delitiæ meæ esse cum filiis hominum.* Crediderim Deum filium maximè delectatum fuisse, cùm primùm sese hominem factum vidit, & factum sub tempore; nec vllum tempus fuisse, quo vacaret à gaudio, & ludo; sed cùm primùm conceptionis dies illuxit, statim apparuit Christus ludens coram Deo, ludens in orbe terrarum. Et quid est, ludens? Accipe Ecclesiasticum cap. 32. monentem: *Præcurre autem prior in domum tuam; & illic aduocare, & illic lude, age conceptiones tuas.* Hæc verba explicans Hugo Cardinalis, duas adducit explicationes, quasi dicat; *illic lude*, hoc est, *illic sit tibi theatrum*, vbi te exerceas, quasi præludens in omnibus, quæ posteà serio facturus es. Vel aliter, *illic lude, hoc est, lude cum Domino, qui ibidem tecum ludit, omnia mirabilia ostendendo tibi, gaudium, & lætitiam infundendo. Iuxta illud, delectabar per singulos dies, ludens coram eo, &c.* Ecce tibi qualis sit ludus Iesu a prima Incarnationis die; theatrum sibi ob oculos ponebat, in quod descendens, & pugnas, & conflictos meditabatur, quæ illum seriò in mundo spectabant, hinc suas oues videbat, illinc lupos, iam draco apparebat, iam grex humanus penè deuoratus, inter quæ nobilis agonista lupis, & draconibus clamans, crucem eis minabatur, oues vocans, eis cœlestes offerebat caules. Quid plura? Et cum Domino ludebat quando Deus illi omnia mirabilia ostendebat, Angelorũ sedes spiritibus vacuatas, terrenis hominibus plenas; de stercore eleuatos pauperes, de sublimi superbos deiectos, in iis ipse ludens, & gaudens manum porrigebat deiectis, vt ascenderent, & pessimos arcebat igneis gladiis. Hos ludos notans Ruper. lib. 10. de Victor. Verb. cap. 3. ait: *O ludum Sapientiæ delectosum, præscire, atque prædestinare certum aliquem numerum Angelorum, & hominum, & in libro vitæ nomina conscribere singulorum. Putare, quòd de multitudine haberet emergere quispiam, qui conaretur cessare propositum iam bonum, vnde & meritò vocaretur draco magnus, serpens antiquus, & mente tractare, qualiter ille foret illudendum per ipsum Verbum.* Expende, ad quid referantur Christi antelucani ludi, nimirum, ad hoc quod præuideat hominum viuentium numerum, corúmque nomina singula notet, & in vitæ libro scribat. Rursus quòd aduersarium repugnantem videns, serpentem, & draconem nominat, eique mirabiliter illudat. Hos ludos parat Dominus Filio suo mundum ingredienti, ostendens illi vniuersas hominum & Angelorum sortes, ex quibus nominatim vocet suos, cum quibus sibi immensa gaudia præscribat. Habes homo vnde maximè hinc læteris, quisquis es, iis ludis affuisti, ex túncque decreta tibi diuina auxilia, & sub tanto ludimagistro nono salutis nomine fuisti insignitus. Sic Ioan. 10. ait: *Oues vocem eius audiunt, & vocat eas nominatim.* Videre est, vt auersantes fugæ se dedant, quibus acclamat Dominus, dicens. Abi, hœde; bonis autem sectatoribus nominatim dicit, veni bona ouis, veni Cephas, veni Ioannes, venite Boanerges, & sic singulos nominatim affatur; ait D. Anast. Sinaita lib. 9. Exam. *Eas vocat nominatim, hoc est, nominat, tunc quando Deus eas adduxit ad Adamum, vt videret, quid eas vocaret. Sed quando congregabantur quidem, dicebantur bestiæ. quando autem introductæ sunt in stabulum boni pastoris, effectæ conformes agno Christo, statim oues vocatæ sunt omnes.* Adduxit Deus ad nouum Adamum Iesum, vniuersos hominum greges serpentino veneno infectos: adduxit, inquam, eos, hoc est, illos monstrauit, & fecit videri à Filio suo dilecto in primo instanti suæ conceptionis, vt videret, quid vocaret eos, nimirum vt per suam satisfactionem videns auxilia illis communicata, cum quibus operarentur salutem, iuxta huius operationis modum nomina eorum decerneret, sectatores suos ad partem ouium trahens, dimittens cæteros abire cum hœdis. Sic nouissimus Adam Iesus, in primo suæ conceptionis instanti suorum nomina vocat, vitæque cera imprimit. Quò spectans Isaias cap. 11. ait: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius.* Cur Iesus in virgineo vtero flos vocatur? Ait Richard. Victor. *Hic flos factus est nobis medicina, ex illo mel, & cera. Medicina in redemptione, mel & cera, in glorificatione.* In erumpente flore Iesu iã ceræ visebãtur pertinentes ad glorificationem nostram. Erat antiquis cera pro testamentorum chartis, sic enim dicebat Suetonius in Cæsare: *Q. Pedium ex quadrante hæredem instituit, reliquos in ima cera, hoc est, in vltima parte testamenti.* Diuinissimus autem Iesus, vt velut flos erupit in Mariano Paradiso, ceras primas nominibus electorum plenas ad glorificationem referebat. Ex quo dixerim illud Virgilij Eclog. 3.

Dic, quibus in terris inscripti nomina Regum,
Nascuntur flores.

Nulla in terra, solo in Mariæ Paradiso erumpit flos Iesus inscriptus nomina regum, qui nomina ex tunc ostendat cuiusque regnaturi in cœlestibus.

Luc. 13. · Sinait. · Prouerb. 8. · Ecclesi. 32. · Rupert. · Ioan. 10. · D. Anast. · Isai. 11. · Sueton. · Virgil 3.

§. XVII.

Rapto in ecstasim Adamo, ex illo fit Eua: & non absimili modo fit Christus ex Maria, cui singulariter Filius debet, quod talis conciperetur.

Gen. 2.

DVm Euæ formationem meditatur Dominus, Genes. 2. *Immisit soporem in Adam; cùmque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, &c.* Pro verbo illo, *soporem*, Septuaginta posuere, *ecstasim*, quam lectionem ferè omnes Patres Græci, & multi ex Latinis sequuntur, putãtes somnum illum Adami non fuisse naturalem, sed supernaturalem quamdam abstractionẽ à sensibus, qualis per ecstasim fieri solet in sanctis viris, qui, dum nihil operantur externis sensibus, intrinsecus mentis oculis plura videant, quæ ardenti prosequuntur affectu. Sic Adamus, dum soporatur, raptus est in ecstasim, vt mentis oculis videat, quæ circa se fiunt, qualiter ex eius costa ædificetur Eua: quod putat Rup. lib. 2. in Gen. c. 34. Ait enim: *Sopor, quem Deus immisit, non vigilias rationis claudere debuit, sed, obturatis quinque sensibus corporis,*

Rupert.

sensum

sensum mentis liberum reliquit, vt scire posset, quid erga se ageret omnium artifex Sapientia Dei. Vnde postmodum muliere sibi adducta, dicere potuit: Hoc nunc os ex ossibus meis. Fortassis ideircò Septuaginta ecstasim, id est, excessum mentis transtulerunt. Itaque dum soporatur Adamus, non somno sepelitur, sed abstrahitur à sensibus, vt pura mente videat, qualiter ex se fit Eua. Ruperto accinit D. Basil. Seleu. *orat.* 2. fatus, in illa ecstasi Adamum ea se vidisse fieri mulierem, & addens rationem, ait: *Eapropter ipsius ante oculos fœminam struxit Deus, & similis naturæ spectatorem facit, vt in illa, quæ circa se sunt, velut in speculo contemplatus ex visis discat inuisa.* Qui nullam creaturam fieri à Deo viderat, à sensibus abstrahitur, vt puriùs, & attentiùs videat ea se fieri mulierem, & inde in omnium Creatorem suos inclinet affectus. Rem finit Tertul. *lib. de anima, cap.* 11. aiens: *Cecidit enim ecstasis super Adamum, Spiritus sancti vis, operatrix prophetiæ.* Non piger, & inactuosus somnus, sed Spiritus sancti vis Adamum occupat, & in clarissimam visionem mentis excitat, qua mysteria in se facta videat, & prophetet. Hæc cum Adamo, dum paratur ædificatio Euæ: nec absimilia sunt, quæ cum Maria fiunt, dum ex illa paratur coniunctio hominis & Verbi. Et quidem in puncto conceptionis ad altissimam contemplationem rapitur Maria, vt mentis oculis videat ex purissimo suo sanguine fabricari hominem, qui sit Deus, & adiutorium à Deo datum humano generi. Hinc Luc. 1. sciscitanti Mariæ modum diuinæ in se conceptionis, ait Angelus: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, &c.* Equidem Spiritus sancti vis, operatrix prophetiæ, meliùs quàm in Adamum venit in Mariam, illique mentis oculos aperuit, vt videret virtutem Dei in se elaborantem, ad eiúsque nutum effingentem puerum illum, qui & Deus. Ait enim D. Athanasius *hom. de Annunt. Superuenit igitur Spiritus sanctus super eam, & sanctificauit ipsam, vt in Psalmis Spiritus dixit, Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus & obumbrauit virtus Altissimi, corroborans eam, & diuina vmbra imaginem induxit, vt inde lineamentis collectis videre posset, quatenus possibile est, Deum, forma expertem, in se concipi.* Ecce tibi quid operabatur Spiritus sanctus in Maria, nimirum, operabatur in eius mente, & in eius ventre; in ventre quidem operabatur corpus illud diuinissimum Iesu, vt vel temperatis humoribus, lineamentísque deductis talis forma fieret, tantísque virtutibus anima insigniretur, vt vel ipsa humanitas indicium daret inhabitantis in se filij diuini. In mente autem Mariæ simul operabatur Spiritus sancti lumen, quo ipsa Mater videret fabricam sui Filij, videret qui sanguis eligebatur, quod temperamentum parabatur, quæ lineamenta corporis, quæ inde forma; quæ anima in particulari aptabatur, qui virtutum gradus in illa, ex omnibúsque iis collectis in vnum, & ad nutum Mariæ ordinatis, occultam inibi Diuinitatem præsentiret. Miraris quod dico, Mariæ mentem eleuatam, vt videret in se fabricam Filij sui, illámque in particulari à Maria dispositam fuisse? Sanè ex hoc maximè extollebat amorem Mariæ in Filium suum D. Amed. *hom. 5. de laud. Mariæ* inquiens: *Quæ mater dilexit filium suum, vt ista? Non enim fortuitò concepit, vt cæteræ mulieres, sed vnicus Patris pia electione, & gratuita bonitate Matris visceribus influxit, hoc est, vnde magis diligebat.* Quòd cæteræ mulieres hunc, aut illum filium concipiant, fortuitum quid est respectu illarum, quarum intuitus eò spectare solùm potest, quòd nascatur homo in mundo: quòd autem talis nascatur, hic, vel ille, non est earum curæ, nec prouidentiæ. Quod insinuabat Dominus Ioan. 16. *Cùm peperit puerum, non meminit pressuræ, propter gaudium, quia natus est homo in mundo.* Expende, quò tendat maternus intuitus, vt homo in mundo nascatur, vt per illum species seruetur humana, & alterum se relinquat: quod autem sit hoc indiuiduum conceptum, sub hac forma, sub hac complexione, cum hac anima, extra matris prouidentiam, & spectationem est, quæ circa illas indiuiduas rationes penitus nihil agunt. Vt singulæ possint dicere, quæ dicebat inclyta Machabæorum mater filiis suis, *lib. 2. cap. 7. Nescio qualiter in vtero meo apparuistis; neque enim ego spiritum, & animam donaui vobis, & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi.* August. *lib. 1. de anima, c.* 15. legit: *Nec singulis vobis vultus, nec membra formaui.* Et quidem hæc mulier sciebat, quomodo in eius corpus venerint filij, quæ de viro eos se concepisse dubitare nò poterat, eorū etiam formationi concurrerat, siquidem erat eorum vera mater. Quomodo ergo dicit, se nescire qualiter in vtero apparuerint? Quomodo negat se ad eorū formationē concurrisse? Planè non attribuit sibi opus organicū humani corporis, quod nulla prudentia sua formauit, nec formari vidit suis oculis. Non enim ea eius operatione venit, quòd filij indiuidualiter in eius vtero apparuerint, quòd sub tali vultu, & figura, & complexione in particulari constiterint, id quidem non prouenit ex cura, & prouidentia matrum, sed illis est prorsus fortuitum, & accidentale. Verum mater diuina Maria hoc præcipuū habuit, quòd sine eius conscientia, & gratuita electione, & dispositione Filius Vnigenitus in eius vtero non apparuit. Non fortuitò respectu Mariæ, sed pia eius electione, & dispositione hic tantus, & talis filius in eius vtero figurabatur, formabatur, perficiebatur. Huc spectat D. Zeno, *serm.* 3. de æterna Christi generatione, Elizabeth, & Mariæ cõceptus tractans, quippe ait: *Per idem tempus duæ cognatæ concipiunt, vna contra spem, altera Verbo. Hæc miratur se habere, quod nescit; illa lætatur, quia scit. Elizabeth sterilis fœcūditate tumet fœliciter venter, Maria maiestate.* Elizabeth miratur se habere, quod nescit, & sese occultat mensibus quinque; nescit enim quis, qualísve filius sit in suo vtero, & qualiter in vtero apparuerit, nec eius vultum agnoscit, aut corporis dispositionē: *Maria lætatur, quia scit*, nihil cõcepti à se fœtus ignorat; nec vultus, nec dispositio eius, nec minima proprietas est, quæ Mariæ non patuerit, ab eiúsque pia, & sapiēti electione, & gratuita bonitate venerit. Rem totā explicat Cãt. 5. vbi ait Maria: *Ego dormio, & cor meū vigilat: vox dilecti mei pulsātis. Aperi mihi soror mea, &c.* Ecce vt sopor etiā immittitur in Mariā, vbi ex eius sanguine formandus est in eius vtero dilectus Dei filius. Sed qualis sopor? Nō qui tollat mētis vigilias, sed qui ecstasim, & mētis excessū designet, quò attētius videat, quæ fiūt suo in vtero. Ait enim, *cor meū vigilat*, & vigilās cor eius facit pulsantis vox, dicētis: *Aperi mihi soror.* Et cur ingrediens Deus Mariæ vterū, sic vocibus Mariā excitat, & facit attentā? Crediderim id fieri, ne quid in conceptione Verbi fiat sine scientia, & electione Mariæ; nihil enim Verbū vult accipere à Maria, quod ipsa nō sciuerit, & determinatè dare decreuerit. Sic Guilhelm. in præsenti apud Delriū nostrū, ait: *Poterat dilectus, non aperiente ipsa, introire in virginalem vterū, sed ad maiorem Matris gloriam, quam maluit sponse, & hilariter aperire, stetit ad ostium, & pulsauit. Tulit Dominus de dormiente Adam, vnde formaret Euam; non stetit ad ostium eius, & pulsauit; consensum, & cooperationem eius minimè flagitauit: noluit conscium esse occultæ operationis suæ. Poterat etiam Incarnationis mysterium celebrare, Maria nesciente, nec sentiente, nec consentiente, nec carnem dante, sicut sumpsit de Adam, vnde formauit Euam, sed maluit sumere non tātùm ex ipsa, sed & ab ipsa sciente, sentiente, & consentiente, & offerente ad cumulum gloriæ maternæ.* Putat bonus author Adamū somno sepultū formationē Euę non vidisse, & nihilominus putat decentissimum fuisse Mariæ, quòd sciret, & daret ipsa determinatè, quidquid Dei filius haberet ex eius vtero. Nos autem, qui Adamum non sopore, sed ecstasi raptum asserimus, vt Euæ formationem singulariter inspiceret, libentiùs id tribuimus gloriæ Mariæ, de cuius conscientia, & electione venit, quòd hic Iesus sit eius filius, qui nihil habere voluit temporale, nisi à sciente, & dante Maria.

[marg.: Basil. Sel. — Tertull. — Luc. 1. — Athan. — Amed. — Ioan. 16. — 2. Mac. 7. — D. Zeno. — Cant. 5. — Guilhel.]

§. XVIII.

Ex adiuncta fœmina, vt mollescit Adam, sic Iesus ex Maria habet, quòd lenior, & suauior fiat.

ADamo os eripitur ad formationem Euæ, & datur caro pro illo, vt iam pareat, iuxta Lippomanum, quàm tenerescat robur, & rigor virilis ex consortio fœmineo. Imò qui integris ossibus sic rigebat, vt nec verbulum blandum emitteret: vbi eius os in fœminam efformatur, ad huius solum conspectum, totus soluitur in blanditias. Nonne blanditiæ sunt voces illæ, *Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea. Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem.* Valet, vel fœminæ conspectus, vt emolliat totum rigorem virilem: valuit & sanguis Mariæ, vt Deo irato in homines totum rigorem eripiat; vbi enim Mariæ caro Dei Verbo vnitur, sic Deus mollescit in homines, vt vix sciat etiam sceleratissimos ferire. Propone tibi ante oculos visionem illam magnam, quam vidit Moyses Exod. cap. 3. *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quòd rubus arderet, & non comburebatur.* Ignis in medio rubi ardet, & nihil comburit: Deus in medio peccatorum, & nullum plectit, & ferit nullum. Vnde tanta hæc lenitudo vel ignis, vel Dei? An id ferebat ignis natura? An id ferebat irati, flammantísque Dei conditio? Crediderim id venire ex natura rubi; vt enim rubo exprimebatur Maria, vt concors est omnium Patrum opinio, sic ex Mariæ carne sibi adiuncta leniebatur affectus diuinus, vt licet ira succensus esset, & prope haberet peccatores, nemi-

[marg.: Exod. 3.]

Theodot. nem læderet, neminem feriret. Ait Theodotus, *homil. 1. de Natiuit.* quæ habetur *tom. 6. Concilij Ephesini, cap. 6. Quare rubus accenditur, ignis conspicitur, & tamen, quæ ignis natura fert, non operatur; illuminat, non consumit, abstergit, non incendit; beneficium impendit, pœnam non adfert? Nonne Virginem in rubo animaduertis? Nonne illum, qui ad nos venit, charitatem, humanitatemque in igne conuertit? Iudex inter nos demoratur, neque vlli tamen pœna irrogatur. Iudex præsto est, non iudicaturus, sed iustificaturus.* Ecce tibi in igne Deus, in rubo Maria exprimitur, vbi autem hæc duo iunguntur, Deus, & Maria, quantumuis igneus appareat Deus, quantumuis flammans, securissimus agit peccator; ex Maria habet Deus, quòd non lædat vllum. Fœlix homo, qui flammantem Deum nactus es in Mariæ rubo, vnde non timeas pœnas, sed expecta beneficia. De puerulo rege Italiæ sub matris tutela posito, aiebat Cassiodor. *lib. 11. var. 1.* *Cassiodor.* *O seculi beata fortuna, sub principe feriato matris regnat affectio; per quam totum sic peragitur, vt generaliter nos tegere charitas sentiatur. Huic gloriosum præstat obsequium, cui omnia seruiunt.* Satiùs nostra secula prædicabimus beatiora, quando sub feriato iudice, & rege Dei filio, matris Mariæ regnat affectio, cui gloriosum præstat obsequium ille, cui verè omnia seruiunt, & sic omnia per Mariam peraguntur, vt nec in Deo liceat videre aliquid, quod non referat matris affectus, matris charitatem. Sic Maria valet filium Dei mollire, & mansuefacere. Ecclesiast. *c. 36.* *Ecclesf. 36.* dicit: *Species mulieris exhilarat faciem viri, & super omnem concupiscentiam hominis superducit desiderium.* Ex quibus verbis sic de Maria loquitur Hailgrinus Card. apud Delrium *in Cant. c. 4. vers. 9.* *Hailgr.* *Species siquidem mulieris virum potentem humiliat, ferocem & austerum emollit. Huius mulieris speciem sic concupiuit Dominus, & ipsum eius desiderium in tantum superduxit, hoc est, ad tantum excessum perduxit, vt ad nostram infirmitatem humiliatus sit omnipotens, & qui est vita viuentium, emollitus sit ad mortem.* Quid salutarius hominibus dici potest de Maria? Verbum diuinum, in ipso conceptionis instanti, optionem ex Patre habuit, vt eligeret, an vellet pati pro hominibus necne, quod si pati vellet, hominum negotiaretur salutem; si autem non vellet pati, ipse immortalis esset, sed hominum genus periret. Quid eligeret Dei filius, præcipuè cùm quodcúque eligeret, æquè gratum esset parenti Deo? Vt enim fert non ignobilis Theologorum sententia, Pater qui dabat talem optionem Filio, tam sibi complaceret in eo quòd Filius eligeret pati mortem, quàm quòd eligeret semper viuere. Vnde ergo habuit Iesus, quod sic ad homines emolliretur, vt pro illis mortem eligeret? Sanè non id habuit ex Diuinitate, cui æquè gratum foret, quod non moreretur Christus; id autem habuit ex humanitate Mariæ; quòd ex Maria fuit, ait Hailgrinus, *Hailgr.* *eum ad tantum excessum perduxit, vt, qui est vita viuentium, emollitus sit ad mortem.* De matre habuit Iesus, quo sic pro hominibus emolliretur, vt nec fugeret pro illis mortem. Ait ipsa Cant. 1. *Cant. 1.* *Cum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, &c.* Ecce tibi quàm magna, & subita mutatio, erat Rex in accubitu, erat in throno, erat in tabernaculo, quò flagellum minimè poterat appropinquare; & tota illa regalis maiestas occultatur, & apparet fasciculus myrrhæ factus passibilis, & mortalis. Vnde hæc ipsa dicit: *Nardus mea dedit odorem suum;* vbi D. Amedeus *homil. 5. de laudibus Mariæ,* fatur: *Bonus odor, qui Regē in accubitu suo existentem, per Virginem prouocauit, vt ad nos veniens, nostra acciperet, sua daret.* De Maria venit, quòd Deus à regio accubitu descenderet, & sic tremescerent pro hominibus eius viscera, vt dolores nostros omnes subiret, ne vlla nos pœna affligeret. Quis metuat Iesum in Mariæ vlnis? Ait D. Bernard. *serm. 1. de Natiu.* *D. Bern.* *Paruulus factus est, tenera membra Virgo mater pannis alligat, & adhuc timore trepidas? Vel in hoc scies, quia venit non perdere te, sed saluare te, eripere, & non ligare.* Vbi inter matris brachia Deus ostenditur, nihil in eo videtur, quod ad salutem non faciat humanam.

PARS SECVNDA.

Moralis circa textus literam.

QVm explicata sit Adami conditio, tota halans generationem Christianam ex ipsius textus litera venit nobis explicanda moralis disciplina; vbi enim clauditur Christus, non potest non contineri doctrina, quæ mores componat, & dirigat.

Cap. 1. Genes. Et vidit Deus quòd esset bonum, & ait: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis, vniuersæque terræ, omníque reptili, quod mouetur in terra.

Cap. 2. Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.

§. I.

Diuini Spiritus est nihil non bonum in aliis videre.

ECce tibi Dominus se se accingit in opus humanum, vt faciat hominem, & illum bonum, qui parum pòst ruinæ, & corruptioni traditurus erat. Nec Deum fugiebat imminens iam malitia hominis, cùm de eius conditione consulit, ait enim Rupert. *Rupert.* *Planè ibi omnis nostra causa in medio posita est, mors, vel perditio nostra, quæ futura erat, illic perspecta est, & inde consilium, &c.* Res mira! Vbi tanta hominis malitia versabatur ob oculos; dicit textus; *Et vidit Deus quòd esset bonum, & ait: Faciamus hominem, &c.* Quomodo vbi tanta malitia suberat, vidit Deus, quòd esset bonum, & non dicitur vidisse quòd suberat malum! Deus erat, qui videbat, Dei autem spiritus quasi nescit videre nisi bonum in aliis. Similiter post conditum Orbem, post condita vniuersa animalia ait textus, Genes. 1. *Gen. 1.* *Vidit Deus omnia quæ fecerat, & erant valde bona.* Sanè inter creaturas, aliquæ erant non valde bonæ, saltem ille serpens, qui tot traxit mala, & seruiuit malo, absque vlla iniuria posset dici non valde bonus, sed potius vilis, & malus. Cur ergo vbi vilissima erant reptilia; vbi erat malitiæ instrumentum singulare, imò vbi erat ipse diabolus, nihilominus omnia valde bona apparent? Nota cui apparebant: apparebant Deo, dicitur enim quod *vidit Deus;* diuinus autē oculus nihil sciuit videre nō bonū, & nō bonum valde. Ex quo sapienter Theodot. *hom. 1. de Natiuit.* *Theodot.* quæ habetur *tom. 6. Conc. Ephes. c. 10.* ait: *Omnia proinde quæ aspicis, oculo à perturbationibus immuni aspice, & vt Deus videbis omnia esse valde pulchra. Abijce passionem, & summum mox in Dei opere decorem, & venustatem comperies.* Si oculus simplex, diuináque luce plenus fuerit tibi, nihil non bonum, & splendidum, & venustum in aliis videbis; ex qualitate oculorum videntium prouenit, quòd bona videantur, vel mala. Deo pleni oculi etiam inter ipsas malitiæ fæces nil mali vident. Dixerat aliquando Dominus, se ab vno discipulorum discumbentium tradendum fore in mortem, Ioann. *Ioann. 13.* cap. 13. *Itaque cùm recubuisset Ioannes supra pectus Iesu, dicit ei: Domine, quis est? Respondit Iesus: ille est cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ. Et post buccellam, tunc introiuit in eum Satanas. Et dixit ei Iesus; Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo sciuit discumbentium, ad quid dixerit ei.* Res planè videtur inaudita: iam egerat Iesus de traditione peragenda statim, vnò interrogatus à Ioanne, traditorem intincto pane exhibito illi designat, & nihilominus asserit, *nemo discumbentium sciuit.* Nunquid Ioannes non discumbebat? Nunquid Ioannes non interrogat? Non accipit traditoris signum? Non vidit Iudam signo notatum? Quomodo ipse potuit nescire, & non videre rem traditionis? Erat recumbens in pectore Iesu, totúsque eius sanctitate plenus, & ideò inter euidentissima signa malitiæ adhuc non videt, adhuc cæcutit, ne mala, sed bona videat. Ait Theophylactus, *Theophyl.* ibi: *Nunc ergo, & Ioannes ignorabat eum? Sancta quidem illa anima procul à tali impietate, neque de alio tale quidpiam suspicata fuit.* Quid diuinius? Vt Ioannis oculi ab omni malitiæ infectione erant puri, vt omni sanctitate inueniebantur plenissimi, sic nec post signum exhibitum, nec post sibi demonstratum à Deo proditorem, eius viderunt malitiam, sed adhuc æstimabant Iudam sanctissimum sectatorem Christi. Ij sunt diuini oculi, qui nec inter ipsas malitias mala vident. Vnde Sanctus Iob, *cap. 10.* totus mirabundus ad Deum dixit: *Iob 10.* *Nunquid bonū tibi videtur, si calumnieris, & opprimas me, & consilium impiorum adiuues? Nunquid oculi carnei tibi sunt, aut sicut videt homo, & tu videbis?* Rem nouitatem expauet sanctissi-

mus vir, dum se immerentem pœnas dare experitur, & tantarum pœnarum culpas dum sibi non potest tribuere, illas vellet tribuere oculis spectatoris sui. Quid est istud, quod patior? Quæ culpa est mea tantarum pœnarum? Si me viderent oculi humani, nihil mirum, quando proprium est hominis, etiam videre, & ostendere culpas in sanctissimis; in quo longè aliter se habent oculi diuini, qui nec etiam in patētissimis peccatoribus culpas vidēt. Quid modò potent? nisi quòd Deus iam videt vt homo, & me vt homo videns malum habeat, & affligat; hoc est proprium humani oculi; quando enim Deus videt, omnia reputat valde bona, & valde pulchra. *Polychr.* Ait Polychronius in Cat. *Nec enim ipse improbitatem hominum imitaris, vt eorum, qui peccarunt, memineris; & eorum, quæ peccarunt, seueram rationem exposcas: Parin enim exiguae homines. Tu verò Deus, qua tua est benignitas, de multis pauca requiris.* Expende illam hominum nequam proprietatem, à qua Deus abest, nimirum, *nec enim hominum improbitatem imitaris, vt eorum, qui peccarunt, memineris.* Non is est Deus, qui peccata, & mala ob oculos habeat semper, quando de eius spiritu venit, vt impleantur oculi bonis, & virtutibus. Peruersi hominis est, peccata aliorum videre, notare; & nihil non erroneum, & malum aspicere in proximo suo. Quò spectat illud supplicium à Deo inflictum apud Ezech. c.28. *Ezech. 28.* vbi ait cuidam: *Ante faciem regum dedi te, vt cernerent te;* nec dubito quin, qui ab oculis hominum cernitur appariturus, sit plenus culpis, & mille pœnis dignus. Ad hoc solùm dat peccatorem ante faciem regum, nimirum, *vt cernerent illum*, certus quòd si homines cernant hominem, in illo inuenturi sunt culpas, quarum pœnas sine misericordia luant.

§. II.

Sine natalium splendore rarò quis bonus inuenitur ad præfecturas.

AD imaginem suam decernit Deus facere hominem, quem ad Orbis Præfecturam designat; ait enim: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit, &c.* quasi ex tunc iam monstraret Dominus illi fuisse Præfecturam ad honum prouisam, quem fumosæ progenitorum imagines nobilitant. Ominosum quidem est Reipublicæ, quòd vulgò ad præfecturas obrepant sine progenitorum commendatione, sine vllo præhabito nobilitatis titulo; quando diuinus ordo priùs facit nobiles, quos in Præfectos designat. Moyses, pauperiuus parentibus, & sub seruitute degentibus ortus, in ipso vitæ limine, amnis fluctibus commendatus, Deo sic disponente, appulit ad ripam, in qua filia Pharaonis erat; quem princeps fœmina à fluuio accepit, & adoptauit in filium. Sic Exod.2. *Exod. 2.* *Quem illa adoptauit in locum filij, vocauitque nomen eius Moyses, dicens; Quia de aqua tuli eum.* Quis non videat summam Dei prouidentiam circa puerum hunc? Illum pauperibus parentibus eripit, & penè miraculoso modo tradidit Ægypti principi, à qua nutriatur, & habeatur vt regius filius? Et cur, Domine, puero huic seruorum, mancipiorúmve filio tantam Reginam præparas, à qua adoptetur in filium? Pro puero in flumen eiecto illud forsan expectari possit, quòd vel à piscatore aliquo, vel à fullone inueniretur, & seruaretur in vitam. At quòd à filia Regis, à Regia Virgine inueniatur, & habeatur vt filius, id à solo Deo potuit disponi, qui vt puerum elegerat in Præfectum populi, sic prouidit, vt viles natales, quos natura dederat, exueret, & nobiles regalesque parentes per adoptionem acquireret, ne sine nobilitatis titulis clauum arriperet Reipublicæ. Aiebat enim sanctus Macharius, *homil. 9.* *Machar.* *Cum Deus Mosem præuisset, & præordinasset futurum Ducem, & Redemptorem populi, effecit, vt adoptaretur à filia Pharaonis.* Cauit Deus, ne in suo populo quis à cophino ad Reipublicæ clauum ascenderet; & ne qui hodie in sentina; cras videretur in puppi: ideò quem destinauit in primum ducem, fecit adoptari in Reginæ filium, vt regaliter nutritus, de regalium stemmatum commendatione, posset haberi dux populis proficuus. Quo spectat Ecclesiastic. *cap. 10.* *Eccl. 10.* fatus: *Beata est terra, cuius Rex nobilis est.* *Septuag.* Septuag. ponunt; *Cuius Rex tuus filius ingenuorum.* Veneta ait, *Si Rex tuus fuerit filius nobilium.* Alij legunt: *Filius Heroum.* *Vatabl.* Vatablus ponit: *Filius candidorum.* Alij dicunt: *Rex natus clarissimis.* Ad terræ beatitudinem, ad Reipublicæ felicitatem illud conducere putat in primis, si Rex, si princeps eius, si Præfectus primogenitorum gloria sit illustris. Nunquam enim non spectabilior est gloria, & ingenuitas cuique innata, quam quæ postmodum accrescit. Sapienter enim dicebat Chrysol. *serm. 89.* *D. Chrys.* *Maior est innata gloria, quàm quæsita, præcedit, quod venit ab origine, quod sequitur ex labore, gloriam beatius est habere, quàm quærere.* Quod deficit in origine, rarò potest vlla industria suppleri. Vnde Ionathas, filius Gedeon, Sichimitis regnum Abimelecho offerentibus, habens multa, quæ opponat, hoc vnum dicit, Iudic. 9. *Iudic. 9.* *Constituistis regem Abimelech filium ancillæ:* feralissimus erat Abimelech, & fratricida: hæc tamen præterit Ionathas, prouidens ne illius origo vilis, & abiecta nesciatur, vt quæ sola conceptas omnes spes de electo Principe maximè infirmet. D. Thom. *de Regim. Principis, 4. cap. 19. ex Aristotele,* *D. Thom.* ait: *De vili loco assumptis ad principatum, vt plures lædunt politiam, & læserunt aliquando Calcedonium, iuxta illud Poetæ:*

Asperius nihil est humili, cùm surgit in altum.

Necnon & D. Ambrosius *serm. 12.* *D. Amb.* Christi natiuitatem agnoscens, vbi dies crescere incipiunt, & Ioannis natiuitatem cernens, vbi dies incipiunt minui; acutè ponderat, quàm officiat seruilis conditio ad prouentus Reipublicæ. Quippe ait: *Ecce enim natiuitate Christi dies crescit, & Ioannis natiuitate decrescit. Illo Oriente lux proficit, hoc nascente minuitur. Ipsa enim quodammodo tempora famulantur partubus suis, cùm detrimentum faciunt, seruus gignitur, cum autem Dominus nascitur, consequitur augmentum.* Sub nobilissimo rege Christo omnia crescunt, & maximum augmentum subeunt: vbi autem seruus in altum exurgit, nil est, quòd diminutionem non percipiat. Huc appone dicta 1. *tom. Moral. lib. 1. c. 7. §. 44. & tom. 2. lib. 6. c. 2. §. 11.*

§. III.

Ille verus Princeps, & Præsul, cuius vita & repræsentat, & vndique halat Christum.

HOmo creandus vt præsit, ad imaginem, & similitudinem Dei creatur, sic enim humanus puluis deducitur ad præfecturam Orbis, vt simul imagini Dei, nempe Christo, conformis appareat. Ait Tertullian. lib. de Resurrectione carnis: *Tertull.* *Quodcumque limus exprimebatur, Christus cogitabatur,* nec linea in homine regnaturo ducitur, quæ de Christi imitatione non veniat, quæ Christum non halet. Et quidem sic se debet componere, qui Princeps, & Præsul est, vt in omnibus Christus videatur. Nota est varietas nominum in viro cantatissimo Iosue; si enim illius quæras nomen, a parentibus acceptum, vocatur Auses, si conuenias hominem, populi Principem factum, audies tunc illum vocari Iesum. Et cur in principatu Iesus vocatur, qui priuatus homo Auses dicebatur; nisi quia hæc debet esse veri principis conditio, quòd in omnibus sic conformis imagini filij Dei appareat, vt Iesus debeat nominari? Ita loquitur Ruffinus in Glossa *ad cap. 1. Iosue:* *Ruffin.* *Auses Naue filius, cùm electus esset dux populi, commutato nomine Ause, Iesus cognominatus est: quo ostenderetur hoc esse nomen, quod principibus, & ducibus conueniret, qui salutem sequentibus se populis darent.* Ea debet esse in fouendis subditis Principum generositas, vt illis Iesu nomen apprimè quadret: sic princeps debet componere mores suos erga subditos, vt in se Iesum ostendat inhabitantem, & sub Iesu nomine conspicuus appareat. Ait Isaias *cap. 45.* *Isai. 45.* *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram.* Cyrus impius, & idololatra, veri Dei ignarus, vocatur Christus, & vocatur Christus à Deo: non sanè propter vnctionem olei; quæ, vt propria fuit Israelitarum Regum, minimè nota fuit in aliis. Cur ergo Cyrus dicitur Christus? Electus fuit Cyrus à Deo, iuxta Theodoretum apud Castrum, vt Babylonem subuerteret, liberaret Iudæos, templum Domini instauraret: quæ omnia adeò regiè adimpleuit, vt, quantū in illis, regium munus fuit adimpletum, tantum in eo Christi nomenclatura clareat. Non longè ab hac excogitatione stat D. Petrus Damianus, *Petrus Dam.* qui vbi vidit Imperatorio muneri ab Henrico II. satisfactum, in eiciendo pacis turbatore, non tardauit amplius, vt Christum in Henrico regnare cogitaret. Sic enim ait *lib. 7. ep. 2.* *Lætentur ergo cœli, & exultet terra, quia in Rege suo regnare Christus cognoscitur. Ipse enim, qui, facto flagello de restibus, vēdentes in tēplo columbas euerit, ipse, inquam, & nō alius in Rege suo cathedrā negotiantis in Ecclesia euertit.* Idē prorsus est, quod princeps muneri suo satisfaciat, quod cogitet, & agat ea, quę sunt digna principe, & quod Christus appareat. Nihil est in vero principe, quod Christum non halet. Hinc Psalm. 104. aiebat Dominus: *Nolite tangere Christos meos:* & sanè de

Principibus,& Ducibus populi sui, qui fuerunt ante Moysem, loquebatur, qui vnctionem minimè norant, cur ergo eos iam Christos vocat? nisi quia vt erant Principes veri à Deo electi, sic debebant in se Dei filium Christum repræsentare. Ex quo D. Ambros. de obitu Valentiniani, sic charissimum Principem alloquitur: *Valentinianus meus, iuuenis meus, candidus, & ruber, habens in se imaginem Christi. Talibus enim prosequitur Ecclesia in Canticis Christum. Genæ eius phialæ aromatis, quibus Christus infundebat vnguentum. Manus eius tornatæ, aureæ, plenæ Tharsis. Omnis enim bonus operarius, manus Christi est.* Sic bonus pater in optimo principe, nihil magis curat ostendere, quàm si eius manus, vel genæ, vel oris color referant Christum. Ille equidem optimus princeps est, in quo Christus apparet conspicuus; vt ipse dicat Prouerb. 8. *Per me Reges regnant*, hoc est, ego sum forma Regum, qua ipsi Reges apparent, & quam vniuersi verentur in illis. Vnde D. Cyrill. Alexand. *lib. de recta fide ad Theodosium*, sic illi dicit: *Vos proinde totus Oriens, vos totus canit Occidens, omnique laudum genere prosequitur: vos, qui ad Austrum vergunt, meris encomiis extollunt: vos, qui ad Aquilonem pertinent, festiuis gratulationibus exornare nunquam desinunt. Supremum autem piissimi, clarissimique imperij vestri firmamentum est Dominus Iesus Christus. Per hunc enim, vt scriptum est, Reges regnant.* Et meritò putat, in pientissimo Principe Theodosio, Christum fuisse totam rationem formalem, ob quam vniuersis mundi plagis erat Theodosius in honore, in veneratione, in desideriis. Vt enim opera eius, & vita Christum referebant, sic firmabant imperium, & laudem ab vniuersis trahebant.

D. Ambr. *D. Cyril.*

§. IV.

Vt erga brutos, & efferos homines sese quasi Deum debet princeps ostendere, ergo bonos quasi vnus ex illis esse debet.

AD Dei imaginem fit homo, & iubetur præesse piscibus, volatilibus, bestiis terræ; non homini: non equidem audis: *Faciamus hominem ad imaginem nostram, & præsit hominibus*, sed solùm dicit, *& præsit piscibus, volatilibus, bestiis*, quasi innuens erga quos Princeps diuinitatem ostentat, sese quasi Deum repræsentet, nimirum, erga brutos mores, erga rebelles, superbos, & efferos: erga morigeros, & humanos subditos, iam non Deus fit, sed quasi vnus ex illis appareat effectus. Exod. *cap. 7.* aiebat Dominus Moysi: *Ecce constitui te Deum Pharaonis*: solet enim Deus, quos alicui præficit, vocare Deos, vt habes Psalm. *Ego dixi, Dij estis*, quasi indigitet, quam velit, quòd Prælati, & Principes ostentent in subditos diuinitatem. Nihilominus Iob deturbatus à regno, factúsque homo priuatus, & pauper, principibus amicis hoc obiicit, quod diuinitatem ostentent, ait enim *cap. 19. Quare persequimini me sicut Deus?* Quid quereris, ô bone, quod princeps erga te Deus videatur? Nonne ita constitutum est à vero & summo Deo, quòd princeps Deum se ostendat? Nonne & ipse Moyses dum Pharaoni præficitur, iubetur Deus esse? Cur ergo quereris, quòd diuinitatem ostentent, qui tibi videntur dominari? Meritò queritur Iob, & vitio vertit, quòd princeps erga se velit esse Deus, quod erga Pharaonem, rebellem, & feralissimum hominem prælatus Moyses Deum agat, diuinitatémque ostentet, res virtutis est: at quòd erga simplicissimum, piissimúmque Iob princeps velit adhuc Deus videri; hoc vitiosum est, & dignum querelis immortalibus. Ille sine querela, & bonus Princeps, qui vt inter efferos subditos Deus apparet, sic inter mansuetos, & simplices, quasi vnus ex illis agit. Vnde aiebat Paul. ad Rom. 13. *Princeps non sit timori boni operis, sed mali.* Vbi D. Ambrosius. *Principes, hos Reges dicit, qui propter corrigendam vitam, & prohibenda aduersa creantur, Dei habentes imaginem.* Itaque pro malis, & dyscolis coercendis creatur Princeps, Dei habens imaginem, vt aduersus illos sese Deum, & sublimem ostendat. Vbi autem feri mores non sunt, sed mansueti, sed boni, vt quid Princeps sese efferat, & diuinum ostendat? Cur non magis videatur, quasi vnus è subditis factus? Qui ita facit, in se normam ostendit præstantissimi principatus. Aiebat Isaias, cap. 40. *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur, ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo. Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregauit agnos, &c.* Sed & Præcursor eius Baptista præcognoscens iam filium Dei inter homines agentem, clamat Ioan. 1. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Ipse ab Isaia vocatur Pastor, à Ioanne vocatur Agnus. Pastor agnos pascit, agnos congregat. Agnus Pastorem sequitur, sub eius nutu obambulat, qui fieri potest, vt qui pastor est, appareat Agnus? Equidem si bonus pastor est, si optimi tenet formam principatus, eo ipso sic se componit, vt inter agnos, nihil aliud quàm agnus appareat. Accipite D. Chrysost. *hom. de Turture*, sic de Ecclesia Christum spectante, fantem: *Cum audisset sponsa Agnum à Ioanne, & Pastorem ab Isaia, hæsitat, & putat, dicens ad semetipsam: Cui credam, putas huic, aut Isaiæ? Videt Dominus, quoniam dubitat, clamat, & dicit: Ego sum Pastor bonus. Et vno sermone soluit omnem hæsitationem eius.* Dum se bonum Pastorem ostendit, eo ipso fatetur quòd idem, & Pastor, & Agnus possit esse; Pastor quatenus curam habens de agnis colligendis; Agnus, quatenus se ita componit in pastorali munere, vt prorsus videatur, quasi vnus è grege. Nec boni pastoris est inter agnos, aliud quàm agnum velle videri.

Exod. 7. *Iob 19.* *Rom. 13.* *Isai. 40.* *Ioann. 1.* *Chrysost.*

§. V.

Princeps in donis suis caueat, ne detur subditis materia insolentiæ.

QVem imaginis suæ gloria exornat, hominem de limo facit Deus; cur non magis de cœlesti, sublimique materia illum perficit Dominus? Non erant ad manus astra lucidissima, de quorum splendentibus corporibus materiam posset sumere Deus, vt suum hominem faceret? Cur, relictis cœlestibus, ad limosa, & obscura concurrit, vt de limo faciat hominem, quem imagine sua colorat? Bonus Princeps dum imaginem suam committit homini, cauit in illo vitiorum fomitem: ne honoris summitate euanescat, lutum apponit eius formationi. Rem apprimè tractat Theodotus, *homil. 2. de Natiuit.* quæ habetur *tom. 6. Concil. Ephes. cap. 10. Puluerem ex terra sumptum efformauit Dominus, suaque Diuinitatis imaginem ipsi impressit. Sed cur, quem tanto ornatu decoraturus erat, ex substantia adeò abiecta composuit? Cur materia ex Solis splendore sumpta hominem non condidit? Sed ex terra, terraque puluere, elemento vtique infimo, omniúmque pedibus conculcato, illum effinxit? Vis scire, quam ob causam? Quandoquidem hominem sua imagine decoraturus erat; ipsum ex vili natura formauit, ne fortè honoris abundantia insolesceret. vt si quando plusculum honoris ipsi deferretur, abiectæ naturæ suæ memoria à fastu compesceretur: simúlque reminisceretur, si quem honoris gradum obtineret, eum non ob suæ naturæ dignitatem sibi obtigisse: sed ob largitoris munificentiam.* Sic bonus mundi Rector, & Dominus hoc in primis curabat; vt in subditis suis obstrueret aditus peccatorum, & excitaret gratitudinis omnísque virtutis memoriam. Ex diuinæ imaginis gloria patebat aditus insolentiæ, patebat aditus fastui humano; princeps autem diuinus eisdem manibus dabat imaginis suæ impressionem, & lutum apponebat, quo occluderetur aditus vitiorum. Hoc maximè ad Principem spectat, ne donis suis faciat insolentiæ, & aliis facinoribus locum. Hinc Iesus, Matth. 20. dicit dilectissimis suis Ioanni, & Iacobo: *Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam, & sinistram nō est meum dare vobis.* Quibus ob amoris magnitudinem dat calicem suum, præbet suam mensam: negat sedes. Cur, ô bone, tam dilectis hominibus sedes negas? Cur, quos ditas calice, quos reficis mensa, imo cui præbes tuum ipsum pectus, quo accumbat in cœna, ipsum refugis nobilitare sede? Erat sedis petitio, limen quoddam fastus, & insolentiæ, ideò bonus Princeps, & Rector, maximè cauit, ne fauores sui, ne dona sua ostium redderent vitiis apertum, sed potiùs quòd prorsus clauderetur aditus insolentiæ. Sic ait ipse apud D. Cyril. Alexand *lib. 10. Thesaur. cap.* *Inanis gloriæ meis à dextris, & à sinistris meis sedere concupistis; id autem dare meum non est. Non enim dabo morbum alicui, qui doceo, atque hortor, vt à morbo caueat is. Ab inani ergo Zebedæi filios gloria, improbáque ambitione deterret.* Expende illud: *Non dabo morbū alicui, qui hortor, vt à morbo caueat is.* Quod diuinissimi Principis pulchrius testimonium? Vtinam omnes Principes hoc ipsum seruarent in suis donis præstandis: ne, dum donaria cumulāt, morbos largiantur, & nō tam honoris materiā, quam insolentiæ, improbæque ambitionis fomitem videantur dare. Sic & B. Paulus sese excusat à munere conferendi Baptismatis. 1. ad Cor. 1. aient: *Non misit me Christus baptizare:* Et cur tantum munus à se ablegat Paulus? Erat occasio schismatis inter Fratres, cùm quisquis gloriaretur

Theodot. *Matth. 20.* *Cyril. Alex.* *1. Cor. 1.*

de

de ministro sui Baptismatis, cùm diceret alius, ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego sum Cephæ; quod cauens Paulus maluit per se nulli impertiri Baptismatis gratiam. Tertul. *lib. de Baptism. Has pro traditione tunc temporis ad Corinth. scripta sunt, quoniam schismata, & dissensiones inter illos mouebantur, dum alius Paulo deputat, alius Apollo. Propter quod pacificus Apostolus, ne sibi omnia defendere videretur, non ad tingendum ait se missum.* Imò & gratias agit Deo, quòd non nisi paucos baptizauerit, adeò enim cauebat dona etiam cœlestia communicare, quæ occasiones inferrent offensionis Fratribus. Sanè turpissimum est, quòd princeps à Deo creatus *vindex in iram ei, qui malè agit*, ad Rom. 13. sic dona amicis præstet, vt fomites vitiorum videantur præstari. Certissimũ enim est illud Regis Assueri rescriptum Esther, c. 16. nimirum: *Multi bonitate Principum, & honore, qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam; & non solùm subiectos Regibus nituntur opprimere, sed datam sibi gloriam non ferentes, in ipsos, qui dederũt, moliuntur insidias.* Sapiẽtis ergo principis erit sic dona, & fauores amicis exhibendos temperare, vt simul insolentiæ, & fastui aditum prorsus occludat. Laudo in hoc Herodis sapientiam, qui ait apud Egesip. 1. *lib. de Excid. Ierosol. c. 39. Si tamen supra modum quis liberos meos excolat, reus est mihi etiam pro liberis meis, quibus author prolapsionis: nimius enim cultus audacia sumptus est. Nunquid inuideo liberis meis? Absit: sed malo eos minùs cum gratia posse, quàm plurimum cum seditione. Quod enim superbia, vel rapina est, citò labitur; quod gratia, diu tenetur.* Meritò & in filiis suis fauores, & honores volebat temperatos, & quasi reum cauebat eum, à quo immodico honore tractabantur, vt qui esset prolapsionis, & offensionis causa.

Tertul. — *Esther 16.* — *Egesip.*

§. VI.

Non solam faciem auræ cœlesti expone, sed totas carnes clauis confige, quisquis vitam æternare amas.

SPiraculum Dei facie suscepit homo, & factus est in animam viuentem, sed qui breui morti subiaceat: potuit equidem homo vitam recipere spiraculo diuino suscepto facie; at in vita æternari non poterit, nisi totas carnes, vniuersos sensus externos, & internos duris configat clauis. Vita enim quæ à lenibus auris pendet, etiam instar auræ disparet: sola, quæ clauis per omnes sensus affictis tenetur, ipsa valet durare. Quò respiciens D. Paul. ad Roman. 6. monet: *Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est; vt destruatur corpus peccati; vt vltra non seruiamus peccato.* Sanè, qui audierat hominem in vitam abiisse, solo Dei spiraculo accepto facie, non multum pro habenda vita laboraret: huic autem monet Paulus, ne fidat multum cœlestibus auris semel, aut bis mente, aut facie susceptis: nisi enim simul totus homo cum Iesu crucifigatur, non euadet peccati tyrannidem, non euadet mortem, stipendium peccati. Quid ais Paule, limus erat, & vilissimus puluis, qui accepto facie Dei spiraculo vixit; cur non mihi sufficiet ad vitam simile spiraculum? Cur magis crucifigi debeo, quàm ille? Ad quid magis mihi necessarij sunt claui? Ipse ait; *Vt vltra non seruiamus peccato:* quippe limus de spiraculo Dei accepto facie vixit, sed statim factus seruus peccati morti traditur; vt ergo sic viuas, vt minimè in mortem vltrà abeas, sed in vita possis æternari: ne solam faciem des diuinis auris, sed totas carnes, vniuersos sensus diris confige clauis. Ad hæc dicebat D. Bruno: *Vetus homo noster simul cum Christo affixus est cruci: ad hoc vt destruatur in nobis corpus peccati, & ita destruatur corpus nostrum in eo, quod peccabat, vt vltra non seruiamus peccato, sed imperium habeamus super peccatum. Dominus Iesus aliud genus mortis eligere posset: sed non sine mysterio cruci affigi magis voluit, significans nobis, vt quemadmodum manus & pedes, sensus, scilicet, humanos affixos habuit, sic & nos non solùm opera, sed etiam sensus affixos habeamus, ne cogitemus, vel operemur mala.* Expende totam Reparatoris nostri œconomiam ab illis verbis: *non solùm opera, sed etiam sensus affixos, &c.* contentus fuit Creator spiraculo suo faciei exhibito hominem viuificare; at quæ spiraculi auris pependit vita, vel leui impulsu in aures euolauit, euanuit. Quare Reparator noster hominem induens, hoc est, filius Dei naturam humanam assumens, illam cruci confixit clauis. & cur illam affixit clauis? Vt iam non de facie auris afflata, sed de omnibus membris & sensibus affixis fortique clauo detentis æternum duraturæ vitæ spem habeamus. Quare Dauid, *Psalm.* 118. clamabat multum inusitatè, vt placet D. Hilar. *Confige timore tuo carnes meas.* Psalterium Ambrosianum legit. *Confige clauis à timore tuo*, cui consentit Cyprianus *lib. 2. cap.* 20. Necnon & Aquila ponit: *Clauis confixa est à pauore tuo caro mea.* Recurrat delicata anima ad flabelli auras, quibus recreetur facies; quæ autem viuere velit immortalis, non facie auras, sed carne, & membris omnibus, & sensibus omnes excipiat clauos, ne possit viam arripere vitæ contrariam. Ex quo Germanus Constantinopolitanus, *orat. 1. in venificam crucem*, apud Gretserum nostrum, *tom. 2. de cruce*, fatur: *Imitatur Christum, qui diuina mortis carnem suam clauis affigit, mundo crucifixus & mortuus. Claude tuos oculos, cùm quid delectabilium occurrit. Claude os tuum, cum consistit aduersus te peccator calumnians. Liga manus tuas, ne extendantur ad actiones animæ damnosas. Colliga simul & pedes, si conentur currere ad denias; &, vt paucis dicam, confige manus & pedes timore eius, qui manibus, & pedibus ligatus, & ad pœnam expositus est.* Itaque omnia membra, vniuersos sensus externos, & internos vel trabalibus clauis configere debes, si de fontibus Saluatoris vitam æternum duraturam accipere velis. Hinc ipse Saluator aiebat ad Sponsam, Cantic. 8. *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum.* Iam non spiraculum promittit, quando expertus est, quàm fragilis sit vita, quæ solis vult pendere ab auris; sed se totum, & clauis, & spinis horridum offert, vt ponatur in corde, & in brachio, imò vt infigatur, sicut sigillum solet infigi ceræ signandæ. Non enim firma est vita, quæ iis non infigitur clauis. Pulchrè D. Ambros. *Octonar. 15. in Psalm.* 118. ait. *His configitur clauis, qui mortificationem Domini Iesu in corpore suo portat. His clauis configitur, qui meretur audire. Pone me vt signaculum supra cor tuum, vt sigillum in brachium tuum. Infige ergo pectori tuo, & cordi tuo hoc signaculum crucifixi; infige, & brachio tuo, vt opera tua peccato mortua sint. Nihil in his criminis reuiuiscat, nihil erroris resurgat.* Ecce tibi, ex quo habes Christum vt signaculum, habes fortissimos clauos, quibus in vita poteris confirmari, non ergo ad auras facie excipiendas recurras, recurre ad clauos, recurre ad Christi mortificationem, qua & cor, & pectus, & brachia, & omnes sensus configantur, ne possint in errorem deturbari. Sic erat confirmata illa anima, de qua Isaias fatur, *cap. 33. Oculi tui videbunt Ierusalem, ciuitatem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur claui eius, &c.* Et quidem nunquam probaui ædificia auris pendentia, vt aiebat ille: *Aere nec vacuo pendentia Mausolæa:* non ea est ciuitas Christiana, quæ pendeat auris, sed quæ fortissimis, trabalibúsque nitatur clauis, Christi mortificationem amplexata. Sic Dei filius Ecclesiam suam non pendere fecit aere vacuo, sed fixit clauis, vt dicat Theodotus. *orat. de Christi Nat. in Append. 5. ad tom. 6. Concilij Ephes. cap. 2. Noli despicere clauos quibus Orbem terrarum Christus ad vnum sensum pietatis infixit.*

Rom. 6. — *D. Brun.* — *Psalm. 118.* — *D. Hilar.* — *Cyprian.* — *German.* — *Cant. 8.* — *D. Ambros.* — *Isai. 33.* — *Theodot.*

Genes. cap. 2. Tulit ergo Deus hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum, præcepítque ei dicens: Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni, & mali, ne comedas; in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris.

§. VII.

Immaculata Beatæ Mariæ conceptio adstruitur.

QVem ad imaginem suam formauit Dominus hominem, vide quo in loco illum constituat; non quidem in communiter facto agro, nec in communiter factis nemoribus, sed in singulari, & à Deo separatim elaborato voluptatis Paradiso. Et credat quis, quòd ipsissimam imaginem suam, nempe dilectissimum, & coæqualem Filium ponat Deus Pater in communiter factæ mulieris vtero? Sanè, tertio die, per vnam solùm vocem condidit Dominus, & campos omnes, & nemora, & syluas. Ait enim Genes. 1. *Et ait, Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum, faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita. Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum, lignúmque faciens fructum, & habens vnumquodque sementem secundum speciem suam.* Ecce tibi per Domini præceptum, & campi replentur vbertate, & nemora fiunt, & ligna pomifera in hortos dantur, denique totus mundus hortus erat, lignis,

Gen. 1.

& salutiferis graminibus scatens. Nihilominus Adamo, ad imaginem Dei creato, alius hortus paratur, ait enim Genes. 2. *Plantauerat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis*: & quando plantauerat? An in communi tertij diei plantatione? An cum omnibus alijs nemoribus, similiter & Paradisum hunc effecit? Absit, plantatio enim Paradisi præparari diuinæ imagini, nihil cum cæteris commune habuit, sed debuit separatim eum præcipua Dei cura, & propria eius manu procurari. Huc spectans D. Basil. *hom. de Paradiso*, fatur: *Superiore loco dictum est; Educat terra herbam fœni; & lignum fructiferum seminans semen, faciens fructum. Hic Paradisus siquidem lignis consitus esset vniuerso Orbi communibus vtique in primigenia illa generatione contineretur, nec hæ arbores, quæ præsenti loco commemorantur à Deo in Paradiso plantata, opus habuissent eximia hac, & à cæteris selecta plantatione. Iam quidem tanquam inter vtrusque discrimen sit, Scripturæ verbis docetur in Paradiso arbores fuisse, à Deo præcipua quadam, & peculiari diligentia constitutas. Nam quemadmodum hominem à cæteris animantibus discreta, ac singulari dignatus est formatione, itidem, & homini apparauit suáque condidit manu peramœnam, ac delitiis omnifariam diffluentem mansionem.* Quid pulchrius? Licet Paradisi ligna in se spectata, ea sunt quæ possent contineri in primigenia illa omnium arborum communi plantatione; nec ipsa ex se peterent eximiam aliam, & ab omnibus discretam plantationem: tamen quia dantur hominum primo in habitaculum, vt ipse singulari Dei formatione, & ab omnibus alijs discreta constitit, sic eius habitationis locus præcipua debuit, & ab alijs discreta plantari consitione. Vides rationis vim a Basilio excogitatam pro eximia Paradisi plantatione: & nequit fieri, quod eadem non conuincat putare, animatum Paradisum Mariæ minimè contineri in communi hominum generatione. Et quidem si Mariæ natura in se spectetur, ea est, quæ posset contineri in illa communi filiorum Adami generatione, & ipsa ex se nullam aliam eximiam magis, & puriore conceptionem peteret. Nihilominus ex munere filio Dei exhibito, efficaciter conuincitur magnum esse discrimen inter conceptionem Mariæ, & cæteras filiorum Adami conceptiones. Quemadmodum enim nouissimum virorum Iesum, à cæteris omnibus discreta, ac singulari dignatus est Dominus formatione; itidè & illi apparauit, suaque condidit manu, & purissima, singularissimáque conceptione formauit Mariani vteri mansionem. Inde enim dignum Deo habitaculum ostenditur, quod vel à primordio sui esse, diuinos in se ostendit receptos fauores. Hæreticorum ora negantia à Deo potuisse assumi hominem, ob hominis indignitatem respectu Dei; sic obstruit Theodotus, *hom. 1. de Nat.* quæ habetur *tom. 6. Concilij Ephes. cap. 6*, quippe ait: *Nil igitur mirum, nil incredibile, nil nouum, si in homine habitauit Deus, quem ad suam imaginem formatum beneuolè mox complexus est. Suum namque erga hominem consilium in ipso statim creaturæ primordio declarauit.* Sapienter bonus Pater, hominis assumpti in Dei habitaculum incredibilitatem tollit, ex eo quod accidit in primæua hominis conditione. Quod enim animal mox, vt condebatur, diuinas experiebatur in se manus, & brachia, quòd & tunc in Dei amplexu erat, & in osculo sancto, quando vitam ex spiraculo diuino hauriebat, iam vel in iis primordiis se & Dei habitaculum fore ostendebat. Sunt hæ habitaculi diuini propriissimæ notiones, ne putes aliud in Maria factum, quando enim in illa habitauit Deus, iam à primordio ipsius consilium circa illam ostendit, ne sub communi lege conspergeretur.

Genes. 2.

D. Basil.

Theodot.

§. VIII.

Patriæ vilitas nihil officit strenuis viris.

INter limosa, & vilia factus homo, statim assumitur à Deo, & locatur in Paradiso; vbi enim noster legit: *Tulit ergo Deus hominem, &c.* legit D. Ambros. *Apprehendit Deus hominem quem fecerat, & posuit eū in Paradiso.* Nec vilitas natiui loci, nec totus ille limus, inter quem factus, & natus fuerat Adamus, obstitit, quominus à Deo apprehenderetur, & portaretur in Paradisum, tantóque præficeretur loco, in quo regiè viueret. Nec vnquam patriæ vilitas strenuo viro obesse poterit, quominus promoueri debeat ad altiora vsque dignitatum loca. Rem in præsenti tractat D. Ambros. *lib. de Par. cap. 4.* indigitans Adamum vili, Euam autem præstantissimo natam loco; nec patriæ præstantia hanc iuuit, nec illi vilitas offecit: quippe ait: *Extra Paradisum vir factus est, mulier intra Paradisum, vt scias, quòd non loci, non generis nobilitate, sed virtute vnusquisque gratiam sibi comparas. Denique, extra Paradisum factus, hoc est, in inferiori loco, vir melior inuenitur. & illa, quæ in meliore loco, hoc est, in Paradiso facta est, inferior reperitur.* Non equidem præstantia patriæ prodest, nec vilitas officit, quominus quis præstantissima quæque sibi præoccupet. Nazianzeno vilitatem patriæ obiiciebant Constantinopolitani Hæretici; quos ille maximè irridet, & multis conficit *Orat. 25.* & inter alia notat magni Samuelis patriam, de qua 1. *Reg. 1. Fuit vir vnus de Ramathaim*: expende, quæ patria assignetur viro tanto, Regum electori; nimirum Ramatha, angustum, & vile oppidum. Ad quæ Nazian. suprà: *Me verò Samuelis quoque Ramatha mouebit, parua, inquam, magni illius viri patria, quæ Prophetæ dedecori minimè fuit, nec à se ipsa potiùs, quàm ab eo honorem consecuta est, nec ei impedimento fuit, quominus Deo, prius etiam quàm in lucem prodiret, donaretur, & oracula ederet, & futura prospiceret, ac præterea Reges, & Sacerdotes vngeret, atque ex claris ciuitatibus ortos regeret, ac gubernaret. Numquamne de ciuitatibus gloriari desines? Nondum dico aurum in arenis nasci, & pellucidos lapides è petris produci, & donari, &c.* Vtinam vel inde aurum vili æstimaretur ab hominibus, quòd viles inter arenas nascitur; sed sciunt homines, quam parum natiui soli vilitas officiat rebus pretiosis, quominus in pretio, & æstimatione sint. Vbi enim præstantia hominis apparet, parum refert, quòd incognitam, & vilem habeat patriam, quòd paruæ sit incola ciuitatis. Pro quo etiam D. Chrysost. *hom. 4. de verbis Isaiæ*, fatur: *Nec mihi narra, quod Romanorum vrbs magnitudine spatiosa est; sed ostende mihi illic populum æquè cupidum audiendi. Nam Sodoma turres habebant, cum Abraham in tugurio moraretur. Attamen venientes Angeli Sodomas præteribant, ad tugurium deuertebant. Ita sanè aliàs desertum habebat Ioannem, ciuitas Herodem, eòque desertum nobilius erat ciuitate.* Ecce tibi, vel tuguria, vel deserta loca nihil obfuerunt suis incolis, quin potiùs tales incolas habuerunt, quibus supra ciuitates amplissimas, & Deo, & Angelis, & hominibus spectabilia fuerunt.

D. Ambros.

D. Ambr.

1. Reg. 1.

Nazian.

D. Chrys.

§. IX.

Magna hominis miseria, quòd ipse ex se, neque ad veras delitias velit ire.

CRediderim, quòd homo inter limum factus, vt primùm vidit, aut agnouit deliciarum Paradisum, ad illum euolaret ocissimè. Sed post perfectum hominem, ecce audio dicentem Scripturam: *Et tulit Deus hominem, & posuit eum in Paradiso.* siue vt D. Ambros. legit: *Apprehendit Deus hominem, &c.* Deus ipse hominem apprehendit, & tulit in Paradisum voluptatis. Et cur necessum fuit apprehendi hominem à Deo, & ferri in Paradisum? Nonne ipse ex se libens, & spontaneus curreret, imo euolaret in tantas delitias? Is est sanè homo, qui, si sibi relinquatur, minimè in veras delitias, & patentissimas velit ire Matth. cap. 22. ait Dominus: *Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias, & nolebant venire.* Non ad bellum, non ad crucem, sed ad nuptiarum solemnia, ad cantus dulcissimos, ad gaudia festiuissima vocabantur: & nemo volebat ire; vsque dum ipse Dominus dicit minitro, Luc. 14. *Compelle intrare, vt impleatur domus mea.* Nescio an magis expendi posset hominis fragilitas, quòd nisi vi adductus, & tractus ipse ex se, nec ad festiuissima gaudia velit ire. Meritò ait D. Chrysost. *hom. 70. in Matth. Quid igitur dementius inuenitur, quàm cùm in nuptias vocaris resilire?* Quid necessum est, homo, vt traharis, vt impellaris ire ad nuptias cœlestes? Ad gaudia vocaris, inenarrabiles te vocant delitiæ, cur non magis euolas ad illas? Ea est humana siue fragilitas, siue dementia, quòd sibi relictus homo, nec ad vera gaudia eat, sed trahendus sit ad illa. Hinc Sponsa diuinissimi sui Sponsi delitias prænoscens clamabat, Cantic. 1. *Trahe me post te.* Cur trahi expectas, ô fœlix anima? Cur tu ipsa non curris, non euolas? Sponsus adest delitiis, & diuitiis plenus, vbi ad illum accesseris, nihil non iucundum, & diues senties. Nihil est, quod accessum impediat, imò ipse vocat accedentes: *Venite ad me, ego reficiam vos.* Cur ergo ad tam patentia bona non properas? Cur deduci, & trahi expectas? Ea est infirmitas nostra, vt nec ad patentia bona ire velimus, nisi feramur ad ea. Ait D. Bernard. serm. 21. in Cantic. *Quid? Sponsane ergo necesse habet trahi, & hoc ad sponsum? Quàm pauci post te, ò Domine Iesu, ire volunt, cùm tamen ad te peruenire, nemo sit, qui nolit, hoc sentientibus cunctis, quia delectationes in dextera tua vsque in finem.* Nemo est, qui ignoret Christi delectationes, eius & ditissima, & suauissima, & firmissima bona, ad quæ ferri, & subitò rapi omnes volunt,

D. Amb.

Matth. 22.

Luc. 14.

Chrysost.

Cant. 1.

D. Bern.

volunt, ad illa per se & ex se ire, nullus volet. Petro fidelissimo amatori suo dicebat Dominus, Ioann. 21. *Cum autem senueris, alius cinget te, & ducet, quò tu non vis.* Et Petro, properanti ad Christum, dicitur, quòd ad Christum ire non vult. Sanè Paulus aiebat: *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Cur Petrus non vult similiter esse cum Christo? Cur non vult ire ad illum dilectissimum, & desideratissimum? Ibi exprimitur, quæ sit humana voluntas, si relinquatur sibi, ad nullum verum, & solidum bonum volet ire. Id quod pulchrè explicat D. Chrysol. apud Tilmannum, *in Alleger.* fatus. Ducet, quo tu non vis. *Nunquam ouis ad caules perueniet, si pro suo libito peragatur. Nunquam scientiam discipulus poterit obtinere, si totus pro sua voluntate contenderit. Ægrotus quoque nunquam poterit recipere sanitatem, si pro suo curatus fuerit arbitrio.* Vanè putatur quis iturus ad bonum sibi conueniens, licèt patentissimum, licèt plenum delitiis, si vni relinquatur sibi.

Ioan. 21. *D. Chrys.*

§. X.

Conuenientissimum esset Regi per se agriculturam exercere.

PRimus hominum, & animalium Rex in Paradiso constituitur, vt operaretur illum; & quidem quando, nec Paradisus egebat cultura, sine qua vberrimos fructus sponte daret; nec Rex egebat agri prouentibus, vt cui nunquam defecturi ad manum erant fructus. Vt quid ergo Rex abundantissimus operaretur? Vt quid ipse operam nauaret agriculturæ? Non equidem, quia egens, sed quia Rex; ne inueniretur subditus, qui contemneret diuitiarum illos fontes notissimos, & populorum semina fœcundissima. Accipite D. Ambr. *lib. de Parad. cap. 4.* sentem: *Quamuis Paradisum operibus ruralibus non egeret, tamen quia primus homo lex posteritatis futurus erat, ideò legitimi etiam in Paradiso specimen suscepit laboris.* Planè Princeps, & Rex, qui cæterorum omnium lex est; vel hoc ipso præclarissimè aget, si colendis agris legitimi laboris specimen ipse suscipiat. Nil indecens, quòd Rex per colonos suas ingentes segetes numeret; *præscribátque suas ipse Senator oues*, vt ait Ouid. *lib. 1. Fastor.* imò hoc Reipublicæ vtilissimum, & populorum multiplicationi valdè proficuum. Rideres Adamum Regem sine milite, sine satellite, habentem pro subditis pecora, pro sceptro ligonem, quo operaretur. Qualis hic Rex, cui ligo sceptrum est, cuius subditi pecora sunt? Imò, quia solus, & vnus erat Rex sine subditis, data sunt illi & pecora in tutelam, & in sceptrum ligo; vt sciret nullo magis posse, & ditissimum, & populosissimum regnum acquiri, quàm si Rex, & pecuarius, & agricola existat, suásque oues, & segetes numeret. Hoc docebat D. Th. *lib. 2. de Regim. Principum, cap. 5. & 6.* in cuius confirmationem adducit Salomonem, Regum sapientissimũ, & opulentissimum, qui, Ecclesiast. *cap. 2.* de se ait: *Magnificaui opera mea, ædificaui mihi domos, & plantaui vineas, feci hortos, & pomaria, & conseui ea cunctis generis arboribus. Et extruxi mihi piscinas aquarum, vt irrigarem syluam lignorum germinantium. Possedi seruos, & ancillas, multámque familiam habui; armenta quoque, & magnos ouium greges vltra omnes, qui fuerunt ante me in Ierusalem.* Erant quidem Salomoni ingentes auri, argentique thesauri, immensa lapillorum pretiosorum copia; & inter tot diuitias opulentus nihil egebat, & nihilominus Rex aureus voluit fieri agricola, & pecuarius, habens armentorum, ouiúmque greges; & diuites vindemias, & messes faciens. Et quanto id fructu? Regalium diuitiarum incredibili augmento, & non minori populi vtilitate: quippe, de hoc Salomonis tempore ait Iosephus, *lib. 8. c. 2. Mirandum in modum per id tempus aucta sunt res Hebræorum, & tribus Iuda, populo ad agrorum colendorum studium conuerso, &c.* Et Iosepho longè melius, & explicatius ait de eodem tempore, *lib. 3. Reg. c. 4. Iuda, & Israel innumerabiles, sicut arena maris in multitudine, comedentes, & bibentes, atque lætantes.* Sub Rege pecuario, & agricola nullus fuit, qui ad rem rusticam non conuerteretur, qui operam, vel pecoribus nutriendis, vel agris colendis non nauaret; quo prouentus exundabant, copia rerum necessariarum infinita prope erat, vnde populi multiplicabantur instar arenæ maris. Id forsan diceret de se Hispanorum natio, dum vel in argenteis nummis excudebantur aratra, & omnes Principes arabant; per id tempus auctæ erant Hispanorum res mirum in modum; erant Hispani homines innumerabiles sicut arena maris, comedentes, & bibentes, & lætantes. Ex quo in argenteis rarescunt aratra, & non cernitur, vel vna ouis, quæ Regis, aut alicuius Principis sit; imò nec vna spica in Principum area cernitur, deserti sylvescunt agri, ciuitates pereunt, homines rarescunt, & penuria rerum maiores in dies minatur calamitates. Sapientissimè noster Pineda, *lib. 6. de Salomone, c. 20.* attribuit Salomoni rusticanti illud Psal. 71. *Et erit firmamentum in terra, in summis montium superextolletur super Libanum fructus eius, & florebunt de ciuitate, sicut fœnum terræ.* Vbi noster posuit *firmamentum*, habet textus Hebræus, *frumentum*: nec vllus est Commentator, qui ibi non intelligat frumenti copiam nasciturum in summis montium. Quasi hoc vtilitatis veniat à Rege rusticante; quòd non solum plana, & pinguia, sed etiam montium summa fastigia, quæ tritico serendo, & serendo importuniora sunt, iam hæc etiam tritico abundent. Quam laudem Regi Massinissæ tribuebat Valer. Max. *lib. 8. c. 3.* inquiens: *Iungam duos Reges, quorum diuturnitas populo Romano fuit vtilissima. Siciliæ Rector Hiero ad nonagesimum annum peruenit. Massinissa Numidiæ Rex hunc Modum excessit.* Et quid magnum fecit Massinissa in diuturna vita? Ait: *Terram, quam vastam, & desertam acceperat, perpetuo cultura studio frugiferam reliquit.* Hoc ad magnam laudem regalissimi cuiusuis regis facit plurimũ, quòd sub eius studio, etiam sterilia montium cacumina messibus cogantur seruire. Laudatissimum hoc de Salomonis tempore, quòd erat frumenti copia in ipsis aridis montium cacuminibus. Quid tunc? *Florebunt de ciuitate sicut fœnum terræ.* Chaldæus: *Germinabunt de ciuitate Ierusalem, sicut fœnum.* Ad mensuram palearum frumenti multiplicantur ciues, & populi crescunt. Rerum necessariarum copia auget regna, & populos ciuibus replet; hæc autem copia tunc est, cùm Rex, & Principes rei rusticæ operam impendunt. Vbertatis Romanæ mirandum incrementum expendens Plinius *lib. 18. cap. 3.* ait: *Quænam ergo tanta vbertatis causa erat? Ipsorum tunc manibus Imperatorum colebantur agri (vt fas est credere) gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore: siue illi eadem cura semina tractabant, qua bella, eadémque diligentia arua disponebant, qua castra: siue honestis manibus omnia lætius proueniunt, quoniam & curiosius fiunt.* Vtinam non tantum auri, argentive fodinis daretur; vtinam non solæ pecuniæ annuis censibus expectarentur, nec in hostilibus spoliis diuitiarum augmenta solum ponerentur; sed æquè curarentur à Principibus suorum agrorum prouentus, inde regna crescerent. Non enim ait Psal. ab auro, & argento annuo, *sed à fructu frumenti, vini, & olei multiplicati sunt*, vtinam vt Senatorum regalium conuentus intentus est computandis, colligendísque nummorum minutiis, pro quibus vilissimi cuiusque hominis res potius in tabernis minuitur, simul intentus esset computandis iuuencis, agnis, ponderibúsque lanæ, frumenti, vini, & olei, quæ de regiis caulibus, aruísque accrescunt. An hoc minus regium? Sanè pro Rege Deiotaro orans Cicero apud Cæsarem, sic Regem extollit: *Multis ille quidem gradibus officiorum erga Rempublicam nostram ad hoc regium nomen ascendit; sed tamen quidquid à bellis populi Romani vacabat, cum hominibus nostris consuetudines, amicitias, res, rationésque iungebat: vt non solum Tetrarcha nobilis, sed optimus paterfamilias, & diligentissimus agricola, & pecuarius haberetur.* De re pecuaria, & rustica Rex nobilis, & bellicosissimus laudatur, & laudatur ab eloquentiæ principe, & apud Cæsarem; nec esset illa ars ingrata Cæsari, quam Paladius Palatinus Comes Valentiniano Imperatori multis persuadebat, vt author est D. Th. *de Regim. lib. 2. c. 5.* & in suo Theodosio mirum in modum Pacatus commendat.

D. Amb. *D. Thom.* *Ioseph.* *3. Reg. 4.* *Psal. 71.* *Val. Max.* *Plin.* *Cicer.*

§. XI.

Noua, & extraordinaria Dei gratia requiritur, vt quis in virtute stet, ab honesti laboris occupatione prorsus vacuus. Qui autem bonis operibus occupatur, illis tutissimè custoditur.

MIrabar quòd fœlicissimo Adamo, & sanctissimo, & innocentissimo opus fuerit à Deo iniunctum, & opus quidem, vt diximus, minimè ad vitam sustentandam necessarium. In Paradisi omnia sponte producentis solo positus Adamus, nullius indigus, de elaboranda terra consilium accipit, quippe, *Posuit eum in Paradiso Dominus, vt operaretur, & custodiret illum.* Cur opus præscribitur viro tanto, nisi quia ad seruandos Sanctos hoc petit prouidentia Dei ordinaria? Quòd enim quis, ab honesti laboris occupatione alienus, seruetur in sanctitate, hoc non ordinariæ prouidentiæ est, sed nouam, extraordinariam, & rarò vsitatam postulat Dei gratiam, quam tantam non requirit, qui bonis operibus incumbit

cumbit, sub quorum tutela securus agit. Post sex dies creationis diuinis operibus plenos, ait Gen. c. 2. *Requieuit Dominus die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat. Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere, &c.* Vidisti diem illustrem creatione lucis formosissimæ, & diem nobilissimum Solis, & stellarum conditione, & diem ditissimum plantatione pomiferarum arborum, siue ouium, & armentorum productione. His tamen diebus non benedicit Dominus, vbi autem peruenit ad diem septimum, hunc benedictionibus, & sanctitatibus implet, & tunc primùm ad verbum, *benedixit*, addidit aliud nouum, & antea inusitatum, nempe, *sanctificauit*; quo nouum cumulum sanctitatum in illo die positum indigitat. Cur non magis has benedictiones, hos sanctitatum cumulos præstat Deus alijs diebus clarissimorum operum plenissimis? Sanè alijs opera illa sufficiebant pro benedictione: septimus autem dies, vt ab omni honesti laboris erat vacuandus exercitio, sic nouis benedictionibus, nouis & inusitatis sāctitatum gratiis egebat, vt posset annumerari inter bonos dies. Nouum enim est, & inusitatum diuinarum benedictionum facinus, quòd quis in sanctitate stet, ab omni laboris honesti exercitio liber. Aiebat D. Chrysost. *hom. 10. in Genesim:* Nihil aliud die septimo producere voluit Deus, eò quòd omnia, quæ facere voluerat, omnia perfecta erant. Et vt habeat etiam dies ille aliquod & verbum, & nomen suum, & ne videatur minus aliquid habere, eò quòd nihil in eo factum sit, benedictione ipsum dignatus est. Et benedixit, inquit, Deus diem septimum, & sanctificauit illum. *Quid igitur, non erant & cæteri dies benedicti? Etiam profectò, sed sufficiebat illis pro omni benedictione, quòd in singulis illis creaturæ productæ fuerant. Et ideo de illis non inquit, Et benedixit, in solo autem septimo hoc dixit, & apposuit: Et sanctificauit illum. Deinde, docens nos Scriptura causam, propter quam dixit, Et sanctificauit illum, adiecit; eò quòd in illo requieuerat ab omnibus operibus suis.* Ecce tibi diem ab omni laboris occupatione vacuum, sed vt is vacuus ita erat, sic nouis benedictionibus, extraordinarijsque sanctitatum rigatur fontibus, vt possit inter bonos, & fœlices dies adscribi. Opera enim, & honesta occupatio securissimam tutelam homini afferunt: vbi illa deficiunt, necessariæ sunt nouæ, & extraordinariæ vigiliæ gratiarum diuinarum, vt homo in bono custodiatur. Notissimum est, iter a Tobia iuniore susceptum, pro pecunia recuperanda in parentum subsidium aliquale. Ad hoc iter peragendum, boni parentes prouident filio fidum socium, Deus autē dilecto seruo prouidet Angelum. Sic enim habes Tob. cap. 5. *Egressus Tobias inuenit iuuenem splendidum, stantem, præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum. Et ignorans, quod Angelus Dei esset, &c.* Ecce tibi nec permittitur a parentibus Tobias iter arripere, quin sibi socium, & commilitonem prouideat, nec à Deo permittitur exire de paternis domibus, quin illi paret pro socio, & tutela, Angelum. Non sic cum Iacob factum est, qui, Gen. 28. dimittitur à parentibus in Mesopotamiam, & à Deo etiam in adeò longam viam mittitur, solus sine socio, sine commilitone, sine adiutorio vllo. Sic ipse Iacob testatur Gen. 32. *In baculo meo transiui Iordanem istum, &c.* Nec vnquam desinam mirari, quod parentes sic solum dimittant filium dilectissimum in tam longam peregrinationem, imò quod Deus validissimus, & oculatissimus protector illius seminis, nec seruulum vllum, nec Angelum visibiliter mittat pro custodia & socio illius, vt Tobiæ misit. Quin potiùs præstantissimus Iacob solus egreditur a domo paterna, solus arripit iter, solus superat non paucas peregrinationis mensuras. Quid tandem? ait, Gen. 28. *Cúmque venisset ad quendam locum, & vellet in eo quiescere post Solis occubitum, tulit de lapidibus, qui iacebant, & supponens capiti suo, dormiuit in eodem loco. Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam.* Compone modo Tobiam & Iacobum. Angelos vigilantes cum Iacobo ipso dormiente: Tobiæ, dum ad viam capessendam vigilat, vnus Angelus visibiliter apparens datur à Deo & socius, & custos in itinere. Iacobo proficiscenti in Mesopotamiam, à domibus paternis egredienti, nec vnus socius datur, nec in socij, aut custodis figura visibili Angelus ei mittitur. Vbi autem à viæ labore defessus quiescit, & somno indulget, ecce tibi dantur super illum Angelorum millia per scalam ascendentia, & descendentia, insuper & Deus ipse omnipotens innixus scalæ affatur, illi dicens, *Ero custos tuus quocunque perrexeris, &c.* Quod meditans Rup. lib. 7. in Gen. cap. 22. ait: *Hac planè magna est dignatio supernæ propitiationis, quæ super hunc peregrinum talemve profugum viscera sua non continuit, quin properaret ostendere, quàm tutum illi, & semini eius præpararet refugium.* Ecce tibi singulare Dei refugiū, & patrocinium. ecce Angelorum millia obsequia, excubias mille, vt totus Deus cum omnibus Angelis suis videatur in illud solum intendere, vt in tuto sit dormiens ille peregrinus. Et cur hæc non ostenduntur magis vigilanti, & iter agenti, & per ardua, & accliuia itineris laboranti? Cur dum operam dat viæ suæ Tobias, vno solo Angelo muneratur; & Iacob dum viæ dat operam, nec vno socio gaudet, sed solus relinquitur, & dum quiescit ab omni labore, & dormit, tunc nouo, & inaudito modo Deum, & innumeros Angelos excubitores, & custodes nanciscitur? Sanè tunc solùm noua, & multiplicia, & inusitata auxilia Dei requirit homo, vt in tuto sit, quando ipse ab omni labore, & opere feriatus decumbit. Nihil agens, sed dormiens homo, vt illæsus conseruetur, & in sanctitate se contineat, nouum Dei omnipotentis miraculum est, & necessariæ sunt pro illo, omnium cœlestium excubiæ. At qui operibus se exercet, honestosque labores subit, is pro sufficienti custodia habet opera bona sua, labores suos: vel solus inter bona opera, & labores bonos, communibus auxilijs, quasi inter fortissimos custodum exercitus securus viuit. Ait Cant. 3. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiūt ex fortissimis Israel omnes gladios tenentes & ad bella doctissimi.* Lectulum Salomonis puto Mariæ viscera, in quibus verus Salomon, Rex pacificus Iesus quietēm inuenit sibi. Sed quæ est hæc armata bellatorum phalanx? Nullus vnquam circa Mariam visus fuit armatus miles, nisi pro milite armato intelligantur eius opera virtutum. Planè Maria perfecta operatrix Paradisi, sic inter opera sua agebat, quasi esset inter custodum exercitus fortissimos. Ad hæc eleganter Card. Alanus apud Delrium nostrum in præsenti, inquit: *Per hos fortes, intelligitur bonorum operum vniuersitas, quæ sunt fortia contra dæmones, & vitia. Per sexaginta, perfectissima opera exprimuntur, quæ vndique beatissimam Virginem muniebant suæ exercitatione, & intentione, quæ per fortes Israel figurantur. Quia semper Virgo Maria meliora, & fortiora opera habuit, quæ ad sui custodiam deputauit.* In qua erant præstantissima opera pro excolendo animæ suæ Paradiso, non requiras in illa alias armatas phalanges; opera namque virtutum sunt, pro validissimis militibus, quibus possit custodiri quisque.

Gen. 2. — D. Chrys. — Tob. 5. — Gen. 32. — Gen. 28. — Rupert. — Cant. 3. — Alan.

§ XII.

Nullus magis cauendus, quàm domesticus hostis.

NOn erat equidem latro, non fur, non mala bestia circa Paradisum, & iubetur Adamus custodire Paradisum, ait enim, *vt operaretur, & custodiret illum.* A quo custodiret, quando omnia erant, & domestica, & amica? Sanè custodiret sibi Paradisum non ab hostibus, & latronibus, sed à domesticis suis, quando nullus periculosiùs solet desæuire, quam desæuiunt domestici ipsi. Lamentatus est ipse Adamus prædam Paradisi, & Eua fuit charissima, & amantissima vxor, quæ illum spoliauit Paradiso. Similiter lamentabatur Sponsa Cant. 1. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Non ab hostibus, sed à fratribus magis deploranda prælia producit. Ad hæc D. Ber. ser. 29. *Nonne sponsa prudentiam, id expressius plangit, quod sentit differentius, quódque vigilantiùs nobis cauendum existimat. Quidnam hoc? Malum vtique intestinum, atque domesticum.* Expende illud, *vigilantiùs nobis cauendum*, non, mihi crede, sic vigilandum nobis est, ne feriamur ab hoste, quam ne perdamur ab amico, & domestico. Domesticorum iacula qui cauit, patet à se præstantissimum esse opus in sui tutelam perfectum. Aduersus superbissimos, & impiissimos Babelis ædificatores exacerbatus Dominus ait, Gen. 11. *Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocē proximi sui. Atque ita diuisit illos Dominus ex illo loco in vniuersas terras.* Et illorum superbiam castigat Dominus, & simul illis consulit, dum illos in longissimas terras diuidit. Et quanto illorum bono diuiduntur? Sanè, in hac diuisione cauit Deus domesticorum insidias, tunc putans rectè actum esse cum humano genere, si occasio omnis præscindatur belli ciuilis, quod est omnium perniciosissimum. Sic pulchrè canit Claudius Marius Victor. lib. 3. in Gen.

Cant. 1. — Gen. 11.

Quamuis vltio iusta
Hæc fuerit, quos non tetigit reuerentia cœli,
Vt nec se agnoscant, verba inconsueta loquentes:
Attamen id multum, quod rupto hoc fœdere cautum est.
Ne prælia dura,
Et rabido populis mors accessura furore

Bellum

Bellum illis ciuile foret: sit profuit illis,
Inque bonum versa est prima distractio linguæ.

Ecce tibi generis humani diuisio vtilis fuit, quia per illam cauit Deus, ne domestica prælia, & ciuilia forent: vbi enim homines separat ab inuicem, & per dissita loca spargit, simul facit, ne quæ necessum est, vt veniant scandala, veniant inter domesticos, sed inter disiunctissimos. Timendum enim esset, dum homines erant labij vnius, & inter se coniunctissimi, ne tunc domestica aliqua pugna prosiliret, quę hominū genus faceret perire. Hanc cauens Deus, vt genus hominum custodiret, illud diuisit, sicque in bonum versa est distractio linguæ. Vt autem Deus diuisit homines, cauens domestica dissidia, vt nocentiora; sic diabolus homines coniunxit, vt faciliùs perderet mundum. Ait D. Chrysol. ser. 96. *Ex vno homine Deus omnem repleuit terram, & semine ex vno pius sator totum genus hominum tantam multiplicauit ad messem: sed inimicus mox homines in vnum redegit omnes: & superseminando mala, deleuit diluuio, non rigauit.* Expende, quid fecerit diabolus, vt ea mala seminaret, quæ omnes homines suffocarent, nimirum ait, *mox homines in vnum redegit omnes*, non tanta clades gigneretur à contrariis, ab hostibus; ideò malus omnes sociauit homines, & necessitudinis, amicitiæque vinculis copulauit, ratus ab amicis, & domesticis, nisi caueantur, orturas clades, quæ extremas pernicies omnibus afferant.

Chrysol.

§. XIII.

Non sic ab alio, vt à crucis ligno Deus homines alit, protegit.

VIde præceptum diuinum pro hominibus alendis, ait enim: *De omni ligno Paradisi comedes:* non in oleribus, non in herbarum seminibus, sed in lignorum fructibus cibum, & alimoniam suis hominibus parat. Cur hoc? Iam ex tunc ostendebat Dominus ex nullo alio, sed ex solo ligno crucis prodituram hominum alimoniam, & substantiam. Ait Psalm. 144. *Oculi omnium in te sperant, Domine; & tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Gratulor Dauidi, qui sic Dei munificentiam exaltat, à qua vniuersa animalia benedictionibus impleantur. Sed illud miror, quòd vt ostendat nos benedictionibus Dei impleri, recurrat ad Dei manus, aiens, *Aperis tu manum tuam, &c.* Sanè nobilis Centurio, vt seruo suo acquireret omnimodam sanitatem, non Dei manus, sed vel Dei verbulum putat esse satis, ait enim Matth. 8. *Tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus*; & verbo solo Deus vniuersa creauit, repleuitque totam terræ, & elementorum vacuitatem. Cur ergo Dauid non ad oris diuini apertionem, sed recurrit ad apertionem diuinæ manus? Cur non dixit, Aperis tu os tuum, sed maluit dicere, *Aperis manum tuam?* Meditabatur Dauid meliorem, & efficaciorem fontem benedictionum, & gratiarum, nempe lignum crucis, in quo extendens, & aperiens manus suas Dominus abundantiori pabulo replet rationabilia animalia. Ad hæc aiebat D. Germanus, *hom. de Festo sanctæ Crucis media quadragesima,* vbi sic ait: *Et nunc nos, quibus ante oculos Iesus Christus depingitur, consona diuino Psalte Dauidi canamus, Oculi omnium in te sperant, & tu das escam illis in tempore opportuno. Sacrificatus enim, & suspensus, propriam carnem edendam apponis illis qui in te spem salutis reponunt. Aperis tu manus tuas expandens eas in cruce, & imples omne animal Patris tui beneplacito.* Vbi ad mundi opificium accedis Domine, dicis, & vniuersa fiunt; verbum facis, & bona omnia producis, mala abigis: verùm vbi animal tuum rationale implere disponis, tunc non solis verbis agis, sed aperis tu manus tuas expandens eas in cruce, & nullus est benedictionum, vitæque fructus, quem inde hominibus tuis oriri non facias. Non sic ab alio vt à cruce visus est Dominus parare alimentum vitæ homini suo. Gen. 2. dicit: *Produxitque Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue. Lignum etiam vitæ in medio Paradisi, &c.* Quibus notandum est verbum illud, nimirum, *lignum*, quod dici consueuit de iis, quæ scissa sunt, & vel igni, vel operi alicui struendo parata; quæ autem non sunt scissa, sed in terra manent radicata, vocantur arbores, vel plantæ, aut malus, aut pyrus, aut cupressus. Cur ergo Deus non vocat arbores, nec plantas, sed mauult vocare ligna illa, quæ parat, vt homini præstent vitam? Equidem in voce ligni iam ostendebat, non sic ab alio, vt à ligno dissecto crucis parari posse hominibus alimentum vitæ. Quod notabat Theophanes Cerameus, *orat. 1. in Exaltat. Crucis*, apud Costerum nostrum *tom. 2. de cruce,* inquiens: *Et quid sibi volens Moyses, nec plantam, nec arborem nominat; sed lignum vitæ? Lignum autem post sectionem dicitur. Et lignum vitæ medium posuit in Edem, quasi è supero loco omnibus clara voce prædicens, fore aliquando, vt in medio terræ salutifera Crux plantaretur, vitæ largitorem ex se suspensum ferens.* Non sic vniuersæ arbores, vt lignum aridum Crucis vitam fructificant. Nec sic homo ab aliis, vt à Cruce alimentum accipit salutis. Planè Moyses, & Elias nunquam sic clari, & præcellentes visi sunt, vt in monte Thabor: sic enim loquitur Lucas de illis cap. 9. *Erant autem Moyses, & Elias, visi in maiestate, & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem.* Nusquam dicuntur fuisse Moyses, & Elias in maiestate, vt in præsenti dicuntur. Vnde illis hæc maiestas, & claritudo accessit? Eius causam insinuat textus aiens; *dicebant excessum eius*; nimirùm dicebant, crucis mysteria iam iam imminentia. Vbi autem dominicam crucem meminerunt, tantam inde claritudinem, & maiestatem perceperunt, quantam antea non habuit Moyses in Oreb, nec Elias in curru igneo ascendens in cœlum. Ait Timotheus Antioch. orat. in Transfig. & Crucem apud Gretserum nostrum, tom. 2. de cruce. *Similiter autem Moysem, & Eliam, clariores, quàm in viuis fuissent, exhibuit sibi Dominus, futuræ Crucis signa commemorantes.* Percurre cuncta Mosis, Eliæve facinora, dum essent in viuis; siue illum videas maria aperientem, hunc flammas è cœlo trahentem; siue ab Oreb monte descendat Moyses splendēs facie, siue Elias Deum audiat in sibilo auræ lenis; nunquam, mihi crede, sic clari, sic gloriosi, & excelsi apparuerūt, vt visi sunt in Thabor mysteria crucis loquentes. Fœlix qui Deum conuenit, vbi simul affulget crucis mysterium; fallar, si posset inuenire opportuniorem occasionem ad præstantissima quæque consequenda. Matth. 20. ait Iesus: *Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis adorans, & petens aliquid ab eo.* Quid agis mulier? Dominus agit de morte sua, de condemnatione sua, & tu filiorum tuorum procuras commoda? Equidem ad consequenda præstantissima quæque, optimam occasionem inuenit, vbi memoriam crucis vidit affulgere. Sic ait D. Basil. Sel. orat. 24. *Vis mulieris fidem cernere? Supplicationis quære tempus. Quando libellum supplicem offert? Quod postulationis tempus? Crux erat parata, passio apparebat, Iudæorum erat instructus exercitus.* Ex omnibus occasionibus ad bona consequenda, illam præstantissimam inuenies, in qua crucis videas fulgere mysteria.

Pf. 144.

Matth. 8.

Germanus.

Gen. 2.

Theophan.

Luc. 9.

Timoth.

Matt. 20.

Basil. Sel.

§. XIV.

A cruce Domini abstinentia persuadetur.

VT vnius arboris abstinentiam seruaret homo, datæ sunt illi innumeræ & suauissimæ arbores; dicit enim textus: *Ex omni ligno Paradisi comedes, de ligno autem scientiæ boni, & mali, ne comedas.* Ecce tibi vt homo cohibeatur ab vnius arboris fructu, vniuersæ Paradisi arbores illi dantur; sed quam non potuerunt abstinentiam suadere tot suauissimæ arbores, illam vna crucis arbos persuasit. Pulchrè aiebat D. Chrysostom. hom. in Parasceuen apud Gretserum tom. 2. *Dies crucis est, & omnes exultamus & ieiunamus à malo. Parua dico potentiæ crucis miracula. Aspice Orbem terrarum, quot viæ, quot vrbes, quot loca, quot gentes, quot insulæ, quot flumina, quot littora, quot genera, & tribus, & barbarorum linguæ sint, hi omnes propter crucem cibis abstinent, eius vt affectus crucifigunt, & soluitur nox multis, nec soluitur ieiunij labor.* Compone modò Paradisi ligna cum ligno crucis. Ligna Paradisi omnium fructuum suauitatibus plena, non sic traxerunt duos homines ad se, vt illos ab esu vnius nociui arboris reuocarent; crux autem Christi sic potens fuit, vt de omni tribu, & lingua, & natione innumeros homines fecerit ieiunare. Hoc spectās Dominus aiebat, Matth 9. *Venient autem dies, cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt.* Dies ablationis sponsi, dies mortis Christi, dies crucis est, quæ omnium sectatorum suorum poterit ostendere ora ieiuna. Pro quo ait D. August. homil. 12. in feriam quartam Cinerum, apud Bibliothecam homiliarum: *Proinde quia iam sponsus ablatus est, vtique nobis filiis sponsi pulchri illius lugendum est, speciosus enim forma præ filiis hominum inter manus persequentium non habuit speciem neque decorem, & ablata est à terra vita eius: : : Quis non hic lugeat, quis non dicat: Factæ sunt mihi lachrymæ meæ panes die*

Chrysost.

Matt. 9.

D. Aug.

ac

ac nocte? Et meritò ex quo mors Christi apparuit, ex qua per crucem nobis ablatus est; sic increuerunt fidelium ieiunia, vt vix nouerint ora eorum alium panem, quàm lachrymas. Mors Christi in cruce vt apparuit, & cœperunt homines crucis fructus gustare, simul & ieiunium omnigenum cœpit ab hominibus frequentari. Vnde monebat Dominus, Matth. 6. *Tu autem, cùm ieiunas, vnge caput tuum.* Et quæ erat ista vnctio capitis inter ieiunandum? D. Zeno per hanc vnctionem, intelligit vnctionem, qua Christus caput nostrum vnctus est à Magdalena, & qua manuit iam sepulchro destinatus, præparatus. Et sapienter, dum ieiunia commendat Dominus, iubet nos meminisse suæ sepulturæ, suique vncti in sepulchro diuinissimi cadaueris: per gustum enim suæ mortis, & crucis, magis ieiunia clarent. Ait D. Zeno, lib. 1. serm. 11. *Qui Christo concrucifixus est; & non solùm concrucifixus est, sed & consepultus est ei. Hic est, qui vngit caput suum, ieiunans à vitiis, & in operibus bonis Christi odor bonus efficitur.* Nunquam, mihi crede, de gustu crucifixi non venit omnigenum, & perfectissimum ieiunium. Quo tardas crucem spectare, & crucis aliqualem gustum percipere, eo tardas in ieiunia ire. Nec otiosè Paul. ad Rom. 14. vt persuaderet nos abstinere à cibo fratrem scandalizante, Christi crucem ob oculos ponit: ait enim: *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* & fallar, si qui meminit mortem Christi, velit accipere cibos alteri nociuos, & non magis amat perfectum ieiunium. Vt dicat Chrysost. serm. 1. in veneratione Crucis, media Quadragesima, apud Biblioth. homil. in festo Inuentionis Crucis. *Vidistis crucis mysterium, nec in Domino tantùm, verùm etiam in seruis tantum valere. Hoc Petrum Principem fecit, hoc Paulum talem reddidit. Hoc etiam eos, qui ieiuno sunt stomacho, & si abstinent, non ab esculentis modò, verùm etiam à perturbationibus, fortes efficit. Armemus nos, charissimi, vt crucis; armatique ad ieiunium veniamus paratiores.* Sic de crucis gustu saporantur homines ad ieiunium.

Matth. 6. — *D. Zeno.* — *Ad Rom. 14.* — *Chrysost.*

§. XV.

Præcepta prohibentia aliquod ex se licitum, multis concessionibus lenire debet bonus Præsul.

EXpende, maximè diuinissimi mundi Regis ordinem in præceptis dandis: præcepto cauet, ne vnius arboris fructus comedatur, sed minimè id cauet, quin simul innumeras, & suauissimas arbores permittat ad esum: ait enim, Genes. 2. *Ex omni ligno Paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni, & mali, ne comedas.* Vnum vetans, multa largitur; nunquam enim bonus Præsul licita prohibere solet, quin, multis aliis concessis, leniat prohibitionem. Sapienter ad hæc saur D. Gregor. lib. 35. Moral. cap. 10. *Notandum, quòd illic dicitur: Ex omni ligno Paradisi comedite. de ligno autem scientiæ boni, & mali ne tetigeritis. Qui enim ab vno quolibet bono subiectos vetat, necesse est vt multa concedat, ne obedientis mens funditus intereat, si à bonis omnibus penitus repulsa ieiunat. Omnes autem Paradisi arbores ad esum Dominus concessit, cùm ab vna prohibuit, vt creaturam suam, quam nolebat extingui, sed prouehi, tantò faciliùs ab vna restringeret, quantò ad cunctas latiùs relaxaret.* Hæc est boni perfectique Prælati cura, quæ præcepti strictioni adiungat multas concessiones ad alia. Sic semper rigorosa strictio molliendo est, & lenienda speciali, & larga prouisione Prælati in necessariis, Cant. 4. *Quàm pulchra sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa:* quam in vno crine colli, & in vno oculorum laudauerat, vbi ad mammas ventum est, non de vna mammilla illam laudat, sed duas requirit mammas. Et cur in sponsa sua duas mammas requirit Dominus, nisi vt subditorum stricta disciplina multis debeat leniri, temperari? Accipite Gillib. Abbatem, serm. 31. in Cant. fatentem: *His vberibus geminus ergo subditos abundare debet, qui Doctoris, & Patris in Ecclesia locum occupat, his muniri mammis à dextris, & à sinistris, vt qui ei commissi sunt, potentur à lacte, & satientur ab vberibus consolationis. Harum alteram reputa sinistram, alteram dexteram. Sinistram in temporalibus subsidiis, dexteram in spirituali consolatione. Qui possessionibus cunctis renuntiant, qui rebus temporalibus valedicunt, se, suaque omnia Monasterio tradentes, & ex toto in sui Abbatis transeunt, nullam sui curam relinquentes de cætero; tales vtraque gemino consolationis lactandi sunt vbere. Ideò neutro hoc carere debent, qui talibus præsunt, ne mutilum, & detruncatum videantur pectus gestare, vna deformiter mammilla contentum. Qui verò vtraque destituuntur, locum hunc in Ecclesia, & sibi damnosè tenent, & quantùm ad alios periculosè.* Debet planè bonus Prælatus mammillis abundare, & maximè prouidere subditis subsidia, tam temporalia, quàm spiritualia, ne nimis rigescat strictio in eis, qui legali rigore propter Deum abstinent etiam à licitis. Sic Iesus, Luc. 22. ait discipulis suis. *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis; nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc, qui non habet sacculum, &c.* Iusserat Dominus aliquando discipulis suis, vt sine sacculo, & pera pergerent annuntiare regnum Dei, nunc autem supponit illis sacculos esse, quos tamen esse permittit. Cur qui sustulit sacculum, nunc sacculos permittit? Pulchrè in rem præsentem Titus Castrenus, ait: *Noluit priores illius sanctionis rigorem vrgere, sed primaus illius instituti seueritatem nonnihil remittere, ac temperare: ne grauis, planèque intoleranda vita illis esset, si omni externo præsidio sæpè destituti, exactam illam abdicationis regulam perpetuò accuratè obseruare compellerentur.* Id diuinissimus Magister, & bonus Pastor maximè intendebat, ne disciplina nimis rigesceret, & ideò sic temperabat rigorem, vt aliis concessionibus obseruantia vnius molliretur.

Gen. 2. — *D. Greg.* — *Cant. 4.* — *Gill. Ab.* — *Luc. 22.* — *Tit. Cast.*

§. XVI.

Dei dona plenissima, & perfectissima.

QVàm largè, quàm plenariè Deus concedit Paradisum homini, *De omni ligno Paradisi comede:* omnia ligna prætendit, totum Paradisum offert, vt ex eo iam pateant diuina dona, non mutila, sed plena, sed integra, & perfecta fore. Cant. 4. dicebat: *Emissiones tuæ Paradisus malorum punicorum:* quasi à diuinis manibus non vna, aut alia arbor, sed integer Paradisus emitti ad homines consuescant. Ait Diuus Bruno lib. de laudibus Eccles. cap. 1. *Magna sunt munera tua, grata sunt xenia tua. Alij partem mittunt, & quod eis est vile, aliis tribuunt. Tu verò totum hortum das, & omnia meliora filiis tuis larga manu mandas, & tribuis.* Non omnium est integra dona dare, sed solius Dei: alij dum ad dandum accedunt, vel crusta, vel parua rei fragmina contenti donant: non sic Deus, qui filiis suis totum hortum dat, integra, & perfectissima quæque donat. Habes homo, vnde Dei dona à creaturarum donis distinguas; quæ ex Dei gratia veniunt, sic plena sunt, & integra, vt nihil vacuum relinquant. Actor. 3. *Quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris suæ, baiulabatur; quem ponebant quotidie ad portam Templi, quæ dicitur Speciosa, vt peteret eleemosynam.* Ille petebat, & multi introeuntes dabant illi eleemosynam, & nihilominus quotidie postulabat. Quid tunc? Ait illi Petrus intuens: *Quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula: & exiliens stetit, & ambulabat, &c.* Expende rem, cùm claudus ab aliis accipit, quotidie accedit postulans: vbi ex Christi nomine accipit, non postulat ampliùs, vt qui integrè liber maneat ab omni indigentia, & necessitate. Aiebat D. Basil. hom. 15. de Fide: *Cùm ex multis aurum acciperet, nihilominus rogabat. Ex Petro gratiam cùm suscepisset, rogare ampliùs destitit, velut iterum prosiliens, & Deum laudans.* O dona venientia ex Dei gratia! sic equidem integra sunt, sic magna, & perfecta, vt vniuersas impleant vacuitates. Ab hominibus venit frustum panis, vel frustum auri, quo accepto non desinas egere, non desinas mendicare: à Deo venit integra salus, plena rerum abundantia, qua accepta prorsus desinas rogitare.

Cant. 4. — *D. Brun.* — *Actor. 3.* — *D. Basil.*

§. XVII.

Ille imperij culmen tutissimè, securissiméque ascendit, qui scit etiam perfectè obedire.

REgalissimo homini Adamo, creato ad regium culmen, antequam regalis iurisdictionis permittatur exercitium, mandatur præceptum de non sumendo cibo ligni vetiti. Ait enim; *De ligno scientiæ boni, & mali, non edetis.* Quid lex cum principe? Quid cum imperaturo præceptum? Præcepta magis proponuntur à Rege subditis, vt ab illis extorqueat obedientiam. Cur modò regnaturo homini datur præceptum? Equidem obedientiæ exercitium non solùm præstat bonos subditos, sed & facit regalissimos reges. Ille enim securissimè imperat, qui & perfectissimè obedit. Iosue cap. 10. dicitur: *Locutus est Iosue Domino, in die, qua tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israel, dixitque coram eis: Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna, contra vallem Aialon. Steteruntque*

Iosue 16.

terúntque Sol, & Luna: : : Non fuit anteà, & pòst tam longa dies, obediente Domino voci hominis. Expende rationem appositam, cur Sol steterit. Nimirum, quia Deus homini obediebat, ait enim: *Obediente Domino voci hominis.* Cur non magis dicit imperante Domino Soli, & Lunæ? Sanè, propter Dei imperium cælestia omnia steterunt; cur ergo non dicit, quòd imperans Deus fecerit stare solem, sed maluit dicere, quòd stetit Sol obediente Deo? Voluit ostendere quantum prosit, quòd scias obedire, vt fortunatè, & potenter imperes; quando & Deus ipse tunc extorquet à subditis obedientiam, cùm ipse obediens præcipit. Ait August. lib. 2. de Mirabilibus sacræ Scripturæ, cap. 4. *Dominus obediens præcipit, & obediunt.* Nescio, an Princeps possit efficacius reddere suum imperium, quam legibus ipse obediens. Quò respiciens Paul. ad Ephesios cap. 6. sic monet: *Serui, obedite dominis carnalibus, cum timore & tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: : : Et vos, domini, eadem facite illis.* Seruis iubet, quòd obediant; & dominis etiam iubet, quòd eadem præstent. Si ergo domini iubentur ab Apostolo eadem præstare, quæ serui, an iubentur simul instar seruorum obedientiæ adimplendæ incumbere? Equidem id petit Paulus, vt imperaturi domini, sciant etiam seruire, sic enim Deus & suum imperium fulcit, firmat. Chrysost. ibi ait: *Et vos domini, eadem facite illis. Eadem quæ? Cum beneuolentia seruite, seruit enim & Dominus.* Quam requirit in subditis obedientiam Princeps, quod postulat obsequium vel seruitium, ipse videatur aliquando præbere, & dum obediens præcipit, fallar nisi vniuersos trahat obedientia sua. At quis æstimet scrupulosum illum petitorem obedientiæ, qui præcepta sibi à natura, vel à Deo imposita latissimis licentiis versat, & sæpe ad illa conniueat? Et obedire sciat, qui præceptis suis subditorum obedientiam requirit. Psal. 33. *Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Diuerte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam. Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum.* Expende quot proposuerat præcepta circa linguam prohibendam à malo, circa labia, circa opera, circa pacem inquirendam. Et vt hæc impleantur, illud ponit, quòd aures Dei iubentis in preces abeunt iustorum. Quid quòd Deus aures præstet iustis, ad hoc vt iusti tot præcepta compleant? Saluian. lib. 2. de Prouid. ait: *Per id, quod dicit diuinas aures in precibus esse iustorum, non audientia tantum Dei, sed quadam quasi obedientia Dei designatur.* Quid mirum, quod dum Deus se obedientem ostendit, speret sua præcepta adimplenda fore? Hinc Ioan. 5. dicit: *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio.* Dedit Pater omne iudicium filio, vt filius leges statuat, obedientiam subditorum requirat. Et cur id Pater non facit, sed Filius? Quia solus filius legibus paruit, ideò ille solus leges præscribit, quibus obediant subditi. Ait Iobius Monachus, lib. 3. de Christo incarnato, apud Photium in Biblioth. *Quando Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio. Deus creaturam per semet refingens, & primus leges implens, exemplum nobis degendæ vitæ se ipsum præscribit: quam vitam facile est rectè instituere, si modo in Principem, & manuducentem respiciamus. Optimus quippe legislator ille, qui non verbis modò, quid agendum, sed actione potius ipsa prait.* Hæc ille, vt pateat, quàm meritò speretur, quòd omnes sint obedientiam præstituri Christo, quando & ipse legibus obediuit.

[*Aug. 5.*] [*Ad Eph. 6.*] [*Psal. 33.*] [*Saluian.*] [*Ioann. 5.*] [*Iobius.*]

§. XVIII.

Princeps vir nunquam solus abit in culpam, nec in pœnam.

NOn prætereunda in præsenti est D. Ambrosij & sapiens & acuta notatio, nimirum quòd, vbi permissio seruanda datur comedendi de omni arbore Paradisi, singulariter dicat Dominus, *De omni ligno Paradisi comede.* Vbi autem de non edendo præceptum transgrediendum imponitur, tunc non singulariter, sed pluraliter dicit Dominus: *De ligno scientiæ boni, & mali, non edetis.* Cur hic pluraliter loquitur Dominus, nisi Adami præuidens transgressionem, quæ vt ab omnium animalium principe fiebat, & ad plures deducenda erat, quando nullus Principum in ruinam sciuit ire solus? Recole ex 2. Reg. 18. & rebellionem, & ruinam Absalonis filij Dauid, is rebellis in patrem, exercitum instruit, arma capit, & vix manus conferuntur, dum fugit, *Cùm ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, & magnam, adhæsit caput eius quercui: & illo suspenso inter cælum, & terram, mulus, cui insederat, pertransiuit.* Hunc modò componit Rupertus cum Iuda proditore: Iudas enim proditor fuit in Iesum, Absalon in Dauidem, vterque impius in patrem, vterque parricida, vterque in arbore suspensus vitam finit. Quid tunc? Nonne satis est, quòd vnus Absalon, vt par fuit Iudæ in culpa, sit etiam par in supplicio? Ad hæc pulchrè ait Rupert. lib. 2. in lib. Reg. cap. 35. *Et ne parum putes, quòd vnus Absalon vnius Iudæ formam prætulerit. Achitophel quoque eius consiliarius suo suspendio interiit.* Expende illud, *ne parum putes, quòd vnus Absalon vnius Iudæ, &c.* Quasi posset parum putari, quòd vni Iudæ vnus Absalon responderet, & cur id posset parum putari? Nonne Iudas vnus fuit, & in crimine, & in pœna? Cur ergo parum esset, si Absalon solus illi in crimine responderet? Iudas homo priuatus erat, & ideò non mirum, nec parum esset, quòd solus abiret in crimen, & supplicium. At Absalon erat Princeps, Regis filius, cuius crimen pro minimo, & paruo haberent, si solius eius fuisset, at non fuit eius solius, simul enim secum in crimen, & in furcam rapuit Achitophelem consiliarium suum. Vt enim priuatorum est, quòd soli abeant in ruinam, sic Principum est, quòd nunquam soli abeant in præcipitia. Vt meritò dicat D. Bern. epist. 127. *Si quis de populo deuiat, solus perit. Verùm Principis error inuoluit multos.* Nunquam non inueniuntur plures esse in culpa, & pœna principis. Nemo ignorat facinus illud Sichimitæ Principis, quando rapuit, imò stuprauit Dinam; quam in coniugem vt acciperet, tam Princeps, quàm vniuersa ciuitas Sichem circumcisionem admittunt. Quid tunc? Vbi dolor circumcisionis increuerat, Simeon & Leui arripiunt arma, ciuitatem intrant, vniuersos viros trucidant, quibus trucidatis, ait Gen. 34. *Irruerunt super occisos cæteri filij Iacob, & depopulati sunt vrbem in vltionem stupri.* Hebraicè legitur: *Et deprædati sunt vrbem, quæ violauerunt sororem eorum.* Expende illud, *violauerunt*: vnus enim Sichem Princeps violauerat, cur non illum solum agnoscit violatorem? Cur, quasi omnes ciues violauissent, sic de omnibus dicit, quòd violauerunt? Sanè violationem peregerat Sichem princeps, & quando princeps fuit violator, non fieri potuit, quòd ipse solus iret in crimen; sed principis error multos secum traxit in culpam, & in ruinam. Sic notabat Caietanus apud Lippom. *Ex numero plurali*, violauerunt, *manifestat Moyses, quòd quamuis Sichem solus stuprauerit Dinam, non tamen solus fuit culpabilis, sed multitudo admisit eum.* Nescit equidem Princeps ire solus in facinora & ruinam. Similiter Gen. 12. viri aulici rapiunt Saram vxorem Habrahami, illamque tradunt Regi suo Pharaoni, qui illam in vxorem cupiuit accipere. Verùm ait textus. *Flagellauit autem Deus Pharaonem plagis maximis, & domum eius propter Sarai vxorem Habram.* Non solus Rex, sed vniuersa eius aula flagellatur, difficile namque inuenitur Princeps, qui non multos inuoluat suis criminibus, & plagis. Quocirca aiebat in præsenti D. Chrysost. hom. 3. *Et vbi hoc iustum, propter Regem alios puniri? Non propter illum solum pœnam sustinuerant, sed verisimile est, eos cooperatos fuisse, vt aliquando committeretur iniquitas. Audisti enim suprà, quia vt viderunt Saram Principes Pharaonis, laudauerunt, & introduxerunt eam in domum eius. Vidisti eos lenonum agere officium in Regis gratiam. Quapropter non ipse solus; sed & omnes, qui adhærebant, pœnæ fuerunt participes.* Neque enim princeps appareat, & labi, & præcipitari solus.

[*2. Reg. 18.*] [*Rupert.*] [*Gen. 34.*] [*Caietan.*] [*Gen. 12.*] [*Chrysost.*]

§. XIX.

Subditorum obedientia, non circa maxima, & summa, sed circa media, & faciliora exercenda est ab optimo Principe, & Domino.

POsito Adamo in Paradiso, vnicum audio illi intimari præceptum, de non edendo fructu scientiæ boni, & mali, cur non magis illi intimatur præceptum de amando Deo super omnia, de vita offerenda pro Dei amore? Agebat tunc Dominus non tam Dei personam, quàm personam optimi gubernatoris, cuius insinuabat esse, non circa maxima & summa, sed circa media, & faciliora exercere subditorum obedientiam. Sic respondet propositæ quæstioni Moyses Barcepha *lib. de Parad. cap.* 28. Ideò, prætermissis aliis, data fuit lex de non edendo, *vt illustrior fuerit bonitas Creatoris Adamique non sinit ipsum rebus maioribus animam suum occupare.* Summa hæc bonitas est præstantis Gubernatoris non sinere subditos rebus configere maximis, sed illos in mediocribus, & facilioribus exercitare. Hinc apud Matth. 5. ait Dominus

[*Barceph.*] [*Matth. 5.*]

Dominus: *Audistis, quia dictum est Antiquis. Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eã, iam mœchatus est eam in corde suo. Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proiice abs te: expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in Gehennam.* Expende, tota vis Christiani præcepti in quo sit, nimirum, in tollendo conspectu lasciuo: vetus lex cauebat lasciuiam, cauebat mœchiam; Christianum præceptum oculorum visionem cauet. Et cur Christus Dominus non contentus est veteri lege de non mœchando? cur circa oculorum visionem cautelam mandauit, nisi vt in facilioribus suos athletas tentaret? D. Isidorus Pelus. lib. 2. epist. 107. ait: *Ob eam enim causam salutaris sermo eum, qui impudico oculo aliquem perspiciat, supplicio affecturum se comminatus est, cum alij legumlatores facinus dumtaxat puniant, ne difficile, ac nimis arduum bellum sit, verùm facile ac procliue.* Vocant præstantissimi Domini subditos suos in obedientiæ certamina, at in ea certamina vocant, quæ facilia sunt, & procliuia, vt possint sine difficultate superari. Hinc lignum scientiæ boni, & mali, vt ad exercitium obedientiæ datum est, sic fuit positum in medio Paradisi, ait enim Gen. 2. *Lignum vitæ in medio Paradisi, lignúmque scientiæ boni, & mali.* Et cur arbor posita in medio Paradisi ad exercitium obedientiæ datur? Planè vt putentur subditi non probandi, nec exercitandi in summis, & extremis, sed in medijs, quæ superentur facilè. Aiebat D. Bern. epist. 7. *Sunt media quædam, quæ pro modo, loco, tempore, vel persona, & mala possunt esse, & bona. & in his lex posita est obedientiæ, tanquam in ligno scientiæ boni, & mali, quod erat in medio Paradisi.* Caueant ergo boni Domini vltra mediocria, & facilia aliquod summum, & extremum subditis iniungere; id enim iniungere non est bonorum Dominorum, sed Dei, qui vt iniungit, sic auxilium præstat, quo perficiatur opus iniunctum. Vnde qui sæpe vt Dominus apparebat Abrahamo, vbi ad præceptum de immolando filio descendit, Domini appellationem dimittit. Ait enim Gen. 22. *Tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: : : Tolle filium tuum, &c.* Similiter, & cap. 21. de eijciendo Ismaele: *Dixit Deus: Non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua, &c.* Semper aliàs loquens Deus cum Abraham, vocatur Dominus: in his maximè præceptis, non Dominus, sed Deus vocatur, vt innuat non Dominorum creatorum, sed solius Dei omnipotentis esse difficilia, & maxima exigere à subiectis.

D. Isidor. — *Gen. 2.* — *D. Bern.* — *Gen. 22.*

Genes. cap. 2. Dixit quoque Dominus Deus: Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi.

§. XX.

Sine Mariæ adiutorio, nec vita secura est nobis, nec mors tuta.

QVomodo non est bonum, hominem esse solum? Nonne vnus homo nobis restituit rem? Nonne in vno homine Adamo, erant nobis omnia integra; & in vno homine Iesu, quæcumque lapsa fuerant, in pristinum statum restituuntur? Pulchrè ad hæc D. Ber. ser. de verbis Apocalyp. ait: *Equidem sufficere poterat Christus, siquidem & nunc omnis sufficientia nostra ex eo est, sed nobis bonum non erat esse hominem solum. Congruum magis vt adesset nostræ reparationi sexus vterque, quorum corruptioni neuter defuisset. Vt videlicet nobis nouum Adam formaret ex veteri, & Euam transfunderet in Mariam.* Vt homo perditam hæreditatem acquirat, in æternam fœlicitatem prosiliat, congruit illi non esse solum, imo, quod mirere magis, congruit illi Reparatoris sui habere sociam Mariam. vbi enim hæc mulier non est, ingemiscit infirmus, & sine huius patrocinio temerarius est, qui velit esse solus in vita, vel in mortem ire. Sanè ipse Iesus, qui nullius patrocinio egebat, vt semper viuens habuit secum matrem, & moriens voluit illam habere iuxta crucem. Imo iam iam acturus animam, & postremum emissurus spiritum, Ioan. 19. *Dixit Matri suæ. Mulier, ecce filius tuus.* Hæc dixit, & penè immediatè tradidit spiritum, vt nec postremus vitæ halitus exiret, nisi mixtus verbis sonantibus Mariam. Ait Guarricus Abb. serm. 4. de Assump. *Cæterùm, cùm dilexisset eam Iesus, in finem dilexit eam, vt non solùm propter ipsam finem viuendi, verùm & in ipsam, finem penè faceret loquendi. dum velut inter vltima verba testamenti, curam Matris, cuius debitorem se agnoscebat, charissimo transcribit hæredi.* Noluit benignissimus Iesus in vita esse, vel ad mortem accedere, quin etiam vltima eius verba Matrem inuoluerent, nobísque proferrent. Ex quo tota Christiani fœlicitas monstraretur in eo sita esse, quod habens Iesum, vel vltimos vitæ halitus sine Mariæ patrocinio nolit proferre, sed amet eius in vlnis defunctus occumbere. Habes enim rursus de Iesu, Ioan. 19. quòd, *inclinato capite, tradidit spiritum.* Et Dei filius, traditurus spiritum, caput ad terram inclinat. Cur non magis caput tunc in cælum sustulit, quò erat iturus? D. Martinus, iam iam animam agens, rogatus à discipulis, vt facie ad terram conuersa, pronus paulisper requiesceret, continuò respondit vir sanctissimus, vt habemus in Breuiarij lectione; *Sinite me, cælum potiùs, quàm terram aspicere, vt suo iam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur.* Cur etiam Iesus directurus spiritum in manus paternas, non gaudet caput ad cælestia leuare, sed potiùs inclinato in terram capite, tradit spiritum? Erat in terra, & iuxta crucem, Maria mater Iesu, cuius ad vlnas inclinatus, maluit defunctus occumbere. Ait D. Philipp. Abb. lib. 1. in Cant. cap. 25. *Vidit Iesus stantes iuxta crucem, Matrem, & discipulum, quem dilexit. Et super istos, quos Spiritus sanctus obumbrabat, eò gratiùs, quò suauiùs requieuit: & Sole foris æstuante, cuius rabies eum apprehendit, inclinato capite ad istam, tradens spiritum obdormiuit.* Sic Iesus quasi de Mariæ sinu in mortem iuit, ne quis homo audeat gustare mortem, nisi consotius Mariæ patrocinio. Non grauabor huc trahere factum Lycurgi, de quo ait Photius in sua Bibliotheca, fol. 1486. *Cum verò instare mors videretur, se in matris Deorum delubrum, ad Senatum deferri iussit, cupiens rerum à se in Repub. gestarum rationem reddere. vbi cùm illum accusare auderet nemo, domum est relatus, & mortuus.* Noluit sapiens Philosophus in mortis confinio a Deorum matre abesse, sub cuius patrocinio amabat iudicibus sisti, extremúmque subire iudicium. Vt vel ab Ethnicis discamus Christiani, in hora mortis, iudicijque, sollicitare veri Dei matris patrocinium.

Bernard. — *Guarr.* — *Ioan. 19.* — *Philipp.* — *Lycurg.*

§. XXI.

Molestissimum homini est carere consortio comparis, cui bona communicet.

ERat homo primus constitutus in voluptatum Paradiso, vndique affluens delicijs, & diuitijs; & nihilominus affirmat Dominus de illo, quod, *Non est bonum hominem esse solum.* Non equidem bonum, sed molestum, & durum putabat homo esse in deliciarum cumulo, & carere consortio comparis, cui communicaret illas. Meritò ait D. Basil. Sel. orat. 2. *In tanta bonorum affluentia agens Adamus, non habebat, quicum fœlicitatem communicaret: carens autem voluptatis sive consorte, imperfectiori lætitia sensu capiebatur. Cum enim alterius generis haberet seruitia, à congeneri natura solatium in vniuerso non videbat. Errabundus erat hospes, Dominus in medio Paradiso palabundus desolatione paris societatis affligebatur.* Et deliciæ, & diuitiæ erant rationali homini, afflictioni, & molestiæ, dum solus in illis est, dum tantorum bonorum consorte caret. Nunquam enim non molestum erit, & durum homini, quod ipse solus sit in bonis, nec habeat, cui saltem ostendere possit suam fœlicitatem. Vnde auaris hominibus hoc malum minitabatur Isaias cap. 5. *Væ, qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vsque ad terminum loci; nunquid habitabitis vos soli in medio terræ?* In Hebræo sine interrogatione leguntur hæc vltima verba, simpliciter asserentia, teste Forerio, quòd vicinis agrorum exclusis solus maneat auarus in terra. Quod sic expendit D. Cyril. lib. 1. orat. 3. *Si enim, ò diuites, inquit, proximi bona rapueritis, si vicinum odio habueritis, vsu veniet sanè, vt vos soli inhabitetis regionem, exturbatis alijs omnibus.* Et quantum hoc malum erit auaro homini, quòd ipse solus habitet opulentam, & diuitem regionem? Nonne credentur hæc potiùs ad præmium spectare, quam ad minas, quàm ad supplicium, quàm ad auari hominis dolorem? Absit, quippe auarissimus licèt sis, si tamen homo es, nequit fieri, quòd vel in medio Paradiso habitans solus desolatione paris societatis non affliceris. Pro magno enim impij hominis supplicio ponit Iob c. 5. *Habitauit in ciuitatibus desolatis, & in domibus desertis.* Relictæ fuerant, & vrbes & arua ingentia, & domus thesauris plenæ vni homini impio, qui vt iuxta tot thesauros, & gazas se vidit solum, vnde alioquin percepisset lætitiam, inde cœpit percipere mœrorem. Exuat hominem necessum est, & fera fiat, qui solitarius amat esse in bonorum participio. Quam maculam Ephraimo attribuens

Basil. Sel. — *Isai. 5.* — *D. Cyril.*

Oseas. *Theophyl.*

buens Oseas c. 8. inquit: *Onager solitarius sibi Ephraim.* Quæ ex Græco legit Theophyl. *Refloruit per sese Ephraim* & meritò, qui per sese solitariè florere amat, florentique gaudet solitaria vita, dicitur non homo, sed fera agrestis, & feralissima. Pulchrè enim de auibus locutus ait Cassiodorus lib. 8. var. 31.

Cassiod.

Aues ipsa gregatim volant, qua innoxia voluntate mitescunt. Canora turdi amant sui generis densitatem, sturni compares sequuntur indesinenter exercitus. Contrà, animosi accipitres, aquila venatrices, & supra omnes alites acutius intuentes, volatus solitarios concupiscunt, quia rapaces insidia innexia conuenticula non requirunt. Ambiunt enim aliquid soli agere, qui prædam cum altero non desiderant inuenire. Sic mortalium voluntas plerumque detestabilis est, quo conspectum hominum probatur effugere. Quò auis feralior, & cruentior est, eò magis societatem fugit, nec prædarum diuitias aliis communicat. Quid ergo erit homo solus bonis incubans, quorum aliis communionem præstare fugit? Sanè is omnium accipitrum, & aquilarum, imò ferarum omnium est feralissimus, & brutis irrationalibus simillimus. Dicebat ille, cuius ager fertilissimus erat apud Luc. c. 12.

Luc. 12.

Hoc faciam, destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia, qua nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ. Anima habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: stulte hac nocte animam tuam repetunt. Expende verbum illud, *stulte*, crudelissimo illi dixit, Matth. 25. *Serue nequam, &c.* modò non vocat seruum nequam, sed stultum illum, qui hoc curat, vt solus ipse fruatur bonis acquisitis. Solitaria enim hæc in bonis habendis cupiditas nil cuius refert, quàm asininam, & bestialem quandam stultitiam.

§. XXII.

Detrimentosum & pessimum homini est, sic vni sibi prospicere, vt nec egenti vlli sua communicet.

SOlitariè agenti homini paratur socia mulier, de cuius congressu, & miseriarum, & egestatum fontes cœperunt scaturire. Sine fœmina erat vnus homo & fœlix, & diues, post fœminæ auxilium innumeri homines miseri, & egentes parturiuntur. Cur ergo dicit Deus, non esse bonum hominem esse solum? An bonum non est homini, miseris & egentibus non circumcingi? Minimè, imò pessimum, & detrimentosum est homini, si solus ipse agens in deliciis, quas colere tenetur, illarum communionem cum pauperibus vitat.

Eccles. 4.

Ecclesiastes cap. 4. inquit: *Vnus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi eius diuitiis, nec recogitat dicens: Cui laboro & fraudo animam meam bonis? In hoc quoque vanitas est, & afflictio pessima.* Quæ verba Chaldæus Complutensis pulchra expendit paraphrasi, inquiens: *Est vir solus, & non est ei secundus: filium quoque & fratrem non habet, vt sit hæres substantia sua, & non est finis vniuerso labori suo, oculus quoque eius non potest satiari diuitiis, & non dicit in corde suo, cui ego laboro, & fraudo animam meam bonis? Surgam & faciam ex eo eleemosynam, & lætabor in hoc seculo cum filiis hominum, & in seculo venturo cum iustis. Hoc quoque est vanitas, & occupatio pessima.* Ecce tibi & vanitas, & occupatio, & afflictio pessima hominis, qui solus cùm sit in multis bonis, sic amat in illis esse solus, vt nec de eleemosyna egenis erogãda cogitet. Imò mauult esse solus, quàm reficiens egenos, lætari cum filiis hominum in hoc seculo, & cum Sanctis in futuro. Quis neget ab hac solitudine afflictionem pessimam, & extremam ruinam in talem hominem proficisci? Sanè meritò ait Ecclesiastes ibi: *In hoc quoque vanitas est, & afflictio pessima*: vanissimum, & detrimentosum maximè homini est, quòd sic laboret solus esse in deliciis, & diuitiis, vt nec partem egeni accipiant ex illis. Extremam ruinam Sodomitis illaturus Dominus, præmittit duos Angelos; quibus committit totum negotium euertendæ vrbis. Quid tunc? Ait

Gen. 19.

Gen. c. 19. *Veneruntque duo Angeli Sodomam vespere, sedente Loth in foribus ciuitatis. Qui cùm vidisset eos, & surrexit, & iuit obuiam eis, adorauitque pronus in terram, & dixit, Obsecro Domini, declinate in domum pueri vestri, & manete ibi. Lauate pedes vestros, &c.* Non nouit Loth Angelos, sed putauit aduenas esse, & peregrinos, in hoc enim habitu ipsi veniebant: vnde

Chrysost.

Chrysost. ibi ait; *Tantus paterfamilias, viatores, hospites, ignotos, vt apparebant viles, dominos vocat.* Et Caietanus similiter: *Festinus inuitauit Loth peregrinos: nesciebat enim illos esse Angelos.* Quibus positis illud maximè ponderandum est, quòd euersuri vrbem Angeli veniant in peregrinorum egentium habitu. Cur non magis armati apparent? Cur vel nigrarum nubium instar non fulminant, vel maria effundunt, sub quibus tremant miseri? Cur sub adeò miti, & egenti peregrinorum specie desolatorium vrbis consilium dissimulant? Equidem ad perdendos homines non sic armati exercitus, non sic fulmina, non sic diluuia valent, vt valent vel duo pauperes peregrini despecti, & ieiuni, nec vllo modo refecti ab hominibus. Sic in rem præsentem Ezech. c. 16.

Ezech. 16.

Hac fuit iniquitas Sodoma sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius, & manum egeno, & pauperi non porrigebant. : : & abstuli eas sicut vidisti. Vbi Sodomita solus diuitiis fruebatur, summámque rerum abundantiam tenebat, sine socio paupere, sine comite egeno, non miror, quòd expertus fuerit extremam suppliciorum malitiam. Vt enim notat Eucher. ad c. 19. Gen.

Eucher.

Clausas domos hospitibus, ignis ingressus est ad perdendos peccatores. Quo te magis clauseris, vt solus sine paupere fruaris diuitiis tuis, eo euidentiùs tuæ ianuæ patent omni malo. Vnde Iob, hanc certissimam causam calamitatum à se depellens, ait cap. 31.

Iob 31.

Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea. Non putabat homini tutum, si vel in conuiuio panis solus esset sine paupere adiuncto. Ex quo D. Gregor.

Greg.

lib. 21. Moral. cap. 12. ait: *Qua profectò communia conuersationis esse cum talibus intra domesticos parietes debet, ex quibus æterna proficiant merita retributionis. Vnde sanctus vir non quemlibet, sed ad manducandum socium pupillum se habuisse perhibet.* Hæc ille; vt putet homo se in detrimentosa, & desolatoria solitudine esse, vbi in bonis est, nullo paupere bonorum consorte adhibito. Matth. 25. Virgines illæ fatuæ, quæ oleum secum non sumpserunt, extra sponsi domum flammis submittendæ relinquuntur. Et cur relinquuntur, quæ tanta virginitatis gloria effulgebant? Chrysost. hom. 21. in Acta:

Chrysost.

Non videtis arbores steriles, quòd sint valida, pulchra, procera, ac sublimes? At si hortum haberemus, vellemus malogranata, oliuas habere frugiferas, & multo magis, quàm illas. Illa enim ad voluptatem magis sunt, quàm ad vtilitatem. Et vtilitas autem parua quadam est. Tales sunt, qui solum considerant ea, qua sua sunt, imò nec tales sunt: nam hi ad incendium parati sunt, illa etiam ad adificium, & rerum securitatem. Tales fuerunt etiam virgines, casta quidem, & ornata, ac modesta, at nulli vtiles, ideò exuruntur. Hæc ibi.

§. XXIII.

Malis aditum occludit, qui non sui solius, sed aliorum etiam vtitur consilio, & auxilio.

IN tanta rerum tranquillitate, & amœnitate constitutus homo, & iustus, & sapiens, adhuc videtur malis expositus, dum solus agit. *Non est*, inquit Dominus, *bonum, hominem esse solum*: sit homo fœlix, sit sapiens, sit omni virtute ornatus, omni imperio sublimis, omni creaturæ suspicabilis: tamen dum solus est, non firmum bonum habet, sed multis est expositus malis, quæ fugit, dum aliorum auxilio, & consilio gaudet. Amalesuentha Italiæ Regina, orbata marito, orbata filio, ne sola regnaret, sibi in regni consortium adlegit fratrem; cuius facti rationem sic reddit Senatui apud Cassiod. lib. 10. var. 3.

Cassiod.

Astra cœli mutuo reguntur auxilio, & vicario labore participata mundum suis luminibus administrant. Ipsi quoque homini duplices manus socias, aures, oculos geminos diuina tribuerunt, vt robustius peragerctur officium, quod duorum fuerat societate complendum. Exultate, & factum nostrum supernis commendate virtutibus. Nihil reprehensibile desideramus agere, quia cum consilio alterius, cuncta delegimus ordinare. Reprehensionis materiam vt excluderet regius animus, vel à regio solio exclusit solitudinem: multis enim erroribus, & malis aditum occludit, qui aliorum ope, & consilio nititur. Quò spectant illa tritissima verba Eccles. cap. 4.

Eccles. 4.

Meliùs est esse duo, quàm vnum, habent enim emolumentum societatis. Væ soli. Vt societati emolumenta accedunt multa, sic soli nihil quàm væ; & malum magis propinquum. Societatem quærat bonorum, fugiat solitudinem, qui multis humanæ vitæ incommodis amat occurrere. Id in homine rege pulchrè ponderabat D. Synes. lib. de Regno inquiens:

D. Synes.

Rex autem id exploratum habet, Deum quidem sibi sufficere; & antiquam eam esse naturam diuinam, quo supra id omne, quod subditum est, assurgit. Homini verò multis, atque eiusdem conditionis hominibus imperanti, ad cuiuslibet rei animaduersionem, propriam naturam satis superque non esse. Hunc igitur natura defectum supplens, amicos, in eiusdem natura communionem adsciscit, vim quodammodo suam multiplicans. ita enim fit, vt & omnium oculis videat, & omnium auribus audiat, omniúmque animis in vnum consentientibus consilium capiat.

Non sufficit Rex, non sufficit hominis natura, vt per se solam omnia sibi cõuenientia perficiat, adiungat sibi quisque quãeũ necessum est, amicos, adiungat socios, per quos multiplicatus nulli imminenti malo nõ occurreret. Da mihi hominẽ Adamo parem in sapientia, in virtute, in regno, quamuis tantus iste sit, quia Deus non est, si solus agit, minimè sibi sufficiet. Verùm da hominem elinguem, infantem, rudem, quem multi stipent prudentes, fortes multi, is sanè vix habet, à quo sibi malo timeat. Ait Cant. 3. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel. Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.* Expende, quid proponat ad videndum de Salomone suo, nimirum, *lectulum*, non equidem lectum magnum stratum viris, sed per diminutiuum dicit lectulum, quasi paruum lectum, quale infantibus parari solet, ostendere cupiat. At hoc omnibus commune est, vt regum non minima, sed summa ostendant, & publicent, armorum apparatus, equorum greges, thesaurorum infinitudinem. Cur ista sui Salomonis non magis iactat arma? Cur non magis ostentat ahenea scuta, bellicam fortitudinem? Cur maluit eius lectulum, nimirum, prima pueri incunabula ostendere? Cur non curauit, vt magnus potiùs ostenderetur in armis, quàm in lectulo pusio. Curauit id sanè apponẽs lectulo sexaginta viros armatos, & ad bella doctissimos, nequit enim fieri, quod Rex, quem tot docti ad bella stipant viri, non sit aduersus mala omnia inuincibilis, quantumuis in se sit infans adhuc vagiens in cunis. Defuncto Theodosio, relicti erant filij eius nondum egressi à pueritia, sed multo milite cincti, quod notans D. Ambr. orat. de obitu Theodos. ait: *Reliquit nobis liberos suos, in quibus eum debemus agnoscere, & in quibus eum, & cernimus, & tenemus. Nec mouet ætas, fides militum Imperatoris perfecta ætas est.* Sit infans Imperator, si illi adsunt fideles duces, fideles milites, fideles amici, non sentietur illius ætatis teneritudo. Vir est in adiunctis sibi viris, fortis in fortibus, sapiens in sapientibus, sese quodammodo in fidis sociis efformans, & multiplicans.

Cant. 3.

D. Amb.

§. XXIV.

Virilem, & masculam perfectionem non exprimit solitaria vita, in comparatione illius, quæ etiam studet animarum saluti.

Vt erat Adamus in medio positus Paradiso, de quo dicebat Dominus, *Non est bonum hominem esse solum,* quasi ex tunc designaret, quam sit aliena à virili perfectione solitaria vita. Hinc censenda est cuiusque virilis virtus, quæ nescit sola esse, sed pro acquirendis sociis æternæ salutis desudat. Qui sibi soli vacat, nec pro salute proximorum pugnat, contentus si vel solus hæreat lateri diuino, is non virili gaudet perfectione, sed ad summum fœminarum perfectionem attingit. Quò respiciens Isaias, cap. 60. dicit Christi Sponsæ: *Filij tui de longè venient, filiæ tuæ de latere surgent.* siue vt Complut. Forer. Adamus, & alij legunt, *de latere sugent.* Sunt enim Ecclesiæ filij, & sunt filiæ, hæ, matris lateri hærentes, hoc curant, vt verbale lac sugant, perpetuò instantes contemplationi diuinæ, nullóque animarum acquirendarum prætextu exeuntes à latere perfosso Christi, ibi sugentes, vt infantes, ibi cubantes vt columbæ. Sed, quæ sic hærent lateri, filiæ sunt, nunquam attingentes virilem virtutem. Verùm *filij de longe veniunt*, contenti semel de latere gustasse, remotissima quæque lustrant, vt animas proximorum reducant ad caules Christi. Ij filij sunt virili perfectione sublimes, quorum studium est, nõ domi solùm sugere, sed & diuersa loca peragrare, & vitam agere in quauis mundi plaga, vbi maius Dei obsequium, & proximorum auxilium speratur. Horum virorum respectu fœminæ sunt, quicumque solitariam vitam sequuntur. Illos spectabat D. Bern. *ser. 12. in Cant.* sic cõtemplatiuos suos monachos murmurantes, & parui facientes diuinæ operarios vineæ, compungens: *Fratres vereamur Episcopos, sed vereamur labores eorum. Agnoscamus impares vires nostras, nec delectet molles, & fœmineos humeros virorum supponere sarcinis. Temerariè obiurgat virum de prælio reuertentem mulier nens in domo. Dico enim. Si is qui de claustro est, eum, qui versatur in populo interdum minus districtè sese agere deprehenderit, verbi gratia, in verbo, in cibo, in somno, in risu, in ira, non ad iudicandum confestim prosiliat, sed meminerit scriptum; Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier. Nam tu quidem in tua custodia vigilans benefacis, sed qui iuuat multos, & melius facit, & virilius.* Quantum distat vir à fœmina, tantum distat procurator animarum salutis à solitario, & mero contemplatiuo. Vulnera accipit quandoque præliator optimus, sed nunquam mulier nens in domo cõparanda est cum nobili præliatore; nec qui sibi vni vacat cum eo qui plurimos defendit, & propugnat. Quantumcumque sese in cœlestia sustollat merè contemplatiuus, ibique Christi pedibus obuolutus nectar gustet diuinum, non attingit virilem perfectionem, sed semper manet sub fœminea teneritudine. Hæc fuit sapientis apud Darium propositio, 3. Esdræ, c. 3. *Fortiores sunt mulieres, super omnia autem vincit veritas.* Mulieres nobis ob oculos proponit in exemplũ fortitudinis; & quæ sunt hæ mulieres? S. Max. Cent. 3. c. 30. inquit. *Mulieres quidem appellat virtutes deificas, ex quibus constat hominibus erga Deum, & in sese vnica dilectio, quæ rapit omnium animam, & quadam amoris plena permixtione implicat ipsi Deo.* Ecce tibi S. Maximus mulierum nomine censet debere intelligi virtutes deificas, quarum officium est hominem implicare ipsi Deo: quantum enim virtus maxima sit in colligando homine ad Deum, dum ibi sistit, nec facit simul hominem animabus acquirendis studere, fœminea virtus est, non virilis in comparatione illius, qui etiam studet animarum saluti. Illa est virilis virtus, quæ nouit, & vacare Deo, & pro animarum salute in arenã descendere. Vnde D. Th. 2. 2. *q. 88. art. 6.* quærens vtra sit perfectior vita, actiua, an contemplatiua? Respondet: *Sic ergo dicendum est, quod opus vitæ actiuæ est duplex. Vnum quidem quod ex plenitudine contemplationis deriuatur, sicut doctrina, & prædicatio. Vnde Gregor. dicit in 5. hom. super Ezech. quòd de perfectis viris post contemplationem suam redeuntibus dicitur: Memoriam suauitatis tuæ eructabũt. Ex hoc præfertur simplici contemplationi. Sicut enim maius est illuminare, quàm lucere solùm, ita maius est contemplata aliis tradere, quàm solùm contemplari.* Expende illud, nimirum, *de perfectis viris dicitur:* vbi sanè contemplationis otio iungitur animarum negotium acquirendarum, iam ibi virilis virtus, & mascula in tota sua perfectione apparet. Non iam ibi fœminæ dominantes, sed viri in arena decertantes, summum virtutis robur valent ostentare. Verùm illud sese opponit Domini assertum de Maria vni vacante Deo, Luc. 10. *Maria optimam partem elegit.* Est ergo optima, & perfectissima virtus vacare vni Deo, & tibi, dimissa de animarum salute acquirenda diligentia. Est equidem hæc pars optima in Maria, nimirum, in fœmina, cuius infirmitatis non est in arenã descendere, & pro animabus acquirendis pugnare: quod vt virilius quid est, non fœminarum, sed maximorum virorum facit optimam partem. Accipite D. Bern. serm. 3. de Assumpr. santem: *Quid tamen sibi vult fratres, quòd optimam partem Maria dicitur elegisse? Vbi iam erit, quod aduersus eam proferre solemus; Melior est iniquitas viri, quàm benefaciens mulier? Vnum ego arbitror è duobus, vt neutrum dicatur defuisse, nec in partem aliquam præcipitasse sententiam, sed ad obedientiam Præceptoris, ad vtrumlibet sit parata. Quis enim sicut Dauid fidelis ingrediens, egrediens, & pergens ad imperium Regis? Denique paratum, inquit, cor meum, paratum cor meum, non semel tantum, sed & secundò, & vacare tibi, & proximis ministrare. Hæc planè pars optima, quæ non aufertur. Bonum, inquit, acquirit gradum, qui bene ministrauerit, fortè meliorem, qui bene vacauerit Deo, optimum autem, qui perfectus est in vtroque.* Quid pulchrius? Dum fœminea virtus in Maria expenditur, pars illius optima, quòd neat domi, quòd vacet sibi, & Deo, dum autem virilis virtus in Dauide examinatur, vt superanda est infirmitas fœminarum, sic non solùm in otio contemplationis sistendum, sed adiungendum est illi negotium animarum: & in vtroque simul regulariter consistit optima pars, & virtus mascula. Dixi, quòd regulariter consistit, quia aliquando euenire potest, vt solum negotium actiuæ superet, & excedat otium contemplationis, vt ex D. Thoma supra citato, ostendit ibi sapienter Caietanus.

Isai. 60.

D. Bern.

3. Esd. 3.

S. Max.

D. Thom.

Luc. 10.

D. Bern.

§. XXV.

Auget beneficium, qui de illo præstando præmonet recepturum.

Adamo facto, & in Paradisi amœnitate constituto, dixit alta, & clara voce Dominus: *Faciamus ei adiutorium simile sibi.* Et cur necessum fuit hoc coram Adamo à Deo dici? Si tantum illi adiutorium facere volebat, fecisset tacitus, vt tacitus fecit vniuersa bona Paradisi. Cur noluit adiutorium illud tacitus facere, sed de faciendo illo, & præstando claram, & manifestam vocem emisit, quæ posset ab Adamo audiri? Noluit sapientissimus Dominus, vt tam gratum, & vtile adiutorium repentè Adamo

obueniret.

obueniret; sed maluit de tanto bono præmonere hominem, vt sic duplicaretur beneficium; dum eius gaudium non subitò, sed morosiùs percipitur. Hanc sapientiam in conferendis beneficiis pulcherrimè punderat Pacatus in Paneg. Theodosij, inquiens: Nemo iam, nemo beneficia, quæ dederis, ab eo credit tempore computanda, quo dederis; quia tam sunt certa, quæ spondes, vt tunc videantur accepta cùm spondes. Iam id ipsum, quod ante promittis, nonne de summo purissimæ mentis candore proficiscitur? Nam cuius est animo, nec vota hominum fatigare, nec adhibere muneribus artem difficultatis, debet denuntiare præstanda, vt prolixior sit sensus bonorum: ne repentina fœlicitas faciat attonitos, & similes reddat ingratis. Animos enim nostros subditis affectibus impares perinde lætitia, ac dolor, si deprehēdat, exterminat. An nō illa Romanæ pietatis notissima mater, nuntio mali Cannensis exterrita, filio reduce, quem flebat, diriguit in mortem? Nec par esse gaudio potuit, quæ superfuerat orbitati. *Conscius igitur cœlestis arcani, & naturalium depositorum maius hominibus sperata procedere, quàm insperata superuenire beneficiā, nec immeritò. Namque fugitiua successuum repentinorum voluptas, vt occupat, sic relinquit: fœlicitas longior est, spectare securum. Itaque cùm hactenus natura esset statutum, vt bona sua homines nescirent, & tunc primum inciperent fœlicitate gaudere, cum cœpissent esse fœlices. Tu promittendo præstanda, inuenisti tempus, quod nobis natura subtraxerat, vt quos adepta sola iuuabant, etiam adipiscenda delectarent.* Quid pulchrius? Ea est beneficentissimæ mentis sapientia, vt sciat beneficiorum suorum iucunditatem longissimè producere, dum beneficia conferenda certis promissionibus prænuntiat. Quoties enim quis promissa sibi bona recolit, toties suauitatem beneficij gustat. Quapropter Gen. 13. Dominus Abrahamo dicebat: *Surge ergo, & perambula terram in latitudine, & longitudine sua, quia tibi daturus sum eam.* Meritò ante ipsam receptionem iubetur Abrahamus promissam terram percurrere, non enim sola adepta iuuant, sed & adipiscenda non paruam delectationem inferunt. Quod noscens D. Chrysost. sic in præsenti disserit: *Surge, & perambula terram, & cætera, vt scire possis, & magnitudinem terræ, quam possessurus es, & antequam fruaris, spe pastus, magnam inde animi voluptatem capias.* Sic Deus producit iucunditatem beneficij sui, illud antè promittens, & recolendum proponens, ne solùm cum in re est, sed cum adhuc est futurum, recipientem beare festinet. Nouit beneficentia diuina, vel ante donum, dono munerare suos, dum quod præstatura est, multò antè promittit. Sic Gen. 15. dum sterilem Abrahamum ditare vult filio, ait; *Qui egredietur de vtero tuo ipsum habebis hæredem.* Quid ais, Domine, senem penè emortuum ad futura tempora remittis? si vis senem iam iam animā agentem filio ditare, dic illi, ecce habes filium, cur adhuc de futuris loqueris cum illo? Loquitur de futuro, non vt inanem relinquat senem, sed vt magis impleat, dona enim promissa, etiam tunc implent hominem, quando promittuntur, vt videatur accipiens ab ipso tempore promissionis, iam donis esse potitus. Sic de Abrahamo ait D. Basil. Sel. or. 7. *Accepta promissione, habuit filium ante filij partum, & spes ipsa prius Isaacum peperit, quàm aluus.* Hoc fecit promissio, & doni annuntiatio, ne Abrahami sterilitas differretur, sed vel ante in re acceptum filium, iam videretur gaudere cum filio, ea enim sunt bona data, vt non minùs hominem afficiant promissa, quam exhibita. Sic Gen. 18. promittebat Dominus: *Habebit filium Sara vxor tua. Quo audito Sara risit.* Filius Isaac promittitur, qui interpretatur risus, & iam Sara ridet. Quid rides Sara, audiens, quòd paritura sis risum? Sanè Philo Iudæus, non ad Saram refert, quòd rideat, sed ad nasciturum filium, qui vt in re exhibitus vocandus erāt risus, vt mater diceret, *Risum fecit mihi Dominus*, Gen. c. 21. sic & promissus iam parentes risu implebat. Quippe ait, lib. 2. Alleg. *Quædam bona non solùm cum adsunt, iuuant, sed etiam promissa oraculo, qualis est lætitia, bonus affectus animi, hæc, inquam, non præsens tantum lætificando vim suam exerit, sed etiam sperata hominem præoccupat.* Vnde meritò beneficus Deus lætificantia bona daturus, illa antè promittit, vt accipientia sensum dupliciter afficiat, & impleat, dum in promissione accipit donum, quo lætetur; de quo etiam in receptione postea sit læaturus.

Patat. — *Gen. 13.* — *D. Chrys.* — *Gen. 15.* — *Basil. Sel.* — *Gen. 18.* — *Philo.*

Gen. c. 2. Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea. Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius. Appellauitque Adam nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia cœli, & omnes bestias terræ: Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius.

§. XXVI.

Deus ab homine suo non requirit laborem circa ea, quæ corrumpi possunt.

VNiuersa Dominus adduxit animantia ad Adamum, non vt pasceret, sed vt videret, quid vocaret ea. Hoc solùm poscit Dominus ab Adamo, vt voces effingat, quibus animalium nomina formet: cur non magis petit ab animalium Domino, vt pabula quærat, & præparet, & suis humeris portet, quibus tot animalia sustentari possint? Hæc exegit ab homine peccatum, & amor lucri proprij, non Dominus, qui ab homine suo non requirit laborem, circa corruptibilia, & caduca, sed circa æterna, & solida. Producta iam terra multisque arboribus consita producitur homo, Gen. 1. cui dicit Dominus: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escum.* Sic vbi producitur homo, statim constituitur inter fructiferas arbores, quibus vesci liceat. Nec multo tempore permissus est homo esse inter arbores illas, sed statim transfertur in amœnissimum Paradisum, in quo erat arbor vitæ, ait enim Gen. 2. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in Paradisum voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* Antea dantur arbores homini in escam, nihil de operatione, nihil de cultura, nihil de labore, aut custodia auditur. Vbi autem in Paradisum transfertur, statim opus, & cultura, & operatio, & custodia requiritur; cur quæ cultura, & operatio petitur circa arbores Paradisi, non etiam petita fuit circa illas arbores primas extra Paradisum positas? In Paradiso erant arbores vitæ, de quarum gustu veniebat, vt homines tunc degentes possent æternare vitam. Arbores autem primæ extra Paradisum positæ non pertinebant ad vitam æternandam, sed corruptioni seruiebant, ideo Dominus ab homine suo non requisiuit opera, nec culturam, nec custodiam, nec studium circa ea, quæ corruptioni seruiebant, sed circa ea, quæ conducebant ad vitam permansuram. Id quod notabat D. Anast. Sinaita, lib. 7. Exam. inquiens: *Antequam poneretur homo in Paradiso, non fuit ei imperatum, vt operaretur, & custodiret ligna prioris cibi pereuntis: sed imperatum est, vt secunda ligna Paradisi, cibi manentis in vitam æternam.* Non equidem is est Deus, qui velit suum hominem occupari in custodia, & cultura rei periturae, nō is est Deus, qui hominem bubulcum faceret intentum pecoribus corruptibilibus nutriendis, & pro iis noctu, diúque agentem inter bruta. Non is est Deus, qui perituræ alimoniæ conquirendæ immensos labores à suo homine requireret, imò ait ipse Ioan. 6. ad quosdam: *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. Operamini nō cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Iubet Deus hominibus nauare operas suas, labores impendere acquirendo cibo, sed quali cibo? Non equidem cibo, qui perit; pereuntis enim cibi labores, & vigilias nunquam Deus imponeret homini suo. Ait ibi Rup. *Cibus ille, quo saturati estis, quotidie perit. Talem cibum, non dico, vt operemini, non commoneo, vt pro illo solliciti sitis: non inuito vos, vt pro illo ad me veniatis. Sed illum potiùs cibum, dico, vt operemini, qui permanet in vitam æternam.* Non à Deo venit, quòd homines labores, & curas subeant pro rebus corruptibilibus; id potiùs malus genius introduxit in mundum. Quis in Ægypto fecit Israelitas lateribus conficiendis, colligendisque paleis insudare, nisi affectus Pharaonis tyrannicus? Ait textus Exod. 5. *Præcepit ergo in die illo Pharao Præfectis operum, & Exactoribus populi, dicens; Nequaquam vltrà dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, sicut priùs, sed ipsi vadant, & colligant stipulas.* Non à vero Domino, sed à cruentissimo tyranno potuit venire hæc exactio, qua ingenui homines compellerentur pro stipulis, & paleis colligendis anxiè laborare. Non equidem diuinus Pater, sed mali genij tyrannus similē exactionē indixit hominibus, qua pro caducis, & perituris resculis operam impendant maximam. De vtroque pulchrè sanctus Germanus, orat. in adorationem Crucis, fatur: *Ibi Pharao tyrannus erga Israelem. Hic Satan indefessus hostis totius humanæ societatis. Affligebantur ibi luto, & opere lateritio Israelitæ, & collectione palearum. Hic pro rubra argilla carnis, suscipiunt carnis*

Gen. 1. — *Gen. 2.* — *Sinait.* — *Ioann. 6.* — *Exod. 5.* — *German.*

& mundi amatores omnem laborem, & operam. Sed est etiam grauis exactor, & inexorabilis impulsor, vergens ad tenebrarum opera, virtutum commeatum absumens, ad solam palearum collectionem nos impellit. Pro pascenda pecunia carne, pro vita temporali, & terrena sustentanda suscipiunt homines omnem laborem, & operam; & quis illos in hæc impulit? An Deus? Absit, non Deus, sed genius malus, sed rabidissima cupiditatum tyrannis ad palearum, hoc est, ad pereuntium bonorum collectionem homines traxit. Accedite huc omnes homines, & ponderate, quid Deus, quid malus genius homini prouideat. Deus nihil laboris petit pro re corruptibili, genius malus multis laboribus conficit hominem, vt corruptibilem coronam accipiat. Quod vt clariùs pateat, componite Adamum sub Deo existentem, & Prodigum illum filium à Deo abeuntem. Vtrique pecora subiiciuntur; sed ad Adamum adduxit Deus omnes bestias, ne vel gradum Adamus faceret quærens illas; prodigus autem missus fuit in villam, vbi pecora erant, vt pro pecoribus longam & laboriosam subiret viam. Ex Adamo solùm requiritur manifestatio dominij per nominum impositionem; ex Prodigo petitur durum in pascendis porcis seruitiũ. Habes enim Gen. 2. de bestiis: *Adduxit ea Deus ad Adam, vt videret, quid vocaret ea.* Nec pedem mouere permittitur Adamus, pro pecoribus; nec manum imponere operi vlli, sed solùm nomina confingere. Apud Lucam, c. 15. de Prodigo dicitur: *Adhæsit vni ciuium regionis illius, qui misit illum in villam, vt pasceret porcos.* Labori itineris exponitur, & porcorum seruitio; nescit enim mundialis cupiditas suos alumnos aliò deducere, nisi vt, vel pro pecoribus pascendis, multo se labore consumant.

Gen. 2. *Luc. 15.*

§. XXVII.

Principis oculi vocalissimi sunt, vt subditorum apud se valorem exprimant.

ADamo principi animalia omnia subdita adducta sunt, *Vt videret, quid vocaret ea:* vocabula non videmus oculis, sed auribus percipimus: quomodo ergo animalia dicuntur adducta, vt Adamus videret, quid vocaret? Quomodo videret vocem prolatam ab ore? Ad quid requiruntur oculi, vbi totum negotium peragendum erat voce? Sanè & est Principis oculis vis quædam vocalissima, quæ subditorum apud se mirificè exprimit, & prædicat valorem. Qualis sis apud Principem, manifestissimè audies, non tàm oris, quàm oculorum voce. Bis, & iterum negabat Petrus Dominum, & magistrum suum, Luc. 22. *Et conuersus Dominus respexit Petrum. Et recordatus Petrus verbi Domini, sicut dixerat; Quia priùs quàm gallus cantet, ter me negabis, &c.* Quis tunc Petro verbum hoc Dominicum reduxit in memoriam? Obmutescentem viden Saluatorem; à quo ergo potuit Petrus modò verbum illud accipere? Audio Dominum non loquentem, sed respicientem, & in respectu oculorum agnosco clarissimam vocem, quæ testatur Petro miserum statum peccatoris. Ait D. Chrysost. hom. 9. de Pœnit. *Christus respiciens in Petrum vocem demisit per ipsum intuitum. Non enim ore locutus est, sed per oculum dimittens vocem, quasi diceret, Petro, &c.* Hoc solu factum est, vt Iesus Petrum videret: nam, vt à Iesu oculis se Petrus cõpellari audiuit, diuinorum oculorum sensit voces, quibus iuxta statum præsentem non petra, sed puluis, negator vocabatur, non discipulus. Hinc Esther c. 15. *Ingressa cuncta per ordinem ostia, stetit contra Regem, vbi ille residebat super solium regni sui, indutus vestibus regiis, auróque fulgens & pretiosis lapidibus, erátque terribilis aspectu. Cúmque eleuasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, Regina corruit.* Non aperuit Rex os suum, sed oculis tantum res agebatus, & per oculos dimittebat damnationis voces, quibus penè exanimis Regina corruit. Ad quid expectaret linguæ fulmina, qui Regis norabat oculos? Sanè clariora ab iis, quàm ab illa dantur testimonia. Meritò enim dicebat Iob, c. 19. *Oculus videns testimonium reddebat mihi.* Ex videntium oculis captabat euidentissima testimonia de se, quis, qualisve esset. Has voces oculorum nouit Dominus Deuteron. 16. dicens: *Deuorabis omnes populos, quos Dominus Deus tuus daturus est tibi. Non parcet eis oculus tuus.* Et Dauid, 1. Reg. 24. dicens Sauli: *Cogitaui, vt occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus.* Et Nabuchodonosor Holoferni, Iudith 2. *Non parcet oculus tuus omni regno.* Et Isaias cap. 13. aiens: *Et super filios non parcet oculus eorum.* Et apud Ezech. 5. Dominus: *Ego quoque confringam, & non parcet oculus meus.* Sic verba damnationis vel remissionis, non linguæ tribuuntur, sed potestatum oculis, quando ij sunt, qui primi annuntiant in Rege, qualis sit apud illum conscientia subditorum.

Luc. 22. *Chrysost.* *Esth. 15.* *Iob 19.* *Deut. 16.* *1. Reg. 24.* *Iudith 2.* *Isai. 13.* *Ezech. 5.*

§. XXVIII.

Imperet, non seruiat bestialibus affectibus, qui in bestiam non cupit ire.

NOmina dum imponit Adamus bestiis terræ, non inuenit inter bestias adiutorium simile sibi. Notanter enim ait textus: *Appellauitque Adam nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia cæli, & omnes bestias terræ. Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius.* Et meritò Adamus dum nomina dat bestiis, sibi simile inter illas non inuenit; quia dum dat nomina, imperium suum exercet, vt pulchrè expendit D. Basil. Sel. or. 2. Eucher. & Rup. in Cant. & alij passim. Quomodo ergo inter bestias simile sibi inueniet, qui bestialibus affectibus nouit imperare? Sanè non qui imperat, sed qui seruit affectibus bestialibus, is solus bestiis assimilatur, & totus in bestiam abit. Cantatissimus fuit error Philosophorum dicentium, post mortem hominum animas ad bestias migrare; item fuit vana Gentilium persuasio, quòd vel Circæis carminibus, vel aliis homines in bestias vertebantur. Sæpè ego mirabar, qui fieri potuit, vt vel Philosophi, vel populares homines tam sordidè de natura humana sentirent, vt crederent hanc tam facilè posse carminibus vllis in bestiam transmutari. At dum eorum mentes bestialibus affectibus seruire noui, tota mihi ablata est admiratio, quòd putetur a talibus facilis esse hominis in bestiam transmutatio. Pulchrè enim aduersus illos ait D. Amb. lib. de Fide Resurrect. *Neque enim mirum debet videri, quod creditis vos in bestias posse mutari, qui bestias adoratis.* Audiebant veneficis poculis mutari homines in bestias, & credebant facilè id posse fieri. Et vnde hoc crederent, nisi bestias ipsi colerent? Qui enim, homo cùm sit, bestiis seruit, bestiales affectus adorat, meritò non alienum putat, quòd se in bestiam facile transformet. Bestia fiat, necessum est, qui non imperat bestiis, sed bestiales affectus adorat. Exod. 20. ait Dominus: *Altare de terra facietis mihi, & offeretis super eo, &c.* Quæ lex non absolutè, sed conditionatè posita, refertur à D. Clemente Papa, dum sic legit: *Si feceris mihi aram, ex terra facies, &c.* Et putat hoc duplici modo mandatam fuisse legem, ante & post vituli adorationem; ita vt antequam vitulus adoraretur à populo, lex diceret, *Si feceris mihi aram,* non cogens, non obligans, sed liberam relinquens hominibus sui obseruationem: verùm post adoratum vitulum iam lex dicebat: *Altare de terra facietis,* nihil liberum relinquens circa legales obseruationes, sed ad illas cogens, & illatum iugum imponens, quod non portari potuit, vt ait D. Petrus Act. 15. Sed cur, quæ liberæ electioni hominum relinquebantur leges ante cultum iuuenci, postquam homines sese vitulo prostrauerunt, eúmque adorarunt vt Dominum, iam nihil amplius liberum illis relinquitur, sed dantur leges, quæ cogant, & velut iugum graue miseros onerent. Equidem qui vitulo seruiebant, eo ipso exuerant libertatem hominis, facti vituli similes illi, quem verebantur, vt Dominum, & ideò non mirandum, quòd ex tunc Deus illos, vt vitulos tractet, & graue iugum imponat. Pulchrè D. Clemens, lib. 6. Constitut. Apostol. cap. 20. ait: *Fecerunt vitulum conflatilem, & adorauerunt idolum. Tunc Deus iratus constrinxit eos vinculis, quæ dissolui non possent, & compressione oneris, & asperitate iugi constrinxit, neque ampliùs dixit; si feceris, sed, fac aram, & sacrifica assiduè, &c.* Vbi vitulum adorat Israel, sic brutescit, sic se in vitulum transformat, vt iam Dominus suo populo nil priùs, quàm iugum, & macellum cogitet. Nec aliud de se sperent, qui totos bestialibus affectibus se consecrant, in bestias equidem ibunt, & bestiarum gement sub onere. Hæc mala præcauens Dominus, adduxit ad Adam bestias omnes, vt se super illas extolleret. Sapienter enim ait D. Ambros. lib. de Parad. cap. 11. *Vocauit ad te omnia animalia Deus, vt supra omnia mentem tuam esse cognosceres. Cur quæ tibi similia minimè reperisti, adsciscere tibi & copulare voluisti?* Hoc curet homo sibi acquirere ex superexcellentia, qua subiicit sibi animalia, ne quid bestiarum, aut animalium proprium sibi trahat, ne hominem exuens in bestiam abeat.

Ambr. *Exod. 20.* *Clem. PP.* *Idem.* *D. Amb.*

Ex cap. 2. Gen. Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cúmque obdormisset, tulit

vnam

vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam.

§. XXIX.

A sola Iesu morte potest venire, quòd homo in fœminas non feratur more bestiarum.

FActurus Dominus mulierem ex Adamo, & homini, velut cæteris animantibus inducturus fœminam, vt nuptiarum fructibus impleretur mundus; soporem Adamo immisit; siue, vt legunt Septuag. *ecstasim*, qua à sensibilibus remotus, particeps fieret spiritualium, & inuisibilium. Id quod, cum multis Patribus asserit Eucherius, lib. 1. in Gen. inquiens: *Iste sopor ad hoc intelligitur & missus, vt ipsius mens per ecstasim particeps fieret Angelorũ.* Et D. Aug. lib. 9. de Gen. ad lit. 19. ait, quod soporatus fuit Adam, *vt particeps fieret Angelicæ curiæ.* Fœmina procuratur Adamo, & simul illi sopor immittitur, quo Angelorum particeps fiat. Posset equidem, & vigilans Angelorum particeps fieri, cur ergo ad hoc illi sopor immittitur, cùm fœmina formatur illi? In sopore illo mors Christi adumbrabatur, sine qua fieri nequit, quòd homo ex fœminarum consortio, ab angelica, & rationali vita non desciscat, & abeat in brutum. Ait Tertull. lib. de anima, cap. 25. *Somnus Adæ mors erat Christi dormituri in mortem, vt de iniuria perinde lateris eius vera mater viuentium figuraretur Ecclesia. Ideò, & somnus tam salutaris, tam rationalis.* Dormiebat Adamus, cùm ex latere eius fœmina fingitur, quam expergefactus videret, & adamaret, & in vsus immaculati thori acciperet. Et somnus, vnde tot carnalium voluptatum, tot brutescentium cupiditatum parabatur officina, seruit Adamo, vt Angelorum particeps fiat, & rationali magis fruatur vita, quia in illo somno mors erat expressa Christi, per quam solam potest venire, quòd carnales voluptates hominem non trahant in brutum. *Adæ somnus mors erat Christi, ideò tam salutaris tam rationalis.* Quòd ex consortio fœminarum homo non prorsus brutescat, & instar iumenti fiat, sed rationalis, & Angelicæ particeps maneat vitæ, id vna potest mors Christi efficere. Compone modò lignum cum ligno: lignum scientiæ viridantibus foliis vestitum, cum ligno crucis arido, & sicco. A viridi illo scientiæ ligno tota fœminarum potestas plaudit, nunquam enim sic Circe in pecora mutauit homines, vt mulier ligni illius fructu coniecit homines in brutorum ignominias. Quid tunc? Sic præualebit in homines mulier? Sic rationalem extinguet vitam? Extinguet sanè, nisi adsit lignum aridum crucis, quod solum id efficit, ne homines per fœmineas voluptates brutescant omnino. Do D. Germanum, orat. de Cruce in med. Qua ille, dicentem: *Ego comparat et [illegible] insipientibus, quæ sine Angelica gloria degebant, deflexa, & inclinata ad ventrem, & ad ea, quæ sub ventre sunt: non illis, & voluntate propensione, pascua Paradisi frui vetor. ipsáque bruta in [illegible] superant. Huiusmodi enim sunt nocumenta, quæ mihi ex viridi ligno extiterunt. Intuere autem quantu fructuum copia mihi [illegible] ligno. Loco reuersionis in terrã. donat mihi conuersationem cum Angelis; illudque ex viridi ligno incendium voluptatũ, hoc aridũ extinguit.* Ecce tibi lignũ crucis, ecce tibi mortẽ Christi oppositã damnis ligni scientiæ, cuius fructu fœmina homines ab Angelica vita detruebat, & trahebat in brutam sed lignum crucis, opposito modo extinctis voluptatum incendiis, homines asserit. & sistit in Angelica vita, ne instar iumentorum currãt post libidines. Hinc promissio illa venit Zachar. 14. *In illa die erit, quòd supra frenum equi est sanctum Domino.* Quæ adimpleta fuit per Imperatricem Helenam, de cuius munere, & sapientia venit, quòd clauus vnus, qui Christum cruci affixerat, in Imperialis equi freno poneretur. Et quid clauus ille ibi positus prius fecit, nisi vt ex tũc Imperatores, sicut equus, & mulus nõ raperẽtur ad fœminas? Hæc hoc à D. Ambr. orat. de obitu Theodosij, sancte. *Quæ [illegible] super frenum. nisi vt comprimeret licentiam tyrannorum [illegible] quasi equi in libidines [illegible] quòd liceret illis ad [illegible] imperatores [illegible] Neronum, quæ Caligularum, cæterorũ [illegible] super frenum [illegible] vana se libidine [illegible] Dominus, & [illegible] à lapsu.* Potest vna mors Christi fœmineis illecebris, Circæis poculis occurrere, ne in pecora mutet homines suos. Miser ille, quem mors Christi non afficit, quem non inficit sanguis Christi purpureus; fallar, nisi factus mulus, & equus præceps feratur in libidines. Quibus solus ille non brutescit, apud quem in pretio est crux Christi. Vnus Christus est, qui possit laxas carnis cupiditates restringere. Ierem. 2. *Nunquid obliuiscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ?* Et quod pectorale est sic castissimam sponsam constringens? D. Method. orat. de Cast. apud Biblioth. Photij inquit: *Pectorale autem, propositum animi ad castitatem colligans, est charitas in Christum.* Hinc vbi ait, Psalm. 136. *Beatus qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petram.* Pergit D. Ambr. lib. 2. de Pœnit. 11. *Qui infirmas, & lubricas cogitationes elidat ad Christum; qui omnes irrationabiles motus sui reuerentia comminuat: vt si adulterino quis amore raptatur, excludat ignem, copulámque meretricis, & se studio suo abdicet, vt Christum acquirat.* Hæc ibi.

Eucher. — *D. Aug.* — *Tertull.* — *D. Germ.* — *Zach. 14.* — *D. Amb.* — *Ierem. 2.* — *Method.* — *Ps. 136.* — *D. Amb.*

§. XXX.

Vnus Deus, & virtus ostendat, & designet coniugem futuram.

POsset equidem vigilanti Adamo, & videnti costa, per Dei potentiam, absque dolore eripi, & in eius coniugem coràm effingi; cur maluit Deus Adami mentem a sensibus sustollere, & hominem somno opprimere; vt sic non solùm costam eripiat, & fœminam formet, sed & qualitatem operis doceat virum? Meritò in compingenda, & designanda vxore cauet Deus ab externis sensibus Adami, & illos facit dormire, vt sic solus Deus, & virtus credatur debere esse, qui coniugem ostendat viris, & designet. Illud enim certum est discrimen, quod posuit D. Synes. lib. de Insomniis, inquiens: *Hic vigilans, alter somnians edocetur, sed per vigilē non homo est, qui instituit, dormienti verò Deus virtutum suarum fructum obiicit, vt idem sit dicere, quod nsequi.* Cauit hominem Deus, cauit sensuum fallacias, & ideo dormienti Adamo costam eripit, Euam effingit, & virtum suarum fructum ipsi obiicit, ne ab alio quàm Deo, & virtute edoceatur homo, quæ sibi sit vxor futura. Quæris homo vxorem? Vis eius indolem ediscere? Claude oculus tuos, ne ad pulchritudinem aspiciant, claude aures, ne carnalium, & peccatorum audias consilia; fac omnes terrenos sensus obdormiscere, vnus tibi Deus loquatur, vna virtus menti præfigatur tuæ, & vxorem inuenies, qualem tu nec desiderare scires. Seruus ille Abrahæ, dum mittitur quæsiturus sponsam Isaaco, sic ait, Genes. 24. *Puella, cui dixero, inclina hydriam tuam, & bibam Et illa responderit, Bibe, quin, & camelis tuis dabo potum, ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac.* Et cur in electione sponsæ non etiam genus requiritur, nõ forma exploratur, non examinatur dos diues? Cur non ait, *Puella nobilis, & diues, & pulchra, cui dixero, &c.* sed, illis omissis, quæ sensibus percipiuntur, rem totam Deo, & virtuti committit? Prudens seruus, in deligenda sponsa, noluit sensibus credere, sed vnum Deum spectat, & virtutem Ait Rupert. lib. 6. in Genes. cap. 41. *Ipse puellæ petendæ iudicium suis non commisit oculis, qui solam faciem, non etiam mores, aut virtutem perudere possent: sed credens, quòd Dominus sui curam haberet Deus, totam in illo posuit electionem.* Caue sensus tuos, caue sensuales respectus in quærenda vxore, vna virtus, & Deus, illam designet, si velis esse fœlicissimus coniux. Nec solùm Isaaci seruus non fidit oculis sponsæ electionem, sed & ipse Isaac: de quo Rupert. lib. 6 in Genes. cap. 1. inquit: *Nec iuuenis Isaac vxorem ambiuit, quam prius concupiuisset oculis, sed eam, quam nunquam viderat, secundùm voluntatem patris præstolatus est. Et hoc ætas iuuentutis petulantiam supergressus est, vt illam expectaret coniugem, quam Deus daret; non quam concupiscentibus oculis ipse cum dote magna nupsisset.* Sic præstantissimi viri cauent ab oculis suis, & rem Deo committunt, de cuius manu vxores accipiunt. Matth. 1. de præstantissimis Christi progenitoribus, ait: *Booz autem genuit Obed ex Ruth.* Nec mysterio caret, quòd ad Christi generationem assumatur matrimonium Boozi, & Ruthæ. Certum enim est de fide, Ruth priùs nupsisse Boozi propinquo, qui sine liberis florenti adhuc ætate mortuus est; nec probabilitate caret Boozum etiam alteri fœminæ nupsisse, quæ etiam nullis relictis filiis obierat. Ecce tibi Boozi, & Ruthæ primæ nuptiæ, & sterilitate, & infœlicitate plenæ, secundæ autem fœcundissimæ, fœlicissimæ. Et quando vterque in primis nuptus, & sterilitatem, & orbitatem fleuit, vnde eis secundæ nuptiæ adeò fœlices acciderunt, vt ex iis nasceretur Christus? Sanè vterumque ad secundas nuptias non respectus aliquis carnalis, sed solus Deus trahebat, &

D. Synes. — *Gen. 24.* — *Rupert.* — *Rupert.* — *Matt. 1.*

Religio. Rem sapiẽter tractat Imperfectus, hom. 1. in Matth. inquiens: *Booz interpretatur, in virtute sua, siue prævalens, qui secundum imperium Dei accepit vxorem Ruth à Deo prouisam. Qui autem accipiunt vxores ex prouisione diaboli, id est, non religione instituta, nec fideles generant filios, nec prævalentes nisi in malo, non ad gaudium, neque ad consolationem. Ergo Booz pro merito suæ fidei illam accepit vxorem, vt ex coniugio tali genus nasceretur regale. Nam Booz senex constitutus, non sibi accepit vxorem, sed Deo: non propter passionem corporis sui, sed propter iustitiam legis, vt suscitaret semen proximo suo, non magis amore, quàm Religione feruentior.* Solus Deus, & Religio prouiderant, & signauerant Ruth in vxorem Boozi; solus Deus, & Religio has secundas vtriusque nuptias tractauerant; nullus ibi malus, nullus respectus carnalis, nulla cupiditatis inflammatio; cur ergo non fœlices euadant? Cur ex illis & prosapia Regalis, imò & ipse Christus non nascatur? Sed & illud etiam notandum venit, nimirùm, qualis filius immediatè natus sit iis ipsis coniugibus. Ait enim textus: *Booz autem genuit Obed ex Ruth*: quod si vocabuli Obed significationem quæras, idem est Obed, ac subditus; nec ex talibus parentibus Deum solum, & Religionem spectantibus in coniugio, alius filius nasci potuit, nisi qui esset illis maximè subditus. Ait Imperf. in Matth. hom. 1. *Talis ergo Booz ex tali coniuge Ruth, qualem filium genuit? Obed, qui interpretatur subditus. Nunc autem, qui diuitias eligunt, & non mores: pulchritudinem, & non fidem: & quod in meretricibus solet quæri, hoc in coniugibus optant: propterea non generant filios subditos, vel sibi, vel Deo, sed contumaces, & contra se, & contra Deum, vt filij eorum non sint fructus iustæ coniunctionis eorum, sed pœna condigna irreligiositatis ipsorum.* Ecce tibi vnde tota fœlicitas, aut infœlicitas coniugiorum in filiis procreandis manat, si affectus ad diuitias, ad pulchritudinem, ad meretricias voluptates coniugem designauit; nihil inde spectes nasciturum præclarum. Si sensibus occlusis ad hæc vana; vnus Deus, & virtus quæratur, qui prouideat coniugem: tunc immensa coniugij fœlicitas tibi plaudet. Aiebant obstetrices Ægyptiæ Pharaoni, Exod. 1. *Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres: ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & priusquam veniamus ad eas, pariunt.* Alij legunt, *ipsæ enim viuaciores, aut fortiores sunt.* Chaldæus, *ipsæ sapientes sunt.* Confitebantur equidem in Hebræis fœminis præstantiorem virtutem, & sapientiam, qua sine obstetricum auxilio fœlicissimos edebant partus. Et meritò, quia vt Hebrææ vxores, & quærebantur, & tractabantur à viris, & honestiùs, & sanctiùs, sic in fœlicitate partuum cæteras omnes superabant. Ait enim ibi Lippomanus: *Hebræarum fœminæ sicut castiores erant, sic & in partu fortunatiores Domino promouente opus suum in fidelibus. Viuidiores esse dicuntur, quia à maritis suis religiosiùs amatæ, & tractatæ castiùs.* Hinc multum pendet, & vita, & fortuna coniugum, quòd à coniugio sensualium cupiditatum abit rabies, & Deus adsit: vbi enim non Deus, sed malus, sed meretricia voluptas; non miror, quòd millia infortunia coniugibus accidant. Hoc enim erat testimonium Raphaelis Angeli Tob. 6. *Hi namque, qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos.* Hæc ibi.

Imperf. Imperf. Exod. 1. Lippom. Tob. 6.

§. XXXI.

Virgo, non omnino aliena à proprio sanguine, aliis præferenda est ad coniugium.

POsset Deus ex alio puluere formare Euam, sed maluit, quam in coniugem Adami formabat, ex costa illius producere, vt iam innueret, quàm præferenda sit ad coniugium puella, quæ non omnino est aliena à sanguine viri. Hinc D. Ennodius aiebat, lib. 5. epist. 24. *Cœlestis cura neptis meæ procum non omnino à sanguine nostro peregrinantem iussit accedere: vt dum consulendi instat opportunitas, sancto amori pabula præstarentur.* Deo refert acceptum sanctus vir, quòd neptis suâ peteretur in coniugem à iuuene non omnino alieno à consanguinitate, nunquam enim coniugalis amor, & fides non firmior est, vbi & supponit castum amorem, quem aliqualis sanguinis propinquitas parit. Probo sanè auctoritatem Ecclesiæ prohibentis, ne qui intra tales gradus propinqui sunt, coniugia inter se possint celebrare. At extra gradus prohibitos aliqualis propinquitas ea pabula amori sancto præstabit, quibus mirum in modum crescat coniugalis amor. Id notat Abrahamus, Genes. 24. dum adiurans seruum suum, fatur: *Non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito: sed ad terram, & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias vxorem filio meo Isaac.* Terram suam, & cognationem suam reliquerat sanctus Patriarcha, secutus Deum vocantem; vbi autem coniux prouidenda erat filio, nulla illi placuit, nisi quæ esset de cognatione sua, in vnóque secum participaret sanguine.

Ennod. Gen. 42.

§. XXXII.

Nil obest, quominus & coniugati possint ascendere ad perfectionis sublimia.

ECstasis immittitur Adamo, qua, vt ex Augustino, & Eucherio vidimus, rapitur vsque ad Angelicam curiam, & simul ex eius costa vxor fit illi, & facta adducitur marito. Quid mirabilius? Simul dantur Adamo ecstasis, & raptus diuini, & vxor; ne putentur vxorati exclusi ab alto contemplationis diuinæ, possunt enim & qui in cœlestia rapiuntur, descendere etiam, vt vxoribus conuiuant. Quis obsciat Paulum raptum vsque in tertium cœlum? Ait ipse 2. ad Cor. 12. *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (siue in corpore, nescio, siue extra corpus nescio: Deus scit) raptum huiusmodi vsque ad tertium cœlum.* Sed hic, qui vsque in tertium cœlum rapiebatur, aliquando descendens non dedignabatur leges ordinare, & tractare coniugij: quippe, 1. ad Cor. 7. ait: *Vxori vir debitum reddat, & vxor viro.* Non enim obest, quòd qui rapitur ad cœlestia, descendens inde vel infimas subeat coniugij curas. Ait Ruper. lib. 3. in Exod. c. 29. *Paulus Apostolus, cùm raptus fuisset vsque ad tertium cœlum, vel Paradisum, & audisset arcana verba, quæ non licet homini loqui: de tam altis ad tam infima descendit, vt disponeret iura coniugij: Vxori, inquiens, vir debitum reddat, & vxor viro.* Possunt equidem in eodem homine, & ecstasis, & raptus diuini inueniri, & vniuersæ curæ coniugij. Habes Gen. 5. *Porrò Enoch vixit sexaginta quinque annis, & genuit Mathusalem Et ambulauit Enoch cum Deo. Et vixit Enoch, postquam genuit Mathusalem, trecentis annis, & genuit filios, & filias. Et facti sunt omnes dies Enoch trecenti sexaginta quinque anni, ambulauitque cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* Et maximè ponderandum est, quòd inter tot nuptiarum fructus, dicatur Enoch, non semel, sed & bis, ambulauisse cum Deo, & raptum fuisse à Deo. Vbi genuit Mathusalem, statim additur, *& ambulauit Enoch cũ Deo*, & post duas lineas recensitis filiis ab eo genitis, statim repetitur, *& ambulauit cum Deo.* Semel de virginibus dixit Dominus, Apoc. 14. *Ij sequuntur agnum, quocumque ierit*: de isto autem coniugato, non semel, sed bis, & tertio quoque verbo repetit, quod *ambulauit cum Deo*, ne putarentur nuptiæ obesse, quominus, si velit quis, posset in maxima esse familiaritate cum Deo. Ad hæc fatur D. Chrysost. hom 21. in Gen. *Audiant viri, & mulieres, & discant iusti virtutes. Ne putent nuptias in causa esse, quominus quis Deo placeat. Nam idcirco diuina Scriptura semel, & iterum assignauit dicens, Genuit Mathusalem, & tunc placuit. Et idem ingeminat, ac repetit dicens: Et placuit, postquam genuit, vt ne quis arbitretur obstaculum esse virtutum coniugium.* Coniux erat Enoch, & semper cum Deo ambulabat; coniux erat, & plusquam virgines Deum inseparabiliter sequebatur; coniux erat, & in Paradisum cum Elia virgine à Deo fuit raptus: ne putetur esse sanctitatis gradus sic virginibus proprius, quem non possint terere coniugati. De Virgine sponsa dicit Cant. 4. *Hortus conclusus soror mea sponsa*, legit D. Amb. *Paradisus conclusus soror mea.* Item & Susanna coniux dum in horto, siue pomario, siue Paradiso est, vexillum extulit castitatis, vt habes Dan. 13. Et cur Susannæ non alibi, nisi in horto, siue in Paradiso prælium, & triumphus paratur, nisi vt ostendatur coniugata posse in eodem virtutis culmine inueniri, in quo virgo exaltatur? Ait D. Amb. lib. 7. epist. 42. *De Virgine anima, vel Ecclesia, quam volebat virginem castam assignare Christo, ait; Paradisus conclusus soror mea, sponsa. Paradisus Græcè, Latinè hortus dicitur. Denique Susanna in Paradiso erat, & sic legitur Latinè. Ibi ergo est casta vxor, vbi virgo.* Quòd si in Paradisum rapitur virgo Elias, virgo Paulus, nõ absimilibus raptibus insigniuntur quandoque coniugati, ne putentur nuptiæ prorsus obuiare culmini sanctitatis. Huc spectans D. Chrysost. ser. contra Iudæos, & gentiles, sic tuetur coniugatorum causam: *Vis cognoscere, quòd nihil nocet habere vxorem, & pueros? Moyses nonne vxorem habuit, & liberos? Elias nonne virgo erat? Nonne Moyses manna è cœlo deduxit? Nonne Elias ignem de cœlo deduxit? Nonne Moyses coturnices aduolare fecit? Nonne Elias verbo cœlũ clausit?*

2. Cor. 12. 1. Cor. 7. Exod. 29. Gen. 5. Apoc. 14. D. Chrys. Cant. 4. D. Amb. D. Chrys.

Nonne Moysi Deus locutus est? Nonne & cum Elia conuersatus est? Nonne Moyses mare diuisit, & traduxit populum? Nonne Elias curru igneo sublatus est? An nocuit huic virginitas, an impedimento illi fuerunt vxor, & liberi? Maior, & expeditior est ad virtutem, & gloriæ triumphos virginitatis, & cœlibatus status, at non sic inferius est eo coniugium, vt non possint coniugati etiam summum perfectionis verticem attingere. Adsit coniugatis sobrietas, adsit perfectionis ardens studium, & rapientur etiam in Paradisum cum Elia, vt raptus est Enoch; & ambulabunt cum Deo, vt ambulant virgines; nec coniugium oberit, quominus summam perfectionem attingant, quam attigerunt coniugati plurimi.

§. XXXIII.

Diuina adiutoria non paruo hominis sumptu haberi solent.

Ecce tibi Deus iam adest quasi in procinctu, vt Adamo præstet adiutorium simile. Quid tunc? Adami lateri adhæret, & inde costam educit, quam in fœminam adiutricem ædificat, ne putet homo sibi ex Deo ventura efficacia adiutoria, quibus ipse ex propria substantia non cooperetur, & magnum non præbeat sui sumptum. Id notans D. Anastas. Sinaita, lib. 9. Exam. aiebat. *Quæ dicitur adiutrix, eam fecit ex propria in ipso costa.* Non equidem, aut vili, aut nihili Adamus accepit adiutorium à Deo; quin potiùs magnum sui fecit sumptum, integram costam exhibuit, & nisi de exhibita costa adiutorium non vidit. Tobiæ Angelus auxiliator decretus erat, qui peregrinum filium comitaretur, nummos ex debitore colligeret, sponsam procuraret, totam familiam lætificaret. Et quid à Tobia petitur, vt tot illi Angeli, & sponsæ adiutoria pararentur? Ait textus, cap. 2. *Tobias plus timens Deum quàm Regem, rapiebat corpora occisorum, & occultabat in domo sua, & mediis noctibus sepeliebat. Contigit autem, vt quadam die fatigatus, à sepultura veniens in domum suam iactasset se iuxta parietem, & obdormisset. Et ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora inciderent super oculos eius, fieretque cæcus.* Qui tot operibus bonis Dei auxilium solicitabat, interea amittit & oculos: quis malus potuit sic laboranti oculos eripere? An dæmonis alicuius fuit opus, sic diuinum athletam affligere, sic illum orbare luminibus? Absit; imò iam apparebat ibi adiutoris Angeli opus, qui enim Angelus adiutor, & comes datus erat à Deo Tobiæ, hic adiutorium parat, faciens in Tobia tentationem, & sumptum in ereptis oculis. Ait D. Cyprian. de orat. Dnm. *Raphael Angelus Tobiæ oranti semper, & semper operanti testis fuit, dicens: Cùm sepelires tuos mortuos simpliciter: & quia non es cunctatus exurgere, & derelinquere prandium tuum, sed abiisti, & condidisti mortuum, missus sum tentare te, & iterum me misit Deus curare te, & Saram nurum tuam.* Ecce tibi non otianti, nec in somno stertenti, sed continuè operanti Tobiæ adest Angeli adiutorium, & quale adiutorium? Quòd in primis immittat tentationem, eruat oculos, & ab ereptis oculis Tobiæ abeat filij eius socius, & illi negotietur pecunias, & sponsam. Sic sanctissimis viris à Deo parantur adiutoria de sumptu costæ, vel oculorum. Huc refero illud Isaiæ, cap. 10. *Et erit lumen Israel in igne, & sanctus eius in flamma, & succendetur, & deuorabitur spina eius.* Quæ verba sic leguntur à D. Athanasio de Incarnatione Christi: *Erit lux Israelis sicut ignis, & sanctificabit eum in nube ardenti, &c.* Lux Israelis, est Deus adiuuans infirmitatem eius, illique multis modis fauens, & subueniens, iuxta illud, *Sedentibus in regione vmbra mortis lux orta est eis.* Quando ergo lux est idem, quod fauor, & adiutorium Dei; cur dicitur, quòd lux hæc, fauor hic, adiutorium hoc, erit sicut ignis, & effectum sanctitatis præstabit, vt flamma ardens? Sanè, qui igne, aut flamma indiget, fieri nequit, vt ignem habeat, flammámque trahat, & conseruet, nisi aliquos sumptus faciat, apponens pabula, quibus ignis accendatur, flamma excitetur, nutriatur. Talis est Dei fauor, tale diuinum adiutorium, quod nisi de cooperatione in virtutibus, de temporalitatum sumptibus non excitatur. Rem hanc factum demonstrat 2. Paral. cap. 33. sedebat namque rex Manasses, cum toto populo suo in regione vmbræ mortis, densissimis errorum, scelerúmque tenebris immersus; tunc Deus parans illi efficacissimum adiutorium, trahit Assyriorum exercitum, qui missilibus flammis comburit totam Ierosolymam, & Templum, & Regiam, captúmque Regem, catenis vinctum in Babyloniam defert. Quid tunc? *Qui postquam coangustatus est, orauit Dominum Deum suum: & egit pœnitentiam valde coram Deo patrum suorum. Deprecatúsque est eum, & obsecrauit intentè: & exaudiuit orationem eius, reduxitque eum Ierusalem in regnum suum: & cognouit Manasses, quòd Dominus ipse esset.* Quis ignoret Dei auxilium, Dei adiutorium in Manasse? Nonne sedenti in vmbra mortis lux apparuit, auxilium adfuit, quo & Deo, & regno restitutus est? Planè diuina lux, diuinum adiutorium illi, quasi ignis venit, dum de erepto regno, de erepta libertate sic illum fecit conualere. Ad hæc D. Gregentius in disputat. cum Herbano Iudæo, fatur: *Quin etiam vide Manassem, quomodo ipsum in captiuitatem abductio illuminauit. Illic enim conseruatus est, & resipiscens misericordiam apud Dominum inuenit. Ad hunc igitur scopum Propheta intuens vaticinium protulit. Quod erit lux Israelis, sicut ignis, & sanctificabit ipsum.* Semper equidem fauor, & adiutorium, quod à Deo in suos venit, erit sicut ignis, qui nisi de magno sumptu, nec crescit, nec viuit. Magnos factorus est sumptus temporalium commodorum, qui in se diuinum adiutorium retinere amat. Meritò enim vocatur Deus, Psalm. 9. *Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.* Circa quod ait D. Chrys. *Opportunitatem hoc dicit afflictionem. Quod hoc sit mater studij sapientiæ, & maximè diuinum attrahat auxilium. Tunc sublata est socordia, & nimia dissolutio, tunc supplicationibus vacamus diligentiùs. Tunc autem maximè sentimus auxilium, quando versamur in afflictionibus. Qui enim fert auxilium, ei fert, qui operatur. Non oportet ergo otiosos esse & animo deficere, sed & preces afferre; & eleemosynas, & omnia, quæ à nobis ipsis afferri possunt. Quis fiunt enim in bello socij, ijs qui pugnant, opem ferunt, non iis qui animo deficiunt, & se dedunt otio. Si vis ergo Dei assequi auxilium, nunquam, quæ tua sunt, perdideris.* Hæc ibi: ne putetur diuinum adiutorium efficax esse, sine magno, & cooperationum & virtutum sumptu.

Anast. — *Tob. 2.* — *Cyprian.* — *Isai. 10.* — *D. Gregent.* — *Psalm. 9.*

§. XXXIV.

Ne nimis morosi sint parentes in elocandis filiabus.

In nubili ætate effinxit Dominus Euam, & vt finxit, nihil moratus, nec expectauit, quòd illa per se iret, sed ipse statim *Adduxit eam ad Adam.* Nec miror, quòd sic festinarit Deus, vt adduceret Euam ad Adam: quando enim illa in nubili erat ætate creata, si relinqueretur, & aliquandiu detineretur, excusabiliter per se Adamum quæreret, & ad illum curreret. Sic meritò cauet Authentic. *vt cum. de Appell. cognosc. §. aliud quoque.* Vbi dicitur: *Si verò vsque ad vigintiquinque annorum ætatem peruenerit filia, & parentes distulerint eam marito copulare, & forsitan ex hoc contigerit in suum corpus eam peccare, aut sine consensu parentum, marito se (libero tamen) coniungere: hoc ad ingratitudinem filiæ nolumus imputari.* Sapiens legislator non vult imputare ingratitudini erga parentes, si filia, post viginti & quinque annos ætatis, etiam inuito, & renuente patre, sese marito copulauerit. Nec linquitur potestas tam moroso patri, vt possit filiam mulctare, nec exhæredare: eò quòd ipsa abierit post virum, viginti & quinque annis relicta innupta à patre. Vnde si post tam longam expectationem rapta ab aliquo fuerit puella, & ipsa cum raptore consenserit habitare, non ideo amittet hæreditatem patris. Quod docet Glossa *in C. de raptoribus,* in verbo, *Excusata, 36. q. 1.* vbi ait, supposito raptoris casu, *Pater tamen potest eam exhæredare, si vult, nisi maior esset vigintiquinque annis, tūc enim si pater distulit eam copulare, si alicui adhæserit, remanebit cum illo, etiam inuito patre, nec exhæredabitur.* Ecce tibi, & iure ciuili & Canonico, excusata est puella, quæ post viros abijt, dum pater sic eius nuptias distulerit, vt per viginti & quinque annos nulli eam locauerit. Quod enim in hoc vitij fuerit, nō tam puellarum intemperantiæ, quàm parentum nimiæ morositati tribuere gaudent. Hinc Genes. 19. fugiturus Loth, cum filiabus in montem, notanter dicitur filiarum maritos ad fugam inuitasse. *Egressus itaque Loth locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias eius, & dixit: Surgite, & egredimini, &c.* Et cur necessum fuit hanc Lothi diligentiam erga generos sic explicare? Narraturus erat statim Moyses filiarum Lothi facinus, quod patrem inebriarunt, & ex illo filios concipere procurarunt; ideò curauit Scriptura, vt nota fieret diligentia Lothi in trahendis generis, filiarum maritis, ne illarum facinus tribueretur morositati patris. Pulchrè ait D. Ambros. lib. 1. de Abraham, cap. 6. *Quod generos habere Loth sanctus inducitur, & illos monere, vt fugerent, docetur simul ne deserendo eos, minus pius videretur circa filiarum maritos; vel ne erroris earum causa ipsi assignaretur, quia destituta virili consortio, concubitum ebriati expetissent patris. Non ergo indefessum sinit Scriptura virum sanctum relinqui, cùm & tradidisse maritis*

Authent. — *Gloss.* — *Gen. 19.* — *D. Ambr.*

filias,& mentiisse generos inducit. Maximè cauit scriptura, ne filiarum facinus Lotho tribueretur, & ideò tã accuratè proposuit eius diligentiam in procurandis maritis, in monendis illis vt secum fugerent. Nunquam enim non tribuitur filiarum error parenti nimis moroso in elocandis eis.

Genes. 2. Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.

§. XXXV.

Deploratus esset princeps, & ingenuus homo, cuius lascivia eo peruenit, vt vel de seruilibus parentibus ortas seruiles etiam sibi fœminas adiungat.

PRæclarus Princeps Adamus, in fœmina sibi adducta, nihil priùs laudibus effert, quam nobilem, & ingenuam eius originem, quòd non è puluere, sed de viro sumpta sit, & viri omnium primi os, & caro existat. Non ait; Hæc formosa, hæc pulchra est, huius oculi sydereum quid micât, capilli aureas minantur torturas, vultus totus deliciæ; sed iis omissis, eius cantat originem. Etenim ait: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* Nihil priùs ab homine ingenuo, & Principe curandum, in sibi adiungenda fœmina, quàm eius perspicuitas originis, & nobilitas. Sic ex diuina lege monet adolescentes suos Iosepb.lib.4.Antiquit.cap.8. *Vbi ætas maturuerit, vxores ducant virgines ingenuas, ex honestis parentibus prognatas. Ancillas ne ducant ingenui, ne adamatas quidem; decet enim cupiditatibus imperare, & ad retinendam dignitatem id magnopere conducit.*

Ioseph.

Qui dignitatem auitam, ingenuitatémque retinere studet, thalami consortes ingenuas, & nobiles adsciscat; caueat seruile fœminarum genus; certus quod de seruili amasia vilis fiet, quando amatores facillimè conuertuntur in ea, quæ diligunt. Hinc Abrahamus seruum mittens, vt quærat sponsam filio suo ait Gen. 24. *Pone manum tuam super femur meum, vt adiurem te per Dominum Deum cœli, & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito, sed ad terram, & cognationem meam proficiscaris.*

Gen. 24.

Cur Abrahamus sic Chananæas puellas abominatur, vt desperet inter illas posse vnam inueniri, cui possit copulari eius filius? Erant Chananæi a Deo seruitutis maledictione percussi, ait enim Noe, Gen. 9. *Maledictus Chanaam, seruus seruorum erit fratribus suis:* nec miror, quòd nobilis, & ingenuus vir, adeò timeret ex seruili gente quærere sponsam filio suo. Ad hæc D.Amb.fatur, *lib.1.de Abrah.cap.vlt. Constringit eum, vt non de semine Chananæorum vxorem accerseret Domino suo, quorum generis author patrem non honorauerat. & ideò maledictionis hæreditatem transmisit in suos, vt cognoscamus fidem, & quandam hæreditatem de authoris prosapia in iis requirendam, quos nobis volumus adiungere. Cum sancto enim sanctus eris, & cum peruerso peruerteris. Si hoc in aliis, quanto magis in coniugio, vbi vna caro, & vnus spiritus est?*

Gen. 9.

Quas nouit Abrahamus hæreditaria seruitute pollui, abominatus est; nec patiebatur consortem filio suo ingenuo adiungi ex gente, quam maledictio Dei seruili conditioni addixerat, cuius seruilis gentis consortia vitanda maximè sunt viris ingenuis, qui nolint ab ipsa ingenua natura desciscere. Et expendendũ est, quod D. Amb. licèt maximè nociua sit seruilis generis cõiunctio nobili viro, quæ per legitimas nuptias fit, tamen & quæuis alia eiusmodi coniunctio abominabilis est illi. Quippe ait: *Si hoc in aliis, quanto magis in coniugio.* Intolerabilis, & perditissima res est, quòd ingenuus homo seruitutis maledictioni addictam fœminam vxorem accipiat; quando vel illius consortium, & coniunctio simplex deploratæ turpitudinis, & vilitatis hominem designat. Quis non videat hodiernos nobiles maximè à nobilium natura degenerasse? Recole vniuersas nobilium virtutes à Sapientibus celebratas, decantatas, quarum nec vestigium hodie apparet apud nobiles nuperos, qui magis apparent turpitudinum mancipia. Vnde hoc? Sanè ea quo nobiliũ luxuries eò peruenit, vt de macellis, & stabulis, & de histrionatu aureis catenis sibi fœminas deuinciãt, à tam seruili gẽte, & natione, quid aliud fiant viri nobiles, nisi mancipia omnium turpitudinũ. Sic vilescit nobilitas

D. Amb.

hodierna, sic prorsus abit in nihilum, & secum rapit vniuersam Rempublicam. Num. 25. pro causa ingentis calamitatis factæ in Israele hæc ponitur: *Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua.* De pessimo enim consilio Balaami, Moabitæ formosissimas suas puellas populo Israelitico opposuere hoc ordine, vt exirent Principum filię, simùlque cum illis pauperum, & vilium hominum filiæ, quæ miserum populum in perditionem allicerent. Sed vbi Principum, nobiliúmque filiæ proponebantur potentes ad peruertendum Principes, & nobiles Israelitas, cur additæ sunt vilium hominum filiæ? Equidem tunc certiùs paratur extrema pernicies, cùm fit, vt nobilium luxuries, non eos ad æquales solùm, sed ad vilissimas quasque possit deducere. Ait D.Ephrem ser. de Antichristo: *Statuit autem principibus Principum filias, diuitibus diuitum, cunctóque populo plebeias mulieres, volens illos penitus in mortem præcipitare, si neque diues pauperculam aspernaretur, neque princeps plebeij cuiusspiam filiam dedignaretur.*

Num. 25.

D. Ephr.

Expende, in quo ponat vir sanctus totum populi præcipitium, præcipitium, inquam, non casum simplicem, nimirum si diues ad pauperculã, si Princeps ad plebeij curratfiliam. Tunc equidem penitùs Satanas trahit, imò in mortem præcipitat populos, quando Principes, & ingenui viri, sic raptantur à luxuria, vt ad plebium fæces, & agasonum, histrionúmque reliquias recurrant. Non sic præcipitatus fuit Alexander etiam dum sese totum libidini tradit, de illo enim ait Iustin. *lib.12. Inter pellicum regiarum greges electa pulchritudinis, nobilitatisque noctiũ vices diuisit, &c.* Nec in pellice adamauit pulchritudinem sine nobilitate: fastidiens semper fœminam, quæ posset esse plebeio communis. Et illud etiam ingenuum in barbarorum luxuria, de quibus ait Plutarch. in Artaxerxe: *Barbari in amoribus graui æmulatione præditi sunt, vt non ille modò, qui appellauerit, & attigerit Regis pellicem, verùm etiam qui propiùs in itinere prælatus fuerit, at præteruectus, quibus portãtur, plaustra, capite luat.* Heu quãto fœdior est nostratis luxuria, quæ nec fastidit fœminas ab agasonibus subactas; imò eas amant, & multo auro emunt, quæ ab eorum latere, ad histrionum amplexus audè festinant. Huius turpitudinis sic Saluianus lib. 4. de Prouid. nobiles accusat. *Illud magis tetrum, ac detestabile, quòd quidam matrimonia honorata sortiti, alias sibi rursus seruilis status coniuges sumunt, deformantes sancti connubij honorem, per degeneris contubernij vilitatem, non erubescentes maritos se fieri ancillarum, præcipitantes fastigium nobilium matrimoniorum, in cubilia obscœna seruarum: digni prorsus etiam illarum statu, quarum se putant dignos esse consortio.* Hæc ibi.

Iustin.

Plutarch.

Saluian.

§. XXXVI.

Magnum discrimen est in eo, quòd quis talis vocetur, aut quod talis sit.

VIrago nomen est fortitudinis, & virilis constantiæ, cur ergo dicit Adamus, quòd ex se genita fœmina vocabitur virago? Quid nomen constantiæ, & roboris cum fœmina, quæ ad primum serpentis sibilum prostrata est? Notanter dixit, non quòd erat virago, sed quòd vocaretur; & longè aliud est vocari, ac esse, quando cum eo, quod quis vocatur, stat, quod in veritate nihil non sit nomini non contrarium. Exod. 7. ait Dominus Moysi: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Ex Hebræo Caietanus legit: *Vide, dedi te Deum Pharaonis.* Et sanè Dei proprium est misereri semper, & parcere, sanabiles facere nationes; at Moyses aduersus Pharaonem vibrat vniuersas plagas, & calamitates. Quid calamitosum est in mundo, quod Moyses non iecerit supra Pharaonem? Cur? ò bone, quando Deus diceris Pharaonis, non magis ostendis Dei bonitatem? Cur non magis amabilis, non magis misericors? Deus lucem habitat inaccessibilem, à te caligine tenebrosa Pharao vapulat: Deus parere facit etiam steriles, tu Ægypti primogenita morti tradis. Cur non magis ostendis diuinam benignitatem? Sanè non erat Moyses Deus, sed sic vocabatur; erat datus, siue constitutus in Deum, non erat Deus in naturæ veritate, & stat, quod quis Deus vocetur, & in re sit subiectorum carnifex. Ait D.Hilar. lib. 7. de Trinit. *Moyses Pharaonis Deus datus est, dum timetur, dum oratur, dũ punit. Et aliud est Deum dari, aliud est Deũ esse. In Pharaonem enim Deus datus est, cæterum non est ei & natura, & nomen, vt Deus sit.* Et datus, & dictus est Moyses Deus respectu Pharaonis, in quem magis videtur agere carnificem, quia magnum discrimen est, quòd quis sit Deus, aut, quòd quis Deus vocetur. Cum eo quod solùm detur, aut vocetur Deus, stat quòd nihil quis in se habeat diuinum, sed profanissimum.

Exod. 7.

D. Hilar.

nissimum. Heu quot nominibus vocantur homines, quibus prorsus contraria est eorum vita, vel in hoc omnium animalium vilissimi. Audio enim Leonem, audio Aquilam, & nihil in iis video, quod mihi non repræsentet Aquilæ, vel Leonis naturam, & indolem. Audio in hominibus vocari nobiles, & non cerno vel tenue nobilitatis vestigium, non fidem in verbis, non liberalitatem in donis, non beneficentiam in factis, non modestiam in dictis; sed omnia vilissimorum mancipiorum video. Audio vocari maritos, & nihil maritorum video, non vxoris amorem, non filiorum disciplinam, non domus curam; sed omnia lenonum se produnt officia. Longissimum equidem est interuallum in hominibus ab eo, quod vocantur, ad id quod sunt, & viuunt. Huc spectat illud Isaiæ c.48. *Audite hæc domus Iacob, qui vocamini nomine Israel.* Simplicius, & accommodatius diceret, *Audite hæc Israelitæ*, cur maluit dicere, *Audite hæc, qui vocamini nomine Israel?* Voluit ostendere, quàm aliud sit vocari, aliud esse: verum enim erat, quòd vocabantur Israel; at minimè erant Israel, nec Iacob, quando opera iis erant contraria. Cyril. lib.4. orat.3. *Nomen nudum habebant, sed mente desidebant, alius moribus, alia mente præditi.* Audiebatur in illis nomen Israelis, sed non erant Israelitæ, longissimè ab Israelis indole, moribúsque distantes.

Isai.48.

§. XXXVII.

Non ab homine, sed à Deo dantur nomina hominibus quæ non sint vacua.

QVod nomen magis vacuum, & inane est, quàm quod fœmineæ inconstantia vocetur virago? Meritò hoc nomen effictum dicitur fuisse ab Adamo, qui animalibus, non quidem hominibus, dedit conuenientia vocabula, solus enim Deus est, qui nouit ea nomina indere hominibus, quorum significata verè in effectu impleantur. Ait D.Ioann. 1. epist. cap. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus.* Deus dedit nobis, vt filij Dei nominemur, nec ibi stetit, sed insuper addidit illud, *& simus,* in eo enim ostenditur quæ à Deo venit nominatio, quòd & nomen, & res nominis datur. Quod etiam nouit Plato; ait enim in Cratylo: *Dei appellatio est, dum Deus facit in esse res nominata, id quod nomen significat.* Non tanta est virtus, & potestas hominis, quæ à se imposita nomina possit vsque ad effectum deducere, id solius est potestatis diuinæ; vel inde noscitur à Deo nomen venire, quòd vacuum non finitur, sed in re habeat positum, quidquid significat. Hinc lucem capit quæstio cantatissima; Cur aliis nomina imposuit Deus, vel antequam in vtero conciperentur, vel ex quo erant in vtero, aliis verò, non nisi post annos plurimos? Nimirum, de filio nominando dicitur Zachariæ, Luc.1. *Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem.* Antequam conciperetur, iam à Deo exprimitur nomen Ioannis: post multos annos iam grandæuo Petro dicitur, Ioan.1. *Tu vocaberis Cephas.* Et cur qui sic maturauit, vt nomé Ioanni imponeret, sic tardauit, vt Simoni nomé daret? Non patitur Deus, nomina à se imposita posse videri nuda, & vacua vocabula, sine effectu, qui per illa significatur. Ideò tunc ponit illa, cùm simul per effectus potest ostendi eorum significatio. Et cùm Ioannes ab ipso vtero gratia adornandus erat, ideò ex tunc accipit nomen, gratiam significans, & ostendens. Petrus autem non nisi grandæuus sustentaturus erat Ecclesiam, hinc non nisi grandæuus nomen à Deo accipit, per quod eius marmorea firmitas exprimatur. Pro quo ait D. Chrysost. hom. 18. in Ioan. *Deus est, qui nomina aptè imponit, qui Abram, Abraham, & Sarai Saram vocauit. Ita & Ioanni nomen cælitus imposuit. Quis enim debebant ab ineunte ætate virtute pollere, ex tunc indita sunt nomina: qui verò in ætatis progressu profecturi erant, postmodum.* Non poterant nomina à Deo imposita esse sine effectu significato, & simul erant effectus rei significatæ, & nomina à Deo data. Hinc eorum impositio vel festinabat, vel tardabat, prout effectus rei accelerandi erant, vel retardandi. Qui infans insignia virtutum editurus erat, nomen virtutis ab ineunte accipit ætate; qui grandæuus ad facinora vocabatur, in maioribus annis cælesti insigniebatur vocabulo. Nec vnquam nomen à Deo impositum cernebatur sine plenitudine significati. Isaiæ cap.48. ait: *Audite hæc domus Iacob, qui vocamini nomine Israel.* Et, post multa ibi dicta, statim pergit: *Audi me Iacob, & Israel, quem ego voco.* Paulò antè non Iacob, nec Israel dicebantur, sed vel domus Iacob, vel qui vocabantur nomine Israel; iam, relictis istis ambagibus, simpliciter, & verè dicuntur, & sunt Iacob, & Israel. Vnde illis hoc venit? Ipse explicans causam, ait: *quem ego voco.* Et quidem antea à se, & ab aliis nationibus vocabantur Israelitæ, sed in re significata non erant, soláque habebant nuda, & inania vocabula. Ex quo Deus in illos misericors cœpit illos Israelitas vocare, iam verè & in effectu Israelitæ erant, & non nudo nomine, sed pleno nominis significatu gloriabantur. Nequit enim nomen, quod à Deo venit, esse vacuum, & inane.

1.Ioan.3.

Plato.

Luc.1.

Ioan.1.

Chrysost.

Isai.48.

§. XXXVIII.

Vnus Iesus est, qui potest facere, quòd homo in gloria, & honore sibi intimè adunet, & æquet consortem.

VIsa Eua aiebat Adamus: *Relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Et vnde collegit Adamus tantam posse esse vnionem inter virum, & fœminam, quòd duo cùm sint, quasi vnus in gloria, & honore, & conuictu cernantur? An quia natura ad id impellebat? An quia nudæ naturæ author id efficeret? Equidem nec natura, nec naturæ author, vt solius naturæ author est, tantam vnionem, & æqualitatem in honoribus, & gloria inter duos efficiet, id vnus potest præstare Christus gratia sua. Hinc Paul. ad Ephes.5. ait: *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam; & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Odorabatur iam Christus, vbi vnanimitas, & æqualitas inter duos exprimebatur in honoris participio. Nequit enim hæc vnanimitas ab authore naturæ, sed ab vno Iesu venire. Aiebat Iesus discipulis Matth.5. *Vos estis lux mundi:* sed aiebat Deus Pater ad Abrahamum: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli*, Genes.22. Expende modò, Iesus discipulos suos vocat, non luces, sed lucem mundi. Deus autem Abrahamides non stellam, sed stellas vocat. Et cur Iesus non se conformat Patri, & similiter vocat discipulos mundi luces, vel cur Deus non se conformat Filio, & vocat Abrahamides stellam, quasi omnes conueniant in vnum? In Genesi agebat Deus solùm creatoris munus, non ostendebat tunc, quid possit gratia per Christum, de cuius sola potestate venit, quòd plures in luce, & splendore sic vnanimiter viuant, vt videantur vnus. Vbi autem hic diuinissimus gratiæ opifex non ponit manus suas, sed solus est author, & creator naturæ hominum, in honoribus vnanimitatem non quæras vllam. Pulchrè enim ait Tertull. lib.5. in Mar. in fine: *Agnosco veterem ad Abraham promissionem Creatoris. Et faciam semen tuum tanquam stellas in cælo. Ideò stella à stella differt in gloria.* Expende vnde educat stellarum differentiam in gloria, nimirum, quia agnoscit promissionem Creatoris. Ex quo non gratiæ author Iesus, sed naturæ solus Creator interest, nequit fieri vnanimitas, & conuenientia in gloria, & honoribus. Vt ab authore gratiæ Iesu vnanimitas plaudit in omnibus, sic sub naturæ solius authore differentia adeò claret, vt nec stella admittat vnanimiter lucere cum alia, sed altera ab altera differat in gloria, & claritate. Mater filiorum Zebedæi quærens filiorum honorem, ait ad Iesum, Matth. 20. *Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.* Cur non magis petit, vt ad dexteram sedeant ambo, in throno & honore æquales? Erat illorum mater naturalis, erat naturæ auctrix, non gratiæ Iesu procuratrix, & ideò amabat in illis differentiam claritatis. Ait D.Basil. Sel. orat.24. *O matrem filiorum impensè amantem, & piam mulierem! Materiam inuehit natura, filius vt gratificatur.* Quòd differrent in honore filij sedentes, vnus ad dexteram, alter ad sinistram, naturæ opus fuit, iuxta cuius regulas, nullus hominum gratum habet in honore consortium alterius, sed quisque amat ab aliis differre. Nec miror hanc differentiam, vt alienam, à Iesu depulsam esse, cum ait: *Sedere ad dexteram meam, & ad sinistram non est meum dare vobis.* Non est equidem Iesu dare fratribus, in quo differant, qui eò tendit, vt omnes homines in vnum conueniant. Quippe ait ad Patrem, Ioan.17. *Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.* Hoc vnius est proprium Iesu, qui & facit vtraque vnum, & vt ipse vnanimiter cum Patre regnat, & æquali fulget maiestate; sic facit, quòd omnes homines vnum facti, in gloria, & honore viuant vnanimes. Miraris quòd Iesu gratia inter homines causet vnanimitatem? Accipe quid maius: non enim solùm homines inter se conueniunt, sed & homines, &

Ephes.5.

Matth.5.

Tertull.

Matth.20.

Basil.Sel.

Ioan.17.

Angeli

Angeli per Christi gratiam mirabili vnione, & concordia copulantur. Quid tam dissitum à Creatore factum est, quàm Angelorum, & hominum solum? Angeli in cœlorum summitate iuxta propriam naturam conditi sunt, homines in ima terra creati, & quos sic Creator discreuit, mirum in modum Christi gratia copulauit. Pulchrè D. Nilus, hom. 1. de Christi Ascensione apud Photij Bibliothecam, ait: *In cœlum & terram creatura natura diuisa est, non permittit me diuisionem videre gratia, quæ hodie creaturam connectit. Quisnam deinceps dixerit, cœlum & terram diuisa esse, cùm suprà, & infrà natura mea regnet?* Sanè, quod à Creatore diuisionem habet, à Christi gratia habet vnitatem, Creator diuisit, natura separauit, cœlum & terram, homines, & Angelos, accessit Iesu gratia, & omnia adunauit, adeò vt non appareat diuersitas inter cœlum, & terram, quando in vtroque regnat nostra humanitas. Ecce diuisionem à Dauide decantatam Psalm. 113. *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum,* sed iam in cœlo & in terra, Filio hominis regnante, non permittit me diuisionem videre Christi gratia. Propone tibi ob oculos maris diuisionem, de qua Exod. 14. *Cùm extendisset Moyses manus super mare, abstulit illud Deus flante vento vehementi, & vrenti tota nocte, & vertit in siccum, diuisáque est aqua.* Eleuata Moysi manu ad ingressum populi diuiditur aqua maris, vt præbeat transitum. Non sic Matth. 14. quin potiùs iturus Iesus ad discipulos, *venit ad eos ambulans super mare.* Quod tempore Mosis diuiditur, modò constipatur, & vnitur, vt sustentet Iesu plantas. Et cur tunc in mari diuisio, modò adunatio, & constipatio apparet? Tunc naturæ seruiebatur imperfectioni, modò Iesu seruitur; & vt à natura diuisio, à Iesu venit adunatio. Ait antiquissimus Iobius, lib. 3. de Incar. cap. 12. apud Biblioth. Photij: *Natura quippe opus est, pondere illapso, aquam scindi, ac discedere: sic vt per miraculum à Moyse patratum nihilo fuerit natura præstantior effecta. Domini pede calcante, non iam amplius pelagus natura sua seruians diuiditur, sed supra naturam suæ conseruatione seruata subseruit Domino.* Sub natura diuisio, sub Iesu vnitas, euidenter conspicitur.

D. Nil. — Psal. 113. — Exod. 14. — Iobius.

Gen. 1. Creauit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illum: masculum & fœminam creauit eos. Benedixítque illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subiicite eam: & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.

§. XXXIX.

Præ cæteris omnibus creaturis, vnus homo viuidissimam Dei imaginem portat in natura.

CVm in vnius hominis productione audio inculcari illud, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram;* non possum non putare aliquam ostendi posse rationem in homine, quæ expressior sit, & viuidior Dei imago, quàm quæ inuenitur in Angelis, aliísve creaturis. Quæ autem hæc ratio imaginis sit, quæ sic solitariè in homine inuenitur, non obscutè monstratur in verbis textus præfixi. Ait enim: *Creauit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illum:* & quasi imaginis istius rationem exprimat, statim addit: *Masculum & fœminam creauit eos. Benedixítque illis Deus, & ait: Crescite, &c.* Tantùm non dixit; ad imaginem Dei creauit illum, dum illos masculum, & fœminam creauit, fœcundos ad producendum sibi in natura rationali perfecta similes. Itaque integra, & perfecta natura rationalis in homine, fœcunda ad producendum sibi simile in eadem integra, & perfecta rationali natura, est imago, & similitudo Dei expressissima, & adeò propria hominis, vt neque in Angelo possit reperiri. Huius imaginis diuinæ in homine vestigium antiquitùs retulit cum aliis rationibus D. Methodius, qui lib. de Castitate, in fine, apud Biblioth. Photij, inquit: *Quod est, cur solus homo ex omnibus à Deo creatis rebus, dicatur factus secundùm imaginem Dei? Nihil enim in homine reperias quis nobile, quo careat Angelica natura: non immortalitas; nam & Angelus immortalis: non liberum arbitrium. Si imperium dicas, nec sic quidem Angelos ostendes esse diuersos. Dominari enim plures Angelorum gentibus, & nationibus singulatim à Scriptura didicimus. Quid igitur est illud, secundùm imaginem? Si autem opificis, & effectoris substantia humana effigiem in homine dicis manere. Creat enim Deus vniuersa inexplicabili, & incomprehenso modo, producendo ea quæ non sunt. Etiam homo quandoque ex sua substantia, & natura satu seminis similem sibi hominem creat. Enimverò, & hoc si quid probabile habet; facile refellitur. Nam & qui solitariam vitam degunt, postquam se ipsos supra omne artificium humanum perfecerunt, miseri viderentur, quod hoc ipso, illud, secundùm similitudinem, perdidissent.* Expende, quòd hanc vltimam rationem imaginis non absolutè neget esse probabilem, & sanè futilissima ratione refellit illam; licèt enim in fœcunditate similis rationalis producendi consistat ratio imaginis diuinæ, non ideò qui virgo perpetuo manet, & miser est, & Dei imaginem in se amittit. Absit hoc, solùm namque ad hanc perfectionem imaginis requiritur natura ex se fœcunda, vt possit secundùm se in talem effectum prodire, vel in hoc, vel in illo indiuiduo. Sicut Spiritus sanctus in diuinis non miser est, nec amittit similitudinem perfectissimam cum Patre, & Filio, eo quòd ipse ex sua proprietate nullum sibi simile producat, quando in se naturam habet, quæ secundùm se radicaliter, & in Patre formaliter eam fœcunditatem possideat, in actúmque reducat. Sit ergo in homine imago Dei non ad extra creantis, sed ad intra gignentis & producentis: vt enim prima, secundáve persona diuina eam fœcunditatem habent, qua producunt sibi in eadem spirituali, & sapientissima, & perfectissima natura simile: Sic natura humana integra, fœcunditatem habuit producendi sibi, in omnibus ad integritatem naturæ rationalis pertinentibus, simile. Quò respiciens Ruper. in Cat. Lippom. ait: *O sancta æqualitas ac sibi soli dignissima Deitas. Vnus homo ad Deorum imaginem, & similitudinem fingitur.* Est enim homo imago Deitatis, non absolutè solùm, sed prout fundat respectus & generantis, & geniti similis, nempe Patris, & Filij coæqualis illi. Ait etiam Germanus Constantinop. orat. in adoratione Crucis, apud Gretsetum, tom. 2. *Hominem solum ex omnibus creaturis statuit, quasi notam, & ansam, cognoscendi in vna Diuinitate personarum Trinitatem.* Quando in solo homine ostenditur communicatio eiusdem naturæ rationalis in pluribus indiuiduis æqualibus omnino, cur in solo homine non sit imago supremæ Deitatis? Nec immeritò Richard. Victor. lib. 6. de Trinitat. cap. 1. vbi diuinas processiones cœpit exprimere, ad hominem recurrit, inquiens: *Vbi profundum aliquod de diuinis quæritur, meritò ad illam naturam recurritur, vbi (Deo operante) Dei imago depicta videtur. Est autem notissimum ad imaginem, & similitudinem Dei hominem factum.* Quidquid Dei vnius est, non adeò obtrusum, & profundum est, quod non enarretur, vel à creaturis insensibilibus, iuxta illud: *Cœli enarrant gloriam Dei.* At vbi in altum ducimus, profundúmque diuinarum originum mysterium indagamus, qualiter scilicet sapientia gignatur, & procedat spiritus in omnibus productori similis, non ad cœlos, nec ad Angelos, sed ad hominem recurrimus, vt in quo solo fœcunditatis diuinæ inueniantur vestigia. Hinc antiquus serpens, vbi hominem aggreditur, vsus est serpentis lingua, quæ, vt vulgò dicunt, tricuspis est. Et cur aliis omissis, tricuspidem serpentis linguam accepit, nisi vt ostenderet se cum illa natura tunc congredi, in qua sola totam Deitatis trinæ œconomiam cum diuinissimis originibus adumbratam cernebat inueniri? Ait B. Leontius Episcopus ser. de Creatione, & Lazaro, apud Bibliothecam Photij: *Bifida lingua serpentum spinas, & tribulos imitata, ex vno ortu in tres diuisa stimulos. Hanc ad opem sumpsit inuidus, tanquam contra Trinitatem pugnaturus, & per vnam Adami imaginem, totam Deitatem calumnians.* Quidquid erat diuinæ naturæ productionibus similium fœcundæ in homine expugnaturus tricuspide telo sese armabat malignus, non requirens aliam imaginem præter humanam, in qua totam Deitatem oppetat calumniis. Expende illud: *Per vnam Adami imaginem, totam Deitatem calumnians:* quippè per insensibilium imagines non totam Deitatem feriret, cùm staret in Deo Sapientia, & Voluntas, quæ nullo modo per insensibilia exprimuntur. Neque, per Angelorum imagines, tota Deitas feriretur à diabolo; non enim in Angelis est productio similis, & coæqualis, in rationali natura, quas productiones maximè amabat Dæmon ferire in diuinis. At per vnam Adami imaginem totam Deitatem calumniatur malus, inueniens sibi diuinæ existentiæ vmbram, vt in plantis, quam per Atheos calumnietur: insuper inueniens rationis, & intellectus effigiem, vt in Angelis, quam calumnietur per impiorum consilia, non ponentium in Deo prouidentiam vllam: rursus, inueniens simile, & coæquale rationale producentis imaginem, quam per Arrium, & Macedonium acriter impugnet. Ecce tibi vna hominis

Method. — German. — Rich. Vict. — B. Leont.

natura

natura prout fœcunda est ad simile,& coæquale in substantis, & ratione producendum, eam portat imaginem Deitatis, quam non inuenit diabolus in aliis. Nec mireris iuxta prædictam rationem, dici hominem viuidissimam Dei imaginem præ omnibus aliis, etiam Angelis; quando inde etiam probat Richard. Vict. rationem diuinæ imaginis vni filio Dei conuenire, non Spiritui sancto. Quippe ait lib. 6. de Trinit. cap. 11. *Commune est omnibus personis diuinis omnem plenitudinem habere. Commune Patri & Filio tam habere, quàm dare. Proprium Spiritus sancti habere, nec alteri dare. In hoc igitur solus filius expressam in se patris similitudinem habet, & imaginem tenet, quod sicut Diuinitatis plenitudo manat de vno, sic & eadem plenitudinis largitio manat de alio. Nulla autem persona emanans à Spiritu sancto plenitudinem Diuinitatis accipit, & ideirco imaginem Patris in se ipso non exprimit.* Similis est profectò Spiritus sanctus Patri: at quia fœcunditatem non habet, qua diuinam personam producat, non est imago Patris: solus Filius, vt qui cum Patre producit tertiam personam in Diuinis, imago perfectissima est. Ex quo etiam nos dicimus, quòd licet Angelus similitudinem habeat cum Deo, tamen imago Dei non est, sed in solo homine inuenitur diuina imago, quia in solo homine inuenitur fœcunditas aliud rationale simile, & coæquale producendi. Quòd autem ratio imaginis in hac habitudine non gratis constituatur, sed cum fundamento, sic probat ipse Richar. ibi, aiens: *Imago iuxta consuetudinem humanam, magis solet dici propter similitudinem extrinsecam, quàm propter intrinsecam. Ecce hominis imaginem dicimus statuam aliquam, & hoc vtique propter similitudinem extrinsecam. Nam si interiora statuæ cogites, non tam similitudinem, quàm dissimilitudinem inuenies. Vt igitur de illa personarum Trinitate aliquid loquamur iuxta humanum modum, quasi intrinsecus cuique est, quo est apud semetipsum, quasi verò extrinsecus est habitudo, quam habet ad aliud. Quoniam igitur Patris habitudinem in plenitudinis suæ largitione proferre videtur, rectè solus Filius Patris imago nominatur.* Sic similiter ex habitudine, quam solus homo habet ad alium similem, & coæqualem in ratione, & substantia generandum, perfectissima est, & absolutissima Dei imago, adeò vt tota Deitas repræsentetur per vnam hanc hominis imaginem. Nec obest, quòd in Deo sit Spiritus sanctus, cuius proprietas est, nihil simile sibi producere, nec coæquale, ad hoc vt homo dicatur totius Deitatis imago, quando vt natura diuina sub triplici persona considerata in Patre, & Filio fundana fœcunditatem, non illam fundat in Spiritu sancto; sic natura hominis consideratur in duplici statu, nimirum, in statu hoc corruptibili, in quo ex se fœcunditatem habet, & in statu regenerationis, & immortalitatis, in quo, nec nubet, neque nubetur, sed erit sicut Angeli Dei. In primo statu, Patri & Filio respondet; in secundo Spiritui sancto, qua manet solus homo absolutissima totius Deitatis imago. Huc spectabat antiquissimus Monachus Iobius, lib. 7. de Incarn. cap. 32. apud Biblioth. Photij, inquiens: *Cùm Spiritus sanctus, vt etiam apud nos est, corporum transcendat crassitudinem, meritò vbi cessauerunt contagia, excelsior illa, & illustrior vita, (vita hæc resurrectionis est, in resurrectione enim, neque nubent, neque nubentur) propriè attribuitur Spiritui. Illius autem vitæ tempore, in qua patres filios progenerant, Deum Patrem ordine Filio propositum cognosci oportebat, &c.* Ecce tibi vt humana natura sub Patre, & Filio, & Spiritu sancto viuit, tam huius quàm illorum imaginem referēs, prout in hac, & in futura vita existit. Spiritum sanctum refert, dum est in vita cœlesti, in qua homines nec nubent, neque nubentur. Patrem & Filium refert, dum est in hac vita habens fœcunditatem, qua ipsa in rationali perfectione constans & integra, similem & coæqualem sibi producat. Sed proh dolor! Hanc imaginem peccatum deleuit, dum ordinem superioris, & inferioris portionis, quem petit ratio, confudit, quippe ratio in homine recto & imperat, & sibi sensibiles appetitus subiicit, quod præcipua perfectio est integræ rationalis naturæ, sub qua perfectione debebant generari perfecti filij. Quid tunc peccatum? Ordinem rationis confudit, dum per illud ratio rapitur ab appetitu, & qui seruire debebat appetitus sensitiuus, ipse imperat, vt qui nascimur, magis videamur bruto, quàm rationali similes. Rem totam ponderat D. Basil. Sel. orat. in Annunt. Mar. inquiens: *Trinitas in Vnitate cognita, Vnitásque vicissim in Trinitate adorata, aliorum omnium, quæ natura constant, est principium sine principio, illuminationúmque omnium fons vberrimus, & venustorum omnium venustas venustissima. Secundum tantæ huius maiestatis imaginem homo factus, quosdam diuini illius splendoris, immensæque pulchritudinis radios, & quasi scintillam initio possidebat. Verùm peccati sordes tantam illam venustatem & pulchritudinem omnino offuscarunt: hominémque in bestiæ cuiusdam formam transformarunt. Homo, ait, cùm in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Erat in honore homo, cùm erat in integritate naturæ rationalis, fœcundus ad producendum in eadem integritate similem, in quo viuidissima erat imago totius Deitatis, cum suis originibus. At postquam peccatum intrauit, & ratio appetitui subiicitur, & homo incœpit nasci comparatus iumentis, & similis factus illis, offuscata, & deleta apparet imago diuina, quæ posita erat in fœcunditate ad producendum simile non iumentis, non brutis, sed integræ, & perfectæ rationis hominibus.

[Margin: Rich. Vict.] [Margin: Iobius.] [Margin: Basil. Sel.]

§. XL.

Nullus & propinquior, & similior Deo in gloria, quàm bonus Rex, qui in se & aliis sciat brutis moribus dominari.

SEmel & bis dicit textus, hominem ad imaginem & similitudinem Dei factum, & statim introducit Deum, qui sic moneat hominē: *Crescite, & multiplicamini, & replete terrā, & subiicite eam, & dominamini piscibus, &c.* Quem ad imaginem tuam modò facis, ô Deus, cur non illum statim mones de humilitate seruanda, de cura, & diligentia in polienda, & illustranda magis in se diuina imagine? Cur non ostendis illi, quomodo possit per inditam imaginem, magis tibi appropinquare; sed totus es in commendando illi dominio terræ, & animalium? Sanè qui regnum terræ, & animalium tradebat, non erat opus illum monere de aliis ad imaginem Dei illustrandā, quando Rex per bonam regni administrationem sic se extollit super omnes alios, vt in gloria vel Deus ipse, vel omnium clarissima Dei imago videatur. Aiebat Zachar. c. 12. *In die illa proteget Dominus habitatores Hierusalem, & erit qui offenderit ex eis in die illa, quasi Dauid, & domus Dauid quasi Dei.* Non parum est, quòd populares sic in gloria crescant, vt videantur instar Dauid Reges; verùm domus Dauid sic in immēsum crescet, vt nihil in se expressius referat quàm Deum, vt videatur clarissima imago Dei, vel Deus. Et cur sic Dauid solus appropinquauit Deo? Eò solùm quòd bonus erat Rex: sic enim explicat hæc verba D. Thom. lib. 1. de Regim. cap. 9. fatus. *In illa beatitudinis die, qua erit Dominus protector habitantibus in Hierusalem, id est, in visione pacis æternæ, aliorum domus erunt sicut domus Dauid, quia omnes Reges, & regnabūt cum Christo, sicut membra cum capite; sed domus Dauid erit sicut domus Dei, quia sicut regendo fideliter Dei officium gessit in populo, ita in præmio Deo propinquius erit, & inhærebit.* Non deficiet Rex bonus in excellentia sua super alios homines, etiam in cœlesti gloria, vbi omnes reges erimus, & cum Christo regnabimus, bonus Rex omnes superabit, adeo vt non tam Rex videatur cum regibus, sed Deus cum Deo. De electis ad gloriam locutus Dominus Matth. 8. dicit: *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cœlorum, &c.* Verùm, priùs dixerat Psal. 46. *Principes populorum congregati sunt cū Deo Abraham.* Expende, quòd de popularibus locutus, dicit, quòd recūbent in cœlis cum Abraham, Isaac, & Iacob: at de Principibus, & regibus, non ait, quòd erunt cum Abraham, sed cum Deo Abraham, vt innuat quàm super alios sunt, & Deo proximiores in cœlis Reges, & Principes, qui per bonam regni administrationem ad gloriam peruenerunt. Nec mirandum quòd sic Deo sese approximent in cœlis, quando & in terris non aliter splendent, quàm veluti quidam Dij terreni. Sic namque alloquitur D. Cyril. Alex. Theodosium Imperatorem, lib. 1. de recta in Christum fide: *Supremum humanæ gloriæ culmen, Christianissimi Imperatores, longè maximo discrimine cæteris omnibus antecedens, præstánsque præclara itidem sors, munúsque perillustre, à diuina excellentia, in vos defluxit; nempe quæ summæ illius celsitudinis, & dignitatis aliquod quoque vestigium & quasi simulachrum in terris extaret. Igitur vt summo illi numini omne genu incuruatur, Thronique, Dominationes, Principatus ac Potestates, prona submittentes colla, congruis illud laudibus, & hymnis venerantur, necnon cœlum, terrámque plena eiusdem gloria, & maiestate profitemur, ita & in vestra serenitate apprimè conspicua, & gloriosa venustam quandam summæ illius gloriæ imaginem intueri licet. Vos etenim, omni terreno fastigio superiores, amplissimarum dignitatum fontes estis. Vos humanæ fœlicitatis principia, & origines. Clementissimæ maiestatis vestræ nutibus nemo non ad iustam honestámque viuendi rationem promouetur.* Et quis Deo propinquior, quàm ille, cuius nutus vniuersos homines in honestate & pietate continet? Imò ad honestatem impellit, & promouet? Qui hæc

[Margin: Zachar.] [Margin: D. Thom.] [Margin: Matth. 8.] [Margin: D. Cyrill.]

præstant

præstant Reges, vt sapienter ait D. Thom. & in terris, & in cœlis super omnes alios extolluntur, & Deo appropinquant, cuius videntur imago lucidissima.

§. XLI.

Regis præcipuum studium, non tam sit in amicis iuuandis quàm in infensis regno barbaris, & efferis nationibus debellandis. Vbi, quòd prius tuas passiones debelles, quàm aliorum saluti studeas.

NE solus degeret homo, facit Deus illi adiutorium simile, quod factum adducit Adamo, & prorsus tacet, nec vllum verbum fatur circa adiutorium præstandum. Non sic tacet, vbi adducit animalia, imò, post hæc producta, & adducta, statim ait ad homines primos; *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subiicite eam, & dominamini piscibus, &c.* Nihil dixerat de adiutorio præstando, de mutuo auxilio exhibendo; sed id agit, vt moneat de subiicienda terra, de subiiciendis animalibus. Cur Deus non magis monet hominũ Principes, quòd sibi auxilientur, & foueant; sed, eo omisso, totus es in persuadenda terræ subiectione & animalium? Equidem in Principibus, & Regibus hæc debet esse cura potior, & maior, non vt auxilia præbeant amicis; sed vt barbaras & efferas nationes regno infensas possint debellare, & proprio imperio subiugare. Hinc Isocrates eleganti orat. habita ad Archidamum Lacedæmoniorum Regem, apud Biblioth. Photij, sic suceenset in ipsius Archidami Regis patrẽ, *Verùm ille qui in cæteris alios superabat omnes, cùm esset maximè temperans, idémque castissimus, ac Respublicæ studiosissimus, duplicem pro se tulit cupiditatem, praeclaram illam quidem vtramque per se, vt apparebat; sed ita inuicem dissidentes, nunquam vt simul ambo consistere possent. Cupiebat equidem & cum Rege Persarum bellum gerere, & amicos qui ad se confugissent, in ciuitates suas reducere, ac negotiis ibi publicis summa cum potestate præficere. Ergo illud inde sequebatur, vt ob studium erga alios, in bellis, ac calamitatibus Græci versarentur, & propter exortam inde rerum perturbationem, neque otij satis, neque virium ad lacessendos bello barbaros inuenirent.* Satis nouit prudentissimus Orator, & Philosophus ad regias virtutes speciosissimas pertinere, & quòd Rex auxilia præberet amicis, & quod regno infensos debellet barbaros. Sed prudenter indicat duas has virtutes in potestatis finitæ Principe simul esse non posse; non excusat à culpa Regem, cuius præcipuum & primum studium positum erat in amicis iuuandis. Ex quo duo mala necessariò sequebantur, quæ in primis à prudenti Rege cauenda videbantur. Alterum, quòd naturales, & proprij subditi semper apud externas prouincias in calamitatibus, & continuis bellis versarentur: alterum, quòd ob studium, & sumptus erga alios, nec satis otij, nec virium ad barbaros proprio regno infensos debellandos posset inueniri. Qui ergo sapit princeps, sic iuuet amicos, vt præcipuum eius studium non in eo sit, sed in eo vt subiiciat, & domet feraliũ, barbarorúmque hostium gentis suæ insultus. Quod vt verissimum est, sic ab spiritualibus conflictibus capit lucem, perperam enim quis sibi de regno Dei habito blanditur, nisi priùs, & principaliùs ferales in se curet concupiscentias extinguere, quàm proximorum opitulari saluti. Ait Cant. 3. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel. Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi. vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.* Pulchrè iuxta Salomonis lectulum ij sapientissimi pugnatores constituuntur, quorum fortitudo non sine sapientia est, quando nec gladium exerunt pro iuuandis, tuendisve aliis, quin gladium super femur suum relinquant, vt de propriis suis cupiditatibus subactis priùs, ad aliorum tutamen videantur prosilire. Nunquam, mihi crede, tutè amicos iuuas in salute, nisi priùs in te ferales cupiditates superare cures. Ait sapientissimè Nazianz. orat. 29. *Vix porrò quispiam, nec nisi qui, vel diuturna philosophia exactáque disciplina carnem franauerit, animaque nobilitatem, & splendorem ab humilis, & caliginosi corporis contagione abruperit, vel diuinum numen erga se benignum propitiúmque senserit, aut vtrumque horum habuerit, ac mentem, quàm maxima cura, & diligentia ad cœlestium rerum aspectum euexerit, vix, inquam, terrenam hanc molem deorsum detrahentẽ superauerit. Prius quàm autem eam, quantũ fieri potest, superauerimus, aurésque nostras, & mentis aciem repurgauerimus, animarum curam suscipere, aut ad rerum diuinarum pertractationem accedere, haud quaquam tutum esse duco.* Non equidem tutum est ad aliorum animas iuuandas aduolare, dum priùs in te, & brutas, & carnales concupiscentias non debellaueris. Id quod etiam D. Nilus in Ascet. docet, aiens: *Quomodo isti, qui collectum ex cupiditatum pugna, nondum ex animo puluerem excusserunt, prosiliunt ad imperandum, & aliorum curam suscipiunt, cùm suas nondum curauerint cupiditates, vt ex victoria sui cæteros ad vincendum ducere valeant? Oportet enim priùs aduersus cupiditates decertasse, &c.* Iustè equidem damnatur, qui dum ipse durissimos patitur hostes, totus est in auxilio proximis præstando. Huc trade dicta tom. 3. Moralium in Euang. lib. 15. cap. 8. §. 6.

Isocrat.

Cant. 3.

Nazian.

D. Nilus.

§. XLII.

Firmissimum reddit, & pacatissimum regnum, castitatis obseruatio, & cultus.

IMperaturo æternùm homini hoc in primis commendat Deus; *Dominamini piscibus maris*, hoc est, concupiscentiis carnis, vt ait noster Pererius lib. 4. in Genes. cap. 2. disp. de imperio hominis; & ante illum Orig. ait: *In piscibus autem maris, & volatilibus, vel animantibus, & reptilibus terræ, ea mihi videatur indicari, quæ ex desideriis corporalibus, & carnis motibus proferuntur.* Nulla equidem priùs cura mandatur imperaturo homini, quam ea, quæ versatur circa subigendos brutos sensualitatis appetitus, hæc enim est, quæ firma, & pacatissima tenet imperia. Notissimus est apologus ille confictus à Ionatha Gedeonis filio Iud. 19. vbi lignorum regnum defertur quatuor arboribus insignibus, nimirum, oliuæ, ficui, viti, & rhamno, à quibus solus rhamnus imperium suscipit, & in se firmat; cæteræ autem arbores dum fructibus edendis dant operam, regnum dimittunt. Et cur oliua, ficus, & vitis non magis regnare amant? Cur quos parturiunt fructus, regno anteponunt, quod integrum, & firmum rhamno relinquunt? In ficu intelligit D. Methodius nationes existentes ante diluuium, in vite illas, quæ post diluuium vsque ad legem scriptam vixere; in oliua autem eas, quæ post legem fuerunt vsque ad Christum, verùm in rhamno Christianissimi castitas, & puritas maximè nitet. Tres ergo primæ nationes per totidem arbores expressæ, vt nihil magis præ oculis habebant, quàm multiplicare partus suos carnalibus immersæ deliciis, sic regnum detrectant, quod nequit durare inter voluptuosas carnis delicias. Verùm, vbi virgineus rhamnus apparet, hoc est, vbi albicant Christianæ castitatis insignia, iam ibi regnum firmatur, & firmatur æternè duraturum. Sic enim finit D. Method. lib. de Castit. apud Biblioth. Photij: *Hoc enim castitatis regnum, cuius ipsos nunquam pæniteret, post Christi aduentum arripuerunt homines, cum singulorum aliorum, quibus datæ fuerant leges ante Christi aduentum, regnorum habenas à se ipsis celeriter excussissent, & cõtrario, falsóque parere, & se subiicere maluissent.* Illi equidem regnum nunquam dimittendum accipiunt, qui regnum Christianæ castitatis adipiscuntur; cæteræ ante Christum nationes, & leges, vt non sic affectæ erant erga castitatem, sic habenas regnorum à se ipsis celeriter excutiebant, non enim poterat permanere regnum, vbi non tam regnabat castitas, quam voluptas. Et quæ regna non execussit lasciuia? Facile erat ire per singula regna mundi, & singulorum ostendere casus ortos ab immoderato ardore luxuriæ. Meritò namque de hac dicit D. Zeno lib. 1. serm. 7. *Hæc sæpe indixit quietis gentibus bellum, hæc aliquoties robusta regna subuertit.* Non potest diu permanere regnum inter flammas luxuriæ; non possunt non viri lasciui vel propriis calcibus à se regnum excutere. Eò maximè intendant Reges, vt floreat Christiana castitas in regno suo, vt omnia habeant tuta, regnum firmissimum, & pacatissimum. Hinc illud monitum D. Pauli, ad Timoth. 1. c. 2. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt; vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate.* Quæ verba eleganter ponderans Petrus Damian. lib. 7. epist. 3. ad Henricum, Romanorum regem, ait: *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes, postulationes, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt constituti. Quare hoc? Audi quod sequitur: Vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate.* Nil amplius pro Principibus, & Regibus postulare iubemur, quàm quòd vitam agamus in pietate, & castitate, & cur non magis petemus, quòd triumphent de hostibus? Quòd diuturnum & firmum regnum habeant? Quòd pace tranquillissima fruantur? Cur, iis omissis, solùm iubemur pro Regibus postulare, vt in pietate, & castitate viuamus? Faxit Deus, vt

In Genes. 2.

D. Meth.

D. Zeno.

1. ad Tim. 2.

Petr. Dam.

detur Regibus, quò in eorum aulis, & regnis religio floreat, & castitas; in iis enim omnia tuta habent, firmissima, & diuturnissima imperia, victorias præclaras, tranquillissimã pacem. Notissima est historia Madianitarum, quando miserunt virgines suas, vt Israelitas allicerent ad lasciuiam, & idololatriam. Inter alios quidam nobilis vir erat inter amplexus puellæ Madianitidis, quod videns Phinees, & zelo incensus, arrepto pugione, vtrumque transuerberauit, & de eius exemplo omnes simul scortatores fuerunt trucidati. Quid tunc? Ait Dominus Num. 25. *Phinees filius Eleazari filij Aaron Sacerdotis auertit iram meam à filiis Israel quia zelo meo commotus est contra eos, vt non ipse delerem filios Israel in zelo meo. Idcirco loquere ad eum: Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quam semini eius pactum sacerdotij sempiternum.* Ecce quale præmium nanciscatur Princeps, qui & impietatem, & luxuriam confecit in populo suo, nimirum. naneiscitur pacem, & Sacerdotium sempiternum. Quippe ait Philo lib. 1. de Monarchia: *Deus laudauit strenuè nauatam operã, & promptam alacritatem: honorauit duplici præmio, pace, ac sacerdotio, tunc quia indicauit immunem à malitia debere esse in posterum propugnatorem diuini cultus fortissimum, &c.* Meritò strenuo expulsori impietatis, & lasciuiæ adiudicatur Sacerdotium æternum, & pax tanta, vt iam non egeat exercere militiam, nec bellicus tumultus audiatur in domo sua. Sic regna firmant propugnatores pietatis, & pudicitiæ, vt vel in vno scortatore confosso, à militia quiescant, pacem habeant æternùm duraturam.

Num. 25.

Philo.

Gen. 1. Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ: omníque volucri cœli, & vniuersis, quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendum; & factum est ita.

Gen. 2. Erat autem vterque nudus, Adam scilicet, & vxor eius: & non erubescebant.

§. XLIII.

Qui maris in fluctibus transigunt vitam, difficilius trahuntur in portum æternæ salutis.

NOn otiosè iubetur homo in primis dominari piscibus maris, antequam leonibus, & draconibus, & tigridibus. Dominari mandatur piscibus: ait enim; *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus.* Et cur priùs monemur de subiiciendis piscibus, quam de aliis? Difficillimum sanè studium est in subiugandis piscibus; & nunquam non censetur ad alios validissimus, qui potens est dominari monstris marinis. Iussus fuerat Ionas prædicare Niniuitis ethnicis; quam prouinciam, vt durissimam, refugiebat vir sanctus, desperans posse efferos homines, & penè brutescentes reduci in semitam salutis. Itaque mandatum fugiens Ionas, nautis se committit, & maris vndis; nauim intrat, & inter sæuissimam tempestatem, petit in fluctus mitti, & sic ex Deo suo sperari à nautis salutem. Quid tunc? Ad hæc verba Ionæ, commoti nautæ, cap. 1. *Tulerunt Ionam, & miserunt in mare, & stetit mare à feruore suo. Et timuerunt viri timore magno Dominum.* Ecce tibi ad verbum Ionæ nautæ Dominum timent; ex quo pulchrè conuincit Prophetam D. Basil. Sel. quòd ad eius prædicationem cõuertétur Niniuitæ; qui enim valuit nautas, & maris incolas trahere in bonã frugem, faciliùs trahet etiam ethnicos feralissimos: Quippe, ait ille orat. 13. *Quid nequitia medicamẽto, gentibus inuerdicis, ô Iona? Tantum locutus es, & simul nauigantibus persuasisti, locutus es, & fidem persuasisti.* Et quidem non est cur desperet se posse fidem, aut virtutem feralissimis nationibus persuadere, qui illam persuasit maris incolis. Quam nauta, quam marinorum fluctuum colonus ebibit religionem, & virtutem; haud dubium quin illam & feralissimæ nationes bibant. Quod auspicium agnosci potuit & in Iapponiorum Apostolo sanctissimo Francisco Xauerio Societatis Iesu parente, & filio; qui vbi itutus in Indiam nauim intrauit, in templum nauem transiuit, & nautas, naualéſque milites fecit esse Christianos. Huic meritò dicerem; Quid nequitiæ

Ion. 1.

Basil. Sel.

medicamentum afferre barbaris, feralibúsque nationibus tardas, ô Francisce? Tantum locutus es, & simul nauigantibus persuasisti; & qui maris incolas in Christi rete traxit, facili etiam negotio barbaros quoque trahet. Hinc Iesus tractaturus barbarissimas gentes, maris incolis priùs prædicauit. Matth. cap. 4. *Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare, (erant enim piscatores) & ait illis: Venite post me: & faciam vos piscatores hominum. At illi continuò, relictis retibus, secuti sunt eum.* Vnde homines marinorum fluctuum incolæ tam citò crediderunt se posse hominum populos in retia trahere? Sanè ex quo se marinos homines verbo Christi capi experti sunt, per eadem facilè credunt cæteros quoque homines posse à se capi. Chrysostom. homil. 14. in Matt. Ex illis quippe ipsis, quibus capti sunt verbis, facilè crediderunt, alios quoque per eadem à se capiendos. Et quos non capiat, qui maris incolas capit? Nulla equidem gens est intractabilior, & minus ad mores Christianos apta, quàm gens, quæ perpetuo incolit maria. De hominibus enim penè deploratæ salutis, ait Habac. c. 1. *Et facies homines quasi pisces maris.* Vt pisces, sic sunt homines maris incolæ. Et quid pisces? Ait D. Basil. hom. 7. in Exam. *Propria piscium est sors, propria sanè natura, separata, peculiarisque, pro moribus, victúsque vita. Ideo neque mitescit animalium natatilium quicquam, neque se se tractandum vnquam manibus vllis, mulcendúmque præbet.* Mitescunt vel leones in terra, & mansuetariorum imperiis parent; non mitescit gens maris. Et adhuc hom. 8. ait: *Animantes aquatiles non modò non eliciunt vocem, sed neque mitescere quidem, neque doceri possunt. Quin etiam ad omnem omnino vitæ societatem hominibus intractabiles sunt, penitúsque inepti. Cognouit bos possidentem, & asinus præsepe Domini sui. Piscis autem non agnouerit suum vnquam altorem.* Ij sunt mores, qui gentes aquarum comitantur, vt enim, instar piscium, solis fluctibus incubant, solitariáque maris æquora tranant, sic piscium duritiem, & intractabilitatem, & inhumanitatem habent. Quos mores intelligit Theophyl. in verbis datis Habacuc, fatus: *Faciebat homines prorsus instar piscium viuere, ab omni ratione alienissimos, maximè brutos, & omni voce destitutos, ac planè mutos. Neque enim in eis pietatis erat sermo, neque honorificentia vox ad Deum.* Et quidem nullibi rariora verba salutis æternæ, frequentiores blasphemiæ in Deum nullibi audiuntur quàm in nauibus apud maris incolas. Vt meritò dicat Sophonias cap. 2. *Væ, qui habitatis funiculum maris, gens perditorum.*

Matth. 4.

Habac. 1.

D. Basil.

Theoph.

§. XLIV.

Superfluitas deliciarum non ex Deo, sed ex diabolo grata venit hominibus.

ET fructifera ligna, & salubria olera accipit homo ex Deo; sed quæ ligna, quæ olera? Quæ sufficiunt ad escam, ad necessariam sustentationem vitæ; quippe ait, *vt sint vobis ad escam*, quæ autem non ad escam, sed ad vanas conducunt, & superfluas delicias, ea non à Deo, sed homini exhibentur à maligno. Ecclesiastes cap. 2. ait: *Feci hortos, & pomaria, & consevi ea cunctis generis arboribus.* Quæ verba sic elucidat Chaldæus Costi. *Plantaui hortos irriguos, & amœnitatis plenissima viridaria, vbi omnis generis olera seminaui, quæ ad victum, & conuiuia, aut ad sanitatem vsui forent: herbas quoque olfactu nobiles adieci; item & arbores steriles, & aromata ferentes, quas ad me dæmones, & nocentes Angeli ex India detulerant.* Expende, quid detulerint Angeli nocentes ex India, nimirum arbores aromata ferentes: Deus enim vt optimus vitæ humanæ procurator, quæcumque ligna vtilia, & necessaria ad victum, præ manibus hominis posuit, quæ autem erant non necessaria ad victum, sed ad nimias lautitias, deliciásque pertinebant, vt sunt arbores aromaticæ, has in mundi recessibus, in remotissimis, & inaccessis Indiarum insulis conclusit. Omnia ligna vtilia dedit Deus homini suo, superfluarum deliciarum ligna aromatica à Deo non data sunt, sed in Indiarum recessibus abscondita, à diabolo autem inde allata sunt & data homini. Non Deus, sed diabolus fuit, qui deliciarum superfluarum materias retexit, & hominibus dedit. Sic D. Cyprian. lib. de disciplina & habitu Virg. ait: *Neque enim Deus coccineas, aut purpureas oues fecit, aut herbarum succis, & conchyliis tingere, & colorare lanas docuit. Nec distinctos auro lapillos, & margaritas, contexta serie, & numerosa compage digestas, monilia instituit; quibus ceruicem, quam fecit, absconderes: vt*

Eccles. 2.

D. Cypr.

operiatur illud, quod Deus in homine formauit, & conspiciatur id desuper quod diabolus adinuenit. Quæ omnia peccatores, & apostata Angeli suis artibus prodiderunt. Quæ ad commodiorem vsum vitæ necessaria erant, Deus ostendit, & largissimè dedit: quæ ad solam lautitiam, & delitias spectant, à diabolo sunt, & demonstrata, & inuenta. Eò enim intenti sunt dæmones, vt ex absconditis, & inaccessis locis vel pigmenta, vel aromata, vel aurum extrahant, quæ superfluas delicias ingerant, vnde homines in perditionem eant. Pro quo accipite illud Herodoti lib. 4. historiæ, vbi ait: *Iuxta hos aiunt Carthaginenses, Insulam esse sitam, nomine Cyrenem, & oleis refertam, & vitibus. Et in ea esse portum, vnde virgines indigenarum, pennis volucrum pice illitis ramenta auri referunt è limo.* Nec immeritò Pamelius in annotat. ad Tertullian. de cultu fœminarum, has pennatas virgines, putat dæmones esse, quorum officium est aurum extrahere, & superfluarum deliciarum materiem, qua homines pereant. Nunquam, mihi crede, nisi à malo superfluitas deliciarum venit: quibus sese prorsus opponunt ligna, quæ nobis porrecta sunt à Saluatore. Si enim crucis arborem conspicias, nihil in illo deliciarum inuenies, vt nihil deliciarum porrigitur ab eo, qui non gaudet de nostro interitu. Id quod ponderans D. Germanus Constantinopolitanus præsul, orat. de cruce apud Grethserum nostrum, fatur: *Nihil verè arrogantia inferebatur super altare Christi, quod est crux, passiones enim & immoderatas cupiditates perimit vita largitrix crux. Quid enim commune est mortificationi, & delitiis? Quid commune felli, & voluptati? Quid commune vino cor carnis lætificanti, aceto que potus sensum molestanti? Illa antiquioris fuerunt Adami; & contra nos, hæc recentioris, & pro nobis? Illa eius, qui corruit, hæc eius, qui nos seruauit.* Ecce tibi, qui casum inuenit, & delicias inuenit; qui nos seruauit, nihil deliciarum ostendit; ab vno, eodémque, & deliciæ, & casus ad homines deuenerunt.

Herod.

D. Germ.

§. XLV.

Frugalitas, & temperantia regia virtus, & maximè in Regibus prædicanda.

IMperaturo homini conuiuium à Deo adornatur; simul equidem, & illi coronam imponit Deus, dicens: *Dominamini piscibus, &c.* & simul mensam parat aiens: *Ecce dedi vobis omnem herbam, &c.* Proh dignam Rege mensam, quàm olera, frugésque salubriter satiant. Vtinam sic fuissent regales mensæ, non ad lautitiam, sed ad necessitatem; frugalitas enim, & temperantia in omnibus conspicua virtus est, sed in Regibus maximè prædicanda. Ait Cicero orat. pro Rege Deiotaro: *Deiotarum saltantem quisquam, aut ebrium vidit vnquam? Omnes sunt in illo regiæ virtutes, quod te, Cæsar, ignorare non arbitror: sed præcipuè singularis, & admiranda frugalitas; etsi hoc verbo scio laudari Reges non solere. Frugi hominem dici non habet multum laudis in Rege: fortem, iustum, seuerum, grauem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem, hæ sunt regiæ laudes; illa priuata est. Vt volet, quisque accipiat: ego tamen frugalitatem, id est, modestiam, & temperantiam, virtutem esse maximam iudico.* Præclarè moralissimus Orator inter regias virtutes, supremùm locum frugalitati, & temperantiæ dedit. Tunc enim à Rege possunt sperari cæteræ virtutes, cùm maximè in illo frugalitas splenduerit. Aiebat Ecclesiastes, cap. 10. *Væ tibi terra, cuius Rex puer est, cuius Principes manè comedunt. Beata terra, cuius Rex nobilis est, & cuius Principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, & non ad luxuriam.* Ecce tota terræ beatitudo, non à fortitudine, aut magnanimitate, sed à principum frugalitate commendatur, quasi ille solus perfectus princeps sit, qui gulæ imperat. Id quod expendens D. Hieronym. in præsenti fatur: *Principem probat bonis moribus, & liberaliter institutum: & eos iudices prædicat, qui nequaquam voluptatem negotiis ciuium præferant, sed post multum laborem, & administrationem Reipublicæ, cibum capere quasi necessitate cogantur.* Vna necessitas spectanda est in boni Principis mensa, quæ sanè nunquam magis regia apparet, quàm vbi magis distat à nimio luxu. Hinc Sidon. Apollinaris, lib. 1. epist. 2. commendat maximè Italiæ Regem Theodoricum, ait enim: *Si in conuiuium venitur, quod quidem diebus profestis simile priuato est, non ibi impolitam congeriem liuentis argenti mensis cedentibus suspiriosus minister imponit. Maximum tunc pondus in verbis est, quippe cùm illic aut nulla narrantur, aut seria. Cibi arte, non pretio placent, fercula nitore, non pondere. Scyphorum, paterarúmque raras oblationes, facilius est, vt accuset sitis, quàm recuset ebrietas. Quid multis? Videas ibi elegantiam Græcam, abundantiam Gallicanam, celeritatem Italam, publicam pompam, diligentiam priuatam, regiam disciplinam.* Expende illud, *regiam disciplinam*, à nullo enim magis, quam à regia disciplina venit frugalitas in conuiuiis. Vt enim agasonum est, totos se dare ventri, sic maximè regium est, parcè, & temperatè cibis vti, prout postulat necessitas, non gula.

Cicer.

Ecclef. 10.

D. Hier.

Sidon.

§. XLVI.

Nulla virtus non alget, vbi non apparet indumentum Christi.

SI ad externum corporis indumentum spectes, non minimum elogium est innocentiæ status, quod textus dicit de primis illis Paradisi incolis, nimirum, *Erat vterque nudus, & non erubescebant*: monstrabat enim nuditas illa statum nullius indigentiæ, nullius operiendæ turpitudinis. At si intimum animi ornatum penses, vt in illo statu non erat indumentum Christi, sic nuditas illa crudele gelu, & festinantissimum algorem minabatur statui florentissimo. Et quidem vniuersæ in Adamo, & Eua gratiarum, virtutúmve flores, etsi pulcherrimæ, etsi odoriferæ, etsi multæ, festinantissimè marcuerunt, cùm primum afflatæ sunt gelidi serpentis halitu maligno. Et cur tam citò gelidis auris cessit status floridissimus? Ait textus: *Erat vterque nudus*, nullum ibi indumentum Christi, à quo solo sic proteguntur virtutes, vt non timeant à frigoribus niuis. Hinc Paul. ad Galat. 3. quasi opponens statui innocentiæ statum reparationis, ait: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Non ampliùs homines nudi sunt, ex quo receptum est Baptisma Christi: non ampliùs virtutum flores sic gelidis ventis expositi, vt vel à gelidi serpentis sibilo corrumpi possent; quos enim vestit Christus, & gelu, & brumæ, & reflantibus Aquilonis auris viriliter resistunt. Ait D. Eulogius epist. ad quendam Christophorum apud Biblioth. Photij. fol. 878. *Aliis autem ob inexplicabilem bonitatem suam indumentum fit Christus, quibus tegumentum præbet, ne ab Aquilone, vento aspero, frigidóque, qui pestilentem, & exitialem animabus afflat auram, conuersi ad Christum pereant.* Hoc in primis agit cum suis clementia Christi, vt minimè nudi sint, sed indumentum habeant ipsum Christum, quo non sibi ab Aquilonaribus flabris timeant. Proh quot euadit pruinas, quot brumas superat, qui Iesum induit! Accinit Isaias, cap. 61. *Induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis. Sicut enim terra profert lumen suum, & sicut hortus semen suum germinat, sic Dominus Deus germinabit iustitiam, & laudem coram vniuersis gentibus.* Equidem primò ponit vestimenta data populo; primò populus nuditatem exuit, & salutis indumentis vestitur, nihilque manet, quod sub operculis non sit: deinde vniuersæ nationes vertuntur in hortos floridissimos, hinc inde apparent Dei sata æternum florere virtutibus. Non iam gelu timetur, non Aquilonis gelida sibila; sed omnia securè abeunt in flores, & in fructus. Et quidem sapienter putat Foterius, in præsenti Isaiam illud curare, nimirùm, vt appareat, quàm alij sint à nudo Adamo homines Christo vestiti. Quippe ait: *Illi è Paradiso eiecti sunt, vt ad illum regredi non valerent: at in mundi regeneratione per Christum, Paradisum deferri ad omnes gentes fecit Dominus: & nulla fuit tam inculta gens, ad quam Paradisus Domini non pergeret. Vnus homo, qui Æthiopiam adibat, Paradisus erat, & breuissimo tempore faciebat Dominus succrescere iustitiam arbores, & plantas cœlestes in terra illa, vt Ecclesia Æthiopum multò amœnior esset hortus, quàm ille initio mundi constitutus.* Ecce tibi quid in nuditate innocentiæ, & in vestitu Christi factum fuit: dum infœlici nuditate agebat homo in Paradiso; quia nudus erat, nec induebat Christum: totius florentis illius statum gelido serpentis sibilo algere, & marcescere vidit, & Paradisum amisit. Vbi autem induit homo Christum, sic venenati frigoris rigorem expulit, vt non timens sibi à gelu, mille ostendat in se, & vbique virtutum Paradisos.

D. Euleg.

Isai. 61.

Foter.

CAPVT II.

Adamus labitur, & mulctatur.

Textus Historia.

IAM lucidissima nuptorum specula Adamus, & Eua, à sui conspectu ad amœnissimi situs lustrationem vocantur: & quot quisque in altero miratus delicias stupuerat, crispatum in capillis aurum, splendentia in oculis lumina, viuentes in pupillis gratias, genarum purpuras, oris aromata spirantia, pulcherrimam totius formæ concinnitatem; tot per vastissimi soli campos sparsas incipiunt admirari. Syluam intrant ex aureis malis, rododaphne, lauro, pinu, subere. Chalybi pruinæ ignotam, hyemali acie nunquam mutilandam: Hortum porrectum in longum, regiis curis dignum, imò Deo, si quem cœpit stirpium colendarum humanitas. Hic erumpit aquarum perspicua, & dulcis vbertas, quæ tranquilliore tractu circumstagnans, parum deest, quin propter tranquillitatem, & silentium, fluuij nomen amittat, & solidissimi nomen habeat crystalli. Passim diues fructibus hortus, passim pulcher frondibus, qui excipiebat mirantes, dum inter tot delicias versatur simplex nuptorum hilaritas, qui fontem circumlabentem læto otio celebrabant. Colludunt illic gregatim lectissimi pisces, qui ad manus poscentium sic intrepidi veniunt, tanquam se nouerint non esse capiendos, sed esse inter primas curas regnantium. Delectaret Reginam, præcipitato in aquam pabulo, hos inter se concitare ad certamen, nisi illam noui auicularum cantus, nouæ animalium pulchritudines crebrò reuocarent. Septies eundem solem Orientē viderāt, singulis horis ad inexpertas delicias rapti, dum passim nunquam antea visi apparent flores, inexpectata aromata manifestantur, se produnt dulciores fructus, & gratiora Principibus suis alludunt animalia. Adamus hæret in affluentia tanta, chorisque Cœlicolùm intentus ad cœlestia, & diuina erigit animum, verùm Eua non satis mirata loci pulchritudinem, ad noua exploranda sese applicat. Intereà non antea sic pictus visus anguis, scytalis nomine, dorso splendentibus stellulis variato, fulgenti pectore, argenteis squammis, cristato capite, suaui sibilo, toto diabolico spiritu plenus, fœminæ occurrit, nihil mali de tanta pulchritudine suspicanti. Suam Reginam adorat, in cuiúsque totum sese effundit laudes. O, inquit, auspicatissima Paradisi Moderatrix, altissimis Diis breui iungenda, nisi iam iunctam diuis faciant formæ elegantia, amœnitas vultus, sua iratum mensa, famulitium creaturarū. Meritò in horto voluptatum nata, flos gratiarum, sapientiæ laurus, trophæorum palma. Se tibi deberi fatentur omnes cœli, maris, terræque suauitates, cœlicolam designant, nectarei latices à te hausti; immortalem facit cibus vitalis. Deam ostendunt aromata vndique te afflantia. Particulam dixi tuæ laudis; sed accipe quod te in immensum exaltat; hæc ipsa suauissima scientiæ arbor tibi properat appropinquare, vt semel à te gustata in te erigat omnium cumulum fœlicitatum. Hæc loquens serpens gestibus arborem ostentabat. Regina, ad tantas, & tam subtiles laudes delinita, haud ingrata serpenti adstat, colloquio arridet, vnum tamen Dei Creatoris præceptū obesse dicit, quominus de sciētiæ arbore possit gustare. Adstupet serpens ad præcepti vocē, præceptumne de hac vna arbore à Deo fuit datum? Proh inaudita præcepti nouitas! Cur necessum fuit, mundi Regibus, quibus tot delictæ parabantur, huius vnius esum interdici arboris? Vbi cōceditur arbor vitæ æternádę, cur vnus eripitur scientiæ arbor, vt regia hominis potestas circa illā sit manca? Interdicimur arbore scientiæ, ait Eua, ne fortè de illius gustu in mortē ruamus. Mirabūdos gestus serpēs efformabat, & nutantē fœminā vehemētiùs impellebat, & suspicionem mortis abradens, fatur: Nulla, mihi credite, mors à sciētiæ arbore imminet: nequaquā mori possunt Reges, quibus sunt præ manibus tot vitarum arbores. Sciolus Deus cauet, ne gustato arbore sciētiæ, vestri illustrētur oculi, & acuminētur magis, vt pares videamini supremis Deitatibus. Iis serpētis dictis impetus nescio quis præsagientis animi, Euā ad vetiti fructus affectus cōpulerat. Arbori itaque appropinquat, naribus odorē, oculis speciositatem fructus bis, & iterū haurit, pomū denique decerpit, mandit, incredibili persusa suauitate. Auidè comedentē maritus conuenit; sed illa cōmendans cibi suauitatem, ostendens propriam indemnitatē, porrexit pomū marito, lætisque oculis in eū breuiter fixis, efficaciùs quam voce esum persuasit. O amantium insana consilia! Sciens fugitiuum gaudium percepturus, ad hanc breuis condescensus audaciā Adamus deuenit; de vxoris manu pomū ori applicuit, & ingentem maculam gloriæ humanæ inurit. Capax labes absorbere mundum, & quamquam absentem, totam consumere generationē. Ecce subitò emarcent duo illi flores humanæ naturæ, subitò alter alteri repræsentatur turpiter nudus. Non aliàs fortiùs sua munia, quàm nunc in virgine Eua, & Adamo virgine obiit pudor. Non à pulchra, & suaui rosa adiacenti, sed de aspera, & rudi ficu sibi vestes effingunt, siue illos obliuio sui cœperat in tāta calamitate, siue dolor erroris tenebat illos, multò acriùs deuoturos suam sortē, nisi sic dolere licuisset. Iam, quæ oblectamenta fuerant, lacerabant diductum doloribus pectus. Omnes adnatæ virtutes, omnes dotes, redibant in mentem, etiam quæcumque exigua esse crediderant, tunc augustiori specie, quia erant amittenda, cogitationem opplebant. Relinquendæ dulcissimæ sedes, aufugiendum veluti perduelli. Interea venientis Iudicis aliqualis strepitus sentitur; remedium quæritur fuga, nec miror, quòd ab irato Deo fugientes latcant in medio ligni Paradisi, futurū enim erat, vt aliquando lignum sedaret diuinam iram. Iudex apparet facie humanus, verbis humanissimus, dum non perduelles, furciferos vocat, sed ex proprio nomine Adamum perquirit. Et animus, & vestigia dectant processuro; procedit tamen è latebris reus miser, Iudici sistitur, fugam nuditati pudendæ, erroris culpam vxori adscribit, serpenti autem vxor. Iam tonat Iudicis ira, primáque fulmina in serpentem vibrat: qui maledicto percussus, in cibo terræ, & reptanti gressu, ex propria habito natura cœpit esse deformis, & infamis hominibus, quos inde non prouidentes sibi dominos, sed infensissimos experitur inimicos. Sic transfigitur serpens, & eodem ictu diabolus transfigitur, nec hebes hæret diuinæ iræ cuspis, quæ & mulierē ferit, & virum. In illam partus ærumnosos coniicit, doloribus plenos, & reprobis scaturientes filiis; simul & subiectionem talibus viris, qui sæpe in tyrannidem inclinēt. Hunc originali terræ insudaturum adstringit, à qua, rigata sudoribus, spinas metat, & tribulos. Vtrūque facit esse mortalem, & fructu vitæ interdicit, exclusis enim à voluptatis loco reis, de appositis flammis inaccessum reddit hominibus Paradisum: simúlque addit Angelos excubitores: ne liceat diabolo decerpere pomum vitæ, & pretio longioris vitæ, mundum in nouos errores adducat.

PARS PRIMA.

Christi concepti, & Adami symbola, & dissymbola.

SEPTIMVM diem vix egerant Adamus, & Eua in coniugio, & serpentis astu innumeras inferunt mundo ruinas. Longè aliter Dei Filius, qui, in vtero Virginis, humanæ nubit naturæ, & ex tunc immensa in homines beneficia effundit.

§. I.

Primorum hominū tepida in homines charitas, Christi autem charitas in homines ab ipso conceptionis instāti maxima.

NOn equidem ardens erat in homines charitas apud primos parentes; quando tam citò à se mutuò separantur; & Eua colloquiū init cum animalibus, serpenti adgaudens, ciúsque verbis tantā adhibens fidem. Pulchrè enim ait Tert. lib. aduersus Iudæos, loquens de primis parentibus: *Denique si Dominum Deum suum dilexissent, contra præceptum eius non fecissent: si proximū diligerēt, id est, seipsos, persuasioni serpentis nō credidissent.* Non equidēm sic afficeretur ad serpētis blanditias, qui erga proximos, erga homines ardenti amoris æstuaret igne. Sēper nāque de gelido in homines pectore venit, quòd quis nimis delicietur brutis: De quo apud Iesum querebatur D. Aelredus, lib. 3. speculi c. 26. *Vt isti habeāt currētes canes, aues volantes, equos spumantes, nudātur in pauperibus latera tua:* quasi non nisi de crudelitate in homines possit venire nimiū studium, & affectus erga animalia bruta. Maximè hinc super Adamum extollitur Dei Filius in tēporali conceptione sua, illi enim humanitati coniungitur, quæ vt sponsa charissima semper sponsi lateri inhæreat, & ardentissimum habeat

Tertull. — *D. Aelr.*

erga homines studium. Nullum circa animalia negotium in hac Verbi diuini conceptione tractatur, tota ibi cura est de hominibus liberãdis. Vt hæc Verbi Incarnatio fieret, clamabat Psaltes 131. *Surge Domine in requiem tuam, tu & Arca Sanctificationis tua.* Petit Dauid, quòd veniat Deus ad carnem, & petit, quòd veniat cũ Arca. Quæ Arca? An Arca Noe, ad liberandum humanum genus facta? Et quidem cùm optasset hominum liberationem, meritò posset optare Noemi Arcam doctam homines seruare. Sed quia Arca Noe animalia etiam iungit in liberatione, meritò refutatur; vt ostendatur Dei Filius dum venit ad carnem, nil habere cum animalibus, sed cum hominibus iustificandis. Ait Chrysippus Ierosolym. hom. de Maria Deip. *Surge Domine in requiem tuam, tu & Arca Sanctificationis tua. Arca non ea, in qua erant omnium animalium genera, vt in Arca Noe, qua fluctuantis mundi fugiebant naufragium. Surge in requiem tuam, tua requies est Virgo, & eius vterus. Surge, nam nisi tu exurgas è sinu Patris, genus nostrum quondam lapsum non resurget.* Non admittitur in Dei aduentu Arca quæ seruet animalia, sponsa quæ animalibus gaudeat, sed quæ sola pro hominibus faciat. De hac aiebat ille Cant. 6. *Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ.* De sibi copulata natura humana loquitur Dei Filius, & illam vocat columbam. Quid est commune columbæ, & humanitati Christi? In columba perpetuus, & inseparabilis conuictus cum hominibus exprimitur; quæ erat virtus propriissima humanitatis Christi, dum à primo conceptionis instanti flammis amoris in homines aduritur. Ait D. Method. orat. de Castit. apud Biblioth. Photij: *Possit quis sponsam dicere carnem esse intemeratam Domini, cuius causa Patrem deseruit, & in terram huc descendit, illique per Incarnationem copulatus est. Hinc figuratè illam columbam appellauit, quòd animal sit cicur, & sub tectis degens, conuictúque hominum delectatur.* Nec breui sex dierum spatio passa est Adami vxor esse cum viro, maluit sola per hortum errare, & cum serpente colloquium inire. Non sic humanitas Christi; quæ vbi copulata fuit Verbo in vtero Virginis, ita Verbo hæsit, ita hominum studuit saluti, vt vix alias reputaret delicias, quàm esse cum hominibus. Verè ex hoc vocatur columba, quæ sub tectis manet, delectatúrque hominum conuictu. Ne Adamus esset solus, accipit Euam vxorem, sed post vxorem acceptam, adhuc Adamus solus relinquitur, & sola ipsa mauult conuersari cum feris, quàm hærere viro. O gelidum pectus sponsæ circa sponsum suum! Non sic Dei Filius nubit, qui dum concipitur, simul desponsatur in Paradiso virgineo, sibi copulans humanam naturam, quæ post Deum, nil sic tunc amat, vt negotiari dilectorum proximorum auxilia. Psal. 18. de Verbi Incarnatione, ait: *In Sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam Sponsus procedens de thalamo suo, exultauit vt gigas ad currendam viam.* Expende illud, *tanquam Sponsus procedens*, nec enim gradum facit vita, in quo Sponsus non appareat, sibi habens adiunctam Sponsam suam. Adamum quis credat Sponsum, illum solitarium videns? Quis filiorum habendorum curas in Adamo auguretur, aut in Eua, cùm vtrunque videat ad solitariam festinare vitam, & illum sine Sponsa contemplationi intentum, & hanc sine viro conuersari cum brutis? Gratior humanæ fœlicitati Dei Filius, cùm primùm terit virgineum Paradisum, non solitarius, sed Sponsus est; & Sponsus Deus, & Sponsa humana natura, in primo desponsationis instanti, ardenter festinant ad hoc vt vel summis doloribus regenerent in sanctitate filios. Huc accedit D. Bruno, lib. de ornamentis Ecclesiæ, cap. 2. inquiens: *Processit igitur tanquam Sponsus de thalamo suo: quia non solus, sed coniugatus, de Virginis vtero exiuit. In quo videlicet vtero Dei Filius nuptias fecit, vxorem duxit; &, priusquam nasceretur, humanitatem nostram sibi coniunxit. Exultauit autem ad currendam viam: quia vt hominem redimeret, & saluaret, ipsam cum gaudio sustinuit passionem.* Non solus, non solitarius manet Dei Filius; sed in Mariæ visceribus sibi Sponsam adiungit, & iam tunc simul Sponsus, & Sponsa exultant ad currendam spiritualem nuptiarum viam, sese offerentes Passionis doloribus, vt sanctos filios acquirant. Equidem Adamus & Eua si magis sponsos, quàm solitarios agerent, possent in Paradiso producere filios omni sanctitate, & fœlicitate conspicuos. Sed gelidum illorum pectus nulla refrigit fœlicium filiorum cura. Heu gelidum in filios pectus Euæ, & Adami! O ardens Christi pro hominibus regenerandis flamma! In primo Incarnationis instanti, iam ibi nuptiæ, iam ibi Sponsus, & Sponsa, iam ibi contemnuntur dolores pro filiis sustinendis, iam ibi filij regenerandi numerantur, dictantur iam ibi, passione contempta, exultatio de partu. Quidquid in illo instanti tractatur à Dei Filio, eò tendit, vt stabiliatur generis humani familia. Quò spectans Guarr. Abb. ser. 2. de Annunt. ait: *Hodie itaque Sapientia ædificare cœpit sibi domum corporis nostri in vtero Virginis, & ad ædificandam vnitatem Ecclesiæ angularem lapidem de monte sine manibus abscidit. Ab hac ergo die Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob, quia hodie est Domini assumptio nostra, vt inhabitet gloria in terra nostra.* Sic ibi.

Psal. 131. — *Chrysipp.* — *Cant. 6.* — *Method.* — *Psal. 18.* — *D. Bruno.* — *Guar Ab*

§. II.

Adamus de tot acceptis donis, de tot dotibus nihil alteri communicat: Dei Filius in ipso accepta humanæ naturæ instanti, se totum in omne genus humanum effundit.

QVis numeret Adami glorias, Adami dotes cum vita, & cum vxore formosissima acceptas? Et quidquid fœlix, quidquid decorũ, quidquid regium, quidquid sanctũ, quidquid gloriosum accipit ex Deo in Paradiso, sic accipit, vt possit illud transfundere in filios. Id quod docẽt communiter Theologi *ad 2. sent. dist. 20.* & D. Thom. 1. *part. q.* 20. At Adamus inter tot dona accepta, inter tot dotes virtutũ sex saltẽ diebus affluens non cogitat eas communicare alicui. Passus est omnia bona perdi, quàm ad filios trãsirent. Non equidem hoc venit de Filij Dei spiritu, qui in tantum distulit sua omnia effundere in homines, in quantũ distulit aliquid de hominibus accipere. Vbi autem in Mariæ Paradiso accepit Dei Filius humanã carnem, hoc est, naturam hominis rectam, in omnique cumulo perfectam gratiarum, & virtutum, nihil moratus est, sed in eodem instãti illam ipsam acceptam naturam facit viam esse, per quam sese totum in filios adoptionis effunderet. Ait D. Basil. Sel. Orat. in Annunt. *Qui in forma Dei erat, serui formam suscepit, quo peccati seruos hac ratione in pristinam dignitatem restituat, cœlestique Patri eiusmodi filios exhibeat, qui ad sui ipsius formam denuo sunt instaurati. Quotquot enim receperunt illum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Vt ipse accepit esse Filius hominis: sic se effudit, vt dederit aliis esse Dei filios. Apocalyp. 4. Dei sedes Ioanni ostenditur Iridis arcu tota circundata, habes enim: *Et Iris erat in circuitu sedis similis visioni smaragdinæ.* In qua Iride diuinæ incumbente sedi Verbum incarnatum meritò intellexit Ansbertus, & alij non pauci, vt ait noster Viegas in præsenti, *sect.* 3. Sed illud notandum, quod addit textus, nimirum: *Et in conspectu sedis mare vitreum simile crystallo.* Mare crystallinum opponitur Verbo incarnato, non alia potiori ratione, quàm vt in mari, veluti in speculo tota appareat Verbi incarnati œconomia. Et quid mare cum Verbi Incarnatione potest habere commune? Ait de mari Psalm. 103. *Hoc mare magnum, & spatiosum manibus.* Habet equidem mare manus suas, quot flumina mare intrant, tot sunt maris manus, & manus non arctæ, sed amplissimæ, sed latissimæ, & quę vincant munificentissimas quasque manus. Suis enim arenis sic mare arctatur, sic intra se continetur, sibi totum habens, vt extra arenæ limen præfixum, nihil emittat vndarum. At per partes illas, per quas flumina recipit, non sic arctatur, sed vt accipit fluminum aquas per eundem alueum acceptarum aquarum, suas, per longum spatium, effundit largissimè aquas. Videres singulis diebus, vt mare accipit paruulum in se fluuiũ, & vt statim per ipsum flumen sursum totũ sese effundit mare. Sic prorsus diuinum Verbum ante Incarnationem parcè, & intra strictissimam mensuram prosiliebat; vbi autem accepit carnẽ, quasi mare per acceptos riuos, omnia sua in homines effundit, & transfert. Pulchrè ad hæc Iobius Monachus, lib. 3. de Incarnat. cap. 17. apud Biblioth. Photij, ait: *Ideò carnem Dominus induit, & in mari Deitatis suæ, nostræ conditionis guttam suscepit, vt mortale à vita absorberetur, atque in vniuersum genus beneficium effunderet.* Ecce tibi, vt diuinitas Verbi mari comparatur; mare accipit flumina, accipit aquarum riuulos, & non per arenosa litora, sed per ipsos riuulos acceptos prosilit, & exundans sese in largissima spatia diffundit. Sic Diuinitatis mare, in se nostræ conditionis guttam suscipit, & accepta hac gutta, sine mora illac in vniuersos homines beneficium effundit. Huc accedit illud Ioannis 1. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Expende sequelam; vbi Verbum venit accipere carnem nostram, totúmque se carni immersit, non ibi stagnatum est, imò inde exundans ad vniuersos homines inhabitandos sese extendit. Ex quo monet Theodotus hom. 2. de Natiuitate Christi, habita apud Ephesinam Synodum: *Si enim dignum Deo habitaculum te ipsum constitueris, in te quoque habitaturum descendet, etsi non ad eum modum, quo in Christum. In Christo namque*

Basil. Sel. — *Apocal. 4.* — *Psal. 103.* — *Iobius.* — *Ioann. 1.* — *Theodot.*

omnis

omnia Diuinitatis plenitudo inhabitat. Sed, ô rei miraculũ! tota Diuinitatis plenitudo in vno inhabitat corporaliter, & nihilo tamen setius reliqua omnia adimplet, & ita implet, vt vniuersam creaturam excedat. Totus exsistit in vno, & à nulla interim creatura separatur. Non in vno Iesu stagnantur gratiæ, imò cùm primùm in illo apparent, ad omnes homines cumulatissimè transeunt.

§. III.

Adamus non belligerare, sed amare nouit, Dei Filius ab ipso Incarnationis puncto classicum cecinit aduersus omnes contrarias potestates, aduersus omnes blanditias.

QVis amatori Euæ Adamo non aptet tritum illud Paridi dictum, *Bella gerant alij, tu Pari semper ama?* Sanè pulcher Adamus, deliciis Paradisi innutritus, omnium creaturarum suauitatibus adnatus, non tam bellis, quàm amoribus aptabatur. Et quid mirum, si dum ad pomi controuersiam accedit, cedat potiùs Veneri, quàm Palladi; totus ex parte amoris factus, nihil forte, nihil ostendens resistens aduersariis? Ait Genes. 3. de Eua: *Tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro suo, qui comedit.* Vbi sapienter ait D. Anastas. Sinaita, lib. 10. Examer. *Adam autem cùm nihil omnino depugnasset, aut contradixisset, fructus fuit particeps dati à muliere.* Et quid pugnasset homo solùm delicias scire natus? Multò prædicabilior Dei Filius, non in deliciis Paradisi, sed in obscuro, & arcto viscerum virginalium corpus sibi aptat, corpus dicam, an cataphractum? an catapultam? Equidem in illa Christi carnis formatione, & assumptione, nil video non bellicosum, non pugnax aduersus carnem, & sanguinem, aduersus mundi Potestates. Sap. 18. *Omnipotens sermo tuus, Domine, exiliens de cælo, à regalibus sedibus durus debellator.* Simul vt à cœlo egressus, & à regalibus sedibus descendens Dei Filius in vtero virgineo apparuit, iam ibi durus debellator, iam ibi quęcumque cogitat, quęcumque tractat, arma sunt, tela sunt; carni, & mundo aduersantia. Quò spectans Proclus, hom. de Christi Natiuitate, sic vterum virgineum alloquitur: *O venter, in quo communis libertatis syngrapha confecta est. O vtere, in quo arma aduersus mortem fabrefacta sunt.* Dum Christi humanitas in virgineo vtero formabatur, & à Verbo assumebatur, iam cogitabantur, iam fiebant arma, quibus humanæ deliciæ mortis procuratrices caderent. Simul equidem & Verbi Incarnatio, & pugnacissimus dux aduersus carnem, & sanguinem ostendebatur. Magnus ille Iacob, Genes. 32. liberis, & vxoribus transmissis, mansit solus: *Et ecce vir luctabatur cum eo vsque manè.* Et lucta finita, *vocauit Iacob nomen loci illius, Phanuel, dicens: Vidi Dominum facie ad faciem.* Luctatorem, imò obluctatorem, & repugnantem sibi experitur, & Deum à se clarissimè visum clamat. Quid pugnator ad Deum? Equidē nunquàm clariùs ostenditur Deus nobiscum iam agere, quàm vbi ostēditur nobis contradicere, repugnare. Simul enim vt obluctator homini apparuit, simul visus est Deus incarnatus. Ait D. Cyril. homil. dicta in Conc. Ephesino, tom. 6. c. 5. *O sapientiam sanctu dignam! Hominem contra se luctantem cernit, & exclamat Patriarcha Deum facie ad faciem vidi, & saluata est anima mea. Mox enim Spiritu sancto reuelante Incarnationis Sacramentum intelligebat.* Vt sibi obluctatorem sensit, Deum in carne aduenientem odoratus est; non enim Adamus, non homo hominum cupitis obluctatur, sed solus Deus incarnatus, qui dum nostræ carni vnitur, nil priùs facit, quàm carni indicere bellũ. Huc conueniāt omnes mundiales, qui sibi obluctantes, suísque cupediis resistentes homines sic oderunt, quasi in illis aduersarios spiritus sentiant; non, mihi crede, de aduersario spiritu, sed de Dei Filio ad carnem veniente procedit, quod carni indicatur bellum. Deus est, qui dum vnitur humanæ carni, fortissimus debellator apparet. Prouerb. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem. Immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam. Misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia, &c.* Quæ hæc domus, quæ columnæ, quæ arx, quæ mœnia à diuinæ Sapientiæ manu parantur, nisi natura humana Christi, quæ dum formatur in Mariæ vtero, & domus est ad quiescendum, & arx fortissima munitissimáque ad pugnandum? Sic prorsus Guarric. Abb. serm. de Annunt. *Ex Maria sapientia ædificauit sibi domum, & in ipsa parauit sibi thronum, cùm in ea, & ex ea corpus aptauit sibi, ita ad omnia perfectum, & congruum, vt & domus ei sit ad quiescendum, & thronus iudicandum, quod primò tabernaculum fuit ad pugnandum.* Nihil in natura Christi humana apparuit, primò, quàm tabernaculum ad pugnandum, & expugnandos Dei inimicos. Vbi Ioann. aiebat, cap. 1. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Ait in rem præsentem Chrysost. *Quid enim induxit? Et habitauit in nobis, tentoria fixit in nobis.* Ne quid appareat in Dei Incarnatione, quod non sonet expeditissimam militiam. Vide infrà lib. 2. cap. 1. part. 1. §. 1.

Gen. 3. D. Anast. Sap. 18. Proclus. Genes. 32. D. Cyrill. Prou. 9. Guar. Abb. Ioan. 1. D. Chrys.

§. IV.

Adamus de muliere virus, Dei filius de muliere fuit potens educere mundi vitam.

QVid Adamus, quid homo de mulieris consortio capiat nisi virus, nisi ruinam? Fœlix erat Adamus, & in fœlicitatis augmentum accepit sociam fœminam, ex cuius adiutorio mille commoda educeret; verùm ex fœmina solam eduxit Adamus perditionem mundi. Non equidem Adamus, non homo vllus, sed solus Dei filius potens est de fœmina educere salutem. Hinc magnificè exaltat Dei Filium Proclus homil. habita in Concil. Ephes. tom. 6. cap. 7. inquiens: *Qui ex Virgine nascitur, nec solus Deus est, nec purus rursum homo est, sed vtrumque simul. Natus salutis ostium id ostendit esse, quod peccati quondam introitus extiterat: Nam vbi serpens per inobedientiam virus suum infuderat: ibi Verbum per obedientiam ingressum, viuum sibi templum exædificauit: vnde peccator Cain primus emersit, inde generis nostri assertor Christus sine semine prodiit. Clemens Deus ex muliere nasci non erubuit, quod enim agebatur, vita erat.* Sapienter probatur non esse homo purus, qui ex muliere potuit exire sine vlla nota verecundiæ, qui potuit ex muliere educere vitam. Et quando è muliere biberat homo serpentis virus, & maculam peccati incurrit, homo purus non est, sed vnigenitus Dei filius, qui valuit ex muliere vitam hominibus parturire. Apud Exod. cap. 32. dicit Aaron populo Israelitico. *Tollite inaures aureas de vxorum, filiorúmque & filiarum auribus, & afferte ad me. Fecitque populus, quæ iusserat, deferens inaures ad Aaron. Quas cum ille accepisset, formauit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem.* Quid tunc? Adoratur vitulus, fit populus idololatra, Dei indignationem incurrit, durè percutitur, & interit miserè. Nec miror, ex quo enim mulierum inaures requirebantur, tot hæc mala apparebant, homo enim à mulieribus quid educeret, nisi idololatriæ causam, nisi perniciem. Pulchrè componit rem hanc cum Verbi diuini Incarnatione D. Thomas à Villanoua, Archiepiscopus Valentinus, *serm. 1. de Annuntiatione.* Ibi enim petit Aaron inaures à mulieribus, vt faciat vitulum; hic petit Dei filius carnem à Maria, vt agnum immaculatum efficiat. Vtrobique ex mulieribus accipitur materies, sed ibi accipitur ab homine, hîc à Dei filio; hinc est, quòd ibi tot mala pullulant, idololatriæ, & populi durissima percussio, hîc autem nascitur mundi vita. Tanta equidem est potestas diuina, quæ sola ex fœmina potest vitam educere. Rem sic conficit sanctus Archiepiscopus: *Quanto fœlicius nunc virginea in aluo agnus iste conflatur, quàm olim ex inauribus vitulus in Oreb! Illum adorantes vitulum prostrati sunt in deserto, hunc qui adorant agnum, gloria potiuntur, & cœlo.* Et vituli in Oreb conflatio, & immaculati agni in Nazareth conceptio, vtraque fit ex materia à fœminis petita; sed tanto cum discrimine fœlicitatis, quantum inter Deum, & hominem interest. Qui ex inauribus mulieribus fit vitulus per hominem, nihil aliud parturit, quàm idololatriam, quàm ruinam; non enim homo, sed potentissimus Dei Filius est, qui ex fœmina accipit, quo agnum conflet, qui tollat peccatum mundi, & æternam asserat hominum vitam. Hinc Ecclesiastici cap. 36. dicit: *Innoua signa, & immuta mirabilia.* Quæ perpendens Hailgrinus Cardin. apud Delrium, Cantic. 4. sect. 1. in mixta interp. ait: *In Ecclesiastico dicitur ad Dominum; innoua signa, immuta mirabilia. Mirabile siquidem fuit de costa viri formare mulierem: immutatio mirabilium est, quòd de sola carne mulieris formatus est homo. Cæterùm cùm de osse viri formata est caro mulieris, signum fuit, quòd per mulierem humana infirmaretur natura: facta est autem signorum innouatio, cùm de carne mulieris factus est vir, per quod significatum est, quòd per hanc generationem humana natura ab infirmitate reuerteretur ad firmitatem.* Et hoc est maximum miraculum potestatis diuinæ, quòd de muliere eduxerit firmitatem salutis.

Proclus. Exod. 32. Villanoua. Eccles. 36. Hailgrin.

§. V.

Adamus vt sibi diuinitatem assereret, debitum Deo negauit seruitium: Dei Filius suam Diuinitatem abscondit, hominis laboriosum seruitium exhibens.

QVàm alius Adamus pro Deo, ac Deus pro Adamo extitit? Adamus rex animantium creatus, pro minimo duxit regnum, nisi & sibi Diuinitatem assereret; non contentus fuit esse Regem, nisi & quasi Deus in mundo esset, Diuinitatisque ostentandæ gratia, pomum scientiæ decerpit, & debitum Deo seruitium negat. Opus, seu facinus hoc, non à Dei filio sperari potuit, sed à seruo nequam, qui enim Dei filius est naturaliter, suam Diuinitatem abscondit sub carne virginea, vt vni hominum saluti laboriosissimè seruiat. Ait Paulus ad Philipp. 4. *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* Ille cùm puluis esset, volat ad Diuinitatem, detrectat munus seruile; hic cùm Deus esset, Diuinitatem abscondens in Mariæ aluo ostentat formam seruilem. Hinc est, quòd Maria conceptura Deum, Luc. 1. ait; *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Dum ad Angelorum regnum, & diuinum puerperium vocatur, se ipsam dicit ancillam, vt ostēdat in concipiendo Filio, non tam quod diuinum est, & erat pro tunc appariturū, quàm quod seruile; quando ex iure gentium partus iuxta ventris conditionem debet exire. Id quod notans D. Thomas a Villanoua Archiep. Valent. serm. 1. de Annunt. inquit: *Grandi ergo mysterio, altissimoque Deitatis instinctu, conceptura Deum, se meminit ancillam, vt orientem à se Filium, mundi obsequio mancipare*t. Angelorum, creaturarūmque regnū dissimulabat Dominus dum carnem sumit in Maria; vnaque tunc præcipuè tenebatur cura, quòd manciparetur obsequio mundi, hominis saluti laboriosissimè seruiret. Huc trahitur parabola illa centum ouium relictarum, de qua Lucas, cap. 15. *Qui habet centum oues, & si perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat illam? Et cum inuenerit eam, imponit in humeros suos, &c.* Ecce tibi pastor, qui relictis aliis omnibus ouibus, pro vna sola ouicula, & pastoris, & portitoris, & serui sumit officium. Equidem hic pastor vnus Dei Filius est, qui vnius ouiculæ humanæ seruit saluti; & qui pro cæteris omnibus creaturis imperium tenet, pro solo homine sumit formam seruilem. Pulchrè ad hæc fatur Iobius Monach. lib. de Incarnat. Verbi 3. cap. 14. apud Biblioth. Photij: *Neque enim communi illa, & vsitata ratione, qua vniuersum creauit, verbo quoque naturam nostram reformauit: sed quod pro re nulla alia sustinuit, non pro Angelis, non pro vlla alia natura, hoc ad hominum tolerauit salutem, seruus pro domino factus. Meritò igitur reliquisse oues nonaginta dicitur, &c.* Pro Angelis dux erat, quando recens natum stipatur cœlestis militia; pro aliis omnibus principatum tenebat, pro vno homine, & ducatum, & imperium abscondit, apparétque in Mariæ aluo sub forma seruili totus obsequio mancipatus mundi.

Ad Phil. 4. *Luc. 1.* *Villanou.* *Luc. 15.* *Iobius.*

§. VI.

In Adamo imago Dei facilè delebilis; at Christi Incarnatione firmissimè hæret in hominibus imago diuina.

QVis ignoret, quàm leui serpentis sibilo exsufflata fuit in Adamo tota imago diuina? Et quis non sciat, quàm indelebiliter naturæ humanæ imprimatur Dei imago, ipsissimus Patris Filius in vtero virgineo? Haberent ex Adamo filij imaginem Dei, sed quæ posset facilè deleri; habemus ex Filio Dei concepto in vtero Mariæ imaginem diuinam, quæ nobis inhæreat, & firmiùs, & intimiùs. De Adamo aiebat Ecclesiasticus, cap. 17. *Deus creauit hominem de terra, & secundùm imaginem suam fecit illum, & secundùm se vestiuit illum virtute.* De Verbo incarnato, ait Ioan. 1. *Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Compone modò illud, *vestiuit*, & hoc, *habitauit*. Imago diuina induta fuit Adamo in Paradiso: in vtero Virgineo, in nobis cœpit habitare. Et quale hoc discrimen, quod ibi vestiat, hic inhabitet? Equidem faciliùs mutatur vestitus, quàm habitatio; sic faciliùs auferretur imago diuina existentibus in Paradiso, si tentationes ingruerent, quàm aufertur nobis post incarnatum Christum. Hinc aiebat Paul. ad Galat. 3. *Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Verum ad Ephes. 3. *Vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ virtute corroborari per Spiritum eius in interiore hominem: Christum habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati, & fundati.* Dicit baptizatos omnes Christo indutos, & nihilominus hortatur Ephesios, nō vt curēt vestiri Christo, sed vt curent in se habitātem habere Christū, vtpote qui sciebat, quàm faciliùs cuilibet eripitur pallium, quàm habitatio. Ait D. Eulog. ep. ad Christoph. apud Bibl. Photij, fol. 878. *Habitat enim, vt ipse Paulus ait, Sapiētia Dei in iis, quibus imperat, & qui in illo radicati, & superædificati sunt, induit autem Christum, qui illum rursum exuere potest. Quapropter meritò de radicatis in eo dicitur, illum habitare in eis.* Fœlices homines sunt, in quibus Verbum inhabitat diuinum; ex quo enim Dei Verbum sese impressit nostræ naturæ, non solùm vestit nos imagine sua, sed & inhabitat in nobis, imò altas agit radices, ne exturbetur inde. Quò respiciens Isaias, c. 33. ait; *Oculi tui videbunt Hierusalem ciuitatem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit. Nec auferentur claui eius in sempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur, quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster.* Ablata fuit tota opulentia Adami, translata ab eo diuina imago, quid mirum? Nullus ibi clauus, qui figeret, nullus funis qui alligaret. Venit Dei Filius in Mariæ vterū, *Verbum caro factū est*, ecce nouā Hierusalem, nouā naturæ humanæ opulentiam, Dei imagine sculptam nouiter, & addit insuper, *& habitauit in nobis*, hoc est iuxta dictum Chrysost. *Tentoria fixit in nobis*, ecce clauos, ecce funes, quibus nos Christus in humanæ naturæ vnione sibi vinxit. Ait enim Ferrer. in locum Isaiæ: *Christus Ecclesiæ suæ est pro clauis, & funibus, imò fundamentum firmissimum est.* Vbi ergo tāto clauo figitur opulentia virtutum cœlestium, tanto fune adstringitur imago Dei, minimè potest funditus, id est, pro toto statu, nec in quouis singulari homine, ita facilè deperdi, vt deperdita est in statu innocentiæ. Ad hæc aiebat Theodotus, orat. de Christi Natiuitate, tom 6. Concil. Ephes. Appendice 5. c. 2. *Noli despicere clauos, quibus Orbem terrarum Christus ad vnum sensum pietatis infixit.* Hæc ibi.

Eccl. 17. *Ad Gal. 3.* *Ad Eph. 3.* *D. Eulog.* *Isai. 33.* *Chrysost.* *Ferer.* *Theodot.*

§. VII.

Adamus nihil non deliciosum, & voluptuosum cogitans in Paradiso mortem incurrit: Dei filius omnia laboriosa, & dura meditans concipitur, & vitam hominibus inuenit.

AVdis Adamum ad Paradisi voluptates euolantem, inibi delicìantem, in nullo metuentem, in omnibus sponsæ adgaudentem; sed & inde miserè præcipitatum in barathrum peccati. Sic inter dulcia mella, nihil amarum, nihil triste cogitans incurrit Adamus necem: longè aliam viam terit Dei Verbum, à regalibus sedibus in vterum virgineum descendens, omnia dura, & laboriosa in ipsa conceptione meditans, facili negotio vitam inuenit. Ait D. Paul. ad Hebræos 10. *Ideò ingrediens mundum dicit: Hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. holocaustomata, & pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, Ecce venio.* Non ante descendit Verbum Dei in virginis vterum, non antea venit ad carnem humanam, quam sciuit illam sic aptatam esse, vt victimarum veterum loco occidi posset. Simul carnem accepit, & simul carnem deuouit cruci suspendendam, nihil enim in puncto incarnationis meditabatur, quod mortem, crucémque non oleret. Ex quo D. Epiphanius, ser. de laud. Mariæ, fatur: *Dico illam esse cœlum, thronum, & crucem, extendens enim sanctas vlnas Dominum portabat. Thronus cherubicus, cruciformis, & cœlestis.* Non equidem vacauit Verbum, dum in carnem venit, a conspectu crucis, quando vel vterus virgineus illi cruciformis extitit: nec facit gradum in humana vita, qui non fiat per omnia paupera, & dolorosa, vt sic hominem lapsum inueniat. Vt dicat Theodot. hom. de Natiu. tom. 6. Concil. Ephes. Append. 5. c. 2. *Per omnia paupera graditur Dei filius, vt per eiusmodi ad salutem hominem venaretur.* Et quidem quando hominis vita in Paradiso voluptatis perdita erat, non nisi inter dolores, & paupertates, & vilitates poterat reperiri. Hinc Numer. 21. *Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo, quem cùm percussi aspicerent, sanabantur.* Cur serpentis imago proponitur ad salutem? Cur non potiùs, vel Testamenti Arca, vel Mosis virga, vel saltem Patriarcharum veterum imagines proponuntur, vt ex illis visis salus acquiratur? Dum hominum salus quæritur, nil illustre, nil conspicuum, & gloriosum, sed vilia, & horrida, & mortis imagine plena Dei filius meditabatur. Accipite Germanum Constantinopolitanum orat. in viuificam crucem apud Grethserum, tom. 2. *Qua de causa, cum populus, à serpente morderetur, & moreretur, præcepit Deus, vt spem vitæ suspensam*

Ad Heb. 10. *D. Epiph.* *Theodot.* *Num. 21.* *German.*

Habentes

haberent ab aureo serpente in altum elato, Cur non permisit Deus, vt oculos conuerterent ad venerandum illam, & miraculorum effectricem Arcam, atque curarentur? Vbi verò virga Mosaica, quæ serpentes Magorum deuorauit? Prius quidem salus præfigurata fuit in vnigenito filio Abrahæ, in eo, qui ex promissione, in illa benedicto. Et rursum in Iosepho illo formoso in omnibus. Verùm, quia ista figura illustres erant, insigniáque ferebant benedicta, & beata stirpis, non contentus fuit hac præfiguratione diuinus sermo; sed quia sciebat, Christum cum iniquis reputatum iri, & inter maledictos numerandum, propter crucis supplicium: eam ob causam adsciscit quoque effictam speciem serpentis, tanquam nigri cuiusdam coloris, qui maledictis, & deuotioni obnoxius proprius est, tacitéque per serpentem mundi salutem insinuat. Prius enim assumpsit execrationi subiectam naturam nostram, eámque salutis causam, & vitæ immortalis fontem, & originem esse ostendit. Itaque verbum diuinum mundum ingrediens illustria quæque, & insignia dissimulans, inter abiectos, & deuotioni obnoxios maluit fieri, & quasi vnus illorum apparere, vt sic per hæc abiecta, & humilia, & dolorosa, mundi salus clariùs splendesceret. Accinit Nazianzen. orat. Apolog. *Idcircò generatio, & Virgo idcircò præsepium, & Bethlehem: generatio propter efformationem, Virgo propter mulierem, Bethlehem propter Edem, præsepium propter Paradisum, res parua & conspicua, propter magnas, & ab oculis remotas.* Quidquid magnum dissimulans, ad paruum, & abiectum Dei Filius festinat. Quò respiciens Dominus aiebat Luc. 24. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriã suam?* Equidem ex quo Adamus inter Paradisi delicias mundi salutem perdidit, oportuit, vt illam per passiones, & labores Filius Dei quæreret. Ait enim Iobius Monachus, lib. de Incarnat. 7. cap. 33. apud Biblioth. Photij. *Postquàm laboris, ac doloris expertem vitam præcipuæ sibi causam fecit Adamus, contrariis vtique medicamentis sapientissimus Medicus morbum curat, lata lege, vt in sudore vultus, non corporalia tantùm cibus sumeretur, verùm & quibus spiritalis amor spiritualem adornat mensam.* Et corporalia, & spiritualia bona ex Adami ruina non habentur nisi per labores & dolores plurimos.

Nazian.

Luc. 24.

Iobius.

§. VIII.

Adamus perdidit Paradisum hominibus: Dei Filius, vbi sese carni immiscuit, factus est hominibus Paradisus, & arbor vitæ, quæ senium abigat, iuuentutem æternari faciat.

RVinæ dedit Adamus humani generis vitam fœlicissimam, perdidit nobis deliciosissimum Paradisum, vt pro vitæ arbore viuamus omnes filij eius sub mortis vmbra. Quid plura? Venit Filius Dei in carnem, & factus est nobis Paradisus, quidquid enim dulce, quidquid suaue, quidquid vitale Paradiso erat, apparuit in Iesu cùm primùm conceptus est in matris vtero. Hinc Andreas Episcop. serm. de Annunt. sic loquitur ad Mariam. *Verè tu benedicta vnde salutis nostræ lignum Paradisi, quæ ipsum horti Edem colonum. Christum in te habes, qui ineffabili quadam potẽtia fluminis instar viuiparum vterum tuum egressus, quatuor velut tractus, per Euangelium suum Orbis faciem irrigauit. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Fructus, de quo comedens Adamus renouauit veterem illam denominationem, qua deceptionis escam sumpserat. Fructus, vnde, seu ex fonte, defluit amarulenta ligni degustationis quadam condulcoratio.* Ecce tibi vbi Iesus descendit in Mariæ vterum, totus vterus factus videtur Paradisus: & cur non sit Paradisus virgineus vterus, in quo est Iesus habens in se totas Paradisi delicias? In Iesu enim fons omnium gratiarum est, Iesus vitæ lignum est, habens fructum, qui & venena fuget, & expellat omnem amaritudinem. Meritò Mariæ dicitur, Cant. 4. *Emissiones tuæ Paradisus.* Vbi Guillelmus apud Delrium: *Emissiones fructus ex ea sunt emissi. Vnicus eius fructus est, qui ab efficacitate salutis dictus est Iesus.* Ecce tibi Iesus, ecce Mariæ emissiones, ecce Paradisus; in quo nihil deliciarum, nihil fœlicitatum, nihil salutis deest, quod homo requirat. Hæc est vox Sapientiæ, Ecclesiastici 24. *Ego sapientia effudi flumina. Ego quasi trames aquæ immensæ defluo. Ego quasi fluuius Dorix: & sicut aquæductus exiui de Paradiso.* Quid significat fluuius Dorix? ait Hugo Cardin. *Dorix, interpretatur medicamentum generationis.* Dicit ergo Sapientia, quòd ipsa generationum medicamentis abundans exiuit de Paradiso. Et quidem de Paradiso Adami non medicamentum, sed ruina omnium generationum exiuit; de quo ergo alio Paradiso potuit generationum medicamentum exire, nisi de vno Iesu, qui dum concipitur in Mariæ vtero, Paradisus fit, qui humanis generationibus inferat medicinam. Meritò id vni tribuit Christo Hugo Card. dicens: *Exiuit de Paradiso, id est, à Christo.* Vnus Christus est, qui dum concipitur, Paradisum exhibet, ex quo humanæ generationes renasci possunt plenæ salutis. Qui diuinissimus Paradisus datus fuisse homini à principio, vt eius contemplatione pasceretur, autor est Elias Cret. in orat. Nazianz. Apolog. 1. inquiens, quòd vt corpori datus erat Paradisus corporalis, sic & animæ datus alius Paradisus spiritualis. *Vnde etiam quantum ad corpus in diuinissimo, ac pulcherrimo corpore degens, quantum ad animam in incomparabili, ac longè superiori, ac pulchriori loco morabatur, Deum pro domo, atque inquilino, splendidáque amictu habens, eiúsque gratia se contegens, atque ex solo suauissimo contemplationis ipsius fructu instar cuiuspiam Angeli, delicias capiebat, eáque se pascebat: quod etiam lignum vitæ meritò nuncupatum est.* Et quidem, quibus licet contemplari, & videre Filium Dei in carne, totas ibi delicias, & suauitates Paradisi habent, & bonorum scaturigines, & gratiarum fontes, & vitæ lignum habent: cuius fructu, & repuerascant & iuueniles ferueant æternùm artus. De sene Simeone dicitur Luc. 2. *Accepit Iesum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum, Domine, secundùm verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Ex quo vidit Iesum, non miror, quòd dimitti amet, illud est mihi instar miraculi, quòd senex penè confectus audeat vlnis puerum sustentare. Quam admirationem mihi eripuit Euseb. Emiss. in præsenti, fatus: *Deinde lætus, & exultans Simeon accepit eum in vlnas suas: mox senectus fugit, & iuuenilis vigor affuit, & fortitudo. Qui prius se ipsum ferre non poterat, nunc leuiter puerum ferens exultat.* Ecce tibi Iesus diuinissimus Paradisus, diuinissima arbor vitæ, cuius fructum qui tenet, senium dimittit, & mirum in modum renouat iuuentutem suam. Pulchrè de illo ait Prouerb. 3. *Lignum vitæ est his, qui apprehenderint eam; & qui tenuerit eam, beatus.* Quæ erat virtus ligni vitæ? Ait in præsenti Caiet. *Lignum vitæ conseruabat vigorem vitæ corporeæ à defectibus senectutis.* Est ergo incarnata sapientia Christus lignum vitæ his, qui apprehendunt illum, ne senectutis defectus sentiant, sed vigore floreant iuuenili. Ex quo D. August. serm. 43. ad fratres in Eremo, ait: *O iuuenes delicati, quid agere creditis, cùm nihil sine Christo potestis facere, quibuscunque etiam bonis terrenis ornati sitis? Quærite ergo, ô iuuenes, Christum, vt iuuenes maneatis. Quærite vos, senes, Christum, vt cum omni prosperitate viuere valeatis. Quærite Christum, illum Christum, qui Centurionis seruum seruauit, paralyticum solidauit, Lazarum resuscitauit, cæcos illuminauit, meretricem beatificauit, latroni pepercit, & ei Paradisum donauit.* Ecce in Christo, & Paradisum habemus, & vitæ arborem, qua senes non sentiant, nec grauentur sub mole ætatis, & iuuenes, sic iuuenes permaneant.

And. Ep.

Cant. 4.

Eccl. 24.

Hug. Car.

Elias Cret.

Luc. 2.

Euseb.

Prou. 3.

Caiet.

D. Aug.

§. IX.

Ab Adamo bellum, & pugna in nobis ipsis; ab Incarnatione Christi pax rutilat.

SImul pomum Adamus comedit, & in se rebellionem carnis sensit, quam erubescens pugnam ficulneis foliis obtegere curat. Et meritò, ait enim D. Greg. 26. Moral. cap. 12. *Habet quippe spiritus commissum sibi dominium carnis, si tamen sub Deo recognoscit iura legitimæ seruitutis. Nam, si authorem suum superbiendo contemnit, iure & à subiecta carne prælium suscipit. Vnde & ille primus inobediens, mox vt superbiendo peccauit, pudenda contexit.* Adamus equidem in se, & in filiis armauit carnales concupiscentias aduersus spiritum, vt dicat Paul. ad Gal. 4. *Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem.* Ecce bellum, ecce pugnæ hominibus intestinæ: quæ vt tollantur à nobis, & pax alma rutilet, sibi carnem nostram in Mariæ vtero vniuit. Ait enim ipse Ioann. 14. *Pacem meam do vobis.* Sed & Matth. 10. aiebat: *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium.* Et dari, & non dari à se pacem testatur, & cur negat pacem à se dari, quando & ipse dicit, *Pacem meam do vobis?* Est duplex pax, altera nobis interna, quæ consistit in subiectione carnis ad spiritum, altera externa, qua liberamur ab hostilibus incursibus. Non equidem venit Dei Filius, vt hanc pacem traheret, sed illam, magnum enim diuinæ potestatis opus fuit bellum in nobis intestinum finire, nec aliter hoc efficeret, nisi vniendo sibi Deus humanam naturam. Sapienter ait Iobius Monachus, lib. de Incarn. 9. cap. 42. apud Biblioth. Photij: *Mundi pacem non venit mittere, imo acerrimis odio omnibus hominibus. Piorum enim cum Deo affinitas, ad odium,*

D. Greg.

Ioan. 14.

Matt. 10.

Iobius

odium, inuidiam, & metum impios concitauit. Venit igitur Saluator pacem mittere, qua cum animæ ea consentire, quæ corporis sunt, facit, quodque deterius est, melioris arbitrio subiicit. Quam quidem nobis præbuit, cum rebellē nostra natura pacificam Deitatem copulauit. Vt simul se Deus vniuit nostræ naturæ, illa pax in homine claruit, qua subiacet spiritui caro: hæc autem vna pax digna est habere authorem Deum. De hac aiebat Paul. ad Gal. 4. *Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Iesu.* Tanta est pax, qua in Christo pacificantur humani sensus, vt hæc absolutè vocari possit, pax Dei; hoc est, pax, quæ nulli alij deberi potest, nisi Deo. Quippe ait D. Ambros. lib. 2. de Iacob. cap. 6. *Grande est intra se aliquem tranquillum esse, & sibi conuenire. Foris pax, aut Imperatoris sollicita prouidentia, aut manu militum quæritur, aut bellorum prospero cedit euentu, aut internecione barbarorum, si in se hostili impetu arma conuertant. In ea pace nulla nostra virtus, sed euentus est. Certè gloria pacis illius ad Imperatorem refertur, istius pacis fructus in nobis est, quæ est in mentibus singulorum, quæ tenetur affectibus. Istius pacis maior est fructus, quò spiritalis nequitia tentamenta, quàm quò arma hostilia repelluntur. Ista pax sublimior, quæ corporalium passionum excludit illecebras, perturbationesque mitigat, quàm ea, quæ barbaricos sedat incursus. Plus est enim clauso intra te hosti resistere, quàm remoto.* Vna hæc pax, quæ in nobis est, sublimior, & præstantior omni alia pace videtur: vna hæc est, quæ nunquam de virture, & præstantia non venit. Vna hæc est, quam filius Dei attulit in carnem veniens. Pro qua ait Iobius vbi suprà. *Quænam aut maior, aut præstantior beneficentia esse possit, quàm ad dexteram Dei Patris videre sedentem nostram conditionem, & rebellantem quondam naturam, obedientem iam & pacificam, & vniuersorum parenti conciliatam intueri? Quod post hanc assumptam, per suam primitiarum oblationem, Verbum perfecit. Atque hanc mihi pacem relinquendo dicere videtur: Pacem meam do vobis.* Hæc ibi.

Ad Gal. 4.

D. Amb.

Iobius.

§. X.

Adamus Angelos nobis reddidit hostes, Christus à primo suæ Incarnationis instanti, illos nobis reddidit pacatos.

A Paradiso eiicitur Adamus, & in Paradisi ostio Cherubin locatur cum flammeo gladio, & quid per istum Cherubinum intelligam, nisi ingentes Angelorum phalanges gladiis armatas, quæ sese hostiliter offerant oculis humanis? Sic Pererius, Delrio, Abulen. Cornel. Vatab. Bellarm. relati à Saliano in præsenti: planè ex Adami culpa Angeli hostiliter se habebant in genus humanum. Ait enim Chrysost. hom. 3. in epist ad Coloss. *Dissidebat à cælo terra, hostiliter aduersabantur hominibus Angeli.* Quis vidit, quis audiuit ab Adami ruina Angelos non iratos in homines, nisi ex quo in carnem humanam descensus firmabatur sui Domini? Vbi Dei Filius tractat naturam sibi copulare nostram, ex tunc Angeli suam in homines hostilitatē deponunt, & non dubitant sese hominibus ostendere officiosos. Apud Gen. cap. 21. dicitur; *Vocauit Angelus Dei Agar de cælo, dicens: Quid agis Agar? Noli timere, &c.* Sed & Gen. 16. dum verba fiunt de hac ipsa Agare fugiente, dicitur: *Cùm inuenisset eam Angelus Domini iuxta fontem aquæ in solitudine, quæ est in via Sur, in deserto, dixit ad illam: Agar ancilla Sarai, vnde venis?* Et nunc primò Angelus nominatur, & inuenitur pacificè colloquēs cum hominibus. Et cur nunc primò Angeli ostenduntur pacifici? Præcesserat planè Abrahamo data promissio de assumenda carne eius a Dei Filio, vbi autem Filij Dei Incarnatio, vel apparuit sub vmbris, iam nesciunt Angeli habere cum hominibus inimicitias. Ait Iobius Monachus lib. de Incarn. 3. cap. 19. apud Biblioth. Photij: *Ab Adami præuaricatione ad vsque Noe generationem, Angelorum natura in hominum cognitionem minimè venit. At ne in secunda quidem ætate, quæ in audacem illam turris ædificationem desinit. Sed neque tertia se potest ætas Angelorum cognitione e iactare, quæ vsque dum Abraham Deum cognoscere cœpit, vt manifestum est, extenditur. At postquam Abrahæ promissiones illæ, quæ Dominicam Incarnationem veluti fundabant, ac præordinabant, factæ sunt, tunc certè Angelus vnus introducitur ancillæ Abrahæ Agar ministrans, qui illam animo pendentem, ac deficientem solatur.* Vna Filij Dei Incarnatio potuit nobis Angelos reddere fideles consolatores, & amicos.

Chrysost.

Gen. 21.

Iob. Mon.

PARS SECVNDA.

Moralia circa textus literam.

QVID ex Adamo, & Christi conceptione natum sit, qua potui diligentia enucleaui, vt pateret, quàm aptè Adami historiam sumpsimus, vt magnalia Filij Dei concepti educeremus inde. Nunc accipite, quid in hac historiæ parte textus dicat.

Ex Gen. cap. 3. Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno Paradisi?

§. I.

Tunc putat hostis se triumphare de fœmina, cum illam in colloquia trahit.

CAllidissimus humani generis hostis serpentem implens fœminæ parat laqueos, in quos vt trahat illam, ait: *Cur præcepit vobis Dominus, vt non comederetis, &c.?* Vide calliditatem, nihil malum proponit, non carpit præceptum, sed solùm rationem illius a fœmina exquirit, quasi certus de victoria, si semel ad colloquium fœminam trahat. Penè idem est in fœminis, & in colloquia, & in concupiscentiam ire. Ait lex Exod. 21. de ancilla desponsata filiofamilias: *Quod si alteram ei acceperit Pater, prouidebit puellæ nuptias, & vestimenta; & pretium pudicitiæ non negabit.* Septuag. legunt: *Victum, vestitum, & concubitum non minuet*, hoc est, ne iuuenis ab alimentis, & debito reddendo ancillæ sponsæ abstineat. Sed vbi Septuag. posuere concubitum, ex Græco ponit D. August. quæst. 78. in Exod. *Et locutionem non fraudabit ei.* Vt enim de fœmina crederetur quæuis humiliatio, vel desloratio, sufficiens est, quod dicatur fuisse locuta. Sic Angelus ad corruptissimos senes Israelitas, Dan. 13. *Semen Chanaan, & non Iuda, species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum, sic faciebatis filiabus Israel, & illæ timentes loquebantur vobis: sed non filia Iuda sustinuit iniquitatem vestram.* Expende, quod vt ostendat filias Israelis acquiescentes cupiditatibus senum, solùm dicit: *Illæ timentes loquebantur vobis*, nec amplius requiritur, vt credatur fœmina cuiuis acquieuisse facinori, quàm si dicatur illa in colloquia iuisse. Hinc Susanna dum iudicio sistitur, dum falsa de se crimina audit prædicari, Dan. 13. magis elegit flere, quam loqui, ait enim textus: *Quæ flens suspexit ad cælum, erat enim cor eius fiduciam habens ad Dominum.* Cur sic taces inter tot falsa testimonia, ô bona? Cur non magis obniteris aduersariis? Cur multa in tui defensionem non loqueris? Sed quæ ab omni facinore cauere contendit, sapienter vel in tanto periculo cauet à colloquio. Rem enim pulchrè tractans D. Amb. lib. 3. de Spirit. Sanct. cap. 8. sic ait: *Illa, quæ maluit sibi casta esse, quàm populo; illa, quæ maluit innocentia subire periculum, quàm pudoris; quæ cùm accusaretur, tacebat, cùm damnaretur, silebat, ne extorsisse petulantiam viderentur, qui extorquere non poterant castitatem.* Noluit prudentissima fœmina præstantior videri in seruanda castitate, quàm in silentio seruando, ne si ad verba traheretur, putaretur ad consensum facinoris tracta. Simul sunt in fœmina innocentia, & taciturnitas, vix potest esse innocens, si loquatur. Hoc silentium in sua sponsa laudabat Dominus Cant. 4. *Vitta coccinea labia tua.* Tunc secura est fœmina, cùm in labiis ostendit mille vittas, mille repagula. Ex quo D. Nazian. in car. ad Virgines fatur:

Exod. 21.

D. Aug.

Dan. 13.

Dan 13.

D. Amb.

Nazian.

Virgo sis oculis, sis ore, atque auribus ipsis
Virgo: nam tribus his facile est decedere recto.
Vtque latet rosa verna suo putamine clausa;
Sic os vincla ferat, validisque arctetur habenis,
Indicatque suis prolixa silentia labris.

Ecce tibi tota fœminea errandi facilitas vnde tollatur, nimirum inde, si os vincula ferat, si arctentur labia vittarum repagulis, vt minimè se ad colloquia pandant. Vtinam siluisset Eua, vtinam ad colloquium non fuisset tracta; fallar, nisi

2.Reg.17.

nisi dissipatum esset totum consilium serpentis. Absalon 2. Reg. 17. ait: *Melius est consilium Chusai Arachithæ consilio Achitophel. Domini autem consilio dissipatum est consilium Achitophel.* Expende, quis sit Achitophel, cuius consilium dissipatur, & Chusai, per quem tale consilium dissipatur. Etenim Chusai interpretatur silentium, Achitophel autem idem est, ac ruina fratris: nec fieri potest, quin silentium dissipet consilia eius, qui fratribus parat ruinam. Ait Hugo apud Tilmannum in Alleg. *Chusai interpretatur silentium, Achitophel ruina fratris. Destruit igitur Chusai consilium Achitophel, quia per silentium illorum, qui sunt quasi ruina fratrum, annihilatur consilium.* Nunquam, mihi credite, præualuisset serpentinum consilium de perdendis hominibus, si mulier in verba, & colloquium non iuisset.

Tilman.

§. II.

Astutia, non obedientia est, in præceptis Prælatorum rationem curiosè inquirere, examinare, & disputare de illa.

VIde totum astum serpentis, non statim præceptum impositum damnat, sed rationem eius in examen vocat, quærens, *Cur præcepit vobis Deus?* Et eò impellit fœminam, vt rationem præcepti ipsa inquirat, & disputandam in medium producat, vt hinc obedientia à se ipsa desciscat, & vergat in astutiam. Non equidem obediens est examinator præceptorum, sed astutus. Ait pulchrè Diu. Bern. tract. de Præcept. & Dispensat. *Porrò imperfecti cordis, & infima prorsus voluntatis indicium est, statuta seniorum studiosius discutere, exigere de quibusque rationem, & male suspicari de omni præcepto, cuius causa latuerit, nec vnquam libenter obedire, nisi cùm audire contigerit, quod fortè placuerit; aut quod non aliter licere, seu expedire monstrauerit, vel aperta ratio, vel indubitata authoritas. Delicata satis, imò nimis molesta est huiuscemodi obedientia. Disputare profectò, hoc est, in astu cordis, non in auditu auris obedire.* Expende illud, *hoc est, in astu cordis, non in auditu auris obedire*, non enim tam ad obedientiam, quàm ad serpentinum astum pertinet, quòd de re imperata disputes, quòd rationes rutines, & nolis quiescere nisi in euidenti scientia de conuenientia præcepti tibi exhibita. Fortasse huc respiciebat Prouerb. 14. aiens: *Astutus expectat scientiam*, astutia quidem est, & pessima calliditas non aliter moueri ad obedientiam præstandam, nisi quæstionibus, & demonstrationibus prælusis, quæ euidenter scire faciant, an sint conuenientes res iussæ. Ait enim D. Laurent. Iustinian. in ligno vitæ, de Obedient. cap. 6. *Sunt namque multi, qui post præceptum imperium, plurimas faciunt quæstiones, & sæpius ingeminant, Vnde hoc venerit? Quis hoc dederit consilium? Propter quod oritur murmuratio, excusatio, simulatio impossibilitatis, aduocatio amicorum. Contra quos per Prophetam loquitur Dominus.* Ecce quid pariat illorum astutia, qui de re disputant imperata; qui non nisi inspectis scienter præcepti radicibus, & causis, ad obediendum gradiuntur, ij potiùs murmuratores, excusatores, simulatores, quàm veri obedientes fiunt. Perfectus enim, imò verus obediens non discutit, sed simpliciter se credit sapientis Prælati etiam propriæ rationi obluctantibus nutibus. Rem pulchra similitudine ostendit Diu. Nilus in Ascetico, inquiens: *Quid primo aspectu videtur absurdius, quàm cùm gubernator in ea nauigatione, quam nautæ matutinam appellant, iubet, vt vectores, naui in obliquum vergente, in eo latere considant, quod vndis obruitur, relicto latere sublimiori, præsertim cùm ventus impellat, atque vrgeat latus illud, in quo iussit pondus inferri? Nonne coniectura suadebat, vt alterum latus, quod erat sublimius, onere premeretur, omnésque in eo considerent? Attamen gubernatoris iudicio, potiùs quàm propria coniectura atque opinioni vectores credunt. Quid ita? Quia quamuis ea quæ cernunt, aliter suadeant, arti tamen illius, cui salutem suam commiserunt, necessitas cogit obtemperare. Sic igitur, qui salutem animæ suæ aliis crediderunt omissis propriis opinionibus, & coniecturis, periti rectoris arti cedant, & scientiam illius cogitationibus suis anteponant.* Et quod Nilus posuit in nauigantibus, quotidie apparet in iter agentibus, qui dum se ductori committunt, sine cunctatione per aspera, & decliuia sequuntur, relictis amœnis, & planis: persuasi, quòd ductor scit optimè omnia commoda, & incommoda viarum, & quòd sibi conuenit sequi, non ducere. Proh quàm perfectè, & verè obediens puer Samuel! Hic semel & bis vocatus currit ad Magistrum, & toties audit non fuisse vocatus, & reuertitur iussus. 1. Reg. 3. *Et adiecit Dominus, & vocauit adhuc Samuelem tertiò: Qui consurgens abiit ad Heli, & ait: Ecce ego, quia vocasti me.* Semel, & iterum vocatus fueras, semel & iterum iussus ad magistrum, semel & iterum nouisti non fuisse ab illo vocatus. Cur modò non magis examinas vocem? Cnr vel paulisper non moraris, vt inquiras, & tecum saltem tractes, an frustranea etiam hæc vox sit, & ab alio veniat quàm à Prælato? Absit hoc à vero obedienti, cuius est præcipientis vocem accipere, & illam non curiosè examinatam executioni mandare. Ad hæc D. Greg. lib. 5. fatur: *Puer ergo humiliter homini subiectus, atque obedientiæ ardua arce sublimatus, quid aliud nobis exemplo præbet, nisi altissimam formam obedientiæ? Vera namque obedientia, nec præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit: quia qui omne vitæ suæ iudicium maiori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur, operatur. Nescit enim iudicare, quisquis perfectè didicerit obedire, quia hoc tantùm bonum putat, si præceptis obediat.* Nec credit à malo non venire, quòd discussio, & examinatio de præceptorum ratione fiat.

D.Bern.

Prou. 14.

D.Laur.

D. Nilus.

1.Reg.3.

D.Greg.

§. III.

Serpentina lingua propriissima dæmonis sedes, & proprium eius instrumentum.

NOn ad columbam, neque ad cygnum, neque ad leonem maluit venire dæmon, sed ad serpentem, vt tentaret primos Parentes; & quando serpentis totum virus in lingua est, non miror, quòd præ omnibus animalibus placeret serpens dæmoni. Nihil, mihi crede, citiùs, & gratiùs dæmone impletur, quàm lingua stillans venenum. Hæc propriissima diaboli sedes est, & propriissimum eius instrumentum. Ait Diu. Iacobus, in epist. canon. cap. 3. *Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ inflammata à gehenna.* Sed & de aliis vitiis, & malis locutus cap. 4. ait: *Vnde bella, & lites in vobis? Nonne hinc? Ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris.* Dum totus homo inflammatur ad bella, inflammatur ad lites, non aliunde quærit flammas, quàm è propriis concupiscentiis inhabitantibus hominis membra; vbi autem mala, & venenosa lingua inflammata ostenditur, non à membrorum concupiscentiis, sed à dæmonum sede, à gehennali incendio flamma quæritur. Inseparabilis equidem est mala lingua, & dæmonum sedes, ait Gillib. Abb. ser. 24. in Cant. *Quid lingua nequam cordi tuo talem adhibes flammam? Ignem hunc, quem euomis, hauris de gehenna. Inde incipit, & illo rapit. Lingua, inquit, inflammata à gehenna. Malè succendit, quia succendit vnita, quia dissidij verba scintillat, & flamma talis de inferis est.* Cognata est mala lingua inferno, inter gehennæ flammam, & venenosam linguam vix vllum discrimen est, vtraque & sedes dæmonum, & instrumentum ad homines perdendos. Item ait Iacobus dicto cap. 3. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, potens etiam freno circumducere totum corpus. Si autem equis frena in ora mittimus ad consentiendum nobis, &c.* Vbi linguam bonam equo frænis aptè gubernato comparat. Et quidem equus fræno parens, dignus est, cui insideant Reges; sic equus fræni impatiens, talis est, cui nisi de vita desperati velint insidere. Eadem prorsus ratione ad effrænem linguam nullus sessutus venit priùs quàm desperatus, & malignus dæmon. Ita D. Chrysost. hom. 52. in Matth. ait: *Regius quidem equus est lingua nostra. Si ergo ei frænum immiseris, ascendet in eum Rex, & quiescet in eo. si autem nullo fræno domueris, sed huc, atque illuc infrænem iactare permiseris, diaboli eam vehiculum fecisti.* Ex quo lingua rupto fræno virus diffundit, diaboli facta apparet sedes, in qua vt in proprio, & natiuo solo dæmon requiescit. Accedit Psalm. 119. vbi in sententia Isidori Clari, Campensis, & Ianseni de linguis dolosis appositiuè dicitur: *Sagitta potentis acuta cum carbonibus desolatoriis.* Vbi Chaldæus legit, *Sagitta robusti acuta, sicut fulgura superna, cum carbonibus ardentibus in gehenna inferiùs.* Itaque lingua dolosa instar est sagittæ acutæ, cui pro cuspide inseruntur carbones ardeotes, qui veniunt de gehenna inferni. Vt enim in sagitta proprius est locus, & sedes, vbi ponitur acuta ferri cuspis: sic in lingua dolosa, & peruersa sedes est, & locus proprius, vbi carbones infernales sunt, & quiescunt. Sed addo lectionem Chrysost. qui legit: *Sagitta potentis acuta, cum carbonibus in lecti formam constratis.* Cur in lecti formam? Nescio an fiat allusio ad lectisternia dæmonum. Ethnici namque conuiuia in dæmoniorum templis celebrantes, lectos compositos mensis apponebant, quæ lectisternia vocabant, in quibus accumberent dæmones. Sic habes apud Athenæum: *In Capitolio stratis tribus lectis, conuiuium apponebatur tribus diis, Ioui, Iunoni, & Mineruæ, &c.* Quid tunc? Est equidem lingua dolosa, & serpentina sagitta acuta, cum carbo-

Iacob.

Gil. Abb.

Iacob. 3.

Chrysost.

Ps. 119.

Athen.

nibus in lecti formam stratis, hoc est, cum lectisterniis, in quibus acquiescit, & accumbit diabolus. Sic de conuiuiatrice lingua dicebat Chrysost. hom. 52. in Matth. *Diaboli quippe lectus est omne conuiuium.* Vbi lingua maligna est, iam habet diabolus lectisternium, in quo quiescat: & ea quo Orbem perdat. Hinc D. Cyril. Alex. in Apolog. ad Theodos. quæ habetur in Concil. Ephes. tom. 5. cap. 2. reddens rationem, cur diabolus vsus sit Nestorio hæretico, ait; *Draco igitur apostata ille, hoc est, Satanas verum sacerdotem, incautum, mentéque seductum nactus, & linguam nihilominus adeptus temerariam, & ad veritatem dogmatum calumniandum, Christique Seruatoris nostri gloria detrahendum promptissimam, (erat enim peruicax, effrenatóque impetu quæuis etiam absurdissima audacter, inconsultéque aggrediens) turbis, seditionibusque omnes Ecclesias adimpleuit.* Expendo ab illis, *linguam nihilominus adeptus, &c.* Vbi enim linguam temerariam plenámque veneno inuenit, non dubitauit se posse Orbem perdere.

Chrysost. *Theodos.*

Gen. 3. Cui respondit mulier: De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso, vescimur: de fructu verò ligni, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur.

§. IV.

Fœminea leuitas in publicandis Dei secretis cauenda.

QVid lenius Eua? Ad leuem serpentis interrogationem, totum Dei publicat, & effundit secretum, ne miremur, quod in tantum barathrum deuenerit. Quippe ait D. Chrysost. in Cat. Lippom. *Non solùm non est serpentem auersata, sed omne mandatum illi detexit, & margaritas porcis obiecit, impleuitque quod à Christo cautum: Ne mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent illas pedibus suis, & conuersi vos disrumpant, quod & factum est. Apposuit enim porco, huic mala bestia, dæmoni videlicet, qui per serpentem operabatur, diuinas margaritas, & non solùm illas conculcauit, sed & dictis se opposuit, & non solùm illam, sed & protoplastum in inobedientia morbum perduxit. Tantum malum est absque delectu cuiuis diuina mysteria detegere.* Non habeatur velut res parua fœminea leuitas in retegendis cuiuis diuinis secretis: res enim est magni discriminis, & quæ innumera mala parere consueuit. Quam cauens Abrahamus, vbi tres Angelos hospitio excepit, illisque mysteriosum conuiuium parare curauit, ait vxori suæ Gen. 18. *Accelera, tria sata simila commisce, & fac subcinericios panes.* Ex Græco legit D. Amb. *& fac abscondita.* Et cur Sanctus cauet, quòd ad Angelorum conuiuia fiant abscondita? Equidem agebat cum fœmina, cuius leuitas in detegendis diuinis secretis periculosa est, & maximè cauenda; vnde Abraham nihil magis in vxore cauet, quàm quòd celet, quòd abscondat cœlestium pabulum, vtpote, quod nisi absconditum Deo non placeat. Ait D. Ambr. lib. 1. de Abraham cap. 5. fatus: *Græcè dicuntur abscondita, eò quòd latere debet omne mysterium, & quasi operiri fides silentio, ne profanis temerè diuulgetur auribus. Hoc pascitur diuina maiestas, hunc epulatur affectum, qui parcus loquendi sit, nec sacra in medium ferat.* Apage fœminea leuitat in eloquendis, & explicandis passim diuinis secretis, quæ curat non ire in perditionem, se muniat silentio, custodiam ori suo apponat, ne se effundat in verba, quandoquidem Deus in abscondito amat cuocari, & in secreto cordis suas misericordias rtetur. De templi Hierosolymitani ædificatione dicitur 3. Reg. 6. *Malleus, & securis, & ferramentum non sunt audita in domo Domini, cum ædificaretur.* Cur in sui templi ædificatione sic Deus curat remoucre omnem strepitum? Cur sic cauetur, ne ibi audiatur vllius vox instrumenti? Equidem non paratur Deo locus inter voces loquentium: tunc Dei ædificatio firma est, cùm regitur silentio. Ex quo sic solatur Imperatricem Agnetem Petrus Damian. lib. 7. epist. 6. *Eorum, qui tecum conuersabantur noli deputare iacturam, imò salutis occasio, perfectionis lucrum, & profectò nostri meriti deputetur augmentum, quia dum strepitus humani cessat alloquij, construitur in te per silentium templum Spiritus Sancti: Hinc de templi constructione dicitur, quia malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita, cùm domus Domini ædificaretur. Templum quippe Dei per silentium crescit, quia dum mens humana per exteriora se verba non fundit, in sublime fastigium spiritualis ædificij structura consurgit; tantóque succrescens in altiora sustollitur, quanto per silentij custodiam circumclusa sese extrinsecus fundere prohibetur. Custos enim iustitiæ silentium.* Sic sanctus vir solatur bonam fœminam, quæ absentiam eorum, cum quibus colloquebatur, dolebat. Carentia enim colloquij præcipuè in fœminis non doloris est, sed profectui; quò magis à verbis abstinemus, eò magis diuina ædificatio in nobis, & firmatur, & crescit.

Chrysost. *Gen. 18.* *D. Amb.* *3. Reg. 6.* *Petr. Dam.*

§. V.

Seruili animo vel vna obligatio, quasi plures apparet.

VNum iusserat Dominus primis parentibus, nimirum, *De ligno scientiæ boni, & mali, ne comedas,* mulier autem iam non amans, sed sub metu penè seruiens, non vnum refert, sed duo, ait enim: *Præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud.* Et quidem nunquam clariùs ostenditur præceptum fuisse vnicum, quàm vbi mulieris iam seruili animo duo, aut plura apparent. Similiter enim argumentabatur Tertul. lib. 2. in Mar. de Domino Deo: *Tunc maximè vnus, cum homini duo, aut plures:* fallitus enim maximè, qui plures Deos, aut Dominos putat esse, ex eò quòd plures homini seruili, & reo videantur. Imò ex eo vnitas Dei probatur, quòd tali homini duo, aut plures appareant, quando namque filius vix pluribus constat vnum patrem, seruus, & reus de vno iudice, & Deo plures facit: duplicantur, imò, & multiplicantur vindices seruili animo; & licèt paucissimæ sint obligationes, innumeræ apparent animo repugnanti. Ait Dominus apud Ioan. cap. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum:::Qui non diligit me, sermones meos non seruat.* Primò dixit, sermonem suum in singulari, deinde non sermonem, sed sermones in plurali posuit, & vtrobique de eadem Dei lege loquebatur. Cur ergo in primis eam vocat sermonem, & postmodum non sermonem, sed sermones vocat? In primis agit de lege sua respectu animi, qui diligebat: cui non mirum est, si plures leges quasi vna videantur; at postmodum agebat respectu animi, qui non diligebat, huic autem vel vnica syllaba apparebit quasi multiplices, & longissimi sermones. Ait Oleaster in Gen. 3. *Sermones meos leges iis, qui non diligunt me; qui verò diligit, sermonem meum seruabit.* Diligenti Deum, parua & minima videntur quæcunque à Deo præcipiuntur; at non diligenti, vel vnum mandatum apparet quasi plura, vel vnus Dominus quasi mille. Ezech. 1. de curru gloriæ Dei, & pennatis animalibus, fatur: *Et audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum, quasi sonus sublimis Dei, cum ambularent, quasi sonus erat multitudinis, & quasi castrorum.* Quatuor erant animalia, vnus currus, & vnus Deus in curru, & in iis paucis personis ingentes aquarum labentium strepitus, & multitudinis voces, & numerosissimos exercitus Ezechiel audiebat. Non sic Cant. 5. de Deo enim & Prophetis locuta Sponsa, ait: *Labia eius distillantia myrrham primam.* Tot Doctorum, Prophetarúmque phalanges reputat, quasi duo solùm labia, à quibus non flumina, sed stillata myrrhæ gutta cadit. Vnde hæc? Cur Ezechieli vox Dei, vox quatuor animalium, ingentes aquarum fluxus, & numerosissimos refert exercitus? & Sponsæ ipsa eadem Dei vox, & Prophetarum quasi minutissima myrrhæ gutta apparet? Seruiebat ille, amabat hæc: ille sub seruili legis spiritu laborabat, ea quo veniebat, quod ei vel vnus Propheta, vel vnus Legislator, vel vna Lex, sic appareret multiplicata, vt numerosissimorum exercituum referret faciem. Hæc autem, seruitutis iugo excusso, Sponsi sui ardebat amoris flammis, ex quo habeat ingentes etiam amaritudinum copias, quasi guttam reputare. Hinc licet aduertere, quàm sit gelidus Diu. Pauli amor comparatus ad amorem, quo diuinissimus Iesus flammabat. Ait Paulus ad Ephes. 6. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi Rectores, &c.* Ecce tibi quot principes, quot potestates, quot mundi rectores sibi recenset contrarios. Iesus autem aiebat Ioann. 14. *Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam. Sed vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio; surgite, eamus, &c.* Paulum impugnabant plures principes, & potestates, & rectores mundi, & Iesum solus vnus impugnabat? Absit: imò vniuersæ dæmonum phalanges, vniuersi principes Hierosolymitani Iesum impugnabant, sed eo ardebat Iesus amore, quo ingentes hostium exercitus pro vno hoste habebat, & multa præcepta Patris, quasi vnum mandatum reputabat.

Tertul. *Ioan. 14.* *Oleaster.* *Ezech. 1.* *Cant. 5.* *Ad Eph. 6.* *Ioan. 14.*

Gen. 3. Dixit autem ſerpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quòd in quocumque die comedetitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum. Vidit autem mulier, quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectúque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit: dedítque viro ſuo, qui comedit.

§. VI.

Vbi mortis cogitatio abeſt, imbecillitas intrat, quæ trahit ad caſum.

Ecce ſerpentis oſtium, nihil priùs curat eripere, quàm mortis cogitationem, aiens; *Nequaquam morte moriemini*; vbi enim abeſt mortis cogitatio, neceſſum eſt, quòd imbecillitas, & infirmitas maneat, quæ faciat caſum. Ait enim *Baſil. Sel.* D. Baſil. Sel. orat. 3. *Furtim demit mortis terrorem, vt leges munimenta deprædetur.* Non munimentum manet, ſed Infirmitas intrat, vbi abeſt mortis intellectus. Nota eſt hiſtoria Gen. *Gen. 23.* 23. vbi venditur ſepulchrum ab Ephron Abrahæ, ad ſepeliendam vxorem: *Abraham appendit pecuniam, quam Ephron poſtulauerat; audientibus filiis Heth, quadringentos ſiclos argenti probatæ monetæ publicæ. Confirmatúſque eſt ager, quondam Ephronis, in quo erat ſpelunca duplex reſpiciens Mambre, tam ipſe, quàm ſpelunca, & omnes arbores eius in cunctis terminis eius per circuitum, Abrahæ in poſſeſſionem, &c.* Nec oſcitãter vocatur Ephron, qui primus ſcribitur à ſe alienaſſe ſepulchrum, quando Ephron idem eſt, ac puluis; vt enim puluis facilè mouetur à vento, ſic qui à ſe alienat mortis indicium, facilè à virtute in vitium declinat. Non longè abeſt Rupert. lib. 6. in Gen. *Rupert.* cap. 35. inquiens: *Appellatus eſt Ephron, ſignificante Scriptura non eum fuiſſe conſummatæ, perfectæque virtutis, qui potuerit memorias vendere mortuorum.* Cum ſepulchri alienatione non potuit ſtare perfecta, & firma virtus: vbi mortis memorias à te alienas, & ſimul alienas virtutis perfectionem, quæ ſola conſeruatur inter mortis memorias. De prudentiſſima illa *Ioan. 20.* Magdalena ſectatrice Chriſti dicitur, Ioan. 20. quòd, abeuntibus etiam diſcipulis, *Maria ſtabat ad monumentum, foris plorans.* Viderat monumentum vacuum; & tamen ſtabat ad monumentum, nec ab illo diſcedebat. Cur Maria non abis cum abeuntibus diſcipulis? Cur aliunde non quæris Dominum? Cur magis ſtas ad monumentum, in quo cernis non eſſe Ieſum? Prudens fœmina non diſcedit à monumento, quia alibi neſciebat quærere Dominum, niſi perſiſtens in mortis *Galfrid.* memoria. Ait Galfridus apud Tilmannum, in allegor. *Stabat Maria foris, quia intus dominicum corpus non eſſe iam viderat. Stabat plorans, quia quid aliud ageret, quid offerret aliud, non habebat. Stabat ad monumentum, quia vbi eum alibi quæreret, neſciebat.* O ſapientiſſima ignorantia, qua Maria ignorabat, vbi Deum à monumento ſeparata quæreret, nullibi equidem Deus & virtus certiùs inuenitur, quàm vbi mortis indicium cominus cernitur. Ne palabunda infructuosè erraret per loca, ſepulchro adhæret, in quo dum fixi oculi ſunt, vix vlla perditio poteſt timeri. Vbi manna dabatur Iſraelitis, ait Moyſes Exod. *Exod. 16.* 16. *Colligat quiſque ex eo quantum ſufficiat ad veſcendum, Gomor per ſingula capita.* Parua menſura datur, quæ non excedat vnius diei cibum, ex qua nihil remaneat in alterum diem. Et cur tam anguſta cibi menſura datur? Cur non magis permittitur aliquid reſeruari in alium diem? Sanè curabat Deus in filiis ſuis hanc firmare perfectionem, qua in vnoquoque die ſic præ oculis habeant finem vitæ, quaſi minime futurum *Paſchaſ.* craſtinum exiſtiment. Ait Paſchaſ. lib. 4. in Matth. *Gradiente per deſertum populo præcipitur, vt ſinguli non amplius ad victum quotidianum, quàm Gomor vnum colligerent. Ex quo Chriſtianorum regula ſignatur, quod perfecti quoque non debeant ſolliciti eſſe de craſtino. Quod ſi planè laborioſum putatur, & arduum, filiorum tamen debet eſſe iſta perfectio, vt ſic viuant quotidie, quaſi mox morituri.* Nihil permittitur Dei filiis, quo illorum oculi abſtrahantur à contemplatione inſtantis finis. Eam vitam arripere iubentur, eum capere cibum, qui non longè faciat terminum vitæ, ſed quaſi præſentem oſtendat illum. Hinc eſt, quòd ferentes filij Iacob patris cadauer, cùm poſſent per magnum viæ compendium ire in partem ſepulchri, maluerunt per vaſtiſſimam eremum circumire, qua poſtea ab Ægypto liberati in terram promiſſam erant redituri. Ne qui ad libertatem properabant, vel pedem figerent, vbi veſtigia non extarent paterni funeris. Quippe ait Gen. 50. *Gen. 50.* *Veneruntque ad Aream Atad, quæ ſita eſt trans Iordanem.* Quam longiſſimè diſtabat Area hæc à loco ſepulchri, qui proximior multò erat Ægypto; cur ergo cum cadauere tam longam circuitionem ineunt? D. Aug. q. 121. in Gen. ait. *D. Aug.* *Per eremum venerunt cum corpore, qua via etiam populus Iſrael ductus eſt per Moyſem ab Ægypto liberatus.* Meritò præmiſſus fuit patris funus per eremum, quà poſtea totus Iſrael erat iturus liberatus de Ægypto, non enim ſecura fuiſſet Dei filiis via, per quam non præmiſſum eſſet commune omnibus funus. Caue Chriſtiane viam, in qua non præceſſerit ob oculos tibi poſitus funereus cinis.

§. VII.

Blaſphemas voces ſine dolore audiens ingentem timeat ruinam.

Qvis numeret blaſphemias ſerpentis? Ait Rup. in præ- *Rupert.* ſenti: *Mendax ipſe, mendacem facere vult Deum, cùm dicit, Nequaquam morte moriemini. Item verò inuidus, præcepti Dei cauſam eſſe inuidiam audet aſſerere.* O voces ſerpentis blaſphemas, Deo & mẽdacium, & inuidiam tribuentes! Illis tamen clariſſimis blaſphemiis auditis non mouetur Eua, ſed inter illas gratis oculis incipit aſpicere eſcas, de quarum guſtu ruit in interitum, & ingentem ſibi, & mundo lucratur pœnam. Et meritò, quæ ſine dolore ingenti audiuit blaſphemias, in tantum barathrum pœnarum deuenit. Quis ignoret blaſphemias à Rabſace Babyloniorum duce iactatas in Deum cœli? De illis Iſaias c. 37. *Iſai. 37.* *Et factum eſt, cùm audiſſet Rex Ezechias, ſcidit veſtimenta ſua, & obuolutus eſt ſacco, & intrauit in domum Domini, &c.* Obſeſſus erat bonus Rex, & hoſtili cinctus exercitu, & pro hoſtibus depellendis ſolicitus in muro verſabatur, arma, gladios, miſſiles ignes parans, vt audiuit blaſphemias iactatas in Deum, oblitus armorum, ad ſaccum currit, ad cinerem aduolat, & regia militum ornamenta deſerens, totus dolens, & eiulans vſque ad domum Dei peruenit. Cur bone non magis pugnas? Cur non magis ignibus inſtas & ferro? Cur te totum das dolori, & pœnitentiæ, quando magis videntur neceſſarij tumultus bellici? Meritò timuit bonus Rex & ſibi, & vniuerſo regno, ſi blaſphemiæ Rabſacis ſine dolore, & ingenti pœna audirentur. Ait D. Cyril. lib. de Fide ad Theodoſ. *D. Cyrill.* *Conuitia in Deum detorta ægerrimè ferens Rex, eáque, ſi diſſimularentur, capiendæ ciuitatis cauſam eſſe poſſe, piè, prudentérque conſiderans, & ſe nihilominus ab illo blaſphemarum vocum crimine exoluere percupiens; derepentè conſciſſa veſte in domum Dei aſcendit, precibúſque quibus potuit, iræ diuinæ ſeſe oppoſuit.* Hoſtis blaſphemabat, & Rex timebat, ne per illas blaſphemias vrbs perderetur, & ne ipſe crimen incurreret, pro quo, relictis armis, hoc curabat, vt anxiè doleret, & precibus & lacrymis ſeſe diuinæ opponeret iræ: ratus blaſphemias damnoſas eſſe & blaſphematori, & iis qui audiunt ſine dolore ingenti. Licèt enim in hoſte ſuo videret eſſe blaſphemias, tamen ipſe dolebat, nec ſine gemitu, & lacrymis illas excipiebat, piè, prudentérque conſiderans blaſphemias etiam ab hoſtibus iactatas in Deum, ſibi poſſe maximè nocere, & vniuerſo regno, niſi cum dolore, & gemitu exciperentur. Diſce, Chriſtiane, quanto dolore debes audire aliorum voces blaſphemas, niſi velis magnam ex illis trahere pœnam. Pulchrè Tertul. lib. de ſpectaculis, non ſolùm pu- *Tertul.* tat deputari ad ſupplicium blaſphematores, ſed & audientes ſine dolore blaſphemias. Quippe ait: *Dubitas enim illo momento, quo in diaboli Eccleſia fueris, omnes Angelos proſpicere de cœlo, & ſingulos denotare, quis blaſphemiam dixerit, quis audierit, quis linguam, quis aures diabolo aduerſus Deum adminiſtrauerit?* Equidem in ſpectaculis mille blaſphemiæ iactabantur in Deum, à quibus fideles aſtantes minimè immunes erant, quando inter gaudia ſpectaculorum blaſphemias audiebant, eadémque nota ab Angelis vltoribus deſignatur ad pœnam, qui loquitur, & qui ſine dolore & ſuſpirio audit in Deum iactari blaſphemias. Et ruina, & ſupplicium manet illum, qui blaſphemias audit indolenter; vt etiam præmium accipit, qui quando aliud non poteſt, cum ingenti dolore, & gemitu blaſphematores excipit. Ad hoſtium Aſſyriorum blaſphemias vehementer doluit Ezechias Rex, & ſacco veſtitus humi procumbebat, interea Angelus Domini hoſtiles exercitus ingreſſus omnes interfecit. Quid tunc Ezechias?

Ait

4. Reg. 19. *D. Cyril.*

Ait text. 4. Reg. 19. *Cúmque diluculo surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum.* Id quod ponderans D. Cyril. Alex. lib. de Fide ad Theod. ait: *Et surrexit, & ecce vidit omnia cadauera mortuorum. Hi pietatis sunt fructus, hæc eorum, qui blasphemas in Deum voces non ferunt, merces.* Stat regnum, stat domus, stat homo inter deiectos hostes, vbi dolenter audit blasphemias in Deum iactatas; vt ruit, & cadit quisquis sine vllo doloris sensu inter voces blasphemantes graditur.

§. VIII.

Amicitia humana vehemens affectus rarò non facit diuina conculcari.

VEtitum fructum comedit mulier, *deditque viro suo, qui comedit.* Proh Deus immortalis! qua machina adductus fuit vir, vt in tantum veniret scelus? Non ibi erat lasciua concupiscentia, quæ homines solet raptare; non porcina caro, quæ margaritas cœlestes conculcat; sed sola erat quædam amicabilis beneuolentia inter Adamum & Euam, & hic vnus amicitiæ humanæ affectus sic hominem vnum integrum & constantem rapuit, vt, præ illo, Deum nihili faceret. Ait D. Aug. lib. 11. de Gen. ad liter. c. 42. *Adam noluit Euam contristari, quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab eius alienaretur animo, & non quidem carnis victus concupiscentia, quam nondum senserat in resistente lege membrorum legi mentis suæ: sed amicabili quadam beneuolentia, qua plerumque fit, vt offendatur Deus ne homo ex amico fiat inimicus.* Quis sapiens non sibi caueat ab amicitiæ humanæ affectu, cùm videat ab illo vno & sapientissimum, & prudentissimum Adamum in tanta adductum mala? Quæ domus, vel familia non expaueat humanæ amicitiæ affectus inter suos, quando Paradisus ipse tot in se vidit clades ex vno amicitiæ affectu pullulantes? Et fallar, si in religiosórum familiis aliqua obseruantiæ ruina est, quam non causauerint amicitiæ humanæ. Huius affectus dum etiam in sapientissimorum, & prudentissimorum animis viuit, necessum est, vt suos effectus habeat, ne velit contristari suas delicias, ne vereatur Deum offendere, vt integrum maneat amici solatium. Pro quo exhibeo sententiam sanctissimę Synodi Ephesinæ, quæ trecentis Episcopis constabat; hæc monens Imperatorem ne Candidiano Comiti, nec Ioanni Antiocheno Nestorij amicis præbeat aures, sic ait tom. 4. Concil. Ephes. cap. 10. *Quia verò præclarissimus Comes Candidianus Nestorij amicitiam pietati anteponens, aures pietatis vestræ præoccupare student: iterum, atque iterum dominationem vestram rogamus, ne quem eorum velit suscipere, qui hominis amicitiam pietati priorem ducunt. In horum autem numero, cùm Ioannem Antiochenum quoque existere, hoc est, ita comparatum esse existimaremus, vt amicitia mulis gratificari, quàm quæ ad Fidei vtilitatem pertinent, considerare. certum eius rei ex eo coniecturam facientes :::: Non enim omnium est pietati amicitiam postponere.* Quid grauius? Quid seuerius in amicitiam humanam fingi potuit? Hæc est sententia totius Concilij Ephesini, dicta apud mundi Reges, nimirum; *Non omnium est pietati amicitiam postponere*, & hæc dicta fuit, vt grauissimum Antiochiæ antistitem Ioannem in causa hæresiarchæ Nestorij facerent suspectum, propter viri amicitiam. Quis vel de homuncione suspicaretur, quòd amicitiam hominis præponeret Fidei diuinæ; & tota synodus id suspicatur de maximo, & pienti prælato Ioanne? Et quidem Ioannes hic in nullo dependebat, à Nestorio, nec eius auxiliis egebat, sed solùm hominis priuati amicitiam colebat; quam qui postponat vel Fidei, vel Deo, non gregalis homo est, sed eximius, sed rarus, & rarò visus in terris. Hinc acutè, & sapienter D. Thom. opusc. 61. de Proximi dilectione, cap. 1. affectum humanæ amicitiæ comparat igni nutrito carbonibus, quo prior Paulus ad Rom. 12. ait. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi; hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius*: hoc est, ex inimico facis amicum. Et in quo est similis amicitia carbonibus? Iam indicat D. Thom. *Alii carbonibus in lare cordis ignem affectionis nutriunt, qui bonos homines diligunt. Verùm, vt nudius, & de igne carbonum caput frangitur, nisi sale asperguntur. O quantorum capita insensibiliter fracta sunt, & in quandam periculosam insaniam inciderunt, qui sine sale discretionis etiam bonos homines dilexerunt, qui spiritu cœperunt, & carne consummauerunt.* Periculosa omnibus est incauta amicitia humana, sed præcipuè in capitibus suam exerit malignitatem, qua dolentibus capitibus cætera membra in ruinam abeant. Huc trahendus Pater Paz *lib. 3 de Perfectione vitæ spiritualis, par. 3. cap. 39. num. 6.* vbi apprimè describit, quæ mala hæ amicitiæ gignant in Religiosorum adytis. Sed clariùs illa ab experientia doceberis, si vel oculos aperias ad notandum. Vnde Theophyl. in c. 1. Luc. in fine rationem reddens, cur Ioannes à primis annis in desertum abiit, fatur. *Quare erat in desertis? Vt ne multitudinis malitiæ particeps fieret. & vt neminem reueritus liberè reprehenderet. Nam si fuisset in mundo, fortassis consuetudine amicorum, & societate coinquinatus fuisset.* Expende, quantum malum tribuat amicorum consuetudini, nimirum, vt posset etiam coinquinare, & inflectere Baptistam. Sanctissimus erat Iosaphat Rex Iuda, & ex Propheta Michæa audierat non debere bellum geri ab Achabo contra Galaad, & nihilominus iuit in bellum. Ait enim text. 3. Reg. 2. *Ascendit itaque Rex Israel, & Iosaphat, Rex Iuda in Ramaoth Galaad.* Quod renuente Deo ascendat Achab, non miror, impius enim erat, at Iosaphath piissimus, cur ascendit? Theodoret. quæst. 65. ibi. *Cum eo simul abiit Iosaphat, sua pietate faciens indigna. Nam cùm quæsisset Prophetum, & amandasset falsos Prophetas, & quid esset agendum didicisset per Michæam, pietati prætulit amicitiam.* Proh amicitiam omnis pietatis conculcatricem!

D. Aug. *Antioch.* *D. Thom.* *D. Thom.* *Theophyl.* *3. Reg. 2.* *Theodor.*

Gen. cap. 3. Et aperti sunt oculi amborum: cúmque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.

§. IX.

Turgentis animi diabolica præsumptio, in vilissima quæque & euanidissima desinit.

SOlij diuini aucupes ad vilissima ficus ornamenta mittunt Regias manus; consuunt enim folia ficus, quibus operiantur, qui diuinum decorem aucupari nitebantur. Heu! in quàm vilissima desinit mens, quæ, operante diabolo, in magnos spiritus turgescit! Ait D. Germanus Constantinop. orat. in adorationem crucis, apud Grethserum tom. 2. *An non illusus est homo à diabolo, qui cùm eum ingenti spe Diuinitatis adipiscendæ pauisset, tandem totam illam spei turgidam molem ad folia ficus transtulit?* Sanè diabolicus astus est, turgentes hominis spiritus ad vilissima quæque descendere: magna persequi, & in minimis, & vilissimis hærere. Similiter turgebat ipse apud Isaiam cap. 14. dicens: *Super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Et quid post totam hanc turgidam molem cœlestis solij? Ait de illo Paul. ad Ephes. 2. *Secundum principem potestatis aëris huius, spiritus qui nunc operatur, &c.* Non cœleste solium, non solidam sedem, sed aera vagum, & fluctuantem, ipse vagus, & fluctuans tenet. Ad hæc pulchrè D. Bern. de Grad. Humil. 1. *Quid facies Lucifer? E cœlo pulsus, in terra remanere non potes. Terra enim locus solidus est, vbi sedet Ecclesia fundata supra firmam petram. Elige ergo tibi in aere locum non ad sedendum, sed ad volandum, vt qui tentasti concutere statum æternitatis, pœnam sentias propriæ fluctuationis.* Turgida Luciferi mens, dum pascitur diuinæ sedis potiundæ spe inani, totam illam molem spei ad aera transfert, vbi tantùm à sede distat, vt nequeat non perpetuos agere volatus. Quid aer eum sede? sed qui turgentes spiritus alit, semper desinit in vacua, & inania. Sic Psal. 39. *Non respexit in vanitates.* Hieron. legit. *Non est conuersus ad superbias*: siue vt Tigurina ait, *ad superbos*: quisquis enim superbia extumescit, nunquam non desinit in aliquod & vile, & vanum, & abiectum. Vt dicat meritò D. Laur. Iustin. de solit. vita c. 7. *Superbia detentus vento, ignominia colliditur in scopulos.* Nunquam enim ventus superbiæ non impellit homines in ignominias, & vilissimas, & euanidissimas omnium resculas. De superbissimo illo Nabuchodonosor ait Daniel c. 4. *Post finem mensium duodecim, in aula Babylonis deambulabat. Respondítque rex, & ait, Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Sese superbissimus iactat de Babylone ædificata, sed & Babylon idem sonat, quod confusio; superbit ergo Rex, & inter superbiendum, nihil aliud suum meminit nisi Babylonem. Cur non magis solis Regiam sibi ascribit? Cur non magis in sua ponit cœlestia tabernacula? Pulchrè ait Richar. Victor. lib. 2. de erudit. interioris hominis par. 1. cap. 40. *Animæ superbienti est Babylon ædificare, ad omnem se humilitatem inclinare: & quasi pro religionis obtentu ad omnem se vilitatem, & abiectionem exponere: & ad qualibet, in quibus solent homines erubescere.* In infimis & abiectis rebus, plerisque

German. *Isai. 14.* *Ephes. 2.* *D. Bern.* *Psal. 39.* *Laur. Iust.* *Dan. 4.* *Richar.*

plenisque ignominia est superborum pars præcipua; dum enim alta, & sublimia sibi effingunt, ad vilissima quæque, & maximè erubescenda manus dimittunt. Vt meritò superbia repentibus pedibus comparetur Psal. 35. vbi ait: *Non veniat mihi pes superbiæ*, quasi nihil pertineat ad superbiæ affectum, nisi id, quod minimè supra pedes erigitur. Putantur superbi affectus per summa volare, at in imis sunt, & vilissimis, & instar pedum passim apparent in limo defixi.

Psal. 35.

§. X.

De peccati malitia venit, quòd res vilissimæ in pretio habeantur, & pretiosæ reputentur.

ERant in Paradiso floridi rami, odoræ herbæ, pulcherrima folia, sed iis dimissis primi homines a turpi, & rudi ficulneæ folio vestimentum quærunt. Cur non magis à florentibus ramis, ab odoris herbis? Sanè vt superbissimi peccato erant madidi, sic apud illos vilissima omnium cœperunt pro florentibus æstimari, & in pretio haberi. Ait Leontius ser. de Creat. apud Bibliothecam Photij: *Incoctum peccati cibum habuerunt, & illius induentes nuditatem, purpuram esse regalem ficus folia existimarunt.* Expende, quid intulerit peccati infectio; vt peccati cibum gustauere primi parentes; quasi ad purpuram, ad vile ficulneæ folium manus extenderunt. Folium vile, & rude erat, quod purpura putabatur ab animis illis Regiis, quos peccati labes infecit. Et quando similem imposturam non patitur natura peccati infecta? Vilissimæ, & asperrimæ sunt res, quæ in regio honore habentur. Matth. 27. *Tunc milites Præsidis suscipientes Iesum in Prætorium, congregauerunt ad eum vniuersam cohortem. & exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei: & plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius & arundinem in dextera eius.* Quid vilius? Quid abiectius? Milites tantam vilitatem excogitarunt, vt Iesu illuderent: at Iesus cur tantam vilitatem passus est, nisi vt ostenderet mundo, quæ sint in veritate gloriosiora ornamenta Regum? Papæ, quod natura peccati rea putat purpuram, putat radiantem gemmis coronam, putat sceptrum; pannus vilis est, spina est, arundo est ei, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. Ait Theophylactus orat. de cruce apud Grethserum tom. 2. *Considera honoratissimum regalis dignitatis habitum, tempore crucis illusum, coronámque gemmis distinctam spinis, & curis exasperatam, poténsque sceptrum, & omnem speciem esse fragilem, & inanem arundinem, purpuram eu qua valde extolleris, alienum esse bonum ex sanguine manans: eam enim milites tibi circumdant Genuflexiones, quibus honoraris, & acclamationes, existima plerasque fictitias. & ab illis qui caput tuum non modò libenter verberarent, sed & amputarent.* Quis sit regius ornatus in Iesu, vbi nulla impostura, nullus dolus, sed simplicissima veritas est, licet considerare. Ibi arundo vilis est, quod sceptrum tibi videtur, spina, imò spinarum ramus, quę tibi corona apparet, hostiles acclamationes sunt, & machinamenta, quæ tu amicorum obsequia, & reuerentias existimas famulantium. Heu quàm vilia sunt in se, vbi nō est peccatum, quæ pulchra, & pretiosa putantur à natura infecta peccato! Ait Psal. 118. *Auerte oculos meos, ne videant vanitatem:* & si cupis scire, quæ sit hæc vanitas non videnda, ait Chrysost. in Psal. 4. *Vanum est, quod est inane, quando nomen quidem fuerit, res nequaquam. Vt in humanis rebus nomen est diuitiarum, res nullo modo; nomen Principatus, & remanet nudum, & exile nomen.* Qui ergo oculi auertendi sunt, ne ad ea ferantur, quæ cùm nihil sint in re, in nomine, & specie magna, & splendida apparent? Sanè oculi Dauidis, oculi peccatores, corporales, quos solùm implent res prorsùs euanidæ. Sic ferè D. Hilar. in præsenti fatur: *Quærendum est, quos oculos, & à qua vanitate oret auerti. Orat autem, & animi & corporis oculos, eos scilicet, qui in theatralibus ludis capti incubant, eos qui Circensium certaminibus seruiunt, eos qui vestium pretia mirantur, eos quos auri splendor, & gemmarum varietas occupat.* Et meritò vir sanctus amat eos oculos inuerti, quibus tot fucos faciunt, & imposturas res creatæ, quos implent ea, quæ non in re, sed in nomine, & specie pretiosa apparens. Ij equidem oculi, iam sunt oculi hominis lapsi.

Leont. *Mat. 27.* *Theophyl.* *Psal. 118.* *Chrysost.* *D. Hilar.*

§. XI.

Superbiam mentis, externorum membrorum verberat luxaria manifesta.

DVm Deitatem appetunt, & diuinam scientiam primi Parentes, eorum turpis nuditas ob oculos proponitur; in lasciuos motus concitatis membris. Quippe ait Aug. l. 11. de Gen. ad liter. *Mox vt præceptum transgressi sunt, intrinsecus gratia deserente omnino nudati, quam superbo amore suæ potestatis offenderant, in sua membra oculos iniecerant, eáque motu, quem non nouerant, concupiuerunt.* Cui subscribens Rup. fatur: *Statim genitalis pars corporis vtrumque peccatorem ob superbiæ meritum insuetis motibus similiter colaphizare cœpit.* Et quando superbiam mentis non percutit manifestæ luxuriæ verber? Ait Paulus ad Roman. 1. *Euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt.* Et qualem meruit mercedem tanta superbia? *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam; vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.* Simul in Romanis & superbia viguit, & luxuria, euanidas enim sapientum cogitationes, & superbias eorum & designabat, & castigabat extrinsecus sonans luxuriæ flagellum. Quod in vno eorum pulchrè animaduertit D. Theophylact. Antioch. lib. 3. ad Autol. fatus: *Regnauit Tarquinius cognomento superbus. Is primus in exilium quosdam Romanos relegauit, pueros corrupit, spadones fecit quosdam Romanis soli incolas, virgines, quas vitiauerat, locabat aliis. Quapropter meritò vocatus est superbus.* Quotquot huius Regis facinora expendit, ad nullum vitium magis, quàm ad effrænem luxuriam pertinent; vocat corruptorem puerorum, masculæ mancipium Veneris, puellarum stupratorem, & inde dicit meritò vocari non lasciuum, sed superbum. Planè Principum exundans luxuria, vt magis creditur superbientium animorum flagellum, sic illos non tam ostendit luxuriosos, quàm superbos. Animos dimittat turgentes, & humili sese moderatione componat, quisquis non amat sub manifestissimo luxuriæ gemere flagello. Ioseph castissimus iuuenis à Domina sua lasciuè sollicitatur. Gen. 39. *Qui nequaquam acquiescens operi nefario dixit ad eam: Ecce Dominus meus, &c.* Luxuriæ flammis nihil priùs opponit, quàm humilitatem, se seruum recolens, & Dominum protestans, sub cuius viuit imperio. De quo eleganter D. Amb. lib. 5. offic. 17. *Plena vox humilitatis, plena castimoniæ. Sciuit humiliari, & qui venditores, & emptorem passus est, & Dominum appellabat.* Vt plena eius vox fuit humilitatis, sic & vox, & ipse totus fuit castimoniæ plenus; est enim castitatis humilitas comes, vt est luxuria anteambulo superbiæ. Similiter dum lasciua manus pallium Iosephi tenet, Gen. 39. *Relicto in manu eius pallio fugit, & egressus est foras.* Et cur pallium reliquit à lasciua detentum? D. Amb. epist. 44. *Exuit vestem, qua tenebatur, ne exueret amictum humilitatis, indumentum pudoris.* Et quidem res non erat pro humilitate, sed pro castimonia; sed tamen ille in lasciuiæ duello priùs timuit humilitatis, quàm castitatis indumentum exuere. Sciebat equidem securam à lasciuia castitatem esse, dum fulget animus humilitatis veste, ne cabit in superbiam.

August. *Rupert.* *Ad Rom. 1.* *Theophyl.* *Gen. 39.* *Ambr.* *Gen. 39.* *Ambr.*

Gen. 3. Et cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni Paradisi.

§. XII.

In hominum perfectorum casibus summopere cauendus nimius pudor.

NOn in commotione, non in perstrepentibus flammis Deus venit ad primos homines, sed in sibilo auræ post meridiem, & nihilominùs ipsi aspectum eius non sustinent, sed perturbati pudore petunt latibula. Cur sic ad Dei blandum accessum turbamini? Nonne ille ipse, qui venit, multa vos sibi amicitia deuinxerat? Nonne eius amica conuersatione solebatis vti? Quid ergo timetis à tam experta amicitia? Cur non magis cōfiditis in aspectu veteris amici? Ideo enim minùs sustinent aspectum Dei post ruinam, quia antea maiores eius fuerant amici, in hominum enim perfectorum casibus, nisi caueatur, incomportabilis oritur pudor, ex conscientia antiquæ amicitiæ. Ait D. August. lib. 11. cap. 14. de Gen. *Ab illo etiam sic succensi videri verebantur, qui tanquam familiare temperamenta ad eos videndos, per creaturam visibilem, velut humanos oculos afferebat. Sic enim propterea, sic apparebat, vt homines tanquam cum homine loquerentur, quemadmodum Abraham ad quercum Mambre: illa ipsa prope amicitia pudorem onerabat post peccatum, quæ fiduciam dabat ante peccatum.* Expende illud, pulcherrimè additum, nimirum, *illa ipsa prope amicitia pudorem onerabat, &c.* quanta enim

D. Aug.

præcesserat amicitia antea, tantum creuerat onus pudoris post peccatum, ne sustineretur Dei facies. Quot fuerant indicia amicitiæ diuinæ, tot pondera erant, quæ pudorem, & verecundiam onerabant. Hinc nunquam satis laudatur Dauid, qui in adulterium & homicidium lapsus, sese peccatorem coram Domino memorat dicens 2. Reg. 12. *Peccaui Domino.* Et quantum hoc in Dauide? Nonne ipse antea sanctissimus fuerat? Nonne & multa virtutum facinora peregerat? Quid magnum, quòd sanctissimus, & Dei amicissimus homo in lapsu etiam curreret ad Deum? Equidem præteritæ amicitiæ signa, & virtutum indicia in lapsibus pondera solent esse, sub quibus peccatores labentes in præcipitia eant. Ait enim D. Chrysost. hom. 77. ad Popul. *Multa quidem erant ad desperationem Dauidem trahentia, & primum quidem peccati magnitudo. Secundum, quod non in vita principio, sed circa finem hoc passus est. Tertium, quod cùm tam multas conquisisset diuitias, hoc sustinuit. Nec enim modica ei tunc reposita erant pondera, qualia per primam ætatem, cùm pastor erat; & qualia circa Goliath congessit, & sapienter acta circa Saul: euangelicam enim exhibuit longanimitatem, &c.* Expende, quæ pondera numeret labentem in desperationem trahentia, nimirum quę à Dauide factæ fuerant virtutes ob Dei amorem, hæ vocantur in præsenti à Chrysostomo pondera, quæ possent lapsum opprimere hominem, Et quidem præterita diuinæ amicitiæ signa in lapsibus sic hominis pudorem grauant, & onerant, vt mirum sit, quod quis non pereat sub tanto onere. Proponite vobis ob oculos duos homines, Achitophelem, & Iudam; ille è charis, & familiaribus Dauidis fuit, hic amicissimus, & familiarissimus discipulus Iesu Domini; vterque rebellat in amicum, & fit proditor. Quid tunc? Vterque errorem agnoscit, & vterque infert sibi suspendio mortem. Ait 2. Reg. 17. *Porrò Achitophel videns, quòd non fuisset factum consilium suum, strauit asinum suum, surrexitque, & abiit in domum suam, & in ciuitatem suam, & disposita domo sua suspendio interiit.* De Iuda autem dicit Matth. 27. *Proiectis argenteis in templo recessit; & abiens laqueo se suspendit.* Cur miseri non magis in præterita amicitia fiditis? Benignus erat Dauid etiam erga hostes, benignissimus erat Iesus; cur non magis ad benignos hos curritis, quàm ad laqueos? Equidem præterita amicitia in iis miseris non leuamen, sed immensum fecit verecundiæ pondus, quo maluerunt perire, quàm amici offensi sustinere visionem. Christianus Druthmarus apud Palacios in Matth. ait: *Achitophel videns consilium suum non perfici, intellexit Dauidem in regnum reuersurum: cuius verecundiam non sustinens, suspendit se: ita Iudas videns impleri crucifixionem, quam à Christo audierat, intellexit etiam eum resurrecturum, cuius faciem cum videre præ verecundia non posset, suspendit se.* Tolerabiliorem putarunt miseri mortem, quàm verecundiam concipiendam ex conspectu amici post proditionem. Sic amicitia præterita onerauit pudorem, vt illi succumberent homines anteactis pleni facinoribus. De Israelitis in captiuitatem vergentibus, ait Psalm. 136. *Super flumina Babylonis, illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion.* Sionis magnalia, & virtutes, & sacrificia recordabantur, dum erant ad ripas fluminis Babylonij, & quid ex hac recordatione capiebant? *Illic sedimus, & fleuimus.* Luctui amarissimo se sedantes, illic in ipsa captiuitate sedebant. Cur miser in captiuitate sedes? Cur non magis stas, quasi in procinctu ad effugiendum? Cur non magis effugia captas, vt ad Sionem redeas? Sanè ipsa Sionis amissæ recordatio sic misera mancipia opprimebat, vt mallent inundatione dolorum absorberi, quam vel gradum facere ad remedia. Quod notans in hæc verba D. Ambr. lib. 2. de Pœnit. cap. 11. ait: *Nihil est autem, quod tam summo dolore sit, quàm si vnusquisque positus sub captiuitate peccati, recordetur vnde lapsus sit, atque vnde deciderit, eò quòd ad corporea, atque terrena ab illa speciosa, ac pulchra diuinæ cognitionis intentione deflexerit. Sic habes Adam abscondentem se, latere voluisse, &c.* In ripis fluminis Babylonij hærebant, & dolebant, & gemebant miseri captiui, recordati amissæ Sionis; & tamen sedebant, nec gradum faciebant ad remedium; recordatio enim anteactæ virtutis adeò summum, & immodicum dolorem incutiebat, vt mallent perire, quàm Sionem videre. Miraris hoc? Sed accipe Adamum, se abscondentem, & latere volentem, ne Redemptorem videret; sic immodicus dolor reddit homines quasi amentes, vbi ab excelsis virtutum, in peccati barathra ruerunt. Quod in Corinthio peccatore maximè cauebat Paulus; vbi in eum charitatem iubet exerceri, 2. ad Corinth. 2. *Ne abundantiori tristitia absorbeatur, qui huiusmodi est.* Solent enim qui à magnis exciderunt virtutibus, & tristitia, & verecundia immodica absorberi.

2. Reg. 12. — Chrysost. — 2. Reg. 17. — Mat. 27. — Palac. — Psal. 136. — D. Amb. — 2. Cor. 2.

§. XIII.

Peccatorum rei caueant temeritatem & impudentiam, & nimiam animositatem, ament verecundiam.

Dei venientis ad auram cõspectum cauit Adamus, & abscondit se, cur non magis accedit ad Deum? Si in igne, & flammarum ardore ambularet Dominus, non mirarer, quòd peccator se curaret abscondere, at venienti Deo in aura leni, & suaui, cur ad tantam suauitatem non animatur peccator, & accedit? Prudentissimè peccati reus Dei conspectui cunctatur interesse, & se abscondit debitã peccati sui confusionem præ se ferens. Ad hæc ait D. Irenæus, lib. 3. cap. 37. *Statim Adamus timore corripitur, & absconditur, non quasi posset effugere Deum, sed confusus quoniam transgressus erat præceptum Dei, indignum se putauit venire in conspectum, & colloquium eius.* Vtinam similem confusionem vniuersi peccatores ostenderent, nec à fæce vitiorum ad Dei oculos prosilirent intrepidi. De Publicano ait Lucas, cap. 18. *Publicanus, à longè stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare, &c.* Quem sic depingit Victor Africanus habitus inter opera D. Ambrosij lib. de Pœnit. cap. 15. *Ingressus Publicanus templum fuerat peccatorum mole decuruata ceruice, & oculorum palpebris graui morbo iniquitatis compressis, cælum non audebat aspicere: retrò gradum timidum reuocat, & extremum se, non tam loco, quàm conscientiæ iudicio sistit, nec ad supplicandum irreuerenter pedem incitat promptus audacia, sed vestigiis modum subtrahit, publicat se verecundiarum, &c.* Ecce tibi totum verè pœnitentis insigne in verecundia, in cunctatione, in timiditate, ne intrepidè velit peccator in Dei candidissima lumina prosilire. Populus Israeliticus admiserat graue peccatum, nolens ascendere in terram sibi promissam, pro quo eos maximè obiurgat Moyses, Numerorum 14. ad Moysis autem increpationem *Luxit populus nimis. Et ecce manè primo surgentes ascenderunt verticem montis, atque dixerunt: Parati sumus ascendere ad locum, de quo Dominus locutus est, quia peccauimus. Quibus Moyses, cur, inquit, transgredimini verbum Domini, quod vobis non cedet in prosperum?* Obiurgati, quia noluerant ascendere, lugent lacrymis multis, & statim sese accingunt, vt ascendant; pro quo etiam reprehenduntur. Quæ hæc res? Quia nolunt ascendere, castigantur, & quia volunt ascendere, castigantur: simul peccant, quia nolunt, & simul quia volunt ascendere? Cur si nolentes ascendere peccabant, similiter quòd ascendere velint, reputatur ad culpam? Meritò qui post primum peccatum admissum non magis cunctantur, & detinent sese & erubescunt post Deum ire, quasi indigni, culpam incurrunt. Vt dicat Procopius in Glossa: *Vt antè in agendo timiditatis impulsionem secuti fuerunt, ita nunc audaciæ, & confidentiæ sequuntur, vt in vtramque partem peccarent.* Vbi peccatum intercessit, iam ibi audacia, & confidentia reputatur ad culpam, & ad supplicium; peccatoris enim virtus est timor, & verecundia, & pudor, & maximè cunctatio ad splendida cuncta. Psalm. 136. *Super flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui Sion In salicibus, in medio eius suspendimus organa nostra.* Expende, quid sit præ manibus captiuorum, & quid sit suspensum, & absconditum in salicibus, in medio eius. Nimirum, præ manibus luctus, & gemitus, & exilia; in salicum abscondita sunt organa, & quidquid spectat ad restaurandam lætitiam. Ex quo sic monet D. Ambr. lib. 2. de Pœnit. cap. 11. *Ideò nemo in peccato positus arrogare sibi debet authoritatem, aut vsurpationem Sacramentorum, quia scriptum est, Peccasti, quiesce. Quod in præsenti Psalmo Dauid dicit: In salicibus, in medio eius suspendimus organa nostra.* Caueat peccator ab audacia, & impudentia, & animositate, qua ad Dei splendida prosiliat; suspendat lætantia organa, amet latibula, & cunctetur vel in lucem prosilire. Audacia enim in peccatore, & animositas, vergunt in impudentiam; quem magis deceret pudor, & verecundia. Ierem. 31. *Postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam, & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Confusus sum, & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.* Necnon apud Ezech. c. 36. *Et recordabimini viarum vestrarum pessimarum, studiorumque non bonorum, & displicebunt vobis iniquitates vestræ, & scelera vestra. Non propter vos ego faciam, ait Dominus Deus, notum sit vobis. Confundimini, & erubescite super viis vestris.* Ecce tibi nihil priùs in peccatoribus requirit Dominus, quàm confusionem, & verecundiam, quam qui à se dimittit, & omnem pietatem, & religionem dimittet. Quippe ait Tertullian. lib. aduersus Psychicos: *Sanctitati inimica luxuria est. Quomodo enim per*

D. Iren. — Luc. 18. — Ambr. — Num. 14. — Procop. — Psal. 136. — D. Amb. — Ierem. 31. — Ezech. 36. — Tertull.

illam

illam parcetur religioni, cum non parcatur pudori? Prudentissimè putat non esse religionem, neque vllam virtutem in eo, à quo exulat pudor.

§. XIV.

Non in fuga, sed in accessu ad Deum consistit totus peccatoris hominis profectus.

Psal. 33. — D. Laur. — Mat. 27. — D. Aster.

NEcnon & D. August. hunc Adami recessum, & latibulum tribuit dementiæ eius; peccator namque non sic fugiat Deum, sed si ad Deum accedat, integrum ius inuenit remedium. Ait Psalm. 33. *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestra non confundentur.* Vanissimè homo suæ faciei timet à confusione, si Deum conueniat, imò, nunquam magis eris à confusione liber, quàm vbi ad Deum accesseris. Ad hæc D. Laur. Iustin. lib. de discip. & perfect. Monast. cap. 16. fatur: *Dei spiritu exuberans canit Propheta, dicens: Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestra non confundentur. Nam semper præsto est cælestis maiestas lætissimo sua charitatis mellifluo gremio fouere ad se accedentem. Propterea diuinam quisquis propitiam cupit habere munificentiam, ad ipsam accedat credendo, & de ipsa præsumat amando. Nam potius amore, quàm timore capetur, & potius deuotione, quàm mœrore mulcetur.* Nunquam humilis ad Deum accessus confusus est, quisquis humiliter, & amanter accessit, ex Deo acquisiuit peccatorum remedium. De Iuda dicitur Matth. 27. *Pœnitentia ductus retulit triginta argenteos.* Quanta hæc Iudæ pœnitentia? Quantus hic peccati mœror, qui à cupidissimo corde extraxit argentum? Sed addit; *& abiens, laqueo se suspendit.* Proh ingentis doloris, ingentis pœnitentiæ dispendium! Vnde tantum hoc malum venit, nisi quia dolore oppressus miser abiit ad latibulum ligni, non accessit ad Deum: si enim accessisset humilis, proculdubio acciperet remedium. Sic D. Asterius, serm. de Pœnit. apud Biblinth. Photij: *Equidem arbitror, Iudam proditorem, nisi sui carnifex fuisset, si ad genua accedens misericordiam deprecatus esset, veniam, quæ omni petenti conceditur, consecuturum fuisse.* Vtinam miser non fugisset ad lignum, sed confugisset ad Deum, quando enim Deus negauit remedium, humiliter ad se accedenti? Peccatrix erat, & famosa mulier, Luc. 7. verùm, *vt cognouit, quòd Iesus accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti, & stans retro secus pedes eius, &c.* Cur meretrix non magis erubescis Iesu præsentiam limpidissimam? Cur non magis refugit virginitatis assertorem mancipium libidinis? Planè in hoc maximè prudens, imò & fœlix fœmina, quæ dolorem plagarum sentiens, maluit medico hærere, quàm perire in recessibus. Ait D. Asterius, vbi suprà: *Attende mulierem peccatricem, cui continuarum numerus pudorem incussit, quæ tempus confitendi, licèt importunum, in conuiuio non reliquit: sed ingenti commota dolore, ne vno quidem temporis momēto medicum peccatorum dimisit.* Et frontosa maluit haberi, & importuna, ne pateretur, vel ad momentum à Iesu disiungi, de cuius præsentia remedium peccatorum obtinuit.

Luc. 7. — D. Aster.

§. XV.

Post Adæ peccatum, in sola cruce stant fixi, & immobiles pedes diuini.

Psal. 131. — Theophyl.

ECce tibi Adamus peccat, & statim audit *vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso, &c.* & peccatum est, & simul Dei gressus, Dei sese mouentis in Paradiso percipiuntur passus. Non equidem post peccatum Dei gressus quiescere, nec pedes eius stare immobiles possunt in alio, quàm in cruce. Psalm. 131. ait: *Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius.* Et quando in Paradiso Dei pedes minimè stant, sed mouentur, sed deambulant, qui locus potest esse, in quo Dei pedes hæreant, & firmissimi, & immobilissimi quiescant? Hic locus crux est, quam vbi Dei pedes terunt, ibi fixi quiescunt, & immobiliter hærent. Ait Theophylactus orat. in adorationem Crucis, apud Gretserum tom. 2. *Crux scabellum pedum est, quasi requies eius, qui per Incarnationem ad nos aduenit: & locus est, vbi steterunt pedes Domini: Quid enim opus erat, vt amplius moueretur, qui iam ad finem processerat, salutémque, per quam victoriam venit, iam perfecerat?* Equidem à primi peccati die, Deus peregrinationem subiit in bonis terrenis, peregrè vbique apparet, longis fatigatur itineribus, nullibi sciunt pedes eius quiescere. Apud Abraham peregrinatur, in Paradiso inambulat, vbi autem ad crucem ventū est, ibi stant immobiles, & fixi pedes eius. Crede mihi, peccator, dum in deliciis es, dum quasi in Paradiso vis viuere, non firmum, & stabilem Deum habebis, sed mobilem, & ad alios præcurrentem. Si, excussis deliciis, crucem tuā sustulis, crucémque in te refers, iam non prætereuntem, sed immobiliter stantem, & permanentem Deum tenes. Psal. 134. *Quoniam Iacob elegit sibi dominus, & Israel in possessionem sibi.* Sub nomine Iacob obtinuit ille, vt eligeretur, & vocaretur à Deo; sub nomine autem Israelis obtinuit, vt iam esset Deo in possessionem æternam; hoc est, vt Deus illum firmiter, & immobiliter teneret, quod ad possessionem pertinet. Sed cur non sub nomine Iacob, sed sub nomine Israelis, hanc firmam, & stabilem possessionem Deo reddidit? Iacobi nomē datum fuit ab ipso vtero, antequam quicquam boni, aut mali egisset, verùm antequam vocaretur Israel, quis numeret pressuras eius? Exilium patitur à parentibus, cum solo baculo dimittitur, lapidi incubat somnolentus, quatuordecim annos seruitutis perficit, luctatur cum Angelo tota nocte, vulnus accipit in femore, & quidem Christi *crucem obstupescentis femoris Iacobi latitudo signabat,* vt ait D. Amb. in præsenti. Post hæc omnia, post crucem in se expressam, nomen accipit Israelis Gen. 32. sub quo meruit, vt iam permanentem, & immobilem possessorem in se haberet Deum. A qua excogitatione non longè abfuit D. Hilar. in Psalm. 134. fatus: *Iacob est ergo, qui eligitur Israel, qui possidetur in prateritis primogenitus, & benedictionibus cognitus, in seruitute multi temporis fidelis, in Sacramento lucta potens.* Non antea possessor, firmus, & immobilis Deus ad hominem accessit, quàm in illo, & ingentes seruitutis labores exantlati, & totū luctæ Sacramentum, in quo adumbrabatur crux Christiana, clarescceret. Sub hoc Sacramento luctæ, nēpe crucis, potens fuit, vt Deū sibi firmiter, & permanenter faceret adhærere, vt in possessione propria stat possessor.

Ps. 134. — D. Amb. — D. Hilar.

§. XVI.

Gressus diuini non fugam, sed magis accessum persuadent.

Ps. 113. — Cyr. Ierosol. — Apoc. 2. — D. Thom. — Leu. 26.

NOn sedentis, sed ambulantis Dei vox peccatoribus intonuit, & id crediderim factum, ne illi fugam, sed accessum ad Deum possent meditari. Quis enim in Dei gressibus vidit vnquam quòd fugiat? Quis non magis vidit in Deo ambulante, quod accessum persuadeat? Notissima est illa maris fuga ad conspectum virgæ Mosaicæ; de illa clamat Psal. 113. *Quid est tibi mare, quòd fugisti, & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum. A facie Domini mota est terra, &c.* Itaque non ferentes Domini faciem, & mare, & Iordanis, fugę se tradunt. At Matt. 14. dicitur de Iesu: *Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare.* Ibi fugit mare ad solam Dei faciem, in pręsenti autē & Deum videt, & minimè fugit mare, sed sub eius plantis duratur. Et cur in præsenti non fugit, nisi quia etsi videt Deum, illum videt ambulantem, nec gressus Dei possunt fugam causare? Ait D. Cyril. Ierosol. Catechesi 12. *Venit Christus, vt baptizaretur, & sanctificaret Baptisma; venit, vt miracula operaretur, ambulans super aquas maris, quoniam ante carnis assumptionem, mare vidit, & fugit, Iordanis est conuersus retrorsum. Assumpsit corpus Dominus, vt mare videns sustineret, & Iordanis sine timore illum susciperet.* Ambulat Iesus super mare, vt mari auferat fugiendi necessitatem, & voluntatem: dum enim Deus cernitur ambulans, non est, cur fugiamus, quin potiùs multum est, cur ad illum accedamus, quando ideò ambulat, vt dona impartiatur. Apocalyp. 2. sic dicitur: *Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe. Hæc dicit, qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio septem candelabrorum aureorum.* Expende qualem sese exhibeat Dominus Angelo Ephesino, nimirum exhibet se ambulantem. Ad Angelum Pergami dicit, *Qui habet romphæam vtraque parte acutam.* Ad Angelum Ephesi dicit, *Qui ambulat, &c.* & cur ibi cum acutissimo se præsentat gladio, hic autem solùm se repræsentat ambulantem? Pergamo se ostendebat peccatorum vindicem, & ideò ostendit strictum gladium, Ephesio se ostendebat bonorum largitorē, & ideò se ostendit ambulantem: eò enim quòd Deus ambulet, quòd pedem moueat, non est nisi ad bona sua impertienda, communicanda. Ait D. Th. in Apocal. cap. 2. *Ambulat ergo per effectum, quia omnibus se præsentem offert ad dandum, ac si ambularet hinc inde, si sit, qui recipiat. Quia communiter sua dona distribuit, quantum est de se.* Ecce tibi quò tendant Dei gressus; ecce cur Deus inambulet, nimirum, ad dandum: semper equidem ex Deo ambulante bona potes sperare. Hinc nascitur illa Dei promissio Leu. 26. *Ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vósque eritis populus meus.* Expende, quid promittat Dominus, vt cōgreget sibi populū; *Ambulabo inter vos,* nequit enim fieri, quòd Deus ambulans inter aliquos, non illis ea bona impertiatur,

à quibus ægrè, & difficulter diuellantur. Et vix communicandorum bonorum est signum efficacius? quàm si Deus dicatur ambulare cum aliquo. Vnde Moyses Exod. 33. sic loquitur ad Dominum: *In quo enim scire poterimus, ego, & populus tuus, inuenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaueris nobiscum?* Caietanus ex Hebræo legit: *Si non facies tua ambulans?* Quasi vix aliud signum maneat faciendæ gratiæ, vbi Dei facies non ostenditur ambulans; dum enim Deus sedet, iudicium facit, supplicia mandat: dum incipit ambulare, tunc iam intelligitur gradus facere ad donandum. Quò respiciebat illud Deut. 23. *Dominus Deus tuus ambulat in medio castrorum, vt eruat te, & tradat tibi inimicos tuos.* Simul cum Deo ambulāte, & beneficia ad homines ambulant.

Exod. 33.
Deut. 23.

Gen. 3. Vocauítque Dominus Deus Adam, & dixit ei: Vbi es? Qui ait: Vocem tuam audiui in Paradiso, & timui, eò quòd nudus essem, & abscondi me. Cui dixit Dominus: Quis enim indicauit tibi, quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti?

§. XVII.

Magna Dei misericordia, quòd non finat in nobis peccatum inueterascere.

Simul ac peccat Adamus, Deus illum conuenit, & vocat in peccati examen, eùm clamat, *Vbi es?* Et quidem tanta festinatio in perquirendo peccatore non de ira venit, sed de misericordia singulari, quæ non finit peccatum inueterascere in homine, quem ad salutem Deus volebat euocare. Vtinam nunquam peccata inueterascerent, sed adhuc iis calentibus remedium festinaret; fallar, nisi omnes peccatores facillimè reuiuiscerent in gratiam. In Ierem. cap. 31. ait: *Hæc dicit Dominus: Inuenit gratiam in deserto populus, qui remanserat gladio: vadat ad requiem suam Israel.* Quæ verba sic apud Septuag. leguntur: *Sic dicit Dominus: inueni calidum in deserto, cum his, qui perierant gladio. Ite & nolite interficere Israël.* Itaque apud Septuaginta dicitur Deus inuenisse calidum inter interfectos: apud Vulgatam dicitur populus ipse, internecioni datus, inuenisse granam. Et quidem verissimum est, quòd qui in peccatis lethalibus nondum refriguit, nec inueterauit, sed quasi adhuc recens mortuus, & adhuc calidus Deo repræsentatur, is facilè redit ad gratiam, & à morte liberatur. Nec vacat mysterio, quòd de Deo, euocante Adamum, fatus textus in præsenti, solùm asserat: *Dixitque ei. Adam vbi es?* Verùm de euocante Deo Lazarum quatriduanum, Ioann. 11. non solùm dicit, quòd infremuit spiritu, quòd lacrymatus est, sed insuper addit: *Hæc cùm dixisset, magna voce clamauit; Lazare veni foras.* Et quidem non minor potentia est necessaria ad excitandum peccatorem ad gratiam, quàm ad excitandum mortuum ad vitam; & in vtroque nimirum Adamo, & Lazaro vocatio peccatoris repræsentabatur. Cur ergo Dominus vt Adamum vocet, non eleuat vocem, non fremit, non clamat, sed simpliciter dicit, *Adam vbi es?* At, vt vocet Lazarum, & lacrymatur, & flet, & fremit, & magna voce clamat, Lazare veni foras? Adamus recens erat peccator, Lazarus iam quatuor dies agebat in vmbra mortis, & peccatorem veterascentem in culpis repræsentabat: ideò non sine ingenti voce, & multis clamoribus poterat reuocari, quando qui recens erat, & nouitius in culpis, facili negotio in meliorem frugem trahebatur. Ait D. August. tract. 49. in Ioan. *Ad Lazarum fremuit, lacrymatus est, voce magna clamauit. Quam difficilè surgit, quem moles mala consuetudinis premit!* Inueteratam maculam qui eruat, multis opus habet, recentem autem facilè possumus extrahere, vt sapienter notat Synes. epistol. 44. Quò respiciens Isaias cap. 5. aiebat: *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum.* In quibus verbis præclarè notat Galatinus, lib. 6. c. 6. naturam peccati, quod vt primò admittitur in anima, quasi bombicino filo tenuissimo apparet ligatum, vt vel halitu possit inde exturbari; at dum ibi sinitur manere diutius, sic crassescit, vt simile appareat crasso funi nautico. Non ergo dicitur, væ trahenti peccatum in funiculis vanitatis solùm, qui non permittunt in se durare peccatum, sed recens acceptum vulnus, & adhuc palpitantem, & quasi calidam animam, ad medelam procurant reuocare. Ij sanè sic morbum excutient, quasi qui tenuissimum filum rumpat contortum sputamine. Illi meritò dicitur væ, qui vtrumque patitur, & vanitatis funes, & vinculum plaustri, dum in animo suo diutius manere patitur, & crassescere peccatum. Hinc Psal. 136. *Beatus, qui tenebit & allidet paruulos suos ad petram.* Paruulos vocat, recentes errores admissos, recentes animæ maculas; qui enim has non sinet senescere, nec veterascere, is beatitudinis feret palmam. Ex quo sic monet Bachiar. epist. de recip. lapsis: *Propheta beatum dicit esse eum, qui tenet paruulos Babylonis, alliditque ad petram. Et tu expectas, donec gigas tuus inimicus efficiatur?* Periculosè expectas, vt maneat in te peccatum, quod dum manet in te, in molem giganteam crescet; atque ideò dum paruulus est, tunc debet exturbari. Ad hæc etiam D. Bern. serm. 3. in die Apostol. Petr. & Paul. *Nec tamen si quis peccator est, desperemus de eo, tantùm, vt resurgere velit citò. Quantò enim diutiùs permanebit, tantò euadet difficiliùs. Beatus enim qui tenebit, & allidet paruulos Babylonis ad petram. Etenim si creuerint, vix poterunt superari.* Quis mallet confligere cum gigantibus, quàm cum pueris? Non multos dies agat peccatum in corde tuo, nisi velis de salute periclitari. Equidem Saluator mundi, dum iuxta Apostoli sensum factus est pro nobis peccatum, tres dies egit in monumento. Peccatoris etiam forma Lazarus quatuor dies in tumulo numerabat. Ad Iesum sepultum ferunt mulieres aromata, de Lazaro sepulto, dicit soror eius, Ioann. 11. *Fætet, quatriduanus est.* Expende quæso, quantam fecerit distantiam vnius diei mora in peccatore. Iesus meus etiam, dum morte sua peccatorem adumbrat, triduanus in sepulchro aromatum odoribus præ sefert incorruptibilem vitam aduentantem. Lazarus, peccatoris vmbra quatriduanus fœtoris impletur vilitare. Pulcherrimè ad hæc D. Bernard. serm. 1. in Pascha: *Fætent quatriduani, sicut de Lazaro scribitur; Iam fætet Domine, quatriduanus est. Aduentio filiorum Adam quartam formauit diem, quam à Domino non accepit. Propterea corrupti sunt, & abominabiles facti sunt, tanquam iumenta, quæ in stercore suo putruerunt. Diuinæ siquidem ordinationis est triduum, quod prædiximus; in labore, in requie, in resurrectione. Non placent hæc filiis hominum, sed suam volunt præferre diem differentes pœnitentiam, vt indulgeant voluptati. Non est hæc dies, quam fecit Dominus, quatriduani facti sunt, iam fætent.* Hinc est, quod Nazianz. nec tres dies permittit homini esse in peccatis, sed sic illum vrget, orat. in Encen. 43. *Heri spectaculorum studio flagrabas? hodie contemplationis studiosum te præbe. Heri conuiciator, & petulans eras? hodie benedicentiæ, & mansuetudinis stude. Heri comessator eras? hodie grauitatis, & temperantiæ magister. Hodie temulentus? eras abstemius.* Non patitur vir diuinus venire diem, qui non emendet errores præteriti. Feruentior D. Ambros. non expectat alterius diei aduentum, sed in eodem die mauult hominem à peccato abstineri. Ait enim suprà, Genes. 3. *Et cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso, ad auram post meridiem.* Ex Græco legitur: *Ad vesperam.* Hinc Ambros. in Psal. 89. inquit: *Audierūt vocem Dei ambulantis ad vesperam in Paradiso. Simul cognosce mysterium. Manè errasti? Vespere liberaberis.* O quanta Dei misericordia est, quòd non sinat hominem suum integra die hærere peccato! O quanta fœlicitas peccatoris, quod Sol non occidat super eius peccata!

Ierem. 31.
Septuag.
Ioan. 11.
D. Aug.
D. Synes.
Ps. 136.
Bachiar.
D. Bern.
Ioan. 11.
D. Bern.
Nazian.
D. Amb.
D. Amb.

§. XVIII.

Magna confusio est homini, quòd nudè carnalis appareat coram purissimis spirituum oculis.

A Dei conspectu se abscondisse fatetur Adamus, non quod peccarat; sed quòd nudus esset: ait enim: *Vocem tuam audiui in Paradiso, & timui, eò quòd nudus essem, & abscondi me.* Et quando, spiritualibus gratiæ donis, & stolis ablatis, mansit totus homo carnalis factus; non miror, quòd maximè confunderetur, coram purissimi spiritus oculis apparere nudè carnalis. Quis neget intolerabilem confusionem esse homini, quòd post amissum quidquid videbatur spiritus, cogatur apparere in nuda carne coram oculis spiritualium? D. Petrus, 1. epist. 4. de sceleratissimis peccatoribus sic fatur. *Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem gentium consummandam, his qui ambulauerunt in luxuriis, desideriis, vinolentiis, comessationibus, potationibus, & illicitis idolorum cultibus. In quo admirantur, non concurrentibus vobis, in eandem luxuriæ confusionem, blasphemantes. Qui reddent rationem ei, qui paratus est iudicare viuos, & mortuos. Propter hoc enim, & mortuis euangelizatum est, vt iudicentur quidem secundùm homines*

1. Pet. 4.

in

in carne. Expende, quale malum minetur hominibus luxuriosis, violentis, idololatris, nimirum, *vt iudicentur in carne.* Et quantum hoc supplicium hominibus carnalibus? Sanè non parua, sed grauissima est carnalium hominum pœna, & intolerabilis confusio; quòd eo præcipuè tempore iudicij, in quo vniuersi cœlorum spiritus spectatores adstabunt, & ingentes hominum viuentium in spiritu exercitus triumphatores prædicabuntur de carne, inter hos omnes illi in nuda carne appareant, æternùm nudæ carni mancipati. Pulchrè ad hæc ait Iobius Monach. lib. 3. de Incarnat. c. 38. *Grauissima enim pœna est, maximè resurrectionis tempore, quando ea delectatione perfruuntur iusti, qua humanam omnem superat, & spiritu viuunt, peccantium tunc multitudinem in nuda carne, & sine vlla spirituale gratia vitam suam in æternum transigere, atque conterere.* Nullus est, tam carnalis homo, tam immersus cœno carnalium cupiditatum, qui non ægerrimè ferat; sic in nuda carne apparere, & manere in maxima frequentia oculorum spiritualium. Sanè diuinissimus Pater, qui Filium in peccatis iacere potuit diu ferre, in hac carnali nuditate esse non tulit. Ecce tibi, Luc. 15. reuertenti prodigo filio occurrit pater, stricto arctat amplexu, & interea ait ad seruos: *Citò proferte stolam primam, & induite illum.* De porcorum custodia venienti, & sordenti magis oportuerat lauacrum parari; cur pater non magis curas de filij sordibus abluendis? Cur de ventre illius implendo, non magis? Cur non magis instas criminibus apponere remedia, sed totus es in eius nuditate opperienda? Sapienter Chrysol. serm. 3. *Sustulit filij crimina, qui non sustulit nuditatem; hinc est, quòd à seruis antè vestiri voluit filium, quàm videri.* Adeò graue supplicium, & grauis confusio erat, quòd inter cœlestium spirituum obsequia carnalis factus filius in nuda carne appareret, vt pater eius, qui errores, & crimina filij patientissimè tulerat, hanc nuditatis confusionem in filio nollet ferre. Qui pater filium luxuriantem, filium porcorum domino adhærentem, filium siliquis inhiantem passus est, non passus est eundem filium omni spiritualis gratiæ stola spoliatum, in nuda carne apparere coram triumphantibus spiritibus; sed illum inter brachia abscondit, vt priùs vestiretur, quàm videretur. Et Moyses non sic acerbè tulit in populo suo ipsam idololatriam, quàm nuditatem eiusmodi in populo causatam. Quippe Exod. 32. dicitur. *Videns ergo Moyses populum, quòd esset nudatus, spoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, & inter hostes nudum constituerat, & stans in porta castrorum ait, &c.* Idololatriam audierat, & nondum arma capit ad resecandum malum; vt autem vidit populum nudum inter hostes, sic exarsit, vt statim ad vindictam vocaret. Et quantum malum erat nuditas hæc, quæ sic mansuetissimum hominem in vindictam traxit? Ait Lippom. in Cat. *Vidit Moyses, quòd detecta esset malitia populi ipsius ad ignominiam eius apud aduersarios. Erat enim magnum dedecus, & magna confusio Israelis coram hostibus, vt, deserto Deo vero, qui tot, & tanta miracula fecerat in oculis eorum, & pro vtilitate eorum, eligerent alium Deum etiam cum magno dispendio auri, & argenti sui.* Intolerabilis quidem ignominia est, quòd homo sic nudus omni ratione appareat, sic traditus carni, imò sic nudè carnalis, vt ingenti dispendio facultatum emerit perdere Deum, & mancipium esse vilissimarum voluptatum.

Iobius. — *Luc. 15.* — *D. Chrys.* — *Exod. 32.* — *Lippom.*

§. XIX.

Mortis timor vbi abest, innumeros alios timores gignit.

MIrabar sæpe, cùm audiebam dicentem Adamum ad Deum; *Vocem tuam audiui in Paradiso, & timui, eò quòd nudus essem.* Adamus timet sibi à nuditate, qui à morte non timuit? Proposita fuit Adamo mors, si comederet de ligno scientiæ. *In quacunque die comederis, morte morieris,* clamabat lex diuina, vidit tamen Adamus fructum in manu vxoris, &, propositam mortem contemnens, absque vllo timore illius comedit cibum. Qui ergo fieri potest, vt qui à morte sibi non timuit, à nuditate sibi timeat? Equidem inde timet sibi à nuditate, quia à morte non timuit, qui enim à se mortis timorem excludit, necessariò veniet in alios timores innumeros. De diuite quodam ait Dominus, apud Lucam, cap. 12. *Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit, & cogitabat intra se, dicens: Quid faciam: quia non habeo quò congregem fructus meos? Et dixit; Hoc faciam: destruam horrea mea, & maiora faciam & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam anima mea; Anima habes multa bona, posita in annos plurimos, &c.* Expende vocem illam hominis solliciti, & vel ab ipsa fertilitate metuentis sibi, dum ait: *Quid faciam?* Pulchrè D. Basil. ibi: *Quid faciam, inquis? Quis non misereatur sic miserè curis obsessi? Ipsa fertilitate miser eras, ac timidulus.* Quid miserius? Ab ipsa fertilitate sibi timebat ille, iuxta Basilij sententiam. Et vnde potuit venire, quòd homo sibi vel ab abundantia timeat, nisi ab eo quod dicebat animæ suæ, *habes multa bona in annos plurimos?* Et quò longissimam vitam fingebat, nec vllo mortis metu sollicitabatur, in hoc malum deuenit, vt vel abundantia timeret sibi. Ait D. Zeno, lib. 1. serm. 14. *Nec sibi venit in mentem non esse humana potestatis diem crastinum, ac ne ipsum, quo res agitur; sed oculis patentibus cæci dilatant horrea, terras angustant; & si Orbem totum possideant, fines oderunt. illicitum putant se habere vicinum, construunt prædia, sepulchra defodiunt; timent omne, qui non timent mortem.* Quid pulchrius? Sanè omnia timeat necessum est, qui mortem non timet: multis sese tradit timoribus, qui vnum à se abstulit mortis timorem. Nec, mihi crede, inuenies clarius signum, quod nullus est timor mortis in homine, quàm si hominem videas timentem sibi, vel ab vmbris. Gen. 4. abstulit Deus à Caino metum mortis, *posuitque Dominus in Cain signum, vt non eum interficeret omnis, qui inuenisset eum.* sic à Deo datum fuit signum Caino, quod & mortis periculum, & metum auferebat. Et quale signum poterat ostendere in Caino non esse periculum, nec metum mortis? Suprà dixerat illi Deus: *Eris vagus, & profugus super terram.* Alij legunt: *Eris gemens, & tremens.* In eo qui tremebat, & pauebat ad omnia, quale signum potuit poni, quod vitam eius obfirmaret aduersus mortem; quod periculum excluderet, & metum mortis? Sanè nullum signum expressius dari potuit, quod in Caino non timeretur mors, quàm quòd ipse esset tremens, & pauens ad omnia. Eucher. in Cat. Lippom. *Posuitque Dominus in Cain signum, vt non eum interficeret omnis qui inuenisset eum. Ipsum videlicet signum, quòd tremens, & gemens, vagus, & profugus semper viueret, nec vspiam in Orbe terrarum sedes haberet quietas, atque ideò vt saluari posset, ædificauit ciuitatem.* Ecce tibi signum datum à Deo pro metu mortis exsibilato à Caino, nimirum, quòd tremeret ad omnia, quòd paueret omnia, & fugeret omnia, nec inueniret locum, in quo sibi securitatem promittere posset.

Luc. 12. — *D. Basil.* — *D. Zeno.* — *Gen. 4.* — *Eucher.*

Gen. 3. Dixitque Adam: Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Et dixit Dominus Deus ad mulierem. Quare hoc fecisti? Quæ respondit: Serpens decepit me, & comedi.

§. XX.

Hæreses, Apostasiaque à fide, numquam aut rarò separata à carnalibus voluptatibus.

LApsus sui causam in fœminam Adamus deriuauit, & quando quis in debita Deo fide errauit, & non apparuit fœmineis voluptatibus captus? Sapienter, & acutè Tertull. lib. 2. in Mar. hinc pungit vniuersos hæreticos, in omnibus similes Adamo, nisi quòd Adamus non attingens adhuc omnem hæreticorum malitiam, non dubitauit errorem suum fœmineis delicijs attribuere, quod cæteri in se mille prætextibus curant obumbrare. Quippe ait: *Quis dubitauit ipsum Adæ delictum hæresim pronunciare, quod per electionem suæ potiùs, quàm diuinæ sententiæ admisit; nisi quòd Adam nunquam figulo suo dixit, non prudenter finxisti me: confessus est seductionem, non occultauit seductricem; rudis admodum hæreticus fuit.* Et meritò rudis hæreticus dicitur, qui totum erroris mysterium manifestauit, non occultans seductricem; hæreticorum enim tota versutia, & calliditas in eo est, vt veritatis indagandæ prætextus opponant, & seductrices occultentur, cùm omnes suas seductrices habeant fœminarum amoribus raptati. Fallar, si quæ fuit hæresis, si quæ fuit apostasia à fide sine seductrice, sine fœmineis voluptatibus. Exod. 32. post vituli adorationem nefariã, ait textus: *Videns ergo Moyses populum, quòd esset nudatus (spoliauerat enim eum Aaron propter ignominiã sordis, & inter hostes nudum constituerat) stans, &c.* Quæ verba sic Chaldæus legit: *Viditque Moyses populum, quòd otiosus esset; otiosum enim fecerat eum Aaron.* Quòd si quæras, quale otium intulerat Aaron in populum; dum illum adduxit in idololatriam? Non immeritò intelligitur luxuriæ otium, quo vniuersi, qui à fide deficiunt, effœminantur.

Exod. 32. — *Chald.*

Lippom. Ait enim Lippom. in præsenti: *Iannit, quòd effœminauerat populum Aaron, & mollem reddiderat hæc idololatria.* Et simul à vera fide deficiunt homines, & mollescunt, & ad fœminas hinniunt, & à carnalibus voluptatibus raptantur. Vix inuenies in re fidei diuinæ hominē seductū; cuius causa si inspiciatur, statim non appareat seductrix. *Num. 25.* Numer. 25. *Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt, & adorauerunt deos earum.* A vera religione vt deficiant Israelitæ, fuerunt introductæ seductrices filiæ Moab; ne sit apostasia sine seductrice, nec inueniatur idololatria sine sororibus suis, deliciis fœminarum. *Tertull.* Ait Tertull. lib. aduers. Gnosticos: *Cum deuertisset Israel apud Sethim, abeunt libidinatum ad filias Moab, inuitantur ad idola, vt spiritu fornicarentur. Edunt denique de pollutis eorum, dein, & adorant Deos gentis, & Beelphegor initiantur. Ob hanc quoque idololatriam, mœchiæ sororem, viginti tria millia obtruncata gladiis domesticis diuinæ iræ litauerunt.* Expende illud, *idololatriam mœchiæ sororem*: infidelitas quidem, & mœchia vterini sunt fratres, vt nunquam prima sine secunda inueniatur. *D. Hier.* Huc spectat D. Hieronym. qui lib. contra Pelag. hæreticorum Catalogum faciens, nullum ponit sine sua seductrice. Quippe ait; *Simon Magus hæresim condidit, Helenæ meretricis adiutus auxilio. Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor, choros duxit fœmineos. Marcion Romam præmisit mulierem, quæ decipiendos sibi animos præpararet. Apelles Philomenem suarum comitem habuit doctrinarum. Montanus immundi spiritus prædicator, multas Ecclesias per Priscam, & Maximillam nobiles, & opulentas fœminas, primùm auro corrupit, dein de hæresi polluit. Dimittam vetera, ad viciniora transcendam. Arius, vt Orbem deciperet, sororem Principis antè decepit. Donatus per Africam, vt infœlices quoque fœtentibus pollueret aquis, Lucillæ opibus adiutus est. In Hispania Agape Elpidium, mulier virum, cæca cæcum duxit in foueam, successorémque sui Priscillianum habuit Zoroastris Magi studiosissimum, & ex Mago Episcopum, cui iuncta Galla non gente, sed nomine, germanam huc illúcque currentem alterius, & vicinæ hæreseos reliquit hæredem. Nunc quoque mysterium iniquitatis operatur.* Et quousque durabunt hæretici, illorum laterones, & astitrices fœminæ durabunt, sine quibus ferè nullus vnquam hæreticus, nullus à vera fide apostata apparuit. De hoc plura in Historiam Euangelicam.

§. XXI.

Vbi mulier mala est, nullum non inficit malitia sua.

REquiritur ex Eua, quare Adamum traxerit in vetitum cibum, pro quo ipsa respondens, solùm fatetur delictum suum, nimirum, inquit: *Serpens decepit me, & comedi.* Non quæreris mulier an tu comederis? Sed quæreris, quare Adamum comedere fecisti? Ad hoc vt induceres Adamum in tantum scelus, quid interest, quòd tu comederis? Multum per omnem modum; eo enim ipso, quòd mulier vna mala fiat, & peruersa, iam consequens est, vt vniuersos proximos in omne facinus, malitiámve impellat. *Leuit. 19.* Hinc meritò cauebat lex Leuit. 19. *Ne prostituas filiam tuam, ne contaminetur terra, & terra impleatur piaculo.* Vbi legit Onkelus: *Vt non idolis seruiat terra, & impleatur scelera, & peccatis:* quasi ex eo, quòd vna fœmina prostituatur, malitiæque sese tradat, iam necessum fuerit vicina omnia impleri idolis, impleri sceleribus, & peccatis. Hoc vnum fit, quòd fœmina aliqua impietate, & iniquitate inficiatur, qui huic accesserit, quasi necessum est, vt in innumera scelera, & facinora trahatur. *Zach. 5.* Zachar. cap. 5. dicit: *Ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier vna sedens in medio amphoræ. Et dixit, hæc est impietas.* Vna hæc iniqua mulier Zachariæ ostendebatur super vnico talento plumbi sedens: sed & apud Matth. 18. *Mat. 18.* introducitur seruus vnus, qui cœlesti Regi *debebat decem millia talenta.* Heu miser homo, vnde potuisti deuenire in tot debita? Quis te sic raptare potuit, vt in tot mala deueneris? Facilè se expedit Origenes ab hac difficultate, dum meminit mulierem illam iniquam in talento plumbi sedentem; huic enim quisquis appropinquabit, reus fiet statim incredibilis debiti. *Origen.* Quippe ait Origen. hom. 7. in Matth. *Ideò multorum talentorum factus est debitor, quoniam secutus est mulierem super talentum plumbi sedentem, cuius nomen, iniquitas.* Non est aliud, quòd quæras de hominis debito, de hominis perditione, & sceleribus, si mulierem vnam iniquam videris; causam certissimam, & efficacissimam vidisti, quæ homines trahat in omne nefas. *Eccl. 25.* Meritò monebat Ecclesiasticus, cap. 25. *Commorari leoni, & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam.* Non equidem sic est certum discrimen hominibus iuxta leones, aut dracones positis, quàm positis iuxta fœminam, quæ se criminibus tradere incipit. *D. Ephr.* Quod pulchrè ponderans D. Ephrem serm. aduersus improbas mulieres, inquit: *Nulla par fera improbæ fœminæ. Quid enim inter quadrupedia leone terribilius? Aut inter reptilia dracone crudelius? Verùm nihil ad malam mulierem. Fidem huius facit Sapiens, dum ait: Commorari leoni, & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam. Etenim leones in lacu Danielem reueriti sunt, at Naboth Iezabel occidit. Cete ventre suo Ionam seruauit, Dalila verò Samsonem septem crinibus capitis eius abrasis, tradidit alienigenis. Dracones, & aspides, ac bestiæ cornutæ Ioannem in Eremo timuerunt: Herodias verò in conuiuio ipsum decollauit. Corui Eliam in monte sustentarunt, at Iezabel ipsum post pluuiæ acceptum beneficium, ad internecionem persequuta est.* Hæc ibi: vbi clarè ostenduntur discrimina, quæ à mala fœmina proueniunt. *Idem.* Necnon & idem Ephremus, orat. de Iudicio, & retributione, ruinam Samsonis per vxorem memorans, ait: *Qui paulò antè cruentum discerpserat leonem, & mille viros asini maxilla percusserat, postquam cum vipera, nempe Dalila, habitare consensit, continuò crines illi exciderunt, oculisque miserè orbatus, illico ridiculus omnibus apparuit.* Quid sigillatim homines à mala fœmina in periculum, aut capitis, aut animæ tractos memorem? Illa ipsa non vnum, aut alterum, sed populos à se perditorum in catalogum refert. Ait enim mala fœmina, Oseæ 2. *Vadam post amatores meos.* *Osea 2.* Vbi in rem præsentem Chaldæus ponit: *Populos amatores meos sequar.* Non equidem mala fœmina contenta esset, nisi numerare posset populos suos infectos veneno. Vide tom. 2. in Euang. Histor. lib. 8. cap. 1. §. 10.

§. XXII.

Pulchritudo, & ornatus animæ est, quòd non defendas te in conspectu Dei.

MIrum in modum Eua à serpente raptatur, & cùm trahitur in cibum, & cùm in excusationem peccati trahitur. Requisita enim de crimine, ait: *Serpens decepit me, & comedi.* *D. Bern.* De qua D. Bernard. ser. 37. de paruis: *Sic declinauit & ipsa in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.* Nil rectum, nil sublime apparet in ore defendentis, & excusantis se coram Deo: ad vilia, & indecora declinat, qui nititur se excusare, quando animæ formositas, & sublimitas ab illis labiis venit, quæ simplicem norunt veritatem sonare. *Cant. 4.* Hinc Cant. 4. de Mariæ labiis, ait: *Vitta coccinea labia tua.* Non sic cocco infectę pulchrescunt, & rutilant vittæ; vt rutilant, & pulchrescunt Mariæ labia. Vnde hoc? *Rupert.* Rupert. ibi: *In quo sicut vitta coccinea labia tua? Nimirum, in eo, quòd sermo tuus à veritate non discordat, imò cum veritate multum concordat. Principium veritatis hoc est, vt non defendat se quis contra Deum, imò se accuset ante Deum quisquam filiorum Euæ, quæ dissoluit amicitiam inter se, & Deum proterua defensione.* Ecce Euæ deformitas, ecce Mariæ pulchritudo; ecce labia Euæ sordentia, & ad terram vsque se inclinantia, dum defensionem, & excusationem prætendunt; ecce labia Mariæ rutilantia, seséque Deo iungentia, quòd nullam defensionem sonent, sed veraciter Deo nitantur respondere. Quid hoc pulchrius? *Psal. 95.* Pergit ibi Rupert. ex Psal. 95. *In labiis tuis Maria confessio, & pulchritudo est, in labiis tuis sanctitas, & magnificentia est. Eua Deo fuit muta, tu autem magnificasti Dominum mente ardentissima, voce suauissima, & hæc est vitta coccinea.* Nil Deo pulchrum exhibuerunt Euæ labia, à quibus vt vera defecit confessio, sic omnis pulchritudo defecit. Verum in Mariæ labiis confitentibus, & magnificantibus Deum, ibi tota pulchritudo, & magnificentia, inde vittæ coccineæ rutilant, quæ illam inseparabiliter iungunt Deo. Vtinam, & nos hanc Mariæ confessionem, hanc Mariæ vittam coccineam labiis nostris apponamus; fallar, nisi inde salutem certissimam augurari non possemus. Exploratores Israelitæ ad fenestram Rahab funiculum coccineum iusserunt appendi Iosue 2. vt sic salus fœminæ pararetur. *Iosue 2.* Compone Mariæ labia, & Rahab fenestram, illa coccineam vittam, hæc funiculum coccineum referunt. Et cur hæc coccineum funiculum, nisi vt ostendatur tunc esse quis saluti vicinior, cùm in se Mariæ labia confitentis, & magnificantis Deum refert? Ait Rup. vbi sup. *Ecce Rahab meretrix dulcis eloquij Mariæ vittam coccineum, seu funiculum coccineum in fenestra sua ligauit, signum suæ fidei, quod nuntios Iesu susceperit, atque saluauerit, dum Ecclesia quondā peccatrix, & idololatria meretricio sordida, dulce eloquium Mariæ, quo magnificat anima eius Deum,*

pignus

pignus suæ salutis iugiter præsenat. Ecce tibi pignus salutis Ecclesiæ, pignus salutis animæ, si eius de coccinea vitta pulchrescant labia, & confessionem æmulentur marianam.

Gen. 3. Et ait Dominus Deus ad serpentem: Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ; super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius.

§. XXIII.

Non à Deo, sed à malo venit, quòd reproborum pœna finienda, siue minuenda possent reputari.

ECce tibi secundum diuinæ iustitiæ telum aduersus serpentem antiquum, nimirum, diabolum, in serpentis materialis capite vibratur. Primò enim à cœlis in tartara eiicitur ob diuini solij ambitiosissimam cupiditatem; secundò ob Euæ deceptionem ad fæculentam terræ pascuam trahitur. Et in vtroque interminabilis pœna mandatur, ait enim, *terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ;* nullus dies sine pœna erit, vt vita diaboli æternùm durabit, sic illam perpetuò pœnæ, & supplicia eodem tenore, eadem vi cruciabunt. Non aliter diuina sententia permittit de reproborum pœnis existimare, quod autem vulgo iactatur de tyrocinio pœnarum, & de pœnis iam languescentibus antiquitate, id diabolicum est, & suggestum ab angelo Sathanæ. Quippe ait Iob, cap. 41. *Æstimabit abyssum quasi senescentem.* Eò peruenit diabolica mens, serpentina Leuiathani astutia, vt pœnarum abyssum, amaritudinúmque immensitatem reputet quasi posse senescere, & hebetari. Quocirca ait D. Gregor. lib. 34. Moral. *Leuiathan itaque iste æstimauit abyssum quasi senescentem, quia reproborum corda sic infatuat, vt suspicionem eis de venturo iudicio, quod quasi finiatur, infundat. Abyssum namque senescere æstimat, qui terminari quandoque in suppliciis supernam animadversionem putat.* Proh mens diabolica! Proh imprudentissima perditorum stultitia! Fingunt miseri veterascentes pœnas, & senescentem iudicij diuini aculeum; vt magis in eorum animis adolescant vitia. Nec pudet diabolum tam insigne mendacium hominum cordi inseminare, quando & Deus, & tota Scriptura clamat, vindices inferni flammas in dies repuerascere, & nunquam diminutionem pati. Vbi enim Cant. 8. dicit: *Dura sicut infernus æmulatio:* indomabilé quandam inferni duritiem indigitauit. Equidem pulchrè ait ibi Guilliel. apud Delrium: *Æmulatio dura sicut infernus, quo nihil durius. Nam neque vlla vi ab his, quos semel susceperit, superatur, vt euadatur, nec vllis miserorum blanditiis mollitur, vt parcat, vel mitius puniat.* Turpissimè à diabolo fallitur, qui vel post longam temporis diuturnitatem putat aliquid mitius in inferno posse enasci. Ibi enim pœnæ nesciunt mitescere, nesciunt à primo vigore declinare, sed singulis momentis instaurantur. Quò respiciens Psalm. 48. ait; *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Quid est illud, depascet? Incognitus ibi intelligit similitudinem iumentorum pascentium, quæ non radicitus herbas euellunt, sed summitates capiunt, vnde iterum herbæ nascuntur ad pastum. Sic miseri in inferno positi vltricibus flammis sui pascuam faciunt, vt singulis momentis nouam tormentorum materiam præbeant, & perpetuò seruetur nouitius tormentorum pastus. Vel aliter, vbi noster legit, *mors depascet eos;* legit Magister sententiarum, *Mors pastor est eis:* & quidem ipsissimæ inferni diræ & simul torquent reprobos, & quasi alunt in vitam, ne vllus tormentorum sit finis. Quæ sic elucidat D. Bern. serm. 1. de verbis Apost. fatus: *Sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos. Quàm benè sicut oues? Quia detracto vellere mundialium diuitiarum, durè, pressèque detonsi, sempiternis nudi deputabuntur incendiis. Mors depascet eos, quia semper morientur ad vitam, & semper viuent ad mortem.* Dùm tormentis putantur immori, subitò reuiuiscunt, vt perpetuò torqueantur nouiter: nec vnquam vita cessabit, ne cesset plaga. Vt meritò dicat D. Cyprian. orat. de Ascens. de tormentis damnatorum: *In proprio adipe frixa libidines ebullient, & inter sartagines flammeas misera corpora concremabuntur, & omni tormento atrocius desperatio condemnatos affliget. Non miserebitur vltra Deus, nec tunc audiet pœnitentes, sera erit illa confessio. Nullum ibi refrigerium, nullum remedium, semel Christus descendit ad inferos, vlterius non descendet. Non vltra videbunt Deum in tenebris sigillati, irregressibilis erit illa sententia, & immutabile iudicium stabit damnationis huius immobile constitutum.* Sic ibi, & verissimè.

Job 41. — D. Greg. — Cant. 8. — Guil. — Psal. 48. — M. Sent. — D. Bern. — Cyprian.

§. XXIV.

In reprobis quæuis pœna æterna etiam pro culpis leuidensibus.

IAm pro primo ausu decreta fuerat æterna pœna serpenti antiquo; nec tam grauiter peccauit secundò, quando homini inuidit, & nihilominus eam pœnam saltem accidentalem etiam suscipit, quam omnibus diebus vitæ suæ sustinear, æternùm torquendus, dum æternùm viuit. Et cur etiam supplicij æternitas replicatur in peccato secundo, quod longè inferius fuit primo: nisi quòd reprobis nulla pœna irrogatur etiam pro minimis, & leuissimis culpis, quæ æternùm non duret? Iob cap. 20. de impiissimo damnato inquit: *Deuorabit eum ignis, qui non succenditur, affligetur relictus in tabernaculo suo. Reuelabunt cœli iniquitatem eius;;: Hæc est pars hominis impij à Deo, & hæreditas verborum eius.* Clarè loquitur de vltricibus æterni ignis flammis, quæ exedunt miserum reprobum: quæ non otiosè dicuntur castigare eius impietatem, & insana verba. Sed vbi ingentia impietatis facinora dant meritas pœnas Deo, qui necessum fuit exprimere, quod etiam dent pœnas, & vana, & inutilia verba? Planè in reprobis non solùm ingentia scelera, sed & minima æternas flammas accendunt. Ait D. Gregor. lib. 15. Moral. cap. 20. *Qui enim pro magnis malis in supplicium mergitur, fortasse credebatur, quid pro verbis, quæ malè dixerat, minimè iudicaretur. Sed cùm districta Dei iustitia supplicium à reprobis exigit, eis mala vsque ad verborum retributionem reddit, vt qui de malis magnis debitores sunt, suppliciis traditi etiam nouissimum quadrantem soluant.* Ecce tibi, vt æterni ignis cruciatus æternus in reprobis, inferníque carcere detentis, non solùm puniat grauia, & lethalia scelera, sed etiam minutissima quæque otiosa verba. Non enim ob sola magna debita detinebuntur reprobi in inferni carcere, sed & ob minimi quadrantis debitum. Quò respiciens Dominus, Matth. 5. ait peccatori impœnitenti: *Iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem.* In nouissimo quadrante intelligunt D. Hieronym. & D. Aug. minutissima quæque peccata, quæ in carcere inferni punienda sunt, quæ quia ibi semper integra manebunt, nunquam satis pœnarum dabunt, vt possint reprobi illorum videre finem. Ait Aug. lib. 1. de serm. in monte, cap. 21. *Donec soluas autem quod dictum est, miror, si non eam significat pœnam, quæ vocatur æterna. Vnde enim soluitur illud debitum, vbi non datur pœnitendi, & correctiùs viuendi locus?* Non est equidem, vnde pœna quæuis etiam pro minimis illata reprobo, & damnato non sit æterna.

Iob 20. — D. Greg. — Matth. 5. — D. Aug.

§. XXV.

Mariani vteri fructus nos à serpentis antiqui venenis mirificè tutatur.

COntraria contrariis curãtur, ideò de ventre fœminæ semen illud, fructũ illum nobis Dominus præparauit, qui prorsus esset serpẽtis antiqui morsibus cõtrarius, & omnino exitialis. Quippe ait: *Inimicitias ponã inter te, & mulierẽ, & semẽ tuã, & semen illius.* adeò mariani vteri fructus, & serpentis venena sunt contraria, vt tunc solùm audeat serpens morsibus homines aggredi, cùm illos alienos, & ieiunos videt à viuifico fructu vteri mariani. Num. 21. cùm Israelitæ post gloriosas victorias à Chananæis reportatas, adhuc iter agerent: *Tædere cœpit populum itineris, ac laboris, locutúsque contra Dominum, & Moysem ait; Cur eduxisti nos de Ægypto, vt moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ, anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo. Quamobrem misit Deus in populum serpentes ignitos, &c.* Expende, quando igniti serpẽtes audeant in Israelitas, nimirum, cùm primùm apud illos cœpit vilescere cœlestis panis; nec dum cœlesti pane auidè vtuntur, apud illos audio serpentis vocabulum; vbi fastidiunt manna, & super illo nauseant; ecce serpẽtes miseros aggrediuntur, & miserè laniant. Quod paucis attingens D. Hieronym. epist. ad Fabiolam, fatur: *In his manna fastidiunt, à serpentibus vulnerantur.*

Num. 21. — D. Hier.

vulneratur. Et cur serpentes non audeant, vbi à nullo retinentur contrario? Vbi cœleste pabulum, veri virginalis fructum, sibi infensissimum hostem non videt serpens, mirarer, si ibi non vomeret totas inferni flammas. Hinc ipsa Maria conuocat dilectos suos, Cant. 5. *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.* Sanè hortum appellat Ecclesiam, in qua tot pomiferæ arbores, quot sancti sunt, media inter quos omnium nobilissima surgit arbor Maria, de cuius vteri fructu fœlix est qui comedit, & dilectus Deo, & hominibus; quando in perpetua benedictione erit. Comede homo de fructu marianæ arboris, & fallar, si mortem à serpente fabricatam non superaueris. Sapienter enim ait D. Amedæus, hom. 2. de fructibus Sanctissimæ Virginis Mariæ: *Inter hos, & horum media consurgit arbor, quum diximus, salutifera, generans cibum vitæ, & manna cœleste. Manna habens omne delectamentum, & omnem suauitatem, ad quod si primus Adam attingeret, mortem non gustaret æternam.* Expende, quo se posset munire primus Adam aduersus mortem à serpente quæsitam, nimirum, si marianæ arboris fructum pertingeret, quem quia non attigit, inde serpens præualuit aduersus illum. De Mariæ ergo fructu impleatur, qui nolit serpentes timere: vt dicat Isaias, cap. 11. *Delectabitur infans ab vbere, super foramen aspidis, & in cauernam reguli.* Non, mihi credite, audebunt serpentes exire coram hoc infante, sed se suis cauernis continebunt; at ille eos etiam in propriis eorum latibulis aggredietur, & in mortem trahet. Et vnde tanta hæc virtus infanti? Ait ipse, dum explicat, quod *delectabitur infans ab vbere*: quidem vbi homines quasi modò geniti infantes verbale illud lac concupiscunt, quod à Maria Virgine prodit, arma habent aduersus serpentes lethalia. Sic ibi monebat Dionysius Carthus. vt renati per lauacrum quasi infantes illud Petri adimpleant, sumentes rationale lac, quod quidem auctum fuit vberibus marianis, quo virus omne serpentinum exsibilabunt. Ad hæc ipsa Virgo dicebat Cant. 2. *Vox dilecti mei. Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Similis est dilectus meus capreæ, hinnulóque ceruorum. En ipse stat post parietem nostrum.* Et quidem vt intra Mariam stat, & inde ad nos venit Dei filius, similis est ceruorum hinnulo, de cuius halitu hoc habeamus, ne serpentem antiquum timeamus. Ait enim D. Ambros. in Psalm. 118. serm. 6. *Meritò sicut hinnulus ceruorum: hinnulus quasi filius, cum paterna inoleuerit vis natura, vt cum occulta non latent, serpentes fugiant, venena non lædant. Denique eductus de latibulis serpens, quis educebatur ex homine dicebat: Quid venisti ante tempus torquere nos? Spectemus ergo salientem hunc hinnulum, vt non possimus timere serpentem.* Ex quo hinnulus hic diuinus à Maria matre in nos salit, vix est, qui non exsibilet, & expellat à se serpentes venenatos. Vnde D. Damascen. orat. 1. de Mariæ Natiuit. componens probaticam piscinam, ex cap. 5. Ioann. cum Ecclesia, habente Mariam, sic fatur: *Faustu tibi sint omnia, ô probatica, nunc autem Ecclesia cœlum imitans, atque olim quidem semel quotannis Angelum Dei excipiens, aquam turbantem, atque vnum dumtaxat valetudini restituentem, nunc autem cœlestium virtutum copiosissimum agmen habens Dei genitricem nobiscum laudantium, illam, inquam, miraculorum abyssum, illam, qua non ministrum Angelum accepit, sed illum Magni Consilij Angelum, tumque bona pluuia in vellus absque vllo strepitu descendit, atque omnem naturam morbo laborantem, in salutem, & vitam restituit, ob quem Paralyticus ille, qui in te erat, tanquam cum serpente exiliit.* Expende, quid magni consilij Angelus, Dei Filius, postquam è gratiarum piscina radiauit, effecit in homine infirmo, nimirum, vt tanquam cœtus exiliret, serpentibus dumtaxat lethalis, & inimicus.

Cant. 5.

Amed.

Isai. 11.

Cant. 2.

D. Amb.

Damasc.

§. XXVI.

Maria hominibus pro vniuersis est Angelis custodibus aduersus diabolum.

NOn moror in naturali inimicitia inter serpentem materialem, & humanum, imò fœmineum genus, de quo multa alij: in præsenti autem respexit Deus ad inimicitias, & contrarietates, quibus maxima mulierum Maria draconis antiqui persequitur astus, eiúsque venenata confringit capita. Ipsa equidem Dei mater est, quæ conterit caput tuum, ô draco, & vna, in hominibus tutandis, pro vniuersis Angelis custodibus aduersus te valet. Sic enim de illa Cant. 6. dicitur: *Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem: terribilis vt castrorum acies ordinata.* Quæ hæc sunt castrorum acies, quibus Maria comparatur, nisi custodes Angeli, qui aduersus diabolum propugnant genus humanum? Et quidem si ex vna parte exercitus Angelorum custodum ponantur; ex altera vna hæc Dei mater constituatur, haud illis impar videbitur in tutandis hominibus, dæmonibúsque exsibilandis. Ait Guillelmus apud Delrium: *Nobis sancti Angeli sunt castrorum acies ordinatæ, id est, ad spirituale prælium contra aereas potestates, prædefensione hominum preparata. Dilectus igitur, vt piam Matrem demonstraret cunctis malignis spiritibus vehementer terribilem, dixit eam terribilem, vt castrorum aciem ordinatam. Quia te sciunt aereæ potestates esse Matrem meam, Matrem triumphatoris, & spoliatoris sui verentur te. Matrem terribilis, & eius, qui aufert spiritum Principum, id est, destruit superbiam malignorum spirituum: tu quoque terribilis illis facta es, & non mediocriter, sed sicut est illis terribilis Angelicus exercitus ad contrendos eos diuinitus ordinatus.* Itaque in vna hac gloriosa fœmina habemus quidquid virtutis habent Angelici exercitus ad dæmones exsibilandos. Id quod similiter dicitur Cant. 4. *Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris*: quæ verba sic exprimit D. Amedæus, hom. de Mariæ oratu, aiens: *Asserunt odore thuris dæmones effugari, Deum lacrymis mediantibus placari. Ego verò libenter dixerim odore virtutum sanctæ Mariæ Angelos tenebrarum effugari, & quodam valido turbine, huc illúcque raptari, vt in eis impleatur, quod dictum est: Fiant tanquam puluis ante faciem venti.* Non sic puluis disparet ante faciem venti, vt dæmones vniuersi diffugiût, vbi odor affluerit virtutis marianæ. Quid mirum? Dicebat Raphael Angelus Tobiæ iuniori, cap. 6. de pisce quodam capto: *Cordis eius particulam, si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum.* Et quare non magis Mariæ cor dæmonia extricabit, quando inter diuini amoris prunas torum ardet? Meritò de illa ait ipse D. Amedæus, hom. 8. de Mariæ plenitudine: *Nec contentus partis spolijs, sed humanæ salutis cupidus, hoste limitibus longius propulsato, alias atque alias sibi exuuias semper acquirit. Igitur in manu potenti, & brachio excelso tyrannorum fines ingreditur, munitissima quæque dæmonum aggreditur, inferna sub pedibus suis facit contremiscere, & principem mortis nimio terrore percussum resilire. Denique, ipsa subeunte, vehementer tremit prædam, quam in ventrem malitia traxerat, reiicitque cum dolore, quem cum ingeniis superbia detinebat. Surgunt lapsi, redeunt pœnitentes, peccator videbit, & irascetur. Multa sibi hamo dominicæ crucis perforata reddit liberos, quos antea detinuit captiuos, dentibus suis fremens, & tabescens. Desiderium peccatorum peribit, desiderium beatæ Mariæ perficietur.* Hæc ibi pulcherrimè dicta: quibus patet quam terribilis sit Maria, vt dæmones exsibilet. Cui excogitationi apto illud Cant. 4. *Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Nequeunt vmbræ sustinere aspirationem diei illius, quo Deus se ostendit inter sacrorum aromatum suffitus. Ad hæc enim ait Chaldæus: *Omni tempore, quo populus Israel tenebat manibus suis artem Patrum suorum iustorum, fugiebant dæmones nocentes, eo quod maiestas gloriæ Domini resideret in domo Sanctuarij, quæ ædificata est in monte Moriah, & omnes dæmones, & spiritus nocentes fugiebant ab odore incensi aromatum.* Cur ergo non citiùs fugiant à Maria, cuius in vtero fuit maiestas gloriæ Domini, cuius oratio gratior Deo fuit omni aromate?

Cant. 6.

Guillel.

Cant. 4.

Amed.

Tob. 6.

Amed.

Cant. 4.

Chald.

§. XXVII.

Fortissimum serpentis caput, nempe mors, vt contemnitur, & conteritur à sexu fœminarum fragili, & maximè à Maria.

VNiuersæ draconis insidiæ calcaneo parantur, nimirum, vitæ extremo, túc enim in morte totum adest caput serpentis malitiosi, quod quidem necessum est, vt cófringatur, quando à fragilibus puellis tota mortis amaritudo contémnitur. Huc respiciens Isaias dicebat, c. 11. *Delectabitur infans ab vbere super foramen aspidis, & in cauernam reguli, qui ablactatus fuerit, manû suam mittet.* Sanè infirmissimi quique, & paruuli lactantes eam accipiunt virtutem ex alto, qua durissimum serpentis caput, nimirum mortem, minimè vereantur. Ad hæc fatur D. Athanas. de Pass. & cruce Domini. *Olim serpens decepérat Euam, & eius inuidia mors in Orbem venit; nunc autem conculcatur. Olim aduersarius noster diabolus, vt leo circuibat, quærens nostram animam. Nunc autem cum dracone conculcatur, ac deinceps breui Dominus conteret Sathanam sub pedibus nostris, ac iam tantopere despicatus, ac ludibrio est, vt qui in cauernam aspidum manum iniectat, non reformidet. Hinc enim Isaiæ prophetantis, & verum est, quod dixit. Quin & aliqui ipsum stimulum diaboli pedibus prementes mortem minimè exhorruerunt.* Et pueruli, & blandæ

Isai. 11.

Athan.

blandæ puellæ sic ad horrendum draconis caput, nempe mortem accesserunt, quasi ad lusum accederent. Pedibúsque suis omnes mortis horrores conculcarunt. Sed pro aliis vnius Mariæ Virginis mortem vacat modò memorare. Quis horror, quæ difficultas in Mariæ morte? Sanè Apostolus nescio quam difficultatem sentiebat, vel in sola spoliatione carnis; ait enim 2. ad Corinth. 5. *Nolumus expoliari, sed superuestiri.* Quando aliæ difficultates, & amaritudines mortis deerant Paulo, vel hoc ægrè ferebat, quòd expoliandus erat à propria carne, quòd iunctissimam sibi carnem relicturus erat. In hoc fœlicior omnibus Maria apparuit: cuius solius fuit sic prorsus mortem contemnere, vt ex ea nihil molestiæ, nihil amaritudinis, nihil caperet difficultatis. Penitus draconis caput in Mariæ morte contritum apparuit, nec enim tunc expoliationem propriæ sustinuit carnis, sed à sua carne, in suam carnem migrauit, quando enim moriebatur Maria, spiritus eius Filij sui manibus excipiebatur, & sic nec in morte inueniebatur extra propriam carnem. Ait D. Amedæus, hom. 7. de Virginis obitu: Morte gloriosa Maria migrauit, si transitum ad vitam mortem liceat nominare. Imò, vt verum fatear, vita est, vbi sola mors moritur, vbi corpus mortis exuitur, vbi vita carnis pia quiete defuncta, fœnori multiplici in posterum reseruatur. *Egrediens itaque vidit vitam, ne mortem videret. Vidit Filium, ne carnis abscessu doleret. Hoc hausta indefectiuo ante decessum prauenta est Mater Virgo, ne transita in ipso, vel leuissimo mortis gustu tangeretur.* Itaque vt totus mortis gustus ante Mariam caderet, nec vel in morte carnis suæ coniunctione charissima careret, nec aliquid sentiret in expoliatione carnis, spiritus eius à corpore virgineo transiit ad Christi Filij sui manus, vt semper sic esset in sua propria carne. Quid fœlicius? Sic prorsus contraria est omnis mortis amaritudo in Mariæ transitu.

2. Cor. 5.

Amed.

Gen. 3. Mulieri quoque dixit Deus; Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios tuos, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.

§. XXVIII.

Miserè fallitur, qui sine longa patientia laborum sperat obliterare peccata.

SEmel peccauerat Eua, breuíque temporis momento absoluerat peccati iucunditatem, & ecce tibi quot illi ad vitam reseruata incipiunt ærumnarum, dolorumque spatia multiplicari; ait enim Deus; *Multiplicabo ærumnas tuas, &c.* Nec aliter potest medicina adhiberi peccato, propter eius remanentes effectus, nisi de multiplici tolerantia, & longa patientia ærumnarum. Numer. 14. ait Dominus ad Israelitas peccatores: *Filij vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, & portabunt fornicationem vestram, donec consumantur cadauera patrum in deserto, iuxta numerum quadraginta dierum, quibus considerastis terram; annus pro die imputabitur.* Expende illud, *annus pro die:* quippe scelus vnico die perpetratum, si coram Deo plenè curandum est, debet sustinere supra se integrum annum afflictionum, & ærumnarum. Obstupescis dolorum segetem tantam pro delicto momentaneo? Illam probat, & mollit pulchro exemplo Origen. homil. 8. in præsenti: *Si vulnus corpori infligatur, aut os confringatur, sub vnius horæ spatio huiusmodi vulnera solent corporibus accidere, & plurimis postmodum cruciatibus, ac doloribus exactis multo vix tempore sanari: quanti enim tumores in loco, quanta tormenta generantur? Iam verò, si accidat, vt in eodem vulnere, vel in eadem fractura iterum, & sæpius quis vulneratur, frequentiúsque frangatur, quantis hoc pœnis curari, & quantis potest cruciatibus medicari? Quanto autem tempore, si tamen potuerit, ad sanitatem perducitur? Transi nunc ab exemplo corporis ad animæ vulnera. Anima quoties peccat, toties vulneratur. Et ideò consequentissima ratio est, pœna, id est, cura, ac medicationis tēpus extendi, & per vnumquodque vulnus pro qualitate plagæ medendi quoque spatia propagari.* Itaque vt vulnus corpori in momento inflictum, longis dolorum, & tormentorum spatiis curatur, sic peccatum admissum in anima diuturnis gemitibus, latis squalloris, & ærumnarum spatiis, longissimis, & continuis riuulis lacrymarum curari oportet. Hic Genes. 1. dicitur: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Ex Hebræo autem legitur: *Spiritus Domini incubabat super aquas*, cùm audis spiritum Domini, illum diuinissimum intellige, qui iuxta Apostol. ad Roman. 8. *Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, id est, nos gemere, & lacrymari facit, veniam peccatorum postulantes. Hic ergo spiritus gemituum, lacrymarúmque amator, iam à principio dicitur, quòd incubabat super aquas. Cur incubabat? Vt auis pullos ex ouis eductura, multis diebus incubat ouis, ibíque infirmatur, longósque recessus patitur; sic qui de Spiritus sancti gratia ex pœnitentiæ lauacro amat sese in vitam suscitare, non leuiter, & cursim hoc lauacrum pertranseat, sed ibi debet multis diebus incubare, vt de diuturnitate afflictionis, & ærumnarum in vitam conualeat spiritualem. Hinc Tertul. libr. de Pœnit. hoc desidiosis pœnitentibus opponebat, nimirum: *Pœnitentia malorum leuius incubant:* quasi in illo solo peccatum videatur iam cedere gratiæ, qui non leuiùs, & cursim, sed morosissimè incubat pœnitentiæ, diuturnos secessus amans, longásque sustinens afflictiones carnis. Vt dicat Ruritius Episcop. lib. 2. epist. 14. *Pœnitentia non est nomen otiosum, quæ ex qualitate nominis possidet laboriosa vocabulum. Non enim potest pœnitens dici, qui pœnitenda committit; sed ille, qui præterita peccata, seu maculas humilitate cordis, subiectione corporis, bonorum operum sedulitate, assiduitate orationum, continuatione gemituum, pectoris contusione, lacrymarum profusione detergit.* Itaque vt post peccatum salus habeatur, multiplicandi sunt pœnitentis labores; longa gemituum continuatione, lacrymarum, & afflictionum assiduitate est opus. Nunquam equidem auis, quę passim deserit oua, fœtus excludet vitales; sed quæ illis longa patientia incubat, & super illos solitaria, & tristis multis diebus infirmatur. Iam animæ Sanctorum martyrum triumphabant in cœlis, cùm eorum corpora in terris adhuc multa patiebantur, nimirum contumelias, & mille opprobria apud gentes prophanas. Quid tunc? Apocalyps. 6. *Vidi subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei.: Et clamabant voce magna dicentes: Vsquequo Domine (Sanctus, & verus) non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum, de iis qui habitant in terra? Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ: & dictum est illis, vt requiescerent, &c.* Etiam triumphantibus animabus longa mandatur quasi patientia circa corporum suorum ignominias, & ærumnas in terra sustinendas, & volet aliquis leuissima carnis afflictione omnimodam præbere peccatis medelam? Pulchre D. Cyprian. lib. de lapsis, pungit eos, qui leui, aut nulla externa pœnitentia acta, salutis chartas peccatoribus promittebant. Ait enim: *Sub ara Dei animæ occisorum martyrum clamabant magna voce dicentes: Quousque Domine (sanctus & verus) non iudicas, & vindicas sanguinem nostrum de iis, qui in terra habitant? Et requiescere, & patientiam tenere adhuc iubentur: & quemquam posse aliquis existimat remittendis passim donandísque peccatis dignum fieri?* Non equidem de facili, & breui, sed longa patientia, & afflictionum tolerantia integra peccatorum medela venit. Non ignoto aliquando festinantissimos in pœnitentia peruenisse ad remedia, sed id tunc accidit, quando illa ipsa festinatio prorsus lethalis, & exitialis vitiis videtur, quæ sic conculcat, vt minimè sinantur reuirescere. Dum Asahelis casus dicitur, 2. Reg. 2. eius nimiam celeritatem Scriptura commemorat, aiens: *Velox erat sicut ceruus;* nec placeret sacro scriptori hominis velocitas, quæ ceruos non imitaretur, vt dum velox quis est, & festinat in Dei operibus, lethalis etiam ostendatur, & exitialis serpentibus. Ait Bachiar. epist. ad Ianuarium: *Sic Scriptura non obliuiscitur Asahelis, vt eius quoque velocitatis faciat mentionē, cùm dicit: Velox erat sicut ceruus: id est, qui non solùm perspicacia mentis, inimici laqueos euitabat, verùm etiam serpentum, id est, aduersariū virtutum interfector existit.* Is festinet, si mauult, in pœnitentia, & eius amaritudines pertranseat velox, qui & cum hac velocitate cæteras habeat conditiones cerui, nimirum vniuersos laqueos præuideat, & euitet, capitáque conculcet serpentium. Aliter autem longissima vtatur patientia, longáque afflictionum, & gemituum spatia terat.

Num. 14.

Origen.

Gen. 1.

Ad Rom. 8.

Tertull.

Rurit.

Apoc. 6.

Cyprian.

2. Reg. 2.

Bachiar.

§. XXIX.

Ærumnas quas cum Iesu portamus, non possunt non in bonum proficere.

ÆRumnas, & dolores partus dum Dominus Euæ mandat, simul illi ad progignendos filios fœcunditatem præscribit, vt quæ pariens dolet, gaudeat magis de natis filiis. Et quis dum tot ærumnas, dum tot dolores conglomerari in mulieris viscera ab irato Deo videt, non crederet genus humanum funditus perditum iri? Sed non potuerunt etiam ærumnosi conceptus Euæ humano generi non proficere in

vitam,

vitam, quando simul cum omnibus concipiendis, etiam Dei Filius erat concipiendus virginco fœminæ in vtero. Ait enim sapienter Leontius serm. de Creat. apud Biblioth. Photij: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos. O Domine comminationem! Indignatio humanitatem supergrediens, legis dolores terminat, & gemitus, vt hu inualescens mortem exuat, multitudinem humani generis comminatus. Additionem successionis promittit dolens, matrem mundi elegit iratus, cadentem trahens in progressum. In dolore paries filios: per ventrem docet, per quem in mundum venit.* Sanè suam iratam misericordiam, & suam misericordem ostendens iram, mulieris viscera, & simul percutit ærumnis, & fœcũditate dirat Dominus, vt genus humanũ, quod ærũnis emori posset, partubus reuiuiscat. Sic fœminea viscera magisteriũ habent simul iræ diuinę, & misericordiæ incredibilis. Et quomodo potuissent tã ærumnosa viscera, tã ærumnosi conceptus magisteriũ habere misericordiæ viuificatricis, nisi quia & ipse Dei Filius concipiendus erat etiam intra fœminea viscera? Equidem pulcherrimè dictum fuit illud: *Per ventrem docet, per quem in mundum venit.* Non potuimus non doceri vitam in ventre fœmineo, quando & ipse Dei Filius mulieris simul intrat viscera. Quam enim ærumnam Deus nobiscum subit, semper nobis proficit in vitam. Hinc Luc. c. 2. dicit. *Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus Orbis. Hæc descriptio prima facta est à Præside Syriæ Cyrenio. Et ibant omnes, vt profiterentur singuli in suam ciuitatem. Ascendit autem & Ioseph à Galilæa, de ciuitate Nazareth in Iudæam, ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem, quòd esset de domo, & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante.* Ecce tibi dum vniuersus Orbis miseram cogitur profiteri seruitutem, in catalogúmque singulorum nomina rediguntur, festinat Dei Filius eandem seruitutem profiteri, & suum nomen inter seruientium nomina scribere. Et cur ad hoc festinat Dei Filius: nisi vt dum simul cum vniuerso orbe profitetur seruitutem, inde vniuersum Orbem reddat secum non seruum Cæsaris, sed Dei filium? Ait Origen. hom. 11. in Luc. *Diligentius intuenti sacramentum quoddam, videtur significare, quòd in totius Orbis professione describi oportuerit & Christum: vt cum omnibus scriptus sanctificaret omnes, & cum Orbe relatus in censum, communionem sui præberet Orbi, vt post hanc descriptionem describeret quoque ex Orbe secum in libro viuentium, vt quicumque crederent in eum, postea cum Sanctis illius scriberentur in cælis.* Quippe nescit Iesus intrare nobiscum ad humiliationes, & ærumnas, quas non reddat ad vitam auspicatissimas. Duos inuenio in Scriptura, qui quadraginta dierum ieiunia obseruauerunt; ij sunt Moyses, & Elias; totidem etiam Iesus dies impransus egit. Quid tunc? Matth. 17. Erat Iesus in gloria transfigurationis suæ in Thabor coram discipulis suis, *& apparuerunt illi Moyses, & Elias, cum eo loquentes, &c.* Cur Domine ex Prophetis hos trahis tibi socios in Thaboris gloriam? Tertull. lib. aduersus Psychicos, ait: *Meritò igitur etiam in carne se Dominus Moysi ostendit collega ieiuniorum suorum, non minus & Eliæ.* Eundem ieiuniorum numerum cum Iesu Moyses, & Elias impleuerant; & quos ieiuniorũ habuit Iesus collegas, eos sibi socios in gloria fecit. Ille prorsus fœlix est, qui eas mundi vias terit, quas ipse Iesus triuit, nequit enim fieri, quòd de tanto passionum socio, magnam bonorum segetem non metat.

Leont.

Luc. 2.

Origen.

Tertull.

Gen. 3. Adæ verò dixit: Quia audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes: maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: spinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.

§. XXX.

Vitiorum discipuli peiores sæpe sunt quàm magistri.

VT malitiam Adami exaggeraret Dominus, non solùm nefarium eius facinus ob oculos ponit, sed & illud addit, quòd in tantum malum deuenerit ex mulieris consortio. Quippe ait: *Audisti vocem vxoris tuæ, & comedisti, &c.* non enim tam facit ad minuendum, quàm ad exaggerandum peccatum Adami, quod in illud venerit, & exemplo, & persuasione vxoris; solet enim quæ discitur malitia, in multis superare præceptorem. Quæ gens mansuetior fuit, quàm Israelis populus? Meritò mansuetudinis populum suum vocabat Dominus oues: sic ait Matth. 15. *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel.* Et quis populus crudelior, & sæuior, quàm gentilis populus? Sanè hic populus passim à Prophetis feralissimis feris comparari solet, imò rabidis lupis illum comparat Dominus, cùm ait Matth. 10. *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum.* Et quidem Israelitæ sub potestate Romanorum erant sicut oues in ore luporum. Venit ergo Iesus ad oues domus Israel; oues autem in tantum facinus deuenêre, vt necem inferrent tanto Domino. Quis hoc expectaret ab ouibus? Imò, quis hoc crederet de lupis? Et quod lupi minimè committerent, id patrarunt oues, id patrarunt Israelitæ, dum viuunt sub potestate Romanorum. De consortio namque, & contagione luporum, supra ipsorum malitiam ferociunt in Deum oues. Ait sapienter D. Chrysol. serm. 100. *Audi ipsum dicentem Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel: sed oues luporum contagione iam rabida, & ipsis bestiis propria feritate sæuiores laniare, & violare suum semper voluere Pastorem.* Expende illud, *oues contagione luporum rabida, &c.* tantùm enim ex consortio, & contagione luporum creuit malitia, & crudelitas in ipsis ouibus, vt quod timerent lupi, impudentissimè facerent oues. Et quando, qui de alterius contagio in vitia venit, suorũ exemplar vitiorũ non superat enormitate? Tunc sanè in vniuerso mundo malitia penè vsque ad summum excreuit, cùm de malorum contagio cœperunt Sethi filij sese criminibus dare. Ait enim Genes. 6. *Videntes filij Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerunt. Dixitque Deus: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est: eruntque dies illius centum viginti annorum. Gigantes autem erant super terram in diebus illis. Postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes à sæculo viri famosi.* Cùm audis istos fuisse potentes, & viros famosos, puta cum Lippomano, & aliis commentatoribus illos famosos fuisse criminum immanitate, nouis enim, & inauditis criminibus nomen sibi truculentissimum compararunt, quæ crimina submergi meruerunt diluuij aquis. Sed vnde in tantam magnitudinem excreuerunt peccata? Ait textus: *Postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum;* non postquam Cainus occidit fratrem, nec immediatè postquam Lamech septemplici sese exposuit supplicio; sed postquam filij Dei, homines pij, filiarum hominum contagio cœperunt infici, in incredibilem proruperunt audaciam. Apud Cassianum, collat. 8. cap. 21. dicitur: *Videntes post hæc filij Seth, qui filij Dei erant, filias eorum qui de Caim progenie nascebantur, desiderio pulchritudinis earum accensi, acceperunt sibimet de ipsis vxores, quæ viris suis infundentes nequitias patrum suorum, ab illis illos ingenita sanctitate, & simplicitate paterna protinus corruperunt. De illis ergo filiis Seth, & filiabus Caim nequiores filij procreati sunt, qui fuerunt violentissimi, ac truculentissimi viri, qui pro enormitate corporis, vel crudelitatis, ac malitiæ gigantes nuncupati sunt. Hi namque fines inuadere, ac rapinas inter homines facere primi cœperunt.* Cùm de aliorum contagio cœpit malitia grassari, tunc & cœpit penè in immensum eleuari; sæpe enim malum, quod ab vno accedit ad alium, fit in hoc grauius, & lethalius.

Matth. 15.

Matth. 10.

Chrysol.

Gen. 6.

Cassian.

§. XXXI.

De Eucharistici cibi frequenti vsu venire potest, vt vniuersus mundus Christianæ accipiat culturam legis.

NVnc primum panis mentionem in Scriptura lego, cùm dicit, *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*: nusquam antea cibus panis auditus, sed olera, sed herbæ, sed poma, & arborum genimina vniuersa. Cur iam panis offertur, nisi quia iam non Paradisus, sed vniuersa terra peccatori homini excolenda eminet? Et quidem vnus, aut alter hortus, vna aut altera anima sine frequenti vsu cœlestis panis excoli potuerit: at quòd mundus excolatur totus, nunquam fiet nisi cum frequentia panis cœlestis. Post diluuium exsiccatum dicit Dominus Noemo, & filiis eius: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram. Et terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cæli, cum vniuersis, quæ mouentur super terram: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt. Et omne quod mouetur, & viuet, erit vobis in cibum.* Adamo in fœlicitatis

ſtatu conſtituto ſola ligna conuiuium faciebant, Notmo etiam animalium caro conceditur in eſcam. Et cur huic cato conceditur? Ratio petenda eſt ex illis verbis, *replete terram*, quando enim vniuerſæ terræ colendæ mandabantur homines, non miror, quòd ſubſtantialem carnium cibum acceperint, de cibi enim fortitudine venit, quòd maior poſſit coli pars terræ. Ad hæc Tertul. lib. aduerſus Pſychicos, fatur: *Tertull.* *Quia iam non Paradiſus cuſtodiendus, ſed mundus totus fuerat excolendus, robuſtior cibus carnis offertur: ne minus redderetur robuſtior cibus, quo refecti ad opera marceſcerent.* Meritò vbi mundus totus fuerat excolendus, robuſtior, & ſubſtantialior carnis cibus offertur; de cibi enim fortitudine venit, quòd latior poſſit excoli ager. Sic vbi non vna anima excolenda eſt, ſed totus animarum mundus ſumitur excolendus, neceſſarius eſt frequens vſus cœleſtis, viuificique Euchariſtiæ panis. Hoc optimè nouit parens meus Ignatius, qui vt mundi totius culturam ſuſcepit, ſic frequentiſſimum ſibi, & omnibus fecit eſſe ſuperſubſtantialem Chriſti panem. Hinc patet, quàm iuſtè iratus fuerit Moyſes in ſacerdotes ſacratæ epulæ ieiunos: de illo enim ait Leuit. cap. 10. *Leuit. 10.* *Iratúſque contra Eleazar, & Ithamar filios Aaron, qui remanſerunt, ait: Cur non comediſtis hoſtiam pro peccato in loco ſancto, quæ Sancta Sanctorum eſt, & data vobis, vt portetis iniquitatem multitudinis?* Vanè equidem multitudinis iniquitates præſumerét portare, qui à ſacro epulo eſſent ieiuni, quòd enim multitudinis corda excolantur, ab iniquitatibus pura ſuſtententur, ſolùm poteſt venire de fortitudine ſacroſancti conuiuij. Quocirca ait Marcus, cap. 16. *Marc. 16.* *Recumbentibus illis vndecim apparuit Ieſus: & exprobrauit incredulitatem eorum::: Et dixit eis: Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ, &c.* Itaque dum menſæ accumbunt diſcipuli, inter ipſas dapes apparet illis Ieſus, & illis totius mundi prædicationem, & culturam commendat, & cur mundi culturam commendaret apparens inter epulas, niſi vt inſtrueret Eccleſiam ſuam, quòd non aliter poſſet aggredi regenerationem mundi, niſi dum præ ſe ferat cœleſte conuiuium? Hinc ſpectabat D. Methodius in Sympoſio, *Method.* citatus à Turriano, tract. 5. de Euchar. cap. 7. Quippe ait: *Non poteſt aliter Eccleſia concipere credentes, & regenerare per lauacrum regenerationis, niſi & Chriſtus propter eos ſe exinaniens, vt capi poſſet, ſecundùm commemorationem Paſſionis, iterum moriatur è cælo deſcendens, adhærénſque vxori ſuæ præbeat virtutem quandam lateris ſui, vt augeantur, qui in eo ædificati ſunt omnes per lauacrum regenerati.* Niſi ad memoriale Paſſionis ſuæ, nimirum, Euchariſtiæ conuiuium, Chriſtus venerit, non multiplicabuntur Eccleſiæ filij, cuius numerus mirum in modum augetur, dum de ſanguine Chriſti lateris in cœleſti conuiuio ſugimus. Accinit Pſalm. 21. *Pſal. 21.* *Apud te laus mea in Eccleſia magna*, ait Filius ad Patrem, iam tunc anguſtias faſtidiens populi Iſraelitæ, & promittens ſibi Eccleſiam magnam ex omni gente conflatam. Et qua id fiducia? Subdit ſtatim: *Edent pauperes, & ſaturabuntur*: quibus verbis innuit Euſebius, antiquiſſimus Commentator, ſaporem cibi ſuperſubſtantialis, ex quo, vbi comedere homines cœperunt; ſic totus mundus cœpit trahi, vt iam fieret Deo Eccleſia magna. Sed omnium clariſſimè Oſeas, cap. 14. *Oſeas 14.* tradit hanc mundi culturam, ſacro conuiuio mediante. Ait ibi Dominus: *Ero quaſi ros Iſrael, germinabit ſicut lilium, erumpet radix eius vt Libani. Ibunt rami eius, & erit quaſi oliua gloria eius & gloria eius vt Libani. Conuertentur ſedentes in vmbra eius: viuent tritico, & germinabunt ſicut vinea.* Quis hortus cultior? Hic iam in vniuerſo mundo pro ſpinis, & tribulis, lilia apparent, cedri incorruptæ, oliuæ fœcundæ, ditiſſimæ vites. Vnde hoc? *Viuent tritico.* panis diuinus potens eſt totum viuificare mundum, & conuertere in amœniſſimum Paradiſum.

§. XXXII.

Cœleſte conuiuium tunc viget, quando marcent vniuerſæ mundi deliciæ.

MEritò D. Ambroſius Adamo datum panem in ſudoribus videns, mentem erigit ad Chriſtum, qui eſt panis cœleſtis hominibus exhibitus in hoc mundi exilio. Sed illud venit maximè notandum, quòd dum Paradiſus ditabat hominem, nulla ibi vmbra panis ſuperſubſtantialis dabatur; ex quo autem hominibus emarcuit Paradiſus, nudúſque & incultus terræ campus proponitur, tribulis ſcatens, & ſpinis, ſtatim ibi vmbra exhibetur panis diuini: quippe ait, *in ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Quid plura? Non equidem viuificus Dei cibus viget, & claret, niſi cùm emarcent, & diſparent vniuerſæ mundiales deliciæ. Cant. 1. aiebat Sponſa. *Cant. 1.* *Botrus Cypri dilectus meus in vineis Engaddi.* Cyprus cantatiſſima eſt inſula Italiæ, Engaddi campus eſt Palæſtinæ vineis fertiliſſimus. In botro ergo diuino non negat Sponſa natiuum ſolum, ſciens illum natum Bethlehem, de fertiliſſima vite Mariæ vxore Ioſephi, quæ vel hoc ſolo botro regiam impleuit familiam, ſicut vitis abundans in lateribus domus ſuæ. Sed qui Bethlehemita erat in Palæſtina, in quo referebat botros Italos, qui naſcuntur Cypri? Accipite Caſſiodorum *Caſſiod.* lib. 12. variar. 4. vbi de ſuauiſſimis vuis fatus, inquit: *Digna ſanè ſpecies, de qua ſe iactet Italia. Autumno lecta vineis in pergulis domeſticis vua reſupina ſuſpenditur, ſeruatur in vaſis ſuis, thecis naturalibus cuſtoditur. Trahitur ad menſem Decembris, donec fluxum eius hyemis tempus aperiat. miróque modo incipit eſſe nouum, quando cellis omnibus reperitur antiquum. Hyemale muſtum, vuarum frigidus ſanguis, purpura potabilis, deferuet primùm in origine ſua, & cùm potuerit adoleſcere, perpetuam incipit habere nouitatem: non calcibus iniurioſè tunditur, ſed quemadmodum decet, nobilitas tanta prouocatur. Defluit, dum aqua dureſcit. Fœcunda eſt, cùm omnis camporum fructus abſcedit. Diſtillat gemmis comparem liquorem. Iucundum neſcio quid illacrymat, & præter quod eius delectat dulcedo, in aſpectu ſingularis eius eſt pulchritudo.* Quid pulchrius ad diuiniſſimum botrum Cypri Chriſtum, in vinea Engaddi natum? Racemus equidem Ieſus eſt, quo Palæſtina gaudet, & dignus quo ſe iactet Italia. Ieroſolymis nefaria decerpitur manu, calcibus tunditur, ſub prælo crucis exprimitur, donec nullus in eo ſuccus permaneat. At Romæ, in Eccleſia Romana non ſub prælo, ſed in altari exhibetur, aureis in thecis cuſtoditur, ambitioſis vaſis propinatur. Non ibi calcibus tunditur, ſed regios inter honores locatur. O quot inde diuitiæ proſiliunt, quot ſerta gemmata! O quàm dulces lacrymæ, quàm ſuauia ſuſpiria inde generantur! Quid plura? *Defluit, dum aqua dureſcit. Fœcunda eſt, dum omnis camporum fructus abſcedit.* Non inter ſæculi voluptates, non inter delicias mundiales, eminet cœleſtis conuiuij ſuauitas. Priùs neceſſum eſt marceſcant humanæ vitæ flores, abſcedant Paradiſi voluptatum, ſtringantur appetitus carnalium, & tunc diuiniſſimos botrus, cibus ſuperſubſtantialis ſuas diuitias incipit oſtentare.

Gen. 3. Et vocauit Adam nomen vxoris ſuæ Eua: eò quòd mater eſſet cunctorum viuentium. Fecítque Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos. Et ait: Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonum, & malum: nunc ergo ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat: & viuat in æternum.

§. XXXIII.

Boni Domini eſt, ſic labores inter ſeruos partiri, vt particitur etiam ſolatia.

INter tot ſudores, & labores, imò & dolores homini mandatos, non obliuiſcitur bonus Dominus, & miſcere ſolatia; mãdat labores, ſed ex quibus cibus naſcatur; minatur ſoli ſterilitatem, elementorum inclementiam, ſed & veſtes parat, vt tanquam à bono Domino veniant in ſeruos labores immiſſi, imò & attemperati ſolatiis. Ait Rupert. lib. 3. de Trinit. cap. 27. *Rupert.* *Habes itaque duo miſeriæ ſolatia cum labore, & indigentia homini propoſita. victum ſcilicet, & veſtitum. Victum, vbi paulò antè dixit, In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Veſtitum, vbi nunc dictum eſt: Fecit Dominus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Proh optimi, & celſiſſimi Domini conditionem! Seruituti addicit homines, ingentes illis labores mandat, ſed & ſimul prouidet illis victus, veſtitúſque ſolatia, & vt in laboribus immittendis ſeuerus, ſic bonus in parandis ſolatiis apparet. Huc conueniant Domini mundiales, etiam qui ſeſe ſuper omnes extollunt inſulis dignitatis; quàm ſeueri iſti ſunt in mandandis vigiliis, in exigendis laboribus, à ſeruis; quàm crudeles in dimittendis victus, veſtitúſque ſolatiis. Plures inuenies ſeruos in Principum aulis, qui diu noctúque inuigilent dominorum difficillimis exequendis mandatis, & per totum annum non videant, vel minimum victus, veſtitúſque ſolatium. Hanc mundialium principum iniquitatem à Deo longiſſimè faciebat Pſalm. 93. aiens: *Pſalm. 93.* *Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis, qui fingis*

laborem

laborem in præcepto? Putat iniquitatem, quòd Dominus præcepta laboriosa effingat; quam minimè putat posse conuenire Deo. Sed cur iniquus dicetur Dominus, qui laboriosa præcepta mandat? An non hoc ad dominorum excellentiam, & licitum imperium pertinet, quòd de eorum præcepto possint subditi ad laboriosa obligari? Cur ergo iniquus erit, qui laboriosa mandat? Non equidem erit iniquus, qui laboriosa mandat, sed qui mandat laboriosa sola, sine vllo adhibito solatio. Planè iniquitas magna est, quod in Domini alicuius præceptis, tantùm videantur labores, sudores mandati, & nullum ibi appareat solatium. Pulchrè ait D. Laurent. Iustin. in fasciculo Amoris, cap. 6. *Apertè dicit Psalmus; Neque iniquus, neque immitis es, vt laboriosa mandes, & absque delectationis suffragio operarios fatigari sinas?* Non potest Dominus, qui iniquus non est, qui immitis non est, decernere labores seruis absque vllo delectationis suffragio. Non potest Dominus, qui iniquus non est, sinere fatigari subditos in adimplendis mandatis, & non curare de illorum victus, vestitúsque solatio. Vnde de se, & pro se aiebat Iob, c. 31. *Si aduersum me terra clamat, & cum ipsa sulci eius deflent.* Et qualis esset hæc Iobi iniquitas, quòd terra clamaret, quòd sulci eius deflerent? Equidem hoc est, ac si diceret, si agros meos sic sudoribus, & laboribus operarum impleui, vt, laborantibus excolentibúsque eos, solùm liceret gemere, & lacrymari sub labore, percipere autem aliquod solatium mercedis nunquam liceret. Sic ait Nicet. in Cat. Græca: *Sed neque meos agros, ac sulcos, neque terram meam quisquam coluit, qui non esset pretio, atque mercede conductus, ne forte eam gemitu, lacrymisque vexarem: si ipsius operam certa mercede spoliassem.* Iniquum meritò putat vir diuinus, si agrorum suorum operarij solùm noscerent laborare, & sub laboribus gemere, & nullam viderent mercedis iucunditatem, sudoribus madidi, sicci & arentes solatio. Quam iniquitatem sic obiicit D. Iacob. epist. Canonica, c. 4. mundialib. diuitibus: *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, clamat; & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.* Et quando merces, & solatium negatum operariis non clamat aduersus Dominos, & cœlum clamoribus implet?

Laur. Iustin. — *Iob 31.* — *Nicet.* — *D. Iacob.*

§. XXXIV.

Ab vno Dei agno Iesu mortuo vestes accipimus, quibus & malorum iniurias, & incursus rideamus.

NOn qualescumque vestes parat Dominus nudis hominibus, sed pelliceas eas parat, vt in præsenti habemus: *Fecit Dominus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas.* Et cur magis amauit Dominus pelliceas tunicas præstare hominibus? Præclarè haud ignobilis author, Doctor Ioannes Fernandez, in thesauro Scripturæ sacræ, fatur: *His pellibus agnus Dei verus præfigurabatur in mundo, cuius vellere, & tegeretur nuditas nostra, & deleretur iniquitas, iuxta illud: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Et quidem vnius huius diuini agniculi vellere sic vestimur, vt & nostram nuditatem operiamus, & mundi malitias, immunes & expediti fugiamus. Quis timeat à frigore niuis? Quis flammantes æstus expaueat? Quis has omnes malitias non contemnat, si de agni immaculati pro nobis occisi vellere vestiatur? Isaias cap. 43. *Et nunc hæc dicit Dominus creans te Iacob, & formans te Israel: Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo: meus es tu. Cùm transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te.* Sed scire cupis, quo medio, qua veste sic conteget Dominus populum suum, vt nimbos rideat, & flammas? D. Athan. lib. de Incarnat. Verbi, citatus à Leone Castrio in præsenti, hoc putat impletum in iis solùm, qui vestiuntur vellere immaculati agni. Accipite verba eius in rem præsentem præclara: *Sicut ex amianto lapide, vtpote ductili, & textili texteres fila deducunt, ex eisque telas, & vela contexunt, quæ si in ignem iniiciantur, ardeat quidem, sed flammis inusta splendidiora exeunt. Ita beata Virgo agnum peperit, è cuius glorioso vellere facta est nobis vestis immortalitatis, qua tecti neque igne comburi possumus, neque aquis occludi, aut re vlla, quin per omnia cruciamenta transeamus illæsi, & ad cœlum euolemus.* Quis nõ amet de hoc diuini agniculi vellere indumentum acquirere? Fœlix es Christiane, ex quo die marianus agniculus creuit, & altus est; ex quo die mortem sustinuit, ideò ipse occubuit, vt tu vestireris de vellere illius, & tanto vestitu ornatus, nil maneat, quod timeas, sed vel inter aquarum turbines, vel inter flammãtia fulmina vsque ad cœlestem patriam transeas impauidus & securus. Quò aspiciens Paulus ad Ephes. c. 6. inquit: *Induite vos armaturam Dei.* Alij legunt communiter: *Induite vos omnia arma Dei, vt possitis stare contra versutias diaboli.* Et quis homo omnia Dei arma potest induere? Vt infinitus est Deus, sic necessum est, quòd eius arma sint infinita: in quo ergo indumento, vel in qua veste poterit quis tot, tantáque Dei arma coniungere, quibus vniuersa euadat pericula? Sanè in nulla alia veste hæc coniungentur, nisi in vnico vellere agni diuini Christi Iesu. Sic ait D. Hieron. *Manifestissimè cõprobatur, omnia arma Dei, quibus nunc indui iubemur, intelligi Saluatorem, vt vnum atque idem sit dixisse, induite vos omnia arma Dei, quasi dixerit, induite Dominum Iesum Christum. Quæ autem alia arma Dei possumus existimare, quibus induendus est, qui habet aduersus diaboli dimicare versutias, excepta virtute, quæ Christus est? Hæc enim, qui sic fuerit indutus, potens erit contra vniuersas insidias diaboli repugnare.* Vnum indue Iesum, & vniuersa mundi, diabolique machinamenta, & insidias ride.

Fernan. — *Isai. 43.* — *D. Athan.* — *Ad Eph. 6.* — *Hieron.*

§. XXXV.

Vbi vera compunctio, & cordis contritio est, vix inuenit locum pretiosissimarum vestium cura.

PEllicea tunicæ parantur à Deo pœnitentibus primis, in quibus enim videbat compunctionem, & veram cordis contritionem, & vidit simul vacare curam melioris amictus. Non equidem inter se multum compatiuntur vera compunctio, & cura pretiosi vestitus, sed vbi illa venit, quamprimum hæc solet abire. Dauid compunctus cinerem tanquam panem manducabat, & potum cum fletu miscebat: insuper de se ait Psalm. 68. *Et posui vestimentum meum cilicium.* Et Rex erat, & regiè sese ornare debebat, & nihilominus, ornatu regio dimisso, ad vile, & asperum cilicium confugiebat. Et vnde hanc ebibit indolé regius animus? Præclarè D. Chrys. lib. 2. de comp. cordis, fatur: *Dauid ita erat in potestate positus, tanquam omnibus esset ipse subiectus, & in solio regali erat, & vinctus in carcere, & in purpura quasi in cilicio iacebat, cinere conspersus, & corde compunctus, aula regalis erat ei tanquam eremi vastissima solitudo. Hæc autem omnia agebat in eo cordis compunctio: sola enim est, quæ facit animã horrescere purpuram, desiderare cilicium, amare lacrymas, fugere risum.* Expende ab illis: *Hæc autem omnia in eo agebat cordis compunctio:* quippe vbi cordis vera compunctio est, nil magis placet, quàm cilicium, quàm omnimoda vestium, & ornatus incuria. Quis credat posse simul in corde esse magnam animi contritionem, & curam ardentissimam exterioris ornatus, & amictus? Per Ioelem clamat Dominus ad peccatores, inquiens: *Reuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & in fletu, & in planctu.* Totum cor in conuersione prærequirit, vt perfectus ostendatur pœnitentiæ planctus. Et si totum cor sibi præripit compunctio, vbi habebit locum studium ornatus? Pulchrè D. Cypr. ex hoc loco educit lib. de lapsis: *Lamentari eum putamus ex toto corde, qui ex primo criminis die lauacra quotidie celebrat? An illa ingemiscit, & plangit, cui vacat cultum pretiosæ vestis induere? Accipere pretiosa ornamenta, & monilia elaborata?* Vnumquodque sanè sibi tota præcordia requirit, & compunctio, & vestis ornatus, vbi illa præuenit, hæc statim abit: vbi hæc adhuc est, nescio si illa maneat. Vtinam in nobis fuisset vera & fortis compunctio, quàm citò exsibilaremus corporis nimios ornatus, quàm citò confugeremus ad pœnitentiæ arma? Ionæ cap. 3. *Peruenit verbum ad Regem Niniue: & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco.* Et Rex erat, & vt compunctionis verbum accepit, & purpuram abiecit, & insignia regalia, & confugit ad saccum; non potuerunt vel breui tempore simul morari compunctio, & corporis nimius ornatus.

Psalm. 68. — *D. Chrys.* — *D. Cypr.* — *Ion. 3.*

§. XXXVI.

Sermo adulatorius fugiendus, vt maximè nociuus peccatori.

PEllibus vestitum Adamum irrisoria vox ferit, dum ironicè clamat: *Ecce Adam, quasi vnus ex nobis factus est.* Quam vocem ipsi Deo, personisque diuinis secum colloquentibus tribuunt August. Rupert. Tertull. Perer. Cornel. Delrio, & alij plurimi. Sed Abulensis mauult illam Angelis tribuere, vt & Lyran. Caietan. Oleaster. Sed quid vetat, quod sit vox diuinarum personarum, & vox Angelorum, vt sic in tota

Dei

Dei domo non sit, qui peccatorem non feriat verbis? Huc veniant illi qui se putant Dei domesticos, dum potentes peccatores deliniunt verbis, multáque illorum patrocinia promittunt apud Deum. Sanè, & Angelis cordi erant primi parentes, quos videntes sub peccato, & sub peccati pœnis iacere, potuissent consolari, & suum illis patrocinium offerre apud Deum; & nihil horum faciunt, quin potiùs illos incipiunt irridere, & peccati probra obiicere, rati non decere Dei domesticos blandiri peccatoribus, quo in malis detinerentur. Quando enim sermo adulatorius non præpedit hominem peccatorem, ne citiùs ad Deum euolet? Matth. 8. dicitur de Centurione: *Accessit ad Iesum Centurio rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet, &c.* At Lucas aliter videtur narrare rem, ait enim cap. 7. *Centurio cùm audisset de Iesu, misit ad eum seniores Iudæorum, rogans eum vt veniret, &c.* Suprà dicitur ipse accessisse, in præsenti dicitur non ipse accessisse, sed misisse seniores Iudæos: quomodo hæc possunt conuenire secum? Sanè serui calamitate tactum Centurionem, & ad Iesum conuolantem Iudæi nobiliores conueniunt, illum blandis verbis detinent, séque patronos pollicentur; quibus blanditiis detentus, præmittens illos, totam rem eis credit, manens ipse domi, sed tandem cura stimulatus surgit, & vadit ipse, & ad Iesum accedit. Sed quando Centurio fecit duo, nimirum, & seniores misit, & ipse postmodum iuit, cur Lucas secutus Matthæum, non præterinit, quòd miserit seniores, & solùm dixit, quòd iuit ipse: sed potiùs prætericns, quòd ipse accesserit, totus est in publicando, quod manens domi, præmiserit seniores Iudæos? Equidem S. Lucas nobis voluit ob oculos proponere, quale sit adulationis venenum, quod currentem, imò volantem ad Deum ad minus valeat remorari, & detinere in ipsa calamitate, qua vrgetur. Ait D. Chrysost. in Matth. *Duo hic nobis Lucas ostendit, quanta sit Iudaica adulatio, & quòd calamitate oppressi homines, modò hoc, modò illud consilium anteponunt. Quare verisimile mihi videtur, cùm voluisset ire ad Iesum Centurio, detentum à Iudæis fuisse, qui ei assentarentur, atque dicerēt: nos ibimus, & adducemus ipsum. Quod ita esse perspicies, si plenam adulationibus orationem eorum consideraueris.* O adulationem pestiferam, quæ hominem ad Deum currentem detinet. Sanè & hodie multi potentes homines, vel à Deo commotos dum blandientibus excipiunt verbis, dum assentantes eis, iubent à laboribus, & difficultatibus supersedere, dum longa, & efficacia patrocinia sanctarum fœminarum apud Deum promittunt, dum se pro illis satisfacturos Deo blaterant, & miseros in peccatorum fæcibus detinent, & ne ad Deum accedant, præpediunt. Fœlicior sponsa Christi, quæ dum Deum quærit, non blanditias, sed vulnera sentit à custodibus ciuitatis. Ait enim Cant. 5. *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem, percusserunt me, &c.* Boni custodes euntem ad Deum ignitis stimulis feriunt, & non detinent, dicitur ab illis percussa sponsa, sed non detenta, imò magis ex percussione incitata, vt ad Deum vadat. Ex quo sapienter Philo Carpatius: *Vtinam ab his assiduè cæderetur sponsa, verberibus afficerentur homines. Non tot, heu miseri Christiani, quotidie per assentationes prædicantium infœlicissimè perirent! Hinc tanta peccatorum labes, hinc illa corruptela morum, qua singulæ fideles animæ in dies, magis ac magis turpiter inficiuntur. Nam cùm in omni cœtu hominum, tum in religione Christiana, assentatione est nihil perniciosius, eorumque præsertim, qui commonendi, & obiurgandi cæteros officium susceperunt. Hi sunt, qui peccata populorum deuorant, cùm scelera reprehendere non audent, vel ob munera peritura, ac commoda, vel ob gratiam, & amicitiam prophanorum, ac diuitum, vel dum ignaui, ac tepidi calumnias pro Christo Iesu, opprobria, exilia, mortémque timemus.* Huc vsque Euangelicus doctor, cuius verbis aliquid eripere duxerim piaculum: sed præstat adhuc eius integram mentem exarare. Pergens enim fatur: *At veri Christi serui, & bellatores omnibus obstare audent pro veritate dicenda, & conseruanda: nihil extimescunt, nihil loquuntur ad gratiam, nihil assentantur; vitia omnia acerrimè insectantur, ac reprehendunt, etiam Regum ac Principum, nulli nisi bonis & Deo placere student. Ab his quàm plurimi conuertuntur ad sponsum, dum suorum scelerum apertissimè admoniti, verissiméque conuicti, & quanta inde supplicia passuri sunt, nisi sese celeriter corrigant, intelligunt. Hi sunt, qui sanctissimè cædunt, & saluberrimè vulnerant.* Nec ibi sistit vir doctus, sed adhuc voluit rem vtilissimam. *Ab his cupiant peccatores sibi vulnus salutis infligi, ab his velle curari. Ab his enim satius est ad tempus occidi, quàm ab adulantibus ad gehennam exosculari. Teterrima pestis vrbibus assentatorum vita, tabificus morbus eorum consuetudo adolescentibus, domibus ruina, Monasteriis euersio, Christianæ religionis extrema calamitas, omniúmque malorum seminarium, &*

Matth. 8.

D. Chrys.

Cant. 5.

Phil. Car.

origo. Quid pulchrius? Vtinam vt adulatio pernitiosa omnibus est, ita fugiatur ab hominibus.

Gen. 3. Emisit eum Dominus de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est. Eiecitque Adam: & collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.

§. XXXVII.

Terrena origo occasionem dedit, ne homo penitus periret, sed in summos honores eueheretur.

PEccator homo in terrenam suam originem relegatus est à Deo, sic enim ait textus: *Emisit eum Dominus de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est.* Nec otiosè ad terrenam originem relegatur peccator, sed vt videat, cui præter Deum debeat, quòd in vitam reseruetur, & ad summam celsitudinem possit conscendere. Cantatissima fuit semper quæstio, quid fuerit ex parte hominis, propter quod & ipse peccans adhuc reseruetur ad gloriam, quando peccās Angelus statim sine remedio deputatur ad pœnam? Cuius rei ratio vix alia inuenitur esse, quam origo terrena. Accipite Iobium, lib. 9. de Incarnat. sic disserentem; *Propterea solus homo inter ratione prædita, istiusmodi corporalibus vinculis innexus, deindéque lapsus sui resipiscentiam à seipso afferens, merito & prouidentia ad surgendum ampliore, atque maiore indiget, & diuina copiosiùs fruitur auxilio. Ita quod ab initio infra reliquas ratione præditas creaturas nos esse ostendit, hoc magna nobis salutis causam attulisse iustus iudex declarauit, qui nos colligauit quidem carni, ad coercendum superbiam, per quam ipsi Angelorum ordines irreparabili lapsu in præceps acti sunt; sed statutum illud materiæ vinculum in infinita postea beneficentia occasionem vertit. Quænam enim aut maior, aut præstantior beneficentia esse posset, quàm ad dexteram Dei Patris videre sedentem nostram conditionem, & rebellantem quondam naturam, obedientem iam & pacificam, & vniuersorum Parente conciliatam contueri? Vt enim iudicio Dei, qui inter rationales creaturas soli è luto fabricati sunt, soli etiam tanto honore, & ineffabili misericordia digni habiti sunt.* Itaque vilitas originis terrenæ fuit in homine occasio (vt miserationis materia) ne funditùs daretur in præceps, sed ad sublimitatem gloriæ seruaretur: quando incorporei spiritus propter naturæ suæ valentiam, nunquam tantam misericordiam obtinuere. Quod sine dubio mirabatur Psal. 100. vbi ait in Dei nomine: *Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum.* Equidem fidelissimi spiritus erant in cœlo, è quibus elegerat Dominus illos, quos sibi adstantes Isaiæ ostendit, cap. 6. Verùm qui raperent diuinos oculos, & sublimes in cœlis seruarentur ad sedes, non fuerunt fideles cœlorum, sed fideles terræ, hoc est, non qui purissimi spiritus solùm erant, sed qui terræ concreti luteam originem præ se ferebant. Vt mirabundus dicat Chrysost. *O ingens miraculum! Luti sedent, & corporis expertes adstant.* Lutum fictionis nostræ clementiorem, & beneficentiorem in nos Dominum reddit. Sic Luc. 13. bonus agricola, vt infrugiferam ficum eriperet extremo incendio, hoc vnum petit: *Fodiam circa illam, & mittam stercora:* quasi nequiret fieri, quòd de puluere, & stercore, propitiante Domino, planta in vitam non cresceret. Ex quo ait D. Ambros. lib. 1. de Virgin. in initio: *Vtinam me sub illa infructuosa adhuc ficu iacentem ex aliqua Iesus parte respiceret, ferret quoque post triennium fructus & nostra ficus. Sed vnde tantum peccatoribus spes? Vtinam saltem ille euangelicus cultor vinea dominica ficum nostram fortasse iam iussus excidere, dimittat illam & hoc anno, vsque dum fodiat, & mittat cophinum stercoris: nam forte de terra suscitet inopem, & de stercore erigat pauperem.* Expende, vnde tantum spei hominibus peccatoribus ex Deo veniat: nimirum ex puluere circumiacto, & stercore. Vbi Deus recordatur luti nostri, & nos prorsus puluerulenti astamus Deo, vix fieri potest, quòd de puluere ad magnam celsitudinem non eleuemur. Quò respiciens Michæas cap. 1. hoc deiectis Israelitis consilium dabat: *In Geth nolite annuntiare, lacrymis ne ploretis, in domo pulueris puluere vos conspergite.*

Iobius.

Ps. 100.

D. Chrys.

Luc. 13.

D. Amb.

Mich. 1.

Dum enim ad puluerem recurritur humanum, iam inde firmissima spes appropinquantis fœlicitatis eminet.

* * *

§. XXXVIII.

Per pressuras, & labores vitale pabulum obtinendum est.

FLammeus gladius collocatur in ostio Paradisi, ne quis peccator præsumat sibi obtinendum esse vitalem cibum, nisi ad illum contendat per labores, & corporis pressuras. Imò ad ipsam omnium creaturarum purissimam Mariam, dum vlnis gestat cœlestem panem Christum, dicit Simeon Luc. 2. *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.* Pro quo Diu. Amed. homil. 5. de Mariæ martyrio. ait: *O Domine Iesu, terribilis in consiliis super filios hominum, nec Matri tuæ pepercisti, quin gladius animam suam pertransiret. Hac nobis per igneum gladium, atque versatilem transeundum omnibus in commune ad lignum vitæ, quod est in medio Paradisi.* Quando & Mariæ non venit cœlestis panis, vitalis fructus sine gladio, quo transuerberarentur eius viscera; quis peccator præsumat, sine exantlatis laboribus, & gemitibus accedere ad panem vitæ? De se aiebat Dauid Psalm. 101. *Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.* Simul & dicebat Psalm. 77. *Panem Angelorum manducauit homo.* Homo panem Angelorum manducat, & Dauid cinereum panem cum lacrymis & fletu? Et quando Dauid panem manducat doloris, quis manducet panem Angelorum? Equidem ipse Dauid, qui doloris panem sumit, ipse & sumet panem Angelorum. ab illo enim ad hunc celerrimè transeunt homines. Ex quo lucem fero Samsonis ænigmati dicenti, Iud. 14. *De comedente exiuit cibus.* Et qualiter de comedente cibus exire potuit? Equidem de comedente panem doloris, exit cibus supersubstantialis, quia vbi præcedunt dolores, & gemitus, statim vitalissimus Angelorum cibus prominet. Ait Philippus Abb. epist. 8. *Comedis peccator conuersus cinerem, tanquam panem, cibatur pane lacrymarum, cùm excessus præteritos humiliter deflere, & fletu irriguo illos satagit abolere. De hoc autem comedente exiuit cibus, quia qui panem comedit humilium peccatorum, meretur pane refici sublimium Angelorum.* Nunquam nisi de gladio doloris, de pane lacrymarum ad Angelicum, diuinissimumque panem vitæ patet locus. Vanè sperat altaris mēsæ accedere, & viuifici sacrificij tractare negotiū, qui per ignem, & aquam lacrymarum non purgat, & mundat animę sordes. Ait Dominus apud Malach. cap. 3. *Ipse quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum: & sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum: & erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia.* Expende, vt conflantur, purgantur, colantur igne & aqua Leui filij, & qui fructus tanti conflatorij: *Erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia.* Huc tendunt diuini conflatorij, vt fiant digni diuini altaris, & sacrificij diuini, quo immolatur Dominus. Pro quo ait Procop. in Isai. cap. 2. *Ita Deus irascitur, vt correctos beneficiis cumulet, non suppliciis perdat. Atque illud est, quod ipse ait Dominus: Ambulauit quasi ignis cōflatorij, & quasi herba fullonum. Et sedebit conflans, & emundans quasi argentum & quasi aurum. Sed quæ inde postea vtilitas? Erunt Domino (ait) sacrificia offerentes in iustitia.* Non enim ad mysticam, & viuificam hostiam, & oblationem venit, qui non transit per conflatorium, quo consumantur paleæ, & emundentur sordes. Vt enim euntes ad cœleste conuiuium priùs excipit purgatorij conflatorius: sic euntem ad altaris oblationem, excipere priùs debet pœnitentiæ ardentissima fornax, quæ ad purum excoquat hominem.

Luc. 2. — Psal. 101. — Psal. 77. — Iud. 14. — Phil. Abb. — Malac. 3. — Procop.

CAPVT III.

Adami filij, & mors.

Textus Historia.

A TANTO culmine eiectos miseros errones excipit Damascenus campus: recenti plaga tristes tantisper delinit coniugalis thalamus, serpit enim voluptas, & prolis amor etiam inter tristissimarum rerum imagines. Non longè à primo coniugum amplexu, coniugij fructus maturarunt, & primæ hominum nuptiæ primogenitis ditantur. Tunc primùm de ingenti possessione habita sibi Eua blanditur, vteri sui primitias vberibus applicat, & Cainum filium appellans, quod possidere gaudium, Hebræi idiomatis exprimit vocabulo. Non sic illam impleuit Paradisi possessio; vt modo implent suorum viscerum fructus, quibus læta vix meminit pressuram, via æstimat cladem. In hoc gaudium consentire cupiens maritus, reluctantem animum, & damnantem hominis naturitatem, non bene domabat. Vellebatur medius affectus inter electionem vel prolis, vel orbitatis. Hinc, amissa Paradisi hæreditate, filiorum pauperiem, & sudores, qui summus parenti dolor est, respiciebat: hinc innumerabilium perdendorum ruinam, necnon & indignissimam Saluatoris mortem, quam non lacrymis tantùm, sed & sapienti pudore iam ex tunc renerebatur. In ea seditione animi, tamen maritum agebat: non tam quod illud deliciosum putaret, quàm ne aliquid esset, quod diuinis negaret mandatis. Interea coniugalis agri secunda iam messis instabat, & nondum exhausta materna vbera à primis, repleri incipiunt ad secundos infantia. Iterum Eua filio adornatur, sed pater nihil non luctuosum meditans Abelis nomen adscribit puero. eductum de luctuosi sui pectoris arcano. Non fefellit virum luctus præsagium; Abelus namque iam adultus à Caino fratre nefario occisus, primus quam suis filius acciuerant mortem, Adamo & Euæ repræsentauit, ingentísque luctus intulit, & mœroris causas. Multi deinde nascuntur Adamo filij, sed qui Abelis tolleret orbitatem vnus fuit Sethus, natus anno centesimo & trigesimo ætatis Adami. Quis percenseat Sethi virtutes. Is sic omnes in se virtutes ostendit, vt Dei nomine mereretur vocari, & quotquot natos habebat, tot Dei filiis annumerabantur. In huius progenie totum genus humanum recubuit, cæteris diluuio sublatis, vt inde Adami in vno Setho vera referatur imago. Iam turba nepotum per decem generationes cingebant primorum hominum latera, inter quos nongentesimum & trigesimum annum agens Adamus, habenas luctui laxabat, nec aliud illi magis placebat quàm animam agere. Tristem solantur filij, solantur nepotes, & præ cæteris dilectissima coniux à nuribus sustentata interest, & moribundo marito fatur: Tu is es meus Adamus? Tu ille immortalis? Tu Paradisi ciuis, & Dominus? Ah num & maciei, quam in tuo vultu cerno, ego causa sum, Adame? Sed an eadem resumenda rursus erunt? An tibi iteranda exilia? Et timidè semper amabimus? Absit, sine me in Paradisum redis, non te in regione pacis fœmina excipiet, quæ exturbet, sed filius Abelus, qui Saluatoris tui præcinat triumphos, & in suo iugulo ostendat obtusas à vero Paradiso arcentes romphæarum acies. Ille placidè filios, nepotésque intuitus, errores suos in compendium misit; vt fuerat à regno exturbatus, vt ærumnis addictus, vt tandem Saluatorem nactus, cuius potentia de prædonibus victor; solidam & immarcessibilem sperabat fœlicitatem. Imminens rebelli mundo diluuium penè indigitat, & penè indigitat arcam, cui Sethi filij sui lumina reseruantur, quæ inter cinerta suos deponi mandat, & hærente voce faucibus efflat animam. Heu quantus subitò prosilit omnium hominum planctus! Ruunt in communis parentis cadauer filiorum, nepotúmque examina, rigant lacrymarum fluentibus arentem iam radicem generis humani, cui mille infixis osculis sese inserunt, quot filij, tot rami. Denique flet maritum Eua, ne quid fletus defuerit primæ conciliatrici peccati, quæ post partuum dolores, post ærumnas, post filiorum mortem, eorundémque indomitam feritatem succedit in sepulchrum absoluta etiam decennij viduitate. Nec vnus suffecit tumulus primis humanæ mortis causis, sed sæpè iounentur sepulta eorum ossa, & sæpè translata; & Noe, qui ab aquis diluuij liberauit secum octo animas, simul Adami ossa liberauit. quæ diuisa inter Noemi filios diuersis mundi regionibus tumulantur, solam eius caluariam tenuit terra, quæ simul occisi Saluatoris excepit sanguinem.

PARS VNICA.

Moralia circa textus literam.

INISTI extrema Adami, quæ ad conceptum Iesum nihil videntur facere, modò accipe, quę circa textus literam notantur moralia.

Gen. cap. 4. Adam verò cognouit vxorem suam Euam, quæ concepit, & peperit Cain, dicens: Possedi hominem per Deum. Rursúmque peperit fratrem eius Abel.

§. I.

§. I.

Raro in vno & temporalia & diuina dona succrescunt.

NAscitur Cain, in quo præstantissima quæque bona coacervantur. in illo primogenij munus cernitur, gaudium matris, & lætissimæ possessionis auspicium: nascitur Abel omni dono vacuus, nullum in illo gaudium exprimitur, nulla possessio, sed omnimoda vacuitas, & luctus, & planctus. Sic Cain interpretatur possessio, Abel vacuitas, siue luctus interpretatur. Hic tamen gratiæ diuinæ donis multo apparet cumulatior, quàm frater: cur ergo in quo sunt & primogenia, & matris gaudia, & bonorum possessiones; non simul grandescunt dona gratiæ; vel, in quo dona gratiæ sunt, cur ad eundem non aduolant & bona omnia, & gaudia temporalia? Equidem nescio quam inter sese rixam habent diuina & temporalia bona, quæ raro in vno morantur; Ad hæc enim sapienter aiebat Sidonius Apol. lib. 7. epist. 6. *Quin potius si requiras, ordinis res est, vt & diues hic purpura, byssoque velatur, & Lazarus hic vlceribus, & paupertate feriatur. Ordinis res est, vt dum in hac allegorica versamur Ægypto, Pharao incedat cum diademate, Israelita cum cophino. Ordinis res est, vt dum in hac figurata Babylonis fornace decoquimur, nos cum Ieremia spiritalem Ierusalem suspiriosis plangamus vlulatibus, & Assur fastu regio tonans Sanctorum Sancta conculcet.* Hunc sapienter & erudite putat rei mundialis ordinem cultissimus Aluernorum Præsul, quod temporalis fœlicitas, & gratia diuina, aut raro, aut nunquam per eundem currant callem. Quà mundus & natura suos effundunt fauorum amnes, vix illac gratia vllum gradum facit. Fuerant Isai filij maiores natu, florentes ætate, baltheo insigniti militari, erat & filius paruulus reiectaneus, nullo honore insignis, sed in eremo ouiculas pascens. Mittitur ad hos Samuel, vt vnum ex illis deputet diuinæ recipiendæ gratiæ. 1. Reg. 16. Vocantur ergo Isai filij in examen, seruato ordine, & honore natiuitatis, & primogenitus adstat, deinde secundus, rursus tertius, tandem *adduxit Isai septem suos filios coram Samuele: & ait Samuel ad Isai, Non elegit Dominus ex iis.* Cur sic per tot iuuenes errant & Samuel, & eorum pater? In promptu equidem apparet causa; nimirum, quia diuinæ gratiæ deputatum quærebant per ordinem naturæ, & dignitatis: cùm alius diuersissimus sit ordo gratiæ; vt vix gratiæ ordo cum naturæ, dignitatisque mundialis ordine valeat commorari. Ait enim D. Basil. Sel. orat. 14. *Vocandi ordo, nascendi sequebatur ordinem, & proprium gratia non reperiebat.* Equidem ordinis est res in mundo, vt aliò fluant naturæ bona, & aliò fluant dona diuinæ gratiæ, hæc in reiectaneis, & vltimis solet inueniri, illa in grandibus & primatibus: vt videantur potentes, & diuites sine Deo viuere; & qui Deo implentur, cum omni temporali iactura iniisse pactum. Hinc patet, quàm abiecte cogitent, qui terrena bona sibi coaceruantes, inde putant ad cœlestia obtinenda amplissimum iter parari. Longissime namque à terrenis bonis ascendere debet quisquis diuinis amat ditari. Dilectæ suæ dixit Dominus Cant. 4. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis.* Colli nomine totus corporis habitus, excelsus, erectus, ac firmus explicatur, qui per turrim Dauid exprimitur, quæ vocatur ab Esdra lib. 2. cap. 3. turris magna, & eminens, & mirum in modum celsior erat turribus aliis, vtpote quæ, teste Nisseno, homil. 7. ædificata fuit ad hostium aduentum præuidendum, & simul ad irruentium impetum repellendum. Sed cur necessum fuit dilectam animam, à Deo munitam, tantæ celsitudinis turri comparari? Sanè vt quò magis erigitur, & eleuatur turris, eò magis à se terrena omnia longè facit; sic anima vt peruia fiat diuinæ gratiæ, cœlestiúmque bonorum sit particeps, à terrenis bonis debet elongari. Quò respiciens Procop. cap. 1. Isaiæ fatur: *Turris autem excelsa ipsa est, ad vrbis salutem hostiúmque prospiciendum accessum comparata specula, qualis quæ nobis à Deo ad bonarum rerum obseruationem, malarúmque vitationem collata mens est. Eam verò non decet de reditu sibi in cœlum terrenis rebus parando laborare.* Expende ab illis: *Eam verò non decet de reditu sibi in cœlum, &c.* Quippe stultus est bonæ mentis labor, in coaceruandis terrenis bonis, vt per illa reditum sibi ad cœlestia paret; terrena enim & cœlestia mutuò se excludunt, & ille magis cœlestibus sese aptat, qui prorsus terrenis caret.

Sid. Apol. — 1. Reg. 16. — Basil. Sel. — Cant. 4. — Procop.

§. II.

Corporalis substantiæ iactura, nihil vero & perfecto homini adimit.

NVllus qui nascitur Adamo filius, dicitur primi frater, nisi vnus Abel, ait textus infrà, cap. 4. de Eua: *Peperit filium, vocauit nomen eius Seth, dicens posuit mihi Deus semen aliud pro Abel.* Filium vocat Adami, sed non vocat illum aliorum filiorum fratrem. De Abel autem ait: *Peperit Cain, dicens, possedi hominem per Deum. Rursúsque peperit fratrem eius Abel.* Cur de solo Abel maluit Spiritus sanctus exprimere, quòd esset primogeniti frater, ei prorsus in omnibus æqualis? Equidem Abel sic nascebatur quasi nihil terrenæ possessionis possessurus, imò quasi exutus omni corporali substantia; vtrumque enim ab initio nomen exprimebat, siue luctum significet, vt communiter dicunt, siue significet vacuitatem, vt alij malunt. Ostendit autem Dei spiritus nihil perfecto homini deesse, etiamsi desint illi quæcumque pertinent ad corporalem substantiam, quando Abel, quæ ipsa vacuitas omnium videbatur, adhuc erat primogeniti naturæ humanæ perfectissimus frater. Deficiat tibi licèt quidquid corporeum est, non cadis à perfectione hominis, sed in illa maximè confirmaris. Ait Paul. 2. ad Corinth. 4. *Licèt is, qui foris est noster homo, corrumpitur; tamen is qui intus est, renouatur de die in diem.* Ecce tibi & perduntur omnia corporalia, & externa, & tamen intimior, & perfectior homo & vegetior, & robustior apparet. Vt sapienter dicat Sidonius Apoll. lib. 7. epist. 6. *Certum scio, maximum esse remedium interioris hominis, si in hac area mundi variis passionum flagellis trituretur exterior.* Perdas licèt quæcumque exteriora, & corporea, nihil de perfectione hominis perdis; imò nunquam te magis perfectè inuenis, quam vbi omnia corporalia perdis. Idem Paul. 2. ad Corinth. 12. de raptu illo, quo sublatus fuit in tertium cœlum locutus, dicit: *Scio hominem raptum; siue in corpore, siue extra corpus, nescio.* Aliena quidem putabat à perfectione hominis omnia corporalia, quando dubitat, an simul rapta cum homine fuerint in cœlum. Quid ais Paule, si hominem scis raptum, quomodo dubitas & cum homine corporalia simul rapta esse? Nonne & homo constat, & anima, & corpore, vbi ergo fuit homo, ibi & corpus interfuit? Sed hoc est proprium hominum cœlestium, quòd sese & perfectiori modo, & clariori euidentia inueniant, etiam cùm nihil corporeum in se inueniunt. Acutè ad hæc ait Claudius Mamertus lib. 2. de statu animæ, cap. 12. *Videamus, quod certum sibi Beatus Apostolus, quidve fateatur incertum. raptum esse hominem scit, in corpore, an extra corpus nescit. Animaduerte iam aliud hic dici hominem, aliud corpus. Et sic cum corpore, an sine corpore captus sit, hæsitat, se ipsum tamen esse non dubitat.* Nihil suæ perfectionis requirit; nihil suo homini deficere reputat; humana omnia in se integra inuenit, vt non liceat dubitare seipsum esse, etiam cùm nihil corporale reperit. Crede mihi, possunt omnia corporalia corrumpi, & deperdi, absque eo quòd aliquid adimatur homini perfecto. Sic dicebat Dominus, Luc. 9. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* Expende differentiam veri, & perfecti hominis ab animalibus, & volucribus: hæc in tantum censentur esse, in quantum habent corporalem victum: hominis autem filius perfectus, & constans tunc etiam ostenditur, quando non habet, vbi caput suum reclinet, quando omnia corporalia desunt illi. Hinc Exod. 28. ait Dominus Moysi: *Faciésque vestem sanctã Aaron fratri tuo in gloriam, & decorem.* Et non facit paruam quæstionem Expositoribus, cur cùm vestes prouiderit Dominus Aaroni; Moysi nunquam dicitur vestes prouidisse? Rem soluit Chrysost. hom. in eum locum apud Biblioth. Photij, dicens: *Si Deus stolis illis acquiescebat, quomodo Moysem ante Aaron non induit? Vt discas non ea Deo potiora esse, & perfecte ad sui ornatum sufficere virtutem.* Desint temporalia omnia, desint & vestes, desint & victus, nihil deest, quod requirat homo perfectus habens virtutem.

2. Cor. 4. — Sidonius. — 2. Cor. 12. — Claud. Mar. — Luc. 9. — Exod. 28.

§. III.

A curis se sæcularibus expediat, qui velit seruare integritatem virgineam.

NOlo in præsenti præterire, quod ferè omnes Patres notauerunt de parentibus primis: ij enim dum sine vlla cura in Paradiso existunt, non laboratum cibum sperantes à ligno vitæ, virgines sunt, nec illis in mentem venit carnalis

voluptas. A Paradiso eiiciontur, in vastam relegantur terram, vt victus, vestitúsque, & familiæ subeant curas: quid tunc? Nil prius in illis exprimitur, quàm virginitatis corruptio: immediatè enim post eiectionem, ante omnia alia, ait textus: *Adam verò cognouit vxorem suam.* Equidem inter sæculares curas sic serpit voluptas, & prolis habendæ amor, vt qui virginitatem colere amat, necessum habeat, se ab illis exuere. Rem pulchrè tractat D. Ambr. in Exhortatione ad Virg. inquiens: *Tales ergo estote filij, quales Adam, & Eua in Paradiso fuerunt. De quibus scriptum est, quòd posteaquam de Paradiso est eiectus Adam, cognouit Euam vxorem suam, & illa concepit, & peperit filium, cui nomen Abel. Melior itaque secundus, quàm prior fructus, quia iste immaculatus, ille maculosus. Iste adhærens Deo, & totus à Domino, ille mundana, & terrena possessio. Nil vobis sit, filij, cum possessione sæculi, nec terrena vobis possessionis vllos vindicandos esse fortitus arbitremini.* Et quid faceret terrena possessio, nisi corruptionem serere? Impleant terrenæ possessiones, sæculares curæ, eos, qui carnis voluptatibus seruiunt, at qui virginitatem cupiunt colere, à terrenis curis quàm longissimè abscedant, & appropinquent cœlestibus. Aiebant illi Psal. 136. *Super flumina Babylonis, illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui, Sion. In salicibus, in medio eius suspendimus organa nostra.* Quæ verba putantur dici à virgineo choro, dum inter fluenta huius mundi, mente nesciunt voluere nisi ea, quæ cœlestia sont, & superna. Et quale studium has virgines commendat? Illud nimirum, *suspendimus organa nostra*, hoc est, sic curamus ipsos corporales sensus in altum efferre, ne vel ad modicum pertingant terrena, & inferiora, quorum vsu sordescant. Ait D. Method. lib. de Castitate apud Biblioth. Photij: *Ab animabus dictum existima: organa enim habitacula sua appellant, quæ suspenderunt à funibus castitatis, vt laquearia tangerent, ne rursus detracta intemperantia lacu volutarentur.* Hoc semper agat virginea mens, quæ velit lasciuiæ maculas, sordésque cauere; suspendat organa sua, sustollat ipsos corporeos sensus, castitatísque amore illos alliget bonis supernis; difficile enim erit, quòd ad terrena descendentes, intemperantiæ lacu non voluentur. Omnibus in Christo viuentibus dicebat Paulus ad Colos. cap. 2. *Quid adhuc tanquam viuentes in mundo decernitis? Ne tetigeritis, neque gustaueritis, neque contrectaueritis: quæ sunt omnia in interitu ipso vsu.* Quæ sic ad virgines applicat S. Ambros. lib. 3. de Virg. *Quid adhuc, inquit, velut viuentes de hoc mundo decernitis? Ne tetigeritis, ne attaminaueritis, ne gustaueritis, quæ sunt ad corruptionem ipso vsu. Corruptela enim abesse debet à castis. Itaque carnis & mundi sepelite curam: quia cum Christo resurrexistis, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est.* Ab studiosis castitatis sic debent abesse corruptibilia bona, sæcularium rerum cura, vt nec manibus tangi, nec oculis cerni possint. Vous Christus sursum existens suspensos castitatis amatores habeat, quem vnum sursum aspicientes, fallat, si corruptelam vllam patiantur. Ait enim D. Nilus homil. 1. de Ascens. apud Biblioth. Photij: *Quando in cælum oculos conuertimus, corruptionem naturæ deponit. Videt enim sapea eorum, qui infra mortui fuot, resurrectionis radicem Christum Dominum. O lucrum ex damno prouenient.* Itaque vbi sursum aspectamus, vbi sursum existenti Christo figimus oculos, corruptionem à nobis ablegamus, & inserti radici resurrectionis, cum integritatis habitum subimus, quo erimus in resurrectione. Hinc Dominus ad se virgineam sponsam vocans ait Cant. 4. *Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano.* Alij legunt, *Veni huc à Libano;* quæ enim puritatem, candorémque Libani imitatur, periculosè degit, nisi sese totam in superna transferat, vbi Christus est, sedens ad dexteram Patris. Id quod tractans D. Ambr in Exhort. ad Virg. ait: *Ades huc à Libano sponsa, ades huc à Libano, transibis, & pertransibis. Non solùm transit virgo, sed etiam pertransit, quæ festinat ad sponsum. Transit sæculum, pertransit ad Christum, vel quia ea, quæ Christo se dedicauerit, transeundo ad cœlestia, terrena pertranseat.* Vix equidem secura inuenietur virginitas; nisi post omnes terrenas curas dimissas, sese alligauerit sursum existenti Christo.

D. Amb. — *Ps. 136.* — *D. Meth.* — *Ad Col. 2.* — *Amb.* — *D. Nilus.* — *Cant. 4.* — *D. Amb.*

Gen. 4. Cognouit quoque adhuc Adam vxorem suam: & peperit filium, vocauítque nomen eius Seth: dicens: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain. Sed & Seth natus est filius, quem vocauit Enos: iste cœpit inuocare nomen Domini.

§. IV.

Resurrectio ex cuiusuis infantis conceptione probatur.

POst Abelis mortem dum, iterum concipit, & parit Eua, nescio quid iam adumbrat resurrectionis: vocat enim recens natum Seth, quod nomen est resurrectio. Rupertus addit etiam nominis rationem, dicens: *Posuit mihi Dominus*, vel vt legit Chrysost. *Suscitauit mihi Dominus semen aliud pro Abel.* Et cur conceptionem pueri vocat suscitationem? Ait Chrysost. *Vide quomodo non dicit, dedit mihi, sed excitauit mihi Dominus. Vide quomodo non obscurè nobis hoc verbo resurrectionis primordia ostendat.* Et quidem quisquis potentiam Dei figurantis semen humanum fluidum, & aqueum in creaturam rationalem perpenderit, potest suspicari possibilitatem resurrectionis. Sapient. 7. dixerat de se Salomon: *In ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore, coagulatus sum in sanguine ex semine hominis.* Quæ verba ponderans D. Nilus orat. 1. in Pasch. dum audit fluidum semen, aut sanguinem figurari à Deo in hominem, non dubitat à mortis puluere posse hominem suscitari. Sic enim fatur apud Biblioth. Photij: *Tanta ars est pictoris, in fingendo, vt etiam aqua naturam in simulacra in ventre formet, hoc mihi magis mirandum videtur, quàm ipsa resurrectio. Ibi enim è puluere mortuus formatur, & figulus vas è terra format, nostris artibus similia repræsentans: hic verò nuda quædam gutta factorum est lutum, & è gutta fit animal ratione præditum. O artem ex aqua simulacra formans! Et non hoc solum mirum est, aquam sculpi in simulacrum animatum, sed intus formari fluctuans semen. Sanguis enim vndéque bulliens semen huc, atque illuc nutans, & ægrè stabile facit, & illis decumantis agitatũ fluctibus, animata tamen statua perficitur. O pictorem in fluctuanti linteo securè pingentem! Sanguis enim tanquam linteum subiacet formato fœtus. Hanc è gutta cogitans fictilem artẽ, respectu figmenti è terra non ambigo. Quoties enim video artificem ex aqua condentem statuam, melius illum statuas è terra credo facere. Quemadmodum enim si quis in aqua pingit literas, & lineas ducit, eadem melius in cera eas efformabit. sic fluxo semine pingens, & sculpens membra, facilius in terram membrorum figuras pinget, & formabit. Et qui ante vllum virtutis meritum sic corporis in vtero curam gessit, post opus virtutum quomodo terram dissolutam sine honore relinquet?* Nec verbulum tanto resurrectionis assertori volui detrahere, ne debitor lectori permaneam; argutè enim, & pulchrè formationem in vtero, & suscitationem in sepulchro inter se componit. Vtrobique construitur humana statua: vtrobique depingitur humana imago: picturæ linteũ in sepulchro puluis est, in vtero seminis liquor, & fluitans sanguis. Quisquis ergo in fluctuanti linteo securè pingit imaginem, eandem nõ reformabit, solidã materiam pulueris nactus? Quisquis è fluido liquore sculpit statuam, non satiùs sese in solida materia ostendet statuarium? Paul. ad 1. Cor. 15. resurrectionis negatores premens illis obiicit exemplũ grani seminati, fatus: *Insipiens tu quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur. Et quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, vtputa, tritici, aut alicuius cæterorum. Deus autem dat illi corpus sicut vult.* Quod exemplum pulcherrimè exagitat D. Nilus, vbi sup. homil. 1. in Pasch. ostendens, quomodo ex vno grano corrupto, & dissipato, educat diuina manus non vllum aliud granum, sed multa etiam grana: quod licet plurimum ad resurrectionis ostensionem faciat, tamen adhuc illam euidentiùs putat in conceptione infantis demonstrari. Etenim ait: *Quomodo hæc omnia spicæ grana ex vno grano corrupto oriuntur? Hoc verò est multò mirabilius resurrectione. Nam tunc quidem mortuos, quos natura accepit, reddit: nunc verò multa pro vno mortuo ad regenerationem grana profert. O dementiam Gentium incurabilem! Vident terram tradentem agricolæ, quæ non accepit. Creatorẽ verò redditurum, quos ille prius mortuos credidit, sperare nolunt. Ideò & Paulus seminum exemplo vtitur, quanquam clarius habeat exemplum de infantibus, è vulua matris prodeuntibus. Formatur enim tanquam in sepulchro, in vtero nondum existens infans, natura fasciis inuolutus, & similis est mortuo, fasciis sepulchralibus circumscripto. Nam mortuorum quidem vultus arctiùs conclusus est, os in vtero mutum, manus & pedes in ventre tanquam in tumulo extenduntur. Matrix egregium fœtibus sepulchrum est, & sepulchrum quidem fœtoribus non carens. Talis fœtus formatus in sepulchro, formantis nutum vocantis sequitur. Quid igitur tali Paulus exemplo vti cùm potuisset, tacet formationem ad vitam in sepulchro vuluæ?* Præstantem quidem aliam rationem secutus fuit Paulus, similitudinem resurrectionis ex seminibus trahens; sed non

Rupert. — *Sapien. 7.* — *D. Nilus.* — *1. Cor. 15.* — *D. Nilus.*

dubito,

dubito, quin, vt io feminibus, sic in conceptione infantis refur rectio figuretur, vt diuinissimè S. Nilus probauit.

§. V.

Filij mors, acerbissima parentibus. Vbi de Maria compassione circa crucem.

RECENTIS filij natiuitas non sopiuit in matre dolorem ex morte Abelis contractum, imò magis illum acuit, quippe ait textus de illa: *Peperit filium, vocauitque nomen eius Seth; dicens: Posuit mihi Deus aliud semen pro Abel, quem occidit Cain.* Qualia hæc verba sunt in filij natiuitate? Chrysostom. ait: *Dolentis verba hæc sunt, & anima confusa ob facinera memoriam.* Maior dolor parentum in morte filiorum, quàm qui possit sopiri aliquo gaudio. Quod dum in præsenti meditor, sese mihi statim obijcit doloris ille gladius, qui Mariam in morte diuinissimi sui Filij transuerberauit. Quantus tunc dolor piæ Matris? Ipsa vt sibi bellū illatum à facinorosorum exercitibus explicet, ait Cant. 1. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Qui æstimare cupit Mariæ plagam, ponat sibi ob oculos pugnacissimos milites mille machinis murum quatientes ciuitatis, & comminuentes ipsos lapides. Sic Mariæ anima quatiebatur, & comminuebatur tormentis Filio illatis. Rem sic ponderabat Philippus Abb. lib. 1. in Cant. cap. 21. aiens: *Filij matris sunt Iudæi, qui oblitis fœderis fraterni, sororem Mariam grauiter afflixerunt, cùm Filium eius cruci linguis potius viperinis, quàm clauis ferreis affixerunt. Iudæi Iesum trudunt iudici, iudex militi, clamor personat insuauis & eum crucifigunt, isti linguis perstrepentibus, illi clauis. Et quid nisi hæc omnia contra Virginem debacchantur? Furiosè tubicinant, patientia manibus colluctātur, turrim constantiæ graui ariete impetunt, & oppugnant, immotam quatiunt, sed obiectū gratiæ non expugnant.* Ecce tibi vt armati exercitus Mariam impetunt, Mariam quatiunt; cuncti enim carnifices, cuncta Iesu tormenta simul feriebant Matrem; imò tantus eius erat dolor, quasi ipsa sola videretur, & feriri ab omnibus, & quasi Isaac Genes. 22. ad victimam ligatur, gladium strictum expectat, qui abscindat caput: quod notans Chrysol. ser. 10. non tam ibi passionē Isaaci cognoscit, quàm eius patris. Quippe sit: *Patris erat passio ibi tota, vbi filius immolabatur, filius aptabatur vinctus, vt tolleret de passione martyrium, præmiū de pœna patris, de conflictu patris raperet coronā.* Meritò in filij morte agnoscit, & passionem, & pœnam, & conflictum solius patris, tam acerbus est enim dolor parētum in morte filij, vt eius cōparatione non appareat dolor alius, etiam dolor eius, qui patitur. Ne mireris, quòd in morte Iesu quasi videatur Maria sola pati, & sola sustinere tam ingentem illam molem plagarum. Chananæa mulier Matth. 15. sic ad Iesum fatus: *Miserere mei Domine fili Dauid, filia mea malè à dæmonio vexatur.* Filia à dæmone vexabatur, & non filiæ, sed sibi petit misericordiam mater, quasi vnius matris dolores magis emineant in quacumque filiorum calamitate. Chrysost. hom. 27. ex varijs in Matth. *Vide prudentiam, non dixit, Miserere filia mea, sed miserere mei. Miserere mei spectatricis diuturnorum laborū, & malorum, quotidie truciatus meos video.* Nec videtur esse dolor, qui possit comparari dolori matris aspectantis filiam in truculentissimi dæmonis potestate. Et quidem hoc fuit Mariæ spectaculum, videre Filium in potestate tenebrarum, videre Filium à diabolo, & Iudæis, & Gentilibus, & peccatoribus omnibus machinatam mortem pati. Quis tantæ Matris dolorem posset trutinare? Notissimus est Marcus Attilius Regulus crudelissimè à Carthaginensibus, vt ait Cicero 3. Officior. vigilando occatus. Is nudus positus erat medius in ferrea machina, omni ex parte acutissimis cuspidibus scatens, nę liceret dormienti tātisper ad partem aliquam inclinari, quin crudeliter pūctus cogeretur insomnis clamare. In hoc tormento video positam Mariæ animam, dum cruci astat, non reclinari permittitur, nec sinitur capere vel breuissimum somni solatium, hinc inde crebris doloribus excitata. Hanc pœnam tollere cupiens à Matre Dominus, clamat Cant. 3. *Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas, ceruósque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Et qui tam crudeliter Mariam faciebant vigilare? Ait Philippus Abb. lib. 3. in Cant. c. 26. *Petri negatio, mutatio Ioannis, fuga omnium grauiter strepuerunt, & quiescentem Virginem suscitari ad vigiliam coegerunt. Sponsus ergo tenerè sollicitus Virginis eos monet, &c.* Si à carnificibus Iudæis in aliquam partem vellet Maria inclinari, sanè in Filij sui discipulos inclinaretur, sed ij & fugientes, & negantes illam maximè cogebant in crudeli vigilia perseuerare, quod malum ægerrimè Iesus sustinet in Matre.

Chrysost. — *Cant. 1.* — *Phil. Abb.* — *Gen. 22.* — *Matth. 15.* — *Chrysost.* — *Cant. 3.* — *Phil. Abb.*

§. VI.

Magna est gloria illius, qui primus virtutem aliquam aggreditur.

NON parua est gloria Enos, quòd de illo dicatur, *Iste cœpit inuocare nomen Domini,* nec immeritò putat Chrysostom. hoc fuisse sublimius omni diademate, & nobilius quàm fulgentis purpura, nunquam enim non pertinet ad magnam gloriam hominis, quòd ipse aliquam virtutem aggrediatur primus. De Constantino Imperatore locutus D. Ambros. orat. in obitu Theodosij, ait: *Cui licèt baptismatis gratia in vltimis constituto omnia peccata dimiserit, tamen quòd primus Imperatorum credidit, & post se hæreditatem fidei Principibus dereliquit, magni meriti locum reperit.* Non potuit non magni meriti esse in Constantino, quòd primus Imperatorum Christianam arripuerit fidem, ab illòque Imperatores Christianos agnosceret mundus. Necnon Noe postquam multas virtutes fecisset, post arcæ fabricam, post suorum filiorum, animaliúmque salutem, hoc vnum fecit primus Gen. 8. *ædificauit autem Noe altare Domino,* quod illi gloriosissimum celebrat Claudius Marius lib. 3. in Genes. inquiens.

Non prius officij quidquam seruatus miro
Constituit, quàm sacra Deo laudésque rependat,
Gratésque euaso referat discrimine Noe.
Mox vmeo sacris exurgunt altaria saxo,
Agnouitque hæc prima recens altaria mundus.
Antea totus enim, conuexo tramite cœli,
Templum mundus erat, tum dudum ad sacra paratus
Affugit è gregibus septenis hostia præceps,
Aris sternuntur deuota animalia sacris.

Hæc potiùs commendent Noemum, hæc de illo pro singulari gloria canantur, quòd ab illo prima sunt Deo erecta altaria. Antea sacrificauit Abel, sacrificauit sæpius Adamus, sed qui sacrificiis altaria pararet, sacraret, primus fuit Noe, à quo acceperunt & alij rem maximè Deo gratam. Et quando Deus non nobilitauit primos virtutum repertores? Video semen Abrahamidum à Deo assumptum; imò apprehensum, vt inde Deus fieret humanus. Ait enim Matth. 1. *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit Iacob, Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius. Iudas autem genuit Phares, & Zaran de Thamar, Phares autem genuit Esron, Esron autem genuit Aram.* Et post alios ait: *Iesse autem genuit Dauid Regem.* Ex quidem Dauid minimè ortus erat à Regibus, sed vnus ex filijs Abrahami, cur illi Deus regnum dedit, quod nec Abrahamo dedit, neque Isaaco, nec Iacobo? Vt fecit Dauidem esse Regem, eadem facilitate posset Deus facere, quòd Abrahamus, siue Isaacus, siue Iacob regnaret: cur ergo ijs peregrinis relictis inter fortunam priuatam, vnum Dauidem ad regnum vocauit? Ait Rupert. lib. 4. in Cant. *Qui ferè primus vocibus manifestis cantaturus erat mysteria regni nostri, & virtutes seculi venturi, oportuit eum Regem fieri, Regem Dauid, potentem, & secundum nomen suum bellatorem, &c.* Itaque meritò regnis decoratur Dauid, vt qui primus futuri regni adinuenit cātica, illáque inter populos celebrauit. Hinc Dauidis filia Maria, quia prima adinuenit votum virginitatis in Dei matrē assumitur, & Regina Angelorum nuncupatur. Ad illam sic D. Bern. ait hom. 4. in Missus est: *Tu verò non dicam præceptum, sed nec consilium, nec exemplum, nisi quod vnctio docebat te de omnibus, ac sermo Dei viuus, & efficax ante tibi factus est magister, quàm filius, prius instruxerit mentem, quàm induerit carnem. Christo ergo deuoues te exhibere virginem, & nescis quid ipsi te exhibere debes etiam matrem? Eligis in Israel esse contemptibilis, vt illi placeas, cui te probasti, maledictum incurrere sterilitatis; & ecce maledictio benedictione commutatur, sterilitas fœcunditate.* Quando erat maledicta fœmina, quæ non pariebat, quando res luctus erat virginitas & lacrymarum, quando tota gloria fœminarū posita erat in partubus, adinuenit Maria votum virginitatis sine alterius consilio, sine exēplo viso, imò nec audito, quin potiùs resistente totius populi plansu. Quid inde? Vt prima viscera sua virginitatis voto Deo sacrauit, sic eadem viscera sensit Filio Dei plena, facta Dei mater. Huc respiciens Psal. 44. ait: *Omnis gloria eius filia Regis ab intus In fimbrijs aureis, circumamictu varietate. Adducentur Regi virgines post eam.* Nulli hominū, imò nulli Angelorū debet Maria suam gloriā, sed illā ab interiori sua mente ab interno, & omnibus incognito proposito & voto habet. Et quid ex tā recondito, & interiori voto accepit? Accepit circumamictū noua, & nūquam audita varietate, nimirum prima virgo sit, quam cæteræ sequantur: & quòd sit Dei mater. Pulchrè ad hæc D. Bern. serm. de Natiuit. Mariæ, post prærogatiuas aliquas Mariæ, nulli communicatas, explicatas,

D. Ambr. — *Gen. 8.* — *Claud. Mar.* — *Matth. 1.* — *Rupert.* — *D. Bern.* — *Psal. 44.* — *D. Bern.*

ait : *Mariæ autem cætera duo communicat nobis, planè secretum suum sibi. Sola enim est de qua dicitur : Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est. Sola cui dicitur, Quod ex te nascetur, sanctum, vocabitur filius Dei. Offerantur Regi virgines, sed post eam, nam primatum sola vendicat sibi.* Sola equidem Maria, & Filium Deum habet, & primatum virginitatis: neque adhuc inueni, qui hoc primatum inuiderit Mariæ, saltem respectu fœminarum, nisi scriptorem Historiæ propheticæ Carmelitam, qui Hispano idiomate andet primam virginitatis cathedram Mariæ eripere, vt illam tradat puellis alus Iudaicis, ea solùm ratione, quia putat professas fuisse religionem Carmelitarum. Gestiobat animus pro hoc Mariæ primatu Apologiam facere, sed vidi eruditissimum tractatum à Patre Petro Hurtado de Mendoça nostræ Societatis Theologo cantatissimo adprimè elaboratum, *in 8. tom. ad 3. part. D. Thom.* iam prælis mandandum, quò lectorem remitto. Interim solùm dabo summatim primatus Mariæ in virginitate propugnatores validissimos: ij sunt D. Bartholomæus Apostol. relatus à D. Bonau. *lib. 1. Pharetræ, c. 5.* quem sequitur ipse Orig. *in c. 23. Matt.* relatus à Canisio. D. Epiphanius *hæres. 78.* D. Hieron. *epist. 22. ad Eustochium*, inter fœminas Mariæ virginitatis primatum attribuit. D. Aug. *tom. 6. lib. de Sancta Virginitate, cap. 4.* S. Ambr. *lib. de instit. Virg. cap. 5.* Beda expressissimè, *in homil. de Annunt.* D. Bern. supra, & sæpè alias. Hugo Victor. *tom. 3. lib. de Maria virginit. perp.* Petrus Blesensis, *serm. 28.* Guillelm. Abb. *in cap. 3. Cant. versu 6.* D. Antoninus, *4. par. summæ Theolog. tit. 15. c. 20. §. 10* Rupert. *in cap. 3. Cant.* Biguer. *in institut. Theolog. cap. 29. §.* .. Abul. *4. Reg. cap. 18. quæst. 19.* Beat. Thom. à Villanoua *ton. .. de Annunt.* Et, quod caput Theologorum est, D. Thom. *3. p. q. 28. 4.* & Caietan. ibi, qui negant in veteri testamento vllum fuisse Virginitatis votum. Palud. *in 4. dist. 33. q. 2. num. 24.* Capreol. *in 4. distin. 30. quæst. 1. artic. 1.* Carthus. ibi, *quæst. 2.* Soto ibi *quæst. 1. artic. 1.* Palac. ibi, *disput. 1. vers. 3.* Sanctius de Porta, sacri Palatij magister, *serm. 2. de Incarnat. 4. p.* Medina, *in 3. part. quæst. 28. art. 4.* Salm. *tom. 3. tract. 14. vers. 2.* Cornelius à Lapide, *in c. 12. Apocal. ver. 1. & 2. §. Secunda est.* Moral. *in Matth. lib. 1. tract. 11. num. 15. lib. 2. tract. 6. num. 23.* Suar. *tom. 2. in 3. par. disp. 6. sect. 3.* Vasquez *tom. 2. in 3. par. disp. 124. c. 5. n. 88.* Barrad. *tom. 1. lib. 7. c. 8. versa, Respondemus.* Canis. *lib. 2. Marialis, c. 1. ver. Ad Mariam* Nec vllus author inuentus est à diligenti quæsitore, qui hunc primatum virginitatis non tribuat Mariæ, vsque dum Historia illa Prophetica in lucem prodiuit. Quanto id ausu factum sit, alij viderint, mihi illud maximè plaudit, quod Rup. inquit lib. 3. in Cant. Nimirum *Hæc scientes dicunt, & verè dicunt amici, quia votum egregium, Deo primo conuisis, votum virginitatis.* Et quod facit ad huius §. intentum, quod celsissimas gratias Mariæ multi huic primatui Virginitatis tribuant. Quod inde manet Dei facta sit, post Bern. asserit Hugo Victorinus, inquiens, 3. tom. lib. de Mariæ Virg. perp. c. 1. *Meruit ei soli datum est, vt Dei Filium pareret, & Virgo permaneret, vt quæ prima fœcunditatis carnis virginitatem prætulit, nunc & fœcunda sit in carne, & integra in virginitate.* Insuper Guillelmus Abb. apud Delrium, 3. Cant. ait: *Maria princeps per hoc desertum ascendit, quia ad singularem inter fœminas excellentiam excreuit, quæ prima hominum omnipotenti Deo immaculati corporis, & cordis sacrificium studuit offerre: malens vtique subiacere maledictioni, quàm libidinosæ corruptioni. Deus verò primam, ac præcipuam integritatis æmulatricem insigniter subduxit maledictioni; deinde illi, salua virginitate, semen in Israel, & benedictionem amplissimam, benedictionem omnium gentium dedit illi.* Sic prima tantæ virtutis inuentrix meruit à Deo extolli.

Rupert.

Hug. Vict.

Guilel.

Gen. 5. Vixit autem Adam centum triginta annis: & genuit filium ad imaginem, & similitudinem suam, vocauítque nomẽ eius Seth. Et facti sunt dies Adam, postquam genuit Seth, octingenti anni, genuítque filios, & filias. Et factum est omne tempus, quod vixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus est. Vixit quoque Seth, &c.

§. VII.

Præstantissimum est; & maximè regium, quòd quis proprio marte ad virtutem currat.

Inter omnes filios Adæ, imò inter omnes filios hominum, de solo Setho dicitur, quòd *Adam genuit filium ad imaginem & similitudinem suam*, hoc est, qualem ipse Adamus secum imaginabatur debere esse filium primogenitum, qui totius familiæ regimen, & curam suscipiat. Equidem Adamus non ferens Caini primogeniti sui mores sic in feritatem, & vitia procliues, vt mille indigerent præceptoribus, pædagogis mille, nec tot sufficerent, vt hominem traherent in bonam frugem: optimi primogeniti imaginem animo suo efformabat, & verbis singulis momentis exprimebat. Interea genuit filium Seth; sic ad omnem virtutem proprio ex marte paratum, vt solus ille videretur adimpleturus totam illam imaginem ab Adamo præconceptam, & præadumbratam de primogenito filio. Vnde, ablatis cæteris, in solo Setho mansit ius primogenituræ, & principatus mundi. Quò ferè respexit Chrysost. dicens: *Seth verò, quod sibi natura negatum erat, id mentis dexteritate consequitur, nempe in se translatum primogenitura ius.* Non equidem ex naturæ vi, imò nec ex præceptoris cultura, sed ex propria mentis dexteritate habuit Seth se super omnes fratres superponere, principatúmque tenere in familia vniuersi mundi. Nec miror, quando nihil magis regium, & sublime, quàm quòd sine multa præceptoris cultura, ex propria mentis dexteritate, quis ad virtutes currat. Ait Cant. 6. *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea, perfecta mea.* Non est obscura interpretatio intelligentium statum fidelium à principio mundi vsque ad aduentum Christi, vt status fidelium ab Adamo vsque ad diluuium intelligatur nomine sexaginta reginarum; status fidelium è Noe vsque ad Moysen exprimatur in concubinis; status fidelium à Moyse vsque ad Christum nomine dicatur adolescentularum; status fidelium post Christum, status sit perfectorum in columbina simplicitate lætantium. Sed illud maximè notandum est, quòd de omnibus fidelibus illi soli intelligitur nomine reginarũ, qui ab Adamo vsque ad diluuium steterũt. Et cur solis iis regiũ nomẽ aptatur? Ego hanc vnam rationẽ reddiderim, nimirũ, quòd ij inter omnes fideles absque vllo præceptore, absque vllo præcepto positiuo cogente, sed ex propria mẽtis, vnà cum Dei gratia, dexteritate virtutem sint amplexi. Dicebat D. Methodius lib. de castitat. *Sexaginta autem Reginas inde ab Adamo vsque ad Noe per successionem viros Deo placentes vocauit, quia isti aliorum præceptis ad salutem acquirendam non indiguerunt, eò quòd adhuc recens esset illis sex diebus mundi conditi molitio.* Nulla præcipientis, aut imperantis externa vox, sed interna vnctio illos ad virtutem trahebat, quo nihil in hominibus magis nobile, nihil magis regium. Hinc illa vox ad Christi Ecclesiam Cant. 7. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis.* Alij ex Græco legunt, *filia sponsæ dantis.* Alij plurimi legunt, *filia Nadab*, quasi regale genus in eo monstretur, quòd videatur Ecclesia in aliquo Nadab existere imitatrix. Et in quo imitata est Ecclesia Nadab, vnde traxerit nomen regium. Ait Theodoretus ibi: *Nadab fuit filius Aaron, qui Nadab cùm ignem alienum in tabernaculum Domini intulisset, vitæ finem accepit. Inuenimus igitur & sponsam Christi Ecclesiam, diuinum in tabernaculum, non ignem legalem, sed quem ab ipso sponso susceperat, intulisse. Ignem enim, inquit, veni mittere in mundum, & quid volo, si iam accensus est!* O fœlicitas Ecclesiæ! verè filia est princeps, verè filia Nadab, & quod fuit patri lethale, filiæ fuit regalissimum. Ille ignem à lege minimè præceptum intulit sacrificiis, & mortuus est: hæc tunc sese magis ostendit principem, & reginam, nobilissimúmque nomen acquisiuit, quando legalem sacrificiorum molem dimittens, non quod præcepta Moysis clamabant, offerebat, sed quod illi dictabat vnctio Spiritus. Tunc ancilla cùm in legis seruitute viuebat, nunc filia principis, cùm in libertate Spiritus, sponte sua Christianis flãmis aduritur. Quò respiciens D. Petr. 1. c. 2. ait ad populum Christianum: *Vos genus electum, regale sacerdotiũ, gens sancta, populus acquisitionis.* Ecce quilibet fidelis vocatur sacerdos regalis; & vnde Christianus hoc sibi regium nomen facit, nisi ex supererogationis operibus, quæ Deo sacrat? Ait D. Isidor. Pelus. epist. ad Theodos. Episcop. *Vnusquisque electus est sacerdos sui corporis, non quidem vt sine electione prosiliat ad sumendum sibi potestatem, & imperium in subditos; sed potiùs vt vitiis imperans corpus suum templum faciat castitatis.* Itaque quisquis sic se deuouet castitati, vt quod ex præcepto non debet, ex libera electione faciat, corpus suum purum, & incontaminatum Deo templum sacrans, is sibi acquirit, & regium splendorem, & sacerdotalem. Sic Psalm. 71. *Tibi offerent Reges munera.* Ibi D. August. *Et quæ munera? Gratiosa* Non debita, sed gratiosa, & merè spontanea munera Reges declarant. Et tu, Christiane, Rex eris, quoties supra præscriptum legis virtutes operaberis.

Chrysost.

Cant. 6.

Method.

Cant. 7.

Theodor.

S. Petr. 2.

D. Isidor.

Psal. 71.

August.

§. VIII.

§. VIII.

Filij studiosi virtutum, pro gloriosissimo tumulo sunt parentibus suis.

Mirabar quàm paucis absoluat Spiritus Sanctus funus primi parentis, primi Regis creaturarum Adami; quippe ait, *mortuus est*, & nihil amplius addit. Vbi sunt erectæ columnæ, quibus Machabæi suos fratres ambitiosissimè tumulabant? Vbi sepulchra multis argenteis comparata ab Abrahamo, in sepulchrum vxoris? Vbi longissimi illi luctus funerales Patriarcharum? Cur nil horum memoratur in funere Adami? Longè aliud præstantius & gloriosius funus illi exhibet diuinus Scriptor, cùm enim ait, *Adam mortuus est*, simul adiungit, *Vixit quoque Seth*: decuit enim primo omnium parenti, omnium etiam primum, & præcipuum funus parari, quale paratur in filiorum virtutibus, quæ superstites manent. Seth viuens in mundo tanquam Deus, dum relinquitur à moriente Adamo, fuit parenti pro tumulo omni ambitione superiori, & longè maiori omni laude. In libro qui dicitur Politia sanctorum Patrum apud Bibliothec. Photij, introducitur Constantius moriens, sic filium Constantinum affatus: *Nunc mors mihi vita iucundior, cùm tuum, fili mi, imperium, maximi instar sepulchri sit futurum. Quòd enim relinquam in terra Imperatorem, qui Christianorum lacrymas valeat detergere, & sistere iniquas cædes, quas Maximinus contra Christianos machinari non desinit, tam fœlicem mihi dat quietem.* Expende illa: *cum tuum, fili mi, imperium, maximi instar sepulchri sit futurum*, non potuit bonus mundi Imperator requirere sepulchrum, & regalius, & præstantius eo, quod exhibebatur in relicto filio, qui Christianorum susciperet partes: qui verè religionis negotia perageret. Nunquam, mihi crede, filiorum mores non sunt pro sepulchris, & tumulis parentibus suis. Quò respiciens Dominus Matth. 23. ait: *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra Prophetarum.* Et quomodo ædificabant isti maiorum sepulchra, nisi illorum impietatem imitantes? Non enim sic in lapidibus sepulchrū habēt Maiores, quàm in filiis, quos relinquunt, vel imitatoribus virtutum, vel iniquitatum. Rupert. lib. 8. in Ioan. fatur: *Vos, ait Dominus, supra id, quod visibile est, in me nihil auditis, vel intelligere vultis: itaque multo me inferiorem putatis Regibus vestris, Prophetis quoque vestris, quos occiderunt patres vestri, vos autem me persequendo sepulchra eorum ædificatis, & mensuram patrum vestrorum implere festinatis.* Non sua impietate sepulchrum habuere priores Iudæi, donec filij eorum Christum sunt persecuti, tunc in filiorum moribus digna parentibus sepulchra apparuerunt ædificata

Mat. 23.

Rupert.

LIBER SECVNDVS.

IACOB, SIVE CHRISTVS IN VTERO.

NOVEM integros completósque menses egit Dominus Iesus in vtero materno, in quo subscribo Patri Salmeroni tom. 1. Proleg. 38. Nec in vtero, vt cæteri pueri, mansit Iesus otiosus, multa enim perfecit, quibus inter omnes Patriarchas facem prætulit Iacob, à rebus in vtero gestis ante multa sæcula prodigiosus. Iacobi ergo historia sit imago existentis in vtero Saluatoris.

CAPVT PRIMVM.

Iacobi in vtero facinora, ortus, adolescentia, & paternæ benedictionis furtum.

Textus Historia.

AD docentesimum & sexagesimum septimum annum diductum Assyriorum imperium adhuc erat in flore; & Aralios post quadragesimum regni annum cogitabat hæredem, cùm altare Deo maximo erectum sibi procumbentem eximiæ pulchritudinis fœminam repræsentauit Sacerdoti. Ea est formosissima Rebecca, magni Isaaci coniux; quæ insueta vteri malis, optatum diu conceptum pertæsa, quærebat molestissimos sibi, & naturæ ipsi prorsus ignotos vteri motus, Deo auxiliante componere. Cœperunt Melchisedeci animum (id erat sacerdotis nomen) & reuerentia dolentis fœminæ, & gemituum materia noua, auspiciúmque in spectaculo captabat, non obscurè insinuatum à Domino: nam Deo plenus sacerdos fœminæ pandit diuinum responsum, vt sunt in vtero eius duo pueri, duo sibi inuicem infestissimi populi, quorum maior in seruitutem tradetur minori. Oraculum confirmat partus vicinus; duo gemelli nascuntur: nascenti priori species rustica, imò feralis, pilos toto in corpore altos dicas notas certissimas, siue quædam diuini oraculi sigilla, quibus innuebatur hominis ingenium brutale. Nec facilè expeditur à matris vtero, cùm pes nascentis primò detineretur manu infantis proximè nascituri. O vim sapientiæ diuinæ, vel in vtero effingentis arenam mundi, & armatorum prælia, & technas, & triumphos. Facinus tenentis fraternam plantam nomen puero acquisiuit, vt Iacob vocaretur, cùm primò natus Esau iam fuisset insignitus vocabulo. Infantilem vtriusque ætatem eadem occupant bellaria: crescentes diuersa indoles non potuit non in diuersa studia rapere etiam fratres. Iacob mitissimi ingenij hominem, matris detinent gynæcea, magistrorum rapiunt gymnasia: Esau nullus sufficit campus, per diuersa genera venationum agenti annum. Illius venationibus inescatus pater, tunenis dexteritatem miratus, plus amabat plura venantem, nec cessabat filius nouis in dies prædis pabula ministrare flammanti affectui, quo sentiebat in se patrem affici. Dum feras insequitur, dum multa venatur, esuriens ipse domúmque rediens incidit in suauissimum lenticularum edulium fratri paratum. En pertinax in adolescente famelico gulæ rabies, quod non valet precibus habere edulium, nititur vel omnibus fortunis comparare. Ius primogenituræ in medium adducit, quidquid honoris, quidquid dignitatis, quidquid lucri primogenium haber, fratri cedit, si modò ipse lenticularum edullum capiat. Nec mora, pacto inter fratres cibi pretio, absumptis epulis incipit Esau irridere Iacobi simplicitati, credentis se beneficio cibi obtenturum, quod ipsa natura negauerat. Hanc primam seruili fortunæ suæ inussit Esau notam, mox adiecit alteram, dum quadragenarius disparis religionis vxores quæsiuit, in quas sanctissimi offenderentur parentes, & nobilis Abrahamidum fœdaretur prosapia. Nec tamen pater destitit Esau amare, cuius venationis fructus toties hauserat, quin potiùs iam senex, & luminibus prorsus captus, filium aduocat, in agrum pergere mandat, vt de primo arcus triumpho paret escas patri, à quo extremam benedictionem primogenitis debitam capiat. Mariti senis voces simul Rebecca percepit, cui multo charior Iacob minor filius erat, & memor antiqui oraculi, toto conatu nititur primogenij benedictionem in sibi dilectum filium minorem pertrahere. Adstat Iacob matri vocanti, & eius simplex, & mitissimus animus vel ad fraudis leuem suspicionem renitens, vix persuadetur, vt hœdos de gregibus domesticis afferat. Allatis hœdis, quod nouit marito gratius adornat Rebecca ientaculum; deinde inter matrem, & filium quæri cœptum, qua tutissimè ratione Iacob inferret escas patri; placuitque in primogeniti habitu eum esse. Præterea habere se Rebecca dixit, quo vultum fingentis egregia fraude mutaret. In promptu duæ hœdorum pelles apparent, hæc ad manus tegendas efformata, alia collo aptata. Has laruas tanta ars concinnabat, vt nemo ascitiam formam deprehendere, nemo arguere furtiuos vultus posset. Quas cùm imposuisset Iacobo mater reluctáti, quòd sibi alienis vultibus ad benedictionem opus esset, statim sic Esau fuit, vt vel clarè aspicientem patrem posset fallere. Opportunissimæ fraudi bene precata mater rogare perseuerat, vt filius cibos inferat. Et animus & vestigia deerant illaturo, sed tamen promouit Iacob ad parentem gradus, acceditque ad genua, & tanquam vota conciperet, Accipe, inquit, Pater, cibos, quos tibi parat filij venatio. Mirabatur senex venationis celeritatem, & filij manus præripiens plus mirabatur Esau tangere manus, cùm vox Iacobum sonaret. Perlatis verò cibis refectus, ad oscula semel, & bis filium trahens, diuinandi stimulis plenus, iam intra pectus numina expertus, fœlicitates eructat æternas. Salue, inquit, ô Fili, ô numinum cura, & eorum clementiam experture, virtute nihil iucundius. Charissime filiorum, te diuites segetes, te exundantes vindemiæ designabunt, quem populi adorent, quem fratres reuereantur. Procul mala factionum, procul insidiato-

rum

rum atrocitas, & omnia mala procul. In te salus omnibus plaudet, sine te discrimen, & extrema calamitas. Non sustinet Iacob maiora expectare, ne protrahat fraudem, sed iis auditis ea matri relaturus festinus aduolat.

PARS PRIMA.

Iacobi, & Christi in vtero symbola.

AB vtero sua prælia incipit Iacob, & suos triumphos cantat dignus Christianus, cui & arenam exhibuit, & palmas Marianus vterus.

§. I.

Iacobo, & Christo maternus vterus pro stadio, & arena fuit ad debellandos aduersarios.

HÆc vnius Iacobi laus ab Osea celebrata c. 12. nimirum, *In vtero supplantauit fratrem suum*, non, vt cæteri infantes, iacuit in vtero inutile pondus, & rude; sed ibi pugnacissimus cum fratre de primatu contendit, & fratrem à primatu deturbat. Quò respicit illud Gen. 25. de Rebecca Iacobi matre dicens; *Et collidebantur in vtero eius paruuli.* Scholiastes Græcus ex Symmacho legit, *& colluctabantur*, & omnib. Expositoribus in confesso est, ibi pugnam, seu luctam infantum significari, in qua Iacob victoriam reportauit. In quo expressissimam prætulit Christi imaginem; Christus enim sic descendit in matris vterum quasi in stadium siue arenam descenderet. Non ibi otiosus hæsit nouem mensium spatio, sed inde nobilissimorum Heroum more, vt ex Galeno diximus 1. tom. historiæ Euang. lib. 2. c. 8. §. 8. aduersariis timorem incutiebat, imò iusto certamine subiugabat. Ait Sap. c. 18. *Omnipotens sermo tuus exiliens de cœlo à regalibus sedibus durus debellator in medium exterminij terram prosiliuit.* Quæ verba sic explanat Hugo Card. *Exiliens de cœlo, id est, saliens de sinu Patris in vterum Virginis, durus debellator, quia durè & fortiter aereas potestates debellauit.* Et quidem vterus marianus, præterquam quòd fuit Verbo diuino floridus lectulus ad delitias, fuit etiam stadium, in quo pugnacissimus, & durissimus bellator aduersarias potestates triumpharet. Quò spectans Isaias cap. 9. ait ad nobilem hunc bellatorem: *Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti sicut in die Madian.* Sto à sententia Cyrilli, qui & iugum, & virgam, & sceptrum exactoris putat molestias, & à Sathana, & à peccato introductas in mundum, sub quibus etiam sanctissimi gemunt, cum Paulo clamante: *Quis me liberabit à corpore mortis huius?* Hoc onus, has molestias, has dirissimas exactiones confregit Dominus sicut in die Madian. Per diem Madian exprimitur celeberrima Gedeonis victoria; is enim Iud. c. 7. cum trecentis militibus, lampades ardentes ex improuiso repræsentantibus, intrat castra Madianitarum, qui vel hostium aspectu sic exterriti sunt, vt funditus perditioni sese darent. Sed cur, relictis aliorum ducum victoriis, maluit Dominus Gedeonis triumpho comparare suum, quem habuit de onere, & exactione peccati? Rationem indigitat Gedeonis vocabulum, quod idem est, ac *circumiens vterum*: vt iam inde ostendantur & onera, & molestiæ peccati, & ipsa idololatria à Iesu fuisse destructa, dum maternam circuit aluum. Ad hæc Rup. fatur in 3. c. Abacuc, ponderans, quod ibi dicantur à nostro Saluatore pelles Madianitarum perturbatæ. *Secundùm illius res gestæ similitudinem, turbabuntur pelles Madian, id est, omnia sacra gentilium, non credentium futurum esse iudicium. Quòd Gedeon Christi pertulerit typum, secundùm sui nominis interpretationem. Gedeon namque interpretatur circuiens vterum.* Ideò res gestæ Gedeonis assumuntur ad facinora Christi significanda, quia Gedeon idem sonat, ac circuiens vterum: nec amplius expectauit Dei Filius, vt peccati onera, vt aduersarias potestates subiugaret, quàm quòd esset intra vterum Marianum. Dum in vtero matris est Iesus, in stadio est, in arena est, agonista est aduersus tenebrarum potestates parans certamina. Inde prorsus exsibilat onera prægnantium, & vniuersas molestias, & importabile subiectionis iugum, quod in fœminas à primæ peccato originem traxit. Nihil horum Maria perpessa est: iugum enim oneris eius, & virgam exactoris superauit nobilis pugnator vtero clausus: vt dies gestationis Iesu in vtero rectè possint cum die Madian comparari: vtrobique enim ille, qui est circuiens vterum, & agonem disponit, & victricia aduersus aduersarios tela iaculat. Ad hæc Isaias c. 7. fatur: *Audite ergo domus Dauid. Nunquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet, &c.* Sed præstat modò in rem nostram audire D. Cyprianum, qui hæc verba sic reddit cum pluribus aliis: *Audite itaque domus Dauid: Non pusillum vobis certamē cum hominibus, quoniam Deus præstat agonem. Propter hoc dabit Deus ipse vobis signum: Ecce Virgo in vtero accipiet.* Expende, quale signum ponatur pro eo, quod Deus dicitur præstare agonem, nimirum signum agonis diuini, certaminis diuini est, quòd *Virgo in vtero accipiet.* Ex quo Deus descendit in vterum Virginis, ecce tibi agon, ecce stadium, ecce palæstra, ecce lucta, qua Deus ibi rebelles principatus detriumphat. Et sanè cum Iacob etiam fuit in vtero Esau, & rufus, & pilosus, etsi prostratus, etsi deuictus; vt dicere possis cum Isaia c. 13. *Requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum draconibus, & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi.* Verùm vbi Iesus fuit in vtero, nulla ibi draconis vestigia, nullus Esau, nullus pilosus esse permittitur, quos omnes nobilis agonista detriumphat. Vide supra lib. 1. cap. 2. p. 1. §. 3.

Gen. 25. *Sap. 18.* *Isai. 9.* *Rupert.* *Isai. 7.* *Cyprian.* *Isai. 13.*

§. II.

Vt Iacob, sic Christus in materno vtero populum refert numerosissimum.

NOn solus erat Iacob in materno vtero, licèt solus videretur premere illum, dictum enim est eius matri, Gen. 25. *Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi, &c.* Duo erant in vtero Rebeccæ infantes, Esau, & Iacob, sed vt Esau, sic Iacob ingentem populum referebat matri. Cur non regnet in domo Iacob Iesus qui sic assimilatur auo? Equidem Iesus in vtero materno sic erat, vt meritò dici posset matri, multæ gentes sunt in vtero tuo, quando inde habuit Iesus in multitudinem fidelium populorum multiplicari. Ait Ioan. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Duo petit, vt diuinissimum cœlestis panis granum multiplicari possit; nimirum, quòd in terram cadat, & quòd moriatur. Licèt enim moriatur granum, si in terram bonam, & fertilem non cadat, solum semper manebit, ex eo enim quòd sit in terra bona, & fertili, habet multiplicari. Quid plura? Non solùm ex quo mortuum fuit cœleste granum, sed ex quo in terra fertilissima fuit vteri virginalis, iam inde multitudinem referebat innumerabilem. Ait Richardus à Sancto Laurentio peruetustus author, lib. 4. de Mariæ laudibus, in priuilegiis marianæ virginitatis: *Nisi granum istud in vterum virginalem, velut in terram fertilem, & bene excultam exercitio Spiritus sancti priùs cecidisset per Incarnationem, & post hoc in cruce mortuum fuisset, ipsum solum mansisset: sed per ista duo granum vnicum factus est aceruus magnus.* Proh virginalis vteri fertilitas, In vtero virginali non mansit solum diuinissimum granum, sed iam ibi ingentem aceruum repræsentabat, vt meritò dicat ad Mariam, Cant. 7. *Venter tuus sicut aceruus tritici.* Et quidem vnum erat granum, nempe Christus, in vtero Mariæ, sed sic ex tunc multiplicandum, vt meritò iam posset aceruus existimari. Aiebat idem Richar. vbi suprà: *Per hoc quod dicitur aceruus tritici, innuitur quòd plenus Filio Dei, qui se appellat granum frumenti. Granum enim illud tritici potentialiter erat aceruus tritici, de quo scilicet grano tanta spiritualis seges fructificante Deo, multiplicata est.* Quotquot Filij Dei adoptantur, & per lauacrum in Christo regenerantur, iam tunc apparebant in grano illo diuino existenti in vtero matris, vt meritò non tam granum, quàm aceruus posset vocari. Nec aliò spectabat illud Cant. 4. ad Virginem eandem, nimirum; *Emissiones tuæ Paradisus malorum punicorum*, non vnica arbor vitæ in virgineo vtero radicatur: sed, licèt vnicus sit eius filius Iesus, cantatissima vitæ arbor, tamen prout à virginea illa terra erumpit, tot in se iam refert vitales arbores, quot postea floridissimum Paradisum Ecclesiæ agunt. Pro quo aiebat Guillel. Abb. apud Delrium: *Emissiones fructus sunt ex Maria emissi. Vnicus enim fructus est, qui ab efficaci salute Iesus dictus est: sed in vno illo fructu multiplex est fructus. In vno Saluatore omnium Iesu, plurimos Maria peperit ad salutem, pariendo vitam, multos peperit ad vitam. Eo ipso, quòd mater est capitis, multorum membrorum mater est. Mater Christi, mater est membrorum Christi, quia caput, & corpus vnus est Christus. Vnde etiam ab omnibus mater appellatur, & ab omnibus cultu debito, vt mater honoratur.* Sic

Gen. 25. *Ioan. 12.* *Richard.* *Cant. 7.* *Richar.* *Cant. 4.* *Guillel.*

mariani

mariani vteri fructus Iesus, iam ex tunc matri suæ referebat ingentem filiorum multitudinem: à quo omnes accepimus, vt Mariæ filij nominemur, & simus.

§. III.

Maternus vterus exhibuit Iacobi manus supplantantis nequissimum fratrem; & vtero Mariæ debetur illa Iesu manus, quæ omnia mala supplantat.

NOndum Iacob vterum reliquerat matris, & iam eius apparet manus, tenens, & supplantans fratrem, ait enim textus: *alter egrediens, plantam fratris tenebat manu.* Fœlix Rebeccæ vterus est, qui talem inclusi adhuc infantis exhibuit manum, quæ iam inde possit supplantare aduersarium. Huic maiore fœlicitate simillimus vterus marianus, in quo illa Dei manus claret, & aptatur, quæ vniuersa mala à nobis abigit. Dauidis erat illa vox Psal. 118. ad Dominum: *Fiat manus tua, vt saluet me:* quasi cùm esset Dauid, non esset manus Dei facta, sic petit, vt fiat diuina manus. Quid petis ô bone? An erat Deus sine manibus, ab æterno mancus? Nonne Psal. 101. dicebas, *Opera manuum tuarum sunt cœli?* Nonne similiter ais; Psal. 94. *Siccam manus eius formauerunt?* Si vbi cœli, terráque fiebant, iam ibi conspiciebatur Dei manus, cur modò petis adhuc, vt fiat Dei manus? Erat manus Dei, quæ crearet mundum, quæ cœlos ornaret, sed manus non erat, quæ hominum mederetur malis, donec hæc formata est in vtero mariano. Pulchrè ait D. Amedeus, homil. 4. de Partu virg. *Manus quippe Dei, vnigenitus Patris appellatur, per quem fecit sæcula. Hæc manus facta, quando incarnata, non solùm nullum vulnus inflixit, verum attestante Propheta, languores nostros ipsa tulit, & dolores nostros ipsa portauit. Planè manus ista plena remedijs, plena medicinis, sanauit omnem languorem, morbos expulit, & mortuos suscitauit. Inferni claustra dissipauit, fortem ligauit, & vasa eius diripuit, & spiritum charitatis suæ in cordibus infudit.* Multa alia prosequitur vir diuinus, nobis illa premenda placent, nimirum, *quando incarnata:* quippe antea quàm vteri diuini officina formaretur, Dei manus cœlos creabat, & ornabat, nullum tamen saluabat, omnia manebant integra mundi tyranno. Verùm postquam vterus virginalis nobis in se efformatam ostendit diuinam manum, hæc labores nostros tulit, infirmitates sanauit, tyrannúmque deiecit. Quò respiciens Isaias dicebat, cap. 53. *Brachium Domini cui reuelatum est? Et ascendit sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti.* Foretius legit prima verba: *Et brachium Domini super quem reuelatum est?* Quasi quærat Propheta vnum aliquem ex Angelis, aut ex hominibus, super quem, & in quo appareat brachium illud diuinum & potentissimum, quod possit genus humanum in libertatem asserere. In quo ergo apparebit tale brachium? An inter Principes, Virtutésque cœlestes? An inter cantatissimos hominum Duces? Mihi crede tale brachium non inuenitur nisi in virgineo vtero Mariæ, ascendit enim sicut virgultum coram eo, & sicut radix in terra sitienti. Sic communiter Patres in virgulto, & radice exorta in terra sitienti, intelligunt Iesum, Patris brachium in virgineo vtero pullulantem absque virili semine. Vnde in rem præsentem ait Proclus hom. de Christi nat. *Huiusmodi nullus vnquam fuit, nec est, nec erit, quàm vnus ille, & solus ille, qui secundùm dispensationem ex Virgine natus est Deus simul & homo, eam non solùm vim obtinens, quæ reorum multitudini redimendæ par esset, sed eiusmodi, quæ multis partibus excelleret.* Ecce tibi in quo solo apparet brachium Domini vniuersos homines redimens, non quidem in altissimi Libani Cedris, non in virtutibus cœlestibus, sed in paruulo virgulto, in radice adhuc occulta, & clausa in terra sitienti, hoc est, in paruulo Iesu incluso intra vterum maternum. Hic, hic, in hoc vtero meditatur quæcumque facinora, quibus in mundi arena potestates debellat. Clamabat Cant. 3. *Egredimini filiæ Sion, egredimini & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua.* In quorum verborum explicatione diuisos Patres inuenio, alij putant illis denotari carnis assumptionem Verbi in vtero materno, alij credunt denotari ignominiosissimum illud ludibrium, quo carnifices Iesu coronam spineam imposuere: alij vtrumque ibi intelligunt mysterium. Sed quid spinea corona cum carnis diademate in vtero Matris accepto? Sanè mirabiliter hæc sunt connexa, quòd enim Iesus per spinarum ludibria, peccati aculeos debellet, id habet ex eo quòd fuit in vtero materno. Ait Proclus hom. de Christi nat. *Filiæ Sion exite, videte coronam, qua coronauit eum mater sua. Ipse etenim spineam coronam portauit, & spinarum causam euertit. Idem erat in sinu Patris, & in vtero Virginis.* Nec mirandum, quòd qui simul erat in sinu Patris, & in vtero Virginis, per spinarum ludibria, omnes peccati aculeos euerteret.

Psal. 118.
Psal. 101.
Amed.
Isai. 53.
Proclus.
Cant. 3.
Proclus.

§. IV.

Iacobo in vtero existenti bellum infert Esau, sic Iesus antequam nasceretur suscepit contradictionem.

NOta fuit lucta inter Iacobum, & Esau adhuc existentes in vtero; sed vter illorum primus alteri bellum intulit? Ait Rupert. *Sicut ille rufus, & hispidus prior egressus est, sic & in vtero prior cum fratre collisus est, & post vterum fratri quieto mortem machinatus est.* Itaque prior Esau rebellat in fratrem existentem in vtero, prior illi contradicit, nesciunt enim morari impiorum persecutiones aduersus pios. Vel antequam natos homines bonos videant impij, vel antequam natum videant Christum feralissimi peccatores, iam incipiunt in illum sæuire. Dum Achaz nolebat petere ex Deo signum, ait ad illum Isaias cap. 7. *Nunquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis Deo meo? Propter hoc, & dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, &c.* Signum Virginis concipientis offert Dominus Regi repugnanti petere signũ; & quare tantum signum petere repugnet, nisi vt molestus sit Deo, vt ante ortum iam Christum impugnet? Ait Guarric. Abb. serm. 3. de Annunt. *Nouimus vtique, nouimus dolum, & inuidiam Iudaicæ radicis, quæ & antequam Christus nasceretur, inuidere cœpit gloriæ illius. Nam & iste Achaz, quantum ex vita, & moribus illius intelligi datur, non alia religione, aut metu signum recusauit petere, cùm iuberetur, nisi ideo scilicet, ne Dominus glorificaretur.* Adhuc virgo repræsentabatur habens in vtero, & iam hominum inuidiæ furebant in Christum. Nondum ab vtero Dominus exierat, nondum mundi stadium terebat, nondum fulminea voce Iudæos insectabatur; sed antequam nasceretur, iam vehementissimè impugnabatur. Habes in Apocal. cap. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo: Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim, & in vtero habens, & clamabat parturiens, & cruciabatur, vt pariret. Et visum est aliud signum in cœlo, & ecce draco magnus, &c.* Adhuc in vtero matris monstrabatur Dei Filius, & iam exurgebat draco aduersarius, qui puero insidias pararet, vt illum deuoraret. Non expectant aduersarij, vt Filius Dei nascatur, sed vel ante conceptum, vel in ipso conceptu illum nituntur à terra eliminare.

Rupert.
Isai. 7.
Guarr.
Apoc. 12.

§. V.

Dei Filius minoratus in Mariæ vtero, vniuersas sibi subiicit sublimitates, verè in hoc Iacobi filius, qui in vtero subiiciebat maiorem fratrem.

IS erat Iacobi in vtero existentis conflictus cum fratre; vt iam inde clamaret diuinum oraculum, *Maior seruiet minori*, & quidem tunc minor Iacob maiorem sibi subiiciebat germanum. In quo non obscurè Christus exprimebatur, qui in matris vtero minoratus, super omnes cœlestium sublimitates extollebatur. Clamabat Isaias cap. 54. *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem:* vt germen in hortis erumpat, sic petit, vt erumpat Saluator in vtero Mariæ, sed erumpente germine quid minus dici potest in creaturis? Et velut germen minoratus apparet in matris vtero Dei Filius. Quid tunc? Ait Isaias cap. 4. *Erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis.* Non prorsus abscondet Dei Filium germinis paruitas, quin potiùs & in illa paruitate ipse ostendetur super omnes sublimis. Ait D. Amedeus hom. 3. de Incarnat. Christi: *Germen Domini in magnificentia, & gloria extitit, quando conceptum de Spiritu sancto, & ortum de radice Iesse in summitate virgæ totum effloruit, imò flos fuit. Fructus verò terræ sublimis, quia benedictus fructus Mariæ, diuinitatis celsitudine meruit sublimari.* Nil minus germine erumpente; nil diuinitate sublimius: minoratur Dei Filius in Mariæ vtero, dum ibi quasi germen erumpit, de Spiritu sancto homo concipitur, sed & simul vt flos in summitate virgæ ostenditur, hoc est, in diuinitatis throno apparet sublimis, quo vniuersas creaturas sibi subiicit. Hoc germen respiciebat Iacob Gen. 49. inquiens: *Iuda te laudabunt fratres tui, manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda: ad prædam, fili mi, ascendisti.* Ex Græco legitur: *Ex*

Isai. 54.
Amed.
Gen. 49.

germine,

germine, fili mi, ascendisti: quasi dicat, vbi ad germinis speciem minoratus es, ibi ascensio tua, ibi sublimitas tua, ibi triumphus. D. Ambos. lib. de Bened. Patriarch. cap. 4. *Eò quòd tanquam frutex in aluo Virginis germinauit, & vt flos boni odoris ad redemptionem mundi totius maternis visceribus in splendore nouæ lucis emissus ascenderit, sicut Isaias dicit. Exibit virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Et simul in aluo Virginis, sicut germen minoratur, & sicut flos ascendit; semper enim, quòd ibi minoratus ostenditur instar germinis, & simul ostenditur sicut flos ascendens super virgam regni, qua creaturis omnibus dominetur. Hoc præmisit Dominus signum Filij sui in virgineo vtero concipiendi, nam ait Isaias c. 7. *Pete tibi signum à Domino Deo tuo, in profundum inferni, siue in excelsum suprà*. simul enim coniungit & profundum, & excelsum, quia vbi Iesus in Mariæ vtero concipitur, non potest in illo non cerni cum humiliatione infima sublimitas excelsa. Vnde ait Guarricus Abb. serm. 3. de Annunt. *Signum quippe quod ille recusauerit, siue in profundũ inferni, siue in excelsum supra nos, fide plena suscipimus, agnoscentes filium, quem concipit Virgo, in profundo inferni, signum nobis esse libertatis, & veniæ: in excelsum supra signum, & spem exaltationis esse & gloriæ.* Sic Iesum conceptum in vtero virgineo hæc duo semper consequuntur, & minoritas infima, & exaltatio summa; & in minoritate, & in altitudine nobis præ se fert signa, & vnde liberemur, & vnde exaltemur. Nulla est in Iesu concepto vel exinanitio, quæ & prouectionem, & sublimitatem non referat. Vt dicat D. Leo ser. 4. de Natiuit. Christi: *Non ergo in Christo ex vtero Virginis genito, quia natiuitas est mirabilis, ideò est natura dissimilis. Qui enim verus est Deus, idem verus est homo: & nullum est in vtraque substantia mendacium. Verbum caro factum est prouectione carnis, non defectione deitatis: quæ sic potentiam suam, bonitatémque moderata est, vt & nostra suscipiendo proueheret, & sua communicando non perderet.* Sic ibi; quibus sapientissimus Pontifex, in Christo concepto, nil deiectum esse ostendit, quando ipsa eius carnis deiectio ad supremam prouectionem, & sublimitatem ascendit. Cui accinit D. Zeno lib. 3. ser. 7. *In hominem coaptatus Dei Filius in tegumento carnis includitur Deus; humanámque vitam mutuatur de tempore. Mira res! Concipit Maria de ipso, quem parit; tumet vterus maiestate, non semine.* Ecce tibi in vteri tumentis signo, etiam maiestas claret. Ad hæc quærunt multi, Cant. 5. *Quò abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? Quò declinauit dilectus tuus?* Duo quærunt, quò declinauit Deus, & quò abierit; est enim in dilecto Iesu, quòd abeat, & quòd declinet; declinat Deus dum descendit in vterum, sed inde abit homo in locum adeò sublimem, vt oculos creatos fugiat. Quippe ait Guillel. apud Delrium: *Quò dilectus tuus abiit, in eo quòd homo; quò declinauit in eo quòd Deus? scimus, quòd homo ille nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, scimus quòd declinauerit quatenus Deus, & exinaniuit semetipsum formam serui accipiens. Et in ipso quòd Deus inclinatus est in homine, sublimatus est homo in Deum.* Quid pulchrius? Declinat Deus in vterum, sed abit homo sibi regnum accipere super omnes creaturas.

D. Amb. — Isai. 7. — Guarr. — D. Leo. — D. Zeno. — Cant. 5. — Guillel.

§. VI.

Nullibi Iesus libentiùs habitat, quàm in vtero virgineo, vt Iacob in tabernaculis matris.

Non otiosè textus sacer duorum fratrum diuersa studia nobis insinuauit, quòd Esau homo esset rusticus, &, vt ait Chaldæus; *vir egrediens in agrum*; semper tenebat Esau campus, vt posset feras venari. At Iacob homo erat simplex, *habitans in tabernaculis*; nullus illi locus extra maternam domum placere poterat, nec esse voluptati. Et quis locus voluptati fuit Filio Dei præter vterum marianum? Credo in nullo alio sic fuisse Dominum deliciatum. Ait Gen. 2. *Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum.* Et non parua est inter Doctores quæstio, quis fuerit iste locus voluptatis; rem tractans D. Petrus Dam. serm. in Annunt. meritò putat nullum locum posse esse voluptati Filio Dei, nisi vterum matris. Quippe ait: *Locum voluptatis, vterum Mariæ intelligo: in quo cumulauit omnes delicias deliciarum Dominus, de cuius deliciis Spiritus sãctus admiratorio sermone sic eructat. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens? Nunquid in Angelis voluptatem habet Altissimus, in quibus ipse reperit prauitatem? Nunquid in constellatione, vel scintillatione stellarum, quarum aliæ conuertuntur in sanguinem, aliæ cadunt de cælo, aliæ in tenebras obscurantur? Nunquid in aëre, vel igne, vel ventis? Nequaquam, quia non in igne Dominus, non in commotione Dominus, non in spiritu Dominus. Nunquid in aquis, vbi furens, & tortuosus Leuiathan immoratur, aut in terra, quæ sub maledicto Adæ spinas emittit, & tribulos? Non est locus voluptatis, nisi vterus Virginis.* Sanè discurre cum eruditissimo, & piissimo Damiano per vniuersas creaturas, nullum in eis inuenies locum, qui voluptati possit esse Dei Filio, nisi vterus matris, illic requiescit libens, illic amœnissimè deliciatur. Quò respiciens ipsa Dei mater, volens explicare quàm eius deliciæ amœnarent Dei Filium existentem in vtero, ait Cant. 1. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Scire cupis, quis sit proprius Dei accubitus, in quo ipse solas excipiat delicias? Ait Cardin. Alanus apud Delrium: *Postquam gloriosa Virgo non solùm mente, sed etiam ventre concepit, factus est in ea spiritualis Christi recubitus. Vbi enim specialiter cœnauit cum Patre, & Spiritu sancto, vbi specialem fecit mansionem, vbi specialiter & plenè recubuit nisi in mente Virginis, in cuius ventre secundùm humanam naturam perfectè recubuit? Ergo dum esset Rex in accubitu suo, id est, in me Maria; in qua erat in mẽte per gratiam, in ventre per humanam naturam, nardus mea dedit odorem suum.* Nullibi habet Rex accubitum, quem vocet suum, quem experiatur abundantiorem deliciis, nisi in vtero Mariæ; hic prorsus est accubitus Dei, & locus illi gratissimus, & omniũ suauissimus. Vnde ad hæc aiebat Guillelmus Abb. apud Delrium: *Toto tempore, quo Rex erat in accubitu suo, in meo vtero, in magnis degebam deliciis deuotionis meæ, & confitebatur ingiter cogitatio mea, & reliquiæ cogitationis meæ diem festum agebant illi.* Quid amœnius Dei Filio? Sanè in aliis dies laboris, & infirmitatis numerabat Iesus, in matris vtero dies festi, & requietionis, & suauitatis fiebant illi. Hinc aiebat ipse Cant. 4. *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Septuaginta legunt: *Ibo mihi ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Sed scire cupis, quis mons sit, ad quem dicatur Dominus ire sibi. Sanè ad montem Caluariæ iuit hominibus, imò ad cœlum iuit hominibus, vt dicebat ipse, *Vado parare vobis locum.* Quis ergo mons est, ad quem vadit sibi, nisi vterus virgineus? Ait D. Zeno lib. 3. ser. 6. *Ab æterna sede profectus Dei Filius in prædestinata Virginis templo sibimet castrametatur.* Aliorum delicias alibi negotiatur Deus, nobis datus, nobis natus, nobis mortuus, nobis excitatus; dum autem mansionem facit in vtero Mariæ, ibi sibimet prospicit, & quasi tractat solùm sua. Accinit Guarr. Abb. serm. 1. de Assumpt. *Ibo mihi ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Videtur sermo iste prophetia esse huius diei, per Salomonem olim prædicta, per Iesum hodie impleta. Hodie namque venit in illum montem altissimum montium, montem non solùm myrrhæ, & thuris, sed omnium aromatum: dico autem Virginem Virginum omnium plenam gratiarum.* Ad hunc montem vteri virginei venit Dominus sibi, quando ad alia pergit, non tam sibi, quàm hominibus.

Petr. Dam. — Gen. 2. — Cant. 1. — Alanus. — Guillel. — Cant. 4. — D. Zeno. — Guarr.

§. VII.

Iacob vestimentorum odore se filium primogenitum esse probat Patri; Christus velut odor procedens in vtero se probat Virginis filium.

Dubius hæret Isaac in cognoscendo benedicendo filio, donec illum osculo petens vestimentorum odorem percepit: ait Gen. 27. *Vt sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi ait. Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni.* Vestimentorum odor omnem abrasit dubitationem parentis, & Iacobum primogenitum eius filium asseruit. Quid miraris? Potest & odor exhalatus à floribus Christi Domini in vtero virgineo conuincere existentiam; & nullum relinquere dubium, quòd possit Virgo incorrupta in vtero Deum Filium habere. Verba sunt Mariæ probantis suam virgineam integritatem & in conceptu, & post conceptum, illa Ecclesiastici cap. 24. *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* Posset dicere, quòd quasi vitis fructificauerat suauissimum botrum, cuius liquore omnes exhilarentur, & sanentur, sed non memorans botrum proprium vitium fœtum, pro fructu suo, & germine suauitatem odoris meminit. Et cur non botrum dicitur fructificasse mariana vitis, sed odorem, nisi quia odoris exhalatio manifestè conuincit Christi existentiam in vtero virgineo, absque vllo integritatis maternæ nocumento? Ad hæc Guarricus Ab. ser. 1. de Nat. Mar. ait: *Partus quidem Mariæ non habet exemplum in sexu mulierum, sed habet similitudinem in naturis rerum. Quæris quomodo virginitas genuit Saluatorem? Sicut flos vitis odorem. Si corruptum inueneris florem, pro eo quòd dedit odorem, violatũ crede pudorem, quæ edidit Saluatorem. Quid aliud est virginitas, quàm flos inuiolati corporis? Quid aliud*

Gen. 27. — Eccl. 24. — Guarric.

aliud est filius virginitatis, quàm suauitas odoris? Procedit Iesos in florido Virginis vtero tanquam suauissimus odor, vt sic se prober filium roseæ virginitatis, & simul testatam faciat matris integritatem. Quod ipsa notans similiter aiebat Ecclesiastici c. 24. *Et quasi Libanus non incisus euaporaui habitationem meam.* Solent & aromaticæ arbores priùs incidi, & sic per scissionem euaporant aromatum suauitates: at Maria vt vteri sui habitationem euaporaret, viuidóque odore repleret, nullam scissionem fuit passa; imò quasi Libanus non incisus euaporauit, sicut enim odoriferus vapor à Libano prodit, ante omnem scissionem, sic Iesus procedens in vtero mariano, omnimodam ibi ostendit virginei pudoris integritatem.

§. VIII.

Iesus in vterum veniens Mariæ, Iacobi benedictionem attulit mundo.

SApienti astu, & matris industria Iacob benedictioóem patris sibi præripuit, & qualem beoedictioóem? Ait *Gen. 27.* Gen. 27. *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini.* Hæc benedictio fuit Iacob, quòd cœlestis ros, & terra abundantibus bonis implerent illum. Quam benedictionem largissimè distribuit mundo Dominus, vbi rorantibus cœlis in virgioeo vtero apparuit pelle nostra induius Dei Filius. Quò respiciens *Psal. 45.* Psalm. 45. ait: *Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob.* Vbi Manuel esse cœpit nobiscum, apparens in vtero Virginis, & nos cœpimus suscipi à Deo Iacob, quia omni Iacobi benedictione cœpit impleri mundos. Ait enim *Guarr.* Guarricus Abb. serm. 2. de Aonunt. *Hodie Sapientia ædificare sibi cœpit domum corporis nostri in vtero Virginis. Ab hoc ergo die Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob, quia hodie est Domius assumptio nostra, vt inhabitet gloria in terra nostra. Prorsus hodie benedixisti Domine terram tuam, illam benedictam in mulieribus. Hodie dedisti benignitatem Spiritus sancti, vt terra nostra daret benedictum fructum ventris sui, & rorantibus cœlis desuper vterus virginalis Saluatorem germinaret.* Quæ benedictio oon venit, vbi venit Iesus in vterum Mariæ? Qui campi oon implentur vbertate, vbi virginalis vterus cœlesti rore irroratur? Sane qoidquid Iacob benedictionis habuit, in frumenti, viniue abundantia, habemus omnes, ex quo diuinissimus ros virgineæ terræ copulatur. Hinc ad Mariam dicitur *Cant. 7.* Cant. 7. *Venter tuus, sicut aceruus tritici, vallatus liliis.* Non fuit benedictio in abundantia frumenti exhibita, quam non superet conceptus Filij Dei in vtero Mariæ. Vt taotus hic apparuit in vtero, nulla fames timeri incipit, sed omnes ditantur abundantia, & vbertate summa. D. Ambr. de Institut. Virg. *D. Amb.* cap. 14. *In Virginis vtero simul aceruus tritici, & lilij flores gratia germinabat: quoniam & granum tritici generabat, & lilium. Sed quia de vno grano tritici aceruus est factus, completum est illud propheticum, & valles abundabunt frumento, quia granum illud mortuum plurimum fructum attulit. Consummatum est illud prophetici oris eloquium. Cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra melle saturauit eos.* Vbi virgineus vterus cœlesti tumuit pane, nullus est, qui non impleatur tanta benedictionis abundantia: vt meritò addat *Guillel.* Guillel. apud Delrium: *Planè ex hoc aceruo tritici ad vitam pascentur æternam animalia rationalia. Ex hoc aceruo tritici viuunt animalia pusilla cum magnis, quia benedictio effusa est omnibus, qui timent Dominum, pusillis cum maioribus. Ex hoc aceruo tritici impletur omne animal benedictione, cui manum suam aperit Deus. Non aliunde viuunt animalia rationalia, quàm ex hoc aceruo tritici, quia non est vita hominibus nisi in fructu ventris virginei.* Ecce tibi vt in abundantia frumenti est benedictio oostra, ex quo de cœlesti rore impletur venter Mariæ, iam inde non est, cur famescamus, cùm omne animal impleatur benedictionis fructu.

PARS SECVNDA.

Moralia in textus literam.

IAcobi & Christi existentis in vtero aliqua prælibauimua symbola, antequam cætera percurramus, adest iam moraliter eoucleanda textus litera.

Gen. 25. Deprecatus est Isaac pro vxore sua, eò quòd esset sterilis: qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Sed collidebantur in vtero eius paruuli: quæ ait, Si sic mihi futurum erat, quid necessum fuit concipere.

§. I.

Oratio assidua iustorum omnes creaturas subiicit.

ORante Isaaco sterilis vxoris vterus apparuit fœcundus, nulla enim creatura est, quæ non subiiciatur, & seruiat orationi iusti. Id quod ponderans Chrysost. in præsenti, fa- *Chrysost.* tur: *Manifestum est, quòd annis viginti perseuerauit Isaac orans Deum, & vterum Rebeccæ, inutilem generationi, idoneum fecit. Vidisti orationis vim, quòd & naturam superet?* Tota creaturarum natura eò adducitur, vt iusti orationibus sese subiiciat. De lucidissimis mundi præsidibus locutus textus sacer Gen. *Gen. 1.* 1. ait: *Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare maius, vt præesset diei, luminare minus, vt præesset nocti.* Itaque Sol luminare maius à primo suæ cooditionis instanti habuit, quòd sit in lucidissimas præfecturas factus. Sed 4. Reg. 20. Ezechias *4. Reg. 20.* Rex, dum pro salute obtinenda orat, sic ad nutum suum trahit currum Solis, vt in eius imperio sit, quòd Sol præcipites agat cursua, vel loogissimas per vndecim gradus ineat moras. Vnde Rex potuit sic subiugare præcipites equos Solis? De illo ait textus, *Ezechias orauit Dominum dicens; Obsecro Domine, &c.* Quocirca ait D. Asterius serm. in illud Luc. 18. *Aster.* Duo homines ascenderunt in templum, vt orarent, apud Biblioth. Photij: *Oratio Ezechiam ab orci faucibus liberauit, & Solem prius monstrauit seruum esse, & seruorum vsus ferre.* Regiam tenebat Sol ante Ezechiam, non facilè iouenıebatur, qui illius posset moderari equos; regnabat enim Sol, & clarissimis diebus præsidebat. Accessit oratio Ezechiæ, & sic subiugauit Solem, vt ex tunc sese Sol ostenderet à regio culmine, ad seruitutis habitum deiectum. Post Ezechiæ orationem non regnat Sol, sed seruit, nulla enim creatura inuenitur, quæ oranti iusto non seruiat. Huc refero illud Ecclesiastæ cap. 10. *Si retusum fuerit ferrum, & hoc non vt prius, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, & post industriam sequetur* *Eccl. 10.* *sapientia.* Quibus verbis ostenditur, quantum valeat industria ad confringendas, & subiiciendas creaturas vniuersas; vt ferrum durissimum tandem arti, & labori cedit, sic creatura quæuis, licèt ferrea, vel ahenea, tandem cedit industriæ. Da ergo mihi cœlum ferreum, & adeò ferreum, quòd minimè edomatur, nec emollitur in hominum refrigerium. Quis hoc ferreum cœlum emolliet? Quæ industria erit, qua subiiciatur in bonum cœlum ferreum? Vna sit orationis vis, & industria, & vel ferrei ipsi cœli tibi in omnibus subiicientur. Sic meditabatur Chaldæus Costi, in hæc verba: *Quo die in* *Chald.* *peccata prolapsus est populus Israel, induruerunt etiam & sicut ferrum riguerunt cœli, ne aquam pluuiam dimitterent. neque tamen generatio illa Dominum deprecata est, quo factum est, vt vniuersus Orbis fame frangeretur. Verùm vbi primùm se ipsos receperunt, & conuentus habuerunt suos, & affectibus imperare cœperunt, principesque ad postulandum à Domino beneuolentiam præfecerunt, illa cœlum propter dignitatem, & decorem sapientiæ eorum omnia ex animi voto tribuit.* Expende, qualem habuerunt industriam, vt subiicerent sibi coelos ferreos, nimirum, *Principes ad postulandum à Domino præfecerunt:* dum non erat oratio, ferrea erant omnia cœlestia, & in dies magis indurabantur, & rigescebant. At vbi præfecerunt principes, qui orarent ad Dominum, ecce statim melliflui facti sunt cœli, & hominum vtilitati, & voluntati deseruiunt. Nescit durissima etiam creatura non flecti, & subiici homini, qui suas apud Dominum fundit instanter preces. Notissima est Simonis illius Magi superbia, quæ in tantum restitit Apostolis Christi, vt coram Petro auderet euolare ad cœlestia. Decernitur dies volatus, vel dies durissimi prælij aduersus Apostolicos sudores. Quid tunc Petrus? Orationi se dedit, & miserum rebellem suo subiugat imperio. Rem pulchrè expendit D. Am- *D. Amb.* bros. serm. 1. de Natali Apost. Petri & Pauli, inquiens: *Petrus fixis genibus precatus est Dominum, & precatione sancta vicit magicam leuitatem. Prior enim ascendit in cœlum ad Dominum oratio, quàm volatus, & antè peruenit iusta petitio, quam iniqua præsumptio. Tunc igitur Petrus velut vinctum illum de sublimi aere deposuit,*

deposuit, & quodam præcipitio in saxum illidens eius crura confregit. Expende ab illis, *tunc Petrus velut vinctum illum.&c.* Nulla equidem est tam rebellis creatura, quam non sibi subiiciat oratio iusti.

§. II.

Dolores multos, & molestias, & ærumnas trahit iniquitas, dum est in eo, qui electus est, vt seruiat æternæ benedictioni potiundæ.

COllidebantur paruuli in vtero Rebeccæ, qui paruulorum motus fuit matri molestissimus, & ærumnosissimus, vt mallet non concepisse, & potiorem sterilitatem duceret. Multæ fœminæ ante, & post gemellis impletæ sunt, sed quæ tot molestias, & dolores tempore gestationis in vtero habuerit, fallar, si præter Rebeccam inuenta fuerit alia vlla. Et cur vni Rebeccæ sic molestus erat, & ærumnosus vterus? Non equidem id fuit opus naturæ, sed opus Dei, qui in nequissimo Esau ibi concepto præsignabat, quàm ærumnosa, & calamitosa sit nequitia, dum in eo existit, qui electus est, vt seruiat æternæ benedictioni potiundæ. Rebeccæ vterus electus erat à Deo, vt ex illo exiret, qui benedictionem æternã adumbraret mundo, in quo, vt promissum Isaac fuerat, benedicendus erat vniuersus mundus. In tali autem vtero erat nequissimus Esau, erat ipsa nequitia; ne miremur, si ibi excitaret matri & ærumnas, & dolores, & molestias innumeras.

Ier. 4.

Ierem. cap. 4. *Via tua, & cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi, ista malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum. Ventrem meum, ventrem meum doleo, sensus cordis mei turbati sunt in me, non tacebo, quoniam vocem buccinæ audiuit anima mea, clamorem prælij.* Malitia non solùm totum hominem, sed totum populum tenebat, amarissima omnibus, vniuersos calamitatibus replens, & cùm omnes sensus turbarentur, & aures hostilibus vulnerarentur clamoribus, videtur Propheta solus maiores sentire dolores, & torsiones ventris. Clamat enim, *ventrẽ meum, ventrem meum doleo.* Cur in ventre acerbiores ærumnæ, acerbiores dolores erant? Electus erat vates, vt regeneraret homines in Deo; ideò malitia non potuit non maiores calamitates inferre, dum eum tangebat, qui electus erat æternæ benedictioni impertiendæ.

D. Amb.

Ait D. Amb. lib. de fuga sæcul. cap. 7. *Pulchrè dictum videtur, quod in libro prophetico legimus: Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo: quia ibi est malitia, vbi debet esse innocentia; & illud plus laborat, quod in nobis debet esse tranquillius; atque id nequitia vestigiis proculcatur, stimulatur vnguibus, processu quodam improbitatis, incrementóque concutitur, vbi est genitale seminarium posteritatis æternæ.* Nunquam sic in mundo sæuit nequitia, quàm dum nõ est in sede sua; tunc mala secum trahit, tunc dolores congeminat, tunc conglomerat pericula, infortunia, cùm ad eum serpit, in quo genitale seminarium est æternæ salutis. Quis referat Dauidis clades, & fugas? Accipite priùs eius peccatum pulchro apologo à Nathano descriptum 2. Reg. 12.

2. Reg. 12.

Pauper nihil habebat omnino, præter vnam ouem paruulam, quam emerat, & nutrierat, & quæ creuerat apud eum cum filiis eius simul, de pane illius comedens, & de calice eius bibens, & in sinu illius dormiens: eratque illi sicut filia. Cum autem peregrinus quidam venisset ad diuitem, parcens ille sumere de ouibus & de bobus suis, vt exhiberet conuiuiũ peregrino, tulit ouem viri pauperis, &c. Pauper homo vocatur Vrias; ouis autẽ vxor eius Bethsabeth, diues Dauid Rex; peregrinus scelerata, & praua cupiditas, quæ in animo Dauidis delituit. Et quot mala simul traxit cupiditas ista in Dauidem? Ait Nathan: *Quamobrem non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum:: Itaque dicit Dominus: Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo:: Tu fecisti absconditè, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel.* Tota sapientia Dauidis, & tota Regis potentia non potuit facere, vt peccatum illud absconditum maneret, sed vt ingressum fuit scelus eius animum, & sui publicationem fecit, & curas, & anxietates, & molestias, & clades, & infortunia super Dauidis domum parturire cœpit. Et cur in Dauidẽ vnicum adulterium tanta infortunia traxit, quando mille alij adulteriis pleni iucundissimam vitam in deliciis texunt? Causam non obscurè indigitat Nathan illis verbis: *Cùm autem peregrinus quidam venisset ad diuitem:* fuit sceleratus affectus in Dauide, non vt ciuis in propria sede, sed vt peregrinus in aliena; erat equidem Dauid seminarium æternę benedictionis, & salutis, in illo prauus affectus, non erat nisi vt peregrinus citò inde abiturus, ideò tot in illum concitauit confusiones, tot infortunia.

Basil. Sel.

Ait D. Basil. Sel. orat. 17. *Cùm autem peregrinus quidam venisset ad diuitem. Appositè peregrinus, hospes, alienus. Incidit enim Dauid in infortunium, & tanquam in extraneum, & peregrinum, & inconsiderato casu decidit est.* Quò malus affectus magis peregrinus erat Dauidi, maioribus venit ad illum comitatus infortuniis: infesta enim est, & plena infortuniis nequitia, quando non est in sede sua, quando in eo est, à quo necessum habet citò abire, vt qui sit vas electionis, vas ostendendæ virtutis. Infortunia comitantia conceptã in corde hominis malitiam, expressissima solent esse signa, quòd inde citò abitura sit, & relictura hominem liberum.

Mar. 1.

Hinc Mar. 1. cùm iuberet Dominus diabolum ab homine exire, ait: *Et discerpens eum spiritus immũdus, & exclamans voce magna exiit ab eo.* Expende illud; *& discerpens eum:* vbi non ciuis, & inquilinus cœpit esse spiritus immundus, sed peregrinus, iam iam abiturus dolores, & afflictiones hominis multiplicat. Vix enim clarius datur signũ citò abituræ nequitiæ, quàm dum geminantur peccatoris infortunia.

Chrysost.

Pro quo aiebat D. Chrysost. hom. 5. in Mar. *Quoniam alio modo non poterat intelligi egrediens dæmon: signis corporis ostenditur, quod egressurus sit. Et discerpens eum spiritus immundus exiit ab eo.* Expende signa abituræ nequitiæ, nimirùm, quod laboribus & infortuniis peccator decerpi incipiat. Væ illi in quo tanquam in propria sede tranquillè, & quietè habitat nequitia, non vt peregrinus, sed vt domesticus, sed vt ciuis. De hoc tanquam de iam deplorato aiebat Psal. 108.

Ps. 108.

Induit maledictionem sicut vestimentum. Et intrauit sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius. Ecce æterna maledictio: ecce homo maledictionis æternæ habens principium, cùm illum malitia non affligit, sed suauiat, & implet deliciis.

August.

D. Aug. *Ostendit, inquit, eum cum delectatione malefacere, & comparare sibi maledictionem, hoc est, pœnam æternam. Modò quippe maledicta delectant, sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius. Sed ideò maledictio vocatur, quia talibus Deus tormenta prædixit. Tanquam in ossibus autem oleum est maledictio, cùm homines inde fortes se putant, quia licet eis mala tanquã impunè committere.* Cui malitia in corde est, vel ut aqua in ore sitientis, quem nequitia delinit, & suauiat vt oleum, vt balsamum odoriferum, nec minimam sentit in sceleribus amaritudinem, nec dolorem vllum, hic æternis reseruatur maledictis. Longè aliter de se dicebat Dauid Psal. 37.

Ps. 37.

Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ. Illi peccata erant aqua, & oleum; huic erant, & vulnera, & vermes, & putredo: illi deplorata erat salus, huic salutis erat remedium.

D. Amb.

D. Ambr. aliò datus, ibi: *Est ergo & sancto Dauid spes, & remedium sanitatis, quia non vnguentum redolent; sed fœtorem suorum vulnerũ peccatorum.* Proculdubio ad salutem seruatur, qui in nequitia, non quo suauietur, inuenit: sed quo doleat, & maximè affligatur.

Gen. 25. Perrexítque vt consuleret Dominum. Qui respondens ait: Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populúsque populum superabit, & maior seruiet minori.

§. III.

Non sic mouetur ad Deum humana conditio, quàm vbi in suis propriis percutitur.

ÆGrè ferens Rebecca molestias vteri sui perrexit, *vt consuleret Dominum*. vel vt Paraphrasis Ierosolymitana vertit, *abijt vt peteret misericordiam à Domino.* Ipsa sola dicitur abiisse ad Dominum, non sociata marito, & antequam ipsa conciperet, dum sterilis esset, Gen. 25.

Gen. 25.

deprecatus est Isaac Dominum pro vxore sua, eò quòd sterilis esset: tunc solus Isaac sine vxore abiit oraturus: nunc sola Rebecca orat sine marito. Cur primò solus Isaac, & secundò sola Rebecca ad Dominum iuit? Sterilitas non sic damnosa erat Rebeccæ, vt Isaac, cuius semini promissa erat mundi benedictio, & ideò damnosa semini suo sterilitate percussus Isaac ad Dominum confugit, non Rebecca, cuius semini nulla erat promissa benedictio. Verùm vteri molestiæ vt solam percutiebant Rebeccam, sic sola illa excitatur, vt ad Deum confugiat: neutérque mouetur ad Deum, nisi tunc, cùm in suis propriis quisque flagellum experitur. O ingenia hominum misera! Vix sciunt in alieno discrimine discere; rarò sapiunt, vt ad Deum eant, nisi cùm in suis propriis percutiuntur. Cantatissima est historia Ieroboami regis Israel. 3. Reg. 13. qui recitatæ coram se prophetiæ non credens, imò videns stupẽdum prophetiæ signum, quòd altare lapideum ad solã Prophetæ

vocem fuerit excisum, adhuc in Deum & Prophetam furit. *3.Reg.13.* Quid tunc? *Cùm audisset Rex sermonem hominis Dei, quem inclamauerat contra altare in Bethel, extendit manum suam de altari, dicens: Apprehendite eum. Et exaruit manus eius, quam extenderat contra eum ::: Et ait Rex ad virum Dei; Deprecare ad Dominum Deum tuum, & ora pro me.* Itaque prophetiam audit, nec mouetur; videt illam cõfirmatam manifesto rupti altaris signo, nec meminit Deum: in manu percutitur propria, & ecce totus ad Deum vadit supplex. *Theodor.* Pulchrè Theodoret. quæst. 42. inquit: *Cùm oporteret eum admirari miraculum, & timere eum, qui miserat, extensa manu iussit apprehendi Prophetam, sed manus mansit musculis, & neruis extensis. Et id quidem quod accidit altari, eum non obstupefecit, sed id quod manui, valde anxit.* Non propter eas, quas in aliis videt, cœlestes iras, licèt cœlestia ipsa ruant, licèt sacramenta ipsa feriantur, sed propter flagellum, quod in propria manu experitur, Deum anxiè requirit. Propone tibi ob oculos Azotios illos, qui captauerunt Dei Arcam, ex 1. Reg. cap. 5. & illam constituerunt in altare iuxta Idolum Dagon. Sed proh Dei potentiam! Ad præsentiam Arcæ Dagon semel & ter proiectus ab altari apparet, manibus, ceruicibúsque confractis. Nec miseri Azotij in casu, & calamitate sui Idoli magis sapiunt, nec quid diuinum in Arca suspicantur. Quapropter Deus, relicto Dagone Idolo eorũ, extendẽs manum suam percutit eos in posterioribus. Quid tunc? Plaga non iam in Idolo, sed in seipsis suscepta, ait textus: *Videntes viri Azotij huiuscemodi plagam, dixerunt; Non maneat Arca Dei Israel apud nos, quoniam dura est manus eius super nos, & super Dagon Deum nostrum.* Dum ipsi incolumes sunt, dum nihil perpetiuntur mali; quamuis videant Idolum suum ab aris deiectum, humi prostratũ, & pedibus, & manibus, & capite truncatum, in nullam veniunt cogitationem de liberanda, & remittenda Dei Arca. Tunc primùm pergunt consulere bonum aliquod circa Dei Arcam, cùm in se incipiunt experiri duritiem diuinæ manus. Hæc est humana conditio, quòd parum, aut nihil moueatur ab eis, quæ in aliis fiunt, etiamsi charissima sibi Idola pertingant. *Actor 9.* De Paulo dicitur Actor. 9. *Et cùm iter faceret, contigit vt appropinquaret Damasco, & subitò circumfulsit eum lux de cælo. Et, cadens in terram, audiuit vocem dicentem sibi Saule, Saule quid me persequeris? Qui dixit, Quis es Domine? Et ille: Ego sum Iesus quem tu persequeris, durum est tibi contra stimulum calcitrare. Et tremens, ac stupens dixit, Domine, quid me vis facere? Et Dominus ad eum, Surge, & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere. Viri autem illi, qui comitabantur eum eo stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem tamen videntes. Surrexit autem Saulus de terra, apertísque oculis, nihil videbat.* Inter tot signa, dum Paulus cœlitus fulminatur, dum in terram cadit, dum cæcatur; eius comites stant stupefacti, nec tamen ipsi à suscepti itineris proposito deflectunt, nec credunt in Christum, nec nomen dant Christianis. Vnus Paulus propositum itineris abiurat, vnus sese totum dedit Iesu, eiúsque sequitur nutum, cæteris omnibus manentibus in perfidia. Et cur inter eadem signa, cæteris in perfidia manentibus, vnus Paulus sese dedit Christo? *Chrysost.* Ait D. Chrysost. hom. 19. in Acta: *Dicitur excellens sonus surdos facere, atque attonitos, sed hunc Paulum solùm excæcauit, & terrore suo furorem extinxit.* Paulus in se diuini signi stimulos sensit, cæteri illos videbant in Paulo: Paulus solus in oculis suis violentiam diuini luminis excepit, & sensit propriam cæcitatem; cæteri omnia hæc videbant in Paulo. Hinc est, quòd cæteri attoniti tantùm, & stupefacti starent, signa mirantes, sed nihil diuinum crederent: Paulus autem vt solus in se signa, & stimulos experiebatur, sic solus ad Iesum festinabat.

§. IV.

Virtutis res, etsi in se infirmior videatur, tandem de fortioribus triumphabit.

VErè iuxta D. Augustini sententiam dictum est illud in re virtutis, *Populus populum superabit, & maior seruiet minori*, licèt enim res virtutis minor appareat, & vilior, & despicatior, tandem de potentissimis triumphabit, illósque suo imperio subiugabit. Quis vilior, & abiectior, quàm Dauid, cùm à regno pellebatur? Quis potentior, & fortior, quàm Absalon cùm rebellauit in Patrem? Stabat Absalon multo cinctus exercitu, adeò potens, vt Dauid compulsus sit fugere nudis pedibus, discooperto capite, paucis militibus stipatus 2. *2.Reg.15.* Reg. 15. *Cúmque ascenderet Dauid summitatem montis, in quo adoraturus erat Dominũ, ecce occurrit ei Chusai Arachites scissa veste, & terra plenus capite.* Pene vniuersi Israelis Principes ad Absalonem confugiebant; vnus Chusai ad abiectum, & iã iam deplorandum Dauidem accessit. Cur bone non magis sequeris fortunæ calculos? Cur non magis adiungeris potenti Soli, nimirum Absaloni tunc in multitudine exercituum iam regnanti? *Chrysost.* Pulchrè D. Chrysost. in Psal. 7. id tractat aiens: *Chusai vtrasque partes diiudicabat. Et illas Absalonis inuenit impotentes & inualidas, has verò Dauidis firmas, & potentes. Ille enim Absalon iniustè faciebat: hic verò cum iusto se ipsum seruabat. Cùm ergo starer non vbi multitudo hominum, sed vbi erat virtutis præsidiũ, opem Dei ad se traxit. Nos quoque etsi imbecilli, à quorum parte stat ius, illorum partes tueamur; licèt sint potentes, qui faciunt iniuriam, societatem illorum fugiamus. Vitium enim, etsi secum habeat vniuersũ Orbem terrarum, est omnium maximè imbecillum. Virtus autem etsi sola sit, est omnium potentissima.* Non potest non præualere virtus, quantumuis res exilis, & infirma, & vilis, & aliis inferior videatur. Licèt enim sub vitiorum signis militent potestates mundi, ingentésque ibi conspiciantur exercitus, munitissimæ vrbes, si tamen ex alia parte sit vnus & despicatus, & minimus, plenus tamen virtute, hic de omnibus illis aget gloriosissimos triumphos. Propone tibi ob oculos Samuelem filios Isai expectantem, vt vnum ex illis Regem faceret. 1. Reg. 16. producit in medium nobilis pater nobilem filiorum phalangem, iuuenes strenuos, militari in conflictu probatos: adstant ipsi generosi adolescentes, singuli non solùm Israelis, sed & Orbis coronam spectantes. Ex aduerso erat & minor, & reiectaneus illorum frater, & obliuioni, & regendis ouibus datus. Ecce tibi pro imperio, & corona ingens certamen: minimi huius, & reiectanei nulla erat memoria apud Patrem, totus conatus erat in maioribus promouendis, sed totus patris conatus, Prophetæ studium, adolescentum militia probata non potuerunt non se subdere & paruulo & reiectaneo, quem virtus comitabatur. Sic maioribus, & potentioribus dimissis clamat pater: *Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oues.* *Basil. Sel.* Ad quæ eleganter D. Basil. Sel. orat. 14. *Minor est, qui derelictus. Sed Deo suffragante non præualuit & genitoris ignoratio. De repentè puer Dauid producitur paruus ætate, animo magnus, ore micante, animo candido, præ corpore bene colorato latius gestans animæ decus.* Et quidem qui virtutibus animi stipatur, licèt paruulus sit, & reiectaneus, maximos quosque sibi subiugabit, & in quauis contentione de validissimis triumphabit. *Eccles. 9.* Quò spectans Ecclesiastes, ait cap. 9. *Ciuitas parua, & pauci in ea viri. Venit contra eam Rex magnus, & vallauit eam, extruxitque munitiones per gyrum. Et perfecta est obsidio. Inuentúsque est in ea vir pauper, & sapiens, & liberauit vrbem.* Ecce tibi vnus iustus pauperculus, & despectus, plenus tamen sapientia, plenus virtute magnos Reges profligauit, potentissimos exercitus detriumphauit.

Genes. 25. Iam tempus pariendi aduenerat, & ecce gemini in vtero eius reperti sunt. Qui primus egressus est, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus: vocatúmque est nomen eius Esau. Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu: & idcirco appellauit eum Iacob. Sexagenarius erat Isaac, cùm nati sunt ei paruuli.

§. V.

Apostolici sudoris & laboris magnum leuamen est multitudo in Christo renascentium. Vbi de D. Xauerio, P. N.

ECce Rebeccæ doloris magnũ leuamẽ, quòd nimirũ tempus pariendi aduenerat, *& gemini in vtero eius reperti sunt.* Cur doleat Rebecca vteri molestias, in quo gemini reperiuntur, in quo & populorum seminaria sunt, & gentium? Equidem Apostolicus sudor, & labor ingens inde maximè leuatur, si plures in Christo regeneres. *D. Zeno.* Quò spectans D. Zeno ser. 8. de Paschat. cũ nouellæ Christi plantationes de baptismatis fõte ascendebãt, sic ait: *Noua res! Vt iure spirituali vnusquisque nascatur, vltrò currite ad matrem, quæ tunc non laborat, si quos parturit, numerare nõ possit.* Vt crescit renascẽtiũ in Christo numerus, minuuntur parturientium labores. Nullus creditur manere labor in parturiẽte, vbi innumerabilis apparet renatorum soboles. *Apoc. 12.* Apoc. 12. *Signũ magnum apparuit in cælo. Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarũ duodecim, & in vtero habẽs, & clamabat parturiens, & cruciabatur.*

vt pariat. Nota illud, *& cruciatur, vt pariat*, & statim consule Isaiam sic c. 66. de eadem muliere fantem, iuxta lect. Septuag. *Antequam veniat dolor parturientium, effugit, & peperit masculum, quis audiuit tale, quis vidit tale? Si parturiunt terra in die vna, si nata est gens simul, quia parturiuit, & peperit Sion paruulos suos.* A Ioanne dicitur mulier cœlestis, nempe Ecclesia, ingentes sustinere cruciatus, vt pariat: ab Isaia dicitur eadem omnes & cruciatus & dolores partus effugisse, qui fieri potest, vt vtrumque verum sit? Quomodo potest dici Ecclesia cruciari, vt pariat; & nullos perpeti cruciatus? Equidem Ioannes cōsiderabat Ecclesiam laborantem ad partum, nullis adhuc filiis ornatam; & sic solos videns labores absque fructu, rectè dixit, Ecclesiam cruciari, vt pariat, nemini enim dubium est, quin summi labores, & dolores ab Apostolis, & Apostolicis viris fuerint exantlati in conquirendis animabus. Isaias considerabat Ecclesiam parientem innumera filiorum examina, quorum multitudine sic apostolici dolores minuebantur, vt posset dicere nullos fuisse cruciatus in tali partu. Hinc meritò ait Euseb. Gallican. hom. in Dom. 3. post Pascha: *Pariebant igitur Apostoli in dolore, quia propter hunc talem partum occidebantur, & cruciabantur, multos dolores, multásque angustias patiebantur. Beatus iste partus, quo tanta soboles tam nobilium filiorum germinauit.* Et simul putat Apostolicum partum plenum doloribus, & beatum: quippe doloris plenus erat, si solicitudo apostolica per se cernatur; sed beatus, & sine dolore, imò manans suauitate, dum ex illo tanta soboles, tam nobilium filiorum examina considerantur. Liceat huc afferre cantatissimum sanctissimi mei parentis D. Francisci Xauerij miraculum. Is Romæ dum somniat, sentit suis humeris Indum hominem insidere, sub cuius onere & premitur, & gemit, vt videatur malle a tanto pondere liberari. Non multò pòst expergefactus in Indiam pergens sic omnium Indorum onera parui facit, vt post Indiam peragratam, Iapponios adeat, & nec iis defatigatus, ad Sinas properet, pro summo gaudio habens, si detentus carcere Sinarum pro eorum animis illuminandis moriatur. Cur gemebundus sub vno, lætus sub tot, ac tantis oneribus? Paucitas angebat apostolicum Xauerij animum, multitudo dilatabat. Laborabat, vt pareret apostolicus vir, antequam videret fructus ærumnarum suarum, vt vidit tot orbes à se in bonam frugem, & in veram fidem tractos, labores reputat gaudia. Planè Beatus Xauerij partus, doloribus vacuus, plenus suauitate, *quo tanta soboles tam nobilium filiorum germinauit*. Dicebat Chrys. Theodoretus lib. 5. in eius laodes apud Biblioth. Photij: *Habes aliam cum Apostolis cognationem, primus apud Scythas aras erexisti, & barbarus vix ab equis dissiliens didicit genu flectere, & ad pauimentum incuruari, & qui captiuorum lacrymis non mouetur, didicit pro peccatis flere. Quin etiam iaculatorem Persam vulnerans prædicatione, & ferres didicerunt crucifixum adorare. Vicit tua lingua Chaldæorum, & Magorum imposturas, & Persarum multa natio templa germinauit, non amplius Babylon pietatem auersata est. Hæc te similem Apostolis fecerunt.* Et quid horum sanctissimo meo Xauerio non quadrat? Primus apud Iapponios aras erexit, feralissima regna, bellicosissimæ nationes ab illo susceperunt euangelicam pacem. Barbari Insulani, qui se ipsos vorabant, didicerunt esurire cœlestem panem. Vicit Xauerij lingua Bracmanorum, & Chaldæorum in suis sectis sapientum imposturas, fecit in terra deserta, & inuia pedibus euangelizantibus templa Christi germinari. Hæc illum Apostolis similem reddiderunt, vt inter tot mundos renascentium in Christo, ipse pater, & genitor non laboribus, sed plenus videatur suauitatibus.

Euseb.

Chrysost.

§. VI.

Tunc Christianus triumphat, cum vsque ad pedes omnium humiliatur.

NOta pueri Christum iam halantis victoriam: *egrediens plantam fratris tenebat manu*: pedes tenet vincendi, non caput. Ille, qui Matth. 18. vincere curabat, debitorem *tenens suffocabat eum*. Hic ad fauces, vel ad caput extendit manum, vt prosternat sibi aduersarium, necnon & vniuersi pugiles, tunc se putant vincere, si ictibus petant hostis caput. Iacob autem, non caput petit obluctatoris, non fauces, sed ad pedes se deiicit, & plantam tenet manu, agens iam inde athletam Christianum. Quò enim Christianus clariùs sese vsque ad pedes deiicit, eò clariores victorias sciet reportare. Notissimus est ille Christiani regni triumphus, de quo Daniel, cap. 2. *Abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus, &c.* In mōtis cacumine erat diuinissimus lapis, in sinu Patris Dei filius, vt August. putat serm. 70. indéque sese deiiciens vsque ad pedes creaturarum suarum, dum dissimulata Maiestate culminis, se pedibus obuoluit hominum, mundiales superbientium culminum detriumphat imagines. Expugnaturus mundum lapis, non ad aurea dirigitur capita, sed ad pedes iacitur, & inde omnia ostendit imperia sibi subiugata. Edisce, Christiane, si sapis, hanc vincendi artem, te vsque ad omnium pedes prosterne, & omnium dominaberis. Nunquam Christiano clariores triumphi accedunt, quàm vbi scit vsque ad pedes etiam aduersariorum humiliari. Apud Matth. 2. dicitur ex Isaia: *Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda, ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel.* Et quidem nascenti Domino, & sese vsque ad vilitatem præsepij demittenti Bethlehem, datur regendus populus Israelitarum, quin & ibi eidem aliquot gentes prostrantur, nimirum Magi ab Oriente venientes, *procidentes adorauerunt eum.* Id quod explicatiùs ponit Psalm. 71. *Reges Tharsis, & insulæ munera offerent, Reges Arabum, & Saba dona adducent.* Sic Dominus vsque ad Bethlehemmicum præsepium humiliatus, Israelitici populi, & Regum Orientalium dominatur. Longè amplior eius dominatus in Sione apparet; ait enim Psalm. 47. *Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas Regis magni.* Ecce tibi, qui Bethlehemi dux dicitur, Sionis magnus Rex vocatur; qui illic Israelis, & Orientis regna præoccupat, hic domum fundat in exultatione vniuersi Orbis terrarum. Et cur Sion ampliorē Christi dominatum ostenderet, quam Bethlehem, nisi & Christum ostenderet etiam magis humiliatum? Peruenit Dominus Bethlehemi vsque ad præsepij paleas, & vilitatem, & inde extendit manum ad regia mundi capita, quæ sibi subiugauit in Magis: at Sionis in cœnaculo sic se deiicit, vt ad pedes discipulorum, imò & sui proditoris prosternatur; ne miremur, quòd Sionis humilitas Christiana pedibus obuoluta ampliores triumphos de mundo vniuerso valeat reportare. Huc spectat Hesychius Ierosolymit. orat. in Iacobum, & Dauidem apud Biblioth. Photij: *Nisi Saluator humiliasset semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, non domestici cognati dicerentur. In Sione Bethlehem, vt præsens te saluto, in filiu matrē video. In te tædifera stella vna eluxit, in hac multa. Illa Magos duxit, hæc Parthos, & Medos, & Elamitas, & omnes gentes luminis fulgore illustrauit. Tu lac trahis ex vberibus virgineis, hæc spiritum ex sinu trahit paterno. Tu panem fermentasti, sed Sion cœnam ostendit.* In re humilitatis meritò sanctus vir magis stupet Sionem quàm Bethlehem, quādo maiores ab illa, quam ab hac prosilierunt triumphi, non enim Israelitici pastores, & Magi tantū subierunt Christi dominium, sed & Parthi, & Medi, & Elamitæ, & omnes gentes sese sub iugo Christiano receperunt. Vnde ista? Ait ipse: *Sion cœnam ostendit*, dum cœnæ vltimæ mysteria in cœnaculo Sionis apparent, vt sese Dominus ad pedes proditoris deiicit, non miror, quòd inde mundi sibi subiiciat imperia. Et quidem non noscit Iesum, nec eius potestatis vires cognoscit, qui non amat humiliari, & infimis quibusque hærere, vt triumphet de Vniuerso. Ille vas electionis, vt Orbem detriumpharet, dum petit Damascum, Actor. 9. cœlesti luce percussus *cadens in terram, audiuit vocem dicentem sibi. Saule, Saule, quid me persequeris? Qui dixit, quis es Domine? Et ille, Ego sum Iesus, quem tu persequeris, durum est tibi contra stimulum calcitrare. Et tremens, ac stupens dixit, Domine quid me vis facere? Et Dominus ad eum, Surge, & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere. Viri autem illi qui comitabantur cum eo, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes.* Et quidem ceciderat Paulus in terram, ceciderant & omnes comites eius cum illo, vt ipse cap. 26 testatur. Quomodo ergo cùm adhuc iaceret Paulus, nec curaret sese erigere, adeò vt Iesus dicat illi, *Surge*, iam comites eius dicuntur stare; ait enim de illis, *stabant stupefacti*? Comites, vt nec viderant Iesum, nec Iesu vocem perceperant, sic statim surrexerant, nihil in terra morantes; at Paulus, vt Iesum viderat, eiúsque perceperat halitum, vbi ad terram deiectus fuerat, ibi hærere, ibi amabat cubare. Ait Caietan. ibi: *Statim post illa verba, Ego sum Iesus, subiungitur; Surge, ingredere ciuitatem. Viri autem illi, qui comitabantur cum illo, stabant stupefacti. Stabant autem postquam resurrexerant, Saulo adhuc prostrato iacente, audientes quidem vocem Pauli, non Christi.* Qui [illegible] Christi perceperant, citò ab humili deiectione se leuarant; at qui iam viuebat de Iesu halitu, & ad totius Orbis triumphos armabatur, humi iacet prostratus, nec inde nisi iussus reuocatur.

Matth. 18.

Dan. 2.

Matth. 2.

Psal. 71.

Psal. 47.

Hesych.

Damasc.

Caiet.

Gen. 25. Quibus adultis factus est Esau vir gnarus venandi, & homo agricola. Iacob autem vir simplex, habitabat in tabernaculis. Isaac amabat Esau, eò quòd de venationibus illius vesceretur, & Rebecca diligebat Iacob.

§. VII.

Ingenui viri non in villis rei rusticæ operam dantes, sed in Curiis, & Regiis erudiantur, nisi velint à longè inferioribus pessundari.

Ecce tibi spiritus diuinus, vt suauiter disponit Esau deiectionem, & promotionem minoris fratris. Hic enim *habitabat in tabernaculis*, hoc est, iuxta Chaldæum, *minister erat domus doctrinæ*, nimirum, vt malunt Hebræi, frequens erat in locis scholarum, in quibus sapientes, & omni virtute viri ornati inueniebantur. Ille autem rure vitam agebat, totus agriculturæ, & venationi traditus. Cur tandem adeò agrestis homo non videat supra se minorem fratrem exaltatum, cui magis cordi fuit, inter sapientum frequentias vitam agere? Equidem nullo magis decidunt homines ab ingenuitate animi, & inferioribus subiectantur, quàm dum relictis cultu, & ornatu frequẽtibus vrbibus, & villis, & rei rusticæ penitus se tradunt. Eutropium nobilissimum iuuenem rure agentem, vt ad curiam reuocet, sic hortatur magnus ille Episcopus Sidon. Apollinar. lib. 1. epist. 6. *Senatorii seminis homo, qui quotidie trabeatis proauorum imaginibus ingeritur, iure dicere non potest semet peregrinatum, si viderit domicilium legum, gymnasium literarum, curiam dignitatum, verticem mundi, patriã libertatis, in qua vnica totius mundi ciuitate soli barbari, & serui peregrinantur. Et nunc (proh pudor) si relinquare inter bussequas rusticanus, subulcósque ronchantes. Quippe si & campum æstiua tremente proscindas, aut prati florens opes panda curuum falce populeris, aut vineam palmite grauem cernuus rastro fossor inuertas, tunc est tibi summa votorum beatitudo. Quin potius expergiscere, & ad maiora se pingui otio marcidus, & in neruis animus attollas. Non minus est, tuorum natalium viro, personam suam excolere, quàm villam. Esto multiplicatis tibi spumabunt musta vinetis, innumeros quoque cumulos frugibus rupta congestis horrea dabunt, densum pecus gravibus vberibus in mulctram per antra olida caularum pinguis tibi pastor includet. Quò spectat tam fætulento patrimonium promouisse compendio, & non solum inter ista, sed quod est turpius, propter ista latuisse? Non nequiter te concilii tempore, post sedentes, censentésque iuuenes, inglorium rusticum, senem stantem, nobilem latibundum pauperis honorati sententia premet, cum eos, quos, esset indignum, si vestigia vestra sequerentur, videris dolens antecessisse.* Quid pulchrius posset dari in tem præsentem? Expende ab illis: *Non nequiter te concilii tempore, &c.* non enim nequiter, sed iustissimè, & meritissimè ciuilis homo inter sapientes, & cultissimos viros, in frequentia nobilium, in gymnasiis literarum, in dignitatum curia adultus, etsi vilis, etsi infimus ignotæque stirpis præfertur in iudiciis nobilissimo cuique in sylnis, & in villis innutrito. Non nequiter, sed iustissimè nobilem inter bussequas rusticanos ronchantem, vel inter feras vigilantem antecedit priuatus, qui frequentissimas humanæ culturæ scholas semper adit, gloriosissimorum virorum vestigia calcans. Hinc Attalaricus Rex promouens quendam Cyprianum, sic refert Senatui Romano apud Cassiodor. lib. 8. var. 22. *Securus ad vos redit, qui iam honores suos in libertatis aula reposuit. Habet etiam vnde nobis reddatur acceptior, quando tales Curia vestra alumnos protulit, de quibus quamuis auidus pater, tamen propria vota superantur, non infantia trepidos, non ad respondendum, vt licebat, ignaros. Variis linguis loquuntur egregiè, maturis viris communione miscentur.* Hoc sapiens Rex commendat sibi in Cypriano gratum, quòd filios suos Curiæ alumnos facit, quódque illos sic imbuat; vt vel iuuenes maturis viris communione misceantur, ne in villis brutescant, vel subulcorum vsu, vel consuetudine ferarum, quo à parente degenerare cogantur. Nunquam non de sapientum frequentia, de humanæ culturæ gymnasiis præstantiores progrediuntur, qui cæteris præponantur. Et cùm ipse omnipotens Dominus de plenitudine potestatis discipulos esset electurus ex piscium venatu, vt vniuersum orbem subiectarent: tamen qui primus ad eum venit, in hoc verè præponendus aliis, non erat ille in littoribus, neque in præruptis saxis, venationem captans, sed in virtutum gymnasiis: & dum è Ioannis tabernaculo ad Iesum accedit, de eiúsque sciscitatur tabernaculo, vt ibi moretur, sese superposuit maioribus etiam fratribus. Hic erat Andreas; ait enim Ioan. 1. *Altera die stabat Ioannes, & discipuli eius duo. Et respiciens Iesum ambulantem dicit: Ecce Agnus Dei. Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum. Conuersus autem Iesus, & videns eos sequentes se, dixit eis: Quid quæritis? Qui dixerunt ei, Rabbi (quod dicitur interpretatum, Magister) vbi habitas? Dicit eis, Venite, & videte. Venerunt, & viderunt vbi maneret, & apud eum manserunt die illo: hora autem erat quasi decima. Erat autem Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus, &c.* Ecce tibi Andreas Petri frater, & frater minor Petro, & in hoc præponitur, vt primus inueniatur à filii Dei parte: primus sub tanto duce scribatur, primus ad alios vocandos eligatur. Vnde tot primitias obtinuit, nisi quia ipse erat habitans in tabernaculis, erat in Ioannis schola, & inde Iesu habitationem indagauit? Pulchrè ait Hesychius Ierosolym. in Encom. in D. Thom. apud Biblioth. Photii: *Sacra illa tuba Andreas, primus Apostolorum factus, prima Ecclesiæ columna, ante Petrum petra, fundamenti fundamentum, initii primitiæ, vocans antequam vocaretur, nos ad conuentum hunc solemniter agendum incitauit. Euangelium, cui nondum credebatur, prædicauit, & fratri priusquàm disceret, vitam reuelauit. Tantas illi diuitias illa interrogatio attulit: Vbi habitas?* Nondum maris littora terit venaturus, nondum remotiora loca maris scrutatur, nondum cauernis inclusus insidias piscibus homo marinus, & incultus parat, sed dum tabernaculis immoratur, dum legum domicilia, morum scholas frequentat, dum in sapientiæ gymnasio habitat, in agnoscendo Iesu, illóque sequendo primas cæteris, licèt natu maioribus, rapuit.

Sid. Apo. — *Cassiod.* — *Ioan. 1.* — *Hesych.*

§. VIII.

Solus Christus æquè sufficiens ostenditur omnibus filiis.

Ecce tibi Isaaci, & Rebeccæ affectus, vt diuiditur inter duos filios; neuter vtrisque sufficit, sed quisque erga alterum afficitur, Isaac maiorem natu, Rebecca minorem diligens. Ait enim textus: *Isaac amabat Esau, & Rebecca diligebat Iacob.* Nec mihi ostendes parentes, qui æquè sufficiant omnibus filiis, nisi is sit Christus. Aiebat enim Paulus ad Roman. 1. *Non erubesco Euangelium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti, Iudæo primùm & Græco. Iustitia enim Dei in eo reuelatur.* Expende, quòd iustitia Dei in solo Euangelio Christi dicatur reuelari, an in aliis nõ manifesta erat Dei iustitia distributiua? Nonne in multis splendebat affectus æquè bona singulis distribuens? Non mihi ante aduentum Christi ostendes vllum, siue is sit Legislator, siue Propheta, siue pater, siue mater, siue frater, qui clarè, & conspicuè ostendatur, omnibus æquè bona distribuens, vt ostenditur vnus Christus. Ad hæc ait D. Chrysostom. orat. in Exod. 28. apud Biblioth. Photii: *Quomodo iustitia Dei in illo reuelatur? Cùm prima lex Iudæis solis data sit, licèt alii homines eiusdem existerent naturæ, & originis: Euangelium verò omnibus æqualiter gentibus, meritò in illo iustitia Dei reuelatur, & iustitia Euangelium vocatur.* Non lex, sed Euãgelium Christi sciuit omnibus æqualiter prouidere; lex Iudæis solùm consulens, cæteros quosque prætermittebat; Euangelium Christi, & Iudæis, & Græcis, & omnibus æqualiter suam sufficientiam adornabat. Meritò in solo Christo iustitia Dei reuelatur, quæ omnibus sufficit æqualiter. Siue enim maior, siue minor, siue primus, siue postremus, siue antelucanus venias, siue serotinus æqualiter à Christo expectaris. De Christo dicebat Oseas, cap. 6. *Quasi diluculum præparatus est egressus eius, & veniet quasi imber nobis tẽporaneus, & serotinus terræ.* Legit Hesychius apud Biblioth. Photii in Encomio D. Thomæ: *Veniet nobis vt ros matutinus, & serotinus terræ.* Et quidem ros matutinum solum aspergit, post matutinum elapsum, nec in meridie, nec in vesperi ros inueniri solet. Qualis ergo erit ros, qui & in matutinis, & in vespertinis, & serotinis inueniri potest? Is non est ros mundialis, sed cœlestis, sed diuinus; is est solus Christus Filius Dei, qui & cùm ros sit, nulli deficit, sed omnibus æquè prospicit, siue citò, siue sero venientes suscipit, & matutinos, & serotinos suæ benedictionis gratia aspergit. Rem pulchro exemplo probat Hesychius supra, dicens: *Venit nobis, vt ros matutinus, & serotinus terræ. Aspice namque Dominum post resurrectionem manè mulieribus, vespere Apostolis apparentem. Manè quidem mulieribus, Aue; vespere in ciuitate Sion pacem Discipulis denuntiauit. Illis quidem vt mœrorem detergeret, his verò, vt solueret inimicitiam, quam serpens innexit.* Ecce tibi

Rom. 1. — *Chrysost.* — *Osea 6.* — *Hesychius.*

tibi multo manè, primo diluculo currentes mulieres Christus suscipit, suæque gratiæ rore conspergit. Et quia festinantes accedere, suscipit, & aspergit ros diuinus; morantes, & pigritantes despicit? Absit: imò cùm serò esset factum, Discipulis apparet, pacisque dulcedine replet. Vnus Iesus est, qui æque sufficit primis, & postremis, matutinis, & serotinis; qui nullum despicit, sed & eum amplectitur, qui manè, & qui vesperi accedit; qui antelucanus, & qui serotinus venit. Imò nullo euidentiori argumento ostenditur donum aliquod ad omnes indifferenter extendi, quàm si probetur à Deo in nos profectum esse. Aiebat enim Paul. 1. Corinth. 15. de dono resurrectionis: *Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium. Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Ex eo quòd Christus resurrexit, concludit Paulus, necessarium esse, quòd omnes homines resurgant. Sed vnde manauit hæc necessitas? Cur non posset fieri, quòd vt Christus erat solus vnigenitus Patris, Filius Dei naturalis, sic solus ipse resurgeret à mortuis? Sanè donum resurrectionis ab omnipotẽti Deitate in naturã Christi humanam peruenit: donum autem Dei, quantum est ex se, nunquam in vno aliquo, licet primo, licèt excellentiori sistere solet, sed sese ad omnes indifferenter porrigit. Quod notabat in præsenti Sophronius orat. in Exaltat. Crucis, & Resurrect. apud Grethserum nostrum, tom. 2. aiens: *Neque enim particulare est resurrectionis donum, neque ad paucos quosdam huius beneficij amplitudo sese extendit. Omnis namque creatura Deus, & Dominus erat, qui secundùm humanam naturam, resurrectionem in ipsa effecit, qui beneficia ad paucos manare felicia, dare non solet; apud quem personarum acceptio nihil loci habet. Nam cùm verissimus sit verum omnium Dominus, in omnes gratias salutisque dona effundit; rationem enim habet suæ imaginis, eámque perfectissimè renouat, quandoquidem omnis homo, nemine excepto, ad similitudinem Dei efformatus est.* Expende ab illis: *Omnis namque creatura Deus, &c.* ex eo enim quòd Deus sit, qui dedit naturæ humanæ Christi resurrectionem à mortuis, sapienter colligit donum illud debere extendi ad omnes homines.

1. Cor. 15.

Sophron.

Genes. 25. Coxit autem Iacob pulmentum: ad quem cùm venisset Esau de agro lassus, ait: Da mihi de coctione hac rufa, quia oppidò lassus sum. Quam ob causam vocatum est nomen eius Edon. Cui dixit Iacob: Vende mihi primogenita tua. Ille respondit: En morior, quid mihi proderunt primogenita? Ait Iacob: iura ergo mihi. Iurauit ei Esau, & vendidit primogenita. Et sic accepto pane, & lentis edulio comedit, & bibit & abiit paruipendens, quòd primogenita vendidisset.

§. IX.

Non excedis ferarum indolem, quod tuis solis alimoniam prabeas.

AGrestis Esau venandis feris magis adsuetus, quàm hominum consortio, dum à ferarum venatione in domum redit paternam, edulium à Iacobo petit dicens: *Da mihi de coctione hac rufa* Hebraicè est ad verbum: *Ciba me de rufo isto.* Et miror, quòd feralis homo, qui multo ferro, & sudore escas à feris extorquebat, adeò comiter, & gratis à fratre cibum expectet. Solùm enim ait, *Ciba me de rufo isto.* Vnde tibi venit in mentem homo feralissime, tam facilè posse te cibum à fratre obtinere? An tibi hoc suggesserunt feræ, quibus adsuetus? Equidem quòd frater fratrem cibet, ferarum indolem non excedit, rarum est animal adeò efferum, à quo sui cibum accipere non expectent. Veri hominis, & prorsus à feris distincti effigiem tractans Psal. 36. ait: *Tota die miseretur, & commodat.* Non ait, commodat suis, sed absolutè posuit, vt intelligatur veri hominis forma in eo consistere, quòd & suis, & extraneis commodet. Quippe ait D. Ambr. lib. 3. Offic. cap. 3. *Hoc præstamus cæteris animantibus, quòd alia genera animantium conferre aliquid nesciunt, feræ autem eripiunt, homines tribuunt. Vnde & Psalmista ait: Iustus miseretur, & tribuet. Sunt tamen quibus & feræ conferant. Siquidem collatione sobolem suam nutriunt, & aues cibo suo pullos satiant suos: homini autem soli tributum est, vt omnes tanquam suos pascat.* Quòd à te tui cibos expectent, nihil de te supra feras præsumunt; & feræ suos cibant: humanum, imò diuinissimum est, quòd à te non solùm tui, sed & vniuersi alij accipere sibi cibos sperent. Charitatissimus erat Ioseph Gen. 42. qui dum famelicos fratres aspiceret, *iussit ministris, vt implerent eorum saccos tritico, & reponerent pecunias singulorum in sacculis suis.* Quid humanius? Sanè longè maltò humanius esset, si non fratrum saccos solos, sed & exterorum omnium ora impleret gratis tritico. Ex quo mirificè exaltat magnificentiam sui Regis in Ligures Cassiodor. lib. 12. var. 28. inquiens: Gaude igitur assuete iam bono Ligur, in vsu tuo secunda venerunt, nam collatos tibi Ægyptios magna prosperitate vicisti, euadis tẽpora necessitatis, & libertatis præmia non amittis, imò illo tempore securus es ab hoste redditus, quando & de famis periculo cognosceris esse liberatus. *Adhuc te prædictum ornat exemplum: adhuc est, in qua parte superetur. Legitur enim Ioseph fratribus suis tantum saccis occulta pretia reddidisse, quid mirum, si natura compellente proximis suis humanior visus est exstitisse? Hic autem cunctis largè vendidit, functionem debitam reliquit. Et plus iste generaliter contulit tributariis, quàm ille solis visus est præstitisse germanis.* Nihil equidem magnum, nihil sublime, nihil vel ab ipsis feris non sperandum præ se fert homo, qui suis solis fauet, qui suos famelicos cibat. Ille omnes superat, qui omnibus abundat, qui bonorum propriorum tam suos, quam alienos, tam propinquos, quàm longè dissitos facit esse participes. Quam gloriam argutissimè ponderat in Patienti Episcopo Sidonius Apollin. libr. 6. epistol. 12. fatus. *Post Gothicam depopulationem, post segetes incendio absumptas, peculiari sumptu, inopia communi per desolatas Gallias gratuita frumenta misisti: cùm famescentibus fame populis nimium contulisses, si commercio fuisset species ista, non munere. Vidimus angustas tuis frugibus vias. Vidimus per Ararim, & Rhodani ripas, non vnum, quod vnus impleuerat, horreum. Fabularum cedant figmenta gentilium, & ille quasi in cœlum relatus pro reperta spicarum nouitate Triptolemus, quem Græcia sua sacrauit templis, formauit statuis, effigiauit imaginibus. Illum dubia fama concelebrat, per rudes populos duabus vagum nauibus ignotam circumtulisse sementem. Tu, vt de mediterranea taceam largitate, vicinum ciuitatibus Tyrrheni maris erogaturus granariis tua duo potiùs flumina, quàm duo nauigia complesti. Quapropter, etsi ad integrum censere non possum, quantas tibi gratias Arelatenses, Reienses, Auennicus, Arausionensis quoque & Albensis, Valentinaque; necnon & Tricastina vrbis possessor exsoluat: quia difficile est eorum ex asse vota metiri, quibus nouerit alimoniam sine asse collatam: Aruerni tamen oppidi ego nomine, vberes perquam gratias ago, cui vt succurrere meditarere, non te communio prouinciæ, non proximitas ciuitatis, non opportunitas fluuij, non oblatio pretij adduxit. Ilicet scias vole, per omnem fertur Aquitaniam gloria tua: amaris, laudaris, desideraris, excoleris, omnium pectoribus, omnium votis. Inter hæc temporum mala, bonus sacerdos, bonus pater, bonus annus es.* Piaculum duxi, vel verbulum præterire, vt manifestè pateat, quàm se afferat inter diuos homo ille, qui scit etiam ad exteros, & loco dissitos cum sua largitate peruenire. Vt clareat gloria Episcopi, qui non solas proprias oues tempore famis pauit, sed & misit panem suum super aquas, vt ad exteros etiam, & populos distantissimos iret.

Psal. 36.

D. Amb.

Gen. 42.

Cassiod.

Sidon.

§. X.

Fœmineum ingenium abruptissimum, festinantissimum.

DE fraternæ famis occasione Iacob primogenium à fratre, vel dato lentis pretio, accipere festinat, non id quidem inhumanè, aut scelestè, sed iustè, cùm enim didicisset oraculo sibi primogenium obuenturum, qua ratione potest, illud iniusto possessori curat eripere. Sed etiam Dauid, à Samuele inauguratus, sciebat sibi deberi regnum Israeliticum, & nihilominus de regno acquirendo nunquam tractat, imò occasionem nactus, qua posset infensissimum sibi hostem Saülem de medio tollere, & regnum sibi oraculo promissum, imò datum, ex iniusto possessore recipere; tamen longanimis expectat, donec illud ex Dei manu recipiat. Sic enim ait ad viros monentes de regni accipiendi ab iniusto possessore occasione, 1. Reg. 24. *Viuit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit, vt moriatur, aut descendens in prælium perierit: propitius mihi sit Dominus, vt non mittam manum meã in Christum Domini.* Et quidẽ æquè iustum fuisset Dauidi, si hostem infensissimũ percuteret, & sibi debitũ imperiũ acciperet, ac fuit iustũ Iacob, quòd fratrẽ lentis edulio inescaret, & primogeniũ sibi acquireret. Vnde ergo tanta lõganimitas in Dauide, & tanta festinatio in Iacob pro primogenitura?

1. Reg. 24.

Vterque sanctus erat, vterque sanctis motibus innutritus, vterque Deo acceptus, & electus in Principem; vterque id sciebat oraculo diuino: sed Dauid longa expectatione præstolatus adimpletionem regni promissi; Iacob mille modis, mille medijs festinat, vel pretio dato, vel dolo bono præripere sibi oblatam primogenituram. Vnde tam longanime ingenium in Dauide, & tam abruptum, & festinatum in Iacob? Sanè Iacob, quidquid ad promissam primogenituram pertinebat, do matre hauriebat, nō enim ipse per se, vt Dauid promissionem accepit: sed promissio matri Rebeccæ dicta fuit: quæ vt à Rebecca Iacobo cōmunicabatur, simul cōmunicabatur fœmineus aculeus ad habenda promissa, & abruptissimū, festinatissimūmque ingeniū fœmineum, ne posset morā accipiendi promissi perferre vllam. Numquā nō abruptum, & præceps est mulieris ingenium, & lōgæ expectationis fastidiens. Id etiam licet videre in Tobia, & eius vxore; vterque reuersuri filij desiderio tenebatur, vterque eius absentiam morosam dolebat, vterque aduentum eius maximè exoptabat. Sed quanta cum differentia longanimitatis? Accipite Tob. c. 10. *Flebat igitur mater eius irremediabilibus lacrymis, atque dicebat, Heu heu fili mi, vt quid te misimus peregrinari, lumen oculorum nostrorum, baculum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ? Omnia simul in te vno habentes, te non debuimus dimittere ire à nobis. Cui dicebat Tobias, tace, & noli turbari, sanus est filius noster: satis fidelis est vir ille cum quo misimus eum. Illa autem nullo modo consolari poterat, sed quotidie exiliens circumspiciebat, & circuibat vias omnes, per quas spes remeandi videbatur, vt procul videret eum, si fieri posset, venientem.* Expende ex illis: *quotidie exiliens circumspiciebat*; non poterat ingenium muliebre consistere expectans; quotidie ad vias festinabat, & ipsas semitas aduenturi tentabat, & dum vir domi sedens præstolabatur filij aduentum, ipsa nihil non agebat, vt festinantiùs potiretur optatum. Sic vxori Iobi nil magis erat in viro intolerabile, quàm eius longanimitas, & expectatio, ait enim textus, cap. 2. apud Septuag. Vaticani: *Tempore multo transacto dixit ei vxor eius: Quousque sustinebis, dicens; Ecce permaneo, tempus adhuc parum expectans spem salutis meæ?* Non priùs de viri calamitate, & ærumnis queritur, sed de eius expectatione, & longanimitate; hæc in primis muliebrem animum diuexat, & mactat; hæc prorsus est muliebri ingenio intolerabilis. Vt meritò dicat Virgil. Æneid. 11. de præcipiti quodam festinante ad prædam: *Fœmineo prædæ, & spoliorum ardebat amore.* Nescit enim fœminea cupiditas vllas perpeti moras.

Tob. 10.

§. XI.

Rarò contemnuntur impunè pretiosa pro vilibus.

ÆGyptiacæ lentis edulium sic rapuit Esau, vt pro illo paruipenderet primogenium vendidisse: ait enim textus: *Accepto pane, & lentis edulio comedit, & bibit, & abiit paruipendens, quòd primogenita vendidisset.* Nec impunè, ex tunc enim, primogenitura amissa, fratris mancipatur seruituti, qui tam pretiosa vendidit pro tam vilibus. Ait D. August. Psalm. 46. supponens lenticulam illam ab Ægypto fuisse asportatam: *Ergo desiderando Esau cibum Ægyptium, perdidit primatum.* Et quid non perdat, qui pretiosis contemptis ad vilis rapitur? Sanè is rarò sine ingenti ruina euadit. Notissima est lex Moysis, quæ popularibus suis pretiosissimarum, & suauissimarum dapum siue piscium, siue animalium cibos interdicit. Et cur Moyses populum dilectissimum à suauissimis escis arcet? Fruebatur populus in eremo cœlesti cibo, panem Angelorum manducabat, quem contemnens cæparum, & alliorum, & carnium Ægyptiarum desiderio cœpit affici. Inde meritò interdictione suauissimæ escæ punitur, vt qui pretiosis cœli dapibus contemptis, ad vilissima Ægypti edulia fuerit raptus. Ait Tertull. lib. aduersus Psychicos: *Quod aliud merebatur populus, quàm vt ne omnibus escarum voluptatibus vterentur, qui diuinis manna epulis vilissimos Ægyptiorum cibos præferre ausi sunt, carnes sterilentas inimicorum post libertatem anteponentes, digni sanè, quos optata seruitus figuraret, quibus malè displicuerit, & melior, & liber cibus.* Immeritò manerent impuniti, qui relicto cœlesti epulo vilissimis Ægyptiorum cæpis inhiabant: qui nauseabundi ad Angelorum panem, auide currebant ad cucumeres, & allia. Heu quam serpit hæc lues ad hæc vsque tempora, quibus passim pretiosa, & optima contemnuntur, conculcantur, & vilia, & sordida, & squallida quæruntur, amantur; & pro illis habendis amplissima patrimonia dissipantur. Quot videas, qui honestis, pulchrisque

D. Aug.

Tertul.

copulari puellis, iis despectis, ad agasonum, histrionúmve fœtidas currant reliquias? Nec contentus est vir ingenuus candidissimam, & pulcherrimam sponsam nactus, nisi de vilissimis agasonum mancipiis infames sibi comparet delicias. Fallar nisi ob hæc tot videantur in dies familiarum nobilissimarum ruinæ, tot clades in Christiana Republica. De Achab Rege occiso dicitur 3. Reg. 23. iuxta Septuag. *Sepelierunt Regem Achab in Samaria, & lauarunt sanguinem suum à curru in fonte Samariæ, & linxerunt canes sanguinem, & meretrices lotæ sunt in sanguine eius iuxta verbum Domini.* Ecce tibi sanguis regius datus canibus in cibum, meretricibus in lauacrum, & cur in tantum supplicium deuenit? Quale ob peccatum sic debuit mulctari? Cap. 21. eius innuitur scelus, dum à Naboth petit fertilissimam vineam, vt ablatis vitibus faciat ex illa hortum olerum: ait enim: *Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum.* Quid Regi, & oleribus? Olus in cibum datur ganeonibus; Regum dapes, & delicatissimæ, & pretiosissimæ sunt, at Rex iste, sic ganeonum vilissimis inhiabat cibis, vt pro illis habendis non dubitaret occidere innocentem hominem. Vnde meritò ait D. Ambros. lib. de Nab. cap. 15. *Quid sibi vult, quòd meretrices lauerunt se in sanguine eius, nisi fortè vt meretricia quadam in illa feritate fuisse regis perfidia proderetur, vel cruenta luxuries, qui sic fuit luxuriosus, vt olus desideraret, sic crudelis, vt propter olus hominem occideret.* Cūr de illius sanguine non splendeant spurcissimæ meretrices, & rabidissimi canes saturentur, qui sic exorbitat à natura, vt ad vilissima olera relictis cibis pretiosis, festinet; vt despiciens candida, & pura fercula, ad reliquias ganeonum currat, & propter vile olus ab histrione subactum, & patrimonium perdat, & salutem, imò & vitam.

3. Reg. 13.

D. Amb.

§. XII.

Nimia ciborum ingluuies, quidquid virtutis est, & Religionis vilipendit.

POst cibi ingurgitationem abiit Esau, *paruipendens, quòd primogenita vendidisset*, quod ponderās Targum Ierosolymitanum, inquit: *abiit, & contempsit Esau primogenituram, & flocci pendit partem futuri sæculi, negauitque resurrectionem mortuorum.* Nec grauabor credere id perpetratum fuisse ab homine pleno epulis concupitis; de intemperantia enim escarum nil citiùs, quàm diuinorum contemptus solet parturiri. Hinc Dominus populum suum sic composuit, vt à multorum ciborum copia illum abstinere iusserit, vt per gulæ temperantiam magis hæreret religioni, à qua facit desciscere luxurians escarum appetitus. Quippe ait Tertull. lib. de ieiunio: *Accessere & aliæ causæ, quibus multa à Iudæis ciborum genera colleretur, non vt illa damnarentur, sed vt isti coercerentur seruituri vni Deo, quia ad hoc adsumptos frugalitas docebat, & gulæ temperantia, quæ semper religioni deprehenditur esse vicina, imò (vt ita dixerim) consanguinea, atque cognata: sanctitati enim inimica ciborum luxuria est. Quomodo enim per illam parcetur religioni, cum non parcatur pudori? Non recipit luxuria Dei timorem, dum præcipitantibus illam voluptatibus, in solam fertur cupiditatum temeritatem: effusis enim habenis, sine modo admotis sumptibus, quasi pabulis crescit, excedens patrimonium cum pudore, aut vt torrens aliquis è montium iugis cadens, non tantùm opposita transcendet, sed & illa ipsa maliciarum ruinam secum rapit.* Vix est verbum, quod non sit magna ponderatione dictum; vbi bonum frugalitatis, & malum luxuriantis gulæ apprimè describitur. Meritò enim seruituros vni Deo populos gulæ temperantia firmabat, vt quę religioni, & vicina, & consanguinea, & cognata sit. Luxurians autem gulæ appetitus totius sanctitatis hostis habetur, & inimicus; nihil diuinum reueretur; amplissima exedit patrimonia, imò & pudorem exedit ipsum. Nonne Esau in lenticularum edulium contulit primogenituram, & sacerdotium, nec puduit illum tam pretiosa, tam vilibus vendidisse? Equidem apud luxuriantem gulam nihili æstimatur honestas, nihili æstimatur virtus, nihili æstimatur religio. Exod. 32. dicit. *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* De quo Diuus Ambrosius lib. 6. epistol. 36. *Sedit enim populus manducare, & bibere, & fieri sibi Deos alienos poposcit.* Nec potuit ab epularum ingluuie quid melius parturiri, quàm veræ religionis contemptus, & falsæ institutio. Quis crederet populum Israeliticum non Deo adhæsurum, à quo cœlesti cibo pascebatur in deserto? Nullus homo acceperat talem mensam à Deo suo; in qua Israelis populus panem Angelorum manducabat singulis diebus. Et quid de tam Angelico, & cœlesti cibo ortum est? Accipite Tertull. lib. de Baptis. *Populus mare transgressus est, in solitudinem translatus per quadraginta*

Tertull.

Exod. 32.

Tertul.

annos, illic cùm diuinis copiis aleretur, nihilominus ventris, & gulæ meminerat potiùs, quàm Dei. Etiam à suauissimo Angelorũ cibo orta est, in nefario illo populo, obliuio Dei. Hinc Dominus deserti antiqui cœlesti cibo opposuit ieiunium sui deserti. Pergit enim Tertull. *Deinde Dominus post aquam segregatus in deserto, quadraginta dierum ieiunia emensus, ostendet non pane viuere hominem Dei.* Equidem vita hominis in Deo, minimè ex cibis quærenda. De hoc habes plura in Moralib. Euangel. Hist præsertim tom. 2. & 4.

Idem.

Gen. 27. Senuit autem Isaac, & caligauerunt oculi eius; & videre non poterat; vocauítque Esau filium suum maiorem, & dixit ei: Fili mi? Qui respondit: Adsum. Cui pater: Vides, inquit, quòd senuerim, & ignorem diem mortis meæ. Sume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foras. Cúmque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti, & affer, vt comedam, & benedicat tibi anima mea, antequam moriar. Quod cùm audisset Rebecca, & ille abiisset in agrum, vt iussionem patris impleret, dixit filio suo Iacob: Audiui patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo, & dicentem ei: Affer mihi de venatione tua, & fac cibos, vt comedam, & benedicam tibi coram Domino, antequam moriar. Nunc ergo fili mi acquiesce consiliis meis, & pergens ad gregem, affer mihi duos hœdos optimos, vt faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur, quas cùm intuleris, & comederit, benedicat tibi priusquam moriatur.

§. XIII.

Apud cœlestem Patrem quisquis diligens est, primas sibi certissimè præripiet.

Miraris Rebeccam adeò esse solicitam de præripienda paterna benedictione filio suo iuniori Iacob, scit illum esse natu minorem, scit in patris deliciis esse Esau, cui & natura ipsa, & amore paterno parabantur omnia prima. Scit rursus non Iacob, sed Esau vocatum esse iam à Patre, vt, allatis cibis, benedictionem primogeniti accipiat. Nec iis cognitis ab intento desistit, sed magis satagit, vt iunior Iacob benedictionem sibi ex patre præripiat. Vnde hæc spes tua alitur, ô bona? Cùm Esau vides vocari à patre ad benedictionem primogenituræ, vnde speras posse fieri, quòd Iacob minor, & à patre neglectus, posset primatus benedictionem præripere? Non equidem terrenum, sed cœlestem aspicit Patrem mulier, apud quem non senior, sed diligentior meritò putatur posse primas præripere, & ideò sapiens fœmina iuniori filio diligentiam mandat, vt festinet ad greges ipse, vt ipse, & non seruus, duos hœdos afferat, certò sciens primatum ex Deo deuenturum ad iuniorem quando ipse alium diligentia superauerit. Quò respiciens D. Ambr. lib. 2. de Iacob, cap. 2. ait: *Pio affectu Isaac Patriarcha, & sancta Rebecca certabant, vt neutrum inferiorem facerent, sed vtrumque fratrem æqualem. Vicit tamen ille, qui præferebatur oraculo, vicit impigritia tarditatem.* Et quidem huius primatus victoria non præferenda erat ex terreni patris calculo, sed ex cœlestis oraculo. Quis ergo victurus apud hunc, & primas laturus? An senior? Absit: pulchrè enim postquam dixerat victoriam venturam ex cœlestis Patris oraculo, statim addit: *Vicit impigritia tarditatem.* Apud cœlestem namque Patrem, non qui senior, sed qui diligentior, sibi potest præripere primatus. Iunior erat ille prodigus filius, qui omnem suam substantiam à patre acceptam consumpserat, & nihilominus, surgens venit ad patrem, deflet scelera, petit vel admitti in locum mercenarij. Quid tunc pater? Ait apud Luc. 15. *Dixit autem pater ad seruos suos: Citò proferte stolam primam, & induite illum.* Habes, ô Deus, & alium seniorem filium domi, cui omnia tua parata sunt; huic prodigo iam dedisti partem suam, quam ille consumpsit, cur iterum illi stolam primam mandas? Cur hanc non magis reseruas seniori? Nonne sufficeret, si huic vel è secundis mandetur aliquid? Sanè cœlestis Pater hoc maximè attendit, si quis filiorum diligentiam faciat, vbi filium diligenter accurrere videt, cætera non spectat, sed huic omnia prima mandat, nec in secundis illum manere patitur. Ait Chrysol. serm. 3. *Pater hic in secundis esse non passus est peccatorem.* Et quidem vnus Deus verus Pater est, qui peccatorem flentem, clamantem, pulsantem, currentem, in secundis esse non patitur, sed illi parat primatum, posthabitis etiam iustis, qui nihil, vel morosè operantur. Nonne maturauerat Simon ille Pharisæus, vt Iesum ad conuiuium traheret? Habebat quidem iste Iesum conuiuam suæ mensæ accumbentem, illum pretiosis dapibus cibabat; interea tamen ingressa est mulier peccatrix, Luc. 7. *Et stans retrò secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Et, quod mirere magis, sic hæc mulier Iesu animum occupauit, sic illum sibi præripuit, vt longè illa inferior maneret Pharisæus, qui Iesu faciebat conuiuium. O nouum diuinæ gratiæ dolum! A tergo venit peccatrix, & tamen quia operum diligentia vicit, primas rapuit illi, qui videbatur iustus. Pulchrè ait D. Laurentius Nouariensis, hom. 1. de Pœnit. *Pharisæus fecit conuiuium, & meretrix coronata est. Quare? Quia multum dilexit, & multum plorauit, multum pœnituit. Et inde duplo Pharisæo prælata est peccatrix, quando ille quinquaginta, illa quingentis compensata est nummis.* Rapuit mulier Pharisæo primatum, & coronam, quia illo diligentior fuit in obsequiis Domino præstandis: diligentia enim in obsequiis regulariter præualet apud cœlestem Patrem. Et fallar, si quem inter Dei primates annumeres, quem & diligentia in virtutibus exercendis non commendauerit. Rem pulchra inductione probat Iobius Monach. lib. 9. de Incarnat. cap. 38. *Oportebat Dei matrem in terra esse: eam vocauit, quæ omnibus virtutibus alias omnes superaret. Patrem oportebat, & fratres super terram nominare eum, qui sine patre esset. Non è latronibus hos, & meretricibus deligendos putauit, sed qui iustitia collucerent. Talis Ioseph, &c. Rursum Verbo præcurrere oportuit Præcursorem, & qui Propheta, omnibúsque adeò hominibus maior esset, præcurrit. Oportuit & testem offerri, qui eius gloriam testaretur: Simeonem itaque & Annam vocauit. Discipulósne elegisse oportuit? Optimos vtique delegit: Scio enim, inquit, quos elegerim. Oportebat mortuum suscitare Bethaniensem Lazarum. Sed eum non nisi ex pia domo, in qua Martha, & Maria, quam bonam elegisse partem diuina pronuntiauit sententia. Ex gentibus quoque vocari aliquos oportuit: primus omnium Cornelius vocatur, qui quantus virtute, etiam ante baptismum fuerit, sacra loquuntur literæ. Sic in omni etiam natione, tum familia, & vito genere, qui ex virtute viuerent, videmus vocari, accurrere, vocantémque sequi, potiùs quàm qui contrariis essent dediti studiis.* Ecce tibi, vt diligentia in virtutis studio sit, quæ diuini patris primogenia rapit.

D. Amb. — *Luc.* 15. — *Chrysol.* — *Luc.* 7. — *Laur. Nou.* — *Iobius.*

§. XIV.

Non dignitatis, sed seruitutis forma præualet apud Deum.

Certabant vtique Isaac, & Rebecca de primogenij benedictione impertienda filiorum alteri. Isaac illam impertiri volebat Esau, Rebecca Iacobo. Quid tunc? Ait Isaac ad Esau: *Cùm venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum : : : vt comedam, & benedicat tibi anima mea.* Rebecca autem dicit suo Iacob: *Pergens ad gregem, affer mihi duos hœdos optimos, vt faciam ex eis escas patri tuo, quas cùm intuleris, benedicat tibi.* Quod petit Isaac à filio, vt benedictionem obtineat, ingenuum est, nobile est, & plenum regiis deliciis; venatio enim inter nobilium exercitia, & delicias numeratúr. Quod autem petit Rebecca à suo filio, id ignobile est, seruile prorsus est; petit enim quod peti solet à seruo, vt ad gregem vadat, & duos hœdos afferat. Quid agis mulier, dum in honoris primatu satagis præferre iuniorem maiori, sub forma serui mittis illum ad greges, quando hic nobilis, & ingenuus venationem sectatur? O sapientiam diuinitus inspiratam! Scit sanctissima fœmina diuino assueta oraculo, apud Deum non dignitatis, aut nobilitatis, sed seruitutis piæ formam esse, quæ præualet, & sic tunc maximè præferendum putat iuniorem maiori fratri, si hic piè seruiat, dum ille triumphat, & exultat sub venationis arcu. Cantatissimus est Pharisæus ille, qui Iesu conuiuium adornabat

nabat Luc. 7. 15. assuetis conuiuiorum obsequiis hospiti exhibendis dimissis, solum assumit, quod splendidius, & magis honorificum erat, nimirum, vt mensæ accumbat, ibique herum agens fercula à ministris allata exhibebat Christo. Interea peccatrix mulier *stans retro lacrymis cœpit lauare pedes Iesu, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Quo longè superauit Pharisæum conuiuium, &, iudicante Deo, Pharisæus mansit inferior meretrice. Et vnde potuit meretrix sic Pharisæum vincere? Nonne vterque Christo officiosus erat? Sed ille solam herilis dignitatis formam retinens, mensis assidet, & exhibet à seruis paratum conuiuium, hæc quidquid dignitatis erat dimittens, quod seruile erat, assumit, Domini lauans pedes, & vngens, vnde meritò apud Deum Pharisæo prælata dimittitur. Ait D. Paulinus, epist. 4. *Meritò prælata Pharisæo, licèt pascenti Christum, quia Iudæo exultante, ieiuna, non sibi, sed salutis auida seruiebat.* Ille exultat conuiuio, herum ibi agit: hæc solùm seruit, nihil in se ostendit non seruile, ne miremur, quod præferatur illi; quando apud Deum non dignitatis, sed magis præualet forma seruitutis. Ad hæc Paul. ad Phil. c. 2. *Hoc enim sentite in vobis, quod in Christo Iesu, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formã serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.* Vides summam Iesu exaltationem, & omnium primatum, ad quem deuenit, quando sedens ad dexteram Patris, & sese Deo æqualem, & omnia sibi subiecta ostendit. Sed illa verba nobis maximè notanda sunt, nimirum: *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formã serui accipiens.* Vbi enim sapientissimè, & verissimè arbitratus est diuinæ altitudinis ostensioné, & manifestationem in se non per rapinam esse obtinendam, nihil prius curauit, quàm se exinanire, & ad seruilem habitum reducere. Quidquid gloriæ, quidquid nobilitatis, & splendoris est, obnubilat, solam serui formam reliquit apertam. D. Anton. Abb. ep. 3. ad Arsenoitas: *Exinaniuit semetipsum à gloria, formam serui accipiens, vt illius seruitute nos liberaret.* Quidquid erat gloriæ dissimulat, abscondit, rem totam salutis nostræ, & exaltationis suæ seruili formæ tradit. Cur non magis gloriæ, & nobilitatis forma nititur? Cur adeò fidit vni seruili actui? Rationem ibi insinuat Paul. *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.* non arbitratus est per rapinam, sed per merita celsitudinem obtinere; quia enim diabolus voluit nobilitatis titulo solo celsitudinem obtinere, & fur, & raptor apparuit, ideò, qui verus erat filius, & verus hæres omnium sublimitatum, gloriæ titulos abscondit, & seruilem habitum pandit, quo ostendat, qualiter apud Deum ad omnes primatus obtinendos forma seruitutis permaneat. Aiebat enim Episcopus Christopolitanus in Psalm. 81. *Ergo celsitudinem putauit diabolus occupare per rapinam absque meritis, ex sola natura nobilitate: Christus è contra per humilitatem, & laborem passionis eam voluit adipisci. Quod vult explicare Paulus cùm ait: Hoc enim sentite in vobis, quod in Christo Iesu qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens: : Propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.* Compone modò Luciferum cum Christo; vterque ad summam, & primam omnium celsitudinem anhelat: ille primus omnium creaturarum, hic paulò minùs minoratus ab Angelis. Lucifer per rapinam saltem cupit celsitudinem obtinere, Christus minimè arbitratur debere, aut posse sibi per rapinam primatum obuenire. Quid tunc? Qui rapinæ fidebat Lucifer, totus est in naturæ suæ nobilitate, & dignitate decantanda, ostentanda: qui rapinam detestabatur Iesus, hoc satagit, vt personæ nobilitatem, & gloriam abscondat, seruilémque formam nactus omnibus incipit seruire, & ministrare. Propter quod in illam apud Patrem celsitudinem deuenit, qua & Luciferum sub pedibus habeat. Crede mihi, fur est, & raptor, qui solis nititur splendentibus titulis dignitatum; hic, nunquam, fur est, & raptor, & tandem conculcandus. Ille verus primatuum hæres, qui gloriosa dissimulat, & auidè seruitutis habitum arripit. De Ioannis celsitudine aiebat Dominus, Matth. 11. *Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum maior Ioanne Baptista: qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo.* Magna quidem, & quæ omnes natos excedat, asserebatur Ioannis celsitudo; sed quæ possit vinci, & superari ab vno Christo. At quomodo Christus superat celsitudinem Ioannis? An ostentans diuinitatis suæ magnitudinem? An formam exerens diuinissimam? Minimè id facit Dominus Iesus, sed factus omnibus minor in forma, & actu seruitutis, se super omnes extollit mundi primos. Quippe ait: *Qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo.* quocirca Rupert. lib. 9. ait: *Quærendus est ille minor in regno cælorum quis sit, & citò inuenitur, quia ipse est, qui hæc loquitur, Christus Iesus filius Dei, minor vel minimus omnium assistrim, minor cunctis paruulis, humilior humilibus cunctis, miro modo ministrans vt minimus, regnans vt maximus.* Expende victoriæ super homines, super omnes sanctos, quales fine gradus, nimirum, *ministrans vt minimus, regnans vt maximus:* ex seruili ministerio sic super omnes ascendit, vt supremum omnium imperium, & primatum valeat occupare.

D. Paul.

Ad Phil. 2.

Ant. Abb.

Christop.

Matth. 11.

Rupert.

§. XV.

Maria Virgo, vbi Deum Patrem nacta est, causas hominum diligentissimè agit; vbi Iudici Deo assistit, prorsus silet.

VIde Rebeccam, in promouendo Iacobo ad paternam benedictionem, prorsus occupatam; quæ & filio diligentiam mandat, & metus adimit, & sese parandis necessariis impigra addicit. Cur ad hæc properat Rebecca? Ipsa ait: *Audiui patrem tuum loquentem cum Esau, &c.* Audiuit equidem patrem loquentem de filio benedicendo, & meritò sperauit posse à quolibet filio patris benedictionem rapi. Vbi res futura erat cum patre, nihil timet Rebecca filio, sed pro illo apud patrem promouendo nullum non mouet lapidem. Quid plura? Iam hic Deiparæ Mariæ, & patrocinium erga homines, & gloria insinuatur. Vbi enim Maria Deum Patrem audit, Deum patrẽ est nacta, nihil non agit, vt homines promoueat, eósque in via salutis æternæ afferat. Sic de illa Ioan. 19. *Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, &c.* Nec est, qui audiat Mariam stantem iuxta crucem Iesu, qui simul non intelligat ibi Mariam sic stare, vt totius generis humani causas agat. Et cur tunc præcipuè stabat Maria pro genere humano? Planè totum crucis negotium, vt à Iesu peragebatur, Deum Patrem respiciebat; totum illud sacrificium Deo Patri litabatur, qui media Christi passione paternis iam oculis respiciebat genus humanum. Vbi ergo cum Deo Patre negotium erat, diligentissimè Maria astat, vt omni studio, & conatu causas hominum agat. Ad hæc Arnold. Carnot. tract. de laudibus Mariæ, fatur: *Diuidunt coram Patre inter se Mater, & Filius pietatis officia; & miris allegationibus muniunt redemptionis humanæ negotium, & condunt inter se reconciliationis nostræ inuiolabile testamentum. Maria Christo se spiritu immolat, & pro mundi salute obsecrat. Filius impetrat, Pater condonat.* Expende vbi Maria iungitur Filio, vt causas generis humani peragat, nimirùm, *coram Patre*, vbi Deus patrem agit, paternásque aures intercessionibus præbet. Vbi autem tempus iudicij aduenit, totáque iudicis seueritas in pectore diuino recrudescit, tunc Maria etiam silet, nullúmque officium peccatoribus iam tunc obdurans exhibet. Ait Ecclesiasticus c. 24. *Qui mittit disciplinam sicut lucem, & assistens quasi Geon in tempore vindemiæ.* Non equidem media nocte, sed luce conspicua veniet iam Dominus iudicaturus mundum; & assistens illi tunc Maria quasi Geon in tempore vindemiæ. Cur quasi Geon assistet Maria Filio iudicaturo? Rem explicat Hugo Card. ibi: *Quando Sol transit per Virginem, Geon, qui & Nilus dicitur, omnes exitus suos reuocat, & intra ripas suas colligitur: nec perfundit terram, quia in tempore vindemiæ est, & ideo dicitur assistens, id est, non effluens: sic beata Virgo Maria in tempore vindemiæ, id est, in die iudicij, assistet Filio suo, nec inundabit, nec perfundet corda arida peccatorum aquis gratiarum.* Vt Nilus, qui terram irrigat, fructiferísque vndis aspergit, tempore vindemiæ sese colligit, nec guttam extra alueum suum prosilire sinit, sic Maria alioquin profusissima in fauendis hominibus, vbi tempus vindemiæ accesserit, quo Deus manifestissimus iudex apparebit calcaturus mundum; ipsa tunc silebit; nec vllam patrocinij sui gratiam in reos prosilire sinet.

Ioan. 19.

Arnold.

Hug. Car.

Genes. 27. Cui ille respondit: Nosti quòd Esau frater meus homo pilosus sit, & ego lenis, si attrectauerit me pater meus, & senserit, timeo, ne putet me sibi voluisse illudere, & inducat super me maledictionem pro benedictione. Ad quem mater: In me sit, ait, ista maledictio,

maledictio, fili mi, tantùm audi vocem meam,& pergens affer quæ dixi.

§. XVI.

Cauenda sunt illa viro Christiano, quæ licèt iustissimè fiant, possunt ab aliis meritò censeri mala.

SImplicissimus,& iustissimus Iacob sui animi sinceri,& recti conscius, nullum in se dolum malum, aut fraudulentiæ reatum timens in præripienda, quoquo modo posset, benedictione patris, timet tamen, & maximè timet, si forsan deprehendatur, putari fraudulentum,& illusorem in oculis patris. Erat quidem illi rectus, & simplex animus coram Deo; opus autem aggrediendum fraudulentiam, & dolum prudentissimis quibusque oculis repræsentabat. Ideò bonus non ait, timeo illudere, nullam ipse illusionem, nullum malum dolum faciebat ex animo; sed ait, *timeo, ne pater putet me sibi voluisse illudere.* Et meritò timebat eas etiam iustitias facere, quæ rationabiliter possent ab aliis reputari malæ; vera enim iustitia non sic animo debet claudi, vt etiam foris manifesta non pateat. Id quod in pudicitia notabat Tertullian. lib. de cultu fœmin. aiens: *Pudicitia Christiana satis non est esse, verùm & videri. Tanta enim debet esse plenitudo eius, vt emanet ab animo in habitum, & eructet à conscientia in superficiem.* Et quidem non solùm pudicitiæ, sed & omnis iustitiæ veræ tanta debet esse plenitudo, vt emanet ab animo in habitum,& eructet à conscientia in superficiem, vt non solùm sit, sed & debeat videri. De Sponsi diuini manibus dicit Cant. 5. *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* Pro quo Guilelm. apud Delrium, pulchrè educit, qualia debeant esse opera Christiana per manus significata. Ait enim: *Manus debent esse aureæ, hoc est, apud Dominum in cunctis actionibus auro charitatis persulgida. Tertiò debent esse plenæ hyacinthis, hoc est, decenti & gemmea quadam actionis specie etiam foris colorata. Duo enim sunt, quæ actionem commendant, animus agentis, & exterior species actionis. Bona intētio cōmendat opus ad Deum, honesta operis superficies cōmendat illud apud homines. Quando nihil est à pietate charitatis alienum in radice intentionis, & nihil indecens in superficie actionis, tunc manus est non tantùm aurea, sed etiam plena hyacinthis, cærulei coloris. Quia tunc innotescit hominibus talium conuersationem esse in cælis, & in eorum operibus sic glorificatur Pater cælestis.* Quid pulchrius? Non solùm in animo, sed & in exteriori superficie sit splendor actionis. Quò respiciens Psalm. 44. ait: *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietate.* Non totum habeat testimonium sui intrinsecus gloria virtutum, sed & extrinsecus clareat. Sic monet D.Hieron. serm. de Assumpt. Mariæ: *Omnis gloria vestra ab intus sit, & intus habite, quod foris luceat.* Vana enim est de interna iustitia gloriatio; vbi quod extrinsecus videtur, iure suspectum apparet. Quis credat plenitudinem iustitiæ esse inclusam in animo, cuius nec gutta venit in superficiem, vt possit ab aliis videri? Aiebat Paul. 2. ad Corinth. 8. *Deuitantes hoc ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ administratur à nobis. Prouidemus enim bona non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Meritò Paulus non contentus est propria conscientia in plenitudine gratiarum, & virtutum, quæ ab illo administrantur, sed maximè cauet, ne possit ab aliis iure vituperari. Et qualiter hoc cauet? *Prouidemus,* inquit, *bona, non solùm coram Deo, sed & coram hominibus.* Eam iustitiæ plenitudinem procurabat, è qua emanaret in superficiem, emanaret in habitum, vt qualis esset in propria conscieotia, talis etiam videretur aliis. Quò respiciens D.Thomas, ait: *Prouidemus, hoc est, prouidere debemus, bona, vt opera nostra bona sint, non solùm coram Deo, vt ei placeamus, sed etiam coram hominibus, vt eis bona videantur.* Iustitiæ equidem Christianæ non satis est, esse, verùm & videri: sit intus pura conscientia; sed quæ etiam splendentibus auri fimbriis exteriùs fulgeat. Sit nostrum illud Iobi elogium, cap. 29. *Iustitia indutus sum, & vestiui me sicut vestimento, & diademate iudicio meo.* Sic circumamiciamur iustitia, vt nihil in nobis appareat nudum, nihil inane. Quippe ait D.Ambrosius lib. 2. de Iacob, cap. 5. *Sapiens nunquam inanis est, semper in se habens amictum prudentiæ, qui potest dicere, iustitiam induebam, vestiebam iudicium. Quomodo inanis, qui de plenitudine Christi accepit, & seruat acceptum? Quomodo inanis, cuius repleta est anima, quæ accepta gratiæ vestimenta custodit?* Sic se vestit,& ornat sapiens, vt nihil nudum, nihil inane permittat in se videri. Nec solùm vestitur vndique iustitia, sed eam in tanta plenitudine recipit, vt ab intus emanet in habitum, & eructet à conscientia in superficiem, ne sit in illo vel fimbria exterior, quæ possit inanitatem ostendere, quæ possit meritò reprehendi. Quod habeat necessum est, qui de Christi plenitudine splendet. Hinc est, quòd Dominus Virginem nuptam viro elegit, de qua nasceretur, Luc. 1. ne in fœmina innupta, & prægnante probabilis suspicio daretur. Ait etiam Ambr. lib. 2. in Luc. *Desponsata eligitur, ne temerata virginitatis adureretur infamia, cui grauis aluus corruptelæ videretur insigne præferre. Maluit Dominus aliquos de suo ortu, quàm de matris pudore dubitare. Sciebat teneram esse virginis famam pudoris, nec putauit ortus sui fidem matris iniuriis adstruendam. Oportet enim sanctos, & ab iis, qui foris sunt, bonum testimonium habere. Nec decuit sinistra opinione viuentibus virginibus excusationis velamen relinqui, quòd infamata mater Domini videretur. Quid, quòd etiam fides Mariæ verbis mater adsciscitur, & mendacij causa remouetur? Videretur enim culpam obumbrare velle mendacio innupta prægnans.* Sic Deus in suis præcauet, ne detur probabilis causa suspicionis prauæ.

Tertull. — Cant. 5. — Guillel. — Psal. 44. — Hieron. — 2. Cor. 8. — D.Thom. — Iob 29. — D. Amb. — Luc. 1. — Ambros.

§. XVII.

Discretio, & cautela non deficiant, & discrimen quodlibet videbitur.

VIr simplex erat Iacob, sed prudena, sed cautus, sed discretus, vix audit matris propositionem, & ecce tibi quàm solerter pericula proponit, *Nosti, quod Esau frater meus homo pilosus sit, & ego lenis: si attrectauerit me pater meus, & senserit, metuo, ne putet me sibi voluisse illudere, &c.* Nihil discriminis non præuidet, & in medium adducit, vt hinc cum simplicitate ostendat & serpentis prudentiam. Vtinam sic omnes saperēt, hac sancta discretione pollerent vniuersi; fallar, si pericula, discriminàque omnia non facilè viderentur. Accipite Richard. Victor. qui part. 1. de Præpar. ad contempl. c. 68. multis figuris describit discretionis valentiam. Ait enim: *Hic est ille Ioseph somniator, somniorúmque interpretator, quia vera discretio in ipso tentationis articulo, inter ipsa suggestionum phantasmata, ex eorum qualitate futura pericula deprehendit, & imminentium malorum insidias detegit; & de futuris periculis cautos reddit. Hic est ille puer, & nuntius, qui cū beato Iob in omni persecutione sua solus remanere potuit, qui ei perpetrata damna statim renuntiare studuit, quia nisi per discretionem virtutum damna animus nec cognoscit, nec corrigit. Nescit puer ille cum pereuntibus perire: nescit discretio per rerum detrimenta, per tentationum augmenta deficere.* Multa alia pergit dicere de discretionis bono, nobis dicta sufficiant, vt videamus, quàm euanescant pericula ante oculos prudentis,& discreti hominis. Sanè discretio imminentia discrimina prospicit; latentia mala renuntiat,& præualente ipsa perditione discretionis alumnus vix perire potest. Ait Leuit. cap. 15. *Docebitis ergo filios Israel, vt caueant immunditiam, & non moriantur in sordibus suis.* Apud Septuag. sic in rem præsentem hæc verba sonant: *Cautos, & abstinentes facite filios Israel ab immunditiis suis; & non morientur propter immunditias suas.* Expende, quid primùm requirat in iis, quos à morte vult eripere, nimirum ait: *Cautos facite filios Israel;* in quibus enim est cauta discretio, vix vlla illos tangent discrimina. Et quæ non præuideat, & fugiat discretio cauta pericula? Dauid desideratā Bethlehemitici fontis aquam, vt coram se vidit, noluit eam bibere, sed *libauit eam Domino*, 2. Reg. 23. Et cur eam noluit bibere? sanè discretio illi pericula afferentium aquam repræsentauit, deinde totius Israelis discrimina obiecit, vt non erat recepturus fontem viuum, qui Bethlehem moriturus erat. Ait enim Sophronius, hom. 1. in Christi natiuitate: *Hic tu eam Dauidis pietatem, virtutumque omnium reginam discretionem considera; nam noluit aquam illā bibere, verùm libauit eam Domino, quia prophetiæ lumine illustratus, fore præuidebat, vt Iudæi aqua illi viuenti è fonte virgineo nascituræ, hoc est, Christo fidem negaturi essent.* Expende ab illis: *virtutúmque omnium reginam discretionem considera, &c.* Discretioni enim tribuit, quòd vel ad aspectum aquæ Bethlehemiticæ, vniuersa populi Iudaici discrimina, & damna Dauid præuideret; à quibus ipse caueret,& sibi prospiceret.

Richard. — Leuit. 15. — Septuag. — 2. Reg. 23. — Sophron.

Gen. 27. Abiit,& attulit deditque matri. Parauit illa cibos, sicut velle nouerat patrem eius. Et vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum: pelliculásque hœdorum circumdedit manibus, & colli

nuda

nuda protexit. Deditque pulmentum, & panes, quos coxerat, tradidit.

§. XVIII.

Fœmineum ingenium est vultus, & formas mutare.

ECce tibi simplex ille Iacob; iam non Iacobi faciem, sed Esau portat laruas. Additis pretiosis vestibus, & hœdorum pelliculis, qui minor, & lenis erat, in maiorem, & primogenitum Esau pilosum efformatus apparet. Quam quidem larualem formationem non Iacob vir simplex, sed matris eius Rebeccæ cupiditas de filio promouendo excogitauit. *Parauit illa cibos, & vestibus Esau valde bonis induit eum, pelliculásque hœdorum circumdedit manibus, &c.* Et quidem vna fœminea cupiditas est, quæ nouit & vultus, & formas mutare. Ait enim Clemens Alexand. lib. 3. Pædag. cap. 1. *In varias autem formas se mutans tertia est cupiditas: quæ plus quàm Protheus marinus dæmon varius, nunc hanc, nunc illam, nunc aliam figuram suscipit, & ad libidines, & stupra, & adulteria allicit. Omnia enim facit cupiditas, & omnia effingit, & vult fucum facere, vt occultet hominum.* Huc tendit fœminea cupiditas, vt nihil humanæ naturæ appareat, sed additis colorum fucis, & pigmẽtis, & lapillorum varietatibus, & vestium, variæ in dies formentur figuræ. Quod ingenium datum mulieribus ab Angelis desertoribus, ait Tertull. lib. de habitu muliebri, fatus: *Illi, scilicet, Angeli, qui de cœlo ruerunt, propriè, & quasi peculiariter fœminis instrumentum istud muliebris gloriæ contulerunt: lumina lapillorum, quibus monilia variantur: circulos ex auro, quibus brachia arctantur, & medicamenta ex fuco, quibus lana colorantur; & ipsum illum nigrum puluerem, quo oculorum exordia producuntur.* Expende illa: *propriè, & quasi peculiariter fœminis contulerunt, &c.* quippe fœminis appropriata sunt instrumenta omnia variandi vultus, occultandæque natiuæ formæ sub laruali alia. Vt sapienter dicat D. Nazianzenus mulieri compti; *internè Hecubam, externè Helenam refers:* cùm enim in se deformis esset vt Hecuba, sic, quod naturæ erat, fucis & pigmẽtis occultarat, & pinxerat, vt propter picturam videretur exteriùs in Helenam mutata. Quod fœminarum ingenium agnoui... atus D. Ambr. lib. 1. de Virgin. ait: *Hinc illa nascuntur incentiua vitiorum, vt quæsitis coloribus ora depingant, & de adulterio vultus meditentur adulteria castitatis. Quanta hæc amentia effigiem mutare naturæ, picturam quærere!* Amentia licèt sit, tamen mulieribus est adnata; & nescio an aliquid sibi gratius fœminæ agant, quam has transformationes formarum. Pulchrè enim canebat Prudentius in Amartigenia.

Clem. Alex.

Tertull.

Nazian.

Prudent.

Nec enim contenta decore
Ingenuo, externam mentitur fœmina formam.
Tædet sacrilegas matrum percurrere curas,
Muneribus dotata Dei, quæ plasmata fuco
Inficiunt, vt pigmentis cutis illita, perdat
Quod fuerat, falso non agnoscenda colore.
Hæc sexus malè fortis agit.

Hæc sanè agit fœmineus sexus malè fortis in commutandis formis, & vultibus: & sapientissimè in iis vocatur male fortis, licèt enim sexus fœmineus infirmissimus sit ad alia, tamen in hoc malũ, vt naturæ formam occultet, perdat, & efformet aliam, fortissimus est. Quas difficultates non superet, quos ignes non vincat fœmina, vt intortis crinibus gaudeat? Meritò D. Cyprian. lib. de hab. Virg. dum docet ab Angelis malis hoc ingenium in mulieres venisse, ait: *Illi & oculos circumducto nigrore fucare, & genas mendacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crinem, & expugnare oris & capitis veritatem corruptela sua impugnatione docuerunt.* Expende illud *expugnare oris & capitis veritatem:* non enim aliter fœmina sese ad oris cultum accingunt, ac validissimi bellatores, & fortissimi ad expugnandam munitissimam arcem. Quanta iis fortitudo necessaria est, quæ flammantes globos despiciat, quæ volantes in se mortes contemnat? Quot spicula eisdem necessaria sunt, quot tormenta, quot aneæ machinæ, quæ æreos licet muros, & quatiant, & conterant? Credidetim te stupere fortitudinem expugnatorum arcium, & multitudinem armorum, & machinarum bellantium. Sed iis non inferior aggreditur mulier expugnare, & delere natiuam faciem. Multa ad hæc pigmentorum venena parantur, multa ferrea spicula, quot vasa, tot machinæ tormentariæ asciscuntur, flammantes ignes contemptui sunt, & vulnera, & dolores contemnuntur. Et pretio sanguinis, & contemptu ignium fortissimæ instant exterminare facies suas, & nouos creare vultus.

D. Cypr.

§. XIX.

Præstantissimi viri est pro æterna benedictione consequenda, & communicanda, in varias figuras, & personas sese efformare.

MIrabar strenuum virum Iacob sustinuisse alienis indui vestimentis, & hœdinis pellibus adornari, vt Esau ferat laruam. Et hoc strenui viri est, sic laruali figura, quasi in theatro alterius personam agere? Equidem quod viles & effœminati histriones agunt pro vili lucello; hoc & strenui viri possunt efficere pro benedictione æterna comparanda, vt in varias personas velint efformari. Ait D. Paul. 1. ad Corinth. 4. *Spectaculum facti sumus Deo, Angelis, & hominibus.* Vbi noster posuit, *spectaculum*, Græcus legit, *Theatron*. Itaque Paulus non refugiebat sic vitam suam componere, ac si esset in theatro, sese passim efformans in figuras, & personas varias. Ad hæc enim facit D. Hieron. in cap. 4. ad Gal. *Mutabat Paulus voces suas, & in histrionum similitudinem factus, siquidem vt in theatro, mundo, & Angelis, & hominibus habitum in diuersas figuras vertebat & voces: non quod id esset, quod se esse simulabat; sed quod id tantùm videretur esse, quod cæteris proderat.* Eximius quidem vir erat Paulus, & tamen quasi in theatro esset, & mundo, & Angelis, & Deo faciens spectacula, sese in varias figuras efformabat, variósque in se vultus exprimebat. Hoc solùm attendebat, non quod ipse in re esset, sed, quod necessum erat, apparere, vt cœlestem benedictionem posset aliis communicare. Hinc etiam titulus Psalm. 33. ait de Dauide: *Psalmus Dauid cùm mutauit vultum suum coram Abimelech.* Symmachus legit: *Quando transformauit modum, seu mores suos.* D. August. ponit: *Mutauit vultum suum, & affectabat, & tympanizabat ad ostia ciuitatis, & ferebatur manibus suis, & procidebat ad ostia portæ.* Sanè Dauid fugiens Saulem venit ad Regem Achis, 1. Reg. 21. ibi autem cùm vidisset sua facinora peruulgata, eáque Satrapis esse valde suspecta, maximopere cœpit vitæ suæ timere, quam vt seruaret, eò deductus est, vt vultum suum mutaret. Et quomodo mutauit? Qui prudentissimus, & fortissimus erat, laruam assumpsit hominis infirmi, & insani; sic cœpit saliuis defluentibus ora, & barbam fœdare, tympanizare ad ostia, niti manibus ad ambulandum, passim procidere, & in terram labi. Quis histrio in theatro sic se in stulti, & infirmi vultum transformaret? Et quidem Dauid vt vitæ, & diuinis consuleret de se oraculis, in histrionum similitudinem factus, habitum in stulti figuras vertebat, non quòd id esset, quod se esse simulabat, sed quod id tantùm videretur esse, quod proderat. Miraris hanc in Dauide vultus mutationem? Sed quod mirere magis, illam in Dei filio expendit D. Aug. concion. 1. in hunc Psalm. aiens: *Cùm in forma Dei esset, semetipsum exinaniuit, formã serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: vt iam de cruce commendaretur nobis caro, & sanguis Domini, nouum sacrificium: quia mutauit vultum suum coram regno Patris.* Ecce tibi, qui vni Deo formam æqualem habebat, & simillimam Patri; iam sub forma serui apparet, subiectus plagis. Et seruit, & procidit ad pedes, & alapas patitur, & verbera, & ludibria, & mortem. Vnde hæc Filio Dei? Mutauit vultum suum coram regno Patris; formam Dei, imaginem Patris, qua Deus erat immortalis, impassibilis, abscondit: & sub vultu seruili seruum egit, vt nos peccati seruos liberaret. Quid tunc? Nec contentus est seruilem vultum sibi adsciuisse, sed ad alium assumendum transit, ait enim, *ferebatur manibus suis.* De quo August. *Ferebatur Christus manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum* (ostento pane) *ait, Hoc est corpus meum. Ferebat enim illud corpus in manibus suis.* Ecce tibi altera vultus mutatio, in illa latet Deus sub specie seruili hominis; in hac latet sub specie panis, quem suis porrigit manibus. Fit homo Filius Dei, & sub serui forma omnia seruilia agit; apparet panis, vt famelicis porrigatur, & in quencumque vultum se transformabit, qui hominibus esse possit salutaris.

1. Cor. 4.

D. Hieron.

Psalm 33.

D. Aug.

D. Aug.

Gen. 27. Quibus illatis dixit: Pater mi? At ille respondit; Audio, quis es tu fili mi? Dixítque Iacob: Ego sum primogenitus tuus Esau: feci sicut præcepisti mihi. Surge, sede, & comede de venatione mea, vt benedicat mihi anima tua.

§. XX

§. XX.

Is est quisque, cuius munera gerit, cuius mores imitatur.

ESau nomen erat primogeniti, cui natura dederat esse primum, & ius habere ad omnia, quæ primogenitis debebantur, cùm autem Iacob ex diuino oraculo sciret Isaaci primogenia omnia sibi deberi, & tandem ad se esse peruentura, verissimo sensu & cõmuni dicit se esse Esau, id est, esse illum, in quo erant omnia primogenij iura. Ille enim cõmuniter dicitur esse quisque, cuius munera gerit, vnde ad Mariam dicit Dominus Ioan. 21. ostendens illi discipulum, *Ecce filius tuus*; deinde discipulo, *Ecce mater tua.* Absolutè enim vocat filium Mariæ, illum qui obsequia omnia filij in matrem, erat in Mariam exhibiturus. Et Matth. 11. loquens Iesus de Ioanne Baptista ad populum ait: *Omnes enim Prophetæ, & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt, & si vultis recipere, ipse est Elias.* Ecce tibi vt à magistro veritatis de Ioanne dicitur, quòd ipse est Elias. Et cur Ioannes esse potest Elias? Rationem reddit D. Hieron. epist. ad Fabiol. inquiens: *Eandem habuit Ioannes Spiritus sancti gratiam, zona cinctus, vt Elias: viuens in eremo vt Elias, persecutionem patiens ab Herodiade, vt Elias sustinuit à Iezabel.* Cur ergo non dicatur Ioannes Elias, qui in omnibus inueniebatur virtutibus Eliæ? Quantum distas à moribus, seu proprietatibus alterius; tantum abes ab eo, quòd posses dici esse ille. D. Basilium lapidibus impetere voluerunt aliquando hæretici homines; sed tandem à concepto facinore destiterunt; quod ponderans Nazianzen. post comparatum Basilium antiquissimis, & sanctissimus Patriarchis, & Apostolis, tandem inquit: *Stephanus fieri Basilius prohibitus est, pudore nimirum, ac reuerentia, compresso lapidantium impetu.* Expende illud, *Stephanus fieri*: vnus equidem defuit lapidantium effectus, vt Basilius Stephanus fieret, si enim de facto lapidaretur, iam proculdubio Basilius sic appareret, vt pleno ore Stephanus diceretur. Paul. ad Hebr. 4. dicebat de Iesu Filio Dei: *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetrauit cœlos Iesum Filium Dei.* Quæ verba rimatus Nazianz. orat. in D. Athan. putat illis describi à Paulo magnum Athanasium in cœlos introeuntem. At Paulus non obscurè loquitur, & apertissimè dicit, de quo Pontifice verba faciat, cuius & nomen clarissimè ponit, dicẽs, *Iesum Filium Dei.* Vnde ibi Athanasius? An Athanasius, aut est, aut dici potest Iesus? Equidem qui moribus, & vita Iesum referebat, vt Athanasius, verè dici, & intelligi potest sub nomine Iesu. Ait Nazianz. *Quid autẽ vobis Athanasiũ describere attinet, quẽ Paulus antecurrens depinxit, cùm Pontificẽ illũ magnum, qui cœlos penetrauit, deprædicat; huc enim vsque progredi non dubitauit oratio, cùm Scriptura eos, qui secundùm Christum viuunt, pro Christis agnoscat.* Et meritò, cuius exprimis in te munera, aut mores, assumis etiam & nomen, vt vel Deus, vel Christus dicaris, si secundùm Deum, aut Christum vitam agas. Meum erit fieri aut Elias, aut Petrus, aut vnus alius ex Prophetis, siue Apostolis, si me ad horum mensuram, aut extendero, aut circinauero.

Ioan. 21. — Matth. 11. — Hieron. — Nazianz. — Ad Heb. 4. — Nazianz.

Genes. 27. Rursúmque Isaac ad filium suum: Quomodo, inquit, tam citò inuenire potuisti fili mi? Qui respondit: Voluntas Dei fuit, vt citò occurreret mihi, quod volebam.

§. XXI.

Qui totum se Deo committit, omnia sibi in promptu esse, & paratissima experitur.

NOn propriæ diligentiæ, sed vni Dei voluntati tribuit Iacob, quòd sibi tam promptè occurreret, ex quo cibos patri pararet. Et quæ nõ veniunt prompta, & parata illi, qui totũ diuinæ se committit voluntati? De hoc aiebat Psal. 131. *Viduam eius benedicens benedicam, pauperes eius saturabo panibus.* Græcè legitur: *Venationem eius benedicens benedicam, &c.* Fœlix, qui sese totũ Deo litat, qui ab iis terrenis expeditus, vni Deo vacat, ô quanta venatur! Equidem omnia illi prosperrimè à Deo veniunt: dum vnum Deum spectet, vel ipse Deus properabit, vt in manus eius omnium necessariorum venationes vadant. Rem pulcherrimo exemplo, & miraculo explico, quod refert Nazianz. orat. in D. Basilium. Huius parentes, & ditissimi, & nobilissimi tempore persecutionis Maximini, & deliciis, & diuitiis pro fide Christiana valedicentes, sese in syluas, & solitudines receperunt, ibi septennium manentes clauduntur. Quot ibi incommoda, quot fames? Interea de illis famescentibus ait Nazianz. *Quid enim, dicebant, serme hoc nequit, vt Deus ille miraculorum, qui peregrinum, & fugitiuum populum adeò largè, & copiosè in deserto aluit, vt & panem, & aues tanquam ex fonte profunderet, non solùm necessariis, sed etiam superfluis cibis eum nutriens, idem etiam nos quoque pietatis athletas hodierno die lautioribus obsoniis pascat? Multa feræ diuitum mensis, quales quondam nobis erant, fuga elapsa in his montibus delitescunt: multa esculenta aues, supra nos, qui eas expetimus, volitant: quorum quid omnino est, quod te vel solùm annuente, non facilè capi possit? Hæc eorum verba erant, ac præda verborum comes erat, obsonium vltrò oblatum, conuiuium nullo labore instructum, cerui è tumulis repentè apparentes: qua magnitudine? Quàm ad cædem prompti, & parati? Propemodum eos conijceres, quòd non citiùs vocati essent, molestè ferre. Illi capita nutu trahebant; illi sequebantur: quo insectante, & cogente? Nemine. Quibus equis? quibus canibus? quo latratu, & clamore? quo iuuenum studio, viarum exitus, vt venationis leges ferunt, occupantium? Orationis tantum, iustaque petitionis vinculo constricti. Quis vel nostra, vel omnium, qui vnquam fuerunt memoria talem venationem, ac prædam cognouit? O rem admirandam! Ipsi prædæ suæ arbitri erant, quantum duntaxat voluntas ferebat, detentum est, quod supererat, ad syluas in secundam mensam relegatum.* Quid diuinius? Sanè hæc est venatio quam benedicit Dominus, hæc est venatio illorum, qui non propria, sed diuina reguntur voluntate. Sic obsonia prompta, & parata sunt, imò currũt ad illos, qui sese totos Deo commendarunt. Non grauabor huc trahere Antonini Cæsaris epistolam Senatui datam, narrantem fœlicissimum exitum belli Germanici. Ea est relata à D. Iustin. in fine Apologetici secundi, in qua dicit Imperator Aurelius Antoninus: *Accitis quos Christianos vocamus. Qui mox rem aggressi sunt absque telis, armis, tubisque, nimirum abhorrentes ab huiusmodi apparatu, & contenti Deo, quem circumferunt secum in conscientia. Credibile est igitur, licèt impios existimemus, Deum pro munimento habere in pectore: prostrati enim humi, non solùm pro me deprecati sunt, sed & pro præsenti exercitu, petentes opem contra ingentem sitim, & inediam. Quintus enim dies erat, ex quo aqua carere cœperamus, eramus quippe in hostili solo, in ipso meditullio Germaniæ. Confestim autem, vt procubuerunt in facies, & preces fuderunt ad ignotum mihi Deum, descenderunt de cœlo in nos quidem frigidissimus imber, &c.* Expende celeritatem obtenti commeatus, nimirùm, cùm primùm ora aperiunt ad petendum, iam imber expetitus properat vniuersos satiare. Et quibus sic prompta, & parata currunt necessaria? De illis dixerat in primis Imperator, quòd erant *contenti Deo, quem circumferant secum in conscientia, quem pro munimento habent in pectore.* His citissima veniunt, & certissima omnia necessaria. De hoc rectè dicebat Isaias, cap. 33. *Iste in excelsis habitat, munimenta saxorum sublimitas eius, panis ei datus est, & aquæ eius fideles sunt.* Vbi sapienter ait Foresius: *Non huic molestum erit cum Deo agere. Nam potestas, quam Deus exerit aduersus hostes, pro ipsis erit, vt eos in tuto collocet. Sicut enim ab iniuriis hostium securi sunt, qui in altissimis rupibus degunt, præsertim si eis non desit cibus, & potus: ita vir pius, & iustus, vbi fuerit, in tuto est, neque quicquam ei deerit, Deo omnium bonorum vicem supplente.* Hæc ibi.

Psal. 131. — Nazianz. — D. Iustin. — Isai. 33. — Fores.

Gen. 27. Dixitque Isaac: Accede ad me, vt tangam te, fili mi, & probem, vtrùm tu sis filius meus Esau, an non. Accessit ille ad patrem, & palpato eo dixit Isaac: Vox quidem, vox Iacob est: sed manus, manus sunt Esau.

§. XXII.

Vix fieri potest, quòd homo, licèt integerrimus iudex videatur, & Propheta, non rapiatur affectu eorum, qui sibi emolumento fuerunt.

VOx Iacobum referebat patri, & manus pilosæ Esau referebant; cur vox etiam non dissimulatur aliqua arte, vt manus pellibus hœdinis fuerant dissimulatæ? Nonne poterat pater magis fidere voci, quàm manibus? Minimè id à sapiente Rebecca timebatur; cùm enim à pilosis manibus Esau assuetus esset Isaac recipere escarum munera, vix fieri poterat, quòd non afficeretur ad pilosas manus, eisque totum creditum præstaret, cæteris posthabitis. Nonne & integerrimus,

gerrimus, & Propheta erat Dauid? Accipite quid de illo rextus diuinus fatur. 2.Reg. 16. *Cùm Dauid transisset paululum montis verticem, apparuit Siba puer Miphiboseth in occursum eius, cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus, & centum alligaturis vuæ passæ, & centum massis palatharum, & duobus vtribus vini. Et dixit Rex Siba? Quid sibi volunt hæc? Respondit Siba. Asini, domestici Regis vt sedeant, & panes, & palathæ ad vescendum pueris tuis; vinum autem vt bibat, si quis defecerit in deserto. Et ait Rex, vbi est filius domini tui. Respondit que Siba Regi: Remansit in Ierusalem dicens: Hodie restituet mihi domus Israel regnum patris mei. Et ait Rex Siba, tua sint omnia, quæ fuerant Miphiboseth.* Et quidē Miphiboseth erat filius Ionathæ, cui Dauid debebat incolumitatem, & vitam suam, erat & ipse fidelissimus, nec vllam vnquam suspicionem dederat Regi, & nihilominus inauditus, & à solo vno seruo accusatus castigatur à Dauide. Quod ponderans Petrus Damian. lib. 2. epist. 9. ait: *Propheticæ plenum spiritu Dauidem Siba seruus Saul, callidè mentiens, compulit à iustitia declinare.* Et vnde potuit Propheta tantus, iudex adeò integerrimus sic compelli tantum creditum dare simplici mendacio, vt inauditum hominem, & innocentem damnaret? Sanè prætulerat Siba escarum munera, & solatia cupienti Regi, quo sic rapuit Dauidis animum, vt integrum creditum illi daret. Do in rem præsentem pulchra Theodoreti verba, qui qu. 32. in præsenti, ait: *Nonnulli reprehendunt Dauidem, quòd aures præbuerit iis, quæ dicebat Siba. Sæpè dixi, quòd Prophetæ non cognoscebant omnia. Iste autem & verbis vsus probabilibus: nam & ipse venit ad diuinum Dauidem, cui etiam dona et obtulit, suam ostendens beneuolentiam.* Dicit bonus author, Sibam vsum esse *verbis probabilibus* ad conuincendum domini sui facinus, hoc est, sufficientem prætulisse probationem accusationis. Et vnde constat sufficientem prætulisse probationem? Ipse ait: *Nam & ipse venit ad Dauidem, quia & munera obtulit.* Ecce vobis probationes, quibus integrum creditum præbent etiam integerrimi, & diuinissimi iudices, nimirum, obsequia accedentium, & oblatio munerum. Vix inuenietur iudex, qui non putet absolutissimam probationem illius, qui munera obtulit, licèt reclamantibus omnium aduocatorū vocibus. Meritò enim ait Petrus Dam. lib. 2. epist. 2. *Sæpè sub hac intentione munus accipitur, vt si munificus reperiatur esse culpabilis, aufugiam iustitia muneribus non lucretur. Quod facilè quidem promitti, sed difficile valet impleri. Acceptis quidem muneribus, si contra datorem quid agere volumus, mox in ore nostro verba mollescunt, locutionis acumen obtunditur, lingua quadam pudoris erubescentia præpeditur. Mens quippe percepti muneris conscia debilitat iudicialis censuræ vigorem.* Nec fieri potest, quòd humana conditio toruè, & seuerè aspiciat ea, quibus sciat se multum oblectamenti, multum commodi, multum honoris debuisse. Ex quo monebat D. Synesius ciuibus suis, ne dignitates Reipubl. auro dato sibi acquirerent, nisi vellent semper post aurum ire, vt à quo semel honoris culmen accepissent. Sic enim ait lib. de Regno: *Atque ille sanè quomodocumque dites Magistratum pecuniis mercatus, cuiusmodi sit æqui distributor, nescit, videtur ei non facilè pecuniam contempturus. Et credibile non est eum sublato vultu, toruus, ac rigidis oculis aurum ex aduerso intueri posse. Nouit enim se eius beneficio in honore esse, sublimique in solio sedere.* Expende, vnde probet emptorem dignitatis non posse vnquam post aurum non ire; nimirum, *nouit enim se eius beneficio in honore esse.* Nec humanum est ambabus manibus non amplecti ea, à quibus aliquid emolumenti accipimus.

[2.Reg.16. — Petr.Dam. — Theodor. — Petr.Dam. — Synesius.]

§. XXIII.

In eligendo ad Sacerdotij gradum opera sunt potiùs requirenda, quàm verba.

NOn curauit Iacob vocem dissimulare, vt ingeniosa arte dissimulauit manus ad capiendam benedictionem primogenituræ, cui erat annexum munus sacerdotale; in Sacerdote enim eligendo non sic vox attendi, vt attendi debent manus. Non equidem Sacerdotem futurum designant verba, sed virtutum opera, quæ ostenduntur per manus. Ex quo Nazianz. orat. 32. carpit sui temporis electores: quippe ait: *Non enim Sacerdotes, sed rectores quærunt: nec animarum dispensatores, sed pecuniarum custodes.* Nunquam enim non vitio vertitur, quod in re Sacerdotij, plus deferatur voci, quam manui, plus verbis, quàm operibus, & præferantur rectores eloquentes etiam mutis operatoribus. Pro quo aiebat D. Paul. 1. ad Timoth. 3. docens, quid attendendum esset in Sacerdotio: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.*

[Nazian. — 1.ad Tim.3.]

Itaque à Paulo sacerdotij munus explicatur per opus, ne quid putetur principalius, & essentialius in Sacerdote, quàm virtutum opus. Ad hæc Petrus Damian. lib. 1. epist. 1. ait: *Hic euidenter ostenditur, nihil aliud esse Pontificem, quàm boni operis sectatorem. Non enim dixit, bonum dignitatem, sed bonum opus desiderat. Ac si dicat: Qui ad Episcopatum anhelas possidendum sine bono opere, inane vult nomen induere sine rei ipsius veritate. Non enim constat Episcopatus in glomeratis constipantium clientium cuneis, nec in frementibus, ac spumantia fræna mandentibus equis, sed in honestate morum, & sanctarum exercitatione virtutum.* Vnum est, quod inspici debet in Sacerdote, nimirum, virtutum opus, sine hoc inane est, & sine rei veritate sacerdotium: cuius autem manus virtutum incumbunt operi, is habet præcipuum requisitum Sacerdotij. Hinc ipse Paul. 1. ad Corinth. 1. ait: *Veniam ad vos citò, si Deus voluerit; & cognoscam non sermonem eorum, qui inflati sunt; sed virtutem.* Ad quæ, pulchra paraphrasi, ait D. Bruno: *Cognoscam vtique non sermonem eorum, scilicet, non curialitatem & artificium sermonis, cui adhærent hi, qui per huiusmodi sermonem inflati sunt: sed cognoscam & laudabo in vobis virtutem, humilitatem, patientiam, &c. Hæc enim laudari debent, non sublimitas sermonis.* Caueat ne magis attendat voci, quàm manibus, qui eligit Sacerdotem: id enim docebat D. Bern. Papam Eugenium lib. 4. de considerationes: *Verbosum adolescentem, & studentem eloquentiæ, cùm sapientiæ sit inanis, non aliud, quàm iustitiæ hostem reputes.* Cauendum enim maximè est Sacerdotis munus tradere illi, qui virtutes sola voce refert, non manibus, vt qui potiùs faciat desides, & torpentes in via salutis æternæ. Salphaath maximus Israelita hoc incurrit dedecus, quòd solas filias genuerit in populo Israelis, de quibus Num. 27. ait: *Accesserunt autem filiæ Salphaath.* Huic assimilantur Sacerdotes, qui solis eminent verbis, qui effœminatos & desides in via salutis generant. Rem pulchrè tractat Petrus Dam. lib. 4. epist. 15. fatus: *Quisquis per inuicta prædicationis officium ad pugnandum alios incitat, sed ipse non pugnat, ille similis est, qui buccina clangoribus obstrepit, sed congredi cominus non præsumit. Hic itaque non virilem generat sexum, dum sit pater ignauus. Quem profectò Salphaath ille signauit, qui non filium, sed quinque filias moriens dereliquit. Salphaath siquidem interpretatur vmbra in ore eius. Quisquis enim fortia prædicat, & eneruiter viuit, ut turpis appareat, quasi sub foliis se honesti sermonis occultat, sub vmbra se proprij oris abscondit, dum in campum certaminis per sui torporis ignauiam non procedit. Hic itaque non virilem, sed muliebrem sobolem generat, sequaces suos non ad robur spiritualis audaciæ, sed ad otium educat ignobilis vitæ.* Nunquam vox sola præstantiores fructus sciuit parturire; ideò in Sacerdotis munere, non tam vox, quàm opera attendenda sunt. Quò respiciens Dominus, Exod. 28. de sacerdotali veste ait: *Ad pedes eiusdem tunicæ per circuitum quasi mala punica facies ex hyacintho, purpura, & cocco bis tincto, mistis in medio tintinnabulis.* Malum punicum, & tintinnabulum apponi iubet in ora vestimenti sacerdotalis; & tintinnabulo vna tantum intrinsecus est lingua quæ sonos facit, malo autem punico infinita penè sunt grana. Cur ergo vnica lingua pollenti tintinnabulo apponit malum punicum, infinitis penè scateus granis? Crediderim id factum, vt insinuaretur, quàm parui referr, quòd sacerdos modicum linguæ, & vocis habeat, referre autem plurimum quòd multis virtutibus plenus appareat. Non multum abest D. Chrysost. hom. in vestes Sacerdotis, quæ habetur apud Bibliothecam Photij: *In fimbriam Sacerdotis aurea mala, & punica, & campanula dependebant. Et quomodo hæc Deo placerent? Sed in vestitu & habitu Sacerdotis virtutes effinxit; infra flores & fructus, virtutum opera, cuiusmodi sunt eleemosyna, iustitia, & humanitas, & chorus reliquarum ipsis affinium.* Dum Sacerdotis qualitatem depingit, mala punica apposuit, attendens ne aliqua virtus Sacerdoti deficeret, sed vndique affulgerent in illo chori vniuersarum virtutum. Sic summus, & verus Sacerdos Iesus noster humilibus verbis vtens opera semper clarissima dedit. Cuius rei rationem pulchram reddit Iobius Monachus, lib. 7. de Incarnat. cap. 31. apud Bibliothec. Photij, ait: *Saluator verbis quidem humilibus vtendo Diuinitatis cadium abscondit, sed per opera effecit, vt omnipotentis virtutis maiestas effulgeret. Quia verborum splendor non omninò actiones simul emicare facit, cùm tamen naturam excedentium, & diuinorum patratio verborum vnà secum humilitatem extollant.* Parcendum equidem magis verbis, quàm operibus, quando opera & pro splendidis verbis sunt, verba autem nunquam sunt pro operibus.

[Petr.Dam. — 1.Cor.1. — D.Bruno. — D.Bern. — Num.17. — Petr.Dam. — Exod.28. — Chrysost. — Iobius.]

Genes.

Genes.27. Et non cognouit eum, quia pilosæ manus similitudinem maioris expresserant. Benedicẽs ergo illi ait: Tu es filius meus Esau? Respondit: Ego sum At ille, Affer mihi, inquit, cibos de venatione tua, fili mi, vt benedicat tibi anima mea. Quos cùm oblatos comedisset, obtulit ei etiam vinum, quo hausto, dixit ad eum: Accede ad me, & da mihi osculum, fili mi. Accessit, & osculatus est eum.

§. XXIV.

Qui mundialis præcellentia signis ducitur, nunquam pertinget veritatem.

Etsi vox Iacobum præsentem repræsentabat patri, tamen pater non cognouit eum, & cur non cognouit eum manifesta voce expressum? Pulchram rationem reddit textus, aiens: *Quia pilosæ manus similitudinem maioris expresserant*; maiorem, & prestantiorem natura filium attendens, & querens pater, raptus fuit in errorem à manibus signa maioris repręsentantibus. Nec miror, quòd non cognosceret minorẽ præsentẽ etiã ex clara eius voce, qui totus ad maioris, & præcellentis signa ferebatur. Nunquam enim pertinges veritatem, quisquis præcellentiæ mundialis signis occuparis. Ait Paul.

1.Cor.2.

1.ad Corint.2. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est: quam nemo Principum huius seculi cognouit: si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Verumtamen

Marc.1.

apud Marc.c.1. dæmon clamabat ad Iesum: *Quid nobis & tibi, Iesu Nazarene? Venisti perdere nos? Scio, qui sis sanctus Dei.* Ecce tibi dæmon agnoscit Iesum filium Dei, seculi autẽ Principes eum minimè cognouerunt. Et cur, quem malignissimus dæmon noscit, Princeps seculi non cognoscit, nisi quia hic vanitatibus seculi totus intentus, etiam præsentissimam veritatem non potest videre?

D.Amb.

Ait D.Ambr. lib.2. in Luc. *Dæmonum etiam malitia, facilè etiam occulta deprehendit. Principes autẽ seculi, qui secularibus vanitatibus occupantur, scire diuina non possunt.* Nec miror, quòd ad diuinarum rerum veritatem prorsus fiant cæci; qui vanissimis seculi glorijs attenti, non nisi maxima, & excellentia prospiciunt. Per hæc enim magnitudinis, & sublimitatis signa, haud fieri poterit, vt ad veritatem pertingant.

Psal.73.

Ait Psal.73. *Posuerunt signa sua, signa, & non cognouerunt.* & quæ fuerunt hæc signa, quæ posita homines obcæcarunt, ne possent cognoscere?

Hug.

Explicat Hugo Card. ibi satus: *Signa sua dicit, non Dei, sed dæmonum. Signum enim Dei est humilitas.*

Luc.2.

Luc.2. Hoc vobis signum, inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Signum diaboli est superbia.

Isai.5.

Isaias 5. Leuauit signum in nationibus procul. Quisquis ergo non signũ humilitatis respicit, sed signum celsitudinis, vt eleuetur, & grandior fiat in nationibus, is nõ perueniet ad veritatis cognitionem. Tollenda sunt ab animo nostro signa omnia mundialis magnitudinis, signa maioratus, & excellentiæ, & fallar, nisi vel sub mille operculis nõ pateat veritas nobis.

Luc.2.

Luc. 2. de Simeone: *Homo iste iustus, & timoratus expectans consolationem Israel: Venit in templum, & cùm inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo: & ipse accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundùm verbũ tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Et sanè salutare Dei satis erat tunc obnubilatum, vel carnis operculo, vel ipsis infantiæ fascijs. Forsan nunquã sic se ostendit minoratũ Deus ab Angelis, & voce, & forma serui; & crepitacillis infantis. Nihilominus senex hæc omnia peruadens vidit, & agnouit ibi latentẽ formã Deitatis. Vnde bonus senex tales oculos habuit, quos inter tot opercula Filius hominis, & Dei nõ latuit?

Nyssen.

Ait D.Greg.Nyss. in cat.D.Thom. *Non vtique mundanam fœlicitatem in consolationem Israel prudens Simeon expectabat: sed verum transitionem ad veritatis decorem per separationẽ à legis vmbra.* Iudæorum Principes in venturo Messia mundialis magnitudinis, & excellentiæ ponebant signa, & ideò manserunt obcæcati, nec præsentissimum cognouerunt. Bonus Simeon oculos auertit ab omni mundiali altitudine, nihil sæcularem, magnum, & excelsum in Messia expectabat; hinc facilè penetratis operculis venit in cognitionẽ præsentissimæ veritatis. Hinc Iesus traditurus discipulis suis corpus suum sub speciebus panis, & vini; deinde facturus mysterijs plenum

sermonem, hoc primum facit,

Ioan.13.

Ioan 13. *Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua, & cùm accepisset linteum, præcinxit se. Deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum.* Tot mysteria abstrusissima celebraturus, nihil priùs facit, quàm sese ad discipulorum pedes dimittere, & illos lauare? Cur Deus lotioni non magis eripis tempus, vt Eucharistiæ mysteria declares. Quod per tot sæcula Doctores tui largis cõmentarijs vix explicauere, cur tu non magis moraris in eo explicando, & supersedes à signis ostendendis humilitatis? Diuinus magister sciebat, quòd, si semel discipuli humilitatem docerẽtur, amplissima dein appatitura esset via ad omnium mysteriorum cognoscendam veritatem.

D.Bern.

Ait D. Bern. tract. de Grad. hum. §. *Interlucet.* Vbi fatur: *Tradebat discipulis humilitatis formam veritatis Magistro, quæ in primo gradu primùm eis veritas innotesceret.* Hanc humilitatis viam terat, quisquis amat etiam in obscurissimis non caligari, fugiat signa magnitudinis, & excellentiæ secularis, ab his enim solos errores, & fallacias trahet.

§. XXV.

Totus naturæ conatus non potest non cedere gratiæ.

Ecce tibi totam naturam pugnantem, ne Iacob primogenium capiat, in primis enim natura primò gignit Esau, deinde armatur affectu patris, qui nihil non facit, vt Esau fratribus præponatur. Attrectat Iacobũ semel & bis, & ter, sæpius iterat interrogationem eandem, nimirum, *Tu es filius meus Esau?* Tandem ad osculum trahit, vt vel ex halitu, vel ex odore agnoscat Esau supplantantem. Et inter hæc Esau postponitur, & Iacob primas accipit. Quid mirum, ille pro se habebat naturæ conatum, hic gratiam; nec potest non cedere gratiæ totus naturæ conatus.

Chrysol.

Ait Chrysolog. serm.173. *Iacob suo nimis timidus, matris consilio factus ausus, patris vt præriperet benedictionẽ, plus mysticus, quàm dolosus incessit: nam primogenitus se mentitus non est, quia ille primus est, quem cœlestis gratia generat, non natura mortalis.* In vanum tota natura laborat alicui primas dare, quas ei aufert gratia: ille equidem solus primus est, non qui à natura promouetur ad thronũ, sed qui promouetur à gratia.

1.Reg.16.

Simile duellum contigit 1.Reg.16. vbi Samueli Regem vncturo sese obiicit statim natura septẽ fratribus armata, & quidem viris præstantissimis, quibus & paternus affectus suffragabatur, imò quod maximum est, & ipse Propheta in illos sese inclinabat. Quæritur tamen ex Patre, an alius restet filius? *Qui respondit: Reliquus est paruulus, & pascit oues.* Quid tunc? Adducitur paruulus: *Et tulit Samuel cornu, & vnxit eum in medio fratrum suorum.* Proh naturæ euanidus conatus, vbi opponitur gratiæ! Sanè puerulus, & reiectaneus, suffragante gratia præponitur fortibus, omni naturæ conatu armatis.

Basil.Sel.

Pulchrè aiebat D.Basil.Sel. orat.14. *Minor est, qui derelictus. Sed, Deo suffragante, non præualuit generis ordo generatio. Derepentè puer Dauid producitur paruus ætate, animo magnus. Gratia statim ad vnctionem mouit manum, subitòque primus fratrum reperiebatur, qui postremus, ordóque naturæ cedebat gratiæ. Fratres primatu exciderant, & quos primos natura produxerat, primos desici cogebat gratia.* Infirmis nititur brachijs, qui naturæ nititur suffragijs, potẽtior est vel gutta gratiæ, quàm vniuersi naturę conatus, qui nunquam non vincuntur à gratia.

Genes.9.

Sic Gen.9. aiebat Noe: *Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem.* Et quidem Iaphet minor erat frater, & Ecclesiam gentium significabat, quomodo hic poterat maioris fratris occupare tabernacula? Iam ibi ostendebatur potentia gratiæ, cui sese submittunt vniuersæ leges naturales.

D.Paul.

D. Paulinus epist.4. *Sacramenti ordo poscebat, iuxta Noe propheticam benedictionem, in tabernacula Sem transire habitationem Iaphet, hoc est, in domo legis, & Prophetarum Ecclesiam potius iustificari: minorem temporum auo; sed gratia maiorem.* Sic semper præficitur, qui potens est gratia.

Gen 27. Statímque vt sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini. Et seruiant tibi populi, & adorent te tribus: esto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ. Qui maledixerit tibi, sit ille maledi-

ctus:

ctus; & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. Vix Isaac sermonem compleuerat, & egresso Iacob foras, venit Esau, &c.

§. XXVI.

Electus diuinis benedictionibus æstimatur, cuius interna pulchritudo, & venustas in externa etiam forma, & in habitu apparet.

PIlosas manus in Iacob attrectauerat pater, quas & fatetur Esau manus, dum dicit, *manus, manus sunt Esau*, nec tamen mouetur ad benedictionem dandam; sed adhuc instat, & iterum quærit, & vocat ad osculum, & inter osculandum, *vt sensit vestimentorum fragrantiam, benedicens illi ait, &c.* Non vt pilosas Esau manus recognouit, sed vt Iacobi suauem venustatem oculis haurit, & percipit vestimentorum fragrantiam, tunc nihil moratus, statim benedictionem inchoauit. Sese enim diuinis benedictionibus maximè approximat ille, cuius animi interna pulchritudo fulgurat etiam in externa corporis venustate. Hinc est, quod nonnulli Episcopi, repugnantes Diuo Martino diuinitus erecto in Episcopum, teste Seuero Sulpitio in eius vita, c. 7. hoc solùm obiiciebant: *Scilicet contemptibilem esse personam, indignum esse Episcopatu, hominem vultu despicabilem, veste sordidum, crine deformem.* Semper enim habita fuit aliqualis ratio externæ venustatis, in iis qui cœlestibus benedictionibus excipiendis parabantur; sed eius externæ venustatis, in qua magis reluceret pulchritudo animi. De Dauide ait textus, 1. Reg. cap. 16. *Erat autem rufus, & pulcher aspectu, decoráque facie: & ait Dominus Samueli, Surge, & vnge eum, ipse est enim.* Vbi venustus, decorúsque vir apparuit, non ampliùs differtur diuinæ electionis, & benedictionis gratis, cui proxima est etiam venustas corporalis. Sed quæ venustas corporalis? Quæ internæ respondeat animi venustati, & per quam hæc explicatur. Vnde ad hæc aiebat D. Basil. Seleuc. orat. 14. *Derepentè puer Dauid producitur, paruus ætate, animo magnus, ore micanti, animo candido, præ corpore bene colorato, latius gestans animæ decus. Et quid verbis opus? Ipsam conditorem testem habeo. Pulcher, inquit, adspectu.* Nec Deo laudabilis esset externa pulchritudo, quæ interioris non esset nota, & imago. Ille autem, in quo interna, & externa pulchritudo & venustas mutuò sese ostendunt, diuinis benedictionibus excipiendis maximè aptatur. Hinc cauebat lex Leuit. 21. *Loquere ad Aaron: Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius: si cæcus fuerit, si claudus, si vel paruo, vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si iugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel herniosus. Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron Sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino.* Ex quibus verbis sapienter probat D. Ennodius, illum aptari diuino ministerio, & regimini populi, qui interna, & externa pulchritudine floret. Postquam enim D. Epiphanium à venustate formæ commendarat; sic ait in eius panegyrica oratione: *Sed ne quis forsitan malitiosus interpres intempestiuè positum tacitè in viro tantarum virtutum, de lepore carnis factam esse mentionem: cùm in illa veteri mandatorum cœlestium radice sit insitum, Sacerdotum corpora sagaci debere insinuatione lustrari, ne quid debile, vel deforme, ne quid plus, minúsve esse contingat, ne ve insolitam maculis cutem superficies fœda dedecoret, ne fractura manus, aut fractura pedis, aut gibbus indignum altaribus reddat Antistitem. & clamet Doctor gentium, & electionis vas, hominem mundum ad eiusmodi officium debere peruenire. Quod non solùm de animæ, sed etiam de corporis creditur amore dixisse. Quis deformem, ac debilem à libaminibus suis iubet arceri: inuehitur eos, quos multipliciter grati sunt, admittere libenter, præsertim in quo lucem membrorum animæ fulgor exuperat, nec naturaliter terrenum illud decus aliquibus artificiis adiuuatur.* Sapienter equidem diuinus Doctor, quod immaculatum petitur ex lege in Sacerdote, refert non solùm ad internam, sed ad externam corporis venustatem. Sed expendenda illa sunt: *in quo lucem membrorum animæ fulgor exuperat, nec terrenum illud decus artificiis adiuuatur.* Absit à viro bono fucus omnis, sola illum ornat venustas naturalis, per quam scintillat, & fulgurat internus nitor animæ. Hæc autem corporalis venustas illis debetur animabus, quæ maioribus nitent virtutibus, ad magnaque sunt creata. Quò refero illud Sapient. 8. vbi de se ait Salomon: *Cum magis essem bonus, veni ad corpus incoinquinatum*, hoc est, absque macula perfectum, & omnibus absolutum numeris. Itaque vt crescebat Salomonis interna perfectio, sic corporalis perfectio, & venustas augmentabatur, vt videri posset externa species secuta animi internam sanctitatem. A quo non abhorrebat ille, qui in panegyrico Constantino Imperatori dixit: *Non frustra doctissimi viri dicunt, naturam ipsam magnis mentibus domicilia corporum digna metari: & ex vultu hominis, ac decore membrorum colligi posse, quantus illo cœlestis spiritus intrarit habitator.* Nec aliò respexit Latinus Pacatus in Panegyrico ad Theodosium scripto; quippe ait: *Augustissima quæque species plurimum creditur trahere de cœlo. Siue enim diuinus ille animus venturus in corpus dignum prius metatur hospitium, siue cùm venerit, fingit habitaculum pro habitu suo: siue aliud pro alio crescit, & cùm se paria iunxerunt, vtraque maiora sunt. Virtus tua meruit imperium: sed virtuti addidit forma suffragium. Illa præstitit, vt oporteret te Principem fieri, hæc vt decoret.* Sic illi.

Sen. Sulp. — 1 Reg. 16. — Basil. Sel. — Leu. 21. — D. Epiph. — Sap. 8. — Constan.

§. XXVII.

Vera hominis speciositas à bonis operibus, & virtutum fructibus, quibus alij trahantur.

VEstimentorum odore, quibus ornabatur Iacob, excitatus Isaac, totam filij speciositatem figurans, non illam à pigmentis, nec à fucis, nec à gemmarum ornatu trahit, sed ab agri similitudine. Ait enim: *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni.* Cur non magis aromata exhalant pretiosæ Iacobi vestes? Cur non magis pigmenta, odoráque succina aureis, gemmatísque catenulis inserta sentiuntur in maximo Iacobi cultu, & decore? Cur de solo pleno agro similitudo eius speciositatis, & cultus profertur? Sanè in fucis, in pigmentis, in aromatibus, in auro, & gemmis nullus fructus cernitur, qui abundantissimus apparet in agro pleno. Non ergo sumenda erat speciositas tanti viri ab inutilibus rebus, sed à fructuosis, quando verus hominis decor à bonis operibus, virtutum fructibus venit. Ad hæc aiebat D. Ambros. lib. de Isaac, cap. 7. *Speciosa fœcunditas est bonorum operum. Contraria speciositati sterilitas. Terra enim quæ bona est, fertilis, atque fœcunda, hæc & decora. Quid enim pleno agro pulchrius, cùm seges fluctuat, cùm poma rutilant, vel cùm vuarum serta dependent, aut baccis onusta olea turgescit, vel viridante gramine montium vertices, vallium humilia vestiuntur? Et vt Scripturæ vtamur testimonio, Iacob decorus erat, & ideò erat odor agri pleni; Esau hispidus erat, & indecorus, qui fructus illos habere non posset.* Ecce tibi decoris, & speciositatis fontes & verissimos, & non defecturos, nimirum, opera bona, virtutum fructus. Prætende tu te opera virtutum, & illis in veritate redderis speciosus, & decorus. Dicebat Dominus discipulis suis pauperculis, & incultis hominibus, Matth. 5. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Iubet incultis hominibus vt luceant, vt illuminent Orbē. Quæ lux in abiectis hominibus? Vnde illis venire potest tantum decus splendoris, vt mundum illuminare possent? Iam insinuat aiens; *vt videant opera vestra bona, &c.* dum enim in operibus bonis occupantur, hæc illos sic ornant, sic splendere faciunt, vt luminaria mundi esse possint. Ait Tertul. lib. de cultu fœminarum: *Hæc sunt, quæ nos luminaria mundi faciunt, bona scilicet nostra.* Ea quidem sunt virtutum opera, quibus non solùm & speciosi & splendidi in se reddantur homines, sed & lucidissima reddantur luminaria, de quorū luce & gratia viuant alij. Et quis ornatus alius hoc præstare posset? Accipite Simocatam, lib. 4. c. 3. sic Hormisdam Pontificem pretiosis lapillis ornatum describentem: *Caput velabat tiara ex auro gemmis distincta, & iaspidorum splendore carbunculorum rutilans, & vnionibus florens largiter, qui & ipsum illustrabant, & smaragdini viroris pulchritudinem candore suo perfundebant, vt propemodum ipsi quoque spectantium oculi præ insaturabili pretiosissimorum lapidum stupore collapidescerent.* Componite modò hunc Pontificem gemmis, & lapillis, & carbunculis, & smaragdis scatentem; cum illis qui solùm operibus virtutū habendis insudabant. Hic inter tot lapides cōstitutus, quasi lapidicina fiebat, cogēs spectatores etiā lapidescere. Illi corusci bonis operibus fiebāt mūdi luminaria, vt & lumine, & influxu homines viuificarēt. Nō equidē, qui à lapillis venit, & lapides facit, ornatus boni hominis est, sed qui ab operibus, & virtutū fructibus nascitur, hic est splēdidissima Sacerdotū, & Pontificū speciositas, & ornatus. Nunquam non est deformitas in sterilitate, & inutilitate, nec vllus decor, aut speciositas sequitur, qui non veniat à fœcunditate.

D. Amb. — Matth. 5. — Tertull. — Simocat.

Cant.4. fœcundirate, Cant. 4. *Dentes tui, ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderant de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt in eis. Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce, &c.* Quanta hæc ſpecioſitas, & pulchritudo labiorum, quæ inſtar coccineæ vittæ purpuraſcunt? Sed non priùs hæc ſpecioſitas ponitur, quam dentes Eccleſiæ, nimirum Sacerdotes, & doctores fœcundi in Dei filiis regenerandis, & liberi ab omni ſterilitate exhibeantur. Rem ponderabat Nyſſen. homil. 7. Canticor. *Nyſſen.* *Primum tondentur dentes, & lauantur, & non ſunt ſteriles, & geminos pariunt, & tunc florent labia ſpecie coccinea.* Non antea, mihi crede, vlla ſpecies viri boni appareat, nec in labiis, quàm virtutum & operum exemplo oſtenderit fœcunditatem, quæ poſſet Deo filios parere. Hinc de ipſo Domino, ait Pſalm. 92. *Pſal.92.* *Dominus regnauit, decorem indutus eſt:* qui natura ſua erat ipſa pulchritudo, & decor, dicitur decorem induiſſe, fortè vt ſeſe in hominum oculis minimè aſpicientibus deitatem, decorum, & ſpecioſum oſtentaret. Sed qualem decorem induit Dominus? Ait D. Bruno: *D.Brun.* *Decorem indutus eſt, id eſt, induet, & coniunget ſibi per fidem Apoſtolos, quibus ornabitur, vt corpus veſtimentis ornatur.* Ecce tibi, vel ipſi Dei filio nullus alius decor, nulla alia dignior ſpecioſitas aptatur, niſi quæ de adiunctis ſibi Diſcipulis, & ad viam ordinatis, apparet. Et vellet homo ſapiens, aut Dei Sacerdos gloriari de ſterili lapillorum ornatu, qui facit homines lapideſcere?

§. XXVIII.

Cœleſtibus benedictionibus vnnè inhiat, qui non præ ſe fert Chriſtum, & hunc crucifixum.

BEnedicendi Iacobi odor non ſuccina, non aromata, ſed agrum refert patri, & quem agrum? Illum ſanè, in quo Chriſti Domini fructus repræſentantur, ſolus enim ille benedictionibus diuinis aptatur, qui Chriſtum ſuum refert diuino Patri. D. Ambroſ. lib. 2. de Iacob, cap. 1. ait: *D.Amb.* *In hoc agro vuæ illa reperitur, quæ expreſſa ſanguinem fudit, & mundum deluit. In hoc agro eſt ficus illa, ſub qua Sancti requieſcent, ſpiritualis gratiæ ſuauitate recreati. In hoc agro eſt oliua illa fructifera, Dominica fluens pacis vnguentum. Hos igitur fructus redolebat Iacob, qui Deum per pericula ſequebatur.* Ne mireris Iacobum benedictionibus diuinis præparari, quando in ſe refert Deo totum agrum Chriſtianum. In illo apparebat botrus, qui prælo crucis expreſſus, mundum lauit à peccatis: apparebat, inquam, Chriſtus, qui, oleo & vino infuſo ſui pretioſi ſanguinis, noſtra vulnera alligat, ſanat. Nec aliter niſi de Chriſti halitu Deo placeret, & benedictionem ſibi traheret. Hinc ad ſponſam dicebat Dominus Cant. 4. *Cant.4.* *Odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata.* Septuag. *Odor veſtimentorum tuorum ſuper omnia aromata.* Non aromata, ſed veſtis illorum, qui induerunt Chriſtum, eum odorem exhalat, qui poſſet Deo accidere gratiſſimus. Ad hæc ait D. Nyſſ. hom. 8. in Cantica. *D.Nyſſ.* *Eſt Deo aroma frequens ſacrificium, & propterea Deo per legem offeruntur propitiatoria, & pro gratiis agendis inſtituta, & expiatoria, & pro peccato. Hæc omnia pono inter aromata, & holocauſta, & ſingulares eorum, quæ ſunt oblata, conſecrationes, pectuſculum hoſtiæ, adipem, præterea thus, ſuffitum compoſitionis, & alia omnia, quæ referuntur in numero aromatum. Quando ergo audiuerimus vnguentum ſponſæ, quod ſuper omnia aromata dignum cenſetur, quod ſuſpiciatur, iis verbis intelligamus, quod myſterium veritatis euangelicæ, quod peragitur, eſt ſolum Deo odoriferum, præpoſitum omnibus legalibus aromatibus.* Nihil in omni ſacrificio, & ſuffitu, & holocauſto erat Deo gratum, niſi myſterium Chriſti ibi figuratum. A ſolo Chriſto odor halatur, ſub quo Deo placeamus, ſub quo Dei poſſimus acquirere benedictionem, & gratiam. *D.Nyſſ.* Hinc Paulus 1. ad Timoth. 2. orantes ad Deum, pro benedictione obtinenda, monebat: *Volo viros orare omni loco, leuantes puras manus.* Cur leuantes manus? D. Aſterius ſer. in Luc. c. 8. de Parabola Phariſæi, & Publicani apud Biblioth. Photij, ait: *Precatio vitæ noſtræ auxilium eſt, & rectas tendere in cœlum manus, formam eſt exhibere Chriſti cruci affixi. Si verò orat, & orans placeat Deo, non modo in figura crucem repræſentet, ſed & affectu.* Expende ab illis, *& orans placeat Deo, &c.* Quaſi nequeat exire aliquid Deo placitum, niſi prætendatur Chriſtus. Et quidē veriſſimū eſt, & certiſſimū, illos ſolos Deo placere poſſe, qui ſuum referunt Chriſtū Patri. Illi Seraphim, qui diuino throno adſtabāt, ſenas habētes alas, teſte Iſaia c. 6. *Iſai.6.* *Duabus velabant faciē eius, duabus velabāt pedes eius, & duabus volabant.* Et quādo illis ſtare corā Deo neceſſum erat, ad quid extēdebant alas, vt volarent? In extenſione duarū alarū crucē efformabant, putātes ſe Deo gratè adſtare nō poſſe, niſi & Chriſtum in ſe aliquo modo oſtentarent. Quò reſpiciens D. Germanus Conſtantinop. orat. de cruce prope finem, apud *D.Germ.* Gretſerum noſtrum: *Et illi, qui tua gloria, vt ſceptro regali adſiſtunt, tibi conformantur, & noua quadam ratione imitatione tui gloriantur; contractis quidem alis ſuperioribus, & inferioribus, expanſis autem vtrinque mediis, & in formam crucis volantes, ſine intermiſſione victoriæ laudes, & præmia decantant.* Sic qui Deo velit gratioſus adſtare, etſi ſeraphicis ornetur virtutibus, hoc maximè agat, vt Chriſtum in ſe repræſentet Patri. Apocal. 8. *Apoc.8.* *Et alius Angelus venit, & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data ſunt illi incenſa multa, vt daret de orationibus Sanctorum omnium ſuper altare.* Et cui Angelo dantur omnes Sanctorum orationes, niſi Chriſto poſito in crucis altari, per quem ſolum poſſunt eſſe cœleſti Patri gratæ? Ait Rupert. lib. 5. in Apocal. cap. 7. *Apoc.7.* *Chriſtus Dei filius quomodo ſtetit ante altare, niſi præſtò ſe exhibēs ad ſubeundum opus obedientiæ ſpontaneæ? Taliter adſtitit, aureum habens thuribulum, vt ſcilicet ſuper altare crucis thuribulum ſuum aureum, id eſt, corpus immaculatum, de Spiritu ſancto conceptum offerret Patri pro nobis. Accepiſſe autem de orationibus Sanctorum Chriſtus dicitur, & obtuliſſe, quia per ipſum omnium poſſunt preces ad Dominum ſuauiter peruenire.* Hæc ibi; quibus patet, quam debeant olere Chriſtum quæcumque orationes ſuauiter accedunt ad Patrem diuinum. Hinc D. Max. hom. 2. de Paſſ. ait: *D.Max.* *Tunc citius noſtra exauditur oratio, cùm Chriſtum, quem mens loquitur, etiam corpus imitatur.* Sic ibi.

§. XXIX.

Qui Deo ſacrantur, plenitudinem vocationis ſuæ curent ſeruare.

NOn contentus Iſaac in filio percipere ſimilitudinē fructiferi agri, inſuper in illo quandam plenitudinem bonorum auguratur. Ait enim: *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni.* Et bene de plenitudine cōmendatur, vbi eum primogenitura ſacerdotio deſtinatur, qui enim ſic Deo ſacrantur, nihil in ſe vacuum, nil minus debent habere, ſed vocationis ſuæ plenitudinem maximè habeant. Cant. 5. *Cant.5.* ſic ad ſponſam clamat: *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Sept. poſuere: *Aperi mihi proxima mea, ſoror mea, columba mea, perfecta mea.* Quam ſibi Deus proximam facit animam, ſibique iubet adſtare, ſimul iubet eſſe & columbam, & perfectam: ne quid enim minus ſuſtinet eſſe in eo, qui ſibi ſacratur, ſed omnem vocationis plenitudinem amat ab illo ſeruari. Ait D. Nyſſen. hom. 11. in Cant. *Nyſſen.* *Si vis enim, inquit Deus, aperiri oſtium, & attolli portas animæ, vt Rex ingrediatur, oportet te fieri meam ſororem: & habere in natura columbæ perfectionem, hoc autem eſt, nulla in te deficere, & eſſe plenum omni innocentia, & puritate.* Huc accedat quiſquis amat domeſticum eſſe Regis gloriæ, cum illoque habere conſortium: & curet eam habere perfectionem in vocatione ſua, vt nihil vacuum, nihil minus oſtendat, ſed ſe exhibeat in omni puritate, & innocentia plenum. Idem enim debet eſſe, quòd te Deo dedas, & quòd plenariè te dedas. Leuit. 8. memorans initiationem Aaronis, *Leuit.8.* ait: *Tulitque pectuſculum de ariete conſecrationis in partem ſuam.* Vbi noſter legit, *de ariete conſecrationis*, nimirum de ariete Deo conſecrato, legitur ex Hebræo, *de ariete repletionum, ſiue repletorum.* Tunc enim ille intelligitur dicatus, & conſecratus diuino obſequio, quando apparuerint in illo impleta omnia pertinētia ad tantam vocationem. Quò reſpiciens Eccleſiaſticus cap. 45. ait: *Eccleſ.45.* *Compleuit Moyſes manus Aaron, & vnxit illum oleo ſancto.* Compleuit, inquam, videlicet, ſic Aaron fuit à Moyſe inſtitutus, ſic compoſitus ad ſacrū miniſterium, vt nihil in ſe oſtenderit inane, vel vacuum, nihil minus; ſed omnia plena, & integra monſtrauerit. Et profectò nil Deo inuenies ſacratum, quod de plenitudine hac non gaudeat. Ex quo D. Ephrem ſer. de Pœnit. ſic monet accedentes ad Deum: *Ephrem.* *Sancta lex docuit vniuerſa ſanctuaria ex auro formare: nec locum reliquit vacuū in theſauris Legiſlator, vt diſcamus ſanctos Deo perfectā habere ſanctitatem. Non reliquit leuitatem in ſanctis vaſis: vt non habeat quicquam inane, aut quod non aliquid agat, miniſter Dei. Si leuitatem habem, aut locum vacuum, non poteris eſſe vas ſanctum.* Quid mirum quòd inter vaſa Deo conſecrata non habeatur ille, qui non plenariè Deo ſe tradit, ſed aliquid minus habet? ſiquidem & hūc maximè Deus abominatur, & ab omni ſanctitate arcet. Dei enim eſt illa vox Matth. 8. *Matth.8.* *Nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos.* Et qui hoc dicebat, ſimul Actorum 10. oſtendens Petro, qui-

bus traderet margaritas cœlestes, monstrauit illi vas quoddam demissum de cœlo: *In quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cœli.* Bone Deus, non negas margaritas tuas venenaris etiam bestiis, & illas porcis negas? Cur tibi infensi adeò sunt porci? Porci sunt mundi ex dimidio solùm, immunda erant animalia, quæ ruminabant, & scissas habebant vngulas; porcus autem non ruminat, & ex hac parte, mundus est, sed quia habet vngulas scissas solùm manet ex medietate mundus: in quo repræsentatur illi, qui non plenè, non integrè, sed ex dimidio se tradunt Deo, qui vt tepidi, sic citiùs euomuntur à Dei ore. Ad hæc D. Ephrem ser. de Pœnit. *Ait porro Saluator: Nolite sancta proiicere canibus, neque margaritas ante porcos, vt ostendat ex dimidiatate accedentes, velut porcos esse. Nihil verò profuerit porcum pro dimidio duntaxat mundum esse, cùm vngulas non solidas, sed scissas habeat, nam omnem abiicit munditiem.* Sanè timendum est, ne à cœlestium margaritis, vt porcus abiiciaris, quisquis non plenariè, & integrè, sed ex parte te tradis diuino obsequio. Huc trahe multa dicta 1. tom. Euang. hist. lib. 3. cap. 1. §. 7. & 8. Et cap. 7. §. 20.

D. Ephr.

§. XXX.

Vt nos diuina gratia subtrahimus, se nobis subtrahunt vniuersa creatura.

NIhil priùs apprecatus Isaac filio suo, quàm cœlestem rorem; ait enim: *Det tibi Deus de rore cœli, &c.* Nam nisi adesset, qui à cœlo venit, ros gratiæ, ægrè, & difficulter traherentur cætera bona creata. Ait Paul. 8. ad Rom. *Vanitati enim subiecta est creatura non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe.* Meritò vocat vanitatem, hominem peccatorem omni gratia cœlesti vacuum, cui fatetur adhuc seruire creaturas, dum terra alimenta profert, mare pisces, clarissimos dies cœli astra. Sed quanta id præstant difficultate? Sanè non volentes, sed reluctantes trahuntur ab omnipotentia Dei, alioquin à peccatore homine, & gratia vacuo longissimè fugituræ. Sic Diuus Chrysostom. serm. de Incarnat. apud Biblioth. Photij: *Sciuit Deus hominem lapsurum, & creaturam peccatoris imperium detrectaturam, idcirco refrænauit eam, etiam nolentem, iussitque parere, vt antea, dum legi parendo, regale, ac summum imperium homo seruabat. Pudebat enim creaturam obnoxio peccatis Domino se subiici.* Equidem nisi esset Dei potestas, quę frænis adhibitis reluctantes, & pudibundas creaturas in peccatoris seruitium traheret, ipsæ ab homine fugerent, ex quo ipse gratia vacuus apparuit. Quoties enim potest creatura, seruitium negat homini, in quo non est gratia. Nuptias celebrantibus Iudæis, Ioann. 2. penè ad initium conuiuij, vinum defecit, vt mater Iesu diceret Filio: *Vinum non habent.* Et quando sponsus sufficientes esi as parauit, non vacat mysterio, quod nuptiis tam citò vinum defuisset. Vnde ergo natus est hic vini defectus? Cyprianus epist. 63. ait: *Quia apud Iudæos defecerat gratia spiritualis, defecerat vinum.* Non pecuniarum defectui, sed defectui gratiæ meritò tribuitur tam inopinatus vini defectus, & ideò non ad diuitum arcas curritur, vt defectus suppleatur; sed Maria vadit ad Dei filium, de cuius sola potestate venit, quòd creaturæ fugientes, & renuentes cogantur seruire eis, qui sunt gratia vacuati. Vel enim à sola Dei conniuentia eam sumunt creaturæ audaciam, qua se peccatoris seruitio valeant subtrahere. Positus erat Dominus à perfidis in cruce, in qua vt ipse ait Psal. *Dormiui, & soporatus sum.* Quid tunc? Ait Lucas cap. 23. *Tenebræ factæ sunt in vniuersa terra; obscuratus est Sol, velum templi scissum est.* Matth. c. 27. addit: *Terra mota est, petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt.* Vnde, tam nouus, & inusitatus motus creaturarum? Dum Dei potestas apparebat soporata, infirmata, nil prius cogitant creaturæ, quàm se seruitio peccatorum subtrahere. Ait Diuus Leo serm. 17. de Pass. cap. 2. *Adiiciebatur ijs elementorum omnium tremenda commotio, & authoribus crucis Christi ipsa se natura officia subtrahebant.* Itaque dum soporatur, & absconditur potestas Dei in cruce; creaturæ vniuersæ nactæ fugiendi occasionem, sese à peccatorum seruitio subtrahebant. Quod etiam ponderans Anastas. Sinaita lib. 4. de rectis fidei dogm. alibi datus, aiebat: *Neque aberraueris quis, si dicat tacito naturæ consensu id contigisse.* Compone modò illud Pauli dictum, quòd nimirum, *vanitati creatura subdita est non volens, sed propter eum, &c.* Et hoc, quòd dum dormit Iesus in cruce, creaturæ vniuersæ commouentur, & subtrahunt officia sua *tacito naturæ consensu.* Vt enim non voluntate propria, sed coactione Creatoris

Ad Rom. 8. — *Chrysost.* — *Cyprian.* — *Luc. 23.* — *D. Leo.* — *Anastas.*

seruiebant peccatori; sic vbi Creator dormit, vbi soporatur tantisper, mutuo vnanimique consensu à peccatoris seruitio conantur fugere. Sic, nisi potentia Dei cogens creaturas ad seruitium adsit, illæ proculdubio desertum, & aridum peccatorem facient. Nota est historia 1. Reg. 16. quando Samuel vngere volebat maiores natu filios Isai in Reges; inclinauit Propheta cornu super caput maioris, sed oleum stetit, nec fluere visum est. Cur hoc? Ait D. Basil. Seleuc. orat. 14. *Fluxa natura sursum detinebatur, gratia legibus obsecuta, capútque à quo resiliebat gratia, relinquebat aridum.* Hæc est creaturarum conditio, quòd relinquat hominem, qui vacuus est gratia, nisi à potentiori Dei brachio illi seruire cogantur.

Basil. Sel.

§. XXXI.

Cœlestis panis auxilio eam nanciscitur homo sublimitatem, qua vniuersos subiugauit.

VBi abundantiam frumenti filio promittit Isaac, iam necessum erat, vt omnes illi tam fratres, quàm exteros ostenderet subiugatos, adeo vt non esset, qui illi vllam offensionem faceret. Ait enim: *Det tibi Deus abundantiam frumenti. Et seruiant tibi populi, adorent te tribus, esto Dominus fratrum tuorum. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus.* Quid enim de possessa abundantia panis priùs lucraretur, quàm de omnibus rebellibus triumphare, & subiicere sibi vniuersos, etiam contrarios? Quòd si aliquando non fiat per abundantiam panis corporalis, at vbi tibi cœlestis panis abundet, crede mihi, in eo habes, quo te reddas inaccessum malis, imò quo detriumphes mundiales, aereásque potestates. Cárissimus est infœlix ille pistor Pharaonis, de quo Genes. 40. quem miratus D. Ambros. lib. de Ioseph, cap. 7. ait: *Et ipse præpositus erat, & præpositus epularum Regis. Sublimem se esse credebat, quia in potestate habebat panem regium. Minabatur aliis, &c.* A nullo iste timebat, imò ipse aliis minabatur, & opprimebat mole suæ potestatis, quasi ipse eam sublimitatem haberet, à qua non posset deturbari, sed ex qua alios deturbaret. Et vnde huic sublimitas tanta? Ait Ambros. *Quia in potestate habebat panem regium.* Proh euanida sublimitas, quæ in pane mundiali fundatur. Sed illa vera sublimitas, quæ venit à cœlesti pane. Fœlix homo, cuius sub potestate regius Eucharistiæ panis est, is eam nanciscitur sublimitatem, ad quam vix vnquam valent aduersariæ potestates, imò vniuersæ subiiciuntur ei. Quò spectans Isaias cap. 33. ait: *Munimenta saxorum sublimitas eius, panis ei datus est.* Vatablus vertit: *Munimenta saxorum asylum eius, &c.* Habet equidem & sublimitatem inaccessam, & asylum inexpugnabile, qui secum habet panem. Sed quis panis id confert? Iustinus mart. in dial. contra Tryphon. *Panis est Eucharistia.* Non alius, sed regius Eucharistiæ panis asylum est, quo penè inexpugnabilis homo redditur; imò sublimitatem confert, ex quo subiectas trahat homo contrarias potestates suis pedibus. De expugnandis & subiiciendis Assyriis, ait Isaias cap. 30. *In tympanis, & citharis, & in bellis præcipuis expugnabit eos.* Expende; *in bellis præcipuis*; quæ enim vocantur bella præcipua? Non equidem, quæ inter tonantes, fulminantésque æreas machinas fiunt, sed quæ inter tympana, & cytharas, qualia sunt Eucharistica sacrificia. Hæc præcipua bella sunt, quæ volantibus mortibus, sed sonantibus epulantium canticis vniuersos hostes in potestatem redigunt. Ait Forerius: *Non armis, non tormentis bellicis, sed ingenti gaudio in tribulationibus, & sacrificiis Eucharisticis delet eos. At quod genus belli huic possit comparari? Non mirum ergo, quod vulgatus bella præcipua diceret, pro optimo bellandi genere.* Hæc sunt præcipua Christianorum bella ad omnes debellandos, subiiciendos. Quid præstantius, quàm conuiuio conficere, quod vix alij bellicis machinis aggredi auderent? Id mirabatur Dauid Psalm. 22. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant nos.* Quò respiciens Sidonius Apollinaris lib. 8. epist. 12. hinc mirabundus commendat strenui ducis valentiam. Ait enim præstanti duci Ferreolo: *Prætermissi Gothici ferocissimum inflexum affatu tuo melleo, graui, arguta, inusitato: & ab Arelacensium portis, quem Ætius non potuisset prælio, te prandio remouisse.* Præstantissimum sane genus bellandi, & hostes remouendi, subiugandi, quando id non præstant bellica arma, sed suauia prandia.

Gen. 40. — *Ambros.* — *Isai. 33.* — *Isai. 30.* — *Forer.* — *Psal. 22.* — *Sid. Apol.*

CAPVT

CAPVT II.

Iacobi peregrinatio, & nuptiæ.

Textus Historia.

PATRIS benedictionem præripiens Iacob, acerbissima fratris odia acquisiuit, qui, eo iuuene viuo, dicebat nihil sibi in paterna domo firmum fore. Tantum dum pater senex viuit, cōcepti odij feralissimos partus differt: in hoc Caino sanior Esau, quem patris reuerentia à cæde fratris cohibuit. Ingentes eius iræ solius Rebeccæ animum solicitant temerè amantis iuniorem filium, quæ nullam vnquam pœnam se putat defunctu-ram, nisi vel diligentia sua viuat Iacob, vel in illius malis consumatur ipsa. Nihil ibi mediocre Iacobo erat, nec matris amor, nec fratris ira. Verùm Rebecca, vt maximè consiliis mulier valebat, vocatum filium dilectum manu prendit, in interiorem thalamum rapit, ibique iratissimum fratrem propriúmque periculum denuntiat. Scis, addit, fili, quid in tantos metus succurrerit? Est fratris mei Labani domus in Hiram, illic facillimè potes regi, subducique discrimini. Age modò fugiunum, & atroci rumore cōpulsus festina a paternis domibus abire; ne pater tuus, & ego, crescentibus fratris iris, inuidioso fratrum obruamur tumultu. Cùm limine excesseris, exsæuiet, credo, fratris tui furor; & exceptum deinde in hanc domum Dei ope seruabimus, vt anitis potiaris cœlestium promissis. Opportuno consilio addidit Matrona mariti Isaaci suffragium, vt ardenti iuueni emolliretur vel fugæ vocabulum, ad quam vtriusque parentis ore impellebatur.

Ille non diutius hærens, leue parat viaticum, quale fugitiuus, & pedes secum tolleret in via, neque enim de parentum affectu, sed neque de fratris iracundia dubitat. Præcinctus iā adstat patri, de cuius ore iterum hauriens sibi referuatas fortunas, viam auspicatur cum primo Auroræ lumine. Fallar, si quæ via adhuc exceperat talem fogitiuum, cuius salute hæc se nobilitauit, & magnam cæteris sui fecit inuidiam. Non pauca fuerat emensus stadia, & languentes Solis radij simul illi ostendebant, &, licèt properanti, negabant Luzæ Vrbem; quam oculis eripiunt vmbræ præcipites, vt iuuenis cogeretur reclinato ad lapidem capite succumbere. O somnus & ditior, & fœlicior Iacobo, quam omnes eius vigiliæ! Vigilanti eripiunt tenebræ terrenam vrbem; dormienti referantur cœlestium arces, inhabitantis Dei abstrusa triclinia. Ingens scalæ imago somnianti obiicitur, non in acumen fastigij deducta, sed leniter ad ascendentium voluptatem accumbens; gradus nec pauci, nec ardui erant, per quos adibatur cœlestium limen, & in gradu summo tota se Dei maiestas ostendebat peregrino. Non vacua scala erat, sed ascendentibus, descendentibúsque Principibus frequentissima; inter quos vnus Iacob vocatur ad Dei colloquium; vni Orbis vtriusque selectiora, & securiora bona asseruntur. Nec cœpit somnus verissimarum rerum tanta auspicia; vnde expergefactus Iacob, gloriæ visæ adhuc plenus, quem tenuit dormiens, vigilans locum affatur: Tu fortissimum omnium creaturarum vindicem habes? Meus horror monebat te haberi horribilium ludorum theatrum; gloria tua suadet vnam in te assurgere summi imperatoris Regiam, patentibus vndique cœlestium thesaurorum valuis. Inter hæc accepto lapide cui incubabat, erexit columnam, quam infuso oleo sacrauit Deo Opt. Maximo: in quo vno, non in præsidiis, non in castellis, non in diuite gaza fundabat suas vires.

Ægrè ab auspicatissimo sibi loco auulsus superans regionem orientalem, tandem peruenit in latissimum campum: apparet ibi puteus, hinc inde ouium gregibus cinctus, sed magni ambitus lapide occlusus, tunc referari solitus, cùm regionis grex nullus ad potum abfuisset. Paulisper hæsit Iacob, amœnitate adstantium, & nouiter accedentium gregum percepta; rogauitque pastores, quod oppidum vicinius, quos Dominos tam fœcundæ opplebant diuitiæ, filiósque & matres intuebatur, & se oblectabat agnorum lusibus. At vbi Hiram appropinquare cognouit, ardentiori cura auunculi sui Labani inquirit fortunas, & eiusdem incolumitatem inquirit: & pastores monet, vt adaquatos greges iterum ad pascua reducant. At pastores; Puteus, inquiunt, lapide occlusus est, quem nulli remouere licet, nisi postquam vniuersi conuenerimus; in proximo sunt, qui desunt, & ecce puella illa, accedentem iam gregem minata, ipsa est optimi Labani filia. Non sic inter stellas candidissima Luna, vt inter oues sese Iacobi oculis dedit nobilis Rachel, exemplar pulchritudinis, & pudicitiæ. Hanc vt vidit Iacob, non sustinuit vlla expectatione fatigari tantam pulchritudinem, leui impulso lapidem amouit, copiosásque putei haustas aquas præcipitat in subiectos canales, ne Rachelis ouea amplius sitirent. Mox oculis modico tremore errantibus, ne valida quidem verba, aut intrepida fuerunt; sed in amplexus ruit, osculáque effusis lacrymis purificans, & genus, & matrem, & affinitatem suam strictim retulit virgini. Nec latuit spectantes subita in peregrino mutatio, ingénsque causa, ob quam illa tempestas in eius vultum inundauisset. Festina virgo patri charissimum hospitem renuntiat; cui accurrens Labanus fœlicissima suę domui capit auspicia in sororis filio. Successêre ambo in tectum, inuitauitque Labani humanitas, vt illic curas omnes poneret Iacob, & labores longissimæ viæ: ab illóque summa voluptate didicit, & itineris causas, & parentum incolumitatem, & diuitias.

Mensem impleuerat hospes apud auunculum, non in paucis se & strenuum ad omnia ostendens, & industrium: quo impulsus Labanus, pacta laborum mercede, nititur sibi iuuenem adstringere. Erant viro duæ lectissimæ filiæ, Rachel insignis pulchritudine, non indecora Lia. Oblatam nactus occasionem Iacob non prætermittit, sed alacer pro Rachele septennium in seruitute libat: & pro tantæ spei fœlicitate non reputat diem septennij seruiturum. Non sic fidus in mercede pacta Labanus, vt Iacob fuit in laboribus fidus, quibus sincerissimè solutis fallaces successerunt nuptiæ. O nuptiarum obscurissimæ faces, quot fraudes obumbratis! Sub hymenæi facibus credebat simplicissimus Iacob consortem thalami Rachelem potitus, sed matutina lux ostendit pro Rachele Liam fuisse ab iniquissimo parente introductam. Hanc clarè intuitus sponsus & stupet, & fremit simul indignatione fallaciæ; nec ferente contumeliam virtute, iratissimúsque à Labano requirit causas illatæ iniuriæ, & propinquo, & famulo, & hospiti, qui nunquam violauerat fidem hospitij. At Labanus, Liam, inquit, fili, introduxi non fallaci arte, sed regionis more, post maiorem natu minorem introductur us; vix finietur hic primus hymenæus, & secundus aderit, tibi Rachelem asserens, & mihi alterius septennij labores tuos addicens. His lenitur Iacob, ne saltem Rachelis patri videatur displicuisse. Igitur in Labani domo nuptiales faces reaccenduntur, noua adornantur conuiuia, & cupienti sponso traditur Rachel optatissima; quæ nunquam in amore viri non fuit prima.

PARS PRIMA.

Iacobi, & Christi in vtero symbola.

FVGITIVVS Iacob, & peregrinus ad cognatos ex matre festinat, & honestissimis puellis nuptiali vinculo sese adstringit, vt facem præferat Christo, qui & in matris vtero nubit humanæ naturæ, & Ecclesiæ, & peregrinationes pro cognatis suscipit.

§. I.

Christus in vtero, vt Iacob, fit à matre peregrinus ad cognatos iuuandos.

VIdisti Iacobum de matris Rebeccæ consilio, imò impulsu, peregrinantem vsque Bethel, & inde in Hiram, vbi apud cognatos matris stat, ingenuam illis exhibens seruitutem. Quid magis Christianum? Sanè vbi Christus fuit in Mariæ vtero peregrini habitum à matre suscipit, qua ferente, in montana primò pergit, vt cognatis deferat salutem, deinde in Bethlehē proficiscitur, vt nomen suum inter cognatos scribat. Vtrámque peregrinationem D. Bern. describit ser. in verb. Apocal. 12. inquiens de Maria: *In ipso sua conceptionis initio, quando potissimum cæteræ mulieres miserabilius affliguntur, Maria tota alacritate montana conscendit, vt Elizabeth ministraret. Sed & ascendit Bethlehem imminente iam partu portans pretiosissimum illud depositum, portans onus leue, portās à quo portabatur.* Ecce tibi à primo Christi in vtero concepti instanti, vix aliud primum cogitat Maria, quàm filium peregrinum facere, & illum ducere per asperrima montium cacumina, vt

D. Bern.

ministerium cœleste cognatis præbeatur. Non finitur diuinus infans in materni vteri domicilio quiescere, sed statim à matre fertur per abrupta montium, & viarum aspera. Quò crediderim respexisse eius sponsam, Cantic. 2. aiens, iuxta Septuag. lect. *Ecce hic venies saliens super montes, transiliens super colles, similis est fraternus meus capreæ, vel hinnulo ceruorum in montibus Bethel. Ecce hic post parietem nostrum incumbens per fenestras, prospiciens per retia.* Nec otiosè, cùm posset illum assimilare hinnulis aliorum montium, maluit similem facere dilectum hinnulis, qui sunt in Bethel. Et cur iis potiùs, quàm aliis? nisi vt ostēdantur Christi peregrinationes & viæ, dum intra materni vteri parietes stat, similes esse peregrinationibus Iacobi, quæ primum in Bethel terminum habent. Vt Iacob adhuc filiusfamilias, adhuc hinnulus à matre impellitur in peregrinationem, & per montes, & colles tandem peruenit in Bethel; sic videre est Dei Verbum primò veniens in vterum marianum, & inde ferri in montana, saliens super altissima moōtiū cacumina, transiliens profundissimas colles, vsque accedat ad Elizabeth domum, vbi stans post vteri materni parietem, sese manifestat propinquo Ioanni, cui pretiosissimā ministrat gratiam. Ait Orig. hom. 7. in Luc. *Iesus, qui in vtero Mariæ erat, festinabat adhuc in ventre matris positum sanctificare. Denique antequam veniret Maria, & salutaret Elizabeth, non exultauit infans in vtero: sed statim vt Maria locuta est verbum, quod filius Dei in ventre matris suggesserat, exultauit infans in gaudio, & tunc primum præcursorem suum Prophetam fecit Iesus.* Compone hæc cum verbis allatis ea Cant. ibi dicitur Dei filius salire in montibus, & post parietem stare respiciens per fenestras; hic dicitur festinare per montanorum ardua in vtero matris, & post parietem vteri materni stans, non prorsus occultatur, sed eminet per fenestras, ponens in ore matris salutationis verba, quæ sanctificent Ioannem, & illum faciant exultare præ gaudio. Et quidem Ierosolymis erat Anna sanctissima; erat Simeon vir iustus expectans regnum Dei. nec sic ad illos festinauit Iesus, nec ad illos in vtero peregrinatus est, vt fuit peregrinatus ad Ioannem delitescentem adhuc sub tenebris peccati. Et cur illis omissis sic properat ad Ioannem? Equidem Iacobæa proles prius dirigenda erat à matre in propinquos, & cognatos, necnon & hoc maximè est Christianum, quòd prius iubentur, excitenturve propinqui, & cognati ad profectum spiritualem. Aderant in præsenti Maria, & Elizabeth, & in vtriusque vteris Iesus, & Ioannes aderant; qui sic matres implent, vt vtraque Spiritu sancto plena prophetaret. Cur sancti infantes sic properatis effundere spiritus thesauros? Ait D. Ambr. lib. 2. in Luc. de duabus matribus; *Istæ gratiam loquuntur, filij intus operantur, pietatísque mysterium maternis adoriuntur profectibus, duplicique miraculo prophetant matres spiritu paruulorum.* Expende illa, nimirum, *pietatis mysterium maternis adoriuntur profectibus*, vt scias, quàm sit Christianum prius imbuere cognatos in re virtutis, & pietatis. Vnde Paulus ad Rom. 11. inde suas peregrinationes, & labores apud gentes putat posse extolli, si etiam aliquis Iudæus cognatus secundùm carnem conuertatur. Ait enim: *Quandiu quidem sum gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo, si quomodo ad æmulationem prouocem carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis.*

Cant. 2. Origen. Ambr. Ad Rom. 11.

§. II.

Iesus in Mariæ vtero requiescens præ se fert Iacobi scalam. Vbi quàm fælices sint, qui Mariæ seruiunt, & è contra.

CAntatissima est scala Iacobo in somnis ostensa, cuius ima pars terræ figebatur, suprema autem attingebat cœlos, in qua Deus innixus quiescebat. Et quæ scala hæc, in cuius summitate & Deus innititur, & quiescit? Planè hanc scalam Iesus præ se fert, dum gratissimè quiescit floridissimo in vtero Mariæ. Id quod asserebat D. Damasc. orat. 1. de Mariæ natiuitate, inquiens: *Rerum omnium artifex Deus, viuam scalam sibi ipsi condidit, cuius ima pars in terra firmata est, summa autem ad cælum vsque porrigitur, in qua Deus requieuit, cuius locum Iacob conspexit. Spiritualis scala, hoc est, Virgo, in terra firmata est, ex terra enim ortum habet, caput autem ipsius ad cælum pertinet. Omnis quippe mulieris caput pater exstit, &c.* Ecce tibi vt scala Iacobi asseritur Maria, cuius in terra ortus est, sed in cœlis eius conuersatio: in huius vtero, tāquam in summitate creaturarum, requieuit Dominus, ibique innixus apparuit, dum eius efficientia indigeret. vt maturesceret ad natiuitatem, dum eius ope vteretur, vt iret ad montana sanctificaturus in vtero Ioannem. Requiescit Dominus, dum est in Mariæ floridissimo vtero, ibique videtur innixus, dum ascendunt Angeli, & descendunt Angeli, factus iam tunc in ascensionem, & ruinam Angelorum. Quippe Filius Dei homo factus in vtero virginali apparuit Angelis in primo eorum creationis instanti, & illum qui adorauerunt, assumpti sunt in gloriam, qui inuiderunt, in tartara sunt præcipitati, vt magna para Theologorum fatur. Nec solùm Dominus innixus scalæ marianæ fit in ascensionem, & ruinam Angelorum, sed & omnium mortalium, qui iuxta affectum ad Mariam habitū, aut ascensionem, aut præcipitium mercantur. Ait enim Richar. à Sancto Laur. antiquus author, lib. 10. de laud. Mar. fol. 633. *Dominus innititur huic scalæ, vt Beat. Hier. ait in vita Paulæ, ascendentibus porrigens manum, negligentes verò de sublimi præcipitans. Iuuat enim seruientes matri suæ, & ipsius amatores filius Dei: contemptores verò eius, & paruipendentes seruitium eius, permittit priùs cadere in peccatum, deinde in infernum.* Habent equidem & homines, & Angeli in Maria scalam ascensionis, siue præcipitationis; qui illi deuoti sunt, & affecti, à Deo in gloriam miro modo exaltantur: qui illam negligunt, & despiciunt, in summas miserias præcipitantur.

Damasc. Richar.

§. III.

Iesus in vtero nuptias agit cum humana natura, vt Iacob in Hiram nubit.

RElictis parentibus Iacob peruenit in Hiram, vbi nil priùs cogitat quàm nuptias, quàm sibi sponsam adiungere: sic Filius Dei descēdens in vterū virgineum nuptiarū leges implet, gloriatus de humana natura sibi in sponsam arctissimo vinculo iuncta. Vt meritò dicat D. Amedæus, hom. 3. de laud. Mar. *Descendit Verbum in vterum Virginis, vterum impollutum, immaculatum, consecratum manu vnctionis diuinæ. Ibi carni nostræ copulatum, naturæ associatum, impleuit sacratissimum, & secretissimum Sacramentum, vt essent duo in carne vna, & vno contubernio fruerentur.* Ecce tibi, vt Dei filius descendit in vterum Mariæ, & vt nubit: non ibi solus inuenitur, sed statim ostenditur gloriosus de humanitatis sacræ sponsa sibi adiuncta. Sed quid quòd Deus nubat in vtero? Ibi vni nubit, quando Iacob in Hiram pluribus nupsit. Sed & in vtero matris dum vni naturæ humanæ nubit, illi nubit, quæ non erit solitaria, sed magis amabit suarum nuptiarum participes habere plures. Huc respiciunt illa verba Cant. 6. quæ iuxta D. Method. sunt Dei filij in vtero virgineo existētis: *Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matris suæ, &c.* Vbi tot reginæ sunt, & tot concubinæ, & tot adolescētulæ, omnes sponsali vinculo Deo copulatæ, quomodo suā sponsam dicit esse vnam? Equidē non dicit esse vnā sponso, sed vnam matri suę, si enim natura Christi humana iuxta id, quod ex matris suæ virgineo vtero habet, consideretur, vna est, si autem secundùm id quod refert Deo, inspiciatur, totius generis humani refert multitudinem, in séque Deo copulat sponsas, concubinas, & adolescentulas, omnes iuxta diuersos virtutum gradus, vel præcipuas, vel minus principales Dei sponsas. Id quod exprimitur, dum dicitur, vna columba, auis nimirum minimè solitaria, sed quæ gaudet hominum conuictu, & societate. Rem sic finit Methodius, lib. de Castitate, apud Biblioth. Photij: *Possit quis sponsam etiam dicere carnem intemeratam Domini, cuius causa Patrem deseruit, & in terram huc descendit; illique per Incarnationem copulatus est. Hinc figuratè illam columbam appellauit, quòd animal sit cicur, conuictúque hominum delectetur.* Non amat columba solitudinem, imò de sociis hominibus gaudet: sic humana Christi natura, vbi Dei filio in vtero virginis fuit copulata, non solitudinem amauit, sed & sibi socias quamplures alias Dei sponsas copulauit. Et quidem quidquid Dei filius cogitabat in Mariæ vtero, huc spectabat, vt sibi faceret nuptias, & sponsas adiungeret. Ipse vbi in vterum descendit, nonne matrem in montana impulit, vbi Elizabeth erat, & in vtero Elizabethæ erat Ioannes Baptista? Cur non potiùs impellebat matrem, vt Ierosolymā iret, vbi erat Anna Prophetissa, vbi erat Simeō iustus? Planè qui cogitabat nuptias, maluit priùs Ioannē adire, qui pronubus erat, & paranymphus. Sic clamat S. Theodorus Studita orat. in natiu. Ioannis ad eius matrē: *Lætare sterilis, quæ nō paris, quod ex deserta matrice produxisti liliū castitatis, Ioannē à Deo electū, militē Regni cælestis, optimum Christi Ecclesiæ pronubū. Exortus est flos præcedēs Christi aduentū. Præluxit Lucifer significans ortum solis. Præcessit miles significans aduentum Regis.*

Amed. Cant. 6. Method. Theodor.

Venit paranymphus indicaturus adesse sponsum. Et pronubus, & paranymphus erat Ioannes, ad quem in vtero Mariæ festinat Dominus, vt qui inibi nil aliud, quàm nuptias cogitet: in quibus & Ecclesiam, & humanam naturam habeat sponsam. Vt de Maria dicat verissime Proclus orat. in Natiu. Christ. habita tom. 6. Concil. Ephes. cap. 7. *Hic est thalamus, in quo Verbum humanam carnem sibi desponsauit.* Nihil, mihi crede, filius Dei in thalamo virgineii vteri aliud cogitauit, quàm vt sibi adiungeret pulcherrimas sponsas. Vnde clamat Cant. 3. *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua, in die desponsationis suæ.* Et qui dies desponsationis eius, nisi dies, quo assumens carnem nostram in virgineo vtero requieuit? Ait Cassiod. ibi: *Mater eum coronasse dicitur, quia Virgo Maria illi de sua carne carnis materiam præbuit, in die desponsationis eius, hoc est, in tempore Incarnationis eius, quando sibi Ecclesiam coniunxit.* Quidquid in vtero peragit Dei filius, sponsalia, & nuptias sonat, siue sponsam sibi carnem adiungat, siue Ecclesiam; cum nullo agens nisi cum nuptiarum pronubo. Et verè tot nuptiis sese ostendit Iacobæam prolem, vt dicat D. Amb. lib. 2. de Iacob cap. 5. *Ipse autem est, qui præfigurabatur in Iacob, Dominus Iesus sponsus duorum coniugiorum legis, & gratiæ, &c.*

Ephes. 7. — Cant. 3. — Cassiod. — D. Amb.

PARS SECVNDA.

Moralia circa textus literam.

NOS iam textus vocat, qui fulgentibus moralium virtutum debet exornari coloribus, vt gratiùs figatur mortalium cordibus.

Text. Genes. 27. Oderat ergo semper Esau Iacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater; dixitque in corde suo: Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum. Nuntiata sunt hæc Rebeccæ, quæ mittens & vocans Iacob filium suum dixit ad eum: Ecce Esau frater tuus minatur, vt occidat te. Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam, & consurgens fuge ad Laban fratrem meum, habitabísque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris, &c.

§. I.

Sub diuini parentis oculis qui vixerit, à multis erroribus liberabitur.

IRatissimus Esau in fratrem, ne illi mortem inferat, oculos veretur patris: ait enim: *Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob.* Hoc expectat etiam pessimus homo vt claudat lumina pater, sub cuius oculis nunquam tantum prosiliret facinus. Ex quo sapienter monet D. Chrysol. ser. 1. fatus: *Maneamus in domo patris, viscera nos paterna constringant, ne nos ad mala protrahat adolescentiæ miseranda libertas. Sepiat nos paterna reuerentia; inter propinquorum lumina non valent delicta versari. Propinquorum quot oculi, tot lucernæ. Dies est aspectus matris, Sol patris rutilat in vultu. Vnde viuentes inter tot virtutum luces, criminum tenebræ propinquare non possunt.* Putat sanctus Doctor à nullo sic comprimi delicta filiorum, vt à patris oculis, & quidem id certiorem veritatem habet, si patris vocabulo intelligatur verus Pater Deus, omnium parentum optimus. Huius sub oculis qui vixerit, fallar, nisi facilè à se depulerit horrentes vitiorum notas. Aiebat sponsa Cant. 1. *Nolite me considerare, quòd fusca sim, quia decolorauit me Sol.* D. Ambr. legit *Nolite aspicere me, quia fusca sum, quia non est intuitus me Sol.* Dum summi parentis Sol non rutilat in vultu, dum sub eius non viuimus oculis; statim mille sordescimus vitiis, mille nos fœdant, & deturpant maculæ peccatorum. At vbi tanti Patris lumina eminent, nobisque affulgent, protinus aufugiunt maculæ, euanescunt sordes. Ait D. Amb. 2. Apol. Dauid, cap. 8. *Ergo fuscamur, quando non videmur à Christo, sed quando videmur, albescimus.* Ecce vitiorum ortus, & occasus vitiorum; si diuini solis oculi oriantur super nos, vel occidant. Dum absunt à nobis diuini oculi, nil non squalidum, nihil non sordidum, nihil non horrendum, non prodit in nobis. Sed vbi diuina affulgent lumina; procul nubila, procul sordes, in pulcherrimam vitam viuificemur omnes. Fatur Ecclesiastes cap. 7. *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Terribile dictum! Illud tamen sic mollit Chaldæus Costi: *Non est tanta probitate homo in terra, qui toto vitæ tempore benè egerit, aut Deum non offenderit: verùm qui peccauerit, Deus in eum veluti oculis propendet, vt ad pœnitentiam adducat, ne moriatur.* Expende remedium, quo cauetur peccatorum fomes, nimirum, *Deus veluti oculis propendet, &c.* quippe quæ peccata pullulant, & sordes, dum Deus suos auertit oculos; ibi sistunt, & euanescunt, vbi adsunt diuini oculi. Fœlix homo, qui semper curat sub tanti parentis oculis esse; qui nunquam non sciunt suo influere salutem homini. Vt dicat Psal. 32. *Oculi Domini super timentes eum, vt eripiat à morte animas eorum, & alat eos in fame.* Nec aliud est necessarium homini, nisi vt sit sub oculis Domini; sub quibus proculdubio vitabit multa mala, acquiret ingentia bona. Ait Saluian. lib. 2. de Prouid. *Ecce cur aspicere iustos homines Deus dicitur: vtique vt conseruet, vt protegat. Aspectus enim diuinitatis propitiæ, munus est conseruationis humanæ.* Hæc ibi, vt summo conatu nitamur omnes sub Dei parentis oculis viuere, ne quid in nobis regnet, quod non habeat vitam.

Chrysol. — Cant. 1. — D. Amb. — Ecclesf. 7. — Psal. 35. — Saluian.

§. II.

Fœlix mater, quæ scit carere filio ad tempus, vt illum incolumem æternùm possideat. Et fœlix item filius, &c.

MAter est Rebecca, & mater amantissima Iacobi, pro quo tot subiit curas, & tamen illum à se amandat, & in terram longinquam mittit. Quippe ait: *Consurgens fuge ad Laban, &c.* Qualis hæc mater, quæ sic à suo conspectu ablegat filium? Qualis hic filius, qui non dubitat carere conspectu, & amplexu tantæ matris? Sanè, & sanctissima, & fœlicissima mater, & filius, qui mutua præsentia ad tempus carere amãt, vt incolumes sese æternùm possideant. Huc veniant matres omnes, quæ non ferunt filios sese Deo sacrare, ne careant vel ad modicum filiis. Huc veniant etiam filij, qui vocanti Deo surdi sunt, ne sine matribus viuant. Longè sapientiores, & fœliciores essent, si carentia præsentiæ mutuæ comperissent se æternùm videre posse apud Christum. Absens erat aliquando Iesus à matre sua, incumbens operi diuino, cùm renuntiatum fuit illi, quòd foris erat mater eius. At Iesus Matth. 12. *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos dixit: Ecce mater mea, & fratres mei.* Potuisset facilè, vel exire ipse ad matrem, vel matrem intus vocare, vt sic mutuis conspectibus recrearentur oculi Matris, & Filij: sed noluit, imò in apparẽtia contempsit tunc aspectum matris, vt doceret & matres, & filios, quòd sciant carere præsentia mutua, vt diuino operi incumbant. Adhæc ait Diu. Hier. epist. ad Rusticum Monachum. *Crudelitas ista, pietas est. Imò quid tam pium, quàm sancta matri sanctum filium custodire? Optat & illa te videre, & non videre ad tempus, vt semper cum Christo videat.* Hoc sit in optatis sanctæ, & fœlici matri, quòd filius absens sic viuat, vt ad modicum substractus maternis oculis, æternùm posit illi adhærere apud Christũ. Fœlicissimæ matres sunt, & fœlicissimi filij, qui sic in præsentiarum nouerunt carere conspectibus mutuis. Mater illa Samuelis, postquam ablactauerat exoptatissimum filium, statim decernit illum suis oculis eripere, & dicare diuinis. Sic tollens puerum Sacerdoti offert, vt maneat in templo seruiturus; aiens. 1. Reg. 1. *Ego commodaui eum Domino cunctis diebus.* Mirabar matrem scientem carere dilecto filio, & mirabar filium scientem carere matre dilectissima, vt exactè peragatur ministerium diuinum. Sed & D. Chrysost. id miratur hom. 1. in præsenti, inquiens: *Adduxit mater, ac reliquit puerum. Verùm nec ipse puer ægrè tulit à matre diuulsus, sed ad Dominum respexit, qui matrem creauerat: nec ipsa mater doluit à puero seiuncta, propterea quòd naturalem affectum vicit interueniens gratia, & vterque se alteri conuiuere existimabat.* Expende illud, quòd in matris, & filij propter Deum separatione, nec dolet filius, nec mater, quin potiùs *vterque se alteri conuiuere existimabat;* & quidem certissimum est, quòd nunquam filij, & parentes sibi magis conuiuunt, quàm vbi sciunt pro Deo separari. Nunquam mater diuturniorem conuictum cum filio sibi parat, quàm dum illum à se mittit, vt Deo aster. Tunc enim quem non videt ad tempus filium, semper cum Christo

Mat. 12. — Hieron. — 1. Reg. 1. — Chrysost.

D. Bern. videbit. Hinc D. Bern. epist. 111. in nomine religiosi filij, sic parentes, & mordet, & monet: *Si diligeretis me, gauderetis vtique; quia vado ad meum, & vestrum, imò vniuersorum Patrem. Sed ò durum patrem, ò sæuam matrem, ò parentes crudeles, & impios, imò non parentes, sed peremptores; quorum dolor, salus pignoris: quorum consolatio, mors filij est. Qui me malunt perire cum eis, quàm regnare sine eis. Desinite igitur parentes mei, desinite & vos frustra plorando affligere, & me reuocando inquietare. Hæc requies mea in sæculum sæculi; hic habitabo, quoniam elegi eam. Ibi precibus assiduis impetrabo, si potero, vt qui Dei amore, hoc modico tempore ab inuicem separamur; in alio sæculo, simul fœlici & inseparabili societate in eius amore viuamus.* Hæc ille.

§. III.

Parentes sequendi sunt, dum ad Deum contendunt; vbi à Deo declinant, relinquendi.

ECce matris consilium probatum filio, *Fuge ad Laban fratrem meum, habitabis cum eo dies paucos.* Fuga ad Laban suadetur facilè, quia ea simul ordinabatur à Deo; at paucorum dierum apud Laban commoratio minimè suadetur, quandoquidem ibi inuenitur Iacob pluribus annis moratus esse. Et cur, qui præscriptum matris secutus est, dum iret ad Laban, non idem sequitur, vt citò redeat? Sanè & iter ad Mesopotamiam, & moratio inibi à Deo ordinabatur, vocante Iacobum in peregrinam terram: sequitur ergo bonus filius matris præscriptum in capessenda via, quæ Deo placebat, & quia Deo non placebat discessus, in eo matrem minimè sequitur. Sic equidem sequendi sunt à nobis parentes, in iis, quæ ad Deum ferunt, vbi à Deo declinant, minimè sequendi. *Luc. 2.* Apud Lucam cap. 2. de Iesu parentibus dicitur: *Cùm factus esset Iesus annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam secundùm consuetudinem diei festi, consummatisque diebus cùm redirent, remansit puer Iesus in Hierusalem.* Cum euntibus parentibus Hierosolymam ad diem festum, iuit lætus Iesus, cum autem, transacto festo, ad propriam domum redeunt, Iesus non redit, sed parentes deserit. Cur, diuine puer, qui parentum accessum ad Hierosolymam secutus es, non sequeris & recessum? Docebat sanè Iesus, parentes eatenus à nobis sequendos esse, quatenus ad Deum in templo sancto suo honorandum tendunt; sed protinus relinquendos, vbi incipiunt à Deo recedere, & relinquere templum eius post tergum. Ex quo D. Hieron. epist. ad Lætam, *Hieron.* sic illam de institutione filiæ monebat: *Postquam grandiuscula esse cœperit, & in exemplum sponsi sui crescere sapientia, ætate, & gratia apud Deum, & homines, pergat ad templum veri patris cum parentibus suis, sed cum illis non egrediatur è templo.* Expende, quousque permittatur Christi alumna sequi parentes, & cum illis esse; nimirum dum illi in Dei templum eunt, & illam ducunt ad Deum. Sed vbi à templo egrediuntur, vbi à Deo abscedunt, caueat, qui sequitur Christum, sequi parentes: sed, relictis illis, maneat cum Deo. Prudentissima illa fœmina Samuelis mater, iam inter vbera sua precibus obtentum filium habebat, & inuitabatur à marito, vt ferens secum filium ad festum Dei, & tabernaculi locum ascenderet. *1. Reg. 1.* Cui mulier: *Non vadam, donec ablactetur infans, & ducam eum, vt appareat ante conspectum Domini, & maneat ibi iugiter.* Et cur ablactationem expectat filij, vt illum Domino offerat? Cur non magis festinat filium Domino offerre? Sanè cauet prudentissima fœmina, ne filius abeat cum parentibus ad Deum eo tempore, quo necessum sit statim regredi ad sua cum parentibus. Ideò ablactationis tempus expectat, quo puer non egens matre possit cum parentibus ire in domum Dei, & possit ibi iugiter manere, dimittens parentes à domo Dei recedentes; nunquam enim omninò fusum est filius, qui parentes accedentes in Dei domū sequuntur, si illos etiam sequantur recedentes. Ait pulchrè D. Chrysost. hom. 2. de Samuelis matre: *Chrysost.* *Non ausa est ascendere in templum, donec ablactasset infantem, addactóque illo ac mox recepto, descendere verebatur.* Meritò veretur sapiens fœmina filium habere comitem in ascensu ad templum, & in recessu à templo, quando ad securitatem filij illud facit, quòd pergat ad templum cum patribus suis, sed cum illis non egrediatur à templo. Vnde Hier. epist. ad Furiam dicit: *Hieron.* *Honora patrem tuum, sed si te à vero Patre non separat. Tandiu scito sanguinis copulam, quandiu ille suum nouerit Creatorem. Alioquin Dauid protinus tibi canet: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* Non attendendus est pater, non attendenda est mater, nisi vbi nos ad Dei domum eiúsque obsequium ducunt; vbi autem declinant ad sua, iam prorsus à Christi sectatoris memoria debent abire.

§ IV.

Nullus adeo scelestus est homo, cuius emendatio non possit sperari.

BReuissimum putat Rebecca filij sui exilium, quia putat breui finiendam fratris iram: ait enim: *Habitabisque cum eo paucos dies, donec requiescat furor fratris tui.* Sed, ò bona, quis tibi dixit, quòd Esau furor quieturus sit? Nosti feralissimam hominis rabiem, cur non magis putas hanc in perpetuum duraturam? Cur non magis satagis iniquissimi hominis furorem implacabilem? Sanè prudentissima fœmina meliora maluit etiam de ferali homine sibi promittere, cùm nullus adeo scelestus homo possit inueniri, cuius debeat desperari emendatio vitæ. Apud Matth. 27. dicit Dominus reprobis *Mat. 27.* hominibus: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Ignis inferni præparatus dicitur Angelis malis, non hominibus etiam scelestissimis, & cur non etiam reprobis hominibus præparabatur ignis? Vt vidit Deus Angelorum peccata, quibus parauit statim inferni ignem; etiam vidit grauissima hominum scelera, & proditionem Iudæ, & Pharisæorum Deicidia, cur iis etiam non parauit ignis supplicium? Rationem attigit Iouius Monachus lib. de Incarnat. 9. cap. 43. apud Biblioth. Photij, aiens: *Idcirco ignis diabolo, & Angelis eius præparatus scribitur, quoniam in nobis non inopinata sit à malo in melius mutatio, cùm illi confirmata sua voluntate, nullam de se spem reliquam fecerint.* Et quidem vbi Angeli peccare visi sunt, nulla spes correctionis mansit; at homines nunquam sic abradunt correctionis spem, imò quantumuis scelestus quis appareat, potest sperari de illo, quòd in melius mutabitur. Et qui hodie penitus gelidus est in Dei seruitio, manè potest expectari, quòd sic ardeat virtutum zelo, vt fulminet vniuersa vitia. Apud Iob c. *Iob 38.* 38. aiebat Dominus: *Nunquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti, quæ præparaui in tempus hostis, & in diem pugnæ, & belli?* Equidem habet Deus in thesauris suis seruatas niues, seruatum gelu ad persequendos hostes virtutum. Sed cur ad perdendos virtutum hostes non magis seruat fulmina Eliæ? Cur non magis seruat tonitruum filios? Cur non magis seruat flammantes Sodomæ pluuias? Nonne Deus *fecit ministros suos ignem vrentem?* quid ergo cum igne habet nix, habet gelu? Equidem seruat Deus, & niues, & gelu in thesauris; sperat enim quòd etiam niue frigidiora pectora in flammas mutabuntur, & qui heri erat Achab, hodie erit Elias; & qui Saulus spirans minas heri fuit, hodie apparebit Paulus prædicator christianæ mansuetudinis. Rem sic finit D. Greg. lib. 29. Moral. c. 11. *D. Greg.* *Nix quippe, vel grando fuerat Saulus per frigidam insensibilitatem: sed nix & grando contra aduersariorum pectora factus est candore iustitia. O qualem hunc thesaurum in niue, & grandine habuit Deus, quando illum inter prauorum vitam positum, iam tunc electum suum latenter vidit! O ad quanta aduersariorum pectora ferienda, hanc in manu sua grandinem sumpsit, per quam tot sibi resistentia corda prostrauit! Nemo desperet illos, quos adhuc frigidos videt, quia thesauros Dei in niue, & grandine non videt.* Nec de niuali, gelidóque prorsus pectore est desperandum, quando qui hodie gelidus est, cras ardebit pro amplectenda virtute. Quò respiciens Philippus Abbas epist. 17. ait: *Philipp.* *Sicut inter sanctos, & electos Apostolos malitia perdita Iudas est prauentus, sic inter ethnicos sæculares Centurio Deo gratior est inuentus, vt nulli de assumpto religionis pallio sit iam amplius confidendum, nec de illis, qui relicta syndone videntur ambulare inconsulto præiudicio diffidendum.* Sic ibi, & quidem D. Ambros. videns Zachæum *D. Ambr.* publicanum ad Iesum conuersum, meritò ait: *Quis iam de se desperet, quando & iste peruenit ad salutem, cui census ex fraude?* Hinc maximè extollit Lupum Episcopum Apollinaris Sidon. quòd nihil in peccatore timeret, nisi desperationem. Ait enim lib. 6. epist. 1. *Nosti, vt apparet, ex aduersa acie sauciatos, dux veterane, colligere, & euangelici pastoris exemplo non amplius lætaris, si maneant sani, quàm si non remaneant desperati.*

Sic ibi.

***

Gen. 28. Vocauit itaque Isaac Iacob, & benedixit eum, præcepítque ei, dicens: Noli accipere coniugem de genere Chanaan: sed vade, & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ ad domum Bathuel, &c.

Igitur egressus Iacob de Bersabee, pergebat Hatan Cúmque venisset ad quemdam locum, & vellet in eo quiescere, post solis occubitum, tulit de lapidibus, qui iacebant, & supponens capiti suo dormiuit in eodem loco.

§. V.

Præstantissimi filij est, nihil honoris, nihil substantiæ parentibus viuentibus eripere sibi.

QVis non miretur Iacobum sic incomitatum, & inopem à ditissimis parentibus in Mesopotamiam proficisci? Et solus, & incomitatus, & adeò inops, vt humi noctu cubet, lapides capiti supponat, baculo solo obnixus tam longam arripiat viam. Sanè Abrahami seruus Gen. 24. dum abit, sponsam Domini filio quæsiturus, *tulit decem camelos de grege Domini sui, & abiit, &c.* Dauid iam senio confectus iuniori filio Salomoni regnum commisit, ait enim 3. Reg. 1. *Adorauit rex in lectulo suo, & locutus est. Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit hodie sedentem in solio meo videntibus oculis meis.* Ex quo loco concludit noster Pineda, lib. 2. de rebus Salomonis cap. 10. Salomonem regnum accepisse patre viuo; imò ex tunc, maioribus fratribus regnum ambientibus, factum fuisse formidini; ait enim textus: *Adonias timens Regem Salomonem tenuit cornu altaris, &c.* Sic sapientissimè Dauid consuluit vitæ Salomonis, & honori, cui à fratribus maioribus metuebat, illi tradens regnum adhuc viuens. Cur ergo Isaac senio confectus, omnem familiæ administrationem, & dominium non tradidit Iacobo filio, quem sciebat hæredem primogenituræ, vt sic Iacob ditatus super fratrem suum, potiùs esset illi formidini? Vel cur saltem tantas illi copias non dedit, quibus stipatus securus iter arriperet, & diues, & affluens accederet ad propinquos, ab illis sponsam petiturus? An fuit Isaac amantior substantiæ, & dominij sui quàm Dauid? An negligentior in electum à Deo filium? An minus curauit de filij via, quàm Abrahamus de serui itinere? Absit hoc à prudentissimo & sanctissimo, & ditissimo Isaaco, qui potiùs omnia sua electo filio dimisisset, omnia libenter tradidisset, & dominium familiæ, & ingentes omnes fortunas, & validissimum, & fidelissimū famulitium, quo potuisset vel maiori fratri esse formidini. Sed non erat Iacob talis, qui vellet spoliatis parentibus regnare, imò illis viuis nihil voluit sibi eripere, vt decebat, & præstantissimum, & gratissimum in parentes filium. Habeo huius rei exemplum apud Diodorum Siculum, qui lib. 31. apud Biblioth. Photij de Rege quodam Persiæ habente duos filios, inquit: *Tunc Rex ex subditis consuluit, & fecit, vt grandior filius cum mediocribus facultatibus in Romam mitteretur, & iunior & in Ioniam, ne de regno cum germano filio contenderent. Hunc adultum Ariarathem aiunt cognominatum, & literis Græcis imbutum, atque ob cæteras virtutes laudatum fuisse. Et pater quidem filio patris amanti studebat se vicissim amantem filij exhibere: atque eo vsque processit eorum mutua beneuolentia, vt pater toto imperio cedere filio certaret, ille contra demonstraret fieri non posse, vt à parentibus adhuc viuentibus eiusmodi beneficium admitteret.* Renuit bonus & gratus filius à parente amantissimo ea beneficia accipere, quibus parentis substantia posset minui: maluitque intra priuatam fortunam degere, quàm spoliato parente regno potiri. Minimè hoc faceret nisi bonus, & gratus parenti filius: quo notatur infamia illius alterius, de quo ait D. Luc. c. 15. *Homo quidam habuit duos filios, & dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit.* Quis hoc peteret ex patre viuo, nisi iniquissimus, impiissimus filius? Rem acutè ponderat D. Chrysol. ser. 1. *Quantùm pius pater, tantùm hæres impatiens, qui patris fatigatur ad vitam, qui patris nititur auferre substantiam; hic ipsam prærogatiuam filij non meruit habere, qui ea, quæ patris erant, noluit possidere cum patre. Beati filij, quorum tota est in patris charitate substantia. Beati, quibus manet tota in obsequio patris, in patris cultura possessio.* Compone filios, & filios; qui viuis parentibus substantiam eripiunt, eorum fatigati vita, impij filij sunt, imò sanctum filiorum nomen amittunt; qui omnia sua in patris obsequio ponunt, nihilque sibi extra patris possessionem requirunt, ij verè filij sunt, & nati ad ingentem beatitudinem.

Gen. 24.

3. Reg. 1.

Diodor.

Luc. 15.

Chrysol.

§. VI.

In vita asperitate, & duritie incrementum consistit humanæ fœlicitatis.

COnueniant huc, qui humanas fœlicitates auspicantur, & videant Iacobum ad fœlicitatum vocatum summa, qualia paret fundamina fœlicis vitæ. Non equidem aurea strata requirit, non delitiosi lectuli comparat mollitiem, sed dispersos congerit lapides, illisque paulisper quieturus incubat. Sic de vitæ duritie, de lapidum asperitate diuinæ plantationes assurgunt. Quò spectat illa viri iusti descriptio apud Iob cap. 8. iuxta Vatabli, Isidori Clarij, & Caietani interpretationem: ait enim: *Super aceruum petrarum radices eius densabuntur, & inter lapides commorabitur. Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, & dicet. Non noui te. Hæc est enim lætitia viæ eius, vt rursus de terra alij germinentur.* Prima verba sic Septuag. legunt: *In congregatione lapidum dormit, in medio silicum viuet. Si absorbuerit eum, &c.* Quibus sub metaphora vitis pulchrè exponitur iusti fœlicitas. Et quidem vitis ea fœlicior, & ditior, quæ non in molli humo, sed in petrosis nascitur, & alitur, quæ quidem dum terræ defoditur, atque immergitur, vt relicto priori situ, in alio crescat; penitus oblita prioris, lætissimis in nouo situ pampinis repuerascit. Itaque vitis, & inter lapidum duritiea, & in defossione, & submersione habet, vnde lætiora augmenta capiat: sic iustus vir, dum in congregatione lapidum dormit, dum durissimè asperriméque tractatur, in lætiores exurgit fœlicitates. Ecce tibi Matth. 27. accepto Iesu corpore, *Ioseph inuoluit illud in sindone munda, & posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra. Et aduoluit saxum magnum ad ostium.* Quid tunc? Mariam Magdalenam quęrentem mortuum, & plorātem ad ostium monumenti conueniūnt Angeli, Ioan. 20. & quasi reprehendentēs planctum eius, dicunt: *Mulier, quid ploras?* Minimè familiari vocabulo illam nominant; sed communissimo ad omnes, & lacrymas eius carpunt. Et cur non magis probantur lacrymæ fœminæ pro Domino non inuento? Cur non magis apparet acceptabilis mulier, quæ Dominum quærit, & dum non inuenit, plorat? Meritò non acceptabilis est, quæ putat iustum inter lapides, inter mundi durities potuisse perire; quando iustus de lapidibus, de asperitatibus vitæ potiùs habet, quo viuat, quo, instar fœcundæ vitis, in lætiores fructus exurgat. Ad hæc D. Chrysost. ser. 6. de Resurr. ait: *Dicunt ei Angeli, Mulier, quid ploras? Iesum quæris intra petram, qui iam confregit mortis gehennam? Quid quæris Maria plantatam vitem veram? Ecce de palmitibus mortuorum paratur tibi in horto renouata vindemia.* Malè equidem quærebat emortuam vitem in petra; quando vitis in petra viuidior apparet, & potentior. Et vt vitis erat Iesus, sic vbi defossus, & immersus in saxeo delituit spelæo, inde tot pampinis auctus exurrexit, vt ditissimas suis promittat vindemias. Et quales non parturiantur diuitię de saxosis vitę asperitatibus, & lapidum aceruis? Ait Isaias cap. 65. *Et vallis Achor in cubile armentorum populo meo, qui requisierunt me.* Erat vallis Achor, in qua Acham, dans gloriam Deo, & confessus peccatum suum, lapidatus est à populo, Iosue cap. 7. Vide modò, qualis vallis detur à Deo, vt numerus cœlestium gregum crescat, nimirum vallis Achor, vallis peccatoris inter lapides occumbētis. Vix equidem fœcundior siens inuenietur, vt crescant diuina germina, vt hominum fœlicitates adolescant; quàm ille, vbi saxea durities, & vitæ asperitas splendet. Quò plures durities tibi assumis, quò plures lapides præteris, eò vicinior inuenitis vrbi cœlesti: vt enim antiquitus lapides vrbium distantiam ostendebant, sic & vitæ durities cœlestis vrbis, totiúsque humanæ fœlicitatis vicinium ostendunt. Ex quo monebat D. Ephrem Parænes. 40. eos, qui nolint aberrare à via: *Omnem concupiscentiam fugiamus, fratres charissimi, eamque à corde nostro depellamus. Non ignoscamus ei, non enim est fructifera; sed diaboli germen existit. Hæc nos à Sanctorum comitatu, atque conuersatione separat. Hæc nos à cœlestibus diuellit, & terrenis coniungit. Arbor est, folia habens, fructum verò planè nullum: folia habet, & quidem densa, & in densitate eius genimina viperarum demorantur. Arborem malitiæ excindo, & pro ea arborem vitæ plantaȝ*

Iob c. 8.

Mat. 27.

Chrysost.

Isai. 65.

Ephrem.

planta; pretiosam, inquam, crucem, spem, & expectationem Saluatoris, passionésque mortis ipsius. Dilectio eius sit in corde tuo, quemadmodum scopulus in mari propositus, &c. Ecce tibi concupiscentia, & amor bonorum temporalium, & dilectio mortificationis Christi, in vtraque arbor est, planta est, sed illa in molli humo crescens foliorum generans densitates, sic vias opacat, vt faciat homines errare: hæc inter aspera petrarum coalescens, scopulus est, petra est, quæ vel portum, vel ciuitatem ostendit vicinam, de qua auspicium sumitur humanæ salutis. Huc trahe dicta tom. 3. Euang. lib. 15. cap. 9. §. 5. & alibi.

Genes. 28. Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam: & Dominum innixum scalæ dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac: Terram, in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo. Eritque semen tuum vt puluis terræ, dilataberis ad Orientem, & Occidentem, & Septentrionem, & Meridiem, & benedicentur in te, & in semine tuo, cunctæ tribus terræ. Et ero custos tuus quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc: nec dimittam, nisi compleuero vniuersa, quæ dixi.

§. VII.

Pœnitentium asperitates scalam referunt, qua homo ascendat ad Deum, & cui innitatur Deus, vt probetur esse.

DVm humi cubat Iacob, dum lapides capiti supponit, nil priùs ostendit, quàm quòd debeant facere pœnitentes, mollia abiicientes, amplexantes dura, & horrida. Et quid contigit sic cubanti, sic duriter tractanti corpus, & carnem peccati? Ait textus: *Tulit de lapidibus, qui iacebant, & supposuit capiti, &c. Viditque in somnis scalam, stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ.* Dura corporis tractatio scalam illi obiecit, qua vel dormiens ascenderet ad Deum, vt hinc æstimare possit peccator, quantum habeat in duritie, & asperitate pœnitentiæ. Sanè durus lectus, humi cubationes, aspera corporis vestis affligunt hominẽ pœnitentem, sed & illi ostendunt scalam, qua facilè possit ad Deum ascendere. Apud 2. Reg. 13. dicitur: *Dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei, egregius Psaltes Israël.* Quæ verba sic ex Hebræo referuntur: *Dixit vir, cui constituta est scala Christo Dei Iacob.* Sed quando egregio Psalti, nimirum Dauidi constituta fuit scala hæc ad Deum? Equidem quando pœnitens conterebat corpus suum, quando lectum lacrymis rigabat, quando cinerem tanquam panem manducabat: hæ nimirum pœnitentis hominis durities, & asperitates scalam illi præbuerunt, qua ad Deum ascenderet. Ait D. Hieronym. in tradit. Hebr. *Scala eidem Christo Dei Iacob, id est, Dauidi constituta est, per quam conscenderet ad Deum, eò quòd idem scilicet confessus fuerit, se peccasse Domino in Vria Hethæo, & pœnitentiam agens per hanc scalam conscenderit ad Deum.* Pœnituit Dauidem se peccasse, pœnitentiæ operibus, & asperitatibus incubuit, sese humi prosternens, durissimè tractans corpus luxurians; nec mora, statim scalam tenuit, per quam vsque ad Deum pertingeret. Vbi enim asperitas pœnitentiæ est, non potest Deus non ostendi, & vicinus, & accessibilis. Sic apud Daniel. cap. 4. Rex Babylonius *ex hominibus abiectus est, & fœnum vt bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum est, donec capilli eius in similitudinẽ aquilarum crescerent, & vngues eius quasi auium. Igitur post finem dierum, ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum leuaui, & viuentem in sempiternum laudaui & glorificaui.* Nunquam non mirabar, quòd homo vsque ad ima peccatorum, scelerúmque deiectus, sic posset oculos ad cœlum vsque leuare, vt inter Dei laudatores, & glorificatores appareret. Quibus alis, vel per quam scalam sic altè ascendisti, vt Dei vicinia tangeres, qui in profundo vitiorum reptabas? Sanè ex quo ferarum more humi cubabat, & herbas manducabat, malâque corporis tractatione horrebat, per has durities, & asperitates iactatus inuenit gradus, inuenit scalam, qua se in altum leuauit, & inter Dei glorificatores apparuit. Adhæc ait Tertull. lib. de Pœnit. *Dei Rex Babylonius pœnitentiam Deo immolarat, septenni squalore exomologesim operaturus, vnguium aquilinum in morem efferatione, ac capilli incuria horrorem leonum praeferente. Proh maletractationis! Quem homines perhorrebant, Deus recipiebat.* Expende, quid maletractatio in peccatore effecit: reddidit homines illi inaccessibiles, & infensos, sed reddidit maximè accessibilem Deum. Illum deiectum conculcabant homines, sed sublimem excipiebat Deus. Tam deiectus erat maletractatione corporis, vt conculcaretur ab hominibus; & tam sublimis illa apparebat, vt exciperetur à Deo. Fœlix pœnitens, qui in his maletractationis corporalibus gradibus versatur, scala equidem est, cui Deus sic innixus hæret, vt sublata illa de medio, & Deum auferri necessum esset. Habes in Psal. 13. *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus.* Et quis adeò potuit desipere, vt putaret non esse Deum, nisi qui putauit non esse posse potentiam restituendæ gratiæ in operibus pœnitentiæ? Ait D. Ephrem de Pœnit. non multum à fine. *Væ hæreticis dicentibus non esse pœnitentiam; ex his enim insipientes sunt, qui dicunt, non est Deus. Nam si in hominibus infirmis, & medela indigẽtibus, non est pœnitentia; simile erit dicere, non est Dominus Deus.* Equidem quis putet infirmum, toto corde dolentem, & nihil ad salutem conducens prætermittentem, in sua infirmitate relinquendum, & simul dicat esse medicum? Vt qui nullam plagam sanabilem æstimat, tollit medicum; sic qui nullis pœnitentiæ cauteriis sanandos homines peccatores præsumit, tollit Deum, de quo dicit Sap. 1. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Creauit enim, vt essent omnia, sanabiles fecit nationes, &c.* Quasi hinc censeatur Deus, si sanabiles sint nationes hominum ab eo factæ.

2. Reg. 13. — *Hieron.* — *Dan. 4.* — *Tertul.* — *Psal. 13.* — *Ephrem.* — *Sap. 1.*

§. VIII.

Ille fœliciter ad Deum ducitur per creaturas, qui illas non æstimat iuxta externam apparentiam, sed iuxta veritatem naturæ.

INnixus scalæ Dominus apparet dormienti Iacobo, teste Philone lib. de somniis, vt ostendat se superstantem omnibus creaturis, quæ quidem vt scala, faciunt hominem ascendere, & vsque ad Deum peruenire. Nec negarim, quòd creaturæ datæ sint à Deo, velut scala, qua homines ad Deum ascenderent; sed & illud scio, quòd homines, vt ait Paul. ad Rom. 1. *Coluerunt, & seruierunt creaturæ potiùs, quàm creatori.* Quis enim in creaturis non potiùs præcipitium, quam rectam viam ad Deum inuenit? Cui non magis scandalum, quam ducatum præbuerunt? Sanè ille solus fœliciter vtitur scala creaturarum ad Deum habendum, qui, dormientibus sensibus externis, non secundùm apparentiam, sed secundùm naturæ veritatem respicit creaturas. Non enim aliter securè ostenditur Iacobo creaturarum scala nisi dormienti, & in lapide cubanti. Vnde pulchrè Richard. Victor. tract. 3. de externis malis, par. 1. c. 16. inquit: *Fœlices, quibus vertitur in scalam, quod aliis solet esse in ruinam. Fœlices, quibus exteriorum scientia fit scala ascensionis, non ruina deiectionis. Fœlices, quibus temporalium pulchritudo, fit æternitatis instigatio. Ecce quid inueniunt, qui in hoc lapide obdormiunt.* Potuit homo, dum dormit, dum clausos externos sensus habet, dum illis non fidit, nec credit, hanc obtinere fœlicitatem, quòd à creaturarum splendore, & pulchritudine non deludatur, sed per illarum naturas rectè inspectas, recta ad Deum vadat. Periculum eundi ad Deum per creaturas nouit sponsa, dum clamat Cant. 1. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Quod desiderat scire immediatè à dilecto, poterat scire ab eius sodalibus, quis enim nesciat vbi sodalis suus cubet, & pascat? Possent equidem dilecti sodales ducere sponsam ad dilectum suum, cur ergo sponsa sodales cauet, & ipsum sponsum clamoribus solicitat? Verita ne si semel creaturas adeat, deflectat à via veritatis, & seruiat creaturis, potiùs quam Creatori, cum omni militia cœli, & splendenti metallo fornicata. Vnde sic illam Dominus instruit, qualiter per creaturas possit securè vsque ad Deum scandere. *Si te ignoras, ò pulcherrima mulierum, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hœdos tuos circa tabernacula pastorum.* Ecce tibi tota ratio eundi ad Deum securè per creaturas, si vniuersas creaturas, vt proprios greges, & proprios hœdos censeat

Ad Rom. 1. — *Richard.* — *Cant. 1.*

scat homo, & habeat. Sed quis amplissimum cœlum, fulgentissimum Solem, stellas, & omnia mundi decora, & insignia quasi hœdos putet? ille solus, qui ad externam apparentiam cæcus, & ignorans, intrinsecis naturis rerum dignoscendis inuigilat. Sanè qui externos aspicit splendores, & vultus, videns cœli magnitudinem, fulgorem Solis, creaturarum pulchritudinem, has putat sodales diuinitatis, & miserè decipitur deflectens à veritatis via. Verùm qui quasi ignorans, & cæcus fit ad externos vultus, & cuiusque rei intima penetrat, statim se agnoscit præstantiorem omnib. creaturis, & sibi illas datas æstimat, vt pastori dantur hœdorum, vitulorúmve greges, quos pascat, & regat, & quibus vtatur in commoditates propriæ vitæ. Quò fit, vt prætermissis creaturis, vel illis ducentibus ad Deum homo rectà possit, & securè peruenire. Accipite D. Nyssenum hom. 2. in Cant. fantem: *Hæc est tutissima bonorum conseruandorum ratio, ô Sponsa. Cognosce quantum sis honorata à Creatore plusquam reliqua creatura. Non factum fuit cœlum imago Dei; non Luna, non Sol, non syderum pulchritudo, nec quicquam aliud ex iis, quæ cernuntur secundùm naturam. Tu sola facta es expressa figura veræ diuinitatis, vitæ beatæ receptaculum, veri luminis informatum simulacrum, ad quod aspiciens efficieris id, quod ille est. Si hæc inspicias in nullam rem terrenam defiges tuum oculum, nec cœlum tibi censebitur admirandum. Non admiraberis terræ latitudinem, non mare, quibus vt præesses, es constituta, in tua potestate sita habens hæc elementa. Attende ergo tibi ipsi, & non errabis circa gregem hœdorum, neque efficieris hœdus pro oue in tempore iudicij, neque segregaberis à statione ad dexteram, &c.* Et quidem si secundùm naturam res creatæ cernantur, nullæ non apparent, quasi hœdi sub pastore homine. Lucidissima quæque homini subiiciuntur, qui super omnia habet plenum dominium, & illa supergrediens errores effugiet, & rectà ad Deum ibit. Errat equidem, & deuiat solus, qui extrinsecis splendoribus nititur, nec secundum naturam res creatas metitur. Hinc audientes multi illud Ioan. 1. *Verbum caro factum est*, vehementer indignabantur vilitatem carnis à Verbo dici assumptam. Cur non magis Solis corpus Deo vnitur? Non attendentes rerum naturas, sed externum splendorem, errabant miseri. Si enim clausis oculis corporis, mente vigili, naturas rerum attendissent, vidissent Solem inferiorem esse homine, illique seruire, & ab ipso Sole ducerentur in rectam veritatis viam. Hos sic monebat Theodotus hom. in Natal. Saluat. habita in Concil. Ephes. tom. 6. cap. 7. aiens: *Non mihi iam elementorum splendorem attendas, non colorum elegantia rerum naturam diiudices; non coruscantis Solis radios obstupeas, non te moueat, quòd ego iuxta diuinum Iob pelle, & carne indutus sum: sed intelligentis animæ excellentiam consideres, venustámque humanæ corporis constitutionem contueare: vnum hoc animal cæteris omnibus animantibus dominari, ac imperare posse demirere: Sol famulatur necessitati; homo sententiam fortitus est liberum. Iam dic, obsecro, vter præstantior est, seruusne, an Dominus? Necessitatis iugo subiectus, an ab omni necessitate immunis? Nil igitur incredibile, nihil nouum, si in homine habitauit Deus.* Sic bonus Doctor probat hominem cæcutire debere ad externos rerum splendores; & intrinsecas naturas prospicere, si velit non errare, si amat, vsque ad dignum Dei habitaculum peruenire. Ad hæc Maxim. centuria 2. cap. 65. *Qui potuit submouere sensus ab affectibus, & separauit animum ab habitudine sensuum, potuit vtique aditum demoliri diaboli per medios sensus in animum. Et ob id in deserto, dico verè in speculatione naturali, pias de creaturis opiniones, quasi turres munitas ædificauit; ad quas qui confugit, non extimescit dæmones rerum visibilium naturæ latrocinia exercentes.* Ecce tibi cognitio intima creaturarum, vt turris proponitur, quæ effugiat incursus diaboli.

Nyssen. — *Ioan. 1.* — *Theodot.* — *Maxim.*

§. IX.

Christi Domini passio, & crux aduersus omnes timores.

CAntatissima est sententia Patrum, intelligentium per scalam Iacobo propositam, & passionem, & crucem Domini, sic Hieron. *Psal. 117.* Cyrill. Alex. *lib. 8. in Ioan. cap. 17.* German. Patriarch. *orat. in vener. crucis*, August. *serm. 39. de temp. & ser. de Cataclysmo*, & alij communiter. Nec abs re Iacobo fugienti à fratre, & timoris pleno figura obiicitur, & crucis, & passionis Dominicæ, quando crux, & passio Saluatoris, vel solo sonitu nullos in homine timores sinit. Magnus ille Gedeon Iudic. 7. vt ingentem hostium multitudinem debellaret, *diuisit trecentos viros in tres partes, & dedit tubas in manibus eorum, lagenásque vacuas, ac lampades in medio lagenarum.* Qualia hæc arma aduersus hostes? Cur non magis militum manus ferro implet; Cur illas & tubis, & lagenis maluit occupare? Ad rem loquitur D. Amb. lib. 1. de Spirit. sancto, cap. 16. inquiens: *Quando Gedeon superaturus Madian trecentos viros iussit hydriam sumere, & in hydriis faces accensas habere, & in dextris tenere tubas. ita nostri acceptum ab Apostolis seruauêre maiores, quòd hydriæ sint corpora nostra figurata de limo, quæ timere non norunt, si feruore gratiæ spiritualis ignescât, & Iesu Domini passionem canora vocis confessione testentur.* Ecce tibi vt abest omnis timor hostium, vbi vel sonus Dominicæ passionis auditur. Non equidem norunt timere illi, qui vel ob oculos habent, vel ore sonant mysteria crucis. Quem timeat hostem, quam timeat ruinam, qui præ se fert passionis Dominicæ vel figuram. Nota est clades populi Israelitæ, quando furente flammarum impetu absumebantur cuncti. Quid tunc? Iubet Moyses, vt Aaron accepto thuribulo sese igni opponat, Num. 16. *Quod cùm fecisset Aaron, & cucurrisset ad medium multitudinem, quam iam vastabat incendium, obtulit thymiama, & stans inter mortuos, ac viuentes pro populo deprecatus est, & plaga cessauit.* Vnde tanta virtus, quæ hostiles flammas fuget, & penè absumptos à metu liberet? Ait Diuus Isidorus ibi in Glossa: *Aaron thuribulum accipiens occurrit quassationi, & stans in medio viuorum, & mortuorum, lethalem plagam obiectu suo quasi quidam murus exclusit. Iste sacerdos Christus, qui ruinam mortis in mundo inspiciens occurrit à summo cælo, venitque obuius quasi gigas ad currendam viam. Stetitque inter viuos, & mortuos, quia natus, & mortuus est, sicque thuribulum passionis accipiens, & in odorem suauitatis prætendens, suspendit ignis æterni perniciem.* Fugit, mihi crede, hominum ruina; cuiusuis cladis metus abscedit, vel ad odorem crucifixi. Fœlix, qui sub crucis vmbris agit vitam, fallar, nisi inde habeat potentiam, quæ omnes timores & omnes inimicos exsufflet. Exod. 17. *Cùm leuaret Moyses manus, vincebat Israel:* & quidem leuatis manibus crucem referebat, & vt ait D. Cyril. Alex. lib. 3. de Iustificat. in Christo, crucifixum repræsentabat. Et post victoriam, *Ædificauit Moyses altare, & vocauit nomen eius, Dominus exultatio mea:* ex Hebræo legit Venetus in harmonia Cant. 2. tom. 8. cap. 9. *Dominus vexillifer meus.* Crucifixi figuram exprimit, quæ & metus, & hostes fugat, cùm hæc fiant in crucifixi figura, eum vocat vexilliferum, & ducem populi sui. Qui hoc faciat Iudæos credere? Cur ij non potiùs rideant hominem, quem cruci affixerunt, quàm illum vexilliferum suum, & ducem prædicent? Sanè rident Iudæi crucifixum, contemnunt peccatores eum, qui cruci affixus est, at vbi se à metu hostium liberari volunt, vbi inimicos sibi subiicere student, necessum est, vt ad crucem recurrant, & de crucis brachiis, & defensorem, & vexilliferum, imò Imperatorem creent. Do historiam, quæ mirificè rem adumbrat: eámque refert, seu confingit Iamblichus lib. 12. de rebus Rhodanis, & Sinonidis apud Biblioth. Photij: *Rhodanes ab ipso Rege Garmo coronato, atque saltante, ad priorem illam crucem ductus est, atque affixus. Dum ibi Garmus largiùs se ingurgitat, & choréam circa crucem vnà cum tibicinis mulieribus ducens, lætus sese oblectat, litteræ Garmo redduntur de Sinonide Syriæ Regi nuptui data. At Garmus ad inferendam sibi necem ruebat, sustinuit tamen, ac mox Rhodanem à cruce dimisit, militaribúsque ornatum insignibus, eius belli, quod aduersus Regem Syriæ mouebat, Imperatorem creat.* Ecce tibi qui crucifixo Rhodani insultabat, vbi bellicos euentus metuit, ad crucem confugit, & inde Imperatorem creat, qui hostes prosternat, & auferat metus. Huc adesto Iudæe, qui, mouens caput, & saltans, Crucifixo Iesu insultas: huc adesto peccator, qui contemnens crucem Domini, & choreis, & comessationibus, & ebrietatibus indulges; equidem cùm instet hostis, cùm metus ruinæ adstet, de cruce ibi est sumendum remedium, in sola cruce inuenies & ducem, & Imperatorem, qui inimicos simul & metus propellat.

Iudic. 7. — *D. Amb.* — *Num. 16.* — *Exod. 17.* — *Cyril. Al.* — *Iamblich.*

§. X.

Summa Dei prouidentia, quæ ex abiectione crucis exaltationem suorum metit.

STo à sententia cõmuni, per scalam Iacobo pauperi fugitiuo, & abiecto ostensam intelligente Dei summam, & manifestissimam prouidentiam, attingentem à fine vsque ad finem, & deducentem suos, etiam per summam abiectionem, ad summum exaltationis incrementum. Nec immeritò ad hanc prouidentiam ostendendam; & manifestè confirmandam, in typo crucis scala ostenditur, cuius cacumini innititur Deus; ex quo enim Deus apparuit innixus, imo infixus

infixus ligno crucis, quascumque abiectiones, scalas esse fecit, quibus ad summam exaltationem ascenderetur. Vnde D. Aug. ser. de Cataclysmo sic prouidentis Dei exaltat sapientiam: *Quale miraculum fratres, huius architecti, vt de cruce sua faceret scalas, & tales, quarum caput in cœlum poneret, & propter confirmationem ipse super eas incumberet? Ascende securus, qui desideras cœlum, non te terreat earum angustia, nec altitudo, nihil timeat, non nutant gradus eius, quos ille architectus sic confirmauit, vt in eius ligno manus suas affigi voluerit.* Solius Dei prouidentissimum ingenium, & sapientia valet de crucis abiectione scalas facere, per quas securi homines exaltentur. Quid pauper, & abiecte homo times, cùm despiceris, cùm contemneris? Putas te præcipitari in ima: sed crede prouidenti Deo, cuius ea est ars, quæ deiectionis gradus, in ascensionis scalas formet, vt cum videaris magis deiectus, tunc appareas clariùs sublatus in cœlum. Faciunt equidem hoc manus diuinæ crucis abiectioni impressæ: id quod miratus Dauid clamabat Psalm. 67. *Qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.* Expende, quæso, quòd ad ascendendum Deus equitet super occasum, super mortem: sanè occasus in ima descendit, & mors cò tendit, vt homines sepeliat. Cur, Domine, vt sursum ascendas, ad mortem venis? Cur te credis occasui ad descensum ruenti, cùm ascendere mediteris? Ea est Domini ars, quæ si vel ipsi morti manus infigat, illam ad ascensionem aptissimam ostendet. Rem pulchrè ponderat S. Nilus homil. de Ascens. apud Biblioth. Photij, dicens: *O lucrum è damno prouentens! Deorsum missi tollimur in altum; expulsi, in cœlum reducimur. Iuxta Paradisum vulnerati, extra illum remedium inuenimus. Vbi tibi, pirata, maleficium est? Crux, quam gubernatori fixisti, vertitur natura naufraga in clauum nauis, & ad cœlestem nos portum fluctuantes ducit, ac sistit.* Quid pulchrius? Expende illud, *crux, quam gubernatori fixisti, vertitur, &c.* Quippe vbi crux peruenit ad Dei manus, iam non in ruinam, sed in augmentũ, iam non in ima, sed in excelsa inclinat. Eram ego aliquando in Gallaico portu, quem vocant Finis terræ caput; inibi Maurorum carinæ scopulis tectæ pauperibus piscatoribus insidiabantur. Vix pauper homo nauigat, vt ex vndis lucellum ad vitæ sustentationem capiat, & ecce insiliunt Mauri, & miserum piscatorem piscabantur. Plena erat scapha piscatoribus Gallaicis, quos quatuor Turcæ validissimi latrones asseruabant, ij ferro, & igne armati, miseri captiui inermes erant, & ligati. Tamen ope diuina freti rumpunt laqueos, in Turcas, nil tale sperantes, insurgunt. Turcæ iactis ad mare remis gladios exerunt, & petunt rebelles gladiis, sed in cassum, nam captiui contemptis vulneribus Turcas amplectuntur, & in mare præcipitant, gladios eorum arripiunt, & arreptis Turcicis gladiis, & ad scapham applicatis pro remis vtentes remeant in patriam. Ecce tibi, quibus feriebantur, gladij in captiuorum manibus conuersi in remos reducunt homines in salutis portum, & in libertatẽ asserunt. Sic crux extrema hominum calamitas, vbi manibus Iesu infixa fuit, vertitur in clauum nauis, qui nos deducat in patriam, vertitur in scalam, per quam in alta scandamus.

D. Aug.

Psal. 67.

S. Nilus.

§. XI.

Vnus Dei filius valet dæmones in infernum præcipitare mundiali regno spoliatos.

NEcnon in scala Iacob filij Dei Incarnatio significatur, qua cœlum terræ, altissima summis, diuina iungebantur humanis, & ex Deo, & Iacobi semine vnus Christus conflatur. Incarnationis autem diuinæ necessitas, in quantum ego coniicere possum, apprimè explicatur per ascendentes, & descendentes Angelos; nullus enim alius, nisi Dei filius & principes tenebrarum posset à mundo exturbare, in inferosque præcipitare, & luteos homines vsque ad dexteram Dei sublimare. Proh vnigeniti filij Dei insigne singulare! Scala est, per quam reprobi Angeli præcipitantur, & Angelici homines ascendunt ad Patrem. Hoc singularissimè Dei filio aptat Paul. ad Colos. 2. vbi dicitur quòd Iesus, *Spolians Principatus, & Potestates, traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso.* Expende illud, *in semetipso*, solent enim Reges triũphare de nationibus: sed non per se ipsos, sed per duces, & Imperatores suos: Dei autẽ filius triumphat de diabolo, non per ministros suos solũ, non per Angelos, sed per seipsũ. Et cur per se ipsum? Nunne sufficeret, quòd Angelicam mitteret militiam, vt regnum diaboli præcipitaret? Equidem non erat in Angelis potestas ad atrium fortis intrandum, & eripienda illi vasa, non erat Angelis potestas ad regnum diaboli labefactandum: necesse fuit, vt veniret Vnigenitus Patris, qui & diabolum præcipitaret, & homines captiuos eius exaltaret. Pulcherrimè ad hæc aiebat Iobius Monachus lib. de Incarnat. 3. cap. 12. apud Biblioth. Photij: *Neque rursus Angeli vllius erat, si illi commissa fuisset Incarnatio, Principatus & Potestates in triumphum ducere, ac palam traducere. Quomodo enim iubente conserno dæmonia, eorúmque princeps in tenebras mitterentur: quandoquidem Michael Archangelus, pro solo Moysis, & quidem iusti corpore cum diabolo disputans, per se non est ausus iudicium inferre blasphemia? Quomodo seruus ipse nos ad ordinem adoptiuorum euehere potuisset? Aut quomodo vt nunc per Filium, cognitum fuisse genus nostrum vnà considendi in patrio throno potestatem esse nactum?* Quantum ad luctam Angeli cum dæmone de Moysis corpore, perspicuè fatetur Iudas Apost. in can. quod Michael, *non est ausus iudicium inferre blasphemia.* Ex quo rectè colligit Iobius infirmas Angelorum vires, vt regnum à diabolo in mundo acquisitum iure euertere possint. Non equidem Angelus, sed creator Angelorum debuit venire, cuius solius est, & homines ad Patris dexteram locare, & præcipitare diabolos; eorúmque tyrannidem verrere ab Orbe. Hinc apud Iob cap. 38. dicitur: *Quis demisit lapidem angularem terræ? Cùm me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* Et quis est iste lapis angularis, cuius deiectionis author non inuenitur alius præter Deum, qui ob illam ingentes recepit laudes à militia cœlesti? Rem declarat Rupert. lib. 1. de Vict. cap. 19. *Lapis itaque, durissimus ille hostis, lapis terræ angularis, id est, superbus princeps huius mundi, rectè valet intelligi. Et illum Deus reuera demisit, id est, deorsum misit, nec alius nisi Deus demittere potuit. Cùm igitur demisisset illum, laudauerunt simul astra matutina, & iubilarunt omnes filij Dei.* Superabat Angelorum virtutem deiectio diabolici regni, quod in mundo erat, ideo descendit ipse Deus, qui solus potuit tam infensum hominibus hostem præcipitare in infernum. Neque hoc factum est sine ingenti Angelorum admiratione stupentium, imò reuerentium Dei virtutem in destruendo dæmonis regno. Sic enim dicitur Iob cap. 41. de Leuiathan serpente: *Cùm sublatus fuerit, timebunt Angeli, & territi turbabuntur.* Non equidem Angeli mirarentur, nec timerent deiectionem serpentis cuiuscumque materialis, quem ipsi facili negotio interimerent, vt præclarè notauit D. Thom. & Lyran. in præsenti. Cùm autem vident mundi principem deiici, & deturbari à throno, tunc rem sibi superiorem mirantur, & reuerentur diuinam potentiam talia facinora efficientem. Ait Dion. Carthus. *De diabolo ergo ista dicuntur, imò de principe dæmoniorum, de cuius sublatione, seu expulsione à throno cœlesti olim terrebantur Angeli sancti, timore admirationis diuinæ potentiæ, & pauore reuerentiali ipsius. Similiter omnes electi & sancti in die iudicij de totali damnatione, ac sublatione principis tenebrarum admirabuntur.* Sic ibi.

Ad Colos. 2.

Iob. Mon.

Iob 38.

Rupert.

Iob 41.

De Dio. Car.

Gen. 28. Cúmque euigilasset Iacob de somno, ait: Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Pauénsque: Quàm terribilis est, inquit, locus iste! Non est hîc aliud nisi domus Dei, & porta cœli.

§. XII.

Verè humilis in diuinis fauoribus non se inuenit, sed eos semper tribuit alteri.

PRæsentiam sibi Dei repræsentatam, non sibi tribuit Iacob, sed loco, in quo Deus apparuit, & quidem non loci propriũ erat, quòd Deus ibi appareret, qui non ratione loci, sed ratione serui sui ibi cubantis apparuit. Et meritò ex illa apparitione posset dicere Iacob; Verè Dominus me comitatur: Verè Dominus mecum est, & mihi adest; tamen se dissimulans, de loco ait, *Verè Dominus est in loco isto.* vt enim perfectè humilis erat, in diuinis fauoribus non se inuenit, sed illos tribuit alteri. Nota est illa Saülis vox pergentis ad Samuelem, à quo vngendus erat in Regem Israelis, sic diuino oraculo clamante: quippe ait 1. Reg. 8. *Panis defecit in cistarciis nostris, & sportulam non habemus, vt demus homini Dei, nec quicquam aliud.* Ecce quàm vacuum se inueniebat, qui à Deo eligebatur in Regem; tibi optima quæque Israelis reseruantur, ô Saul, & dicis, nequicquam tibi esse? Vnde talia potuisti cogitare? Ait D. Greg. lib. 4. ibi cap. 9. *Habent proprium mentes humilium, vt spiritualia dona habeant, sed in iis, quæ habent, se non attendant.* Nihil sui videt humilis in donis diuinis; imo illa semper alteri tribuit, cuius esse putat. Hinc Cant. 5. ait sponsa: *Adiuro vos,*

1. Reg. 8.

D. Greg.

Cant. 5.

vos, filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum, vt annuntietis ei, quia amore langueo. Diuino amore succensa est, & validissima charitate in Deum inflammata, & requirit filiarum Hierusalem officium, vt eius amor dilecto insinuetur suo. Quis hoc requireret? An charitas nostra potest Deum latere? An Deus est talis, qui posset non scire dilectores suos? Nonne & oculatissimus est Deus ad noscendos amatores; & vocalissima est charitas, vt se prodat in auribus diuinis? Cùm ergo ô sponsa tibi charitas sit, & sponsi amor, aliorum requiris officia, vt te dilecto notam efficiant? Pulchrè Gillibert. Abb. serm. 46. in Cant. inquit: *Anxia vota suis esse contenta nesciunt meritis, ideò aliena precis mendicant suffragia. Perfecta humilitas de meritis semper alienis præsumit. Adiuro vos, inquit, filiæ Ierusalem, &c.* Nunquam non quærit modos perfectus humilis, quibus dona sibi illata, siue inferenda aliis tribuat. Huc accedit maximus ille Israelitarum dux Gedeon, qui electus à Domino in destructionem Madianitarum Iud. 6. *Clangens buccinam conuocauit domum Abiezer, vt sequeretur se*, & paucis viris ingentem luctum Madianitis fecit. Inuiderunt clarissimo viro victoriam Ephraimitæ, & vehementer obiurgabant eum, quòd non vocasset illos ad prælium adeò insigne. Quos hic placat bonus dux Iud. 8. *Quid enim tale facere potui, quale vos fecistis? Nonne melior est racemus Ephraim, vindemiis Eliezer?* Facinora Ephraimitarum racemo comparat, suam autem de Madianitis victoriam vocat vindemiam, sed quæ non possit comparari cum illo racemo. Id tamen maximè in iis verbis notandum est, quòd victoriam à se partam, & sibi à Deo destinatam, vocat vindemiam, hoc est, victoriam Eliezer. Sanè domus Eliezer vocata fuit in prælium, & iussa est venire post Gedeon; at Gedeon fuit, qui percussit, & fugauit hostes, vel ipsi enim Madianitæ fatentur Iudic. 7. *Non est hoc aliud nisi gladius Gedeonis filii Ioas viri Israelitæ. tradidit enim Dominus in manus eius Madian, & omnia castra eius.* Quid hoc ad Eliezer? Sed verè humilis dux in accepto triumpho, non se attendit, sed Eliezeris domum, quæ pugnabat secum, & cui maluit totam triumphi gloriam tribuere. Lyra, inquit: *Madianitarum multitudo occisa est ab exercitu, qui erat cum Gedeone, quem vocat Eliezer, cuius domum vocauerat ad prælium: vt sic ex humilitate aciem non adscribat sibi victoriam tantæ multitudinis, sed alteri.* Hoc curant semper verè humiles non se attendere in fauoribus diuinis acceptis, sed quantumuis eos in se experiantur, hoc satagunt, vt illos aliis possint tribuere. Longè aliter à superbis, & arrogantibus, qui gloriari gaudent vel de alienis. Ait enim Isaias cap. 2. *Dies Domini exercituum super omnem superbum, & excelsum, & super omnem arrogantem, & humiliabitur. Et super omnes cedros Libani sublimes.* Cum arrogantibus, & superbis miscet propheta cedros Libani sublimes, nec immeritò, sunt enim arrogantes simillimi cedris Libani, quæ in e acumine altissimi montis constitutæ gloriantur ab altitudine, quam non habent nisi montis beneficio: sic arrogantes de alienis, & non suis, sibi faciunt sucos. Sic Procopius ibi: *Quid istos Libani cedros esse dixit? Quoniam aliena quodammodo celsitudine attolli videntur montanæ arbores: cuiusmodi sunt, qui rerum externarum gloria efferuntur.* Vt attolluntur montanæ arbores non sua, sed montium altitudine, sic arrogantes homines non de suis, sed de alienis rumores nutriunt.

Gillibert. — *Iud. 6.* — *Iud. 8.* — *Iudic. 7.* — *Lyra.* — *Isai. 2.* — *Procop.*

§. XIII.

Nihil cernitur, nihil scitur, dum non cernitur, dum non scitur Christus.

Planè Iacob à fidelibus parentibus imbutus non poterat ignorare Deum præsentem esse omni loco; cur ergo modò expergefactus, dicit, *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam?* Cur se dicit nescisse, quod debet esse notissimum fidelibus omnibus principium? Accingebatur iam ad somnii interpretationem, vt ait Tertul. lib. 3. in Mar. in fine, *Christum Dominum enim viderat templum Dei, & portam eundem, per quem aditur cœlum.* Nec miror, quòd qui præ oculis habebat Christum, fateatur se nil ante hunc visum, & notum vidisse, nec nouisse. Quid sciret, qui non viderat Christum, in quo sunt omnes thesauri scientiæ, & sapientiæ Dei? Crede mihi, non in alio, nisi in Christo posset vera, & perfecta sapientia inueniri. Baruch. cap. 3. *Non est audita sapientia in terra Chanaam, neque visa est in Theman::: Quis ascendit in cœlum, & accepit eam de nubibus? Quis transfretauit mare, & inuenit illam, & attulit illam super aurum electum? Non est, qui possit scire vias eius, atque qui exquirat semitas eius. Sed qui scit vniuersa, nouit eam, & adinuenit eam prudentia sua. Qui præparauit terram in æterno tempore, & repleuit eam bipedibus, & quadrupedibus::: Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilectæ suæ. Post hæc in terra visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Ecce tibi Iacob non accepit sapientiam Dei ab alio, nisi ab illo Deo, qui in terris visus est, nempe, Christus, qui, vt ait Theodoretus in præsenti, est verus sapientiæ fons, & origo, & sine quo nihil videtur, nihil scitur. Iosue cap. 5. dicitur: *Cùm autem esset Iosue in agro vrbis Hiericho, leuauit oculos, & vidit virũ stantem contra se euaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, & ait, Noster es, an aduersariorum? Qui respondit, Nequaquam, sed sum Princeps exercitus Domini.* Erat iste Princeps exercitus Domini Christus, tunc apparens Iosue, vt testatur Iustinus Mart. Clemens Rom. Euseb. Cæsar. Beda, relati in Glossa. Sed expende, quòd in hac occasione dicatur de Iosue, *Leuauit oculos, & vidit, &c.* nec immeritò; ait enim Interlinearis, *tunc primùm oculos leuamus, cùm Christum videre incipimus*, & quidem non antè, sed simul enim Christo & oculi ad videndum, & mens ad cognoscẽdum nobis tribuuntur. Id quod adhuc apertiùs ostenditur apud lectionem Septuag. vbi sic: *Et factum est, postquam fuit Iesus in Hierico, & aspiciens oculis suis, videt, qui apparuit ei, hominem stantem, &c.* Ad quæ verba Orig. homil. 6. in præsenti, ait: *Respiciens ergo oculus videt Principem militiæ virtutis Domini, tanquam qui prius non respexerit, sed tunc cùm Principem militiæ virtutis Domini erat visurus.* Non antea, sed cùm vides Christum, tunc censeris & videre, & scire; quæ enim sine Christo scientia est, potiùs debet reputari ignorantia, cæcitas, inscitia. Ait Paulus 1. ad Corinth. 1. *Vbi sapiens? Vbi scriba? Vbi conquisitor huius sæculi? Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius sæculi?::: Nos autem prædicamus Christum crucifixum. Iudæis quidem scandalum, gentibus stultitiam, ipsis autem vocatis Iudæis, atque Græcis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Et quidem vnus Christus est, qui facit veros, & perfectos sapientes, veros & perfectos Scribas: quæ sine Christo se extollebat vel apud Iudæos, vel apud gentes sapientia, euanida erat, & proxima stultitiæ. Nihil sapiebat, qui minime accipiebat Christum. Pro quo ait Tert. lib. de Idolol. cap. 9. *Vbi sapiens? Vbi conquisitor huius sæculi? Nonne infatuauit Deus sapientiam huius sæculi? Nihil scis, Mathematice, si nesciebas te futurum esse Christianum.* Et certè, qui nihil Christi sibi proficuum nouit, in magna se putet esse ignorantia; ab vno enim Christo habemus, quòd perfectam hauriamus sapientiam; ipse solus mentes nostras valet perfectè excolere. Hinc de terra adhuc rudi locutus Dominus Gen. 2. *In die quo fecit Deus cœlum, & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnémque herbam regionis, antequam germinaret, non enim pluerat Deus super terram, & homo non erat, qui operaretur terram.* Ecce tibi proponitur in præsenti terra inculta, nullo adhuc fœcunda, nec ornata virgultorum, aut herbarum partu; & huius ratio erat defectus diuinæ pluuiæ, defectus hominis excolentis, sed si antecedens caput recolatur, homo iam erat conditus, imò & fons erat in medio Paradisi, qui omnia rigabat, fœcundabat? Quæ ergo pluuia requiritur? Quæ hominis cultura desideratur? Pulchrè D. Athanas. Sinaita lib. 7. in Exam. *Deus voluntariam pluuiam non pluerat, ex perennis fonte vitæ, non erat ros Hermon, Christus, qui ex patre descendit. Intellige præterea quasi. Non dixit Scriptura, quòd non erat homo, in illo enim die homo factus est. Sed non erat huiusmodi homo, qui posset operari, & excolere terram animæ. Nondum enim exierat homo, qui è cœlo descendit ad operandam, & excolendam terram.* Cur non essent terrenorum mentes rudes, & ignorantiæ tenebris opertæ, imò & errorum horrore turpatæ, si nondum à Christi ore cœlestis doctrinæ ros non fluxerat, si eloquiorum Christi riui non manauerant; si Christus nondum apparuerat, verus Doctor & cultor animarum? Equidem torpebant vniuersæ hominum mentes, & vix in illis pullulabant germina veritatis, donec in mundo apparuit cultura Christiana.

Tertul. — *Baruch.* — *Theodor.* — *Septuag.* — *1. Cor. 1.* — *Tertul.* — *Gen. 2.* — *Athan.*

§. XIV.

Ille solus timendus, qui vel spiritum potest destruere.

Dum deserto in loco pernoctat Iacob, nihil veretur, nihil timet, nec quicquam nocturni horroris pauescere nouit, sed dormit securus. Vbi autem euigilat, totus horroris plenus, totus pauens, nihil non suspicatur timendum, nihil non videt terribile. Sic enim ait: *Terribilis est locus iste.* Et cur non potiùs antea pauebat ad nocturnos horrores? Cur solus in vastissima solitudine pernoctãs nõ pauet, & post somnũ luce

aduenien te, sic territus existit? Sanè viderat in somnis Deum innixum scalæ, per quam ascendebant quidem Angeli, sed & Angeli descendebant; imò præcipitabantur in ima, & quis non paueat, & terreatur à potestate illius Dei, qui fortissimos etiam spiritus præcipitat, & in æternum supplicium deturbat? Sanè hic solus potuit terrorem pauorémque incutere *Iob 25.* Iacobo constantissimo viro. Quò respiciebat Iob cap. 25. inquiens: *Potestas & terror apud illum est, qui facit concordiam in sublimibus suis.* Expende penes quem solum inuenitur terror qui meritò homines afficiat, nimirum penes illum, *qui facit concordiam in sublimibus suis.* Cantatissimum est prælium, & sublimium Angelorum discordia, quando Lucifer cœlestem pacem turbabat. Tunc diuisi spiritus in duas factiones, hinc Lucifer, hinc Michael mutua discordia ferebantur. Quid tunc? Deus Luciferi factionem in Tartara præcipitans, cœlestia omnia in æternum pacificauit. Proh terribilis Dei virtus, & potentia, quæ pacis cœlestis causa, tam sublimes spiritus præcipitauit, æternísque tradidit flammis. Equidem apud hunc solum Dominum, & potestas, & terror est; ipse solus debet timeri, qui nec spiritibus parcit, sed illos etiam potest *Psal. 75.* durissimè castigare. Huc accedit Psal. 75. *Terribili, & ei qui aufert spiritum principum, terribili apud Reges terræ.* Sunt, qui auferant regna; sunt qui auferant corporis vitam; sed qui solus terribilis sit, & iustum terrorem possit incutere, ille est, qui potestatem habet circa spiritus, circa animas, quas etiam po- *Mat. 10.* test perdere in ignem. Id quod docebat Dominus Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest animam, & corpus perdere in* *Bernard.* *gehennam.* Vnde D. Ber. ser. 16. in Cant. ait: *Ille, ille timendus est, qui postquam occiderit corpus, potestatem habet mittere animam in gehennam. Paueo gehennam, paueo iudicis vultum, ipsis quoque tremendum Angelicis potestatibus. Contremisco ab ira potentis, à facie furoris eius, &c.* Qui circa animam, circa spiritum potestatem habet, ille meritò à fortissimo quoque debet timeri: non timeatur, qui nullum animæ potest inferre damnum, lib. 2. Machab. cap. 7. inter acutissimos dolores, quibus capitis cutis abradebatur, imperterritus secundus frater, sic tyranno affatur: *Tu quidem scelestissime in præsenti vita nos perdis.* Scelestissimum vocat Regem, cur non magis pauet eius furorem. Hoc illa declarant, *in præsenti vita nos perdis.* tota rabies finitur circa corporalia membra, & dum non potest peruenire ad ani- *Amb.* mam, non timetur à Sanctis. De hoc ait S. Amb. lib. 11. epist. 7. *Secundus accessit, nec degener fratris munia pia confessionis impleuit. Et dum detraheretur membrana capitis, respondit: Aufertis quidem membranam, sed habeo galeam spiritualem, quam non potestis auferre.* Quando illi pars spiritualis integra erat, non miror, quòd rideat potentiam, quæ circa solum corpus versatur, ille enim solus tremendus est, & pauendus, qui & animam potest perdere.

§. XV.

Nulla creatura non pauet in ruina alterius.

PAuens totus ostenditur Iacob post scalę visionem, & meritò pauet, dum videt Angelos descendentes, hoc est, à cœlesti scala cadentes, quę enim creatura non contremiscat, *Luc. 10.* non paueat in casu alterius? Aiebat Iesus Luc. 10. *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Quid hoc magnum filio Dei, quòd videret Angelum cadentem? Nonne & cæteri Angeli viderunt? Sanè Iesus videbat securus, imperterritus, vt cui nulla ruina posset nocere; cæteri omnes tremefacti, & *Rupert.* pauentes aderant, maximóque timore correpti. Rupert. lib. 1. de victor. cap. 23. *Solus ipse Dei filius videbat securus sui. Angeli autem viderunt in magno terrore positi. Sic enim ad beatum Iob dicit ipse Dominus. Cùm sublatus fuerit, timebunt Angeli, & territi purgabuntur.* Deus sit ab omni ruina, & casu prorsus liber, qui alterius casum imperterritus velit aspicere, cuius autem natura labilis est, vix fieri potest, quin maximè perterreatur videns aliorum miserabilem ruinam. Ad postremum impio- *Luc. 21.* rum omnium excidium respiciens D. Lucas cap. 21. dicit, quòd *virtutes cælorum mouebuntur.* Sanè magna est causa, quæ sic fortissimas cœli virtutes commoueat, conturbet! Et quæ hæc causa est? Vnde turbantur, & mouentur cælicæ columnæ? Vnus cadentium impiorum casus valet mouere vniuersas cœli columnas, quando nulla est creatura, quæ alia- *Chrysost.* rum ruinas intrepidè queat aspicere. D. Chrysost. in cat. D. Thom. *Virtutes cælica mouebuntur, quantumuis mali sibi conscia non sint, videntes enim infinitas multitudines condemnari, non intrepidæ stabunt ibi.* Et quæ labilis creatura non timeat sibi in aliorum ruina? Apud Ionam cap. 1. *Tulerunt Ionam, & mi-* *Ion. 1.* *serunt in mare, & stetit mare à feruore suo. Et timuere viri timore magno Dominum.* Cùm mare feruet, cùm sæuit tempestas, cùm nauis periclitatur habens in se causam periculi, vix timent nautæ: post eiectum Ionam, vbi serenitas plaudit, fluctus arrident, & omnia videntur esse in tuto, tunc nautæ magno timore corripiuntur. Deus bone, quid vides nauta in hac maris tranquillitate, ob quod sic timeas, qui inter furentes tempestates vix timebas? In tranquillitate vident Ionam datum fluctibus, & ad tanti hominis ruinam, & casum quis labilis non timeat? Sic 2. Reg. 6. dicitur: *Iratúsque est indigna-* *2. Reg. 6.* *tione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate: qui mortuus est ibi iuxta arcam Dei. Et extimuit Dauid Dominum in die illa.* Et vix datur alicuius ruina, ex qua non oriatur metus, qui & videntes, & audientes corripiat. Actor. 5. de Saphira *Actor. 5.* reprehensa à Petro dicitur: *Confestim autem cecidit ad pedes eius, & expirauit. Ingressi verò iuuenes repererunt eam mortuam, & extulerunt, ac sepelierunt, iuxta virum suum. Factúsque est timor magnus super vniuersam congregationem, & super omnes, qui hæc audiebant.* Nullus erat in tota congregatione reus culpæ, nullus, qui fuisset Deo mentitus, nullus dignus increpatione apostolica, & tamen super omnes factus est maximus timor, quia ruina vnius vix potest non esse timori videntibus illam. Ait Oecum. ibi: *Ex facto quod circa Saphiram accidit, oritur in* *Oecum.* *aliis salutaris timor. Quemadmodum & in vltione Ozæ, huius namque supplicium multis timori fuit.* Nunquam non parit timorem calamitas hominum aliis visa. Et quod mireris magis, illi ipsi, qui calamitatem inferunt, solent horrere, & timere, etiã dum à se factam calamitatem vident. Apocal. 18. introducitur casus, & ruina Babylonis, vt vastatur opulenta ciuitas, vt exuritur. Quid tunc? *Et flebunt, & plangent se super illam Reges terræ, cùm viderint fumum incendij eius, longè stantes propter timorem tormentorum eius.* Et quid Reges timẽt in tormentis miseræ vrbis? Prudentissimè putat noster Ribera eos ipsos Reges, qui vastabant vrbem, qui illam voracibus flammis dabant, eos, inquam, Reges ad tantæ calamitatis vrbis conspectum horruisse, & timuisse sibi calamitatem similem.

§. XVI.

Peccata dum puniuntur, non censentur esse.

DOmum Dei esse in loco illo profitetur Iacob, ait enim: *Non est hic aliud nisi domus Dei.* Domum Dei vocat, in cuius scala videt Angelos descendentes, imò cadentes à recta, & superiori via, sed in domo Dei nullus defectus, nullus casus admittitur, cùm dicat Apocal. 21. *Non intrabit in eam* *Apoc. 21.* *aliquid coinquinatum, abominationem faciens, & mendacium.* Ecce tibi in domo Dei non sunt defectus, non sunt peccatorum casus iuxta Ioannem; iuxta Iacobum autem in domo Dei sont labentes, & cadentes Angeli. Quomodo ergo Iacob potuit putare esse lapsus, & defectus in domo Dei, quando Ioannes clamat nihil horum posse in domo Dei esse, nec intrare? Videbat Iacob labentes ibi non extolli, imò nec sustineri, sed præcipitari, & deturbari in Tartara. Sic D. Hier. in descendentibus Angelis, intelligit Iudæos reprobatos; & Bern. deficientes à religionis statu. Quæ ergo peccata comperta castigantur, mulctantur, minimè censentur esse, aut perpetrari. Paul. 1. ad Corinth. 1. dum ostendit scelestos ho- *1. Cor. 1.* mines esse prorsus abiectos ab Ecclesia Christiana, sic fatur. *Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est: iis autem salui qui fiunt, id est, nobis, Dei virtus. Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens? Vbi scriba? Vbi conquisitor huius sæculi?* Non solùm putat Paulus Christi morte esse vniuersas Magorum præstigias abiectas, detriumphatas: (per sapientium enim nomen ferè omnes intelligunt Magos, & Maleficos:) sed sic esse purgatam ab his sceleribus Ecclesiam Christi, vt nullibi esse hæc pestis videatur. Quò tendunt illa verba insultationis, & triumphi; *Vbi sapiens? Vbi conquisitor huius sæculi?* Sed sanè non poterat Paulus dubitare in Ecclesia Christiana multos sese daturos huiusmodi vanitatibus; multos futuros maleficos, multos Magos, cur ergo ait: *Vbi sapiens?* quasi neget in Ecclesia iam nec vnum inueniri? Nonne & multi adhuc inueniuntur Magi? Sed nullus inuenitur, qui compertus non puniatur legibus, non ad supplicium trahatur; quæ autem castigantur crimina, sic censentur, quasi non habeantur. Ait Tertul. lib. de *Tertull.* Idolol. *Vbi sapiens? Vbi literator? Vbi conquisitor huius æui? Nonne infatuauit Deus sapientiam huius sæculi? Post Euangelium nusquam inuenias, aut sophistas, aut Chaldæos, aut incantatores,*

aut

aut coniectores, aut Magos, nisi planè punitos. Et quidem vbi puniuntur criminosi, prudentissimè censentur nō esse ibi. Non mihi dicas in tali, aut tali natione, seu familia, seu domo, sunt adulteri, sunt periuri, sunt contumeliosi, sed ostende, an ij comperti etiam permittantur sic viuere, tunc enim verè dicūtur esse in illa familia. Verùm si familiæ legibus feriuntur, si comperti non manent impuniti, iam ij non censentur esse ibi. Ex hoc lucem capit D. Paul. ad Ephes. 5. dicens: *Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea: vt illam sanctificaret, mundans eā lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta, & immaculata.* Nec vllus est adeò amens, qui in Ecclesia Christi non videat multos peccatorum maculis infectos: quod cùm ita sit, cur dicitur Christus exhibuisse Ecclesiam sine macula, & sine ruga existentem? Equidem, & verissimè, & sapientissimè id dictum est, quando in sola Christi Ecclesia, nulla macula, nulla ruga, nullum peccatum, nullus defectus non castigatur, non reprehenditur. In quauis alia secta multa dissimulantur peccata, multa impunè committuntur scelera, imò & in Synagoga ruga erat, quòd permittebatur libellus repudij, quòd dens repetebatur pro dente; & in lege naturæ quasi ruga fuit ipsa vxorum multitudo: in Ecclesia Christi nec macula, nec ruga permittitur, omne vitium, omnis defectus licèt minimus succensetur; vt meritò dicantur non esse ibi, quæ flagris eiciuntur, si videntur. Non habet maculas, quæ maculas persequitur, nec peccatores habet, quæ peccatores ferit, quinimò inde se puriorem, & pulchriorem ostendit. Ait enim Zachar. cap. 11. *Et pascam pecus occisionis propter hoc, ò pauperes gregis, & assumpsi mihi duas virgas, vnam vocaui decorem, &c.* Virga assumpta ad regendas oues occisionis, ad feriendos peruersos, vocatur à Propheta decor, quæ enim castigantur peccata etiam in virga ferrea, non censentur esse familiæ peccata, sed decora.

Ad Ephes. 5. — *Zach. 11.*

Genes. 28. Surgens ergo Iacob manè, tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper. Appellauítque nomen vrbis Bethel, quæ priùs Luza vocabatur. Vouit etiam votum, dicens: Si fuerit dominus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersúsque fuero prosperè ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei, &c.

§. XVII.

Lenitas, & mansuetudo Christiana potentior ad durissima quæque debellanda.

ECce tibi vt Iacob aptat lapidē in domum Dei, nimirum, *fundens oleum desuper*, si alius rudes lapides aptaret, vt illis domus Dei ædificaretur, quot instrumenta ferrea, quot malleos, quot cuspides aheneas adhiberet, vt de repetito vulnere poliretur lapis? At Iacob sine ferro, sine malleo, sine vulnere, sine ictu, de infusi olei beneficio lapidem in Dei domum aptat, dicens: *Lapis iste vocabitur domus Dei.* Et qui fieri potest, quòd olei infusio vel durissimos lapides in Dei domum aptatos trahat? Qualchoc oleum erat adeò potens? Ait D. August. *In hac lapidis erectione, oleique perfusione, signum fuit in prophetia euidentissima constitutam, quæ pertinet ad vnctionem, vnde Christi nomen à chrismate est.* Exprimebatur iam in oleo illo Christi lenitas, & suauitas, quæ potentior est omni ferro, vt vel lapides in Dei domum aptatos trahat. Non equidem sic ferro valuerunt domitores Orbis, vt vnctus meus Christus valuit suauitate, lenitate. Apud Luc. 2. *Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio facta est primò à præside Syriæ Cyrino.* Ferro potens Augustus, vt sibi adscriberetur Orbis, dum Syriæ partibus Varus præesset, vt testatur Iosephus, insuper mittit Cyrinum, vt sub duobus validissimis ducibus, multo cinctis exercitu, descriptio Orbis perficeretur. Sed & Iesus Orbem trahere cupiens in librum vitę, in censum fidei, suos censores mittit, ait enim Luc. 10. *Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum neque peram.* Et Matth. 10. etiam addit: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque virgam.* Augustus armatos mittit censores, gladio potentes, Iesus inermes, nudos mittit cēsores suos: & quidem non Augusto, sed Christo Orbis adscribitur, qui non ferro, sed suauitate triumphat. Pulchrè D. Ambr. ad cap. 2. Luc. *Nihil in censu Christi vereare terribile, nihil immite, nihil triste. Vis Christi audire censores? Iubentur censere, sed non virgis, nec terrore, sed gratia plebem quærere, condere gladium, non possidere aurum. Talibus censoribus acquisitus est Orbis.* Nullius equidem gladius totum acquisiuit Orbem: sed Orbem acquisiuit Christi suauitas, sed Orbem acquisiuit lenitas Christiana, potens vel durissimos lapides sine ferro in Dei domū aptare. Luc. 19. dicitur: *& ingressus Iesus perambulabat Iericho:* nota est historia ex Iosue cap. 6. quando hic dux multo cinctus exercitu eandem Iericho ciuitatem perambulat, quā denique sic contriuit, vt nec cinis eius appareat. Cur ergo modò Iesus Iericho perambulat? Quam Iosue contriuit, perdidit, quare Iesus vel aspicit? Sanè vt ostendat, quam potentior sit omni ferro Christiana suauitas, quam enim ciuitatem Iosue rigor demolitus est, eandem Christi suauitas potuit erigere, & diuinis beneficiis aptare. Ait Chrysol. serm. 54. *Iericho ciuitas ipsa est, quam Iesus Naue septeno tubarum clangore subuertit. Sed quia Christus venit saluare, quod perierat, ingreditur Iericho, vt quod lex terribili vociferatione deiecerat, Iesus clamore pia prædicationis attollat.* Potuit ferrum, potuit rigor Iericho demoliri, sed illam Deo aptare nō potuit; ideò illi immittitur Christi suauitas, sub qua etiā durissimi Ierichuntini non pereunt, sed attolluntur, & Deo aptātur. Sanè populus Israelita permissus est ire in Ægyptū, vt erudiret Ægyptios, & in veri Dei agnitionem traheret, sed horum occasione Ægyptij omnes in mare perierunt, *& submersi sunt quasi plumbum.* Quid tunc? Matth. 2. vbi nascitur Iesus, statim Angelus ait Iosepho: *Tolle puerum, & Mariam matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Cur puer Iesus in Ægyptū mittitur? Ibi fuerunt Israelitæ, & Ægyptij eorum conuersatione facti sunt lapides, qui denis plagis acceptis obdurabantur, donec quasi plumbum submergerentur in aquis. Cur ergo illò Iesus mittitur? Sanè immittitur Iesus Ægyptus, vt qui plagis obdurati, instar lapidum submersi sunt in aquis, à Iesu suauitate, tanquam ab infuso oleo acciperent, quo possint aquis supernatare, & in cœlestes attolli auras. Quò spectans Imperfect. hom. 2. in Matth. fatur: *Venit in Ægyptum Iesus, vt tā non irent ad mare rubrum demergendi Ægyptij, sed vocarentur ad aquas baptismatis viuificandi.* Plagæ obdurauerunt homines vsque ad naturam lapidum, vt submergerentur in mari, Iesu suauitas, velut oleum fecit illos supernatare in Baptismatis aquis, vt inde vitæ auspicium caperent. Et quid non faciat etiam in lapidibus Christiana suauitas?

August. — *Luc. 2.* — *Luc. 10.* — *Ambrof.* — *Luc. 19.* — *Chrysol.* — *Matth. 2.* — *Imperf.*

§. XVIII.

Diuinæ res non ostentationi, sed vtilitati seruiant.

QVem sibi dormienti supposuerat lapidem Iacob, eundem erigit in titulum reuelationis ibi à Deo factæ; ait enim *Tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, &c.* Et cur non alium, sed lapidem, quem dormienti supposuerat, maluit erigere? Nonne ibi erant alij plures lapides, cur in signum diuini fauoris ille erigitur, qui sibi simul dormientem Iacobum testabatur? Planè dormientis lapis erigitur, ne videretur Iacob in illa erectione lapidis ostentationem sui facere, sed potiùs deiectionem, vt res diuinæ ibi repræsentatæ, non ostentationi seruirent, sed vtilitati. Non absimili modo Iosue post transitum miraculosum per Iordanem, de ipso Iordanis alueo erexit duodecim lapides, dicēs, cap. 4. *Quando interrogauerint filij vestri cras patres suos, & dixerint eis Quid sibi volunt lapides isti? docebitis eos, atque dicetis. Per arentem alueum transiuit Israel Iordanem istum, siccante Domino vestro aquas eius, &c.* Fecit Iosue, quod gubernatores facere solent, erigentes monimenta, quæ Dei magnalia ostendant exhibita populis; sed nullam sui memoriam fecit, quod gubernatores facere non solent. Quis gubernator, vel pyramidem, vel columnam erexit, cui suum nomen non apposuit? Cur ergo Iosue in erectis lapidibus solùm attendit, vt se prętermisso, solam Dei gloriam aspicerent populi? Cur non & sui meminit? Res erat de fauore illo diuino æternando apud populum; in rebus autem diuinis prudenter cauit, vt seruirent vtilitati, non ostentationi. Ait Procop. in Glossa: *Erigit lapides duodecim, partim monumento filiis,*

Iosue 5. — *Procop.*

partim terrori hostibus, partim autem de vno Deo eruditioni. Res enim diuina non ostentationi, sed audientium, videntiumque vtilitati inseruiunt. Sic sanctissimi viri cauerunt semper res diuinas ad propriam ostentationem detorquere, quin potiùs illas communi solùm populorum vtilitati referebant. Quod cùm meditor, sese mihi proponit Chrysost. de cuius sapientissimis commentariis in sacram Scripturam, id refert Photius in sua Biblioth. fol. 387. *Quod sicubi sententiarum aliqua, seu interpretationis, seu profundioris indagationis indigebant, neque tamen eas diligenter satis explanarit, mirum id minimè videri debet. Quæcumque enim auditorum captui accommodata essent, atque ad eorum salutem, & vtilitatem, tanquam scopum præfixisse sibi videtur, vt cætera vel omnino neglexerit, vel leuissimè attigerit. Sed & illud penitus pro auditorum vtilitate contempsit, quòd alicui vel sensus aliquos ignorasse, vel ad profundiorem quandam penetrare refugisse, vel id genus alia præteriisse, videri posset.* Itaque sanctissimus vir in euoluendis, & enucleandis diuinis Scripturis, illa prætermittebat, in quibus proprij ingenij ostentationem facere posset, sola enucleabat, explanabat quæ vtilitati seruiebant. Malebat imperitus videri, quam de rebus diuinis aliud, præter animarum vtilitatem extorquere. Vtinam hanc virtutem, & magistri omnes, & concionatores imitarentur, & de rebus diuinis sola proferrent in medio, quæ possunt in communem, & spiritualem vtilitatem esse. Mirabar ego aliquando, quòd cùm Ioannis natiuitas, & baptismus, & prædicatio, & mors, adeo sit ab Euangelistis decantata, de illius infantia, puerilibúsque annis nec verbum faciant. Et quidem in Ioannis infantia, & pueritia multæ fuerunt virtutes, multæ splenduerunt diuinæ gratiæ à Deo dilapsæ. Cur ergo tot Ioannis virtutes, tot cœlestes gratiæ tacentur, præcipuè cùm hæ in Iesu maximè prædicantur. De Iesu puero dicitur, vt fuit adoratus à Magis, vt à Simeone agnitus, vt fugit in Ægyptum, vt inter Doctores templi disputans apparuit, de puero Ioanne nihil scriptum habens. Cur sic prædicatur Iesu pueritia, cur sic tacetur Ioannis infantia? Ait D. Ambr. in Luc. 2. *Nec quemquam mouere debet, quòd altiori consilio Ioannis infantium diximus prætermissam, Christi verò infantiam asseruimus esse descriptã. Non enim omnium est dicere, Factus sum infirmus infirmus, vt infirmos lucrifaciam.* Non erat Ioannis infantia vtilis ad animas trahendas, expiscandas, & ideò quamuis plena virtutibus, quamuis exundans diuinis fauoribus, & gratiis prorsus obnubilatur, res enim diuinæ in tantum proponendæ sunt, in quantum inseruiunt vtilitati. Nec nunquam malè audiunt, qui de rebus diuinis non vtilitatis lucrum, sed ostentationem expiscantur. Luc. 18. *Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri homines : : : Ieiuno bis in Sabbato, decimas do, &c.* Inter tot virtutes enarratas miserè perditur infelix, & reprobatus apparet. Cur reprobatur? De ieiuniis, de rebus sacris non vtilitatem, non lucrum animæ, sed ostentationem sui peruersus captabat. Pulcherrimè aiebat Chrysol. ser. 7. *Enatasti ieiunii pelagus, & in ipso portu ieiunii naufragasti: quia non comparasti lucrum, sed mercatus es vanitatem. quia de Dei credito humanum negotium peregisti.* Expende illam perditionis causam, nimirum, *de Dei credito humanum negotium perfecisti*; equidem reprobationis opus est, quòd quis de Spiritus sancti gratiis, & fauoribus, de rebus diuinis, & de earum credito negotia peragat temporalia, non vtilitatem animæ, sed ostentationem sui captans.

D. Chrys.
Ambr.
Luc. 18.
Chrysol.

§. XIX.

Multis comparare debemus, quòd Deus sit nobis Deus in particulari.

EXpende votum Iacob, si prosperè reductus fuerit, ait enim: *Erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei; cunctorúmque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.* Ergo vouet Iacob, à se Dominum habendum Deum, & Deum credendum non antea quàm redeat prosperè in domum patris? Absit hoc à viro fideli, qui verũ Deum, & semper noscebat, & adorabat. Solùm autem vouet iuxta sententiam Caiet. & Pererij, & aliorum, se merita præstiturum, & se in illo lapide tanquam in templo, & Dei domo, tales cultus exhibiturum Deo, tot sacrificia litaturum, tot preces fusurum, & tam fideliter decimas omnium bonorum soluturum, vt meritò possit Dominus dici Deus illius in particulari. Nec immeritò vouet tot opera se facturum, vt Dominus illius habeatur Deus in particulari, hoc enim multis debemus omnes comparare. Post tres menses egressionis Israelitarum à terra Ægypti, dum esset Moyses in cacumine montis Sinai, sic Deus incipit populo suo legem dare. Exod. 20. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis.* Hic primò populus Israeliticus dignus fuit audire, Dominum esse Deum suum in particulari. Cur hoc non audit antea? Cur hoc non audit, quando securus transiuit per medium maris, in quo vidit hostes suos suffocatos? Cur hoc non audit, cùm amaritudinem aquarum sensit in dulcedinẽ commutatam, cùm fontes, & palmas inuenit? Sanè, quod Dominus sese Deum nostrum ostendat in particulari, res est multæ diligentiæ, & longissimi laboris, multisque sudoribus, & peractis virtutibus comparanda. Ait Origen. hom. 8. in Exod. *Hanc vocem in Ægypto positus audire non poteras, etiamsi tibi iniungatur, vt Pascha facias, etiamsi accingaris lumbos, & sandalia accipias in pedibus, & azyma cum amaritudine comedas. Sed ne inde quidem profectus in prima statim mansione hæc audire potuisti, nec in secunda, nec in tertia, nec cum transires rubrum mare, etiamsi ad myrrham veneris, & fuerit tibi amaritudo in dulcedinem versa; etiamsi in Helim veneris ad duodecim fontes aquarum, & septuaginta arbores palmarum, etiamsi Raphidim prætereris, ac ateribisque profectus ascenderis, nondum ad huiuscemodi verba idoneus iudicaris, sed cùm perueneris ad montem Sina. Multis ergo antè laboribus peractis, multis ærumnis, & tentationibus superatis, vix aliquando merebaris audire à Domino, Ego sum Dominus Deus tuus, &c.* Expende ab illis, scilicet: *Multis ergo, &c.* quippe quòd Dominus habeatur, & manifestetur tuus Deus in particulari, minimè id nisi multis laboribus, multis virtutibus, multis facinoribus exhibitis comparabis. Aiebat Sponsa Cant. 6. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* Non quidem Deum sibi priùs peculiariter vendicat, quàm se ipsam totam pro Deo impendit, priùs enim ait, *Ego dilecto meo*, & deinde subiicit, *Dilectus meus mihi*: Et quid est, *Ego dilecto meo*? Sanè Paul. ad Gal. 2. dicebat. *Ego per legem, legi mortuus sum, vt Deo viuam. Christo confixus sum cruci. Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Christus.* An id etiam asserit sponsa, dum ait, *Ego dilecto meo*? Planè totum id debet dicere, & in se experiri, qui dilectum, & Dominum amat suum dici, & peculiariter esse intentum sibi. Ait Nyssen. hom. 15. in Cant. *Sponsæ voces Paulus imitatus clarissimè, cùm ait, se Deo viuendo, mortuum mundo factum esse, solúmque Christum in se viuere. Tantùm enim non clamat in verbis, nullam in ipso affectionem humanam viuere, non voluptatem, non iram, non metum, non fastum, non audaciam, non iniuriarum memoriam, non inuidiam, non honoris, non gloriæ libidinem, non quidquam eorum, quæ animum polluunt, sed solus Christus superest, qui nihil est horum. Etenim abrasis vniuersis, nihil in me habet, quod in Christo non sit, eáque de causa, vita Christus est, siue, vt sponsa loquitur, Meus est cognatus meus, & ipsius ego sum.* Itaque cùm me totum impendo pro Deo, cùm à me omnia abrado, quæ Dei non sunt, tunc solùm possum dicere, meum esse Deum, mihique peculiariter esse addictum. Nunquam, mihi crede, Dominus erit tibi Deus in particulari, nisi id cõparaueris multis; quòd enim Dominus nobis in particulari Deus sit, non est res conditionis, sed meriti. Hinc ad Heb. 11. *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini, & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere. Et siquidem ipsius meminissent, de qua exierunt, habebant vtique tempus reuertendi. Nunc autem meliorem appetunt, id est, cœlestem. Ideò non confunditur Deus vocari Deus eorum.* Expende, quàm sese pro Deo impendant antiqui Patres. Abraham, Isaac, & Iacob, Dei promissis credentes propria reliquerunt, facti in mundo peregrini, & hospites, nihil mundanum amantes, sed sola cœlestia requirentes. Quid inde? Ideò non confunditur Deus vocari Deus eorum, imò & pleno ore dicitur Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, quasi illis peculiariter in Deum cesserit. Aymon. fatur, *Ideò*, inquit, *quia illi Deo crediderunt, nihilque de terrenis sibi præsumpserunt, ad hoc vt in illis spem suam ponerent, idcircò non erubescit omnipotens Deus vocari Deus illorum. Sic enim ille dicit; Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, per fidem videlicet, vitæque meritum.* Ecce tibi vt res est meriti, & laboris, quòd Dominus vocetur, & sit in particulari Deus noster: fœlix ille, qui ea exhibet virtutum opera, quæ videns Deus non erubescat esse Deum illius. Ille enim qui dixit, *Ego sum Deus Abraham*, dicit Moysi Exod. 7. *Ecce constitui te Deum Pharaonis*; quasi ipse erubesceret dici & videri Deum hominis nequissimi, ideò iubet Moysi, vt sit Deus illius. Erubescit sanè Deus vocari Deus alicuius, qui id non comparauerit virtutibus multis.

Exod. 20.
Origen.
Cant. 6.
Ad Gal. 2.
Nyssen.
Ad Heb. 11.
Aymon.
Exod. 7.

Gen. 29.

Gen. 29. Profectus ergo Iacob venit in terram orientalem : Et vidit puteum in agro , tres quoque greges ouium accubantes iuxta eum , nam ex illo adaquabantur pecora , & os eius grandi lapide claudebatur. Morísque erat , vt cunctis ouibus congregatis deuoluerent lapidem , & refectis gregibus , rursus super os putei ponerent.

§. XX.

Dominica,& regalis virtus est , non vlli,aut alteri subditorum , sed omnibus æqualiter prouidere.

VIde bonorum pastorum morem , non vni aut alteri gregi accedenti puteus aperiebatur,sed *moris erat , vt cunctis gregibus congregatis reuoluerent lapidem , & refectis gregibus , &c.* Proh optimi pastoris mos! Regalis equidem virtus est , non ad vnum , aut alterum beneficia inclinare, sed sic illa continere,vt omnibus possint abundare. Hinc regalem, & dominatricem virtutem suam explicabat Dominus apud Ezech.c. 36.*Vt sciant gentes , quia ego Dominus , ait Dominus exercituum, cùm sanctificatus fuero in vobis coram eis:tollam quippe vos de gentibus , & congregabo vos de vniuersis terris,& adducam vos in terram vestram. Et effundam super vos aquam mundam , &c.* Ecce nobilissimi Domini,& pastoris promissio , qua eius dominatrix virtus exprimitur,non vnum, aut alterum reductum salutari aqua perfundet,sed *congregabo* , ait , *vos de vniuersis terris , & effundam super vos aquam.* Non vni venienti primo,sed cunctis ouibus congregatis salutaris aquæ beneficium ab optimo Pastore,& Rege, & Domino effunditur. Veri equidem,& diuini pastoris,&regis est,sic continere beneficia,vt tunc fluant , quando omnibus iunctis valent proficere ; ne exhauriatur à paucis,& primis.Quod notabat Paul.ad Hebr. 11.factum in politia regnantis Christi.Cùm enim oculos leuaret ad Patriarcharum greges , & Synagogæ iustos cubantes omnes iuxta Christi canales , ait : *Hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissiones , Deo pro nobis meliùs aliquid prouidente , vt non sine nobis consummarentur.* Venerant iusti illi primò , accubabántque omnes in fide Christi fontis, sed tamen non accipiont integram repromissionem,donec & nos accesserimus,& congregentur omnes.Vnde hoc ? *Deo pro nobis melius aliquid prouidente.*Vt erat prouidentia Dei,& summi omnium pastoris,& Domini, sic non statim ad primos accedentes effudit fontem , sed prouidit magis, vt congregarentur omnes,& cunctis ouibus congregatis reuoluit lapidem, vt de fontibus Saluatoris saturemur omnes. Nil vnquam regalis prouidentia,non commune,& ab omnib.participabile disponit. Vnde Corint. succenset Paul. epist. 1. c. 11. aiens: *Conuenientibus vobis in vnum , iam non est Dominicam cœnam manducare. Vnusquisque enim præsumit cœnam suam ad manducandum , & alius quidem esurit , alius autem ebrius est.*Hoc meritò reprehenditur in Corinthiis,nimirum , quòd eorum cœna,ad cœnæ Dominicæ imitationem,& memoriam facta,nihil Dominicum , nihil Regale sapiat. Et vnde probat nihil Dominicum esse in Corinthiorum cœna,nihil Regale ? Ipse rationem probationis affert,dum ait,*alius quidem esurit , alius autem ebrius est.* Equidem nihil Dominicum, nihil Regale sapit mensa,quæ vnum saturans , alium relinquit perire fame; quando quod Domini,& Regis est,omnib.communem cœnam,& curam habet. Chrysost.ibi fatur : *Itaque Corinthij ipsi primò sunt ignominia affecti , qui à mensa sua maximam abstulerunt dignitatem. Quonam pacto ? Quoniam Dominica cœna , hoc est , Domini , debet esse communis. Quæ enim Domini sunt , non huius sunt serui , non alterius , sed omnibus communia. Quod enim Dominicum est,idem & commune.* Quo minùs communis erat mensa,eo erat minùs Dominica,minus Regalis,quare Corinthij,esurientib.aliquib.relictis, alios dum pauent,in eam deuenerunt infamiam,vt omnem mensæ suæ abstulerint dignitatem , dum enim non communis est , non expectat omnes, nec est illi aliquis vel dominatus , vel regij decoris sapor. Hinc patet illius mens,qui vt ineptum regno ostenderet, ait Isaiæ c. 3. *In domo mea non est panis , neque vestimentum , nolite me constituere Principem populi.* Et cur vt se ineptum faciat regno,non potiùs dicit,se non habere aurum , non habere argentum?Cur maluit proponere solam inopiam panis?In pane enim beneficentiæ opera repræsentantur.quæ communiora sunt omnibus,& nemini negantur,nec etiam pupillo,neque pauperi.Sicque nullo magis exprimitur virtus Dominica, & Regalis , quàm in exhibitione panis. Hæc sunt verba Iacob Genes. 28. *Si dederit mihi panem ad vescendum , & vestimentum ad induendum : erit mihi Dominus in Deum.* Ecce tibi signum, quod sibi proponit Iacob ad dominatricem Deitatem clariùs internoscendam,& adorandam , nimirum , *si dederit panem,*cur non potiùs,si dederit aurum ? Aurum solis potentibus datur , panis communis est , & potentibus, & infirmis, & principibus,& pauperibus,ideò exhibitio panis,vt communior , sic euidentiùs vni principum summo , & regi regum Deo quadrat. Rupert. lib. 7. in Gen. c. 25. ait : *Nec verò solum panem spiritualis alimoniæ , sed panem quoque vitalem à Patre omnium flagitemus , vt illum quoque ex dono eius fateamur nobis esse , qui solus potuit , & dignatus est creare , non minùs Regi in solio fulgenti , quàm viduæ ad molam sedenti , necessarium panis alimentum.* Expende ab illis: *Qui solus potuit , & dignatus est creare , &c.* videtur enim auctor solus omnium Dominus, & rex Deus potuisse inuenire, & facere beneficium panis adeò commune & diuiti,& pauperi. Vt iam in inopia panis monstretur summa distantia à virtute Dominica , & Regali, quæ adeò est euidens in exhibitione panis, vt inde reprobus Angelus niteretur cognoscere Principem omnium creaturarum fatus Matth. 4. *Si Filius Dei es , dic , vt lapides isti panes fiant.* Nesciret equidem,qui pastor,& dominus non erat,sed seruus , & tyrannus alimentum facere adeò ex se commune diuiti,& pauperi. Quando regij spiritus proprium est solam respicere communem vtilitatem. Aiebat rex Gothorum apud Cassiod. 10.variar.31.*Amici Gothorum nulla promissionum mearum varietate frangendi sunt. Ad gentis vtilitatem respicere omne, quod agimus : priuatim nec nos amabimus. Hoc sequi promittimus,quod ornet regium nomen.* Hæc ibi.

Ezech.36. · Ad Hebr. · 1. Cor.11. · D.Chrys. · Isai. 3. · Gen.28. · Rupert. · Matt. 4. · Cassiod.

§. XXI.

Nunquam non iacuit Imperium , seu Respublica , seu familia,in qua non in omnibus,sed in vno,& fauores, & munera conglomerantur.

DVm pergit Iacob, *inuenit puteum in agro , tres quoque greges ouium accubantes iuxta eum.* Quod dum meditor , statim sese mihi ob oculos ponit piscina illa Bethsaida,de qua dicit Ioann. cap. 5. *Quinque porticus habens : in his iacebat multitudo magna languentium , cæcorum , claudorum , &c.* Ecce tibi iuxta puteum à Iacob inuentum,non iacent oues , sed cubant bene saturæ,aquam refectionis expectantes,vt lætantes omnes abeant:iuxta salutiferam piscinam non cubant læti , sed iacent infirmorũ,& languentium greges,& iacent in infirmitatibus suis per multorum annorum spatia.Et cur ad puteum illum nec vna ouis iacet , & ad hanc piscinam tot iacent ? In puteo illo moris erat,non permitti aquas nisi cunctis gregibus congregatis , vt sic nulli negaretur potus licèt serò appropinquanti,& vt erat communis refectio,sic erat communis salus. In piscina autem non omnibus , sed vni, & primo accedenti refrigerium totum dabatur,& vbi in vno solo beneficia omnia,& fauores conglomerantur,non miror, quod languentium iacentiúmque turmæ videantur. Sapienter D. Ambr.lib.2.de Sacramentis,cap.2.ait:*Facilè ibi multi ægri iacebant, vbi vnus tantummodo curabatur.*Et cur non iaceat tota familia,tota Respublica,totum regnum , vbi vnus tantummodo curatur , vnius sola commoda perspiciuntur , vnius augmentum amatur?Sanè nullo alio citiùs infirmatur,& minoratur familia,& regnum , quam dũ cæteris relictis totus siue parentis , siue regnantis animus circa vnum promouendum occupatur.Esdras,lib.4.cap.11.*Ascendebat de mari aquila , cui erant duodecim alæ , & capita tria. Et vidi,& ecce expandebat alas suas in omnem terram , & omnes venti cœli insufflabant in ea , & colligebantur. Et vidi, & de pennis eius nascebantur contrariæ pennæ , & ipsa fiebant in pennaculis minutis , & modicis.* Ostendebatur in hac aquila rex potentissimus , qui per vniuersam terram suum protendebat dominatum. Sed illud mirandum, quod quæ de huius aquilæ penniis pennæ nascebantur , *fiebant in pennaculis minutis , & modicis.* Cur è tanta aquila nati, non æque magni,non æquè fortes,& validi ? Cur sic omnes eius nati in minutias abeunt,& modicitatem?Non est mirandum,quòd aquilæ tãtæ familia infirmetur,minuatur,& quòd modica sit gens aquilarum;quando aquila iniquissima est in filios,dúmque se totã in vno solo promouendo occupat,apprimè exprimit fortunã tenuissimã parentũ,& Regũ, qui,relictis aliis,in vno filio seu subdito promouẽdo, occupantur.

Ioann.5. · Ambr. · 4. Esdr.11.

D. Anton. Iniqoissimum aquilæ ingenium sic depingit D. Anton. in Melissa, serm. 10. fatus: *Iniquissima circa pullorum educationem aquila est, alterum enim à duobus quos excluserit in terram deiectum pulsu alarum allidit, & alterum tantum educat. Huiusmodi, scilicet, parentes illi sunt, qui in distribuenda hæreditate erga liberos nemium inæquales se exhibent.* Iam non miror, quòd aquilæ gens minuatur, quòd potentia eius familiæ vergat in minutum, & modicum, quæ vni prospicit, dimissis aliis. Quo, & hominibus, & Deo redditur odiosa familia talis, & vt cæteri despiciuntur à parente, seu à Principe, sic & qui ab his solus curatur, despicitur à Deo, & in ruinam trahitur. Hinc *Leuit. 11.* Leuit. 11. aquila proponitur, vt omnibus abominanda: ait enim Dominus: *Hæc sunt, quæ de auibus comedere non debetis, & vitanda sunt vobis, aquilam, &c.* Ecce tibi vt aquila à Deo reiicitur, & odiosa fit omnibus, qui enim inæquales sunt, siue filiis, siue subditis, dum vni, aut paucis promouendis incumbunt, odiosi redduntur omnibus, & in ruina etiam dilectorum castigantur. Sic D. Nazian. in carmine ad Vitalianum, *D. Naz.* cum nomine filij despecti monet.

Quis metus hic etiam, Genitor, me concutit ingens,
Nec nos prosequeris, nec rursus amore sorores;
Has licèt, & manibus gestes, & ad æthera tollas.
Nam nobis tua tecta quidem sunt clausa, tuúsque
Vultus; at his cunctorum odium hac ratione parasti.
Nec etenim patrem lenem vni vult Deus esse.
Durum alij, infensúmque animo; vicibúsque frequenter
Mutatis, premit hanc nimium, quæ chara parenti
Progenies, à patribus vertens ad pignora pœnam.

Sic ille Vitalianum monet, qui totus in diligendis filiabus effusus, filios non curabat; quo timere debuisset totius familiæ diminutionem, & ruinam, quando despecti filij periclitabantur, & dilectæ odiosæ erant omnibus, & Deo ipsi, qui dum non sustinet hanc inæqualitatem, ad pœnam parentum, seu principum illis charissimos in ruinam trahit. Vt *Ambr.* meritò dicat D. Ambr. lib. 5. Exam. c. 18. *Quis reperit tam immitia patrum iura? Vnius diuitiis filij diuersa sorte caduntur. Alius totius paternæ sortis adscriptionibus inundatur, alius opulentæ hæreditatis patriæ deplorat exhaustam, atque inopem portionem.* Et planè immitia sunt iura illa parentum, & principum, & magistratuum iura, quibus, & filiis, & subditis sic inæqualiter prospiciunt, vt toti in vno, siue paucis dilectis promouendis, occupentur, nullam habentes curam de aliis, vel saltem paruam. Quo vniuersi filij, & subditi talium diuersa sorte perduntur, mactantur, dilecti, & communi odio, & summa prosperitate inundantur; alij opprimuntur inuidia, & paupertate. Et sic nunquam non languet, & iacet familia sub hac inæqualitate regnantium.

Genes. 29. Dixítque ad pastores: Fratres vnde estis? Qui responderunt de Haran. Quos interrogans: Nunquid, ait, nostis Laban filium Nachor? Dixerunt: Nouimus. Sanúsne est, inquit? Valet, inquiunt, & ecce Rachel filia eius venit cum grege suo. Dixítque Iacob: Adhuc multum diei superest, nec est tempus, vt reducantur ad caulas greges: date antè potum ouibus, & sic eas ad pastum reducite. Qui responderunt: Non possumus donec omnia pecora congregentur, & amoueamus lapidem de ore putei, vt adaquemus greges. Adhuc loquebantur, & ecce Rachel veniebat cum ouibus patris sui: nam gregem ipsa pascebat.

§. XXII.

Genealogiarum, atauorúmque studium post Christum viluit.

D. Aug. NOn erat Nachoris filius Laban, sed nepos, vt auctor est D. Aug. in locutionibus Genes. cur ergo Iacob ait ad Pastores: *Nostis Laban filium Nachor?* Cur per auum quærit Labanum, potiùs quàm per parentem? Erat hæc de auis, atauisque gloriatio antiquitus etiam apud sanctos, & probos viros *Gen. 32.* cultissima, quæ sanè post Christum prorsus viluit. Genes. 32. Angelus luctabatur cum Iacob, quem etiam benedixit, & *videns quòd eum superare non posset, tetigit neruum femoris eius, & emarcuit.* Et cur neruum femoris Iacob tactu suo Angelus fecit marcescere? Rem insinuat Rupert. lib. 1. in Matth. circa *Rupert.* finem, aiens: *Tunc tetigit neruum femoris Iacob, vbi benedixit ei, & statim emarcuit. Quid est hoc? Nisi quia sic rationabiliter futurū erat, vt postquam promissio compleretur, postquam his Iesus Christus nasceretur, iam extunc omnis apud Deum genealogiarum vetus diligentia, pro nihilo, imò & pro stultitia, vel fabulis haberetur.* Erat antiquitus apud sanctissimos viros in rememorandis auis, atauisque religiosa diligentia, & non parua gloria, quæ prorsus emarcuit post Christi aduentum. Iam Christo nato genealogiæ, & fumosæ auorū imagines, aut pro nihilo, aut pro stultitia, & fabellis apud Deo plenos viros habetur. Sic de se loquitur Paulus ad Philipp. 3. *Si quis alius videtur cōfidere in carne, & ego magis, circūcisus octauo die, ex genere Israel, de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, secūdum legem Pharisæus, secundū æmulationem persequens Ecclesiam Dei, secundùm iustitiam, quæ ex lege est, conuersatus sine querela. Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi, Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror, vt stercora.* *Ad Phil.* Ecce gloriosissimæ genealogiæ, & antiquissimorum auorum census, vt habentur à Paulo pro stercore, dum incipit Christi cognitionem habere. De quo Tertull. lib. 5. in Marc. in fine: *Tertull.* *Quæ retro lucri duxerat Paulus, quæ & supra numerat, gloriam carnis, notam circumcisionis, generis Hebræi ex Hebræo censum, titulum tribus Beniamin, Pharisæa candida dignitatem, hæc modò detrimentum sibi deputat. Hæc et si stercora existimat præ comparatione agnitionis Christi.* Sic apud veros Christianos, apud veros Christi discipulos pro stercore, & vilibus fabellis haberi debet longissimæ genealogiæ decor, & clarissimorum atauorum census. Quorum vanissima gloriatio, fallar, nisi maximum impedimentum sit Christo noscendo, & sequendo. Ioannes autem vbi baptismo suo incipit venienti Christo viam sternere, sic venientes ad baptismum excipit Matth. 3. *Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira?* *Matt. 3.* Nec paruam facit quæstionem Doctoribus, cur Ioannes adeò durè excipiat suo baptismo accedentes. Fuissent illi mali, & peruersi, tamen in præsentiarum boni erant, nihil mali faciebant, imò pœnitentes, relictis ciuitatibus ad eremum veniebāt, vt reciperēt baptismum pœnitentiæ. Cur non magis probantur à Ioanne? Cur sic duriter illos percutit? Nouerat Ioannes homines ex reuelatione Dei, venientes quidem ad Baptismum pœnitentiæ, sed inflatos esse nobilitate parentum, & auorum, quā inflationem tollere cupit, vocans eos progeniem viperarum, sciens hanc inflationem in illis causam perditionis esse. Ait D. Chrysost hom. 11. *Nec enim peccantes viderat, sed post peccata conuersos, propter quod nec increpare debuerat, sed laudare, atque suscipere: quia, vrbibus, ac domibus relictis, ad eremum cucurrissent, vt veritatem prædicationis audirent. Quid ergo dicemus? Non vtique illum absque ratione tanta seueritate fremuisse. Nam quia, reuelante Deo, cordis eorum occulta perspexerat, eósque superbum sapere de parentum nobilitate cognouerat, hanc illis perditionis esse causam, & hinc in vltimam eos præcipitare stobus esse desidiam, satis necessariè radicem arrogantiæ huius incidit.* *Chrysost.* Qui viam ad Christū præparabat, nil prius curabat, quā hanc perditionis radicē euellere, nimirum, gloriationem de nobilitate parentū. Quamuis enim sine peccato appareas, quamuis te te virtutum studiosū ostendas, quamuis, relicta patria, & domo paterna, ad eremū curras, vt inde limpidissimam veritatem meras, quamuis te pœnitentiæ Sacramentis sistas; si adhuc in corde tuo vana hæc gloriatio de parentum nobilitate seruet, radicem perditionis habes, quam Præcursor Christi euellat. Et nisi euellatur, hæc te Christo eripiet, & in ignem præcipitabit æternum. Hinc metuerim, multos nobiles inter studia virtutum, inter ipsa Sacramenta perire, quia deest illis Christi Præcursor, qui clamet, *Progenies viperarum*, qui superbiam de parentum nobilitate causam perditionis ab illis euat.

§. XXIII.

Virtutis specimen non in molli, & deliciosa, sed in aspera vita.

NOn in aureis lectis, pretiosísque tapetibus accumbens futura sponsa Iacobo ostenditur, sed per diei æstus, noctiúmque serena in montibus, vallibúsque errans, dum anxii custodit & pascit oues paternas. Quippe aiunt; *Ecce Rachel filia eius venit cum grege suo*; & quidem sic in vitæ duritie, &

tie, & asperitate ostendeoda erat illa, in qua nihil magia quàm virtutis speeimen Iacob requirebat. Nulli enim probabile est in molli,& deliciosa vita integerrimæ virtutis argumentum. Deuteron. 22. [*Deut.22.*] cauebat lex: *Non inducetur mulier veste virili, nec vir vtetur veste fæminea.* Quæ verba legit D. Cyril.Alexand. [*Cyr. Alex.*] *Non erunt vasa viri super mulierem, neque rursus vir inducetur stola muliebri: abominabilis enim est apud Deum, qui facit hæc.* Itaque lege cauetur, ne virorum ornatus,& vestes ponantur in muliere,nisi abominatiooem velis præstare Deo. Et quanta hæc turpitudo, quòd mulier appareat sub virili ornatu? Cur hoc adeò abominatur Deus? Sanè lex ibi non solùm cauet, quod exteroè ceroitur; sed intimiorem etiam prætendit sensum; in muliere enim dum mollitiea vitæ exprimitur, & in virili habitu opus fortitudinis, & virtutis ostenditur: nunquam noo malè olet apud Deum & homioes, qui in molli, & deliciosa vita, virtotis opinionem, & specimeo prætendit habere. Ait D.Cyrill.Alexand. lib.5. de Adorat [*Iarm.*] *Non erunt vasa viri super mulierem, quoniam abominatio est in conspectu Domini, quisquis hoc fecerit, nam aequè abominatur Deus, ac turpissimã spectaculum putat fortitudinis opinionẽ in molli vita, hoc enim est, esse vestes viri super mulierem.* Huc perueniunt, qurdum toto conatu vitæ asperitates fugiunt, & in deliciis amant esse, quidquid molle, quidquid suaue est, quidquid deliciosum amplectentes, nihilominus fortitudinis,& strenuæ virtutis opiotooem prætendunt. Sanè hi mulieres suoe in ornatu virili facicotes abominationem,& turpissimum spectaculum hominibus & Deo. Nunquam, mihi crede, in molli,& deliciosa vita veræ virtutis, veræque fortitudiois opinio, & speeimen fundatur, sed in dura, & aspera. Hinc Dominus vt Ioannem osteodat fortiter, & constanter virtuti incumbere, ab illo remouet vel suspicionem delicatioris vitæ. Ait enim Matth. cap. 11. [*Matth.11.*] *Sed quid existis videre? Hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt.* Cur in domibus Regum? Nonne & mollis vestitus,& mollis,& deliciosus habitos posset iouenri etiam in iis, qui in domo Dei, in domo teligioois sunt? Cur de illis pronuntiat, quòd solùm in domo Regum inueniuntur? Sanè mollis ornatus,& cultus nunquam designat homines Deo,& virtuti addictos, sed muodo. A molli vita, vel ab aspera dignoscuntur, qui muodo militant, aut virtuti, vt qui virtutis alumnus est, quidquid molle fit,& deliciosum à se abiiciat. Ait io præsenti Amon. [*Amta.*] *Qui pro terreno regno militant, molles vestimenta requirunt; Ioannes ergo quoniam pro cœlesti regno militat, habitaculum carceris diligit, mollia vestimenta aspernit, à delectationibus seculi istius alienus existit.* Crede mihi, ounquam opus virtotis producitur à molli, sed ab aspera, & laboriosa vita: nec Rebecca, nec Rachel, quæ io saoctissimæ familiæ matres deligebantur, à diuite stratu, seu molli culcitra; sed à laboriosis officiis assumebantur. Nec hoc otiosè fiebat, sed vt ostenderentur non in deliciis, sed in laboribus posse inuenire virtutum partus. De se loquebatur Moyses Deuteron. 9. [*Deut.9.*] dicens: *Quando ascendi in montem, vt acciperem tabulas lapideas pacti, quod pepigit vobiscum Deus & perseueraui in monte quadraginta diebus, ac noctibus, panem non comedẽs, aquam non bibens.* Et cur tam longa abstinentia, imò & tam dura? Cur necessum fuit illam asperrimam vitam protendere vsque ad quadraginta dies? Si medicos consulas, per quadraginta dierum spatia formatur io matris vtero sexus virilis; & cùm cooderentur sanctissimæ illæ leges, per quas ostendebantur virtutum mascularum opera, quibus populus debebat reformari Deo; similiter debuerunt præcedere totidem asperitatis, & abstinentiæ dies, oe crederetur posse esse partus virtutis à molli, sed ab aspera vita. Ait Cyrill. Alex. lib.8. de Adorat. [*Cyr. Alex.*] *Ferunt igitur, fœtum in vtero vix tandem ad humanã speciem effictum videri, & ad figuram nostri corporis tunc accedere, cùm ipsi numerus quadraginta dierum expletus fuerit: ideòque aiunt, Moysem illum virum optimum, tùm Israelis populum ad vitam secundùm legem ducendam iterum quodammodo parturiret, ac reformaret, cibo & potu abstinuisse: panem, inquit, non comedi & aquam non bibi quadraginta diebus.* Itaque tot dies asperitatis, & abstinentiæ debent esse, quot fuerint dies formationis religiosæ vitæ. Vt nullus homo in vitam animalem formatur nisi post qoadraginta dies; sic nullus homo formatur in vitam virtutis, nisi post longam laborum tolerantiam, post plenam ieiuniis, & asperitatibus vitam. Ex hoc lucem capit vox illa D.Paol. ad Galat. 4. [*Ad Gal.4.*] *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Et quidem formatio fœtus non fit per parturitionem; sed ante parturitionem formatur fœtus, dum gestatur io vtero. Quare satiùs dixisset, quos iterum concipio, & in vtero gero, donec formetur Christus in vobis: cur ergo, ad formationem illorum, non meminit Paulus gestationis in vtero, sed parturitionis? Tempus gestationis in vtero solet esse matribus tempus vacandi deliciis, quidquid tunc appetunt, accipiunt, a molestiis, à ieiuniis, ab omni vitæ duritie abhorrent, tempus autem parturitionis, tempus est doloris,& angustiæ: vt autem Paulus de reformatione filiorum in Christo per virtutes loquebatur, sapienter cauit oominare tempus, quod petat delicias, sed relicto gestationis tempore, parturitionem meminit, io qua suot angustiæ,& pressuræ, de quibus solis ostendi potest partus virtutis.

§. XXIV.

Puella, dum ab amatoribus suis, siue inter sydera, siue inter Deas censentur, non ornantur, sed fœdantur.

SVffecerat dixisse: *Ecce Rachel veniebat cum ouibus patris sui;* sed insuper illud addidit, *nam gregem ipsa pascebat.* Quis hoc diceret de pulcherrima poella? Quis oon magis stuperet ad eius venustatem? Quis non contenderet oues adesse, non vt ab ea pascereotur, sed vt eius litarentur aris? Quis pulchritudinem tantam diceret Labani filiam pascentem oues patris,& non potiùs Diaoam in syluis transformantem spectatores suos io brutam stoliditatem? Fac ergo bona verba, & non dicas, *nam gregem ipsa pascebat*; sed pastores illam adorabant, vt Deam syluarum,& greges illi litabantur; vel si mauis, ipsa non oues, sed stellas, vt luna ductabat. Sic insaniunt amatores puellarum, & dum illas de humanæ fœlicitatis sinceritate,& simplicitate deturbant, eò deducunt, vt in Dei offeosam cadant & mille turpitudinibus, & fœditatibus subiaceant. Do testem Tertullianum, [*Tertull.*] qui de amatoribus quibusdam puellarum sic loquitur, lib. de mulieb. habit. *Illud ipsum bonum naturalis decoris, vt causam mali, sic remunerauerunt, ne eis profuisset fœlicitas sua, sed vt deuecta de simplicitate, & sinceritate, vna cum ipsis in offensam Dei peruenirent.* Sanè miseri spectatores illud ipsum bonum naturalis decoris, sic remunerauerunt, extollentes ad astrorum splendores, ad appareotias Deitatis, ne eis puellis proficeret fœlicitas sua, sed deuectæ, hoc est, proiectæ de simplicitate, & sinceritate humani decoris, dum sibi affingunt diuinitatis illa mendacia, Dei flagello expositæ corruptionis,& turpitudinis immunditiis obscurantur. Et cui noo subiaceat fœditati, quæ gaudet haberi super natales humanos? Ait Genes. 6. [*Genes.6.*] *Et cùm vidisset Deus terram esse corruptam, &c.* & nunquam non miratus sum, quòd vniuersa terra corrupta esse dicatur. & præcipuè illis temporibus, quando terra summo in honore habebatur. Tunc homines adeò erant terreni, vt cœlestia obliti, vel ipsos montes, vel lucos, vel fluuios, vel footes adorarent. Et qualiter fieri potuit, quòd terra appareret immersa corruptionis fœditati, quando vel ab hominibus adorabatur? Imò nuoquam magis terra sorduit, nunquam magis fœda,& turpis apparuit, qoàm vbi à natiuo decore deiecta ad diuinas compellationes extollebatur. Ait D. Chrysost. orat. de Iocaroat., apud Biblioth. Photij: [*Chrysost.*] *Non erat creatura talis, qualem initio eum Deus crearat. Non erat stellis cœlum, vt antea splendens sine vlla macula. Non dabat terra, vt prius fructus puros, nec mare, nec aliqua alia creatura. Praeuaricator enim in eam ingressus contaminauit, ac fœdauit omnia, fontes, & fluuios idolis, & nymphis, statuisque complendo, omnes res conditas in Deos homines formabant. Nihil autem sic creaturã maculat, & adulterat, quàm si in Deam conflectat.* Cùm mundus, cùm creatura omnis natiuo suo splendore fulgebat, proficiebat singolis fœlicitas sua, in summo honore, & decore habebantur, colebantur. Sed vbi à naturæ sinceritate deiecta terra cœpit Dea putari, & in Cerere adorari, & fluuij, & footes, & vniuersa mundi decora pro diis celebrari cœperuot; protinus omnia maculantur, fœdantur, & sub corruptionum fœditatibus coniecta apparent. Sic puellæ, dum naturali decore gaudent, dum in sinceritate natalium suorum vitam agunt, & floridæ sunt, & in honore habentur maximo. Vbi autem ab spectatoribus suis, & amatoribus incipiunt Deæ, & fulgentissima cœli astra prædicari, celebrari, in maximas statim prolabuotur fœditates,& mille corruptiooibus subiectæ apparent.

§. XXV.

Qui Ecclesiæ Christianæ adhærescunt, possunt è sinistris hœdis, in dexteras oues saluandi gregis transmutari.

VEniebat Rachel cum ouibus patris sui, nec in Rachelis grege hœdi, sed oues numerantur; vt in illa virtus Ecclesiæ effulgeat Christianæ, cui qui adhæescunt, è sinistris hœdis, in oues salutis mutantur. Cant. 4. *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es. Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascenderant de monte Galaad.* Caprarum greges de monte Galaad venientes agnoscit Dominus in sponsæ suæ comis; & quidem in caprarum genere gens reproborum intelligitur, sicut per Galaad vastissimi montes gentilitatis. Cur ergo, Domine, in sponsæ tuæ capite caprarum genus tibi infensum, & sinistrum ponis? Cur non magis illi aptas greges ouium, quæ ad dexteram tuam constitutæ æternam benedictionem audient? Manebuntne sinistri hœdi in pulcherrimæ sponsæ capite? Absit: imò si vt capilli capiti inhæreseunt, ita hœdi ipsi Ecclesiæ adhærent Christianæ, non mirum erit, si inde possint in fœlicissimas oues à Deo mutari. Ait D. Nyssen. hom. 7. in Cant. *Sic præclarus ille pastor, acceptis caprarum gregibus, nouit caprilia montis Galaad in ouilia commutare: vt ij, qui in gentibus præclarum illum pastorem secuti sunt, in ornata sponsæ capillorum nomine censeantur. Nec enim à Sione monte sancto sanctum est huiusmodi vitæ initium, sed addicta simulacris natio, tandem tempore vitam suam immutauit, vt præclara virtutibus sponsæ caput exornet.* Non solùm qui in Sione monte sancto morabantur, sed & capræ, & hœdi ipsi maledictis obnoxij, qui in monte Galaad, in vasto gentilitatis, idolis seruiebant, Ecclesiæ adhærescentes capiti à diuino pastore in ouilia fœlicissima mutantur, & non paruum Ecclesiæ tribuunt ornatum.

Cant. 4.

Nyssen.

Gen. 29. Quam cùm vidisset Iacob, & sciret consobrinam suam, ouésque Laban auunculi sui; amouit lapidem, quo puteus claudebatur. Et adaquato grege osculatus est eam: & eleuata voce fleuit. Et indicauit ei, quòd frater esset patris sui, & filius Rebeccæ.

§. XXVI.

Alacer, & festinus ad eam virtutem raperis, in qua tuorum lucrum spectas.

NOn potuit Iacob suæ virtutis specimen non præbere; primò enim vt vidit oues sitibundas fonti accubare, pastores monet, vt lapidem amoueant, oues adaquent, & ad pastum reducant: ait enim: *date autem potum ouibus, & ad pastum reducite,* sic ouibus consulebat, sic ad ouium vtilitatem mouebatur, vt & auxilio esset, quo ipsæ biberent, & ad pastum redirent. Substitit tamen paulisper certificatus de magnitudine lapidis occludentis fontem, & de more gentis, non illum remouentis nisi congregatis cunctis gregibus. At vt vidit Rachelem consobrinam accedentem, & vidit oues auunculi sui Labani, nihil moratus, nihil veritus, lapidem solus aggreditur, illum remouet, ouibus aquam præbet. *Quam cùm vidisset Iacob, & sciret consobrinam suam, ouesque Laban auunculi sui, amouit lapidem, &c.* Antea cupiebat auxilium præstare ouibus; cupiebat pastoribus fauere, sed veritus regionis morem, non aggreditur facinus, modò vt adaquet Rachelis oues, nihil moratur, nihil veretur, sed intrepidus aduolat, & solus magnum lapidem intentat amouere. Cur modò sic alacer, sic intrepidus ad facinus currit, quod antea verebatur? Modò cognouit, in virtutis opere esse etiam suorum lucrum, nouit Rachelem consobrinam, nouit oues sitibundas auunculi sui esse, & audacissimus virtutis opus aggreditur, quod sciret in suorum etiam cedere emolumentum. Sodomorum captiuitatem audiuit cum ingenti animi compassione Abraham, sed & simul excepit, quòd consobrinus suus Loth captus fuerat. Quid tunc? Ait Genes. 14. *Quòd cum audisset Abraham, captum videlicet Loth fratrem suum, numerauit expeditos vernaculos suos trecentos & decem & octo, & persecutus est eos vsque Dam: : . Reduxitque omnem substantiam, & Loth fratrem suum, &c.* Magnum pietatis opus est captiuos homines ab hostium manibus liberare, & condolere illis, quòd si Abrahamus super captiuis condoluit, nunquam tamen pro illis liberandis vsque nunc decertauit. Vnde ergo modò habuit Abrahamus, quòd sic captiuis condoleret, vt pro illis curreret ad certamen? Erat in horum captiuorum libertate sui consobrini libertas; vbi autem accepit cum capta Sodoma, & consobrinum captum, nihil veretur, nihil moratur, sed audacissimus hostiles copias cum paucis insectatur. Vt meritò dicat D. Cyrill. Alex. lib. 4. de Adorat. *Vides, quam prompté sint ad audendum sancti viri, quámque sponte sua ad subeunda pericula propensi, simul enim atque audiuit ipsum Loth in discrimen venisse, misertus est propinqui calamitatem, arreptisque vernaculis celeriter profectus est aduersus eos, qui dolorem intulerant, liberauitque è captiuitate tum ipsum filium fratris Loth, tum cæteros.* Multa erant, quæ Abrahamum detinerent, & belli discrimina, quæ nunquam subierat, & hostium fortitudo, & vernaculorum opera necessaria ad domestica officia. Quibus impeditus hærebat, contentus præstitâ à se esse compassioné captiuis; ast vbi nouit Lothi propinqui sui lucrum, si liberarentur captiui, pacatissimus homo non dubitat bellorum subire discrimina, & audacissimus currit in liberandorum captiuorum opus pientissimum, quod suis erat profuturum. Multi sunt, qui compassionem habeant ad infirmos, qui illis succurrere, & assistere vellent, sed difficultatibus impediti, hærent contenti, quòd bonam voluntatem præstiterint. Interea infirmatur amicus, infirmatur filius, tunc omnia negotia dimittuntur, & neglectis sumptibus, & labore, id solum attenditur, ne quid charitatis erga infirmum desit. O quàm promptè, & alacriter arripitur opus virtutis, cui annexus est nostrorum affectus. Mortuo Iuda Machabæo, & Ionatha capto, Iudæorum res adeò posita in arcto erat, vt viderentur Iudæi prorsus eliminandi à terra. Sic enim de illis aiebant vicinæ gentes, Machabæorum 1. cap. 12. *Non habent principem, & adiuuantem, nunc ergo expugnemus illos, & tollamus de hominibus memoriam eorum.* Ergo extinguendi penitus Iudæi? Vbi est illud diuinum decretum, quòd filius Dei nascatur in mundo Iudæus ex Iudæis? Cui committat Deus, quòd tantam virtutem peragat, vt se deuoueat pro liberanda penè deplorata gête, ex qua Deus nascatur? Habet equidem Deus validissimum contemptorem difficultatum, fortissimum virtutum propugnatorem, nempe affectum propria tuendi, quando is in homine virtuti militare permittitur. Ecce Machab. 1. cap. 13. ait Simon: *Et nunc non mihi contingat parcere animæ meæ in omni tempore tribulationis: non enim melior sum fratribus meis. Vindicabo itaque gentem meam, & Sancta, natósque nostros, & vxores.* Expende, quòd primùm posuit *gentem meam*, deinde addidit, *& Sancta*, postremò ait, *natósque nostros, & vxores.* Sancta in medio posita sunt, & suæ gentis, & natorum suorum: quemadmodum enim solent medicæ pillulæ hinc inde circumdari, & auro tegi, vt alacriùs sumantur ab infirmo, sic Sancta hinc inde circumdátur filiorum, & gentis propriæ affectu, & inde fortissimè, & maximè strenuè illa homines tuentur. Quò respiciens Ruper. lib. 10. de vict. cap. 2. *Hoc admiramur in laude Verbi Dei, quòd multu amorè præcordialiter infudit conseruandi generis sui, atque defendêdi, de quo nasci oportebat Dei filium secundùm promissionem.* Ecce tibi, quo medio vsus est Deus, vt sancta ab hominibus defenderentur, infudit illis affectum circa propria talem, qui militare posset sanctis ipsis tuendis, sic animosè assumitur sanctitatis defensio.

Gen. 14.

Cyr. Alex.

1. Mach. 12.

1. Mach. 13.

Rupert.

§. XXVII.

Perfecti viri etiam inter durissimos viuendi rigores, & asperitates, teneritudinem seruant, qua facilè vinci possunt, in vtilitatem alterum.

QVis in homine asperrimæ vitæ sectatore teneritudinem expectaret aliquam? Et sanè Iacob dum pedes viam conficit, dum humi cubat, imò dum super lapidem dormit, dum delicias omnes abiurat, & nihil asperum non assumit, vbi ad Rachelem peruenit, sic tenerescit, vt se in fletum dissoluat. Ait enim textus: *Eleuata voce fleuit.* Credidissem, ô Iacob, post tot vitæ tuæ, professionis tuæ duritìes, in te lapideum esse rigorem, nisi aliud mihi persuaderet humor iste dilapsus ab oculis. Et quidem hoc est proprium perfectorum virorum, inter ipsos vitæ rigores, & asperitates non obdurari penitus, sed eam teneritudinem seruare, qua in aliorum vtilitatem facilè flecti possent. Ait Dominus Leuit. cap. 6. *Decimam partem Ephi efferent simila in sacrificio sempiterno, medium eius manè, & medium eius vespere: quæ in sartagine oleo conspersa*

Leuit. 6.

Origen. D. August.

conspersa frigetur. Offeret eam tali dam. Origen. ibi: *Offeret eam teneram.* D. August. quæst. 15. *Offeret eam fressam sacrificium de fragmentis.* Itaque in simila, quæ in sartagine torretur, id præcauet Dominus, vt tenera offeratur, & in frusta minutissima apiata, vt facilè frangi possit. Et cur in frixa simila id cauet Dominus, nisi vt ostendat illud esse perfectum sacrificium, illam esse perfectam sanctitatem, quæ in media vitæ asperitate, in ipsa sartagine, in qua torretur, non durescit ad alios, sed flexibilitatem, & teneritudinem seruat? Au D. Cyrill.

Cyril. Alex.

Alex. lib. 12. de Adorat. *Quibus in verbis nobis significatur, in sartagine quidem laborum perpessio, in eo, quod ex fragmentis offertur, sanctorum virorum cordis quodammodo teneritudo, atque eiusmodi mollitudo, vt frangi facilè possit: Illi enim vita, quæ est ex omni parte, atque plenè sancta, laborum perpessio, & spes reposita apud Deum, amplissima, & tenera quædam, ac mollis affectio coniuncta est, nam duritiei certè minimè illi conuenit.* Vt rari sunt, qui vitæ attingant perfectionem, sic sunt rari, qui ex asperitate exercitiorum non asperi fiant, & ex cubatione in lapidibus non lapidescant, & sic durescant ad omnes, vt nil molle, & blandum ex eorum audiatur ore. At qui ex omni parte, & plenè sanctam, & perfectam vitam agunt, sic se componunt, vt illis, & laborum perpessio, & asperrimus rigor, & mollis quædam affectio erga fratres existere possit. Quis rigidior? Quis asperior in vita, quàm Paulus? In laboribus, in periculis, in carceribus impauidus, lapideus; inter fratres totus suauis, & teneritudine confractus. Ipse ait Act. 21. *Quid facitis flentes, & affligentes cor meum?* Sanè perfectæ Pauli vitæ erat, & laborum passio, & mollis affectio, qua erga fratres vincebatur. Chrysost. hom. 4. in epist. ad Coloss. *Cogita mihi quæso, Paulus ille adamantinus, igniscontemptor, robustus, & immobilis, timore Dei confixus, inflexibilis. Quis enim, inquit, nos separabit à charitate Christi? Afflictio? An angustia? an fames? an nuditas? an periculum? Qui in omnibus restitit, & adamantinas inferorum portas derisit, is inquam, Paulus cùm videret quorundam lacrymas, ita perfrangebatur adamas ille, vt animi affectionem non abscondere, sed mox diceret. Quid facitis flentes, & affligentes cor meum?* Sic sacrificium Pauli erat de fragmentis, vt tyrannorum incus, ad fratres tenerescerer, & penitus frangeretur. At dum asperrimæ vitæ sectatores memoro tenerescere, non possum obliuisci Ioannem Baptistam. De illo D. Chrysostom. fatur, hom. 38. in Matth. *Dum in deserto erat, neminem vidit vaquam consortorum, nec ab aliquo visus est. non lacte nutritus, non lecto susceptus, non tecto, non foco, non alia re humana vsus est, tamen mitis simul & acer, mitis discipulis, asper Iudæis.* Miraculum fuit perfectissimæ virtutis in Ioanne existentis, quòd nulla re humana vsus, humanitatem non exueret, sed discipulis tenerescceret. Huc trahe dicta 2. tom. in Euang. lib. 9. cap. 5. §. 1.

Act. 21. Chrysost. Chrysost.

Genes. 29. At illa festinans nuntiauit patri suo. Qui cùm audisset, venisse Iacob filium sororis suæ, occurrit obuiam ei: complexúsque eum, & in oscula ruens duxit in domũ suam. Auditis autem causis itineris, respondit: Os meum es, & caro mea. Et postquam impleti sunt dies mensis vnius, dixit ei: Num, quia frater meus es, gratis seruies mihi? Dic, quid mercedis accipias. Habebat verò duas filias, nomen maioris Lia, minor verò appellabatur Rachel. Sed Lia lippis erat oculis, Rachel decora facie, & venusto aspectu. Quam diligens Iacob ait: Seruiam tibi pro Rachel filia tua minore septem annis. Respondit Laban, melius est, vt tibi eam dem quàm alteri viro, mane apud me. Seruiuit ergo Iacob pro Rachel septem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.

§. XXVIII.

Veritas, vel nuda, potentissima est, vt persuaderi faciat.

HOmo solus, peregrinus, pauper, incomitatus, & pedes longissimam terens viam, dicit, se ditissimi, & opulentissimi Isaaci esse filium, & hæredem, & creditur: & hoc audito occurrit ei obuiam Laban auunculus, *& in oscula ruens duxit in domum suam. Auditis autem causis itineris, respondit, Os meum, & caro mea es.* Quibus tam citò persuasus fuit Laban? Sanè in Iacob nihil erat, quod signaret patris diuitias, imò erant multa, quæ paupertatem signarent, sed erat in illo veritas, quæ vel nuda, suis ex mentibus humanis extorquet fidem. Hinc cauebat lex Deuteron. 16. *Non plantabis lucum, & omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui.* Apud gentes idolorum altaria lucis circumcirca plantatis ornabantur, vt arbores floribus pulchræ, & fructibus diuites, & frondibus vmbrosæ magis caperent hominum animos, & eos ad diuinitatis cultum allicerent. Cur ergo Deus ab altari suo similem abiicit ornatum? Cur non magis vel florum, vel pulchritudinum aliarum ornatus cesserint in commendationem altaris diuini? Equidem in Dei Israelis altari veritas erat, quæ nullo ornatu indiget, sed, vel nuda, potens est sibi facere fidem. Pulchrè D. Cyril. Alexand. lib. 10. de Adorat. ait: *Gentiles, sicubi densas arbores, locúmque totum abundè opacum deprehenderant, ibi aras ad dæmonum sacrificia extruebant, scilicet, opus erat dæmoniorum aris, tanquam aberrationem quandam animi, ac fabulares oblectationes adiunctas esse; nam falsitas ipsa per se infirma est, adhibitis autem extrinsecus fucis ornatur, vt turpes muliercula solent. Illud porrò diuinum altare cum pulcherrima veritatis specie fulgeret: quænam extrinseca adiumenta, aut vana ornamenta requireret?* Mihi crede, in quo veritas est, nullo ornatu indiget, vbi auditorum animos deuinciat. Ornetur mendacium, pulchrósque colores induat, addatque rhetorum fucos, & artificia; veritas ipsa, nuda, & incompta, & simpliciter prolata triumphat. Apud Ioan. cap. 7. mittunt Pharisæi ministros, vt comprehendant Iesum, qui dum accedunt: *In nouissimo die festiuitatis stabat Iesus, & clamabat dicens: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Ad hæc Iesu verba stupuerunt multi, & illum verum Christum confessi sunt. Sed comprehensuri illum ministri, quid fecerunt? Ait Ioann. *Venerunt ergo ministri ad Pontifices, & Pharisæos. Et dixerunt eis illi. Quare non adduxistis illum? Responderunt ministri, Nunquam sic locutus est homo; &c.* Et quidem ministri multa audierant a Pontificibus, & Pharisæis aduersus Christum, a Christo autem pauca, & simplicissima verba accipiunt, dum solùm aiebat de se: *Qui credit in me, flumina de ventre eius, fluent aquæ viuæ.* & ad hæc stupent, & paucis iis sic captiuantur, vt fidẽ Christo habeant. Cur tam paucis capiuntur, qui tam multis Pharisæorum verbis arcebantur? Erat in verbis Iesu veritas, quæ etiam nuda, & inermis scit inter hostes triumphare. Chrysost. homil. 51. in Io. *Atqui breuem Christi audierunt orationem. Tanta enim veritas est, vt incorrupto animo longis sermonibus minimè opus sit.* Nunquam eget multis veritas, non eget ornatu, sucóque rhetorum, non eget Dialecticorum artificiis, non oratorum coloribus, sed, vt nude proposita, scit omnium animos deuincire. Et quando fuit veritas minus valida? Nonne dum Dei filius iudici Romano sistitur? Equidem tunc mendacia regnabant in vniuerso mundo, veritas tantis erat errorum tenebris occlusa, vt vel eius vocabulum penitus esset ignotum hominibus. Tunc autem apud Ioann. cap. 19. dicit Iesus: *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati; quieest ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas?* Ecce tibi paucissima fecit Iesus verba de veritate, quæ tunc penitus erat ignota mundo, & tamen sic capitur Pilatus, vt statim vel abditissimam veritatem inquireret. Quod notans Theophylactus, inquit: *Paucis illis verbis Pilatum rapuit, atque ita, vt de veritate interrogaret, quid sit? Fermè enim inter homines abolita erat, & ignorabatur ab omnibus.* Et quando veritas adeò infirma existebat, vt prorsus ignoraretur, & ferme esset inter homines abolita, tunc Iesus, qui etiã habebatur infirmissimus, catenis vinctus, illam nudissimè meminit, & statim rapuit Pilatum, & sic eum rapuit, vt ad inquisitionem illius prosiliret. Et, quod mirere magis, quæ simplex, & nuda tantas vires habet, si adornetur, si comatur, si armetur, solet perdere omnes vires suas. Hinc plorat Petrus Damian. Ducis Tusciæ sortem, cui nunquam accedebat veritas nisi compta, & mille coloribus picta. Ait enim lib. 7. epist. 11. *Quidquid tibi planè dicendum est, prius accuratè componitur, & quasi fabrilis instrumentis studio cuditur, ac politur. Et ò infœlix, & deceptioni semper obnoxium mundana fastigium dignitatis.* Hæc est infœlicitas principum, quòd ad illos non perueniat veritas simplex, & nuda, sed composita, & ornata, & compta, quæ sic minimè ostendit vires suas, imò sæpe in deceptionis occasionem inducit.

Deut. 16. Cyr. Alex. Ioann. 7. Ioann. Chrysost. Ioann. 19. Theoph. Petr. Dam.

§. XXIX.

§. XXIX.

Præsentia præmij pro illo obtinendo absumit labores.

PRo Rachele seruit Iacob septem annis, *& septem anni videbantur illi pauci dies, præ amoris magnitudine.* Nescio quomodo amanti, & ardentissimè amanti septem anni videri possint pauci dies; cùm potiùs vnus dies mille anni soleat videri amãti, vbi differtur ei exhibitio rei amatæ. Quis amans sub dilatione longa non perit? Quis non incusat Solis tarditatem, dum non accedit hora, in qua possint eius desideria saturari? Quæ cùm ita sint, nescio vnde Iacob sic amoris ardentissimi impatientiam temperabat, vt septem annos dilationis optatissimarum nuptiarum, sic haberet, ac si essent dies pauci. Vnde hoc? Sanè præ oculis habebat singulis momentis sui laboris præmium, cuius præsentia fruebatur, præsentia autem præmij sic laborantes occupat, quasi nil laborarent. Ad hæc pulchrè aiebat Nazian. orat. 24. fatus: *Ac profectò vel vnicus dies, totius vitæ humanæ instar est desiderio laborãtibus. Sed illud in Iacob mihi alio modo se habere videtur, qui pro duabus virginibus quatuordecim annis Labano seruiens haudquaquam labore frangebatur. Erant enim, inquit, omnes illi dies, quasi dies vnus, quòd caram amore flagraret. Causa rei hæc fortasse causa erat, quia rei expetitæ conspectu fruebatur.* Ecce tibi cùm vnus dies dilationis instar totius vitæ soleat esse amantibus, Iacobo multi dies pro vno habebantur, quia rei amatæ præsentia fruebatur. Nunquam enim præsentia præmij non præoccupat laborantes, ad hoc vt se nihil putent laborare. Actor. 7. ait Stephanus: *Video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei.* Quid deinde? Lapidum rabidissimi nimbi in illum à Iudæis mittuntur, inter quos ipse positis genibus clamat, *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Nil de vulneribus suis loquitur, nil de ictibus lapidum, quibus totus frangebatur, sed magis aliorum curat lapsus. Cur non magis tua vulnera meministi? Cur non magis dolores tuos Deo recensitos offers? Vbi præsens iam præmium videbat, non æstimat vllos perferre dolores. Ait D. Hilarius Arelat. ibi: *Vide, quòd spectantis intuitus armat constantiam triumphantis? Dignè patentibus cæli portis comparatur cælum, bella desudant, at si dum occupatur in stupore, & amore cælestium Stephanus, non turbatur duro imbre saxorum.* Dum nobilis Christi athleta præ oculis habet Christum, sic præsentis præmij visione occupatur, vt pro nihilo habeat suos labores, suas plagas. Paul. 2. ad Corinth. 12. in cœlum dicitur assumptus, ait ipse: *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, raptum huiuscemodi vsque ad tertium cælum.* Qui raptus contigit Paulo statim in initio suæ conuersionis, vt videre licet apud nostrum Lorinum in Act. c. 9. post quem raptum, quis numeret Pauli labores, & ærumnas, & plus omnibus laborauit, in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, vt ter virgis cæsus, vt semel lapidatus, vt ter naufragus, vt sæpè in periculis fluminum, in periculis latronum, periculis in falsis fratribus? Quæ omnia dum alij stupent, ipse de illis ait 2. ad Corinth. 4. *Id enim quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ.* Momentaneum vocat tot annos tribulationis; leue putat tantum laborum, & ærumnarum pondus. Vnde sic apud Paulum tot tribulationis anni euanuerunt, vt momentum reputentur; nisi ea eo quòd raptus in cœlum, ea tunc semper habuit præ oculis, vt præsentissima, præmia Sanctorum? Chrysostom. lib. 1. de compunct. cordis, fatur. *Paulus vbi perspexit illa, quæ in cælis sunt, contempsit ista, quæ egestatis, & squaloris in terra plena sunt, & cũ hominibus quidem pro necessitate corporis conuersabatur, mente verò, & solicitudine totum se illuc transferebat, quò eum amoris sui ducebat intentio, etiamsi triste aliquid perferebat, animo ibi occupato non sentiebat. & si delectabile, & suaue aliquid videbatur, illa delectatio, illa suauitas, quam per spiritum contrahebatur, delectationis huius suauitates obscurabat. In tantum enim succensus erat igne Christi, vt et etiamsi flammas mortales adhibeas, nesciat, non sentiat, non vratur.* Ecce quid Christi visi faciebat amor in Paulo, sic occupabatur dilecti visione, vt nihil aliud sentiret nec suaue, nec amarum.

Nazian. — *Act. 7.* — *D. Hil.* — *2. Cor. 12.* — *2. Cor. 4.* — *D. Chrys.*

Gen. 29. Dixitque ad Laban: Da mihi vxorem meam: quia tempus impletum est, vt ingrediar ad illam. Qui, conuocatis multis amicorum turbis ad conuiuium, fecit nuptias, & vespere Liam filiam suam introduxit ad eum, dans ancillam filiæ Zelpham nomine. Ad quam cùm ex more Iacob fuisset ingressus, facto mane vidit Liam: & dixit ad socerum suum. Quid est, quod facere voluisti? Nónne pro Rachele seruiui tibi? Quare imposuisti mihi?

§. XXX.

Iniquissimum, & damnosissimum parentum facinus est, quòd filiabus consulant, vt virgines pudoris prostitutione comparent sibi maritos.

ECce Labani summa nequitia, de illius consilio, & mandato virgo Lia sese Iacobi lecto intromittit, & stuprari patitur, vt perditi pudoris calamitate acquirat maritum. Vtinam nequitia hæc in Labano subsisteret, verùm etiam nunc multi sunt illi parentes similes, qui passim filias monent, vt pudorem exponant, & venentur maritos. Hoc piaculum à populo suo deturbabat Dominus Leuit. 19. inquiens: *Non prostitues filiam tuam, ne contaminetur terra, & impleatur piaculo.* Et quis pater prostituat filiam? Sanè Labanus prostituit Liam, dum illam Iacobi lectulo intromisit, vt furtiuis amplexibus maritum venaretur. Et multi parentes prostituunt vsque nunc filias suas, dum illis consulunt, vt iuuenem diuitem alliciant, allecto in omnibus concedant, captata sic de matrimonio schedula. Quid turpius? Quid iniquius? Qui filiarum pudoris custodes esse debent, eas ignobili mariti adipiscendi prætextu, turpissimam vel consulunt, vel permittunt admitti prostitutionem. Accipite, quid de iis parentibus sentiat D. Cyrill. Alexandrin. lib. 7. de Adorat. *Non profanabis, inquit lex, filiam tuam, vt fornicari facias eam. Igitur parentes oportet, vt ad res quàm optimas sint authores. sin vesani, & negligentes erunt pædagogi, atque adeo secus quàm ratio postulat, ad turpia facta duces, ac magistri deprehendentur, extrema supplicia sustinebunt, vt qui suos ipsi fructus corrumpant, & in exitij foueas impellant, pro quibus profectò æquum erat mortem oppetere, nam id patribus natura ipsa præscribit.* Pro filiarum bono deberent patres vitam profundere, vt illis sint omnia honestatis, & pudicitiæ integra, nec sine magno piaculo, & ingenti supplicio fiet, quòd patres suas filias suósque proprios fructus corrumpant, vel monentes, vel permittentes eas in turpe facinus peruenire. Huc adduxerim illud Ecclesiastæ, cap. 5. *Ne dederis os tuum, vt peccare facias carnem tuam, neque dicas coram Angelo: Non est prouidentia, ne fortè iratus Deus contra sermones tuos dissipet cuncta opera manuum tuarum.* Hæc duo sunt in prauis parentibus coniuncta, nimirum, quòd filiabus duces sunt ad turpitudinem, & quòd prorsus de prouidentia Dei diffidant; non sperant Deum prouisurum castè, & piè agentibus puellis, & hinc monent, vt ipsæ sibi turpiter maritos prouideant. Quid inde? Erit sanè, vt Deus dissipet cuncta opera manuum eorum, nihilque à talibus parentibus excogitabitur, quod non ruat, & in peius abeat. Et quæ filia vel monentibus, vel conniuentibus parentibus turpiter maritum nacta non maximas experta est calamitates? Non fuit parentibus in ruinam, & scandalum? Vidi ego puellam à parentibus impulsam, vt furtiuis connexibus iuuenem diuitem, & elegantem in sponsum venaretur, fecit illa vt monuerunt parentes, & via iuuenis nomen sponsi dedit, & iratus Deus dissipauit cuncta opera illorum, iuuenem morti tradens cum non parua virginis infamia. Vidi & alteram, quæ similiter maritum venata est de consilio matris, qui via sponsæ thalamum tetigit, & socrum ingentibus repleuit calamitatibus. Caueant igitur parentes, ne dent os suum, vt peccare faciant carnem suam, filias suas, à Dei prouidentia desperantes, alioquin Deus iratus omnia illorum opera dissipabit. At hæc faciebat id quod notauit Plutarchus in præceptis coniugalibus, nimirum, sponsos voluptuosis fallaciis captatos, prorsus inutiles, & probrosos reddi. Quippe ait: *Quemadmodum pisces medicamentis celeriter capiuntur, sed esui inutiles fiunt: sic mulieres, quæ amoris poculis, & veneficiis viros captant, voluptatéque in suam potestatem redigant, stupidos eos, vecordes, corruptósque deinceps vitæ socios habent. Nam Circæ nihil profuerunt ij, quos veneficio mutauerat, neque vllam ad rem eis vsa est, cùm in canes, & asinos degenerassent.* Et quidem apposito exemplo explicat, quæ sint fœminæ, quæ voluptuosis illicibus maritos venantur, nimirum, vt Circe, quæ amatores dum quærit veneficiis, illos videt in asinos, & canes mutatus, vt nullam sibi afferant vtilitatem.

Leuit. 19. — *Cyr. Alex.* — *Eccles. 5.* — *Plutarc.*

§. XXXI.

§. XXXI.

Non parua est fœmina culpa, quæ non erubescit videri post amissi pudoris facinus.

SApienter notat Pereira in præsenti, Liam peccasse, dum, licèt à parente impulsa, complexum furata fuit viri, quem sciebat non sibi fuisse desponsatum. Et ego ethnicæ puellæ alteram etiam culpam inurere non grauabor, quod facto mane, non erubuit videri, & agnosci. Ait enim textus: *Facto mane vidit Iacob Liam*; ex Hebræo Oleaster: *Et fuit mane, & ecce ipsa Lia.* Nō dicitur, quòd erubuerit videri, quòd erubescens se absconderet, vel sindone operuerit faciem. Sanè Rebecca Genes. 24. via sustinuit videri ab illo, cui veniebat desponsari, sed ad eius conspectum, *tollens citò pallium suum, cooperuit se*: at de Lia nec post complexus furtū dicitur tale: ne putaretur inculpabilis, quæ non erubuit videri etiam post amissi pudoris facinus. Quam aliter vxor illa hominis Leuitæ suam ingenuitatem ostendit; quam tradens vir suus lasciuissimis adolescentibus, vt abuterentur ea, mortuam vidit præ verecundia facinoris. Ait enim text. Iudic. c. 19. *Eduxit ad eos concubinam suam, & eis tradidit illudendam, qua cùm tota nocte abusi essent, dimiserunt eam mane. At mulier, recedentibus tenebris, venit ad ostium domus, vbi manebat Dominus suus, & ibi corruit.* Ecce tibi fœmina à iuuenibus, tenebris nocturnis compressa, permittente marito, vbi facto mane in viri conspectu veniens, tot fœditates passa, non potuit sustinere verecundiam, si videretur: & exanimis cecidit. Ait Iosephus, lib. 5. Antiq. cap. 2. *Illi fuerentes vino raptam mulierem domo abducunt, cùmque ei per totam noctem ad satietatem illusissent, diluculo dimiserunt, quæ ita miserè affecta ad hospitium reuertetur, & præ nimio dolore, ac verecundia, non audens in mariti conspectū venire, quòd hunc indignissimè rem laturum putaret, humi collapsa expirauit.* Quanta hæc honestissimæ fœminæ ingenuitas? Quam non volens, sed coactè passa est turpitudinem, & turpitudinem à marito permissam, sic nihilominus erubuit, vt oppressa verecundiæ affectu ad lucis claritatem operiretur mortis caligine. A parente fuit ducta Lia in turpitudinem, fateor; sic & hæc fuit à marito deducta ad turpitudinem, facto mane, *ecce ipsa Lia*, non mutatur, non erubescit apparere coram illuso viro; hæc facto mane, iam non ipsa, sed verecundiæ ponderi succubuit defuncta, non sustinens apparere in conspectu viri. Hanc ingenuam verecundiam Lacedæmoniorum sponsæ obseruabant, quæ & post licitum nuptialem congressum erubescebant venire in sponsi faciem. Ait Plutarchus in vita Lycurgi: *Ad sponsam pressè commeabat sponsus cum pudore, & metu, ne quis ex familia perciperet, simul machinante illa, & opportunitatem suppeditante, quo in tempore instru alius congrederentur. Neque verò ad modicum temporis ita agebant, sed aliqui etiam liberos prius tulerunt, quàm aspicerent vxores suas interdiu.* Vt autem laudabile semper est, quòd fœmina amissæ integritatis erubescat facinus, nec audeat ab ipso marito in luce aspici, sic vituperabile est, quòd audeat in luce videri, quæ deflorationem suam turpiter solicitauit.

Gen. 24.

Iud. 19.

Ioseph.

Plutarc.

§. XXXII.

Virum probum, & sapientem maximè dedecet, quòd verbis contumeliosis vtatur.

ILlusus Iacob in re adeò graui nullis acerbis verbis illusorem suum socerum petit, sed mansuetè, & simpliciter ait: *Quid est, quod facere voluisti?* Et rursus: *Quare imposuisti mihi?* Vocaret alius impostorem, fraudulentum, dolosum hominem, à quo tantam fraudem fuisset passus, cur tu ô Iacob non similibus contumeliis adeò meritis percutis illum, qui sic te fallit? Cur non vocas impostorem? Nōne verè impostor est, & dolosus, & fraudulentus? Equidem, sed tantus vir Iacob ab iis contumeliæ verbis abstinet, quæ indecentissimè à viro probo, & sapienti pronuntiantur. Enimverò ait Ecclesiasticus cap. 20. *Est correptio mendax, in ore contumeliosi.* Vbi Septuag. posuere: *Est correptio indecora.* Et quidem contumeliæ, & probra nunquam non indecora sunt ipsi dicenti, & pronuntianti. Huc spectat illud Iudæ Apost. in Canon. *Cum Michael Archangelus cum diabolo disputās altercaretur de Moysis corpore: non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit, Imperet tibi Dominus.* Posset Angelus diabolum, maledictum, impostorem, & sceleftum vocare; non tamen est ausus talia probra assumere in ore. Et cur non est ausus? An quia sibi aliquid timeret? An quia diabolus non merebatur multis maledictis peti? Absit; merebatur enim diabolus, quòd vocaretur maledictus, scelestus, & multis probris blasphemaretur, at non decebat huiusmodi maledicta, & contumelias esse vel ad momentum in ore Angelico. Sic D. Hieronym. in epist. ad Titum, cap. 3. ait: *Merebatur diabolus maledictum; sed per Angelicos blasphemia exire non debuit.* Timeret sibi Angelus non à diabolo, cui longè superior viribus erat; sed ab ipsa maledictorum, & cōtumeliarum indecentia, si vel paulisper essent in ore Angelico. Nunquam enim non dedecet personam iustam, & sapientem, si in eius ore sonent probra in alios, & contumeliæ. Meritò hinc pungebat Iob amicos suos, viros regios, & egregios, cap. 19. *Vsquequò affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus? En decies confunditis me, & non erubescitis.* Illorum inuerecundiæ vertit, quòd probris hominem lacesserent, si enim viri illi pudibundi essent, & modestiam verecundiámque conuenientem probis, & iustis, & sapientibus haberent, maximè refugerent fœda verba, & iniuriosa proprio ore proferre. Sic ad illos fatur Nicetas in Catena Græca, *Graue quidem est obtrectare absentibus: vos autem, omni abiecta verecundia, mihi coram conuitium facitis.* Quasi conuitiatoria verba nō possint esse in ore illius, in quo aliquid verecundiæ, & ingenui pudoris resederit, sed necessum est, vt mittat priùs verecundiam bono viro expedientem, qui ad proferenda conuitij verba descendit. Id quod statuebat etiam Origen. ibi dicens: *Sæpenumero quis agens flagitiosè, obtrectat alteri; vbi verò pudoris lineas transilierit, coram iactat maledictum.* Dum pudor ingenuus adest in homine, maximè cauet à maledictis, & conuitiis in alios detorquendis, quæ vbi ab aliquo iactantur, iam signum est, in illo nihil pudoris manere.

Ecclef. 10.
Septuag.

Iud.

D. Hiero.

Iob 19.

Nicet.

Origen.

Gen. 29. Respondit Laban: Non est in loco nostro consuetudinis, vt minores antea tradamus ad nuptias. Imple hebdomadam dierum huius copulæ, & hanc quoque dabo tibi, pro opere, quo seruiturus es mihi septem aliis annis. Acquieuit placito: & hebdomada transacta, Rachel duxit vxorem: cui pater seruam Balam tradiderat. Tandémque potitus optatis nuptiis, amorem sequentis priori prætulit, seruiens apud eum septem annis aliis. Videns autem Dominus, quòd despiceret Liam, aperuit vuluam eius, sorore sterili permanente.

§. XXXIII.

Iacob perfectissimi coniugis in amanda vxore exemplar.

QVis sic amauit vxorem, vt Iacob amauit vxorem suam Rachel, quam vt sibi copularet, durissimæ se seruituti per quatuordecim annos subiecit? Sanè Aristot. lib. 1. œconomicor. cap. 3. perfectissimi viri in amanda coniuge proponens exemplum, vnum inuenit in Vlysse decantato ab Homero. Ait enim: *Vlysses rogante Athlantis filia, vt secum maneret, ac sempiternitatem polluente, ne ob id quidem prodere voluit vxoris affectum, & amorem, magisque optauit mortalem vxorem, filiúmque videre, quàm fieri ipsum immortalem.* Ecce quanta Vlysses dimisit, vt sanctum, integrúmque & perfectum amorem erga vxorem ostenderet. De illo sic etiam cecinit Sabinus relatus à Tiraquello in 13. leg. connub. num. 43.

Aristot.

Sabin.

Quæque mihi Circe, quæ sit mihi causa Calypso
Iam dudum ignoto solicitare metu.
Vtraque se nobis mortalia demere fila
Spondebat, stygias vtraque posse vias.
Te tamen hac etiam spreta mercede petiui
Passurus terra tot mala, tótque mari.

Sanè non inuenerunt Ethnici in toto vastissimo mundo, vel vnum hominem, qui in amanda vxore perfectus videretur; & ideo Homerus vnum confixit Vlyssem, qui in eo ostenditur perfectus vxoris amator, quando pro illa, & Deorum filias reliquit, & magna commoda spreuit, & ingentia mala subiuit. Hæc minimè præstaret homo apud Ethnicos, nisi fingeretur præstitisse. Apud fideles autem homines, fallar, si

quis

quis illa impleuit, vt Iacob, qui pro Rachele coniuge maluit quatuordecim annis exulare à domo paterna, & durissimam subire seruitutem; dum diu, noctúque æstu, & gelu affligeretur, & mille temporum, & soceri pateretur iniurias. Hinc est, quòd diuinus Sponsus animarum nostrarum, in regni sui politia circa subiectos, Dauidicum thronum ostendit: in œconomia autem domos circa sponsam, maluit Iacobi ostendi domum. *Luc. 1.* Ait de illo Angelus Luc. 1. *Dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob.* In regno erga subditos Dauidem sese ostendit, in domo erga sponsam, non Dauidem, sed Iacobum prætulit. Et cur in domo erga sponsam Iacobum prætulit? Vt se instar Iacobi, perfecti coniugis exemplar proponeret, qui pro vxoris dilectione formam accepit serui, & sese totum impendit. Ex quo clamabat Paul. ad Ephes. 5. *Ad Eph. 5.* *Viri diligite vxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea.* Hæc sit perfecti viri erga vxorem norma; quæ videtur in domo Iacob, vbi Iacob pro vxore tam longam seruitutem sustinuit, tantos labores pertulit; & Christus Iacobi filius pro sua sponsa, & seruitutem, & mortem oppetiit. Non est equidem nisi in domo Iacob, in Christi schola, cõiugalis amor, qui tot voret pro coniuge tormenta. *Deut. 24.* Deuterooom. 24. dicitur: *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, scribet libellum repudij.* Itaque iuxta legem tam tepidus erat coniugis amor, vt vel propter fœditatem inuentam liceret vxorem repudiare, & propter alias plures causas. *Matth. 19.* Venit Iesus Matth. cap. 19. & ait: *Quicumque dimiserit vxorẽ suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur.* Ecce tibi solam fornicationem excipit Iesus, cæteras omnes repudij causas, licèt molestissimas, & durissimas iubet vorari à coniuge Christiano; cuius est multa sustinere, vt in amore vxoris permaneat. *D. Aug.* Ait D. Augustin. lib. 1. de serm. Domini in monte: *Multa erant in lege causæ dimittendi vxorem, solam Christus fornicationem excipit: cæteras verò molestias iubet pro fide, & castitate coniugij sustinere.* Talis debet esse in Christi schola, in domo hac Iacobi, amor coniugis in viris, vt vniuersas molestias possit vorare, ne discedat ab amata. *Eccles. 9.* *Hieron.* Ecclesiastes, c. 9. monet: *Perfruere vita, cum vxore, quam diligis, cunctis diebus vitæ instabilitatis tuæ.* Quę verba sic D. Hieron. proponit: *Vtrumque considera, vide vitam, & mulierem cunctis diebus vanitatis tuæ.* quasi eisdem oculis inspicienda sit vita, & vxor; vt quod pro vita sustines, id & pro vxoris dilectione sustineas.

§. XXXIV.

Tota naturæ potentia non sic valet, vt minima Dei gratia ad fructus edendos.

Ecce tibi vnde ostendatur Lia fœcunda ad filios producendos. *Videns Dominus, quòd despiceret Iacob Liam, aperuit vuluam eius, sorore sterili permanente.* Si vis naturæ spectari deberet, tota stabat a Rachele, quam viridior ætas viuidiorem faciebat: & mariti affectus non parua fœcunditatis causa erat. Sed Dei gratia pro Lia stabat, non enim natura, sed Deus *vuluam eius aperuit*, gratia illam fœcundauit, quæ licèt minima sit, omnem naturæ potentiam superat ad fructus edendos. *1. Cor. 3.* *Pasch.* Fidelibus Corint. ait Paul. 1. epist. cap. 3. *Dei agricultura estis. Dei ædificatio estis.* Ex quo D. Paschal. in Psalm. 44. ingentem colligit fructuum segetem in virginibus esse; ait enim: *In vobis autem iam seminatum est verbum vitæ, quoniam Dei agricultura estis. Dei ædificatio estis, & ideò pullulant in vobis semina virtutũ. & crescit seges multiplicata in Domino.* Expende causam multiplicatæ segetis vnam esse, nimirum, quòd agriculturæ sunt Dei, vbi enim diuinæ gratiæ operatio accedit, plus multiplicantur fructuum segetes, quam si omnis naturæ vis accederet. Cupiebat Pharao sic eneruare Israelitas, vt laboribus pressi prorsus sterilescerent, sed res in contrarium vergebat, ait enim Exod. 1. *Exod. 1.* *Quanto opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, & crescebant.* Vnde crescebant? Vnde multiplicabantur? An quia laboribus exacuebatur naturæ vis, & viuidior, & potentior fiebat? Non equidem Deus naturæ potentiam expectabat, sed gratiam suam adhibebat, quæ plusquam natura valet, vt multiplicatos fructus edat. Accipite D. Cyril. Alex. lib. 4. de Adorat. *Cyr. Alex.* *Cum Pharao malignitate summa conaretur, tantum illius gentis prouentum, atque incrementum cohibere, imposuit eis præfectos operum, vt affligerent eos operibus. Sed hoc eius consilium contrarios euentus habuit: nam ea ipsa, quæ inferebatur vexatio, occasio illis incrementi fuit, cùm Deus eam rem sua sapientia moderaretur, & Pharaonis astutiæ gratiam suam opponeret.* Expende, quid Dominus opponat Pharaoni curanti, vt Israel sterilis fiat, nimirum, huic Pharaonis astutiæ opponit Dominus *gratiam suam*, & apposita Dei gratia in multiplicatas segetes fructus exurgunt. Hinc est illa Isaiæ *Isai. 66.* conclamatio cap. 66. *Quis audiuit vnquam tale. & quis vidit huic simile? Nunquid parturiet terra in die vna, aut parietur gens simul, quia parturiuit. & peperit Sion filios suos?* Non terra, non vniuersa natura posset, quod potuit Sion, quando Petri prædicatio sic fructificauit, & vno die innumeros Dei filios traxit. Hoc quis præstaret? An potentia naturæ? Absit: pulchrè enim ait D. Ambros. 10 Exhort. ad Virgin. *Vno die terra non parturit, sed parturit gratia.* Vbi gratia adest, vbi Dei manus obstetricatur, quis numeret fructuum prodeuntium partus? Sanè plusquam tota natura valet Dei gratia, vt fructus augeat.

CAPVT III.

Iacob ditatur apud socerum, in patriam reuertitur.

Iacobi animum oppleuerant nobilissimarum sororum nuptiæ, verùm illæ vacuas se, & desolatas putant, dum e tanto viro susceptis non implentur filiorum examinibus. Vxorem addit marito Rachel Balam, Lia Zelpham famulam suam, & de quatuor vxoribus intra septennium post primas nuptias, duodecim coronatur Iacob filiis. Natorum ordo hic erat, Rubẽ, Simeon, Leui, Iuda, Dan, Nephthalim, Gad, Asser, Issacar, Zabulon, Dina, Ioseph, qui in fine secundi septennij natus matris Rachelis longæ sterilitati finem imposuit, & patris seruituti. Filiis successit in Iacob solicitudo de acquirenda substantia, de domo propria adeunda; sed a socero detinetur hoc pacto inito, vt ibi sumat quodcumque variegatum pecus de vnius coloris parentibus prodiret. Mirareris simplicissimam Iacobi mentem subitò mutatam io astutiam, dum pro bonis acquirendis paciscitur. Accipit simplicissimus ille virgas populeas, amygdalinas, & mali granati, quæ partim retento cortice, partim nudatæ illo in diuersos colores effinguntur. Deinde appositæ canalibus sic bibentium ouium phantasmata implent, sic figurant, vt fœtus ibi concepti, nascantur postmodum pulchra varietate depicti. Sex integri anni hanc Iacobi artem occlusêre, qua in immensum auctæ eius diuitiæ, & soceri filiis, & ipsi maximam fecerunt inuidiam. Subuoluerunt Iacobo soceri, & fratrum inuidiosa murmura, quæ declinare ratus, in agro vocatas dilectissimas vxores opperitur. Non distulit Rachel, non distulit Lia festinare ad maritum, cuius ab ore longissimas querelas de fratrum, Patrisque ingratitudine, & inhumanitate bibunt, & in fugiendi consilium accenduntur. Quæ, aiunt, causa manendi? cur moremur ampliùs in domo paterna, in qua solam intuemur nostræ fœlicitatis inuidiam? Erimus semper in patris spolium, aut in mercedem seruituti mariti? Magis sequimur virum, magis sequimur Deum, qui nos tantæ virtuti coniunxit, quando is ducit viam, quando ille tali ductore in patriam proficiscitur. Lætus Iacob commeatum adornat, multum cauens ne Labanus id sciat, cui necessariò foret filiarum, nepotúmque discessus ingratissimus. Vna erat viro proficiscenti cura, ne quid illi de acquisitis bonis periret: vxores autem magis sollicitantur, ne sine dote paterna limina exirent. Tempus ad omnia opportunum, tenebant Labanum greges filiorum distantes trium dierum itinere, noctis tenebræ densabant, & Rachel recuperandæ dotis cupida absconditè rapit aurea patris idola; & vniuersa Iacobi familia apparet in procinctu. Exarsit illico per vicinia fugæ suspicio, quæ tribus diebus grandescens, ad Labanum peruenit. Aduolat ille non parua cognatorum manu adscita, fugitiuos persecutus. Sed septima nocte quiescenti adstat Deus, minatur homini dira, si Iacob vel duriusculè aspiciat. O fœlicem, qui tantæ fuit curæ diuis! Surrexit mitior Labanus, & Iacobo appropinquans, non secus animum ad amandum, quàm antea ad bellum composuit. Cur, clamat, absconditè fugis, Iacob, qui ambitioso comitatu poteras de patris limine proficisci? Cur mauis filias meas in fuga tua prædam putari, quam triumphorum insignia? Sequaris Dei tui nutum, vt patriam reuisas, cur mihi Deos eripuisti? Non cunctanter Iacob blandis soceri querelis adblanditur. Discessi, inquit, clam, timens ne quid liceret parentis dolori,

dum

dum abeunt dilectissimæ filiæ. Furti me arguis? Tu ipse totam scrutare familiam, apud quem inuenta fuerint idola tua, sanguine comparet tanti reatus munditiem.

Annuit Labanus; lynceis oculis cuncta peruestigat, nec apud Iacob, aut apud Liam, nec apud nepotes idolorũ inuenit vestigium. Properabat ad Rachelis pulcherrimæ partem, & mirum erit, si idola nõ sint in parte pulchritudinis. Stupet illa immanitate periculi, & accurrẽs viri sacculo aureas deitates obnubilat, sedet insuper, mulieris sanæ infirmitatem assimulans, & parentis perspicaciam in quærendis idolis deludit. Frendens Iacob innocentia familiæ, atrocitatem carpit scrutinij, & non paucis obiicie socero vniuersas ab illo perceptas fraudes, perceptas iniurias. Nõ silet suns labores, nullis vnquam soceri gratiis lenitos. Vt post viginti annorum fœcundissimæ seruitutis, subeundum fraternæ inuidiæ periculum. Post ditatam soceri domum, polluta officiorum laude, non tantùm vt hosti, sed prędoni abeundum. Abripuit Labanus generi querelas, datisque dexteris, vocatis in testes vel lapidibus, fidem nouo percusso fœdere confirmant.

Iam tempus vrgebat, & hinc inde stantes familiæ expectabant missionem, cùm Labanus filias, nepotésque osculatus, cœpit bene precari, & abire. Nec potuerunt Labani filiæ in ipso discedendi confinio, non tantisper concedere naturæ, dum dimissis ceruicibus veneratæ parentem inter silentes lacrymas viam arripiunt cum marito. Ibat hic vxoribus, filiisque & ingenti seruorum famulitio stipatus in patriã, cui fulgenti in agmine cœlestium occurrentes virtutes proximum triumpho reditum efficiunt. Timoris tamen non temnendæ reliquiæ erant, Esau frater, & quadraginta armati milites, ab Esau stantes, quos certis nuntiis sciuerat Iacob properare sibi obuiá venire. Hoc adductus timore credidit pręstare diuidi familiæ exercitum, ne sit necesse omnes simul perire, si iniquus fuerit fratris occursus. Tunc versus ad cœlum, summi Dei domicilium; Maxime Deus, inquit, tuo numine vixerunt parentes mei, tuo numine viuo, consultorem te sequor, & ductorem viæ, de tuo munere venit, quòd toties ex inuidiæ telis elapsus sum, & quòd plenus filus, plenus diuitiis in patriam restituar. Firma tuo numine meam fidem, firma promissionem tuam, qua arctissima religione tibi deuotum exemisti periculis, & parentum meorum merita, & tuam pietatem secutus. Sic precatus Iacob simul adornat munera, quæ vel regium animum capere potuissent, pręmitténsque vxores, & liberos cum vniuersa familia, ipse in agro pernoctabat solus iuxta ripas fluminis Nec iam creditur ripa fluminis, sed arena, sed palęstra largo protrita certamine. Aggreditur enim hominem secretum numen, lacertisque constrictum tota nocte luctando nititur comprimere. Non is est Iacob, qui sciat vinci, sed femore leuiter percusso victoriam exaltat, & gloriosum Israelis nomen accipit, & fraternæ mansuetudinis auspicium.

PARS PRIMA.

Iacobi, & Christi in vtero symbola.

NOB non inuidiosus Iacob? In Labani domo augmento suo filiis Labani fecit inuidiam. Sic Christus vel in vtero mariano potuit Angelis inuidiosus existere, & Angelorum tenere famulitium.

§. I.

Vt Iacobo in Labani domo inuiderunt fratres, sic Iesu in vtero mariano diabolus inuidit.

AVdiuit Iacob Labani filios inuidentes sibi, & dicentes Genes. capite 31. *Tulit Iacob omnia, quæ fuerunt patris nostri, & de illius facultate ditatus, factus est inclytus.* Multitudinem ouium, & armentorum, & seruorum, & immensas Iacobi diuitias inuident, quas ad se potiùs pertinere putabant, quàm ad illum. Sic diabolus videns humanitatem nostram in vtero virgineo Deo vnitam, & super omnem creaturam exaltatam, gloriáque & honore coronatam, putans illam omnem gloriam, & celsitudinem sibi deberi potiùs, vtpote Angelorum primo, rabidissimam exarsit in inuidiam, & exclamans dicebat inter suos: *Tulit homo omnia, quæ* *fuerunt patris nostri*, summi Dei creatoris, & moderatoris Orbis, *& de illius facultate ditatus, factus est inclytus.* His exacuebat inuidiam suam, qua furens, subitò exurgit aduersus dominum, & aduersus eius Christum. Duellum hoc monstratum fuit Ioanni Apocalyps. cap. 12. vbi dicitur: *Et signum magnum apparuit in cælo, Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim: & in vtero habens, & clamabat parturiens, & cruciabatur vt pariat. Et visum est aliud signum in cælo, & ecce draco magnus rufus, habens capita septem, & cornua decem, & in capite eius diademata septem, & cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram, & draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura, vt, cùm peperisset, filium eius deuoraret.* Agebantur hæc in cœlis, antequam inde draco præcipitaretur, immediatè enim post hæc, subiicitur Angelorum prælium, in quo Michael stans à parte filij Dei, draconem deturbat, & ostendit stabilitum Christi imperium. Igitur dum draco ille potentissimus in cœlis degit, in primo suæ conditionis instanti, tam illi, quàm cæteris omnibus spiritibus obiecta fuit per diuinam reuelationem fortissima illa mulier Maria, cuius in vtero ostendebatur homo Deus, Christus, omnia, quæ summi patris erant in se repræsentans, vt ab omni creatura adoraretur. Expauit ad hanc hominis diuinissimam gloriam draco, illique vehementissimè inuidens, ante mulierem stat, vt illam cum filio perdat. Sic enim hanc explicationem, quam literalem putat, finit Catherinus in opuscul. de glor. bon. Angel. dicens: *Hic ergo draco describitur esse ante mulierem, quæ erat paritura, vt quem peperisset filium, deuoraret. In quo ira illa magna, & odium impotens ex inuidia pessima declaratur, & homicidium insigne Christi Domini, & matris eius.* Nondum in terra, sed in cœlis solùm coram Angelis apparuit Maria, habens in vtero cœlestem Regem, filium suum, & filium Patris, cui & diuinitas erat, & potestas, & imperium. Et subitò primogenij Angeli inuidia exarserunt, quã rapti mulieri adstant, vt illam cum filio perimant. Sic Iesum etiam in vtero existentem inuidia persequitur. Ad hæc Cantic. 3. *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constrauit.* Expende, vt diuinissima fercula media ibi insidente charitate, nimirum, Christo splendeant. Quò hæc? Sanè à Gislerio sapienter nomine ferculi intelligitur Maria, cuius in vtero medius stat Christus Deus homo, mediator Dei, & hominis, omnium creaturarum sibi asserens imperium. Sed gestit animus componere ferculum hoc cũ throno Isaiæ ostenso cap. 6. & in hoc ferculo, & in illo solio Dei erat maiestas: iuxta solium duo Seraphim ostendebantur, senas habentia pennas, duabus velabant faciem sedentis, duabus pedes, & duabus volabant. Ecce tibi, & in solio, & in ferculo media sinuntur manifesta, & aperta. Cur sic media aperta sinuntur? Erat ibi totum diuinissimi Mediatoris mysterium, qui siue in Deitatis solio, siue in virgineo matris ferculo consideretur, semper expositus est diabolicæ inuidentiæ. Vt dicat D. Bern. serm. 5. de verb. Isaiæ: *Velatur caput, velantur pedes, vt medium quidem aliquid eidem impio videndum, sed ad inuidendum vtique relinquatur.* Nunquam, mihi credite, Mediator noster apparere potuit, vel si medius lateret in vtero materno, cui non malè genij rabidissimè inuiderẽt. Nec abnuo ostensionem Verbi incarnati coram Angelis factam in primo conditionis momento insinuari illis verbis Cant. 3. *Egredimini, & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius.* Dies desponsationis illius, dies fuit incarnationis in vtero virgineo; ibi apparuit Verbum copulatum nostræ naturæ, ideò virginea carne, velut diademate designatus fuit vniuersorum princeps. Vocat ergo Deus vniuersas Angelorum phalanges in cœlis creatas, vt videant hunc principem, hunc coronatum, hunc sponsum amabilissimum. Et quidem omnes illum viderunt, sed malus, & vidit, & inuidit. Ait enim Episcopus Christopolitanus in Psalm. 81. *Præuidit ergo Lucifer Christum incarnandum, & regnaturum, & inuidit, & odiuit eum.* Sanè superbissimus spiritus nõ ferebat videre hominem assumptum in Dei filium, sibi magis deberi reputans gloriam illã. Vnde quod murmurabat Iudas Matt. 26. ad effusionem vnguenti super caput Christi, idẽ murmurabat diabolus videns naturã humanã oleo diuinitatis delibutã. Ait enim ille: *Vt quid perditio hæc?* Putãs perditionẽ, quod Christo datur, & non magis seruatur ad loculos suos. Quod de diabolo etiam affirmat D. Bern. serm. 17. in Cant. *Putásne Lucifer ille, qui manè oriebatur, sed praproperè eleuabatur, antequàm verteretur in tenebras, generi nostro inuiderit, & ipse olei effusionem, vt per se ipsum iam indignabũdus mussitaret dicens intra*

Genes. 31. *Apoc. 12.* *Cant. 3.* *D. Bern.* *Cant. 3.* *Christop.* *Matt. 26.* *D. Bern.*

se quodammodo, Vt quid perditio hæc? Nusquam non fecit Iesu magnitudo in superbis, & malignis magnam sui inuidiam.

§. II.

Peregrinanti Iacob adsunt Angeli; sic Christo, dum peregrinatur in materno vtero.

A Socero discedens Iacob, *abiit itinere, quod cœperat, fuerúntque ei obuiam Angeli Dei, quos cùm vidisset, ait; Castra Dei sunt hæc.* Sic Genes. 32. non enim quilibet Angeli, sed qui fortissimum, inuictissimúmque exercitum referebant, obuiam Iacobo iuerunt. Cuius etiam filius Iesus dum matris in vtero est, fortissimas circa se Angelorum acies ostēdit. Quò [Cant. 3.] respiciens Cant. 3. ait: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel. Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, &c.* Vbi pacificus Rex Iesus virginei vteri lectulo accubuit, fortissimus, validissimúsque Angelorū adstat exercitus, qui tanto Principi inseruiat. Ait enim Guillel. Abbas [Guill. Abb.] apud Delrium in mixta interpretatione: *Sanè ex quo in lectulo vteri virginalis, per Incarnationis mysterium, Dei filius accumbere dignatus est; eundem lectulum sancti Angeli plurimi ambire cœperunt · & circa quiescentem in virginis vtero Deum sacras excubias agere.* Habuit equidem nobilissimus Rex, dum in Mariæ vtero quiescit, excubitores angelicos exercitus, qui & præcederent, & indefessè Regem suum comitarentur. Vnde crederim natam fuisse vocem illam Psalm. 67. dicentis; [Psal. 67.] *Iter facite ei, qui ascendit super occasum.* Clamat equidem Propheta ad Angelorum exercitus, eo tempore quo diuinissimus Sol Oriens à sinu Patris, ad vmbras virginei vteri ascendit. Et dū sub virginei vteri vmbris occumbit, & delitescit Sol verus, petit Propheta, quòd Angeli, principésque cœlestes illi vias præparent. Ait Lyran. ibi: [Lyran.] *Eia Angeli, agite, properate, iter facite ei, ministerium vestrum Christo in vtero Virginis peregrinanti, ad eius magnificentiam exhibete.* Non ad defensionem, aut protectionem, quibus Deus nō egebat, sed ad pompam, & magnificentiam diuini imperij iubentur Angeli iter facere in vtero Virginis peregrinanti Deo. Non sola in montana abiit Maria, non sola in Bethlchemiticum pagum venit, vt cum sponso describeretur. Semper in vtero eius peregrinanti Domino, præcedebant cœlestes Angelorum exercitus.

PARS SECVNDA.

Moralia circa textus literam.

Onœndo Textus literam enucleare, vt de eius succo sugamus aliquid, quo eligere bonum, & reprobare malum sciamus.

Gen. 30. Cernens autem Rachel, quòd infœcunda esset, inuidit sorori suæ, & ait marito suo: Da mihi liberos, alioquin morior. Cui iratus respondit Iacob: Num pro Deo ego sum, qui priuauit te fructu ventris tui? At illa, Habeo, inquit, famulam, &c.

§. I.

Qui creaturis fidit, nihil ex illis sibi obuenturum speret citiùs quàm mortem.

NOn Deum, sed suum vehementissimum amatorem adit Rachel, vt filios postulet. Sic enim dicit Iacobo: *Da mihi liberos, alioquin morior.* Et meritò, dum relicto Deo, in Iacobo filiorum spem ponit, simul & ob oculos mortem proponit; nihil enim citiùs à dilectissimis etiam creaturis sperare possumus. Accipite Egesipp. lib. 1. de Excid. vrbis Ierosolym. [Egesipp.] c. 23. vbi Pompeij ruinam sic memorat, fatus: *Pompeio interfecto, qui dum arma Cæsaris fugit, Spadoni Ægyptio caput suum amputandum præbuit, conuersus est. præbuit tamen ea patientia caput, qua tantorum populorum aliquoties victorem decebat, vt in illa victi sorte, exulisque conditione; conspiciens rerum humanarum ludibrium, & varietatem gladio ceruicem offert, ab eo, cui regnum dederat, pro gratia mortem recepturus.* Ecce tibi quid petat Pompeius ab amico, quem auxerat, quem ad regnum euexerat, à quo vehementissimè amabatur; ecce tibi quid ab hoc pro gratia extenso collo speret. Sperat equidē mortem, ait enim, *ab eo, cui regnum dederat, pro gratia mortem recepturus.* Et quidem hoc certius habemus omnes in amatoribus, in amicis, quos nobis ex hominibus multo sudore, multo munere, & pretio cōparamus. Nihil, mihi crede, in iis certius habes quam mortē, quàm internecionē. Dū seculares amatores adis, vt ab eis aliquid poscas, propone tibi etiam ob oculos mortē, vt quæ certiùs ab illis sperari possit. Huc respiciens Ierem. c. 22. inquit: [Ierem. 22.] *Quæ sedes in Libano, & nidificas in Cedris, quomodo cōgemuisti, cùm venissent tibi dolores?* Vbi noster legit, *quomodo cōgemuisti?* legit Pagninus: *Quæ gratia erit tibi, cùm venissent tibi dolores?* Et quidem hæc vna gratia erit ei, qui sedet in Libano, qui nidificat in Cedris, hoc est, qui spē suam habet in creaturis, & hominibus sæculi, nimirum, si labores inde, & mortes, & confusiones metat. Ait Carthus. in Expos. morali: [Carthus.] *Confunderis à malitia tua, quæ sedes in Libano, id est, in exteriori pulchritudine requiescis: & nidificas in Cedris, inter magnos, & primos in sæculo esse, ac commorari lætaris, & reputari, & promoueri ab eis, nō obstante, quod scriptum est; Deus dissipauit ossa eorum, qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos.* Nullum alium fructum; nullam aliam gratiam recipies à creaturis, à potentibus amicis sæculi præter cōfusionem, præter maciem. Quid ais; Habes amatorem fidelissimum mille muneribus partum, est tibi procera arbor, & sudore, & sanguine rigata, cuius in ramis fructiferis nidificas, ad quam confugis in omni discrimine; *& quæ tibi gratia erit? Quomodo congemuisti?* Pro gratia inde gemitus, & dolores, & cōfusiones, & mortes habes. Hinc minitabatur Dominus populum suum Ezech. c. 16. [Ezech. 16] *Ecce ego congregabo omnes amatores tuos, quibus commista es, & omnes quos dilexisti, cum vniuersis quos oderas, & congregabo eos super te vndique, &c.* Quales hæ minæ, Domine? Minitaris supplicium, & confusionem, & mortem inferendam populo peccatori, & ad hoc dicis, quod omnes eius amatores congregabis super illum? Amatores, & dilecti nonne magis fauebunt amato? Nonne magis illi referent gratiam? Cur ergo, Domine, amatores illius adducis, quē morti, & internecioni tradis? Equidem nunquam certiùs quis in mortem festinat, quam dum in secularibus amatoribus incipit spem suam locare; quot tibi fuerint sæculares amici, quibus fidas, quorum gratiam multo compares sanguine, tot habes, à quibus mortem, & confusionem pro gratia capias. Quod deflet Philo in Tiberij nepote, adhuc puero, & tradito magistris, qui in eorū cōspectu iussus est à Caio, vt sua se manu occideret. Quid puer? Ait Philo de legat. ad Caium: [Philo.] *Tum puer imperitus, qui nunquam cædem fieri viderat, nunquam in armis se exercuerat, vt solent adolescentes regij pacis tempore simulacra pugnarum ciere, primùm ceruicem præbebat venientibus: cúmque illi detrectarent, sumpta sica sciscitabatur, cui loco lethale vulnus deberet infligere, vt vitam abrumperet, primum id, atque vltimum ab his magistris didicit, coactus homicida sui fieri.* Crede mihi nil priùs doceberis ab amicis, quàm in mortem ruere.

§. II.

Pulchritudinis conscientia stultescere facit, & infatuare gentes, ne Deum sciant supra hominem.

NOn à Deo, sed à marito filiōs extorquere Rachel contēdit, clamās ad illum: *Da mihi liberos;* quæ verba à Chrysostomo putantur stultitiæ plena. Et vnde Rachel in tantam stultitiam venit, nisi è magnæ suæ pulchritudinis cōscientia? Vt enim pulchritudine valebat apud Iacobum, ab illóque affectum extorquebat: sic desipuit, vt crederet etiam ab illo posse sine Deo, vi suæ pulchritudinis & filios extorquere. Et quem non faciat sic stultescere pulchritudinis conscientia? Ad Regem Tyri loquutus Ezechiel, c. 28. ait: [Ezech. 28.] *Eleuatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapientiam tuam in decore tuo.* Vbi se nouit decore, & pulchritudine pollere, omnem suā perdidit sapientiam, & in maximas stultitias deuenit. Vix vlla potest manere sapientia cum cōscientia pulchritudinis. Vnde ipse Ezech. c. 16. [Ezech. 16.] *Habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo:* hoc est, tibi, nominique tuo aras struxisti, te Deā putasti. Quid stultius, quàm quòd natura mortalis, & infirma sibi videatur Dea? Et in hāc stultitiam impellit pulchritudinis fiducia. Ibi D. Hieron. [Hieron.] *Grande discrimen non in Deo, sed in suo decore confidere, quanto quis sublimior fuerit, debet timere, ne corruat, & fornicetur in nomine suo.* Hæc semper stultitia timenda est illis, qui de sua pulchritudine præsumunt, ne putent se nō egere Deo, sed in se deitatem habere omnibus colendam.

Zach. 11. Rupert.

colendam. Aiebat Dominus Zach.c.11. *Et assumpsi mihi duas virgas, vnam vocaui decorem, & alteram vocaui funiculum.* Et quæ virga erat decor,& quæ funiculus? Ruper.ibi: *Vnam virgam vocaui decorem,& alteram vocaui funiculum, quia videlicet gentes cætera quoddam decus meum, decus, & ornatus Orbis terrarum fuerunt, semen autem Abraha hereditatis mea funiculum esse debebat.* Ecce tibi in duabus virgis duo signabantur populi, in virga funiculi populus Israelis,qui ad Dei sortem pertinebat,in virga decoris populus gentilis, penes quem dicit Rupert. fuisse ornatum,& pulchritudinem Orbis. Sed scire cupis,qualis erat hic populus,in quo erat mundi pulchritudo, & decor? Accipe de illo Paul.ad Rom.1. *Euanuerunt in cogitationibus suis,& obscuratum est insipiens cor eorum,dicentes enim se esse sapientes,stulti facti sunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum,& quadrupedum,& serpentium.* Proh insipientia,& stultitia populi, penes quem erat decor, & pulchritudo Orbis! Fallor,nisi hic decoris, & mundialis pulchritudinis thesaurus,nõ fecerit euanescere, & stultescere populum,ne Deum quæreret supra hominem. Imò ea est pulchritudinis conscientia;vt quasi sit in deitatis ordine,nihilque super se sublime credat,vt omnes reputet amatores,& sui cultores,nullum,inquam,admittat timorem. Id quod sapienter notabat Egesippus, lib.1.de Excid. Ierosol.c.38. in pulcherrima fœmina Mariamne innocenter occisa à coniuge vehementissimo eius amatore. Ait enim: *Hanc Mariamne exitum talit,sobriè viro pudica,sed insolens forma conscientia. Cui magnanimitem superfluebat, sedulitas deerat, vt blanditias dedignaretur mariti, secura, quòd nihil ab eo,qui supra modum diligeret, exitii perpeti posset.* Potuit formosissima fœmina esse pudica,& marito fidelis, at non potuit eò insolentiæ, & audacissimæ stultitiæ non peruenire,quòd nihil sibi timeret ab amatore, quasi à nemine,à quo posset amari,feriri posset,sed semper coli.

Ad Rom. 1. Egesipp.

§. III.

Perfecti hominis est iniuriam Deo illatam etiam in dilectissimis castigare.

NVnc primò audio Iacobum iratum, & iratum in dilectissimam coniugem Rachel, ait enim: *Cui iratus Iacob, &c.* antea tulerat iniuriam, & fraudem passus à Labano, & à Lia, quæ nuptialem thalamum dolo vitiarat, nec tamen ibi dicitur iratus in Liam, neque in Labanum, & modò aduersus dilectissimã,& quatuordecim annorum sudoribus comparatam coniugem vehementissimè irascitur. Et cur modò in hanc irascitur? inuenit illam iniuriam Deo,petentem ab homine, quod solus Deus potest præstare; & bonus, & perfectus vir inultam non patitur etiam in dilectissima iniuriam Deo illatam. Pulchrè ait Lippomanus in Cat. *Rachelem igitur licèt vehementius, quàm par erat, amaret Iacob, Deum tamen cùm timeret, æquanimiter ferre Dei blasphemiam non potuit, munus, scilicet, filiorum, quòd solo Deo donante conceditur, id ipsum tribui marito. & per impossibile contra Deum exigi.* Expende ab illis: *licèt vehementius amaret, æquanimiter ferre Dei blasphemiam non potuit.* ardentissimus,& (si dici potest) nimius vxoris amor non temperauit Iacobum ab ira excitata pro Dei iniuria. Diligebat quidem vehementissimè pulcherrimam vxorem, vbi autem illam Deo iniuriam nouit,non meminit perfectus homo pulchritudinis,nõ meminit dilectionis,sed dilectionem humanam superauit Dei timore, acriter fœminam Deo infensam mordens. Quod vt rarum & difficile est,sic à viris perfectis effici solet. Et sanè hoc certamen proposuit Iesus suis fidelibus,quando ait Matth.19. *Omnis,qui reliquerit domum,vel fratres,aut sorores,aut patrem, aut matrem,aut vxorem,aut filios, aut agros propter nomen meum,centuplum accipiet,&c.* Non quidé necessariam petit horum corporalem derelictionem,quandoquidem vxor non licitè potest relinqui corporaliter à marito, nisi ex consensu. Cur ergo dicit relinquendos esse parentes,& filios,& sorores,& vxores propter Dei nomen? Nouerat vim,seu tyrannidem carnalis dilectionis, valentem in dilectis dissimulare, & præterire iniurias diuini nominis, & ideò ad æternam remunerationem designat eos, qui vehementia,aut tyrannide dilectionis humanæ non temperantur ab ira ob profanatum Dei nomen. Ait enim sapientissimè Cælestinus Papa epist. data Nestorio tom.1. Conc. Ephes.c.16. *Ipsius Domini vox expressè monet,non patrem,non matrem,non filios,nullam denique aliam necessitudinem, vel cognationem antepone ipsi sum esse. Existit enim non rarò talis pietas, ex qua aperta oritur impietas,cùm nimirum carnalis affectione dominante, corporalis dilectio,propter quam non infrequenter quosdam in pretio habemus,illi dilectioni amescitur,quo Deus est. Quando ergo huiusmodi carnis affectio aduersatur illi, qui est ipsemet charitas, tunc vtique omnis ea beneuolentia animo eiicienda est.* Tandiu poterant beneuolentiæ, & amicitiæ humanæ officia dissimulari in viro fideli, quandiu in dilectis nihil sonat, quod Deo inurat maculam,vbi autem hoc est,nec etiam in dilectissimis debet tolerari. Quis enim bonus,& verus Dei seruus erit,qui patiatur nomen Dei obscurari? Scribit ad Theodosium Imperat. D.Cyrill.Alexan. epist.posita in tom.5. Concilij Ephes. cap. 2. *Vt ij,qui sacri vestri imperij sceptris parent, siue illi generosi duces extiterint, siue in quacumque alia dignitate constituti fuerint,præclari apud vos euadunt, si iusta indignatione in illos feruntur, qui petulantem infrenémque linguam in vestram dominationem mouerunt; vel quid aliud absurdum admiserunt. Ita domini quoque sacerdotem omni laude apud Deum, & homines dignum reddit, si neminem contra diuinam gloriam impunè nugari patiatur, sed omnes omnino talos summorum hostium loco habeat.* Nõ sit tibi amicus,non sit tibi charus,qui Dei nomen maculat,si velis inter Dei famulos numerari. Psalm.138. *Nonne,qui oderunt te Domine,oderam? Et contra inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi.* Ex quo Cælestinus Papa vbi supra: *Nec ego benigni Domini mei hostes tamquam fidus seruus persequi non possim, præsertim cùm & Propheta quoque istiusmodi perfecto odio se odisse fateatur.* Et quidem perfectum odium est, quo Dei famulus iniurias Deo illatas etiam in dilectis maximè damnat.

Lippom. Matt. 19. Cælest. D.Cyrill. Psal. 138.

§. IV.

Obdurati animi non leuiter, sed vehementissimè sunt feriendi,vt resipiscant.

IRatus dicitur Iacob in Rachelem, & vehementissimè iratus;quod innuens Chaldæus legebat; *Iratus est furor Iacob,* quibus non solùm iram, sed & furorem attribuit Iacobo in Rachelem. Et meritò,nam Rachel sic obdurabatur in dolore sterilitatis suæ, vt in illo mori mallet, aiens: *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Quasi fateatur non mortem æstimare præ illo affectu inordinato. Vbi autem sic obdurantur animi, non leuiter, sed acerrimè, & vehementissimè corripiendi sunt. Veniebat Dominus in montem Sina, vt legem scriptam daret Exod.19. *Et ecce cœperunt audiri tonitrua, & micare fulgura, & nubes densissima operire montem, &c.* At veniebat in vterum virginalem, vt ibi vestiretur carne, & ibi quàm placidus adest. Ait apud Luc.1. Angelus: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Non tonitrua,non fulgura, non tenebrosæ nebulæ, sed placidus, & suauis Dei illapsus in Maria apparet. Et cur in Maria placidus, & in Sina terribilis perstrepentibus tonitruis, fulgurantibus nubibus,imò fulminantibus visebatur? In Sina veniebat legem scripturus in lapideis tabulis,vbi autem res erat cum lapide obdurato, non miror quòd ostendat omnia sui furoris arma. Ait Damasc. orat.1.in Mar.nat. *O Maria arx Sina sanctior, quam non fumus,non caligo,non procella,non terrorem incutiens ignis contegit, verùm illuminandi vim habens Spiritus sancti splendor. Illic enim Dei verbum tanquam Dei spiritu legem saxeis tabulis inscribebat. Hic autem ex Spiritu sancto, ac Virginis sanguine Verbum ipsummet incarnatum est, sique natura nostra concessit.* Dum Dei Verbum Mariæ visceribus inserendum erat, ibi suauitas tota adest, abest omnis terror:at vbi idem Verbum saxeis tabulis erat insculpendum, ibi & fumus, & caligo, & procella, & terrorum incutientia fulmina appareant, est necesse. Cum duris enim & duriter est agendum. Apost.Paulus Act.20.locutus de falsis Episcopis, ait: *Ego scio, quoniam post discessum meum intrabunt lupi rapaces, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa,vt abducant discipulos post se.* Itaque non dubitat Paulus malos Episcopos luporum nomine percutere, quod secutus Cælestinus Papa Nestorium Episcopum ante damnationem Concilij similibus contumeliis feriebat. De quo ipse maximè querebatur,quòd homo Christianus, & in Episcopali sede positus tam durè à Pontifice tractaretur. Ad hæc Cælest.tom.1.Conc.Eph.c.17.ait: *Dura sanè est, & graue admodum Beati Pauli verba,quæ in Actis legũtur,in te conuenire. Ego,inquit,scio,quoniã post discessum meũ,intrabunt lupi rapaces. Hæc abs te aliis dici malebamus, quàm tibi ab aliis: docere enim,quæ dicimus,debueras,non discere. Nam quis ferat Episcopũ doceri,quomodo ipsum Christianũ esse oporteat? Duris dura debetur respõsio,& dura vltio.* Non equidé cum lapidibus blandè agendum est,sed duro sunt feriendi ictu,vt optimas figu-

Exod. 19. Luc. 1. Damasc. Act. 20. Conc. Ephes.

tas accipiant. Nec in obduratis animis aliquid perficies, nisi etiam vltionem duram adhibeas. Eli offensam incurrit, quòd filios non corripuisset, & tamen corripuit; habes enim 1. Reg. 2. *Audiuit omnia, quæ faciebant filij sui vniuerso Israeli, & quomodo dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ostium tabernaculi: & dixit eis, Nolite filij mei, &c.* Corripuit ergo, cur reprehenditur, quasi non corripuisset? Theodoretus ait: *Horum iniquitas non egebat leuibus medicamentis, sed acerrimis.* Dū duris non datur correptio dura, & vltio dura, nulla dari censetur.

1. Reg. 2.

Theod.

Gen. 30. Nato autem Ioseph, dixit Iacob socero suo: Dimitte me, vt reuertar in patriā meam, & ad terram meam. Da mihi vxores, & liberos meos, pro quibus seruiui tibi, vt abeam: tu verò nosti seruitutem, qua seruiui tibi.

§. V.

Perfectionis, & asperitatis Christianæ vitæ culmen tunc attingis, quando tibi loco patriæ sunt remotissima quæque loca, & alienissima, propter Deum, & animarū salutem.

INter dilectas vxores, inter examina filiorū, inter crescētes diuitias, hac pungitur Iacob cura, vt reuertatur in patriā, ait enim socero suo; *Dimitte me, vt reuertar in patriam meam.* Et quæ erat Iacobo patria? Vbi tunc erat, cum vxoribus, & filiis suis, ibi habebat totam cognationem suam, ibi atauorum requiescebant ossa, ibi erat totum suum gentilitium, & patrium solum. Vbi autem erat pater eius Isaac, nihil suum habebat, non ibi patria, sed tam Iacobo, quàm Isaaco erat terra peregrinationis. Alienam ergo & peregrinationis terram habebit Iacob velut patriam suam? Equidem perfectus vir, & qui habebat promissionē Christi, pro patria habet remotissima quæque, & alienissima loca, vbi Dei obsequium elucet. Ait Rupert. lib. 7. in Gen. c. 35. *Nec illud prætereundum est, quod ait: Dimitte me, vt reuertar in patriam, & ad terrā meam, peregrinationem patrum suorum patriam, terrámque suam vocans propter Deum.* Hic labor, hoc opus, hæc perfectio est illorum, in quorum semine erat Christus, quòd ignorent aliam patriam, nisi illam, in qua diuinum obsequium affulget, licèt tellus hæc sit remotissima, & alienissima à suis. Abrahamo primùm electo in patrem Christi hoc proponitur certamen durissimum, & naturæ asperrimum. Gen. 12. *Dixit autem Dominus ad Abraham: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrauero tibi.* Quid durius? Et quid de æternis asperitatibus propinquius Christo? Sanè vbi mandantur ieiunia, cilicia, humi cubationes, flagellationes, solitudines; iis repræsentari potest Elias, Ioannes Baptista: at vbi mandatur exilium, peregrinatio, nec alia patria permittitur, nisi terra, vbi maius Dei apparet seruitium, ibi vnus repræsentatur Christus. Ea quo D. August. ser. 68. de tempore, ait: *Abraham pater noster radicē fidei, nominisque Christiani habebat, qui cùm ad incerta, atque peregrina iuberetur exire, tota deuotione compleuit. Cui, in ea tā dura, nulla dubitatio fuit, sed sententiā Dei, tanquā qui optare videretur, accepit. Exi, inquit Dominus, de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram, quam mōstrauero tibi. Nouum probationis genus habens: propria, exilia indicere peregrina, iungere laborē itineris quies entis, & tantarum facultatū Domino necessitatem imponere peregrinādi. Libenter tamen fides accepit, quidquid arduū videbatur incredulis. Cui nō est magis dulce proprium tugurium, quàm palatia peregrina? Leue cuiquam non est dimittere propria, & sectari aliena, dimittere quod scias, quærere quod ignoras. Quis propria sine dolore deseruit? Cui non est durū illos conscios natalium parietes relinquere?* Iis expendit Augustinus duo; alterum est durities certaminis propositi Abrahamo, alterum est victoria tāti certaminis Christum repræsentās. *Habebat*, inquit, *Abraham radicem fidei, nominisque Christiani*, ex qua radice Christum repræsentante venit, quòd durissimum certamen peregrinationis compleret. Et quidē, quòd inter aspera quæque supremum locum obtineat exilium à patria, docet D. Amb. enarratione 5. in Ionā, fatus: *Cur patriā dereliquit? Captiuitatē fortisse metuit? Da veniam. non intelligis, nescis, quòd hæc est prima captiuitas, patriā non videre, & quod grauius est omni malo hostile, peregrinationis exilium. Solet, qui aliquid sceleris admiserit, huiusmodi pœna damnari, vt pellatur patria, regionibus incognitis relegetur. Hoc igitur malum propria tibi promdes volūtate, quod solet supplicii causa damnatus excipere.* Et quod malū adeò exhorruere prudētissimi viri, vt maluerint ingētia bona, quam patriam amittere. Odyss. 9. apud Homer. Calypso promittit Vlyssi immortalitatē, ne in Ithacam patriam suam iret. Et quid Vlysses? Cicero lib. de orat. ait: *Patria tanta est vis, tātáque natura, vt Ithacam illam in asperrimis saxulis tanquam nidulum affixam prudentissimus vir immortalitati anteposuerit.* Quod non miratur D. Chrysost. hom. 31. in Gen. quando in viris religiosissimis, qui spreuerunt mundum, hunc erga patriam affectum videat. Ait enim: *Multi adeò sunt consuetudine sua alligati, vt potiùs multa, & si necessitas vrget, omnia ferre velint, quàm loca mutare, in quibus priùs habebant domicilium. Id quod non solùm vulgò fieri videmus, sed etiam alios, qui è medio tumultu fugerunt, & monasticam vitam delegerunt.* Etiam supra mundi abrenuntiationem, supra seueritatem monasticæ disciplinæ, hoc restat arduum, & difficile, nimirum a patria exilium: quod minimè sustinēt, etiam qui conculcant mundum, & asperitatem religiosæ vitæ sustinent. Et sanè vbi Christus insonuit, vbi cœpit in hominibus Christi generatio, Christique virtus præparari; statim hæc virtus claruit, qua homines ad incognitas regiones aduolarent, patriā æstimantes solam illam, in qua Dei obsequium sperabatur. Vt meritò dicat August. *Abraham pater noster radicem fidei, nominisque Christiani habebat, qui cùm ad incerta, atque peregrina iuberetur exire, tota deuotione compleuit.* Non in aliis, nisi in iis, in quibus Christus parabatur, in quibus erat radix nominis Christiani, tanta virtus inueniri potuit, quæ peregrinis, & incognitis regionibus propter Deum vteretur pro patria. Quod perfectionis, & summæ asperitatis stemma non potuit deficere in filiis Societatis Iesu, vt non defecit in eis diuinissimi Iesu nominis claritas. Sic enim ait pater meus Ignatius in sui ordinis regulis summariis: *Nostra vocationis est vniuersas terras perugrare, & vitam agere in quauis mundi plaga, vbi maius Dei obsequium, & animarum auxilium speratur.* Quid magis Christianum? Quid plenius asperitatibus, & difficultatibus? Huic deuouentur duello omnes Societatis Iesu viri, vt regionibus remotissimis, & incognitis relegentur, & quæuis loca ignotæ linguæ, & moris, in quibus maius Dei obsequium speratur, & auxilium animarum, illis sint pro charissima patria. Huc dum peruenio, incidi in libellum cuiusdam Poloni Carmelitæ Discalceati, qui dum vniuersos ordines sacros sub nomine Apologiæ acriter mordet, nec suo parcit, in Societatis Iesu viros reuomit etiam quascumque contumelias iampridem Lutherani, & Caluinistæ hæretici conflarunt. Religiosos nos vocat delicatos, ab hominibus sæcularibus in nullo distinctos, & alienos à vitæ austeritate, quia calceis vtimur, quia vtimur lineis, & laneis, quia in frequentia hominum versamur. Non æstimat ille aliquid religiosum, & austerum posse esse præter melotem Elianam. Matth. 14. dum Petrus in summitate Taboris vidit Iesum inter Eliam, & Moysem, extemplo elamat: *Domine bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum.* De quo addit Marc. c. 9. quòd Petrus *non sciebat, quid diceret.* Et cur nesciebat, quid diceret Petrus, quando tabernacula in monte vult parare, & in illis cum Iesu, & Elia, & Moysi commorari? Ignorantiam Petri insinuat D. Ephrem serm. de Transfig. fatus: *Simon missus est ad ædificandum in mundo Ecclesiam, & facere vult in monte tria tabernacula: adhuc enim Christum humano more attendebat, & cum Moyse, & Elia illum collocabat.* Et quidem qui nihil supra Moysem & Eliam attendebat in Christo, nō miror, quòd in eum errorem labatur, quo velit in tribus tabernaculis in secessu montis ædificatis cū lapideis legibus Moysis, & Eliæ melote totam includere gloriam, & perfectionem Christianam. Sic erret, qui nihil supra Eliam meditatur, qui apprimè Christum nouit, & Christum æmulatur, non arctetur secessibus Elianis, nec in monte adeò æstimet vnum, aut alterum tabernaculum, sed in toto mundo, in quauis remotissima plaga ædificationem tractet Ecclesiæ Christianæ. Sanè multum errat, qui solùm æstimat Eliæ melotem in ordinibus sacris, qui solùm æstimat solitudines in montibus ædificatas, & rigores illos, sub quibus positus præter Eliam non refert alium. Magis æstimet, qui sapit virtutes Christianas, quibus sub nomine Iesu militātes sese deuouēt durissimo exilio, & currūt ad peregrinas, & ignotas plagas, nullo alio prætextu nisi ob obsequium diuinū, & salutem animarum. Hoc durissimum, & gloriosissimum munus proposuit Dominus Petro apici perfectionis, & laboris Christiani post trinum amoris examen: Ioann. 21. *Pasce oues meas*, quocirca ait D. Chrysostom. orat. in B. Philogonium, quæ est in 6. tom. nuper edito: *Non dixit Christus, abiice pecunias, ieiunium exerce, macera te laboribus; sed, omnibus illis prætermissis, dicit illi: Si diligis me, pasce oues meas.* Non vult sanctus Doctor, vt ieiunia, & corporis macerationes contemptui habeantur; sed vult docere supra omnes

Rupert.

August.

Chrysost.

August.

Ephrem.

Ioan. 21.

Chrysost.

eos labores, ſeſe extollere laborem qui impeditur ſalute, & oegotio animarum. Hunc laborem præ aliis æſtimet Chriſtianus, qui Chriſtum diligit, in dilectionis ſignum; huius laboris fructus adeò æſtimabat Paulus, vt ſine illo ſe haberet pauperem, & inopem. Hinc, cùm in vinculis eſſet apud Ieroſolymitanos, ad Cæſarem appellauit iturus Romam. Act. 25. ait enim: *Ad tribunal Cæſaris ſto, vbi me oportet iudicari.* Cur ad Cæſarem appellat, & dilationes morti prætendit, qui mori exoptabat? Si mori optat, & Ieroſolymis iam detineretur in carcere, magis ibi maneat, & inter ſuos animam aget. Cur ad Romam feſtinat? Sanè ſupra omnes labores, & mortes æſtimabat eos, quibus plores animas negotiabatur, & vt cupidus mercator metuit regionem aliquam præterire, etſi remotã, etſi alienam, è qua poſſet animas Chriſto emercari, ſine quibus metuit eſſe in eius oculis pauperem. Pulchrè enim ait D. Chryſoſt. hom. 7. in Paul. *Cùm igitur audis, quòd appellet Cæſarem, quòd Romam ire feſtinet, nequaquam putes verbum eſſe formidinis. Cuius igitur rei gratia iſta faciebat? Proculdubio vt diutius prædicationi inſiſteret, cùmque multis hinc credentibus, atque omnibus coronatus iret ad Chriſtum: iam profectò metuebat, ne pauper hinc, atque inops multorum ſalutis abſcederet.* Hoc metuendum eſt Apoſtolicis viris, ne quæ animarum nundinæ, ne quæ loca animabos acquirendis vtilia prætermittantur, in omni enim alio lucro, pauperes, & inopes ſe reputant, ſi hoc deficiat. Huc oculos conuertat, qui diuitias perfectionis Chriſtianæ cupit videre in Societatis Ieſu filiis. Et quærat, an ſit aliqua mundi plaga adeò remota, adeò peregrina, adeò barbara, adeò fera, adeò nuda, ad quam non vadant, & in qua non viuant Societatis filij, tanquam in patria chariſſima. Teſtor vos Hiſpaniæ montes, montanorum prærupta, inacceſſas vel auibus rupes, ſingulis annis ſuperatas à Societatis filiis, vt paupeculis montanorum animabus ferant auxilium in fame, & frigore, & nuditate. Teſtor vos xenodochia peſtiferis morbis horrida, carcerum tetras ſpelũcas, miſerorum ſpectra, à quibus nunquam abſunt Societatis filij. Teſtor vos remotiſſimas barbarorum prouincias, tenebroſas nudorum Indorum valles, horrendas Septentrionis niues, crudeles Lapponiorum flammas, truces Anglorum furcas, ad quæ filij Societatis quotidie curruot, metuentes, ne pauperes hinc, atque inopes abſcedant animarum ſalutis. Et delicatos vocem, qui tot quotidie vorant diſcrimina? Et in nullo diſtinctos à ſæcularibus putem, qui tot ſe deuouent incommodis, exiliis ob animarum auxilium? Sanè cum iis delicatulis malo latere in veſte communi, & particulari modeſtia frænare linguam, ne feriat niſi publicos Dei hoſtes, quàm in curru Solis eſſe cum melote Eliæ, & linguã cribrare in religioſos viros. Nec crediderim Polonum illũ religioſum eſſe Carmelitam, dedeceret enim ordinem ſanctiſſimum, qui nulla vulgauit ſcripta aduerſus Dei hoſtes publicos, aduerſus vitia obruentia Reſpublicas, hunc primum euulgare libellum aduerſus Societatis filios, de quo & alias dicam, prout occaſio tulerit.

Act. 25.

Chryſoſt.

Geneſ. 30. Ait illi Laban: Inueniam gratiam in cõſpectu tuo: Experimẽto didici, quia benedixit me Dominus propter te: conſtitue mercedem tuam, quam dem tibi. At ille reſpõdit: Tu noſti, quomodo ſeruierim tibi, & quanta in manibus meis fuerit poſſeſſio tua. Modicum habuiſti antequam venirem ad te, & nunc diues effectus es: benedixitque tibi Deus ad introitum meum: iuſtum eſt igitur, vt aliquando prouideam domui meæ.

§. VI.

Qui cupit habere bona, habeat Ieſum, in quo ſunt omnia, & ſine quo nihil.

Ethnicus Labanus ſecum detinere Iacobũ contendit, idque etiam pacta mercede cõparare nititur; & cur infidelis homo ſic curat apud ſe habere fidelẽ virum? Ait ipſe: *Experimento didici, quia benedixit me Dominus propter te:* qui ſine Iacobo parũ, aut nihil cœleſtium benedictionum habuerat, experiebatur cum Iacobo illas cumulatiſſimas ſibi eſſe, & ideò anxiè curabat Iacobũ ſecum detinere. Nec miror, quòd anxiè quærat detinere virum, in quo experitur ſibi obuenire theſauros cœleſtes. Imò hinc velim ego ſollicitari, & accendi, vt maiori conatu curem mecum habere Iacobi prolem, nempe Ieſum, in quo certius omnia habebo, & ſine quo nihil reſtat habendum. Vnde D. Aug. ſer. 43. ad Fratres in eremo, ait: *O vos mundi amatores, qui terrena ſapitis, quorum Deus venter eſt, & vita in confuſione, quid agitis ſine Chriſto, quid concupiſcitis quid ſapitis, quid ſperatis? Nunquid ſine Chriſto vobis pax eſſe poterit? Nunquid fœlicitas, vel victoria, dignitas vel ſecuritas, prudentia, vel ſcientia, pulchritudo vel fortitudo, olfactus vel tactus, viſus vel auditus ſine Chriſto vobis eſſe poterit? O fratres mei, abſit. Quærite ergo Chriſtum dum inueniri poteſt; inuocate eum dum prope eſt. In ipſo namque ſunt omnes virtutes, & theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.* Omnia bona, omnes bonorũ theſauri, omnes benedictionum cœleſtium fontes in vno Ieſu Domino ſunt, quod ſine illo eſt, nihil eſt. Vanè prętendit aliquid habere boni, qui Chriſtum non prætendit ſecum habere, in quo ſolo ſunt omnia bona terrena, & cœleſtia. Dauid Pſal. 4. *Quis oſtendit nobis bona? Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Bona vbi eſſent, quærebat videre, & ad videnda, & habenda bona vnum ſibi lumen datum eſſe meminit, nempe lumen vultus Dei. Et qui eſt lumen vultus Dei, niſi qui eſt ſplendor Patris Chriſtus Ieſus, qui ſolus habet omnia ſecum bona nobis exhibenda? Ait D. Ambroſ. lib. 3. epiſt. 11. Bona requirens Dauid, ait: *Quis oſtendit nobis bona? Et oſtendit ipſam eſſe bona, ſubiiciens: Signatum eſt in nobis lumen vultus tui Domine. Quis autem lumen vultus patris, niſi ſplendor gloriæ, & imago inuiſibilis Dei? Ipſe eſt ergo Dominus Ieſus ſummum bonum. Hoc bonum veniat in animam noſtram, quod propitius Deus dat petentibus ſe. Hic eſt theſaurus noſter, hic eſt vita noſtra, hic eſt ſapientia noſtra, iuſtitia noſtra, paſtor noſter, & paſtor bonus, hic eſt vita noſtra. Vides quãta bona in vno bono.* Et non curẽ mecũ habere Ieſum, in quo ſunt tot bona? Et non contendam retinere mecũ Ieſum, extra quẽ nõ manet bonũ, quod appeti, deſiderari poſſit? Sanè Ieſus vocatur ab Sponſa, Cant. 5. *Totus deſiderabilis,* & meritò poſſet vocari, *ſolus deſiderabilis,* quando in illo omnia deſiderabilia ſunt, & præter illum nihil deſiderari poteſt. Sic enim ait Guillelm. Abb. apud Delrium: *Totus ergo eſt deſiderabilis, id eſt, in diuinitate ſimul, & humanitate. Quippe in humanitate plenitudo Redemptionis, & ſalutis eſt, in Diuinitate eius, plenitudo Diuinitatis. Omnis itaque ſufficientia noſtra in ipſa: & propterea nihil deſiderabile præter ipſam. Deſideratur in eo, quod homo ad ſalutem, deſideratur in eo, quod Deus ad beatitudinem. Solus igitur deſiderabilis eſt, ſed totus, quia pleniſſimè ſolus ſufficit.* Nihil extra Chriſtum deſiderari poteſt; quæcumque enim bona, quæcumque ſuauia, quæcumque pulchra ſunt in veritate, in Chriſto ſunt; vt qui habuerit Chriſtum, in illo humani deſiderij vacuitates cumulatiſſimè impleat.

Auguſt.

Pſal. 4.

Ambr.

Guillelm.

§. VII.

Quidquid antiquitus fuit, paruum, & prope nihil videtur, ſi comparetur ad ea, quæ veniunt à Chriſto.

Ecce veriſſima verba Chriſti ad Synagogam, & ad quemlibet hominẽ fidelem: nimirum, *Modicum habuiſti, antequã venirem ad te:* quodcumque enim habitum fuit, vel habetur, antequam veniat Chriſtus, modicũ eſt, paruum eſt, nihil eſt. Apud Iſai c. 43. *Hæc dicit Dominus, qui dedit in mari viam, & in aquis torrentibus ſemitam. Qui eduxit quadrigam, & equum; agmẽ, & robuſtum; ſimul obdormierunt, nec reſurgent, contriti ſunt quaſi linum, & extincti ſunt. Nõ meminerites priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio noua, &c.* Antiqua fuerunt ſciſſio maris rubri ad populi ingreſſum, Ægyptiorum ſubmerſio, populi Iſraelis paſtio in eremo; hæc & ſimilia magnalia iubetur arceri ab oculis, dũ noua fiunt alia. Et quæ ſunt noua, reſpectu quorum tanta Veterum magnalia euanent? Quę Chriſtus facit populo ſuo, ea ſunt, in quorum comparatione magnifica quæque parua & exilia, & propè nihil apparent. Ait D. Cyril. lib. 4. in Iſai. orat. 1. *Illatio rerum incomparabiliter eminentium caliginem dat oblationi id, quod eſt minus, & res illuſtres, ea, quæ ex natura ſua ita non ſunt, hebetant quodammodo, & obſcurant. Magna enim ſunt, & maiora, quàm quæ vlla ratione explicari queant, quæ ſunt à Deo per Moyſem exhibita: ſed excellunt, & anteſtant, quæ fortitudine, & præſtantia Seruatoris noſtri ſunt præſtita. Propterea iubet tãtùm non obliuiſci priorũ, & in illis potiùs, quæ incomparabiliter eminent, & illuſtrem habent gloriam, mentem defigere.* Non eſt quod poſſet conſpici in rebus præſtitis ante Chriſtum, ſi proponantur ea, quæ Chriſtus effecit; ad hęc comparata parua ſunt quæcumque alia, & ponderis nullius. Cant. 1. ait. *Murænulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento. Dum eſſet Rex in accubitu ſuo, &c.* Quæ verba cõiungit Origenes, vt putet murænularum aureatũ ornatũ promitti Synagogæ

Iſai. 43.

D. Cyril.

Cant. 1.

gogæ præſtandum, vſque dum veniat tempus, quo Rex noſter Chriſtus appareat in mundo. Qua ſententia ſuppoſita Septuag. legunt prædictam clauſulam, *ſimilitudines auri faciemus tibi cum diſtinctionibus argenti.* Quinta editio ponit: *In punctulis mel i inſtar minutis, & albentibus.* Ecce animarum ornatum ante Chriſtum, antequam Rex noſter Ieſus appareret in accubitu ſuo: nimirum ſimilitudines auri cum paruis & minutiſſimis argenti punctulis. Nihil ante Chriſtum non paruum, non minutum, vt meritò dicat Origenes hom. 2. in Cant. *Orig.* *Sic ergo illud, quod per Angelos, & Prophetas miniſtratum eſt, ſimilitudo auri fuit cum diſtinctionibus paruis, & exiguis argenti. Hæc autem quæ per ipſum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum tradita ſunt, in auro vero, & argento ſolido collocata ſunt. Non ergo iam diſtinctionibus paruis argenti, ſed in latitudinem diffuſo vtentur argento.* Vnus Chriſtus eſt, qui magna, & ſolida traxit in mundum; ante cuius ortum quæcumque pretioſa inueniebantur, vel apparentia erant, & non ſolida, vel parua, & minima, & propè feſtinantia ad nihilum. Id quod notabat Diuus Ambroſ. à tempore quo natus eſt Saluator mundi; natus enim fuit, quando dies minimi erant. & penè toti occupabantur noctium longitudine. Tunc ſic Diuus Ambroſius homilia prima, de Natiuitate, inquit: *Ambr.* *Occupauerat totum diem noctium longitudo, niſi in ipſa dierum breuitate Chriſti refulſiſſet aduentus. Qui ſicut ortu ſuo humani generis peccatorum tenebras diſcuſſit, ita & dies Natiuitatis ſuæ caliginum tenebras amputauit, & vno, eodemque ortu lucem pariter intulit hominibus, & diebus.* Et minimi dies, & lucida omnia mundi erant minima, & penè iã iã euanitura, natus eſt Chriſtus, qui nihil permiſit eſſe in minimis, ſed omnia ad nouã ſuſtulit magnitudinem, vt quæ ſola in Chriſto ſunt, & magna videantur & ſplendidiſſima; quæ ante Chriſtum parua, & minima, ſi comparentur ad illa. Meritò de Chriſto dicebat Angelus Lucæ capite primo: *Luc. 1.* *Hic erit magnus*; quia in illo eſt vera magnitudo, & quidquid eſt extra illum, paruum eſt & minimum. Vnde ait Origenes homilia ſexta in Lucam: *Orig.* *Dicitur & de Ioanne, erit magnus, & hoc ipſum Gabriel Angelus conteſtatur. Sed quando venit Ieſus verè magnus, verè ſublimis, & ille qui prius magnus fuerat, minor effectus eſt.* Nihil eſt quod non minimum appareat, ſi comparetur ad eam perfectionis magnitudinem, quam traxit mundo Chriſtus.

§. VIII.

Nulli Chriſtus accedit, quem miris benedictionibus non augeat, quantum eſt ex ſe. Vbi quàm auctus ſit mundus, & Angeli cuſtodes, eius aduentu.

LAbano benedixit Deus ad introitum Iacobi, ait enim ipſe: *Benedixit tibi Deus ad introitum meum.*; operabatur iam in Iacobo Chriſtus, cuius acceſſus nulli non eſt proficuus, cuius introitus vel inde colligitur, quòd ingentes Dei benedictiones, gratiáſque diuinas præmittat. Ait ad Mariam Eliſabeth Luc. 1. *Luc. 1.* *Ecce enim vt factu eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Non exultare dicitur in gaudio Eliſabeth, ſed infans exultat, etiam dum tenetur in vterò, in illáque exultatione ingentibus cœleſtium gratiarum benedictionibus perfunditur. Et cur tot gratiæ augmenta antè ad infantem diriguntur, niſi quia primò & per ſe ad illum accedebat Chriſtus in viſceribus virgineis? Ait D. Amb. 2. in Luc. *D. Amb.* *Vocem prior Eliſabeth audiuit, ſed Ioannes prior gratiam ſenſit. Illa naturæ ordine audiuit, iſte exultauit ratione myſterij. Illa Mariæ, iſte Domini ſenſit aduentum.* Veniebat ad Eliſabeth Maria, veniebat ad Ioannem Chriſtus, in cuius aduentu vt fuit Ioannes prælatus, ſic & prælatus fuit in benedictionibus gratiæ diuinæ. Nequit enim Ieſus appropinquare alicui, cui mille benedictiones non inſerat. Vnde non otioſè factum eſt, quòd Chriſtus tunc naſceretur, quando cum vniuerſo Orbe deberet deſcribi. Quippe ait Lucas cap. 2. *Luc. 2.* *Exiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus Orbis. Et ibant omnes, vt profiterentur ſinguli in ſuam ciuitatem. Aſcendit autem & Ioſeph à Galilæa, &c.* Ecce tibi, cum Orbis deſcribitur, aſcendit Ioſeph cum vxore Maria prægnante; & naſcituribi Chriſtus, qui cum parentibus in illo Orbis catalogo ſcribitur. Et cur voluit Orbis catalogo affigi, niſi vt dum ſic Orbi appropinquat, illi cœleſtes benedictiones attribuat? Ita Origen. homil. 11. in Lucam: *Origen.* *In totius Orbis profeſſione deſcribi oportuit & Chriſtum, vt tum omnibus ſcriptus ſanctificaret omnes, & cum Orbe relatus in cenſum communionem ſui præberet Orbi.* Vt fieri potuit, ſeſe Chriſtus Orbi vniuerſo affixit, & de eius præſentia maximus accreuit Orbi benedictionum, & ſanctitatum cumulus. Et quis non augeatur de vicinitate Chriſti? Sanè Angeli ipſi Prouinciarum, Regnorúmque mundialium cuſtodes, maximum gaudiorum incrementum habuerunt, ex quo Chriſtus in mundum introiuit, pro reparatione mundi. Luc. 2. *Luc. 2.* *Et paſtores erant in regione eadem, vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. Et ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus, Nolite timere, Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum.* Et hæc, vt ſonant, facta ſunt. Inſuper Origenes putat per hos paſtores etiam intelligi Angelos cuſtodes prouinciarum, quibus meritò gaudium magnum denuntiatur Chriſto nato, cuius aduentu in mundum in prouinciis ſuis magnum fructuum incrementum accepturi erant Angeli. Ait enim Origen. homil. 12. in Luc. *Origen.* *Verè gaudium magnum erat his, quibus hominum fuerat, & prouinciarum cura commiſſa, Chriſtum veniſſe in mundum. Multum vtilitatis accepit Angelus, qui diſpenſabat Ægyptias res, poſtquam Dominus deſcendit de cælo, vt Ægyptij Chriſtiani fierent. Profuit & cunctis, qui diuerſas prouincias obtinebant, verbi cauſa, Præſidi Macedoniæ, Præſidi Achaiæ, reliquarúmque regionum.* Sed ſcire cupis, quantum augmentum exurgat Angelis præſidentibus prouinciarum mundi, ex quo Chriſtus mundum introiuit? Pergit ipſe Origen. inquiens: *Origen.* *Quando Angelus Ægyptiorum Ægyptios adiuuabat, vix vnus proſelytus credebat in Deum. & hoc fiebat Ægyptios Angelo diſpenſante. Atque ita fiebat, vt de omnibus gentibus nonnulli proſelyti fierent, & hoc ipſum Angelis, qui gentes ſubditas habebant, adnitentibus. Nunc autem populi credentium accedunt ad fidem Ieſu, & Angeli quibus creditæ fuerant Eccleſiæ roborati præſentia Saluatoris multos adducunt proſelytos, vt congregentur in omni Orbe conuenticula Chriſtianorum.* Pauciſſimos habebãt Angeli in prouinciis ſuis, in regnis ſuis, qui Deo viuerent: ad introitum autem Ieſu in mundum, ſic res Angelorum cuſtodum aucta fuit, vt prouinciæ integræ, & regna, & imperia erroribus depulſis ad cognitionem veritatis currerent. Aucti ſunt cuſtodes Angeli numeroſis gregibus pupillorum currentium ad paſcua æternæ vitæ, ſed habene hoc Angeli ex introitu Chriſti in mundum. Actor. 16. *Act. 16.* *Viſio per noctem Paulo oſtenſa eſt: Vir Macedo quidam erat ſtans, & deprecans eum, & dicens, tranſiens in Macedoniam adiuua nos.* Gloſſa ordinaria, Comeſtor, Beda, Hugo, Carthuſian. putant hunc virum, Paulo apparentem, fuiſſe Angelum cuſtodem Macedoniæ. Et cur cuſtos Angelus tam anxiè requirebat Pauli aduentum in adiutorium Macedonum? Erat in Paulo Ieſus; dicitur enim ille à Ieſu electus, vt portet nomen ſuum gentibus: & ſciebat Angelus minimè poſſe alumnos ſuos in vitam creſcere, niſi de Ieſu aduentu. Ait Orig. homil. 12. in Luc. *Origen.* *Erat quidam paſtor Angelus Macedoniæ, hic neceſſarium habebat auxilium Domini, propterea apparuit in ſomnis vir Macedo Paulo dicens: Tranſiens in Macedoniam adiuua nos. Quid de Paulo loquar? Cùm hæc non Paulo, ſed qui in Paulo erat, locutus ſit Ieſu?* Erat in Paulo Ieſu nomen, erat in Paulo Ieſus, & ideo Angelus Macedonum ad Paulum recurrit, non tam Pauli quam Ieſu poſtulans aduentum, vt profectus Macedonum creſcerent. Habent enim Angeli prouinciarum, quo greges Sanctorum augeant, ad Ieſu ingreſſum. Hinc Parenti meo D. Franciſco Xauerio, Romę quieſcenti, apparuit Indus in ſomnis, qui eum opprimebat, & iam inde deſignans, & in Indos impellens. Qui meritò putatur fuiſſe Indorum Angelus Præſes. Sed cur tot religioſorum Ordinum præſtantiſſimis viris dimiſſis, ad nouelli Ordinis virum curꝛit tam vaſtiſſimi mundi Indiarum Angelus Præſes? Erat nouellus hic ordo, & minimus tunc Societatis Ieſu nomine inſignitus, erat in Xauerio Ieſus, & ideò Angelus ad Xauerium recurrit, non tam hominis, quàm Ieſu requirens aduentum, vt greges fidelium apud Indos creſcerent.

§. IX.

Præſtantia famuli boni valet reddere illuſtrem vel Dominum nequiſſimum.

QVid auarius Labano? Quis illo fraudulentior, & iniquior? & tamen de Iacobi ſeruitiis ſic creſcit, vt cœleſtibus benedictionibus plenus appareat, & conſpicuus. Dicit ad illum Iacob: *Tu noſti quomodo ſeruierim tibi, & quanta in manibus meis fuerit poſſeſſio tua, benedixitque tibi Deus ad introitum meum.* Ecce tibi nequiſſimus, & fraudulentus Labanus, vt apparet à Deo benedictus, propter optima Iacobi in illum ſeruitia. Sic vel vnus famulus ſtrenuus valet nequiſſimum

Dominum

Dominum sub donis cœlestibus facere coruscare. Non negabo in præsenti Vespasiani ducis Neronis nequissimi commendationem ab Egesippo elaboratam lib. 3. de Excidio Hierosol. cap. 1. Vbi Iudæi rebellarunt in Romanos, tenebat imperij clauum Nero nequissimus, & spurcissimus omnium mortalium. Is in hac vna re sapuit, vt eligeret Vespasianum, qui Iudæos rebelles domaret. Et quis erat Vespasianus Neroni? Ait Egesippus: *Vespasianus vir ab adolescentia militiæ triumphalis inueteratus stipendiis, qui impacatas Gallias Germanorum tumultu, & ferocia gentium temeritatis in rebellium relapsas, pace diuturna composuerat. Britannias quoque inter vndas adhuc latentem Romano imperio armis acquisiuerat, cuius triumphato opibus Roma ditior, Claudius consultior, Nero fortior æstimabatur. Sub hoc duce (iterum dico) Nero terribilis erat, Nero metuendus, potens foris, tutus domi. æquatis inter se Vespasiani fide, ac fortitudine. Quantus iste vir, cuius armis vitia Neronis apud exteras gentes abscondebantur: vt ludibrium rerum humanarum, & exerato imperitatis opprobrium triumphis quoque illustraretur.* Quid pulchrius? Tantus erat Vespasianus dum militat Neroni; vt sub illo duce ipsa Neronis turpitudo lateret; & turpissimus, nequissimúsque vir quotidianis triumphorum infulis illustris appareret. Sic vel vnus strenuus famulus valet obscurissimum Dominum illustrare. Non absimili laude ornabatur magistratus quidam, de quo sic Athalaricus Rex referebat ad Senatum apud Cassiod. 9. var. 25. *Qua enim compensatione commendandus est, qui aures dominantium luculenta sæpius prædicatione compleuit? Dignitates sibi creditas eximia grauitate tractauit: & ausus est tempora facere, quæ meritò laudarentur in principe.* Bonus subditus sic negotia Reipublicę tractabat, sic dignitatis suæ munera obibat, vt vel dormiens Rex commendabilis appareret, & prædicandus in mundo.

Egesip. *Cassiod.*

Genes. 30. Dixítque Laban, quid tibi dabo? Et ille ait, Nihil volo, sed si feceris quod postulo, iterum pascam, & custodiam pecora tua. Gyra omnes greges tuos, & separa cunctas oues varias, & sparso vellere, & quodcumque furuum, & maculosum, variúmque fuerit tam in ouibus, quàm in capris, erit merces mea. Respondebítque mihi cras iustitia mea, quando placiti tempus aduenerit coram te, & omnia, quæ non fuerint varia, & maculosa tam in ouibus, quàm in capris, furti me argues. Dixítque Laban, gratum habeo, &c.

§. X.

Christianæ perfectionis est, quòd multiplici effulgeat virtute.

BOnus pastor Iacob dum de augendis gregibus, loco mercedis, paciscitur, illas sibi deligit in primis oues, quæ varij coloris fuerint; ait enim, *quodcumque furuum, & maculosum, variúmque fuerit, tam in ouibus, quàm in capris, erit merces mea.* Et cur sic afficitur ad oues varij coloris? Cur non magis designat sibi integrè albas, quæ maiori in pretio habebantur apud incolas Mesopotamiæ? Diuus Ambrosius libro secundo, capite quinto, in Iacobi grege iam meditatur aliquid perfectionis Christianæ, cuius est non alia, aut altera virtute fulgere, sed vario, & multiplici virtutum omnium colore coruscare. Quippe ait: *Diues valde factus erat Iacob, beatum gregem aserens Christo, quem fidei titulo, & variarum virtutum nobilitabat insignibus.* Grex, qui aptatur Christo, hoc habeat, necessum est, suæ perfectionis insigne, quòd singulæ oues variarum splendeant decore virtutum. Nullus sit virtutis decor, sub quo non radiet ouis Christi, nullus sit color Christianæ œconomiæ, quem in se præhabere non festinet. Ezechiel. capite 16. ait Dominus sponsæ suæ: *Vestiui te discoloribus.* Septuag. posuere: *Vestiui te varus:* vt ex varietate virtutum designetur grex Christi. Ait enim Hugo Card. ibi: *Vestiui te virtutum & bonorum operum varietate. Et Genes. 30. legitur, quòd oues diuersi coloris erant Iacob, id est, Christi.* Nusquam Christianus grex apparet, nisi multiplici virtutum colore vestitus. Insigne enim est Christianæ ouis, quòd ad omnes virtutes currat, nullam prætermittat. Isaias capite 49. *Hæc dicit Dominus, In tempore placito exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tui, & seruaui te, & dedi te in fœdus populi, vt suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas. vt diceres his, qui vincti sunt, Exite: & his, qui in tenebris, Reuelamini. Super vias pascentur, & in omnibus planis pascua eorum.* Verba hæc Deo Patri referunt Hieron. Cyril. Procop. & alij, designanti filio Iesu & gloriam sui corporis, & gentium vocationem in vias Christianas. Quò tendunt illa, *Super vias pascentur, & in omnibus planis pascua eorum.* Septuag. posuere, *In omnibus viis pascentur, & in omnibus semitis pascua eorum.* Sufficere videretur ad perfectam ouium curam, quòd in vna, aut alia fertili via pascantur, cur necessum est, vt per omnes vias ferantur ad pascua? Equidem hoc est insigne gregis Christiani, quòd omnem terat virtutum viam; quòd nulla sit via spiritualis profectus, in qua non inambulet. Ad hæc aiebat Diuus Gregentius in disput. cum Herbano Iudæo, fatus: *Percipe, quomodo Propheta de gentium restitutione per Christum testificatur. Post quam enim dixit, eum dicere iis, qui erant in vinculis, Egredimini, & qui in tenebris, Reuelamini: subiunxit, in omnibus viis pascentur. Vides? Omnem viam spiritualem meditabuntur, imò verò in ea ambulabunt, Dei placita exequentes. In omnibus semitis pastio ipsorum. Non relinquetur vna, & sola semita ab iis, qui Domino inuenti fuerint, in qua cum gaudio, & lætitia non ambulabunt, placita Domino operantes.* Expende insigne gregis Christiani, nimirum, in omnibus viis pascentur, hoc est, *omnem viam spiritualem meditabuntur*, non enim sub vna solùm virtute coruscabunt, sed multiplicem, sed omnem profectus spiritualis viam arripient, & sub omni virtute fulgere festinabunt. Non signabis virtutem, sub qua non ambulet, imò & rutilet grex Christianus. Non fuerunt gentibus notæ multæ virtutes, imò ipsi Moysi videntur ignorata contemptus diuitiarum, virginitatis præstantia, pro inimicis oratio, honoris, famæque conculcatio: at grex Christianus sub omni virtute claret. Sparsus est, varius est omnium virtutum decore, & nulli viæ profectus spiritualis parcit, dum per omnes sanctitatum vias nititur ambulare, vt multiplici decore radiet. Nec putabant viri sancti se virtutes habere Christianas, si aliqua profectus via relinquebatur. Quò respiciens Diuus Hieronym. epist. ad Marcel. fatur: *Longum est, per singulas ætates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina ecclesiastica virorum venerint Ierosolymam, putantes minus se religionis, minus habere scientiæ, nec summam, (vt aiunt) manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus primum Euangelium de patibulo coruscauerat.* Et quidem non necessaria erat hæc peregrinatio ad perfectionem acquirendam, sed quia & ibi erant pascua proposita ouibus Christi, non credebant maximi viri sese posse tenere Christianarum virtutum summam, si viam illam profectus relinquerent. De varietate virtutum procuranda habes plura tom. 4. in Euangel. Histor. lib. 18. capite vltimo, §. vndecimo.

D. Amb. *Ezech. 16.* *Hugo.* *Isai. 49.* *Cyril.* *Septuag.* *Gregent.* *Hieron.*

§. XI.

Christianæ fidei gloria præstantissima est, quòd sibi quisque asserat, & designet, quæ velit bona, & diuitias.

NOn fortunæ, non alterius sententiam, non suffragium vult expectare Iacob, vt ingentiores acquirat diuitias, sed solùm ait, inito pacto de ouibus discoloribus accipiendis, *Respondebitque mihi cras iustitia mea.* Et cur non potiùs ait, Respondebit mihi Dei iudicium, vel sententia diuina diffinietur, quod mihi debetur? Cur tantum sibi arrogat, vt propriæ iustitiæ suffragio solo velit niti? Non arrogantia est, sed meritum hominis halantis Christum, de cuius fide venit, quòd quis non sententiam, non calculum speret alterius, sed ipse sibi asserat bona, & salutis diuitias designet. Matth. cap. 17. mulier Chananæa clamabat ad Christum Iesum pro filiæ salute: cui respondit Dominus: *O mulier, magna est fides tua: fiat tibi, sicut vis.* Expende, cui remittat Dominus puellæ curationem, & salutem; non ait, ego salutem illi præbeo, ego illam sanam facio, sed ait: *fiat tibi, sicut vis*, quasi matris voluntati relinquat, quòd ipsa per se filiæ faciat salutem. Et quidem quæ tanta in Iesum fide pollebat, ipsa sine sententia, & calculo alterius iam posset & sibi, & suis designare salutis diuitias. Chrysost. hom. 17. ex variis in Matth. inquit: *Non dixit, sanetur filia tua; sed, fiat sicut vis. Tu, inquit, eam cura, esto medicus, tibi committo medicamentum, vt imponas ei. Fiat tibi sicut vis; Voluntas tua curet eam.* Et quid non faceret voluntas roborata tantis fidei in Christum viribus? Sanè qui tantam præhabet in Christum fidem, ex eius munere habebit, quod

Chrysost.

Dan. 7.

non ab alterius calculo, & sententia pendeat, sed ipse sibi optata bona designet, & accipiat. Dan. cap. 7. ait: *Aspiciebam, donec throni positi sunt, & Antiquus dierum sedit: vestimentum eius candidum sicut nix: millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei: iudicium sedit, & libri aperti sunt: Et ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eum.* Paucis perstrinxi longam visionis œconomiam, in qua ostenditur filius hominis Iesus, vt ad Patrem adducitur; & vt Patris consider ad iudicium, & libri aperti prætendũtur. Et quidem vbi apud Patrẽ Iesus apparet, simul & iudicium sedens, siue quiescens, & libri aperti ostenduntur. Sed vbi Pater totus occupatur in accipiendo Iesu filio, & iudicium quiescit, ad quid prætenduntur aperti libri? Prætenduntur aperti libri, vt fortes in fide Christi, ipsi qua velint nomina sua scribant, & sibi asserant quæcumque velint ex cœlestibus diuitiis. Accipite D. Cyril. Alexand. lib. 4. de Ador. pulchrè rem meditantem. Contemplatus Daniel est, tanquam senili ætate Patrem, candida cæsarie comptum, vestitu niuis instar candido insignem, dixitque, Libri aperti sunt, & iudicium sedit: & vidi, & ecce cum nubibus cœli, vt Filius hominis veniebat, & vsque ad Antiquum dierum peruenit, & in conspectum hominis perductus est, & ipsi datus est principatus, & honor, & regnum. *Cum enim ille vnigenitus in nostra specie factus est, tunc & libros aperuit Pater, & ab iis iudicandis, qui rei peccatorum erant, conquieuit, potestatem quoque fecit fortibus viris, qua illis liceret describi, ut superis illis choris annumerari, & Dei memoriæ contineri.* Planè hanc potestatem ea Deo habent fortes in fide Christi, quòd non expectent alterius calculum, sed ipsi, quæ velint bona, sibi adscribant. O fœlicitatem fidei in Christum! Habemus in Christo vitæ libros coram apertos, & patentes, non est cur expectemus alium, seu iudicem, seu scribam, in nostra manu est, qua libet, scribi, vel nos adscribamus Seraphicis sedibus, vel Cherubicis; id tenebit, quod nobis nos scripserimus, non atramento, sed operum claritudine.

D. Cyril.

§. XII.

Virtutum præmia in vicinio solent esse.

Ecce tibi Iacob, quàm in vicinio credit esse iustitiæ suæ præmia; quippe ait: *Respondebit mihi cras iustitia mea.* non abhinc multis diebus, sed cras respondere solet in fructu iustitia, & virtus, quæ hodie perficitur. D. Bern. serm. 5. in vigil. Nat. *Nota verò, quam conuenienter loquitur: Cras mihi respondebit iustitia mea. Hodie enim iustitia colitur, cras respondebit. Hodie exercetur, cras fructificabit.* Non multum tẽporis agit sub terra iustitiæ semen, sed quod hodie seminatur, & cras sic fructificat, vt messem copiosissimam faciat. Quis ignoret sanctissimi Regis Ezechiæ virtutes, eo præcipuè die, quo ingenti Babyloniorum exercitu obsidebatur? 4. Reg. 19. scidit vestimenta regalia, cilicio operitur, longissimas preces ad Deum facit; magna hæc fuerunt virtutum semina, sed scire cupis, quam citò fructificauerint. Accipe textum sanctum: *Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum, &c.* In ipsa nocte virtutum exercitatum, vel antè crastinum respondit fructus iustitiæ, & lacrymarum, descendente Angelo, qui hostes fugaret, & spolia ingentia Ezechiæ traderet. Rem habes apud Egesipp. lib. 5. de Excid. Ierosol. cap. 16. Ezechias Rex insulso Assyriorum populo genti Iudææ, cum voce Rabsacis Imperio Sennacherib Regis, quæ in Deum iacerentur conuitia, quæ populo, quam suprema exitia denuntiarentur, satis comperisset; insinuantibus non verba verbis, nec arma armis referẽda credidit: *Sed exurgens, cilicio se vt scuto induit, pro galea cinere caput texit, pro iaculis orationem intersit. Ascendit oratio, descendit Angelus, casu per noctem Assyriorum cadauera numerauimus, &c.* Expende illa, nimirum: *Ascendit oratio, descendit Angelus:* vix vllum intercessit medium, inter virtutum opera, & fructus earum; vt sese virtutibus dedit rex, vt ad Deum mortificatus orauit, statim venit Angelus, qui hostes percuteret, & spoliis Regiam Ezechiæ ditaret. Sic Ioan. c. 3. ait: *Qui credit in filium, habet vitam æternam.* Pondera illud, *habet*, non expectat postmodum habere, sed quasi iam præ manibus habetur, quod est luctum, & præmium credentis. Ex quo D. Cæsar. frater Nazian. dialog. 3. ait: *Sermoni diuino credentes, futurúmque certò tenentes, veluti si iam in eo constituti simus, ita simus affecti.* Non è longinquo aspiciamus ea, quæ præmia sunt virtutum exercitarum, sed putemus illa adeo esse vicina nobis & proxima, vt iam iam manibus prendantur. Non multum solet dilatari retributio iustis debita: hinc Egesippus lib. 5. de Excid. Ierosol. cap. 1. ponderat, Neronem post alia immania facinora ad hoc deuenisse, vt bellum inferret Christianis, quo suum supplicium accelerare, quando Christianorum iustorum solatium non potest tardare. Sic enim ait: *Demens tamen Nero, cùm Iudæorum bello afflictam Romani exercitus validam manum cognouisset, aduersus Christianos insurrexit, vt ei debitus finis appropinquaret.* Et quidem non poterat Neroni finis non appropinquare, vbi hic dandus erat iustis hominibus in requiem, & solatium.

D. Bern.

4. Reg. 19.

Egesipp.

Gen. 30. Tollénsque Iacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticauit eas, detractísque corticibus in his, quæ spoliata fuerant, candor apparuit: illa verò, quæ integra fuerant viridia permanserunt, atque in hunc modum color effectus est varius. Posuítque eas in canalibus, vbi effundebatur aqua, &c.

§. XIII.

Sub Beatifica Trinitatis auspiciis omnia nobis bona affluunt.

Vt albæ oues variis coloribus aspersos fœtus parerent, & inde afflueret Iacobo maior substantia, generationis meliori tempore apponebat vir sanctus virgas populeas, amygdalinas, & ex plantanis in canalibus, nec vacat mysterio, quod triplex genus apponeret virgarum, quo insinuabat sub Beatificæ Trinitatis auspicio omnia deberi bona procurari, vt certiùs affluant. Non longè abest D. Amb. lib. 2. c. 4. fatus: *Sibi gregem multarum, præstantiúmque virtutum colligebat, vt potentiis ouibus virgam styracinam, & nucinam, & de platano proponeret in canalibus, quo concupiscentes Beatissima Trinitatis mysteria, haudquaquam decolores fœtus promentis conceptione formarent.* Ecce tibi ad gregem multarum virtutum colligendum, qualis diligentia præstatur; nimirum triplex virgarum fasciculus ob oculos ponitur, vt sub auspicio Trinitatis nulla virtus non affluat, nullum bonum queat desiderari. Et quod bonũ non excitatur, & prosilit, vbi diuinæ Trinitatis vestigium apparet? A principio creationis mundialis, Gen. 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, aut siue, vt legunt alij: *Spiritus Domini incubabat super aquam*; vt sic illas fœcundaret ad generationem cœlestium alitum. Post plura autem sæcula regenerationem filiorum Dei Dominus tractans, ait Matth. 28. *Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Sic renascendorum canalibus affigit nomen Trinitatis. Et cur nomen Trinitatis ibi affigit? Vt fœcundissima Dei misericordia, quæ ab initio visebatur in aquis producens cœlestes alites, nunc nomine Trinitatis audito accurreret, & agnosceret suos fœtus, & de illis cœlestia ditaret. Ait enim D. Clemens Papa epist. 4. *Est in aquis misericordia Dei quædam, quæ ex initio ferebatur super eas, & agnoscit eos, qui baptizantur sub appellatione triplicis sacramenti, & eripit eos de suppliciis futuris, quasi donum quoddam offerens Deo animas per baptismum consecratas.* Ecce tibi vt ad appellationem Beatissimæ Trinitatis diuina misericordia prosilit, & domum Dei replet animarum donariis. Omnes mihi credite, diuitiæ Dei affluunt sub auspicio Trinitatis. Apud Lucam cap. 6. cœlestes benedictiones numerans Dominus tertio loco apposuit fontes lacrymarum, ait enim: *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. Beati, qui nunc esuritis, quia saturabimini. Beati, qui nunc fletis, &c.* Sed cur lacrymarũ fontes loco tertio apponuntur, nisi vt innuatur, quòd omnis diuina donatio, imò & peccatorum condonatio beneficio succedit beatificæ Trinitatis? D. Amb. lib. 5. in Luc. fatur: *Bene tertia benedictio est peccata deflentis, quia Trinitas est, quæ peccata condonat.* Vbi aliquod donum ex Deo affluere nobis debet, necessarium est apponi ibi vestigium Trinitatis, sub cuius auspicio, & peccata condonantur, & exundant fœcundissimi fontes gratiarum. Ionæ c. 3. ea lect. Septuag. dicitur: *Adhuc tres dies, & Niniue subuertetur.* Tres dies signantur in pœnitentiæ spatium, vt etiam detur signum iam iam erumpentium gratiarum, quando sub Trinitatis vmbris, non possunt non hominibus mille refrigeria parari. D. Ephrem ser. de Pœnit. ait:

Ambr.

Gen. 1.

D. Clem.

Ambr.

Ionæ 3.

Ephrem.

Tres

Tres dies lex, & Euangelium peccatoribus ad pœnitentiam prædicant. Quid ita? Quoniam gratia Trinitatis remiſſionem ex nimia benignitate ſua præbet. Tres dies ex præſcripto conceduntur pœnitentibus, quoniam per conſubſtantialem Trinitatem, humanitas mortis reatum exuit, atque abiecit. Tres habet dies pœnitentia ad conſequendam veniam: quoniam nouit Trinitatem, vinculum peccati ſoluentem. Quæcunque gratia, quodcunque donum à Deo fuerit in nos profectum, ſub hoc Trinitatis beatiſſimæ auſpicio certius, & ſecurius, & abundantius veniet. Meritò D. Amb. lib. 5. epiſt. 32. ait: *Grande carmen iſtud eſt, quo nihil potentius. Quid enim potentius, quàm confeſſio Trinitatis?* Sanè potentiſſimum incantamentum habes, vt multa tibi bona trahas, ſi Trinitatem confitearis. Huc trahe dicta tom. 4. in Euang. lib. 18. c. 8. §. 21. *Ambr.*

§. XIV.

Fœlix homo, cuius opera conformantur fidei præhabitæ in mente.

APpoſuit Iacob diſcolores virgas ouibus concipientibus fœtus: & ait textus: *Factum eſt autem, vt oues intuerentur virgas, & parerent maculoſa, & varia, & diuerſo colore reſperſa.* Nec parum inſinuat bonitatem ouium, quòd earum fœtus ſic perfectè internæ imaginationis picturam ſequerentur. Et ſanè in ouibus Chriſti, in grege Chriſtiano, hoc maximè facit ad eius commendationem, ſi iuxta internæ fidei cognitionem, & repræſentationem externa opera efformentur. Pulchrè enim ait D. Amb. lib. 2. c. 4. *Bonæ oues, quæ bonorū partus operum fidei ſacræ non degeneres ediderunt.* *Ambr.* Hæc tota præſtantia hominis Chriſtiani, qua, ab eo, quod fide credit, quod fide diuina tenet, in operibus non degeneret: & reſpondeant operum partus fidei cognitioni præhabitæ in mente. Sunt equidem qui fidei oculis tenent Deum iniquitatum vltorem, tenent ſupplicij æternitatem, vel præmij, & ea eliciunt opera, quæ potiùs hominem atheum, & ſine ſpe, & metu referant. Heu malum pecus! Heu ouis à morte depaſcenda! Non ſic Chriſtianæ oues viuant, ſed tales ſint, quorum partus reſpōdeat fidei mentis. Aiebat Dominus Hierem. c. 29. *Ego ſcio cogitationes, quas ego cogito ſuper vos, cogitationes pacis, & non afflictionis.* *Ierem. 29.* Sic diuiniſſimus Dominus totus eſt in cogitando pacis cogitationes: naſcitur tandem Dei Verbum de vtero virginali; & quod erat apud Patrem Deus naſcitur factus homo, & ſtatim reſonant Angelicæ voces Luc. 2. *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus.* *Luc. 2.* Cur non magis Redemptio cantatur, & ſalus noſtra? Cur pax eligitur ad celebrandam natiuitatem Domini? Sanè neceſſum erat, quod in Chriſto externus partus prorſus correſponderet generantis cogitationi; & qui à patre pacem cogitante prodibat, nil magis exterius in ſe oſtenderet, quàm pacis expreſſionem. Ait enim acutè D. Ber. ſer. de Sancto Bened. *Filius à Patre proceſſit, & venit in mundum, vt qui prius erat cogitatio pacis in corde Patris, fieret & ipſe pax noſtra in vtero Matris.* *D. Bern.* Non ortus, ſed abortus haberetur, ſi à cogitatione, quæ erat in corde Patris generantis, Filius deſciſceret: ſi prorſus ei non correſponderet. Correſpondit autem diuina proles exterius genita cogitationi internæ ſui progenitoris; & vt in mente Patris cogitatio erat pacis, ſic dum exteriùs Ieſus progignitur, viuida pace totum mundum replet. Vtinam & hoc vniuerſæ Chriſti oues æmulentur, & quando plenam habent mentem fidei myſterijs, ea producant opera externa, quæ vndique habent fidei normam mente conceptam. Non ſic multi, de quibus Paul. ad Titum c. 1. *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant; cùm ſint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.* *Tit. c. 1.* Itaque Dei bonitatem cognoſcunt, eámque mente tenent, & mente ſuſpiciunt, at in operibus nihil oſtendunt ſimile tanto præconcepto, & credito bono; imò apparent ad omne opus bonum reprobi. Quid eſt reprobos eſſe ad opus bonum? S. Bruno ait: *Quia nihil, quod boni ſimilitudinem habeat, operantur.* *S. Brun.* Proh degeneres, & reprobos partus Chriſtianarum ouium: cognoſcunt Dei bonitatem, cognoſcunt ſummum bonum; & ea operantur opera, quæ nullam habeant ſimilitudinem boni; in quibus omnis videatur abraſa boni, honeſtique memoria.

***

Gen. 31. Poſtquàm autem audiuit verba filiorum Laban dicentium: Tulit Iacob omnia, quæ fuerunt patris noſtri, & de illius facultate ditatus, factus eſt inclytus: animaduertit quoque Laban, quòd non erga ſe eſſet ſicut heri, & nudiuſtertius. Maximè dicente ſibi Domino: Reuertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam, eróque tecum. Miſit, & vocauit Rachel, & Liam in agrum, vbi paſcebat greges, dixítque eis: Video faciem patris veſtri, quòd non ſit erga me, ſicut heri, & nudiuſtertius, &c.

§. XV.

Improborum hominum affectus, vt vilis, ſic facili negotio in peius mutantur.

QVis credat impij hominis amori? Quis ſe eius committat amicitiæ? Ecce tibi Labanus amantiſſimus Iacobi, illum domi ſuſcipit, illi filias tradit, & enixè contendit, ne è domo ſua abeat, nulli pretio parcens, dum generum detinere poſſet, vt eius opera fruatur. Sic Labanus erat affectus erga Iacobum, interea tamen Labani filij cœperunt Iacobum mordere apud Patrem, Iacobique diuitiis quaſi patri ereptis detrahere: quid tunc? Statim animaduertit Iacob, quòd Laban *non erga ſe eſſet, ſicut heri, & nudiuſtertius.* Non potuit viri impij affectus durare, quin vel paucis ſuggeſtionibus totus extorqueretur, & muteretur in prauum. Ait enim Chryſoſt. ibi: *Verba puerorum Laban eius mentem turbauerant, & oblitus eſt, quod prius dixerat ad Iacob.* *Chryſoſt.* Non abſimilem rem inuenio in Ariſtobulo Iudæorum tyranno: is enim è fratribus vnum Antigonum chariſſimum habuit, eúmque vehementer amabat, & regni conſortem prædicabat: quo cæteri fratres inuidia ducti in Antigonum armantur, cuius ambitionem, & erectos animos ſæpiſſime taxant apud Ariſtobulum fratrem, vt illum ſuſpectum habeat. Nec irrita fuit inuidia fratrum; ſed eius ſuggeſtionibus perſuaſus Ariſtobulus affectum in odium mutauit, & incunctanter, quem ſummo amore proſequebatur, morti tradidit. Rem pulchrè ponderans Egeſippus lib. 1. de Excid. Ieroſ. c. 1. *Ac primùm Ariſtobuli in ipſum Antigonum ferus animus exaſperatur, & de amore in odia conuertitur, vt eum ante omnes notaret, quem ſolitus ſibi conſortem imperij pollicebatur, adeò apud improbos affectus vilis, vt citò prauis ſuggeſtionibus extorquentur.* *Egeſipp.* Nihil ingenuū, nihil nobile, nihil conſtantis viri ſapiunt improborum hominum affectus, ſed vt viles ſunt, ſic vel leui murmure penitus exſufflantur. Ex quo lucem affero Aſſyrij ducis verbis apud Iſaiam c. 36. datis, vt Ezechiæ ſuſpectas amicitias Ægyptiorum faceret. Ait enim: *Ecce confidis ſuper baculum arundineum confractum iſtum, ſuper Ægyptum, cui ſi innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam. ſic Pharao Rex Ægypti omnibus, qui confidunt in eo.* *Iſai. 36.* Et quidem Ægyptiorum amicitia, vt omnis amicitia improborum hominum rectè arundini comparatur, propter inconſtantiam, qua vel auræ tenuiſſimæ ſibilo in hanc, aut in contrariam partem inclinatur, & mutatur. Inſuper, vt arundo fragilis eſt ad ſuſtentandum, & fortis ad feriendam manum: ſic impiorum amicitia fragilis eſt, vt auxilium præſtet, etiam in maiori augmento ſuo parum opitulatur; verùm vbi vergitur in contrarium, ingentia nouit cauſare damna. Hæc ſigna comitantur ſemper improborum amicitias: & cur his effectibus, & ſignis inficitur amicitia mundialis, amicitia Ægyptiorum? Ait Rabſaces ibi: *Quòd ſi confidis in Ægypto, in quadrigis, & in equis:* *Rabſac.* quæ verba ſic ex Septuag. verſione conflantur à Leone à Caſtro: *Serui ſunt dominorum viliſſimorum, qui confidunt in Ægyptiis, in equum, & in aſcenſorem.* *Septuag.* Miſer es, quiſquis Ægyptiis, quiſquis improbis hominibus te credis; ſunt equidem illi viliſſimi domini, viliſſimi homines; & adeò vilis cordis affectus proculdubio arundo erit, quæ vel ſibilo moueatur, & quæ paruum auxilium dedit, non paruum inferat damnum. Nunquam, mihi crede, in impiis hominibus aliam amicitiam, alium affectum inuenies, niſi qui extremam ſapiat vilitatem, & inconſtantiam. Quod crediderim inſinuatum Pſal. 1. *Non ſic impij, non ſic,* *Pſal. 1.*

sic; sed tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ. Ecquid vilius, ecquid inconstantius puluere inuenitur, qui leui aura commouetur, & exsufflatur? Sic impiorum affectus, ad similitudinem pulueris vilescunt, & commutantur. *Chrysost.* Vt dicat D. Chrysost. hom. 24. in Matth. *Corruptibilis est dilectio carnis. Mendax est omnis sæcularis amicitia, quæ diuini timoris vinculo non est ligata. Non est fides in seruis Diaboli.* Sanè qui vitiorum mancipia sunt, fieri nequit, vt norint amicitiæ, & ingenuitatem & constantiam.

Genes. 31. Deus autem patris mei fuit mecum. Et ipsæ nostis, quòd totis viribus meis seruierim patri vestro. Sed & pater vester circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus: & tamen non dimisit eum Deus, vt noceret mihi.

§. XVI.

Deus viro iusto pro inexpugnabili armatura est.

ERat Deus cum Iacobo, qui, licèt inter inuidos, & sibi infensos homines versaretur; nullum tamen nocumentum accepit ab illis. Et quomodo Labanus Iacobo infestus, & filiorum solicitatus inuidia non nocet homini peregrino? Ait Iacob: *Non dimisit eum Deus, vt noceret mihi.* Et quidem Deus viro iusto inexpugnabilis est armatura, ne ab aliquo possit feriri. *1.Reg.17.* Inermis Dauid, 1.Reg.17. dicit ad Philisthæum: *Tu venis ad me cum gladio, hasta, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini, &c.* Eapende, quæ arma opponat Dauid gladiis, & hastis Philisthæi; nimirum, vnum illis opponit nomen Domini, vt qui sciat Deum pro inexpugnabili esse armatura viris iustis. *Ioseph.* Aiebat Iosephus lib. 6. de Antiquit. cap. 10. *Tu me inuadis hasta tua confisus, & thorace, & gladio: mihi verò pro armatura Deus est, qui te ac tuum exercitum nostris manibus hodie deleturus est.* Expende illud: *mihi pro armatura Deus est*, quippe qui Deum pro se habet, in illo solo armaturam habet, qua & sese tutissimum seruet, & hostes perdat. Psal. *Psal. 108.* 108. *Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis, & in nomine Domini, quia vltus sum in eos.* Ecce tibi hostibus erat vallatus, vt vallari solet fauum examinibus aculeatis apum; insuper hostium ira flammabat, vt vel robustissimum quemque tanquam vilem stipulam absumeret. Quibus ergo armis euadet homo de tam conferto vallo, de tanta hostium rabie? Ait Dauid: *In nomine Domini, quia vltus sum in eos*: vno se Dei nomine protexit, & risit omnes hostiles rabies. *Chrysost.* Chrysost. ibi: *Tanquam ignis accurrebant, tanquam apes cum magna animi alacritate inuidebant, intus interceptum tenebant, neque aliquid potuerunt facere. Arma enim inuicta, auxilium inexpugnabile Dei nomen omnes expulit.* Fœlix, cui adest Deus, sub cuius vel nomine & inimicis formidabilis, & inuictus erit: inter ipsa iacula, inter volantes iam mortes, inter venenatas sagittas liber & securus proficiscetur. *Isai. 51.* Ait Isaias cap. 51. *Audite me, qui scitis iustum, populus meus; lex mea in corde eorum, nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis, & sicut lanam, sic deuorabit eos tinea; Salus autem mea in sempiternum erit, & iustitia mea in generationes generationum.* Quid maioris consolationis dici potest illis hominibos, quibus cùm sit cordi lex diuina, tamen maledicta, & opprobria hostilia in eos congerunt peccatores? Sed præstat eadem verba proponere iuxta lectionem D. Ephremi, qui Parænesi 40. *Ephrem.* legit: *Populus meus, cuius nomen meum in cordibus vestris, nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum inueterascet tempore, & sicut lana comedetur à tinea, ita destruentur ob ventura mala, &c.* Planè cui nomen Dei cordi est, qui sub nomine viuit diuino, non timeat venenatas linguarum sagittas, non timeat hominum opprobria, rabidas, & blasphemas peccantium voces non timeat. Omnia hæc veterascent vt vestimentum, & comedentur à tinea, & destruentur; vnà de omnibus triumphabit Dei virtos. O fœlix populus, ô natio, ô religio fœlicissima, quæ nomine Iesu insigniris, cuius in corde rutilat Iesu nomen salutiferum, de cuius munere habes inter maledicta, & opprobria hominum, imò inter blasphemas voces, & venenatas linguarum sagittas viuere, & fœliciter, & prosperè viuere. Illa enim veterascunt, & si renouentur in dies, tamen apparent comesta à tinea, & vera Christi virtus in re æternùm rutilat.

Gen. 31. Vidi omnia, quæ fecit tibi Laban. Ego sum Deus Bethel, vbi vnxisti lapidem, & votum vouisti mihi. Nunc ergo surge, egredere de terra hac, reuertens in terram natiuitatis tuæ.

§. XVII.

Cultus religionis auget homines Principes.

NOn otiosè Deus meminit Iacobi votum, & lapidis vnctionem factam in Bethel, vbi se illius protectorem asserit, vt prosperè, & sine conflictu, sed in pace ad propria proficiscatur: sed vt ostendat causas totius prosperitatis, & pacis viris principibus venire, ex cultu religionis, & erga Deum pietate. Quòd enim Deus Labanum comprimeret, ne insurgeret in Iacobum; quòd Iacobum inter inuidos fratres prosperum, & pacificum seruaret, vnde profectum putabis? Ipse ait; *Sum Deus Bethel, vbi vnxisti lapidem, &c.* Lapidia illa dedicatio, à Iacobo peracta, tantam illi attulit prosperitatem, & pacem, vt dicat D. Amb. lib. 2. c. 5. *Ambr.* *Non mirum, si pacem haberet, qui columnam statuerat, & vnxerat Deo.* Qui erecta columna, erectóque altari Deo opt. max. cultum, & religionem exhibuit, quos hostes timeat, quam non habeat pacem, & prosperitatem? Alexander Iudææ Rex à vita discedens filiorum tutelá, & regni curam vxori tradidit, nec irritam fecit mariti spem fœminæ religio, quæ dimissis armis, & cultu religionis adscito mirum in modum hac vna diligentia imperium auxit. De illa enim agens Egesippus *Egesipp.* libr. 1. de Excid. Hierosl. cap. 12. ait: *Nec improuida viri sententia fuit, non regnandi ius mulier inoffensè exercuit, sine vllo fœminei sexus impedimento, & acquisiuit moderandi gratiam sacra legis obseruatione. Nam dum attentior circa templum cura exerceretur, successit imperij vigor.* Non nouum est cum religionis cultu exaltari imperia, imò vix fieri potest, quòd vbi floret religio, vbi cultus sacrorum splendet, non simul floreat, & splendeat imperij vigor, bonorum augmentum. In Israelis Republica id obseruabat D. Cyril. Alex. lib. de recta in Christum fide ad Theodosium: *D.Cyrill.* *Quotquot ex illis Regibus, cultu, & obseruantia, quæ Deo debentur, impiè contemptis, legibúsque iustitiæ administris pro nihilo ductis, suo fastus, suísque libidinibus verè indulgendum esse putauerunt, omnes hi malè & miseri, malè, & miserè perierunt. Est enim res periculosissima, quippiam in Deum committere, proculcatáque æquitate, quocumque modo in offensam eius incidere. Contra verò, quicumque se pios in illum declararunt, quæque illi placitura credebant, omni ope præstare elaborarunt, citra sudorem ac puluerem hoste deuicto, debellatóque triumphum cecinerunt. Eiusmodi inter cæteros fuit Iosias, qui Idolorum cultoribus, vnà cum delubris ipsis & aris incensis regnum apprimè nobilitatum, summáque apud veteres, & recentiores omnes laude dignum reliquit.* Sic Cyrillus persuadet Theodosio Imperiorum augmenta in cultu religionis consistere; quando qui hunc cultum abiecerunt, in summas redacti fuerunt angustias, qui verò Dei altaria curarunt, illáque religiosè ornarunt, gloriosos egerunt de tyrannis triumphos. Apud 1. Reg. 5. *1. Reg. 5.* *Philisthiim autem tulerunt arcam Domini, & asportauerunt eam à lapide adiutorij in Azotum. Tulerúntque Philisthiim arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & statuerunt eam iuxta Dagon. Cùmque surrexissent diluculo Azotij altera die, ecce Dagon iacebat, &c.* Quam historiam meditatus Iosephus apod Egesippum lib. 5. de Excid. Hierosol. c. 16. ait: *Ioseph.* *Intermissa erat sacra cura religionis Heli sacerdotis negligentia, diuina imperia deserebantur, irrogatum ab Allophylis prælium, victi Hebræi, capta etiam arca Dei est, & sine armis reddita illis; quo indicio claruit, quòd & sine religione arma non vincant, & religionem sine armis vincere.* Hæc ibi.

Gen. 31. Responderúntque Rachel, & Lia: Nunquid habemus residui quicquam in facultatibus, & hæreditate domus patris nostri? Nónne quasi alienas reputauit nos, & vendidit, comeditque pretium nostrum? Sed Deus tulit opes patris nostri, & eas tradidit nobis,

&

& filiis noſtris: vnde omnia, quæ præcepit tibi Deus, fac.

§. XVIII.

Fœminas maximè rapit aurum.

MIraris, quod Rachel, & Lia tam facilè deſerant patrem, & Deum ſibi vſque tunc ignotum ſequantur clamantes, *Omnia, quæ præcepit tibi Deus, fac.* Vnde fœminæ gentiles tam ſubitò Dei veri deuotæ apparent; pro quo ſequendo non dubitant relinquere patrem? Ipſæ aiunt: *Nihil habemus reſidui in facultatibus, & hæreditate patris noſtri, ſed Deus tulit opes patris noſtri, & eas tradidit nobis.* Nihil lucri vident apud patrem, quod à Deo & habent, & ſperant maximum; quare non mirandum eſt, quòd ſibi inutilem relinquant patrem, & lucrum ſequantur. Hoc eſt muliebre ingenium, quo auidè ad lucrum rapiantur: vt veriſſimè dixerit prophanus ille, *Fauſt.* nimirum Fauſtus Foroliuienſis in Elegiis.

Fœmina, ſi neſcis, ſolos petit improba nummos.

Sub hoc ſydere fœmineus animus agitur: ſi nummi dantur, ſi aurum apparet, ſi lucrum ſpectatur, quod dum ſpectent, ad Deum current, vel etiam current ad laqueum, ſi ibi clarius rutilet aurum. *Baſil.* Quocirca aiebat D. Baſil. hom. 7. in diuites auaros: *Nullus muliebri concupiſcentiæ ſatis theſaurus, non ſi è ſluminibus fluxerit. Gaudent auri cupidæ fœminæ manicis ligari, dummtaxat ex auro ſit vinculum.* Rutilet aurum, & ſiue in cœlo ſit, ſiue in laqueo, æqualiter fœmineas mentes ad ſe trahet. Propriſſima fœminarum eſt auri ſitis. Infrà introducitur Rachel furata Idola patris, & ſuper idola ſedens, ne inueniretur à patre. *Gen. 31.* Ait enim Gen. 31. *Illa feſtinans abſcondit idola ſubter ſtramenta cameli, & ſedit deſuper.* In quo repræſentatur pœnitens, qui peccata auaritiæ calcat. Sed cur ad repræſentandum calcatorem auaritiæ, fœmina proponitur, fœmina ſedens ſuper Idola, niſi quia auaritia maximè inuenitur in fœmineo animo? *D. Greg.* Sic D. Greg. lib. 30. Mor. c. 16. inquiens: *Nos igitur Rachel ſignauit, qui Idola ſedendo premimus, ſi culpas auaritiæ pœnitendo damnamus. Quæ auaritia illis non ſolet euenire, qui in via Domini viriliter currunt; ſed his maximè, qui effœminato greſſu gradientes per blandimenta ſæculi reſoluuntur. Vnde & ait Rachel: Iuxta conſuetudinem fœminarum nunc accidit mihi.* Quæ notior fœminarum conſuetudo, quàm in ſe abſcondere Idola auaritiæ? Nihil enim magis cordi eſt fœminę, quàm ad lucra currere. *Iſai. 32.* Hinc Iſaias c. 32. vniuerſos Iudæos, vt mauult D. Thom. mulieres vocat, quippe ait: *Mulieres opulentæ ſurgite, & audite vocem meam.* Et cur mulieres vocat vniuerſos Iudæos, niſi vt eos auariſſimos denotet, & cupidiſſimos lucri? *Ambr.* Sic enim de auaris loquitur D. Amb. lib. de Nabuth, c. 3. *Velant faciem ſuam, ne quicquam in Orbe terrarum alienum videant, ne quicquam in hoc mundo non eſſe ſuum nouerint, ne audiant vicinum iuxta ſe aliquid poſſidere, ne audiant pauperem ſibi contradicentem. Horum animæ ſunt, quibus dicit Propheta: Mulieres diuites exurgite.* Nulla equidem auaritiæ rabies, nulla vehemens auri, lucríque cupido meliùs oſtenditur, quàm ſi oſtendatur illa, quæ tenet animos fœmineos. Ij enim nec in amorib. ſuis tam rapiuntur voluptatum ſtimulis, quàm lucri illicibus. Id quod in vna apparet Ægypti regina, nimirum Cleopatra, de qua ſic loquitur Egeſippus lib. 1. de Excid. Hieroſ. c. 35. *Egeſipp.* *Iam Antonius Cleopatræ amore deſœneratus inſeruiebat; atque addictus eius libidini famulabatur, ſed vincere non poterat fœmineas auiditates, & maximè exercitata mulieris in cædibus propinquorum, quibus extinctis, poſſeſſionem eorum quaſi ſpolium ſuis iunxerat, eadem auaritia ſimul, & crudelitate, ſi quos de Syria locupletiores fama acceperat, interficiebat, atque addicto iam ad ſuas libidines Antonio regnum quoque Iudææ, & Arabiæ extinctis vtrique genti imperitantibus, auaritiæ ſuæ adiungi poſſe arbitrabatur.* Ecce tibi fœmina inter ipſos amores, magis auaritiæ ſtimulis raptata, Imperatori Romano ſe ſubſternit, non ob voluptates, ſed ob lucra, vt poſſet maiora rapere. Quàm meritò câtariſſima illa fœmina, *Apoc. 17.* Apoc. 17. proponebatur *habens poculum aureum in manu ſua plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius.* Non contenta habere in manu ſua voluptates, eas habebat in auro, quaſi nihili faceret omnes delicias, quibus aurum & lucrum non ſuffragatur. *D. Amb.* Ait D. Ambroſ. in Pſal. 1. *Propinauit illa de vino ſuo, cui metalli ſuffragia requiſiuit.* Non æſtimat fœmina voluptates, niſi illis ſuffragetur rubrum metallum, hoc ſi adſit, nihil non admittitur mali. Hinc carpuntur Romani ſapientes, qui propoſito magnarum diuitiarum vſu ad hoc alliciebant puellas Romanas, vt ſuam virginitatem Veſtæ ſaltem ad tempus ſacrarent. Inſipienter enim auro propoſito virginitas captabatur, cùm ad aſſerendam virginitatem, potior eſſet contemptus auri. Pulchrè enim ait D. Amb. *Ambr.* lib. 5. epiſt. 31. *Non eſt integritas quacumque tanquam in auctione nummaria ad tempus ſolicitatur compendio. Prima caſtitatis victoria eſt facultatum cupiditates vincere, quia lucri ſtudium tentamentum pudoris eſt.* Parum æſtima fœminæ virtutem, quæ lucro nititur; ſtudium habendi nunquam non labefactat pudicitiam: vt quæ ſe velit ſeruare pudicam, in primis omnem lucri cupiditatem à corde eliminet. Vide infrà c. 4. p. 2. §. 16.

Geneſ. 31. Surrexit itaque Iacob: & impoſitis liberis, ac coniugibus ſuis ſuper camelos, abiit. Tuliſtque omnem ſubſtantiam ſuam, & greges, & quicquid in Meſoporamia acquiſierat, pergens ad Iſaac patrem ſuum in terram Chanaam. Eo tempore ierat Laban ad tondendas oues, & Rachel furata eſt idola patris ſui.

§. XIX.

Magna hominis fœlicitas eſt, quòd ea bona habeat, quæ ſecum poſſit omnia aſportare, etiam abiens ab hoc mundo.

NOn otioſè dictum putes, quòd Iacob *omnem ſubſtantiam ſuam, & greges, & quidquid in Meſopotamia acquiſierat*, ſecum tulerit, ad patrem ſuum proficiſcens; facit equidem hoc ad magnam hominis fœlicitatem, quòd ea bona poſſideat, quæ omnia ſecum ferat, etiam cœleſtis Patris domum petiturus. Ait in præſenti D. Ambroſius: *Ambr.* *Nunc conſideremus, qualis vir iuſtus eſſe debeat, ſi mundia fuerit exorta. Primùm, vt declinet eam: melius eſt enim ſine lite abire, quàm reſidere cum iurgio. Deinde, vt talia poſſideat, quæ ſecum auferre poſſit.* Meritò commendatur iuſtus, qui ea poſſidet, quæ ſecum etiam auferat, cùm abeat à vita, ad Patrémque cœleſtem feſtinet. Quò reſpiciebat Eccleſiaſtes cap. 5. *Eccleſ. 5.* *Et omni homini, cui dedit Deus diuitias, atque ſubſtantiam, poteſtatémque ei tribuit, vt comedat ex ea, & fruatur parte ſua, & lætetur de labore ſuo, hoc eſt donum Dei.* Non mediocre donum Dei eſt, ſed magnum, quòd ea poſſideat bona, quibus & hic, & in futuro ſæculo frui poſsit; vt vel degens in terra, vel abiens à mundo vtatur propriis ſuis bonis, & laboribus. Quod expreſsiùs poſuit Chaldæus Complutenſis, fatus: *Chald.* *Omnis quoque homo, cui dedit Deus diuitias, & ſubſtantiam, & poteſtatem, dedit ei Deus, vt comedat ex eo in hoc ſæculo, & vt faciat ex eo eleemoſynam, & vt recipiat mercedem perfectam patris ſui in ſæculo venturo, & gaudeat in labore ſuo cum iuſtis, ecce hoc donum eſt, quod datum eſt ei, ſydere bono ſuo, à facie Domini.* Itaque hoc fœliciſsimum homini eſt, quòd accipiat ea bona ex Deo, quibus & viuat in præſenti, & quæ per eleemoſynam exhibita ſecum deferat, vt eiſdem in futuro ſæculo apud Patrem cœleſtem vti poſsit. Hinc monebat Dominus, Luc. 12. *Luc. 12.* *Vendite, quæ poſſidetis, & date eleemoſynam; facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt.* Omnia vendi, & alienari, & diſtribui mandat; & rurſus petit fieri ſacculos. Si omnia alienãda, & diſtribuenda ſunt, quid eſt, quòd iubemur facere ſacculos? Pulchrè D. Chryſol. ſerm. 55. *Chryſol.* *Homo, tali monitu Chriſtus te ditare voluit, non nudare; manere tibi tua voluit, non perire: perpetuari, non vacuari ſacculos imperauit; iuſſit te transferre, non perdere.* Huc ſpectat Dominus, vt ſui fideles nihil bonorum relinquant in mundo, ſed omnia ferant ſecum in æternam vitam. De fœliciſsimo homine dicebat Pſal. 111. *Pſal. 111.* *Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.* Diſperſis diuitiis, & bonis, nihil putaretur manere cum homine iuſto; ſed ait Pſalmus, quòd poſtquam diſperſa omnia fuerunt, adhuc manent bona iuſto, quæ ſemper illum comitantur, & expectant. Chryſoſt. hom. 30. in Gen. *Chryſoſt.* *Pecuniarum ita diſperſa diuitia expendentem non relinquunt, ſed expectant.* Nunquam relinquitur homo, nunquam deſeritur à bonis ſuis inter pauperes diſperſis, imò quocumque abeat, inuenit illos. Non habebat hanc fœlicitatem auarus ille homo, qui dum ſeruare in annos plurimos curabat bona ſua, quidquid diſponebat, erat illorum deſtructio. Sic enim ait Luc. 12. *Luc. 12.* *Deſtruam horrea mea, & maiora faciam:* nequit inuenire horrea, quæ ſecum permaneant, ſed omnia putat deſtruenda eſſe. Quare illum monet D. Ambroſius, vt horrea paret, quibus in æternum poſsit vti, & quæ horrea hæc

ſunt?

sunt? Sanè ventres pauperum horrea sunt, in quibus bona immissa semper comitantur dominum suum, siue in præsenti degat, siue abeat in sæculum futurum. D. Ambr. serm. 81. *Quæ finis stulti huius laboris, & vanè, & instanter ædificare, & instantius destruere? Si vis ergo, ostendam tibi horrea tam parata, esurientium pauperum ventres, in ipsis tuos conclude thesauros. Tales enim tibi thesauri seruabuntur in cælis.* Fœlix est, qui his horreis abundat, qui ea bona habet, quæ disperguntur inter pauperes, in opera pietatis, hæc proculdubio secum asportabit, & illis apud cœlestem patrem abūdabit. Vnde monebat Chrysost. hom. 21. in Gen. *Fruere omni prosperitate, & cùm satisfeceris tuo vsui, quæ superuacua tibi, & otiosa iacent, necessariáque sunt aliis, distribue fame laborantibus, & per illorum manus in tuam patriam transmitte, in quam propediem tibi pergendum, vt omnia accipias. Illi enim plurimum tibi prodesse poterunt ad transuehendas illuc opes: vt quando abieris, omnia illic inuenias bene disposita, maiorique illic fungaris abundantia, videns ea à transuehentibus, imò à Dei misericordia ita multiplicata.* Huiusmodi planè sunt bona pauperibus communicata, quæ possint hinc omnia in cœlestem patriam asportari. Quid ergo fœlicius homini, quàm his impleri bonis, quæ non habeat necesse relinquere, sed & abiturus hinc secum ferre valeat? Meritò consulebat Damian. lib 8. epist. 14. sorores suas: *Vos itaque, quæ ad cœlestis nuptias firmo spei gradibus festinatis, nõ paruam partem vestræ substantiæ, in tuto loco reponite, vt ad immortalem sponsum sine vlla debeatis confusione transire; marsupium autem, vbi hæc tutissimè reponantur, sinus est pauperis, fiscus atque miserorum. Hoc nimirum fidele est depositarium sine vllo prorsus detrimento, quod susceperit, redditurum.* Hæc ibi.

D. Amb. — Chrysost. — Damian.

Gen. 31. Cúmque abiisset tam ipse, quàm omnia, quæ iuris sui erant, & amne transmisso pergeret contra montem Galaad: nuntiatum est Laban die tertio, quòd fugeret Iacob. Qui assumptis fratribus suis persecutus est eum diebus septem, & comprehendit eum in monte Galaad. Viditque in somnis dicentem sibi Dominum: Caue ne quicquam asperè loquatis contra Iacob.

§. XX.

Etiamsi dormiant Dei asseclæ, Deus stat pro illis.

FVgit Iacob, & Labanus fugientem insectatur, iámque fugæ erat sextus dies, & veniente nocte, dum ambo sese ad somnum recipiunt, in somnis adest Deus Labano, & ait: *Caue ne quicquam loquaris asperè contra Iacob.* Nondum dies est, nec dum fugit Iacob, & Laban persequitur, sed cùm tempus quiescendi, & dormiendi est vtrique, tunc Deus stat pro alumno suo. Etsi enim dormiat, qui Dei sequitur nutum, Deum habet pro se stantem aduersus hostes suos. De Abrahamo dicitur Gen. 20. *Profectus inde Abraham in terram australem habitauit inter Cades, & Sur. & peregrinatus est in Geraris. Dixitque de Sara vxore sua. Soror mea est. Misit ergo Abimelech rex Geraræ & tulit eam. Venit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte, & ait illi: En morieris propter mulierem, quam tulisti.* Et quidem solus, & peregrinus degebat Abrahamus in Geraris, ibique patitur iniuriam à Rege, videns sibi eripi vxorem dilectissimam. Et quid ad tantam rei atrocitatem Abraham? Sanè paulò antè pro captiuato nepote Loth aduersus quinque Reges exurgit, & ascitis trecentis seruis in auxilium, de Regibus triumphat? Nunc pro erepta sibi vxore ab vno solo Rege, non magis irascitur? Non magis seruorum colligit copias, & bellum infert? Sequebatur modò Abrahamus Dei nutum, & qui Deum perfectè sequitur, etiã si nihil faciat, si quiescat, si dormiat, Deus stat pro illo, qui vniuersos hostes deuincet, fugabit pericula. Ait enim textus: *Venit Deus ad Abimelech per somnium nocte, & ait illi: En morieris propter mulierem, &c.* Quid diuinius? Vel dormiente Dei asseclа, Deus perterrefacit hostes illius. Pulchre ad hæc aiebat Egesippus lib. 5. de Excid. Hierosl. cap. 16. *Non in multitudine populi, sed in timore Dei pater Abraham penetrauit Ægyptum, & cũ abducta coniugis captiuam videret pudicitiam, bello abstinuit, assũpsit; a orationis arma, defensorem adhibuit, qui dormiente eo vinceret, & expugnato hoste intaminatã sibi coniugem repræsentaret. Reddit Sara sine armis, referens viro triumphalem victoriam. Dormiebat Abraham, torquebatur Pharao.* Ecce tibi vel dormiẽte perfectissimo Dei assecla Abrahamo, eius hostis sic terretur à Deo, vt viro vxorem restituat intactam, & illũ metuat offendere in aliquo. Fœlices vos, qui ardenter festinatis implere Dei placita, fallar, nisi Deus vel dormiẽtibus vobis omnes aduersarios perterrefaciat. Huc traho Ezechiæ liberationem, 4. Reg. 19. arctabatur enim bonus Rex ingenti Assyriorũ exercitu, sed magis arctabatur hostilibus vocibus Deum blasphemantibus. Harum audacia commotus totum sese effudit in lacrymas, suspiria in cœlum iaculat, pro diuini nominis reuerentia vehementissimè dolet, & ad Deum clamat. Quid tunc? Surdescit Deus ad pios Regis clamores, & lacrymas? Absit, imò ait textus: *Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.* Et meritò putat Chrysost. in Psal. 108. non otiosè factam fuisse hanc Assyriorum cladem nocturno tẽpore. Sed cur expectat Deus tenebras noctis, vt mittat Angelũ, qui Assyrios percutiat, & liberet ciuitatem? Cur non magis interdiu id præstatur? Equidem dum dies erat, Ezechias Deum lacrymis, & multo virtutum exercitio solicitabat, in nocte forsan à fletu, & precibus abstractus se somno traderet. Cur ergo dum Ezechias vigilat, non magis apparet Dominus pro illo pugnare, sed tempus dormientis expectat? Vbi Ezechias tam ardenter Dei gloriã sequebatur, sic Deus pro illo in arena stabat, vt vellet ostendere, quòd vel illo dormiente, percuteret vniuersos eius aduersarios. Dormiebat Ezechias, & Assyrij iugulabantur. Ad hæc Prouerb. 3. *Fili mi ne effluant hæc ab oculis tuis. Custodi legẽ, atque consilium: & erit vita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis. Tunc ambulabis fiducialiter in via tua, & pes tuus non impinget. Si dormieris, non timebis, quiesces, & suauis erit somnus tuus. Ne pauras repentino timore, & irruentes tibi potentias impiorum. Dominus enim erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum, ne capiaris.* Expẽde ab illis, nimirum, *si dormieris, &c.* dum enim quis ad Dei præcepta, & consilia currit, sic pro illo stat Deus, vt omnes incursiones malas fuget, etiam dum dormit ille. Hinc Dauid Psal. 131. aiebat: *Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectulum strati mei. Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem. Et requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino, & tabernaculum Deo Iacob.* Cauet Dauid dormire, dum non inuenit locũ Domini, imò dum non quærit illum: quasi tunc securè solùm dormire posset, cùm Domino quærendo, & inueniendo sese totum, & perfectè dederit. Vbi enim anxiè quæsitum Deum inuenerit, & tenuerit, tunc non metuet dormire, certus quòd Deus dormienti adstabit, & pugnabit pro illo. Benè aiebat Orig. hom. 35. in Matth. dicens: *Votum vouit Dauid, non ascendere supra lectum stratus sui, nec dare somnum oculis suis, donec inueniat locum Domino, vt cùm inuenerit locum Domino, ascendat lectum stratus sui, & det somnum oculis suis.* Postquam enim sese quærendo Deo dederit, & quæsitum arctè tenuerit, defensorem habet, qui, vel illo dormiente, hostes prosternat.

Gen. 20. — Egesipp. — 4. Reg. 19. — Prou. 3. — Psal. 131. — Origen.

Gen. 31. Iámque Iacob extenderat in monte tabernaculum: cúmque ille consequutus fuisset eum cum fratribus suis, in eodem monte Galaad fixit tentorium: Et dixit ad Iacob: Quare ita egisti, vt clam me abigeres filias meas quasi captiuas gladio? Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi: vt prosequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & cytharis.

§. XXI.

Mundana gaudia, & deliciæ, non sic apta sunt ad deducendos eos, qui Dei nutum sequuntur, quàm ad detinendos.

MAlè Laban queritur, quòd non expectarit Iacob, vt cum gaudio, & canticis, & tympanis, & cytharis dimitteretur in patriã suam; quando enim hæc non tam ad deducendum, quã ad detinendum Dei asseclam pertinent, minimè illis deduci Iacob debebat, cui Dei nutus sequendus erat. Pulchre ait D. Amb. lib. 1. epist. 4. *Non equidem talibus deductoribus ad Ecclesiam Dei peruenitur, ad quam tendebat Iacob, vt eò deducerent populorum copias, inueheret nationum diuitias.* Eò ex Dei nutu spectabat Iacubi via, vt populus Dei fieret, vt Ecclesia

D. Amb.

iustorum

iustorum consurgeret, & populo plena appareret in mundo. Ad hoc autem minimè peruenitur talibus deductoribus, nimirum mundiali gaudio, canticis, tympanis, & cytharis. Non enim hæc sunt, quæ Ecclesiam Dei implent, quæ ducunt ad virtutē, sed magis detinent euntes. Componite modò ethnicam Romanorum religionem cum Ecclesia Romana à vero Deo excitatam. Ethnici illi, vt virgines puellas adducerent, quæ seruirent ad tēpus Vestæ, ingentia præmia diuitiarum, priuilegiorum, honoris, mundialisque gloriæ proponebant; & iis tantis gloriis propositis ægrè, & difficulter septem tantum puellæ inueniebantur. De Ecclesia Christi habes Apoc. 7. *Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Quòd si quæras, qui sint ij palmati, & vnde venerunt? Statim ait: *Hi sunt, qui venerunt ex tribulatione magna, & lauerunt stolas suas in sanguine agni.* Ecce tibi Ethnica Roma ingenti bonorum copia quærit puellas virgines, quas sistat Vestæ aris, & inuenit septem; verùm Roma Christiana per tribulationes, & paupertates inuenit innumerabilem turbam puellarum, virorúmque, qui sub castitatis balteo albicent, & triumphent palmati. Ibi septem solæ virgines, hic ingentia virginum sunt examina, & cur ibi tam paucæ, & hic tā multæ notantur, nisi quia ibi bonorum affluentia, hic contemptu colliguntur gaudiorum mundialium? Ad hæc D. Ambr. lib. 5. epist. 31. *Vix septem Vestales capiuntur puellæ. En totus numerus, quem infula vittati capitis, purpuratarum vestium murices, pompa lecticæ ministrorum circumfusa comitatu, priuilegia maxima, lucra ingentia, præscripta denique pudicitiæ tempora coegerunt. Attollant mentis & corporis oculos, videant plebem pudoris, populum integritatis, concilium virginitatis. Non vitta capitis decus, sed ignobile velamen, vsui nobile castitatis; non exquisita, sed abdicata lenocinia pulchritudinis: non illa purpurarum insignia, non luxus deliciarum, sed vsus ieiuniorum, non priuilegia, non lucra, omnia postremò talia, vt reuocari studia putes, dum exercentur officia.* Sane & gloria, & maiestas, & pompa, & purpura, & gaudia, & ingentes honores septem tantùm puellas colligebant obsequiis diuinis; at gloriæ contemptus, ieiunia, vigiliæ, & turbam innumerabilem trahunt, & populum implent virgineum: vt iam hinc discas temporalia bona non tam apta esse ad deducendos, quàm ad detinendos eos, qui ad Deum cupiunt venire. Et quidē Luc. 14. vbi ad cœlestis Regis cœnam inuitantur multi, qui iuga boum emit, & qui villam emit, sese excusant emptis bonis præpediti, & qui vxorem duxit, apertè dicit: *Vxorem duxi, & ideò non possum venire.* Expende illud, *non possum*, sic enim se præoccupatos mundi bonis, & deliciis aliqui ostendent, vt videantur inde vel potestatem amisisse procurandæ salutis. Ait D. Cyril. Alexand. lib. 4. de Adorat. *Vocati namque sunt ad nuptias, negligenter autem, remisséque sanctis inuitatoribus responderunt, dicentes; Vnus quidem agrum se coemisse, alter verò vxorem duxisse, nec posse se venire, audis vbique eos dicere, Non possum. Etenim humanus animus, ad mundi voluptates propensus, infirmus est, & inualidus ad ea exequenda, quæ Dei sunt.* Quem non infirment, & detineant mundialia gaudia, ne currat ad salutem?

Apoc. 7. — *Ambr.* — *Luc. 14.* — *Cyril.*

Gen. 31. Non es passus, vt oscularer filios meos, & filias: stultè operatus es, & nunc quidem valet manus mea reddere tibi malum, sed Deus patris tui heri dixit mihi: Caue ne loquaris contra Iacob quicquam durius. Esto, ad tuos ire cupiebas, & desiderio erat tibi domus patris tui, cur furatus es Deos meos? Respondit Iacob, quòd inscio te profectus sum, timui ne violenter auferres filias tuas. Quòd autem furti me arguis, apud quemcumque inueneris Deos tuos, necetur coram fratribus nostris. Scrutare, &c.

§. XXII.

Properanti ad authorem veræ salutis, detrimentosum est quidquid mundiale sibi præripiat.

DVrissimam, & rigorosissimam sententiam fert Iacob in eum, qui Labani Idola furatus fuerit: ait enim; *apud quemcumque inueneris Deos tuos, necetur coram fratribus nostris.* Nullum excipit a pœna, neque filias Labani ipsius, nec nepotes, sed vniuersos facit morti obnoxios, apud quos Idolorum furtum inueniri possit. Et cur tanta pœna decernitur aduersus eum, qui tulerit Labani Idola? Cur eo ipso mori deberet nepos, vel filia Labani, si conuincatur habere Idola patris? Tantumne facinus est, quòd filius patris Deos tollat, vt inde tradatur morti? Equidem in eo, qui relicto mundo, relictis parentibus Deum sequitur veræ salutis largitorem; vix lethale non est, quòd adhuc in se retineat aliquid de patris, mundíque idolis. Iosue cap. 7. durissima mortis pœna plectitur Achan, & omnis eius familia, imò non parua exercitus Israelitici pars simili pœna inuoluitur. Quòd si tā duræ sententiæ causam quæras, ait textus: *Achan filius Charmi tulit aliquid de anathemate; iratúsque est Deus contra filios Israel, &c.* Ecce tota causa diuinæ iræ, qua interficitur Acham, & non parua multitudo Israelitici populi; nimirum quia Achā aliquid tulerat de anathemate, & meritò interficitur, quia tulit aliquid de anathemate, qui Iesu militauerat, & pro acquirenda promissionis terra nomen dederat. Oportet enim liberum esse ab omni mundialium bonorum affectu eum, qui Deum sequitur, nisi velit mille mortis periculis subesse. Ait Cyril. Alex. lib. 5. de Ador. *Cæterum nulla præceptiratione habita, accepit Achan ex anathemate & iratus est furore Dominus aduersus filios Israel. Oportet enim, vt opinor, qui contra sæculi voluptates, & huius vitæ distractiones firmum in Christo animum opposuerint, ac laudē per arma iustitiæ merere instituerint, & qui iam in conspectu Christi venerint, eos nihil ex iis expetere, quæ in hoc mūdo admirabilia videntur, non opes, non gloriam, non potentiam, aut præstantem gradum.* Nihil horum in se retineat, nihil borū habeat in affectu suo, quisquis ad Dei vocem currere studet, nisi velit ad lethalia pericula deuenire. Nunquam enim non periculosum erit tibi, si postquam Christo sequendo nomen dederis, aduersúsque mundum bellum indixeris, aliquid adhuc in affectu, & cupiditate ex mundialibus bonis reseruare niteris. Errones, & miseri Israelitæ Num. 11. dicebant: *In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique & cepæ, & allia.* Quid tunc? *Audiuit ergo Moyses flentem populum per familias singulos per ostia tentorij sui. Iratúsque est furor Dei valde, sed & Moysi intoleranda res visa est.* Et Moyses ille populi amator, intolerandum crimen putat, quòd populus suspiret, & fleat pro Ægyptiis escis, & Deus illos percutit ira magna, vt sepulti in eremo iaceant. Et tantumne erat crimen, quòd cuperent escas Ægypti, vt propter hoc deberent internecioni dari? Ait D. Cyril. Alex. lib. 5. de Ador. *Dignum ira diuina crimen, & sanctorum virorum iudicio damnandum est, homines iam exercitatos ad eam mollitiem & ignauiam cogitationum peruenisse, vt impotenti cupiditate ad tam absurdas impuritates redeundi laborarent. Et tanta intemperantia dissoluti essent, vt pueriliter deflerent veluti acrem illum concupiscentiæ impetum non ferentes.* Id sanè grauiter, & sapienter maneat asseueratum; quòd semper luctuosum sit, & periculosissimum hominibus in virtute exercitatis, si in eam ignauiam labantur, quòd affectum circa mundiales delicias habeant: & Deum sequentes, imò & tenentes, recordentur esse in mundo præter Deum aliud. Hinc dum Petrus in Thaborem ascendit, dum gloriam Saluatoris speculatur, dum ait Matth. 17. *Domine, bonum est nos hic esse, si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, & Moysi vnum, & Eliæ vnum.* Tunc de illo ait Marcus cap. 9. *Non enim sciebat, quid diceret.* Durissima hæc videtur in Petrum sententia, qua feritur velut prorsus ignorātię tenebris occupatus. An ignorantia est velle cum Iesu esse? An ignorantia est amare, nunquam à Iesu separari? Etsi hæc non est ignorantia, cur Petrus quasi ignorans taxatur? Meritò ignorantiæ reus dicitur Petrus, non quòd Iesu vellet hærere, sed quòd habens Iesum, meminerit alium esse. Ex quo sic monet D. Hier. Marcellam in fine epist. *Pergamus ad tabernacula Saluatoris, non vt Petrus quondam voluit cum Moyse, & Elia, sed cum Patre cernemus & Spiritu sancto.* Non ad Moysem, aut ad Eliam, aut aliam creaturam respiciamus, vt respexit Petrus: sed Christum sequentes, & tenentes, nihil, qui Deus non sit, velimus posse, nec habere.

Iosue 7. — *Cyril.* — *Num. 11.* — *Cyrill.* — *Matth. 17.* — *Marc. 9.* — *D. Hier.*

Gen. 31. Hæc dicens, ignorabat quòd Rachel furata esset Idola. Ingressus itaque Laban tabernaculum Iacob, & Liæ, & vtriusque famulæ non inuenit. Cúmque intrasset tentorium Rachelis, illa festinans abscondit Idola

apud Baëza de Christo figur. Tom. I.

subrer stramenra cameli, & sedit desuper: scrutantique omne tentorium, & nihil inuenienti ait: Ne irascatur Dominus meus, quòd coram te surgere nequeo, quia iuxta consuetudinem fœminarum nunc accidit mihi. Sic delusa solicitudo quærentis est.

§. XXIII.

Prudens vir, ne nimis securus sit de familiæ suæ moribus.

DVrissimam Iacobi sententiam aduersus eum, qui furatus fuisset Labani Idola, voluit textus ostendere non prudenter esse prolatam, illam ignorantiæ tribuens. Ait enim: *Hæc dicens, ignorabat Iacob quòd Rachel furata esset Idola*, & non solùm id ignorabat, sed nec in mentem eius veniebat, quòd illud Idolorum furtum, aut à Rachele, aut ab aliquo filio committi posset: in quo aliquid minus prudentiæ in Iacobo vix non admittere possum. Equidem prudentis esse hominis putarim, nunquam sic securum esse de familiæ suæ moribus, quòd non credat, occultum in aliquo filio, aut famulo vitium admitti posse. Sanctissima erat familia Iobi, sanctissimis educata moribus, summáque fratrum vigebat concordia, & filij, & filiæ simul quotidie prandebant, & delectabantur. Quid tamen Pater? Ait text. cap. 1. *Cúmque in orbem transissent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos: consurgensque diluculo offerebat holocausta per singulos. Dicebat enim, Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in corde suo.* Nihil bonus pater videbat in filiis reprehensione dignum, nihil non sanctum videbat in illis, & charitate plenum; nec tamen erat securus, sed adhuc sollicitabatur, ne fortè esset aliquod malum occultum, hoc tribuens non malæ filiorum indoli, sed infirmitati humanæ naturæ, de qua nunquam non metuendum est aliquod vitium. Quid prudentius? Quid sanctius? Polychronius in caten. Græca, ait: *Cùm intelligeret ea, quæ aspectui subiecta erant, labe carere, suspicabatur, ne qua fortè prolapsio interior in illis ipsis lateret inclusa. Illud rectè omnino, Ne fortè mala cogitauerint, non quòd eiusmodi essent filij Iob, sed quòd erant homines. Quare & illud magnum, de occultis etiam solicitum esse, ac metuere; quod profectò iustus hic faciebat, eáque re pro ipsis sacrificabat, peccatísque illos liberabat, atque hac ratione in illorum prouidentia versabatur.* Huc respiciant vniuersi Patresfamilias, qui suis amant sapientissimè prouidere, vt dicebat ille; Humani à me nihil alienum puto. sic ipse dicat, humani à meis nihil alienum puto, imò credat vel in optimè composita familia posse admitti aliquod occultum crimen. Non quòd familia criminosa appareat, sed, quòd familia hominum sit, in quibus prudens eris, si aliquos lapsus timeas. Electis mundi principibus aiebat Dominus Matthæi vigesimosexto: *Amen dico vobis, vnus vestrùm me traditurus est.* Quid ad hæc Petrus? Quid ad hæc cæteri omnes? Dixissent alij, cuius mẽtes bonæ essent erga Iesum, Occidatur, pereat Domine, qui te tradet: at isti prudentissimi *contristati valde, cœperunt singuli dicere, Nunquid ego sum Domine?* Vel se ipsum suspectum habet quisque, & de se ipso timet, ne fortè ipse sit Dominum traditurus; omnia mala ab infirmitate propriæ naturæ prudentissimè Apostoli timent. De quibus D. Chrysost. ser. 1. de Fer. 5. Pass. ait: *O beati Apostoli, fœlicius vestra innocentia contristata est, quàm pœnalis Iudæ audacia, quæ non est confusa.* Hæc est fœlicitas hominis, & sanctissimi, & sapientissimi, quòd nihil humanæ infirmitatis vel à se, vel à suis alienum putet, sed quodvis facinus vereatur, vt possibile, vel in se, vel in suis admitti. Desidia enim est maxima patrisfamilias, quod infirmitatis est, non cauere in suis. Gen. 39. *Erat autem Ioseph pulchra facie, & decorus aspectu. Post multos itaque dies iniecit Domina sua oculos suos in Ioseph.* An Ioseph fuit in culpa? Absit; mariti in hoc desidia culpabilis fuit, qui non cauit tam pulchrum seruum oculis vxoris præbere. Vnde Diuus Ambros. lib. de Ioseph c. 5. *Non erat in potestate seruuli, vt non videretur, maritus debuit cauere oculos vxoris. Sed quod ille nihil timebat de coniuge, arbitrabatur iste testimonium esse castimoniæ, non remissionem curæ.* Et quidem remissio est, & desidia quòd nihil timeas de coniuge, etiam probatissima, vt prudentia est, quod cautus sis sine zelotypia.

Iob 1. — *Polychron.* — *Mat. 26.* — *Chrysost.* — *Gen. 39.* — *Amb.*

§. XXIV.

Dedecet prudentem, sapientémque virum, nimium esse scrutatorem lapsus, vel in vxore, vel in familia.

FVrtum Rachelis ignorabat Iacob, quod illius sapientiæ tribuo; ad quam pertinet, ne paterfamilias sit nimius scrutator lapsus in vxore, aut familia. Solet enim sæpissimè prudentem hominem maximè ornare domestici erroris ignorantia. Ex quo D. Bern. in epist. posita in fine eius operum, sic monet amicum: *De fœminis tuis suspectus, quid agant, ignorãtiam, non scientiam quæras. Postquam scieris crimen vxoris tuæ, à nullo medico curaberis. Cor nobile, & altum, non inquirit de operibus mulierũ.* Quid sapientius? Dedecet equidem maximè ingenuum viri animum, & sapientem de furtiuis idolis mulierum nimis perscrutari, nimis inquirere, quando illorum ignorantia plus ornatur. Num. 5. sic cauet diuina lex: *Si spiritus zelotypiæ concitauerit virum contra vxorem suam, quæ vel polluta est, vel falsa suspicione appetitur, adducet eam ad Sacerdotem, & offeret oblationem pro illa decimam partem sati farinæ hordeaceæ.* Expende quam farinam iubeat lex offerri à marito, pro inuestigando crimine vxoris suspectæ, nimirum farinam *hordeaceam?* Hordeum nõ est cibus rationalis animalis, sed iumentorum est cibus; cur ergo mandatur offerri hordeum, cùm crimen vxoris perquiritur à marito; nisi vt ostendatur in oblatione, quàm sit mentis, & rationis inops ille vir, qui extraordinaria diligentia delicta vxoris perquirit? Ad hæc D. Chrysost. orat. 4. aduersus Iudæos, inquit: *Cur ita tandem non silagineam, nec triticeam farinam, sed hordeaceam offerre mãdat? Quoniam id, quod gerebatur luctus erat, & incusatio, suspicióque, forma sacrificij domesticam calamitatem imitabatur.* Itaque in tali suspicione, & inquisitione, talis sacrificij forma mandatur, quæ exprimat in se domesticum statum; & vt hordeum exprimit iumentorum cibum, sic ibi hordeum oblatum ostendit in tali domo, in qua tanta inquisitio fit pro vxoris crimine inuestigando, nullum inueniri signum naturæ rationalis. Quisquis ergo ratione ducitur, quisquis sapit, non nimius sit in inquirendo, & scrutando domestica errata. Quò respiciens Ecclesiasticus cap. 9. ait: *Ne zeles mulierem sinus tui.* Quid est, ne zeles? Ne quasi suspectos nimis perquiras eius congressus, omnésque eius confabulationes scruteris, & vel errorum vmbras examines. Id quod in castissimo patrefamilias commendat Sidonius Apollinar. lib. 4. epist. 9. fatus: *Erga familiã suam, neque in proferendo alloquio minax, nec in admittendo consilio spernax, nec in reatu inuestigando persequax.* Hoc pertinet ad decorem sapientis patrisfamilias, quòd non sit in inuestigandis domesticis reatibus persequax; sed boni ducat aliquorum ignoratione teneri. Hinc Exod. 17. pugnaturus Moyses cum Amalech, *Dixitque Moyses ad Iosue. Elige tibi viros, &c.* At vbi recensentur exploratores, qui promissionis mittuntur in terram, ait Numer. 13. *Quorum ista sunt nomina. De tribu Ruben Samma filium Zechur. De tribu Simeon, Saphat filium Huri. De tribu Iuda Caleb filium Iephone. De tribu Ephraim Osee filium Num.* Apud Origenem filius iste Num, idẽ est ac Iosue filius Naue, qui pro Iosue Iesus dicitur, & pro Osee Ause. Sed illud venit notandum, quòd vbicumque nominatur filius hic Num dicatur Iosue, hoc est, Iesus; solùm dum recensetur inter exploratores, mutato nomine dicitur Osee siue Ause. Et cur ibi nõ Iesus, sed Auses? Equidem non pertinet ad Iesum officium exploratoris alienorum morum. Ait Orig. hom. 1. in Iosue. *Cùm primò nominatus est, non est indicatum nomen patris eius, nec in secundo, nec in tertio, cùm pater eius nominatur Naue, tunc ipse non Iesus, sed Ausè dicitur, illud quale est? Inter eos enim qui ad explorandum missi sunt, nomen eius Ause scribitur. Et fortassis pro exploratoris officio non Iesus, sed Ause dictus est.* Non deceret Iesum, nec Iesu spiritu plenum aliorum explorare mores. Nunquam enim non suspectum est, quòd quis fratrum errores perquirat, adeò vt D. Clemens Roman. infirmam credat accusationem ab illo factam, qui iam semel, & bis fratrem accusabat. Quippe ait lib. 2. Constit. Apostol. cap. 49. *Exquirite diligenter de istis ipsis, qui iudicio contendunt, ac primùm de accusatore, an hunc primùm accusauerit, an alium quempiam criminatus sit?* Et meritò vir sanctissimus suspectum habet hominem, qui non semel fratrem accusat, sed sæpe id munus exercet.

Num. 5. — *Chrysost.* — *Eccles. 9.* — *Sidon.* — *Exod. 17.* — *Num. 13.* — *Origen.* — *D. Clem.*

§. XXV.

§. XXV.

Vbi vel diuinitatis halitus est, & puritas, & mundities extrinsecus apparet.

NE credantur Labani dij esse ibi, Rachel subter stramenta cameli eos abscondit, insuper & ipsa sedens fingit immunditiis menstruis laborare. Astuta mulier appositis immunditiis de præsentia Deorum suspicioni prorsus aditum occludit, quando vix sciuit esse vel diuinitatis halitus alicubi, quin statim circumquaque afflet & puritas, & mundities. Ezech. cap. 16. ait Dominus: *Et iuraui tibi, & ingressus sum pactum tecum, ait Dominus Deus, & facta es mihi. Et laui te aqua, & mundaui sanguinem tuum ex te.* Expende, quid sequatur ad Dei præsentiam, ad Dei ingressum; vbi Deus cordi nostro adest, vbi intra alicuius viscera est; statim sequitur, *laui te aqua, & mundaui sanguinem*, hoc est, feci, vt extrinsecus lauareris, mundareris, nullam immunditiem sustinens esse tecum. Quò respiciens D. Clemens Romanus epist. 4. ad discipulos, ait: *Debemus aliquid amplius habere animalibus, vtpote rationales homines, & cælestium sensuum capaces, quibus summum studium esse debet ab omni inquinamento cordis conscientiam custodire. Bonum est autem & puritati conueniens, etiam corpus aqua diluere. Bonum verò dico, non quasi principale illud, in quo mens purificatur, sed quod sequela sit illius boni hoc, in quo caro diluitur.* Expende ab illis, *sequela sit illius boni hoc, &c.* Quippe vbi Dei præsentia per gratiam anima purificatur, ornatur, nescit tantum Dei bonum ibi manere, & intrinsecus totaliter incarcerari, sed illius sequela est, quòd etiam caro mundetur extrinsecus. Vix fieri potest, quòd diuinum bonum singulariter mentem impleat, quin nolit extrinsecus parere per affectum ad externā etiam mūditiem. Matth. 23. *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia mundatis, quod deforis est calicis, & paropsidis, intus autem pleni estis rapina, & immunditia. Pharisæe cæce munda prius, quod intus est calicis, & paropsidis, vt fiat id quod deforis est mundum.* Accipe Dei consilium, in eo quod prius quæras internam animæ munditiem, nempe Dei gratiam ibi cum virtutibus supernaturalibus assistentem. Et quid tunc? *Vt fiat id, quod deforis est, mūdum:* quippe dum intima diuinæ gratiæ candore effulgeant, statim externa etiam quæretur, & procurabitur mundities. Ait D. Clemens Rom. epist. 4. *Forè enim si mens mundetur luce scientiæ, cùm ipsa fuerit munda, ac splendida, tunc etiam eius, quæ deforis est, hominis, ipsa necessariò curam gerit, id est, carnis suæ, vt & ipsa purificetur. Vbi autem ista, quæ deforis est, purificatio carnis negligitur; certum est, neque de puritate mentis, ac munditia cordis curam geri. Ita ergo fit, vt is, qui intrinsecus mundus est, mundetur sine dubio & extrinsecus.* Dum intimè Dei gratia affulgeat, interiorem hominem mundans, & purificans, illa ipsa facit hominem curare de externa munditie, quando Dei spiritus vniuersæ munditiei amator existit. Vnde Deut. 23. cauet lex: *Habebis locum extra castra ad quem egrediaris ad requisita naturæ, gerens paxillum in balteo, cùmque sederis, fodies per circuitum, & egesta humo operies, quo releuatus es (Dominus enim Deus tuus ambulat in medio castrorum, vt eruat te, & tradat tibi inimicos tuos,) & sint castra tua sancta, & nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te.* Ex quibus verbis colligit Glossa, quàm sit diuinus spiritus amator etiam externæ munditiei, vt qui à sordentibus, & immundis soleat cauere sibi. Apud Marc. 14. sciscitantibus discipulis de parando Paschate, ait Dominus: *Ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande stratum, & illic parate nobis.* Circa quæ verba Philipp. Abb. lib. 1. in Cant. cap. 24. *Grandi spatio dilatatur cœnaculum, quia ille sella breuiore, & arcto tripode non lætatur, & vt semper illum alliciat, tapetibus operosis, & floribus odoriferis sternitur, & aptatur, quia immunda, inhonesta, & turpia pulcher præ filiis hominum aspernatur.* Sic ibi: nequit enim Deus habitare nisi vbi omnia sint pura. Sic Luc. 1. *Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.* Vbi Theophylact. ait: In sancto loco fit salutatio, hoc est, in Nazareth. *Vbi enim Deus, ibi nihil impurum, nihil non sanctum.*

Ezech. 16. — D. Clem. — Mat. 23. — D. Clem. — Deut. 23. — Marc. 14. — Philipp. Abb. — Luc. 1. — Theoph.

§. XXVI.

Immundicies in sacris arcet homines à diuino cultu.

QVi auide requirebat Deos suos, & nihil non euoluit, vt inuenire posset illos, vbi audit Rachelem menstruis laborantem, & sedentem super stramenta cameli, non amplius

scrutatur, sed ab omni inquisitione desistit. Cur non magis accedit ad sedentem? Cur per latera stramentorum non introspicit idola sua? Pulchrè rationem insinuat Rup. lib. 7. cap. 44. inquiens: *Fœmineis ægrescit approximare immunditiis.* Tanta est fœditas immunditiei, vt valuerit ardentissimum suorum Deorum quæsitorem arcere ab inquisitionis cura; quasi ægresceret venerari Deos, qui essent sub tanta immunditie. Et quem non arceat ab ipsis sacris spurcitia, & immunditia ibi per ministrorum incuriam accumulata? Sanè non sine magno piaculo ministri sacrorum desinunt sordere omnia, immunditiisque impleri altaria, & sacra vasa; inde enim fiet, vt multi à sacris arceantur, dum ægrescunt immunditiis approximare. Huc spectat lex Deut. 23. inquiens: *Habebis locum extra castra, ad quem egrediaris ad requisita naturæ, gerens paxillum in balteo, cùmque sederis, fodies per circuitum, & egesta humo operies, quo releuatus es, Dominus enim Deus tuus, ambulat in medio castrorum, &c.* Qui Deus in medio castrorum erat peculiari assistentia, iubet omnem immunditiem, & spurcitiem tolli. Sed & Deus necessariò propter suam immensitatem adest immundissimis, spurcissimisque locis, nec inde recipit aliquam offensionem, nec detrectat ibi esse. Cur ergo in castris Israeliticis detrectat esse inter immundities? In castris Israëlis erat Deus duplici modo, & vniuersali modo secundùm immensitatem suam, & peculiari modo secundùm quod ibi assistebat, vt fauoribus suis alliceret populum ad cultum religionis. Iuxta hunc peculiarem modum assistendi, non sustinet ibi immundities esse, vt quæ arcerent populos à sacris, sed amat munditiem, qua vel possent trahi nationes. Id quod notabat Guilhelm. Parisiens. lib. de legib. cap. 5. inquiens: *Ab immunditie corporali, voluit Deus, vt se obseruaret populus Hebræorum, ita etiam, vt egestiones ventris vnusquisque fodiens absconderet, propter prouocationem, & exemplum aliarum gentium: vt videntes populum Israelis declinantem immunditias, & munditiam sectantem, prouocarentur ad ritus, & consuetudines eorum.* Itaque Deus ad trahendas nationes ad veræ religionis cultum, qui apud Israelitas erat, hoc in primis cauit, ne quid spurcum, ne quid immundum appareret in populo, sed omnia essent munda, niueóque splenderent candore. Ex quo Nepotianum maximè commendat D. Hieron. in eius epitaphio: *Erat, inquit, solicitus, si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pauimenta tersa, si sacrarium mundum, si vasa luculenta. Basilicas Ecclesiæ, & martyrum conciliabula diuersis floribus, vitiúmque pampinis, & arborum comis adornabat.* Nec putes parui referre munditiem, & ornatum sacrorum ad animos videntium trahendos, sollicitandos, si enim ornatus, & mundities parui referrent, cur Deus tam anxiè curauit de munditie altaris, vasorum, & de totius templi ornatu, quādo ad legem Moysis volebat trahere hominū animos? Et si mundities, & ornatus sacrorum parui refert ad trahendos animos, cur Deus vbi voluit arcere homines à cultu legis, & lauacra perdidit, & vasa, & omnem ornatum templi in cinerem, & fauillam redegit? Sapienter Origen. hom. 23. super Num. ait: *Si obseruatio sacrificiorum, & instituta legalia, quæ in typo data sunt populo Israel, vsque ad præsens tēpus stare potuissent, exclusissent sine dubio Euangelij fidem, per quam ex aduentu Christi gentes conuertantur ad Deum. Erat enim in illis, quæ tunc obseruabantur, magnifica quadā, & totius reuerentiæ plena religio, quæ ex ipso primo aspectu obstupesceret intuentes. Quis enim videns illud, quod appellabatur Sanctuarium, siue sacrarium, & intuens altare, adstantes etiam Sacerdotes sacrificia consummantes, omnémque ordinem, quo cuncta gerebantur, aspiciens, non putaret plenissimum hunc esse ritum, quo Deus creator omnium ab humano genere coli deberet?* Vides, quantum tribuat Origen. ornatui, & cultui templi Ierosolymitani, quod putat magna Dei prouidentia fuisse destructum, & cōtaminatum, ne ostensione limpidissimorum vasorum, purificationū crebrarum, totiúsque ornatus, & cultus ad se trahens nationes, retardaret illas ne volarent ad Christum. Nec immeritò in tanta puritatis, & munditiei cura, in tanto ornatu credit vim fuisse, *quæ ex ipso primo aspectu obstupesceret intuentes.* Ait enim Egesippus, lib. 1. de Excid. Ierosol. cap. 16. de Pompeio Magno aggrediente expugnare templum, & iam supra muros posito intima eius vidente: *Stupebat Pompeius acres virorum animos, mari decorem, & magnitudinem, & nusquam omissa officia Sacerdotum in medio belli furore, tanquā profunda pax esset, nihil deerat sacrificiorum solemnitatis, inter iacula, mortésque cæsorum fundebatur sanguis hostiarum. Nudatis gladiis imminebat hostis, illi tamen sine vlla perturbatione solitis vicem muneris exequebantur. Quidquid ad purificationis solemnitatem, quidquid ad cultus sacri obseruantiam spectare poterat, impletum est.* Et cur non stuperet Pompeius in tanta puritatis cura, in tanta ornatus obseruantia, eo ipso tempore, quando arma omnia

Rupert. — Deut. 23. — Guil. Par. — Hieron. — Origen. — Egesipp.

fœdabant? Sanè potentissima est cura puritatis, & munditiei, & ornatus in sacris, vt gentes trahat, sicut & immunditia, & spurcitia potens est homines arcere à sacris, Leu. 11. interdicit Dominus populo suo cibos multorum animalium, quæ immunda esse prædicat: *Quidquid autem ruminat quidem, & habet vngulam, sed non diuidit eam, sicut camelus, & cætera, non comedetis illud, & inter immunda reputabitis.* Et cur Deus omnia hæc animalia inter immunda ponit, & eorum interdicit dapes? Placet in hac re Guillielm. Parisiens. qui lib. de legib. c. 7. putat omnia hæc animalia relata fuisse inter Deos à nationibus, ideóque à Deo immunda vocantur, ratus vel immunditiæ nomen posse homines arcere ab illorum aris. Tandem ait: *Ex his igitur patenter intellige, & mirare Dei sapientiam, quæ omnia animalia, quæ sibi vsurpauerat idololatria, abominabilia voluit esse populo suo, vt per hoc longè fierent ab idololatria, & consuetudine gentium.* Planè potentissima erat vis ad remouendos, & arcendos homines à sacris, quæ immunda repræsentabantur, vt iam inde pateat, quanto piaculo negligitur in templis Christianis cura munditiei, & puritatis; & quanta cum gloria, & fructu sacrorum munditiei, & ornatui Societas Iesu ab ipsis incunabulis operam nauauit.

Leu. 11. — *Guilliel.*

Gen. 31. Tuménsque Iacob cū iurgio, ait. Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum, sic exarsisti post me, & scrutatus es omnem supellectilem meam? Quid inuenisti de cuncta substantia domus tuæ? Pone hîc coram fratribus meis, & fratribus tuis, & iudicent inter me, & te.

§. XXVII.

Magna Dei misericordia fuit, quòd nobis non extraneum, sed cognatum iudicem dedit.

ETiam iratus Iacob benignitatis, mansuetudinisque meminit, dum aduersario suo iniustissimo iudicem offert non ex alienis, sed ex fratribus suis electum. Ait enim: *Pone hîc coram fratribus tuis, & iudicent inter me, & te.* Proh Iacobi bonitatem! etiam erga hominem sibi iniurium, non alienum, sed cognatum iudicem petit? Et Iacobo benignior, & beneficentior Deus, qui aduersus sibi iniurios homines iudex cùm esset, & cognatus factus est, vt in iudice cognatum videntes, non tam metu, quàm amplexibus illum prosequeremur. Id quod asserebat S. Theodotus homil. 2. de Christi natiu. habita in Conc. Ephes. inquiens: *Cùm Deus esset, voluit homo fieri propter suam in nos clementiam, quæ nos crearet, & iudicem, perinde, ac cognatum deinceps complecteremur.* Hinc traxit Deum clementia, & benignitas eius, vt homo fieret, quo in illo iudicem perinde, ac cognatum nostrum haberemus. Quò respiciebat illud Ioan. 5. *Sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio habere vitam in semetipso, & potestatē dedit ei, etiam iudicium facere, quia filius hominis est.* Expende, cur Deus Pater dedit Filio suo potestatem iudicandi, nimirum, quia est filius hominis, quia, & cognatus, & noster frater est, vt videntes in iudice fratrem, minime de salute desperemus. Ad quæ verba D. Bern. serm. 73. in Cant. fatur: *Denique ipse Pater Deus dedit filio iudicij potestatem, non quia suus, sed quia filius hominis est. O verè patrem misericordiarum, vult per hominem homines iudicari, quo in tāta trepidatione, & perturbatione malorum, electis fiduciam præstet naturæ similitudo.* Magna quippe est Dei misericordia erga nos, quibus eum iudicem præficit, qui non sit alienus, & extraneus, sed vnus sit ex cognatis, & fratribus nostris, vt de iudicis cognatione in districtione iudicij liceat nobis aliquid sperare. Quid non speret reus, cùm fratrem animaduertit in iudice? Planè coram Ægypti iudice proni iacebant filij Iacob, nihil non metuentes sibi ab extero homine, & quando magis timebant, quando maiori horrore coram illo turbabantur, ait iudex Genes. 45. *Ego sum Ioseph frater vester, quem vendidistis in Ægyptum. Nolite pauere, &c.* Nolite pauere, ais ad reos, & maiora illorum crimina in medium adducis? Pauebant antea corā iudice accusante eos de furto, cur modò non magis paueant coram eorum iudice non solùm de furto, sed & de fratricidio accusante? Ipse ait, *Ego sum Ioseph frater vester*, qui in iudice illis ostendebat fratrem non tam timoris, quàm spei causas fundabat. Nunquam certè fui adductus, vt crederem alia ratione filio hominis Iesu datū, vt iudicium faceret; nisi vt homines videntes in iudice fratrem, sibi bona sperarent. Quò tendit illa Deut. 18. *Vt petisti à Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti, Vltra non audiam vocem Domini Dei mei, & ignē hunc maximum amplius non videbo, ne moriar. Et ait Dominus mihi, Benè omnia sunt locuti; Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, &c.* Quippe in Horeb nacti Israelitæ legislatorem, & iudicem flammantem, fulminantem, tonantem; timore correpti, cupiebant non à superna natura regi, ne darentur morti. Placuit iste sermo in Dei oculis, & ex tunc promittit se suscitaturum Prophetam, & Legislatorem de medio fratrū eorum. Non ait, suscitabo Legislatorem mansuetum, benignum, qui igneus non sit, nec tonans; sed solùm ait, suscitabo Legislatorem de medio fratrum eorum, eo enim quòd Legislator, & iudex sit frater noster, non est cur ab illo non magis speremus bona, quàm timeamus mortem.

Theodot. — *Ioann. 5.* — *D. Bern.* — *Gen. 45.* — *Deut. 18.*

§. XXVIII.

Nullus vnquam absens, & indefensus damnandus est, vel prætextu paterni fori.

SApienter Iacob accusatorem suum monet, vt ponat crimen in præsentiarum, ait enim. *Pone hîc coram fratribus meis, & iudicent inter me, & te,* nō contētus est dicere, pone crimen meum corā fratribus meis, vt iudicent, sed insuper addit, *Pone hîc*, hoc est, in mea præsentia, dum ego adsto. Etsi enim iudicium exercendū sit per fratres, imò & per parētes, nunquam iustè exercebitur, nisi sibi reo per se ipsum, aut per aliū defensorem adstante. Ex quo sapientissimè carpebat Herodem Egesippus *lib. 1. de Excid. Ierosolym. cap. 41.* Accusati enim erant apud Herodē duo filij eius Aristobulus, & Alexander, quasi vellent regnum eripere patri. Quid tunc Pater? Filios quàm longissimè à se ablegat, vinculis tradit asseruandos & in absentes, & indefensos, & inauditos conciliū cogit Magnatum, iudicium tractat. Ad hæc Egesippus: *Sed quæ iudicij species, vbi rei adesse sibi non permittebantur, & absentes accusabātur? Obijciebantur à Patre insidiæ sibi paratæ, nulla probatio deferebatur, nulla auditio tentamentorum; hærebat accusator, quem nullus redarguebat. Destitutis vndique congregabat inuidiam, contumeliarum, iniuriarum genera, quæ grauiora morte, ab his qui considerant, æstimarentur. Sed nemo discutiebat, nemo examinare audebat, quid à puero arguebatur, à Rege imperabatur. Præiudicabat pietatis species, interrogabat sententias securus victoria. Scena enim species erat, non iudicij disciplina, condemnare absentes, condemnare sine teste, sine iudice, solo naturæ priuilegio, quod ad salutem magis, quàm ad periculum deriuari soleret.* Meritò scenæ speciem, nō iudicij disciplinam vocat, in quo sub paterni fori priuilegio in salutē inclinante, extremam reorū perniciem tractat pater: præostendit patrem, vt sine metu iuris totius liberè posset de filiorū carnificina agere. Quid magis tyrannicum? Sub patris priuilegio implet, quod maximè horrendū, & execrabile est in crudelissimo, & exlege tyranno, nimirum, quod absentes, & indefensos damnet. Quis ignoret officium patris promitti, vt temperamentum stricti iudicis gladij? Et quidem vbi quis inauditus, indefensus damnatur, non tēperatur iudicij rigor, sed adeò exacerbatur, vt sapiat extremam tyrannidem. Vanè paterno foro tribuitur, quod à natura, & ab ipso Deo alienissimum est. Ait D. Paul. ad Rom. 2. *Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationum accusantium, aut defendentium, in die cū iudicabit Deus occulta hominum.* Expende, quas conditiones ponat Paulus iudicij Dei, & Patris, & Creatoris nostri, quod ipse Deus exercet cum singulis hominibus. Sanè cuique nostrum testimoniū reddet conscientia propria coram iudice Deo, & qualiter reddetur hoc testimonium? Ait Paulus: *inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Nunquam in Dei iudicio admittitur accusatio, & aditus occluditur defensioni, simul vt accusantes cogitationes audiuntur, & spectantur defendentes, si quæ esse possunt. Ex quo Orig. ibi. *Rectum iudicium Dei quis dubitet esse, vbi accusatores, & defensores adhibentur, & testes? Et quidem de hoc iusto iudicio Dei nos homines exemplum capiamus, nec putemus vnquā sine accusante, & defendente, & testibus iustum haberi posse iudicium.* Planè nullum forum, quod sapiat Deum, damnabit hominem inauditum, indefensum. Hinc D. Cyril. Alex. in Apologet. ad Theodosium cōponit iudicium Cœlestini Pont. Max. in Nestorium, cum iudicio Ioannis Antiocheni in omnes Patres Ephesinos. Ille enim, vt verè pater, & iustus iudex Nestorium

Egesipp. — *Ad Rom. 2.* — *Origen.* — *Cyr. Alex.*

& his

& bis, & sæpe admonitum tandem damnauit. Hic vt temerarius, & iniustus Patres damnauit indefensos, & inauditos. Quippe ait: *Iã tertius agitur annus, ex quo Nestorius blasphemias suas publicè cæmere cœpit. Postquam is suis propriis literis sanctissimo Romanæ Ecclesiæ Episcopo Cœlestino animi sui morbum pàtefecisset, non statim duram, seuerámque sententiam in se excepit; sed quo praua illa, qua laborabat, opinione reiecta, rectam fidem complecteretur, admonitus est. Admonitus est autem non semel, sed sæpius amicè. Ioannes verò tanquam exactus, vt putat diuinorum dogmatum scrutator, quippe propter diuinarum legum cognitionem mirè sibi blanditur, cùm nunquam eos quos læsit, monuisset, nec verbum cum illis commutaret, imò neque temeritatem suam publicè tueri auderet, inepta tamen sententia contumeliam illis intulit.* Sic ibi.

Genes. 31. Idcirco viginti annis fui tecum? Oues tuæ, & capreæ steriles non fuerunt: arietes gregis tui non comedi: nec captum à bestia ostendi tibi: ego damnum omne reddebam: quidquid furtim peribat, à me exigebas: die noctúque æstu vrgebar, & gelu, fugiebátque somnus ab oculis meis. Sicque per viginti annos in domo tua seruiui tibi, quatuordecim pro filiabus, & sex pro gregibus tuis: immutasti quoque mercedem meam decem vicibus. Nisi Deus patris mei Abraham, & timor Isaac affuisset mihi, forsitan modò nudum me dimisisses: afflictionem meam, & laborem manuum mearum respexit Deus, & arguit te heri, &c.

§. XXIX.

Quis sis erga aliquem, euidenter ostendunt labores, quos pateris pro illo.

SVæ in socerum fidei euidentissimum testimonium profert Iacob, dum in medium adducit exantlatos labores pro illo, nimirum, *die noctúque æstu vrgebar, & gelu.* Ardore, frigoréque pellis adusta in obsequio Labani vocalissima erat in extollenda Iacobi in socerum fide. Accusabatur Antipater apud Egesippum, lib. 1. Excid. Ierosf. c. 25. quòd fuerit Cæsari iniquus. Quid tunc? *Aduersus ea Antipater non verborum referens vicem, sed veram assertionem, scidit vestem, & nudus vestimentorum, plenus vulnerum, dilorícato amictu, offerens oculis circũstantium spectato indicia virtutis. En, inquit, maleuolentia mea in Cæsarem testimonia, defendant reum, quæ tanquam animi lumina micant. Has ego cicatrices tibi, Cæsar, voluntatis internæ obsides tribuo. Hæc ego fidei mea depono pignora, & inscriptos cordi apices gero.* Et pulchrè, & verè cicatrices vulnerum susceptorum animi lumina, & cordi adscriptos characteres vocat: qui testentur interni animi fidem in eum, pro quo suscipiuntur. Hinc Dei filius, Isaiæ cap. 49. testatur suum circa hominem amorem, dicens: *In manibus meis descripsi te.* Quòd si quæras, qui sint characteres huius descriptionis in manibus diuinis, sunt equidem vulnera clauorũ, & signa dolorum, quæ pro nobis subierunt manus illæ. Quot enim ostendunt pro nobis in se vulnera, & labores, tot apices, tot characteres ostendunt, qui euidentissima referant testimonia humanæ procuratæ salutis. Hinc reddens rationem, cur Christus resurgens reseruauerit vulnera sua, ait D. Cyril. Alexand. in Exegesi ad Acatium habita tom. 6. Concil. Ephes. c. 16. *Vestimentum sanguine rubricatum, & plagas in manibus ostendit, non quòd illas abiicere non queat, sed ideò characteres illos, cicatricésque retinuit, quo multiformis sapientia Dei, quam in Christo secundum æternum propositum demonstrauit, dispensatoriè per Ecclesiam, Principibus, & Potestatibus in cœlestibus pateficret.* Itaque vt totum diuinitatis arcanum circa hominis salutem euidentissimè patefieret, reseruauit vulnera Iesus, reseruauit laborum suorum cicatrices, vt tanquam viuidissimi, clarissimique characteres id cœlestibus Potestatibus aperirent. Quò spectat illud Pauli ad Galat. 3. *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati, ante quorum oculos Iesus Christus proscriptus est, & in vobis crucifixus?* Chrysost. Theophylactus, & alij legunt, *Ante quorum oculos Iesus Christus præscriptus est, & in vobis crucifixus.* Sanè vt testaretur Galatis, & vniuerso mundo, Dei filius suam in hominis affectionem, sese totum præscriptum, & characteribus exaratum ante eorum oculos proposuit. Et quando se scriptum proposuit? Ait, *præscriptus est, & in vobis crucifixus.* vbi in crucis tabula sese Dei verbum effixit, tot in se apices, tot characteres exhibuit testantes erga homines affectionem suam, quot laborum, vulnerúmque monstrauit signa. Ex quo Macharius Archiep. Philadelphiæ, orat. de Exaltat. Crucis, apud Gretserum nostrum, tom. 2. ait: *Nihil est ex omnibus rebus creatis, quod nobis modo tam admirando, & tam perspicuè beneuolentiam, & humanitatem Christi proponat, oculisque subiiciat, quàm Crux. Crux est enim, quam circa nos filius Dei gerit, paternæ sollicitudinis repræsentatio.* Nullum testimoniũ, nullus character, nulla litera, sic demonstrauit Dei in homines affectum, vt illum demonstrant dolorum signa, quos pro nobis subiit. Quod notans Ioann. cap. 3. ait: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Ad quæ verba inquit Iobius Monach. lib. de Incarnat. Christi, c. 14. apud Biblioth. Photij: *Qui inseparabilem Dei erga nos amorem ostendere conatur, non hoc cõmemorat, quòd ab initio hominem formauerit, neque quòd suam ad imaginem hunc effinxerit, vt nec quòd magnum aliquod, aut admirandum opus susceperit. Quid igitur? Filij ipsius per carnem aduentum refert, per quem vtique nostra est patrata reformatio. Sic enim, inquit, Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum dederit pro mundi vita.* Sunt semper labores suscepti pro aliquo, omnium vocalissimi, vt ostendant erga illum affectionem singularem.

Egesipp.
Isai. 49.
Cyr. Alex.
Ad Gal. 3.
Chrysost.
Theoph.
Machar.
Ioann. 3.
Iobius.

§. XXX.

Semel acceptum amicum vt deseras, euidentissimas debes præ te ferre causas.

MVltus est Iacob in enumerandis iniuriis à Labano acceptis, nimirum, *quidquid furtim peribat, à me exigebas,* rursus addit viginti annis seruiui in domo tua, *quatuordecim pro filiabus;* cùm enim septem annos seruitutis promisisset pro Rachele, coactus fuit totidem pro Lia præstare: insuper dicit: *immutasti quoque mercedem meam decem vicibus,* tandem ponit: *modò nudum me dimisisses.* Cur sic Iacob recenset omnes iniurias sibi illatas? Cur non magis obliuiscitur illas? An boni animi, & bonæ mentis esse potuit, tam minuta iniuriarum recordatio? Equidem vbi Iacobo Labanum sibi quondã hospitalem, & amicum virum, multisque beneficiorum, & amicitiæ, & cognationis vinculis illigatum relinquebat, necessarium ducebat euidentes causas fugæ suę monstrare; vbi enim semel amicum acceptum deseris, necessum est, vt præ te feras euidentes causas. Quis nesciat gloriam Saluatoris nostri Iesu triumphantis de morte, & ascendentis in cœlum. Inter tot gloriarum cumulos, quod primũ cœlestium Principum præ oculis ponit, cicatrices fuerunt, & vulnera accepta in diebus suæ carnis. Planè Angeli hæc primùm stupent, Isaiæ cap. 63. *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Imò apud Zachar. cap. 13. *Quid sunt plagæ istæ in medio manuũ tuarum? Et dicet, His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.* Et cur necessum fuit inter tot glorias, nihil priùs ostendere, quàm plagas, de illis solis sermonem habere, & prædicare coram cœlestibus Principibus illas fuisse acceptas à dilecti populi manibus? Cur nõ magis hoc vel in illa triumphi hora dissimulatur? Sanè veniebat Dominus deserens ex tunc, & fugiens dilectum quondam, & amicum sibi populum Israelitam. vbi autẽ amicus semel acceptus deseritur, & cõculcationi datur, necesse habet qui hoc facit, euidẽtissimas præ se ferre, & prædicare causas. Huc refero D. Cyrill. Alex. in Exegesi ad Acatium, quæ habetur in Concil. Ephes. tom. 6. cap. 16. *Ad cœlum Vnigenitus Dei vnà cum carne sibi vnita rediit, erátque hoc nouum in cœlis spectaculum. Obstupuit enim sanctorum Angelorum multitudo, cum Regem gloriæ in forma humana cerneret, aiebat enim; Quæ sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? Ille verò vicissim ad illos: His percussus sum, inquit, in domo dilecti mei. Quemadmodum enim Thomæ non absque singulari Dei dispensatione hæsitanti post suam ex mortuis resurrectionem manus, & in manibus clauorum figuras ostendit, iussitque etiam lateris vulnus palpare, ita & in cœlis constitutis sanctis Angelis planum fecit, iure meritóque ex ipsorum amicitia prolapsum, eiectúmque esse dilectum Israelem.* Expende ab illis, *ita & in cœlis constitutis, &c.* quippe in cœlis etiam acceptarum iniuriarum notas seruabat, testificans Angelis euidentissimas causas deserendi antiquum illum amicum, nimirum populum Israelitam. Nequit enim bonus antiquum amicum deserere, nisi præ se ferens causas euidentissimas.

Isai. 63.
Zach. 13.
Cyr. Alex.

D. Amb.

Alioquin vt ait D. Ambros. lib. 3. officior. cap. 16. *Constans debet esse amicitia, perseuerare in affectu, non puerili modo amicos mutare vaga quadam debemus sententia.*

Genes. 31. Tulit itaque Iacob lapidem, & erexit illum in titulum. Dixitque fratribus suis: Afferte lapides. Qui congregantes fecerunt tumulum, comederúntque super eum. Quem vocauit Laban tumulum testis, &c.

§. XXXI.

Nunquam deerunt fortissimi validissimique Dei, virtutúmque propugnatores.

MEritò Iacob pro fidei suæ signis ad lapides currit, & de lapidibus tumulum agit, qui sit in titulum, & testimonium, ne quid vnquam possit fieri contra. Obtestabatur enim talis illa lapidum erectio, fore vt nunquam validissimi, fortissimique Dei, & virtutum propugnatores deficere possint. Dum Iesus mitissimus rex Ierosolymam ingrederetur paulò ante mortem, clamabat populus, & clamabant eius discipuli gloriam publicantes Saluatoris. Tunc Pharisæi dixerunt Iesu, Luc. cap. 19. *Magister, increpa discipulos tuos. Quibus ipse ait, Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Et qualiter lapides clamabunt? Et quidem validissimi, & fortissimi exurgent semper, qui pro Deo, & virtute stare possint. D. Ambros. lib. 5. epist. orat. in Auxentium: *Si hi tacuerint, lapides clamabunt; hoc est, fortiores clamabunt, clamabunt & iuuenes, clamabunt & maturiores, isti lapides ad illum iam solidati lapidem, de quo scriptum est, Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Numquam, mihi crede, non exurget, qui solidatus a Christo pro virtute, & pro Deo clamet, validissimásque effrat voces. Fieri potest, vt carnei homines metuãt à virtute stare, & muti conticescant, at fieri non potest, quod lapidei, & validissimi alij non excitentur, vt longo clamore eam virtutis defendant. Hinc Dominus Ecclesiæ suæ militanti, ait Isaiæ c. 54. *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphiris, & ponam iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos, &c.* Ibi D. Hieronymus putat promitti Ecclesiæ Doctores, & propugnatores validissimos, qui firmiter stent pro re virtutis, vt firmissimi lapides stant aduersus omnem impetum. Sed illud notandum, nimirum, *sternam per ordinem lapides tuos*, non coaceruabo, sed per ordinem sternam, vt cuique loco & tempori suus correspondeat lapis, ne quid vacuum, & inane appareat, sed quandocumque occasio tulerit, stet, qui propugnet virtutem, qui Dei causam tueatur. Vt enim lapides sternuntur in muro, vt post vnũ sit alius, ne rupturæ locus maneat; sic virtutum propugnatores fortissimi à Deo coordinantur, vt nullum tempus sit vacuum illo, qui pro re virtutis validissimè possit stare. Quod põderabat Rupert. lib. 5. de Vict. c. 17. notans, quòd nullus fuerit Rex in Israele, in cuius tempore Deus nouum aliquem Prophetam, & virtutum propugnatorem non excitaret. Ait enim. *Translato Elia, qui erat currus Israel, & auriga eius, mortuóque Elisæo, nihilominus cursum, vel propositum suum tenuit Dei verbum. Verbum omnipotens quadrigas alias, & aurigas alios ad suum ministerium substituens, protinus namque exsurrexerunt alij præcones verbi Domini. Vt palam constet verbum Domini nullum de Regibus illis excusatum dimisisse, continuúmque effecit prophetia redarguentis cursum, pluresque prophetæ prophetis, quàm reges regibus successerunt.* Non numerabis Regem Israelis aduersus Deum sese extollentem, quin numeres & Prophetam excitatum, qui pro Deo, & virtute existeret. Imò citiùs finietur numerus impiorum Regum, qui & virtutem, & religionem conculcent, quàm numerus validissimorum propugnatorum virtutum. De Iudicibus, & Saluatoribus Israelis ait Ecclesiasticus, c. 46. *Qui non auersi sunt à Domino, vt sit memoria illorum in benedictione, & ossa eorum pullulent de loco suo.* Quid est, ossa eorum pullulent? Vt de fabulosa illa hydra fabulatum est, quòd scisso eius capite renascebantur alia septem, sic verissimè dicitur de virtutum propugnatoribus, quod eorum interitu non interrumpitur propugnatio virtutis; cadit enim eorum caro; at ossa, & firmissima virtus, & renascitur, & repullulat in aliis plurimis, qui validissimè stent pro veritate, & virtute. Huc trahi possunt dicta lib. 10. cap. 3. §. 17.

Luc. 19. *D. Amb.* *Isai. 54.* *Rupert.* *Eccl. 46.*

Gen. 32. Iacob autem abiit itinere, quod cœperat: fuerúntque ei obuiam Angeli Dei. Quos cùm vidisset, ait, Castra Dei sunt hæc, & appellauit nomen loci illius Mahanaim, id est, castra.

§. XXXII.

Oranti homini sese adiungunt Angeli.

PVtat Caiet. hanc Angelorum apparitionem internè fuisse peractam, quod suspicatur ex verbis illis, *fuerúntque ei obuiam Angeli*, quæ apud Hebr. sonant: *Occurrerúntque in eo Angeli.* Dum enim ipse discedens à Labano viam arripit, & mentem ad Deum eleuat, statim sic oranti, ei inseruntur & Angeli. Qui Angelorum accessus tribuitur Iacobi orationi apud Egesippum, lib. 5. de Excid. Ierosom. cap. 16. vbi sic: *Iacob sanctus Esau fratre parricidium minitante patriam reliquit, parentes deseruit, solius secum orationis ferens viaticum, meritóque in peregrinis locis, cùm fratris metueret insidias, inuenit Angelorum concilium, perductus (vt ait) ad castra Dei.* Expende illud, *solius orationis ferens viaticum*, & dum hoc solo orationis viatico facit iter, Angelos sibi occurrere videt. Nesciunt Angeli non sese adiungere illis, quos orantes vident. Psalm. 67. *Præuenerunt principes coniuncti psallentibus in medio iuuencularum tympanistriarum.* Sanè cœlestes principes hunc habent morem, vt sese orantibus, psallentibúsque coniungant. Ad hæc D. Bernard. epist. 78. *O si quis haberet oculos apertos, quos orando Prophetæ puero reuelauit! Videret proculdubio quemadmodum præueniunt principes coniuncti psallentibus, in medio iuuencularum tympanistriarum. Videret, inquam, qua cura, quove tripudio intersunt Angeli cantantibus, adsunt orantibus, insunt meditantibus.* Hunc habe Angelorum illicem, nimirum, orationes, & choros Angelicos ad te trahis, & tibi arctissimè adiungis Angelos, qui nesciunt ab orantibus separari. Vix est audiri vocem orantis, cui suas voces non adiungant Angeli. Quò refero illud Germani Archiep. Constantin. orat. in Adorat. Crucis, apud Grethserum nostrum. Ait enim: *Fuit, cùm inter beatos res nostra sita essent, paradisúmque à Deo plantatum, locum indesinentis voluptatis plenissimum incoleremus: vbi vox confessionis, & votum, qui festos dies agitabant, sonitus, vocésque è cœlo Angelorum, hymnos, & laudes decantantium. Infernè, & ex terra alternatim velut respondentem sonum edebat homo, & consona modulando diuina cantica referebat, & gloria in excelsis, & in terra pax resultabat.* Ecce tibi in Paradiso duo canentium chori, hinc homo, illinc Angelus; è terra homo, è cœlo Angelus; nec homo vocem emittit orationis, vocem emittit laudis, quin simul respondeat Angelus. Erant equidem ex tunc principes coniuncti psallentes, & orantes, vt pateat, quam antiquitus Angeli accurrant orantibus, & alternatim nobiscum dum oramus, suas emittant voces laudis.

Egesipp. *Psal. 67.* *D. Bern.* *German.*

§. XXXIII.

Qui Christum habet, incredibilem ad se Angelorum multitudinem trahet.

AVt vnus, aut duo, aut tres Angeli, visibili forma huc vsque apparuerant; vnus, ad ostium Paradisi gladium versatilem habens; duo, vt Lothum à Sodomitico igne liberarent; tres apud tugurium Abrahami hospitantur. Ad Iacob autem non duo, non tres, non pauci, sed innumerabiles se effundunt Angeli, vt ingentes exercitus faciant, & vocentur castra. Ait enim, *Castra Dei sunt hæc:* cur ergo, qui tam pauci ad alios veniebant, in tanta multitudine Iacobo apparent? Rationem insinuat Gabriel Angelus, Luc. 1. vbi de Christo ait: *Et regnabit in domo Iacob.* Et quidem vbi Christi sedes in domo Iacob cernebatur, non miror, quòd ad Iacob accurrerent vniuersi Angeli. Fœlix ille, qui in se Christum habet, qui in se Christo sedem parat: haud dubium quin inter alias fœlicitates plures, hanc etiam habeat, quòd ad illum innumeri Angeli aduolent. Vix Christus Dominus ex Mariæ viscerib. dilapsus in terra apparuit Luc. 2. *Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum, &c.* Iam non Angelus Domini mittitur, sed innumeri Angeli in terra apparent, & vel paucis pastoribus sese ostendunt, illísque nati Saluatoris annuntiant gaudium. Cur ad hoc tot Angeli? Nonne sufficeret vel vnus, vel tres, vel quatuor? Equidem

Luc. 1. *Luc. 2.*

vnus

vnus ſufficeret; ſed poſtquam terra Chriſtum habuit, vniuerſi amant Angeli in terra commorari, & ſeſe vniuerſos conuocant, vt ad noſtra aduolent. Origen. hom. 1. in Ezech. *Obſequuntur ſaluti noſtræ Angeli, conceſſi ſunt ad miniſterium filij Dei, & dicunt inter ſe, ſi ille deſcendit, & deſcendit in corpus, ſi mortali indutus eſt carne, & ſuſtinuit crucem, & pro hominibus mortuus eſt, quid nos quieſcimus? Quid parcimus nobis? Eia omnes Angeli deſcendamus de cœlo. Ideò & multitudo militiæ cœleſtis erat laudantium Deum, quando Chriſtus natus eſt. Omnia Angelis plena ſunt, &c.* Itaque vix vllus Angelus permittitur manere, quin decidat ad eũ, in quo eſt Chriſtus; ſed omnes certatim currunt, vt ibi ſuũ exerceant miniſterium. Hinc referens Matth. Baptiſmum Ieſu ait c. 3. *Baptizatus autẽ Ieſus confeſtim aſcendit de aqua, & ecce aperti ſunt ei cœli.* Cur cœli dicuntur aperti? Nónne ſufficeret, quòd vel vnũ cœlum apertũ diceretur? Cur neceſſũ fuit, vt plures cœli aperirentur? Innuebatur ibi multitudo cœleſtium principũ deſcendentium, quæ tanta erat, vt videretur non poſſe venire non niſi à multis cœlis. Ait Orig. hom. 1. in Ezech. *Aperti ſunt cœli, non ſufficit vnum cœlum aperiri, aperiuntur plurimi, vt deſcendant non ab vno, ſed ab omnibus cœlis Angeli ad eos, qui ſaluandi ſunt. Quando enim viderunt Principem militiæ cœleſtis in terreſtribus locis commorari, tunc per apertam viam ingreſſi ſunt ſequentes dominum ſuum & parentes voluntati eius.* Non ſe continent ampliùs Angeli in cœlis, vbi Ieſum vident in terris, ſed omnes cœleſtes cameræ reſerantur, vt deſcendentium Angelorum copia creſcat in immenſum. Crede mihi, homo, ſi Chriſtum Dominum in te habeas, nullus tibi deerit cœleſtis princeps, omnes etiam ſupremi tibi aſſiſtent. Ex quo D. Chryſoſt. homil. de ſacra, & diuina menſa. tom. 3. ponderans, quid habeamus in menſa, in qua Chriſtum capimus, ait: O *miraculum, menſa tam magnificè inſtructa, in qua agnus Dei pro te mactatur, ad quam aſſiſtunt Cherubim, deſcendunt Seraphim, qui ſenis præditi alis vultus demittunt, vbi omnes Angeli cum Sacerdote pro te legationem obeunt.* Itaque in menſa, in qua habemus Chriſtum, & omnium, & ſupremorum cœleſtium principum habemus famulitium. Ibi & Cherubim, & Seraphim aſſiſtunt ſuo Regi, & vniuerſi pro nobis interpellant.

Origen. — *Matth. 3.* — *Origen.* — *D. Chryſ.*

Gen. 32. Miſit autem nuntios ante ſe ad Eſau fratrem ſuum in terram Sur in regionem Edom: præcepítque eis dicens: ſic loquimini domino meo Eſau: Hæc dicit frater tuus Iacob: Apud Laban peregrinatus ſum, & fui vſque ad præſentem diem. Habeo boues, & aſinos, & oues, & ſeruos, & ancillas: mittóque nunc legationem ad Dominum meum, vt inueniam gratiam in conſpectu tuo.

§. XXXIV.

Magnifici, & diuini animi eſt, quòd ſolus cùm ſis in aduerſis, participes habeas in proſperis fratres.

DVm gelu vrgebatur Iacob, duráque ſeruitute premebatur apud Labanum, nullam mittit legationem parentibus, nec fratribus, vbi autem liber à ſeruitute, & gregibus animalium diues extitit, ſtatim legationem mittit ad fratrem. Quippe ait: *Habeo boues, & aſinos, & oues, & ſeruos, & ancillas; mittóque nunc legationem ad Dominum meum, &c.* Expende illud: *mittóque nunc legationem*, nunc, inquit, quando diues ſum, quando gregibus meis terram impleo: non quando ſolus, & pauper, & peregrinus duram ſuſtinebam ſeruitutem. Quid magnificentius? Sanè magnifici cordis eſt, quod in malis ſolitudinem, in bonis communionem diligas. Ducebatur ad mortem Dei filius deſertus à ſuis, imo, vt ipſe ait, à patre derelictus, vt clamet per Iſaiam, c. 63. *Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum*: ſed vbi ad reſurrectionem feſtinat Matth. 27. *Multa corpora Sanctorum, quæ dormierant, ſurrexerunt.* Patitur ſolus, ſed multis conſurgentibus ſe ſuſcitat, habens non paſſionis, ſed gloriæ reſurrectionis participes. Ad hæc ait Paſchaſ. lib. 12. in Matth. *Chriſtus, quamuis vnus ſit mortuus, & ſolus pro omnibus, noluit ſolus reſurgere, ſed cum plurimis, vt primum teſtes haberet reſurrectionis, deinde ipſe vnà cum multis, vt ſpem refunderet deſperatis, teſtis extitit perpetuæ reſurrectionis.* Itaque qui cauit in paſſione, ne quis diſcipulorum de eius calice biberet, in reſurrectione totum gloriæ abyſſum in homines effudit, vt haberet diuitiarum, & proſperitatum participes. Id quod diuiniſſimi, & magnificentiſſimi cordis eſt. Nemo eſt qui neſciat, quam derelictus, quam ſolus fuerit Iob in ærumnis, non enim à domo tantùm, ſed & ab vrbe ſe abſtraxit, & ſolus in ſterquilinio ſedit extra ciuitatem; inquit enim Origen. lib. 2. *Sedebat Iob ſuper acervum ſtercoris extra ciuitatem, me ſolum, inquiens, circumdant mala mea, mihi ſoli moleſta ſunt vulnera mea, ne efficiar aliis exacratio, ne exacerbentur ciues propter meos dolores.* Hic tantus, qui ſic voluit eſſe ſolus in ærumnis, vbi conualuit, vbi rediuiuæ fœlicitatis limen attigit, non paruam propinquorum multitudinem ad ſe traxit. Quippe ait text. c. 42. *Venerunt autem ad eum omnes fratres ſui, & vniuerſæ ſorores ſuæ, & cuncti, qui nouerant eum priùs, & comederunt cum eo panem in domo eius.* Ecce tibi quàm ſolus in ærumnis, quam ſociatus apparet Iob in fœlicitate, concurrentibus ad illum fratribus. Hanc fratrum frequentiam poſt fœlicitatem tribuit Olympiodorus in Cat. Græc. diuinæ virtuti, quod difficillimum videbitur cogitanti. Ait enim: *Cùm factum eſſet diuinitus, vt ad eum certatim accurrerent, &c.* Diuinitus factum, dicit, quòd ad fœlicem Iobum conueniant fratres, & vnde in tali concurſu potuit colligi, vel minimum veſtigium diuinitatis? Quòd ad fœlicem veniant amici plures, & plures cognati, nihil magis crediderim humanum, nihil magis crediderim temporale. Tritum illud eſt, & veriſſimum.

Origen. — *Iſai. 63.* — *Matth. 27.* — *Paſchaſ.* — *Olymp.*

Dum fueris fœlix, multos numerabis amicos,
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.

Quando ergo temporaliſſimum eſt, quòd ad fœlicem currant certatim amici, & cognati, & propinqui, vnde agnouit virtutem diuinitatis Olympiodorus in cõcurſu, & frequentia propinquorum ad Iobum priſtinæ fœlicitati reuocatum? Hæc equidem diuina virtus, & manifeſta, & conſpicua erat, non in concurrentib. fratribus, ſed in Iobo, qui cùm ſolus ærumnas ſuſtinuiſſet, in primo fœlicitatis limine non detrectabat, ſed excipiebat, & tenebat frequentiſſimum concurſum amicorum, & fratrum. Opus enim eſt diuinæ virtutis maximum, quòd qui in aduerſis habuit ſolitudinem, in proſperis communionem amet fœlicitatis. Hinc eſt, quòd Ieſus Matth. 26. dicit: *Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei: Magiſter dicit: Tempus meum propè eſt, apud te facio Paſcha cum diſcipulis meis.* Sic vt Paſcha faceret intrauit hominis domum, ibíque cœnauit, & poſt cœnam, ſciens iam appropinquare carnifices clamat, Ioann. 14. *Surgite, eamus hinc.* Cur Domine, ſic properas abire à domo, in quam tam amanter veniſti? Venit Paſcha facturus, ne miremur, quòd amet tanti boni conſortes inuenire. Properat abire paſſurus, ne hoſpes damna participet. Rupert. lib. 11. in Ioann. *Surgite, eamus hinc, ne vel iſte, cuius diuerſorio fruiti ſumus, apud quem Paſcha fecimus, vllam propter nos inquietudinem patiatur.* Sic Dei filius in aduerſis ſolus amat eſſe, in proſperis quærit participes.

Matth. 26. — *Ioan. 14.* — *Rupert.*

§. XXXV.

Ad trahendos, conciliandóſque tibi homines temporales, efficaciſſimus illex erit, ſi opibus, fœlicitatéve polleas.

PRudentiſſimus Iacob vt ſibi fratrem Eſau temporalem hominem conciliet, hoc illi mandatum præmittit, nimirum, *Habeo boues, & aſinos, & oues, & ſeruos, &c.* nec efficaciori carmine vti poſſet ad trahendum illum, quàm præoſtendens diuitias. Crede mihi, excitantur maximè homines temporales, & fiunt oculatiſſimi ad diuitias, & humanas fortunas. Purpuratus ille diues, Luc. 16. *Vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu eius, &c.* Quotidie habuit Lazarum ad ianuam, & nunquã dicitur illum vidiſſe; & nunc cùm Lazarus nõ mendicat, ſed in ſinu Abrahæ requieſcit, & abundat diuitiis, ſtatim ibi cernitur à diuite, qui oculatiſſimus eſt, vt vel longè poſitas videat diuitias, ad illáſque exurgat. Chryſoſtom. homil. 7. in Luc. ait: *Cùm proximus eſſet Lazarus, præteribat. nunc cùm procul abſit, inuocat: quem frequenter ingrediens, & egrediens non videbat, hunc procul ſemotum, diligenter aſpicit.* Non equidem videbat temporalis homo pauperem, licèt ſibi propinquiſſimum: aſt vbi paupertas exuitur, & affluens oſtenditur Lazarus diuitiis, etſi in loco remotiſſimo ſit, illum videt diues purpuratus, & ad illum feſtinat, & eius amat participare diuitias. Sic apud homines temporales valent humanæ fortunæ, ad quas ſolas currunt. De Iobo in priſtinum ſtatum reſtituto aiebat textus, cap. 42. *Venerunt autem ad eum omnes fratres ſui, & vniuerſæ ſorores ſuæ, & cuncti, qui nouerant eum priùs, & comederunt cum eo panem.* Nullus frater, nulla ſoror,

Luc. 16. — *Chryſoſt.* — *Iob 42.*

nullus propinquus desuit, qui ad Iobum diuitem non veniret, & cum illo comederet panem, & quanta hæc Iobi fœlicitas? Cur hoc norat Dominus in rediuiua fœlicitate Iobi? Crediderim, Dominum in notando hoc propinquorum concursu, non attendisse ad Iobi fœlicitatem ostendendam, sed ad carpendam temporalium hominum consuetudinem festinantium ad fœlices. Fuit fœlicitas in Iobo, efficacissimus illex, qui vbi apparuit, illico traxit ingentem propinquorum concursum. [Nicetas] Nicetas in Cat. Græca ait: *Fortassis etiam propinquorum inhumanitatem diuinus sermo perstringit, qui simulatam amicitia, propinquitatisque speciem imitarentur, quandoquidem ab eo, cùm premeretur ærumnis, longius abfuissent, vbi verò esset rebus tranquillitas restituta, tunc auditione superiora accepissent, atque gratulandi causa aduolauissent.* Cùm apparet fœlicitas, cùm sese produnt diuitiæ in aliquo, & fortunæ, tunc ad illum aduolant propinqui, & innumeri amici. Te fœlicem, & diuitem propone, & rapis ad te vndique fratres, propinquos, & amicos. Illud nouum, & inusitatum, Iob cap. 2. [Iob 2.] *Igitur audientes tres amici Iob, omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo. &c.* Inositatum planè, & extra hominum consuetudinem est, quòd tres inueniantur amici, qui ad deiectum, & depauperatum hominem currant. Vnde [Origen.] Origen. lib. 3. in Iob, fatur: *Non erant tales beati illi viri, quales nunc profectò sunt homines, maleuoli, ingrati. qui cùm bene est cuilibet, tunc illi amici sunt, & sinceri, atque puri esse videntur. Cùm cuilibet tribulatio aduenerit, tunc videlicet, illi discedunt, & dissiciunt, & obliuiscuntur.* Sanè longè est à communi hominum consuetudine, quisquis ad deiectum, & pauperem currit, temporalium enim hominum mos eò tendit, vbi fortunas, & fœlicitates viderit.

Gen. 32. Reuersíque sunt nuntij ad Iacob, dicentes: Venimus ad Esau fratrem tuum, & ecce properat in aduentum tuum cum quadringentis viris.

§. XXXVI.

Potentia humana quò pluribus auxiliis constat, eò se magis a vera, & diuina potentia alienat.

PRoperat ad fratrem profanus Esau quadringentis cinctus equitibus, vt sic potentiam ostentet suam, teste Lippomano in catena. Sed quantula hæc potentia, quæ tot eget fulcris? Ille equidem verè potens est, qui per se solum, nullo emendicato externo auxilio exurgit in facinora; quò enim pluribus eges, eò euidentius à vera potentia distas. [Iob 14.] Sic Beatus Iob, cap. 14. veram Dei potentiam testificans, inquit, *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu, qui solus es?* Dixisset ad ostentationem potentiæ, potes facere mundum de immundo, tu cui mundus vniuersus militat, cui cœli famulantur, & astra, cui millia millium, & decies centena millium mundissimorum spirituum ministrant. At vniuersam hanc ministrorum turbam præteriens, maluit dicere, *tu qui solus es*; in eo enim vera, & maxima ostenditur potentia ad omnia, quod nullo indigeat, quòd remotis auxiliaribus copiis, per se solum possit exhibere cuncta. Quò enim plures auxiliorum copias ostendis, eò euidentius te alienas à vera potentia, & diuina. Hinc Iesus Matth. 26. morti vicinus, & iam iam tradendus, vt infirmus, & imbecillis potestati tenebrarum, ait: *Nonne possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum?* Quid ais Domine, te infirmum exhibes, & simul tot legiones Angelorum prætendis? Si tempus est infirmitatis ostentandæ, & instat hora tenebrarum, ad quid Angelicas legiones iactas? Quid Angelorum copiæ, cum hora infirmitatis? Imò in eo se infirmum ostendit, quod dicit se posse recurrere ad Angelorum phalanges, non enim hoc est potestatis veræ, sed infirmitatis, sed minoratatis. [Origen.] Ait Origen. homil. 35. in Matth. *Quasi Angelis inferior Saluator, aut indigens auxilio Angelorum, dicebat, An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim millia Angelorum?* Et quidem non ostentatio; sed obtenebratio veræ, & diuinæ potestatis erat, quòd non per se solum, sed per legiones Angelorum dicebat Dominus posse hostes deturbari. Quot legiones Angelorum ad hoc præmittebat, tot nubila offundebat diuinitatis suæ veræ potestati. De qua Iudith, [Iudith 9.] cap. 9. *Non in multitudine est virtus tua Domine, neque in equorum viribus voluntas tua est.* Nunquam vera est potentia, quæ pendet ab aliis; quot te fulciunt, te muniunt, tot sunt indicea tuæ infirmitatis. Qui verè potens est, omne externum auxilium à se abigit. Quò respiciens Moyses, vt nobis Deum summè potentem ostenderet, sic cœpit eius facinora enarrare, Genes. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram.* [Gen. 1.] Priùs dicitur creasse cœlum, deinde terram, priùs tectum, quàm fundamentum posuit, vt discas opus esse non humanæ, sed potestatis diuinæ, quòd sine fulcris, sine adminiculis fit. Sic enim ait D. Chrysostom. serm. de ieiuniis, ex Genes. lect. [Chrysost.] *In principio fecit Deus cœlum, & terram. Cur autem primum cœlum posuit, deinde terram, antè tectum, quàm solum? vides & in hoc nihil simile esse humanis artibus, nec hominum regulis voluntatem seruari diuinam. Apud nos adminiculis, & fulcimentis opus est, ibi verò voluntas opus efficit, & præbet sermo virtutem.* Planè tot adminiculis, tot fulcimentis externis nititur potentia quæuis humana, vt potiùs videatur speciem referre rei infirmæ. Nónne infirmus est, qui non stat nisi fulcrorum beneficio? Sed vera, & diuina potestas, ipsa per se sine fulcro, sine auxilio suam ostendit virtutem. Hinc Isaias, c. 9. [Isai. 9.] à mundialium principatu distinguens validissimum Iesu principatum, inquit: *Et factus est principatus super humerum eius.* De quo ait Scholiastes Nazianz. in orat. 37. [Nazianz.] *Cuius principatus super humerum eius, quoniam omnes alij Reges non in propriis viribus imperium suum habent constitutum, sed in alienis, puta, in militibus, & in satellitibus, ac propugnatoribus. Christus autem solus principatum suum super humerum habet, id est, in sua potentia.* Hæc ibi.

Gen. 32. Timuit Iacob valde, & perterritus diuisit populum, qui secum erat, greges quoque, & boues, & oues, & camelos in duas turmas, dicens: Si venerit Esau ad vnam turmam, & percusserit eam, alia turma, quæ reliqua est, saluabitur. Dixítque Iacob: Deus patris mei Abraham, & Deus patris mei Isaac: Domine, qui dixisti mihi, &c.

§. XXXVII.

Hinc fidelis populus claret, quòd non tam militaribus copiis, quàm Dei timore muniatur.

VIde duos illos populos, qui fuerunt in Rebeccæ vtero, qualiter sese muniant; Esau quadringentos equites sibi adiungit; Iacob timens non ad arma, non ad equos, sed ad Deum confugit; verè ille profanus, & gentilis totus est in militari manu, vere hic fidelis, & Dei amicus, nil priùs respicit, quam Deum, sub cuius timore fulcitur. Hæc enim est fidelis populi conditio, quòd non tam in militari manu, quàm in Dei timore, & cultu confidat. De primo illo à Deo electo populo, nempe Israele, dicebat Ammonitarum dux Achior coram Holoferne, Iudith cap. 5. [Iudith 5.] *Vbicumque ingressi sunt sine arcu, & sagitta, & absque scuto, & gladio, Deus eorum pugnauit pro eis, & vicit. Et non fuit qui insultaret populo isti, nisi quando recessit à cultu Domini Dei sui.* Vna est religio, & pietas, quæ armat populum fidelem, vbicumque enim fidelis populus, non tam in arcu, & gladio, & exercitu multo, quàm in Dei cultu, & timore confidit, inexpugnabilis est, imò exercitus hostiles victor pertransiuit. Ex quo Iosephus apud Egesipp. lib. 5. de Excid. Ierosolym. cap. 16. sic populares suos multo milite cinctos, duro ferro armatos carpit: [Egesip.] *Temerarij vestrorùmque immemores auxiliorum, scuta, & gladios paratis, & hoc aduersus Romanos. Non talibus armis vincere solebatis. Quando enim in hasta, & gladio fuit Hebræorum victoria? Recordamini vnde orti, & à quibus sitis profecti, quomodo patres vestri hostes suos vicerint. Non in multitudine populi, sed in timore Dei pater Abraham penetrauit Ægyptum, &c.* Meritò temerarius vocabatur fidelis populus, qui totus ad arma, ad bellica meditamenta currebat, nec Dei, nec sui ipsius memor. Non enim ita est fidelis populus, qui tam militari robore, quam Dei timore triumphet. Recolant fideles populi, vnde orti sint, à quibus ducibus sint confirmati, & stabiliti, quomodo illorum patres hostes suos vicerunt. Non equidem in multitudine populi, sed in Dei timore, & cœlestium auxilio Hispani Reges innumerabiles Maurorum copias prostrauerunt, ab Hispanóque solo fugauerunt. Non in multitudine populi, sed in Dei timore, & religionis cultu orientales, & occidentales Indiarum recessus penetrauerunt, & penè vniuersum

Orbem

Orbem domauerunt. Abhinc ducentis annis nulla natio sic triumphauit de Orbe, vt triumphauit Hispania: quia nec sic pietatem coluit, & religionem, vt Hispania coluit. Planè temerarij sunt fideles populi, qui auitæ pietatis, & religionis Catholicę immemores, exercitu, & armis nituntur sese propugnare ab inimicis. Non equidem iis defenduntur solis, & triumphant fideles populi, sed Dei mirabili patrocinio religione, & pietate acquisito. Vtinam vniuersi populi fideles hoc recordarentur, & in memoriam reuocarent primos duces, per quos in fœlicitatem asserti sunt, fallar, nisi plus roboris in eorum fide, quàm in eorum exercitibus inuenirent. Sanè D. Ambros. orat. de Obitu Theodos. aiebat: *Recognoscite, quos vobis Theodosij fides triumphos acquisiuerit, cùm locorum angustiis, & impedimentis calonum agmen paulò serius in aciem descenderet, & inequitare hostis morabili videretur, desiliuit equo princeps, & ante aciem solus progressus ait, Vbi est Theodosij Deus? Quo dicto excitauit omnes, & exemplo omnes armauit. Theodosij ergo fides fuit vestra victoria.* Non Theodosij exercitus, sed pietas, sed fides dedit suis victorias; nec dubito quin, si singulorum fidelium populorum recolantur duces, & conditores, in omnibus referri debeant fœlicitates, & victoriæ, & fidei, & Dei timori. Nouerat hoc Rex Moab, Num. 22. vbi de Dei populo aiebat: *Ita delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur, quomodo solet bos herbas vsque ad radices carpere.* Non vt boues solent ferro terram proscindere, & spinas eradicare, sed vt solent ore herbas carpere. Et cur non magis respexit ad labores boum, quando ferro terram scindunt, & spinas eradicant, sed maluit respicere ad boum pascua, cùm herbas manducant? Nonne valentia Israelitici populi ad exstirpandos hostes, meliùs exprimeretur per fortitudinem boum ferro terrã proscindentium; vel ferratis plaustris paleas terentium? Cur maluit non in vomere boum, sed in ore fortitudinem populi Dei explicare? Equidem populus Dei is est, qui non tam ferro, & armis valeat aduersus hostes suos, quàm ore, & orationis ad Deum efficacia. Ait Orig. homil. 13. in Num. *Cur tali vsus est exemplo dicens, sicut ablingit vitulus herbam campi? Ob hoc sine dubio, quia vitulus ore abrumpit herbam de campo, & lingua tanquam falce, quæcumque inuenerit, secat. Ita ergo & populus hic, quasi vitulus ore, & labiis pugnat, & arma habet in precibus.* Hoc est fidelis populi insigne singulare, quòd non tam in ferro, & armis, & curribus, & multitudine exercitus, quàm in prece, & religione, & pietate debeat triumphare.

D. Ambr.

Num. 22.

Origen.

Gen. 32. In baculo meo transiui Iordanẽ istum: & nunc cum duabus turmis regredior: erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo: ne fortè veniens percutiat matrem cum filiis. Tu locutus es, &c.

§. XXXVIII.

Tenella adhuc, & infantili virtuti certiùs imminent hostiles incursus.

NOn dicitur Iacob timere suum periculum, sed tenellorum infantium, vxorúmque periculum timet, ait enim: *ne fortè veniens percutiat matrem cum filiis;* & quidem maximè semper timendum est, ne infirmiora, & teneriora virtutum concutiantur ab inimico, qui certiùs, & pertinaciùs iis bellum indicit. Vt clamet Ierem. cap. 51. *Comedit me, deuorauit me Nabuchodonosor Rex Babylonis: reddidit me quasi vas inane, absorbuit me quasi draco, repleuit ventrem suum teneritudine mea, & eiecit me.* Ecce tibi nequissimus mundi tyrannus, vt teneritudinem mandit: fortia enim, & valida aggredi pertimescit. Apud Iudic. cap. 6. de Israelitarum hostibus dicitur. *Igitur omnis Madian, & Amalec, & Orientales populi congregati sunt simul, & transeuntes Iordanem, castra metati sunt in valle Iezrael.* Nec otiose notatur vallis esse Iezrael, in qua populi Dei hostes castra posuerunt. Etenim Iezrael significat semen Dei; iuxta quod, dum adhuc tenerescit in terra, nec in fructus coalescit, castra sua ponit hostis humani generis. Ait Origen. homil. 8. in Iudic. *Vides vbi collocant castra aduersarij? Non sunt ausi ire illuc, vbi videntur iam nati esse fructus spiritus, sed vbi adhuc semen Dei iacet, vbi nondum fructus ascendit.* Nullum magis audè hostis aggreditur, quam illum, cuius virtus adhuc est in semine, & quasi in spe, qui adhuc tenerescit in virtutum germine, nec perfectos fructus perit. Sic de Herode dicitur Matth. 2. *Occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem.* Vbi Hugo Card. ait: *Cùm non potest inuadere perfectos, inuadit minores.* Hoc est semper ingenium nostri hostis, congressus cum perfectis, & validis cauet, illud satagit, vt cum paruulis pugnet, & tenerioribus. Non aliter cauebat Pharao, Exod. 1. *Quando obstetricabitis Hebræas, & partus tempus aduenerit, si masculus fuerit, interficite eum, &c.* Non equidem conuocat milites suos, non duces suos, vt bellũ inferãt Israelitis adultis, sed magis obstetricibus rem commendat, vt cum recens natis fiat bellum: in hoc humani generis hostem repręsentans, qui semper teneriores, & infirmiores aggreditur, ne in virtute conualescant. Ad hæc Origen. homil. 2. in Exod. *Videte, quid princeps huius mundi præcipiat suis, vt infantes nostros rapiant, & in flumen proiiciant, prima statim natiuitati nostrorum insidiantes, conantes, vt vbera Ecclesiæ prima contigerint, irruant, diripiant, persequantur, vndis, & fluctibus huius sæculi absorbeant. Vide statim vt natus, siue vt renatus fueris, quid tibi immineat. Hoc illud est, quod in Euangelio legis, quia Iesus, statim vt ascendit de baptismo, ductus est ab spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo.* Cunabulis nostris irrepit anguis malignus; scit nequam draco, quàm irritè, & vacuè pugnet cum viris perfectis, quàm sæpè concutiatur calcibus adultorum Christi: & ideò expauens arcoas armatorum, petit recens natorum cunas, & cum infirmis, & tenellis crudelissimè pugnat. Semper, mihi credite, antiquus hostis infirmioribus insidiatur vasculis.

Ierem. 51.

Iudic. 6.

Origen.

Matth. 2.

Exod. 1.

Origen.

Gen. 32. Separauit de his, quæ habebat, munera Esau fratri suo, capras ducentas, hircos viginti, &c.

§. XXXIX.

Bonus Imperator, & dux pro expugnandis communibus pietatis hostibus parcat subditorum pecuniis.

ARmato hosti dum parat Iacob obuiam ire, maximè notandum est, vnde paret munera, quibus eius animum expugnet, & ab eius tyrannide fidelem populum liberet. Quippe ait textus: *Separauit de his, quæ habebat, munera* bonus Iacob vbi officium Imperatoris sumit, & sese munit aduersus hostem, non pecuniam à subditis extorquet, nec confictus prætextu bonis acquirendis inhiat, sed magis sua profundit, & de suis parat, vnde hostiles animos vincat. Sic monebat pietatis causa pugnantes D. Synes. Epist. 5. *Amputetur omnis lucri causa contentio, omnia Dei causa suscipiantur. Non eandem virtutis, atque nequitiæ materiem esse oportet. Cursus ille pro pietate est, pro animabus certandum, ne quis ab Ecclesia prædentur, quod iam in consuetudinem illis abiit. Quisquis autem per Ecclesiæ tuendæ speciem, marsupium auget, is est, quem nos extra Christianam consortium amandandum volumus. Non mancam virtutem fecit Deus, non illa societate nequitiæ indiget. Non Deo milites deerunt, Ecclesiæ idonei.* Sunt mundiales Imperatores, qui simul ac debellare pietatis hostes nituntur, & subditorum student vacuare marsupia, implere sua. Absit hoc à veris Imperatoribus, & principibus, tanta enim res virtutis, qualis est impiorum hostium debellatio, minimè promoueri debet à vitio nefariissimo auaritiæ. Non ea est virtus, cui necessum sit militare vitia: quin potiùs ablato omni vitio, eradicata omni cupiditatis radice, habebit virtus vnde triumphales milites acquirat. Vtinam Imperatores sic credant causæ virtutis, vt ex illa sola putent sibi sufficientia auxilia obuentura, ad prosternendos Dei inimicos. Vtinam & pro tuenda religione, sciant parcere rapinis, & contemnere pecunias sciant, fallar, nisi frequentiores triumphi illis obtingant. Amasias bonus adhuc rex Iudæ conduxerat centum talentis auri ingentes copias militum Israelitarum aduersus Idumæos: illi adest Propheta iubens Dei nomine, vt omnes illos milites conductos à se dimittat, & cum paucis Iudæ militibus in prælium currat. Faceret bonus Rex iuxta imperium Dei, sed amabat pecunias, quas dimittendis militibus iam fuerat largitus. Quid tunc? Ait ipse 2. Paralip. 26. *Quid ergo fiet de centum talentis, quæ dedi militibus Israel? Et respondit ei homo Dei, Habet Dominus vnde tibi dare possit multo iis plura. Porro Amasias confidenter eduxit populum suum, & abiit in vallem salinarum, percussitque filios Seir.* Ecce tibi vbi persuasus fuit Rex contemnere pecunias, in Deóque, & virtute spem ponere, nec teruntium repetiit, & alacer triumphauit de inimicis.

D. Synes.

2. Paral. 26.

Ioseph. inimicis. Rem notans Iosephus, lib. 9. de antiq. cap. 10. fatus: *Regem agrè ferentem, quia tam stipendium Israelitis dinumeraue-rat, hortatus est Propheta, vt Dei voluntatem sequeretur, quo propitio non deforet pecuniam. Illos itaque dimisit, præfatus se donare illis quicquid mercedis nomine accepissent, & cum domesticis tantum copijs contra prædictas gentes profectus est. Quibus vno prælio victis interfecit decem millia, &c.* Itaque simul hæc in Amasia concurrere, & quòd adduceretur, vt propriam pecuniam perderet, nec teruntium repeteret, sed omnia donaret, & quòd victoriam de hostibus reportaret ingentem. Fœlices Imperatores, quos nec bellorum prætextu pecuniæ tenent; qui dum etiam ad prælia currunt pietatis, & religionis ergo, magis sua donãt, quàm nimis aliquid à subditis exigunt. *Cassiod.* Imperator erat ille, de quo ait Cassiodor. lib. 9. variar. 25. *Arma eius nulla possessorum damna senserunt. Fuit nimirum prouinciarum verissimus custos, nam ille defensor propriè dicendus est, qui tuetur innoxiè.* Ridenda sanè defensio, & propugnatio ciuium, quæ non minus ciues spoliat, quàm spoliaret hostis.

Genes. 32. Præcesserunt itaque munera ante eum, ipse verò mansit nocte illa in castris. Cúmque maturè surrexisset, tulit duas vxores suas, & totidem famulas, cum vndecim filiis, & transiit vadum Iacob. Traductísque omnibus, quæ ad se pertinebant, mansit solus, & ecce vir luctabatur cum eo vsque manè.

§. XL.

In virtutis duello certissimum victoriarum auspicium est, quòd ab omni re mundiali abstinens, solus scias existere.

O Fœlix victoriæ auspicium in ipso luctæ discrimine, o mirum, *traductísque omnibus, quæ ad se pertinebant, mansit solus.* Qui ab omnibus se abstinet, qui omnia bona mundialia à se dimittit, & omnibus exutus, & solus agit, quam luctam, quod certamen timeat? Sanè vbi omnibus mundialibus exutus est, iam ostenditur omnis, quantumuis duri certaminis, victor. Quæstio erat apud priscos fideles celebris, vtrum esset fortius, & præstantius facinus tempore persecutionis, quod Christi athleta in arena expectaret carnifices, vt à filiorum amplexu ad furcam, à domesticis bonis, & deliciis, ad crudelem raperetur carnificinam, vel quod relictis bonis, & propinquis, quis carnificum manus effugeret in solitudine? Alij oppetentem gladios, mortémque dum laudant, fugientem vilipendunt. Rem tamen sic grauissimè definit D. *Cyprian.* Cyprian. lib. de lapsis, inquiens. *Primus est victoriæ titulus gentilium manibus apprehensum Dominum confiteri. Secundus ad gloriam gradus est, cauta secessione subtractum Domino reseruari. Ille iudicem sæculi vincit, hic contentus Deo suo iudice, conscientiam puram cordis integritate custodit. Illic fortitudo promptior, hic solitudo securior. Ille appropinquante hora sua, iam maturus inuentus est, hic fortasse dilatus est, qui patrimonio relicto idcirco secessit, quia non erat negaturus; confiteretur vtique, si fuisset & ipse detentus.* Quid sapientius in rem præsentem? Expende ab illis: *patrimonio derelicto, idcirco secessit, quia non erat negaturus:* quippe qui patrimonio incubabat, vsque dum comprehenderetur, non adeò claram futuræ victoriæ probationem præmittebat, verùm qui eò adducebatur, vt relicto patrimonio in solitudinem secederet, iam in rerum abnegatione clarissimum futuri triumphi in tormentorum discrimine præferebat auspicium. Non est cur in relinquente patrimonium & secedente aliquid infirmum, & labile suspicemur, qui enim ab omnibus se abstinet, & sic omnia mundialia contemnit, satis iam ostendit nullis certaminibus fore vincendus, *confiteretur vtique, si fuisset & ipse detentus.* Auspicium victoriæ est in quouis discrimine, quòd quis se abstineat à mundi rebus. Hinc Iesus vt inexpugnabilem fortitudinem suam ostendat, Ioann. 14. ait: *Venit enim princeps huius mundi, & in me non habet quicquam, &c.* Ecce tibi mundanorum Principi cum ingenti malorum exercitu venienti occurrit Iesus pugnaturus cum illo; & quæ ille victricia opponit arma? *Ad Eph. 6.* Paulus ad Ephes. 6. sic munit Christi athletas aduersus mundi principem: *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli, quoniam non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores, tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, in cœlestibus. Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfectè stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis, in omnibus sumentes scutum fidei, &c.* Et galeam, & scutum, & loricam, & gladium, & totam Dei armaturam requirit Paulus, in eo, qui aduersus mundi principem velit dimicare. At Iesus aduersus mundi principem exurgit, & nulla meminit arma, solùm enim dicit, venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam. Cur, Domine, non magis dicis, & me armatum inueniet, & in me scutum fortissimum, loricam impenetrabilem, limatum gladium, & totam Dei armaturam experietur? Quid interest, quod in te nihil habeat, si etiam non sunt in te arma, quibus cadat? Equidem hoc, quod est nihil mundi in se habere, hoc, inquam, est Iesu pro victricibus armis, quibus securissimè detriumphet omnes incursus diaboli. Pulchrè ait D. Ambros. lib. 4. in Luc. *D. Ambr.* *Auaritia damno diuitis vrgetur, pater dispendio filiorum, homo doloribus, corpus vlceribus. Quanta hæc diaboli tela! Vnde Dominus noluit habere, quod perderet, & ideo pauper huc venit, ne haberet diabolus, quid auferret. Ipsum Dominum dicentem audi: Venit princeps huius mundi, & in me inueniet nihil.* Multa diaboli erant tela, & validissima, in ruina bonorum, in filiorum dispendio, in doloribus, in vulneribus, in mortibus. Aduersus hæc omnia venit Iesus pauper, & humilis, nihil mundi in se habens, & in hoc solo habet, vnde certissimè pessundet diabolum, & omnia eius tela flocci faciat. Quoties te exercitas in abnegatione sæcularium bonorum, & voluptatum, toties certissima tradis auspicia aduersus mundi rectorem. Quò spectans Paulus 1. ad Corinth. 9. ait: *1. Cor. 9.* *Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Quæ verba tractans Tertull. lib. ad Martyres, ait: *Tertull.* *Athletæ segregantur ad strictiorem disciplinam, vt robori ædificando vacent, continentur à luxuria, à cibis lætioribus, à potu iucundiore. Coguntur, cruciantur, fatigantur, quanto plus in exercitationibus laborauerint, tanto plus de victoria sperant.* Ecce tibi vt spes victoriæ semper rutilat de abnegatione voluptatum, rerúmque mundialium.

§. XLI.

Quò citiùs te à rebus mundialibus exemeris, eò citiùs Deum tibi deuictum habebis.

VBi Iacob omnia sua præmisit, & solus mansit, ecce vir luctabatur cum illo, ita vt vinci possit, & superare, ex quo enim mundialia à corde abieceris, nulla erit mora, sed statim tibi deuictus Deus aderit. Ait D. Ephrem, serm. de angustia animæ expugna hostis: *D. Ephrem.* *Tu qui cuncta prænoscis Domine, accedentis ad te conspicis cor, & si penitus exuit mundum, & te perfectè desiderat, antequam pertingat ad ianuam, aperis ei: priusquam procidat, manum illi pijssimè porrigis: antequam lacrymas effundat, miserationum tuarum super illum copiam fundis.* Nulla Dei bona tardant ad hominem peruenire, vbi ab eius corde ostenditur mundus abiisse. Exue homo penitus mundum, & Deum habes tibi deuictum; vbi te Deus mundo viderit exutum, cœlestia omnia faciet militare tibi. Illud sit primum animi tui opus, vt elongeris à mundo, non enim aliter capies Dei plenitudinem. Sic monebat Dominus, Matth. 22. *Matt. 22.* *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Et cur nõ priùs reddat quæ sunt Dei, Deo, quàm quæ sunt Cæsaris, Cæsari? Nonne prima animi perfecti cura debet esse ad Deum, cur census Cæsaris ponitur in primis? Equidem tota, & prima animi cura circa Deum esse debet, sed minimè id fiet, nisi quidquid mundi est, primùm à nostro corde exuerimus. Ait Paschas. lib. 10. in Matth. *Paschas.* *Vosmetipsos reddite Deo, quod omninò non potestis, nisi vos primùm exuatis à censu Cæsaris, quatenus deinceps liberi sitis. Et ideò priùs reddite, quod alienum est, &c.* Exuendus in primis est mundus à corde illius, qui velit sibi Deum deuincire, qui cum Deo de bonis æternis velit confligere. Non capit humanus animus mundum, & Deum; vbi se vacuauerit mũdo, Deo implebitur. Dum Abraham Chaldæam incoleret, vocatur à Deo, vt patriam, cognationémque relinquat, reliquit ille, & dum pertrãsiret vsque ad terram Sichem, Genes. 12. *Gen. 12.* *Apparuit Dominus Abraham, & dixit.* Alij legunt: *Visus est Dominus Abraham, & dixit, &c.* In Chaldæo, vocat Dominus Abraham, sed non apparet ei, sed non permittit videri ab illo, postquam autem Chaldæam reliquit, statim Deum

Deum videt. Cur non magis in Chaldæa? Pulchrè D. Ambr. lib. 1. de Abraham, cap. 3. *Nusquam superiùs habes, quòd visus esset illi Deus. Quia quandiu Chaldæus fuit, hoc est, non solùm in regione, sed etiam in opinione Chaldæorum, non poterat Deum videre, quem intra mundum quærebat.* Sic immergebantur Chaldæi mundo, vt nihil magnum, nihil diuinum extra mundum putarent, hinc erat, quòd Deus quam longissimè abesset à Chaldæis, dum autem Abraham Chaldæam reliquit, seque supra mundum constituit, statim illi apparuit Deus præsentissimus.

Ambros.

§. XLII.

Qui à mundo secedunt paulisper, hoc habent singulare, quòd tentationes, imò & casus vident.

PRæmisit mundialia omnia Iacob, & mansit solus liber à mundialibus curis. Quid tunc? *Ecce vir luctabatur cum eo:* expende particulam illam, *Ecce*, quæ est demonstratiua rem præ oculis ponens, ex quo enim Iacob se exemit, & mundialibus rebus, parum supra mundum caput erexit, iam patentissimæ illi apparent tentationes, & luctæ. Sunt equidem ignotæ tentationes illis, qui mundi bonis immerguntur, adeò, vt laqueos putent delicias, & in lethalibus præcipitiis æstiment voluptates amœnissimas. Ecclesiastici cap. 9. *Quoniam in medio laqueorum ingredieris.* Legit Chrysost. homil. 15. ad Pop. *Agnosce, quòd in medio laqueorum transis.* Et mirabar, quòd necessum habeat quis præmoneri, quòd agnoscat, quòd in medio laqueorum transit. Si enim in vno, aut alio laqueo calcasset, sapienter moneretur, quòd agnosceret laqueum, quando vnus laqueus facilè posset obnubilari. At quando, quidquid calcat, laqueus est, & vndique prosiliunt laquei, quid necessum est moneri, vt aduertat, vt videat, vt agnoscat laqueos? Equidem laqueis plena sunt omnia mundialia, sed sic sunt laquei lucris, & voluptatibus colorati, vt mundani homines tunc putent deliciari magis, cùm magis rudentibus inferni trahuntur, illaqueantur. Quis mundanus putet tentationes, & lethalia tela esse in pulchritudine, præcipitia, & mortes, & casus in dignitatibus? Hæc qui videat, extra mundum sit, vel supra mundum necesse est. Psalm. 36. *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut Cedros Libani. Et transiui, & ecce non erat.* Quæ putabatur altitudo, & eleuatio, ecce apparet præcipitium, & casus illi, qui transit. Et vnde transit, qui præcipitium videt, & casum in mundiali exaltatione, in gloria mundi? Planè transit à mundo; vbi enim à mundo paululum nos segregauerimus, statim diræ, & tentationes, & casus euidentissimè apparent. Ambros. lib. 1. de Pœnitent. cap. 14. *Transi sæcularia, & cecidisse aspicies altitudines impiorum.* Sunt laquei, sunt casus, sunt tela lethalia in mundo bonis, sed quæ non cernantur, nisi ab his, qui sæcularia transeunt, qui sciunt à mundo superari. Dum in mundo es, exaltationes vocas, delicias clamas; transi sæcularia, erige paulisper supra mundum caput, & altitudinum præcipitia, & voluptatum laquei apparent, qui non possunt occultari his qui supra res mundiales didicerunt volitare. Vt meritò dicat Prouerb. 5. *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Ante oculos reptantium forsan possunt poni retia cum effectu; qui enim ad terrena bona reptant, sic excæcantur cupiditatibus, vt retia ipsa, & lethalia tela reputent sibi ad voluptatem. At ante oculos pennatorum frustra rete iacitur, quia illis minimè possunt retia occultari. Et qui sunt hi pennati? Pulchrè D. Salonius ibi: *Pennati isti, sunt sancti, & electi viri, qui habent pennas Fidei, Spei, & Charitatis, quibus ad cœlestia contemplanda volant: habent & spirituales oculos, quibus & insidias hostis antiqui prauident, & peccata præcauent.* Ecce tibi vnà cum pennis, quibus à mundialibus rebus effugimus, & ad cœlestia volamus, nascuntur nobis, & oculi, qui nequeant tëtationes, & laqueos, & tela diaboli ignorare. Apud 2. Reg. 3. de Asahel dicitur, ad magnam eius commendationé: *Velox erat sicut ceruus.* Et cur vir fortissimus in bello comparatur ceruo? In ceruo est summa visus perspicacia; ex qua commendabatur vir fortis, vt quem nullus possit laqueus latere. Ait Bachiar. epist. ad Ianuar. *Velox erat sicut ceruus, qui perspicacia mentis inimici laqueos vitabat.* Ride fortitudinem carentem perspicacia ad laqueos videndos. In hoc fœlices, qui Iesu nomen dederunt, fortes sunt, & veloces sicut cerui, vt noscant diaboli laqueos, & technas.

.

Ecclesf. 9. — *Psal. 36.* — *D. Ambr.* — *Prou. 5.* — *D. Salon.* — *2. Reg. 3.* — *Bachiar.*

§. XLIII.

Homo Iesum defensorem, & protectorem habet, vbi cœperit à Diabolo impugnari.

NOn contemnenda est grauissimorum Doctorum sententia, qui putant virum hunc, qui dicitur luctari cum Iacob, non tam impugnatorem, quàm protectorem eius fuisse. Etenim ait textus, *vir luctabatur cum Iacob*: vbi autem dicitur luctari cum illo, magis videtur insinuari societas ad protegendum, quàm discordia ad impugnandum, nam quando hæc explicatur dicit Paul. ad Ephes. 6. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & potestates, &c.* Non ergo vir luctabatur aduersus Iacobum, & repugnans, & contradicens, sed luctabatur cum Iacobo eum adiuuans, & confortans aduersus communem hostem, qui luctas, & certamina homini parabat. Quid mirum? Hoc est officium diuinissimi viri Iesu, qui nobiscum in luctas, & certamina descendit aduersus diabolum. Simul enim, vt à diabolo prouocamur in certamen, nobiscum præsentissimus Iesus adest, & protectionem, & defensionem affert. Ecclesiastæ c. 4. *Si vnus præualuerit contra vnum, duo resistunt ei.* Qui duo? Homo, & Christus; nunquam enim homo linquitur solus in certamine aduersus diabolos, sed semper socium protectorem Iesum habet. Ita ibi D. Hieronym. *Si aduersus hominem robustior in expugnando diabolus steterit, stabit homo, stabit & Christus pro homine, pro sodali suo.* Vix diaboli impugnationem sentiet homo, & simul sentiet protectionem Christi. Ait iustus Isaiæ cap. 27. iuxta lectionem Septuag. *Ego ciuitas munita, ego ciuitas oppugnata*, & simul sustinet impugnationem, & accipit munitionem; impugnationem à diabolo, munitionem, & defensionem à Christo. De quo D. Ambros. lib. 6. Examer. cap. 8. *Ego ciuitas munita, ego ciuitas obsessa, munita per Christum, obsessa per diabolum. Sed non debet obsidionem vereri, cui Christus adiutor est. Munitur enim spiritali gratia, & sæcularibus periculis obsidetur.* Nunquam, mihi crede, tibi venit impugnatio diaboli, quin simul veniat Christi munimentum. Impugnat diabolus, sed protegit Christus: poterit diabolus animæ tuæ ciuitatem vndique obsidere, appositis vndique machinis, vndique conuertere, sed nō poterit facere, vt anima in tali impugnatione, & lucta careat socio auxiliante Christo. Matth. 8. dicitur: *Occurrerunt Iesu duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam. Et clamauerunt dicentes. Quid nobis, & tibi, Iesu fili Dei?* Ecce tibi, quàm crudeliter diabolus in homines desæuit, illos claudit in monumentis, conclusos opprimit, & miserè lacerat. Ait enim Marc. 5. de altero horum, quod in monumentis, & montibus agebat *concidens se lapidibus.* At solus erat miser homo in tam rabida dæmonum impugnatione? Absit; imò & diabolus laniabat hominem, & simul sustinebat Christi spicula, vt clamaret, dicens: *Quid nobis & tibi Iesu?* Potuit enim diabolus eripere homini lucis vsuram, corporis salutem, claudens eum in sepulchris, sed non potuit vitare congressum Christi stanti pro homine suo. Sic ornanter inquit D. Basil. Seleu. orat. 53. *Tanta malis dæmon cum à se obsessum implicuisset, Domini congressu prohibere non valuit.* Non potuit homo obsideri à diabolo, & non muniri à Christo; sed vt diabolum sensit obsidentem, simul sensit Christum secum congredientem aduersus illum.

Ephes. 6. — *Ecclef. 4.* — *Hieron.* — *Ambros.* — *Matth. 8.* — *Marc. 5.* — *Basil. Sel.*

Genes. 32. Qui cùm videret, quòd eum superare non posset, tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit. Dixitque ad eum, Dimitte me, iam enim ascendit aurora. Respondit, non dimittam te, nisi prius benedixeris mihi.

§. XLIV.

Dominus nil penè tam horruit, quàm præsumptionem.

FOrtissimus athleta Dei filius vbi cum Iacobo manus conseruit: dum se vinci videret, eius percussit femur, vt licèt victor Iacob existeret, tamen claudus maneret. Sed cur, Domine, tui victorem mauis claudum manere? Ait Theodor. *Ne hac de victoria superbiret.* Sustinuit Deus vinci, quod infirmissimum,

Theodor.

missimum,& verecundum hominibus videtur, & non sustinuit victorem laborare præsumptione. Equidem non sic Deus horret sub triumphatoris iugo substertm, vt horret præsumentem de viribus suis hominem. *Matth. 8.* Matth. 8. ait: *Accedens vnus Scriba,ait illi,Magister,sequar te,quocumque ieris Et dicit ei Iesus: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos,filius autem hominis non habet,vbi caput suum reclinet.* Et cur Dominus, qui sectatores in mundo quærebat, sic despicit tam nobilem,& voluntarium sectatorem? Nota eius verba plena præsumptionis, nimirum, *sequar te,quocumque ieris*: qui autem nó horrebat pauperculorum hominum, imò & publicanorum societatem, vbi hunc sic præsumentem nouit,illum socium habere vehementer exhorruit. *D.Chrysol.* Ait D.Chrysol.serm.19. *Scribam Christus non repulit volentem,sed fingentem prodidit, & horruit præsumentem.* Patietur inuictissimus Dominus quoduis malum pœnæ,vel dedecoris, vel doloris, præsumentem autem hominem,sibi adesse vehementer exhorrebit. Inter calumniantium Iudæorum voces, & blasphemias, sic tacebat Dominus, vt Præsidem raperet in admirationem: qui dum nec sibi à Iesu dari vllum vidit responsum, præsumptione tactus,ait, *Ioan.19.* Ioann.19. *Mihi non loqueris? Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te. & potestatem habeo dimittere te?* Quid tunc Iesus? An tacitus perseuerat? Imo ait: *Respondit Iesus, Non haberes potestatem aduersus me vllam, nisi tibi datum esset desuper, &c.* Calumniantibus, & blasphemantibus non contradicit Dominus, & contradicit Pilato, quia hic laborabat potestatis præsumptione. Et cum nec verbo ferit feralissimos persecutores, Pilati fastus,& præsumptionem reprimit,quantum potest. *Cyr.Alex.* Pulchrè D.Cyrill.Alexand.in præsenti fatur: *Quoniam principatus sui Pilatus potestatē ostēdebat,ac in se solo,& punire, & absoluere situm esse iactabat, commodissimè huic orationi vires, & potestatem suam opponit, flatúmque Pilati, vel aduersus Dei gloriam tumentem deprimit.* Is est Dominus, qui non sustineat præsumentem, quando etiam sustinet carnifices, & persecutores. Et cur non magis sustineat Dominus carnifices, & persecutores,quàm præsumentes? A carnificibus enim vide quid eduxerit Dominus, *Coloss.1.* ad Coloss.1. *Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis.* Passio equidem Christi omnia pacificauit,& cœlestia,& terrestria. Præsumptio autem creaturæ tam in cœlo, quàm in terra turbauit vniuersa, bellum inferens ipsi Deo. Aiebat enim Lucifer Isaiæ cap.14. *Sedebo in monte testamenti,in lateribus Aquilonis.* *Isai.14.* *D.Bern.* Pro quo D.Bernard.tract.de gradibus humilitatis,primo superbiæ gradu,ait: *Ponam,inquis,sedem meam ad aquilonem. Cæteris adstantibus cœlicolis,dum tu solus sedere affectas,fratrum concordiam,totius cœlestis patriæ pacem, ipsius,quantum in te est,quietem Trinitatis infestas. Quò te tua, miser, curiositas ducit,vt præsumptione singulari,non dubites ciuibus scandalum,iniuriam facere Regi?* Ecce tibi quanta inferat cœlo, terræque mala præsumptio, quando & Deo ipsi bellum infert, pacémque Beatissimæ Trinitatis,quantum est ex se,turbat.

§. XLV.

Ex quo in passionis arena Dominus ad mortem vincitur, nulla est creatura,in qua casum mundialium bonorum non videas.

SVperatur in lucta vir diuinus, & Iacobi femur vsque ad claudicationem percutitur, quid miraris? Vbi enim passionis in arena Dominus, & superatur, & cadit moriturus, nulla creatura est,quæ aliquem non patiatur casum, & ruinam. *D.Leo.* Vt dicat D.Leo,ser.de Pass.6. *Pendente in patibulo creatore vniuersa creatura congemuit,& crucis clauos omnia simul elementa senserūt. Nihil ab illo supplicio liberū fuit. Hoc incommunionē sui, & terram traxit,& calū,hoc petras rupit,&c.* Quæ mūdialia starent cadente Domino? Quæ carnis opera,quæ sæculi altitudines non prosternerentur, vbi & Deus ipse ostenditur sic deuictus, vt iamiam esset prosternendus solo? Verissimè illud dictum fuit a Simeone, *Luc.2.* Luc. cap. 2. *Ecce positus est hic in ruinam,& resurrectionem multorum.* Ad quod eleganter *Origen.* Origen.homil.16 in Luc.fatur. *Habebat aliquid in me,quod malè fuit, & peccati superbia se erigit,hoc cadat,hoc subruatur. Postquam ille venit, nunc quod in me malum fuit, corruit, & expletum est illud, Mortificate membra vestra super terram,fornicationem, immunditiam,luxuriam,idololatriam,veneficia, & cætera. Horum omnium velis ruina facta est. Vna est hæc ruina,ad quam venit Iesus. Venit antè destruere,quod in me malum fuit.* Et quidem vbi venit Iesus,vbi apparuit Iesus mortificatus in cruce,nihil voluptuosum, nihil ambitiosum in mundo,non in ruinam fuit: vt voluptas in dolorem,& in lacrymas cederent risus. Quis enim adeò fortis,& obduratus in delicijs,qui ad Christi deiectionem non effundatur in lacrymarum flumina? *Num.10.* Num. cap.10. iussus est Moyses de petræ duritie aquas educere, *Percussensque bis silicem egressæ sunt aquæ largissimæ.* Vbi autem Dominus apparuit in cruce *Matth.27.* Matth.27. inter alia multa miracula, *& petræ scissæ sunt.* Ibi percutitur petra, & abit in flumina, & hic percutiuntur petræ,imò scinduntur,ad quid scinduntur? Vt ostendant, quam similiter obduratissima hominum corda post Christianæ passionis luctam emollienda sunt, & fluminibus manatura. *Paschas.* Ait Pasch.lib.11.in Matth. *Per prærupta saxorum ostenduntur noua futurorum. Quia duriora saxis pectora verbis cœlestibus rescindenda erant humana,vt aqua, quæ de petra fluxerat,ipsa ab eis, & in eis flueret diuinitus superfusa.* Sane potest id facere Dei filius,dum sternitur in stadio crucis, vt vel saxea pectora percutiantur,& de cordis vulnere noua diluuia euomant, quibus submergantur vniuersa carnis facinora,& superentur sæculi altitudines. Quæ enim flumina educta fuere à petra deserti,eadem educuntur à pectoribus humanis, quæ percutiuntur, & scinduntur, dum vincitur, & sternitur diuinus vir Iesus meus in cruce. Id quod commendat Paul.2.ad Corinth.5.inquiens: *2.Cor.5.* *Charitas Christi vrget nos, æstimantes hoc, quoniam pro omnibus mortuus est Christus, vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.* Ecce tibi vt post Christum mortuum iubeat Apostolus sic in nobis abradi mundialem vitam, vt ablato omni,quod mundiale est, soli viuamus Christo. Quò spectans D. Bernard.epist. *D.Bern.* 143. *Etsi cætera taceam, hoc solo certè non immeritò sibi vendicat vitam nostram,quia pro ea posuit Dominus suam. Nemo igitur sibi viuat,sed ei,qui pro se mortuus est.* Percutiatur,& intereat mundialis vita necessum est, vbi Christus pro nobis cecidit in mortem in stadio,& lucta crucis.

§. XLVI.

Fidelium victoria in infirmitate potiùs obtinentur.

TOta hæc diuini viri lucta cum Iacobo, & percussio femoris eò tendit, vt Iacob aduersus hostiles fratris incursus confirmetur. Timebat enim Iacob fratris hostilem animum,sic timenti apparet vir,cum illo manus conserit,illúmque vehemēter exagitat,tandem percutit in femore. Cur hæc Domine? Cur sic hominem timentem luctando cōprimis,& percutis? An vis illum timidiorem reddere? Imò ideò vt ait Theodoret.luctādo comprimit,& percutit hominem, vt illum,& fortiorem,& fidentiorem aduersus hostes reddat. Solent enim victoriæ fidelium in infirmitate esse. Quò spectabat Paul.2.ad Corinth.12. *2.Cor.12.* *Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ, vt me colaphizet. Propter quod Dominum rogaui, vt discederet à me: & dixit mihi. Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. : Cùm enim infirmor,tunc potens sum* Itaque percutitur,& colaphizabatur Apostolus,non vt timidior,sed vt audacior,& potentior in dies reddatur. Infirmitates enim pro Deo,& virtute sublatæ non meticulosum, sed audentiorem, & potentiorem ad reportandas victorias hominem faciunt. Vt dicat D. Anselm. *Anselm.* in præsenti. *Tunc vincit Christianus,cùm perire putatur.* Cùm sub doloribus,sub calumnijs,sub fame,& siti,& paupertate videtur infirmari, imò & perire Christianus, tunc victoriis apparet illustrior,& clarior. Ait Psalm.105. *Psal.105.* *Dixit,vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius. Vt auerteret iram eius.* Itaque vt ministros diuinæ iræ auerteret Moyses, seséque opponeret irarum telis, & victor existeret, *stetit in confractione*, contriuit se,humiliauit se, deiecit se,vt hostiles incursus auerteret, Chaldæus ibi: *Chald.* *Nisi Moyses electus eius surrexisset, & sese roborasset.* A nostro dicitur Moyses stetisse in confractione,à Chaldæo dicitur stetisse in robore: ibi dicitur se contriuisse, se deiecisse, hic dicitur se roborasse. Quid cōmune habet deiectio,& confractio cum robore? Nunquam, mihi crede, fidelis magis roboratur,vt hostiles iras auertat, vt gloriosas de malo, imò de Deo reportet victorias, quàm vbi humiliatur, infirmatur, conteritur. Pulchrè Rupert.lib.4.in Exod.c.25. *Rupert.* *Per nimiam humilitatem significat,Moysem Deum tenuisse,dicendo,in confractione. Confractio namque nimirum cordis humilitas est,quæ sola coram omnipotente Deo,& Domino vniuersa fortitudinis principe res fortis est,& valida,ita vt illa luctante,quasi brachium suum ad percutiendū Deus extendere ne valeat,regina virtutum vincente pro sua reuerentia.* Itaque confractio,& humiliatio cordis validissimum,

& poten

& potentissimum reddit hominem, vt de omni aduersario incorsu triumphet, imò & vincat Deum. Nouit hoc ipsa Dei sapientia, quæ ventura in mundi arenam ad debellandas contrarias potestates, nulla potentiora arma sumpsit, quàm deiectiones, quàm infirmitates. Zachar cap. 3. *Et ostendit mihi Dominus Iesum sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini: & Sathan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei.* Ecce tibi duellum maximum, hinc Iesus, hinc diabolus. Sed qualia induit Iesus arma aduersus diabolum? Ait Propheta: *Et Iesus erat indutus vestibus sordidis:* de quo D. Ambros. serm. 5. in Psalm. 118. *Habebat vestimenta sordida; sumpsit vestimenta nostra; pro nobis sumpsit carnis infirmitatem; pro nobis esuriuit, vapulauit, crucifixus & mortuus est.* Expende, in quo bello sit, & qualem induat loricam, seu panopliam, in bello est aduersus diabolum, & vnum hoc induit, nempe sordidum vestimentum, hoc est, abiectionem, confractionem, infirmitatem, qua famescat, qua vapulet, qua mortuus cadat. Deus bone, vt in arenam descendas, sordidissimam induis infirmitatem? Quid infirmitas sordida cum splendenti ferro militari? Sanè ferrea sunt arma, & potentissima, quæ ab infirmitate veniunt aduersus diabolum. Ait D. Bernardus serm. 4. in Natiuit. *Agnosco certè, agnosco Iesum magnum Sacerdotem, sordidis opertum vestibus, dum altercaretur cum diabolo. Exemplum dedit nobis, vt nos eadem faciamus. Vtilior siquidem in conflictu lorica ferrea, quàm stola linea, &c.* Quasi rationem reddat Bernard. cur ad sordida vestimenta, ad abiectionem, & infirmitatem confugerit Dominus præliaturus cum diabolo, ait: *Vtilior siquidem in conflictu lorica ferrea, quàm stola linea.* Quod enim lorica ferrea est, respectu stolarum linearum; hoc est abiectio, infirmitas, & confractio respectu aliarum virtutum moralium, vt triumphus de diabolo agatur. Siquidem in prælio confugiendum nobis est, non ad lineam, sed ad ferream loricam: in prælio cum diabolo confugiamus ad abiectionem, ad confractionem, quæ ferrea arma, & validissima sunt, vt victorias possimus reportare.

Zach. 3.

Ambr.

D. Bern.

§. XLVII.

Spiritus mali tactus tumorem, spiritus autem boni tactus demissionem infert.

ECce tibi bonus vir, qui cum Iacob luctabatur, *tetigit neruum femoris eius, & statim emarcuit:* non tumuit, sed emarcuit, in quo manifestissimè ostenditur, quis fuerit, qui tetigit neruum, qui femur percussit. Bonus equidem erat Angelus, cuius tactus marcorem, & depressionem fecit, non tumorem, qui solus fit ab Angelo Sathanæ. Huc adest D. Bernard. tract. de gradibus humilit. vbi ait: *O quàm salubrius ad tactum Angeli neruus femoris Iacob emarcuit, quam Angeli superbientis intumuit.* Ecce tibi, & boni Angeli & mali Angeli tactus, quid efficiant; tactu boni Angeli humana potentia marcet, deprimitur; tactu mali Angeli intumet, inflatur. Ait Dominus Deuteronom. cap. 18. *Si tacita cogitatione responderis, Quomodo possum intelligere verbum, quod Dominus non est locutus? Hoc habebis signum. Quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui Propheta confinxit.* Sanè vt boni, aut mali spiritus verba, & visitationes discerni possint, salubre Dominus dabat signum; nimirum, quòd mali verba effectum non inducerent. Verùm huic signo sese opponit Procopius in glossa, inquiens: *Quid igitur dicemus de Iona, qui prædixit quod non euenit? De Isaia quoque qui Ezechiæ mortem præsentibus esse prædixit?* Inuenitur Ionas, inuenitur Isaias, quorum verba effectum non habuerunt: nam Niniuitæ, qui dicebantur à Iona perituri, incolumes euaserunt; & Ezechias quindecim annos superuixit, postquam audiuit ab Isaia se statim moriturum. Non ergo semper sunt à malo spiritu verba, quæ effectum non sortiuntur? Vnde ergo noscentur, quæ à malo sunt? Crediderim Dominum non posuisse integrum signum in eo solùm, quòd verba effectum non inferant, sed insuper insinuasse pro signo illud, *per tumorem animi sui Propheta confixit.* Vbi enim in verbis non effectus cernitur, sed loquētis tumor, & animi inflatio, signum non obscurū est ibi non bonū, sed malū adfuisse spiritum. A malo namque spiritu nihil priùs efficitur, quàm inflatio, & tumor, Gen. 3. *Dixitque serpens ad mulierem, Nequaquā morte moriemini. Scit enim Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij, scientes bonum, & malum. Vidit igitur mulier, &c.* Mirabar, quòd tā facilè mulier persuasa sit a serpente, quòd tam facilè crederet se non morituram, quòd tam facilè in peccatum rueret. Vnde hoc prouenit? D. Augustin. lib. 11. de Genes. ad literam cap. 30 putat id prouenisse ex interna inflatione, & elatione ad primum serpentis accessum admissa. Vbi enim serpens, vel habitu cœpit mulieris aures percutere, & tumorem cœpit, & inflationem intrinsecus infundere, quo facilè mulierem postea in peccatum adduxit. Huc spectans D. Chrysostom. inquit: *Vidistis, quomodo illam diabolus captiuam duxit, quomodo inflata spe vana, ab his quoque, quæ ipsi concessa erant, excideret.* Vel halitum maligni serpentis accepit mulier, & tota inflata est, & tota intumuit. Quid mirum, quòd ad serpentis virulentissimi tactum maximus, & lethalissimus insurgat tumor? Actor. cap. 28. *Cum congregasset Paulus sarmentorum aliquantam multitudinem, & imposuisset super ignem, vipera à calore cum processisset, inuasit manum eius.* Quid tunc? Viderunt Barbari Paulum à vipera percussum, & *existimabant eum in tumorem conuertendum.* Planè hoc non barbarè, sapientissimè existimabatur ab hominibus illis, nimirum, quod percussus à vipera totus in tumorem iret; & mihi credite, nihil veternosi serpentis accessus prius infert, quàm ingentem tumorem, quàm inflationem perditissimam. Hinc Act. 5. dicit Petrus Ananiæ: *Cur tentauit Satanas cor tuum mentiri Spiritui sancto?* Vbi vniuersi Græci præter vnum Epiphanium legunt: *Cur impleuit Satanas cor tuum?* Sanè si res consideretur, Ananias non impletus, sed vacuatus apparet: qui enim plenus erat diuitiis, omnia vendidit, & omnium pretia Deo dicauit, solam minimam partem, sibi absconditè reseruauit. Quando ergo omnia reliquit, & minimam reseruat partem, cur impletus dicitur à diabolo, & non potiùs vacuatus? Vt à diabolo tactus Ananias bona sua distraxit, non potuit non impleri, & inflari, vt totum eius opus ostenderet inflationem, & vanissimum tumorem animi. Quod autem Ananiæ facinus fuerit res tumoris, & inflationis, docet D. Basil. Orat. 17. de Humil. & vana glor. fatus: *Integrum erat Ananiæ, à principio possessionem suam Deo non promittere, sed postquam gloriam humanam spectans, eam ideò consecrauisset, vt ab hominibus suspiceretur, &c.* Et quidem vbi sic inflatus inani gloria apparet, euidenter ostenditur impletus à diabolo, cuius est hanc inflationem, & tumorem in hominibus facere. Quæ minimè debet esse in his, in quibus bonus, & saluberrimus spiritus agit. Dicit enim Psal. 18. *Attollite portas principes vestras, & introibit Rex gloriæ.* Et quę portæ sic omnino tolli iubentur, vt Rex gloriæ introeat? Ad introitum Regis suffecisset, quòd portæ aperirentur; cur necessum est, vt tollātur prorsus portæ? D. Aug. qu. 112. ex vtroque ait: *Tollendas docet fallaces portas diaboli subtilitate compositas, quæ sunt præsumptio, vt introeat Rex gloriæ, quę est Christus Iesus Dominus noster.* Nihil præsumptionis, nihil diabolici tumoris Deus patitur secum esse in homine. Hinc est, quòd in pectorali summi Sacerdotis primus lapis poni iubebatur Sardius. Habes enim Exod. 28. *In primo versu erit lapis Sardius, & topazius, &c.* Cur in primis Sardius? Anastas. Nicenus, q. 38. ex Chrysostomo, inquit: *Lapis Sardius, qui est appellatus Babylonius, est quidem igneus, & sanguineus, nascitur in terra Babylonis apud Assyrios, est perspicuus, & vim habet medendi, eo vtuntur medici ad tumores tollendos.* Meritò ergo in pectorali summi Sacerdotis, in primis ponitur Sardius, qui tumores tollat, quando inde accessus Christi patet, quòd tumores tollat, & inflationes cordis.

Gen. 3.

Chrysost.

Act. 28.

Act. 5.

D. Basil.

Psal. 18.

August.

Exod. 28.

Anast. Nic.

D. Bern.

Deut. 18.

Procop.

§. XLVIII.

Deus, etiam puniens, bonus & desiderabilis hominibus est.

SE à viro diuino percussum in femore videt Iacob, & nihilominus illum secum detinere pugnat, aiens: *Non dimittam, nisi benedixeris mihi.* O bone, sic percussorem detines? Sic amas tecum morari illum, à quo tantum accipis vulnus? Non miror, is enim est Deus, qui inter ipsa vulnera bonus, & proficuus fit homini suo. Matth. 22. accedunt Pharisæi ad Dominum dicentes: *Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces. Quid tibi videtur? Licet censum dare Cæsari, an non? Cognita autem Iesus malitia eorum ait: Quid me tentatis hypocritæ.* Accedentes mansuetè, & comiter homines, sic duriter percutit, & inter irascendum hypocritas vocat. Domine siquidem iratus es in illos, cur non magis vocas maledictos Patris tui? Cur magis vocas hypocritas? Sanè & si iratus hypocritas mauult eos vocare, vt ex hac voce videntes ipsi, quàm sint illi manifesta intima cordis secreta, illum Deū agnoscerent. Sic vel inter iras, & vulnera meminit Deus vtilia; & proficua eligere suo homini. Ad hæc D. Chrysost.

Matt. 22.

Chrysost.

hom. 41. in Matth. *Dicit eis, Hypocritæ, vt quod ab eo audierunt in aure, apud semetipsos inueniant in corde, vt considerantes eum humanorum cordium cogitatorem, quod facere cogitabant, perficere non auderent. Vide ergo quòd Pharisæos quidem blandiebantur, vt perderent, Iesus verò confundebat, vt saluaret, quia vtilior est homini Deus iratus, quàm homo propitius.* Quid pulchrius? Non sanè inuenit tantam vtilitatem, & bonitatem in mansuetissimis creaturis, quantam in Deo etiam iracissimo. Quod rectè experiebatur Psalm. 26. dum clamabat ad Deum: *Ne declines in ira à seruo tuo:* metuebat enim, vt pulchrè notat Augustin. datus 1. tom. Euang. libro primo, c. 51. ne iratus Deus abscederet, quem licet iratum, & percussorem malebat secum magis retinere. Numquam enim vel inter iras Deus non promptus benefacere, & benedicere. Hinc Iudic. c. 10. dicit: *Contra quos Dominus iratus tradidit eos in manus Philisthiim, & filiorum Ammon.* Quid tùc miseri faciunt adeò iratum Deum experti? Sanè clamãt. Dixerúntque filij Israel ad Dominum, *Peccauimus, redde tu nobis, quodquid tibi placet: tantum nunc libera nos.* Nouerant Deum iratum, nouerant se à Deo irato tradi in manus gentium, & curant totis viribus manere in manibus iratissimi Dei, quam tradi in manus gentilium. Cur ò Israel non magis fugis Deum iratum, quam homines? Cur sic amas esse in manibus irati Dei? Equidẽ vtilior, & melior est Deus iratus, quàm homo propitius. Aiebat Tert. lib. 2. in Mar. c. 17. *Dei misericordia ipsum Israelẽ toties restituit, quoties iudicauit, toties refouit, quoties increpuit.* Cur nõ sibi vellent retinere, etiam iratũ Deum, qui ab eius iris tot bona receperat? Dauid videbat in Dei irati manibus pestem in populum proiiciendam, simul & videbat hostiles exercitus iam iam in populum insurgentes, & habens optionem, vt eligeret à quo mallet percuti, an ab irato Deo, & pestem minitante, an ab exercitu strictum gladium habente, ait 2. Reg. 24. *Melius est, vt incidam in manus Domini, (multa enim eius misericordia sunt) quàm in manus hominum.* Et quidem Paul. ad Hebræos cap. 10. dicebat: *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis.* Nihilominus mauult Dauid in Dei manus incidere, & in illis esse, quàm in manus hominum, licèt hæ armatæ sint solo gladio, illæ atrocissima peste. Nec immeritò, quando Deo etiam irato multæ misericordiæ sint, & adeò sciat multipliciter misereri, vt vel inter iras, benedictiones non neget. Nonne maximè erat Iesus iratus in Petrum quando dicebat Matth. 16. *Vade post me Satana!* Et expende, quòd dicat, nimirum, *vade post me Satana*, non dicit vade, abscede à me, sed potiùs vade post me, hoc est, vt putat Ruffinus lib. 2. de Benedict. Patriarch. veni post me, seu sequere me, mihi intimiùs adhære. Similiter et Paschasius lib. 8. in Matth. ait: *Monetur Petrus, vt impleat, quod ei à Domino in principio vocationis iussum fuerat. Dixerat enim: venite post me.* Sed quando in Petrum irasceris, cur non magis consulis, vt à te irato recedat? Cur mauis, vt tibi irato magis magisque adhæreat? Ait Sapiens, Prouerb. 27. *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.* Nunquam non in Deo dilectore nostro vtiliora sunt nobis ipsa vulnera, ipsæ iræ, quàm cæterorum oscula. Ait D. Ambros. lib. 3. de virg. *Vtiliora vulnera amici, quàm voluntaria oscula inimici. Denique Petrus vulneratur, Iudas osculatur. Illum oscula condemnant, hunc vulnera emendant.* Nec iam miror, quòd vel inter iras iubeatur Petrus, irato etiam & percussori magis hærere Iesu, cuius ira mille semper gratias distillat. Hinc illa Iobi vox, cap. 14. ad Deum: *Quis mihi tribuat, vt in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus?* Catena Græca legit: *Vtinam in inferno me custodisses, abscondisses autem me, donec requiesceret ira tua.* Infernus est locus irarum diuinarum; vbi Deus sese irremissibiliter iratum ostendit, tamen audet Iob, & dicit: *Vtinam in inferno me custodisses;* ait enim Psal. *Quasi oues in inferno positi sunt, mors depascet eos,* sequuntur inferorum incolæ mortem pastorem suum à quo ibi detinentur, custodiuntur. Vtinam ergo, non mors me detineret, & custodiret in inferno, sed tu ipse Deus, esses ibi mihi custos, & carcerarius, licèt ibi non scias nisi irasci. Quid inde lucrareris ò bone? Ait ipse: *Abscondisses autem me, donec requiesceret ira tua.* Sanè quasi non posset Deus vel in inferno, non esse vtilis, & proficuus, absconderet enim ouem suam, ne prorsus periret.

Psal. 26.
August.
Iudic. 10.
Tertull.
2. Reg. 24.
Ad Heb. 10.
Matth. 16.
Ruffin.
Paschas.
Prou. 27.
Ambr.
Iob 14.

§. XLIX.

Vix æstimatur salus, quæ non integrè sanat.

VIctor existit Iacob, & quasi victus benedictionem deprecatur, ait enim, *Nõ dimittam, nisi benedixeris mihi*, nec verbum ab illo profertur, quo vel victoria, vel eius fortitudo significetur. Sic enim mirabundus ait D. Hil. lib. 5. de Trinit. *Quid illud est Iacob, quòd imbecillum oras, quòd ab infirmo benedictionem expetis? Huic cuius benedictionem rogas, amplexu tuo validior eludis. A gestis corporis tui, mentis tuæ opus dissidet, aliud professo agis quàm sentis.* Equidem victorem agebat, & quasi victus deprecabatur. Cur sic afficitur Iacob? Cur non magis sese ostendit victorem? Cur non magis clamat victoriam suam, sed mauult accipere victi formam? Planè dum in congressu in femore percutitur, & exit claudus, vix æstimat victoriã, in qua non integer, & totus apparet. Sic D. Ambr. de Fide Resurrectionis, impugnat resurrectionem carnis negantes, & immortales animas in gloria confitentes. Ait enim: *Et illi quidem qui dicunt, animas immortales esse, non satis mulcere me possunt, cùm pro parte me redimunt. Nam quæ potest esse gratia, vbi non totus euasi?* Sapienter, & piissimè maximus Doctor non æstimat gratiam, nec salutem, in qua non totus euadit, sed damnata vna parte, ex altera solùm beatur. Paul. ad Corint. 2. c. 3. loquens de glorificatione Moysis, quando radians facie legem portabat, inquit: *Quod si ministratio mortis literis deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita vt non possent intendere filij Israel in faciem Moysi, propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur; quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte, &c.* Ita admittit Moysem in gloria tunc fuisse, vt vix æstimet illam gloriam, quasi dicat, fuit in gloria Moyses, imò nec fuit in gloria, nec volo illam Moysis gloriam sic vocare. Verùm Luc. c. 9. loquens de Iesu transfigurato, ait: *Erant autem Moyses, & Elias visi in maiestate.* Origen. hom. 3. in Matth. legit, *visi in gloria.* Hic absolutè dicitur Moyses esse in gloria, & esse glorificatus: ibi dicitur sic fuisse in gloria, vt nec esset verè glorificatus. Et quidem sicut hic gloriam Moyses habebat loquens cum Iesu, similiter ibi tota gloria Moysis veniebat ex colloquio cum Deo: quare ergo Thaboris gloria in Moyse absolutè gloria vocabatur, Sina autem gloria nec dum gloria censebatur à Paulo. In Sina Moyses gloriam habebat in facie: in Thabor totus in gloria videbatur; vnde solùm in Thabor gloriosus censebatur, quia totus erat in gloria, nec gloria putabatur illa, quæ solùm erat ex parte. Pulchram hanc rationem videtur attigisse Origen. hom. 12. super Exod. fatus: *Nil aliud in lege gloriosum habet Moyses nisi solam faciem, in Euangeliis autem totus glorificatur ex integro. Audi enim quid dicatur in Euangeliis: Ecce apparuerunt, inquit, Moyses, & Elias in gloria colloquentes cum Iesu. Hic non refertur, quia glorificatus est vultus eius, sed quia totus apparuit in gloria.* Meritò vbi totus apparet in gloria, absolutè gloriosus vocatur, nec censetur gloria illa, quæ sola ex facie fulgurabat, relictis ingloriis cæteris partibus. Solus enim ille censetur absolutè glorificatus esse, qui nihil in se inglorium habet, sed omni ex parte glorificatus apparet, nullámque admittit in gloria labem.

D. Hilar.
Ambr.
2. Cor. 3.
Luc. 9.
Origen.
Origen.

§. L.

Vera fortitudo hominis, quòd in plagis à Deo immissis ostendat sensum doloris.

FOrtissimus Iacob dum ostenditur aduersus Angelum, & simul, & victum, & infirmum agit deprecans benedictionem ab illo. Id quod ponderans Oseas cap. 12. addit aliquid, dicens: *In fortitudine sua directus est cum Angelo. Inualuit ad Angelum, & confortatus est, fleuit, & rogauit eum, &c.* Et roboris fortitudinem ostendit, & fletus infirmitatem. Et quis non rideat fortem virum flentem? Quæ fortitudo sic teneresceret in lacrymas? Nonne ridiculum videtur, quod vbi validus, vbi fortis, vbi victor Angelorum asseritur, simul in lacrymas effusus proponatur? Nonne repugnat fletus fortitudini? Absit: vbi enim fortissimus vir in fortitudine sua inualebat ad Angelum, imò ad Deum inualebat, non leuem plagam à Deo in femore accepit, qua sanè contritus indoluit, & abiit in lacrymas, nunquam sic fortiorem ostendens, quàm vbi sensum doloris præ se fert inter diuinas plagas. Cant. 3. *En lectulũ Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, &c.* Non admittitur ad Salomonis custodiã, qui fortis nõ sit, & ex fortissimis electus. Sed scire cupis, quis nõ habeat eam fortitudinem, qua pro vero Salomone agat excubias? Ait Gill. Abb. ser. 16. in Cant. *Malè fortis est, qui aduersus scientiam Dei se extollit, qui aduersus illã inflexibilis, & rigidus est, cuius fortitudo lapidũ fortitudo eius, & cor eius aneũ, vt nec vexatio det intellectum auditui eius. Non est de fortibus Israel, qui cùm vulneratur, non dolet, cùm verberatur, non sentit, stupidus manens*

Osee 12.
Cant. 3.
Gill. Abb.

ad omnes

ad omnes stimulos ancipitis gladij verbi penetrabilis. Ecce tibi vnde æstimare debeas veram hominis fortitudinem, non equidem ex omnimoda indolentia etiam in plagis immissis à Deo. Non enim censetur inter fortes Israel vsque adlectulum Dei admissos, qui cùm vulneratur, non dolet, cùm verberatur, non sentit. Ille fortis est, qui sub vulnere à Deo facto gemit, sub Dei flagello, & in lacrymas soluitur. Sanè Iesus meus videns flagella peccatoribus debita, sibi innocentissimo iam iam propè imminentia, Luc. 22. *Factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor eius sicut gutta sanguinis, &c.* Quantus dolor erat ei, qui sanguine totus sudat? Vbi pulchrè D. Ambr lib. 10. *Debuit ergo, & dolorem suscipere, vt vinceret tristitiam, non excluderet. Nec enim habent fortitudinis laudem, qui stuporem magis vulnerum tulerint, quàm dolorem* Nō est laudabilis fortitudo, quæ in vulneribus, in plagis, in flagellis nullum præ se fert sensum doloris, tunc fortis in veritate es, cùm dolere, & illacrymari sub Dei flagello noueris. Alioquin non tā fortibus viris annumeraberis, quam ebriis, quorum ingenium sic depingit Sapiens, Prouer. 23. *Eris sicut dormiens in medio mari, & sicut sopitus gubernator amisso clauo, & dices, verberauerunt me, sed non dolui.* Hoc ebrij hominis indicium est, sobrius autem vir & fortis, sub Dei verbere, & vulnere dolet, imò in lacrymas soluitur.

Luc. 22.
D. Amb.
Prou. 23.

Gen. 32. Ait ergo: Quod nomen est tibi? Respōdit: Iacob. At ille, Nequaquam, inquit, Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel, quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis?

§. LI.

Instar Dei princeps est, qui ab arena ascendit ad regni clauum, seu principatus administrationem.

SI nomen Israel attendas, magnifici Principis inaugurationem persenties, ex nominis significato: Israel enim, teste Hieronymo, idem est, ac *Princeps cum Deo.* Non sufficit, quòd Iacob vocetur princeps, sed & debuit vocari princeps cum Deo, vt ostenderetur, quàm similis est Deo in principatu ille, qui ab arena, à lucta assumitur in principem. Aiebat enim D. Hieronym. in quæst. Hebraicis: *Non vocabitur nomen tuum supplantator, id est Iacob, sed vocabitur nomen tuum princeps cum Deo, hoc est, Israel. Quomodo ergo ego princeps sum, sic & tu, qui mecum luctari potuisti.* Meritò qui in lucta, in præliis, in arena, & stadio innutritus fuit, inde eligitur in principem Deo quàm similem: vbi enim Iacob domi habitabat, in materno cubili, inter puellarum calathos, solùm habuit nomen Iacobi, hoc est, supplantatoris. Ast vbi in arenam descendit, vbi in campo existens nullam refugit luctam, sed manus etiam cum Angelo conseruit, ibi supplantatoris nomen amittens non potuit non eligi in principem Deo simillimum. Accedant huc mundiales principes, & noscant genium suum; qui è puellarum cubiculis ad principatus administrationem accedunt, non principes agunt, sed supplantatores. Vnde namque tot supplantationes, tot fallaciæ, tot verba infida, tot doli monstra quotidie cernuntur in principibus? Sanè innutriti sunt in puellarum cubiculis; nil aliud nouerunt nisi arcus cupidinis, inter quos adoleuerunt, nil aliud calcarunt nisi solum pretiosis stratum tapetibus. Ast qui in arenam iuerunt, qui iuuentutem in stadio peregerunt, inde euocati ad principatus administrationem, principes existent Deo simillimi. Hinc Theodahadus Rex Gothorum suam ad regnum vocationem commendat, apud Cassiodor. 10. variar. 31. inquiens: *Vnde authori nostro gratias humillima satisfactione referentes, indicamus parentes nostros Gothos, inter procinctuales gladios, more maiorum suppposito, regalem nobis contulisse, præstante Deo, dignitatem. Vt honorem arma darent, cui bella opinionem pepererant. Non enim in cubilis angustiis, sed in campis latè patentibus electum me esse noueritis: nec inter blandientium delicata colloquia, sed tubis concrepantibus sum quæsitus, vt tali fremitu concitatus desiderio virtutis ingenita regem sibi Martium Geticus populus inueniret* Expende illud signum regni, & principatus Deo referendi, nimirum, *non enim in cubilis angustiis, sed in campis. &c.* Quippe ille cum Deo Princeps est, qui non à cubilis angustiis, non à corporis cultu, sed à sudore bellico, ab arena ipsa vocatur ad principatum tenendum. Hinc 1. Reg. 10. quærentes Israelitæ ex Deo, vbi designatus Rex Saul inueniretur, audiūt: *Ecce absconditus est domi.* Septuag. legunt: *Absconditus est in vasis.* D. Greg. Nazian. orat. 1. *Sub vasis paternis se occultat.* Sed quæ sunt vasa hæc paterna, inter quæ latitare maluit, qui designabatur in regem? Explicat Vatabl. aiens: *Inter arma latuit.* Nec credo hominibus in loco alieno positis alia esse vasa, præter arma, quibus ad iter faciendū penè inter hostes muniebantur, quæ quisque in tentorio suo ponebat, dum pergeret ad Prophetæ concionem. Vnde Saul latere cupiens, sese sub paternis armis occultauit. Nec id sine diuina prouidētia, quæ in principe suo designabat, vnde extrahendus erat ad regni clauum, nimirum ex armis, ex bellico puluere. Vtinam sic iuuenes principes nouerint latitare inter arma, vt cùm primùm appareant in principatus administratione, videantur extracti ab arena, non à Tyriis tapetibus, ab excubiis, non ab eburneis stratis. Hinc cōmendat Anthemiū Augustū Sidon. Apol. in eius Panegyr.

Hieron.
Cassiod.
1. Reg. 10.
D. Greg.
Vatabl.
Sidon.

At postquam primos infans exegerat annos,
Reptabat super arma patris, quamquam arcta terebat
Lamina ceruicem, gemina complexus ab vlna
Liuida laxatis intrabat ad oscula cristis;
Ludus erat puero raptas ab hoste sagittas,
Festina tractare manu, captísque per arcus
Flexa reluctantes in cornua trudere neruos.
His hunc formatum studiis, natalibus ortum,
Moribus imbutum, Princeps, cui mundus ab Euro
Ad Zephyrum tunc sceptra dabat, cui nobilis atque
Vnica purpureos debebat nata nepotes
Elegit generum.

Ecce tibi, qui sapientissimè, & fœlicissimè eliguntur ad culmina, ad principatus vocātur, qui a primis vnguiculis nouerūt super arma paterna reptare, tractare sagittas hostiū sanguine madidas. Hi cantabiles principatus agunt: de aliis bene illacrymatus Ier. Thren. 4. ait: *Qui vescebātur voluptuosè, interierūt in viis: qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Equidē eò deueniunt principes, qui inter puellarū calathos innutriuntur: qui sola curiæ cubilia nouerunt, hi tandē amplexantur stercora, dum in prostibularum fœminarum amplexibus vitam consumunt, Deo odiosi, mundo viles.

Hiere.

Gen. 32. Interrogauit eum Iacob, Dic mihi, quo appellaris nomine? Respondit: Cur quæris nomen meum? Et benedixit ei in eodem loco. Vocauítque Iacob nomen loci illius Phanuel, dicens: Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Ortúsque est ei statim Sol, postquam transgressus est Phanuel, &c.

§. LII.

Diuinitas ex nullo nomine sic nescitur, vt ex lingua.

QVærenti Iacobo luctatoris viri nomē, vt inde personam sciat, non explicat nomen, sed benedictionem luctator impertitur. Ait enim text. *Respondit: cur quæris nomen meum? Et benedixit ei in eodē loco.* Se à proferendo nomine excusat, sed faustis vocibus homini benedicit. Cur ô bone, nō magis nomē aperis tuum? Cur nominis loco magis amas benedicere? Erat luctator ille Dei filius, vt multi Patres docuerunt, qui meritò abstinet à manifestatione nominis sui, & benedictionibus imprecandis incūbit; diuinitas enim nullo nomine sic exprimitur, vt exprimitur benedicente lingua. Matth. 5. Dominus Iesus *ascendit in montē, & cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, & aperiēs os suū docebat eos dicēs: Beati pauperes spiritu, &c.* Et quis potest esse, qui in tot benedictiones soluit linguā suam nisi Christus Domini, & Omnipotentis creatoris filius? Sanè Tert. lib. 4. in Mat. vel ex hoc conuincit Iesum Filium esse creatoris summi. Ait enim: *Venio nūc ad ordinarias sententias eius, per quas proprietatem doctrinæ suæ inducit, ad edictum Christi. Beati mendici, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Iam hoc ipsum quod à benedictionibus cœpit, creatoris est, qui vniuersa, prout edidit, nulla alia voce quàm benedictionis dedicauit. Eructauit, inquit, cor meum sermonem optimum. Hic erit sermo optimus, benedictionis scilicet, qui & noui testamenti initiator agnoscitur de veteri exemplo.* Ecce tibi benedictionis voces, vt Dei creatoris filium manifestant, sic enim conuincit Tertullianus ex voce benedictionis noui Testamenti conditorem Iesum filium esse Dei antiqui, quasi non possit non putari diuinitas, quæ os habet benedictionibus addictum. Et

Matth. 5.
Tertull.

quæ lingua benedictionibus occupatur, quæ diuinitatem in se non indicet? Zacharias Baptistæ pater interrogatus de pueri nomine, Luc. 1. *Postulans pugillarem, scripsit. Ioannes est nomen eius: Apertum est autem illico os eius, & lingua eius, & loquebatur benedicens Deum.* Vbi non malus author putat Zachariæ linguam in præsenti non humanam fuisse, sed diuinam. Et vnde hoc colligit? An quia cùm ligata esset & muta, ipsa sese expedit, & loqui cœpit? Non equidem id colligit tam ex miraculo, quòd loquatur mutus, quàm ex eo, quòd loquatur benedicens, ait enim, *loquebatur benedicens Deum.* Quid diuinius in lingua, quàm quòd benedictiones tinniat? Ait Origen. hom. 9. in Luc. *Statim vt stylus impressus est ceræ, lingua, quæ priùs fuerat vincta, laxata est, recepit eloquium non humanum, quoniam ligata fuit lingua eius. Humana tamen fuit, vinxerat enim eam incredulitas, statim vt soluta est, humana esse desiit, & loquebatur benedicens Deum.* Expende, quando lingua humana esse desiit, & transiit in sortem diuinam, nimirum, quando loquebatur benedicens. Ex quo in lingua benedictiones sonant, nullum est diuinitatis inhabitantis euidentius signum. Huc trahe dicta 1. tom. Euang. lib. 4. c. 5. §. 37. & tom. 2. lib. 7. cap. 3. §. 9. lib. 10. c. 9. §. 6.

Origen.

§. LIII.

Non à sono vocis, nec à tabularum inscriptionibus, sed ab operibus præstantis viri nomen exurgit.

IVberis, ô bone, nomen tuum proferre, & quasi graueris nomen tuum dicere, solùm homini benedicis. Sic enim in textu: *Cur quæris nomen meum? Et benedixit ei.* Quid est hoc? Nomen exhibere iuberis, & benedictionẽ exhibes? An quia vis manere nomen tuum occultum? Absit, imò vt dignũ tantæ personæ nomen producat, à verbis abstinet, operibus instat. Præstantis enim viri nomen non à verborum sibilis, nec à tabellis pictis, sed ab operibus virtutum euidentiùs fulgurat. Id quod notabat Esdras lib. 2. c. 9. ad Dominum locutus: *Vidisti afflictionem patrum nostrorum in Ægypto, clamoremque eorum audisti super mare rubrum. Et dedisti signa, atque portenta in Pharaone, & in vniuersis seruis eius, & in omni populo terræ illius: cognouisti enim, quia superbè egerant contra eos; & fecisti tibi nomen, &c.* pergit enim expendens à Deo factas virtutes. Nobis autem expendendum est, quando dicatur Deus sibi fecisse nomen, nimirum, quando tacitus tot tantásque perfecit virtutes. Alibi dixerat; Ego sum, qui sum; & alibi iusserat nomẽ suum inscribi laminæ aureæ, positæ in capite summi Sacerdotis, neutro tamẽ dicitur Deus sibi fecisse nomẽ, sed quando operatur virtutes. Et meritò; tanti enim Domini nomen non à sono linguæ, nec ab aurea inscriptione, sed ab operibus, & virtutibus rutilat. Ecclesiastes ait c. 7. *Melius est nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa.* Sed scire cupis, quod sit hoc nomen bonum, à quo superantur vnguenta etiam pretiosissima? An nomen pulchris vocibus efformatum? An nomen aureis tabellis inscriptum? Absit: nomen bonum illud solùm est, quod habent præstantes viri, non à voce, nec à pictura, sed ab operibus effictum. Id innuit Chaldæus, legens: *Melius est nomen bonum, quod comparabunt iusti in hoc sæculo, quàm vnguentum vnctionis, quod fuerit infusum super capita regum, & sacerdotum.* Ridebis regia omnia stemmata, dum tantum videas præstantissimorum hominum nomina; non quæ linguæ, siue pictæ tabellæ efformant, sed quæ ex officiosis actionibus, vt ait Olympiodorus, iusti viri sibi comparant. Vanissimi illi, de quibus Psal. 48. *Vocauerunt nomina sua in terris suis*; non fecerunt, sed vocauerunt sua nomina. Sanè vile nomen, quod à voce, vel inscriptione, non ab operibus habet fulgorẽ. Pulchrè ad hæc D. Chrysost. *Vocauerunt nomina sua in terris suis. Ecce aliud genus amentiæ, ædificiis, agris, & balneis sua nomina inscribere. Ne nomen, ò homo, ædificiis inscribas, sed trophæa rectè factorum erigas, quæ & in præsente vita nomen tibi conseruant, & in futura vita immortalem tibi requiem comparant. Nihil enim facit nomen adeò immortale, vt natura virtutis.* Tolle inscriptiones, tolle ampullatorum nominum sonos, virtutibus efficiendis da operam; & fallar nisi hæc clarissimum & splendidissimum, & viuidissimum tui edant nomen.

Esd. 9.

Eccles. 7.

Chald.

Psal. 48.

Chrysost.

§. LIV.

Vbi Christus, ibi lux.

APhanuel vbi Dominum viderat, proficiscenti Iacob, statim Sol oritur; quid mirum quòd in lucem veniat, qui sub Christi benedictione, eius in carne aduentum fidei oculis viderat? Ait Rupert. *Non abs re dictum est, ortúsque est ei statim Sol, postquam transgressus est Phanuel, quod interpretatur facies Dei. Effusa namque benedictione Christi, ortus est Sol iustitiæ populo Sanctorum.* Possunt durare tenebræ, dum non affulget benedictio Christi, hæc autem vbi adest, nequit lux non oriri. Planè nato Iesu Luc. 2. dum vigilant pastores, *Ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno.* Adest Angelus, & claritas simul, quæ omnes illustret. Sæpe in veteri testamento apparuit Angelus Domini viris sanctis, sed nusquam inuenies, quòd cum illo claritas venerit, cur modò & Angelus, & claritas simul? An quia pastores ij erant digniores Iosue, aut Sansonis parentibus, qui sine claritate Angelum viderant? Absit, non equidem pastorum, sed temporis priuilegium fuit, quod irradiaret claritas cunctos, apparuerat enim in terra ortus Christus. Ait Beda hom. 1. in præsenti: *Quid est, quòd apparente Angelo, diuina quoque claritatis eos splendor circumdedit, quod nunquam in tota testamenti veteris serie reperimus, cùm tam innumeris vicibus Angeli prophetis, & iustis apparuerunt, nusquã eos fulgore diuinæ lucis homines circumdedisse legimus, nisi quod hoc priuilegium huius temporis dignitati seruatum est? Cum enim vera lux mundi nascebatur in mundo, dignum profectò fuit, vt præco natiuitatis illius etiam corporales hominum visus nouitate cœlestis perfunderet lucis.* Quæ tenebræ manerent, vbi exorta apparebat lux mundi? Fuissent tenebræ, fuisset nox, dum terra in se Iesum filium Dei non viderat, at postquam hic natus est, mirarer, nisi omnia mundialia lux clarissima perfudisset. Psal. 111. *Exortum est in tenebris lumen rectis corde, misericors, & miserator & iustus Dominus.* Et quidem vbi misericors, & miserator Dominus exortus est, & simul illustrantia rectos corde lumina exoriuntur. Quam fœlix est, qui ad tanta lumina non cæcutit! Monebat D. Ambr. in Malach. Prophetam, inquiens: *Nolo te imitatorem esse noctuæ, quæ grandibus oculis tenebrarum caligines diligit, splendorem solis horrescit. Mirum enim in modum illuminatur obscuritate, luce cæcatur. Istud animal hæreticorũ figura est, qui tenebras amplectuntur diaboli, lucem saluatoris horrescunt, & grandibus disputationum oculis terrena vana, non respiciunt sempiterna.* Caue, homo, noctua sis, magis Saluatoris tui orientem dilige, & de eius lumine cura totus perfundi. Nusquam enim Iesus est, quin simul lumen existat, imò nec lux vnquam vera fuit, in qua non præostensus sit Christus. De quo habes pulchra tom. 3. Euang. lib. 15. c. 12. §. 1.

Rupert.

Luc. 2.

Beda.

Psal. 111.

Ambr.

Gen. 32. Ipse verò claudicabat pede. Quam ob causam non comedunt neruum filij Israel, qui emarcuit in femore Iacob vsque in præsentem diem, &c.

§. LV.

Præstantissimæ virtutis indicium est, à peccatorum vulneribus prorsus conualere.

ET percutitur Iacob in femore, & claudicat post percussionem; ait enim textus: *Ipse verò claudicabat pede.* Et miror, quòd vbi Iacob confortatur à Deo, & roboratur, simul vulneratus, & claudus appareat. Si cõfortatus est ad Angelũ, si fortis redditur ad Deũ, cur vulneratus, cur claudus? Quid ad fortitudinem, & robur claudicatio? Equidem quando & vulnus, & claudicatio statim euanuit, vt testatur Abulensis in præsenti, non parum roboris, & fortitudinis arguit, & præstãtiæ. Ille enim fortissimus, & præstãtissimus est, qui de acceptis vulneribus, non extremã ruinam, sed integram facie sanitatẽ. Accipe ad hæc pulcherrimã sententiam D. Basil. Seleu. sic fantis orat. 17. *Ne obturberis, cùm audis vulneratum. Qui vulneratur, pugnator optimus est, & ferientẽ eodem telo referire potest. Nã etsi vulneratus victoriam persecutus est, ac tota licèt acie corruisset, celeriùs surgere se, quàm labi comprobauit. Bellator quouis tempore victor, & medius in hostibus perdurãs inuulneratus, magna quædã res est, & mirabilis; lõgè verò admirabilius, vulneratum pugnã non prodere, nec hosti, qui vulnerauerit, ea re lætitiã afferre. Ex hoc enim videntes docet, neque oportere percussũ ab hoste victoriam prodere, neque saucium ex infortunio, sua claudicare ea efficere, neque collapsũ iacere, & secundã sustinere plagã, neque hosti gloriæ occasionẽ præbere.* Quid pulchrius? Quid aptius ad mores dirigẽdos humanos? Militia est vita nostra, in arena semper stamus aduersus carnem & sanguinem, & aduersus principes tenebrarum harum; & heu quoties iaculis petimur! heu quoties vulneramur!

Basil. Sel.

vulneramur? Quid tunc? Sanè, qui infirmus, & imbecillis est, vbi vulnera sentit, bellum detestatur, pacem curat facere cum aduersariis, etiam si sese illis dedat, & miseram patiatur captiuitatem. At qui fortis est, & in vulneribus fortis apparet, vulneratus prælio insistit, & vsque ad victoriam non ponit arma. Non sustinet iacere, imò nec vllo in officio claudicat, omni studio, & sudore procurans, ne hosti detur aliqua gloriæ occasio. Et quorsum hoc? Equidem clarissimum est argumentum, & fortitudinis, & virtutis maximæ. Vt enim ait Basil. *Quouis tempore victor, & medius in hostibus perdurans inuulneratus, magna res est, & mirabilis; longè verò admirabilius vulneratum pugnam non perdere.* Longè mihi crede, mirabilius est, & præstantius, & fortius, quod vulneratus non se dedat hosti, non prostratus iaceat, sed ita conualeat, vt in nullo claudicans victorias mille sciat reportare. Nota est Dauidis historia ex 2. Reg. cap. 11. vt Dei prælia multa confecerit, vt hostes frequenter prostrauerit; hic tamen vir tantus, & tam multis virtutibus insignis, dum nudam mulierem in lauacro videt, parua quadam sui parte nudatus ab armis, duplici vulnere lethali confossus cadit. Ideóne Dauid tantus flendus est? Imò tunc magis mirandus, quando inter hæc vulnera, non prorsus periit, sed ocyssimè ex illis conualescens, expeditior, & alacrior in hostem apparuit. Diu. Chrysost. homil. 77. ad Populum: *Ita quoque valde mirabilis est vir ille generosus, quod in ipsum nequitiæ profundum delapsus, non prostratus iacuit, neque semetipsum proiecit supinum, tam lethale vulnere à diabolo suscepto: sed celeriter, imo statim, & cum multa ferocitate grauius intulit vulnus, quàm acceperat. Nec tam generosi, strenuique animi est rectè ambulare, semper currere, quàm si post innumeras coronas, multaque tropæa, & victorias, extremum passus nocumentum, eosdem demum cursus resumere posses.* Hic equidem labor, hic opus est, quòd vulneratus non expauescas bellum, non supinus iaceas, non te dedas hosti; sed magis bello instes, victoriam persequaris, donec perimas hostem. Hoc qui facit, præstantissimæ virtutis indicium præbet, nec video quid præstantius ab illo possit requiri. Vt meritò dicat Sidon. Apollin. lib. 6. epist. 9. de Iuuene celeriter emendato, & in bonam frugem restituto. *Quem nos propter hanc ipsam pœnitudinis celeritatem, non increpatiuè, sed consolatoriè potius compellare curauimus; quia vicinaretur innocentiæ festinata correctio. Neque enim quisquam, etiam sibi bene conscius, plus facere præsumpsit.* Expende quibus in columnis adscribat illud tritum præstantissimorum stemma, nimirum, *Non plus vltra*; in eo, qui percussus quamprimum, eosdem virtutum cursus resumpsit. Hoc adeò sublime est, vt nemo etiam sibi bene conscius, plus facere præsumat. Quippe ad magnam fortitudinem Banaiæ commendandam dicit 2. Reg. 23. *Ipse descendit, & percussit leonem in media cisterna in diebus niuis.* Quid fortius? In nequitiæ profundum delapsus, cùm peccati niuibus rigeret, sic valuit, vt fortissimum hostem prosterneret, & incolumis inde exiret.

Basil.

Chrysost.

Apollin.

2.Reg.23.

CAPVT IV.

Iacobi, & Esau occursus: raptus Dinæ.

NOn multum à Phanuel diuerterat Iacob, vastissimum vix campum circumspiciens; cùm è regione visos quidam in equo procedere, quem ducem non pauci armati milites sequebantur. Is Esau erat, cuius sola castra in squalentibus campis fulgentia Iacobi oculos fulminabant. Præstò hic familiam disponit armatis hominibus occursuram; antecesserat turma gregum cum seruitiis sic aptè distributa, vt quæ dono offerebantur, & oculos in primis, & hominem præoccuparent, ne liceret ingrate cætera vel aspicere. Non paruo interuallo tribus ordinibus procedebant cum matribus filiorum examina. Primum tenebant Zelpha & Bala cum quatuor liberis suis. In secundo erat Lia cum septem. A tertio Rachel radiabat, quam vnicus Ioseph est comitatus. Hunc non tormentorum, sed affectionum ignibus fulminantem exercitum promouit Iacob ipse antesignanus, totus spirans humanitatem, comitatem, quibus concuterentur vel ferrei animi. Impar equidem Esau tot affectionum tormentis, eò vsque cocurrit, vt humi prostratum fratrem manu leuaret. Tum verò tanquam semper familiares coiere amplexibus, & suscitante Esau, quæ essent tot pulcherrimorum iuuenum, puellarúmque phalanges, ille modestissimis verbis referebat sibi à Deo beneficia collata. Conuenientes tandem fratres rursus amplexus, rursus blanditiæ tenebant. Inter quas ægrè adducitur Esau, vt munera ex Iacob in honoris, cultúsve signum capiat: verùm Iacob minimè adduci potuit, vt itineris socios secum habeat armatos. Præmissa ergo armata manu in Seir, & comiter salutato fratre, Iacob postquam in Sochoth quieuit diebus non paucis, inde Sichimitarum Regiæ Salem appropinquauit.

Hic peregrinationis, vt credo, tædium impulit virum in eam cogitationem, vt emeret agrum tam ad habitationem suorum, quàm ad gregum pascua. Miraberis tantæ familiæ, tot gregibus suffecisse agrum emptum centum agnis, sed tunc temporis incolarum paucitas adhuc vili æstimabat vastissima fœcundorum camporum spatia. Decimus post Iacobi aduentum annus diem traxerat, quo Sichimitæ nundinas ad fori conuentus, & mercatum celebrabant. Et ecce tibi sexdecim annis Iacobo natam pulcherrimam virginem Dinam mirum videndæ Vrbis, regionisque virgines alloquendi desiderium capit. Confluebant in Regiam ciuitatem vicinarum opes, venit & virgo Dina peregrinæ pulchritudinis thesauris pretiorum authoritatem prostituens. Ad nouum mercium genus commercia vniuersa stupent, & maximus regionis Princeps impares æstimat regias gazas tantæ comparandæ pulchritudini, se mercatui subducens adornat latrocinium. Rapitur virgo formosa in regium conclaue; rescissique pudoris pretium, regiæ nuptiæ iurantur. Nec mora, vbi prima lux fulserat, iam Princeps apparens in amoris stadio, cum sene patre Hemor currebat, lucraturus sponsam de sollicitata Iacobi, filiorúmque illius gratia. Pennatus licèt amor sit, pennatior tamen fama currentes antecesserat, & immanitate cladis stimulabat parentes, vrebat violatæ virginis fratres. Adhuc fumabat ira, nec dum eruperat in totam flammam, & Reges hospitum limina intrauerant. Venit Hemor & regio aspectu, & multa canicie venerabilis. Ipse Sichem Princeps adest cum delectis iuuenum Optimatum: ingens Dinæ fratribus incitamentum ad odium, & vesaniam. Furebant ad regiam vmbram Simeon, & Leui, impetu vix se prementes. Et vterque furioso tumore plurima fingens, inter summas regum humanitates, vnam sororis iniuriam vipereo pectore tractant.

Peractis mutuis se salutantium officiis, Hemor sui aduentus causas aperit. Licet apud peregrinum agam, optime hospes, non est animus te ad mea vota trahere, referendo me esse Sichimitarum Regem, meas esse immensæ regionis gazas, occupari meis deliciis latissimos campos, littora plena opibus, plena amœnitate. Parco mei propaginis venæ, quæ nunquam sciuit producere nisi regnantes. Breuior apud te habenda est oratio. Ego Rex cum hospite quæro arctiora fœdera inire. Liceat regiis fortunas admiscere, imò efferre priuatas. Simplicius loquar, ama regem esse, & filium regis in generum accipe. Sene loquente exagitabat iuuenem cumulatior in horas erga puellam amor, vniuersorum, & regni periculum. Et amoris impatiens, rem vrgere, Iacobum ambire, dicere suam vitam in eo esse sitam, vt gener eius appelletur. Tua, addit, sint Pater, potentissimi parentis regna. Filiam tuam mihi desponde. Liceat te patrem deinceps habere. Responsurum Iacobum præoccupant puellæ fratres Simeon, & Leui, & feralissimum dolum machinantes, prætendunt tantis nuptiis impedimentum fore vnam circuncisionis religionem, & quidem in se austeram, & gentilibus maximè exosam. Quis enim, aiunt, regalem affinitatem non optet? Sed nescit Abrahamidum genus, vel regna præponere religioni. Quantula hæc difficultas principi amatori? O principum miseranda consilia! Vis vlla principibus non placuit religio, quæ eorum voluptatibus seruire potuit. Currunt ad sacros cultellus reges, currit, & regibus stimulantibus, populus, & vix cœpit ibi prælibare luxuria imminentes iam suæ malitiæ dolores. Nam vbi vulnerum dolor homines acerbiùs exagitat; gladios arripiunt Leui, & Simeon, & non cum parua manu seruorum vrbem aggrediuntur, nullúsque vir subducitur eorum furori. Accurrunt cæteri fratres, populantur omnia, & tanto sanguine mundatam sororem, plenamque spoliis reducunt ad parentes, qui multis accusabant filiorum audaciam.

PARS PRIMA.

Iacobi, & Christi in vtero symbola.

HAEc e vobis Sichimitarum gentes, & Iacobi generi, & religioni consentiunt, sed vtinam vt consentiunt religioni Iacobi, sic & eius pudicitiam amplecterentur; qua quia caruerunt, meritò filiorum Iacobi gladiis fuerunt peremptì. Verè in hoc Christus Dei filius mansit expressus, qui vel ab vtero sibi acquisiuit gentes, & aduersus impudicitiam excitauit bellum.

§. I.

Vera Iacobi proles Iesus, & ab ipso matris vtero, nationes sibi acquirebat.

VIdisti Sichimitas ambabus manibus Iacobi religionem amplectentes, séque subiicientes durissimo circuncisionis sacramento. Et quale hoc mysterium? Pulchrè, vt ait D. Ambros. lib. 2. de Iacob, cap. 7. *ibi Iacob mystice spiritu Sacramentum cõgregandæ ex gentibus prævidebat Ecclesiæ.* Allicit equidem Iacob Sichimitas in religionem circuncisionis, adumbrans ex tunc, qualiter in Christo erant gentes in Ecclesiam alliciendæ. Vbi enim Christus Dominus regnaturus in domo Iacob in vterum Virginis matris descendit, iam inde cœpit vocare, & allicere, imò & trahere ad se gentes. Non amplius expectauit Dominus, sed cùm primùm Iacobææ virginis vterum tetigit, iam inde sese conuertit ad gentes trahendas. Quod autem eius in vtero existentiæ debeatur vocatio gentium, habes in Iona, qui iussus prædicare Niniuitis gentilibus, dum ipse detrectat, voratur à pisce, & in piscis vtero in munus prædicationis defertur. Ait text. c. 2. *Erat Ionas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus* : : : & in fine capitis ait: *Dixit Dominus pisci, & euomuit Ionam.* Cur prædicaturus gentilibus priùs in piscis ventre ponitur, nisi vt totam œconomiam exprimeret Incarnationis Domini, qui ex vtero materno habuit, vt ad se vocaret, & adiungeret nationes? D. Basil. Sel. orat. 13. sic Ionam in ventre ceti sepultum alloquitur: *Nunquid adhuc fugere vis, ô Propheta? Adhuc gentium salutis fugam præponderas? Non vis minister esse vocationis? Triduum igitur subi sepulchrum. Sustine Incarnationis Dominicæ casus: disce, vt gentes omnes vocabũtur, compone te Incarnationis meæ imitationem, per quam non solo Niniuita, sed hominum Orbis vniuersus religionis virtute saluabitur.* Expende quid moneat Dominus Ionam existẽtem in ventre ceti, nimirum: *Sustine Incarnationis Dominicæ casus. compone te Incarnationis meæ imitationem, per quam non solù Niniuita, &c.* Nempe, qui iam erat in vtero, facile sese componere posset Dominicæ Incarnationis imitationem, per hoc solùm, quòd minister esse velit gentilium vocationis. Quando tota Dei exinanitio vsque ad aduentum in vterum, totúmque ibi Incarnationis negotium eò spectabat, vt sibi Deus adiungeret omnes nationes. Nulla mora ingressus fuit Dei filius Virginis vterum, & iam vocabantur gentes, iam augebatur adscitis sibi nationibus. Hinc dicitur ad Mariam Cant. 7. *Venter tuus sicut aceruus tritici.* alibi vocabatur Iesus, granum frumenti, Ioan. 12. At in ventre Mariæ non granum, sed aceruus est, nesciuit enim in ventrem Mariæ cadere, quin sibi adiunctas nationes proferat. Ait Richard. à Sãcto Laurent. lib. 4. de laud. Mar. *Nisi granum istud in vterum virginalem, velut in terram fertilem, & bene excultam exercitio Spiritus sancti, prius cecidisset per Incarnationem, & post hoc in cruce mortuum fuisset, ipsum solum mansisset: sed per ista duo granum vnicum factus est aceruus magnus.* Itaque de virginalis vteri terra fertili, & à Spiritu sancto exculta, habuit Dei filius, quòd adiunctis sibi nationibus, augeretur in aceruum magnum. Simul enim accepit matris vterum, & ministerium gentium congregandarum. Quò respiciens Isaias c. 49. dicebat. *Et nunc hæc dicit Dominus formans me ab vtero seruum sibi.* Dum in mariano vtero Christus formabatur, simul ad eum Pater loquebatur, & quid loquebatur? Iam ait Propheta: *Et dixit, parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas. Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque in extremum terræ.* Ecce tibi negotia quæ in virgineo vtero inter Deum Patrem & Filium tractabantur, vbi enim ibi seruilem formam Dei filius induit, iam Pater non contentus erat populo Iudaico, sed gentium parabatur vocatio.

Ambr.

Basil. Sel.

Cant. 7.

Richard.

Isai. 49.

§. II.

Iesus ab vtero bellum indixit voluptatibus carnalibus, vt verus filius Iacob Et stitit pro castitate. Vbi perstringitur historia prophetica, quòd virgineam virtutem Synagogæ attribuat.

ACcenduntur filij Iacob zelo vindicandi pudoris rescissi in sorore; & sese gladio accingunt, vt constupratores mactent. Ait enim textus Genes. 34. *Simeon, & Leui duo filij Iacob, fratres Dinæ, arreptis gladiis, ingressi sunt vrbem confidenter, &c.* De quibus etiam dicitur Iudith cap. 9. *Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, & denudauerunt femur virginis in confusionem.* Itaque filij Iacob aliàs pacifici, tunc primùm in prælium currunt, cùm impudicorum hominum instabat vindicta: quasi pudicissimi Iacobi sanguis non possit non insurgere in homines carnalissimos. Quid propinquius ad Christum? Sanè vbi primùm maximus hic Iacobi filius in Mariæ vterum, velut in thalamum ingressus est, nihil priùs videbatur meditari, quàm bellum carnalibus voluptatibus indicere. Cant. 3. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, vniuscuiusque ensis super femur suum.* In lectulo Salomonis agnoscunt vterum Virginis D. Bern. Rup. & alij, nec mirum quando in eo quiescebat verus Salomon Dei filius. Sed illud mirandum, quòd ab ipso lectulo, ab ipso matris vtero, iam ibi astantes habeat militantes copias, iam ibi prostrat & milites, qui notanter dicantur docti ad prælia, & gladiis armati. Et quæ prælia tunc docebantur isti milites? Sanè pacificus rex floridissimo accumbens lectulo videretur illa bella docere suos milites, quæ sunt propria amãtibus. Militat enim omnis amans, & habet sua castra cupido. Nonne hæc potiùs bella suggerent milites à duce accumbente virgineo in thalamo? Absit: sed iam tunc docebantur bellare aduersus omnes carnales voluptates, & acerrimè propugnare castitatem. Crede mihi: thalamum virgineum ideò Dei filius amauit, vt ibi Doctorem pro tuenda puritate aduersus carnis illecebras ageret. Quò respiciens D. Cyrill. Hierosolymit. catech. 12. ait: *Ex Dauid processit virgo sancta. Decebat sanè purissimum puritatis doctorem, ex purissimo prodire thalamo.* Ecce tibi & thalamus, & doctor sibi inuicem correspondebant; thalamus virgineus erat, qui doctor ibi assurgens, doctor ostendebatur puritatis, nil prius docens suos milites, quàm pro puritate stare, & carnis illecebras debellare. Ad hæc D. Hieronym. lib. 1. in Iouinian. *Vis scire qualis verus Salomon noster sit lectus, quales habeat armigeros? Ecce, ait, lectulus Salomonis, sexaginta potentes in circuitu eius, omnes tenentes frameam, & docti bello, vniuscuiusque viri gladius super femur suum. Qui in circuitu Salomonis sunt, gladium habent in femore, sicut Aoth ille Iudex, qui interfecit hostem pinguissimum, & totum carni deditum, omnes amputans voluptates.* Quasi nesciat Salomon verus Iesus, dum florido vteri thalamo accumbit, alia bella meditari, alia docere, nisi quæ sunt pro tutanda castitate aduersus illecebras carnis. Hinc 2. Reg. 23. *Hæc nomina fortium Dauid. Sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno.* Meritò ille, qui in beatissima Triade princeps, & Rex regum nominatur, cui à Patre datum est regnum, & omnium creaturarum dominatus; ille, inquam, verè filius Dauid dicitur, & in cathedra esse doctor, & intra lignum vermiculus, qui octingentos interficit. Sed cur vbi doctor exprimitur, & tot myriadum interfector, dicitur esse ligni vermiculus, & non potiùs leo, & sapientiæ, & fortitudinis exemplar? Sapientissimè Angelomus citatus à Canisio lib. 2. de Maria Deip. cap. 6. in hoc vermiculo agnoscit totam verbi diuini in Mariæ vtero conceptionem; vt enim absque opere nuptiali vermiculus intra lignum nascitur, qui lignum corrodit. Sic sine nuptiali opere apparens intra Mariæ viscera Dei filius, totus puritatem halans, totus castimoniam, intra carnem positus, nil priùs ibi molitur, quam vt opera carnalia corrodat, & prorsus prosternat, quidquid voluptati carnali est proximũ. Quem autẽ vermiculũ intra vitale lignũ Mariam, meditantẽ ruinas carnalium cogitationũ vidimus; eundẽ sub vrẽtis vẽti nomine celebrat Oseas cap. 13. dicens: *Adducet vrentem ventum Dominus de deserto ascendentem, & siccabit venas eius,* id est, *mortis.* Itaque vbi diuinissimus ventus, siue spiritus oris nostri Christus Dominus ascendit de deserto, statim siccauit venas mortis, hoc est,

Gen. 34.

Cant. 3.

D. Cyr.

Hieron.

2. Reg. 23.

Osee 13.

est, carnis viridantis, luxuriantisve illecebras. Et quod erat desertum, quod tenebat tantum luxuriæ exsiccatorem? Pulchre Gillib. Abb. serm. 15. in Cant. *Bonum desertum aluus Virginis. Talis beata illius, & specialis Virginitatis vterus, quem nullius impudici motus, affectionis immunda temerauit lasciuia. Caro ipsius sicut terra deserta, & inuia, & inaquosa, in qua Christus apparuit. Vis scire qualem hæc terra deserta dedit fructum? Oseas te docet, qui dicit. Adducet Dominus ventum de deserto vrentem, & desiccabit venas mortis. Quis alius mortis desiccauit venas, nisi Christus Dominus, quem nobis intemerati ventris desertum refudit?* Expende illud, *desiccauit*, in quo penitus impugnatos, & expugnatos notabis fluxus luxuriæ. Loca enim exsiccata, & inaquosa sunt quæ à mollitie fluxæ cogitationis expurgat Christus. Sic immundus spiritus dicitur Luc. 11. *Ambulare per loca inaquosa, quærens requiem, & non inuenit.* Vbi Beda ait: *Loca inaquosa peragrat, id est, corda fidelium, quæ à mollitie fluxæ cogitationis expurgata sunt, callidus insidiator explorat. Sed bene dicitur, quærens requiem, & non inuenit, quia castas mentes effugiens, in sola diabolus corde prauorum requiescit. Vnde de illo Iob. Sub vmbra, inquit, dormit, in secreto calami, in locis humentibus. In locis humentibus lasciuas mollesque mentes insinuans.* Vbi ergo spiritus oris nostri Christus e deserto, hoc est, ex virginali ventre afflare cœpit; simul & omnia humentia loca, nimirum lasciuas mentes exsiccauit, castásque & virgineas reddidit. Vt dicat etiã Oseas cap. 14. *Ero quasi ros Israel, germinabit quasi lilium.* De quo Rupert. lib. 6. in Oseam, ait: *Etenim quasi ros exstitit Dominus, quando per Spiritus sancti gratiam Virginem obumbrans, in vterum eius descendit. Tunc veraciter germinauit Israel quasi lilium, quia verè Israelita, scilicet Apostoli non in carne, sed in spiritu fructificauerunt, noua conuersatione imitantes lilium, id est, magistrum, & præceptorem suum Christum, virginea pulchritudinis lilium.* Influxit diuinissimus ros in Mariæ virgineum vterum, & inde germinare cœperunt in mundo castitatis purissimæ lilia, & decidere folia vana luxuriæ. Hinc notissima est visio ostensa Moysi. Exod. 3. *Vbi apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Quam visionem explicans Eucher. de formulis spiritualibus, ait: *Rubus Mariæ virginis præfiguratio est, eo quòd, quasi de humani corporis rubo, Saluatorem tanquam rosam emiserit, aut quòd vim diuini fulgoris, sine viri assumptione pertulerit.* Itaque de medio rubi flammabat Dominus, vt ostenderetur ipse sine vlla corruptione flammare de medio virginalis vteri. Quid tunc? Apud 3. Reg. 19. dum Elias Iezabelem fugit, *sedit subter vnam iuniperum.* Legit D. Methodius, *sedit subter vnam rhamnum.* Rhamnus autem genus quoddam est rubi, de cuius medio apparuit Dominus in flamma ignis, vt ostenderetur virgineus vterus lumine plenus diuino. Et quod mysterium est, quòd fugiens fœminæ tyrannidem Elias ad rubi genus, nempe rhamnum confugiat? Sanè ex quo in medio virginei rubi apparuit Dominus, vna est castitas quæ regnat in mundo, & quæ homines propugnat à lasciuis carnalis voluptatis insultibus. Præclarè ad hæc Methodius lib. de castit. apud Biblioth. Phonij: *Rhamnus, ait, Virginitatem denotat. Vnde & fertur Eliam, à facie Iezabelis fugientem, ad rhamnum primùm venisse, atque exauditum fuisse, cibúmque accepisse. quia fugientibus (?) carnis, & fœminam, & voluptatem, perfugium, & tegumentum castitatis lignum germinauit, quod ab aduentu principis virginum Christi regnum in homines obtinuit.* Expende, quid fecerit Deus veniens in medium rubi virginei, nimirum ex tunc castitatis lignum *regnum in homines obtinuit.* Vnus Christus, vbi ab vtero virgineo micauit, carnalium voluptatum tyrannidem ab humanis cordibus exclusit, & fecit, vt in eis regnaret castitatis lignum. Et quanta hæc gloria Christi? Sanè non parua est gloria Christi, ob quam præ aliis Legislatoribus commendatur à sapientissimis & sanctissimis viris. A D. Cyril. Hierosol. *catech.* 12. dicitur Iesus doctor puritatis, à D. Hieron. 1. *contra Iouin.* præco virginitatis, Nazian. *in exhortat. ad virg.* nuptias Synagogæ, Christo virginitatem adscribit. Ambr. *lib. 1. de virginibus*, fatur, non facilè inueniri virginitatem in terris, nisi postquam Deus in terreni corporis membra descendit. D. Athan. *in Apolog. ad Constant.* relata à Canisio *lib. 2. de Deipara, cap.* 12. putat in sola Christi Ecclesia vigere virginitatis insigne. Et crediderim nihil esse magis tritum apud Patres, & Doctores Theologos, quàm Christi Euangelium commendari ex virginitatis gloria. Donec author Propheticæ historiæ, quæ Hispano idiomate circumfertor, ausus est dicere, non multum interesse Christi Euangelio, quòd dicatur author tantæ virtutis. Idque asserit historia illa non omnino sincerè, sed vt eripiens hanc gloriam Christo, illam Eliæ & Synagogæ adscribat. Si non pertinet ad gloriam Euangelij, quòd præ omnibus aliis statibus virginitatis candore rutilet, cur tu bone tam acriter desudas, vt hanc virtutem prunò Synagogæ, Elianæque familiæ adscribas? Sanè parum erit etiam quòd Synagoga, Elianaque familia careat virginitatis laude, habens alias & excellentiores, & præstantiores virtutes. Cur ergo pro hoc paruo lucro sic afficeris erga Synagogam, vt sanctissimos Patres, & Doctores, qui stant pro Euangelio non dubites, imò non verearis vocare inuidos, & viros condonandæ simplicitatis, qui vt Euangelio soli virginitatem adscribant, arma præbent Hæreticis? Cur immodestissimis his, & aliis verbis acriter, & immodestè, & iniuriosè mordes Christianæ Ecclesiæ lumina, sanctos Patres & Theologos penè cunctos pro tam paruo lucro? At non parua est gloria Euangelij, quam tu tam duriter decertans contendis Synagogæ attribuere: sed vehementer affectus erga propria, non respicis ea, quæ sunt Christi, & damnas simplicitatis bouinæ eos, qui pro Christo stant in re virginitatis, quasi prudentiùs, & consultiùs illis agas, dum te ostentes pro Synagoga, & Elia. Non sic fidas Philoni Iudæo, & leuibus coniecturis, vt mordeas Athanasios, Cyril. Amb. Nazian. Hieron. & alios Patres, & Theologos innumeros, quos citat, & extollit noster Hurtado, in 3. partem D. Thom. q. 92. Cum iis puta laudabilis virginitatis gloriam inuentam fuisse à Dei filio eligente sibi nascituro virgineum vterum. Cuius inuentionis gloriam ideo Patres & Doctores Euangelio Christi attribuunt, non quòd virginitas sit excellentior aliis virtutibus, sed quòd fuerit inuentu difficilior. Multæ aliæ virtutes excellentiores fuere & Synagogæ, & Ecclesiæ communes, sed quæ erant notiores rationi naturali, & innitæ à pluribus. At virginitatem, quis homo ratione ductus sola inueniret esse virtutem, quando sic se compositum videret, vt daret operam liberis, quando hoc decere, imò necessarium esse nosceret propagando mundo, quando maiorem Sanctorum partem honestissimo cerneret vacare coniugio. Quando etiam videret præceptum illud bis datum à Deo, crescite, & multiplicamini; quando audiret ingentia suspiria illustrissimorum virorum pro habendis filiis. Sanè inter hæc penè latebat virtus virginea, insuperabilibúsque tenebris erat communi hominum intelligendi modo obducta. Nihil infra cœlum erat, quod ducere posset in eius cognitionem, vt de Virgine dicat Ambros. Accersiuit è cœlis, quem imitaretur in terris. Ergo non parua gloria, sed magna est Christi, quòd ipse tam absconditam virginitatis gemmam inueniret, & persuaderet hominibus amplectendam illam esse virtutem. Quam virginitatis gloriam sic consequenter æstimauit Ecclesia Christi, vt nihil prius celebret in suis agminibus, quàm si albicent hac virtute. E contra autem Synagoga, quæ multa est in celebranda virtute suorum, neminem laudat, quòd fuerit virgo. Lege totum Ecclesiasticum à cap. 40. vbi laudantur gloriosi viri, eorúmque virtutes minutatim recensentur, nullius tamen numeratur virginitas. Quod mihi euidentissimum argumentum facit, in Synagoga à nemine fuisse perpetuam virginitatem cultam ex affectu ad eam virtutem, sed ex aliis accidentalibus occursibus. Sic ait Chrysost. hom. 79. in Matth. *Nec in veteri testamento à præfatis illis sanctis viris virginitas culta fuit*, nimirum ex affectu ad virtutem illam. Non enim credo virtutem in Ecclesiæ filiis castissimam, in Synagoga prætereundam à sacris Scriptoribus, adeò vt nemo, qui laudandus assumebatur, laudetur in illa. Scio tamen Ecclesiæ Patres recurrisse ad Eliæ virginitatem, & aliorum Veterum, vt Hæreticos nouatores confunderent. Sed non inde sequitur, in Elia, & aliis veteribus fuisse virginitatem specialem virtutem, sicut ex eo quòd Patres ad confundendos Iudæos in coniunctione Christi ad gentes, recurrunt ad coniunctionem Iudæ cum Thamare, Dauidis cum Bersabee, non tamen sequitur eas coniunctiones fuisse virtutes. Erant equidem vmbræ, vt integritas corporalis veterum ob alias causas inuenta, forsan non fuit virginitatis virtus, vel fuit imperfectissima, fuit tamen vmbra lucidissimi agminis Christi. Pro quo sit coronis sanctissimus Pater, & Theologus Nazian. de laude virginitatis, inquiens:

Vt verò in tabulis pictor, dum corpora fingit
Obscuris primùm ora notis leuibúsque figurat;
Mox formis studet omnigenos adhibere colores,
Atque opus inceptum numeris polit omnibus artis.
Sic quoque virginitas, magni pars inclyta Christi,
Ante quidem vmbrosa in paucis splendore micabat,
Dum lex iura daret terris, & in orbe vigeret,
Exiguis spectanda notis paucisque liceret
Lucis ad interna radios penetrare micantes.
At postquàm Christus per casta viscera Matris,
Absque Patre & radiis vitæ progressus in auras,
Lustrauit muliebre genus, primámque parentem

Gillibert. — Luc. 11. — Beda. — Oseas 14. — Rupert. — Exod 3. — Eucher. — 3. Reg. 19. — Chrysost. — Nazian.

Depulit, & carnis leges abscedere iussit,
Grataque in medium, venit. tunc denique nostro
Virginitas generi praeclaro lumine fulsit.

Sic sapientissimus Theologus, & Doctor Ecclesiæ, in veteribus Synagogæ filiis non agnoscit nisi paucas virginitatis vmbras, gloriam tamen eius meritò adscribit Christo. Et ego malim cum Nazianzeno, cum Athanasio, cum Ambros. cum Hieron. cum Chrysost. cum innumera alia Patrum, Theologorúmque phalange, à Patre Hurtado adducta loco citato, pro virginitatis gloria Christianæ Ecclesiæ approprianda stare, siue desipere; vt Historia Prophetica oblatrat; quàm cum eius Authore magniloquentiam pro Synagoga ostentare: & sub spiritu Iesu mansuetudinem præferre modestam; quàm sub spiritu Heliano acorem, & bilem solutissimam voluere aduersus sapientissimos Magistros, & sanctos Patres.

PARS SECVNDA.

Moralia circa textus literam.

NVnc textus litera sic exsugenda venit, vt eos succos ab illa capiamus, qui mores possint alere humanos.

Genes. 33. Eleuans autem Iacob oculos suos, vidit venientem Esaü, & cum eo quadringentos viros, diuisítque filios Liæ, & Rachel, ambarúmque famularum: & posuit vtramque ancillam, & liberos earum in principio: Liam verò, & filios eius in secundo loco: Rachel autem & Ioseph nouissimos. Et ipse progrediens adorauit pronus in terram septies, donec appropinquaret frater eius.

§. I.

Cognationis affectus validissimus est, vt vel ferreum animum emolliat.

ARmato hosti Esau vide qualem manum Iacob opponat, nempe tres consobrinorum turmas, in prima erant Balæ, & Zelphæ filij; in secunda Lia suos filios habebat, in tertia Rachel cum Ioseph suo. Quot pueruli cognati, tot militaria tormenta, vt vel barbarissimum, efferúmve animum concutiant. Ait D. Ambros. lib. 2. de Iacob, cap. 6. *Occurrit itaque fratri, cum vxoribus, & pignoribus suis, vt etiam si ipse indignaretur, necessitudinis obsequiis inflecteret.* Quis vel ferreus nó emolliatur ad cognatorum periculum? Ptolomæus rerum in Palestina potitus, Ionathæ Machabei matrem, & germanos captiuos in arce tenebat, vbi cruentissima obsidione a Ionatha coarctatus, ne arx tota in flammas iret, hosti furenti germanos obiecit ruinæ necessariò participes. Quid túc Ionathas? Accipite Egesippum lib. 1. de Excidio Ierosol. cap. 1. dicentem: *Assumpsit illico Ionathas paterni Sacerdotij munus, & statim pietatis obsequia curámque seruandæ necessitudinis exequebatur, matrem cupiens, fratrésque periculo eripere. Congressúsque superior factus, iustis passionis affectu superabatur, quominus castro poteretur, in quo clausi detinebantur. Nam Ptolomæus vbi se vrgeri videbat, matrem eius atque germanos in muris locabat præcipitandos illico, nisi Ionathas bello, quod inferebat, desisteret. Vincebatur iuuenis pietatis metu: qui vincebat fortitudinis assumptionem, & iracundiam excitatam in hostem reuocabat suorum misericordia.* Ecce tibi Ionathas in hostem furens, vbi sibi germanos obiectos vidit, sic mollitur, vt a bello desistat. Qui æneos contempsit muros, qui tormenta militaria risit, qui mille damnantibus machinis non potuit à bello inferendo arceri; iam cerâ mollior bello parcit, ne germanis malum inferat. Sic valet cognationis affectus vel ferrea pectora emollire. Quis ignoret certamen illud, in quo Ioab dux Dauidis acriter expugnabat Abnerem, qui cum maiori parte populi Israelitici stabat pro Saulis domo? Sane victor Ioab rapidissimè ferebatur aduersus contrarij exercitus reliquias. Tunc Abner in summitate collis positus exclamans ad Ioab, fatur, 2. Reg. 2. *Num vsque ad internecionem tuus mucro desæuiet? Vsque quò non dices populo, vt omittat persequi fratres suos? Et ait Ioab: viuit Dominus, si locutus fuisses manè, recessisset populus persequens fratrem suum. Insonuit ergo Ioab buccina, & stetit omnis exercitus, &c.* Ecce totus Ioabi furor, vt quieuit ad vnum verbum Abner, sed Abner hostis erat: quod ergo verbum dixit adeò efficax, vt conuinceret eum, qui nullis armis vincebatur? Imò qui nulla contrariorum internecione satiabatur, nullisque cadentium gemitibus flectebatur, ad Abneri verbum sic constitit, vt fateretur se non potuisse vnquam non parere verbo tanto. Ait enim: *Viuit Dominus, si locutus fuisses manè, recessisset populus, &c.* Quale hoc verbum adeò efficax fuit ad detinendum mortes, ignésque spirantem? Sanè illud solum verbum Abneri fuit: *Vsquequò non dices populo, vt omittat persequi fratres suos?* Vbi eleganter Procopius in Glossa ait: *Cognationem reuocans in memoriam, ei persuasit, quod voluit.* Quippe vbi Abner vidit arma inutilia esse, totámque exercitus vim confractam, vt posset sæuientem adhuc hostem deflectere, ad cognationem recurrit, eúmque fecit aduertere, quòd omnes cadentes erant eius fratres, & cognati, quo solo mansuetudinem, & humanitatem vel truculentissimo duci persuasit. Quis enim non vereatur suorum cognatorum pericula? Meritò dicitur 2. Machab. 5. de immanissimo, & perditissimo Iasone: *Iason verò non parcebat in cæde ciuibus suis, nec cogitabat prosperitatem aduersus cognatos malum esse maximum.* Equidem tantum malum est in cognatos prosperè sæuire, vt vel efferissimus homo, si tantùm id cogitasset, non posset non emolliri ad conspectum effusi cognati sanguinis.

Ambros.

Egesipp.

2. Reg. 2.

2. Mach. 5.

§. II

Iudæorum reiectorum genus infirmissimum, vilissimum. Fortitudo enim & robur virile à Christo aduenit.

MIrabar Iacobum aduersus Angelum in lucta valuisse, & in fratrem armatum fuisse infirmatum. Ibi solus luctam aggreditur mulieribus à se dimissis, & paruulis oblnctatorem lacertis stringit, ne se expediat; & totis Angeli viribus non adducitur vt cadat. Hic vbi armatum Esau vidit, mulieres, & paruulos in turmas disponit, & quasi dux muliebris exercitus cum illis graditur, nec semel, sed bis, & septies humi procumbens adorat armatum. Cur ibi tam fortem, hic tam infirmum, & imbecillum agit? Equidem in præsenti genus Iudæorum reiectitium repræsentabat, in quo nihil non muliebre, & infirmum, & imbecillum, & vile appaæt. Ait Rupert. lib. 8. in Gen. cap. 8. *Proparte reproborum Iudæorum Iacob adorat Esau, & munera offert, infirmum quippe est genus eius, cunctísque hodie populis imbecillius, & vbique dispersum multis tributa soluit Dominis suis, & Regibus.* Ecce vobis clarissimum signum reprobationis Iudaicæ, ille populus cantatissimus ob prælia, qui tot nationes subiugauit, qui tot duces validissimos parturiuit, qui tot hostiũ spoliis diuinas ornauit aras: ille, qui etiam captiuus eos viros edebat, nimirum Mardocheos, qui principi Amano reuerentiam negabat, ne aliquem præter Deum videretur adorare: postquam virum Iesum morti dedit, sic effeminatur, sic infirmatur, vt nihil in se forte, nihil virile ostendat, sed ab omnibus nationibus contemnatur, & vel ad pueruli vocem procumbat humi, & propter obolum adoret quemlibet dynastam. Sane negaruot sibi à Deo immissum virum, & in muliebrem venerunt vilissimã infirmitatem. Accipite huius rei lucidissimam vmbram. 2. Reg. 15. vbi Dauid rex deserit ciuitatem Ierusalem, vt sibi per fugam consulat à rebellis filij facie, ibi dicitur: *Egressus est ergo Rex, & vniuersa domus eius pedibus suis: & reliquit Rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum.* Miraberis custodiam adhibitam a prudentissimo Rege, domui suæ, vbi validissimus exercitus minabatur. Quis Rex diceretur posuisse decem mulieres pro custodia domus aduersus hostes flammantes? Non dicitur Rex posuisse mulieres pro custodia, sed reliquisse eas, in quo totum Christi mysterium mirificè adumbratur. Ex quo enim Iesus à Iudæorum populo abiit, gentémque illam perduellem reliquit, qui reliqui ibi sunt, non viri, sed mulieres videntur ob vilissimam infirmitatem. Ait Petrus Damian. lib. 2. epist. 20. *Nunc Dauid à facie Absalon fugiens decem concubinas in domo reliquit, quia Saluator noster, dum egressus de ciuitate Iudaica, in desertum gentium properat, reliquit in domo legis Iudæos non viriliter incedentes, sed muliebri conuersatione viuentes.* Plane Iudæi, qui derelicti per Orbem vagantur, non solùm ciuitatem, & patriam amiserunt, sed & penitus exuerunt ingenuitatem, robúrque virile, & sub muliebri infirmitate degunt vbique timidi, & viles,

Rupert.

2. Reg. 15.

Pet. Dam.

les,& despicabiles. Et meritò in vilem, & muliebrem decidunt infirmitatem, qui à se virum diuinum Iesum ablegant, ex quo omnis fortitudo, & robur in homines dimanat. Id quod D.Amb. in orat. de obitu Theodosij (*Ambr.*) in tanti Imperatoris facinore ponderabat, aiens: *Recognoscitis nempe, quos vobis Theodosij fides triumphos acquisierit, cùm locorum angustiis, & impedimentis calonum agmen paulò seriùs in aciem descenderet, & inequitare hostis moru belli videretur, desiliuit equo princeps, & ante aciem solus progressus ait: Vbi est Theodosij Deus? Iam hoc Christo proximus loquebatur. Quis enim hoc posset dicere, nisi qui Christo se adhærere cognosceret?* Expende, vnde colligat Ambrosius (*Ambr.*) Theodosium Christo esse propinquum, nimirum, ex eius fortitudinem balantibus verbis; qui enim Deum clamans viriliter sese periculis offert, magnum indicium præbet, pro se Christum habere, in quo robur, & fortitudo claret. Et sanè, qui Christum habet, virile robur, & fortitudinem habet, qua nihil paueat. Iacob Gen. 32. vidit Dei castra, vidit, inquam, locum, in quo vel Angeli militares protendebant acies: ibique disponens familiam suam, *mansit nocte illa in castris.* D. Amb. legit: *dormiuit nocte illa in castra.* Expende illud, *dormiuit*, vbi Angeli armantur. vbi excubias agunt militares, Iacob dormit, & securus sese somno tradit. Cur non magis timet? Cur non magis currit ad arma? Erat in illo Christus, de cuius halitu & robur, & fortitudinem habebat, qua possit dormire etiam inter hostilia arma. Ait D.Amb. lib. 2. de Iacob. cap. 6. (*Ambr.*) *Dormiuit in castris. Perfectorum enim est non facilè mundanis moueri, non turbari motu, non exagitari suspicione, non terrore concuti, sed quasi in littore tutissimo aduersum insurgentes fluctus sæcularium procellarum mentem immobilem fida statione placidare. Hoc firmamentum Christianis mentibus Christus innexit, &c.* Planè qui Christum habent, firmamentum, & robur habent, quo in periculis toti, & securi agant.

§. III.

Ad Prælaturas non nisi aliis stimulantibus eundum; ab illis recedendum proprio marte.

SEpties pronus in terram Iacob adorabat fratrem, sese illi humilians, & inferiorem protestans: sed scire cupis, à quo fuerit Iacob admonitus, vt sic se submitteret fratri? Scio ex cap. 27. Gen. quòd Iacob surrepturus benedictionem, qua se præponeret fratri, imò Dominus fratrum vocaretur, à matre Rebecca fuerit incitatus, qua impellente ipse ad benedictionem illam iuerit. Vt autem sese fratri subderet, eúmque vt inferior adorauerit, non video, quòd ab aliquo fuerit incitatus. Cur ergo, qui non nisi matre impellente nisus est se fratri præponere; absque vllo impulsore se fratri subiecit? In hoc planè ostendit, quid debeat facere quilibet bonus homo, nimirum, quòd nisi aliis monentibus & impellentibus ad prælaturas non abeat, vt illas dimittat, nullius impulsum expectet, sed proprio marte discedat. Rem pulcherrimè tractat D. Amb. lib. 5. Exam. c. 15. (*Ambr.*) gruum naturam expendens, quarum vna cæteris dormientibus vigilias exercet. Quid tunc? *Vbi vigiliarum fuerit tempus impletum, perfuncta munere, in somnum se præmisso clangore componit, vt excitet dormientem, cui vicem muneris traditura est. Quem inuenias hominum, qui sponte deponat imperium, & ductus sui cedat insigne, fiátque volens numero postremus ex primo? Nos autem non solùm de primo, sed etiam de medio sæpe contendimus, & primos discubitus in conuiuio vindicamus, ac si semel delatum fuerit, volumus esse perpetuum. Ideò inter grues æquanimitas in laboribus est, humilitas in potestatibus. Admonentur, vt exerceant custodia vices, non admonentur, vt de potestate decedant.* Expende ab illis, *admonentur, vt exerceant, &c.* nullus in illis ambitus, nulla solicitudo est de acquirendo honore custodiæ, sic quietæ somno indulgent, quasi ad alias curas non essent promouendæ. Vbi autem tempus aduenerit, quæ custos erat, nemine monente, sed proprio marte, custodiæ honorem alteri cedit, quæ clangoribus excitatur, & impellitur vt ascendat. Vtinam hanc politiam homines imitemur, & ad honores, ad dignitates nisi præmoniti, & impulsi minimè aduolemus, ad illásque exuendas, sic simus propensi, vt quoties liceat, proprio marte ab illis liberari curemus.

Genes. 33. Currens itaque Esaü obuiam fratri suo, amplexatus est eum, stringénsque collum eius, & osculans fleuit. Leuatísque oculis vidit mulieres, & paruulos earum, & ait: Quid sibi volunt isti? & si ad te pertinent? Respondit, Paruuli sunt, quos donauit mihi Deus seruo tuo. Et appropiquantes ancillæ, & filij, &c.

§. IV.

Etiam in feralissimo homine solet effulgere amor fraternus.

QVis Esau feralior? Gladio sanè viuebat ferreus ipse ferratis semper hominibus cinctus, vbique ignes, mortésque adspirans. Inter hæc tamen ad conspectum fratris totus emollitur, & in amplexus, & oscula ruit. Habes enim de illo: *Currens itaque Esau obuiam fratri suo, amplexatus est eum, stringénsque collum eius, & osculans fleuit.* Quis speraret in tam ferali viro tantam fraterni amoris teneritudinem? Agit equidem aliquando etiam feralissimos homines fraterni amoris stimulus. Memnon in Historia de Heracleæ tyrannis relata (*Memno.*) apud Biblioth. Photij, de quodam tyranno, qui Satyrus dicebatur, locutus ait: *Nec voluntas ei erat humanum aliquid, & moderatum discendi, nec à natura indita facultas: sed per omnia erat pessimus, etiamsi tempus ipsum infringebat hominem, vt ciuilis tandem sanguinis, & cædis eum satietas caperet. Amoris tamen fraterni primas tulit. Nam vt dominatum fratris filiis integrum ab iniuriis eam seruaret, adeò eius rationem habuit, vt licet coniugalis vxoris, quam vnicè amabat, consuetudine vteretur, liberos tamen ex ea procreare nollet, sed omni arte hanc orbitatem, & non gignenda sobolis ceu pœnam sibi irrogaret, ne quem omnino insidiatorem fratris filiis relinqueret.* Hoc potuit fraternus amor in homine, cui nec naturæ indoles, nec voluntas dabat aliquid humanum, aut moderatum posse sentire. Se tamen filiorum orbitate mulctabat, ne à se exiret, qui molestus esset fratris filiis, quorum tutelam in regni administratione ipse subibat. Sed & feralissimus ille epulo, totus ferreus factus Lazaro indigenti, dum pœnas suæ crudelitatis luit, flammis vltricibus traditus, vbi nil humanum habitat, sic ad Abrahamum precatus dicitur, Luc. 16. (*Luc. 16.*) *Rogo ergo te pater, vt mittas Lazarum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres: vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Qui nullam pietatem, nullam vnquam humanitatem tenuit; cùm in feritate iam obduratus esset, tenebat tamen amorem, & fratrum curam. Ecce tibi in reprobo, imò in damnato, in quo omnia feralia sunt, omnia trucia, à quo omnis abest humanitas, & virtus, tamen in illo fraternus amor inuenitur, vt dicat D. Gregor. Pap. ibi: (*Gregor PP.*) *Reproborum mentem pœna sua quandoque inutiliter erudit ad charitatem, vt iam tunc etiam suos specialiter diligant, qui hic, dum peccata diligerent, nec se amabant.* Solet equidem amor fraternus etiam in perditissimis, & deploratissimis inueniri. Cùm huc peruenio non me tempero, quin fraterni amoris flammas in Aristobulo Iudææ rege commiscar. Is inuidia Antigoni fratris sui exagitatus eò peruenit, vt fratrem iuberet occidi. Occiditur itaque Antigonus fratris imperio. Quid tunc? Ait Egesippus lib. 1. de Excid. Ierosl. c. 6. & 7. (*Egesipp.*) *Quo facinore patrato, Aristobulus secum ipse reputans, quid sceleris admiserit, in morbum ipse incidit. Defigebatur in ima visceribus dolor, inuidia in miserationem versa est, quòd innocentem peremisset eos tea iure germanitatis, tanti sceleris inhumanitas mentem exulcerabat: non somnus oculis, non quies animo dabatur. Serpebat cæco vulnus dolore, coquebantur ægra præcordia, & crebro gemitu pulsabant alta vemis suspiria. Itaque immoderatu mœstitudine eò prorupit morbi vis, vt euulsis visceribus, sanguinem vomitu oris reiiceret. Quem puer aulicus, regiis vsibus præbens ministerium, foras extulit, atque imprudens facti, quod casu potiùs, quàm industria gerebatur, ad eum locum peruenit, in quo Antigonus fuerat extinctus, illic supra rorantes adhuc fraterni sanguinis maculas, percussoris sanguinem effudit. Clamor subitò factus, & gemitus intuentium, eò quòd profunda quadam dispositione Domini libatus perempto sceleratissimi parricida sanguis videretur. Sono excitus causam quæsiuit, cùm sileretur, eliciut studio quærendi, & metu indignationis. Cuius accepto indicio suffundens oculos lacrymis, & quantum erat in eo virtutis, ingemiscens: Haud, inquit, rependitur meritis meis congrua vicissitudo. Neque enim Dei oculum tam impij machinator sceleris præterire poteram. Matura flagitij vltio subest, & iam digne emunctor parricidij mei pretio. Vale corpus, quousque animam fratri condemnatam detines. Quid per partes et libo meum sanguinem? Iam me omnes (si qua pietas est) contorqueant manus spiculum, ac me omnes filij germanique vltores pietatis gladio transfigant. Mactetur hostia parricidalis, atque immoletur violato necessitudini, totum simul cavo nostra sanguinem cruentate.*

euomat. Non viscerum meorum cruciatibus, & lenta tabe damnatam exsaturetis, quod me in tam nefarios ausus sceleris facinoris impegit. His dictis finem imperij, ac vitæ dedit. Quis in truculentissimo parricida tam vehementes amoris fraterni flammas crederet? Potuit ille crudelissimus extinguere fratrem, sed non potuit in suo pectore extinguere scintillam fraternæ amoris, quæ in tantas flammas excreuit, vt illis exuri penitus cogeretur.

Genes. 33. Dixítque Esaü: Quænam sunt istæ turmæ quas obuiam habui? Respondit: Vt inuenirem gratiam coram Domino meo. At ille ait: Habeo plurima, frater mi, sint tua tibi. Dixítque Iacob, Noli ita, obsecro, sed si inueni gratiam in oculis tuis, accipe munusculum de manibus meis, sic enim vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei: esto mihi propitius, & suscipe benedictionem quam attuli tibi, & quam donauit mihi Deus tribuens omnia.

§. V.

Perfectæ virtutis indicium est, quod in aliis Deum reuerearis.

NOn pusillanimitati, & vitio vertas, quòd Iacob dicat Esau, *Sic vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei*; non equidem hæc a vitio aliquo proficiscuntur, sed à præstanti, & perfectissima virtute, quæ in aliis scit Deum, vt in imagine revereri. Quam perfectionem à suis exigebat parens meus D. Ignatius, qui in constitutionum summario, 28. sic mandat: *(D. Ignat.)* *In omnibus procurando, atque optando potiores partes aliis deferre, omnes in animo suo tanquam sibi superiores ducendo, & exteriùs honorem, ac reuerentiam, quam exigit cuiusque status, cum simplicitate, & moderatione religiosa exhibendo: atque ita fiat, vt se mutuò considerantes in deuotione crescant, Deúmque Dominum nostrum laudent, quem quisque in alio, vt in illius imagine, agnoscere studeat.* Ecce tibi, quid petat magnus perfectionis magister ab iis, qui ad perfectionem currunt, nimirum, quòd alios sibi superiores ducant, quòd sibi mutuò reuerentiam exhibeant, & quod *Deum quisque in alio, vt in illius imagine cognoscere studeat*, sic videns alium, quasi vultum Dei videat. Sic ipse perfectionis magister Dei filius vbi homo factus est, sic rem composuit, quasi alij essent omnes sibi proximi. Ait enim Psal. 83. *(Psal. 83.)* *Videbitur Deus Deorum in Sion*, quę verba Gręci Patres intelligunt de tempore, quo Dei filius homo apparuit, siue vt Baruch, cap. 3. loquitur, in terris visus est. Ille equidem qui in cœlis erat inuisibilis, & immortalis, visus est in terris factus homo mortalis. Sed qualis videbatur in terris, agens inter homines, cum illis conuersatus? Ait Psal. *Videbitur Deus Deorum*, sic apparet inter homines, quasi inter Deos, vbi enim proximos cœpit habere homines, illos cœpit æstimare Deos. A quo non longe abest D. Augustin. aiens: *(August.)* *Apparuit Deus Deorum in Sion. Deus Deorum, Christus Christianorum. Quomodo Deus Deorum, Christus Christianorum? Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes.* Itaque vbi in terris apparuit, dixit omnes sibi proximos esse Deos, & inde factum est, quòd appareret Deus Deorum. Simul habuit proximos homines, & simul illos dixit Deos, ne detrectet homo quasi Deum habere proximum. Perfectæ namque virtutis est, quòd semper Deum in quouis proximo recognoscas. Abraham Gen. 18. tribus accedentibus peregrinis occurrit, *(Gen. 18.)* *& adorauit in terram. Et dixit, Domine si inueni gratiam in oculis tuis, &c.* Ecce tibi tres videt peregrinos, tres adorat, & tamen cum tribus, quasi cum vno loquitur dicens, *Domine, si inueni gratiam in oculis tuis.* Cur non magis loquitur pluraliter quasi cum tribus? Nonne credebat illos homines esse, & plures homines, cur in plurali non loquitur? Homines putabat esse, & plures, sed perfectus vir in hominibus Deum recognoscens, sic cum illis agit, quasi ageret cum vno Deo, & Domino. Ait D. Aug. lib. 16. de ciuit. c. 29. *(August.)* *Multò est credibilius, quòd Abraham in tribus viris Dominum agnoscebat, cui per singularem numerum loquebatur, etiam cum eos homines esse arbitraretur.* Planè tres videbat, quos homines esse putabat: & tamen sic agebat cum illis, quasi cum vno Deo ageret, quem in illis reuerebatur. Quod monebat Paulus ad Coloss. c. 3. *(Ad Col. 3.)* *Quodcumque facitis, ex animo operamini sicut Domino, & non hominibus*: quasi velit, quòd in omni obsequio uostro, non respiciantur homines, sed Deus in illis.

§. VI.

Non dedecent perfectos viros verborum, obsequiorúmque blanditiæ, & delinimenta, quibus aduersos animos in Domino sibi acquirant. Et quod ibi periculum.

OFfendunt nonneminem verba illa Iacobi dicta Esau, nimirum, *vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei.* Quanta hæc adulatio? Sanè adulatio, & lenocinium videtur, sed quæ non dedeceat viros perfectos, quæ licita sit, vt emolliantur animi aduersi. Sto enim à sententia Abulens. qui in præsenti, ait: *(Abul.)* *Potest stare ista litera, per modum cuiusdam adulationis licitæ, scilicet, quia Iacob valde timebat Esau, vt eum placaret, dixit se gauisum fuisse in visione eius, quasi videret Angelum Dei, de cuius visu valde consolaretur.* Est equidem perfectissimorum virorum, vt sibi in re virtutis consulant, non detrectare ea obsequia, easque verborum blanditias, & lenocinia, quæ possint emollire animos hostiles, & capere illos. Accipe Danielem, c. 4. fantem: *(Dan. 4.)* *Domine mi Rex, somnium his, qui te oderunt, & interpretatio eius hostibus tuis.* Et quidem iustissimè verberabatur impiissimus tyrannus à Deo, & nihilominus Daniel blandissimis iis verbis eius aures rigabat. Cur Daniel non magis pungis Dei osorem? Cur tyrannidis suæ pœnas iam iam imminere non obtestaris? Cur magis confugis ad blanditias verborum, & lenocinia, imprecans eius hostibus pœnas, quas ipse daturus est statim? Sanè hæc dicerentur à regum parasitis, & adulatoribus. Sed & sanctissimi viri aliquando blanditiis, & lenociniis vtuntur, vt ad rem virtutis emolliant tyrannorum animos. Ita similiter omnis perfectionis magister D. Paul. Actor. 26. vbi apud Regem Agrippâ sistebatur, ait: *(Act. 26.)* *De omnibus, quibus accusor à Iudæis, Rex Agrippa, æstimo me beatum, apud te cum sim defensurus me hodie, maximè te sciente omnia quæ apud Iudæos sunt.* Lectio Syriaca: *Puto ego de me ipso, quòd beatus sum, quia coram te hodie, ego dispono spiritum.* Quid blandius regi dici potuit, quàm quòd se beatum putet ille qui apud illum causam dicebat? Regina Saba vbi summè ablandiebatur Salomoni, solùm ait, 3. Reg. 10. *(3. Reg. 10.)* *Beati viri tui, & beati serui tui, qui stant coram te semper.* Vide quantò blandiùs erga Agrippam se gerat Paulus, qui non ministros semper assistentes; sed se ipsum ad horam loquentem, inde se dicit esse beatum. Sciebat quidem Paulus suam beatitudinem non in terreni regis conspectu, sed in cœlestis regis visione esse sitam; sed in re virtutis, ne Euangelij cursus impediatur, non detrectat, ad eas verborum blanditias recurrere, quibus tyrannorum animi capiuntur. Et vtinam delinimenta hæc verborum à Iacobo, à Daniele, à Paulo assumpta ad leniendos principes in re virtutis, eodem temperamento assumerentur à reliquis sectatoribus virtutum. Sed proh dolor! Omnia verborum lenocinia, omnes parasitorum blanditiæ in perfectionis professoribus apparent, non tam pro re virtutis, quàm pro temporalitatis aucupio. Rem grauiter deplorat Nazianz. orat. 27. inquiens. *(Nazian.)* *Neque facetus quispiam, ac iucundus sum, atque ita comparatus, vt hominum beneuolentiam blanditiis, & assentatione surripere queam: quales multos eorum video, qui hoc tempore Sacerdotii munus profitentur, qui fidei nostræ pietatem, quæ prius simplex, atque artis expers erat, artificiosam reddiderunt; ac nouum quoddam politices genus à foro ad sancta translata, & à theatris ad sacrarium, vulgi oculis minimè inspectandam, ita vt si audacter hoc dicere oporteat, duæ iam scenæ sint, inter quas hoc duntaxat intersit, quod illa omnibus pateat, hæc quibusdam; illa rideatur, hæc in honore sit; illa theatrica, hæc spiritualis nominetur.* Quid grauius? Equidem totæ illæ parasitorum machinæ, tota ambientium mundialium politia, totum mundialis vitæ artificium à foro ad sancta translatum conspicitur. Obsequia, blanditiæ, verborum lenocinia, applausus, comitatus, portarum obseruatio, quæ in amphitheatro mundi pro mundi bonis ludebant, iam in sacrario, inter eos, qui mundo valedixerunt, visuntur. Et quidem duæ iam scenæ sunt, mundialis & religiosa, in vtraque eædem personæ apparent, eadem verba, & officia promuntur, sed illa omnibus patet, hæc quibusdam. In illa iam ab ipsa philosophia ridentur principum latrones, laudatores; in hac adhuc hi in honore sunt; in illa pro theatralibus personis illi habentur, in hac pro spiritualibus. Vtinam vt hæc sanctus Theologus suo tempore notauit, minimè notari possint diebus istis.

Genes.

Genes. 33. Vix fratre compellente suscipiens ait: Gradiamur simul, eróque socius itineris tui. Dixitque Iacob: Nosti, Domine mi, quòd paruulos habeam teneros, & oues, & boues fœtas mecum, quas si plus inambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges. Præcedat Dominus meus ante seruum suum & ego sequar, &c.

§. VII.

Impiorum consortia fugienda, vt damnosa.

MEritò cauet Iacob socium itineris habere Esau, nũquam enim impiorum consortia non damnosa sunt, & lethalia, vt qui per se incolumis existit, de consortio impiorum aliquam sustineat damnationem. Hinc Num. 16. castigaturus Dominus homines impios, ait Moysi: *Præcipe vniuerso populo: vt separetur à tabernaculis Core, & Dathan, & Abiron.* [*Num. 16.*] Etiamsi populus non separaretur ab his, posset tamen Deus illos solos tradere perditioni, cur maluit, vt antè separaretur populus? Egesippus lib. 5. de Excid. Ierosolym. cap. 16. inquit: *Separari populum à noxiis præcepit, ne pios, aut macula contaminaret de consortio noxiorum, aut pœna inuolueret.* [*Egesipp.*] Vix aut rarò pœna in impios desæuit, quin simul tangat vniuersos eorum consortes. Id quod manifestè probauit sanctissimus, & castissimus rex Iosias, qui vt se Assyriis coniunxit, occurrens Regi Ægyptiorum, non potuit effugere mortem decretam à Deo nequissimis hominibus. Rem habes 2. Paralip. 35. vbi sic: *Ascendit Nechao rex Ægypti ad pugnandum in Charcamis iuxta Euphratem; & processit in occursum eius Iosias. At ille missis ad eum nunciis ait: Quid mihi, & tibi est rex Iuda? Non aduersum te hodie venio, sed contra aliam pugno domum, ad quam me Deus festinatò ire præcepit: desine aduersum Deum facere, qui mecum est, ne interficiat te. Noluit Iosias reuerti, sed præparauit contra eum bellum, nec acquieuit sermonibus Nechao ex ore Dei, verùm perrexit, vt dimicaret in campo Mageddo. Ibique vulneratus à sagittariis, &c.* [*2. Par. 35.*] Et sanè non paratæ erant illæ sagittæ contra Iosiam, nec Deus iusserat, quòd Iosias interficeretur, vt vel aduersarius fatetur. Solus Assyrius tanto illo exercitu petebatur, in illum solum decreta erat mortis sententia. Cur ergo & Iosias periit, qui piissimus, & sanctissimus erat, nulliúsque criminis reus? Hoc habebat Iosias, quòd se Assyrio iunxerat, & pro illo stabat, vnde qui per se immunis erat, non potuit non inuolui sociorum pœna. Egesipp. lib. 5. de Excid. cap. 16. *Vulneratur Iosias, quia contra imperium in hostem processit. Sanctus cæterùm, & ideò raptus ne captiuitatem peccatis debitam videret. Clamauit Nechao, non sum ad te missus, ferens eius fidei testimonium, sed inuoluit eum consortium degeneris societatis.* [*Egesipp.*] Non illum arma petebant, non ipse merebatur pœnam, sed quia se impiis adiunxit, inuoluit eum consortium societatis degeneris. Caue tibi homo à consortio impiorum, fieri enim vix poterit, quin diuinæ iræ torrens dum in illos exundat, te simul non inuoluat. Amasias Rex Iuda, vt Idumæos contunderet, non paruam militum erexit manum, sed & de idololatris Israelitis sibi conductum exercitum adiunxit. Hæc dum tractabat ille 2. Paral. 25. *Venit homo Dei ad illum, & ait: O rex, ne egrediatur tecũ exercitus Israel: non enim est Dominus cum Israel.* [*2. Paral. 25.*] Prohibetur Rex ne assumat in belli socios Israelitas, qui Deum infensum habebant. Sed Israelitæ etiam inter scelera sua pollebant viribus, quibus naturaliter possent validissimos hostes comprimere. Cur ergo non assumerentur in societatem à Rege, qui in bellũ ibat? Iosephus de Antiq. lib. 9. cap. 10. inquit: *Propheta dimittere Israelitas consuluit, esse enim hoc hominum genus impium, & cladem certam imminere, se oraculo monitum, si talibus Rex vtatur auxiliis.* [*Ioseph.*] Vix enim vnquam sine ingenti periculo, auxilij causa, te impiis adiungis: ex quorum consortio eas incurris clades, in quas tu solus nunquam deuenisses. Loth, Genes. 19. cogebatur ab Angelis exire de Sodoma; ait enim textus: *Cogebant eum Angeli, &c.* Et cur cogebant? Equidem moras agebat apud generos, vt eos ad salutem traheret, & moratus apud illos pene periclitabatur. Pulchrè D. Ambr. lib. 2. de Abraham, cap. 6. *Morabatur adhuc Loth, vt persuaderet & generis suis, & pene non est profectus, vt euaderet, nisi vrgentibus Angelis egredi coactus esset.* [*Ambr.*] Sic periclitabatur in parua mora, apud malos.

§. VIII.

Rara virtus, quòd duo etiam fratres conueniant in vnum, velintque æqualiter viuere.

NOn possum non mirari in agresti Esau magnæ, & insolitæ virtutis indicium, quòd sese offerat socium fratri, omnis prælationis, & primogenij iuris oblitus. Ait enim: *Gradiamur simul, eróque socius itineris tui.* Quis hanc æqualitatem, & concordiam vel inter fratres vidit? De Iobi filiis dicitur, cap. 1. *Et ibant filij eius, & faciebant conuiuium per domos, &c.* Catena Græca legit. *Conuenientes inter se filij eius ad inuicem faciebant conuiuium.* Expende illud, *conuenientes inter se,* non enim segniter dicitur, sed ad commendationem mirabilis, & insolitæ virtutis. Vnde Olympiod. in Cat. ait: *Summæ admirationis est, quòd de maribus dixit, Conuenientes inter se, id est, nullam ob rem de principe loco erat illis contentio, maximum verò quid vnusquisque arbitrabatur ad alterum properare.* [*Olymp.*] Et meritò vt rẽ summæ admirationis habet, quòd vel fratres sic inter se conueniant, vt nulla illos inquietet prælationis cura, sed seipsos, & socios, & æquales aspiciant. Et quando inuenietur hæc concordia, vel inter vterinos? Notissima est historia Esau, & Iacob adhuc existentium in vtero: vt ibi præliabantur, quærens alter alteri præire. Ægrè ferebat mater vteri sui pugnas, perrexit itaque, vt de illis, quæ essent, Deo consuleret. Quid tunc? Respondit Dominus, Gen. 25. *Duæ gentes sunt in vtero tuo, &c.* [*Gen. 25.*] Ecce tibi totam causam vterinæ pugnæ, nimirum duæ gentes sunt in vtero tuo, vbi enim duo sunt, licèt fratres sint, licèt fratres vterini, mirum, & inauditum erit, si non sint de prælatione rixæ. Pulcherrimè D. Amb. de Cain, & Abel, lib. 1. cap. 1. *Rebecca miratu quid illud esset, quòd discordiam quandam concepti cerneret fœtus, consuluit Deum, vt passionem proderet, medelam daret. Itaque precanti est responsum redditum: Duæ gentes in vtero tuo sunt, & duo populi de ventre tuo exibunt.* [*D. Amb.*] Hæc tota causa est rixæ, nihil aliud est, quòd requiras; dũ scias in vtero tuo vel duos esse; iam ibi scis necessarias futuras esse pugnas, & contentiones de loco primo. Qui dicit te in vtero habere duos, dicit & causas, & qualitates pugnarum penè ineuitabilium, quod summæ admirationis erit, nisi fratres se pro prælatione diuidant, & contundant. Scio Adamum expergefactum à somno cantatissimam illam sententiam ad Euam retulisse Genes. 2. *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* [*Gen. 2.*] Iam duo inuenies, qui non dissideant, qui vnanimes viuant. Sed meritò de his ait Paulus: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* Non equidem tantum vnitatis bonum inuenitur in naturæ lege, sed in Dei dispositione. Nisi recurras ad Dei gratiam, in tota natura non inuenies duos, qui firmiter conueniant in vnum. Ait D. Basil. Sel. orat. 4. *Postquam Adamus de puluere conformatus est, & terra ad hominis naturam detornata, postquam latus Euam edidit, & in vnum egit non natura lex, sed facultas iubente Deo accepta.* [*D. Basil.*] Expende illud, *& in vnum egit non naturæ lex, &c.* quippe superat naturæ deprauatæ vires, quòd duo conueniant vnanimiter: quòd sic duo fiant vnum; vt nunquam inter se discrepent, nec pro potiori loco pugnent.

Gen. 33. Transiuítque in Salem vrbem Sichimorum, quæ est in terra Chanaam, postquam reuersus est de Mesopotamia Syriæ, & habitauit iuxta oppidum. Emítque partem agri, in qua fixerat tabernacula, à filiis Hemor patris Sichem, centum agnis. Et erecto ibi altari, inuocauit super illud fortissimum Deum Israël.

§. IX.

Religionis sacra fortissima sunt propugnacula bonorum, siue agrestium, siue domesticorum.

VBi agrum emit Iacob, nihil prius ibi agit, quàm altare erigere, super quod dicitur inuocasse *fortissimum Deum Israel.* Et cur fortissimum, & non magis benignissimum, aut sapientissimum inuocat, nisi vt ostendat, ex adiunctis sacris quàm fortia propugnacula bonorum omnium exurgant?

Chrysost.

gant? Inde monebat Chrys. hom. 18. in Acta. *Nullus, qui habet villam, appareat carere Ecclesia. Si quid habes insumendum in pauperes, illuc insume, melius illuc, quàm ibi, educa magistrum, educa diaconum, & sacerdotalem ordinem. Ad pacem agricolarum hoc vide. Venerabilis erit, & presbyter postea, & ad securitatem agri conducet. Hoc fuerit in murum ac securitatem agri.* Sic carptim selegi, quæ sanctus vir sparserat multis interpositis: cuius ea mens est, vt circa prædia, circa feraces agros erigantur Ecclesiæ, & sacra fiant, quæ sint pro muris ad arcenda omnia mala, ad conseruandas fruges, quæ parturiuntur. Et quidem sapientissimé ait, *Hoc fuerit in murum, ac securitatem agri*, nihil enim fortius pro tutandis bonis poterit inueniri. Isaac benedicens filium Genes. 27. aiebat: *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni:*

Gen. 27.

qui odor à vestibus filij exhalabatur. Sed quæres, quæ essent illæ vestes, quæ in odore referebant agrum plenum, agrum nullo furtiuo vacuatum insultu? Vestes illas putat D. Hieronym. ex Hebræorum sententia fuisse Sacerdotales, quæ ante sacerdotium Aaronicum, erant primogenitorum propriæ. Et D. Ambros. lib. 5. de Iacob, cap. 2. putat saltem in illis fuisse typum sacerdotalis stolæ. Nec miror, quòd vestes, in quibus veræ religionis sacra repræsentabantur, agri pleni halarent odorem, sunt enim religionis sacra fortissima propugnacula agrestium bonorum. Ad hęc D. Chrysostom. vbi suprà: *Quanta res est, abire, & ingredi domum Dei, & videre, quòd ipse illam extruxeris, & quiescere in villa securum? Hoc est ager, de quo dicit, Odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Quamuis propter hoc bona sit villa, propter quietem, propter abundantiam otij, quòd si templum accesserit, quid illi comparabitur? Propugnaculum extrue contra diabolum. Hoc est enim Ecclesia. Illinc impetum faciant manus ad laborem, prius attendantur in precibus, & tunc abeant ad opus, vnde erit corporis robur, ita erit multa agricolatio, ita omnia mala erunt foris.* Ecce tibi, quid faciat templi religio, vt protegat bona cuncta, vt agros frugibus impleat, vt malum abigat, nec accedere cladem vllam permittat. Non sic altissimæ turres, non sic mœnia inexpugnabilia regna protegunt, & defendunt à malis incursibus, vt erecta templa in villis, in agris, in vrbibus cumulatissima seruant bona hominibus. Hinc de prudentissimo patrefamilias Matth. 21. dicitur: *Plantauit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, &c.* Pertinet ad vineam seps, & similiter torcular, at quid vineæ, & turri? D. Hieronym. Theophylactus, Euseb. Euth. in turri intelligunt templum; & meritò, vbi enim vinea fructifera proponenda erat, necessariò & addendum templum, vt cuius religio, & cultus sit causa vniuersalis prouentuum. Quò spectat illud Ierem. 30. Hæc dicit Dominus: *Ecce ego conuertam conuersionem tabernaculorum Iacob, & tectis eius miserebor, & ædificabitur ciuitas in excelso suo, & templum iuxta ordinem suum fundabitur. Et egredietur de eis laus, vóxque ludentium, & multiplicabo eos, & non minuentur, & glorificabo eos, & non attenuabuntur. Et erunt filij eius sicut à principio, & cœtus eius coram me permanebit, & visitabo aduersus omnes, qui tribulant eum.* Expende, quod principium ponat omnium bonorum sequentium, nimirum, *ædificabitur ciuitas, & templum iuxta ordinem suum*: de adiuncta enim templorum religione omnium bonorum fontes maximè augentur, imò redundant. Hinc D. Cyril. Alexand. lib. 2. de recta fide ad Reginas, extollit Eudociam, & Pulcheriam, fatus: *Etsi regium vestrum genus iam inde ab exordio longa temporum serie huc vsque est propagatum, & vlterius, vt credimus, propagabitur, non ob id Christi regnum capessere omittitis, partim quidem preclaris actionibus, inculpatáque fide præstantes, partim cùm vestras, tum Principum quoque vestrorum aulas virginitatis gloria condecorantes: partim denique sumptuosissima templa Christo Domino excitantes. Nam & hoc quoque pietatis studium inter cætera ille sanctus vestris animis impertitus est.* Ecce tibi Reginarum gloriam, & exaltationem inde extollit, & putat firmam, quòd templa creassent. Nec credo posse firmius inueniri regnorum fulcrum, quam vbi regio splendori adiungitur religio. Athalia, 4. Reg. 11. Dauidicum semen tollebat è medio. Quid tunc? *Tollens autem Iosaba filia Regis Ioram, soror Ochoziæ, Ioas filium Ochoziæ, furata est eum de medio filiorum Regis qui interficiebantur, & nutricem eius de triclinio; & abscondit eum à facie Athaliæ, vt non interficeretur: Erátque cum ea sex annis clam in domo Domini.* Et vnde potuit Iosaba sic Ioas abscondere, & seruare? Erat hæc vxor summi Sacerdotis, prouiderat enim Dominus, vt Sacerdotium iungeretur Regio sanguini, vt sic posset Dauidicum semen in regno firmari, & omnes discerent inde regna firmari, si adiunctam sibi religionem habeant. Theodoret. ibi quæst. 14. *Vt impia voluit omne genus Dauidis prius extendere. Sed qui omnia regit Deus, effecit, vt regia tribus admisceretur sacerdotali, & sacerdos duceret vxorem Iosabee filiam Ioram, vt conseruaretur scintilla regij seminis. Iam enim videns perimi genus regium, suffurata est, & occultauit fratris filium Ioas, &c.* Ecce tibi, vt regium semen conseruaretur, adiuncta fuit tribus sacerdotalis regiæ, vt videamus, vnde veniat regnorum confirmatio.

Chrysost. — *Matt. 21.* — *Ierem. 30.* — *Cyr. Alex.* — *4. Reg. 11.* — *Teoder.*

Genes. 34. Egressa autem Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius. Quam cùm vidisset Sichem filius Hemor Heuæi, Princeps terræ illius, adamauit eam: & rapuit: & dormiuit cum illa, vi opprimens virginem. Et conglutinata est anima eius cum ea, tristémque deliniuit blanditiis.

§. X.

Qui virtutibus pollent, non ex parentibus, sed ex se cognosci debent.

POnitur Dinæ mater, vt puellæ dignitas magis esset conspicua, quæ non ex ancillis, sed ea libera oriebatur; nec immeritò dicitur cuius sit filia virgo, quæ nullum præbebat specimen virtutis, vt saltem commendaretur ex parentibus, quæ ex se commendari non poterat. Qui enim virtutibus fulgent, non ex parentibus, sed ex se commendationem procurant. Actorum cap. 20. sic notantur comites Pauli. *Comitatus est autem eum Sosipater Pyrrhi Berœensis, Thessalonicensium verò Aristarchus, & Secundus, & Caius Derbeus, & Timotheus.* Singulorum patrias exprimit, solius Timothei non exprimit patriam. Et cur solus hic proponitur sine patria, nisi quia hic cæteris sanctior, per suas virtutes satis notus non egebat à patria commendari? Ait Oecumen. *Cæterorum quidem patrias, vnde orti erant, exprimit, notiores eos reddens, in Timotheo verò, solo nomine contentus est, quòd hic à suis moribus, & virtute sufficiens haberet cognitionis indicium.* Qui virtutum pauperes sunt, emendicent à parentibus, à patria claritatem, qua se hominibus possent insinuare; verùm qui virtutibus effulgent, solis suis nominibus sic sūt præclari, vt nullo egeant alio, vt cognoscantur. Quo mysterio quando in Scripturis diuinis regum, principúmque & illustrium virorum longæ soleant texi genealogiæ, vbi ad sanctissimi Iobi historiam acceditur, sic proponitur vir sanctus, quasi a nullo fuerit ortus. Quippe ais cap. 1. *Vir erat in terra Hus nomine Iob, & erat vir ille simplex, & rectus, &c. Erátque vir ille magnus inter Orientales.* Nihil de eius parentibus loquitur, nihil de genere, aut prosapia, sed totus in viri virtutibus scriptor occupatur. Cur non magis eius regiam stirpem refert? Cur non proponit in medio auos, atauos, parentes, reges, à quibus, & vitam accepit Iob, & regnum? Referebat viri clarissimas virtutes, quibus consideratis indignum duxit tantum virum à parentibus commendare: qui enim operum claritate fulgent, non ab alio commendationem emendicant. Ait Didymus in cat. *Dei filij à lucidis actionibus nuncupantur. Neque enim iustus ab hominibus, sed à splendore Solis iustitiæ splendescentem assequitur nobilitatem.* Non te parentum claritas prodat: sed cura homo, vt a Solis iustitiæ radiis prodaris, dum insignibus virtutum operibus clarescas. Ex quo maximè extollebat Paulus ad Hebr. 7. Melchisedechum, aiens: *Melchisedech Rex Salem Sacerdos Dei summi: : : primùm quidem qui interpretatur Rex iustitiæ: deinde autem & Rex Salem, quod est Rex pacis, sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem filio Dei.* Et meritò qui Dei filio præfert imaginem, sine patre, sine matre, sine genealogia proponitur, sufficiens enim præbet cognitionis indicium, qui in se virtutibus exprimit Dei imaginem, ne egeat ex parentibus commendari. Quam ex virtutibus trahis commendationem, te Deo facit similem, & charum: quam ex parentibus trahis virtutibus nudam, sæpe te reddit Deo infensum, & ingratum, Ierem. cap. 22. ait Dominus: *Viuo ego, quia si fuerit Iechonias filius Ioachim Regis Iuda annulus in manu dextera mea, inde euellam eum.* Iechonias filius dicitur Regis Iuda, & tamen à Deo asseritur repellendus. Cur, Domine, quem repellis nominas, eiúsque Regem profers patrem? Id facit Deus consultò, ne quis carens virtutibus, in parentum claritudine fiduciam habeat. Ait Theodoret. in præsenti. *Quoniam non imitantes pietatem maiorum, de cognatione illorum gloriabantur, afferentes in medium Abraham, Isaac, Iacob, Dauid, Ezechiam, Iosiam, viros insignes virtute, hac de causa Deus repellit arrogantiam.*

Act. 20. — *Oecum.* — *Didym.* — *Ad Heb. 7.* — *Ierem. 22.* — *Theodor.*

tiam Iechonia inquiens: Etiamsi annulus digiti fiat, & ponatur in dextera manu mea, inde euellam illum, & tradam hostibus. Odiosi Deo sunt semper, qui totam commendationem à parentibus trahunt, nullam à virtutibus; vt chari, & amabiles, qui sic virtutibus splendent, vt non egeant commendatione parentum.

§. XI.

Soli, qui in Christo renascuntur, paterna turpitudinis maculas effugere solent.

CONstuprandà à Sichimita Principe Dina, non otiosè tunc filia Liæ asseritur, quæ & stuprum passa fuerat, cùm parentis consilio sese Iacobo nondum marito constuprandam dedit. Equidem stupri materni labes filiam repetebat; vix enim paterna vitia fugit, nisi qui ad Christi regenerationem pertinet. Hæc intonat Psalm. 36. *Semen impiorum peribit.* Sed videmus ab impiis, & scelestis hominibus cumulatissimas filiorum parturiri segetes: imò vt ait Isaias, cap. 4. *Ex radice colubri egredietur regulus, & semen eius absorbens volucrem.*

Isai. 4.

Septuag. legunt: *Ex semine serpentum egredientur germina aspidum, & germina eorum egredientes serpentes pennati.* Vbi expositores sacri putant innui fœcunditatem impiorum in prole sceleratiore, & nocentiore. Vnde ergo verificatur illud Dauidis assertum, quòd semẽ impiorum peribit? Pulchrè D. Ambros. ibi respondit: *Semen vtique non corporalis generationis, sed mentis interna, & impietatis successionem exterminat. Ergo hoc quæritur, ne malitia transfundatur in posteros. Hoc per Baptismatis Sacramentum Christus operatur, vt exuat vnusquisque quod natus est, induat, quod renatus.*

D. Amb.

Itaque in sola ferè regeneratione, quæ per Christi Baptisma fit, sic pietatis semina extinguuntur, vt quæ fuerunt parentum vitia, non transeant ad filios. Dedit nobis hoc vnus Christus, in sui fonte Baptismatis, vt qui de fontis vtero renascimur, in nullo auitas, nec paternas impietates referamus. Quò spectans Diuus Zeno, serm. 4. ad Neophytos post Baptisma, inquit, *Salutate hodie nati fratres in Christo: securi gaudete, nihil seculo iam debetis. Ecce nullum pondus, stridor nullus est mundanarum vestris in ceruicibus catenarum. Non vos vllus terror exagitat, non vllæ sordes offuscant; vetus enim homo vester feliciter condemnatus est, vt absolueretur: sacro gurgitis vnda sepultus, vt sepulchri vido viuificatus resurrectionis iura gustaret. O magna prouidentia Dei nostri! O bona matris charitas diuersos genere, ætate, conditione suscipiens necat odio criminum vt nouerca, præseruat vt mater, necatosque nõ ante viuificat, quàm omne virus vetustatis extinguat.*

D. Zeno.

Quid pulchrius? Per humanam natiuitatem trahimur longis auitæ impietatis restibus in peccata similia, sic afficimur pondere infectæ naturæ, vt debeamur sæcularibus parentum veterum vitiis. Quid tunc? Parauit nobis Christus fontis vterũ, in quo quidquid paternæ infectionis erat, manet sepultum, & nos fœliciori natiuitate nouam in operibus virtutum repræsentamus naturã. Sic nascimur renouati in Christo, quasi à nullis sæcularibus parentibus venerimus. Vt sapienter dicat D. Leo serm. 5. de Natiuit. Christi: *Factus est homo nostri generis, vt nos diuinæ naturæ possimus esse consortes. Originem, quam sumpsit in vtero Virginis, posuit in fonte Baptismatis. Dedit aqua, quod dedit matri.*

D. Leo.

Planè in vtero virgineo eam sumpsit Dominus originem, quæ nullo modo saperet patrem terrenum, nullã obligationem peccandi haberet, nihilque vetusti fermenti in se exhiberet. Dedit enim matri, quòd pareret filium, qui esset sanctus, & vocaretur, & esset verè filius Dei. Omnia hæc dedit & fonti, in quo terrenis parentibus valedicimus, & renascimur inde sancti immaculati, filij Dei, nullis carnalium parentum vitiis præpediti, aut detenti. Hinc Apoc. 4. Seniores illi, coram Agno procumbentes, aiunt: *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorẽ, & virtutẽ, quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.*

Apoc. 4.

Dicitur Agnus diuinus omnia creasse, omnia, inquam, quæ erant: ergo siquidem iam erant omnia, cur postquam erant, dicitur Agnus illa creasse? Duæ sunt in nobis noscendæ creationes, duæ natiuitates, altera naturæ debetur, altera Christi gratiæ regenerantis nos per lauacrum. In illa, quidquid impuritatis auitæ est, contrahimus, & premimur sub peccatis: in hac, abrasa vetustate, ad bona opera regeneramur. Ait Rupert. lib. 3. in Apocal. *Non superfluè creationis verbum repetiuit, sed duas creaturæ rationales intelligi voluit: quarum posterior quidem, sed vtilior ista est, qua sumus in Christo per Spiritum sanctum recreati. De hac dixit Apostolus: Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis.*

Rupert.

Fœlices, quibus datum est in Christo renasci, ex qua natiuitate habent, non trahi in carnalium parentum maculas, sed virtutum operibus operam nauare.

§. XII.

Mundiales Principes, & potentes viri certiùs apparent in fœminarum choris, quàm in armatorum ludis.

EGressa est Dina, non vt palæstras videret, non vt gymnasia prospiceret, sed ab iis declinans, ad solas mulieres contendit, vt eas videat. Quippe ait textus: *Egressa autem Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius. Quam cùm vidisset Sichem filius Hemor Heuæi, princeps terræ illius, &c.* Dum mulieres adit, principem iuuenem à quo ametur, inuenit: crede mihi, mundiales principes, & potentes viri certiùs inueniuntur in fœminarum conuentibus, quàm in gymnasiis, quàm in palæstris, quàm in circis. Quò spectat Psal. 67. *Congregatio taurorum in vaccis populorum.* Græcus legit: *Congregatio fortium:* Symmachus autem: *Congregatio prægrandium.*

Psal. 67.
Simac. s.

Si quis enim scire velit, vbi inueniat grandiores viros Reipublicæ, vbi congregentur viri principes, non gymnasia quærat, non palæstras, non circos, sed fœminarum adeat curricula. Planè inueniet ibi: congregatio namque prægrandium principum in vaccis populorum, in turbis fœmineis. Bellicosissimus erat Dauid, dum pro regno obtinendo dimicat, quàm frequens media in acie videbatur, quàm assiduus in discrimine. Vbi regnum obtinuit, vbi Ierosolymitanam curiam constituit, vbi Regiam habuit pacificam, vbi inuenitur? Accipite ex 2. Reg. 11. *Factum est autem vertente anno, eo tempore quo solent Reges ad bella procedere, misit Dauid Ioab, & seruos suos cum eo, & vniuersum Israel, & vastauerunt filios Ammon, & obsederunt Rabba: Dauid autem remansit in Ierusalem. Dum hæc agerentur, accidit, vt surgeret Dauid de stratu suo post meridiem, & deambularet in solario domus regiæ: viditque mulierem se lauantem ex aduerso super solarium suum, erat autem mulier pulchra valde. Misit ergo Rex, & requisiuit, &c.*

2. Reg. 11.

Excidunt Theodoreti verba ponderantis locum, in quo aduersarius retia tetendit, vt certiùs caperet Dauidem, nimirum in balneo vicinæ domus. In balneo vicinæ domus tendit Diabolus retia Dauidi capiendo, & præcipuè tempore, quando exire Reges ad bella solent. Quid stultius? Sanè tunc tempus erat, quo Rex in bellum solebat proficisci, regius exercitus in aduersarios properabat, signa Dauidis inter Ammonitas victricia conspiciebantur. Cur non magis inter cadentes hostes Regi victori tendis retia? Cur non magis inter rupturas mœnium hostilium? Cur mauis eligere balnea, in quibus fœmina lauatur? Proh astutissimus Satan! sapienter sanè agis, vt Regem teneas, non in stadio, non in acie armatorum, sed in fœminæ balneo retia paras; potest enim fieri, quòd princeps à bello absit, non intersit præliis, nec sentiatur, vbi sonant arma, sed vbi fœminæ pulchræ conueniunt, vix fieri potest, quòd ibi princeps nõ cernatur. Accedit huc Ninus Rex Syriæ, qui, teste Dione, orat. 4. *Cum concubinis domi viuens, exercitum, & bellum, & forum nunquam vidit.*

Dione.

Item de Sardanapalo Iustin. lib. 1. *Quem Arabastus inuenit inter scortorum greges, purpuram colentem.* Et Ouidius de Hercule.

Iustin.

Vidit, & Herculeo suspensa monilia collo,
Illo, cui cœlum sarcina parua fuit.
Mæonias inter, calathos tenuisse, puellas
Diceris, &c.

Similiter Domitianus dicitur à Suetonio inter meretricum greges natasse. Nequeunt, mihi crede, mundiales principes vel ad horam sine fœminarum deliciis adiuuere; vbi fœminæ sunt, ibi oculi, & cura, & studium principum. Pharao ille Ægyptius eò tyrannidis peruenit, vt velit à mundo eliminare populum Israeliticum, at inter atrocissimum hoc consilium aduersus viros, non potuit cura regalis non adesse fœminis. Sic enim cauet Exod. 1. *Quidquid masculini generis natum fuerit, in flumen proiicite: quidquid fœminini, reseruate.*

Exod. 1.

Ad quid reseruarentur fœminæ populi adeò exosi? Pulchrè Lippomanus in cat. *Filios abiicere iubentur, & filias reseruare ad libidinem impiissimorum.*

Lippom.

Metuebat regalissimus princeps sine fœminis inueniri, metuebat libidini suæ, si vel vna fœmina in populo deficeret, etiam deficientibus omnibus viris. Quò respiciens Nahum cap. 3., sic exprobrat Niniuem: *Ecce populus tuus, mulieres in medio tui.* Et quæ mulieres in medio eius? Delrius noster putat censeri ibi principes ciuitatis, qui extinctis in bello viris fortibus, manebant in nidis suis, in lectis suis cum mulierum gregibus, facti mulieres ipsi,

Nahum 3.

horrentes videre exercitus hostiles. Quid ad principes mollos, quod irrumpantur muri, dum maneāt fœminarum strata, in quibus ipsi aduiuant? Fallar, nisi plures inueniantur principes in mediis vrbibus ad muliercularum scalas, quam in regni confinio ad scalas hostilis muri. Pro re inusitata clamabat illa, Cant. 3. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.* Sanè clamat, & inuitat ad videndam rem nouam; nimisum quod septuaginta viri fortes, viri principes, & nobiles armati stent pro regio lectulo tuendo. Videre enim licet aliquando, quòd selecti principes, & illustres viri, bellis assueti, pro regis sui lectulo, & pace vigilent, & hostes arceant, & mirificè pugnent. Hoc faciunt aliqui selectissimi principes, qui forsan non excedunt numerum septuaginta. At qui non pro Rege in imperij confinibus, sed in mediis vrbibus pro amasiarum lectulis armati vigilent, & fœminarum certamina artipiant, ij omnem excedunt numerum.

Cant. 3.

§. XIII.

Diabolus vbi fœmineum animum inuenit, nihil amplius requirit ad euomendum omne suum virus.

ECce egreditur Dina, ecce videtur à Sichem, qui, ad eius conspectum, omnem suam euomit malitiam; ait enim textus: *Quam cùm vidisset Sichem filius Hemor Heuæi, princeps terræ illius, adamauit eam, & rapuit, & dormiuit cum ea, vi opprimens virginem.* Quid hæc? Sichem est diabolus Beato Gregorio Papæ 3. Pastor. cap. 30. qui vbi fœmineum inuenit animum, iam putat se habere, vnde malignitatis, & corruptionis suæ consilium adimpleat. Hinc Pharao Exod. 1. ad Hebræorum obstetrices, ait: *Quando obstetricabitis Hebræas, & partus tempus aduenerit, si masculus fuerit, interficite eum, si fœmina, reseruate.* Cur non æqualiter desæuit in fœminas? Cur mauult populi adeò exosi fœminas reseruari? In Pharaone intellige diabolum, qui, vt viriles animos expauet, sic fœmineas mentes nihil curat, imò in illis putat habere ad perficiendum consilium suæ malignitatis. Pulchrè D. Cyril. Alexand. lib. 4. de Adorat. fatur: *Præcepit Pharao omni populo dicens, omne masculum proiicite in flumen, omnem fœminam viuificate, nec enim de fœminarum genere illi cura erat vlla: imbellis est namque sexus muliebris, neque ad prudentiam accommodatus: in vtroque autem virilis molestus est, vt qui tum sapiens sit, tum etiam ad bellā aptissimus. Iucundissimus est igitur, atque gratissimus tetro illi draconi, Satanæ, inquam, muliebris ille animi sensus, effœminatus, & imbellis, ad sapientiam quoque parum aptus. inimica porrò, & inuisa illa ad fortitudinem alacritas, & animi vis languore, metúque superior, mens item summa prudentia prædita: propterea muliebrem sexum viuum seruat, & in eo solo deponit cruentam illam determinationem, atque consilium.* Expende ab illis: *in illo solo, &c.* Quippe in solo fœmineo animo inuento ponit diabolus totius nefarissimi sui consilij adimplerionem. Et quid non audeat diabolus, vbi animum effœminatum inuenerit? Amos cap. 6. iuxta lect. Septuag. ait: *Si persequentur in petris equi, si reticebunt ad fœminas?* Qua phrasi, aut similitudine, pulchrè ostendit, quam inualidi sint diaboli aduersus fortes, & viriles animos, quàm audaces ad fœmineas mentes. Vide equum in petrosis currentem, quàm inualidus est, vix gradum facit: vide eundem vbi odoratur fœminam, vix vllo coercetur fræno. Sic diaboli ad fortes, & viriles animos, sic ad fœmineas mentes, ad illos infirmi, ad has insolentes. Ait D. Hieronym. ibi: *Haud dubium, quia equas significet contrarias fortitudines, quæ insaniunt ad fœminam, quando virilem viderint animum, & Dei fortitudine roboratum; non audent accedere Quando verò effœminatam mentem, & vnguentis, & delitiis eneruatam, & in muliebrem versam mollitiem, statim insaniunt, & se tenere non possunt, & gestiunt ad libidinem.* Sic qui ad viriles animos infirmi sunt dæmones, audacissimi & validissimi sunt ad fœmineas mentes, vt ibi omne suum virus euomant, & ingentes vitiorum pyras accendant.

Greg. PP.

Exod. 1.

Cyr. Alex.

Amos 6.

D. Hier.

§. XIV.

Perditissimi, & deploratissimi Principes, qui eò luxuriæ perueniunt, vt non erubescant accedere ad fœminas multis aliis prostitutas.

DE Sichimita Principe ait textus, quòd videns Dinam, *adamauit eam, & rapuit, & dormiuit cum illa, vi opprimens virginem.* In quibus non immeritò dubitat D. August. cur tam serò textus vocet Dinam virginem, postquam enim dicitur Sichem illam rapuisse, imò cum illa dormiuisse, adhuc addit textus, *vi opprimens virginem.* Quippe ait Aug. *Si iam cum illa dormierat, eámque humiliarat, quomodo posteà virginem vocat, dicendo, vi opprimens virginem?* Non cessat vocare virginem, etiam quando corrupta est, vt Principis corruptoris crimen, lasciuiámque aliquo modo excuset, qui sic tenebat puellam, quasi virginem, quasi inaccessam vlli, in quo passim cæteros Principes mordet, qui feruntur ad fœminas, & prostitutas multitudini, & subactas ab omnibus. Non Sichimita princeps deploratæ turpitudinis fuit, qui in luxuriæ feruore amabat in puella pudicitiam, amabat & nulli concessum pudorem. Illi deplorati Principes, & nati ad exitiū regnorum, qui eò trahuntur à luxuria, vt depereant reliquias aliorum, & fastidiant bibere, nisi de communibus multitudini fontibus. Hos minabatur Dominus populo suo dicens Isaiæ cap. 3. *Et dabo pueros Principes eorum. Et effœminati dominabuntur eis. Et irruet populus, &c.* Loco illius verbi, *effœminati*, posuit Aquila, *Enallactim*, quod nomen Græcis sonat eos viros adeò turpes, qui nesciant nisi gregatim in fœminam ruere, expectans quisque vicem suam, vt post alios decumbat. Sic D. Hieron. ibi: *Aquila posuit Enallactim, qui se mutent, & turpitudinis exerceant vices. Quales in Iudicum libris super concubina Leuitæ in Gabaa legimus.* Nota est historia ex cap. 19. Iudicum; vbi viri plurimi ex ciuitate Gabaa, æstuantes libidine, gregatim irruerunt in vxorem Leuitæ, cui alij post alios, expectantes singuli vices suas tota nocte illuserunt. Quid turpius? Quid magis ad exitium vrbis? His ergo similes principes Deus iratus permittit populo suo, aiens. *Enallactim dominabūtur tui.* Hoc est, principatum tenebūt homines sic turpitudinis cœno immersi, vt ad gregales fœminas ruant, & eas depereant, in quibus habendis necessum sit aliis locum præbere, & expectare vices suas. Væ ciuitati, væ regno, cuius Principes sic desipiunt in luxuria! Huiusmodi erant Iudices illi, qui Daniel. 13. in Susannam exardescebant. De quibus ait textus: *In communi statuerunt tempus, quando eam possent inuenire solam.* Vbi Carthusianus ait: *In commune statuerunt, vt non tantùm adulteram, sed & communem facerent.* Parua videretur, & visitata illorum luxuries, si solùm vellent Susannam adulteram esse: sed eò tendebant ampliùs, vt illam communem facerent. Sic enim clamabant ex condicto ambo: *Commiscere nobiscum*, paratus quisque expectare alterum, & in alterius cœno volutari. Vtinam in illis hæc turpitudo maneret, sed multi nobiles æmulati eos, sic vsque in hunc diem insaniunt. Fugientes forsitan zelotypiæ cruciatus, qui frequentes sunt in amoribus, ad libidinum mancipia confugiunt, & ex comicis, theatralibúsque ludis fœminas quærunt, vbique locorum cantatissimas, quæ vt voces, & gestus, sic & pudorem vbique habent venalem. Ex his, quæ notior, & celebrior est, ea à Principibus amatur, turpissimè expectantibus, vt ad se perueniat, quæ oppidatim currit prostituta aliis, & aliis. Ab hac macula liberat D. Ambr. Valentinianum Imperatorem in orat. funebri, inquiens, *Scenica cuiusdam forma, ac decore deperire Romæ adolescentes nobiles nuntiabatur iussit Valentinianus eam ad comitatum venire. Datum est obtrectandi aliquibus locus: deductam tamen nunquam, aut spectauit, aut vidit. Posteà redire præcepit, vt adolescentes doceret ab amore mulieris temperare, quam ipse, qui potuit habere in potestate, despexit. Et hæc fecit, cùm adhuc non haberet vxorem.* Sic ibi.

Aug.

Isai. 3.

D. Hier.

Dan. 13.

Ambr.

§. XV.

Luxuriæ affectus sic humanis visceribus adhærescit, vt ægrè, & difficulter tollatur.

NOn otiosè dicit, *& agglutinata est anima eius cum illa*, sed vt ostendat lasciui affectus proprietatem, qui est in mētibus humanis, quod in corporibus gluten efficacissimum. Vt enim gluten facit corpora mutuò adhærescere sibi, ne facilè, sed difficulter separentur: sic lasciniæ affectus, qui mentem inficit, ægrè & difficulter propter summam adhærentiam, euellitur inde. Id quod docebat Angelicus Doctor D. Thom. 1. 2. q. 75. art. 5. inquiens: *Luxuria est maximæ adhærentiæ, & difficilè ab ea potest homo eripi: insatiabilis est enim delectabilis appetitus.* Nullum equidem gluten, nullum bitumen sic adhærescit mentibus humanis: ipsa gluten est efficacissimum, & maximæ adhærentiæ, quod ægrè, & difficulter abraditur. Quod in lasciuorū supplicio voluit Deus demonstrare, dum Sodomiticam regionem absumit flammis. Ait enim Sap. c. 10. *Iustum à pereuntibus impiis liberauit fugientem, descendente igne in Pentapolim, cuius in testimonium nequitiæ fumigabunda constat*

D. Thom.

Sap. 10.

deserta

deserta terra,&c. Itaque quod hodie illi regioni accidit, hoc est indicium euidens nequissimæ lasciuiæ antiquorũ incolarum. Et quid accidit terræ? Quæ paradisus erat, iam putris lacus est, in quo solùm gignitur genus bituminis, omnium efficacissimi ad trabes conglutinandas. Author est Iosephus lib. 5. de Bello Iud. cap. 5. *Ioseph.* Author est Tertullian. in Carm. de Sodom. fatus.

Selum ibi propria mentitur fuga bitumen,
Exustis fuligo maris, quod viuidus ardor
Subter stagna coquens, de sulphuris, & salis æstu
Temperat, inque picem dat terra hærere marinam.

Et meritò testimonium euidens nequissimæ lasciuiæ bitumen mansit, vt testaretur affectum summè adhærescentem animis humanis, qui vel in ipsa morte, & disruptione humani compositi, adhuc ægrè, & difficulter euellatur. Quam luxuriæ adhærentiam maluit Iob exprimere per fortissimas restes, quibus homines trahuntur in æterna supplicia. Ait enim de luxuriante impio, c. 15. *Iob 15.* *Operuit faciem eius crassitudo: & de lateribus eius à ruina dependet.* Aug. in Annotationibus legit: *Et fecit capistrum super femora.* Capistra mulorum ori adhibentur, vt trahantur, quò homines velint; at nequam spiritus, quot libidinis instrumenta videt, tot capistra, tot testes putat, quibus alligare possit, & trahere homines in extremam ruinam. August. enim ait ibi: *Idem.* *Fecit capistrum super femora, vt libidinibus suis colligaretur, quo vinculo duceretur ad mortem.* Non eget diabolus arctiori vinculo, vt hominem trahat, quàm si in eo excitet flammas libidinis, quibus teneri incipiat. Deus bone, qui libidinem nutrit, quantum bitumen habet, quo perditionis potius adhærescat penè insolubiliter? Quanta vincula profert, quibus à diabolo rapietur, & trahatur in ruinam? Meritò D. Petrus 2. epist. c. 2. *2. Pet. 2.* lasciuientium oculos vocat *plenos adulterii, & incessabilis delicti.* Is est enim lasciuus, qui nesciat à delicto cessare, nec se expedire à laqueis. Nec si malè habeatur, nec si multis feriatur, à delicto cessabit, qui lasciuiæ cœpit operam dare. Hinc Deut. 23. *Deut. 23.* ait Deus: *Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini.* Quæ verba meditatus D. Hieron. in c. 66. Isaiæ, non otiosè putat cum meretricio animo canem coniungi, sed vt res valde similes. Et quid cum meretriciis affectibus canis? D. Gregentius in disp. cum Herbano Iudæo, *D. Gregent.* non parum post medium ait: *Mos est semper canibus, vt verberibus cæsi domo abigantur, sed impudentia freti, & verberationis obliti rursus domum introeant, ac denuo feriantur, & expellantur.* In hoc lasciui homines verè sunt canes, quia nec verberibus abigi possunt à semel accepta consuetudine voluptatis. Ait D. Petrus 2. epist. 2. *2. Pet. 2.* *Iustum Loth oppressum à nefandorum iniuria, ac luxuriosa conuersatione eripuit. Aspectu enim, & auditu iustus erat; habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant.* Vbi audio quòd iustus homo apud lasciuos degat, quòd eorum operibus vehementer cruciaretur: sed non audio, quòd vllum illis faceret vnquam virtutis verbum. An aliquando ruentes ad lasciuiam non corripuit? An potuit ferre lasciuiendi licentiam, quin aliquod reprehensionis verbum proferret? Inutilis videbatur sola reprehensio, vt possit cohibere in lasciuiam ruentes. Ait enim de illis Philo lib. de Abraham: *Philo.* *Nec quicquam proficiebat reprehensio, violentia concupiscentiæ coactis cadere.* Equidem ea est lasciuiæ effrænis licentia, vt sibi cædere cogat omnia remedia, vix patiatur vllo medicamine teneri.

§. XVI.

Muliebris conditio est postponere legum sanctitatem turpi lucello.

VBi noster legit: *Tristem deliniuit blanditiis.* Hebraicè legitur: *Locutus est ad cor puellæ.* Septuag. habent: *Locutus est secundum sensum virginis.* Sed scire cupis, quæ fuerint ista Principis verba & cordi, & sensui puellæ respondentia? Fuerunt equidem verba, qualia solent esse verba amatoris hominis, ingentia munera promittentia, imò & exhibentia. Hæc profecto adeò sunt cordi omnibus fœminis, vt inde censeatur mulier, si propter lucellum legum sanctitatem contemnat. Nec otiosè 2. Reg. 13. *2. Reg. 13.* vbi Thamar filia Dauidis corrupta lugetur, eius corruptor dicitur fuisse Ammon; etenim Ammon idem est, ac donans, vt notarunt Rabanus, *Rabanus.* & Angelomus in Glossa; vt ibi innueretur, quàm naturale est mulieribus corrumpi donis. Hinc Isaias cap. 3. *Isaias 3.* *Populum meum exactores sui spoliauerunt, & mulieres dominatæ sunt eis.* Et quidem mulieres nunquam principatum tenuerunt apud Israelitas: qui ergo principes populi fuerunt, qui meruerunt inter mulieres haberi? Vel quid egerunt Principes illi, ob quod dicantur mulieres? Non nemo putat vocari Principes illos mulieres, qui ad munera, & lucra capienda currebant. Ex eo enim quòd regij exactores populum spoliabant, rectè concludit, Principes esse mulieres, quando hæc est notissima conditio mulierum, quòd lucris capiendis delectentur. Insuper addunt aliqui, mulieres in præsenti vocari Principes & Pharisæos Christi Domini tempore existentes, qui vt lucra ex muneribus popularibus orta firmarent sibi, ipsum Deum morti tradiderunt. Quid magis muliebre, quàm omnem iustitiam, religionémque ob lucra contemnere? Sic ad hæc Isaiæ verba D. Hieron. ait. *Hieron.* *Loquitur sermo propheticus contra Scribas & Pharisæos, qui turpis lucri gratia, & vt acciperent decimas, & primitias Dei filium negauerunt.* Et quid non neget fœmineus animus, vbi incipiat lucrum apparere? Sanè auarissimum est muliebre ingenium, vt meritò mulier ex lucrorum affectu possit, & debeat censeri. Eam aptissimo agnomine vocabat Sapiens Ecclesiastici cap. 9. *Eccles. 9.* *Ne respicias mulierem multiuolam.* multiuola equidem est mulier, quæ multa vult, multa cupit, nec donis satiatur vllis. Vt dicat Chrysost. hom. 86. in Ioann. *Chrysost.* *Muliebre genus temerarium est, & inferno eius similatur cupiditas, tunc cessat, cum omnibus rebus amantem spoliauit: imò nec tunc quidem.* Nihil mihi crede muliebrius est, quàm munera appetere sine fine: & vt in inferno nullus est, qui honestatis, virtutísque meminerit, sed solùm alios, & alios recipere festinat. Sic mulier, pro accipiendis lucris, omnis pietatis, omnis virtutis obliuiscitur. Hinc Zachar. 5. *Zach. 5.* dum iubetur aspicere, quid egrederetur, ait: *Hæc est amphora egrediens. Et dixit, Hæc est oculus eorũ in vniuersa terra.* Quæ visio eò tendebat, vt auarissimos quosque significaret, qui meritò per amphoram exprimuntur, quorum os semper patens est, vt aliquid recipiat, quod notabat D. Gregor. lib. 15. Moral. cap. 26. *Gregor.* Sed illud notandum, quod addit Zacharias, nimirum: *Et ecce mulier vna sedẽs in medio amphoræ.* imò rursus pergit: *& proiecit eam in medio amphoræ.* Quando enim amphora egrediebatur in auarorum symbolum, in medio eius mulier ostenditur inclusa, vt euidenter monstrentur prorsus fœminea esse auarorum viscera, quę nihil æstimant, nisi quod accipiant. Eò namque tendunt omnia muliebria studia. Vt dicat D. Amb. lib. de Nabuthe. cap. 5. *D. Ambr.* *Mulier magis hortabitur, vt mundum muliebrem conferas, vnde potes vel paruo tempore pauperem liberare. Delectantur, & compedibus mulieres, dummodo auro ligentur. Non putant onera esse, si pretiosa sunt: non putant vincula esse, si thesauri coruscant. Delectãt & vulnera, vt aurum auribus inferatur, & margarita dependeant. Sudatur in gemmis, algetur in sericis, & quod natura auersatur, commendat auaritia.* Sic ad habendum tendunt fœminea viscera. Sic etiam vt Principum Ierosolymorum insatiabilem notet auaritiam, ait Amos, cap. 4. *Amos 4.* *Audite verbum hoc vaccæ pingues quæ estis in monte Samariæ: quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes: quæ dicitis dominis vestris, afferte, & bibemus.* Vt benè notat D. Hieron. *D. Hier.* loquitur ad Principes Israel, qui deliciis, & rapinis vacabant. Et meritò illos non masculo, sed fœmineo ornat vocabulo, vt eorum inexplebilem habendi ostenderet cupiditatem. Vnde Egesipp. lib. 5. de Excid. Ierosol. c. 24. ait: *Egesipp.* *Infecit Syrorum auaritia etiam exercitum Romanum. Nihil enim facilius in alterum transit, quàm amor pecuniæ, & desiderium habendi, præsertim finitimas opes, quibus vicinus abundarat. Nec est vlla passio, quæ magis virtutem animi effœminet, quàm cupiditas diuitiarum.* Sic ibi. Huc trahe dicta suprà, c. 3. part. 2. §. 18.

Genes. 34. Et pergens ad Hemor patrem suum: Accipe, inquit, mihi puellam hanc coniugem. Quòd cùm audisset Iacob, absentibus filiis, & in pastu pecoris occupatis, siluit, donec redirent.

§. XVII.

Viri principes suæ dignitatis esse putant, quòd impunè lasciuiant.

ET raptor, & constuprator virginis non veretur in publicum prodere, & de perpetrato facinore agere coram parente suo, Rege terræ illius. Ait enim textus: *Pergens ad Hemor patrem suum, &c.* Cur non magis parenti celat facinus? Cur non magis rem abscondere à patris, & Regis conscientia curat? Cur non timet raptoris, & stupratoris pœnã? Deus bone, Principes viri non sibi cauent à pœnis lasciuiæ; imò sic lasciuiũt, vt putent dignitatis suæ esse, quòd impunè lasciuiant.

lasciuiant. Clarissimum rei testimonium habeo, 2. Reg. 3. vbi Abner princeps militiæ Israel ingressus est ad concubinam Saulis regis defuncti, quod indignè ferens Saulis filius Isboseth, Abnerem paulò acerbè corripuit. Quid tuoc? *Abner iratus nimis propter verba Isboseth, ait, Nunquid caput canis ego sum aduersus Iudam hodie, qui fecerim misericordiam super domū Saul patris tui, & super fratres & proximos eius, & non tradidi te in manus David, & tu requisisti in me, quod argueres pro muliere hodie?* Expende quæso, quid pro se affert, vt non debeat pro muliere compressa argui, nimirum ait, *Nunquid caput canis ego sum, &c.* hoc est, non sum vilis homuncio, & numerus in Israel, sed sum princeps exercitus, qui nullo modo debet argui pro muliere. Homunciones vapulant pro lasciuiæ crimine, atqui non homuncio, sed designatus princeps, nec per ludum argui debet, quòd lasciuiat; non enim reprehensio de tali crimine decet dignitatis, & principatus infulas. Similiter 2. Reg. 3. Ammon filius David constuprauit Thamarem sororem suam, quod facinus audiens David, nullam reprehensionem adhibuit. Ait enim textus: *Cùm autem audisset Rex David verba hæc, contristatus est valde, & noluit contristare spiritum Ammon filij sui.* Expende, quòd ille Rex, qui propter fratricidium non dubitauit persequi filium Absalonem, propter adeò incestuosum stuprum, nec vllum verbum acerbum loquitur filio. Et cur qui multus erat in vindicando homicidio, sic dissimulat nefarissimum stuprum? Erat equidem stuprator ille primogenitus Regis filius, erat princeps in regno, principum autem dignitas hoc videtur sibi arrogasse, quòd possint impunè lasciuire. Aiebat aliò datus Theodor. quæst. 29. *David Ammoni ne exprobrauit quidem, quòd cum sorore habuisset consuetudinem, etiamsi factum illud eum magno dolore affecerat. Absalonem autem, qui propter hoc ipsum, eum interfecerat, & expulit, & fugitiuum reddidit. Nam ille quidē erat primogenitus, etsi laborabat morbo libidinis.* Quasi multum derogaretur dignitati regali, nobilitatis infulis, si principi viro exprobraretur crimen libidinis. Vbi enim quis princeps est, ad suam dignitatem æstimat pertinere, quòd sine reprehensionis metu lasciuiat. Quàm aptè ad hæc Saluianus lib. de Prouid. cap. 4. potentum præsumptionem in lasciuia deplorat. Ait enim, *Fortè iniqui sumus, hoc quod diuites faciunt, ad peccatum referendo: quia illi cùm occidunt seruos suos, ius putant esse, non crimen. Et eodem priuilegio, etiam in exercenda impudicitia cœno abutuntur. Quotus enim quisque est diuitum conaubij sacramenta obseruans, quem non libidinis furor rapiat in præceps? Cui non domus, ac familia sua scortum sit?* Multus adhuc est sapientissimus vir, in exaggerandis libidinibus, & luxuriis, sub quibus viuunt potentes viri. quasi id potestatis, & dignitatis priuilegium sit. Id quod etiam deplorans, ait Petrus Damian. lib. 1. epist. 6. *Porrò nos, contra diuina mandata personarum acceptatores, in minoribus quidem Sacerdotibus luxuriæ inquinamenta persequimur: in Episcopis autem, quod nimis absurdum est, per silentij tolerantiam veneramur.* Expende illud, *veneramur*; eò enim peruenit potentium lasciuia, vt velit esse venerationi hominibus.

1. Reg. 3. — Theodor. — Saluian. — Damian.

Genes. 34. Egresso autem Hemor patre Sichem, vt loqueretur ad Iacob: ecce filij eius veniebant de agro: auditóque quod acciderat, irati sunt valde, eò quòd fœdam rem operatus esset in Israël, & violata filia Iacob, rem illicitam perpetrasset. Locutus est itaque Hemor ad eos: Sichem filij mei adhæsit anima filiæ vestræ: date eam illi vxorem. Et iungamus vicissim connubia: filias vestras tradite nobis, & filias nostras accipite. Et habitate nobiscum: terra in potestate vestra est, exercete, negotiamini, & possidete eam.

§. XVIII.

Rex non est, nec Princeps, qui lasciuientium affectus nutrit. Ille verus Princeps, qui vel in coniunctioribus castigat luxuriam.

Nil magis commune scriptoribus, & diuinis, & profanis, quàm vbi Principes, aut Reges introducuntur, eos non proprio nomine, sed nomine dignitatis in medium constituere. Hinc illud commune; *Dixit Rex, locutus est Princeps, &c.* Sed modò cum Hemor Princeps, Réxque fuerit Sichimitarum, nunquam à sacro scriptore sub nomine Regis, nec Principis introducitur, sed semper sub nomine proprio ipsius. Non dicitur venisse, aut locutus fuisse Rex, nec Princeps, sed solùm dicitur Hemor venisse, & Hemor locutus. Cur non magis dignitas eius regia attenditur? Crediderim regiam dignitatem à sacro scriptore, in Hemor dissimulatam, eò quòd videret illum patrocinari, & suffragari filij lasciuiæ, quàm vt foueat, & nutriat, domo egreditur, & adit tabernaculum hominis peregrini. Hoc regium est? Absit, mihi credite, Rex nō est apud Deum, nec Princeps, qui fouet & nutrit in regno suo affectus lasciuos. Deut. cap. 17. de eligendo Rege agens lex, sic cauebat: *Non poteris alterius gētis hominē Regem facere, qui non sit frater tuus. Cúmque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos.* Ecce tibi Regi à Deo electo, & constituto eripiuntur in primis equorum apparatus. Sed equi sunt Regibus pro magno exercituum robore, vult ergo Deus Reges suos infirmis pollere exercitibus? Vult eneruare Regum fortitudinem? Hoc adducit Philonem, vt putet legem illam allegoricè esse intelligendam, in equísque denotari lasciuientes appetitus, quos qui nutrit, minimè censetur à Deo inter Reges, nec Principes. Quippe ait Philo lib. de Agricult. *Itaque nemo altor equorum ad principatum aptus est, si sacro Moysi credimus. Atqui, dicat aliquis, magnam esse potentiam regis in equitatu. Huic respondebimus, nullum præsidium legislator noster à Principe submouet. Sed nunc non facit verba de isto equitatu, qualem Principes solent colligere ad infestandos hostes, tuendósque socios necessarium, sed de eo, qui animæ inest, bruto immoderato impetu, quem refrænare vtilius fuerit, ne quando populum suum voluptatum, affectuúmque, magis quàm virtutum Deíque amatorem reddat.* Meritò à Regum alueo eripit eum, qui alit equos, qui fouet nutritque lasciuientes subditorum impetus, qui nescit frænum ponere eis, qui voluptatibus, libidinibúsque adhinniunt. Sanè horum equorum altor à regno, & principatu recedit apud Deum. Hinc Amos cap. 6. agens de Israelitis principibus à regno deturbandis, & in seruitutem redigendis, ait: *Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium, & auferetur factio lasciuientium.* Septuag. legunt: *auferetur hinnitus equorum ex Ephraim.* Non ait quòd migrabunt Reges, quod Principes in captiuitatem ibunt, non enim putabat Reges, nec Principes, illos, inter quos lasciuientium equorum hinnitus audiebat. Et meritò à Regum, Principúmve nomine, imò ab ipso deturbantur regno, qui huiusmodi alunt equos, qui fouent animos lasciuientes; ij, relicto principatu, meritò dantur seruituti. Quis ignoret Achab Regem Israelis fœmineis Iezabelis cupiditatibus inseruientem? Ad hunc Elias locutus 3. Reg. 18. ait: *Non ego turbaui Israel, sed tu, & domus patris tui.* Nullo vtitur regio titulo, nullo verbo vtitur, quod regiam dignitatem obseruet. Et cur sic Regem obliuiscitur, nisi quia illum norat voluptatum fœminearum seruum? Ait enim Chrysost. hom. 8. ad Popul. *Elias non spectabat diadema, & exteriorem Regis apparentiam, sed animam sordibus imbutam, squalentem, sordidam, & omni reo miseriùs affectam respiciebat, & ipsum intuitus captum esse, & vitiorum seruum, ipsius principatum contempsit, etenim tanquam in scena, sed non in veritate Regem sibi cernere videbatur.* Scenicus Rex, non verus, qui fœmineis libidinibus seruit. Ille sanè verus Rex est, ille verus Princeps, qui nulli parcit lasciuiæ; qui luxuriæ flammas magis in propinquioribus, & præcellentioribus timet, illásque conatur extinguere. Qui hoc præstat Princeps, & sibi, & regno maximam fœlicitatem acquirit. Nota est historia ex Numer. cap. 25. vbi propter fornicationem Israelitarum cum Madianitis puellis, iubet Deus, quòd Principes populi suspendantur contra Solem, *& dixit Moyses ad Iudices Israel, occidat vnusquisque proximos suos:* & Phinees zelo accensus transfodit Israelitam ducem concumbentem cum nobili Madianitide, quod iram Dei auertit, & populo fœlicitatem adduxit. Nonne ibi euidenter monstrabatur, quòd illi sunt verè Principes, & populum verè regunt in pace, & iustitia, qui in propinquioribus sibi, & in primoribus vrbis penitus extinguunt flammas libidinum? Aiebat Petrus Damianus lib. 1. epist. 6. *Dum ergo Phinees pro communi fornicatione totius multitudinis vlciscenda, in eos potissimum, qui duces videbantur, insiliit, Principes similiter populi in patibulis suspendi, sententia diuina præcepit. Moyses quoque non quibuslibet infimis, sed Iudicibus Israel, vt proximos suos occiderent, pro vindicta fornicationis iniunxit. Quid in his omnibus datur intelligi, nisi quia reatus adulterij in personis clarioribus debet duriùs vindicari? Et qui tales commotus vlciscitur, patem superni iudicis, & gratiam non modò sibi, sed & populo absque dubio promeretur.* Quid

Deut. 17. — Philo. — Amos 6. — 3. Reg. 18. — Chrysost. — Petrus Dam.

pulchrius?

pulchrius? Conueniant huc omnes Reges, & videant, vnde & sibi, & regno ingentes fœlicitates acquirant, si nimirum, in proximis suis, in sibi propinquioribus, in clarioribus populi viros, non sinant libidines impunitas.

§. XIX.

In curiis Regum, vt effœminantur viri.

NOn possum non mirari in hoc congressu Hemor cum Iacobo, Hemor & filij eius demissionem, & filiorum Iacobi austeritatem, seueritatem. Vide demissionem Hemor apud Iacob loquentis: *Sichem filij mei anima adhæsit filiæ vestræ, date eam illi vxorem. Et habitate nobiscum, terra in potestate vestra est, possidete eam.* Quid demissius? Et tamen Rex erat ipse, & Princeps terræ illius, & regiis stipatus ministris, & loquebatur ad peregrinum inermem, ad pastores eius filios. Sed videte austeritatem horum: coram Rege erant, & sororis raptum audientes, *irati sunt valde, eò quòd fœdam rem operatus esset in Israel.* Regius conspectus non emolliuit eorum animos, nec prohibuit, quominus in Regem ipsum exardescerent, nihil verentes in eius armis. Vnde prouenit, quòd sic Rex demitteretur corā pastoribus, & quod pastores sic imperterriti aduersus Regem starent? Fallar nisi insinuet textus causam huius, vbi fatur: *Egresso autem Hemor* (nempe egresso à Regia, egresso à curia) *vt loqueretur ad Iacob, filij eius veniebant de agro.* Veniebant Rex, & filius, & ministri eius à curia, in qua vitam agebant, qualem solent Principes in curia degentes. Veniebant filij Iacob ab agro, vt qui in agro laboribus assueti sese exercebant. Inde est, quòd illi in conspectu pastorum sese eneruiter demitterent, ij autem vel in conspectu Regum impauidi, & seueri manerent. Viriliùs, mihi crede, agent, vel mulieres in agris se exercentes, quàm viri qui in curialibus lautitiis delitescunt. Pulchrè D. Chrysost. hom. 30. in cap. 12. ad Hebr. rationem infirmitatis, fœmineæque mollitudinis reddens, ait: *Vnde putatis, aut ex quali ratione mulieres sic esse debiles, & infirmas? Num ex conditione sexus tantùm? Nequaquam, sed etiam ex conuersatione, & educatione. Quòd enim sub vmbraculis degunt, quòd oleo vnguntur, quòd frequentibus lauacris vtuntur, quòd assiduè vnguentis abundantibus, & aromatibus perfunduntur, & iacent in straminibus delicatis, hoc est, quod eas tales efficit. Quod verum & certum hoc sit, attende mulieres, quæ in agris agunt vitam; fortiores namque viris sunt, qui sunt in ciuitatibus constituti. Et si eas permittas cum illis athletico more certare, multos huiusmodi viros illæ sine dubio superabunt.* Non sexus teneritudo emollit fœmineos animos, sed cultus corporis delicatus, & vita sub vmbraculis, & in deliciis transacta, qualem agunt vniuersi curiales. Da enim mihi vel mulierem in agris degentem, laboribus assuescentem, hæc virilior erit, quàm viri, qui in ciuitatum vmbraculis Regiarúmque deliciis iacent. Da mihi, vel Herculem, qui in curia versetur, qui vngatur, qui lauetur, qui inter aromata versetur, qui cuti poliendæ operam nauet, qui totus sit in faciei candore illucidando; hic prorsus in fœmineam ibit infirmitatem. Hinc Nahum cap. 3. ad floridissimam, & deliciosissimam ciuitatem Niniue locutus ait: *Ecce populus tuus mulieres in medio tui.* Erat quidem Niniue ingens virorum populus: at quia viri illi, semper in medio curiæ versabantur, curialibus immersi cultibus, & deliciis, nec vnquam arenam viderant, ideo illos non viros, sed mulieres putat. Nec vnquam in medio curiæ inuentus fuit vir vnus, sed quicumque ille sit, qui nesciat abesse à curiæ deliciis, is non vir, sed mulier, in fœmineámque vergit mollitudinem. Nouerat hoc Iulius Cæsar, qui vbi resciuit exercitum magni Pompeij conflatum ex curialibus viris iussit suis, teste Plutarcho, in Pompei vita, *Vt superiora peterent, hostiúmque oculos, & faciem ferirent, conuulnerarentque, haud substituros cum fuco suo pulchellos istos, & floridos saltatores, neque facturos, vt contra appetitus oculos ferrum intuerentur.* Quid plura? Id perfecerunt Cæsariani milites aduersus curiales Pompeij: *Illi autem omnis pugnæ rudes, & qui talem, neque expectauerant, neque præmeditati fuerant, abiecto animo non sustinuerunt oculos suos, & ora cædi; sed auersi, oculósque manibus integentes turpiter in fugam se effudere.* Quid magis fœmineum? Hi sunt curiales viri, hi in media curia versantur, non equidem viri, sed mulieres, cultui corporis addicti, qui nesciant, non turpiter fugere, vbi splendor faciei incurrit periculum.

D. Chrys. Ad Heb. 12.

Nahum 3.

Plutarc.

§. XX.

Connubiorum vincula in Regibus, vt in temporali vtilitate fundantur, sic infirma ad veram amicitiam fundandam.

ECce tibi quot arctissimi fœderis signa proferat Hemor, ait enim, *iungamus vicissim connubia, filias vestras tradite nobis, & filias nostras accipite.* Et quantus hic connubiorum nexus ad hominum animos firmiter alligādos? Sanè in priuatis hominibus, arctissima inde amicitiæ vincula originem trahunt. In Regibus autem, vt omnia illa coniugiorum fœdera in temporario lucro fundantur, sic infirma sunt, nec vllam habent soliditatem. Quis nesciat mundi monarchias adumbratas in illa statua Nabuchodonosori in somnis monstrata? Erat illi caput aureum, argenteum pectus, æreus venter, ferrea crura, quæ in pedes desinebant è ferro testáque conflatos. Nec vlli est dubiū in ferreis cruribus designari valentiam imperij Romani. Sed quid est, quòd in huius pedibus ferrum testæ adunatur? Ait Daniel cap. 2. *Quòd autem vidisti ferrum mistum testæ ex luto, commiscebūtur quidem semine humano, sed non adhærebunt sibi, sicuti ferrum non potest misceri testæ.* Equidem vt minimè solidum quid fiet ex mistione ferri, & testæ; sic ex connubiis, quæ celebrantur mutuò inter Reges, nulla solida fœdera stabunt. Pulchrè ad hæc aiebat Plutarchus in vita Pompeij, de illo & Cæsare, fatus: *Hi signis tunc cōcurrerunt, ne gloria sua, cuius causa vexabant patriam, rationem habentes, qui dicti ad hanc diem inuicti fuerant. Nam illa inita affinitas, Iulia illecebra, atque illæ nuptiæ, insidiosa ab initio fuerant, & suspecta, necessitudinis, vtilitatis gratia, contracta pignora, nec germana amicitia consortium habuerunt.* Expende, vnde dicat vir Philosophus, claudicasse cōnubia inter Pompeij, Cæsarisque familias, nimirū, quòd fuerunt *necessitudinis, vtilitatis gratia, contracta pignora.* Et quando Regum familiæ alio studio, mutuis connubiis copulantur? Ne ergo miremur in iis connubiis infirmissima esse vincula necessitudinis, & quæ vel leui detrimenti suspicione rumpuntur. Rem mirificè ostendit magnus ille Herodes Iudææ Rex, qui, vt regnum obtinuit, sibi vxorem copulauit Mariamnem neptem Hircani & Ionathæ præstantissimi adolescentis germanam. Quis auo, quis fratri Reginæ non gratularetur, quòd tantum Regem connubij vinculo sibi copularint? De illis tamen ait Egesipp. lib. 1. de Excid. cap. 36. *Laqueus igitur mortis Hircano coniugium neptis fuit, cuius gratia properauit ad Herodem; nesciens, tutiúsne apud hostem captiuos degere, quàm apud Regem propinquos.* Sic iste in connubio neptis cum Rege vnde citiùs periret, habuit, nec fœlicior fuit Reginæ germanus, de quo prosequitur dicens idem author: *Mittitur adolescens nocturnis tenebris ad vrbem Hierico, atque ibi solitus delectari studio natandi, à plurimis quasi in ludum coeuntibus, dum sine modo mergitur, in piscina necatur. Id tacitum soror non tulit, sed affectu germanitatis per conuitium prodidit, atque obiectauit marito, iussu eius sibi fratrem ereptum, destitutam se omnibus, funestam sibi domum coniugis, qui primum sibi auum ademit, postea germanum interemit, miseram se exitio suorum fuisse, &c.* Hæc monstra parturiunt nuptiæ regales, ex quibus saltem nunquam vera amicitia, vera concordia nascitur, nisi prout tulerit spes lucri acquirendi, vel remouendi damni.

Dan. 2.

Plutarc.

Egesipp.

Gen. 34. Sed & Sichem ad patrem, & fratres eius, ait: Inueniam gratiam coram vobis, & quæcumque statueritis, dabo. Augete dotem, & munera postulate, & libenter tribuam, quod petieritis: tantùm date mihi puellam.

§. XXI.

Carnalis amor omnia dilapidat, vna contentus amasia.

QVàm prodigus Princeps iste apparet pro obtinenda puella! *Augete, ait, dotem, munera postulate, libenter tribuam, quod petieritis, tantùm date mihi puellam.* Nulli rei parcit, omnia profundere, imò omnibus carere est paratus, dum vna sibi chara puella fruatur. Sic affectus carnalis, sic carnalis amor nulli rei parcit, vt dilectam habeat. Sic primus fœminæ amator Adamus, nihil nō contempsit, vt fœminæ ostēderet amicum animum. Et vbi Deus omniū bonorum adest,

Gen. 3. *Abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini.* Mirabar, quòd homo sapiens se à Dei facie vellet abscondere: cur tanto te exilio, ô Adame, plectis? Cur non magis amas Dei faciem? Quid habes in latebris, ob quod amittere Dei faciem non pertimescis? Ait textus: *Abscondit se Adam, & vxor eius, &c.* habebat fœminam consortem latebrarum, & vnam fœminam hane habens non dubitat perdere, & Deum, & quidquid à Deo creatur. En profusissima conditio amoris carnalis! Pulchrè ad illum D. Ambr. lib. 5. epist. 33. *Recedere Adame à Deo tuo propter vnam mulierem desiderasti, propterea fugis, quem videre quærebas. Cum vna muliere te abscondere maluisti, relinquere speculum mundi, incolatum paradisi, gratiam Christi.* Expende illud, *cum vna muliere, &c.* quippe ditissimus, & fœlicissimus hominum, paradisi cultor, Rex viuentium visibilium, magnè Dei amicus, non æstimat omnia hæc perdere, & regnum, & fœlicitatem, & spontaneas terræ diuitias, & Dei amicitiam, & fauores diuinos, contentus si eum vna dilecta puella possit viucire vel in horrida, & obscura terræ spelunca. Huc accedit Herodes, qui apud Cæsarem deuictis Antonij exaggerat conditionem miseram. Ait enim apud Egesipp. lib. 1. de Excid. Hierosol. cap. 33. *Vicisti Cæsar Antonium legionibus tuis maximus, vicisti consilijs tuis, vicisti imperij Romani viribus, quod dereliquit, & quod negauit, & vere victus est virtutibus tuis, sed magis moribus suis. Vicit eum Cleopatra vxor, vicit tum Ægyptius amor, vicit eum Canopæa luxuries. Victus est, quia maluit cum Cleopatra vinci, quàm sine ea vincere.* Ecce tibi quò perductus est ab affectu carnali Orientis Imperator, maluit enim vnam habens Cleopattam & regnum perdere, & gloriam, & vitam; quàm sine hac esse gloriosus in regno, & ducere imperatorios annos. Ad hæc eleganter philosophatur Zorobabel apud Esdram lib. 3. cap. 4. fatus: *Non possunt homines separari à mulieribus. Si congregauerint aurum, & argentum, & omnem rem speciosam, & viderint mulierem vnam bono habitu, & bona specie, omnia hæc relinquentes in eam intendunt, & aperto ore conspiciunt, & tam alliciant magis quàm aurum, & argentum, & omnem rem pretiosam.* Expende illud, *viderint mulierem vnam*, vt enim vna habeatur pulchra fœmina, nihil pretiosum non contemnitur, & perditur. Meritò laudat Sidonius Apollinaris adolescentem, qui se à fœminæ cuiuspiam contubernio subtraxeret, vt bonis fortunæ, & salutis prospiceret, quæ omnia dilapidabat eū illa. Ait enim lib. 9. epist. 6. *Igitur hic proximè abrupto contubernio ancillæ præpudiosissimæ, cuius toti consuetudine obscœna tandem addixerat, patrimonia, posteris, fama, subita sui correctione consuluit. Namque per rei familiaris damna vacuatus, vt primum intelligere cœpit, & retractare, quantum de bonis sculis auitis, paternisque sumptuositas domestica Charybdis obligurisset; quanquam ferorestipstens, velutr franos momordit, excussisque ceruices, atque Vlyssæaterens auribus figens, fugit, aduersus vitia surdus, meretricij blandimenta naufragij.* Dilapidauerat omnia bona adolescens vni famulæ, seu ancillæ addictus, nihil non perdidit pro illa, quam ipse deperibat. Sed tandem vt paruis reliquiis consuleret, & sibi aliquid vel substantiæ, vel honoris, vel salutis seruaret, hoc decreuit, vt fœminam amitteret.

§. XXII.

Turpissima indoles viri est, qui compressa à se fœmine, saltem non consulit famæ, & honori.

VT ex parentibus accipiat puellam coniugem, proponit Sichem Princeps ardentissimum suum illius amorem, proponit rursus ingentem liberalitatem in ea dotanda, in muneriandis fratribus, proponit insuper regni sui eum peregrinis consortium. Sed vnum præterit, quod solet esse efficacissimum nuptiarum allectiuum apud cordatos viros, nimirum damnum iam rescissi pudoris, quod nuptiis & resarciti, & honestari solet. Si amas coniugem accipere puellam, cur eius damna pudoris non prodis, quæ scita tibi certius afferent vxorem? Sanè in hoc non desinam laudare Principem, & ingenuum animum hominis, qui se fœuitate puellæ sic consuluit famæ, sic consuluit honori, vt maluerit in discrimine ponere nuptias sibi optatissimas, quàm ex proprio ore verbum proferre honestati virginis indecorum. Quid nobilius? Huc accedant viri vniuersi, & discant etiam in voluptatum suarum prosecutione, nobilitatem meminisse, & ingenuitatem hominis; dum peccantes in fœminarum corpora, earum pro viribus consulunt famæ, consulunt honori. Turpissimum enim est, & homine indignissimum, quòd maculam, quam ipse fœminæ inuluit, ipse publicet, & eoram omnibus prodat. De Ammone oppurmente Thamarem, ait textus 2. Reg. 13. *Præualens viribus oppressit eam, & cubauit cum ea. Et exosam eam habuit Ammon odio magno nimis, ita vt maius esset odium, quo oderat eam, amore, quo antè dilexerat. Dixitque ei Ammon, Surge, & vade.* Quippe nullam habens rationem bonoris puellæ, illam cogebat foras exire solam, incomposítam, sine comitatu, vt omnibus pateret opprobrium. Quam turpissimam iniquitatem non ferens bona puella clamabat: *Maius est hoc malum, quod nunc agis aduersum me, quàm quod antea fecisti, expellens me.* Et quidem nequiores sunt, & turpiores in fœminas, qui earum maculas publicant, quàm qui in earum audent pudorem. Vnde D. Chrysost. lib. 3. de Prouid. hoc Ammonis facinus in publicanda infamia puellæ inter acerbissimas Dauidis calamitates ponit. Ait enim: *Fabulas omnes, omnemque tragœdiam vicerunt Regis Dauidis clades: adeò illi monstrosa, & multem sibi succedentia aduersa domui sua contigerunt, cum clades cladibus succedere semper pergerent. Considera quæso: Adamauit sororem Thamar Ammon frater, amatam vi oppressit, eàmque violationem, nefariùmque concubitum prior ipse patefecit.* Quid monstrosius? Quid calamitosius patenti? Sanè parentum sunt clades filiorum scelera; clades autem Dauidis omnia monstrosa à fabulis decantata superant, quando filium genuit adeò turpem, adeò sceleftum, vt vi opprimeret virginem, eamque violationem, nefariùmque concubitum prior ipse patefecit. Hoc monstrosum est, turpissimum est, & ab homine ingenuo prorsus alienum. Fallar, nisi huc respexerit Amos cap. 6. vbi lasciuientes iuuenes taxans, maluit illos vocare equos. Ait enim iuxta Septuag. lectionem: *Si persequentur in petrir equi: si reticebunt ad fœminas?* Sanè equi sic lasciuiunt, vt largis hinnitibus suam prodant lasciuiam, nec in equam ruunt, nisi prȩstrepente hinnituum tuba, quȩ præsentiam equæ designat. Sic bruti homines, à bestiis in nullo dissimiles, ad fœminas feruntur minumè reticentes, sed clamoribus publicantes, & patefacientes miseras, quas amât comprimere. Hi belluæ sunt, & prorsus hominum compellatione indigni. Ab his belluis minimè petas, vt in petris currant, sectantur enim nihil aliud præter delicias, nec petas, quòd fœminea leuitate reticentes abutantur, non enim æstimant voluptatem, quam magnis clamoribus non publicant.

Genes. 34. Responderunt filij Iacob Sichem & patri eius in dolo, sæuientes ob stuprum sororis. Non possumus facere, quod petitis, nec dare sororem nostram homini incircumciso: quod illicitum, & nefarium est apud nos. Sed in hoc valebimus fœderari, si volueritis esse similes nostri, & circumcidatur in vobis omne masculini sexus. Tunc dabimus, & accipiemus mutuò filias vestras, ac nostras, & habitabimus vobiscum erimúsque vnus populus. Si autem circumcidi nolueritis, tollemus filiam nostram, & recedemus.

§. XXIII.

Durius exagitat hominem plaga silenti animo inhærens, quàm quæ erumpit exterius.

REges ad Iacobum sermonem direxerant. Iacobo autem penitus silente respondent filij eius dolentes ob stuprum sororis; ait enim text. *Responderunt filij Iacob Sichem, & patri eius in dolo, sæuientes ob stuprum sororis.* Responderunt filij patre tacente, an quia plusquam pater ipse sororis cladem dolerent? Absit, dolor enim filiorum, vt exterius erumpit, sic minùs interiùs ferit; patris autem dolor sub tanto silentio hominem exagitabat longè vehementiùs. Audita Thamaris filiæ clade, quæ constuprata ab Ammone fuerat, 2. Reg. cap. 13. *Dauid contristatus est valde, & noluit contristare spiritum Ammon filij sui, &c.* Itaque tristitiam ex turpi facinore conceptam intimo animi secreto tenuit, nec verbum est loquutus, nec se ostendit acerbum. Verùm post aliquot menses, dum occisi Ammonis fama peruenit; *Rex & omnes serui regis fleuerunt ploratu magno nimis.* In filiæ violenta defloratione nullus fletus, nullus doloris sensus ostenditur, sed profundum silentium in tota Regia cernitur; in morte autem filij, longissima audiuntur Regis lamenta. Cur

Cur hæc? An quia magis dolebat filij mortem, quàm turpissimũ in filia incestum? Absit, vt enim silẽti animo ferebatur incestus, sic maiori vulnere animum transfigebat. Ait Diuus Ambros. in Psalm. 118. serm. 15. *Experta est in liberis domus prophetæ detestabiliora inimici oscula, quàm odia esse fraterna. Itaque fratricidium pater quidem fleuit, sed magis est indignatus incestum.* Non quæ clamoribus proditur, sed quæ siletur plaga, magis ferit. Siluit Dauid in incestu, lamentatus est fratricidium, sed externa lamenta interiorem dolorem leuauerunt, qui vehementissimè auctus creuit, quando in incestu longo tegebatur silentio. Sic Psalm. 76. summam ab inimicis compressionem sibi illatam dicit. *Anticipauerunt vigilias oculi mei, turbatus sum, & non sum locutus.* D. August. legit: *Anticipauerunt vigilias inimici mei, turbatus sum, & non sum locutus.* Itaque inimici maturarunt in illum insurgere; ante omnes vigilias, hominem persequebantur, clamoribus hostilibus excitabant, feriebant. Quid interea? Ecce incredibilem pœnam, *turbatus sum, & non sum locutus*, quam plagam excipiebat, profundo silentio celabat: quæ inde magis exacerbatur. Ad hæc D. Bernard. serm. 29. in Cant. *Disciplina silentij nec permittit illum vulnus aperire, quod patitur, vt curetur. Ita vritur ille, & moritur, clauso & lethali vulnere, intra semetipsum gemens, dum totus in ira, & disceptatione positus, nihil aliud silens versari in mente possit, nisi iniuriam quam accepit.* Silentium non minuit plagam, sed potiùs facit, vt intimiùs occlusa acerbiùs pectora depascatur. Huc spectabat Eliu Iobi cap. 32. vbi post seruatum longum silentium inter verba, quæ ipse putabat Deo offensiua, ait: *En venter meus, quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas disrumpit. Loquar, & respirabo paululum.* Equidem vt mustum in laguncula missum, ibique occlusum, nullo spiraculo relicto, lagunculam ipsam vexat, & disrumpit, sic commotio animi, si intra pectus occludatur, nullisque verbis, aut extrinsecis signis manifestari sinatur, tantum abest, vt quiescat, quin potiùs inde ita exacerbatur, vt viscera dilaniare videatur. In silentio ergo duriores solent fieri motus animi, qui exterius erumpentes molliuntur, tecreantur.

Ambr. | Psal. 76. | August. | Bernard. | Iob 32.

§. XXIV.

Religioni illudit, qui sub illius specie dat operam flagitiis suis.

ECce tibi quantam habent filij Iacob religionis rationem, aiunt enim, *si volueritis esse similes nostri, & circumcidatur in vobis omne, &c.* Quos sic meminisse religionis video, vel in dolis suis, putem religionis obseruatores, an illusores? Equidem non religionem æstimat, sed religioni illudit, quisquis illius specie dolos nectit, crimina sua fundat. Philo Iudæus lib. de legat. ad Caium, memorans vt Tyberij nepos fuerit à nefarissimo Caio occisus, inquit: *Fertur iussum sua manu se interimere adstantibus tribunis, ac centurionibus, & vetitis adiuuare scelestum facinus, quasi nefas esset Imperatorum posteros necari alienis manibus. Nolebat enim videri iuris oblitus in patranda summa iniuria, & sanctitatis in scelere meminerat, illudens veritati simulationibus.* Regij iuris, & sanctitatis memor videri vult, cùm contra omnia iura consortem imperij puerulum occidat. & dum in tam impio scelere patrando sanctitatis memor ostenditur, non sanctitatis cultor, sed vniuersæ virtutis, & religionis apparet illusor. Huic similes extiterunt Hierosolymitani principes, de quibus ait Matth. 26. *Consilium fecerunt, vt Iesum dolo tenerent, & occiderent. Dicebant autem non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo.* Ecce facinus immane, nimirum, vt Iesum occiderent, ecce in adeò facinorosis religionis memoria, quando dicunt: *Non in die festo, &c.* Quid cum tanto crimine habet religio? Non equidem religio erat illa, sed totius religionis delusio, imò ipsius Dei perditio. Pulchrè ait D. Leo, serm. 7. de Pass. *Prouidentibus ergo principibus, ne in die festo tumultus oriretur, non deuotioni, sed facinori studebant, nec religioni seruiebat hæc cura, sed crimini. Diligentes enim Principes, & soliciti Sacerdotes, seditiones turbarum fieri in præcipua solemnitate timebant, non vt populus non peccaret, sed ne Christus euaderet.* Expende quò tendat religio iuncta animo criminoso, animo iniquo, non vt peccata tollat, sed ne euadat Christus, sed & ipsius religionis authoris perditio fiat. Quanta hæc irrisio, quanta religionis illusio? Ioann. cap. 17. *Adducunt ergo Iesum à Caypha in prætorium. Erat autem manè, & ipsi non introierunt in prætorium, ne contaminarentur, sed vt manducarent pascha.* Proh maximam religionis curam in Iudæis, etiam cùm mori tradunt Dei filium! Fallar, si non magis religionem rident. Ait ibi D. Cyril. Alex. *Ridiculosissimum etiam illud est, innocentem quasi scelestum accusantes, & in capita sua tanto impietatis crimen effundentes, prætorij ianuam tanquam maculam fugiunt, & hominibus impuris misceri non patiuntur. Sed illud multo ridiculosius est, quod vt agnum comederent, cauent, ne inquinentur, in ipsam autem veritatem insaniunt.* Sanè risum de virtute, & religione omnibus faciunt, qui non dubitant patentissima scelera religionis specie decorare. Non aliter faciebant ipsissimi Iudæi, quando vt Iesus citiùs, & crudeliùs occideretur à Pilato, clamabant, Ioann. 57. *Nobis non licet occidere quemquam.* Circa quæ verba ait D. Leo, serm. de Pass. *Quid hac specie religionis iniustius? Quid hac clementia dissimulatione crudelius? Qua lege Iudæi, quod vobis non licet facere, licet velle? Contaminari occisione eius metuitis, cuius super vos, & super filios vestros effundi eius sanguinem postulatis. Se nõ totum facinus vestra impietas peragit, permittite præsidem iudicare, quod sentit. Sed violenti in id eum declinare non sinitis, à quo ipsi mendaciter abstinetis.* Nunquam, mihi credite, sceleratiores, & iniustiores Iudæi fuerunt, quàm vbi Iesum gentibus occidendum tradebant, religionem, obseruantiámque mentientes, cùm sanctitatis in scelere meminerint, veritati simulationibus illudentes.

Philo. | Matth. 26. | D. Leo. | Ioan. 17. | D. Cyril. | Ioan. 17.

Genes. 34. Placuit oblatio coram Hemor, & Sichem filio eius. Nec distulit adolescens, quin statim, quod petebatur, expleret: amabat enim puellam valde, & ipse erat inclytus in omni domo patris sui. Ingressíque portam vrbis locuti sunt ad populum. Viri isti pacifici sunt, & volunt habitare nobiscum: negotientur in terra, & exerceant eam, quæ spatiosa, & lata cultoribus indiget: filias eorum accipiemus vxores, & nostras illis dabimus. Vnum est, quo differtur tantum bonum: si circumcidamus masculos nostros, ritum gentis imitantes Et substantia eorum, & pecora, & cuncta, quæ possident, nostra erunt, tantùm in hoc acquiescamus, & habitantes simul vnum efficiamus populum. Assensíque sunt omnes circumcisis cunctis maribus.

§. XXV.

Luxuriosus animus nulla sacra veretur, sed omnibus abutitur in voluptatem suam.

ET sacratissimam, & austerissimam circumcisionis religionem incunctanter Sichem amplectitur, nihil veritus in religione, ad quam voluptuosus puellæ amor hominem trahere festinat. Ait enim textus: *Nec distulit adolescens, quin statim, quod petebatur, expleret. amabat enim puellam valde.* Cur, bone, ignota tibi sacramenta maiori consilio non suscipis? Cur non magis cunctaris in amplectenda religione vsque tunc inaudita? Cur non magis times sine vlla consideratione ad sacra prorsus incognita currere? Ait textus: *Amabat enim puellam*; dum lasciuo amore tenetur, nihil in sacris veretur, nec timet abuti illis sine voluptatem amittat. Sic Lippom. in cat. inquit: *Abuti ergo malebat fidei sacramento, quàm carere sua libidine.* Caue homo affectum luxuriæ rabidissimum, is enim est, qui nihil vereatur in sacris, nihil timeat in diuinis, & pro obtinenda voluptate non dubitabit omnibus sacris abuti. Accipe meretriciam vocem, Prouerb. 7. *Apprehensum deosculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur, dicens, victimas pro salute deuoui hodie, reddidi vota mea. Idcirco egressa sum in occursum tuum, desiderans te videre.* Expende, quibus misceat victimas, quibus misceat vota Deo reddita, nimirum lasciuis osculis, conspectui lasciuo: totámque victimarum sacrarum religionem facit manare libidine. Sanè nullus prædo, latro nullus, nullus homicida in sceleribus suis diuinissima Sacramenta miscet, solus lasciuus animus non veretur Sacramentis abuti, ne careat libidine. Id quod stupet D. Hieron. epist. in Sabinianum, miratus hominem Bethlehemitico Saluatoris incunabulorum templo affuisse, vt inde materiem voluptatibus suis perciperet. Quippe ait: *Infælicissime mortalium, tu speluncam*

Lippom. | Prou. 7. | Hieron.

illam, in qua Dei filius natus est, & veritas de terra orta est, & terra dedit fructum suum, de stupro condicturus ingrederis. Non times, ne de præsepi infans vagiat, ac puerpera Virgo te videat, ne mater Domini contempletur? Angeli clamant, pastores currunt, stella desuper rutilat, Magi adorant, Herodes terretur, Ierosolyma conturbatur, & in cubiculum Virginis, decepturus virginem irrepis? Paueo miser, & tam mente, quàm corpore perhorresco, &c. Expende quæso ab illis, *Herodes terretur, &c.* ad solam enim nati Iesu auditionem terretur Herodes omnium tyrannissimus, & omnis Ierosolyma iam nequissima cum illo; lasciuus autem animus ad conspectum, & præsentiam totius Dominicæ natiuitatis, nec terretur, nec dubitat tantorum mysteriorum locis abuti, in suarum voluptatum fomentum. Quæ sacra, quæ sanctitas secura erit, ne pessundetur, ne contemnatur à lasciuis animis? Marc. cap. 6. de saltatrice Herodiade solùm dixit, *Cùmque introisset filia eius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi.* hæc, inquam, dixerat solùm Marcus, & iam inde D. Fulgentius omnis sanctitatis contemptum auguratur. Et quòd Herodias saltet, quòd placeat, quid hoc commune habet cum contemptu sanctitatis? Equidem vbi mulieres placent, iam ibi apparet seminarium, quo conculcentur sacra, quo pessundetur ipsa sanctitas. Ait D. Fulgent. in serm. huius festi: *Ludens cœpit delectare puella, ad hoc solum vt possit occidere Prophetam. Nescio quid habet muliebre semper nocumentum Sanctis.* Auersa semper est venerea voluptas, & contemptrix sanctitatis. Sic Dan. cap. 5. *Allata sunt vasa aurea, quæ asportauerat de templo, quod fuerat in Ierusalem, vt biberent in eis Rex & Optimates, & vxores, & concubinæ.* Quæ expendens Theodor. ait: *Ebrietatis instrumenta fecit Rex diuini ministerij instrumenta, præcepitque, vt quæ suam explebant lasciuiam, per hæc vino fruerentur.* Nec esset sacrorum contemptus, nisi vbi lasciuia esset.

Marc. 6. — *D. Fulg.* — *Dan. 5.*

§. XXVI.

Nulli parcitur vel sanguinis dispendio, vt voluptas carnalis ematur.

Miraris regium iuuenem tam cruenti Sacramenti religionem amplecti; erant enim ipse, & omnis populus eius circumcisionis gladio feriendi. Et libens hanc sanguinis profusionem acceptet? Acceptare equidem, & suum, & populi sanguinem libentissimè profundere, *amabat enim*, inquit, *puellam valde.* Et vbi fœmineos mercabatur amores, nulli sanguinis profusioni parcere habebat. Nota est historia Herodiadis saltantis in regia cœna apud lasciuissimum Herodem Regem, Marci cap. 5. ibi saltatrici optio datur petendi, habebit namque quidquid petierit, etiamsi eius petitio extendatur ad dimidium regni. Sed illa regnum despiciens, Baptistæ sanctissimi caput petit. Ait enim: *Volo vt protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ.* Quantus hic ausus fœminæ, vt tanti viri caput petat à Rege, qui eum verebatur, & eius verba placidè audiebat? Vnde potuit hæc fœmina præsumere Regem adduci posse in tanti viri lanienam? Pulchrè D. Fulgentius ait serm. in eo festo: *Præsumit de mercatore luxuria. O nequitia fœmina, elegit contemnere honorem, vt lucrum faceret sanguinem?* Et meritò de mercatore luxuriæ præsumit, quamcumque hominum lanienam extorquere. Nulli parcitur sumptui, nulli sanguini parcitur profundendo, vbi facinoris merces, est luxuriæ fomentum. Vel in effundendo sanguine profusissima est semper luxuria. Video etiam sanctissimum, piissimumque Naboth occisum à Rege Achab, dum non tam Israelis Regem agit, quam Iezabelis mancipium. Sed vix frigerat sanguis occisi, & ecce tibi Elias fatur Regi, 2. Reg. 21. iuxta lectionem Sept. *Occidisti, & possedisti? Propter hoc, hæc dicit Dominus. in loco, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, in eo lingent canes sanguinem tuum & meretrices lauabunt se in sanguine tuo.* Non solùm dicitur Achabi sanguis effundendus post effusum sanguinem Nabothi, sed insuper additur, quòd in eo sese lauabunt meretrices Et cur ibi meretrices meminit, nisi vt ostendat totam illam sanguinis effusionem à meretriciis Achabi affectibus ortam fuisse, quando meretricius affectus est, qui nesciat parcere sanguini vlli? Ait D. Ambros. lib de Nabothe, cap. 11. *Quid sibi autem vult, quòd meretrices lauerunt se in sanguine eius, nisi fortè, vt meretricia quadam in illa foritate fuisse Regis perfidia prodereretur, vel cruenta luxuries?* Vna equidem fuit Regis luxuria, quæ tantam sanguinis effusionem parturiuit, quæ nec sanctissimi cuius sanguini pepercit, nec proprio suo. Vel citiùs doceri luxuria, quam omnia profundere, nec sanguini parcere, nec substantiæ, nec vitæ. Adolescens ille, de quo D. Lucas c. 15. *dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè.* Et post tantam dissipationem, sic iacuit exsanguis, & famelicus, vt *cuperet implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Sic erat deiectus, sic exhaustus iacebat: tandem meliorem conditionem cupiens: *Surgens venit ad patrem.* Cùm autem dicitur surrexisse, vt ad patrem veniret, cupimus scire, ex qua sede surrexerit, qui in dissipatione substantiæ erat, qui iacebat omnibus bonis effusis? Ait Titus Bostrorum Episcop. ibi. *Vnde surrexit? è voluptatum, & deliciarum cathedra.* Sapienter quidem dissipatio propriæ substantiæ, omnium bonorum profusio habetur voluptatum cathedra, siue in qua voluptatum docentur iura, siue commercia voluptatum statuuntur; est enim earum pretium, aut doctrina, quòd nec sanguini parcatur, sed omnia dissipari debeant, omnia profundi.

Marc. 5. — *D. Fulg.* — *2. Reg. 21.* — *D. Ambr.* — *Luc. 15.* — *Titus.*

§. XXVII.

Lasciuit animus vel in diuinissimis sacramentis, nihil attendit diuinum, sed temporalia sola spectat lucra.

Expectares ab eo, qui sacramentum circumcisionis admittit, illúdque admittẽdum populo proponeret, quòd de eius sanctitate dissereret, quòd diuinissima inde dona venientia curaret & aliis tradere, & sibi scire. At Sichem totum temporale, nihil diuinum proponit de sacramento illo, ait enim: *Filias eorum accipiemus vxores, & nostras illis dabimus. Vnum est, quo differtur tantum bonum. Si circumcidamus masculos nostros, ritum gentis imitantes. Et substantia eorum, & pecora, & cuncta quæ possident, nostra erunt, &c.* Cur nõ magis dicis, quòd si circũcidamini, exuetis peccatum, acquiretis diuinam gratiam? Cur non magis in veræ religionis sacramento ponderas diuinas donationes, & prætetis lucra temporalia? Ducebatur non religione, sed amore puellæ; & lasciuus animus nihil diuinum videt, nihil diuinum odoratur in sacramentis, sed omnia temporalia. Prouerb. c. 7. introducitur teste D. Ambros. venerea voluptas, quæ dicit: *De fenestra domus meæ per cancellos prospexi, & video paruulos, considero vecordem iuuenem, qui transit per plateas, &c.* Expende, quid voluptas de fenestris domus suæ videat, videt enim eos, qui transeunt per plateas; qui ad cœlestia volent, nec videt, nec odoratur. Et cur solos transeuntes per plateas videt, nisi quia is est voluptuosus animus, qui sola aspiciat temporalia, & transeuntia, nec videre possit, quæ habent æternitatem? Ait D. Amb. lib. de Abel cap. 4. compactus à Patre Salazare in eo Prouerb loco. *Quid tam meretricium, quàm secularis voluptas? Quæ à fenestra domus suæ intrat, oculis prima tentamenta præludens, & penetrat citò, in plateas prospiciens, hoc est, in publicum transeuntium viris, non in legis interna mysteria obtutum meatus intendens.* Ecce tibi ingenium animi voluptuosi; imò & natura, qui sola transeuntia, & temporalia prospicit, quæ autem æterna, & diuina sub religiosis sacramentis sunt, minimè attendit, nec videt. Meritò de his aiebat Psalm. 57. *Supercecidit ignis, & non viderunt Solem.* Et qui ignis aspectum Solis potest nobis eripere? Non quidem ignis materialis eripit aspectum Solis huius; sed concupiscentiæ carnalis ignis, vbi in cordibus humanis arserit, statim facit, ne quid videatur Solis iustitiæ. Hinc D. August. ait: *Ergo fratres, ignem malæ concupiscentiæ timete, si non vultis liquefieri, sicut cera, & perire à facie Dei. Supercadit enim ignis iste: & Solem non videbitis. Quem Solem? Non istum, quem tecum vident, & pecora. Est & alius Sol, de quo dicturi sunt illi: Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non illuxit nobis, & Sol non ortus est nobis. Quare, nisi quia supercecidit ignis, & non viderunt Solem? Vicit illos concupiscentia carnis.* Quisquis carnis concupiscentia exardescit, nihil iustitiæ Solis videt, sola caduca, & transeuntia respicit. Hinc illa meretricula Prouerb. cap. 7. ait, vt trahat adolescentem: *Intexui funibus lectum meum, strauí tapetibus pictis ex Ægypto.* Vide quid offerat suorum oculis, nimirum picta tapeta, nihil solidum, nihil diuinum, sed seculare totum permittit cogitari. Ait enim D. Ambros. lib. 2. de Apolog. Dauidis, cap. 3. *Instituit lectum internum suum, & tapetis ab Ægypto strauit. Neque enim de cogitatione diuina, sed de seculari illecebra assumit ornatum.* Abnuit voluptas quidquid diuinum est, ea sola mauult spectare quæ sunt transitoria, & secularia. Hinc diabolus tentans Dominum Matth. 4. *Ostendit illi omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei, Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Cur, vt ostendit mundi regna, non etiam ostendit regnum cœlorum? Vt mendaciter illa promittebat, & ostendebat, simili mendacio posset, & hoc ostentare. Sed agebat personam voluptatis

Prou. 7. — *Ambr.* — *Psal. 57.* — *August.* — *Prou. 7.* — *Ambr.*

voluptatis lasciox, quæ sola permittit videri terrena, & sæcularia. Ait D. Ambros. lib. 1. de Abel, cap. 5. *Eleuat voluptas, & extollit mentem suasoriis verbis, ostendit omnia regna terræ, dicens, Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me. Et qui ea maximi facit, adorare videtur diabolum, cui Deus venter est, & in pudendis gloria.* Hinc noscitur voluptuosus, & lasciuus animus, si terrena maximi facit, & præ illis nec videt, nec æstimat alia. *D. Ambr.*

§. XXVIII.

Luxuria amica mendacia, vt veritas castitatis.

Ecce tibi mendacissimas promissiones principis Sichimitæ, ait namque: *Et substantia eorum, & pecora, & cuncta, quæ possident, nostra erunt: tantùm in hoc acquiescamus.* Cùm ad Iacob loquebatur, dicebat illi, *terra in potestate vestra est, possidete eam:* omnia Sichimitarum sub potestate Iacobi possidenda dabantur. Vbi ad populum Sichimitam loquitur, etiam quæ Iacobi erant, Sichimitis adscribebantur, cùm dicit, *cuncta, quæ possident, nostra erunt.* Sanè aut Iacobo, aut populo, aut vtrisque mentitur; vt enim libidinis ardore ferebatur, sic vbique seminat mendacia, quæ à luxuriante animo vix possunt separari. Sapienter ait D. Ambros. lib. 1. de Abel, cap. 5. *Mala sunt voluptatis vincula. Oculos delectat, demulcet aures, sed mentem inquinat, multa mentitur, falsa adiungit, vera subducit, spondet pecuniam, aurum offert.* Nil magis inseparabile à voluptate, à libidine, quàm falsitas, quàm mendacia. Mendacium si tollas, nulla vis, nulla fortitudo in libidine manet. Nota est contentio illa trium sapientum apud Darium Regem, de qua 3. Esdræ 3. contendebant illi, quid esset fortius in rerum natura, pro quo tres sententias probandas apponunt. Ait enim textus: *Vnus scripsit, Forte est vinum. Alius scripsit, Fortior est Rex. Tertius scripsit, Fortiores sunt mulieres, super omnia autem vincit veritas.* Cùm cæteri vnũ solũ fortè enarrassent, alius nempe, vinũ; alius, Regẽ; tertius, nẽpe Zorobabel, maluit duas fortitudines simul propalare, nimirum, mulierũ & veritatis. Sed cur in fortitudine mulierum enarranda non quieuit, vt alij quieuerunt, vel in vino, vel in Rege exaltato? Cur maluit mulierũ fortitudini superaddere fortitudinem veritatis? Maluit veneno antidotum addere. Sciebat sapientissimus homo fœminearum deliciarum validissimam fortitudinem, sic constare mendaciis, vt penitus euanesceret, si vel vicinaretur veritati. Conflantur equidem fœmineæ illecebræ mendaciis, illisque maximè roborantur, vt detriumphent pectora humana; adiunge illis veritatem; & veritate adiuncta, fallar, si quid virium, si quid fortitudinis in omni voluptuoso opere permaneat. Vnde monebat Paulus Ephesios: *State igitur succincti lumbos vestros in veritate.* Et cùm in lumbis carnalis concupiscentia assignetur, quæstionem facit Nazianzen. orat. 42. quid habeat commune veritas cum lumbis, vt illa succingi iubeantur. Multum equidem habet, si enim tibi veritas affulgeat, vix fieri potest, vt materia libidinis non euaneat. Non est voluptas, non est luxuriæ vestigium, vbi veritas claret. Aiebat Psalm. loquens de Christi natiuitate: *Veritas de terra orta est, & iustitia de cœlo prospexit.* Sed scire cupis de qua terra veritas ortum traxit, an de terra corrupta? An de terra luxuriæ surculis exarata? Absit, vbi veritas nascebatur, nullum luxuriæ vestigium posset dari, sed integritas, & puritas carnis. Ait enim D. Leo, serm. 1. de Nat. *Meritò igitur virgineæ integritati nihil corruptionis intulit partus salutis, quia custodia fuit pudoris, editio veritatis.* Vbi veritas erat, quidquid nascebatur, nihil potuit esse, quod non referret integritatẽ, & virgineam puritatem, corruptio enim luxurians nusquam est, nisi vbi mendacium. Hinc Iudith cap. 11. multa dicens Holoferni, quæ vix inuenirentur vera ab intelligenti scrutatore, tamen putatur à D. August. minimè fuisse mentita. Aiebat illa: *Ego ducam te per mediam Ierusalem, & habebis omnem populum Israel, sicut oues, quibus non est pastor, & non latrabit vel vnus canis contra te, &c.* Quis in his non inueniat mendacia, nisi qui in Iudith non inuenit impudicitiam? Vt enim fuit ab omni impudicitia immunis, sic etiam fuit à mendacio libera. Ait August. serm. 229. de temp. *Non debuit pudicam mentiri.* Sanè quæ inter barbaros duces immunem seruauit pudicitiam, & à mendacio debuit esse immunis. Non potuit mendacium inficere eam, quam non inficiebat impudicitia, vt enim mendacium comitatur luxuriam, sic, vbi castitas est, ibi veritas inuenitur. Deuteronom. 33. dum Moyses benedicit tribubus Israelis, *Leui quoque ait, Perfectio tua, & doctrina tua viro sancto tuo.* Quæ sic legit Ambros. *Date Leui veros eius, date Leui fortes eius.* Et qui sunt veri dandi Leuitico ordini, nisi illi, qui vt splendent puritate virginea, sic nullo mendacio inficiuntur? Ait D. Ambros. in Exhort. ad Virg. *Date ergo Leui veros eius. Quid tam verum, quàm immaculata virginitas?* Mutuò sibi semper respondent, & veritas, & pudicitia.

Ambr. — *3. Esdr. 3.* — *Ad Eph.* — *Psal. 84.* — *D. Leo.* — *August.* — *August.* — *Deut. 33.* — *D. Ambr.*

Genes. 34. Et ecce die tertio, quando grauissimus vulnerum dolor est: arreptis, duo filij Iacob, Simeon, & Leui fratres Dinæ, gladiis, ingressi sunt vrbem confidenter, interfectisque omnibus masculis, Hemor, & Sichem pariter necauerunt, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam. Quibus egressis irruerunt super occisos cæteri filij Iacob, & depopulati sunt vrbem in vltionem stupri. Oues eorum, & armenta, & asinos, cunctáque vastantes, quæ in domibus, & agris erant, paruulos quoque eorum, & vxores duxerunt captiuas.

§. XXIX.

Breuis voluptas ingens tormentorum pondus accumulat.

Horariam cœpit Sichem voluptatem ex stupro, & quanti inde orti sunt dolorum cumuli? *Ecce, ait, die tertio, quando grauissimus est vulnerum dolor, &c.* Triduum iam implebant dolores grauissimi, quos voluptas Principis Sichimitæ sibi adsciuerat. Nunquam, mihi crede, breuis voluptas non parit ingentes dolorum, tormentorúmve cumulos. Fallar, nisi in voluptatis vltionem non sit ille gladius, de quo apud Ezech. cap. 21. *Tu ergo fili hominis Propheta, & percute manu ad manum, & duplicetur gladius, ac triplicetur gladius interfectorum: hic est gladius occisionis magnæ.* Hebræi legunt: *Hic est gladius interfecti magni,* hoc est, interfectorum magnorum, quo scilicet magnates, & potentissimi viri cadunt. Non equidem pœna libidinosorum leuis, & simplex est, qualis sufficiens ad perdendos debiles, & paruulos, sed est pœna in tantum duplicata, & triplicata, imò multiplicata, vt penitus obruat etiam potentissimos, & validissimos ad portandum. Huc spectat illud Prouerb. 9. nimirum: *Mulier stulta, & clamosa plenáque illecebris, & nihil omnino sciens, sedit in foribus domus suæ super sellam in excelso vrbis loco, vt vocaret transeuntes per viam, & pergentes itinere suo. Qui est paruulus, declinet ad me. Et vecordi locuta est: Aquæ furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior. Et ignorauit quòd ibi sint gigantes.* Chaldæus legit: *Et ignorat, quòd ibi deiicit gigantes.* Plane vecors iuuenis attractus, & illectus à meretricia voluptate, ignorat, quòd ibi tot aggerentur ruinæ, tantus fiat dolorum tormentorúmve cumulus, qui gigantes potentissimos opprimat, deiiciat. Dolores, & tormẽta, quæ vexant voluptuosos homines adeò grauescunt, vt possint validissimos quosque opprimere. Non remanent, miser iuuenis, leuia supplicia, sed grauissima, sed quæ deberentur potentioribus Dei inimicis. Quò respiciens Prouerb. 7. ait de meretrice: *Via inferi domus eius, penetrantes in interiora mortis.* Non sistunt voluptuosi in mortis limine, non in dolorum primordiis, aut prostibulis, sed ad interiora penetrant, nimirum ad arctiora, & obscuriora, vbi pœnæ, & dolores ferè in immensum assurgunt. Sic D. Hieron. ibi: *Interiora autem mortis, acerrima gehennæ tormenta, quasi arctiora, & obscuriora dicit, quibus hæreticos, & fornicarios constat esse mergendos, sicut de Sanctis pro Domino in hac vita patientibus aduersa, dicitur: Quia misit eos custos in interiorem carcerem: atrociorem videlicet, & fœdiorem, & obscuriorem.* Ecce tibi quales diræ manent voluptuosos homines; quæ atrociores sũt, & crudeliores iis, quæ illos premunt, qui gigantea superbia posuerunt in cœlum os suum, & aperto Marte ausi sunt pugnare cum Deo. Nec suppliciorum vitas immanitatem, quòd in lasciuiam ruas prætextu nuptiarum; (quo etiam prætextu Sichem se armabat;) lasciuia namque præconcepta, nunquam non trahit vindices sui ingentes calamitates. Vbi ergo videris libidinem incipere, crede simul etiam ibi ordinari, non qualecumque supplicium, sed suppliciorum innumerabilium cumulum, sed tormentorum diluuium, & pœnarum: agens enim Moyses de illo ingenti diluuio, in quo gigantes mundi gemitus edebant, oppressi pondere pœnarum, vt ait

Ezech. 21. — *Prou. 9.* — *Prou. 7.* — *Hieron.*

Iob

Iob 26.

Iob cap. 26. *Gigantes gemunt sub aquis.* primam tantæ calamitatis causam proponens, ait Genes. 6. *Videntes filij Dei filias hominum, quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant. Dixitque Deus: Non permanebit spiritus meus in homine, &c.* Non hic proponitur fornicationis scelus, matrimonia, & nuptiæ filiorum Sethi cum pulchris Caini filiabus numerantur. Vbi nuptiæ erant, quæ libido tanta esse potuit, quæ mereretur diluuium pœnarum? Hoc quæstionem fecit D. Basilio Seleuc. orat. 6. fanti: *Quomodo hoc erat tantæ pœna condignum; nam quarum erant admirati speciem, earum nuptias complexi sunt? Siquidem nuptiis legem antepone, & pulchritudo comperitur à reprehensione libera.* Quale scelus luxuriæ in eis, qui nuptias affectabant? Erant nuptiæ, fateor; sed erat luxuriæ rabies, quæ honoratissimos viros ad indecoras nuptias reptabat. Vbi autem luxuries exundat, vel inter ipsas nuptias, suppliciorum, & calamitatum diluuia parantur. Ait Basil. suprà: *Sethi posteri partem adepti meliorem, & appellatione honorati, & paterna benedictionis hæredes, filias ex Caini posteritate formosas conspicati, splendidas, & ornatu florentes, seruúmque libidinis rationem tradentes, diuina calcant edicta, & execrabilium egressu fœdantur, fluxam, & caducam voluptatem æternarum rerum votis anteferentes, adulterant viam suetam virtutis iter vim, ac iniquitati natura mancipatur. Iam ergo periculum crebatur, diluuium armabatur.* Et simul vel inter nuptiarum fœdera luxuries triumphabat, & periculũ crebatur, & diluuium armabatur: nescit enim ferri luxuries nisi diluuio pœnarum.

Basil. Sel.

Basil.

§. XXX.

Vt calamitates ob honestatem ornant homines, sic ob turpitudinem eos deiiciunt.

PErempti sunt omnes ciues Sichimitæ vnà cum Principibus suis, quorum calamitatem memorans textus, duas facit interfectorum classes, in prima ponit omnes masculos, in altera Hemor, & Sichem Principes ciuitatis. Sic enim fatur: *Interfectisque omnibus masculis, Hemor, & Sichem pariter necauerunt.* Meritò à masculorum clade eximit Principes, qui fœmineis voluptatibus raptati cesserunt gladiis: sic dehonestans Sichemum, illum non inter cadentes masculos numerans, sed separatim; sic ornans ciues occisos, eos masculos appellans, vt qui non luxuria, sed amore Principis sui in illam fuerint calamitatem redacti. Vt enim calamitas ob honestatem ornat hominem, sic eadem ob turpitudinem fœdat, & deiicit virorum famam. Sic coram Cæsare Herodes suam, & Antonij expendit calamitatem apud Egesippum lib. 1. de Excid. Ierosol. cap. 33. fatus: *Vitis Antonium mulier infestior suis, quàm aduersariis. Suaseram mortem mulieris, si vellet sibi consulere. promiseram auxilia, quibus repararem afflictum: promiseram vires, quibus fugatum tuerer: meipsum belli consortem obtuleram, sed mentem eius obstrinxerant Cleopatræ cupiditates: victus est, quia audire me noluit: victus sum & ego cum Antonio, minore tamen flagitio, quia illum Cleopatra vicit, me Antonius. Ille Barbaram, ego amicum nõ dereliqui.* Ecce tibi disertissimus orator gloriatur de calamitate, qua maximè Antonius fœdatur: quia licèt eadem calamitas vtrumque vexauerit; tamen in illam deuenit Herodes ob amicitiæ honestatem; Antonius autem ad illam peruenit fœmineis cupiditatibus raptatus. Huc traho prodigum illum filium apud Lucam cap. 15. Is ad penuriam redactus, dum porcis pascendis incumberet: *Cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat. In se autem reuersus dixit: Quanti mercenarij patris mei abundãt panibus, ego autẽ hic fame pereo. Surgam, & ibo ad patrẽ meum, & dicam ei, Pater, peccaui in cœlum, & coram te, non sum dignus vocari filius tuus. fac me sicut vnum de mercenariis tuis. Et surgens venit, &c.* Surgebat iste ad hoc, vt esset mercenarius; sed & ipse mercenarius erat ciuis cuiusdam dum iacet. Non ergo surgit, vt exuat mercenariorum statum, sed vel sedens, vel surgens inter vilissimam se continet sortem mercenarij. Cur ergo, quando non mercenarij exuebat vilitatem, dicitur surrexisse? Nonne mercenarij status semper signum est deiecti hominis? Nonne calamitosus est ingenuo viro? Cur ergo magis dicitur surrexisse, cùm apud patrem mercenarium agebat, quàm cùm mercenarius erat apud alium ciuem? Equidẽ vtrobique erat mercenarij conditio, & vilis & calamitosa ingenuo viro, sed erat vilitas, & calamitas, quæ in obsequium patris accepta ornabat filium, turpabat, & deiiciebat illum, cùm tenebatur in seruitium libidinum. Vnde meritò ait Titus Episcopus Bostrensis ibi: *Surgam, & ibo ad patrem meum. Hoc est, pulchrè eò reuertar, vnde turpiter decessi.* Pulchrescit homo etiam in mercenariorum conditione sumpta ob virtutem, vt in eadem turpatur & deiicitur, ob libidinem sumpta. Qui à Deo recedens in vilitatem mercenarij incidit, turpis est, vilis est: at qui per mercenarij conditionem Deo inuigitur, is & pulcher, & decorus est apud sensatos viros.

Egesipp.

Luc. 15.

Titus.

§. XXXI.

Cum principibus pereunt ministri, & familiares, qui eorum nesciunt obluctari cupiditatibus.

PEriissent Hemor, & Sichem Principes, qui vim fecerant Dinæ, sed populus vniuersus cur perit? Cur nullus vir mortem euadit, præsertim eorum perniciem Domino decernente, vt Iudith cap. 9. fatur? Sanè non immeritò punitur cunctus populus, in quo nullus inuentus fuit vir, qui obluctaretur principi in tanto scelere perpetrando. Habes etiam Genes. 20. vt Sara, Abrahami vxor, fuerit ab Abimelecho Rege Geraris rapta, sed statim rex, & tota regia cœpit morbo crudeli, & corripi, & agitari. Ait enim textus: *Concluserat enim Dominus omnem vuluam domus Abimelech, propter Saram.* In quo Iosephus, & omnes Hebræi agnoscunt acutissimum morbum, qui omnem regiam peruasit. Sed Rex sibi rapuerat Saram, in quo saltem aliæ Regis vxores non consenserant; cur ergo vniuersi mulctantur, qui Regiam habitant? Nullus fuerat in tota Regia, qui Regi velit obluctari, ideò meritò vniuersi pœnas dabant. Rem sic ponderat Philo Iudæus, lib. de Abrahamo, fatus: *Tunc Deus propitius miseratus hospitas, & protector factus iniuriam patientium, graues pœnas, & cruciatus magnos inflixit Regi, ita vt animo, corporéque laboraret morbo non simplici, & omnium voluptatúmque oblitus longè diuersas curas agitaret, quanam modo euadere posset è tormentis præsentibus, quibus continuis interdiu, noctúque molestabatur. Quam eius pœnam sensit & tota regia, eò quòd nemo se tantæ opposuerit iniquitati.* Conueniant huc principum laterones, qui nulli eorum facinori sciunt obluctari, & videant, quantis se deuouecant periculis, quantum metuere debent, ne Principum suppliciis inuoluantur. Equidem is est Deus, qui non solùm spiritum principum aufert, sed & illis atrocissima infert damna, qui non audent principum facinoribus obluctari. Apocal. cap. 21. recensentur illi, qui æternis suppliciis destinantur, & ait: *Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure, quod est mors secunda.* Vide, vt in tam largo suppliciis æternis addictorum censu primi ponantur timidi. Et qui timidi sic in facinoribus primas ferunt, vt & in suppliciis referant easdem? Res quæstionem fecit non paruam D. Ambrosio ibi, qui tamen hos timidos tam ardenti stagno addictos cum tot sceleratis notissimis indigitans, fatur: *Sunt timores valdè pessimi, de quibus hic dictum esse reor. Sunt multi quibus dedit Deus scientiam rerum temporalium, qui in iudiciis positi, dum vident quosdam à potentioribus iniustè opprimi, plus timentes iram hominum, quàm iram Dei, eos quos per doctrinam, quam acceperunt, iuuare poterant, & à periculo liberare, tacendo in damnum magnum sinunt deuenire. Sunt alij, qui non solùm non eos iuuant, sed propter timorem hominum, sententiam damnationis in eos proferunt.* Prob timor pessimus! quot deiecisti viros in flammantissimum stagnum! Time homo timiditati tuæ, quæ te non sinit potentiorum facinoribus obluctari; fallar enim nisi hæc te in supplicium æternum præcipitabit.

Genes. 20.

Philo.

Apoc. 21.

Ambros.

Genes. 34. Quibus perpetratis audacter, Iacob dixit ad Simeon, & Leui: Turbastis me hodie, & odiosum fecistis me Chananæis, & Pherezæis habitatoribus terræ huius. Nos pauci sumus, illi congregati percutient me, & delebor ego, & domus mea. Responderunt: Nunquid vt scorto abuti debuerunt sorore nostra?

§. XXXII.

Vna sola fœmina vt calamitosa esse solet toti familiæ.

TVrbarunt equidem Simeon & Leui, & in maxima discrimina adduxerunt totam familiam patris, cuius rei excusationem

excusationem illam afferunt, *Nunquid vt scorto abuti debuerunt sorore nostra?* Prætendunt enim in audaciæ excusationem infamiam sororis, vt iam pateat, quàm soleat in vna fœmina fundari totius familiæ, & turbatio, & clades. Quis nesciat Dauidis fœlicitatem, vt fuit adscitus in regnum, vt regno auctus, vt debellatis hostibus totius Israelis tenuit clauum. Inter hæc ait textus 2. Reg. cap. 13. *Factum est post hæc, vt Absalon filij Dauid sororem speciosissimam vocabulo Thamar adamaret Ammon filius Dauid, & deperiret eam valde.* Post fortunatissimas Dauidis glorias, vna eius filia speciosissima Thamar proponitur à fratre Ammon vehementer amata. Et cur hæc post Dauidis glorias proponitur? An vt eæ de filiæ pulchritudine augeantur? Absit; quin potiùs proponitur, vt iam fundamentum ostendatur incredibilium imminentium calamitatum. Theodor. apud Glossam, ait: *Quod in Thamarem est perpetratum, est quoddam principium, & radix calamitatum domus regia.* Vbi Thamar apparuit, & catenatæ apparuerũt Dauidicæ familiæ clades; Thamar stupratur, Ammon occiditur, Absalon exulat, tandem rebellat in patrem, eúmque à Regia fugat, & cogit pedes per auia montium peregrinari, à vilibus homuncionibus exsibilatus. Quæ maior regiæ familiæ calamitas? Sed illius radix vna fuit Thamar Regis filia à fratre violata. Vel experientia nouerat Dauid in quanta familiarum discrimina soleant fœminæ nasci; vbi enim dirissima Ioabo ob Abneri mortem imprecabatur 2. Reg. 4. sic fatur: *Mundus ego sum, & regnum meum apud Deum vsque in sempiternũ, à sanguine Abner filij Ner, & veniat super caput Ioab, & super omnẽ domũ patris eius, nec deficiat de domo Ioab fluxũ seminis sustinens, & leprosus, & tenens fusum, & cadens gladio, & indigens pane.* Expende, quòd inter illas calamitates, quas nollet deficere domui Ioab, hæc etiam numeratur, nimirum, *tenens fusum*; & quidem meritò. non enim deficiet calamitas familiæ, cui fœmina non deficit. Vt non absurdè dici possit in pluribus, & gloriosissimis familiis, quòd ministet ille Holofernis dicebat Iudith cap. 14. nimirum, *Vna mulier Hebraa fecit confusionem in domo Regis Nabuchodonosor.* Heu quot & quantas confusiones fecerunt mulieres in domibus splendidissimis, fœlicissimis. Fœminarum damna multi & prophani, & sacri scriptores deplorarunt, quare non mihi est animus in re tristissima demorari.

2. Reg. 13.

Theodor.

2. Reg. 4.

Iudith 14.

CAPVT V.

Iacobi luctus, & mors.

NOn opulentissimæ vrbis spolia, nõ filiorum triumphus, non decus filiæ vindicatæ senẽ Iacobum implebant obstupefactũ sceleris filiorum immanitate, indignatione periculi, & patũ aberat, quin vicinas nationes aduersus inermẽ familiã irruere videret armatas. Maior victorem sollicitudo perculit, vt qui filiæ corruptores peremerat, nõ iã de filiæ pudore, sed de totius familiæ ruina periculum imminens perhorresceret, irritatis nationibus, quæ stragem viderant Sichimitarum. Monente Deo fugam parat, tutiora sibi in Bethel auguratus, vt qui locus exceperat fugientem à fratre, nunc protegeret timentem nationum arma. Nec metus curam absorbuit domesticæ pietatis; quin potiùs, quæ inter expugnatæ vrbis spolia, idola ob pretium seruabantur, & si quæ alia inter seruos suos, ancillásve erant, requirens omnia, sub terebinthi arbore sepelienda curauit. Interea proficiscitur Iacob niueis stolis fulgenti familia comitatus, nemine persequente, panicus enim terror cunctas per circuitum nationes inuaserat. Peruentum est Luzam iam Bethelis agnomine illustratam; iterum ibi Numẽ affulget, iterum ibi erigitur altare, iterum victimis impletur ara. Sed primùm ibi mors cœpit Iacobi fores pulsare: moritur Debbora nutrix Rebeccæ, quã tumulandam iuxta se accepit quercus notior iam ex tanti luctus vocabulo. Repetit etiam ibi Deus erga Iacob fauores suos, promissáque toties facta, vt quàm sæpissimè amauit de illis rebus loqui. Non diu ibi moratus veris amœnitate vocatur in iter, quem arripit versus terram, quæ Ephrata ducit; vbi acutissimi partus dolores formosissimam Rachelem corripiunt; quos inter mori successit, edens in lucem Beniaminum. Quis non crederet immortalem tantam pulchritudinẽ? Sed proh dolor, sub eadem falce cadunt, & siccæ aristæ; & florentes pulchritudines. Dedit Iacob Bethlehemiticæ terræ defunctam coniugem dilectissimam, vnde successu temporis recepturus erat filium authorem æternum duraturæ vitæ. Addidit insuper defunctæ titulum, qui multis temporibus restatur, vt iaceant pretiosissima orbis decora, amabilissimæ hominum delitiæ. Et tamen nescio an duriùs fuerit Iacob percussus vxoris morte, quàm ausu Rubenis filij, qui paternum thorum adultera fœdat luxuria, comprimens ibi Balam patris concubinam. Hoc nefas transturrem gregis patratur, vnde in luctu discedens cum duodecim filiis, & vnica filia peruenit tandem in ciuitatem Mambre, in qua ad doloris cumulum, patris sui Isaac vidit extremum diem.

Post tot luctus peregrinum exuit, Chananitidis regionis incolam agit, auctus familia, multisque diuitiis locupletatus, Iosephum Rachelis filium præferre fratribus, atque ad sui gratiam vberiore affectu cœpit lacessere. Ardere maioribus odiis Iacobi domus, & certamine fratrum concuti; dum illi indignantur, quòd minimus ortu sibi præferebatur; ille studiosiùs commendare se patri, appetere germanos reuelatis eorum sceleribus non quiescebat, donec & sibi captiuitatem, & patri longissimum luctum comparauit. Non captiuum, sed occisum à feris plorabat senex Iacob filium Iosephum; quem fletum solus ipse Ioseph, quasi rediuiuus valuit temperare. Nam qui occisum illum patri retulerant, iidem renuntiant in Ægypto regnare, quò & regionis auitæ fames, & desiderium filij videndi impulit iam senem patrem. Id gratum admodum, & præcellentissimum Ægyptio Regi, non solùm Iosepho inclyto regnum donasse, sed etiam patrem reddidisse cum germanis. Decreta est terra Gessen, vt eam tenerent Iacobi nati, cuius inter delicias magnus Iacob concedebat fatis. Coronant filij patrem pene exanimem, qui singulorum prænuntians fortunas, vitia carpens, plenam virtutibus vitam exhalauit. Huc adest Ioseph, & quod ipse largissimis lauerat lacrymis, paternum cadauer Ægyptiis medicis tradidit curandum, condiendúmque aromatibus. Denique regia pompa defertur humandum in terram Chananitidem, apud Mambre, in duplice illo sepulchro Abrahamidum.

PARS VNICA.

Moralia circa textum.

CLAVDIT Iacobi historiam pars moralis, nec dubito, inter tanti viri cineres, plurima lumina asseruari, ad quorum claritatem nostros possimus mores componere, & animos exornare.

Gen. 35. Interea locutus est Deus ad Iacob: Surge, & ascende Bethel, & habita ibi, facque altare Deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas Esau fratrem tuum. Iacob verò conuocata omni domo sua ait: Abiicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt & mundamini, ac mutate vestimenta vestra. Surgite & ascendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare Deo, qui exaudiuit me in die tribulationis meæ, & socius fuit itineris mei. Dederunt ergo ei omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum: at ille infodit eas subter terebinthum, quæ est post vrbem Sichem.

§. I.

Non intrat Deus domum, in qua non patrisfamiliæ nutui parent omnia.

HAbebat equidem Iacob domum, in qua erat ipse paterfamilias, & rector, non tamen dicitur Deus ingressus modò fuisse Iacobi domum, nec eius tabernaculum præsentia sua ornasse, sed tantùm dicitur locutus fuisse ad illum:

Interea.

Interea, ait, locutus est Deus ad Iacob, &c. Cur non magis eius intrat domum? Cur non exprimitur ingressus Iacobi tabernaculum, ibique ad eum locutus? Erat tunc maxima inter filios & patrem discordia; filij enim minimè audientes patri, vindicarunt sororem Sichimitarum internecione, nec in ea re voluerunt subijci paternæ admonitioni. Deus autem non intrat, sed horret domum, in qua nutui patrisfamilias non subdita sunt omnia. Nota est historia Gen. 18. vbi tres peregrini viri contendunt ad Abrahami tabernaculum, quos Abrahamus suscipit, & adorat, & pascit sub tuguriolo, quod erat iuxta quercus arborem. Ait enim textus: *Et ipse stabat iuxta eos sub arbore:* puta ibi esse tuguriolum, quo peregrini excipiebantur. Sic fatetur apud Timoth. Antiochenum Dominus orat. de Transfigur. fatus: *Ingressus sum in tabernaculum Abrahæ.* Sic apud Chrysostom. orat. de Annunt. quæ habetur in Metaphraste. Sic supponit Philo lib. de Abraham. Ingressi sunt igitur tres peregrini, imò tres Angeli, & veriùs Deus in tribus Angelis, domũ Abrahæ. Et quid in hoc ingressu prodiditur citiùs, quàm summa illius domus cõcordia, in qua omnia sub vnius patrisfamilias nutu gerebantur, nullus seruus, nullus filius non se subijciebat tanto patri? Equidem si aliter res esset, si quid patrifamiliæ repugnans, ab eiusque nutu deuians inueniretur, nec Deus, nec Angeli eius ministri illam domum intrarent. Id quod & piè & eleganter meditabatur Philo lib. de Abrahamo, fatus: *Equidem dicere non possum, quid huic domui Abrahæ defuerit ad summam fœlicitatem, in qua apud homines, hospites excipi sustinuerunt Angeli, sacra, diuinaque naturæ ministri, ac subpræfecti Dei optimi maximi, per quos ille ceu legatos, & nuntios, quidquid libet, humanum genus præmonet. Qui poterant enim vel intra primum limen subsistere, ni sciuissent, totam domum ad vnam patrisfamilias paratam ceu naualem turmam bene constitutam, ad vnum celeusma sui gubernatoris?* Crede mihi, non potuissent Angeli, nec vel Dei vmbra potuisset subsistere in limine domus, in qua priùs non sciuissent, omnia esse concordantia, omnia esse patrifamilias subdita, eiúsque incunctanter parentia nutui. Odit enim Deus, & execratur semper, quod dissideant filij à bonis, & pijs parentibus. Vt dicat Isaias cap. 1. *Væ genti peccatrici, populo graui, semini nequam, filiis sceleratis;* alij ex Hebræo legunt, *filiis excisis.* Vt enim rami, dum sunt suæ arbori affixi, alliciunt transeuntes, amœnúmque illis vmbraculum exhibent, vbi autem ab arbore absciduntur, & turpiter iacent, & solùm capiuntur ad ignem. Sic filij, dum patris nutui adhęrescunt, gratum hospitium præbent & Deo, & cœlestibus ciuibus; vbi autem à parentis ductu exciduntur, non Deo, sed igni patent & maledictis. Vt bene probauerit suam ad patrem adhæsionem filius ille, qui nihil passus est triste, dum ad patrem festinat. Sic suspectæ discessionis à patre accusationem Antipater deludit apud Egesipp. lib. 1. Excid. Hier. cap. 44. inquiens: *Defero incorruptibilium elementorum testimonia. Venio ad te, Pater, per maria, & per terram nusquam aliquid passus. Parricidia debui non euadere, si reus essem. Absoluat me pater apud te cælum, quod non fulminauit, mare, quod non demersit, terra, quæ non absorbuit, per hæc ad te tutus veniο, Pater, quæ non solent euadere, etiam qui non sunt patrum genitalium parricidæ.* Nec malè probat suam in patrem adhæsionem, ostendens & terrena & cœlestia non aduersantia, sed adblandientia sibi. Vni enim Deus solet domui adblandiri, in qua viget filiorum in parentes obedientia summa. Sic vbi omnes Israelitarum domos deserebat tradens eas flammis hostilibus, Prophetam suum Ieremiam in domum Rechabitarum mittit. Cur execratis aliis domibus, in vna Rechabitarum complacet Deus sibi? Ait Ierem. cap. 35. *Domui autem Rechabitarum dixit Ieremias: Hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel. Pro eo quod obedistis præcepto Ionadab patris vestri, & custodistis omnia mandata eius, & fecistis vniuersa, quæ præcepit vobis, propterea hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel. Non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab stans in conspectu meo cunctis diebus.* Et quidem hoc proprium est Deo, quòd sibi adiungat domum, in qua parentibus concordant filij, vt exprobrat, & perdit domum, in qua à parentibus filij dissident. Sic etiam ait apud Ierem. cap. 13. *Agglutinaui mihi omnem domum Israel, & omnem domum Iuda, dicit Dominus, vt essent mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in gloriam: & non audierunt. Dices ergo ad eos sermonem istum::: Hæc dicit Dominus. Ecce ego implebo omnes habitatores terræ huius, & Reges qui sedent de stirpe Dauid super thronum eius, & Sacerdotes, & Prophetas, & omnes habitatores Ierusalem, ebrietate: & dispergam eos, virum à fratre suo, & patres, & filios pariter, ait Dominus: non parcam, & non concedam, &c.* Mirabar tantam Dei propensionem in domos Israelis, vt illarum singulas dicat sibi agglutinatas, ac ab illis discederet: & rursus tantam indignationem aduersus easdem, vt asserat, *non parcam, non concedam.* Cur à tanta adhæsione in auersionem tantam declinauit? Ecce declinationis gradus: *Dispergam eos, virum à fratre, & patres, & filios pariter,* vbi permissi sunt fratres à fratribus, & filij à parentibus scindi & separari animo, iam inde visebatur Dei ab Israelitis domibus separatio, & in illas execratio.

Philo.

Isai. 1.

Egesipp.

Ier. 35.

Ier. 13.

§. II.

Hoc in nobis diuinus cupit spiritus, quòd videlicet vnus splendeat honor Christi.

A Suspecta terra in firmissimum asylum Deus mittit Iacobum, vbi illum ad Bethel pergere iubet, vbi scalam vidit cœlestem, vbi cœlestium ciuium protectionem acquisiuit. Sed vide, quid moneat; *Habita ibi, fácque altare Deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas Esau.* Deus est, qui loquitur, & tamen non ait, fac mihi altare, sed fac altare Deo, qui apparuit tibi, &c. Quod notat D. Hilar. 4. de Trinit. inquiens: *Deus honorem Deo postulat, & postulat cum alterius significatione personæ.* Itaque honor postulatur a Deo exhibendus alteri personæ diuinæ à postulante distinctæ. Cur ergo non sibi petit fieri altare, non sibi petit honorem exhiberi, sed Deo, qui apparuit? Ait D. August. quæst. 110. *Filius ibi apparuit, & Pater hoc dicit.* Et quidem hoc maximè intendit diuinus Spiritus, vt ex hominibus, & in hominibus effulgeat semper honor Christi. Apud Matth. cap. 17. vbi transfiguratum vidit Iesum Petrus, ait: *Domine, bonum est nos hic esse, si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, & Moysi vnum, & Eliæ vnum. Adhuc eo loquente ecce nubes lucida obumbrauit eos. Et vox de nube, &c.* Tabernacula meditatus Petrus, & tabernacula meditanti lucidissima nubes apparet, quæ homines obumbrat instar tabernaculi. In qua nube, vt mauult D. Chrysostom. Spiritus sanctus repræsentabatur. Sed cur sub nubis lucidissimæ forma apparet Spiritus sanctus; dum Petrus tria tabernacula efficere mente tractat? Sanè vt ostenderetur, quàm altus sit Spiritus diuinus, ab spiritu humano; iste tabernacula meditatur, quæ Solem arceant, in quorum duobus non Christus, sed Moyses, sed Elias, sed creaturæ honorem habeant: ille verò nusquam Solem excludit, sed vndique prætendit lucidissimos iustitiæ Solis radios. Ait enim D. Chrysostom. homil. 10. in Marcum: *Mihi videtur ista nubes esse gratia Spiritus sancti. Quod igitur facere solent tabernacula, hoc fecit nubes. O Petre, qui vis tria tabernacula facere, respice vnum tabernaculum Spiritus sancti, qui nos pariter protegit. Si fecisses tabernacula, vtique fecisses humana, & vtique illa fecisses, quæ lucem excluderent, vmbram includerent. Nubes autem ipsa lucida, & obumbrans, hoc est vnum tabernaculum, non excludit Solem iustitiæ, sed includit.* Expende, quæso, quò tendant fabricæ humanæ, & quò tendat Spiritus sanctus. Qui humanas erigit fabricas, *illa facit, quæ lucem excludant, vmbras includant,* nihil scit supra se spiritus humanus cogitare, quidquid Solis iustitiæ est, quidquid ad veram pertinet lucem, totum excludit, vmbrarum tenetur desiderio, effictis vmbris maximè gaudet, illisque honorem habet. Verùm Spiritus diuinus nubibus quantumuis immisceatur, non excludit lucem mundi Christum, quin potiùs verissimum iustitiæ Solem vndequaque prætendit, vt cuius debeat esse quicumque honoris splendor, quicumque gloriæ ornatus. Hinc Luc. c. 9. memorans hanc eandem transfigurationis dominicæ historiam, ait: *Et ecce duo viri loquebantur cum Iesu. Erant autem Moyses, & Elias visi in maiestate.* Orig. legit. *Visi in gloria.* Et quæ hæc maiestas, aut gloria erat, sub qua tanti viri ornabantur? Ait Origen. homil. 3. in Matth. *Ille videt Moysem, & Eliam in gloria, quando viderit illos vnà cum Iesu.* In vno Iesu debet esse & gloria, & honor, & maiestas, vbi enim Iesus excluditur, nihil gloriæ, & honoris manet; sed solæ vmbræ. In tantum homo ab vmbris liber est, verísque gloriæ & honoris luminibus perfunditur, in quantum Christo Soli iustitiæ appropiat, in illóque vnus Iesus affulget. Vel Moyses, vel Elias sine Christo vmbræ sunt frigidissimæ, nihil honoris habentes; si vis illos in maiestate & gloria videre, fac vt in illis solus splendeat Christus, & fallar, si huic sit gloria similis.

Hilar.

D. Aug.

Matth. 17.

D. Chrys.

Luc. 9.

Origen.

§. III.

Fœlix homo, qui vbique memoriam Beatissimæ Trinitatis captat.

FOelicitatis, & securitatis viam afflicto Iacobo ostendens Dominus, iubet vt ad Bethelis solum pergat, ibique sacra faciat.

faciat Deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas, &c. quibus, vt bene notat Hilar. distinctionem innuit Diuinarum Personarum, nimirum alterius, quæ iubet; alterius, cui facienda erant sacra. Et cur ibi innuitur distinctio Diuinarum Personarum, nisi vt discamus, quòd tunc fœlix, & securus est homo, quando vbique beatificæ Trinitatis memoriam, vestigiave capeat? Sanè in Transfiguratione dominica, Matth. 17. Iesus Sole lucidior adstat, *& nubes lucida obumbrauit eos, & vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus.* In nube Spiritus sanctus, in voce Pater, cum filio Iesu recognoscuntur à D. Chrysost. A quo si quæras qua ratione velit his elementis percipere mysterium Trinitatis: & piissimè, & sapientissimè fatur, homil. 10. in Marcum: *Videte mysterium Trinitatis, secundùm meam tamen intelligentiam. Ego enim omne quod intelligo, sine Christo, & Spiritu sancto, & Patre nolo intelligere. Nisi intellexero in Trinitate, quæ me saluauit; dulce mihi non potest esse, quod intelligo.* Ecce tibi vt sanctissimus Pater omnem suam fœlicitatem, omnem suam dulcedinem in eo ponit, quòd vbique beatissimam insinuet Trinitatem. Similiter Genes. cap. 18. Tres viri peregrini Abrahamo apparent. Quid tunc Abrahamus? Festinat ad Saram, illique dicit: *Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcinericios panes. Ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum.* Augustinus putat fuisse trimum ipsum vitulum. Sic enim nescit sanctus Deo obsequium præstare, in quo non sit Trinitatis vestigium, sub quo fœlix viuat. Ait D. August. serm. 1. de Rogationibus. *Nonne vnus hospes erat in tribus, qui venit ad patrem Abraham? Hospes & amicus, pransor, & mansor, & omnia illi in Trinitate sunt exhibita humanitatis obsequia, quia Trinitatis gloria refulgit. Trimum attulit vitulum pater, tres mensuras similaginis conspersit futura mater, paritura filium, pro quo pater mactaret agnum.* Prosperitas, & fœlicitas Abrahami fuit, quòd in senectute pater fieret vnici filij & quòd filium iugulaturus, non filium, sed agnum iuberetur occidere. Ad hanc fœlicitatem vide vnde perueniat, ex obsequiis in Trinitate Deo exhibitis. Deum excipit, & dum tria sata similæ parat, dum vitulum trimũ occidit, omnia illi in Trinitate sunt exhibita humanitatis obsequia, ex quo bis accipit filium, dum illum generat, & dum pro illo arietẽ occidit. Sic omnia eueniũt fœlicia his, qui sub beatissimæ Trinitatis signis viuunt.

Matth. 17.

Chrysost.

Gen. 18.

August.

§. IV.

Repurganda sunt priùs, & penitus tollenda quæcumque Deum offendunt, vt fructuosius exinde illi exhibeamus obsequium.

SOlùm iubetur Iacob Bethel ascendere, & ibi altare erigere, & sacrificium offerre. Iacob autem quid fecit? Ait text. *Iacob verò conuocata omni domo sua, ait: abiicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mũdamini, &c.* Non de mũdanda domo, nec de spurcitie idolorum tollenda, mandatum acceperat, sed solùm de sacrificio peragendo, cur ergo ipse de nullo priùs curat, quàm de domus munditie, & idolorum abolitione? Perfectus vir, vbi accepit mãdatum de sacrificio offerendo, id in primis faciendum intellexit, quod circa domus munditiem erat, semper enim debet præcedere purgatio offensæ, si sacrificium tuum fructuosius esse velis. Sic, 2. Paralip. 29. Ezechias Rex sacrificaturus Domino, in primis *Adduxit Sacerdotes, atque Leuitas, & congregauit eos in plateam orientalem. Dixitque ad eos: Audite me Leuitæ, & sanctificamini, mũdate domum Domini Dei patrum vestrorum, & auferte omnem immunditiem de sanctuario.* Rex iussit, & omnia perfecerũt Leuitæ, Dei domum mundantes ab omni immunditie, quã ibi posuerant Gentiles. Et post mũdationem factam, nuntiatum est Regi Ezechiæ. Quid tunc? *Consurgénsque diluculo Ezechias Rex adunauit omnes Principes ciuitatis, & ascendit in domũ Domini. obtuleruntque simul tauros septem, & arietes septem, &c.* Ecce tibi religiosissimus Princeps litaturus Deo, hoc in primis curat, vt tollatur è medio omnis spurcitis gẽtilis, & quidquid Deo viuo, & vero posset esse offensiuum. Ex quo D. Cyrill. Alex. in Apologet. ad Theodosium, monet Imperatorem maximum, inquiens: *Intellige hinc, Christianissime Rex, optimum illum Ezechiam, cùm Deo sacrificare institueret, non priùs in tẽplum Dei ascendisse, & ea, quæ in votis habebat, perfecisse, quàm sacerdotibus Dei domum Domini repurgare, omnémque immunditiem inde eiicere præcepisset. Eo autem facto adolebat splendidè, gaudebátque ex animo, neque iniuria; vt qui iam acceptum Deo sacrificium ob id se oblatum speraret, quod templum ab immunditie liberasset.* Equidem & acceptum, & splendidum est sacrificium procedens ex animo, qui in primis vniuersas spurcities Deo infensas eradere curauit. Et quis audeat sine ingẽti timore Deum vel inuocare, habens plenam spurcitie mentem, plenum idolis animum? Centurio ille Romanus, Matth. 8. cui adhuc cordi erant idola, eò adductus vt Iesum vocaret, vehementer timebat, vt Iesus domum suam intraret. Ait enim: *Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbum, & sanabitur puer meus.* Serui sui amabat sanitatem, & medicum verebatur domo excipere. Cur non magis medicum compellit intrare domum, infirmo adstare? Erant illi cordi idola, erant domi sordes idololatriæ, quæ hominem salutis serui auidũ, timidum reddebant, vt horreret domum Iesum intrantem. Ex quo monebat nos Nazianzen. orat. 39. fatus: *Quocirca se quemquam priùs purgare oportet, atque ita demum cum puro consuetudinem habere, ne, vt Centurio ille, medicinam ita requiramus, vt tamen laudabili timore perterriti, medicum in ædes nostras non admittamus.* Planè cui cordi sunt idola, cui cordi sunt sordes diuinæ munditiei contrariæ, non potest non perterrefieri, in quauis Dei inuocatione, & vereri Deum ad se intrantem. Purget ergo se priùs homo, peccatorum sordes excutiat, idolorum memorias penitus abradat, & sic nec Deum inuocare verebitur, sed splendidè, & acceptè peraget sacra. Quò spectabat Dauid Psalm. 56. aiens: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. cantabo, & psalmum dicam.* Non priùs dicit se cantaturum, Psalmósque prolaturum in Dei laudes, quàm semel, & bis ostendat cor suum paratum, hoc est, ab omni sorde apprimè excussum, & mundatum, vt sic splendidiùs, & fructuosiùs exeat Dei inuocatio. Rem pulchro exemplo adornat Cyril. Alex. lib. 15. de Ador. in spirit. fatus. *Sic ego statuo, qui Christum in seipsis per Spiritum sanctum inhabitantem suscepturi sunt, eos priùs oportere maculas abstergere, & eluere crimina, & ita splendidam, & à maculis puram illi suam animam exhibere, vt sine dubio, diuinus ille cantor clamabat dicens: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo, & psalmum dicam, vt enim lanis, si puræ sint, tincturæ insident, sin vlla sordium reliquiæ illis insint, illicò facilè inductus color amittitur, nec sedem in illis firmam habet, ita Christi participatio in sanctas, & puras animas insinuat. in iis autem, quæ secus habent, nec insidere quidem, hærerève vllo modo potest* Quid pulchrius? Lana quidem, nisi bene lota sit, ab omnique spurcitie purgata, minimè est tincturæ excipiendæ apta, sic nec animi nostri diuinis splendoribus apti inueniuntur, nisi priùs omnem idolorum immunditiem excludant.

2. Paral. 29.

D. Cyril.

Matth. 8.

Nazianz.

Psal. 56.

Cyril. Alex.

Genes. 35. Cúmque profecti essent, terror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitates, & nõ sunt ausi persequi recedentes. Venit igitur Iacob Luzam, quæ est in terra Chanaam, cognomento Bethel: ipse & omnis populus cum eo. Ædificauítque ibi altare, & appellauit nomen loci illius, domus Dei: ibi enim apparuit ei Deus, cùm fugeret fratrẽ suum. Eodem tempore mortua est Debbora nutrix Rebeccæ, & sepulta est ad radices Bethel subter quercum: vocatúmque est nomen loci illius, Quercus fletus.

§. V.

Maximè infirmantur contrariæ potestates aduersus eum, qui ablatis vitiorum sordibus proficit in splendore gratiæ.

POst expurgatam domum, & defossa idola proficiscente Iacobo, cunctæ per circuitum nationes sic infirmantur, tantóque corripiuntur terrore, vt nullam illi offensionem inferre valeant. Ait enim: *Cùm profecti essent, terror Dei inuasit omnes ciuitates.* Sæpè vidimus Iacobum territum ad cõspectum fratris, nũc sic præualet, vt ad eius conspectũ ciuitates cunctæ infirmentur, terreantur. Quæ occasio sic Iacobum promouit? Quod opus tàm insignem mutationẽ causauit, vt qui infirmus erat, qui passim territabatur, sic conualeret, vt terrori ipse esset contrariis ciuitatibus? Terrebatur Iacob, quando in domo eius idola seruabantur, vbi autẽ domũ mundauit, idola abiecit, & sordes idolorũ abluit, & nouis vestibus mundísque fecit totã familiam splendescere, sicque profectus est, eò fortitudinis peruenit, vt nõ mirer, si ad eius conspectũ cõtrariæ potestates infirmẽtur, deterreantur.

Rupert.

Ita in præsenti Rupert. fatur: *Non igitur frustra, sed valde vtiliter, & necessariò suggestam diuinitus fuit beato Iacob, vt auferri iuberet de domo sua Deos alienos: nam antea ipse timidus, & periculosè incedens adorabat Esau, & domus eius cædibus, & sanguine turbabatur: nunc autem terror Domini inuasit omnes, & non sunt ausi eum persequi recedentem.* Et territæ, & infirmæ manent contrariæ potestates, vbi vident Iacobum ablatis idolis, splendidè procedentem, & proficiscentem in eum locum, in quo Deus appareat. Infirmitas tua, homo, & terror tuus inde nascitur, quòd in te idola mundi sint asseruata. Fœlix, qui se ab his idolis expedit, qui ea longiùs à se amandat, & post ea amandata aliquos ad Deum profectus facit: fallar enim, nisi ad huius conspectum contrariæ omnes infirmentur potestates. Sophonias cap. 1. ait.

Sophon.

Dicit Dominus, congregans hominem, & pecus, congregans volatile cæli, & pisces maris, & ruina impiorum erunt.

Septuag.

Septuag. legunt. *Dicit Dominus, deficiat homo, & iumenta: deficiant volatilia cœli, & pisces maris, & infirmabuntur impij.* Iubetur homo deficere, & volatilia, & pisces deficere iubentur, ex qua defectione illud sequendum insinuatur, quòd impij infirmabuntur. Sed ad hoc vt impij infirmitate corripiantur, quid hominis, aut volatilium, aut piscium defectus valet? Sanè nō aliud, quàm defectus omnium negotiorum mundialium; deficiat homo, siue renuntiet mundo, & sibi, vt pura, & integra mente Deum sequatur, & statim apparent confractæ, & infirmatæ omnes potestates contrariæ.

Hieron.

Ait D. Hieron. ibi: *Deficit quis vt homo, si contemnat humana, & non vltra moriatur vt homo, & audiat, Ego dixi, dij estis. Deficit, quasi volatile cæli, qui facit sibi pennas aquilæ, & reuertitur ad domum præceptoris sui diues, & omnem deserens paupertatem. Deficit quasi piscis maris, qui comprehensus sagena Domini, cum bonis piscibus separatur. Cùm hæc iuxta præceptum Domini fuerint perpetrata, infirmabuntur impij non habentes tantum robur, quantum prius.* Vtinam quis humana contemnat bona, vtinam idola abiiciat mundialia, & expeditus his laqueis sortem diuinam appetat, imò veteres exutus plumas, nouis pennis ad alta progrediatur, & sese intra iustorum sortem afferat. Ad huius conspectum impij animo cadunt, & vehementer infirmantur potestates contrariæ. Memini Israelitas sub Philisthinorum potētia adeò perterrefactos, vt nec auderent aduersus illos mutire; Philisthinos autem sic alacres, & erectos aduersus Israelitas, vt non dubitarent arcam Dei adducere in captiuitatem. Verùm, dum hæc gerebantur, monet Samuel Israelitas, vt abiiciant Deos alienos, ait enim 1. Reg. cap. 7.

1. Reg. 7.

Auferte Deos alienos de medio vestri, Baalim, & Astaroth, & præparate corda vestra Domino, & seruite ei soli. Abiiciunt illi Deos alienos, & Deo vero litaturi adsunt, quid tunc? *Intonuit Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos, & cæsi sunt à filiis Israel, &c.* Expēde illud, *exterruit*, quo Philisthini sic à Deo exterriti coram Israelitis notantur, vt nihil in illos auderent, quasi essent funditus prostrati. Valuit equidem idolorum abiectio, & Dei sequela, ita res commutare, vt Israelitis metum, terrorémque auferrent, illúmque infunderēt contrariis. Pulchrè enim ad hæc ait Iosephus in Glossa: *Inimici post illam plagam nequaquam super Israelitas egressi sunt, sed timore, & memoria rerum, quæ super eos accesserant, quiescebant. Fiducia, quæ fuerat Philisthinis aduersus Hebræos, post hanc victoriam facta est Hebræorum.* Ecce tibi quidquid potuerit efficere apud Israelitas idolorum abiectio, & sordium purificatio, & Dei veri inuocatio; equidem id effecit, quod aduersarij perterrefacti, imò & confracti, nihil auderent aduersus illos, & quòd illi insultarent aduersariis. Qui meticulosi erant, & terrefacti, dum inter se idola tenebant, iis abiectis, insultant & confidunt, accepta in se fiducia, quæ antea erat apud aduersarios. Sic mihi crede mutantur res omnium fidelium, cum vitæ mutatione, vt quæ tibi peccatis inuoluto insultant, & fortiora, & validiora apparent, hæc animo cadant, & funditus infirmentur, vbi te viderint idola abiicientem, & ad Deum properare. In nobis sunt, quæ aut infirmant, aut roborant contrarias potestates.

Iudic. 3.

Iudic. 3. ait: *Addiderunt filij Israel facere malum in conspectu Domini, qui confortauit aduersus eos Eglon regē Moab.* Expende vbi confortantur Israelitarum contrarij, vbi Israelitæ admittunt in se malum. Malitia enim cordis nostri admissa confortat hostes, exclusa eos infirmat. Rem ponderat

Origen.

Origen. hom. 3. ibi: *Vides quia peccata vires hostibus præbent, & quando nos facimus malum in conspectu Domini, tunc confortantur à Domino inimici nostri, tunc vires contrariis virtutibus dantur. Hoc siue secundùm literam quæras, ita inuenias, quia non inualescerent inimici nisi eis delicta nostra vires conferrent; siue ea spiritualibus consideres, similiter contrariæ virtutes non inualescerent aduersus nos, nec ipse Zabulus in nobis aliquid præualeret, nisi ei vires ex nostris vitiis præberemus, valde infirmus esset aduersus nos, nisi nos eum fortem peccando faceremus.* Et in spiritualibus, & in temporalibus, quæ intra nos sunt, siue infirmant, siue roborant aduersarios; sit in nobis omnis sordis munditiæ, omnis idoli abominatio; & vniuersæ potestates contrariæ vel ad nostri conspectum funditus infirmantur. Sit autem in nobis peccatorum macula, alicui idolo erectum altare, vel minimi inimici, qui nos perdant, roborantur.

§. VI.

Ad maximam commendationem viri facit, quòd beneficia accepta remuneret.

VBi accedit Iacob Bethel, dicitur mortua, & sepulta, & deplorata Debbora nutrix Rebeccæ, ait namque: *Eodem tempore mortua est Debbora nutrix Rebeccæ, & sepulta est ad radices Bethel, &c.* Pro quo non paruam excitat quæstionem Rupert. quærens, cur cùm Rebeccæ mors prorsus sileatur, eius nutricis mors in præsenti dicatur? Plane quòd Rebecca mortua sit, quòd sepulta, non dicitur in textu sacro, cur ergo, qui sic Rebeccæ mortem siluit; Debboræ nutricis Rebeccæ mortem, & sepulturam, & planctum tam accuratè in præsenti notauit? Faciebat hoc maximè ad commendationem Iacob, vt gratus ostenderetur erga matrem, cuius beneficio paternam benedictionem fuerat nactus; & quando morienti matri adesse non potuit, quod potuit, perfecit in Debbora nutrice matris, cui, quod matri debebat, iusta soluens clarior apparuit. Quis enim clarior illo homine, qui nescit beneficium acceptum non remunerare? Quis nesciat Saram vxorem Abrahami raptam ab Abimelecho rege? Is ob raptam vxorem alienam malè percussus iacuit, donec de cœlo admonitus vxorem viro suo reddidit: Quippe ait Gen. 20.

Gen. 20.

Tulit igitur Abimelech oues, & boues, & seruos, & ancillas, & dedit Abraham, reddiditque illi Saram vxorem suam, & ait: Terra coram vobis est, vbicumque tibi placuerit habita. Saræ autem dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo: hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes, qui tecum sunt: & quocumque perrexeris, memento te esse deprehensam. Orante autem Abraham sanauit Deus Abimelech, &c. Inscius Abimelech rapuerat fœminam, quam vt sciuit vxorem esse, viro reddidit, insuper multis donis impleuit: & cur in tanta facti emendatione non statim sanatus est, sed necessum fuit adhuc, vt Abraham oraret pro eo? Peccatori sese corrigenti solet Deus statim offerre medelam, cur modò expectauit Abrahami preces, vt Regi mederetur? Noluit equidem Deus sine Abrahami precibus sanare Regem, vt inde clarior, & illustrior Abrahamus redderetur, qui accipiens beneficium à Rege, illud remuneraret sanitate obtenta. Ait enim Egesipp. lib. 5. de Excid. Ierosol. c. 6. hanc historiam memorans:

Egesipp.

Remeat Sara ditior salue pudore, reuertit Abraham sanctior, qui coniugalis pudicitiæ remunerationem sterilitatis remedio compensauisset. Expende vnde sanctiorem, & illustriorem Abrahamum ostendit, nimirum, vt qui beneficium acceptum sanitatis obtento remedio compensauisset. Equidē beneficiorum remuneratio, & gratitudo nihil non ostendit in homine sanctius, & illustrius. Hinc Exod. 40. præcipiebat

Exod. 40.

Dominus: *Pones altare aureum, in quo adoleatur incensum coram arca testimonij, tentorium introitus tabernaculi pones, & ante illud altare holocausti.* Duo itaque altaria ponuntur, alterū exterius in introitu, alterum interius intra Sancta Sanctorum: illud holocausti altare erat ex lapidibus cōstructum, hoc aureum in quo adolebatur incensum. Et quando holocaustorum altare ex lapidibus fiebat, & in introitu patebat, cur altare incensi aureum erat, & in adytis constituebatur Sanctorum? Nonne sanctius quid erat, cremari victimas in Dei gloriam, quàm exhalari odores? Absit: victimæ enim cremabantur in aliqualem peccatorum mundationem; incensum autem & thymiama acceptis beneficiis referebant gratiarum actionem, qui autem beneficiis remuneratione, & gratitudinem refert, aureus fit, & pretiosior, & ad intima admittitur Sāctorum, ait Philo lib. de Victimis:

Philo.

Testatur id lex, iubende poni duo altaria, materia, loco vsúque differentia. Alterum enim è saxis collectitiis impolitis exstruitur in atrio iuxta templi vestibulum, ad immolandas victimas. Alterum verò aureum, situm est post primū velum in penetralibus, nemini conspicuū nisi Sacerdotibus, quod factum est adolēdis odoribus; vnde liquet micam thuris oblatam ab homine pio, Deo gratiorem esse multis bestiis. Quanto enim aurum præstat lapidibus, & adytum vestibulo, tanto acceptior est suffitus gratiarum actionis, quàm mactata victima. Ideò non solùm materia pretio,

artificum

artificum opere, sanctitatéque loci ara hæc augusta est, sed & hoc quod apud eam quotidie sacra exordium sumunt à gratiarũ actionibus. Ecce tibi, vſquequò ſeſe extollit ara beneficiis acceptis aliquales referens gratias. Et aorea fit, & in ſanctitatum loco ſublimis, & tota auguſta vndequaque apparet: quippe & ani um, & ſanctitas loci, & gratiarum actiones ibi celebratæ illam auguſtiſſimam, & commendatiſſimam faciunt.

§. VII.

Castitas etiam in morte viuidiores reddit alumnos suos.

NOn otioſè dicitur Debbora *sepulta ad radices Bethel.* Debbora enim idem ſonat, ac apis, quæ ſymbolum præfert poriſſimæ virginitatis, quæ virtus mortuos ſuos non tam ſepelit, quàm radicibus domus Dei ingerit, vt vel in morte de tantæ radicis ſucco viuidiores appareant. Cur dicatur mortuus ramus, qui viuidiſſimæ radici infixus adeſt? Hinc eſt quòd Ieſus ſuſcitaturus mortuos à ſepulchris, illos tantum elegit ſuſcitare, qui in natione nuptiis dedita, nondum viderant thalamum nuptialem. Luc. 8. filiam puellam Archiſynagogæ exſuſcitãs, ait: *non est mortua puella, sed dormit.* Et Ioan. 11. ſuſcitaturus Lazarum, ait: *Lazarus amicus noster dormit.* Et Luc. 7. filium viduæ ſimiliter exſuſcitat, eorúmque mortem ſomnum appellat. Cur ergo è tot mortuis elegit ſuſcitare eos, qui minimè norant nuptiale thorum, illóſque potiùs dormientes, quàm mortuos vocat? Equidem volebat oſtendere Dominus, quòd ij, qui à nuptiarum voluptatibus abſtinuere, aliquid particulare habeant, quo vel in morte promptiores ſint ad vitam. Quippe ait Orig. lib. 2. cõtra Celſum: *Quòd mortuos excitauerit Christus perpaucos, id expresserunt Euangelistæ: Archisynagogæ scilicet filiam, de qua nescio quomodo id dixerit Iesus: Non mortua est, sed dormit: cùm de hac aliquid designaret, quod mortuis cæteris non inesset; & vnicum viduæ filium, & tertiam Lazarum illum quatriduanum. Et id dixerim, vt enim in Elisæ Prophetæ diebus, etsi multi essent leprosi, ex his tamen nemo mundatus sit nisi Naaman ille Syrus: sic & mortui erant Iesu tempore multi, sed illi sunt à mortuis excitati, quos Deus Verbum ad surgendum aptiores cognouerat.* Vt enim innupti erant, & caſto, virgineove pollebant pudore, ſic ad ſurgendum à mortuis aptiores erant. Quam aptitudinem non habẽt, qui voluptatibus carnalibus immerguntur. De quodam Rege dicebat Ierem. c. 22. *Sepultura asini sepelietur.* Quod explicans Suidas apud Cornelium à Lapide ait: *Instar equi alicuius sepulchrum in voragine habebis.* Quid eſt inſtar equi habere ſepulchrum in voragine? Pulchrè in rem præſentem D. Amb. lib. 3. epiſt. 12. fatur: *Depositus in valle corporalium delectationum non inueniet sepulchrum, de quo possit resurgere.* In tam profundam voraginem decidunt mortui laſciui, vt videatur ſepulchrum illos ſic prorſus claudere, vt nunquam inde reſurgere poſſint in vitam. Habent caſti in ſepulchro vitæ radicem, ex qua facilè exurgant, quam minimè habent illi, qui carnis ſeſe immergunt deliciis. Huc refero dicta 1. tom. in Euang. lib. 1. c. 7. §. 48. & cap. 10. §. 7.

Luc. 8.
Ioann. 11.
Origen.
Ier. 22.
Ambr.

Gen. 35. Apparuit autem iterum Deus Iacob poſtquam reuerſus eſt de Meſopotamia Syriæ, benedixítque ei, dicens: Non vocaberis vltra Iacob, ſed Iſrael erit nomen tuum. Et appellauit eum Iſrael, dixítque ei: Ego Deus omnipotens: creſce, & multiplicare: gentes, & populi nationum ex te erunt, Reges de lumbis tuis egredientur. Terrámque quam dedi Abraham, & Iſaac, dabo tibi, & ſemini tuo poſt te. Et receſſit ab eo. Ille verò erexit titulum lapideum in loco, quo locutus fuerat ei Deus: libans ſuper eum libamina, & effundens oleum, vocánſque nomen loci illius, Bethel.

§ VIII.

Maior, & præstantior virtus est, de peccati tenebris trahere homines in gratiæ lucem, quàm eos in gratia perficere.

ET in præſenti Iacobi nomen mutat, vt Gen. 17. Abrami mutauit nomen, cum hac tamen differentia, quòd Iacobi nomen totum, & integrè mutatur in Iſraelem, Abrahami nomen ſolùm mutatur per additionem vnius literæ, vt qui Abram dicebatur, iam Abraham inciperet dici. Sed illud venit maximè notandum, quòd in mutatione nominis Iacobi, memoret Deus omnipotentiam ſuam. Ait enim: *Appellauit eum Israel, dixitque ei, Ego Deus omnipotens: Cresce, & multiplicare, &c.* At verò in mutatione nominis Abrami ſolùm ait Geneſ. cap. 17. *Ego sum, & pactum meum tecum, erisque pater multarum gentium. Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram; sed appellaberis Abraham, &c.* Illic inter mutandum nomen ſuam exerit Deus omnipotentiam; hic non ſe omnipotentem dicit. Cur ergo vtrobique non ſe dicit Deus omnipotentem, vel non tacet omnipotentiam ſuam? In Iacobo dum totum mutatur nomen, totúmque nomen integrè, & nouiter aſſumitur, ſignificatur populus gentilis, qui nihil religionis veræ habens, totus de nouo religioſus, & fidelis vocari incipit; at in Abrahamo, dum tantùm vnius literæ additione mutatur nomen, pulchrè innuitur populus Hebræus, qui veri Dei notitia imbutus, ſolùm per paruam additionem egebat perfici in Chriſto. Ne miremur, quòd vbi ſolùm proponebatur populus perficiendus, ſine omnipotentiæ nota ponatur Deus ſimpliciter, qui meritò omnipotens oſtenditur, vbi populus integrè, & à fundamentis innouandus aſſumitur. Huius doctrinæ fundamentum dedit Rupert in præſenti fatus: *Quàm rectè nomen Abraham vna tantùm syllaba adauctum, Iacob autem in Israel, nomen omnino est permutatum: quia videlicet anterior Hebræorum populus, qui ex fide Patrum iustificabatur, sed arcebatur à Paradisi ingressu, vno tantùm augmento indigebat, vt in Christo perficeretur, posterior autem gentium populus, inchoationem pariter, & perfectionem vitæ, de Christi sumpsit aduentu.* Planè Hebræus populus fidei initiationẽ habebat, & religioſus erat, ſolùm egebat in Chriſto perfici, ideò ſignificabatur in Abramo, cuius nomen vnius ſyllabæ recipiebat augmentum, ſine expreſſione diuinæ omnipotentiæ: At gentilis populus totus profanus erat, nihil fidei, nihil veræ virtutis habebat, in illo & inchoatio ipſa religionis requirebatur, prorſus immutandus erat, ideò explicatur per Iacob, cuius nomen integrè permutatum eſt, & in illa permutatione ſeſe prædicat Deus omnipotentem, vt qui poſſet in populo profano religionem ædificare à fundamentis. Et quis ad hoc maiorem virtutem, & poteſtatem neget? Hinc pulchrè Origen. lib. 5. contra Celſum, Domini Ieſu virtutem, & potentiam ſupra Moyſem eleuat, quòd Moyſes leges dedit populis iam fidelibus, Ieſus autem totam religionem plantauit à fundamentis, in illis, qui penitus profani erant. Ait enim: *Moyses siquidem, quis ex gente Abrahæ essent, & eius semine oriundi, & ea successione circumcisionem seruarent, & Abrahæ gentium essent æmulatores effecti, vbi volentes, & promptiores accepit, ex Ægypto eduxit, diuinis impositis, quibus crediderant, legibus. At Iesus longè maius aliquid ausus, superinduxit pristina vitæ consuetudine captis, patriísque moribus, & suis legibus assuetis, euangelicam vitam.* Expende illud: *At Iesus longè maius aliquid ausus superinduxit, &c.* Sapientiſſimè namque putat longè maius eſſe vitam euangelicam ſuperinducere iis, qui contrariis, & inueteratis moribus erant aſſueti, quàm perfectionem legis indere iam fidelibus, & ad virtutem propenſis. Quis hoc neget? Negaret id forſan Pſeudo-Carmelita, qui ſub nomine Apologiæ pauperum, omnes ſacros Ordines acerrimè mordet, quòd habent facultates in communi, quòd non de pane quotidie emendicato viuant, quòd calceis vtantur: is ergo tantus alumnus perfectionis maius quid eſſe putat vnum iuſtum perficere, quàm multos trahere peccatores ad Chriſti lucem è tenebris errorum. Sic enim ait proposit. 3. *Magis enim glorificat Deum ille, qui vnum perfectum facit, quàm qui multos conuertit, qui postmodum sunt tepidi, etiamsi abstineant à peccatis mortalibus.* Et rurſus propoſit. 39. ait: *Vt enim ex supradictis patet, maius est, paucos perfectos facere, quàm multos conuertere à statu peccati ad statum gratiæ: ita quòd conuersi abstineant quidem à delictis mortalibus, non tamen sint perfecti.* Hæ ſunt hominis abſurdiſſimæ propoſitiones, & naturæ, & arti, & gratiæ, & Scripturæ, & Patribus repugnantes. Repugnant in primis naturæ, quia in compoſiti naturalis conſtitutione, quod per formam perficitur, & conſummatur, tamen productio materiæ, & præſtãtior eſt, & præſtantiorem, & potẽtiorem requirit cauſam. Quod notiſſimum eſt etiam tyronibus Philoſophiæ cãdidatis; cuius illa eſt vnica ratio, quia licèt materia in ſe imperfectiſſima ſit, & expectet perfici per formam, tamen quia ex nullo præſuppoſito, ſed ex purè nihilo fit, nõ poteſt fieri, niſi ab omnipotenti cauſa, quam minimè requirunt perfectiſſimæ formæ ſubſtantiales ma-

Rupert.
Origen.

rerisles. Repugnant item propositiones illæ arti, quando magnorum artificum manus circa primam delineationem imaginis, vel statuæ versatur: quæ à magnis artificib. delineatæ traduntur ministris, a quibus perficiantur. In quo fundatur illud vulgò tritum: *Facile est inuentu addere.* Rursus repugnant gratiæ: in ordine namque gratiæ difficillimum opus est, & infinitam virtutem requirens, quòd quis a peccato lethali eruatur. Ad hoc enim necessaria fuit Dei Incarnatio, cùm nulla pura creatura posset nos à peccato liberare, quæ sanè posset sibi acquirere augmentum gratiæ. Insuper repugnât Scripturæ, quæ præcellentiores viros deputat hominibus conuertendis à peccatis, perficiendos autem in fide, siue in gratis ministris illorum tradit. Sic ad Tit. c. 1. ait Paul. *Huius rei gratia reliqui te Creto, vt ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per ciuitates Presbyteros.* Hæc enim erat Apostolorum cõsuetudo, vt ipsi gentium, populorúmve conuersioni intendentes peragrarent prouincias, constituentes Presbyteros, & Episcopos, qui vacarent conuersis, vt eos perficerent. Vna enim erat Apostolico cordi præcipua cura, nimirum, conuersio mundi, cui vt vacarent, non immorabantur in singulis perficiendis, sed hos tradebant ministris. Denique repugnant illæ propositiones Patribus, qui & exemplo, & doctrina plurium conuersionem præferebant studio vnius perficiendæ animæ. Sic frequentiores erant in populorum conuentibus, vt multitudini verbum vitæ ministrarent, & rarò vni assidebant, nec cum vnius perfectione contenti erant. Sic peccatorum conuersioné putabant perfectius Dei opus, quàm resurrectionem mortuorum, quàm cœlorum creationem. Vt videre est apud Aug. apud Greg. apud Chrysol. & alios passim. Sic D. Amb. lib. de Parad. c. 10. expendens, quòd Deus dixerit non esse bonum hominem esse solum, cùm viderit societatis damna iamiam imminentia, sic concludit: *Quia ex viro solo non poterat humani esse generis propagatio, pronuntiauit Dominus, non esse bonum solum hominem. Maluit enim Deus, plures esse, quos saluos facere posset, & quibus donaret peccatum, quàm vnum solum Adam, qui liber esset à culpa.* Possem in hanc sententiam plura congerere, à quibus supersedeo, ne tempus insumam in re euidentissima. Quam euidentissimam ipse Polonus Pseudo-Carmelita cognouit, & ideò cùm dixit maius esse vnum perficere, quàm plures conuertere, suæ absurditatis correctionem addidit, dicens: *si plures postmodum sunt tepidi.* Quibus ostendit, quàm insciente, & malitiosè agat: implicatio enim est, quòd vbi plures conuertuntur, omnes tepidi, & imperfecti maneant, & quòd in plurium conuersione, non exurgant ordinariè plures virtutum segetes, & gratiæ, quàm in vnius disciplina. Nec qui pluribus cõuertendis dat operam, id intendit, vt illi imperfecti maneant, sed magis vt conuersi sancti sint, sicut Pater cœlestis sanctus est. Quòd autem tepidi, & imperfecti maneant, id præter intentionem est prædicantis, nec eius dedecorat facinus. Sicut vbi quis dat operam perficiendæ vni soli, potest fieri, vt vna illa non prorsus perficiatur, non tamen id derogat magistri conamini, & quidem facilius contingere potest, quòd respectu proficiẽdi vnius animæ oleum, & opera perdatur, quàm respectu plurium conuertentium se ad gratiam. Et similiter liberum esset calomniatori dicere, & declamare, quòd melius est operam dare plurib. conuertendis, etiamsi hi tepidi, & imperfecti maneant, quàm vni soli perficiendo intendere, si ille malit grunnire pro filiquis, quàm perfectionis amare puritatem. Sed absit vt religiosus animus sic compositis calumniis proximum laceret; fateamur magis, bonum, & perfectum esse vnius ouiculæ curam agere, vt perficiatur, sed longè perfectius, & diuinius pluribus conuertendis operam dare; licèt nec illa perfectionem acquirat, nec hi omnes tepitudinem amandent. Imò & plus est vnum à peccato ad gratiam trahere, quàm vnum à gratia ad maiorem gratiam deducere. Id quod de populo suo fatetur D. Nazian. orat. 32. *Talis quondam hic grex erat, talisque rursus nunc, tàmque succulentus, latéque se porrigens, at si nondum perfectionem assecutus, ad eam tamen quotidianis incrementis progrediens, atque etiam vt augurer, progressurus. Multo enim mirabilius est, quòd ex tantillo ad tantam magnitudinem perueneris, quàm vt ex eo statu, quo nunc est, ad summum splendoris, gloriaque gradum proueheatur.* Hæc ille.

Tit. 1. — Ambros. — Nazian.

§. IX.

Fœlix est ille, cui in fine integra sunt omnia bona, quæ illi erant in principio conuersionis suæ.

Expende magni Iacobi fœlicitatem, quando ait textus Genes. cap. 35. *Apparuit autem iterum Deus Iacob postquam reuersus est de Mesopotamia Syriæ, benedixitque ei.* Non solùm dum iter, sed & dum rediret de Mesopotamia is est inuentus Iacob, qui mereretur diuinam apparitionem. Fœlix ille, quòd in exitu a paterna domo Deum haberet sibi propitiantem, sed etiam fœlix, quòd in ipso reditu in nullo à se desciscens, eodem modo Deum haberet sibi adstantem. Apud Lucam cap. 15. adolescens quidam egreditur à paterna domo magnis diuitiis ditatus, sed breui tempore *dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè*; & in se reuersus, dum redit ad patrem, ait apud Chrysolog. serm. 2. *Ego perdidi, quod erat filij.* Et quidem communissima est hæc plurium confessio, qua in reditu ad patrem, se perdidisse omnia fateantur. Quis in Christo regeneratus, è paternis vlnis non diues procedit? Quis post longam vitæ viam rediens ad patrem, in ipso reditu, non se agnoscit multum perdidisse substantiæ? Sanè si quis talis in reditu apparet, vt in egressu, in nullo vacuatus, in nullo minoratus, is rarus est; is inter maximè fœlices debet numerari. Pro raro, & singulari homine clamabat Isaias cap. 16. *Emitte agnum Domine dominatorem terræ de petra deserti.* Propheta petiuit, & tandem de petra deserti venit Dei agnus, qui coram tondente obmutuit, qui pro mundi salute fuit oblatus, & morti adiudicatus. Quid plura? De hoc agno locutus Matth. cap. 27. ait. *Accepto corpore Iesu, Ioseph, inuoluit illud in sindone munda, & posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra.* Ecce tibi & petra promit diuinissimum agnum venientem in mundum à Patre, & petra eundem suscipit reuertentem. Vt iam inde pateat, quàm proprium sit diuinæ fœlicitatis, quòd quis non a suo ortu dissimilis in reditu ad Patrem videatur. Pulchrè aiebat Guarricus Abb. serm. 2. de Annunciat. *Sanè in hoc ipso satis decenter Christi occasus ortus, sepultura respondit conceptioni; dum videlicet emittitur agnus de petra deserti, condendus in petra monumenti, & cuius corpori monumentum excidendum erat in petra, ipse ab initio conceptus sui corpus sibi excidit de petra; sic integritatem petra cùm de ea emitteretur, non diminuens, sicut nec signatam sepulturæ petram, cùm de ea egrederetur, aperiens.* Expende illud, *satis decenter, &c.* quippe vt singularis, & rarus homo fiebat, qui ex duabus naturis, humana, & diuina vnus Christus erat, ad tanti hominis, tam singularis, tam fœlicis decentiam illud conueniebat, vt qualis in egressu à patre venerat, talis prorsus in reditu appareret. Nihil minus post emensam vitæ viam haberet, in nullo à se dissimilis, in nullo minoratus, sed sub eisdem signis, & virtutibus videretur. Huc accede tu, qui quasi modò genitus infans diuinis lactaris vberibus, qui in nouam vitam renasceris, & ad Deum relicto mundo contendis. Caue, ne primæ conuersionis ardores tepescant, illud enixè cura, vt principio respondeat exitus, & vt incipis, sic in nullo minoratus ad Patrem redeas. De Moyse dicitur Deuteron. 34. *Moyses centum & viginti annorum erat, quando mortuus est, non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti sunt.* Chaldæus legit: *Nec mutatus est splendor gloriæ vultus eius.* Ex quo maximè commendat Bellarmin. lib. 2. de reliquiis Sanctor. c. 4. Moysem, qui splendorem, & gloriam vultus conceptam ex diuino colloquio in monte, eandem seruauit integram vsque dum sepulchro redderetur, quod fœlicitatis videtur fuisse diuinæ. Hinc Moysi dicebat Dominus Exod. 7. *Ecce constitui te in Deum Pharaonis.* Suffecisset, quòd constitueretur siue Princeps, siue Dominus Pharaonis; cur maluit illum Pharaonis Deum, quàm Principem constituere? Volebat Dominus Moysem talem ostendere, qui idem prorsus in principio, & fine, in vitæ ingressu, & in reditu appareret, quod non ad alterius, quàm ad Dei fœlicitatem spectat. Ait enim Psal. *Ego dixi, Dij estis, & filij Excelsi omnes, vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis.* In eo se maximè Principes à Deo discernunt, quòd Principum proprium est decrescere, & ire in casum semper; Deus autem idem est, & in eodem virtutum splendore ostenditur, in quauis temporis differentia. Pulchrè Philo lib. de sacrif. Abelis: *Non Principis, aut Regis communem aliquam virtutem indidit ei, sed Deum eum constituit. Inquit enim; Do te Deum Pharaonis. In Deum autem nec subtractio cadit, nec appositio, cùm sit plenus, & semper sibi ipsi par.* Equidem non regia fœlicitas est, sed diuina, quòd quis semper sit plenus, semper in virtute sit par sibi ipsi, nec decretionem patiatur in iis animi virtutibus, quas semel imbibit.

Gen. 35. — Luc. 15. — Chrysol. — Isai. 16. — Matt. 27. — Guarr. — Deut. 34. — Chald. — Bellarm. — Philo.

Genes. 35. Egressus autem inde, venit verno tempore ad terram, quæ ducit Ephratam, in qua, cùm parturiret Rachel, ob difficultatem

tem partus periclitari cœpit. Dixitque ei obstetrix: Noli timere, quia & hunc habebis filium. Egrediente autem anima præ dolore, & imminente iam morte, vocauit nomen filij sui Benoni, id est, filius doloris mei: Pater verò appellauit eum Beniamin, id est, filius dexteræ. Mortua est ergo Rachel, & sepulta est in via, quæ ducit Ephratam, hæc est Bethlehem. Erexitque Iacob titulum super sepulchrum eius: Hic est titulus monumenti Rachel, vsque in præsentem diem.

§. X.

Primordia vitæ, & finis sibi mutuò correspondere, & assimilari debent.

NOn otiosè notatum est tempus veris, quo mortua depingitur Rachel, sed vt ostendatur, quàm connexa, & correspondentia sint vitæ humanæ ver, & finis eiusdem. Quippe ait: *Venit verno tempore ad terram, quæ ducit Ephratam, in qua cùm parturiret Rachel, &c.* Exierat Iacob à paterna domo, venerat in domum auunculi sui Labani, nuptias cum Rachele celebrarat, & filiorum examinibus comitatus ad patrem cœperat remigrare. Nec in iis notatur quale fuerit tempus; vbi autem venit ad locum, in quo Rachel moritur, simul aduentus ille ostenditur accidisse in verni temporis amœnitate. Quid mors Rachelis cum verno tempore? In morte omnia finiuntur, omnia marcescunt, & decidunt decora humana. In vere omnia repullulant, omnia aluntur in spes vitales, & campi, & arua incipiunt repuerascere. Cur ergo mors Rachelis adiungitur veris amœnitati? Sanè vt ostendatur, quàm faciat ad hominis fœlicitatem; quòd in eo, & vitæ primordia possint cum fine simul commorari, & quàm debeant prima, & extrema vitæ sibi correspondere. Ver namque flores emittit, qui pereunt, vt fructus exeat, sic Rachel in morte instar veris, ipsa perit, vt nascatur fructus ex vtero eius. Sic in Rachele, & prima, & nouissima ostenduntur sibi correspondere. Sic ait Stephanus Abb. apud Tilmanum in Allegoriis: [Stephan.] *In vere moritur, quæ mundo moritur, & renouatur Deo. Et talis est illa, quæ est Rachel, id est, videns principium, sed & finem vitæ diligenter attendens.* Ecce tibi fœlicis animæ insigne, quod ipsa instar Rachelis principium vitæ, & finem simul videat, simul coniungat, ne contingat, quòd vitę principium longè diuersum sit ab eo, quod debet esse in fine, sed prorsus idem. Hinc Isaiæ cap. 9. [Isaia 9.] *Paruulus natus est nobis, filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius.* Ex Gręco legit Ambros. [Ambr.] *Et factum est principium super humeram eius.* Et si quæras, quod principium factum est super humerum diuinissimi pueri, putat principium illud crucem esse, in qua mortuus pependit. Ait enim lib. 3. de Fide, cap. 4. *Cuius principium super humeram eius. Principium illud crux Domini est, principium fortitudinis, &c.* Sed crux potiùs ad finem spectat, in illa enim mortuus fuit Iesus, in illa omnium consummationem fecit. Quid ergo finis habet commune cum principio, vt crux, in qua finis est, appareat & principium esse? Diuinissimè sanctus Doctor per finis instrumentum, & vitæ principium decernit: hoc enim magnum de homine dici potest, quòd eius vitæ primordia sint prorsus eadem cum iis, quæ in præclarissimo fine debent esse. O quam fœlix ille est, qui sic sua primordia componit, vt non necessum sit ab illis quærere finem diuersum, sed quidquid putat præclari finis ornamentum, illud ipsum in vitæ principio ostendat. Isaias cap. 16. [Isai. 16.] *Emitte agnum Domine dominatorem terræ de petra deserti.* Cur vult agnum emitti de petra? Cur non magis petit, quòd emittatur de Paradiso voluptatis, de montibus æternis? Cur non expressiùs diceretur agnus emitti de sinu Patris, de floridissimo vtero materno? Cur iis prætermissis petram meminit? Expectabat agnum diuinissimũ, cuius in vitæ fine sepulchrũ effosum in petra, sic Matt. 27. [Matt. 27.] *Posuit illud in monumēto suo nouo, quod exciderat in petra.* Hoc ergo in primis diuinissimus puer nascens intendit, vt vitæ primordia fini glorioso correspponderent. Ait Guarricus Abbas ser. 2. de Annunt. [Guarric.] *Cuius corpori monumentum erat excidendum in petra, ipso ab initio conceptus sui, & corpus sibi excidit de petra.* Voluit, vt vitæ introitus, & exitus sibi correspponderent, & quòd omnia vitæ primordia talia essent, à quibus gloriosissima extrema in nullo differrent. Voluit equidem perfectissimæ vitæ, & securissimæ exemplar, à primordio se sub illis ipsis ostēdere, quæ vel gloriosissimum mortuum comitari deberent. Similiter recens natus Luc. 2. sibi pastores facit adesse; stellam sibi seruire facit Matth. 2. & Magos sibi ostendit procumbentes. Cur natiuitatem suam de Angelorum cantibus, de stellæ famulatu, de pastorum, Magorúmque obsequio maluit splendescere? Pulchrè D. Ambr. serm. 12. ait: [Ambr.] *Ecce enim cùm nascitur Christus, exultant Angeli, pastores peruigilant, Magi aduentant, stella præcedit, & cuncta, quæ sunt in cœlis, terrisque pulcherrima, ipsi Domino deferuntur. Deferuntur enim illi, gloria per Angelos, claritas per stellam, religio per Magos, simplicitas per pastores. Et quòd apud ipsum solùm futura essent hæc omnia, nascenti illi vniuersa famulantur.* Expende rationem illam, mirum, *& quòd apud ipsum futura essent hæc omnia, nascenti famulantur;* ideò virtutes illæ radiant in eius natiuitate, quia illæ eædem radiare debebant in vltimis eius temporibus, quando vt simplicissimus agnus, & innocentissimus immolandus erat, & per crucem clarificandus, & in glorioso sepulchro tumulandus. Ne quid in præstantissimo hominum deficiat in vitæ primordio, ex iis quibus vltima illius exornanda forent. Quò crediderim respexisse illud Matth. 6. [Matth. 6.] *Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, &c.* Quando enim apud Palæstinos mortui vngebantur, & lauabantur, adeò vt Iesus ex eo quòd se à Magdalena vngi videret, se etiam iam ad sepulturam factum inferret, Matth. 27. non malè conicio ieiunatoribus mandari vnctionem, vt docerentur, quàm deberent curare in omnibus vitæ virtutibus, a mortis præclaræ tempore in nullo differre.

§. XI.

Reproborum est, quòd morticinis bonis detenti, non progrediantur in virtutis via.

MOritur Rachel, & sepelitur in via; vt ait textus: *Mortua est Rachel, & sepulta est in via, quæ ducit Ephratam.* Non defertur dilectissimæ cōiugis cadauer in Hebron ad speluncam duplicem, in qua erat notissimum Abrahamidum sepulchrum. Sed in ea ipsa via, qua moritur, ibi statim sepelitur. Sed cur non defertur ad Abrahamidum sepulchrum, ad quod suum cadauer, postmodum deferri mandat vir ipsius? Equidem vir pius, qui Dei ductum sequebatur, & ad patrem properabat, cauit, ne defunctæ vxoris occasione retardaretur, vel cogeretur à via declinare, & ideò in mortua vxore hoc attendit, vt viæ susceptæ instaret: non enim iusti, sed reprobati hominis est, sic mortuis præpediri, ne Dei ductum sequatur. Exod. 12. [Exod. 12.] *Factum est autem in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui in solio eius sedebat, vsque ad primogenitũ captiuæ, quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum. Surrexitque Pharao nocte, & omnes serui eius, cunctáque Ægyptus, & ortus est clamor magnus in Ægypto, neque enim erat domus, in qua non iaceret mortuus. Vocatísque Pharao Moyse, & Aarō nocte, ait: Surgite, & egredimini à populo meo, vos & filij Israel, ite, & immolate Domino, sicut dicitis.* Sanè vocabat ad se Dominus populũ Israelitam, proficiscebatur ille, vrgebant Ægyptij, & ipse Pharao. Sed cur non magis ad Israelitarum exemplũ Ægyptij etiam ibāt Deo immolaturi? Mors sæuiebat per vniuersas Ægyptiorum domos, cur ad tot mortuorũ aspectum Ægyptij non abominabantur terrā suam, non properabant & ipsi inde exire, & sequi Israelis viam ad offerēdam Deo victimam? Vt erāt omnes Ægyptij reprobi, sic detinebantur mortuis suis, vt salubre Israelitarũ exemplũ non admitterēt. De illis ait D. Hier. [Hieron.] epist. ad Fabiolā in prima mansione. *Ægyptij circũdantur mortuis suis, ne exeuntium imitentur exemplũ.* Quid magis reprobũ? Sic miseri morticiniis adhærescunt, sic mortuis circumdantur, vt nec tanto allecti exemplo proficiscentiũ vllum faciant gradum in via virtutis. Meritò adolescens ille, qui ad Dei sequelā vocabatur, non permittitur ire, vt vel patrē mandet sepulturæ. Ait enim Dominus Luc. 9. [Luc. 9.] *Sine, vt mortui sepeliant mortuos suos. Tu vade, & annuncia regnum Dei.* Ecce tibi mortuos vocat illos, qui mortuorum sepultura occupantur, ne sequantur vocationem diuinam. Ab illisque vult, vt adolescens distinguatur, ne moram faciat in via cœlestium virtutum. Et cur illi vocantur mortui? Et cur ab illis debet separari adolescens iste? Sanè mortui vocantur à Deo, apud quem nulla habent partem, qui ab eius via separantur incũbentes

bonis morticinis. Qui autem Deo viuere amat, & ad Dei partem pertinere cupit, ab illis longè absit, ne cum illis moretur, sed relictis omnibus morticiniis ad opus Dei festinet. Quò respiciens Paschas. lib. 5. in Matth. sic præfata verba edisserit: *Tu qui fide viuis, & mortuus sæculo probaris, nihil tibi cum mortuis, ideò illud consortibus suis relinque: tu autem vnà cum electis sequere me in vitam, alioquin cum mortuis deputaberis.* Expende ab illis: *tu vnà cum electis sequere, &c.* Quasi in eo duo agmina electorum, & reproborum distinguat; quòd reprobus morticiniis incumbat, mortuisque bonis præpediatur, ne Dei viam arripiat. Electus autem nullo modo immoratur morticiniis, quin potiùs omni mortuo relicto, totus est in prosequendâ Dei via. Id quod in duabus auibus ab arca Noe dimissis apprimè etiam exprimitur. De quibus ait Genes. 8. *Dimisit coruum, qui egrediebatur, & non reuertebatur: donec siccarentur aquæ super terram. Emisit quoque columbam post eum, vt videret, si iam cessassent aquæ super faciem terræ. Quæ cùm non inuenisset, vbi requiesceret pes eius, reuersa est, &c.* Et cur cùm coruus inuenerit, vbi maneret, columba non inuenit? Coruus auis infausta, & reproba inuenit animalium cadauera, quibus statim incubauit, & quorum pastu detentus, immemor fuit arcæ. Columba autem auis munda, & electa, vt vidit sola cadauera, timuit in illis pedem figere, minimè in mortuis pastum habens, sed statim properauit ad arcam. Pro quo canebat Arator lib. 2. in Acta Apost. fatus:

Simul ipse columbam
Diluit, & coruum, sed non concordia mentis
Fecit vtrosque pares, hunc guttura plena rapinæ
Subduxere viæ, cupiensque in funere pasci,
Nil potuit vitale sequi, redit ales amica
Frugibus, & nullis succumbit naufraga lymphis,
Nutriri de morte timens.

Sanè reprobi morticiniis bonis inhiantes subducuntur cœlesti viæ, omnémque vitæ semitam abiurant: qui ad electorum pertinet numerum, in eo ostenditur, quòd nutriri de morte timet, sed abiectis morticiniis festinat ad vitam.

§. XII.

Temporalis hominis est, quamlibet contemnere ruinam, ex qua sibi accrescit temporale aliquod lucrum.

ECce tibi moritur dilectissima Rachel marito suo, & sepelitur in via, eique columnam erigit Iacob in titulum, sed nulla mentio in toto eius funere fletus auditur. Frequens est apud Scripturam mentio fletus longissimi in quouis præcellentis personæ funere. Sic Gen. 50. de Iacob ipso: *Fleuitque eum Ægyptus, &c.* Similiter de Moyse Deuteronom. 34. *Fleuerunt filij eum Israel.* Imò de Debbora nutrice Rebeccæ dicitur suprà: *Mortua est Debbora nutrix Rebeccæ, & sepulta est ad radices Bethel subter quercum, vocatúmque est nomen loci illius, Quercus fletus.* Ecce tibi in morte Debboræ tantus fletus in Iacobi domo exprimitur, qui æternum det nomen loco ipsi. In morte autē dilectissimæ vxoris, quatuordecim annorum seruitiis acquisitæ, nulla fit mentio fletus, nec vllum triste, lugubréque nomen inde sumit originem. Sed omnia dextra, omnia fœlicia, adeò, vt etiam filius, qui tantæ ruinæ dedit occasionem, & meritò ad eius memoriam posset vocari doloris filius, hoc nomine ablato, vocetur à Patre, dextræ filius. Cur sic ostenditur Iacob siccis oculis respicere tam dilectæ coniugis ruinam? Nascebatur illi ex ruina ille filius Beniaminus, vbi autem lucratur filium, non sic dolet ruinam, quam nouit causam lucri. Ait enim D. Chrysost. ibi: *Mærorem, quem ex morte Rachelis conceperat Iacob, mitigauit natus puer, & effecit, vt iustius magis æquo ferret animo.* Potuit alterius filij supra vndecim lucrum lacrymas abstergere patris in morte coniugis dilectissimæ; potuit, inquam, filij lucrum efficere, ne Iacob plangeret Rachelis ruinam. Quis speret in temporalibus hominibus dolorem posse esse ob ruinas, ex quibus sibi lucrum temporale acquirunt? Equidem hoc est temporalium hominum ingenium, quòd nec charissimorum ruinam, nec Dei ipsius amissionem flocci faciant, dum inde aliquod lucrum temporale percipiant. De primis duobus fratribus munera Deo offerentibus ait, Gen. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain autem & ad munera illius nō respexit: iratúsque est Cain vehementer, & concidit vultus eius. Dixitque Dominus ad eum. Quare iratus es? Et cur concidit facies tua?* Sic quærit Dominus à Caino rationē tristitiæ suæ, quasi supponat illi nullam esse tristitiæ causam. Cur, Domine, quæris tristitiæ rationem, quam vides esse omnibus euidentissimam? Quæris cur concidat facies Caini? Ego quæsierim à te, cur non concidat facies illius, qui tantam passus est repulsam? Cur non vehementer angatur, qui videt munera sua repelli à Deo? Sed meritò Dominus Caini tristitiam, vt nouam, & sine causa ortam in illo miratur, quando in tali repulsa lucrabatur Cainus munera sua integra. Quæ enim accepta fuêre munera, vt Procopio placet, flammis cœlestibus illicò fuerunt absumpta; quæ autem non placuerunt, integra, & intacta manserunt Domino suo. Quando autem homo temporalis nullam æstimat ruinam, ex qua lucrum temporale acquirit; meritò temporalissimus Cainus creditur nullam habere rationem tristitiæ in Dei repulsa, siquidem ex illa lucratur habere integra, & intacta munera sua. Pulchrè, & sapienter D. Basil. Sel. orat. 4. ex ore Dei loquit: *Cur concidit facies tua? Non sum vltus illata dedecora, neque flamma iniuriam absumpsi. Ad te reuertitur hostia. Tibi dedi muneribus tuis frui. Tibi factus est ad animæ conuersionem hostiæ reuersio, deliciare cum donis tuis.* Sapienter sanctus Doctor ad cor hominis temporalis loquitur, quando enim huic oritur lucrum, nulla est illi tristitiæ ratio, etiamsi ad illud lucrum habēdum perdatur Deus, perdantur cętera omnia. Imò amabit homo temporalis ipsas calamitates, ex quibus aliquid elicit temporalis lucri. Quod pulchra similitudine in Ephraim reprehendebat Oseas c. 10. aiens: *Ephraim vitula edocta diligere trituram.* Sanè tritura detrimentosa est vitulæ, illique afflictionem, & laborem non paruum ingerit, & tamen vitula, quia è tritura hoc habet, vt possit lucrari liberè escas, nihili æstimat totum malum, & damnum trituræ, quin potiùs illud diligit. Sic prorsus temporalis homo vniuersa damna contemnit, etiam charissimorum, etiam cœlestium, si ex illis lucrum acquirat. Ait Rup. *Vitulæ diligunt aream, eò quòd fruges in ea comedant. Sic & populus Israeliticus, licèt affligeretur, & multa aduersa pateretur propter idololatriam, tamen ingluuiem ventris sequi desiderans, vltrò ad idola reuertebatur.* Perdebāt miseri in idololatria Deū, perdebant libertatē, perdebant filiorum vitam; quia tamē inde aliquid lucrabātur temporale, non solùm nō dolebant, sed amabant calamitates illas. Quis ignoret miserā Iudę tragœdiā, postquā insurrexit aduersus Christum? Sanè vēdidit magistrum; sed agnoscens peccatum suum, Matth. 27. *proiectis argenteis in templo recessit; & abiens laqueo se suspendit.* Post hunc insurrexerunt in Christum Arriani homines. Cur non magis sibi cauent in Iuda? Cur Iudæ pœna non illis metum incussit, ne detraherent Dei filio? Licet in Iuda erat pœnæ monumentum, erat tamen repræsentatio lucri ex venditione, illi autem attendentes ad lucrum, omnia execranda, & metuenda vorant, ac gluttiunt. Ait Alexander Episcopus Alexandriæ, in epist. ad Alexand. Constantinopol. quæ habetur lib. 1. Concilij Nicæni: *Hi autem cum illius nundinationem, quia Christum ipsum vendidit, animaduerterent, non amplius Ecclesiæ legibus subiecti esse sustinuerunt, sed, speluncis latronum sibi constructis, conuentus in illis agere, noctes diésque Christo, nobisque maledicè obtrectare nituntur.* Ad lucri aspectum homines temporalissimi, & Deum, & eius iram vindicem parui ducunt.

Gen. 35. Egressus inde fixit tabernaculum trans turrem gregis. Cúmque habitaret in illa regione, abiit Ruben, & dormiuit cum Bala concubina patris sui, quod illum minimè latuit. Erant autem filij Iacob, &c.

Venit etiam ad Isaac patrem suum in Mambre ciuitatem Arbee, hæc est Hebron, in qua peregrinatus est Abraham, & Isaac.

§. XIII.

Virginitatis cultus, & familias, & populos tales solet reddere, quales minimè criminibus pateant.

IN domo, & familia vxoria, in qua nihil crebriùs rutilat quàm nuptiarum flammæ, non miror, quòd noua criminibus crimina succedāt; quòd ibi puellarum raptus eueniant, doli, sacrilegia, homicidia, incestus, adulteria oriantur. Nonne hæc omnia in domo Iacobi vidimus, imò planximus? Nonne ibi Dinæ raptus? Nonne filiorum doli aduersus Sichimitas, & sacrilega circumcisionis persuasio, & innumera homicidia? Ad hæc, *Abiit Ruben & dormiuit cum Bala cōcubina patris*

patris sui: vt præterita crimina de addito incestu, & adulterio cumulacant. Nec miror, nullum crimen non admitti in domo, in qua adeò crebræ rutilant nuptiarum faces. Vnus est enim almæ virginitatis cultus, qui criminibus soleat in familiis, & populis occludere aditum. Opponebant ethnici Christianis multa crimina, & immania, nimirum nefariissimos concubitus, incestus, infanticidia, & alia, quorum vel suspicionem vt depellat Tertul. vnum exerit apud Christianos cultum virginitatis. Quippe ait in Apolog. *Nos ab ista euentu diligentissima, & fidelissima castitas sepsit: quantúmque ab stupris & ab omni post matrimonium excessu, tantum & ab incesti casu tuti sumus. Quidam, multi securiores, totam vim huius erroris virginea continentia depellunt senes, pueri.* Ecce tibi vt depellit à Christianis suspicionem incestus, non ob immanitatem illius criminis, sed ob cultum castitatis virgineæ florentem apud Christianos. A qua qui alieni sunt, non mirarer, quòd tanto crimini etiam pateat; quando vnus castitatis purissimæ cultus soleat suos asseclas à criminum infamia propugnare.

Tertul.

Nouissimus est apologus Iudic. c. 9. vbi plantæ de erigendo sibi Rege concertabant: *Dixerúntque oliua, impera nobis, &c. Dixerúntque ligna ad arborem ficum, veni, & super nos regnum accipe, &c. Locutáque sunt ligna ad vitem, Veni, & impera nobis, &c. Dixerúntque omnia ligna ad rhamnum, veni & impera super nos, &c.* Ecce tibi in quatuor arboribus quatuor regna, quæ in mundo à Deo fuerunt excitata intelliguntur. In ficu regnum Paradisi exprimitur, sub cuius foliis voluit latere peccator primus. In vite designatur regnum quod à Noe incœpit, & per iustos homines durauit vsque ad Moysem. In oliua regnum apparuit, quod per legem Moysis fuit stabilitum in vnctione Regum, & Pontificum. In rhamno regnum dicitur stabilitum à Christo, statuente statum virgineum carentem nuptiarum fructibus, sicut rhamnus omni caret fructu. Sed illud notandum, quòd tria illa regna, sese à regni curis, & vigiliis excusant, vnus rhamnus inuenitur, qui & regnum intrepidè accipiat, & illud inconcussum retineat. Et cur illa detrectant regnum, quod rhamnus retinet? Sanè priora illa vt multa in nuptiis, & nuptiarum fructibus erant, sic occludere criminibus, & sceleribus aditum non valebant; verùm castitatis regnum vbi introductum est, sic se opposuit sceleribus, vt posset homines ad Deum stabiliter conuertere.

Iudic. 9.

Ait D. Methodius lib. de castit. apud Photium: *Hæc legum tria regna propter sæuentia, & immedicabilia vulnera animarum, noluerunt illis imperare, donec Deus quartum, miseratus hominem misit castitatē, à Scriptura rhamnum appellatam, quæ illis imperaret: quæ, voluptatibus superatis, etiam in reliquum tempus illis interminata est, quòd nisi sibi parerent omnes, futurum vt flammis absumerentur. Hinc deinceps homo cœpit iustitiam colere, Deóque constanter per fidem adhærere, & se à diabolo seiungere.* Expende, quæso, quid ex prædicato, & stabilito puritatis virgineæ regno profiluerit, nimirum ait: *Hinc deinceps homo cœpit iustitiam colere, &c.* A castitatis regno iustitia, fides, religio constantissime elucere cœperunt, peccata, crimina, & diaboli artes euanescere. Euanescunt equidem crimina castitate affulgente, vt sine illa immanissima quæque prosiliant in medium.

D. Meth.

Ait enim Paul. 1. ad Thessal. 4. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra; vt abstineatis vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrûm vas suum possidere in sanctificatione, & honore: non in passione desiderii, sicut & gentes, quæ ignorant Deum.* Ecce tibi vt in gentibus agnoscit Paulus, quod nequissimis desideriis reptentur, sed vnde tantæ nequitiæ locum præbent? Ait ipse. *Quæ ignorant Deum.* Sedulius Presbyter: *Ignorant Deum authorem castitatis.* Ex quo regnum castitatis ab illis ignoratur, traduntur nequissimis passionibus, iniquissimis desideriis. Castitas enim est, quæ valde firmat nationes in iis, quæ sunt ad Deum.

1. Thessal. 4.

Sedul.

Hinc Leuit. c. 19. *Ne prostituas filiam tuam, ne contaminetur terra, & impleatur piaculo.* Cyrillus legit: *& terra replebitur iniquitate.* Vbi enim abolerur pudicitia, iniquitates pullulant. Ideò Legislator curat, vt pudicitia floreat, quæ nos ad Deum ducat. Quocirca ait Cyril. lib. 7. de Ador. *Corporum castitatem ante alia, veluti primitias quasdam sanctæ conuersationis, à nobis exigit noster conditor: sunt enim corporalia hæc ornamenta tanquam aditus quidam ad spiritus claritatem, cum turpitudinis ac dedecoris notas effugiant.* Sic in castitate & iniquitatum ostenditur finis, & ianua virtutum.

Leuit. 19.

Cyril.

Hinc Actor. 14. dicitur: *Veniens Fœlix cum Drusilla vxore sua, quæ erat Iudæa, vocauit Paulum, & audiuit ab eo fidem quæ est in Christum Iesum. Disputante autem illo de iustitia, & castitate, & de iudicio futuro, &c.* Expende, quòd in primo sermone habito apud Præsidem gentilem, de nulla re priùs disputat, quam de iustitia, & castitate; habebat equidem Paulus castitatem pro ianua & stabilitate virtutum.

Act. 24.

§. XIV.

Gubernator filiis abundans mansuetior est circa subditorum delicta.

IMmane Rubeni & Balæ delictum sciuit Iacob, & siluit, & mansuetè tulit; cur non magis excanduit? Cur non magis adulteram percussit? Erat multorum filiorũ pater, in quibus mansuetudinem didicerat ad subditorum delicta. Ait enim textus: *Ruben dormiuit cum Bala concubina patris sui, quod illum minimè latuit. Erant autem filij Iacob, &c.* Expende, quòd & simul ponit in Iacob scientiam & dissimulationem criminis, & simul narrat eius filios dicens: *Erant autem filij Iacob.* Quid hoc cum primis? In primis narrat patrem sciuisse, & dissimulasse Balæ delictum, quid ad hoc refert numerus filiorum illius? Multum sanè, quando enim gubernator est pater multorum filiorum, vix fieri potest, quòd non sit mansuetissimus ad carpenda subditorum vitia. Compone tibi modò duos cantatissimos spiritus, Moysem & Eliam, de illo ait Eccl. c. 45. *In fide, & lenitate ipsius sanctũ fecit illũ, &c.* de hoc ait c. 48. *Surrexit Elias Propheta quasi ignis, & verbũ ipsius quasi facula ardebat. Qui induxit in illos famem, &c.* Ecce quãta lenitas in Moyse, quãta seueritas in Elia, sed vnde huic seueritas, & vnde lenitas illi? Moyses pater erat filiorũ, in quibus discebat lenitudinẽ; Elias virgo, & absque filiis, non habebat in quo temperaret seueritatem suam.

Eccl. 45.

Pulchrè ad hæc aiebat Chrysost. hom. contra Iudæos, Gent. & Hæret. inquiens: *Moyses nonne vxorem habuit, & liberos? Elias nonne virgo erat? Nonne Moyses manna è cœlo deduxit? Nonne Elias ignem de cœlo deduxit? Nonne Moyses coturnices aduolare fecit? Nonne Elias verbo cœlum clausit?* Vide Moysem totum positum in eo, vt populum cibet, vt manna, & coturnicibus famescentes saturet, Eliam è contra vide, in eo positum, vt flammis populares absumat, & fame terram percutiat. Vnde hoc discrimen? Insinuarat in principio, dicens: *Moyses nonne vxorem, & liberos habuit? Elias nonne virgo erat?* Equidem qui pater erat filiorum, non poterat in illis non discere lenitudinem. Planè vt principes, & gubernatores trahantur ad mansuetudinem erga subditos, multa sunt, & Philosophorum, & Patrum scripta, multa sacra testimonia quæ illos iubeant parentum explere munera.

Chrysost.

Sic pro aliis monet Ecclesiasticus c. 4. *Tu iudicans esto pupillis misericors, vt pater.* Paternam mansuetudinem, & misericordiam requirunt sacræ leges in principibus, & iudicibus mundi; sed hanc non tam leges extorquebunt ab hominibus, quàm ipsa natura, si ipsi patres filiorum sint. Quod pulchro carmine concinit Nazianzenus ad Vitalianum, inquiens.

Eccl. 4.

Nazian.

Vidi persæpe parentem
Dissimulante oculo, qui nati immanibus ausis
Cederet. Hunc iuuat ebrietas, hunc alea fallax.
Hunc amor & blanda Veneris damnosa voluptas,
In quibus euertunt studiis censúmque, domúmque:
Et tamen his iram genitor, meritásque remittit
Pœnas, nam scripta natura valentior omni
Lege viget: patris orati, quæ pectora mollit.
Multa vident, quæ se fingant non cernere, multa
Dissimulant audisse patres, licet auribus hausta.
Dauid, Habrahamidas reges qui clarus inter,
Omnibus ipse quidem mitis fuit: at magè natis.

Ecce tibi paterna natura quàm vbique habet lenitudinem, & suauitatem: is, qui naturaliter pater est, non potest fieri, quòd non sciat dissimulare culpas, quòd non sciat pœnas condonare, quòd non sciat etiam nefariissimis parcere. Nulla lex, nullum præceptum sic gubernatorem efformat, vt naturalis filiorum charitas, nam vt bene ait Nazianzenus, *Scripta natura valentior omni lege viget.*

Nazian.

§. XV.

Parentum, cognatorúmque obseruantia est inter prima, quæ religiosam mentem implent.

ECce tibi tertius hic adorator ab Abrahamo veri numinis, post tot aras Deo erectas, post Bethelis sacrificia, quò deueniat, ait enim textus: *Venit etiam ad Isaac patrem suum, &c.* In mente adeò religiosa non poterat non vigere erga parentes, cognatósque pietas, quæ virtus religiosos animos in primis implet. Quò spectans Paul. 1. ad Timoth. 5. ait: *Si quis autem suorum, maximè domesticorum curam non habet, fidem*

1. Tim. 5.

negauit, & est infideli deterior. Quàm seuera sententia hæc est, putans carere fide illum, qui caret pietate in suos! Sed vnde tam certò colligit Paulus, nec fidem, nec veram religionem esse in eo, in quo non est erga suos pietas; nisi ex eo quòd adeò sint connexæ hæ virtutes inter se, vt qui fidelis, & religiosus est, nequeat non esse erga parentes, & cognatos pius? In quo pietatē erga suos nō vides, ne putes in eo esse veram religionē, esse verā fidē, quando, qui hac impletur, nihil priùs curat, quā erga cognatos sese ostēdere pium. Egesippus lib. 1. de Excid. Hierosol. cap. 1. ait de quodā Ionatha, cuius mater, & fratres erāt captiui: *Assumpsit illicò Ionathas paternis Sacerdotij munus, & ad cultum rerum diuinarum profectus, statim pietatis obsequia, curámque seruandæ necessitudinis exequebatur, matrem cupiens, fratrésque periculo auferre.* Ecce tibi quàm sint iuncta religio in Deum, & in cognatos pietas; vbi enim hic magnus Pontifex ad cultum rerum diuinarum profectus est, statim pietatis obsequia, curámque seruandæ exequitur necessitudinis. Hæc planè virtus est, quæ Deo plenas mentes in primis inficit: Gen. 18. de Abrahamo ait: *Cúmque eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum, &c.* Tres viri apparent Abrahamo, hoc est, tres Angeli Deo pleni, totámque Dei œconomiam repræsentantes, Abrahamo se sistunt, eius tabernaculum intrant, præsentia sua honorant humile tugu riolum. Sed qui potuit fieri, vt diuinissimi spiritus, Deitatem in se repræsentantes, sic se demitterent, vt tam humile susciperent hospitium? Equidem vt Dei pleni erant, sic in Abrahamo noscebant & cognatam Angelis naturam, quam Angelorum Dominus erat subiturus, & nil priùs discunt ex deitatis plenitudine, quàm cognatis præstare officium. Ex quo ait Philo lib. de Abrahamo. *Qui poterant conuiuarum & hospitum speciem sumere, ni pro cognato conseruóque suum conuiuatorem habuissent?* Quasi diceret, hoc vnum Angelos Deo plenos potuit adducere, vt se ad speciem peregrinorum, & conuiuarum deiicerent, nimirum, quòd sub illa cognato poterant subuenire. Vbi cognatum Abrahamum senserunt, vt illum ornent, non dubitant humilia quæque subire. Semper enim est proprium animorum illorum, qui Deo implentur, cognatis suis prospicere. Id quod videre est in Nazianzeno, qui consobrinorum suorum causam commendans Cæsario Præfecto ait epist. 107. *Dominorum meorum cōsobrinorum æquissimum patrocinium suscipe quoniam ipsis tum ob generis propinquitatem, tum ob vitæ institutum, opera nostra debētur. Cuiusnam enim potiùs quàm eiusmodi virorum cura quispiam tangatur? Aut quare magis erubescat, quàm si huiusmodi beneficia conferre minimè studeat?* Hæc Theologus doctissimus, & sanctissimus; de quo argumento plura dixi 1. tom. in Euang. lib. 1. c. 8. §. 6. & lib. 4. c. 5. §. 19. & tom. 3. lib. 15. c. 3. §. 9. & c. 9. §. 17. & tom. 4. lib. 16. cap. 10. §. 3.

Egesipp. — *Gen. 18.* — *Philo.* — *Nazian.*

Genes 49. Vocauit autem Iacob filios suos, & ait eis: Congregamini, vt annunciem quæ ventura sunt vobis in diebus nouissimis. Congregamini, & audite filij Iacob, audite Israel patrem vestrum.

§. XVI.

Vnione, & concordia singulariter præparamur ad bona obtinenda, ad depellenda mala. In quibus est signum perfectionis.

POst longam emensam vitam Iacob tādem incidit in morbum lethalem, & morti propinquus filios conuocat, vt eis annuntiet quę ventura sunt bona, & quę imminerent mala. Sed illud notandum, quòd eos vocans ad tantæ rei prædictionem, non semel tantùm, sed & bis dicat. *Congregamini, congregamini.* Singulariter enim præparamur omnes vnione, & concordia, vt quæuis possimus excipere bona, & quæuis expellere mala. Ezechielis cap. 37. Israelitici populi augmenta, & bonorum ingentium restaurationes ostenduntur; & erat campus plenus ossibus hinc inde dispersis, quæ dum vates considerat, ecce tibi aduenientium bonorum argumentum firmissimum. Ait enim: *Accesserunt ossa ad ossa, vnumquodque ad iuncturam suam, &c.* Quantum hoc bonorum principium? Magnum per omnem modum, vbi enim vnio, & concordia ossium præcedit, non potest non venire & resurrectio, & vita. Ait Nazian orat. 32. *Postquam enim semel ab eo, qui mortuos ad vitam reuocat, ossa cum ossibus, & commissuræ cum commissuris iungi cœperunt, ac siccis rebus spiritus vita, & regenerationis datus est, resurrectionem vtique omnibus suis numeris, partibúsque perfect. atque explere necesse est.* Sapienter Theologus augura tur perficiendam esse omni ex parte resurrectionem, ex quo ossa sibi inuicem adhærere & vniri conspexit. Quippe vbi vnio, & concordia præmittitur, iam ostenditur omnium perfectissimorum bonorum susceptiuum. Quod bonum non trahat concordia, & quod malum non eliminet? Crediderim, quòd vt bona concordes amant, sic illos mala timent, imò & fugiunt. Hinc Cant. 6. de anima iusti dicitur: *Pulchra vt Luna, electa, vt Sol, terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Expende, vnde terribilis, & formidabilis dicatur hostibus suis, nimirum, ex eo, quòd castrorum aciem ordinatam refert. In acie enim metus hostium terror consistit in constipatione, & adunatione cohortium, ne possint disrumpi. Sic vis iustorum ad deterrendos, & exsufflandos hostes in vnione, & concordia maximè consistit. Accipite D. Greg. Pap. hom. 8. in Ezechielem, vbi inquit: *Et nos ergo cum contra malignos spiritus spiritualis certaminis aciem ponimus, summopere necessum est, vt per charitatem vniti, atque constricti, nunquam interrupti per discordiam inueniamur, quia si qualibet bona in nobis opera fuerint, si charitas desit, per malum discordiæ locus aperitur in acie, vnde ad feriendos nos hostis valet intrare. Antiquus verò inimicus castitatem in nobis, si sine charitate fuerit, non timet: quia ipse nec carne premitur, vt in eius luxuria dissoluatur. Abstinentiam non timet, quia ipse cibo non vtitur. Distributionem terrenarum rerum non timet, si eidem operi charitas desit, quia diuitiarum subsidio nec ipse eget. Valde autem in nobis charitatem veram, id est, amorem humilem, quem nobis vicissim impendimus, timet, & nimis concordiæ nostræ inuidet, quia hāc nos tenemus in terra, quam ipse tenere nolens amisit in cœlo.* Non vult sanctus Doctor detrahere castitati, abstinentiæ, eleemosynæ, sed ostendit, quàm illis formidabilior sit concordia nostris inimicis. Vt qui aduersus spiritualia nequitiæ arma sumit, non sic castitati, nec abstinentiæ, nec eleemosynis, vt concordiæ confidat. Hoc armarium vtinam nouerint, qui dum aliquem religiosum ordinem extollunt, eiúsque austeritates, & disciplinæ rigorem commendant; quod minus in aliis ordinibus suspicantur, acriter mordent, iniuriosè calumniant. Sanè hæc qui faciunt, dum concordiam scindunt, etiamsi præ se ferant multas alias virtutes externas, nihil prę se ferunt, quod abigat spiritualia nequitiæ, quod diabolos timeat. Quæ enim erunt cæteræ virtutes concordia scissa? Ait D. Greg. vbi suprà: *Quanta autem sit concordiæ virtus, ostenditur, cùm sine illa virtutes reliquæ, virtutes non esse monstrantur. Magna enim est virtus abstinentiæ. Sed si quis ita ab alimento abstineat, vt cæteros in cibo diiudicet, & alimenta eadem quæ Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione, in fidelibus etiam damnet, quid huic virtus abstinentiæ facta est, nisi laqueus culpæ?* Nec mirur, quòd sanctus Ecclesiæ Doctor, & religiosissimus Pontifex nihili æstimet virtutes, quæ supercilia ea creant in hominibus, quibus cæteros diiudicent in cibo, aut veste, & propter hæc discordias seminent, generent dissidia. Apage ieiunia, apage cilicia, apage psalmodiam, in quibus dum sum, cæteros mordeo, cæteros irrideo, & me ab illis seiungo. Satius D. Hieron. epist. ad Marcel. religiosos ordines in loco Dominicæ natiuitatis conuenientes extollens, inquit: *Quid referamus Armenios, quid Persas, quid Indos, quid Æthiopum populos, ipsámque iuxta Ægyptum fertilem Monachorum, Pontum, & Cappadociam, Syriam, Colen & Mesopotamiam, cunctáque Orientis examina? Qui iuxta Saluatoris eloquium dicentis: Vbicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ: concurrunt ad hæc loca, & diuersarum nobis virtutum specimen ostendunt. Vox quidem dissona, sed vna religio. Tot penè psallentium chori, quot gentium diuersitates. Inter hæc, quæ vel prima in Christianis virtus est, nil arrogans sibi de continentia supercilij. Humilitatis inter omnes contentio est. Quicumque nouissimus fuerit, hic primus putatur. In veste nulla discretio, nulla admiratio. Vtcumque placuerit incedere, nec detrahentis est, nec laudis. Ieiunia quoque neminem subleuant, nec defertur inedia, nec moderata saturitas condemnatur. Suo Domino stat vnusquisque, aut cadit. Nemo iudicat alterum, ne à Domino iudicetur. Et quod in plerisque prouinciis familiare est, vt gemino dente se lacereat, hic penitus non habetur.* Sanè qui sacri ordines cōueniebant in natalitio Saluatoris loco, hoc summæ perfectionis signum præstabant, non quòd omnes eodem cilicio vterentur, nec eisdem se macerarent ieiuniis, sed quòd vnusquisque in suo sensu Domino seruiens abundabat, nec aliud iudicabat, nec viperino dente laniabat. Crede mihi degenerant plurimum à vera religione, ab apostolica doctrina religiosi illi viri, qui nimis fidentes sui ordinis virtutibus alios lacerant. Erat antiquitus ordo de Præmonstrato, cui Cistercienfis ordo adiunxit maiora austeritatis exercitia. Et ecce tibi,

Cant. 6. — *D. Greg.* — *D. Greg.* — *D. Hier.*

tibi, qui sibi videbatur austerior, vt cœpit laxioris disciplinæ ordinem lacerare. De qua rescribens D. Philipp. Abbas ad D. Bernardum epist. 10. fatur: *Iam non mirandum est, si Ægyptios aduersus Ægyptios videmus concurrere, quod per Isaiam c. 9. Dominus comminatur, vel si impius iustiorem se deuoret, quod Abacuc 1. 1. admiratur: cum in populo Israel vnusquisque deuoret carnem brachij sui, iuxta Isaiam 9. Manasses Ephraim, Ephraim Manassem, & simul ipsi contra Iudam. Quod quid est aliud, quàm Monachus Monachum? Nunc verò plerique, qui laxiori via religionis ianuam sunt ingressi, illis audent detrahere, qui districtius propositum sunt ingressi. & qui sibi videntur paulò religiosius conuersari, laxioris propositi viros inueniuntur aliquantulum aspernari, non tenentes illud Apostoli. Superiores sibi inuicem arbitrantes.* Et quidem licèt ieiunia, licèt cilicia, licèt strictissimi rigoris disciplinam, licèt doctrinam, frugiferæ prædicationis sudores teneas, si illud Apostoli non tenes, quo arbitreris tibi superiores alios, quinimò illos vt infimos despicis, & laceras, non perfectionem Christianam, sed ieiunatoris Pharisæi tumorem sapis. Quomodo perfectio Christiana erit, vbi tanta discordia, & æmulatio apparet? Ait ipse Philippus Abb. epist. 11. ad Bernar. *Per Deum vos deprecor, qui suam vobis scientiam, suam contulit sanctitatem, vt super hoc dignemini meam instruere paruitatem. Quomodo scilicet religiosis adest, & in appetitu cœlestium tanta consensio, & ab inuicem tanta dissensio: quomodo ad tenendum religionis fastigium sic festinant, & à dilectione mutua sic declinant: quomodo in amorem diuinum rectis possint gressibus ambulare, & in fraternum tam reprehensibiliter claudicare? Vtinam essem vir, non habens spiritum, & mendacium potius loquerer. Neque hoc loquor, vt maiorum derogem sanctitati, sed vt motus meos vestra iudicem maiestas.* Planè repugnantia profert animus religiosus, qui in se apices ostendit perfectionis, & alios acriter mordet, nullo euidentiùs signo ostenderet, in se perfectionem inesse, quàm si etiam lacessitus tacuerit, & concordiæ studuerit cum omnibus, & sibi alios arbitretur superiores.

Phil. Ab.

Phil. Ab.

Genes. 49. Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei: prior in donis, maior in imperio. Effusus es sicut aqua, non crescas, qui ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius.

§. XVII.

Prælatura, & dignitate minimè ad lautitias & solos capessendos honores vti debes.

PRimogenitus Ruben adstat patri benedicendus, qui vt verè natiuitate primogenitus erat, sic de illo dicitur, quòd *sit prior in donis, maior in imperio.* Cedebant enim primas vniuersi fratres primogenito, & penes illum erat dominatus quidam cæterorum & imperium. Esset igitur primogenitus Ruben *prior in donis, maior in imperio:* quæ legit D. Hieron. in traditionibus Hebraicis; *Maior ad portandum, & maior robore.* Et meritò qui ad principatum signabatur, maior ad portandum perhibetur, vt sciamus in dignitatibus, & prælaturis conspici debere, non honorem, qui ambiatur, sed onus, quod portetur. Ait Dominus Isaiæ cap. 22. *Vocabo seruum meum Eliacim filium Helcia; & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, &c. Et dabo clauem Dauid super humerum eius, & aperiet, &c.* Expende illud, *dabo clauem Dauid super humerum,* solent equidem regij cubiculi claues tradi Principibus, quæ vel collo appensæ, vel cingulo ornamento sunt principibus, non oneri. Quæ ergo clauis Eliacimo datur, quæ non collum ornet, sed deprimat humeros, quæ non manu trahatur ad gloriam, sed humeris imponatur ad pondus? Ea proculdubio est clauis prælaturæ, quæ salutis, & pascuæ debet gregibus aperire fores; at hæc non assumenda est ad ornatum, & gloriam, sed ad pondus; subiiciendi illi humeri sunt ad portandum, non collum submittendum pro ornatu decoris. Pulchrè enim ait ibi Hector Pintus: *Quæ est hæc clauis tam grauis? Quod hoc tantum pondus, vt non in manu, sed in humeris baiuletur? Quid grauius gubernatione animarum? Ideò clauis hæc non in manu prælatorum ferenda, sed in humeris: vt animaduertas quanti ponderis, & laboris, prælatio sit. Quare quem Deus eligit, vt Eliacim, clauem in humero baiulat. Qui autem eligitur ab hominibus, non vocatus à Deo tanquam Aaron, non in humeris, sed in manu, vel ad collum, vt ornamentum, ac monile portat: non pondus magistratus, ac præfectura laborem curans, sed solum honorem, dominationem, & dignitatem.* Miserrimi hi sunt Prælati, & minimè vocati a Deo, qui in dignitatibus illud magis quærunt, quo ornentur, quo delicientur; ille solus verè Prælatus est, & Deo maximè probatus, qui magis oneri portando attendit, in hoc cupiens præ cæteris eminere. Vbi adlegitur Saul ad regnum, & in medio producitur, 1. Reg. 10. *Stetit in medio populi, & altior fuit vniuerso populo ab humero, & sursum. Et clamauit omnis populus, & ait: Viuat Rex.* Ecce tibi, & manus, & pectora, & cætera Saulis membra inter vniuersos populares latêt abscondita, & confusa, qui autem super omnem eminet, humerus est; altior enim fuit ab humero; quasi iam ibi ostenderetur, quid debeat super omnes eminere in principibus. Non equidem supereminere debet aliud, nisi humerus, qui onera portet, qui pondera subeat, non manus, non pectus, quod sola dignitatum insignia & honoris exhibeant. Clauis gubernationis humerum solum requiret, vt portetur; non pectus, non manus, vt effulgeat: in omnibus se prælatus adæquet cum suis subditis, solùm in exhibendis oneri portando humeris emineat. Quid magis tritum apud Patres, imò apud Philosophos ipsos?

Hieron.

Isai. 22.

Pintus.

1. Reg. 10.

§. XVIII.

Nunquam finiri debet, nec cessare labor in eo, qui virtutes perficere curat.

DIcit etiam Iacob Rubeni suo; *Tu fortitudo mea, & principium doloris mei.* Pagninus ex Hebræo legit; *principium laboris mei.* Potuit dicere, in te labor meus; sed maluit dicere, principium laboris, vt ostenderet, quam indefessus, & quàm nunquam finiendus est parentum labor in poliendo, & meliorando nequam filio. Vbi filius est nequam, qui reducendus est in bonam frugem, ibi patri principium laboris sine fine assurgit. Non enim debet esse finis, aut cessatio laboris, vbi de meliorando statu vitæ occasio affulget. Compone modò duo loca, alterum Gen. cap. 2. vbi sic: *Compleuitque die septimo opus suum, quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat.* Alterum est 2. ad Corinth. 5. *Si qua ergo in Christo noua creatura, vetera transierunt, &c.* Ecce tibi in primo dicitur Deus quieuisse ab omni opere creationis, in secundo adhuc ostenditur noua alia creatura. Si noua adhuc creatura datur, quomodo Creator quieuisse dicetur? Aut si Creator quieuit, quis est, qui adhuc nouas creaturas ducit in medium? In Deo est & Pater creans, & Spiritus sanctus perficiens, & mundans animas, eas multis virtutibus replens. Qui ergo Creator est Pater, is cessat, & quiescit ab opere: at qui perficit, & meliorat animas Spiritus sanctus, is cessare ab opere nescit, nec quiescere. Hinc Rupert. lib. 1. de Operib. Spirit. Sancti cap. 2. ait: *Et si cessauit Pater, cuius erat proprium condere rerum naturam, non cessauit Spiritus Sanctus, cuius est opus proprium meliorare naturam.* Itaque Spiritus Sanctus, cuius est proprium opus perficere, & meliorare naturam, vt ablatis peccatorum maculis effulgeat purior, & perfectior, is non cessat ab opere, non quiescit, sed continuè satagit, vt homo melioretur. Nunquam equidem cessare debet ab opere, is, penes quem est cura perficiendi, & meliorandi hominum mentes. Similiter Ioan. 16. ait de se filius Dei: *Exiui à Patre, & veni in mundum.* At loquens de Spiritu sancto ait c. 15. *Qui à Patre procedit.* Itaque Filius dicitur exiuisse de præterito, Spiritus sanctus dicitur procedere de præsenti, cuius enim est, gratiam, & perfectionem impendere, huius cura, & labor nunquam præterit, sed semper adest quasi præsens. Ait Rup. suprà c. 4. fatus: *Aliter Dei filius à Deo processit, nascendo videlicet ante sæcula, de secreta substantia Patris, vt conderet mundum, quod semel factum est, sine assumendo carnem, vt qui inuisibilis erat, visibilis fieret, quod itidem semel factum est. Aliter Spiritus iste procedit, cùm subiectæ naturæ gratiam impendit, quod toties fit, quoties viuificat ea, quæ mortua erant, & replet ea quæ vacua fuerant.* Semel Dei filius cum Patre accinctus est in opus creationis, semel reparationem hominis compleuit: & ideo opera eius, vt semel facta, repræsentantur etiam quasi præterita. At verò Spiritus sanctus, qui meliorationem, & perfectionem naturæ lapsæ operandam suscepit, non semel operi incumbit, sed millies, imò nunquam ab opere cessat, quin potiùs sic præsens est operi, quasi illud nunquam prætetire debeat. Quod sanctum debet esse omnibus, qui meliorationem hominis susceperunt; iis adeò debet esse labor indefessus, vt nunquam ab illo quiescant.

Gen. 2.

Rupert.

Ioan 16.

Rupert.

§. XIX.

§. XIX.

Honor est familiæ, quòd malorum ablatione minor fiat.

ECce tibi qualem benedictionem paret moribundus pater filio primogenito, ait enim, *Non crescas, quia ascendisti cubile patris tui.* Hæcne benedictio, & honor familiæ est; quòd non crescat? Solent parentes moribundi bona filiis suis precari, Iacob Rubeno precatur diminutionem. Cur bone non magis filium honoras? Cur non magis familiam tuam ornas nepotibus natis ex primogenito? Cur illis non augmentum, sed diminutionem expetis? Notissimus erat Rubeni incestus, & adulterium; ideò familiæ honor non in augmento, sed in horum diminutione erat ponendus. Paul. 1. ad Corinth. 5. *(1. Cor. 5.)* *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes; ita vt vxorem patris sui aliquis habeat. Et vos inflati estis: & non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.* Pusillus erat tunc Christianorum grex apud Corinthios, & adeò pusillus, vt si peccator, & sceleratus inde tolleretur, mirum in modum minueretur, vt vix ibi appareret Christi Ecclesia. Cur ergo Paulus sic eiicit peccatorem? Cur non magis illum seruat? Cur non magis consulit Ecclesiæ bono, vt appareat ampliata numero fidelium? Equidem sciebat Apostolus honorem familiæ in eo magis esse, si malorum abolitione minueretur. Ait ibi D. Bruno: *(D. Brun.)* *Ne doteris, quòd repulsio eius detrimentum sit Ecclesiæ Christi, quæ potius in hoc honoratur, quòd Ecclesia eius minuretur.* Planè quæ accidit vel populo, vel familiæ diminutio ex ablatione malorum; ea non paruo est familiæ decori, & honori, & amplitudini. Isaiæ cap. 10. *(Isaia 10.)* *Si fuerit populus tuus Israel, quasi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo. Consummatio abbreuiata inundabit iustitiam.* Ecce tibi non multitudinem arenæ comparatam ad suam Ecclesiam Deus efficaciter ducit, sed reliquias, hoc est, paucos numero. Et quid inde? Consummatio abbreuiata, nimirum iuxta communem Doctorum expositionem, consummatio, siue destructio abbreuians populum & ad paucitatem redigens illum, ea inundat iustitiam, vndique Ecclesiam vestit, & ornat indumento iustitiæ. Quò magis Ecclesia breuiatur per consumptionem scelestorum, eò gratiùs ornatur, & fit splendidior. Rem ponderat D. Clemens Rom. lib. 2. *(D. Clem.)* Const. cap. 43. *Si nonnulli homines ita nati, vt quasdam partes corporis superuacaneas adhærentes habeant, vt digitos, aut quodam in carnis eminentia, quæ dicuntur hypersarcomata, hæc sibi propter turpitudinem amputant: neque est indecorum opera artificis naturalem pulchritudinem recuperare: quanto magis decet hoc facere vos pastores Ecclesiæ, quæ est integrum corpus constans ex membris sanis, cùm aliquis instar membri superuacanei repertus fuerit, qui praua cogitet, & reliquum corpus deformet? Hic igitur ex Ecclesia iterum eiectus, meritò est abscissus à cœtu Domini: atque Ecclesia Dei magis nunc ornata fuerit, quàm antea.* Quid pulchrius? Vt corpus abrasis carnosis tuberibus minoratum pulchrescit, & ornatius apparet, sic Ecclesia cùm per ablationem scelestorum minuitur, non vilescit, sed maius in se ostendit & præstantius decoris ornamentum. Nunquam, mihi crede, multitudinis diminutio, qua iustorum cœtus purgatur, non præstantior, & ornatior Deo apparet. In quam sententiam ex multis Scripturæ locis, sic ait Nazianzen. orat. 32. *(Nazian.)* *Ignorus tres in nomine Domini congregatos, plures apud Deum censeri, quàm multos diuinitatem abnegantes? An tu vniuersos etiam Chananæos Abrahame vno antepones? An Sodomitas vni Loth? An Madianitas Mosi? Quid? An Abrahæ vernaculos, numero haud multo plures, multis illis regibus, atque innumerabilibus copiis, quas, quamuis ipsi pauci essent, persecuti sunt, atque in fugam verterunt? Illud quomodo intelligendum esse censes, si fuerit numerus filiorum Israel vt arena maris, reliquiæ saluæ fient? Non ita est, non, inquam, ita est. Non in pluribus beneplacitum est Deo. Tu quidem myriades numeras; at Deus eos, qui salutem consequuntur. Tu infinitum puluerem: ego electionis vasa. Nihil enim apud Deum ita amplum, & magnificum est, vt doctrina perpurgata, &c.* Hæc tota amplitudo est, & magnificentia domus, vel familiæ, quòd perpurgata sit, & pura à scelestis, licèt ad hoc ad summam redigatur paucitatem, aut penuriam.

Genes. 49. Simeon, & Leui fratres: vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea: & in cœtu eorum non sit gloria mea: quia in furore suo occiderunt virum: & in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura: diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israel.

§. XX.

Flagitiosum est, & minimè impunitum subdito, quòd ob priuata commoda, vel incommoda, sui principis famæ, & gloriæ non prospiciat.

MOribundus Iacob durissima Simeoni, & Leui imprecatur, eósque non dubitat vocare vasa iniquitatis bellantia, hoc est, homines promptos ad iniquissima bella, & fraudulentissima ineunda. Sed esto, peccarint illi inferendo bellum pacificis Sichimitis, nonne & simul stuprum sororis vendicarunt? Cur ergo, non magis illis parcitur? Cur tam acris illos insequitur pater? Rationem insinuant illa verba, *in cœtu eorum non sit gloria mea*, hoc est, iuxta Pererij explicationem: *absit, vt factum illud ad laudem, & gloriam meam pertinuisse putetur*, quinimo inglorium fuit, & periculosum Iacobo, vt ipse fatetur Genes. 36. aiens: *(Genes. 36.)* *Turbastis me, & odiosum fecistis me Chananæis, &c.* Sanè & gloria, & incolumitas Iacobi ex illo facto maximè fuit periclitata, vnde meritò plectuntur filij, qui sequentes priuata commoda, non consuluerunt parentis famæ. Aiebat Symmachus Romæ Præfectus, & disertissimus orator, in ea, quam Imperatoribus Valentiniano, Theodosio, & Arcadio fecit, apud D. Ambros. lib. 5. epist. 30. *(Ambr.)* *Amari, coli, diligi, maius imperio est. Quis ferat obfuisse Reipublicæ priuata certamina? Meritò illos Senatus insequitur, qui potentiam suam famæ Principis prætulerunt.* Hæc verba vellem animis filiorum, & religiosorum, & subditorum omnium maximè defixa esse: filiorum, vt scirent, quàm iure damnantur illi filij, qui priuatas suas cupiditates sequentes, in nullo prospiciunt famæ, & gloriæ auitis stemmatis. Ille filius, qui paternum nomen amabile, & venerabile omnibus reddit, plus patri præstat, quàm imperium. Qui autem ob priuatas iras, se, suámque familiam execrabilem facit, & abominabilem omnibus, is nullo supplicio satis torquebitur. Idem puta tu quolibet subdito, siue sæculari, siue religioso, qui priuata sua commoda præponit familiæ suæ æstimationi, & honori, principis sui famæ, & decori: hic sanè meritò plectitur, nullas enim tanti piaculi non debet pœnas. Notissimum est Dauidis adulterij facinus, sed & notissima est tanti facinoris pœnitentia: sed pœnitenti dicit Propheta? Ait 2. Reg. 12. *(2. Reg. 12.)* *Dominus transtulit peccatum tuum. Non morieris. Veruntamen quoniam blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Peccauit Dauid, sed pœnituit, sed fleuit, sed veniam postulauit, & tamen Deus qui veniæ largitor est, etsi peccatum dissimulat, veniam tamen non impertit, sed in filio mactat parentem. Cur Deus non magis parcis pœnitenti? Nonne ille es, qui scis immensa donare scelera? Nonne ille es, qui ad vocem pœnitentis, sic æstimas delicta, quasi non essent? Cur ergo Dauid tantus pœnitens non omninò liber egreditur, sed tantas luit pœnas? Id fuit Dauidis scelus, quod fecit Dei electoris sui nomen apud cæcas nationes sordere, & odiosum esse, quādo videbant maiora peccata esse in Dauide electo, quam in Saule reprobato fuerant. Ille autem, qui sic desipit, vt Dei sui, vt principis sui famę & bonori, suas cupiditates præferat, nunquam non præsentissimas dabit pœnas. Quò spectabat Saluian. lib. 2. de Guber. inquiens: *(Saluian.)* *Agnoscit Dauid culpam, humiliatur, compungitur, confitetur, luget, pœnitet, totum Regem cum ornatibus suis abiicit prouidum pœnitentem, cum patrocinio ambitiosi squaloris assumit, ieiunio exigitur, ariditate siccatur, fletu effunditur, solitudine carceratur. Et tamen Rex tanti nominis, prærogatiuis meritorum antecedentium supereminens, cùm tanto ambitu supplicet, non euadit. Et hic tantus, tam grandis fructus pœnitentiæ est, quod æternis quidem piaculis non addicitur, sed in præsenti tamen veniam non meretur. Denique quid pœnitenti Propheta ait? Quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, filius, qui ex te natus est, morietur.* Habuit hoc Dauidis scelus, quòd promotoris sui, electoris sui, Dei sui nomen periclitari fecerit apud gentes, & ideò nulla pœnitentia euasit ingentem pœnam. Meritò enim, & inexcusabiliter plectuntur, qui priuatas cupiditates famæ sui Principis, suæ familiæ præferunt, Meritò, & inexcusabiliter plectitur ille, cui non est curæ, quòd

quòd aoita gloria, quòd principis sui fama magis, ac magis radiet. Vt præmio dignus censetur, cuius studium semper eò tendit, vt sui maiores, & Principes accipiant claritatem. Ob quod commendabat Senatorem Cassiod. lib. 9. var. 25. aiens: *Cumulauimus quidem beneficiis nostris copiosum virtutibus, diuitem moribus, plenum magnis honoribus Senatorem. Cuius si merita consideretis, debemus omne, quod soluimus. Dignitates sibi creditas eximia grauitate tractauit; & ausus est tempora facere, quæ meritò laudarentur in Principe.* Quæ non mereatur præmia, qoi sic se componit, vt effulgere faciat apud omnes tempora Principis sui? Vt de propriis operibus clarescere suos principes, suos maiores faciat?

Cassiod.

§. XXI.

Voluntas praua, etiam sine effectu operis, nunquam non vapulauit.

Septuag.

ECce imploratę maledictionis caosam non minimam, scilicet, *In voluntate sua suffoderunt murum.* Septuag. legunt, *subneruauerunt taurum*: quod Targum Ierosolymitanum, & alij referunt ad rabiem, qua Simeon, & Leui præcipuè curauerunt interficere Iosephum fratrem; voloerunt id quidem, vt ait Lippomanus, quantum est ex se, sed non perfeeerunt, sistentes in sola mala voluntate. Et ideò notanter ait textus, *In voluntate sua subneruauerunt taurum*; vbi enim voluntas mali fuit, etsi defuit externum facinus, non deest supplicium, quo vel sola voluntas mulctatur. Abimelech Rex Geraræ Genes. 20. correctos à Deo, quam rapuerat Saram, reddidit intactam Abrahamo viro suo. Nec solam Saram reddidit, sed cum muneribus multis. Quippe ait text. *Tulit igitur Abimelech oues, & boues, & seruos, & ancillas, & dedit Abraham, reddiditque illi Saram vxorem suam, & ait: Terra coram vobis est, vbicumque tibi placuerit, habita. Sara autem dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum, &c.* Vnde hæc in Rege barbaro erga peregrinos tanta liberalitas? Suffecisset ad mariti satisfactionem, quòd illi redderet intactam vxorem, cur insuper addidit tam ingentia & armentorum, & pecuniarum dona? Si offendisset maritum Rex, non mirarer, quòd donis offensam resarcire vellet, sed quando nulla fuit offensa, cur dona? Etsi non fuit in re mariti offensa, tamen fuit in Rege volnntas, quæ data saltem pecunia debuit subesse castigationi. Ait Egesippus de Excidio Hieros. lib. 5. c. 16. *Eiiciebat Abimelech alienam, & damnato crimine honorabat castimoniam, quam spoliare desiderauerat. Additur aurum, & argentum ad Saræ pudorem, vt condemnaret voluntatem facinoris expertem.* Sola inueniebatur voluntas sine effectu in Rege, quæ tamen non debuit manere à pœna libera, sed in eius damnationem tam ingentia extorquentur ornamentorum, & argenti dona. Non solùm equidem prauum opus, sed & sola voluntas praua sine opere non paruam sustinet pœnæ damnationem. Illi turris ædificatores Genes. 11. non perfecerunt opus, ait enim textus: *Atque ita diuisit eos Dominus ex illo loco in vniuersas terras, & cessauerunt ædificare ciuitatem.* Ecce tibi, & cessant ab opere, & nihilominus patiuntur dispersionem, ne voluntas ædificandi expers maneret supplicij doloris. Ait Philo lib. de confus. ling. *Desiuerunt, inquit, ædificare ciuitatem, & turrim. Dubio procul, non quia perfecerant eam, sed quia confusio secuta prohibuit, quominus perficerent. Nec tamen effugerunt crimen perpetrati facinoris, qui consilium tam immane non dubitarunt aggredi.* Potuit non esse effectus operis, sed quia fuerat volontas, supplicium omnino euitari non potuit. Ea enim est lex præcipuè explicata à Saluatore hominum, quæ etiam voluntarios verberat affectus, non solùm externa opera. Hinc de Ioanne dicitur Ioann. 3. *Et erat vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius.* Verùm qoi Apocal. 1. apparet inter candelabra zona aurea cingebatur ad mammillas. Ait namque: *Et conuersus vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, vestitum podere, & præcinctum ad mammillas zona aurea.* Cur Ioannes circa lumbos, hic autem circa mammillas præcingebatur? In Ioanne lex vetus figurabatur, in qoa libido quæ in opus vergebat, castigabatur, in filio hominis Euangelium erat, quod vel solum mentis affectum iubet castigare, si sit prauus. Ait Chrysost. hom. 2. in Mar. *Zonam pelliceam habebat in lege, quia Iudæi hoc solum putant peccatum esse, quod opere peccant: cæterùm, Dominus noster Iesus in Apocalypsi, qui videtur inter candelabra aurea, habebat zonam auream non in lumbis, sed in pectore. Lex in lumbis cingitur; Christus, hoc est Euangelium, & monachorum virtus, non solùm in libidinas, sed in mente condemnatur. Hic nec cogitare quidem expedit; ibi qui fornicatus fuerit, tenetur in crimine.* Hæc ibi: ne vilipendamus internos affectus, qui non exeunt in effectum: quando & ij, si praui sunt, durissimo etiam supplicio sunt plectendi.

Gen. 20. *Egesipp.* *Gen. 11.* *Philo.* *Ioann. 3.* *Apoc. 1.* *Chrysost.*

§. XXII.

Crudelitatis, & odij affectus, si quis alius, adeò pertinax est, vt vel post mortem, & in gehenna ipsa non cesset.

FVrori, & crudelitati Simeonis, & Leui aduersus Sichimitas meritò maledicit, quia pertinax fuit, quia non paucis diebus, intimo inclusus pectore recruduit. Nec miror, quod furor tandiu clausus in pectore, non sese eximat maledictioni; pertinacissimus enim est crudelitatis, & odij affectus, & qui etiam post mortem, & in ipsis inferni flammis duret. Ad hæc Ezechiel cap. 32. inquit de furentibus, & crudelissimis hominibus; *Descenderunt ad infernum cum armis suis: posuerunt gladios suos sub capitibus suis, & fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum: quia terror fortium facti sunt in terra viuentium.* Ecce tibi, qui in terra viuentium perterrefaciebant homines, & armati, strictisque gladiis vbiqoe furebant aduersus proximos, ad infernum descendunt cum armis suis, nec in morte, neque in gehenna crudelitatis, furorisque arma ponunt. Rem illustro exemplo, quod ponit Damasc. in vita Isidori Philosophi apud Bibliothecam Photij. Ait enim iste. *Commissa pugna cõtra Scythas ante conspectum vrbis Romæ, quos Attila contra Valentinianum, qui post Honorium Romæ imperabat, duxit, tanta vtrinque facta est cædes, vt nemo pugnantium ab vtraque parte seruaretur, præterquam duces, paucique satellites eorum. Hoc verò omnium narratu maximè incredibile: cùm cecidissent pugnantes corpore defatigati, animo erecti, pugnabant tres integras noctes, & dies, nihil viuentibus pugnando inferiores, neque manibus, neque animo. Visa igitur, & audita animorum forma pugnantes, & armis strepentes, & antiquas, similésque bellorum facies in hunc vsque diem videri aiunt.* Hæc ille; quod portentum, si verum est, ideò crediderim à Deo permissum, vt ostenderet, quàm sint affectus furoris, & odij pertinacissimi, quàm etiam post mortem, & in gehenna ipsa comitentur animas miseras. Sanè crudelis homo cum tota iracundia sua, cum tota rabie sua, cum tota crudelitate sua, cum totis armis suis, discedit à vita, & inter ipsas inferni flammas, eisdem odij, crudelitatisqoe affectibus sese discruciat. In crudelissimo illo epulone, qui Lazarum oderat, id patet euidentissimè; cùm enim iam esset in inferni tormentis videns Lazarum apud Abrahami sinum, Luc. 15. clamabat: *Pater Abraham miserere mei: Mitte Lazarum, &c.* Quæ verba expendens D. Chrysol. serm. 122. ait: *Mitte Lazarum. Quò? Ad infernum de gremio, de solio sublimi ad profundissimum chaos, ad tormentorum stridorem de sancta quiete beatorum. Adhuc tu in Lazarum sic crudelis?* Equidem qui in terra viuentium, hostiliter aspiciebat Lazarum, crudelis, & implacabilis illi erat; descendit ad infernum cum armis suis, eadem se ibi crudelitate saucians. Hinc est, quòd Paulus ad Ephesios 4. de hoc præcipuè affectu cauet: *Sol non occidat super iracundiam vestram*; qui enim nouerat pertinacissimum iracundiæ, & amaritudinis affectum, metuit, ne si semel Sol occidat super illum, & totius vitæ lux occidat, & tenebræ prosiliant infernales, & adhuc iracundia, & amaritudo appareat miseram animam comitata.

Ezech. 32. *Damasc.* *Luc. 15.* *Chrysol.* *Ad Eph. 4.*

Genes. 49. Iuda te laudabunt fratres tui, manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna: quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, ô fili mi, asinam suam. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum. Pulchriores sunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores.

§. XXIII.

§. XXIII.

Præcipua hominis è mundo fœlicitas, quòd à suis colatur.

MEritò benedictiones Iudæ Iacob incipit ab ea, quæ è mundi fortunis solet haberi prima, nimirum, quòd quis apud suos honorem habeat, & laudem ex eis acquirat. Sic enim ait: *Iuda te laudabunt fratres tui, adorabunt te filij patris tui.* Sunt equidem multi apud extraneos valde amabiles, sed summè odiosi suis. Quod in Magno Herode ostendit Egesippus lib. 5. de Excid. Hierosol. cap. 45. *Annos triginta & quatuor imperij exegit Herodes: vtinam tam domestico vsu, quàm publicis lætus successibus. Namque ita foris secunda ei res aspirauerunt, vt priuatus in regnum ascisceretur, eóque permulta vsus annorum curricula, quod difficile salus potestatis vsu decederet, relinquens liberis suis imperij successionem, quam ipse à suis non acceperat. Sed intra domum infœlicissimus, quam acerbo suorum sanguine, & luctu repleuit.* Qui foris coronam, & imperium inuenit; intra propriam domum nihil non triste, & calamitosum, & rebelle non fuit expertus. Et fratres, & agnatos, & vxores, & filios coactus est interficere, ne ipse interficeretur, sic suis odiosus erat, qui ab exteris imperium obtinuerat. Sic sæpe impiorum fœlicitas, quæ peruadit alienos, turbatur infœlicitate domestica. Vnde ait Iob, cap. 18. *Nonne lux impij extinguetur?* Ibi Septuag. *Lux eius, tenebræ in domo.* Qui omnes extra domum luce suffundebat, & instar lucidissimi syderis remotissimos quosque radiis suis recreabat: intra propriam domum, apud fratres, apud domesticos totus tenebrescebat, nihil ibi non triste, non obscurum, & sordidum experiebatur. Hæc sit infœlicissimi hominis fortuna, quòd gratus alienis, ingratus & odiosus adsit domesticis. Quod vt indicium malitiæ, sic illud maximè improbatur Deo, Sophon. cap. 1. *Visitabo super principes, & super filios Regis, & super omnes, qui induti sunt veste peregrina.* Septuaginta legunt: *Et super omnes, qui induti sunt vestimentis alienis.* Et quale nefas est, quòd quis vestiatur vestimentis alienis, & peregrinis, vt sic debeat puniri à Deo? Equidem in veste solent homines ostendere affectus suos, quibus ferantur, & qui patriam vestem exuit, vt induat alienam, & peregrinam, satis ostēdit, quanto studiosiùs quærat alienis, & peregrinis gratum esse, quàm suis. Cum patria veste suorum affectum exuit, & fratribus, & agnatis alienus, imò & hostis redditur, & solùm amat alienis placere. Rem probat id, quod Alexandro accidit, qui post deuictos Persas, patrias vestes pertæsus, Persarum vestibus indui cœpit, quo vt Persas sibi acquisiuit, sic se odiosum suis Macedonibus reddidit. De illis ait Curtius lib. 6. *Tota castra vnus omnium sensus, ac fermè erat, plus amissum victoria, quàm bello quæsitum esse. Tum maximè vinci ipsos, dedique alienis moribus, & externis: tanta mora pretium, domos quasi in captiuo habitu reuersuros. Pudere iam sui Regem victis quàm victoribus similiorem, ex Macedonia Imperatore, Darij satrapem factum.* Ecce tibi vt vestes alienæ reddiderūt principem suis infensum, & odiosum, & gratum alienis, & exteris, ne mireris, quòd id maximè in principibus displiceat Deo, ille enim princeps gratus est Deo, qui apud suos commendationem habet, & à fratribus est dilectus. Quare prudenter monebat Ecclesiasticus cap. 4. *Noli esse sicut leo in domo tua, euertens domesticos tuos, & opprimens subiectos tibi.* Quin potiùs sic domesticis suis placeat, vt possit dicere cum Iobo cap. 31. *Si non dixerunt viri tabernaculi mei. Quis det de carnibus eius, vt saturemur?* Vbi D. Chrysost. in cat. Græc. fatur: *Cùm enim non vtcumque, neque temerè, sed eximiè ad summam virtutem peruenisset, non solùm erga alios, verùm etiam erga suos seruos clementia vtebatur. Hæc enim omnis est fœlicitas, cùm quis eos, quibus imperat, humanitate regit, nulla violentia moderatur. Ergo illud eius famuli in ore habebant. Quis largiatur nobis, vt eius carnibus saturemur? Quo loco amorem, quo serui illum prosequebantur, ostendit.* Expende illud: *Hæc enim omnis est fœlicitas,* quippe ad principis & virtutem, & fœlicitatem, illud maximè conducit, quòd ametur à suis, quòd se à fratribus, & agnatis coli perspiciat. Infœlicissimum autem, imò & belluinum, quòd princeps sic se habeat erga domesticos, erga propinquos, vt periculosiùs apud illum, quàm apud hostes agant. Quod notabat Egesippus de Excid. lib. 1. c. 36. de Hyrcano ad Herodem confugiente fatus: *Laqueus igitur mortis Hyrcano, coniugium neptis fuit,* (despoonderat enim neptem Regi Herodi) *cuius gratia properauit ad Herodem, nescius, tutiúsne apud hostem captiuus degere, quam apud regem propinquos. Nulla itaque, vel leui regnandi suspicione, hoc solo interemptus est, quòd ei competere regnum videbatur.* Hæc ibi.

Egesipp. — *Iob 18.* — *Sophon. 1.* — *Curtius.* — *Eccl. 4.* — *Iob 31.* — *Chrysost.* — *Egesipp.*

§. XXIV.

Turpissimum est propter temporalia lucra sese hominem deiicere.

ECce tibi ingenui hominis, imò regalissimi Principis laus, & ornamentum, quòd non abiectè, & sordidè feratur ad temporalia lucra, ait enim: *Ad prædam fili mi ascendisti.* Ascendisti, ait, ad prædam, non te deiecisti, vt lucrum faceres; imò in omnibus lucris, & diuitiis acquirendis, quod excellentiori mente dignum esset, meminisli, ab omni sordido, & abiecto modo cauisti. Turpissimum enim est, & ingenuo animo indignissimum, quòd sese homo deiiciat, humíque sordidè reptet, vt aliquod temporale lucretur. Ex qua turpitudine & sapienter, & pulchrè Arnobius lib. 4. contra Gentes, non posse esse Deos Lucrios concludit, hoc est, qui lucris vtcumque partis præsiderent. Quippe ait: *Quis crederet esse Deos Lucrios, & lucrorum consecutionibus præsidere, cùm ex turpibus causis frequentissimè veniant?* Equidem ratio ipsa persuadet, & conuincit, nihil deitatis, imò nihil ingenuitatis posse esse in eo, qui indiscriminatim lucrum amplectitur, ex quacumque causa veniat; cùm sæpe ex turpi causa, & sordida ratione lucrum accedat. De miseris, & vilibus homuncionibus dicet Ecclesiastes cap. 10. iuxta Septuag. *Argento humiliatione obediunt omnia.* Vbi D. Greg. Thaumaturgus: *Argento quouis trahuntur, vili pretio nihil non humile, & vile facere parati.* Hæc est miserorum notio, & eorum, in quibus nihil ingenuum, nihil nobile, nihil regale, nihil inuenitur diuinum. Nimirum, quòd nihil humile, aut vile, aut sordidum facere detrectent, dum inde lucrum acquirant. Quam turpitudinem in Ephraimi Tribu, alioquin regia, mordet Oseas cap. 12. fatus: *Chanaam in manu eius statera dolosa, calumniam dilexit. Et dixit Ephraim: verumtamen diues effectus sum, inueni idolum mihi.* Ecce tibi Ephraim, qui in Israelitarum regnum elatus erat, ipse Chananæorum negotiationes exercuit, nullámque de mercatorum more, etiam sordidissimam rationem lucrorum abiecit, siue calumniando pauperem, siue fraudando merces, siue non soluendo debitum. Et videns hæc gloriatus dicebat: *Verumtamen diues effectus sum;* hoc vnum illi erat cordi, nimirum, quòd ditesceret, pro quo nihil non vile faceret, & abiectum. Quid turpius principi menti? Ait D. Cyril. Alexand. ibi ex translatione Pontani: *Debebat quidem Ephraim patris sui Iacob æmulus videri, sed euasit Chananæus. Inuenta est enim statera iniquitatis in manu eius, hoc est, inæqualitas, & auaritia. Nam more gentium Deum ignorantium execrandam oppressionem pro magno habuit. Solis diuitiis acquirendis, & voluptatibus delectabatur. Est autem extremæ dementiæ argumentum certissimum, Ephraim modis omnibus ad diuitias corradendas incumbere, & rapina, ac violentia crimina nihili facere; sed ex magno stupore adhuc honorificè quodammodo de se prædicare, ob quæ præstaret pudore suffundi.* Lucris adrepebat vt vilissimus homuncio, nihil humile, & abiectum non amplectebatur, dummodo inde lucrum faceret, honorémque ducebat, quod erat maximè cuiuis homini pudendum. Quid dementius? Sanè extremæ dementiæ est signum euidentissimum, quòd te deiicias ad vilissimorum mercatorum rationem, vt lucra vtcumque compares, & inde glorieris, vnde ampliùs pudefieri habeas. Vide obsecro quàm alia sit Iudæ tribus à tribu Ephraim; vtraque tribus regia, vtraque à Iacobo veniebat patre, sed illa in regio splendore stabat; hæc ad Chananæorum mores declinabat. Illa ad prædam ascendebat, sola spectans lucra, quæ præcelsum decerent animum; hæc sic se deiiciebat, vt nulli parceret sordi, nulli parceret vilitati, dum aliquod lucrum faceret. Heu quot hodie Ephraimi, quot in principibus Chananæi dolosi, fraudulenti, qui nec debita soluunt, & mille fraudibus pecunias venantur, & honorem ducunt, quod erat pudendum maximè. Id D. Cyril. illorum tribuit extremæ dementiæ, siue insaniæ: quando sanæ mentis homo nullum æstimat lucrum, quod non decet præcelsum animum, vt in illo ascendere, non se deiicere videatur. Ille sanè regalis, ille diuinus est, qui ob temporalia lucra se deiicere abominatur. Matth. 2. Vbi Magi Ierosolymis excedebant: *Ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vsque dum veniens staret supra, vbi erat puer.* Antecedebat eos stella, sed minimè ad eos sese deiiciebat, vt enim Christi erat stella, sic præcellentiam suam, & altitudinem propter temporalem Regum fauorem non deserebat. Ait Theodotus in appendice 5. ad 6. tom. Concil. Ephes. c. 2. *Propterea Christus pannis obsitus erat, & ab Angelis glorificatus, & in præsepi positus,*

Arnobius. — *Eccl. 10.* — *Oseas 12.* — *D. Cyril.* — *Matt. 2.* — *Theodot.*

& à

& à stella denuntiatus. Non à stella descendente ad Magos. Non equidem decet Christi annuntiatores, quòd ad expiscandos regios fauores descendant,& altitudinem suam deserant.

§. XXV.

Nobilis,& ingenuus animus, soli Deo se, suáque debet submittere.

IAm aliud regij nobilísque animi signum in Iuda ponitur à Iacobo patre,dum ait: *Non auferetur sceptrum de Iuda,& dux de femore eius,donec veniat,qui mittendus est,&c.* Is est Iudas, qui soli venienti Deo regno cedat;dum Deus non veniat,regnabit Iudas, nulli hominum, nulli potentiæ cedet; vt qui vni Deo se suáque sciat submittere. Quid magis regium, & nobile, quàm quòd vni Deo te submittas? Equidem ingennus animus sic debet respectu omnium aliarum rerum regnare, vt vni Deo sciat subiici. De Iesu Domino aiebat Paul. 1. ad Corinth.15. *Oportet autem illum regnare,donec ponat inimicos sub pedibus eius. Nouissimè autem inimica destruetur mors. Omnia enim subiecit sub pedibus eius. Cùm autem dicat: Omnia subiecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui subiecit ei omnia. Cùm autem subiecta fuerint illi omnia,tunc & ipse filius subiectus erit illi,&c.* Duo sunt expendenda in verbis iis, nimirum & illud: *Oportet illum regnare,donec ponat inimicos,&c.* insuper & illud: *Tunc & ipse filius subiectus erit illi.* Itaque oportet Dei filiũ & regnare, & subiici,& quando regnabit,& quando subiicietur? Dum res eum creatis potestatibus agitur,tunc regnare debet Dei filius, & adeò regie se gerere,vt omnes sibi submittat, vbi autem iam creatę potestates silent,& non est,qui mussitet,sed solus omnium Dominus apparet, tunc vni Deo sese nobilissimus filius subdit. Gloriosæ,ingenuęque naturæ indicium est,quòd vni Deo se submittat, & illi fiat subdita, cæterarum autem creaturarum dominari semper præsumat. Et quidem dum Deus adest,ibi seruitium; dum creatæ potestates instant, ibi regnum fit nobilissimis Dei filiis. Ex quo D.Chrys. ait: *Neque enim eum omnem principatum,omnem potestatem,omnem virtutem, diabolum,dæmonum tot phalanges, infidelium turbam, tyrannidem mortis,mala denique omnia abolita esse audiuisti, conturbari, velut ipse quoque desiturus sis,debes: tantisper enim dum hæc faciat, regnare,inquit, oportet.* Dum hæc faciat,dum eum principatu, cum potestate,cum potentia,cum diabolo,cum hominibus, cum morte,cum malis omnibus confligit generosa propago, regnare eam oportet. Tandiu se regiè habeat, se regnantem ostentet,quandiu cum creaturis confligit, vbi Deus apparet, Regem exuat, induat subditum, sceptrum dissimulet, præbeat seruitium. Huc spectat illud Christi pronuntiatũ Matth. 6. *Non potestis Deo seruire, & Mammonæ:* quasi repellat Deus seruitium illius,qui & Mammonæ seruit. Et quod inconueniens est,quòd quis & Deo seruiat,& Mammonæ simul? Sanè qui talis est,non rectè diuidit,ingenuæ enim mentis est, vni Deo seruire,cæteris imperare. Non debet generosus animus imperio cedere nisi Deo vni: imò debet imperium tenere respectu creaturarum. Vt dicat Scholiastes. Tertul. lib. 4 in Marcion. *Bene Dominus Mammonam veluti Dominum quendam cum Deo composuit,vt ostendat eos,qui studio pecuniarum occupantur, res mortua inseruire,cui maximè deberent imperare.* Ad Mammonam enim non seruitium, sed imperiũ decet ingenuam animam, cuius est non deficere ab imperio,nisi quando res cum Deo agitur. Non enim à seruo,sed à dominatore creaturarum seruitium prodit, quod ex omni parte placeat Domino. Hinc Psalm. 109. ad Dei filium: *Tu es sacerdos in æternum*, secundùm ordinem Melchisedech. In quo Dominus se gerit,veluti Melchisedech? Ait Nazian. orat. 36. circa finem: *Melchisedech est,vt matris expers,quod ad naturam illam nostra excelsiorem attinet,patre autem carens, quantum ad nostram tum etiam quia sublimatus absque genealogia est,ac præterea,vt Salem Rex,hoc est pacis,& Rex iustitiæ, ac denique, vt à Patriarchis aduersus pestiferas potestates strenuè rem gerentibus,decimas accipiens.* Consule caput 14. Genes. ibi videbis Melchisedechum introduci sine patre, sine matre,sine genealogia,simúlque Regem Salem dici; cui Abraham post insignem victoriam, qua quinque Reges subiecit, illorúmque dominatus est, decimas obtulit. Benè igitur in Melchisedech repræsentatur filius Dei, vt qui non habeat patrem in terris, nec in cœlis matrem, & qui talis sit, qui accepiet decimas, illásque sibi gratissimas ostendat, quando illas offert, non qui seruit mundanis potestatibus, sed qui illas strenuè subiicit, & earum dominatur, & apud illas imperium tenet.

1.Cor.15.

Chrysost.

Matt.6.

Tertull.

Psal. 109.

Nazian.

§. XXVI.

In conspectu Iesu abiiciuntur,& expuuntur ab hominibus & dignitates, & principatus.

MEritò iubetur Iudas regnum tenere, donec veniat, qui mittendus est; donec veniat Iesus filius Dei, Iesus enim veniens sordere faciet & abiici omnes mũdi principatus. Sic Paul. 1. ad Cor. 15. *Cùm tradiderit regnum Deo, cùm euacuauerit omnem principatum,& potestatem,& virtutem.* Quid est euacuauit principatum? Sanè Iesus apparens in forma serui,sic fecit apparere omnes mundi principatus,& potestates, & virtutes,quasi essent res prorsus vacuæ,& inanes, & nullius momenti,& substantiæ. Pulchrè enim ait D. Ansel. ibi: *Quis enim principatus non euacuatur,cùm filius Dei propterea regnat,quia eum principes sæculi iudicauerunt? Quæ potestas non euacuatur, cùm ille per quem facta sunt omnia propterea regnat in credentibus,quia subiectus fuit potestatibus? Quæ virtus non euacuatur, cùm ipse per quẽ cœli solidati sunt,ideò regnat in credentibus,quia vsque ad crucem, mortémque infirmatus est? Ita regnante Christo per fidem in iis, qui credunt,euacuatur omnis principatus,& potestas, & virtus creaturarum.* Appetibiles,& amabiles apparebant principatus, & dignitates ante Christum; vbi autem Christus apparuit, seséque humiliauit vsque ad mortem crucis; euanuit tota dignitas mundialium principatuum; multi sunt & prudentissimi, qui principatus expuant, & abiiciant vt res prorsus inanes, & vacuas. Hinc Apocal. 4. de vigintiquatuor senioribus coram throno stantibus dicit: *Procidebant vigintiquatuor seniores ante sedentem in throno,& adorabant viuentẽ in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum.* Non mirarer,quòd procidant, quòd adorent Dei filium viuentem sub humana carne,post passionem, gloria & honore coronatum; sed valde miror,quòd hunc adorantes coronas suas deponant. Nonne seruire Deo regnare est? Cur ergo Deum adorantes non magis coronas accipiunt? Cur eas abiicere malunt? Erant equidem isti Reges,qui vt viderunt Dei filium per mortis humiliationem diuinum thronum scandere, protinus parui penderūt suas dignitates,eásque exuentes Deo sacrarunt. Sic ait Rupert. lib. 3. in Apocal. *Perpendentes,qui ait, propter quem,& per quem omnia,qui multos filios in gloriam adduxerat, author salutis eorum per passionem consummatus est, nonne ipsi suam dignitatem parui faciunt? Mittunt ergo ante thronum coronas suas,id est, quicquid virtutis,quicquid habent dignitatis,Deo cum gratiarum actione offerunt.* Nihili æstimant sapientissimi senes coronas, nihili æstimant principatus,& dignitates,vbi vidẽt Iesum per passionem consummatum, nec dubitant illi omnia sua sacrare. Et quis principatus æstimet, quos videt à filio Dei Christo Iesu conculcatos? De Alexandro Persarum triumphatore,& Persarum induente habitum,ponderat Quintus Curtius lib. 6. *Itaque purpureum diadema distinctum albo,quale Darius habuerat,capiti circumdedit,vestémque Persicam sumpsit,ne omen quidem veritus, quod à victoribus insignibus in deuicti transiret habitum.* Ominosum erat,& maximè metuendum victori militi,quòd sub habitu cerneretur deuicti. Et quando Christus deiicit omnes principatus, palam triumphans illos in semetipsum, cur non sibi ominosum putet Christianus, quòd deuictorum,& deiectorum splendeat sub infulis?

1.Cor.15.

Anselm.

Apoc.4.

Rupert

Curtius.

§. XXVII.

Christi corporis, & sanguinis cibus maximè tenet hominem, ne fugiat salutem.

PVlchrè Saluatoris mysteria dum insinuantur, dicitur Iudas ligare ad vineam pullum suum; ait enim: *Ligans ad vineam pullum suum.* siue vt legit Hieron. *ligãs ad vineam vrbem.* Vbi enim Saluator sese veluti vineam ostendit, sui corporis, & sanguinis proferens pabulum,sic populos prendit,& colligat ad salutem, vt ferè nequeant ab illa exorbitare. Apud Oseam cap. 11. ait Dominus: *Ego quasi nutritius Ephraim,portabam eos,&c.* Septuag. ibi legunt: *Et ego colligaui Ephraim,& suscepi eum:* quasi idem esset,& nutrire, & colligare; vt eo ipso quòd Deus nutrimentum sui corporis, sanguinísque porrigat, & simul intelligatur sibi colligare nutritos tanto sacramento,ne à salute discedant. Ait D. Hieron. *Ego clementissimus Dominus ligabam pedes Ephraim, ne à me longiùs fugeret.* Et D. Cyril. Alex. ibi: *Hoc est colligaui, sicut videlicet & de Abraham scriptum est, eum colligasse Isaac filium suum, sacrificaturum Deo.* Itaque vbi Deus nutritium hominem egit, porrigens sui corporis

Hieron.

Oseæ 11.

Septuag.

Hieron.

corporis sanguinisque pabulum, sic homines sibi colligat, & annectit, vt Abraham filium ligauit, ne à sacrificio vllius doloris vi posset resilire, sed Deo firmiter vel staret, vel caderet. Id quod aliter exprimebat Isaac Genes. 27. aiens: *Frumento, & vino stabiliui eum.* Quid est, stabiliui? Hoc est, vbi ei frumentum, vinúmque eucharisticum porrexi, sic illum ad virtutem stabiliui, sic firmaui, vt iam illi vita æterna quasi secura maneat. Ait Paschas. lib. de corpore & sang. Dom. cap. 21. fatus: *Firmans eum pane corporis Christi, & vino sanguinis, in quibus illi æterna maneat abundantia.* Annexa illis videtur æterna salus, qui sanguini, corporíque Christi communicarint, quot pocula viuidissimi sanguinis, tot nexus, tot vincula apparent, quæ nutritos colligent, & firmiter in salute asserant. Hinc Actor. 2. post Petri concionem de Christo, & eius passione, multi Iudæi audientes, *compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos. Quid faciemus, viri fratres?* Nihil ipsi inueniunt, quod facere possint in satisfactionem sui sceleris. Nihil inueniunt, quo Deo placere possint: & quasi de omni opere suo desperantes confugiunt ad Apostolos, vt ex illis accipiant salutare remedium. Sed cur tantum de suo opere desperauerũt illi, ante cuius oculos Christus crucifixus est? Sanè iam credebant Iesum filium Dei pro suo scelere morientem, proprium sanguinem effundentem, sed quia nondum eius sanguinem gustauerant, non inueniebant, cui adhærerent, cui firmiter pro salute inniterentur. Ait D. Augustin. tract. 31. in Ioannem: *Viderunt Christum suo scelere morientem, & crediderunt in Christum suis sceleribus ignoscentem, quousque biberent sanguinem, quem fuderat, de sua salute desperauerunt.* Dum sanguinem Christi non bibebant, nutantes, & errones circa salutem visebantur, nec inueniebant, cui inniterentur. Vtinam sanguinem viuificum potauissent, proculdubio illis præstò essent rudentes mille, quibus firmiter, & insolubiliter saluti annecterentur.

Gen. 27. *Paschas.* *Actor. 2.* *August.*

§. XXVIII.

Christi passio vel ab ipsis contrariis salutem comparat.

Miraris illud in textu dictum, nimirum, *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum*: quippe vinum, præcipuè rubrum, magis inficit vestes, quàm lauat. Cur ergo dicitur iste lauaturus pallium, & stolam suam in sanguine vuæ? Significatur ibi totum prælum crucis, & passionis torcular, quæ in Christo adeò potens fuit, vt vel à maculis possit educere munditiem, & à morbis salutem. Ait Gennadius in cat. Lippom. *Vinum igitur inficit vestes, & morte corpora intereunt, passio tamen Domini admirabiliter contrarium efficit. Dominus enim per mortem suam, & sanguinis effusionem, gloriosior, ac longè purior exurrexit.* Quid timeat homo sub Christi passione? Hæc equidem est potens ab ipsis contrariis comparare salutem, à morte vitam. Hinc D. Methodius apud Biblioth. Photij orat. de Resurrect. testatur in stirpe quadam vidisse, quod accidit cruci Christi, quòd vel à flammis educat virorem, & vitam. Ait enim: *Vidi in Olympo monte Lyciæ ignem sponte sua in montis cacumine ex imo terra enascentem, iuxta quem stirps pyragnus nomine existit, adeò florida, virens, & opaca, vt è fonte potiùs nata videretur. Quam igitur ob causam, cùm natura corruptibiles sint, & corpora ab igne consumantur, hæc sola stirps non solùm non exuritur, sed magis etiam efflorescit, quamuis natura facilè exuri posset, præsertim ad ipsius radices igne eructante? Quid sibi vult hoc miraculum? Signum & indicium futuri diei Deus hoc exhibuit, vt sciamus flammis olim omnia absumpturis, corpora, quæ in puritate, ac iustitia vitam transegere, per ignem, non secus, ac frigidam aquam transitura.* Hæc ille; quibus ostenditur Deus voluisse te statum esse in natura, quàm fieri potest, vt à contrariis salus possit conquiri, quemadmodum ipse per passionem suam effecit, vt prodire possint è voracibus flammis nostra corpora rediuiua.

Gennad. *Method.*

Genes. 49. Zabulon in littore maris habitabit, & in statione nauis pertingens vsque ad Sidonem. Issacar asinus fortis accubans inter terminos. Vidit requiem, quòd esset bona, & terram, quòd optima: & supposuit humerum ad portandum, factúsque est tributis seruiens.

§. XXIX.

Summam fœlicitatem domus inde magis ostendimus, quòd à præcellentibus viris sit inhabitata.

Ad Zabulonis benedictionem accedens Iacob, hoc solùm facit quòd eius habitationem decernit, ait enim: *Zabulon in littore maris habitabit, & in statione nauis pertingens vsque ad Sidonem.* De aliorum filiorum habitationibus prorsus silet, eorum fortunas, & fœlicitates aliunde auguratus: de Zabulon autem locutus, alias fortunas tacet, nihil de eius loquitur fœlicitate, hoc vnum prædicat, quòd in littore maris vsque ad Sidonem habitabit. Et cur in vno Zabulone tantùm æstimat eius habitaculum, cætera pertransiens? Præsciebat iam in parte Zabulonis esse terram, quæ ciuitatem Nazareth caperet, in qua Deiparæ Mariæ natiuitas, & habitatio celebraretur, ad quam descenderet Angelus ostendens Deum ad nos aduentantem, è qua assumendi erant Apostoli, qui Dei verbum mundo annuntiarent. Vbi autẽ Zabulonis pars tantis erat habitatoribus nobilitanda, meritò Iacob cætera tacens, vnum eius habitaculum designauit, vt qui sciret fortunam domus maximam à nullo meliùs peti quàm à præcellenti inhabitante, cuius præsentia vel rude solum incomparabiliter valet ornare. Sanè notissima est Abrahami hospitalitas Gen. 18. qua putans peregrinos excepit tres Angelos, mensam illis apposuit, *& stabat iuxta eos sub arbore.* Quantum hoc ad Abrahami commendationem? Sanè vix aliud requiritur, vt maxima fœlicitas domus illius præsagiatur, quàm si dicatur excepisse aliquando in se Dei ministros, excepisse Angelos. Ait Philo lib. de Abraham: *Hæc viri hospitalitas maioris virtutis fuit auctarium. Quod si fortunata domus visa est quibusdam, in quam viros sapientes diuertisse contingeret: equidem dicere non possumus, quid huic domui defuerit ad summã fœlicitatem, in qua apud homines, hospites excipi sustinuerunt Angeli, sacra diuinaque natura ministri, ac subpræfecti Dei optimi maximi, per quos ille ceu legatos, & nuntios, quidquid libet humanũ genus præmonet. Certè sic existimandum est, ad eorum introitum partes omnes domus profecisse in melius, afflatas aura quadã virtutis absolutissima.* Pulcherrimè quidem & verissimè id existimandum est, non posse domum, non posse habitaculum non profecisse in melius, non afflari absolutissima virtute, in quo Dei legati Dei ministri excipiuntur. Puta habitationem, puta solum tritum præcellẽtibus viris, Dei ministris, & simul debes putare inibi fœlicitatis summam, abolitionem vniuersæ malitiæ. Hinc Luc. 9. dicebat Dominus Apostolis suis: *Quicunque non receperint vos, exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerẽ de pedibus vestris excutite in testimonium supra illos.* Et cur iubentur excutere puluerem de pedibus supra illos? Iubentur excutere puluerem, quem dum erant intra domum excepti receperant, & traxerant ad se, reddentes domui munditiem. Faciunt enim hoc Apostolici pedes, vbi domum alicuius intrant, quidquid ibi puluerulentum est, quidquid sordidum, quidquid immundum trahunt, & absumunt. Ait D. Amb. lib. 6. in Luc. *Excutiendum puluerem, & egrediendum de ciuitate mandatur. Quo non mediocris boni remuneratio docetur hospitij, vt non solùm pacem tribuamus hospitibus, verùm si qua eos terrena obumbrant delicta leuitatis, receptis Apostolicæ prædicationis vestigiis auferantur.* Non finitur turpitudo in domo, in qua pes moratur diuini ministri, qui & pulnereas maculas lambit, & domui nouam gloriam, nouam indit mũditiem. Quid plura? Tantum defertur locis, quæ diuinitatis sumpserunt vestigia, vt extra illa nihil perfectum, nihil absolutum putarint posse acquirere viri sapientissimi. Accipite apud D. Hier. Eustochij, Paulæque epistolam ad Marcellam: vbi sic: *Longum est nunc ab ascensu Domini vsque ad præsentem diem per singulas ætates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Ecclesiastica virorum venerint Ierosolymam, putantes minus se religionis, minus habere scientia, nec summam, vt dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus primum Euangelium de patibulo coruscauerat.* Adeò putabant sapientissimi viri esse omnia summa in locis, in quibus Dei filius Euangelium condiderat, & Euangelij præcones primi radiauerant, vt extra illa nihil absolutum & perfectum se posse consequi existimarent.

Gen. 18. *Philo.* *Luc. 9.* *Ambr.* *D. Hier.*

§. XXX.

Virginis Mariæ vicinitas, magnis diuinitatis thesauris homines ditat.

Ecce tibi magnam Zabulonis fortunam, nempe ait: *In littore maris habitauit.* Quid inde? Deuter. 33. de eodem: *Deut. 33.*

Inundationem

Inundationem maris quasi lac sugent thesauros absconditos arenarum. Hoc habet Zabulon ex maris vicinio, nimirum quòd abditissimis ditetur thesauris, quos pené inaccessos reputent alij. Est equidem Zabulon tribus in littore maris, vt thesauros acquirat, sed & est iuxta plenissimum mare gratiarum Mariã, quæ in ciuitate Nazareth in tribu Zabulon nata est, vt de tanti gratiarum maris vicinio diuinitatis pertingat thesauros abditissimos. Quò spectat illud Isaiæ c. 9. (Isai. 9.) *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephthali, & nouissimo aggrauata est via maris trans Iordanem Galilææ gentium. Populus, qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam; habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta est.* Nulli dubium est, quòd terra Zabulon in primis dominicæ incarnationis acciperet doctrinam, vtpote à qua Apostoli vocati fuerint, vt lucem venientem in mundum perciperent ipsi, & refunderent mundo. Sed cur tantus luminis thesaurus reuelatus est primò Zabulonis tribui? Ea est ratio, quia inibi erat Maria, cuius virgineis visceribus incarnatus est Christus. Vnde ait D. Amb. in Psal. 1. (D. Amb.) *Regio Zabulon, populus, qui ambulabat in tenebris, lucem vidit magnam: qui habitatis in regione vmbræ mortis, lux fulgebit super vos. Vide ergo Christum, vt lux tibi effulgeat magna. Lux non quotidiana, non diei, non Solis, non Lunæ, sed lux illa, quæ vmbram mortis excludat. Et quasi sequenti tibi, vnde tantus splendor, tanta gratia sit, respondet: Quoniam puer natus est nobis. Puer, quia ortus ex Virgine est.* Vbi enim Zabulon erat in littore huius maris Mariani; erat iuxta puerperium virgineum, non mirot quòd primus inaccessæ lucis thesauros introiret, quòd abstrusissima diuinitatis secreta iam patefacta sentiret. Quis nesciat Ioannis aquilinos obtutus, quibus penetrauit diuinitatis gynæceum, & de sinu patris filij gemmam deduxit? Vnde huic & homini, & rudi piscatori tanta illuxerunt lumina? Ait de Iesu moriente Ioannes ipse c. 19. (Ioan. 19.) *Dicit matri suæ. Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo, Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.* Ex quo ergo Ioannes in sua accepit Mariam, quam secum habuit, cui famulatus est, accepit, vt penetraret lucem diuinitatis inaccessibilem. Ait Guarricus Abbas ser. 4. de Assumpt. (Guarr.) *Quia fidelis probatus est Ioannes in obsequio incorruptæ matris, mysteria quoque diuinitatis, & arcana verbi incorruptibilis sibi credi promeruit.* Hoc habuit Ioannes ex conuictu Mariæ, vt arcana diuinitatis perspicuis luminibus euulgaret, & immortalitatis thesauros aperiret.

§. XXXI.

Hominis fortitudo non tam ex eo censetur, quòd hostes feriat, quàm ex eo quòd oneri præceptorum non succumbat.

Laudatur Iudas à Iacob de victorijs reportatis, laudatur Dan de commissis prælijs, sed nec Iudas in victorijs, nec Dan in prælijs, nec cæteri in alijs exercitijs vocantur fortes; vnus Issacar fortis dicitur, qui & asinus agnominatur. Ait enim: *Issacar asinus fortis.* Et cur cùm alij vocentur & leones, & lupi, minimè fortes vocantur, & Issacar vnus, qui asinus dicitur, simul insignitur fortitudinis vocabulo? Sapienter ibi insinuatur, in quo præcipuè consistat fortitudo humana, non equidem consistit in eo quòd leo sis aduersus hostes feriendos, oneris autem prorsus impatiens; sed in eo quòd veluti asinus, legum præceptorúmve oneri minimè succumbas. Ille verè fortis, & validus, qui nullo sub onere legum cadit, sed imperterritus omnibus paret. De fortissimo Dei athleta Iacob dicitur Gen. 32. (Gen. 32.) *Si contra Deum fortis fuisti, &c.* Vbi meritò vocatur contra Deum fortis vir minimè præliator, sed humilis & mansuetus. De quo etiam Oseas cap. 12. ait: (Oseæ 12.) *In vtero supplantauit fratrem suum, & in fortitudine sua directus est cum Angelo. Et inualuit ad Angelum, & confortatus est.* Quæ verba sic legunt Septuag. *In vtero supplantauit fratrem, & in labore suo præualuit Deo.* Et quomodo præualuit Deo, vel fortis fuit Iacob contra Deum? An quia Deum percussit, deiecit, prostrauit? Absit; non inde censetur fortis, & Deo præualens Iacob, sed quia sic paratus erat obedire, vt quidquid iusserit Deus, quamuis difficile, quamuis arduum, statim executioni mandaret. Accipite D. Cyril. Alex. ad hæc fantem: (D. Cyril.) *Iacob in laboribus suis præualuit in Deum. Nam cùm Deus prouideater eum ad sudores, laborésque misisset, non defecit, inquit. An non enim sudoris opus est, à paterna domo discedere, ad Laban deuenire, ibi mercenariam seruitutem sustinere, & pastoritios labores perferre? Igitur in laboribus præualuit in Deum; non quasi cum Deo pugnans, sed obediens potius, & veluti superior, & victor, quod iussa impleret.* Ecce tibi præstantissima hominis fortitudo; iubebantur illi durissima, austerissima, nec finis erat præceptorum, sed in dies augebantur laboriosiores obseruationes, ille autem nullis infractus, nulli succumbens præceptorum oneri imperterritus explebat omnia. Hinc meritò præualens Deo dicitur, meritò fortis. Hinc ad Iob, qui in tot tentationibus, & discriminibus non peccauit labiis suis, dicit Deus cap. 40. (Iob 40.) *Accinge quasi vir lumbos tuos.* Et quidem nullus illi gladius porrigebatur, nulla dabantur arma, & iubetur fortiter, & viriliter se gerere, quia ille verè fortis, qui imperterritus explet ardua, & difficilia præcepta. Quam rem ponderat D. Ambr. lib. 1. offic. cap. 36. (D. Amb.) *Et reuera, iure ea fortitudo vocatur, quando vnusquisque se ipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur, atque inflectitur. Quid autem excelsius, & magnificentius, quàm exercere mentem, afficere carnem, & in seruitutem redigere, vt obediat imperio, consiliis obtemperet, vt in adeundis laboribus impigrè exequatur propositum animæ, ac voluntatem? Hæc igitur prima vis fortitudinis.* Nihil prius, nihil præcipuum est in fortitudine, quàm ea vis, quæ animum reddit virijs inexpugnabilem, & alacrem ad omnia præcepta diuina executioni mandanda. Ille fortis, non qui plures hostes cædit, sed qui magna sustinet, ne à via virtutis abeat. Vnde notanter Daniel cap. 3. de tribus pueris in fornacem missis dicit: (Dan. 3.) *Et confestim viri illi, cum braccis suis, & tiaris, & calceamentis, & vestibus, missi sunt in medium fornacis.* Nec otiosè viri dicuntur, cùm flammis dantur, sed vt eorum animi vigor, & fortitudo ostendatur. Qui vigor? Quæ fortitudo? An irruerunt in tyrannum? An statuam euerterunt? An aduersus circunstantem exercitum insurrexerunt? Nihil horum fecerunt, sed laqueos, & flammas, & opprobria sustinuerunt alacriter, vt Deo obtemperarent, quod est fortitudinis indicium singulare. Ait enim Chrysost. in epist. ad Corint. 1. hom. 18. (Chrysost.) *In ignem dissiluerunt, neque in regem contumeliam dixerunt, neque euerterunt statuam. Fortem enim virum talem esse oportet, continentem, modestum, & maximè in periculis, ne ira, & inanis gloria ad hæc certamina, sed fortitudine, & continentia venire videatur. Qui autem sustinet, & læditur, & mansuetè repugnat, tanquam fortis, admirabilis est.* Hinc censeri debet fortitudo, si quis durissimis obtemperet propter virtutem; non si plura cedat milliaria. Quippe ait Philo lib. de Fortitud. (Philo.) *Quidam elati audacia, fretique robore corporis, claram quidem, at non propriam laudem rei benè gestæ referunt, appellati gloriosi victores plebeio iudicio, cùm sint immanes belluæ, aucta per diuturnam meditationem genuina ferocia, sitientes humanum sanguinem. Alij verò domi manentes, corpore affecto morbis, aut senectutis molestijs, sed meliore sui parte, animo iuueniles, ac validi, magnanimitate pleni, atque fiducia, ferrum neque in somnis tractare soliti, bonis consiliis sæpe iuuerunt rem, & priuatam, & publicam in summo salutis discrimine, constanter sequendo vtilia vel amicis, vel patriæ. Hi sunt, qui exercent se in vera fortitudine.* Hæc ibi.

§. XXXII.

Studium sacræ Scripturæ præstantissimum est ad excolendas animas.

Iam illud de Issacar dicitur: *Vidit requiem, quòd esset bona, & terram, quòd optima, & supposuit humerum suum ad portandum, factúsque est tributis seruiens.* Siue vt Septuag. legunt: *Factúsque est vir agricola.* Itaque vt vidit requiei bonum, & terræ prouentus, elegit agricolam esse. Et quę requies sic illum ad agriculturam traxit? In requie hac visa, communiter intelligitur vita vacua à periculis tam bellicis, quàm aulicis, quæ agricolas comitatur. Sed Hebræi aliam potiorem speculati agriculturam, nimirum eam, quæ excolit animas ad virtutem, & pietatem, in requie illa, studia intelligunt Scripturæ sacræ, cui homines vacãtes pio otio fœcundissimos labores exantlant, & mirificè excolunt terram animarum. Et quis potior Issacaritis in cultura animarum? Pulchrè D. Hieron. in Quæstion. Heb. (D. Hier.) *Aiunt Hebræi significari, quod Issacar Scripturas sanctas die ac nocte meditans, studium suum dederit ad laborandum, & ideò ei omnes tribus seruiunt, quasi magistro dona portantes.* Ecce tibi ex quieto sacræ Scripturæ studio obtentum est magisterium animarum excolendarum; nec immeritò, quando ad animarum culturam præstantissimum medium est studium Scripturarum. Pro quo adest D. Ephremus & doctus, & magnus vitæ spiritualis pater, qui in serm. Ascet. de vita Relig. ait: (D. Ephr.) *Veluti terra quædam actionis nostræ, natura est: cuius agricola, volũtas est: cõsiliarij verò atque magistri diuinæ sũt Scripturæ. Docet enim nostrũ agricolã, quas quidẽ cõsuetudines prauas euellere, & quas virtutes bonas inserere debet. Nã quantũuis ingeniosus, ac vigilans,*

diligénsque noster agricola fuerit, absque diuinarum Scripturarum doctrina obtusus est, & infirmus, prorsúsque rudis. Siquidem sacrarũ literarum institutio atque doctrina intelligentiam ipsi viresque præbet: & virtutes bonas ex propriis ramis, ac surculis illis administrat, vt eas natiuo suo ligno inserat. Itaque sanctus vir adeò necessarium putat ad excolendam animam diuinæ Scripturæ studium, vt sine illo & diligentiæ aliæ, & vigiliæ appareant infirmæ. Quippe ait: *Quantumuis ingeniosus, ac vigilans, diligénsque noster agricola fuerit, absque diuinarum Scripturarum doctrina infirmus, ac rudis est.* Seuerior tamen Chrysost. pro studio, & lectione sacra stat concione 3. de Lazaro, inquiens: *Neque enim nunc fieri potest, non potest, inquam, fieri, vt quisquam salutem assequatur, ni perpetuò versetur in lectione spirituali, &c.* Vbi plura conglomerat, quæ necessitatem lectionis Scripturarum persuadeant ad excolendas animas. Necnon & D. Basil. epist. 1. ad Greg. Theologum Scripturarum lectionem commendans, ait: *Quippe, quæ à terrenarum rerum cura immunis, & feriatus, omne suum studium ad ea bona traducat, quæ magno certamine quæruntur, id enim assequi conatur, quo numeros omnes fortitudinis temperantiæque impleat, quæ iustitiam, prudentiam cæterásque virtutes excolat. Maxima porrò viarum ad veri inuestigationem ferentium meditatio est Scripturarum diuinitus inspiratarum.* Sic bonus pater mediorum maximum ad perfectionem obtinendam ponit studium, & meditationem Scripturarum. De qua etiam locutus Chrysost. hom. 2. de verbis Isaiæ, ait: *Scripturarum lectio cælorum est reseratio.* Vnde Petr. Damian. lib. 6. epist. 29. sic monet Stephanum, quemdam monachum. *Cùm in psalmodia studiis, & diuinis laudibus te vigilanter exercens, hortor, & moneo, vt quotidianum quoque Beatæ Mariæ officium non omittas. Illud præterea sancta prudentia tua suggerere necessarium iudicaui, vt vel sacrarum Scripturarum paginæ semper versentur in manibus, in his totus esto, his immorare, in his iugiter requiesce. Mens tua diuinis se voluminibus occupet, his intentis peruigili semper instantia perseueret. Hic antiquus insidiator, cùm te viderit intentum, velut hostem fugit armatum, & timet cominus aggredi.* His addiderim Cassianum, collat. 14. cap. 10. & alios magistros vitæ spiritualis, & Doctores sapientissimos, qui sacrorum librorum studiũ, & lectionem, sic extollunt, quasi summum & præstantissimum medium sit ad animam excolendam. Quod cùm video, non mediocriter gaudeo, quòd sim in eo ordine, nempe Societatis Iesu, in quo ex instituto, & regula, & vsu maximè hoc viget, quòd sacrorum librorum lectioni operam impensissimè demus. Quòd institutum, & regulæ nostri ordinis id petant, patet legenti; quòd vsus id obseruet, tot testes offero, quot commẽtaria in dies super Scripturam sacram euulgantur à nostris, mira eruditione referta. Iam numeraui aliàs vnius quinquennij scriptores, quos dedit Societas Iesu, qui possent duo sæcula implere; nec est animus rei notissimæ immorari ampliùs; illud modò noto, potiùs defecisse libros sacros, quos legerent nostri, quàm defecisse in nostris lectores sacrorum. Et ideò ex Bibliothecarum celebrium recessibus, quæsiti sunt multi penè carie consumpti, qui è Græcis in Latinos translati nostrorum cura sunt, vt plures haberent sacros, piósque codices, quos legerent. Adimplet ergo Societas Iesu in studio, & meditatione Scripturæ sacræ medium, & summum, & præstantissimum animæ excolendæ; & licèt psalmodias non canet in choro, saltem ex indefesso studio Scripturarum, & innumerabilium penè authorum lucubrationibus enucleantibus sensus Scripturæ, & allegoricos, & anagogicos, & morales poterit esse ordo non contemnendus. Discalceatus ille Carmelita in illa sua Apolog. mordet religiosum quendã, quem tantùm non dixit esse virum Societatis Iesu, vt nostra religio videat, quantum debeat sacro illi Discalceatorum ordini talem hominem, & Apologiam ferenti. Dum ergo Theologum pungit, sic de illius ordine loquitur, propos. 8. Apol. *Nõ enim est tibi situs religiosum delicatulum esse, diuitiis, etsi in communitate abundare, commoditatibus potiri, abstinentia, ieiuniis regularibus carere, Psalmodiæ operam non dare, à vigiliis nocturnis abstinere, vitam in victu, & vestitu, cum iis, qui in sæculo degunt, communem gerere, &c.* Hac malignitate vir ordinis perfectioni acquirendę dediti religionem Societatis Iesu indigitat, & traducit. Et taceo vel potiùs relinquo aliò, quòd nos impetat, quòd diuitiis, licèt in communi, abundemus. Quando in cõmuni bona temporalia habere, excepto vno Franciscanorum ordine, apud omnes alios sanctissimos, & perfectissimos Ordines sanctum est. Habet in communi bona ordo Prædicatorum, habet & Augustinianus. Et Carmelita Discalceatus præter capellanias, sepulchrorum pretia, & eleemosynas Missarum, & concionum, quæ minimè admittit Societas Iesu, habet insuper bona temporalia in communi. Non ergo delicatula est religio Societatis Iesu magis, quàm cæteri Ordines ex hoc capite. Rursus prætereo, quòd dicit, nostrã religionẽ abstinẽtia, & ieiuniis regularibus carere, fallitur nãque, quãdo nostræ regulæ passim præcipiant asperitates, & pœnitẽtias, & quòd victum, & vestitũ pauperum proprium habeamus, licèt & modũ, & quantitatẽ non designẽt, sed designationẽ permittant Prælatis. Dicet bonus Carmelita, quod caremus abstinẽtia viri Societatis, quia carnibus vescimur, cùm aliqui Ordines non vescãtur carnibus. Et similiter posset dicere Carmelitas Discalceatos carere abstinẽtia, quia vescuntur lacticiniis, quibus minimè vescitur ordo S. Francisci de Paula, cuius abstinentia in qualitate multum excedit abstinentiã Discalceati, & etiam carere asperitatibus, quia alij Ordines in victu, & vestitu asperiores sunt. Sed vt in lacticiniis abstinentia esse potest, etiã est abstinentia in carnibus, quam habet Societas Iesu non modicã, sed magnã. Instat autẽ Carmelita, nos carere ieiuniis; quòd si loquatur de ieiuniis Ecclesiasticis, quæ per hoc strictè seruantur, si semel die prandiũ fiat. Fatebor nos ex præscripto regulæ non habere designatum aliquem ieiuniorũ numerũ; hæc enim sicut, & aliæ asperitates, & castigationes corporis, etsi regula nostra præcipiat, modum tamẽ, & numerum cuiusuis necessitati, & viribus aptandum, committit Prælatorum iudicio. Sed an ideò ieiuniis carere criminabimur? Ieiunant omnes in Societate iuxta regulã, sexta qualibet feria, & ferè omnes quolibet Sabbatho, Christi Passionẽ, & Matrem duplici hoc ieiunio venerantes. Ieiunamus etiam dum regulæ prohibenti cibum, aut potũ interdiu sumere obedimus. De his & aliis ieiuniis, vide Suarium lib. 1. de instituto Societatis, c. 9. præsertim nu. 14. & nota ex eodem alia nostrorum rigida satis, & virtuti abstinentiæ summè consona ieiunia: *Aliud est* (ait supra Suarez) *in partem non modicã pœnitentiæ cõputari imprimis quoad cibũ, & potũ, non solùm contentos esse cõmuni quantitate, & qualitate ciborum pro omnibus designata, quæ iuxta cõsuetudinem Religionis vix credi ab aliis potest quàm sit moderata; verùm etiã illa vti cũ magna tẽperantia, & sobrietate. & præsertim nihil priuatim possidere, aut in propriis cellis habere, quo possint aliquando, vel necessitati occurrenti subuenire, vel insurgenti desiderio consentire, quem tanquã regulam perfectæ abstinentiæ posuerunt antiqui Patres, & specialiter videri potest Cassian. lib. 5. de institutis cœnobiorũ cap. 8. & 9. & Basil. in constitut. Monast. c. 5. & optimè in 26.* Ab his ieiuniis, nec Prouinciæ Patres, nec emeriti Professores, nec vllis laboribus, aut studiis illustres liberantur: exiguo hoc pauperi, communi, & in communitate sumpto cibo cõtentos esse docet Ordo noster verè magnos viros, etsi illos videat immensis studiorũ, orationis, perpetuæ subiectionis, pœnitentiæ, & mortificationis laboribus extenuatos, celeriori morte, quã aliorum ordinum dynastas inuadi: litátque numinis honori occulta cæde gloriosos martyres duplicata humilitatis, & patientiæ palma illustres, dũ & delicatuli à prauis putantur, & martyrum labores inuicta subeunt virtute. Hos vocat ille Pseudo-Carmelita delicatos, quia in regula Ordinis quem profitẽtur, numerata nõ habẽt ieiunia. Vocabit etiam omnis pœnitẽtię, & asperitatis expertes, quia castigationes corporis à regula determinatas nõ habẽt: cũ tamen circa flagellationes, & cilicia nulla vllius Ordinis regula præscribat quot in Societate exercentur. Quotidianæ flagellationes frequentissimæ inter nos apud robustiores sunt, biduanæ apud omnes statutæ, ne actuali morbo grauentur, cum valetudinariis mitius agitur, omnibúsque sanctissima regula determinationẽ externæ mortificationis superioribus cõmittens pro cuiusuis maturi profectu spirituali applicatur. Rursus prætereo, quod dicat nos in victu, & vestitu communem vitã terere cũ sæcularibus. Cùm quibus sæcularibus? Cùm diuitibus, & proceribus? Calumnia est. Cum mediocribus? Etiam est falsũ. Pauperũ clericorum veteriores vestes, & humiliores à communi nostrorũ vestitu in quo discrepant, nisi in eo quòd nostris vestibus aliquantulo meliores sint? Attritis, & pauperibus vestibus tegimur. Pilei, & calcei nostrorũ in prouerbiũ, & derisum abiere. Sotanæ & pallia priori forsan anno splendebunt, sed sequentibus annis attrita, resarta, centonibus contecta, cùm mendicis clericis nos in vestitu communes faciunt. Si verò cùm infima plebe pauperum, cùm montium incolis fiat comparatio, sanè & nos, & Carmelita Discalceatus lautitias in victu, & vestitu tenemus. An gloriabitur Carmelita de abstinentia apud ingentem multitudinem rusticanorum, qui post ingentes labores, & nigro, & duro pane reficiuntur, & ex parum fragmine? Hæc prætereo, suis locis examinanda: illud huius paragraphi proprium examino, quod dicamur viri Societatis Iesu à Carmelita, *Psalmodiæ operam non dare, à nocturnis vigiliis abstinere.*

Psalmodiæ

D. Basil.

Petr. Dam.

Suar.

Psalmodiæ operam non damus ô boni? Sacerdotes cum simus, equidem, & psalmodiæ pensum soluimus, voce licèt, non cantu, nec simul in choro, nec media nocte. Sed, licet non cantemus in choro, nec in media nocte surgamus ad Dei laudes, non ideò à psalmodiæ, & penso, & fructu immunes sumus, nec à vigilijs nocturnis liberamur, cum & diuinum officium recitantes adimpleamus, & vsque ad decimam horam noctis vigilemus vespertino tempore, & matutino hyemali à quinta hora stemus etiam vigilantes. Præterquam quòd nobis pro nocturnis cantibus, & vigilijs est indefessus studiorum labor vsque ad intempestam noctem protractus. Pulchrè, & sine inuidia, & veneno aiebat Petr. Dam. lib. 4. ep. 16. *Matutinum semper, & vespertinum offert Domino sacrificium, qui semetipsum à sæcularibus negotijs mactans, versatur assiduè in nouarum ac veterum meditationibus Scripturarum.* Hæc matutina, & vespertina sacrificia filiorum Societatis sciunt bibliopolæ, quorum domus nunquam vacuantur nouis à Societate Iesu ortis commentarijs in Scripturam, & in omnem vsum pertinentem ad salutem, & perfectionem animarum. Sciunt hæc, & viri docti, qui ad omnia sacra studia, vtuntur studijs, & lucubrationibus Societatis, forsan ignorant illa, qui intra cortices velut apes malunt mellificare, quam in arenam descendere literariam. At dicet Carmelita, quòd melius esset hæc omnia implere, & simul psalmodiæ cantibus operam dare, & Scripturæ sacræ pro iuuandis animabus. Sic Dion. Carthus. hæc duo coniunxit, vt semper ordinis sui interesset psalmodiæ, & multa conficeret in Scripturam sacram commentaria. Sic in singulis Ordinibus, qui dant operam psalmodiæ, extiterunt plurimi insudantes saluti acquirendæ animarum, qui & regna, & populos redegerunt sub piscatoris annulo. Horum ibi à Carmelita ponitur ingens catalogus. Nec vllus inficiabitur, quòd extensiue perfectius est cæteris paribus psalmodiæ, & Scripturæ operam dare, quam vel psalmodiæ solùm, vel Scripturæ solùm. Dixi, cæteris paribus, hoc est, si Scripturæ studium non minuatur propter psalmodiæ cantum. At si cùm posses vna hora vacare meditationi Scripturæ, vt excolas animas, solùm vacas dimidia, partita tempore cum psalmodiæ cantu: tunc perfectiùs ageres proculdubio, si perfectiori, & præstantiori operi totum tempus dares. Quam perfectionem noscentes vniuersi sacri Ordines mendicantes, magistros, & lectores, & concionatores ab obligatione eximunt chori, vt studijs, pro salute animarum susceptis, vacent. Imò, & quod magis est, sanctissimi, & feruentissimi Monachi, relicta in Monasterio psalmodia, concionaturi per Orbem spargebantur. An qui è Benedictina familia barbarissima regna ad Christum traxerunt, simul erant in choro, & populos peragrabant? An D. Vincentius Ferrer. erat in choro, quamdiu vt concionaretur, per compita Orbis gradiebatur? Scio D. Antonium de Padua simul visum fuisse concionantem in Ecclesia, & in choro conuentus sui canentem. Hoc miraculum semel accidit, nec religiosi fundatores spectant miracula, sed id, quòd moraliter fieri potest, & ideò eximunt ab obligatione psalmodiæ canendæ omnes illos, qui studijs sacris, pro animarum salute occupantur. Hinc D. Ignatius vt ardebat animarum zelo, suos à chori cantu exemit, vt sacris studijs diutius vacarent, sciens illis in eo, & præstantius opus, & laboriosius mandasse. Quòd si Carthusianus inter psalmodias sui ordinis, tot in Scripturam perfecit commentaria, id quod in vno, & rarò inuenitur, non pro lege communi vsurpandum. Pulchrè enim Nazianz. orat. 39. ait: *Ac deinde Daniel prefertur, ac nonnulli alij iudices in iuuenili ætate. At pro Ecclesia lege nequaquam censendum est, quod rarò accidit, quandoquidem ne hirundo vna ver efficit, nec geometram vna linea, nec denique nautam vna nauigatio.*

Petr. Dam.

Nazian.

§. XXXIII.

Studium sacræ Scripturæ laboriosissimum opus est.

Miraris in illa benedictione Issacharis duo, nimirum, *Vidit requiem, quòd esset bona, & supposuit humerum ad portandum.* Vt vidit requiem, supposuit humerum, vt eam portaret, æstimans non parui laboris rem esse, illam requiem portari. Sed quæ requies tantos humeros postulauit? quæ requies tantum laborem requirebat? Dixi supra ex Diuo Hieronymo requiem hanc esse illam, quam videntur habere studiosi viri, qui sese totos libris sacris euoluẽdis manciparunt. Et meritò ad hanc requiem parantur humeri, quando res est ingentissimi laboris: quòd sic sese homo studijs tradat literarum. Quò respiciens Eccles. c. 1. ait: *Qui addit scientiam, addit & laborem.* Vbi D. Hier. fatur: *Sapiens dolet tam in abdito, quam in profundo latere sapientiam, nec ita se præbere mentibus, vt lumen visus, sed per tormenta quadam, & intolerandum laborem iugi meditatione, & studio peruenire.* Nec immeritò sanctus Doctor intolerandum putat laborem eum, quo homines sapientiæ eruendæ dant operam; ibi enim totus homo laboriosissimè occupatur, & toto mentis sensuumque conamine intentus est operi? In alijs quantumuis externis sensus laborent, solet mens otiosa vagari, imò & delitiari, imò & ludere saltem cum imagine solatiorum. At vir studiosus nihil in se relinquit otiosum, sed omnes internos, externósve sensus sic constringit operi, vt nequeant ludere nisi vna imagine mortis. Sapienter D. Paul. 2. ad Corinth. 6. ponens in quo debeant excellere Dei ministri, ait: *In vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, &c.* Non otiosè vigilias, ieiunia, & omnium voluptatum mortem per castitatem præmittit scientiæ, sed vt ostendat, omnes illos labores inseparabiles esse comites illius, qui scientiæ diuinæ acquirendæ dat operam. Ex quo aiebat Cassianus vitæ spiritualis magister, collat. 14. cap. 16. *Cùm vniuersarum virtutum suarum Apostolus non solum catalogum texere, verùm etiam ordinem earum vellet exponere, vt quæ, quam sequeretur, vel quæ quam parturiret, exprimeret, post aliquanta intulit, dicens: In vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia ... In qua coniugatione virtutum euidentissimè nos voluit erudire de vigilijs, atque ieiunijs ad castitatem, de castitate ad scientiam peruenire.* Itaque nusquam scientia sacra inuenitur, nisi de vigilijs, de ieiunijs, de iugulatione carnalium appetituum. Necessum enim est, vt indefessos scientiæ diuinæ peruestigatores sequatur, & comitetur labor summus, & continua maceratio omnis carnalis appetitus, & longæ vigiliæ, & assidua ieiunia. Sanè non sic ex nocturnis cymbalis ostenduntur in sacris ordinibus vigiliæ, vt ex luculentis scriptis, quæ inde quotidie vident lucem. Non tam seueram abstinentiam ostendunt regulares obseruationes, vt ostendunt illam assidua studia, & quotidiana sapientiæ medicamenta, quæ totum hominem mactant, & cruciant. Vnde Ecclesiast. cap. 1. *Dedi cor meum, vt scirem prudentiam, atque doctrinam, errorésque & stultitiam: & agnoui, quod in his quoque esset labor, & afflictio spiritus.* Ibi pulchre Thuanus apud Pinedam, ait: *Isthæc etiam meras animorum esse cruces didici, nouáque in tormenta parari.* Et Caietani explicatio: *Ipsum studium sciendi, est fractio spiritus; vel ratio præcipua frangendi spiritum.* Nouerant sapientes viri & religiosi, experientia dictante, quàm frangebat, excruciabat, torquebat hominem assidua sapientiæ meditatio super omnia laboriosa alia. Quot horas in studio attento absumis, tot cruces tollis, tot tormenta, tot carnificinas tibi paras. Non eget alia cruce, qui sese studio sacro dicauit, qua se mactet, in studiorum assiduitate habet, & crucem & laborem, quibus superet alios. Dicebat Paul. 1. ad Corinth. 15. se componens cum Apostolis, *abundantius illis omnibus laboraui.* Cur id ausus est dicere Paulus, præsertim apud eos, qui Petri, & aliorum intolerabiles labores, & cruces præ oculis habebant? In quo labore à se cæteros superari putabat? Ait D. Ansel. *Nullus illorum in tot locis prædicauit, neque tot epistolas omnes illi scripserunt. Abundantiùs itaque laboraui ego, quàm illi.* Nec immeritò ex peregrinatione, & scriptis censetur Pauli supra omnes labor; sed vt ostendatur, ex quo debeat virorum Apostolicorum censeri labor, ex nullo enim grauior, & molestior labor ostenditur, quàm ex frequentiori peregrinatione ad venandas animas; quam ex crebris libris doctrina, eruditionéque plenis euulgatis. Sanè quantus iste labor sit, nemo benè nouit, nisi qui probabilibus rationibus, fide pura nitẽtibus, curat diuina indagare. Quod studium vt laboriosissimum, sic Deus illud abstulit à primis Ecclesiæ fundatoribus, ne illos supra modum grauaret. Isaias ait cap. 5. *Generationem eius quis enarrabit?* Quasi nullus esset qui Verbi generationem diceret. Sed Ioannes in Euangelio illam enarrat dicens, *In principio erat Verbum, &c.* Theologi de illa multa euulgarunt scripta. Cur ergo dicet Isaias illam esse inenarrabilem? Si ad studia scholastica, quæ fide nitentia probabilibus vtuntur, attendas, sanè per hæc studia in primordio Ecclesiæ minimè enarrata fuit diuina generatio; noluit enim Deus primos illos principes ijs studijs fatigare. Ait Alexander Episcopus Alex. in epist. ad Alex. Constantinop. quæ habetur in lib. 5. Conc. Nicæni: *Generationẽ eius quis enarrabit? Per quam quidẽ sententiam ab animis eorum, qui erant velut columnæ, & principes omnium, qui in toto orbe vixerunt, Seruator noster, quo illis gratificaretur, istarum rerum notitiam tanquã onus auferre laborauit.* Laborauit, inquã, Dominus diuinarũ rerum notitiã, nõ quamlibet, sed illam scholasticã, quæ per Theologicas disputationes, & argumentorũ pressuras fit, tanquam grauissimum onus auferre à primis Ecclesiæ principibus,

Eccles. 1.

D. Hier.

2. Cor. 6.

Cassian.

Eccles. 1.

Thuan.

1. Cor. 15.

Ansel.

Isai. 5.

Alex.

principibus, & fundatoribus, quo illis gratificaretur, hoc eſt, vt laborantibus illis in Eccleſiæ fundatione, non parum illis præſtaret leuamen, in actione gratiarum.

Geneſ. 49. Dan iudicabit populum ſuum ſicut & aliæ tribus Iſraël. Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens vngulam equi, vt cadat aſcenſor eius retrò. Salutare tuum expectabo Domine.

§. XXXIV.

Cum ambitione dignitatum numquam non inueniuntur multa nefaria.

AD iudicaturæ, principatúſque dignitates euolaturo Dan, vt Iacob præſagit, ſimul & illud addit: *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, &c.* Nec mitor, nam cum principatus, dignitatumve ambitione, numquam non enaſcuntur & ſerpentini mores & valde exitiales. Ait Oſeas cap. 12. *Chanaam in manu eius ſtatera doloſa, calumniam dilexit.* In rem præſentem apertiùs legit D. Proſper part. 2. de promiſſ. & prædiction. cap. 24. *Chanaam in manu eius ſtatera iniuſtitia, dominationem eius elegit.* Ecce tibi rationem, cur in manu Chanaam inueniatur ſtatera iniuſtitiæ, nimirum, quia dominationem elegit, ex quo enim quis amat dominari, ambit principatus, & dignitates potiri, omne fas abiicit: & nulli iniuriæ, & facinori pro illis obtinendis parcit. Abner maximus Saulis dux venit ad Dauidem regem, vt illi traderet principatum Iſraelis, quem gratiſſimè excepit Dauid, & dimiſit, vt ad ſe exercitum reuocaret. Quid tunc in Dauidis Regia? Ait text. 2. Reg. 3. *Ingreſſus eſt Ioab ad Regem, & ait: Quid feciſti? Ecce venit Abner ad te. Quare dimiſiſti eum, & abiit, & receſſit? Ignoras Abner filium Ner, quoniam ad hoc venit, vt deciperet te, & ſciret exitum tuum, & introitum tuum, & noſſet omnia quæ agis? Egreſſus itaque Ioab à Dauid miſit nuntios poſt Abner, & reduxit eum à ciſterna Sira ignorante Dauid, cúmque rediſſet Abner in Hebron, ſeorſum adduxit eum Ioab ad medium portæ, vt loqueretur ei in dolo. Et percuſſit illum in inguine, & mortuus eſt, &c.* Vide, quot ſcelera perficiat Ioab, in primis ſuſpectum proditionis apud Regem facit Abnerum, rurſus illum, mentito regio nomine, vocat ad ſe, tandem fraudulenter illum occidit. Et quis affectus bonum ducem impulit in tot crimina? Viius principatus amor. Metuebat ille, ne Abnerus apud Dauidem principatum haberet, quem ſibi Ioab maximè amabat, & ex principatus amore tot illa pullularunt facinora. Ad hæc fatur Ioſephus lib. 7. Antiquit. cap. 1. citatus in gloſſa: *Ioab metuens, ne Dauid in honore primi ordinis conſtitueret Abner, ipſe verò decreſceret, & militia amitteret principatum, viam peſſimam, & maligniſſimam cogitauit, vt ei detraheret apud Regem. Sed cùm his verbis non potuiſſet perſuadere Regi, deteriorem ruinam aggreſſus, eum occidit. Ex his itaque debet conſiderare quilibet, quanta, & qualia præſumunt homines propter principatus affectum, cùm nulli cedere volunt. Nam concupiſcentes hæc adipiſci, per multa mala ad ea perueniunt. Quæ rurſus metuentes amittere, multo deterioribus actionibus, vt ea retineant, implicantur.* Ecce tibi ſemper cum ambitione coniuncta apparent nefariſſima alia facinora: nihil enim horrendum, nihil execrabile veretur ambitio. Iud. cap. 9. Spurius Gedeonis filius Abimelech regnum ſibi ambiuit, & ait ad Sichimitas: *Quid vobis eſt melius, vt dominentur veſtri ſeptuaginta viri filij omnes Ierobaal, an vt dominetur veſtri vnus vir? ſimúlque conſiderate, quia os veſtrum, & caro veſtra ſum.* Hæc dicebat ad viros Sichem. Quid inde? *Et venit in domum patris ſui in Ephrata, & occidit fratres ſuos filios Ierobaal ſeptuaginta, &c.* Nihil medium fuit, & ſimul in Abimelecho amor principatus apparuit, & horrendiſſima fratricidia. Non enim credidit poſſe in regno ſubſiſtere, niſi ambitioni tot crimina coniungeret. Vt dicat D. Baſil. hom. 22. citatus in Gloſſa: *Abimelech homicida ille, ſpurius Gedeonis filius, qui ſeptuaginta germanis illius filiis occiſis, aſtutum hoc ad regni conſeruationem inuentum ratus.* Equidem ambitioſus nullum horret facinus, quod putat ad principatum, ſiue obtinendum, ſiue conſeruandum conducere. De Iaſone dicitur, 2. Machab. 4. *Ambiebat Iaſon frater Oniæ ſummum Sacerdotium. Adito Rege promittens ei argenti talenta treceata ſexaginta, & ex redditibus aliis talenta octoginta. Super hæc promittebat, & alia centum quinquaginta, ſi poteſtati eius concederetur gymnaſium, & ephebiam ſibi conſtituere, & eos, qui Ieroſolymis erant, Antiochenos conſcribere.* Vt miſer ambiuit Sacerdotium, & quæuis execrandiſſima fuit amplexatus, gymnaſium enim, & ephebia monſtruoſis libidinibus parabantur, quæ ambitioſus homo non verebatur pecuniis comparare, & religioſum Ieroſolymorum vocabulum, in Antiochenorum mutare, vt nefariſſimo Regi Antiocho fucum faceret. Fallar, niſi ambitioſus nomen etiã abiuret Chriſtianum, dum putet id conducere ad honores comparandos. Pulchrè ambitioſi hominis ingenium depingens Alex. Epiſc. Alexandriæ in epiſt. ad Epiſcopum Conſtantinopolitanum gentilem ſuum, quæ habetur lib. 1. Conc. Nicæni, inquit: *Eſt quidem propoſitum hominibus improbis, in quorum animis inexplebilis honoris & pecuniæ cupiditas inſita ſit, vt Eccleſiis, quæ videntur plus habere dignitatis, ex occulto inſidientur, qui per varias, ac multiplices vias ſinceram Eccleſiæ puritatem oppugnare non ceſſant. Nam impulſu diaboli, qui vim ſuam in eorum animis exercet, & in furorem acti ad voluptates, quæ fortè ſe offerunt, præcipites feruntur: atque ab omni pietate refugientes, timorem diuini iudicij proterunt.* Hæc ibi: quibus patet, quàm ad omnia facinora ſerpat honoris ambitio.

Oſeas. Proſper. 2. Reg. 3. Ioſephus. Iud. c. 9. D. Baſil. 2. Machab. 4. Conc. Nic.

§. XXXV.

Chriſtiani imperij propria vtilitas, & ſuauitas in ſubditos. Vbi quòd Reges non ſplendeant de pauperum crumenis.

VIx dixerat Iacob: *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita,* & ſtatim ſubdit: *Salutare tuum expectabo Domine:* viperinum, & venenoſum imperium Dani fugiens, ad ſalutare confugit imperium Chriſti venturi. Equidem vnius Chriſtiani imperij propria eſt ſalus, & vtilitas, & ſuauitas erga ſubditos, in aliis nihil non ſæuum, & durum inuenitur. Tantum non videtur in dies illud Roboami dictum, 3. Reg. 12. *Pater meus cecidit ſuos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus.* Ille flagellis coriaceis vſus eſt, quæ corrigerent, non perimerent, iſte ſcorpionibus ferreis vtebatur, qui vngulas habentes vel carnes ſubditorum raperent, & illos funditus contunderent. Ille in figura Chriſti, cuius regij ſplendoris erat viuidiſſimus typus, etiam in flagellis non pernicioſus, ſed vtilis videbatur; iſte in typo mundialis imperij, totus erat in exſugendo ſanguine ſubditorum, in perimendis ſubditis. De Chriſto Ieſu dicit Ioan. 2. *Et cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo:* quod componens D. Ambroſ. cum nefariſſimo Epiſcopo Angentio fatur lib. 5. epiſt. 32. *De templo ſuo Ieſus flagello eiecit, Angentius gladio, Ieſus flagello, Mercurinus ſecuri. Pius Dominus flagello exturbat ſacrilegos, nequaquam perſequitur pios ferro.* Nihil inſanabile eſt in Chriſtiano regno; non nouit Chriſti halitus exterminium, ſed curationem, ſed ſalutem. Eſt in mundialibus principibus ferrum, quod mactet; ſcorpio, qui ſanguinem ſubditorum exſugat: in Chriſtiano autem imperio flagellum eſt, quòd corrigat, quòd pro fræno ſit, ne præcipitemur in vitia, pro habenis, quibus ducamur ad vitam. Hinc de ſe aiebat Ieſus Matth. 11. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde: & inuenietis requiem, &c.* Vbi D. Ioannes Climacus grad. 25. inquit: *Diſcite, inquit, à me, non ab Angelo, non ab homine, non à tabula, ſed à me, hoc eſt, à mea in vobis habitatione, & illuſtratione, & operatione, quia mitis ſum, & inuenietis bellorum requiem, &c.* Non enim homo, nec Angelus, nec creatura vlla mititatem, & facilitatem, & ſuauitatem docebit, vt eam Chriſtus docet, de cuius inhabitatione venit, quòd durities abſit omnis, & ſuauitas plaudat, & exſurgat requies. Nullus, mihi credite, bellorum prætextus, nulla occaſio in regno Chriſti inuenietur, quę ſubditos ſpoliet, illiſque dura minetur. Matth. 17. daturus Cæſari indebitum nummum, ait Dominus Petro: *Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies ſtaterem, illum ſumens da eis pro me, & pro te.* Sanè erant Ieſu ad manum nummi; ſeruabat enim Iudas crumenam, in qua nummi repoſiti erant ad diſcipulorum ſuſtentationem, vt patet ex Ioannis cap. 12. Cur ergo non de iis nummis accipit Dominus, ſed maluit ad mare mittere, & ex piſcis ore educere ſtaterem? Sane bonus princeps noluit minuere ſuorum cenſum, neque auferre vel nummulum ex crumena, quæ erat pro ſuſtentandis pauperibus. Ait D. Thom. 2. 2. quæſtione 188. articulo 7. in corpore ex D. Hieronymo: *Nec obſtat, quod Hieronymus dicit ſuper Matth. ſi quis obiicere voluerit, quoniam Iudas pecunias in loculis portabat. Reſpondemus, quòd res pauperum in vſus ſuos conuertere nefas putauit, ſcilicet ſoluendo tributum.* O bonum Principem, & vnice ſalutarem ſuis, à quibus nec nummulum in proprios vſus voluit auferre. Vtinam hunc Chriſtianum ſpiritum ebiberent vniuerſi Reges,

3. Reg. 12. Ioann. 2. D. Amb. D. Ioann. Climac. Mat. 17. D. Thom. D. Hier.

vt sic salutares existerent, quòd nec nummulum in pauperum crumena minuerent. Equidem vt ait Cassiodor. lib. 10. Var. 13. *Vltra omnes crudelitates est, diuitem velle fieri de exiguitate mendici. Paupertatem potius ad se trahit, si exigentium pecunias non repellit.* Hæc ibi.

Cassiod.

§. XXXVI.

Fœlix illa Respublica, seu familia, in qua dignitates non in vno, aut paucis stagnantur, sed ab iis ad omnes transeunt.

NEc ad paruam Danitarum commendationem facit, id quod in primis de Dan notat Iacob, aiens: *Dan iudicabit populum suum, sicut & alia tribus Israel.* Non Dan sibi vni præripuit iudicaturam, sed ita illam exercuit, vt etiam illam cederet tribubus aliis. Israelitarum regnum in duobus, aut tribus tribubus stagnatum est, nimirum in Beniamin, in Iuda, in Ephraim; at iudicatura ad omnes tribus pertinuit, modò enim ab vna, modò ab altera iudex creabatur. Et cur regnum ad duas, tresve tribus pertinuit, iudicatura autem per omnes tribus cucurrit? Regnum inuentum fuit ab hominibus Dei gubernationem abiicientibus, vt ait ipse 1. Reg. 8. *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Iudicatura autem introducta fuerat à Deo, vt populo suo prospiceret, ideò non debuit stagnari in vna familia, sed per omnes currere; non enim parua est fœlicitas Reipub. in qua dignitates ad vniuersos transferuntur. Rem pulcherrimè demonstrat D. Ambros. lib. 5. Exam. cap. 15. dum de gruibus inquit: *Hunc etiam volantes ordinem seruant, & hac moderatione omnem laborem alleuant, vt per vices fungantur ductus sui munere. Præcedit enim vna certis præstituto sibi tempore, & quasi ante signa præcurrit, deinde conuertitur, & sequenti sortem ducendi agminis cedit. Quid hoc pulchrius? Et laborem omnibus, & honorem esse communem, nec paucis arrogari, sed quadam in omnes voluntaria sorte transcribi. Antiqua hoc Reipub. munus, & instar liberæ ciuitatis est. Sic ab initio acceptam à natura, exemplo auium politiam homines exercere cœperunt, vt communis esset labor, communis dignitas: per vices singuli partiri curas discerent, obsequia, imperiáque diuidere, nemo esset honoris exors, nullus immunis laboris. Hic erat pulcherrimus rerum status, neque insolescebat quisquam perpetua potestate, nec diuturno seruitio frangebatur, quia & sine inuidia erat ordinis muneris, & temporis moderatione delata promotio, & tolerabilior videbatur, quæ communi cedebat sorte custodia. Nemo audebat alium seruitio premere, cuius sibi successurus in honorem mutua forent subeunda fastidia: nemini labor grauis, quem dignitas secutura releuaret.* Piaculum duxi aliquid disertissimo Ambrosij calamo eripere, quando tam sapienter extollit Rempublicam, in qua præfectura, & principatus non in paucis stagnatur, sed per omnes currit, vt quisque possit, & debeat habere, & honoris, & laboris vices. Nulla sit prouincia, nulla familia, nulla domus, ex qua non eligatur iudex per vices suas, si vis abiurata specie tyrannidis fœlicitatem prætendere Reipublicæ. Cui rei maximè adhærebat D. Bernard. lib. 4. de Consideratione; vbi monens Pontificem summum quales deberet creare iudices, inquit: *An non eligendi de toto Orbe Orbem iudicaturi?* Vnum enim ponit finem promouendorum ad dignitates, & iudicaturas, & subditorum; quàm latè sese extendunt subditi, tam latus debet esse campus eorum, qui ad iudicaturas assumuntur. Si iudex creatur Orbis, de toto Orbe per vices suas quærendus est, qui clauum accipiat, adeò vt nulla excludatur prouincia, ex qua fiat iudex. Si prouinciæ alicuius, si familiæ iudex creatur, nullum ciuem excludas, sed satage, vt ad singulos possit peruenire præfectura: satius enim est, vt de omni prouinciæ parte vocentur ad dignitatem, qui prouinciam sunt iudicaturi. Quisquis subditus est, hoc pro certo habeat, quòd veniente vice, erit & Princeps, in fœlici, & ad Dei gustum ordinata Republica.

1. Reg. 8.

D. Ambr.

Bernard.

Genes. 49. Gad accinctus præliabitur ante eum, & ipse accingetur retrorsum. Aser pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus. Nephthali ceruus emissus, & dans eloquia pulchritudinis.

§. XXXVII.

Fortitudo hominis ad debellandas aereas potestates tunc magna erit, cùm homo in bonorum affluentia sic se accingat, ne quid supereffluat.

NOn otiosè Gad accinctus perhibetur ad præliandum, dicit enim: *Gad accinctus præliabitur.* Quippe quæ demissæ deorsum vestes sunt, constringendæ, & accingendæ sunt ad medium corporis, vt expeditiùs homo prosiliat in arenam. Quid inde? Vt vestes, sic vniuersa bona hominem adornant, & decorant, constringenda ergo sunt bona vniuersa ad medium, ne supereffluant, si velit homo fortis videri in prælio aduersus dæmones. De Dei filio fortissimo debellatore Tartari, ait Psalm. 92. *Induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se.* Præcinxit se Dominus, hoc est, exinaniuit semetipsum, & mundialia bona, & humanas delitias abiurans, nihil admittens superfluum, nihil excidens frugalissimæ vitæ, in quo inexpugnabilem fortitudinem ostendit. Vnde Paul. 1. ad Corinth. 6. hortatur nos, vt simus, *tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Cupit, vt omnia bona sint seruis Christi, & omnia possideantur ab eis, sed ita possideantur constricta, & præcincta ad medium, vt simul illi videantur quasi nihil habere. Et cur cùm velit illis omnia simul, adeò constringi cupit, vt videantur nihil esse? Ait D. August. in Psalm. 92. *Cùm omnia possidet, decorus est: cùm nihil habet, fortis est.* Decor est in possessione bonorum, sed in restrictione fortitudo est, qua debellentur hostes. Da in homine possessiones multas bonorum, quæ supereffluant, nec vllo modo accingantur, nec restringantur ad medium, & nullam fortitudinem in eo inuenies, sed maximam infirmitatem, qua pereat, Dan. 4. *Ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia. Magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cælum. aspectus illius erat vsque ad terminos vniuersæ terræ. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & esca vniuersorum in ea.* Quid huic arbori comparari potest in pulchritudine, in abundantia, in fortitudine? Sed audi, quod sequitur: *Ecce vigil, & sanctus de cælo descendit; Clamauit fortiter, & sic ait. Succidite arborem, & præcidite ramos eius, & excutite folia eius, &c.* Cur tanta arbor tã facilè abiit in ruinam? An propter altitudinẽ? An propter proceritatẽ. An propter copiam fructuum? Non equidẽ altitudo, neque proceritas, neque copia fructus tantã ruinã causarunt, sed nimietas, & supereffluentia bonorum illorum, ait enim text. *altitudo eius nimia, fructus eius nimius,* nõ erat altitudo circinata ad mensurã, sed excedebat illam, non erant fructus ad medium constricti, sed supereffluebant, inde quasi necessum fuit, vt in ruinam iret. Ait Richard. Victor. lib. 2. de erud. homil. interior. part. 1. cap. 14. *Hoc fortassis in hac descripta arbore reprehensibile fuit, hoc fortassis succisionis causa extitit, quòd eius altitudo nimia fuit: & altitudo, inquit, eius nimia. Fortè Nabuchodonosor ambulabat in magnis, & mirabilibus super se; & hoc ei extitit causa ruinæ.* Vtinam bonus Rex sciret gloriam, & bona ad medium constringere, ne supereffluerent; vtinam sese ita in bonis sciret præcingere, ne quid supra se, supra sui status mensuram vellet, sanè in hoc fortis fuisset, & prorsus insuperabilis. At quò magis in mirabilibus supra se ambulauit, & citiùs abiit in ruinam. Nunquam enim propinquior homini ruina paratur, quàm vbi ingeruntur illi bona supereffluentia, & superexcedentia eius mensuram. Hinc tentator ad Adamum perimendum, ait Genes. 3. *Eritis sicut dij.* Vis Adamum perimere, ô diabole, cur illi diuinitatem suggeris? Cur non magis venenum porrigis? Sanè sciebat, nullum venenum ad perimendum hominem efficacius esse, quàm si persuaderetur, ne se cingeret in bonis, sed illa appeteret, quæ essent supra hominis mensuram. Ait D. Basil. Seleuc. orat. 3. *Diuinitatis ingerit notionem, vt mortalitate condemnet, dixit, quæ volebat.* Volebat equidem malus, vt homines esse vellent sicut dij, vt citiùs perirent, vt enim diuinitas excedit mensuram hominis; sic ambulans homo in mirabilibus super se, festinaret ad ruinam.

Paul. 1. ad Cor. 6.

D. August.

Dan. 4.

Richard.

Gen. 3.

D. Basil.

§. XXXVIII.

Magna virtutis insigne, quòd vergente in senium ætate, minimè tepescat in disciplinæ rigore.

NOn in parua est laude Gad, quòd accinctus prælietur ante populum, sed illud in eo laudabilius, quòd & *ipse*

accingetur retrorsum, hoc est, iuxta explicationem Glossæ, & Lyræ, & aliorum, quòd post finita prælia multa, dum fratribus terga vertunt, & ad sua remeant, adhuc tunc succincti, adhuc in armis splendeant, & instarent bella aduersus inimicas gentes. Sanè inertes homines post bellum finitum ad propria reuertentes, vt testis est Papinianus Thebaide 8.

Abiecere madentes
Sicut erant, clypeos, nec quisquam spicula tersit.
Nec laudauit equum, nitida nec cassidis altam
Composuit, adornauitque iubam.

Nihil ad militarem baltheum conducens non horrent, non contemnunt. Non sic bellicosissimi Gaditæ, imò post finita fratrum suorum bella, dum retrorsum redeunt, ad propriáque festinant, nihil pigrum, nihil desidiosum in se ostendunt, sub eisdem armis, in eodem procinctu aduersus hostes feruntur. Quid laudabilius? Quid moralius ad eos, qui virtutum suscipiunt prælia? Sunt equidem plurimi, qui dum in vita adolescunt, nullum certamen pro Deo, & virtute perhorrescunt, alacres rigorem disciplinæ arripiunt, verùm post prælia adolescentiæ confecta, vergente iam ætate in senium, dum ad propria festinant, arma deponunt, rigorem abiiciunt, & sibi maximè indulgent. Absit hoc à validis Christi bellatoribus, quorum est, sub eodem procinctu, sub eodem rigore splendescere tam in ingressu, quàm in regressu à vita. Vt illis veniat laus decantata à Moyse Deuteronom. 33. *Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & senectus tua.* Magnum hoc in Christi militibus; quò spectans Ecclesiasticus cap. 18. ait: *Cùm consummatus fuerit homo, tunc incipit.* Ex quibus verbis sic Abbatem Garinum senem extollit D. Bernard. epistol. 253. *Nunc in te pater experior, quod in sacris literis legi. Cùm consummatus fuerit homo, tunc incipit. Iam seni requies, iam corona debebatur emerito, & ecce tanquam nouus in Christo miles, noua iterum tibi excitas bella, prouocas aduersarium, & rem fortium præsumis fessus senex, dum ad iterandum certamen, antiquum hostem, & eum quodammodo inuitum compellis. Nec timendum, quòd succumbat hosti, qui nec cedit ætati. Vincit annos animus, & frigente iam corpore feruet sanctum in corde desiderium, artubúsque fatiscentibus, durat tamen incolumis propositi vigor, nec sentit rugosa carnis infirma spiritus promptus.* Quid in viro laudabilius? Solent etiam, qui alacriter à primis annis virtutum prælia subiere, dum senes ad terram, de qua sumpti sunt, propiùs accedunt arma ponere, certamina deserere, & penitus lassescere. De Salomone dicit 3. Reg. cap. 11. *Cùmque iam esset senex, deprauatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur Deos alienos.* Circa quod ait D. Cyril. Alex. in Oseæ cap. 1. *Omnem impietatem commissa à Salomone iam sene facinora superant. Quid enim tum nefariis sceleribus odiosius? Aut quis satis explicet, quàm sit impium honore, & charitate erga vnum Deum contempta, ipsius solius excellentiam dæmonum gregibus, lapidibus, ac lignis tribuere?* Paucorum est, & præstantissimorum seruorem vitæ etiam in artubus gelidis retinere: & in ipso regressu noua iterare bella, & hostes prouocare ad arenam. Hinc Petrus Damian. opuscul. 23. de Perfect. Monach. monet senes religiosos: *Nunc igitur ad fortiter agendum feruens animus incalescat, & senilis ætas ad debellandam vitiorum barbariem robur iuuenile concipiat. Iam iam profectò in limine municipij pedem ponitis, iam ad felicissimæ quietis otium mediantibus dumtaxat foribus propinquatis. Abiiciatur ergo desidia, deponatur inertia. Rimator auri, quò profundiùs terræ venas effodit, eò robustiùs, atque feruentius se ad explendum id operis, quod restat, accingit. Nec tam præteritus labor vires eneruat, quàm spes thesauri iam iamque propinqui ad egerendi auderis studium prouocat.* Et in fine sic prosequitur: *Vbi feruidi spiritus ardor incanduit, senilis ætas à bonis operis studio non torpescit: sed sicut serpentem costis dumtaxat, non pedibus innitentem, viuax ad currendum spiritus euehit, sic senilia membra per spiritualis militiæ studium diuinus amor impellit.* Sic ibi.

Deut. 33.
D. Bern.
3. Reg. 11.
D. Cyrill.
Petr. Dam.

§. XXXIX.

Nil magis deliciosum, & gratum bonis Regibus quàm populi saturi lætitia.

IN parte Aseris prænuntiatur frumenti præstantia, & copia tanta, quæ Regibus inferat delicias: ait enim: *Aser pinguis panis, & præbebit delicias Regibus.* Et quando Reges non delicientur, & gaudeant in panis copia, quæ populos habeat saturos? Planè præstantem Regem non sic lætificant diuites thesauri, vt populares plausus orti ex panis abundantia. Vox illa Regis est côferentis annonæ præfecturam apud Cassiodor. 6. var. 18. *Tui siquidem studij est, vt sacratissima Vrbi præparetur annona, vbique redundet panis copia, & tam magnus populus, tanquam vna mensa, satietur. Per officinas pistorum, cibósque discurris, pensum & munditiam panis exigis, nec vile iudicas esse, vnde te possit Roma laudare. meritò, quando gloria singularis est, illius ciuitatis affici tur: : In fraudulentos distringe, panis pondera æquus examinator intende, feliciùs auro pensetur, vnde à Quiritibus viuitur. Quia gratior nobis est lætitia fauentis populi Romani, quàm copia pretiosissimi metalli.* Quid regalius? Tyrannos lætificant congesta auri, argentíve immensa pondera, ingenuis autem Regibus ille lætitiam, & delitias affert, qui ostendit populos annonæ vilitate lætantes. Qui populos ostendit saturos, is regalissimam lætitiam Regibus affert. Huc spectans parabola de conuiuio nuptiali Matth. cap. 22. post prandium paratum, post conuiuas vocatos, dicit intrasse Regem, vt videret discumbentes; sic enim ait: *Intrauit autem Rex, vt videret discumbentes:* cur non magis ante discubitum intrauit, vt videret accedentes, vel, vt videret stantes, eósque gratanter exciperet? Cur non antea quàm discumberent, videre eos maluit? Rex erat, cui tunc solum adest gratius, & suauius spectaculum, cùm eius subditi satis iam mensis assidentes apparent. Vnde Ecclesiastes cap. 5. ait: *Vbi multa sunt opes,* versio Arabica, *in multitudine panis, multi & qui comedunt eas; & quid prodest possessori, nisi quòd cernit diuitias oculis suis?* Versio Veneta. *Et quid gratius esse poterit Domino eius, quàm videre hoc ipsum oculis suis?* Sanè & Domino & Regi super omnia gratissimum debet esse spectaculum, quòd satura eius ostendatur oculis populorum multitudo. Quò spectans Olympiodori lectio ait: *Principatus enim est illi, vt videat oculis suis.* Ideo optimus Rex principatum suum æstimat, si videat multos comedentes in regno suo, si multitudinem populorum satiatam pane prospiciat. Nec aliud gratius habet, quàm si coram saturæ repræsententur multitudines. De Dauide dicitur. 2. Reg. 23. *Desiderauit igitur Dauid aquam de lacu, & ait: O si quis daret mihi potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem iuxta portam. Irruperunt ergo tres fortes castra Philisthinorum, & hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, quæ erat iuxta portam, & attulerunt ad Dauidem. At ille noluit bibere, sed libauit eam Domino.* Magnum hoc, quòd Rege sitienti concupitam aquam & magno sub discrimine haustam offerrent viri fortissimi: sed illud summè mirandum, quòd Rex aquam effunderet, nec vellet eam bibere, nec vllam gratiarum vocem tantis viris retulerit. Planè 2. Reg. 17. Sobi, & Machir, & Bercellai Galaadites *obtulerunt ei stratoria, & tapetia, & vasa fictilia, frumentum, & hordeum, & farinam, & polentam, & fabam, & lentem, & frixum oleæ cicer, & mel, & butyrum, oues, & pingues vitulos: dederúntque Dauid & populo, qui cum eo erat, ad vescendum. Suspicati enim sunt populum fame, & siti fatigari in deserto.* Quid ad hæc Dauid? Sic gratanter obsequium accepit, vt vel moriens iusserit filio, 3. Reg. cap. 2. *Filiis Bercellai Galaaditis reddes gratiam, eruntque comedentes in mensa tua. Occurrerũt enim mihi, &c.* Qui adeò gratus extitit in Bercellai filios ob escas oblatas in fame, cur non ostenderetur gratus fortissimis illis viris ob aquam oblatam tanto illorum discrimine? Bercellai securus cibos obtulit, tres illi viri summo vitæ propriæ periculo aquam è mediis hostibus compararunt, illámque Dauidi obtulerunt. Cur ergo non sic placuerunt Dauidi, vt ex illo gratias acquirerent? Bercellai autem sic placuit, vt sibi Dauidis animum penitus deuinciret? Tres illi viri regiæ cupiditati seruierunt, Bercellai non regias cupiditates sequutus, populi necessitatem attendit, afferens Regi, & populo cibos abundantissimos: ait enim textus: *Suspicati sunt populum fame, & siti fatigari in deserto.* Optimo autem Regi ille gratus & in deliciis est, præ omnibus aliis, qui facit, ne populus famem, nec penuriam videat. Hinc Egesippus lib. 1. de excid. Hierosol. ponderat astum Herodis in deuinciendo sibi Cæsare. Ait enim: *Proficiscentibus inde in Ægyptum profectus Herodes Cæsaris iter suppeditatis omnibus, quæ vel ipsi, vel exercitui vsui forent, maxima sui gratia Imperatoris sibi studia conciliauit: præcipuè quia in locis aridioribus vsque Pelusium, regali prouisione aquarum affluentia subministrata: quibus effecit tantum sui amorem infundit omnibus, vt plus videretur meruisse, quàm accepisse.* Supra hoc totam gratitudinem apud bonum Regem meretur illius, qui populos scit à penuria, & fame reddere liberos, quando id solum regium est, quod ad commoda, & vtilia subditorum spectat. Vnde pulchra similitudine D. Synesius, lib. de Regno, ingenium regale à tyrannico discernit, aiens: *Rectè omnino vetus sententia. Subditorum multitudinem Regem non potius facere quàm tyrannum; sicut nec ouium multitudo pastorem potiùs, quàm coquum, qui illas abigat, vt mactatis non modò ipse famem expleat, sed & aliis epulandas easdem proponat. Iisdem prorsus limitibus Regem censeo à tyranno differre. Nam quod ad fortunam*

Cassiod.
Eccl. 5. 5.
Olympiod.
2. Reg. 23.
2. Reg. 17.
3. Reg. 2.
Egesipp.
D. Synes.

pert.

pertinet, ambobus haud dissimilis est. In multos vterque homines imperium habet. Verùm qui id in vita ratione sequitur, quod subditis commodum videtur, hic in genere quidem ouium Pastor, in hominum verò genere Rex est. At qui per luxum potestate abutitur, & imperium voluptate, ac delicijs conterit, suas omnes cupiditates explendas sibi esse ducens: idque ex multorum imperio lucri deputat, si quàm plurimi suis libidinibus, ac cupiditatibus seruiant: & vt vno verbo dicam, qui gregem non saginare, sed à grege saginari vult, eum inter pecora coquum appello, eum tyrannum esse censeo, si, quod subditum est, populus sit ratione præditus Hæc ibi.

§. XL.

Poliendi, ornandique sermonis studium eneruat homines, effœminátque.

DVo dantur à Iacobo Nephthalino filio, nimirum, & quòd velut ceruus emissus sit, & quòd det eloquia pulchritudinis, hoc est, iuxta Masium, in cap. 19. Iosue, quòd compté, & ornatè dicat. Quid pulchrius, quàm compta, & ornata oratio? Sed quid ceruo timidius? Meritò ergo cum studio compti ornatique sermonis cerui proponitur timiditas, vt enim pigmentorum fucos eneruat homines, sic verborum fucus, & studium poliendi sermonis eneruat, & in fœminas conuertit viros. *Prou. 5.* Prouerb. 5. *Fauus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius.* Sub quibus verbis intelligit D. Cyrill. Hierosolym. catech 4. vniuersam Græcorum oratoriam; quæ ideò putatur fluere è labiis meretricis, quia nequit esse nisi in effœminato animo eius studium. Ait enim: *Multi sunt qui per Philosophiam, & vanos errores decipiunt. Et Græci quidem per eloquentiam capiunt: mel enim fluit de labiis mulieris fornicariæ.* Itaque in quo eloquentiæ sæcularis melodia percipitur, nihil in eo virile putes, nihil forte, quando hæc non nisi ex animis defluit fœmineis. Nequit esse cum virili robore fucati sermonis studium, fucus enim sermonis, animi imbecillitatem, imò extremum casum, & ruinam designat. *Luc. 10.* Apud Luc. 10. dicebat Iesus: *Videbam Sathanam tanquam fulgur de cœlo cadentem.* Cur non magis tanquam lapis dicitur fuisse lapsus iste, vel tanquam plumbum? Nonne Babylonis lapsus exprimitur in Apocal. per lapidis præcipitationem in stagnum ignis? Nonne Ægyptiorum ruina in Exodo per plumbi submersionem in profundum exprimitur? Cur non sicut plumbum, nec sicut lapis, sed sicut fulgur visitur Sathanas cecidisse? Planè ostendebatur ibi splendor, & nitor eloquentiæ omni lapide, & plumbo aptior præcipitio. Vnde *Hieron.* monet D. Hieronym. epist. ad Hedibiam: *Nec fulgore sæcularis eloquentiæ delecteris, quam vidit Iesus quasi fulgur cadentem de cœlo.* Est equidem in sermone composito & fulgor, & nitor pellucens, sed qui imbecillitatem ostendat, sed qui casum præ se ferat, & ruinam. Quis ignoret leoninos Israelitarum animos ad ceruorum imbecillitatem, & timiditatem sub Iosue duce deuenisse? *Iosue 7.* De illis Iosue cap. 7. dicitur: *Ascenderunt ergo tria millia pugnatorum, qui statim terga vertentes percussi sunt à viris vrbis Hai.* Miratur Iosue in leoninis militibus tantam repentè infirmitatem apparere, qua ceruis timidiores fugæ se dedant, & in ruinam eant: & tantæ calamitatis, & imbecillitatis causam inquirens audit ex Acham: *Verè ego peccaui Domino Deo Israel, & sic, & sic feci. Vidi enim inter spolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos siclos argenti, regulámque auream quinquaginta siclorum, & concupiscens abstuli.* Vbi noster posuit, *regulámque auream*, legit Origenes, *linguam auream*, vt tota causa calamitatis, & ruinæ sit, quòd iste linguam auream accepisset. Vna lingua aurea, nimirum aureo decore politi sermonis rutilans sic eneruauit validissimum exercitum, vt vel ab vmbra inimicorum fugeret, & funditus caderet ante conspectus hostiles. Sapienter Origenes *Origen.* homil. 7. in præsenti: *Multus decor est in verbis, & multa in philosophorum, vel rhetorum sermonibus pulchritudo, qui omnes de ciuitate sunt Hiericho, id est, huius mundi homines. Sed vide, ne te rapiat sermonis aurei pulchritudo: memento quia Iesus anathema iussit esse omne aurum, quod in Hiericho fuerit inuentum. Si poetam legeris modulatis versibus, & præfulgido carmine Deos, Deásque texentem, ne delecteris eloquentiæ suauitate. Lingua aurea est; si eam sustuleris, & posueris in tabernaculo tuo, polluis omnem Ecclesiam Domini.* Quid non polluat, quid non destruat lingua aurea, sermo eloquentiæ prophanæ nitore conspicuus? Fallar, si verbosuli isti, aurea verba texentes possint sustinere vel vmbram hostilem. Hinc est, quòd Moyses dum mittitur à Deo aduersus Ægyptios, statim linguæ defectum experitur, quasi nequeat stare eloquentiæ pulchritudo in eo, qui paratur, & roboratur aduersus incursus hostiles. Quippe ait: *Exod. 4.* Exod. 4. *Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri, & nudius tertius, ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ sum.* Et quid loquebatur Deus ad Moysem, quod eius linguam frænauit? Nonne loquebatur ad illum, quòd exiret aduersus Ægyptios? Quòd Deus fieret aduersus Pharaonem? Ecce tibi & simul eligitur, vt fortis stet aduersus Ægyptios, & simul illi oris splendor eripitur, ne quid sonorum, & pulchrum habeat in lingua. Quod tantum non indigitat Philo lib. quòd deter. potiori insid. inquiens: *Philo.* *Moyses illos in Ægypto sophistas veneficos recusat concertatores sibi dari, & aduersarios, negans se eloquentem; ac si dicat, non esse sibi ingenium docile ad orationem verisimilium, coniecturaliúmque rhetoricam. Deinde asseuerans se non tantùm infacundum, sed prorsus mutum, quia dedignatus per instrumenta vocis vti sonoro sermone.* Vbi diuinis armis induebatur aduersus Ægyptias potestates, vt Deus fortissimus illis appareat, meritò rhetorum congressum recusat, & eloquentiæ splendorem abijcit, dedignatus sonorè, & comptè loqui: non enim robur, & fortitudo cum hac cultura sermonis potest stare. Hinc Lucas, Actor. 18. ait: *Luc. 18.* *Iudæus autem quidam, Apollo nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, deuenit Ephesum, potens in Scripturis.* Expende, quòd dicatur *vir eloquens*, sed non dicatur in eloquentia potens, sed in Scripturis, nunquam enim ab eloquentia potentia venit, sed imbecillitas, sed infirmitas. Qui verò fortis esse, & potens, amat, nitorem eloquentiæ, studiúmque illius acquirendi nimium abiuret. Ex quo D. Paulinus dicebat epist. 1. ad Seue- *D. Paul.* rum Sulpitium: *Piscatorum prædicationes Tullianis omnibus, & tam literis protulisti, confugisti ad pietatis silentium, vt euaderes iniquitatis tumultum, mutescere voluisti mortalibus, vt ore puro diuinis loquereris: & pollutam canina facie dia linguam, Christi laudibus expiares. O verè Israelita, qui Deum Iacob tam fida mente vidisti, & tanquam in ipsius Domini colluctatione firmatus præualuisti.* Expende, quibus gradibus eloquentissimus homo dicatur peruenisse ad fortitudinem, qua præualeat, nimirum per hoc quòd Tullianis fucis valediceret, quòd humanam facundiam, hoc est, sermonis poliendi studium abiuraret. Non otiosè dixit studium ornatus abiurandum, non ipsum dicendi ornatum, qui sine studio in fortissimis Christi athletis etiã apparet. Pro quo D. Aug. lib. 4. de doctrina Christiana *D. Aug.* fatur: *Grande autẽ dicendi genus maximè distat ab isto temperato genere, quod non tam verborum ornatibus acceptum est, quàm violentis animi affectibus. Nam capit etiam illa ornamenta penè omnia, sed ea, si non habuerit, non requirit. Fertur quippe impetu suo, & elocutionis pulchritudinem, si occurrerit, vi rerum rapit, non cura decoris assumit. Satis enim est ei, propter quod agitur, vt verba congruentia non oris eligantur industria, sed pectoris sequantur ardorem.* Sic ille de grandi genere dicendi inuento in athletis Christi.

§. XLI.

Regem decet quàm citò subditorum respondere optatis.

NOn malè Nephthalim vocatur ceruus emissus, vt velocitas, & celeritas eius describatur in fructificando, decet enim regiam tribum hac virtute pollere, qua non longa expectatione subditos frangat, sed eorum acceleret implere rogata. De suo Theodorico aiebat Sidonius Apollinar. lib. 1. *Sidon.* epist. 2. *Inter hæc intromissis gentium legationibus, audit plurima, pauca respondet. Si quid tractabitur, differt: si quid expedietur, accelerat.* Vt in rebus dubiis consultationem expectat, & paulò morosiùs agit, sic in rebus expeditis, abrupta omni mora festinat, accelerat. Nesciat regius animus tardare beneficia, nesciat expectatione longissima frangere petentes, decet enim maximè Reges accelerare in benefaciendo. Psalm. 19. *Psalm 19.* *Domine, saluum fac Regem, & exaudi nos in die, quando inuocauerimus te.* Alij legunt: *Domine salua Regem, vt nos exaudiat, quotiès inuocauerimus eum.* Ecce tibi quid subditi requirant in Rege, nimirum, quòd nõ surdescat ad petita, sed in eo se Regem ostendat, quòd audire acceleret. Vnde ibi legit D. Hier. *D. Hier.* *Domine salua, Rex audi:* siue vt Chaldæus loquitur: *Verbum Domini redime nos, Rex fortis suscipe orationem nostram.* Et adhuc in rem nostram explicatiùs Fœlix legit: *Domine saluum fac: Rex respondebit nobis in die qua clamabimus.* In eo enim se quisque Regem ostendit, si non differat in longa tempora subditis fauorem, sed in ea die, qua ipsi clamant, ille fauorem, & responsum acceleret. Ex quo prædicabat Gothorum reginam Cassiod. lib. 11. var. 1. inquiens: *Cassiod.* *Non aut legatus moram, aut interpellãs aliquam sustinet de mediatoris tarditate iacturam.*

quando

quando vterque & genuinis verbis auditur, & patriotica responsione componitur. Non equidem parua est laus Regiæ, cuius in atriis non diu iacent interpellatores, sed quàm citissimè ensum postulata expediuntur à Rege.

§. XLII.

Non præripiendi honores, sed expectandi.

CRediderim cum Pierio, in ceruo notari præcipitantiam quandam, qua sine ratione, & consideratione homines ad sibi præripiendos honores transcurrunt. Quę inconsiderata, imò stulta præcipitantia Nephthalino attribuitur. Quid enim stultius, quàm quòd non expectes honorum vices, sed festinatò ad illos vel violentia præripiendos concurras? Aiebat D. Synesius lib. de Prouid. *Meritò id ipsum iterum, ac sæpius inculcandum est mortalibus, inscitia regulam esse, vitæ nostræ conditionem non expectare, vt in conuiuiis fercula, quæ circumlata ad nos, vt ea capiamus, deuentura sunt, sed ipsum vt occupare, ac præripere. Eiusmodi namque si illorum compos fuerit, ridiculum sese præbebit, ineptus, ac inurbanus conuiua, & conuiuatoris offensionem incurreret, sordida illiberalitate ordinem, quantum in se est, perturbans.* Quid pulchrius? Vt enim sordidum est, & stultum, & non parua animaduersione dignum, quòd quis in conuiuio non expectet sibi ferculum ordine suo aduenire, sed quod primò viderit, ad id præripiendum prosiliat: sic æquè sordidum, & stultum est non expectare vitæ nostræ conditionem, sed ad præripiendos, præoccupandósque honores currere, ordine abrupto. Quàm longè ab hac stultitia Dauid; is vocatus erat, & electus ad regnum post Saul, à quo durissimè tractabatur. Quadam tamen die incidit in Saulem, quem facili negotio perimere posset, & regnum occupare, & ad id à sociis vehementer incitabatur. Verùm ille ait 1. Reg. 24. *Viuit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit, vt moriatur, aut descendens in prælio perierit, propitius sit mihi Dominus, vt nō mittam manum meam in Christum Domini.* Et cur Dauid cùm licitè, & in sui defensionem posset hostem occidere, noluit illi inferre manum? Cauit sapiens vir, ne videretur ad præripiendum honorem currere, & maluit ordinem gratiæ expectare. Quippe ait D. Basil. Seleuc. orat. 16. *Pepercit Dauid dormienti, & insidiantis curam habuit, & osorem, gratia regimen secutus, conseruauit.* Expende illud, *gratia regimen secutus*, expectabat enim ordinem gratiæ; quando illa circumlatura erat regnum ad Dauidem, vt illud ipse tunc caperet, non antè præriperet, nec præoccuparet. Rem etiam pulcherrimè explicabat, & ponderabat D. Amb. in Apolog. 1. cap. 6. inquiens: *Debitum sibi imperium diu distulit, quod sciebat sibi Deo authore deberi. Quo solo docuit omnes homines, non præripiendum regnum, etiamsi debeatur, sed expectandum vt suo tempore deferatur. Vtinam hunc virum imitati essent posteri, non tantas bellorum pertulissemus acerbitates. Arguis, quòd unum occiderit, non consideras, quod docuerit, quemadmodum pax Orbi Romano perpetua seruetur.* Equidem in eo pax maxima seruaretur domui, ciuitati, Regno, Orbi, si nullus festinaret præoccupare, aut præripere honores, sed illos expectaret, vt suo tempore, & ordine deferantur.

D. Synes. — 1. Reg. 24. — Basil. Sel. — Ambr.

Genes. 49. Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu. Filiæ discurrerunt super murum, sed exasperauerunt eum, & iurgati sunt, inuiderúntque illi habentes iacula.

§. XLIII.

Temporalia bona tunc solùm laudi dantur viro bono, cùm obtinendis æternis deseruierunt.

MIrabar sæpe, quòd sanctissimus Iacob nil prius laudasset in filio suo Ioseph, quàm pulchritudinem, & decorem formæ, ait enim: *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, decorus aspectu.* Et quantum est pulchritudinis bonum, quod sic in præcellenti viro debeat commendari, & commendetur à sancto Patriarcha? Sanè vel profanus ille despiciens pulchritudinem in viro aiebat:

O formose puer, nimium ne crede colori:
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Et vel in fœmina dicit Prouerb. 31. *Fallax gratia, & vana est pulchritudo.* Cur ergo Iacob in tanto filio pulchritudinis vanissimæ bonum miratur, filiúmque extollit commendatione rei adeò fallacis, adeò vanæ? Si mundialis adolescens Helenam extolleret, non mirarer, quòd eius pulchritudinem stuperet: at sanctissimus Patriarcha diuinis plenus mysteriis in præcellenti viro Ioseph, cur in primis eius pulchritudinem æstimet? Vidit equidem Iacob cœlestes triumphos, quos Ioseph pulchritudinis occasione reportauerat, & non potuit non commendare filium à pulchritudine, sciens bona omnia temporalia tunc esse laudi bonis viris, cùm per illa ad obtinenda æterna euolarunt. Ait Rupert. in Cat. Lippom. *Nunc autem quia decor aspectus eius, causa certaminis, & vinculorum, magnaque fuit victoriæ occasio, dignoscitur, & prædicatur filius fuisse decorus aspectu.* Non antea Iosephi pulchritudo laudatur, & cōmendatur, quàm vbi per eius occasionem appetitus à fœmina, magnas de libidine, & de peccato victorias reportauit; quando autem tot victoriis, tot triumphis, tot virtutibus pulchritudo fuit occasio, meritò in præcelso viro à sanctissimo Patriarcha prædicatur. Hinc Dan. cap. 13. ait: *Ioacim accepit vxorem nomine Susannam filiam Helciæ, pulchram nimis & timentem Deum.* Et Susannam nominat, & timentem Deum prædicat, nec dubitat illam à nimia pulchritudine laudare, quando ait Prouerb. 31. *Vana est pulchritudo, mulier timens Deum ipsa laudabitur,* quasi ostēdat vanum esse mulierem timoratam, & Deo seruientē à pulchritudine laudari. Sed 2. Reg. 11. ait de Dauid: *Vidit mulierem se lauantem ex aduerso super solarium suum. Erat autem pulchra valde.* Pulchritudinem mulieris commendat, sed nomen mulieris tacet, ne sciatur ex nomine, quæ tanto decore pollere asseueratur. Et quando Susanna sub proprio nomine à pulchritudine per diuinum spiritum commendatur, cur huius mulieris nomen proprium tacetur, nec sinitur pronunciari sub pulchritudinis laude? Sanè, & Susanna & hæc in lauacro fuerunt; vtraque nudam pulchritudinem ostendit in lauacro, quæ aspectantium oculos raperet; vtraque innocenter sese nudauit, cur Susanna in decore suo magis laudatur, & hæc prorsus præteritur illaudata? Fuit in vtraque pulchritudo, sed quæ in Susanna triumphalibus virtutibus occasionem præstaret, in altera miseras afferret calamitates. Ne miremur, quòd sola Susanna sub proprio nomine à pulchritudine commendetur, quādo in sola illa pulchritudo fuit victoriarum occasio; bona autem temporalia tunc solùm laudi cuique dantur, cùm non vitiis, sed deseruiunt virtutibus præstandis. Huc ego retulerim illud Ecclesiastis cap. 2. *Nonne melius est, comedere, & bibere, & ostendere animæ suæ bona de laboribus suis? Et hoc de manu Dei est. Quis ita deuorabit, & deliciis affluet, vt ego?* Vide, vnde se extollat bonus Ecclesiastes, vnde alios vincere in laudibus quærat, nimirum quòd supra omnes ipse deuorabit, & deliciis affluet. Hæc non magis bouina laus, quàm humana videtur? Cur bonus extollitur de potu, & cibo, & deliciis sibi affluentibus? Præmiserat antea, quale esset bonum comedendi & bibendi, nimirum, *melius est comedere, & bibere, & ostendere animæ suæ bona de laboribus suis.* Quorum sensum sic explicat Chaldæus Complutensis: *Nihil melius est in homine, quàm vt comedat, & bibat, & videat anima eius bonum coram filiis hominum, vt faciat præceptum Domini, vt ambulet in viis, quæ recta sunt coram eo.* Vbi autem cò tendunt conuiuia, & lætitiæ, & delitiæ, vt diuina præcepta adimpleantur, vt salutis viæ affectuosiùs terantur, virtutésque mille exerceantur, non miror, quòd viro bono, laudi dentur, & quòd à tali potu, & cibo, & deliciis nobilissimus Ecclesiastes commendetur.

Prou. 31. — Rupert. — Dan. 13. — Prou. 31. — 2. Reg. 11. — Eccl. 2.

§. XLIV.

Quæ à Christo veniunt augmenta, super omnia extolluntur in dignitate, & gloria.

NOn mysterio vacat, quòd accedens Iacob ad benedicendum Iosephum filium suum repetitis acclamationibus eius augmenta celebret, aiens: *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens.* Sed hoc factum crediderim, vt augmenta illius extollat super omnes alios. Quasi dicat, Filius accrescens Ioseph, dum similiter crescet cum aliis fratribus; item filius accrescens, dum & super omnes crescet abundantiùs. Et quidem Ioseph creuit cum aliis, dum tanquam Iudas posteros Reges habuit, dum tanquam omnes illi & penurias, & calamitates prosperè euasit. Sed rursus, super omnes creuit, quia ipse solus in Ægypto coronam gestauit, regiáque fuit

insignitus

insignitus claritate. Sic qui sub Christo viuunt, non solùm cæterorum augmenta habent, sed super omnes supremam acquirunt gloriam, & claritatem. Ex quo dicebat Dominus Ioann. 11. *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Nō contentus est, quòd sui vitā habeant, quòd commune est cum multis aliis, sed præterquam quod dedit suis perfectis asseclis, quòd viuant in mundo, & quòd etiam post mortem vitam habeant, insuper illis super omnes addidit immarcescibiles coronas, & ingentem gloriæ claritatem. Ait enim D. Cyril. Alexand. in cap. 2. Oseæ. *Resurgent quidem omnes probi, & improbi, sed non habebunt omnes illud abundantius. Qui autem Christi sunt, quique spirituali cum Deo amicitia locupletati sunt, & morum integritate præstant, præter communem resurrectionem, & reditum in vitā, planè habebunt, quæ consequuntur, hoc est, dona, honores, coronas, remunerationes, claritatem.* Ecce tibi quantum super omnes extollantur augmenta veri Christiani. Hauriant cæteri nobiscum vitam, hauriant communem aerem, & terrenas gazas, & post mortem resurrectionem hauriant. Veris autem Christianis aliquid restat abundantius; restant enim illis coronę, gloria, claritas, quibus æternū extollantur. Hinc aiebat Oseas cap. 2. *Et congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter, & ponent sibi caput vnum, & ascendent de terra.* Vbi coalescent in vnum Iuda, & Israel, idémque habebunt caput, quod solùm erit, vbi Christo crediderint, & factum fuerit vnum ouile, & vnus pastor: *tunc ascendent de terra.* Et cur ascendent de terra, nisi quia veros Christianos deceat, non solùm communes aliis habere dignitates, sed & super omnes eleuari. Ad hæc ait D. Cyril. Alexand. ibi. *Et ascendent de terra, inquit, quod rectè intelligentibus, opinor, significat, eos qui iugum Saluatoris admiserunt, de cætero omnimodò desituros terrena sapere, & prudentia carnis superiores fore. Tales enim omnes, qui Christo se subiecerunt; & fidem facit beatus Dauid, Quia Dei fortes terræ vehementer eleuati sunt.* E Psalm. 46. sumpsit Cyrillus verba, quibus probaret altitudinem, & nimiam eleuationem eorum, qui Christo nomen darent, è cuius halitu venit, quòd supra omnia terrenorum propria vehementer appareant, vt dij eleuati, ac sublimati.

§. XLV.

In fœminarum consuetudine nihil non bellicum, & cruentissimum.

NOtus est amor Ægyptiæ fœminæ in Ioseph, quando illum domi conuenit, blandisque verbis alliciebat ad libidinem. Huc ergo respiciens Iacob, ait: *Filia discurrerunt super murum, sed exasperauerunt eum, & iurgati sunt, inuiderúntque illi habentes iacula.* Quid cum illa historia, murus? Quid iurgium? Quid iacula? Lege totum, quod ibi factum est, & solùm inuenies domus secretum penetrale, mulieris lasciuæ blanditias, vbi murus? vbi iacula? Equidem sapientissimè Iacob, dum mulieris facinus intra domesticos parietes peractum vult repræsentare, bellica profert vocabula, dicens pro pariete murum, pro blanditiis iacula, sciens in consuetudine fœminarum nihil non esse bellicum, & ad perdendos homines aptum. Ecclesiastes cap. 7. *Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius.* Ibi Chaldæus Coste: *Offendi ego rem vel ipsa morte [illegible] asperiorem hominis, mulierem, quæ marito suo tot molestias struit, cuius animo venabula, & offendicula impacta sunt.* Expende è quibus rebus compingatur fœmineus animus, nimirum, ex venabulis, ait enim, *cuius animo venabula impacta sunt.* Hinc inde emineat in fœmineo corde venabula, quæ cruentum vndique minentur certamen. Vnde sapientes D. Ephrem ser. 2. de Compunct. fatur: *Si quis fœminis delectatur, & apud eas alacrem se reddit; passionibus prauis deseruit, & cum conscientia bellum gerit: has verò, qui auersatur, séque à consuetudine huiusmodi abstrahit, belli molestia liberatur.* Tunc solùm vacas à bello, cùm à consuetudine vacas fœminarum; his dum assuescis, nihil non bellicum, & cruentum apparet. Et quàm cruentum? Fallar, si quid aliud ad perdendum hominem magis valeat. Notissimæ sunt machinæ adductæ à Diabolo, vt cum Iob belligeraret; adduxit Chaldæorum exercitus validissimos, qui greges prædarentur, adduxit ardentes flammas è cœlo iaculatas; adduxit ventorum rabiem; adduxit substantiæ omnis ruinam, filiorum orbitatem, extremam pauperiem; &, post omnia hæc vanè adducta, ad Deum pro telo alio clamat. Quippe ait, capite 2. *Mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem, & tunc videbis, quòd in faciem benedicat tibi.* Et quale telum requirit in tactu carnis, nisi lasciuiæ telum, cuius vbi occasio est, & acerrimum, & periculosissimum bellum instauratur. Ait D. Hieron. epist. ad Pammachium: *Tange, inquit diabolus, carnes eius, nisi in faciem benedixerit tibi. Scit hostis antiquus maius continentiæ, quàm nummorum esse certamen. Facilè abiicitur, quod hæret extrinsecus, intestinum bellum periculosum est.* Venit equidem à fœmineis deliciis, quò magis intestinum bellum, eò magis periculosum, & cruentum magis.

§. XLVI.

Lasciuus animus nunquam solus, nunquam sine socio diabolo.

VNa fuit mulier lasciua, quæ appetiuit Iosephum, de illa tamen locutus Iacob, ait: *Filia discurrerunt super murum, sed exasperauerunt, &c.* Cur de plurali loquitur, quando vna, & singularis fuit, quæ inuasit, quæ exasperauit? Sanè nunquam animus lasciuus solus est, sed semper secum habet diabolum insertum; vt possit lasciua dicere, quòd vocatur legio, quia multæ sunt. Hinc Ecclesiastes cap. 7. ait: *Inueni amariorem morte mulierem.* Circa quæ sic ait, ea ex pendens author cat. Græcæ: *Intellexi insuper malum illud, quòd huiuscemodi omnia operaretur, esse diabolum* quasi nihil distinguat inter malum diaboli, & malum lasciuæ mulieris. Vbicunque enim inuenitur mulieris lasciuæ laqueus, ibi simul diabolus inuenitur, qui nequit à lasciua mente absens esse. Vnde apud Lucam cap. 15. de iuuene illo, qui substantiam consumpsit viuendo luxuriosè, dicitur, quòd abiit in regionem longinquam, & ibi fame enectus *adhæsit vni ciuium regionis illius.* Et quis ciuis iste, cui luxuriosus iuuenis adhæsit? Sapienter putat Theophylactus ciuem illum fuisse diabolum, vt qui socius inseparabilis ab animis lasciuis dicatur esse. Quippe ait: *Qui adhæret Domino, vnus spiritus fit cum illo: qui verò adhæret scorto, vnum corpus fit cum natura dæmonum, atque fit totus caro. Ciues enim regionis illius, quæ à Deo defecerat, dæmones omnino sunt.* Non potest animus lasciuus inueniri solus, vt primùm lasciuiæ se dedit, & dæmonibus adhæsit, nec ab illis se separare valet. Penè idem est in lasciuia esse, & dæmonibus sociari, vt idem etiam videtur à lasciuia abesse, & à dæmonum liberari assistentia. De muliere illa peccatrice, quæ à lasciuiæ cœno eruta est, dicit Lucas cap. 8. *Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant.* Exierant quidem à Magdalena septem dæmonia, cùm ipsa à libidinis cœno exiit, quæ quidem dæmonia simul cum lasciuo animo in illa erant.

§. XLVII.

Carceris pœna durior omni alia.

EXpende quantis explicat Iacob malum Iosepho illatum ab Ægyptiis Dominis, ait enim, *exasperauerunt eum & iurgati sunt, & inuiderunt illi, &c.* Cùm à fratribus suis comprehendebatur, vt illum morti traderent, non dicitur sanctus iuuenis exasperatus; modò dicitur exasperatus, quando ab Ægyptiis Dominis pœnæ datur. Sed quæ erat hæc pœna, quæ iuuenem exasperabat supra mortis pœnam? Scio hanc solam fuisse pœnam carceris per biennium protractam. Ait Caietanus in cat. Lippoman. *Exasperauerunt eum, & iurgati, inuiderúntque illi habentes iacula. Iuxta Hebræum habetur: Et amaricauerunt eum, & sagittauerunt, & oderunt eum sagittarij. Res gesta in Ægypto aduersus Ioseph ab hero, & hera ipsius summariè tangitur. Vterque herus sub metaphora sagittariorum describitur, quia reuera ipsi fuerunt principia afflictionum Ioseph in carcere, & ipsi amaram reddiderunt vitam eius. Oderunt eum volendo ei malum carceris.* Non sic inuidi fratres amaricauerunt Ioseph, quando illi volebant inferre necem, quando in cisterna veteri eum deposuerunt, quando Ismaelitis vendiderunt, vt illum amaricauerunt, & oderunt, & sagittauerunt Ægyptij Domini, volentes illi malum carceris. Hoc fuit initium afflictionum, & amaritudinum Ioseph, nimirum, quòd detruderetur nigro in carcere. Hoc ingens malum Sanctis procurat Satanas, vt morte acerbius: sic Apocal. 2. *Ecce missurus est diabolus ex vobis in carcerem, vt tentemini, & habebitis tribulationem diebus decem.* Non ferrum, non flammas minatur diabolus, vt tentet Sanctos, & tribulet, sed carcerem, quasi hic sit efficacior ad tentandos, & tribulandos Sanctos. Vnde Ruper. ibi. *Hoc intendens, missurus est,* ait,

ait, diabolus ex vobis in carcerem, vt non omnes citò moriamini copitino ictu gladij, sed protelatione pœnarum, & mora mortis pertæsi conturbemini in cordibus vestris, & inter procellas mauriarum fluctuantes conredatis, & perdita, si fieri potest, fide absorbeamini. Scit malus tormentorum efficaciam ad turbandos hominum animos, & è tormentis omnibus eligit carcerem, qui vitæ tædio, & mora mortis, & protelatione pœnarum fortissimos quosque quatit. Prędicabantur aliquando Iaponij Martyres, vt viui pro Deo cremabantur, vt inter motosas prunas animas exhalabant in odorem suauitatis. Audiuit immania hæc tormenta Iaponiorum fœlicissimus Pater Enricus Tonson, vir Anglus è Societate Iesu, qui post expletos decem & octo annos nigro & squallenti Londini in carcere, Rectoré agebat Vallisoleti seminarij Anglicani. Audiuit, inquam, hic tantus vir immania Iaponiorum tormenta, excruciationes, flammas, & leuatis in cœlum oculis, me præsente, ait: Vtinam & in Anglia similiter cremaremur, & excarnificaremur, & non seruaremur in carcere, nemo enim scire potest, quantum licet diabolo affligere eos, qui in carcere detenti conseruantur. Hoc dixit fœlicissimus vir, qui decem & octo annis pugnauit cum diabolo in carcere, cuius pugnæ immanitatem præfert & flammis, & omni alij cruciatui. Vt qui carceris longas, & fastidiosas pugnas superauit, nil inde, quod timeat, habeat. Vnde Tertul. ad Martyres, ait: *Vos ideò in carcerem permisit, vt diabolum in domo sua conculcetis. Iam enim foris congressi conculcaueritis.* Sanè qui conculcatur diabolus in carcere, in domo sua, hoc est, in maiori valentia sua conculcatur, vt iam foris etiam inter flammas facilè conculcetur. Hinc crediderim notanter dictum à Daniele c. 3. de pueris coniectis in caminum ignis: *Et confestim viri illi vincti cum braccis suis, & tiaris, & calceamentis, & vestibus missi sunt in medium fornacis ardentis.* Et cur necessum fuit ponderare, quòd confestim cum vestimentis, & tiaris, & calceamentis coniecti fuerint in flammas? Faciebat hoc ad incredibilem eorum fortitudinem commendandam, qui primò cum flammis congressi sunt, nullam experti luctam carceris. Qui enim nigro in carcere diu fuisset, pro vestibus, vinculis ferreis constrictus, pro calceamentis duro in neruo præpeditus, non mirarer, quòd post has pugnas, leue putaret cum flammis belligerare. Ac nulla carceris damna expertos ab ipso corporis ornatu integro, & cum ipso ad flammas ire, hoc incredibilis fuit fortitudinis.

Tertull.

Dan. 3.

Genes. 49. Sedit in forti arcus eius, & dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum illius per manus potentis Iacob. Inde Pastor egressus est, lapis Israel.

§. XLVIII.

Benefactori Deo ex pretiosissimis quibusque referenda gratia est.

VIde beneficium à Deo in Iosephum dilapsum, erat Ioseph in vinculis, erant eius brachia, manusque ligatæ catenis, tunc Deus curauit, vt à vinculis eriperetur. Ait enim: *Dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum illius per manus potentis Iacob.* Solus potentissimus Deus Iacob voluit Iosephum à vinculis liberare. Sed accipe eorundem verborum lectionem aliam: *Et deaurata sunt brachia manuum eius de manibus potentis Iacob.* Fecit hoc Deus liberando à vinculis Iosephi brachia, vt illa sibi fierent aurea. Nunquam ego credidi aurum hoc posse referri ad regium ornatum, ad quem elatus est Ioseph de domo carceris per Deum Iacob; quando brachia virorum non auro grauabantur. Magis credo aurum referri ad actionem gratiarum; solent enim homines, qui brachiorum sanitatem obtinuere, brachia argétea, vel aurea appendere benefactori suo, vel Deo, vel Dei matri. Quid tunc? Iosephi brachia, vt à Deo liberata sunt, & erepta vinculorum grauamini, sic à grato viro apparuerunt aurea facta, & appensa liberatori tanto. Ita semper pretiosissimis debemus benefactorem nostrum testificari. Vt à vinculis dissoluta sunt brachia, sic deaurata, hoc est, sic aurea facta pretiosissimo munere benefactorem Deum testantur. Quò respiciens Dominus per Oseam cap. 2. ait: *Et hæc nesciuit, quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei, & aurum, quæ fecerunt Baal.* In rem nostram apertiùs ex Græco legit D. Cyrill. Alexand. *Et ipsa non cognouit, quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicaui ei. Hæc autem argentea, & aurea fecit Baal.* Synagoga putans sibi à Baal venire, & non à Deo, Baali, & non Deo referebat gratias. Et quales referebat gratias? Ait textus: *Argentea, & aurea fecit Baal*, hoc est, quæ accipiebat bona Baali appendebat argentea, & aurea facta, in hoc sapientes, quod benefactorem non nisi de pretiosissimis vellent testificari. Ex quo pulchrè D. Cyril. Alexand. ibi fatur: *Tribuenda sunt igitur Deo, quæ Dei sunt. Doctorem enim, & probitorem omnium bonorum nostrorum inaurari conuenit per ea, quæ ab ipso habemus.* Expende ab illis, *inaurari conuenit per ea, quæ ab ipso:* non enim placet Deo benefactori gratiarum actio, quæ non pretiosa, & aurea illi dicantur. Nequit ostendi Deus benefactor, nisi ex aurea remuneratione, hoc est, nisi illi pretiosissima quæque in gratiarum actionem appendamus. Hinc Lucas cap. 7. de Magdalena ait: *Vt cognouit, quòd accubuisset Iesus in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti, & stans retro secus pedes eius;:: vnguento vngebat.* Hoc præstitit Magdalena obsequium Saluatori, cùm primùm sese ad bonam frugem recipiebat, post hæc multis munerata à Saluatore, & præcipuè fratre rediuiuo donata, sex ante passionem diebus cœnam illi in Bethania parauit. De qua cœna locutus Ioann. cap. 12. ait. *Iesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus. Fecerunt autem ei cœnam ibi: & Martha ministrabat. Lazarus verò vnus erat ex discumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram vnguenti nardi pistici, pretiosi, & vnxit pedes Iesu, &c.* Ad hæc Origen. hom. 35. in Matthæum, acutè notat, quòd apud Lucam vnguentum à Magdalena exhibitum, non dicitur pretiosum fuisse, nec fuisse ex nardo spicato elaboratum, sed solùm dicitur vnguentum oblatum ab illa. Ioannes autem non solùm vnguentum nominat, sed multus est in eius pretio, & æstimatione explicanda, dum ait: *accepit libram vnguenti nardi pistici, pretiosi, &c.* Cur ergo in præsenti magis explicatur valor, & pretium vnguenti? Cur magis dicitur pretiositas materiæ, ex qua fuerat elaboratum? Rationem pulchrè attigit Euthymius, dum enim totius apparatus cœnæ indigitat causam, ait: *Sorores verò cœnam ei parauerunt tanquam magistro, & benefactori summo, ac plusquam humano.* Antea remissionem adhuc quærebat Magdalena suorum peccatorum, & ideò lachrymis instans, non adeò de pretio vnguenti curabat. Modo totus iste cœnæ apparatus fiebat in actionem gratiarum, vt referrent gratiæ benefactori Deo, qui fratrem à morte ad vitam reuocauerat, quæ sanè debebant fieri de rebus pretiosissimis, & æstimationis maximæ. Liberans enim Iesus Lazarum ab vnguentis funeralibus, dignissimè designatus est Deus benefactor, per hoc quod rediuiui soror pretiosissima omnium vnguenta illi sacraret. Debebatur quidem tanto liberatori remuneratio tanta, quæ inauraretur per ea, quæ de eius venerant manu.

Osea. 2.

D. Cyril.

Luc.

Ioan. 12.

§. XLIX.

Non dicendus est protector Reipublicæ, qui illam bonis vacuat, vt defendat.

NOtanter Iosephi fauor erga Israelitas describitur, dum dicit: *Inde pastor egressus est lapis Israel.* Et quidem Ioseph è carcere eductus fuit à Pharaone, vt pasceret Ægyptum, quem ipse fame oppressum per septennium pauit. Accidit tamen, quòd similiter Israelis domū pasceret eodem septennio. Cur ergo non magis extollitur, quòd fuerit pastor Ægyptij imperij, quàm quòd fuerit pastor Israelis? Cur prætermittitur totū illud de saturata Ægypto, & solùm prędicatur, quòd Israelis domū saturauerit? Defendit sanè Ioseph à fame & Israelitas, & Ægyptios; sed Israelitas sic defendit, vt minimè illorū minuerit bona. Ægyptios autem dū defendit à fame, spoliat simul eos omnibus bonis, vt omnia illorum sub Regis potestate redigantur. Vnde meritò non vocatur Ægyptiorum pastor, nec protector, nec defensor; non enim debet pastor, aut protector Reipublicæ haberi, qui illam, vt defendat, bonis euacuat. Sic pulchrè de quodam Senatore dicebat Athalaricus Rex apud Cassiod. 9. var. 25. *Fuit ille prouinciarum verissimus custos. Nam ille defensor propriè dicendus est, qui tuetur innoxiè.* Desine nominare pastorem, vel protectorem ciuitatis illum, qui, vt defendat, suis bonis ciues spoliat, eripiens ipse primitus bona, quibus fortan parcerent hostes. Vnde Venantium quemdam virum illustrissimum non satis commendat Theodoricus Gothorum Rex apud Cassiod. 2. Var. 16 fatus: *Hic igitur infatigabili cura, quod difficillimum virtutis est genus, sub generalitatis gratia publica videtur*

Cassiod.

Cassiod.

procurasse

procuraſſe compendia, cenſum non addendo, ſed conſeruando protendens, dum illa quæ conſueuerant malè diſpergi, bene induſtria prouidente collegit. Senſimus auctas illationes, vos addita tributa neſcitis. Ita vtrumque ſub admiratione perfectum eſt: vt ficus creſceret, & priuata vtilitas nulla damna ſentiret. Quid pulchrius de regio miniſtro, de regni gubernatore dici potuit? Vtinam hæc legerent, & ab hoc diſcerent vniuerſi Senatores vrbium. Non enim Senatoris, nec Gubernatoris nomen habet ille, qui regnũ auget & conſeruat, auctis nouis in dies tributis, & exactionibus, quæ opprimãt ciues. Vt Ioſeph non debuit à Propheta vocari paſtor Ægypti, nec lapis Ægypti, cuius ſpoliatæ bonis auxit in immẽſum regium fiſcum. Sed meritò vnius Iſraelis & paſtor & lapis dicitur, quia nihil demens Iſraelitis, illorum accretione ditauit etiam Ægyptum. Sic Venantius ille Gothi regni clauum vt obtinuit, huic virtutis difficillimo generi animum adiunxit, nimirum vt cẽſum regium protenderet non addendo, ſed conſeruando. Et qualiter fieri potuit à gubernatore tanta virtus, tam ardua, tam difficilis, quòd regiæ gazæ augeantur, nulla additione exactionis, nulla additione tributi, ſed ſola conſeruatione iam præſtiti? Ait Theodoricus de optimo Senatore Venantio ſuprà: *Dum illa quæ conſueuerant malè diſpergi, bene induſtria prouidente collegit. Senſimus auctas illationes, vos aucta tributa neſcitis.* Sit vel vnus Senator induſtrius, qui eò adhibeat omnem curam, & ſolicitudinem: vt regia pecunia, quæ malè diſpergi conſueſcit, integrè colligatur, & integrè deducatur in præfinitos fines, & Rex videbit auctas illationes, & populus nulla ſentiet aucta tributa.

Theod.

Gen. 49. Deus patris tui erit adiutor tuus, omnipotens benedicet tibi benedictionibus cœli deſuper, benedictionibus abyſſi iacentis deorſum, benedictionibus vberũ, & vuluæ. Benedictiones patris tui confortatæ ſunt benedictionibus patrum eius, donec veniret deſiderium collium æternorum: fiant in capite Ioſeph, & in vertice Nazaræi inter fratres ſuos.

§. L.

Quidquid ſplendidum, & glorioſum in Maria fuit, id Dei filio proprium ceſſit.

STo à ſententia D. Amb. hanc benedictionem adaptãris vni Ieſu, cui ſoli & benedictiones terræ, & cœli, & abyſſi, & vberũ, & vuluæ vt propriæ ceſſerunt. Sanè quod glorioſum, & ſplendidũ a Mariæ vberibus, & virgineo vtero rutilat, id in vnius Dei filij ſplendorẽ, & gloriã cedit, vt verè proprium illius. Et quid potuit eſſe ſplendidum in Maria, quod non eſſet proprium Dei filio? Samuelẽ allocutus Dominus 1. Reg. 16. ait: *Mittã te ad Iſai Bethlehemitem; prouidi enim in Filiis eius mihi regem.* Dixiſſet forſan Deus, prouidi in filiis eius populo meo Regem. Nonne hoc verum erat? Nonne hoc intendebat Deus, nimirum, Regem dare populo ſuo? Cur ergo non dixit; prouidi populo meo Regem, ſed maluit dicere, prouidi Regem mihi? Quia Rex prouiſus à Deo in filiis Iſai futurus etiam erat pater Chriſti, maluit Deus omnia illius ſplẽdida, & glorioſa non alij aſſignare, quàm ſibi. Nihil enim ſplendidũ potuit eſſe in parente Chriſti, quod non cederet Deo ipſi. Rem pulchrè notans D. Baſil. orat. 14. ait: *Non ſimpliciter, prouidi, ſed mihi in Regem. Arcanum aliquod myſterium continet. Prouidi in filiis Iſai mihi Regẽ. Quoniam ex Dauide Chriſtus ſecundùm carnem, verum regnum, cæleſtia ſceptra, ſalutaris generatio, perennis gratia: Prouido, inquit, in filiis Iſai mihi Regem. Tantùm non dicit, meum eſſe iſtius filij regnum puto.* Ecce tibi ex quo Dauid pater Ieſu aſſignabatur, quidquid in Dauide ſplendidum erat, ſibi Deus meritò appropriabat. Cur ergo nõ ſibi appropriet Dei filius, quidquid glorioſum, quidquid ſplendidum rutilat ab vberibus, & ab vtero Mariæ? Sanè benedictiones vberũ, benedictiones vuluæ virgineæ propriæ, & ſingulariſſimæ ſunt Dei filij. Tota enim virginei vteri benedictio ideò parabatur, vt ex illa tanquã ex proprio ſtemmate Dei filius crederetur naſci. Quò ſpectans Proclus hom. de Chriſti nat. habita tom. 6. Conc. Epheſ. c. 7. ait: *Quòd ſi ea, quæ genuit, virgo non permanſit, neque is qui natus eſt, aliud quàm purus homo extitit. Atque ita partus ille nihil admiratione dignũ habebit. Quòd ſi illa verò in partu, & poſt partum virginitatem illæſam retinuit, is citra omnẽ controuerſiã arcano modo ex ea ortus eſt, quem (cùm per clauſas ianuas ingreſſus eſſet) Apoſtolus Thomas in gemina natura ſubſiſtentem agnouit, agnitúmque non abſque ingenti ſtupore compellauit, Dominus meus, & Deus meus.* Ecce tibi totus virginitatis Marianæ ſplendor ſeruit Dei filio, & facit eius diuinitatẽ, & altitudinẽ magis clareſcere, & aperiri, vt ex virginitate materna tanquã ex proprio ſtẽmate ſplendeſcat diuina ſublimitas. Hinc Iſai. c. 4. de Dei filio aiebat: *Erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ ſublimis.* Circa quæ verba D. Amed. hom. 3. de laud. Mariæ fatur: *Germen Domini in magnificentia, & gloria exſtit, quando conceptum de Spiritu ſancto, & ortum de radice Ieſſe in ſummitate virgæ totum effloruit, imò flos fuit.* Ecce tibi vt omnis radicis virgineæ ſuccus cedit in florem Dei filio, & quanta quanta eſt Virginis altitudo, altitudo eſt propria Ieſu, qui floridus apparet, & ſublimis in ſummitate virgæ. Nihil, mihi crede, venit à Maria eximium, quod nõ oſtenderet, & prædicaret deitatem filij. Id prædicabat virginitas incorrupta, prædicabant vbera de cœlo plena, & quod mirere magis, ipſæ faſciæ, & panniculi à Maria puero exhibiti eundem prædicabant Dei filium. Hinc Cant. 1. ait ipſe: *Odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris.* Odor thuris diuinitatis arcanum præſens deſignat, quæ ergo veſtimenta inſtar thuris potuiſſent eſſe diuinitatis indices? Veſtimenta Mariæ parata puerulo filio, nimirum faſciæ, & panniculi. Ait Rup. lib. 3. in Cant. *Quid de pannis dicam, quibus me inuoluiſti, & in præſepio reclinaſti? Nimirum id, quod verum eſt, quia odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris. Omnium namque veſtimentorum, ſcilicet, bonorum operum tuorum, quæ in me materna, & pluſquam materna charitate operata es, panni illi primitiæ fuerunt. Et ſic in omnibus famulata es, mihi mater, & virgo fidelis, tanquam Deo, cui ſoli debetur odor thuris in ſacrificio.* Quid pulchrius? Omnia matris virginea opera, vt benedictionibus plena, & ſplendida, ſic propriiſſimè aptabantur Dei filio, eiúſque diuinitatis erant indices.

Ba∫il. Sel. — *Proclus.* — *Iſai. 4.* — *Amed.* — *Cant. 1.* — *Rupert.*

1. Reg. 16.

§. LI.

Omnis creaturarum ſplendor eò tendit, vt vnus effulgeat Chriſtus.

NImis profuſus eſſet Iacob in tot benedictionibus creaturarum congerendis, ſi vnum Ioſephum reſpiceret, & non magis Chriſtum: cui ſoli in veritate aptantur *benedictiones cœli deſuper, benedictiones abyſſi deorſum, benedictiones vberũ, & vuluæ.* Quidquid enim benedictũ eſt, & glorioſum in omni creatura eò tendit, vt ſuper omnia oſtendat Chriſtũ. Quò reſpiciens Alexander Epiſcop. Alexandrinus epiſt. ad Conſtantinop. Epiſcop. quæ habetur lib. 1. Conc. Nicæn. inquit: *Qui autem ſunt eius creaturæ, vt homines, & Angeli benedictionem accepere, vt in dies proficerent, vt virtutibus, mandatiſque in lege præſcriptis exculti, exercitatique non in vitia dilaberentur, ad eum planè finem, vt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui eſt Patris natura filius, ab omnibus adoraretur.* Expende, quæſo, ad quid ſparſæ ſunt benedictiones Dei per vniuerſas creaturas tã cœleſtes, quàm terrigenas, nimirum, ad eum planè finem, vt Chriſtus Dei patris filius ab omnibus adoretur, & feratur in ſublime. Nulla, mihi crede, benedictio data eſt Angelo in cœlo deſuper, nulla data eſt homini in terra deorſum, niſi vt dignos habeat famulos, & adoratores Chriſtus. De Ioan. Baptiſta adducit Marc. c. 1. illud Malachiæ vaticinium, inquiens: *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viã tuam ante te.* Non contentus Deus Pater dicere, ſe Ioannem mittere, maluit Ioannem vocare Angelum: illi non naturam, ſed dignitatem, ſed munus, ſed honorem attribuens Angeli. Et cur tantus Angeli honor attribuitur Ioanni, niſi vt natus in terra Chriſtus, haberet etiam in terra Angelorum benedictiones, & gratias ſibi famulãtes? Ait D. Chryſol. ſer. 89. *Cùm Chriſtus Deus naſceretur in carne, Ioannes Angelus eſt generatus in terris, vt ita officia terrena officiis ſe cæleſtibus miſcerent, ſicut humanis ſe diuina miſcebant, & in terra Deo Angelus, Domino ordo cæleſtis obſequij non deeſſet.* Ideo datur benedictio, & gratia Angelorum Ioanni, vt dignus in terra repræſentaretur famulus Chriſto; cuius gloriæ intuitu à Deo venit, quidquid ſplendidum & decorum exhibetur omni creaturæ. Vt meritò dicat D. Cyril. Alex. lib. 2. de recta fide ad Reginas: *Quod igitur creaturarum obſequio, iure meritóque potiatur Chriſtus, hoc inde habet, quia Deus, & Dominus eſt, totúmque quod ortum quouis modo ſortitum eſt, pedibus illius ſubſtratum eſt.* Vt ſic omnes cœli, terræque & vberum, & vuluæ benedictiones illi famulentur, quando & Angelus, & homo, & quidquid ortum ſortitur, eius pedibus ſubſternitur.

Nicæn. — *Marc. 1.* — *Chryſol.* — *D. Cyril.*

§. LII.

Maria Deipara largitas longè ſuperauit magnificentiſſimorum Patriarcharum profuſiſſimas largitiones.

NOn ſolùm Iacob implet filium Ioſephum benedictionibus omnium creaturarum, illi attribuens quidquid à cœlo ſplendet, quidquid in maris theſauris reconditur, quidquid in terra gignitur, ſed inſuper addit, has à ſe benedictiones profectas, omnibus auorum, atauorúmque benedictionibus eſſe longè præſtantiores. Quippe ait: *Benedictiones patris tui confortatæ ſunt benedictionibus patrum eius, donec veniret deſiderium collium æternorum.* In quibus verbis aliqua comparatio eſt intelligenda, quaſi dicat, benedictiones meæ præſtantiores ſunt præ aliis auorum meorum. Sic enim ex Hebræo legitur: *Benedictiones meæ prævaluerunt ſuper benedictiones patrum meorum.* Sed vnde benedictiones profectæ à Iacobo tantum creuerunt, vt auorum munificentiſſimorum ſuperent benedictiones? An quia Iacob maiora præſtabat filio, quàm Abraham, & Iſaac ſuis præſtiterunt? Abſit, non præſtabat maiora Iacob, ſed quæ præſtabat & propinquiùs, & fortè expreſſiùs venturum attingebât Saluatorem. Id quod exprimebat ipſe, aiens: Benedictiones patris tui confortatæ ſunt benedictionibus, ſeu præ *benedictionibus patrū eius, donec veniret deſiderium collium æternorum*, quaſi vellet, ſe in hoc vincere auos, quod ſuæ benedictiones expreſſiùs protenderentur vſque ad deſideratiſſimi Meſſiæ aduentum. Sic Lyra ibi, ſic Abul. ex quo mihi illud in primis venit in mentem, quàm etiam ſuperent diuinæ Deiparæ largitiones, vniuerſas Patriarcharum largitiones, quæ in filios deuenerunt à parentibus? Iacobi benedictiones filio præſtitæ ſuperarunt proauorum benedictiones, quia propinquiùs, & expreſſiùs deſideratum Meſſiam attigerunt. Mariæ ergo benedictiones filio præſtitæ, cur non vincant benedictiones munificentiſſimorum Principum vniuerſas? Ad matrem ſuam aiebat Dominus, ab illius pendens vberibus, Cantic. 4. *Pulchriora ſunt vbera tua vino: & odor vnguentorum tuorum ſuper omnia aromata.* Vbera ſugit matris, & eius odorifera vnguenta ſuper omnia aromata extollit? Et quæ erant hæc Mariæ vnguenta, quæ ſic extollebantur apud Deum inter vbera ſugenda? Sanè erant vnguenta illa, ipſiſſimæ lactis largitiones eſurienti filio præbitæ, quæ vt tantum pauperem implebant, ſic vniuerſas munificentiſſimi cuiuſque largitiones vincebant. Pulchrè Rupert. lib. 3. in Cant. *Quæ ergo vnguenta tua, ſoror mea ſponſa? Eleemoſyna tua, quas expendiſti in me. Audiunt amici de quadam muliere effundente oleum ſuper caput, & ſuper pedes dilecti mei recumbentis. & dicunt, quia domus repleta eſt odore vnguenti. & intelligunt in illa muliere Eccleſiam noſtrum, quæ quoties impendit eleemoſynam pauperibus noſtris, toties vnguenta ſua pedibus meis ſuperfundit, & aromata diſtribuit. Hæc autem ſunt aromata, vnguenta pretioſa eſurienti cuilibet ex minimis meis cibum dare, potum præbere, peregrinantem colligere, nudum veſtire, infirmum viſitare, & ſi in carcere eſt, ad eum venire. Super omnia hæc aromata eſt odor vnguentorum tuorum, id eſt, ſuauitas eleemoſynarum tuarum, quia non vt cæteri in membris meis, ſed in memetipſo tu ipſa munificentiſſima extitiſti.* Compone modò vniuerſas largitiones, & benedictiones à munificentiſſimis viris profectas, cum paucis lactis guttulis filio ſuo à Maria præſtitis, proculdubio guttulæ hæ lactis Ieſu ſitienti exhibitæ longè ſuperant Patriarcharum omnium, & principum munificentiſſimorum largitiones.

Cant. 4.

Rupert.

Geneſ. 49. Benjamin lupus rapax manè comedet prædam, & veſpere diuidet ſpolia.

§. LIII.

Non tam à munere vili, vel nobili commēdatur homo, quàm ab eo quòd illud, quodcumque ſit, præclarè exerceat.

NOn deſinam ponderare in præſenti de Iacob, quòd commendaturus filiorum ſuorum benedictiones, & glorias, non refugit illos tam præſtantibus, quàm vilibus animalculis comparare. Iūdam leoni cōparat, ſed Dan reptili viliſſimo cōparatur. Nephthalin ceruo timido, Beniamin lupo rapaci. Cur non magis omnes commendat ab Aquilis, à Leonibus, à regiis, & præſtantioribus animalibus? Cur non refugit illos à viliſſimis commendare? Sciebat ſapientiſſimus vir in hoc mundi theatro nihil intereſſe, quòd regiam perſonam, vel ſeruilem agas, ſed quòd quamcumque egeris, ſtrenuè, & præclarè illam agas. Huic excogitationi reſpondet D. Syneſ. de Prouid. ſect. 1. fatus: *Ita nobis in maximo illo mundi totius actu vitam noſtram, quaſi perſonas Deus circumpoſuit, neque aliud altera vitæ genus potius eſt, nec deterius, ſed vnuſquiſque perinde, vt poteſt, eo vtitur. At qui bonus eſt vbicumque honeſtè degere poteſt, ſeu mendicum ſeu monarcham aſſimulet, nec de perſona plurimum contendet: quandoquidem & tragœdiarum author is ridiculus fuerit, qui hanc vetuat, aliam verò potiùs eligat, præſertim cùm qui animū præclarè, ac cum laude egerit, corona, & præconis voce celebretur, qui verò regis perſonam indecorè ſuſtinuerit, omnium ſibilo, & procaci oris ſonitu excipiatur, interdum lapidibus impetatur. Nullus noſtrûm propria vita eſt: alienas verò extrinſecus circumfuſas habemus.* Et quidem ſapientiſſimè hoc excogitatum eſt, quòd non diſtat theatrum vitæ noſtræ à comœdorum theatro. Vt in comicis non attenditur, regisne, an ſerui anteambulonis perſonam agas, ſed an rectè & concinnè tuam perſonam egeris; ſic in mundi, vitæque humanæ theatro, non perſonas vtcumque, ſed perſonas egregiè repræſentatas ſequuntur coronæ, & palmæ. Imò crebriùs in comicis plauſus hominum rapiunt, imò & maiora lucra, qui ſtulti alicuius, vel anteambulonis, vel aniculæ laruas apprimè gerunt; & qui regios oſtendunt faſtus, faſtidiuntur, & ſi malè ſe gerant, exſibilantur. Sic in vitæ theatro, qui ſeruiles perſonas egregiè peregerunt, nomen conſequuntur immortale. Ad Philipp. 2. *Hoc enim ſentite in vobis, quod in Chriſto Ieſu, qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiēs, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, &c.* Expende, quæſo, vnde & celeberrimum, & cantatiſſimum Ieſu nomen appareat. Duæ enim in illo erant formæ; & forma Dei, qua coæternus erat, & coæqualis Patri; & forma temporalis ſeruitutis, nimirum forma ſeruilis naturæ humanæ, qua in tempore ſuperindutus filius Dei in mundi theatro fuit, & ibi vniuerſas ſeruorum accepit plagas. Quid tunc? *Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, &c.* An propter quod Deus erat, ſolùm datum eſt illi nomen celebre? Abſit; propterea quòd ſerui induit naturam, & egregiæ vniuerſas ſeruiles conditiones in ſe repræſentauit, & glorioſum nomen accepit, & plauſus omnium creaturarum.

Syneſ.

Philipp. 2.

§. LIV.

Regia virtus eſt militibus celeriter prouidere.

NVlli dubium eſt, quòd Beniaminica tribus prima ſub nomine fulſerit regali, quando ex illa Saul creatus fuit primus Rex Iſraelitarum. Cur ergo regaliſſima tribus lupo comparatur, manè comedenti, & veſpere ſpolia diuidenti? Quid hoc boni, vel mali notat in regia dignitate? Vnus Caiet. ſapienter inde noſcit regij nominis maculam in Saule, qui tantùm à regiis virtutibus abfuit, vt cùm feſtinus fuerit in expugnandis hoſtibus, tardus, & nimis ſerus ſteterit in diuidendis ſpoliis, & militibus munerandis. Quippe ait in Cat. Lippom. *Perſpicatiùs intelligimus prophetari, quòd Beniamin in Saule Rege futurus erat matutinus ad prædā, hoc eſt, ad ſuperandum inimicos populi Iſrael, ſed tardus ad diuidendum ſpolia fuit.* Proh Regis conditionē minime regalem! Quis atrium regale putet, in quo milites putridi iacent vel ipſa remunerationis expectatione confracti? Sanè ille Rex probatur regaliſſimus, cuius cura eò ſpectat, vt quamprimum ditet milites ſuos. Ioan. 19. vbi Ieſus ſuffixus fuit cruci, mandat Pilatus ſimul ſuffigi titulum, qui Ieſum Regem Iudæorum publicet, erat enim in titulo ſcriptum, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Quid inde? Immediatè Ioannes vt memorauit regale crucifixi titulum, proſequitur dicens: *Milites ergo cùm crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius, & fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem, &c.* Nil medium eſt, vbi Ieſus fulget ſub regio titulo, & bona ſua diuiduntur militibus. Non valuit vel ad horam regium titulum in ſe habere, quin de ſuis bonis oſtenderet veſtitos milites. Ex quo Diuus Ambroſ. lib. 10. in Luc. ait: *Quantos verò Chriſtus ſua veſte veſtiuit milites, & omnibus abundauit?* Fœlix qui ſub tanto rege Ieſu militat, neſcit regaliſſimus iſte Rex nudos videre milites, ſed vel de ſuis veſtibus illos quamprimum induit. Hunc ebibit animum Hiſpaniarum Rex Philippus IV qui, (vt ex fideli relatione percepi) diebus præteritis

Lippom.

Ioan. 19.

Ambroſ.

videns

videns militem penè nudum, statim de regali gynæceo vestem adduci iussit, qua ipse Rex indui solebat, & illam tradidit induendam militi. Quid regalius? Præclarè D. Synesius lib. de Regno, post amicorum cultum, nullam priùs mandat curam Regibus, quàm curam militum. Ait enim: *Quæ vlla Rege dignior possessio, quàm amici consortium? Quandoquidem propensum in amicos studium non minima Regis virtus est. Vnde paulatim nostra procedens oratio, Regem è Palatio eductum post amicos militibus, secundo quasi amicis conciliat.* Vna prævalere debet in animo regio, & amicorum cultura, & cura militum. Quod amici, id habeant milites in regalissimo Principe.

§. LV.

Deus omnia in suis carnalia absumit.

NOn otiosè putat Hieronymus vocari Beniaminum, voracem lupum, sed ratione templi Salomonici ædificati in illa tribu, cuius in sacrificiis absumebantur quotidie & agni, & oues, & iuuenci mille. Qui lupus tot greges absumpsit, quot Dei altare absumebat in dies? Planè lupo voracius diuinum altare est in absumendis carnibus, vt hinc ostendatur diuinitas quàm omnia carnalia in suis absumat. Matth. 17. transfiguratio Iesu cùm præsens esset Petrus, statim clamat. *Domine, bonum est nos hic esse.* Quid ais Petre? Quomodo potes esse ibi, vbi nulla corporis refectio, nullus potus, nullus cibus inuenitur? Cur corporis necessitates sic obliuisceris, vt ames esse, vbi nihil est, vnde corpus valeat viuere? Ea quo Petrus manifestatæ Christi diuinitati accessit, sic omnia corporalia, & carnalia fuerunt in illo absumpta, quasi nihil haberet, quod possit carni, & sanguini esse commune. Ad hæc D. Amb. lib. 3. epist. 11. inquit: *Domine, bonum est nos hic esse. Quanta igitur illa diuina substantiæ gloria, quanta Verbi bona, in quæ concupiscunt Angeli prospicere? Anima igitur, quæ illud videt, corpus hoc non requirit, minimámque familiaritatem cum eo esse debere intelligit, renunciat sæculo, abducit se à vinculo carnis.* Non potes homo & Deo sisti, & carni acquiescere; cùm primùm enim Deo appropinquas, quidquid carnale est, & corporeum, statim absumitur, nec datur locus, vt in quo viuit Deus, caro viuat. Hinc Paul. 2. ad Corinth. 12. *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (siue in corpore nescio, siue extra corpus nescio; Deus scit) raptum huiusmodi ad tertium cælum.* Mirabar, quòd sciat Paulus se in cœlum raptum, imò & in cœlo esse, & prorsus ignoret, an ibi cum corpore sit. Cur se videns in cœlo, non videt, an careat corpore, vel habeat illud? Erat homo in cœlo Dei gloriæ vicinus, à qua venit, quòd omne corporale, & carni proximum sic ab oculis abscedat, quasi nihil sit. Ait D. Ambr. vbi suprà: *Paulus raptus in tertium cœlum, cum corpore esset, an sine corpore, nesciebat. Raptus, inquam, in Paradisum, vsum proprij iam non sentiebat corporis, & audiens Dei verba, quomodo ad corporis infirmitates descenderet, erubescebat.* Totũ corporale absumitur à Dei præsentia, ita vt Paulus ad Deum raptus iam vsum proprij corporis non sentiret, imò nec si esset corpus, sciret, nec posset intendere ad illud. Qua experientia ductus ait ipse ad Rom. c. 8. *Vos autem in carne non estis, sed in Spiritu: si tamen Spiritus Dei habitet in vobis.* Homines erãt isti, ad quos loquitur Paulus, & tamen confidenter dicit illos non esse in carne; & vnde fieri potest, quòd homines viui in hac vita degentes in carne non sint? Iã explicat, aiens: *Si tamen spiritus Dei habitet in vobis.* nequit enim fieri, quòd Dei spiritus habitans in nobis nõ absumat omnia opera carnis, & nos ad efficaciam spiritus trãsferat. Ibi D. Chrys. hom. 13. fatur: *Quid? in carne illi non erant? Sed incorporei obambulabant? Quid id, & quanam ratione? Vt intelligas Christum non solum extinxisse peccati incendium, ac tyrannidem oppressisse, sed & carnè leuiorem, ac spiritu altiorem reddidisse, natura nõ mutata, sed velociore, ac spiritualiori effecta. Nã quemadmodum ferrũ ab ignis assiduo vsu, & ipsum quoque in ignem euadit, sic fidelium, spiritúmque habẽtium caro in illam demum efficientiam transmutatur, tota spiritualis vndique, atque vna cum anima, & ipsa volatilis reddita.* Itaque vbi Christi Dei Saluatoris nostri spiritus cœpit in nobis habitare, non solùm tyrannidem expulit peccati, sed & sic absumpsit opera carnis, vt nos omnes videamur in tenuitatem spiritus translati.

Matt. 17.
Ambr.
2. Cor. 12.
Ambr.
Ad Rom. 8.
Chrys.

§. LVI.

Quidquid Deo per fidem mactamus, siue sacramus, in morte recipimus.

BEniaminicus lupus, hoc Dei templi altare, vt ex Hieronymo vidimus, comedit manè, absumit hostias in hac vita oblatas, *at vespere diuidit spolia.* Et quidem quod Deo oblatum præstamus in hac vita, in vitæ occasu, in mortis limine à Deo nobis respondet reseruatum. Ex quo mirificè extollit fidei nostræ efficaciam D. Ambros. orat. de obitu Theodosij, fatus: *Bona itaque fides, quæ frequenter operatur in mortuis. Vnde arbitror, quòd fila cordarum cithara ideò fides dicuntur, quoniam & mortua sonum reddant.* Non prorsus perit, quod fide offers diuino altari, quantumcumque enim videatur in vita hac periisse, tamen in mortis vespere tibi reseruatũ apparet. Eæ sunt in fide Deo mactatæ hostiæ, quæ vel in morte respõdeant. Quò spectans Psal. 126. ait: *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris. Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas, &c.* Iubentur surgere, qui sedebant in luctu, & iubentur surgere, quia tempus instat, quo Deus dilectis suis somnum dare solet. Sed quando somni tempus est, tunc non surgendi, sed magis sedendi, imò & cubandi tempus est. Cur ergo sedentes non magis dicuntur, quòd cubent, quàm quòd surgant, dum tempus instat somni? Loquitur ibi non de communi somno, sed de somno mortis; tempus autem mortis, idem est & tempus surgendi, vt recipias plenitudinem operum. Ad hæc enim fatur D. Hilar. ibi: *Cùm dederit dilectis suis somnum, hoc surgendi sedentium, quod & dandi dilectis suis somni tempus esse demonstrans, id est, omni plenitudine iam recepta.* Equidem Dei dilectis, qui omnia, & se ipsos pro Deo lapidauerunt, idem est tempus dormiendi, tempus moriendi, & tempus surgendi, vt accipiant plenitudinem omnium.

D. Ambr.
Psal. 126.
D. Hilar.

Gen. 49. Omnes hi in tribubus Israel duodecim: hæc locutus est eis pater suus, benedixítque singulis benedictionibus propriis. Et præcepit eis, dicens: Ego congregor ad populum meum, sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici, quæ est in agro Ephron Hethæi contra Mambre, &c. Finitísque mandatis quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum, & obiit, appositúsque est ad populum suum.

§. LVII.

Quæ temporalia tantùm sunt, non sunt propriè nostra.

CVm regnum, cùm iudicaturas, & alias fortunas Iacob filiis suis annuntiasse dicatur loco benedictionum, mirum est, quòd silentio inuolueret Aaronicum Sacerdotium, & totum Leuiticum ordinem. Sicut enim Iudas, & Beniamin, & Ephraim sceptro floruerunt, & cæteræ tribus iudicatura, sic & Leuitica tribus floruit Sacerdotio. Cur ergo Iacob Sacerdotium omnino prætermisit in filiorum benedictionibus? Huic quæstioni iam textus præsens respondet, dum sit: *Benedixitque singulis, benedictionibus propriis.* Equidem agebat Iacob de benedictionibus, quæ verè possent dici esse propriæ filiorum; vt regnum, vt iudicatura. adeò erat propria illorum, vt vsque nunc duret in filio eius Iesu, iuxta id Luc. 1. *Et regnabit in domo Iacob, & regni eius non erit finis.* Sacerdotium autem erat temporale prorsus, nec peruẽturum erat vsque ad Christi tempora nouissima, quando Christus non secundùm Aaron, sed secũdùm ordinem Melchisedech durat Sacerdos. Meritò ergo præteritur Aaronicum Sacerdotium, quod vt temporale, sic non proprium Iacobeæ familiæ dici potuit. Ad hæc ait Rupert. *Cur illud Sacerdotiũ in suis benedictionibus pater omisit, nullãque Leuitici prædicauit laudẽ ministerij? Ad quod dicendum, quia illud Sacerdotium ad hos fines sæculorum non perueniat.* Vbi finiendum erat Sacerdotium, nõ potuit poni inter Iacobeæ prosapiæ propria, non enim nostrum est, quod finitur, quod temporaliter solùm haberi potest. Hinc Matth. 5. iubemur à Deo petere: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quis panis noster est? Cùm audis panẽ nostrũ, simul puta nihil ibi temporale, nihil caducũ peti, sed æternum. Sapienter enim Cælestinus Pont. Max. epist. ad populum Constãtinop. in tom. 1. Conc. Ephes. ait: *Illud nostrum est regnum, illud continuum, illud sempiternum: nostrum non est, per quod transitus tantùm contingit.* Quis dicat suum illud, quod nõ potest teneri, sed quamprimum euolat à sensibus? Nostrum solùm debet credi, quod sic firmiter habetur, vt

Luc. 1.
Rupert.

ab eius poſſeſſione nulla potentia deturbemur. Sponſæ ſic conſulebat Dominus Cant. 1. *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum, & paſce hædos tuos circa tabernacula paſtorum.* Itaque ignorantis ſe & ſua hoc erit ſignum quod egrediatur ad externa, ſed in externis his bonis non poteſt anima & ſe, & ſua inuenire? Cur ergo eò quòd ad externa egrediatur, creditur ſe & ſua propria ignorare? Propria hominis non eſt forma, potentia, nobilitas, copia rerum? Nonne & in his inuenietur anima in propriis? Abſit: quando enim externa omnia temporalia ſunt, & caduca, non poſſunt dici noſtra, non poſſunt haberi hominis propria. Ait D. Nicæn. homil. 2. in Cant. *Qui ſe ipſos non conſiderantes, vires, aut pulchritudinem, aut gloriam, aut potentiam, aut aliquas alias facultates, aut faſtum, aut corporis molem, ac magnitudinem, aut aliquid aliud in ſe ipſi videntes, ſe t plus eſſe exiſtimant. Propterea ſunt ſui non tuti cuſtodes per habitudinem ad alienum, proprium negligentes incuſtoditum. Qui enim aſpicit ad vitam, quæ agitur in hoc mundo, & quæ hic ſunt, exiſtimat digna, quæ cuſtodiantur, neſcit diſcernere proprium ab alieno. Nihil enim eſt noſtrum eorum, quæ ſunt aduenititia. Quomodo enim dominatum obtinueris in id, quod tranſit, & fluit?* Eo ipſo quòd bona ſint in fluxu, nequeunt eſſe ſub noſtro dominio, nec inter noſtra poſſumus reputare illa.

Cant. 1. — Nissen.

§. LVIII.

Patria, & populus creaturarum eſt ipſum nihil.

DIcit Iacob, *Congregor ad populum meum*, & inferiùs de illo mortuo dicunt, *appoſitus eſt ad populum ſuum*: qua phraſi id ſolùm ſignificatur, vt ex doctiſſimis aliis probat noſter Pereira in præſenti, quòd quis vita fungitur, quòd humanũ illud compoſitum abit in nihilum. Et meritò dum de reditu compoſiti ad nihilum loquimur, dicimus illud ire, ſiue apponi ad populum ſuum, quando patria propria cuiuſuis creaturæ cenſetur ipſum nihil. De diuina luce locutus Ioan. c. 1. ait: *Quæ illuminat omnẽ hominem venientẽ in hunc mundum.* Expende dicendi modũ, quo homo dicitur veniens in mundum; quippe vbi motus venientis in aliquem locum exprimitur, neceſſariò intelligi debet locus alius, à quo veniat. Non enim fit motus venientis niſi à loco in locum. Extra mundum autem non verus, ſed fictus locus, qui nihil ſit, inuenitur, vt inde pateat locum proprium creaturarum, à quo vt à propria ſede veniunt in mundum, eſſe ipſum purum nihil. Ait D. Cyril. Alex. in 1. c. Ioan. c. 9. *Venientem in hunc mundum hominem intelligamus, qui à nihilo ad eſſe producitur. Locus enim quaſi quidam creaturarum cõfingitur ipſum nihil, à quo modo quodam profecta locum eſſendi acquirunt.* Itaque prima ſedes, primus locus, & populus venientium in hunc mundum eſt purum nihil, vt credat homo cùm in nihil tendit, tunc in patriam ſedem, & patrium locum ire. Sub hac figura reſpiciebat Iob interitum hominis, & abolitionem vitæ, cap. 17. inquiens: *Infernus domus mea eſt, & in tenebris ſtraui lectum meum. Putredini dixi, Pater meus es, mater mea, & ſoror mea vermibus.* Quæ in patrio populo habentur, ea ſibi arridere putat Iob in vitæ deſitione, & vt peregrini accedentes ad patrium ſolum & parentes, & affines alacriter compellant; ſic Iob vicinus interitui, quidquid ad deſitionem, imò ad perditionem pertinet, vt inſtantes iam parentum, & affinium ſocos mira alacritate ſalutat, & compellat.

Ioan. 1. — D. Cyril.

§. LIX.

Illa præſtantiſſima virtus eſt, quæ vnionem, & concordiam cum aliis præ ſe fert.

POſt fames, poſt æſtus, poſt vigilias, poſt incredibiles labores pro Deo, & virtute exantlatos, ait Iacob ſanctiſſimus, *Ego congregor ad populum meum.* Nihil ſibi ſupra populares quoſuis adſcribens, in nullo ſe à populari vel minimo diſcernens. Ille faſtuoſus Phariſæus apud Luc. cap. 18. ſolutis decimis, & ieiuniis clarus, nihil magis optabat, quàm ſeſe ab aliis omnibus ſeiungere. Ait enim: *Non ſum ſicut cæteri hominum, ieiuno bis in Sabbatho, decimas do omnium quæ poſſideo.* Sic ſe ieiuniis extollebat, vt vellet ab omnibus diſcerni, ab omnibus ſeparari, & ſeiungi, factus totius criminator mundi, vt ſolus ipſe effulgeat. Componite modò Phariſæum hunc cum Iacobo. Phariſæus binis ieiuniis Sabbathi adeò inſoleſcebat, vt nullius ſocietatem admitteret: Iacob poſt mille inedias, poſt vigilias, poſt peregrinationes, poſt longiſſimam iniuriarum ſuſtinentiam, ſic ſe æſtimat, vt pro magno habeat eum quibuſuis popularibus ſuis coniungi. Cur tot laboribus clarus non optas aliquid ſupra populum? Cur non magis expectas efferri ſupra populares? Ipſe ait, *Ego congregor ad populum*, vnionem enim, qua ſeſe populo adiungebat, congregabat, præ oculis habens vt hanc ſeruet cum omnibus, nil requirit amplius. Iuſtus enim nihil in omnibus virtutum operibus præſtantius putat, quàm ſi vnionem, & concordiam ſeruet cum aliis etiam infimis. Ionæ cap. 3. vbi Prophetæ vox peruenit ad Regem Niniuæ, ſic de mandato regis clamat præco: *Homines, & iumenta, & boues, & pecora non guſtent quicquam*: ſic prædicatum eſt omnibus ieiunium, ad quod ieiunium ſtatim deſiit eſſe diuina ira. Non ſic Iſaiæ cap. 2. dicunt enim Iſraëlitæ: *Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti, humiliauimus animas noſtras, & neſciſti?* Ad ieiunium Niniuitarum reſpicit Deus, & ad ieiunium Iſraelitarum non reſpicit. Vnde placuit minus hoc ieiunium, quàm illud? Ait Iſaias: *Ecce ad lites, & contentiones ieiunatis*, Græcè: *In iudicium, & pugnas ieiunatis.* In ieiunio ſuo hoc curabant Niniuitæ etiam principes, & clariſſimi viri, vt ſeſe popularibus etiam viliſſimis adiungerent, vt magna fieret inter omnes concordia, & vnitio; Iſraelitæ autem è contra in ieiuniis ſuis quærebant, vnde ſe ab aliis diſcernerent, & alios deſpicerent, ieiunabant enim in iudicium, & pugnas, vt cæteros iudicarent, & de prælatione pugnarent quotidie. Hinc diſplicet Iſraelis ieiunium; & placet ieiunium Niniuitarum, vt quod vnitatem, & concordiam halaret, quæ virtus ſeſe ſupra morales euehit virtutes. Ait pulchrè D. Cyrill. Alexand. in Ionam: *Sapientes non parum Niniuitæ, qui vno animo nequitiam ieiunio abigere nituntur. Hic namque ſincerus, & inculpatus pœnitentiæ modus fuerit. Quoniam verò Iſrael huiuſmodi rerum imperitus nonnunquam rationi minimè conſentaneam, prophanámque inediam ſuſcipiebat, Deus Prophetæ præcipit exaltare vocem, & illis annuntiare non tale ieiunium ſe elegiſſe. Cauſam ipſe exprimit, mox ſubiungens. In diebus enim ieiuniorum veſtrorum inuenitis voluntates veſtras, in iudicium & pugnas ieiunatis.* Sanè & in Iſraele, & in Niniue ciuitate fuit ieiunium, & ieiunium longum, & duriſſimum; ſed Iſraelis ieiunium inde non placuit, quia erat ieiunium in iudicium, & pugnas. Videres enim Phariſæos ieiunatores, & iudicantes, & condemnantes alios, & belligerantes cum omnibus de prælatione in ieiuniis, & ſe ab aliis omnibus diuidentes. Sapientiores iſti Niniuitæ hoc intendunt, vt vnum animum etiam cum popularibus conſeruent in ieiuniis. *Hic namque ſincerus, & inculpatus pœnitentiæ modus fuerit.* Ride pœnitentiam, ride vitæ aſperitates, ride ieiunia, quæ ſingularitatem amant, vnitatem proſcindunt, & in iudicium, & pugnas fiunt. Illud eſt ſapientum ieiunium, quod animorum vnitatem ſeruat, & ſub ſancta popularitate ſeſe abſcondit, ne appareat diſcretum vel à populari minimo. Hoc dixerim propter Apologiam illam Religioſi Carmelitæ Diſcalceati Poloni, qui clarus ieiuniis, & vigiliis nuper claſſicum intonuit aduerſus religioſum Ordinem, qui, vt ipſe ait, non ieiunat, nec vigilat, nec à populari vita diſtinguitur. Et tantùm non ait: *Non ſum ſicut cæteri homines, ieiuno bis in Sabbatho, nec ſicut publicanus iſte*, nimirum Ordo iſte popularis, ſine ieiuniis, ſine vigiliis. O inanem hominis gloriolam! Huic aptarim, quod Alexandrinum Epiſcopum Alexandrinus in epiſtol. ad Conſtantinopolitanum, quæ habetur lib. 2. Concilij Nicæni, ait de aliquibus: *Qui etiam neminem volunt ex antiquis Patribus ſibi comparari, neque illis, quibus nos ab ineunte ætate vſi ſumus præceptoribus, ſe pares æſtimari ſinunt, imò nec vnum quidem Collegarum noſtrorum vel ad mediocrem ſapientiam perueniſſe cenſent: ſed ſe ſolos ſapientes, ſolos egeſtatem voluntariam ſectantes arbitrantur.* Solum ſe iſte Carmelita in ieiuniis, in paupertate voluntaria, in vitæ auſteritate putat, nec eſt animus oſtendere homini, quàm non ſit ſolus, quàm illis omnibus vincatur à ſacris aliis Ordinibus. Sed eſto, quòd tu bone alios vincas in ieiuniis, in vigiliis, cur hæc facis ad pugnas, ad iudicium, vt alios iudices, imò cùm illis, pace ablata, de prælatione dimices? Quique ſacer ordo habet ſuas proprias virtutes, alius ſic, alius verò ſic: alius intendit ieiuniis, alius intendit vnioni, ne in ſe aliquod oſtendat ſchiſma, ſed vnionem arctiſſimam, vt vel præſtantiſſimi viri in nullo differant à populari quouis populariſſimo. Hanc virtutem qui habet, proculdubio habet ſummam virtutem. Accipite Conſtantinum Imperatorem maximum ſic fantem epiſt. data ad ſanctam Synodum

Luc. 18. — Iſai. 2. — D. Cyril. — Alex. — Conſtant.

Nicænam,

Nicænam, & habetur lib. 2. eius Concilij: *Plures quidem illustres vitæ humano generi ad suam redemptionem magna Dei omnipotentis iustitia præparauit, & inter alias insigniorem illam, & maximè refulgentem, & quasi legis suæ sanctissimæ summam, qua nos omnes in sancta Ecclesia Catholica, quasi in quodam Dominicæ fidei domicilio congregauit, quod omni miraculo maius est.* Ecce tibi fatetur magnus Imperator plures salutis vias à Domino fuisse præparatas, sed inter illas insigniorem aliquam, maximè refulgentem, & quasi euangelicæ legis summam recognoscit. Et quæ tanta hæc est salutis via? Iam explicat, aiens; *quòd nos omnes in Ecclesia Catholica congregauit*, hoc est, quòd tot viri, tam diuersi natione, alij Franci, alij Hispani, alij Itali, alij Reges, Principésve, alij populares, sic iuncti, sic congregati, & adunati in Dei Ecclesia appareant, vt nihil inter se veline discrepare. Hoc omni miraculo maius est. Quod miraculorum prodigium non poterit negare sacro Ordini Societatis Iesu Carmelita ille, qui ieiunia, & vigilias tanto Ordini negauit. E pluribus enim illustribus salutis viis, hæc eximia, & maximè refulgens, & quasi legis euangelicę summa, nimirum perfecta vnio, qua viuunt filij Societatis sic adunati, sic congregati, vt nullum adhuc prosilierit schisma Prælatorum, nulla discordia gubernantium, nulla ex electionibus lis prodierit, hoc, inquam, non negabitur Societati nostræ, quod omni miraculo maius est. Scio venenum Carmelitæ, qui vt hanc vnionem negare nobis non audet, sic clamat illam esse externam solùm, intrinsecus autem nutriri in nostrorum animis magnas discordiarum flammas. O inscitiam hominis iunctam cum furore! Credit posse fieri, quòd per centum annos flammans ignis in sine habeatur, quin vel adustæ vestis odor extrinsecus sentiatur. Cur tuus sanctissimus ordo hanc etiam dissimulationem non habuit, qua exteriùs nullum schisma prodierit? Sanè quod vix vllus ordo potuit vnquam facere, licèt sanctissimus, vt schismata exteriùs non saltarent, nec faceret Societas Iesu, si intrinsecus haberet causas. Magis agnosce homo vestigia Iesu, in filiis Societatis, qui solus potest hanc vnionem præstare. Vt dicat Constant. August. vbi supra. *Quis dignè prædicet diuinum, ac stabilem Iesu ingressum, quo incedens, & humidum mare calcans conuexuit, & diuinis vestigiis profundissimi maris humorem compegit.* Quæ vndæ ad ingressum aliorum scinduntur in partes, ad ingressum Iesu connectuntur, & adunantur magis, vt vel Iesu vestigium ab vnitione, & compactione appareat. Expressissimum equidem Iesu ambulantis in societate vestigium apparet ex eo, quòd nulla ibi scissura, nullum schisma sentiatur, consentientibus vndique & sese æquantibus illustrissimis scientia, & doctrina viris cum vulgatissimis popularibus.

August.

Genes. 50. Quod cernens Ioseph ruit super faciem patris, flens, & deosculans eum. Præcepitque seruis suis medicis, vt aromatibus condirent patrem. Quibus iussa complentibus transierunt quadraginta dies: iste quippe mos erat cadauerum conditorum, fleuitque eum Ægyptus septuaginta diebus.

§. LX.

Iustorum mors maximè flenda.

ECce tibi mortuum Iacobum deflent filij, deflent Ægyptij, nec miror, quando iusti hominis mors maximè debet ab omnibus fleri. Quis licèt insensibilis sit, non fleat, cùm è viuis tollitur ille, sub cuius vmbra cætera omnia viuunt? In D. Isidori vita, quam Lucas Tudensis Episcopus scripsit, dicitur magna aquarum copia ab altari sancti Isidori erupisse, nec per octo integros dies cessasse. De quo portento soliciti religiosi viri, summis precibus illius rei significationem ex Deo petebant. Quid tunc? *Reuelatione superna ostensum est, regem Aldephonsum transactis octo diebus migrare ad Dominum, & in planctus signum Doctoris Hispaniarum Isidori altaris pauimenti lapides emittere aquas.* Hæc ibi Tudensis Episcopus: voluit namque noster Isidorus ostendere, quam debeant plangi boni viri, & strenui Principes, cùm decedunt è vita, quãdo & altaris sui lapides fecit in lacrymas abire ob imminentem mortem regis pientissimi. Magnum hoc profectò, sed accipite aliud, quod prioris admirationem vincat. Scholiastes Tertulliani in lib. 3. aduers. Mar. circa finem, ait: *Demum temperare nequeo, quin probem exemplis, quoties passa est, aut passura erat à tyrannis, aut hæreticis Christiana religio cruces Deo volente cladis futuræ non obscura testimonia dedisse, vt cùm anno Domini ante grauem persecutionem Asiæ, qua Polycarpum, Pionium, Iustinum martyrio coronatos legimus, apud Tremam largo lacrymarum flumine inundarunt cruces.* Nec miror, quod tantos viros exeuntes à viuis, exeuntes à mundo nouo lacrymarum portento voluerit Deus parentare.

D. Isid.

Tertull.

LIBER TERTIVS,

ISAAC, SIVE CHRISTVS NATVS.

POST nouem integros menſes à conceptione maturus iam fructus ventris virginalis Chriſtus deciduus apparet, humíque ſtratus ſibi lacrymas, Orbi vniuerſo & riſus, & lætitias facit. Quid expreſſius in Iſaaci imagine? Iſaaci ergo & ortum, & vitam euoluamus, vt naſcenti Saluatori luciditſſimam præferamus facem.

CAPVT I.

Iſaaci infantia, & ſacrificium.

Textus Hiſtoria.

NONAGENARIÆ Saræ membra marcentia, & annoſi corporis venæ diuturna ſterilitate ſiccaræ, ſenioris viri complexu expectatiſſimum fœcundantur ad fructum: implentur gratiæ beneficio, quæ vacuæ eſſent exactione naturæ. Sinus gelidi ventris inopinatò extenduntur, & tumidis noua prole præcordiis, ſimul mater tremebunda in ſpem futuræ gentis, & populi filium enititur. Orbi riſum, parentibus ſeram lætitiam. Naſcitur auſpicatiſſimus puer, qui primo in vitæ limine, de parentum geſtienti gaudio Iſaac dicitur, id eſt, riſus, ſub tanto nomine plāctum occultans, à rigido circumciſionis cultro manaturum. Abrahamo iam ſenectutis, iā orbitatis oblito iucundum erat traduci vxoris riſu, quòd ſenex recèns natis nutibus arrideret. Vtrumque præterea Sara ridebat, & ſenem procum, & rugoſis vberibus pendentem filium. Hic quinquennium attigerat, &, ſi noſtro Saliano credimus, tunc primùm dimiſſis vberibus vocatur ad ſolidiores cibos, regio adornato conuiuio, gaudente patre, inter fartiſſimos dapibus conuiuas. Vt autem increuit infans, ſuáque balbutie patruum ſuauiabat amorem, ſimul increuit, quòd in infante oderit Iſmael Abrahami filius ex ancilla. Ardere maioribus odiis Saræ gynæceum, & certamine fratrum concuti; & illa indignans, quòd ancillæ filius ingenuum, & legitimum patris hæredem malè haberet: ennuenit maritum. Non patiar, inquit, Iſmaelis cum Iſaaco luſus, abeat ille ſtatim è domo cum matre ſua, totúſque noſter amor indiuiſus in vnum conferatur, & omnes generis ſpes in vno conſtituantur filio. Ingratum patri erat filij exilium; ſed Deus cunctantem in eandem ſententiam impulit, vt obediens vxori maritus hac vice Iſmaelis paternæ hæreditatis ſpem adimeret; quo excluſo cum matre, vni Iſaaco reſeruantur cuncta. Vix pater exilio Iſmaelis auſus mulctat, requieturus in Iſaaco, & ecce altrinſecus intonat cœleſtis tuba in noua certamina vocans paterna viſcera. Petitur ad holocauſtum Iſaac, & quaſi Deus adgaudeat hominum ruinis, ſic ſpectat paterna manu gladium ſtringi, qui vnicè dilectum filium Deo litet. Nec mora, nobilis adoleſcens vigeſimo quinto ætatis anno, ligatus pedibus, manibúſque aris ſiſtitur, occubiturus ſub paterno gladio, niſi Deus notiorem ſibi hoſtiam ex ouibus prouidiſſet. Non gaudet humano ſanguine diuinitas; ſed gaudet affectu, quo homines non parcunt ſanguini, vt Dei gloria viuat. A filij iugulo euolat paternus gladius in arietem cœlitus requiſitum, cuius in morte Iſaaci vita firmatur, & confirmatur cœleſtis promiſſio.

PARS PRIMA.

Iſaaci, & Ieſu nati ſymbola.

ISAACI ortus nouam lucem parentibus effudit nouámque lætitiam, vt inde iam radiaret naſciturus Chriſtus, cui parentes riſerunt, & omnia ridens.

§. I.

In Iſaaci ortu natura gratiæ ſeruiuit, vt in Ieſu natiuitate.

CAuet textus ne quid deferator naturæ in ortu Iſaaci, dū dicit: *Viſitauit Dominus Saram, ſicut promiſerat, & impleuit quæ locutus eſt. Concepitque & peperit filiū in ſenectute ſua, tēpore quo prædixerat ei Deus.* Ecce tibi ex parte naturæ ſteriles, & ſenes parentes proponūtur, ex parte Dei, eius viſitatio proponitur, & promiſſio, & prædictio, vt euidētiùs clareat natiuitatem pueri, non naturæ, ſed promiſſionis diuinæ, ſed gratiæ opus fuiſſe. Gratiæ opus fuit Iſaaci natiuitas, in qua natura leges ſuas obliuiſcēs gratiæ ſeruiuit, vt ſic expreſſiùs ſignaretur Chriſtus naſciturus è Virgine vniuerſas naturæ leges deſpiciēs. Ait D. Amb. lib. de Iſaac, c. 1 *Sācti Iſaac vel origo ſatis eſt nobis expreſſa, vel gratia. Neque & illud eſt mirabile, quòd in eo Dominicæ generationis figura præceſſerit. Siquidè & ſterilis anus ex promiſſione Dei cōcepit eū, vt crederemus, quòd poteſt Deus facere, quòd poſſit Virgo generare.* Cur non naſcatur Chriſtus ex Virgine, quando Iſaac naſcitur ex ſene, & ſterili matrice? Cur quòd gratia potuit in Iſaac naſcente faciens ſibi ſeruire naturam, non idem poſſit facere in Chriſto? Pulchrè D. Amedæus hom. 3. de Virg. Chriſti natiuitatem ſubdentem ſibi leges naturæ depingit, inquiens: *Enimuerò, vt claritas Solis vitrum abſque læſione penetrat, & vt radius oculorum tranquillo & claro liquori ſine ſciſſione, & diuiſione immergitur, vt vſque ad fundum vniuerſa rimetur, ſic Dei verbū adiit virgineū habitaculū, & inde prodit clauſo Virginis vtero. Quippe qui facilè poſſet extra Virginē corpus creare de nihilo, facilè potuit corpus acceptū de Virgine, extra ſine carnis ſciſſione traiicere. Neque enim legi naturæ ſe ſubdidit, ſed legē naturæ ſubdidit ſibi.* Expēde quòd Ieſus naſcēs ſibi

D. Amb.

Amed.

Chrysol. *Theodot.*

sibi subiectas ostendat leges naturæ, nunquam enim non errauit,qui iuxta naturæ leges voluit omnia Christiana metiri. Meritò D.Chrysol.ser.142,vbi ad virgineum partum accedit, fatur: *Nostra ergo carnis ordo secedat,hic sibi natura nostra nil vindicet,vbi ad diuinam progeniem cœlestis ordo diuinam instituitur in naturam. Virgo te gratia matrem præstitit,non natura: genitricem te dici partus voluit,quam non sinebat integritas.* Non mirarur naturæ legibus, qui vult rectè sentire de natiuitate Christi, in qua solùm opus gratiæ effulsit,non naturæ. Quidquid naturæ erat,repugnabat partus,sola gratiæ potestas fecit,vt Christus nasceretur è Virgine. Quippe ait Theodotus hom. de Natiuit.habita in appendice 5.ad 6. tom. Conc.Ephes. *Clara & inopinabilis præsentis causa festiuitatis. Clara quidem, quoniam communem hominibus introduxit salutem. Inopinabilis autem,quia rationem naturæ vicit. Natura quoque post partum nescit vlteriùs Virginem; gratia verò & parientem ostendit, & matrem fecit, & virginitati non nocuit.* Hæc ibi.

§. II.

Vt Isaac,sic Christus in ortu suo gaudium omnibus halat,& lætitiam.

Lippom. *Amed.* *Luc. 1.*

NOn otiosè dicitur; *Vocauitque Abraham nomen filij sui,quẽ genuit ei Sara,Isaac,* sed vt ostẽderet,quàm implebat omnes lætitia ortus filij,Isaac enim risus dicitur. Iam inde ostendens Christi Domini natalitia, in quibus vniuersæ creaturæ incredibili gaudio perfunduntur. Ad hæc pulchrè ex Rahano,& Ruper. Lippom. in cat. inquit: *Vocatus est autem puer, Isaac,qui risus interpretatur, & Dominus Iesus quoque risus est, & gaudium omnium electorum, quoniam ipse est desideratus cunctis gentibus,ideóque nato illo gauisi sunt Angeli,& pastores, quibus dictum est, Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Saluator, qui est Christus Dominus.* Quis explicet gaudia ab ortu Saluatoris nostri manantia? Fallar,si quæ apparuit creatura, quæ in illo ortu non rideret, & insolita lætitia gauderet. Rem attigit D. Amedæus hom.4.de Virg.iis verbis: *Puta quando enixa est puerpera Maria, faciem vniuersitatis risisse,& lætum Orbem suo plausisse Domino. Puta cælum abstersis nubibus induisse decorem, & sydera decentia,adsumus,luxisse et cum iucunditate. Puta noctem effudisse lumen in tenebris,& pro caligine ministrasse splendorem. De hac nocte Psalmista dicit:& nox illuminatio mea in deliciis meis.* Nascente Christo gaudia hinc inde eructant, nec est adeò insensibilis creatura,quæ insolitam non præ se ferat lætitiam. Vnde intempesta nocte vigilantes pastores affatus Angelus, Luc. 1. ait: *Natus est vobis hodie Saluator.* Expende illud *hodie*, nõ enim deberet dicere,hodie, sed hac nocte,sed mediis iis tenebris. Nonne Christus natus est media nocte? Cur ergo Angelus cauet noctem nominare, & quasi non esset nox,sed dies, dicit Saluatorem hodie natum? Nox pertinere solet ad planctum,dies ad lætitias, ad gaudia; vnde Angelus videns nato Domino omnia lætitia exultare,noluit noctem,sed diem cogitare. Ita Aymon in præsenti fatur: *In nocte loquebatur Angelus,& quare dicebat,hodie? Quia nox pro tribulatione,pro aduersitate ponitur, dies pro lætitia.* In Christi natiuitate rem luctus cauet ominare, nec putat noctem, in qua vniuersæ creaturæ inusitatis exultant gaudiis. Huic vni Iesu natiuitati omnium creaturarum gaudia debebantur. Vnde Gen.18.audiens Sara, quòd paritura esset filium, *risit.* Et cur risit ad promissionem spectatissimi partus? Erat in illo Saræ partu, natiuitas Iesu præmonstrata, quæ sola potuit extorquere creaturarum gaudia. Ait D.Ephrem orat.de Abraham. *Non propter Isaac risit Sara,sed propter natum ex Maria Virgine. Et sicut Ioannes exultauit in vtero, ita suo risu Sara gaudium significauit.* Et quis non gaudeat vel ad vmbram Dominicæ natiuitatis?

D.Ephr.

§. III.

Nascentis Christi risus, & suauitas Orbem vniuersum allexit sibi,vt in Isaac visitur.

EDito in lucem Isaaco dixit Sara: *Risum fecit mihi Deus, & quicumque audierit, corridebit mihi.* Putabat sapiens fœmina, quòd nascentis filij sui risus audientes vniuersos tracturus erat in risus similes. Non sanè solus erat in Saræ filio risus, non solitariè ridebat, qui à talibus senibus prodibat, sed risu suo trahebat ad similia vicinos. Verè in hoc Isaac figura nascentis Christi, qui, vt ait D. Zeno ser. 3. de Natiu. non mundum,vt assolet,infans fusus ingrediens,sponte vitæ reprantis præuiis lacrymis auspicatur,sed risu, sed gestiente lætitia,qua sibi corridere facit omnes creaturas. Proh belle puer! Proh Verbum Patris, vt ab eius mente,sic à virgineis, incorruptisque visceribus progrediens in mundum, factus Isaac verus,factus risus, & Orbis lætitia, & iubilum, quo ad tui similitudinem trahas mundum. Huc spectat Cant.2. *Iam hyems transit, imber abiit, & recessit. Flores apparuerunt in terra nostra,tempus putationis aduenit,vox turturis audita est in terra nostra.* Pulchrè exponitur Synagogæ abolitio,& Christi aduentus,omnia enim illa veterum Sacramentorum nubila, omnes illi lauacrorum imbres floridum virginei vteri partum protulere, ex quo in terra cœpit audiri vox turturis, vox Christi,vt putant D.Cyril. Alcuinus, & Angelom. citatiá nostro Martino del Rio. Sed cur vox Christi aduenientis è florido vtero vocatur vox turturis? Ait D.Thomas ex Cyrill. in cat. ad cap.2.Lucæ. *Loquacissimus est turtur in auibus,sic autem factus est erga nos Saluator,mansuetudinem perfectè colens,& vt turtur Orbem allexit, replens ortum suum propriis melodiis.* Equidem dum noster diuinissimus turtur cœpit & videri & audiri in terra nostra,lætissimis nutibus, gestientis gaudij melodia sic replet ortum suum, vt ad se trahat, & conuertat Orbem. Quis non rapiatur ad pusilli Iesu gestientis, ridentis, modulantis nutum in gremio matris? Fallar, nisi pueruli huius vel crepitacillum omni melodia suauius non trahat vniuersorum animos. Ait D.Amedæus hom. 4. de partu Virginis: *Enixa est puerpera Dei filium,vt mira dignatione,mira & incredibili pietate Deus ad corpus descenderet, & assumpta carne destitutos filios Adæ visitaret. Exultauit itaque gigas geminæ substantiæ, modulatus vocibus ex tinnulis suauissimis in cithara corporis decantare,& in carnis organo compacto dulcissimos sonos edere, & ineffabili concordia resonare; vt lapides suscitaret,ligna commoueret,feras traheret,homines abstractos à carne educeret in sublime. Nam suauitate mirifica cantilena suscitauit de lapidibus filios Abrahæ, & ligna syluarum,id est,corda gentilium ad fidem commouit. Feras quoque,id est,feros motus,& incultam barbariem moraliter composuit, & homines ab hominibus eductos in numerum Deorum instituit.* Valuit diuinus puerulus vel motis labiis, gestientis gaudij signis, suauissimæ vocis melodiam vincere, & Orbem allicere, montésque ferásque sic efformare, vt ei appareant perquàm similes.

Cant. 2. *D. Thom.* *Amed.*

§. IV.

Nascens ex Maria Christus plures filios suis parentibus acquisiuit, vt Isaac.

PErgit Sara dicere, videns recens natum filium; *Quis auditurus crederet Abraham,quòd Sara lactaret filium,quem peperit ei iam seni?* Pro illo, *Lactaret filium,* ex Hebræo legimus pluraliter,nimirum: *Lactaret filios.* Sed quando Sara vnicum peperit,& habuit filium,qualiter dici potest lactasse filios? Acutè,& sapienter Caietanus ait: *Deus effecit, vt ipsa Sara abundaret tantum lacte,vt lactaret non solùm filium,sed filios,hoc est,multos infantes. Exuberans siquidem lac Sara exigebat, vt etiam alteri infanti lac praberet.* Hunc itaque fructũ attulit Isaac nascens,vt adeò exuberarent lacte matris vbera, quòd egeret sibi multos alios filios adsciscere, à quibus possint exhauriri. Quid magis decantatum in Christo? Sanè nobilis & verus Isaac noster Iesus,vt à virgineo prodiuit vtero, hunc etiam protulit fructum,vt nos omnes adoptaremur in Mariæ,Deique filios. Et simul Marianus vterus dedit Deo vnicum filium Iesum,& propter hunc multos etiam alios ostendit à suis vberibus pendentes Dei filios. Psal.126. *Ecce hæreditas Domini filij,merces fructus ventris.* Hæreditauit equidem Dominus plures filios, & hæreditauit eos in mercedem illius,quod fuit fructus virginalis ventris. Vt enim à virgineis brachiis pendulus diuinissimus puer apparuit, quasi fructus ventris, ecce hæreditas,ecce eius amplissima merces,nimirum innumeri Dei filij, qui & ab vberibus Mariæ pendent. Ait D.Hilar. *En ergo in filiis hæreditas Domini est, quam ex mercede fructus ventris acceperit. Nam merces eius hæreditas est,& hæreditas filij sunt. Quotquot, inquit, eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Non enim inanis hic fructus est, quorum ex virginali ventre manens antea Deus nascitur.* Equidem virginei vteri fructus Iesus, vbi sic à virgineo arbore vt fructus pependit,non vacuus fuit, & solitarius,sed magnam hæreditauit mercedem, nimirum filiorum multitudinem, quam & Mariæ, & Deo dedit. Ad hæc Cant.4. ait ad Mariam: *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, &c.* quasi vellet ab vberibus Mariæ non vnicum, sed

Caietan. *Ps.126.* *D.Hilar.* *Cant.4.*

plures & gemellos filios pendere. At Maria vnicum genuit, vnicum peperit, quomodo ergo dicuntur duo ab illius pendere vberibus? Planè hæc fuit merces fructus ventris, ex quo vnus Iesus à virgineo ventre processit, necessum fuit, vt plures alij in filios adoptarentur, qui à virgineis etiam vberibus penderent. Ait Guillielmus Abbas apud Delrium. Erat autem Mariæ hinnulus vnus Mediator Dei, & hominum Christus Iesus, qui corporalibus piæ matris vnus vberibus pascebatur. Sicut enim non decebat matrem Verbi etiam alios parere, ita nec matrem Verbi aliis sacra illa vbera admouere. Proinde sicut materna viscera sibi sanctificarat, quibus vnicus portaretur, sic etiam materna sibi sanctificauit vbera, quibus vnicus aleretur. *Porrò, eo ipso, quod sibi magnum illum hinnulum, id est, Verbum incarnatum corporaliter genuit, duos sibi hinnulos, scilicet teneriora eius membra in vtroque sexu, spiritualiter adoptauit. Siquidem per hoc quod facta est Verbi mater corporalis, facta est membrorum eius mater spiritualis, per hoc quod caput nostrum secundùm carnem concepit, membra eius lacte pietatis alenda suscepit. Habet ergo vnicum, quem pro tempore lacte corporeo nutriuit, habet & gemellos, id est, in vtroque sexu adoptatos, quos lacte pietatis nutrire non desinit.* Ecce tibi vt diuinissimus fructus mariani vteri Iesus, simul vt inde prodiit, fecit, vt vbera materna sufficerent pluribus aliis Dei filiis.

Guillel.

§. V.

Iesus nascens totus nobis datur, à matre, vt Isaac.

NOn prætereunda illa Saræ verba facta de nato à se filio, dum inquit: *Quis auditurus crederet Abraham, quòd Sara lactaret filium, quem peperit ei iam seni?* Expende illa: *Quem peperit ei*, quasi nihil ipsa haberet in filio, sic dicitur peperisse illum non sibi, sed ei, hoc est, Abrahamo seni. Bona fœmina totum cedit Abrahamo filium, quasi ipsa nihil habeat in illo. Verus in hoc Isaac Iesus est, qui vt nascitur à Maria, sic totus datur nobis, totus ceditur nostræ acquirendæ saluti, quasi nihil mater reseruet vni sibi. Hinc Luc. 1. ait Angelus ad Mariam: *Concipies, & paries filium.* Vbi acutè notat Chrysol. ser. 142. *Non dixit tibi, non dixit tuum.* Is erat enim filius, qui nascebatur à Maria, quem non sibi retineret mater, sed illum totum nobis cederet, nobis daret. Psal. 18. de Iesu aduentu per carnem, ait: *In Sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Et quando Solem dicitur Deus inhabitare, cur simul non dicitur procedere tanquam Sol, illuminans vniuersum Orbem terrarum? Cur Solis inhabitator noluit videri procedere tanquam Sol, sed tanquam sponsus? Equidem Sol vt in cœlis, & è cœlis natus est, sic semper totum corpus eius intra cœlestes sinus manet, ad summum communicans mundo suos radios. Auarissimè cœlestes causæ retinent sibi totum corpus solare, quod etiam nescit sese expedire à finibus matris. E contra sponsus quisquis sit, hoc habet singulare, quòd parentes illum totum dedant sponsæ, & quòd ipse relinquat patrem, & matrem, vt sponsæ suæ possit totus adstare. Hinc est, quòd Maria non auara mater, vt cœlum sibi totum Solem Iesum exorientem retinuit, sed illum totum vt sponsum sponsæ, nobis communicauit. Et ipse à virgineo thalamo egressus, sic relinquit matrem, sic totus nobis datur, vt non tanquam Sol, sed tanquam sponsus appareat. Ait D. Aug. ser. 5. de Natiu. *Intrat artifex mundi angustias ventris humani, efficitur grauida mater intacta, & ecce tanquam sponsus de thalamo, Maria Christus procedit ex vtero.* Non ibi manet, vt Sol in cœlo suo, sed vt sponsus matrem relinquit, vt adhæreat sponsæ suæ. Et Sedul. lib. 2. Paschali, ait. *Christus ab aluo Processit splendore nouo, velut ipse decoro Sponsus ouans thalamo.* Adhæc pulchrè D. Damasc. orat. 1. de Natiu. Beat. Mariæ, componens Mariam cum cœlo, inquit: *Hodie ex terrena natura cœlum in terra ille condidit, qui olim firmamentum ex aquis fixerat, atque in altum extulerat. At sanè hoc illo longè diuinius; namque in illo Solem effecerat, ex hoc iustitia Sol ortus est.* Expende in quo putet Mariæ cœlum longè esse diuinius illo firmamenti cœlo, nimirum ait: *namque in illo Solem effecerat*, Solem, inquam, in illo cœlo effecerat, qui totus ibi mansit inclusus; *ex hoc iustitiæ Sol ortus est*, ex Mariano autem cœlo, Sol iustitiæ Christus foras ortus est, & egressus inde vt nobis prospiceret. Superat equidem cœlum Maria, quando non sibi retinet Solem iustitiæ, sed illum totum dat nobis, totúmque illum facit à se exire super iustos, & iniustos. Accedit Isaias cap. 9. *Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis.* Vbi dicit filium, cauit dicere natum, sed maluit dicere datum, & cur maluit dicere filium datum, nisi vt ostendat quàm totum illum nobis dederit mater, & quàm ipse totus alienetur à parentibus, vt nos saluos faciat? Pulchrè Euseb. Emissen. hom. 1. ait: *Natus, qui semper erat assum, datus, qui nesciret exordium.* Sic equidem totus nobis datus est, vt pro nobis dixisset parentibus, nescio vos, hoc est, dissimularet paulisper matrem, vt Ecclesiam sibi adiunctam saluaret. Totum ergo habemus nobis filium Iesum datum, sed datum nobis à matre. Quo spectans D. Zeno, ait ser. 4. de Christi Natiuit. *Nascitur sine patre filius, non totus matris, sibi debens quòd conceptus est, matri donans, quòd natus.* Et cur natiuitas magis tribuitur matri, quàm conceptio? Nonne vtraque miraculosa? Nonne vtraque opus fuit absolutæ Dei potestatis? Quòd virgo sine viri opere concipiat, miraculum stupendum est, quòd virgo sine corruptione pariat, etiam est stupendum miraculum. Cur ergo magis tribuitur Deo conceptio Iesu, & Mariæ magis tribuitur partus? Equidem non id dicitur propter differentiam potestatis, sed propter differentiam affectus. Quòd ad virginea viscera venerit Dei filius, inibíque esset, & moraretur, id opus erat affectus diuini, opus erat quasi diuinæ inclinationis, qua Deus amabat morari inter virtutes tantas. At quòd inde exiret, id erat opus maternæ pietatis, quæ miro desiderio afficiebatur, vt filius à se exiret, & palam communicaretur mortalibus. Inde verè dicitur Deus *matri donans, quòd natus*, quia ipsa ad nos fecit filium venire. Quàm largior Maria cæteris virginibus Matth. 25. dum petitur oleum ex virginibus prudentibus, respondent illæ: *Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis, ite, &c.* De Maria autem ait Hugo Vict. de Incarn. Verbi, collatione 3. *Prudens ergo fuisti, vt tibi prouideres, nec timida vt aliis subuenires. Nec dixisti, Ne fortè non sufficiat mihi, & vobis: sed sciens, quòd sufficeret tibi, & nobis, sufficienter retinuisti, & sufficienter tribuisti.*

Luc. 1. *Psal. 18.* *D. Aug.* *Damasc.* *Isai. 9.* *Euseb.* *D. Zeno.* *Matth. 25.* *Hug. Vict.*

§. VI.

In Iesu nato conuiuium exponitur salutis nulli non accessibile, vt in Isaac.

VBi Isaac ablactatur, conuiuium magnum à parente adornatur, ait enim textus: *Fecit Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius*, nempe Isaac. Et quare tunc conuiuium paratur? Ait Caietanus, *vt initium comedendi primogeniti celebraretur communi lætitia magni conuiuij.* Quasi indecens putarent esse primogenito, quòd ipse escas sumere inciperet sibi, quin & aliis magnum præberet conuiuium. Præstantior Isaaco Iesus primogenitus in multis fratribus, non expectat comedendi tempus, sed cùm primùm haurit hunc aerem communem, cùm primùm vbera matris potest sugere, adeò grande salutis conuiuium proponit, vt nullus sit, qui ad illud non possit peruenire. Ait enim Luc. cap. 2. de Maria: *Peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio.* Ecce tibi vbi nascitur noster diuinissimus primogenitus, vbi primùm aerem communem gustat, & humano alimento indiget, in præsepio reclinatur à matre. Et cur mater tantum puerum in præsepio reclinas? Cur non magis foues in sinu tuo, in gremio tuo inter brachia tua? Sanè vt vel initium hauriendi aeris puero celebraretur tali conuiuio salutis, ad quod nullus esset adeò rudis, adeò brutus, qui non possit pertingere. Pulchrè aiebat Theodotus homil. de Nat. in appendice ad tom. 6. Concil. Ephes. c. 2. *In præsepi ideo positus est, quia nuntiabat, quod etiam in irrationabilibus notus fieret. Dei namque Verbum, & filius ad semetipsum trahit, & diuites, & pauperes, eloquentes, & tardiloquos, cum paupertate viuens, & in præsepio iacens.* Quis adeò infirmus, adeò hebes inuenitur, qui nequeat pertingere, quod vel infirmum iumentum pertingit? Planè si vel iumentum factus sis, paratum habes cibum salutis, ideò enim Iesus cœleste pabulum in præsepio constituitur, vt vel iumentum non careat salutis cibo. Quàm aliter Creator parabat homini cibos in initio creaturæ, dicebat enim, Genes. 1. *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum, &c.* Nunc autem vbi reformationem hominis curat, nihil terræ mandat de hominis cibo, sed ipse in præsepio ponitur, in terræ solo apparet fructificans omnibus salutis cibum. Vt meritò dicat D. Basil. Seleu. orat. 33. *Olim quidem in solitudine Deus igni Sinaum montem circumdedit, seque attensa flamma in cœlum iaculabatur, & terror, & caligo, & tubarum crepitus misto vlulatu, confususque sonus videntes perterrefaciebant; at nunc, omisso terrore, Dominus formam serui induit, in innumanitatis natura demonstrans humanitatem. Olim enim audiebat terra: Germinet terra herbam virentem; nunc autem continentis mensa fructificat vitæ*

Caietan. *Luc. 2.* *Theodot.* *Gen. 1.* *Basil. Sel.*

ctificantem Dominum excipit. O quàm diuersa sunt Christi cunabula ab aliarum creaturarum cunabulis. Habuit mundus cunabula sua, dum nascebatur à creatoris manu: habuit etiam lex sua cunabula, dum in Sina promulgabatur: & habuit Christus cunabula præsepij, dum in Bethlehem nascitur. Et quàm diuersa hæc ab illis? Planè dum mundus nascitur, terræ mandatur, quòd herbas, & poma generet in conuiuium humanum; cùm lex incipit, sic omnes perterrefacit, vt nec miseris asellis parcat, si monti pasturi appropinquarint. Nascitur autem Dominus in Bethlehem, & in terra continente Deus ipse ostenditur factus cœleste pabulum, nec vllum eijcit, nec vllum perterrefacit, sed perhumanus constituitur in præsepio, vt vel iumenta possint appropinquare. Sed illud expendendum: *nunc autem continentis mensa fructificantem Dominum excipit.* In Christi natiuitate non contenta est terra, nobis ostendere salutis pabulum, fructum vteri virginalis, sed & illum ostendit adhuc fructificantem, quando non solùm nos in præsepio Verbo satiat, sed & inde mensas Eucharisticas parit, vnde ampliori conuiuia reficiamur. Ait enim Theodotus vbi suprà: *Non tam in præsepi positus, sed in hac Eucharistia mensa constitutus est: illud namque præsepe mater factus est huius mensæ. Propterea in illo est positus, vt in ista comedatur, & fidelibus fiat salutis cibus.* Vide, quale conuiuium Christi in cunabula faciant.

§. VII.

Christus circumcisus Deus ostenditur, soluens redemptionis pretium vltra debitum.

ACcepit Abraham Dei donum, nempe Isaac, & circumcidit illum iuxta præceptum Domini, ait enim textus: *Circumcidit eum octauo die, sicut præceperat ei Deus.* Primus igitur infans octiduanus, qui in Scriptura exprimitur circumcisus, fuit Isaac, qui ex magna Dei potentia supra omnes naturæ leges concedebatur Abrahamo. Sed cur Deus voluit, quòd primus infans circumcisus esset ille, qui tanta potestate parentibus donabatur? Crediderim id voluisse Deum, vt magis donationis clareret præstantia, qui ea dona præstabat, quæ superabundarent, & possint resecari sine accipientis damno. Huc spectabat D. Hier. lib. 1. aduersùs Iouinian. dicens: *Post diluuium autem cum datione legis, quam implere nullus poterat, carnes ingesta sunt ad vescendum & repudia concessa duritia, & cultellus circumcisionis appositus: quasi Dei manus plus in nobis creauerit, quàm necesse est.* Et quidem cultellus circumcisionis profusissimam liberalitatem testabatur creatoris, qui plus creabat, quàm rerum indigentia postularet, qui dona sua non necessitati seruire faciebat, sed copiæ. Hinc puerulus Iesus, qui saluare mundum veniebat, octauo die circumcidi voluit, sciens pretium salutis nostræ positum esse in sanguine effundendo tempore mortis. Quippe ait Isaias cap. 53. de Saluatore: *Fortium diuidet spolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit.* Equidem sanguis profusus in morte sufficeret ad hominum salutem, isque principaliter à Dei iustitia exigebatur pro salute donanda. Ad quid ergo voluit puerulus noster octiduanus in circumcisione effundere sanguinem, nisi vt de superabundantia pretij soluti, se Dominus ostenderet, qui non seruiebat necessitati, sed copiæ operam dabat? Sic Matth. 14. dū paucos panes multiplicat Dominus ad multorum saturitatem, facit vt panis reliquiarum multa superesset abundantia. Ait enim: *Et manducauerunt omnes, & saturati sunt. Et tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos.* Cur necessum fuit, quòd post tot saturatos superessent tot reliquiarum fragmina? Pulchrè ait D. Basil. Sel. orat. 33. *Magna res erat tot millibus quinque solos panes fuisse satis: tantam verò superesse reliquiarum copiam, non discipulis dumtaxat miraculi recordationem generabat, sed & eius, qui patrarat, virtutem extrahebat in lucem. Nam si pro modo necessitatis dationem commensus fuisset, decoris illius gratia adulterata esset, neque id qui fecisset, satis euidenter Dominus agnosceretur, quippe qui necessitati seruisset. Nunc autem profusior, quàm necessitas postularet suppeditatio authoris potestatem testatiorem facit.* Nullus est decor diuino largitori, qui soli seruit necessitati, nec scit in donis addere supra id, quod rei exigentia debet postulare. Ille se Deum ostendit, & potentissimum Dominum, qui indigentiæ mensura non coarctatur, sed dona sua supra omnem indigentiā facit abundare. Vt iam ostendatur, quantus sit Iesus octiduanus, qui tam superabundanter effundit in circumcisione suum sanguinem.

Hieron. — *Isai. 53.* — *Matt. 14.* — *Basil. Sel.*

§. VIII.

Sistitur aris Isaac, sistitur aris recens natus Christus paternas virtutes repræsentans.

NEcdum satis gauisus erat Abraham filio accepto, & ecce tibi filius ex patre petitur, vt in holocaustum offeratur Deo. Nec mora, pergit senex cum filio in montem, altare componit, ligna struit, filium arripit, & aris imponit sacrificandum Deo. Ecce tibi vt Isaac aris sistitur Deo offerendus in sacrificio, cur pater adeò securè filium imponit aris? Cur non magis timet ne filius effugiat? Ait Diu. Zeno: *Securus erat de fide generis sui pater.* Equidem erat Isaac Abrahæ filius, Abrahæ habebat sanguinem, & ideò non poterat non respondere tanto patri simillimus filius. Et pergit Zeno: *Vno voto, vna deuotione, diligenter geritur, quod ab altero celebratur.* Obediens Abraham, obediens Isaac: ille præcepto diuino sanguinem suum postponit, hic propriam vitam. Sic Isaac patrem pingit mixta similitudine virtutum, vt in vno corpore agnoscas vtrumque; nisi quòd ille senex erat, hic Abraham iuuenis. Bone Iesu, diuinissime pusio, quàm exprimitur in præsenti tua effigies, dum aris patri offerendus sisteris? Ait Luc. cap. 2. de Iesu: *Postquam impleti sunt dies purgationis eius, secundùm legem Moysis, tulerunt illum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini. Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur.* Compone modò Abrahamum & Mariam, Isaacum & Christum: Abrahamus collit Isaacum, Maria Iesum: Abrahamus abit cum Isaaco in montem, illum Deo oblaturus, Maria abit cum Iesu in templum, Iesum Deo sacratura; Isaac sistitur aris, & aris sistitur Iesus; Isaac in aris positus patri exhibetur simillimus, vt senis parentis virtutes noscerentur in filij annis iuuenilibus. Iesus item in templo positus dum patri Deo sistitur, sic similis Deo parenti apparet, vt magnus Deus noscatur in corpore pusillo. Ait enim Cyril. Hieros. orat. de Iesu occursu, & Simeone: *Omnis lingua gloriosè prædicet puerum ante dies quidem quadraginta natum, Deum autem æternum, puerum paruum, sed antiquum dierum; puerum lactantem, sed sæculorum effectorem. Infantem cerno, sed Deum agnosco.* Itaque puer iste, qui Deo sistitur, sic Deo correspondet in omni virtutum similitudine, vt paruo hoc corpore agnoscamus vtrumque, & puerum & dierum antiquum, & infantem, & Deum. Solabatur D. Hieron. Saluinam de Nebridio marito defuncto, inquiens: *Tenemus pro eo dulcissimos liberos. Nebridius pusio patrem quærentibus exhibet. Sic oculos, sic manus ille, sic ora ferebat. Scintilla vigoris paterni latet in filio, & similitudo morum per speculum carnis erumpens ingentes animos angusto in corpore versans.* Felix Maria pro Deo patre à nobis ablegato, hodie repræsentat Deo, & mundo dulcissimum filium. Iesus puer, Deus pusio Patrem sic quærentibus exhibet, vt nemo dubitet, sic ora, sic manus, sic oculos esse diuinos, vt quod immensum splendet in Deo, idem splendeat in pusillo isto. Rem explicat D. August. lib. 1. de Incarn. inquiens: *Vt plenius intelligatur, quomodo Saluator figura est substantiæ Dei, vtamur etiam exemplo. Si facta esset aliqua statua talis, quæ magnitudine sui vniuersum Orbem terræ teneret, & pro sui immensitate considerari à nullo posset; fieret autem alia statua membrorum habitu, ac vultus lineamentis, specie, ac materia per omnia similis absque magnitudinis immensitate, pro eo, vt qui illam immensam considerare, atque intueri non possent, hanc videntes, illam se vidisse confiderent, pro eo quòd omnia membrorum, vel vultus lineamenta, vel ipsam speciem, materiámque similitudine prorsus indiscreta seruaret. Tali quadam similitudine exinaniens se filius Dei de equalitate Patris, & viam nobis cognitionis eius ostendens, figura expressa substantiæ eius efficitur.* Quæ virtutes, quæ excellentiæ in immenso deitatis refulgent, eædem apparent in paruo puerulo Iesu, vt meritò hic dicatur Deus pusio, sed Patri simillimus.

D. Zeno. — *Luc. 2.* — *Cyril.* — *D. Hier.* — *August.*

§. IX.

Christus verus ignis apparet in templo, purificans, non consumens.

OFferendus in sacrificio Isaac Genes. 22. dicit patri suo: *Ecce ignis & ligna, vbi est victima holocausti?* Quæ verba tractans Ambr. fatur: *Et hic prophetat sermone, non scientia:* & meritò sermonem istum propheticum putat, vt qui ostendebat ignem paratum ad victimam, & simul ostendebat deesse victimam.

Gen. 22.

victimam. Quasi diceret, ecce ignis, sed qui non absumet victimam, quam cogitas, sed magis illustrabit illam. Nec aliter accidit, quando ignis, qui cum Isaaco aris sistebatur, vt perficeretur sacrificium, hominem non consumpsit, sed illustrauit; illustrauit, inquam, hominem, & brutum consumpsit. In quo rectè exprimebatur Christianus ignis puer Iesus, qui à parentibus in templum delatus purificationis die aris sistitur, non quidem vt homines absumat, sed vt Orbem purificet, vt peccata consumat. Ait Lucas cap. 2. *Postquam impleti sunt dies purificationis secundum legem Moysi, tulerunt illum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino.* Quò respiciens Isaias cap. 6. *Surge illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est.* Vbi diuinus puer defertur Hierosolymam offerendus Deo, dicitur venire lumen, & iubentur Hierosolymitani surgere, & illuminari, cur non magis iubentur cauere tanti luminis vicinitatem? Cur non magis iubentur timere à flammis luminis venientis? Equidem lumen hoc, ignis hic qui in medio templi apparet, non est in hominum combustionem, sed in lustrationem, in purificationem, in illuminationem. Adhæc Diuus Ambrosius lib. 1. epist. 3. monet: *Illi soli igni te offer, qui culpam, non hominem exurit. Quis sit iste ignis, audi dicentem: Quia Iesus baptizat in Spiritu sancto, & igne. Hic est ignis, qui siccauit Hæmorrhoissæ per duodecim annos sanguinem profluentem. Hic est, qui peccatum Zachæi absumsit. Hic est ignis qui abstersit culpam latronis. Ignis enim consumens est, qui dixit: Hodie mecum eris in Paradiso.* Non equidem sæuit diuinissimus ignis homines, sed peccata, sed malitiam leuissimam consumere, dum homines illustrat, & purificat. De illo aiebat Ioannes apud Luc. cap. 3. *Cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suam: & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igne inextinguibili.* Expende, quò tendat Christianus ignis, nimirum, in solas paleas tendit, vt aridas vitiorum stipulas consumat, homines illustret, & purificet. Hinc Nazianzen. orat. 39. in sancta lumina, ait: *Iam, quid ventilabrum significat? Purgationem. Quid ignis? Leuitatis consumptionem.* Expressius Nicetas eius Scholiastes: *Ventilabrum porrò purgationem significat. Ignis autem consumptionem designat, sordes eorum, qui purgantur, abolentem, & quod leuis, & vitiosa natura est, expurgantem.* Itaque Christi ignis, qui in templo Ierosolymitano apparet, eò tendit, vt solas paleas consumat, vt vitiorum sordentes maculas abradat, & purificet, & illustret Orbem terrarum. Quo spectans Malach. cap. 3. inquit: *Et statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis. Ipse enim quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum. Et sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos, quasi aurum.* Et quis est hic dominator apparens in templo, qui est quasi ignis conflatorius, nisi puer Christus, qui ideò venit ad templum, vt faciat Orbis purgationem, vt nullum consumat hominem, sed illustres, & purificatos instar auri reddat omnes? Ait D. Cyril. Alex. ibi: *Prædicit vtiliter, quodam tempore affulsurum Christum, qui peccatum omne nostrum è medio tollet, & Sacerdotes suos purissimos reddit, eósque vt aurum, aut argentum in igne probat, sive probatos, & illustres reddit.* Ecce tibi, qualis ignis rutilat in templo Ierosolymitano, nimirum ignis Christus, ignis purificans, ignis perfectissimâ ostendens lustrationem, ignis nulli hominum tunc nocuus, sed mirificè applaudens votis totius mundi. Rem amplius extollo ex Solino, qui cap. 11. tale narrat prodigium: *Non longè inde collis Vulcanius, in quo, qui diuina rei operantur, ligna vitea super aras struunt, nec ignis apponitur, in hanc congeriem cum porricias intulerint. Si adest Deus, (sic sacrum probatur) sarmenta licèt viridia ignem sponte concipiunt, & nullo conflagrante, à litato numine fit incendium, ibi epulantibus alludit flamma, quæ flexuosis excessibus vagabunda, quem contigerit, non adurit, nec aliud est, quàm imago nuntia perfecti ritè voti.* Sic cœlestis ignis adstantes recreans, nemini nocuus, imago est, & nuntius applaudens perfectis hominum votis. Vt dicat pro omnibus vnus: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.*

Luc. 2. — Ambr. — Luc. 3. — Nazian. — Malach. 3. — D. Cyril. — Solin.

§. X.

Christus vt Isaac paruis redimitur, vt nobis viuat.

PAterno gladio Isaacum eripuit aries in ara substitutus, de quo locutus Diu. Ephrem serm. de Abrahamo, inquit: *Aries suspensus filium liberauit Isaac*, & quidem ariete occiso morti eripitur Isaac, & redditur patri suo. Proh felix pater, quàm vili pretio redemit à morte filium, & sibi retinuit! Visebatur iam ibi puerulì Iesu oblatio, qui aris diuinis præsentatus à debito legali primogenitorum redimitur turturum pari, aut duobus pullis columbarum. Itaque aries substitutus facit, vt Isaac non maneat Deo litatus, sed à lege holocausti liberatus patri suo reddatur, & similiter par turturum facit, quòd puerulus Iesus in templo oblatus, non ibi maneat, sed reddatur matri. Fœlices parentes, quàm vili emitis, vt vobis filij maneant! Fœlix Maria, quàm paruo tibi, & nobis redimis charissimum filium Iesum, diuinitatis thesaurum. Pulchrè D. Ber. ser. 3. de Purific. ait: *Oblatio ista, fratres, satis delicata videtur, vbi Iesus tantùm sistitur Domino, redimitur auibus, & illicò reportatur.* Huc veni Christiane, & vide quàm paruis donis possis tibi habere totum diuinitatis thesaurum. Equidem puerulus noster diuinissimus Isaac pro exhibita ouicula totus habetur, & eripitur aris; vel si mauis, redimitur Iesus noster auibus. Quid est redimi auibus? Puerile ingenium forsan explicatur, quando puerulus sic captis auiculis delectatur, vt facilè se suaque vendat, imò dilapidet pro habendo passere. Proh Deus immortalis, puer factus, sicque in pueriles affectus inclinatus, vt vel pro passerculis vilibus se vendat hominibus, vt vel passere dato possimus illum emere, & nobis comparare. Vis homo tibi emere Iesum paruulum, da vel quid paruum, exhibe vel passerem, & tibi Iesum habes. Aiebat Isaias cap. 9. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis.* Quid ais Propheta, quòd filius datus est nobis, quando filius hic diuinissimus nec matri datur, sed magis venditur pro auibus, pro siclis? Illa exhibet par turturum, & filium accipit, exhibet siclos, & redimit infantem, cur ergo non magis dicis filium hunc nobis vendi, quàm dari? Equidem ex quo paruulus natus est, tam paruis, tam minimis capitur, vt meritò dicatur non venditus, sed gratis datus. Ex quo D. Bernard. serm. 1. de Epiphan. *Denique paruulus est, leuiter placari potest. Quis enim nesciat, quàm puer facilè donat? Ecce possumus reconciliari pro minimo. Pauperes sumus, parum dare possumus, attamen reconciliari possumus pro paruo illo, si volumus. Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis.* Equidem vbi puer paruulus factus Deus est, tam paruis capitur, vt meritò dicatur gratis dari. Quis non pro paruo capiat infantem? Habes homo Deum infantem, ô quàm fœlix es, siquidem illum poteris habere pro paruis. Da vel siclum, da vel obolum, da vel passerem, & puerulum diuinissimum tibi habes.

Bernard. — Isai. 9. — Bernard.

§. XI.

Iesu in templo oblatio salutem halat, & vitam vt Isaac.

ECce tibi Isaacum aris impositum, & parentis expositum cultro, ex quo non mortem sustinet, sed potiùs accipit, vt inde lætior, & securior viuat. Quod expendens D. Zeno, ser. 1. de Abrah. inquit: *Sub hac igitur sperationis natiuitate, & admiratione progenitus Isaac in primis infantia rudimentis iubente, ac deposcente Deo innocens Martyr offertur: immaculata hostia, nec victima imparatus, à domino poscitur, à parente perducitur, sed hostia non sanguinis, sed salutis.* In tanti pignoris oblatione, nihil sanguinolentum, nihil denique cruentum apparuit, sed vita, sed salus confirmatior eluxit. Quid potuit dici expressius de Iesu, vbi in templo Ierosolymitano patri sistitur? Equidem ibi à Domino poscitur, à parente perducitur, sed hostia non sanguinis, sed salutis. Nihil ibi cruentum exprimit in suis membris puerulus diuinus, sed nobis omnibus halat salutem, & vitam. Et quis in tanti puerulì oblatione viuendi spem non concipiat? Luc. 3. vbi S. Simeon accepit eum in vlnis, statim exclamauit, dicens: *Nunc dimittis seruum tuum Domine.* At bonus senex in nullis erat vinculis, cur ergo dimitti petit, solui petit, quando nullis tenetur laqueis? Pulchrè D. Cyril. Alex. orat. de Purific. habita in Bibliotheca homiliarum, putat hanc vocem non tam Simeonis, quàm Adami defuncti, qui vt sensit puerulum Iesum offerri hostiam non sanguinis, sed salutis, iam cœpit cogitare de vinculis mortis rumpendis, & de accipienda vita. Ait enim: *Exultet Adamus Christum per Simeonem huiusmodi oratione alloquens. Nunc dimittis seruum tuum, nunc ab æternis vinculis me absoluis, nunc à corruptione, & interitu me eripis, nunc à morte me eripis, nunc ab omni mœrore me expedis. Ecce Simeon vlnis complectitur Deum, & Dominum meum in templo.* Et meritò dum Iesus in Sacerdotis manu hostia viua apparet, in templo suo oblata, vel mortui ipsi incipiunt de vita cogitare. Vbi Iesus in cruce hostia

D. Zeno. — Luc. 3. — D. Cyril.

hostia sanguinis apparebat, Deo pro nobis mactatus: totus Orbis alteratur,& quasi in interitum ruit;debebat enim hoc creatura authori suo, vt cum illo etiam vellet finiri, quod sapienter à D. Leone notatum alibi diximus. Vbi autem Iesus puerulus in templo apparet patri offerendus hostia non sanguinis, sed salutis, sed vitæ, nullus est, qui non amet viuere, & exultet in vitam. Aiebat Paul. ad Rom. 12. *Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem.* Cur Paule, petis, vt exhibeamus nos hostiam viuentem? Cur non magis exposcis, vt nos exhibeamus hostiam mactatam, & mortuam Deo? Nonne victoriam de mundo reportauit agnus, tanquam occisus? Cur ergo non magis optas, vt occiso agno nos etiam exhibeamus occisos? Vtraque hostia visa est in Christo, & hostia sanguinis, & occisionis, qualis apparuit in cruce; & hostia salutis, & vitæ, qualis apparuit in templo. Cruentæ hostiæ nos assimilari debere iam dixerat Paulus, quoties nos iubet cum Christo crucifigi: nunc forsan cogitabat Paulus non agnum in cruce, sed puerulum in templo Patri exhibitum hostiam non sanguinis, sed salutis, & inde non petit, nisi quod nos exhibeamus hostiam viuam, quando habemus exemplar placituræ vitæ. Quò spectans D. Bern. serm. 3. de Purificat. inquit: *Fratres morituro Domino, Iudæus mortuas hostias offerebat, sed iam nunc: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat. Hæc enim est hostia placabilis, Deo placens hostia, hostia viua* Expende illud, *sed iam nunc*, erat enim celebritas Purificationis Mariæ, quando Iesus sistebatur Patri hostia non mactanda, sed redimenda. Vt ergo quando hostia Christus repræsentatur occisa, mactantur hostiæ in eius signum; sic modò quando Iesus ostenditur viua hostia, tantum non auditur illa patris vox, nolo mortem peccatoris, sed viuat. In cuius signum illa est hostia placabilis, & placens Deo, quæ exultat in vitam. Cùm Iesus hostia mactata apparet in cruce, nulli hominum non est suspecta humana vita, nullus est, qui non timeat sibi à vita. Vt autem Iesus hostia viua apparet in templo, & simul ostenditur, vt possit amari vita, vt possint homines velle viuere, nimirum, si efficiantur, vt paruulus ille. Ostendit enim paruulus ille Deo oblatus, quæ sit hostia Deo placens, nimirum, hostia viuens. Similiter Paul. ad Heb. 10. aiebat: *Habentes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum, in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, id est, carnem suam.* Itaque Iesus per carnem suam initiauit nobis viam nouitatis, & vitæ: & quando hanc nobis initiauit per carnem? An quando caro erat mortua in cruce? S. Bruno ait: *Carnem dicit, & sanguinem specie panis velatam.* Non carnem mactatam in cruce, sed carnem viuentem in Eucharistia proponit nobis ad initium vitæ. Licèt enim morte sua nobis comparauerit Dominus vitam, & salutem, at vita sua melius nos docuit ire in vitam, & ostendit, Deo placentem vitam. Sit vita conformis Christo viuenti in Eucharistia, & arripe illam vitam, & ama viuere. Sic hostia incruenta factus Iesus, seu in templo præsentatus infans, seu vir oblatus in Eucharistia, euidentiùs nos docet vitam amabiliorem, quam exhibere Deo possimus.

D. Leo.

Ad Rom. 12.

D. Bern.

Ad Heb. 10.

PARS SECVNDA.

Moralia circa textus literam.

A Mysticis, & allegoricis ad moralia veniamus, vt dum circa Isaaci vitam sese exercet, in Christum pietas, etiam de illius exemplo mores componantur.

Gen. 21. Visitauit autem Dominus Saram, sicut promiserat: & impleuit quæ locutus est. Concepitque & peperit filium in senectute sua, tempore quo prædixerat ei Deus.

§. I.

Tempestiuitas, & opportunitas ad bonos effectus, à solo Deo venit.

ECce tota causa, qua Sara tempore constituto filium conciperet, nimirum, *Visitauit Dominus Saram*, ex Domini enim impulsu venit, quòd Sara in coniugales amplexus rueret eo tempore, quod tempestiuum, & opportunum erat, ex præparatione omnium causarum tam naturalium, quàm supernaturalium, vt conciperetur filius promissus. Et mihi crede, quòd opportunitas, & tempestiuitas, qua boni effectus prosiliunt, à nullo nisi à Deo potest venire. Non Sors, non Casus, non Fortuna, non Scientia, nec Prudentia, sed Deus vel mouet homines ad diligentiam, vel trahit illos ad locum, eo tempore, quo boni euentus sunt prosilituri. Apud Luc. cap. 2. vbi & pueri Iesu, & Simeonis occursus scribitur, dicit textus: *Ecce homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon: & homo iste iustus, & timoratus expectans consolationem Israel, & Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi priùs videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templum. Et cùm inducerent puerum Iesum parentes eius, &c.* Expectabat equidem bonus iste diuini pueri aduentum, expectabat diuinum hunc thesaurum videre, sciens apparituram in Dei templo, at quòd in templum veniret Simeon eo ipso tempore, quo puer introducebatur à parentibus, cuius fuit diligentiæ? An id à Fortuna, vel à casu accidit? An venit id à viri sapientia diuinis literis prænoscente tempora, vel momenta? Absit, ait enim textus: *Venit in spiritu in templum:* non casu, nec prudentia propria, sed diuini spiritus impulsu euenit, vt veniret in templum, quando spectationis suæ præmium potiturus erat. Ait D. Chrysost. hom. de Purificat. habita in Biblioth. hom. *Hic ergo eadem illa hora, qua parentes puerum Iesum deferebant, per spiritum venit in templum. Sæpenumero iam ante eò venerat, sed proprio voluntatis proposito, tunc autem quasi Spiritus sancti manu ductus opportunè venit; nempe, vt facta promissionis fidem tandem aliquando expletam videret.* Sæpè propriè voluntatis proposito venerat in templum, at quòd veniret eo temporis momento, quando expectationis effectus proditurus erat, id non à voluntatis proposito, non ab alio, quàm à Dei spiritu accepit. Deus enim est solus, qui nos deducit in opportunitatem, & tempestiuitatem fœliciũ euentuum. Hinc Psal. 44. ad Deum dicitur: *Specie tua, & pulchritudine tua, intende prosperè, procede, & regna.* Alij legunt: *Tempestiuitate tua, intende prosperè, &c.* Et meritò tempestiuitas Deo attribuitur, illius enim solius est homines eò deducere, vbi sortiantur præclaros euentus. Gen. 27. miratus Isaac celeritatem filij in parandis ex venatione escis, quærebat ex illo: *Quomodo tam citò inuenire potuisti fili mi?* Cui statim filius respondit: *Voluntas Dei fuit, vt citò occurreret mihi, quod volebam.* Ex Hebræo leges: *Quia occurrere fecit Dominus Deus tuus coram me.* Chaldæus autem: *Quoniam praeparauit Dominus Deus tuus coram me.* Non ars, non scientia, non fortuna, sed Dei voluntas est, quæ deducit homines in eam opportunitatem, qua statim omnia eueniant ex animi sententia. Adhæc ait sapienter Lippomanus in cat. *Omnia hæc idem dicunt, videlicet, quòd prouidentia Dei euenerit, vt illi citò gratificari potuerit. Sic fatum, cælorum influentia, ordo causarum naturalium, & sors ipsa nihil sunt aliud, quàm Dei voluntas, & prouidentia, quæ operatur omnia in omnibus.* Sola Dei voluntas est, quæ homines fortunat, quæ illos fortiter, & efficaciter mouet in illos actus, & opportunitates agendi, quibus coniungendi sunt effectus fœlicissimi. Hinc est, quòd Gen. 30. pariens vxor Iacobi, *dixit: Fœliciter, & idcircò vocauit nomen eius Gad.* Quippe Gad significat multis bonam fortunam. Nec mirari desinam, quòd sancti hominis, & sapientissimi viri vxor filij natiuitatem fortunæ tribuat, & non potiùs certis, & determinatis causis. Sanctior videretur Eua Gen. 4. quæ cernens à se natum filium, quem vocauit Seth, ait: *posuit mihi Deus semen aliud pro Abel.* Scio vniuersos causarum effectus à Deo deduci immediatè, sed non ita in particulari fiunt à Deo, vt ad illum recurramus, vt illorum causam particularem. Quando filij ij habebant parentes progenitores, cur vel fortunæ tribuuntur, vel Deo, & non magis suis certis, & determinatis causis? Et quæ sapientior apparuit, materne Gadi, illum fortunæ attribuens, an mater Sethi illum à Deo acceptum clamans? Sanè in complexu maritali ex quo filij nascuntur, tot causæ concurrunt, tot causarum temperamenta sunt necessaria, vt prorsus sit supra hominis prouidentiam, ad vxorem accedere, tũc temporis, quando opportunus erit concubitus ad hominem generandum. Vnde sapientes fœminæ, & piæ non sibi, sed fortunæ, & Deo tribuunt filiorum natiuitatem, non quòd fortuna aliquid distinctum sit à Deo, sed vt ostendant tempestiuitatem, & opportunitatem concubitus ad prolem, non ab aliqua arte, aut sapientia, aut prouidentia hominis prouenire, sed ex Deo solo mouente, & impellente efficaciter tunc temporis ad maritales complexus, quando opportunitas est, vt proles gignatur. Quò respiciens D. Damascen. lib. de Physica,

Luc. 2.

Chrysost.

Psal. 44.

Gen. 27.

Lippom.

Gen. 30.

Gen. 4.

Damasc.

Phyſica,cap.4.reducens partus filiorum ad fortunæ euentus, ait: *Parens inſtrumentalis potius,adiuuans cauſa eſt,vt qui non tùm lubet,liberos gignat,ſed tunc denique,cùm illa rerum omnium architecta voluntas, cælitus eum impulerit.* Itaque quòd coniux ad coniugem accedat tempeſtiuè, & maturè, vt inde filius naſcatur, quâtum ea vi cauſarum naturalium omnium caſu fit, & præter omnem prouidentiam creaturarum.Id ſolùm prouenit à diuino impulſu,qui ignorantes homines eò deducit, vnde filij ditentur; quod ſimiliter fit in rebus omnibus, quæ videntur fieri caſu.

§. II.

Prophetiæ ſpiritus vitæ innocentiæ vt plurimum ſocius.

NOn otioſè in præſenti inculcatur, quòd Deus prædixerat Saræ filium concipiendum,ait enim: *Concepit,& peperit filium in ſenectute ſua, tempore quo prædixerat ei Deus.* Non, inquam,in præſenti otioſè inculcatur prædicto de filio habendo, ſed vt oſtenderetur Abrahamidæ familiæ ſanctitas, & vitæ innocentia, quarum comes, & ſocius ſpiritus prophetiæ ſolet eſſe. Vbi ſpiritus prophetiæ eſt,regulariter manifeſtum ſignum innocentiæ,& ſanctitatis oſtenditur. Hinc Dominus per Ioel.cap.2.ſigna humanæ reformationis præ ſe ferens,ait: *Et erit poſt hæc, effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ.* Ecce tibi vbi Spiritus ſancti vis humanam carnem afflauit, quid ſtatim ſequitur, *& prophetabunt filij veſtri.* Cur non magis aliarum virtutum proponuntur effectus?Cur de Spiritu diuino accepto, non potiùs proſiliunt in primis chariſmata alia meliora, & præſtantiora, quàm prædictionis, quam prophetiæ? ſcio in innocentiæ ſtatu poſt afflationem diuini ſpiritus nihil citiùs apparuiſſe in Adamo,quàm ſpiritum propheticum.Ait enim textus Gen.2. *Formauit igitur Deus hominem de limo terræ,& inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Quid tunc? *Appellauit Adam nominibus ſuis cuncta animalia, &c.* Inſuper, vbi videt Euam,ait: *Hoc nunc os ex oſſibus meis,& caro de carne mea,hæc vocabitur virago,&c.* Ecce tibi vbi Adamus de Dei inſufflatione ſanctus,& innocens apparuit, in nullo priùs externo, quàm in prophetiæ ſpiritu ſeſe exercet. Vbi ergo per aduentum Spiritus ſancti naturam humanam reformari in priſtinum ſanctitatis,& innocentiæ ſtatum Deus oſtêdebat,meritò pro ſigno tantæ reformationis poſuit proſilituros Prophetas, vt ſic meliùs ſanctitas,& vitæ innocentia accreſcens indigitaretur.Rem pulchrè attigit D.Cyril.Alex.in Ioelem. *Effuſus eſt in nos Spiritus ſanctus,Deo lætificante naturam noſtram humanam, & ſuperna,ac primæua gloria coronante, & ad illud denuo, ex beatitate ſua reuehente,vbi ante fuerat, peccato nondum ingreſſo. Non enim gratia prophetiæ carebat Adam prius quàm diuinum mandatum tranſgrederetur, cùm, tametſi non audiret vnde, aut quanam eſſet mulier,ſtatim acclamauit: Hoc nunc os ex oſſibus meis,&c.* Oſtendebatur in Spiritus ſancti aduentu primæua hominis reſtaurata gloria; oſtendebatur ſanctitas, & innocentia primæua adueniens, quæ per prophetiæ donum fuit exprimenda, vt cui propheticus halitus ab initio creaturæ, ab ipſo Adamo adnatus eſſet. Comes enim eſt inhabitantis innocentiæ, inhabitantis Dei,ſpiritus propheticus. Id quod notabat Paul. 1.ad Corint.14.inquiens: *Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis,vel idiota,conuincitur ab omnibus, diiudicatur ab omnibus.Occulta cordis eius manifeſta ſunt: & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians quòd verè Deus in vobis eſt.* Prophetia ſonat, & ſanctitas, & Deus inibi habitans ſentitur; non enim ſolet venire ſpiritus prophetiæ, niſi Deus præceſſerit, & animæ puritas. Ex quo aiebat Diu.Baſil.in præfat.ad Iſaiã: *Ergo cùm anima omni virtutis ſtudio dedita, vehementi in Deum amore,perpetuò Dei memoriam ſibi impreſſam ſeruat,atque hac quidem ei primùm apparat ſeſe, vt Deum habeat velut inhabitantem ex vehementiſſima in Deum intentione, & arcano amore, numine afflata, digna prophetiæ dono redditur, Deo diuinam virtutem impertiente, animique oculos aperiente ad intelligendas quas velit ſpeculationes.*Et paulò ſuperiùs dixerat: *Magna quidem atque adeo prima dos,quæque animam ſummè purgatam requirat, diuini afflatus eſſe capacem ad prophetandum myſteria Dei.* Ne niſi puto, & Dei pleno animo adeſſe ſoleat ſpiritus prophetiæ. Hinc Regi Abimelecho dicitur Geneſ. 20. *Redde viro ſuo vxorem, & orabit pro te, quia Propheta eſt,& viues.* Expende vnde probet efficaciorem orationem futuram, nimirum ex eo, *quia Propheta eſt*;cur non magis ex eo,quia iuſtus & ſanctus,& innocens eſt? Nonne oratio maiores vires ſumet ex ſanctitate orantis, quàm ex dono prophetiæ? Cur ergo ſanctitatem præteriens,ad prophetiam recurrit? Equidem in ſacra Scriptura,Propheta idem eſt, ac iuſtus,& innocens, adeò enim prophetia creditur ex ſanctitate venire, vt qui Propheta, idem reputetur iuſtus. Sic Philo lib. Quis diuinar. rerum ſit hæres: *Omnibus probis viris ſacra Scriptura prophetiam tribuit. Malum autem virum non eſt fas eſſe interpretem numinis: ergo nemo malus propriè correptus furore diuino dicitur, ſed in ſolum ſapientem hoc competit, quandoquidem is ſolus eſt inſtrumentum Dei reſonans ab eo contactum, & pulſatum inuiſibiliter. Proinde quotquot inter iuſtos cenſentur, inducuntur Prophetæ pleni cæleſti numine.* Hæc ibi.

Ioele.2. Gen.2. D.Cyril. 1.Cor.14. Gen.20. Philo.

Gen. 21. Vocauítque Abraham nomen filij ſui, quem genuit ei Sara, Iſaac, & circumcidit eum octauo die, ſicut præceperat ei Deus, cùm centum eſſet annorum: hac quippe ætate patris,natus eſt Iſaac.

§. III.

Sic pueruli in virtute inſtituantur, vt non tam iuxta humana,quàm iuxta diuina viuant præcepta.

OCtiduanorum puerum diuini præcepti exercitatio ſuſcipit, ait enim: *Circumcidit eum octauo die, ſicut præceperat ei Deus.* Et cur diuina lex pueriles artus ſic præoccupare feſtinat? Vt doceantur cæleſtium promiſſionum hæredes non priùs debere aliis,quàm diuinis inſtitutionibus imbui. Quæſtio fuit celebris apud D.Baſilium,an, qui tyrocinium in virtutum ſchola agebant,deberent ſacram Scripturam legere,& ediſcere? Cui reſpondet ſanctiſſimus Pater in regulis breuioribus,95. *Quæ ad vſum pertinentia ſunt,ea, vt vnuſquiſque ex diuinis literis ediſcat, & rectum, & neceſſarium eſt,cùm ad maiorem animi expletionem in pietate,tum etiam vt ne humanis conſtitutionibus aſſueſcat.* Sapientiſſimè cauet virtutum doctor, ne tyrones conſtitutionibus humanis aſſueſcant, ſed diuinis inſtituantur præſcriptis,humanæ namque conſtitutiones neſcio quem ſecum algorem habent, quo citiùs animi in virtute frigent.Quod notans Stephanus,ait Actor. 7. *Accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum,& non cuſtodiſtis.* Vbi Græcus ait: *Accepiſtis legem in inſtitutionibus, & præceptionibus Angelorum.* Ad hæc Syrus: *Accepiſtis legem per præceptum, & mandatum Angeli, & non cuſtodiſtis.* Nec credo agi in præſenti de Angelicis ſpiritibus ſolis,qui legem,& præcepta dederant, ſed & de Angelicis Doctoribus,& magiſtris,qui inter homines florebãt, & dabant regulas vitæ. Sic in 3. ad Galatas docent D. Thom. Oecumen. Theophyl. Gagneius,Primaſius,Chryſoſt. Ambr. Ex quibus illud maximè ponderandum eſt, quàm algeant, & conſtitutiones & præcepta prolata ab hominibus, quantumuis videantur ſancti, & Angelici. Quæ enim per Angelos, & Angelicos Doctores, & Prophetas antiqui Iſraelitæ præcepta recepere, minimè cuſtodiere. Nequit enim fieri, quòd humanæ conſtitutiones non frigeant,& vincantur nequitia hominum ſuſcipientium. Vnde Theodotus cap. 2. Appendicis 5.in tom. 6, Conc.Epheſ. ait: *Atteſtatur magnus Paulus de Angelis,quia omnes ſunt miniſtri ſpiritus ad miniſterium deſtinati, propter eos, qui futuri ſunt hæreditate poſſidere ſalutem. Sed non liberabatur homo,nequitiis pronus inhærens. Deficiebat ergo ad hominum diligentiam;nequitia enim malignorum,bonorum ſtudia ſuperabat. Quoniam & Prophetæ victi ſunt. Nihil operabantur Doctores,& lex deficiebat,& Angeli ſtudia fruſtrabantur,voluntate hominum non ſequente quæ bona ſunt. Ideòque ipſe Creator naturæ aduenit, naturámque victam erigere volens,aſtitit.* Sint ſanctiſſimi viri, ſint homines Angelici; ad hominum tamen diligentiam,& diſciplinam deficeret homo,niſi Deus adſtaret, cuius diuinis præſcriptis aſſueſceret. Hinc Moyſes Exod. 18. accipiens ſocerum ſuum Iethro in tabernaculo ſuo, illi ſtatim Dei optimi & maximi facinora propoſuit. Quippe ait textus: *Narrauit Moyſes cognato ſuo, cuncta quæ fecerat Dominus Pharaoni & Ægyptiis propter Iſrael::: Lætatúſque eſt Iethro ſuper omnibus bonis,quæ fecerat Dominus Iſraëli,eò quòd erui ſſet eum, de manu Ægyptiorum,& ait, Benedictus Dominus,&c.* Diſertiſſimus erat Moyſes, magnámque notitiam omnium diſciplinarum habebat,& tamen nactus hominem ethnicum,nihil illi aliud proponit, quam nudum Deum omnipotentem aduerſus Ægyptios, cui non magis hominem argumentationibus colit, vel vitæ regulis inſtituit? Erat Moyſes lex ipſa viuendi Iſraelitis, & quicquid legis, & humanæ inſtitutionis erat, prætermiſit,

D.Baſil. Actor.7. Theod. Exod.18.

prætermisit, vnum ostendens Deum, qui solus potest animas conuertere, & in virtute tenere. Id docens *D.Cyril.* D.Cyril. Alex. lib. 3. de Adorat. finit. *Itaque erga Iethro solis de Deo narrationibus est vsus Moyses, in eámque tam illum sententiam traduxit, vt disertis verbis fateretur, non esse alterum Deum, sed solùm eum, qui vnus & natura, & verè Deus sit.* Missa fecit Moyses omnia humana statuta, omnes humanarum disciplinarum argumentationes fecit missas, & solis de Deo narrationibus vsus est, & ethnicum traxit, & firmauit in agnitione vitæ. Ne nimium fidas humanis vocibus, humanis disciplinis, licèt traditis per homines clarissimos; sunt enim hæ inefficacissimæ ad comparandam, & retinendam virtutem. Quis clarior cœlo magister? Et ait Psal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei.* Quot astra, tot Doctores, tot Magistri, quot sydera, vt nobis ostendant salutis viam. *Gen. 12.* Quid inde? Accipite ex Gen. 12. Abraham egredientem è terra Chaldæorum, vbi totus erat intentus syderum cursibus, & cùm primùm ab illa terra egreditur, dicit textus: *Apparuit autem Dominus Abraham, & dixit ei, Semini tuo dabo terram hanc.* *Philo.* Cur non priùs apparuit? Pulchrè Philo lib. de Abrahamo, inquit: *Memoratur enim, quàm primùm profectus est ille sapiens, Deum apparuisse Abrahamo, cui videlicet priùs non fuerat conspectus, quandò more Chaldæorum intentus erat syderum cursibus, extra mundum & sensibilem essentiam, nullam prorsus naturam intelligibilem percipiens. At postquam solum vertit, necessariò cognouit mundum esse subditum, non Dominum.* Syderibus quidem vtebatur antea magistris, syderibus, inquam, quæ gloriam Dei narrare dicuntur, & tamen circa Deum percipiendum prorsus manebat cæcus, & ieiunus. Quem tunc cognouit, cùm affectum *Ambr.* remouit ab humanis disciplinis. Hinc D. Amb. totam causam humanæ ruinæ illo coniicit, quòd Diabolus aggressus fuerit fœminam, quæ præceptum non acceperat ex Dei ore, sed ex ore mariti. Sic enim ait lib. de Parad. c. 12. *Non adorsus est eum, qui coram acceperat cæleste mandatum, sed eam adorsus est, quæ à viro didicerat, non à Deo, quod obseruaret, acceperat.* Sciit equidem diabolus, quàm citò frigeant humanæ constitutiones in hominum mentes, & quam facilè expugnari possint; & ideò illam aggreditur, quæ ex ore hominis præceptum acceperat.

§. IV.

Deo peculiariter addictus, peculiariter purus sit ab omni affectu voluptatis.

ISaac, filius repromissionis, octauo die circumciditur non otiosè, sed vt ostendantur filij, qui ad Deum pertinent, quàm debeant à se omne seminarium voluptatum abscindere. *Lippom.* Sic ait Lippom. in cat. *Circumcidit eum octauo die, sicut præceperat ei Dominus. Voluit Dominus vacare filios gratiæ omni immunditia superflua libidinis.* Nil priùs in filiis gratiæ Deo peculiariter adscriptis, extrinsecus appareat, quàm resecatio voluptatum, quàm splendens indumentum castitatis. Quid carnalis voluptas cum gratiæ, & promissionis filio, qui Dei cœpit esse peculium? Fallar nisi in hoc abradenda sit vel vmbra illius. Cantatissima illa Anna, vxor Elcanæ, filium paruulum Samuelem, ab vberibus auulsum, Deo, & Dei Sacerdoti in tabernaculo obtulit. Et quod mirere magis, non illum sibi redemit, vt secum iterum tolleret, sed ibi in tabernaculo *1.Reg. 2.* Sacerdoti seruiturum reliquit. Ait enim 1. Reg. 2. *Et abiit Elcana in Ramatha in domum suam, puer autem erat minister in conspectu Domini, ante faciem Eli.* Et cur mater optatissimum filium à se abesse passa est? Cur non magis, vt cæteræ matres illum redemit, & secum reduxit, vt præ oculis haberet diu noctúque filium vehementer amatum? Accipite D. Hieronymum epist. ad Lætam, de filiæ institutione fantem: *Hieron.* *Anna filium, quem Deo vouerat, postquam obtulit in tabernaculo, nunquam recepit, indecens arbitrata, vt futurus Propheta in eius domo cresceret, qua adhuc alios filios habere cupiebat.* Quid sapientius? Cauit prudentissima mater, ne filius Deo sacratus maneret in domo, in qua, licèt honestissima, exercebatur tamen opus voluptatis. Sic à se gratiæ filij debent voluptates resecare, ne velint etiam cum honestissimis commorari, sed longo spatij interuallo ab illis distare ament. Nec miror, quòd gratiæ filij debeant statim ab hac voluptatum abnegatione, siue alienatione fulgere, quando inde noscuntur vel mundialis *Luc. 15.* principatus ciues, vel domestici Dei. Quippe Luc. 15. de prodigo illo, qui substantiam suam dissiparat viuendo luxuriosè dicitur, quòd post consumpta omnia, *adhæsit vni ciuium regionis illius.* Et cui ciui adhæsit? August. in cat. D. Thom. ait: *Vnus ciuium regionis illius aliquis aereus princeps est, ad militiam diaboli pertinens.* Et item Ericus ibi: *Vnus ciuium, cui prodigus adhæsit, diabolus est, quem Dominus principem huius mundi appellat, quia meritò peruersitatis suæ terrenis concupiscentiis præpositus est.* Ecce tibi & ciues malorum, & domestici Dei à luxuriæ, siue castitatis stemmate distinguuntur, vt qui voluptatibus feruntur, ciuibus adhæreant, qui sub diabolico principatu degunt. Qui autem domestici sunt Dei, omni abnegatione carnalium voluptatum internosci debent. Et fallar, si quod exterius stemma clariùs distinguat Dei domesticos à principatus diabolici ciuibus. Enimverò in apologo illo ex 9. Iudic. *Iudic. 9.* regnum dicitur ad rhamnum perductum: ait enim: *Dixerúntque omnia ligna ad rhamnum, veni & impera super nos.* Est autem rhamnus D. Methodio arbor virgineus, arbor spirans castitatem, & ideò sumitur pro euangelica lege, à qua venit in mundum virgineus decor, & splendor puritatis. Sed cur Christi imperium defertur magis castitatis arbori? Planè inde euidentissimè ostenditur à regno Christi distinctum regnum diaboli. Ait enim D. Methodius lib. de Castitate apud *D.Meth.* Biblioth. Photij. *Rhamnum comparat data legi ad salutem mundi Apostolis, quia per illorum doctrinam, castitatem didicimus, cui soli similem nullam potuit speciem diabolus inuenire.* Posuit equidem Dominus sui regni initium castitatem, integram abnegationem voluptatum, cuj nihil simile diabolus potuit in regno suo monstrare. Hincque clarissimè ostenduntur ciues malorum, & domestici Dei, si effulgeant vel luxuria, vel castitate.

Gen. 21. Dixítque Sara: Risum fecit mihi Deus: quicumque audierit, corridebit mihi. Rursúmque ait: Quis auditurus crederet Abraham, quòd Sara lactaret filium, quem peperit ei iam seni?

§. V.

Ea Deo sunt gratiora opera, quæ cæteris paribus, tam facienti, quam aliis sunt vtilia.

VIde quali exultet gaudio bona fœmina, nimirum gaudio, quod & illam, & plures alios repleat; est enim Sanctis, & Dei amicis commune, illa putare Deo gratiora opera, quæ non solùm facienti, sed & aliis vtilitatis & gaudij participationem referant. Vnde prædicta Saræ verba sic D. Chrysost. *Chrysost.* expendit: *Quid est, risum fecit mihi Deus, & quicumque audierit, corridebit mihi? Lætitiæ occasio mihi partus est. Et quid mirum, si mihi gaudium? Omnes enim qui audient, habebo gratulantes. Omnes auditores participes gaudij mei faciam.* Hæc sunt sanctissimorum virorum opera; hi sunt fœlicium animarum partus Deo acceptiùs relati, qui vtilitatis, & bonitatis suæ plures alios participes faciunt. His operibus nitebatur maximè in re salutis David Psal. 118. fatus: *Feci iudicium, & iustitiam, non tradas me nocentibus me.* *Ps. 118.* Multas alias virtutes fecerat Dauid, quas minimè memorat, vt liberationem suam ex Deo negotietur: solùm autem proponit, quòd iustitiam, & iudicium fecerit. Cur non etiam dicit, quòd frugalis sit, quòd abstemius, quòd continens, quòd pecuniarum contemptor? Cur iustitiæ, & iudicij opus in re salutis aliis virtutibus præponit? In aliis virtutibus vtilitatem propriam solam videbat, in iudicij, & iustitiæ operibus & propria, & aliorum vtilitas erat, ideò hæc præ aliis eliguntur, vt acceptiora Deo. Ait D. Hilar. ibi: *D.Hilar.* *Dignum est contueri, qualia sint, quæ Propheta faciens, ne nocentibus se tradatur, orat, & omnia quæcumque quis timens Deum fecerit, vtilia ei atque pulchra sunt. Pudicitiam quis colens, gloriosum, ac timens sordem corporis sui carnis lumen innexit. Contemptum verò pecuniæ assumens, liberum se à terrenis dominationibus præseruauit. Frugalitatem autem, & parsimoniam diligens nobilitatem animæ cælestis captiuam ebrietate non dereliquit. Sed hæc quamuis magna, atque præclara sint, tamen quia Prophetæ propria, eique tantummodo vtilia sunt, non referuntur ad meritum. Sed quid fecit, vt non tradi se nocentibus deprecetur? Iudicium, & iustitiam scilicet. Hoc itaque Propheta fecit, in quibus cùm opus suum sit, tamen & eorum quibus & iudicium, & iustitiam fecit, vtilitas est.* Ecce tibi quæ proponit Propheta, vt efficaciora ad mouendum Deum, non equidem ea, quibus ipse solus efflorescit, & ab illis vtilitatem solus percipit; sed ea, quæ & illi, & aliis vtilitatem valent inferre. Hoc Paulus etiam respiciebat in suis laboribus, & in propriarum virtutum vsibus. Ait enim 1. ad Timoth. 6. *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur,* *1.Tim. 6.*

his contenti simus. Austeriùs dixisset, habentes vel vilem pisciculum pro alimento, vel rudem & asperum saccum pro vestitu, sed maluit indefinitè alimentum ponere, & vestitum, vt qui non tam respiciebat alia, quàm vtilitatem communem, vt proximi inde iuuarentur in obtinenda salute. Ex quo D. Chrysost. in 1. ad Cor. 14. hom. 35. extollit virtutes Apostolicas in habitu, & cibo communi supra omnes Philosophorum austeritates, quia hæ nulli proficiebant proximo, illæ assumebantur pro hominum comparanda, aut negotianda salute: *Reputemus etiam labores Apostolorum moderatos, & minimè ambitiosos; habentes enim cibum, inquit, & quibus tegamur, his contenti erimus. Non quemadmodum Sinopensis ille pannis amictus, dolium inhabitans, cum nihil opus esset, in sui admirationem plurimos quidem pertraxit, iuuit neminem. At verò Paulus nihil horum fecit, vestibus vsus, quemadmodum locus vbique postulabat decenter, domos, humanam habitationem nunquam vitâuit, virtutes cæteras studiosè in vita expressit, &c.* Expende & cõpone Paulum cum Philosopho illo in vitæ austeritate, ille pannis vestitus erat, hoc est, rudi, & vili vestitu vbique locorum vtebatur: Paulus nihil horum fecit, sed vestibus vtebatur, quemadmodum locus postulabat decenter. Ille in dolio habitabat, Paulus habitationes humanas tenebat. Ille ex amictu, ex habitaculo, admirationem videntibus incutiebat, nihil tale Paulus. Vnde ergo etiam in his minor erit Paulo Philosophus? Ait Chrysost. datus, nimirum, *iuuit neminem.* Inter illas vitæ austeritates sibi vni attendebat, nullum proximum in salute adiuuabat: Paulus autem quidquid faciebat circa victum, circa vestitum, totum dirigebat ad proximos iuuandos, ex quo maximè apostolicæ virtutes exaltantur. Hinc 1. ad Corinth. 14. *Quid ergo est fratres? Cùm conuenitis, vnusquisque vestrum, psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet; omnia ad ædificationem fiant.* Ecce vnde diuinorum donorum extollat præstantiam, nimirum si *omnia ad ædificationem fiant,* hoc est, in eo labore fini, vt Ecclesia ædificetur per negotium animarum: Chrysost. ibi hom. 36. *Christianæ vitæ fundamentum, & regulam vides? Vt enim ædificare architecti opus est, sic Christiani proximum per omnia iuuare. Equidem psallere sic quondam donum diuinum fuit, quemadmodum docere; verùm omnia ad hoc vnum, inquit, spectent, quòd proximus emendetur, simpliciter nihil fiat. Si enim ædificandi fratrem gratia non venis, quid venisse necessum sit? Non est longo donorum discrimine opus, vna res est, quam volo, quam quæro, vt proximus ædificetur; in hoc qui minor donis est, maiorem antecellet, hoc habet ad modò, hæc dona simul omnia spectant, qui Ecclesiæ negotium vnusquisque pro suo modulo iuuet.* Multa ibi Chrysost. & pulchra, & certa ad sopiendas contentiones illas, in quibus etiam sunt religiosi viri extollentes singuli sua viuendi statuta, siue à psalmodiis frequentioribus, siue à doctrina, siue ab aliis donis diuinis. Et quidem facilè hæ sopientur, si donorum præstantia, vt ex Paulo docet Chrysost. consideranda veniat, ex negotio, & lucro animarum, ex proximorum vtilitate & fructu. Qui enim multus est in vtilitate proximorum, etiamsi in donis videatur minimus, habet quod gratius offerat oculis diuinis, nimirum, suam, & multorum salutem.

Chrysost. | 1. Cor. 14. | Chrysost.

§. VI.

Quæ à Deo veniunt bona, non solent stagnari in vno, sed superefflunnt ad plures.

Miratur Sara, non tam quod filium pareret, quàm lactaret ipsa filium, quippe ait: *Quis auditurum crederet Abraham, quòd Sara lactaret filium?* Et cur sic miratur, quòd quæ peperit filium, illum lactet? Mirabile quidem fuerat, quòd senex conciperet, & filium pareret, at post conceptum, & partum, quid mirum, quòd lactet filium? Miri causam ostendit lectio adducta à Lippomano in cat. aiens, *quòd Sara lactaret filios.* Tanta namque lactis copia anus mater exundauit, vt teste Caietano, nõ solùm proprio filio, sed & lac præbebat multis vicinorum filiis. Quid mirabilius? Quid diuinius? Sanè huiusmodi sunt dona diuina, quæ nequeunt stagnari in vno, sed ad multos alios prosiliunt. Accipite Deum loquentem ad Eliam 3. Reg. 19. *Vade & reuertere in viam tuam per desertum in Damascum, cùmque perueneris illuc, vnges Hazael Regem super Syriam, & Iehu filium Namsi vnges Regem super Israel. Elisæum autem filium Saphat, qui est de Abelmeula vnges Prophetam pro te.* Sic Deus iubebat, vt Elias vngeret Elisæum, vngeret Iehu, vngeret Hazaelem. Elias autem quid fecit? *Profectus ergo inde Elias, reperit Elisæum filiũ Saphat arantem in duodecim iugis boum, & ipse in duodecim iugis boum arantibus vnus erat: cùmque venisset Elias ad eum, misit pallium suum super illum. Qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam, &c.* Iussus erat Eliæ, vt vngeret tres viros, Elias autem solùm dicitur vnxisse Elisæum; cur vno contentus etiam alios non vnxit? Nouit naturam doni diuini Elias, quòd si vel vni communicetur, non patietur stagnari ibi, sed inde ipsum ad alios effluet, & prosiliet. Ait enim ibi pulchrè Theodoret. quæst. 58. *Si Prophetam vnxit, & eos spirituali gratia impertiit, ea etiam vnxit alios. Etenim Elisæus spirituali per eum accepta gratia, obtulit illis charisma & spirituali gratia eos impertiit.* Ne mouearis, cùm videas tres vngendos à Deo proponi; & vnum solùm Elisæum vngi ab Elia; quando enim vnctionis gratia à Deo veniebat, non in vno stagnabitur, sed eo ipso, quòd vnus vngatur, is aliis gratiam cõmunicabit. Nescit enim diuinũ donum non prosilire ad alios. Hinc Ioan. 6. *Abiit Iesus trans mare Galilææ, quod est Tyberiadis, & sequebatur eum multitudo magna.* Et cur tantæ multitudinis sequelam secum Iesus adduxit, nisi vt de beneficiorum eius copia, non vnus solus, sed omnes viuerent? Ait D. Basil. Sel. or. 33. *Sequebatur, inquit, turba multa, Pastorem ouis, ægri morborum depulsorem, serui animarum liberatorem. Vnicam videbant viam errore vacantem, & ad eam omnes affluebant; patuerunt fontes diuinæ benignitatis, & omnes fruebantur.* Siccine est diuinæ fons benignitatis, vt nequeat in vno stagnari, sed ad multos alios fœlici decursu saliat.

3. Reg. 19. | Theodor. | Ioan. 6. | Basil. Sel.

Gen. 21. Creuit igitur puer, & ablactatus est, fecitque Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius.

§. VII.

Tunc supra te magis cresces, quando in oculis tuis fueris magis paruulus.

Non otiosè dicta sunt illa, *creuit igitur puer*, sed vt ratio crescendi simul inde ostendatur venire, quòd quis puer sit. Et quidem & in natura, & in spiritu ille speret crescere, & supra sese eleuari, qui puer est in oculis suis, qui per suæ paruitatis agnitionem, & humilis, & paruulus efficitur, Matt. cap. 11. ait Dominus: *Confiteor tibi Pater, Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Expende, qui extollantur à Deo ad diuina secreta participanda, qui admittantur ad vsque diuinitatis abstrusissimum penetrale, vt diuinis colloquiis fruantur, non equidem multi nobiles, non mundi magnates, sed paruuli, vt qui soli habent crescere vsque ad colloquium secretissimum, & singularissimum deitatis. Hic D. Basil. Sel. orat. 18. fatur: *Ideo primates Sanctorum dignitatem aliquam supra naturam consecuti, tunc vel maximè humilitatem respicerunt. Congressa est igitur aliquando cum Deo creatura, colloquebatur, & oratio vicissim ab vtrisque fine honoris discrimine ferebatur, ac cernere erat rem insolitatam; linguam è luto ansam cælestia loqui, & Deum impigrè respondentem homini terreno. Hæc enim parta ab humilitate lucra homines in altum euehunt, & Deo persuadet, verba cum hominibus faciat.* Non, mihi crede, potest homo crescere vsque ad diuina secreta participanda, nisi humilis sit, & paruulus in oculis suis: vbi humilitas, ibi progressus potest esse, ibi & potest esse exaltatio. Vnde Hierem. Thren. 3. ait: *Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius, & tacebit, quia leuabit se supra se. Ponet in puluere os suum.* Expende, quam iungat eleuationem humilitati, vbi dicitur bonus se supra se eleuasse, statim quasi rationem tantæ eleuationis subiungit, *Ponet in puluere os suum*, quasi minimè se possit nisi de puluere eleuare. Quod meditatus Abraham, Gen. 18. aiebat: *Loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis, & cinis.* Vbi D. Basil. Sel. orat. 28. ait. *Quando Abraham suo illud sermoni prætexuit, sum puluis, & cinis, tunc naturæ agnitione naturæ terminos est meritò supergressus.* Tunc itaque creuit Abraham, tunc se supra se eleuauit, tunc ipsos naturæ terminos exaltatione sua supergreditur, cùm paruitatis, & vilitatis suæ puluere se conspergit. Nemo equidem crescit, nisi de humilitatis pusillo. Ideò Luc. 12. ait Dominus: *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Qui crescebant ad regnum, præmittuntur pusilli, quasi solis pusillis proprium, & quasi connaturale sit augmentum. Vt dicat Chrysol. ser. 22. *Pusillus grex est, qui non de magno minuitur, sed crescit de pusillo.* Habent hoc pusilli Christi, quòd crescant, quòd supergrediantur ipsos terminos naturæ. Hinc Dauid 2. Reg. cap. 7. nil magis curat quàm suam paruitatem in medium adducere. Quippe ait: *Quis ego*

Matt. 11. | Basil. Sel. | Thren. 3. | Gen. 18. | Basil. Sel. | Luc. 12. | 2. Reg.

ego sum Domino Deus, & quæ domus mea? Addit D.Chryſ. *Ego enim minimus ſum in tribu mea.* Quæ verba vt in præſenti deſiderantur, ſic potuiſſent adduci ex ore Gedeonis Iud. cap. 6. Vbi ait: *Ecce familia mea infima eſt in Manaſſe, & ego minimus in domo patris mei.* Vterque Iſraelitarum dux ſuam puſillitatem, & vilitatem proponit. Quid tunc? Obfuit illi puſillitas prædicata, & cognita? Abſit; imò meritò vterque proponebatur puſillus, & minimus, vt oſtenderetur, quam deberet creſcere, & exaltari in ſumma. Ait enim D.Chryſ. hom. ſuper ea verba 1. tom. *Ego minimus ſum in tribu mea. Quàm ſuaue eſt, vt diceret ſe minimum in tribu ſua, non erubuit, quod erat, vt eſſet, quod non erat.* Ad progreſſum faciendum, paruitatem meritò propoſuit, quando hoc proprium habent paruuli, quòd poſſint creſcere. Fallar enim ſi quis poſſit in aliquod bonum, aut pulchrum creſcere, niſi de humilitatis puſillo, & abſcondito. Vnde Iſaias cap. 9. *Et flos de radice eius aſcendet* Vbi D.Amb. lib. 2. de Spiritu Sancto cap. 5. ait: *Opus ſpiritus flos radicis eſt.* Nihil floridum, nihil magnum diuinus ſpiritus operatur niſi de radice abſcondita, & puſilla humilitatis. Quod medicans ipſe Amb. epiſt. 44. ait: *Dauid pretioſus Deo, deſpectus patri, triumpho nobilis, inuidia vilis, aſcitus ad regnum, electus ad affinitatem, poſtremo faciem, & ora mutatus, exul vagus, fugitans parricidij, nunc ſua offendicula deplorabat, & rurſus aliena remouebat. Expertus igitur omnia pulchrè dixit: Bonum mihi, quia humiliaſti me.* Quaſi poſt omnium experientiam, illud notit certiſſimè, quod bonorum augmenta vni humilitati poſſent deberi.

Iudic. 6. — *Chryſoſt.* — *Iſai. 9.* — *Ambr.*

§. VIII.

Nulla eſt ætas adeò infantilis, quæ non debeat in ſpiritualibus exerceri.

AB vberibus auulſus Iſaac excipitur grandi, & magnifico conuiuio paterno: ait enim textus: *Fecitque Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius.* Et quid habet conuiuium grande cum ablactato puero? D.Aug. D.Amb. & Rupert. allati à Pereira, ibi nihil non ſpirituale meditantur, & meritò; debet enim vel infantilis ætas diligenter inſtitui ſpiritualibus Sacramentis. Doceantur etiam pueri percipere guſtum doctrinæ cœleſtis, ne citiùs degenerent à virtutibus paternis, ſed creſcant in viros perfectos. Sic Deus cauebat Gen. 17. *Circumcidetur ex vobis omne maſculinum: & circumcidetis carnem præputij veſtri, vt ſit in ſignum fœderis inter me, & vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis.* Non permittitur infans octo dierum eſſe, quin ſtatim vocetur ad cruentum circumciſionis Sacramentum. Cur non magis expectatur vt adoleſcat? Cur adeò infantilis ætas non ſinitur eſſe ſine ſignaculo diuini myſterij? Pulchrè D.Ambroſ. lib. 2. de Abraham, cap. 11. *Egregia autem infantia in primis vagitibus circumcidi mares lex iubet: qui ſicut ab infantia morbus, ita & circunciſio. Nullum tempus vacuum debet eſſe tutela, quia nullum eſt culpa vacuum. Et infans reuocandus eſt à peccato, ne idololatria polluatur contagio, & ne adorare aſſueſcat idolum, & exoſculari ſimulacrum, pietatem lædere.* Expende illa pulcherrima verba, ſcilicet: *Nullum tempus vacuum debet eſſe tutela, quia nullum eſt culpa vacuum*, quæ ætas nullis eſt obnoxia exceſſibus, nullis poteſt adſtringi piaculis, illa ſola diuinis pharmacis vacet. At quando nemo mundus à ſorde eſt, nec infans vnius diei, rectè oſtenditur, quàm debeant vel infantes diuino foueri medicamine, vt aduerſus hoſtiles incurſus poſſint ſtare. Et quidem vt vulneribus patet, ſic puerilis ætas triumphis quoque acquirendis maximè eſt apta. Arcebatur puer Dauid à conflictu cum Philiſthæo, quia puer erat: ait namque Rex 1. Reg. 17. *Non vales reſiſtere Philiſthæo iſti, nec pugnare aduerſus eum, quia puer es.* Et cur puer non reſiſtat malo? Et quidem puer erat, & tamen puero data ſunt arma, & puero adſcripta eſt victoria. Vt dicat D.Chryſ. hom. 5. de Dauid. 1. tom. *Quibus ego te laudibus, quibus glorijs praferam ſancte, ac religioſe puer? Qui innocentia pares, virtute fortes, ſenes merito præueniſti, qui potuiſti immanem belluam vincere, inimicum populi detruncare. Tu hac pugna monſtraſti, nec pueros eſſe poſſe imbelles: quoniam in omnibus ætatibus ſi victor pugnauerit Deus, victus iacebit, & deficiens inimicus.* Nulla ætas relinquenda eſt inermis, nullus, vel infans imbellis relinquendus eſt, quando & is inimicos habet, hoſtes habet, quos, Deo iuuante, vincere poſſet, & quando Deus ſenes, & validos ſolcat præterire, vt puerulis ſeſe communicet. Accipe ex 1. Reg. 3. *Puer Samuel miniſtrabat Domino coram Heli, & ſermo Domini erat pretioſus in diebus illis, non erat viſio manifeſta. Factum eſt ergo in die quadam, Heli iacebat in loco ſuo, & oculi eius caligauerant: & Samuel autem dormiebat in templo Domini, vbi erat arca Dei. Et vocauit Dominus Samuel.* Ecce tibi & ſenex Sacerdos Heli erat, & puer Samuel miniſtrat, & relicto ſene ad puerulum fit ſermo diuinus. Quid puer cum diuino ſermone? Qui paruuli ſunt, loquuntur vt paruuli, puerilia tractant, & puer vocabitur, vt tractet diuina? Sapienter Theodor. in 1. Reg. quæſt. 2. *Ad arguendam Pontificem, qui ſenuerat, adoleſcentulus dignus eſt habitus, cui Deus appareret. Erat enim adeò iuuenis, vt Dei doctrinam nondum poſſet ſuſcipere. Sed tamen eam ætatem antiquæ prætulit Deus, & eum qui octoginta & ſex annos, & quadraginta annos duplici magiſtratus honore dignus fuerat habitus, deſpiciens, locutus eſt cum paruo puero.* Inſtituendi ergo pueri ſunt in diuinis, vt qui ſenibus præferri poſſint, & cum Deo etiam per ardua currere. Nonne arduum erat deſerti iter, in quo Ieſus multiplicato pane aluit turbas? Sed & multi pueruli excepti fuere miraculoſo illo conuiuio. Ait enim Math. 14. *Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus, & paruulis.* Vnde argutè ſatis D.Ambr. lib. 3. de Virginib. *Quaſi incredibile putamas, ſi puellæ nubiles Chriſtum ſequantur ad regnum, quem etiam pueri ſequebantur in deſertum? Sicut legimus, quia ſaturata ſunt de quinque panibus, quatuor millia hominum, exceptis, inquit, pueris. nolite ergo à Chriſto arcere infantes, quia & ipſi pro Chriſti nomine ſubiere martyrium. Vocat eos Dominus, & tu prohibes? De ipſis enim Dominus ait: Sinite eos venire ad me. Nolite adoleſcentulas arcere, de quibus ſcriptum eſt: adoleſcentulæ dilexerunt te nimis. Nolite etiam poſtremò à charitate Chriſti paruulos ſeparare, quem etiam intra matris vterum adhuc poſiti exultatione Prophetica fatebantur.* Quid pulchrius? Nullus puer arcendus ab inſtitutione diuina, quando vel infans adhuc in vtero exiſtens diſcit Ieſum ſalutare, eiuſque frui ſuauitate. Quando & pueri præ ſenibus æſtimantur, & ad deſerta vocantur.

Gen. 17. — *Ambr.* — *1. Reg. 17.* — *Chryſoſt.* — *1. Reg. 3.* — *Theod.* — *Matt. 14.*

§. IX.

Gaudia non prorſus effusè ſumenda.

GRande conuiuium facit Abraham in die ablactationis filij. Cur conuiuium in ablactatione? Nonne vbi ablactantur pueri, illis felle, & abſinthio plena offeruntur vbera materna? Cur ergo vſque ad ablactationis fel, & amaritudines Abrahamus lætiſſima conuiuia reſeruat? Meritò conuiuiorum gaudia inter ablactationis amaritudines celebrantur, vt videamus quàm intra carceres mundi gaudia celebrari debeant, ne nimis effuſa Deum offendant. Sic ipſe Abrahamus Gen. 17. vbi Dei promiſſionem excepit de naſcituro filio, *Cecidit Abraham in faciem ſuam, & riſit.* Et cadit, & ridet, nec antea auſus eſt ridere, quàm in faciem ceciderit? Et cur caſum præmittit riſui, niſi ne liberè riſus vagetur, ſed ſtrictis contineatur carceribus? Ait D.Amb. lib. 2. de Abraham cap. 11. *Quid eſt autem, quod ait, Et procidit in faciem Abraham, & riſit? Et hic reuerentia ſignificatur, quòd timuit Deum velut libero riſu lædere, quamuis riſus lætitiam declararet viri iuſti, qui tantis gratulabatur promiſſis.* Lætandum, & gaudendum erat viro iuſto in tam concupito dono à Deo obtento, & dum ridens cadit in faciem, oſtendit, quantis debeant contineri carceribus humana gaudia, ne liberè euagentur, & Dei incurrant offenſam. Hinc Hier. cap. 31. clamat: *Statue tibi ſpeculam, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulaſti: reuertere virgo Iſraël, reuertere ad ciuitates tuas iſtas. Vſquequò delicijs diſſolueris filia vaga?* Expende, quid reprehendat, & quid conſulat; reprehendit equidem ſolutiſſimam deliciandi rationem, dum ait, *Vſquequò delicijs diſſolueris?* Non quòd delicietur, carpit, ſed quòd ſolutè, & liberè, abſque fræno vllo delicietur. Vnde conſulit, quid faciat, ad ipſas delicias, ad ipſa gaudia condienda, nimirum, *pone tibi amaritudines*, vtique claudantur gaudia noſtra intra amaros, & ſtrictos diſciplinæ carceres, & Deum intra gaudia & delicias habebimus. Quò reſpiciens Paul. 2. ad Corint. 4. monet: *Semper mortificationem Ieſu in corpore circumferentes.* Quaſi dicat, nos vndique vallet, & cingat myrrheus Chriſtiani laboris guſtus, ne liberè, & ſolutè in carnalia gaudia exiliamus. Quidquid carnale eſt ad gaudium, & lætitiam ſpectans habeat vallum, habeat carceres Chriſtianæ amaritudinis, ne liberè, & diſſolutè ſumatur. Non longè abeſt Petr. Dam. opuſc. 15. cap. 2. dicens: *Mortificationem Ieſu in corpore noſtro circumferentes. Quia humana mens penitus vacare valet, vt cuiuſlibet rei ſe amore non occupet, virtutum muro vndique circuncluditur.* Circuncludi ſemper debet mens humana, & crebris mortificationis myrrheæ vallis cingi, ne liceat liberè, & diſſolutè ferri in gaudia mundi amabilia.

Gen. 17. — *Ambr.* — *Hier. 31.* — *2. Cor. 4.* — *Petr. Dam.*

Genes. 21. Cúmque vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham, Eiice ancillam hanc, & filium eius, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Isaac. Durè accepit hoc Abraham pro filio suo. Cui dixit Deus, Non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua, omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius, quia in Isaac vocabitur tibi semen.

§. X.

Nobilitatis splendor, & pretium non ab origine naturæ, sed ab institutione, & educatione.

COnueniant buc qui totum nobilitatis splendorem, & pretium natalibus tribuunt: ecce vobis Isaac filius ingenuæ matris, & Ismael filius ancillæ, nihilominus eisdem ambo intenti sunt ludis, vidit enim Sara filium ancillæ *ludentem cum Isaac filio suo.* Si pueriles ludos, si pueriles affectus spectes, in nullo discernebatur filius liberæ, à filio ancillæ. Vnde ergo habuit Isaac splendidior, & nobilior esse fratre suo Ismaele? Non quidem ex origine naturæ, quando ortus à Sara nihilominùs eisdem vacabat ludis cum filio ancillæ; in nullo affectu ab illo distinctus. Habuit autem Isaac nobilitatis splendorem, qua distingueretur à seruo, & agresti homine ex matris institutione, & cura, quæ filium non passa est misceri seruilibus ludis, vt qui educari debebat politioribus, & cultioribus disciplinis. Hinc, mihi credite, splendor totus nobilitatis nascitur, nimirum ex ea puerorum institutione, quæ nihil patiatur in suis cum seruis, & vilibus commune. Spue homines, qui solis à naturalibus commẽdari, nulla institutione à seruis, & vilibus hominibus discreti cernuntur, sic incompti, impoliti, per tabernas volitant, vt cum ganeonibus bibant, & cum seruis seruilia munia subeant. Institutio est, & disciplina, quæ te nobilem ostendit, & sub splendidissimæ nobilitatis stemmatibus, te à rusticis, & vilibus distinguit. Pulchrè ad hæc aiebat D. Ennodius orat. 5. *Ennod.* *Nullo sese nobilitatis vtitur, cuius sanguinem non prodit instructio. Quia bonorum semper meritorum labes est, & habere lucem sanguinis, & nocte rusticitatis includi, prodi stemmatum vocibus, & imperitia fuscante delitescere. Aurum nihil est, nisi manu temperatur artificis, & fului pretium metallo lima fabricante iungatur. Cessante industria exigua est claritas, quæ venerit à natura.* Quid pulchrius? Sanè tidenda est nobilitas illius, cui nulla magistri, vel parentum industria fuit, quæ in illo pretiosum distingueret à vili: cui nulla politioris institutionis lima affuit, quę prursus raderet, quod in illo & seruis, & rusticis, & vilibus appareret commune. Ab aurea matrice, non sic fulget aurum, vt à manu artificis; nec nobilitas splendorem & pretium habet à natalibus, nisi accedat politioris cultus disciplina, quæ explodat à nobili quidquid est seruile. Hinc sapienter Nazianzenus in *Nazian.* Iambico 19. nobilitatis pretium educationi attribuit, locutus enim cum mundana vita ait: *Sum clara stirpe. Quod genus tandem tibi? Quisnam vt sit? Non lutum par omnibus? Vincis sepulchris, atque rescriptis notis. Quæ scripta, sed non educata es, nobilis.* Expende illud, *Quæ scripta, sed non educata es, nobilis,* quippe cui educatio defecit, minimè in nobilitate proficit, licèt abũdet sepulchris, & veteribus marmorum rescriptionibus. Non equidem fumosæ proauorum imagines, nec antiquatæ dinitiæ, vt ab incunabulis ingenua, & diligens educatio te ostentat nobilem. A quo non abhorruit diuinus Spiritus, Prouerb. *Prou. 16.* 16. inquiens: *Posside sapientiam, quia auro melior est: & acquire prudentiam, quia pretiosior est argento.* Quæ verba sic transfert Septuaginta lectio in rem nostram. *Nidi sapientiæ magis eligendi auro, & nidi prudentiæ magis eligendi sunt super argentum.* Et quidem ad nobilitatem, & præstantiam hominis ostentandam, præ auro, & argento, præ diuitiis antiquatis, præ stemmatibus, & putridis rescriptis, eligendi sunt nidi, quibus sapienter, & ingenue tenelli pulli instituantur. Ille nobiles gignit filios, qui cætera paruipendens, hoc satagit, vt puerulis adhuc nidi sint, scholæ sint, gymnasia adsint, in quibus politiori disciplina educentur, instituantur. Quod in Patritio Venantio maximè extollit Cassiod. 9. var. 23. aiens: *Cassiod.* *Hinc est, quod Patritium Venantium sub admiratione pensemus, & fœcunda prole gaudentem, & tot consularibus parem. Educauit enim liberos nulla discretione laudandos, pondere moderationis æquales, ingenij viuacitate consimiles, & morum societate verè germanos. Quorum infantiam bonis actibus innutritam, iuuentutem quoque armis exercuit, formans animum literis, membra gymnasiis: tradens amicis exhibere constantiam, dominis fidem, & quidquid in illo viro gratia diuina concessit, integra perfectione transmissum cernis in posteros. Iactent se alij possessione locupletes, summúmque putent bonas solas esse diuitias. In hac autem domo non tantùm patrimonia, & virtutibus additur hæreditas.* Quid in nobili familia, hac educatione splendidius?

§. XI.

Natalium claritas, vt spectari debet in hominibus eligendis ad præstantia munera.

ECce tibi primum natalitiæ munditiei statutum in scripturis diuinis à prudentissima Sara prolatum auditur, quippe ait: *Non erit hæres filius ancillæ;* & quod mirere magis, vir sapientissimus Abraham iubetur subiici legi fœmineæ de spectanda natalium munditie in eligendo hærede tantæ familiæ. Ait enim: *Non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua, omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius, quia in Isaac vocabitur tibi semen.* Et quidem aspertimum videtur solidæ virorum maximorum sapientię, quod filius alioquin multis parentibus clarus, & ingenuus, multisque naturæ, & artis dotibus conspicuus, eo quod in alicuius auię infecta origine claudicet, excludatur ab honoribus præstantissimæ cuiusuis familiæ. Sed adest Deus Opt. Max. qui in hoc sapientiam virorum maximorum subiicit legi fœmineæ, hoc est, vel infirmioris rationis præscriptis, halitus enim diuinus est, qui ad præstantissimarum familiarum honores, illos solos præsignat, quibus natalium claritas, & mundities vndecumque assulget. Post orbis conditionem, vbi ad humanam, & regiam familiam excitandam accedit Dominus, Gen. 1. ait: *Gen. 1.* *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit, &c.* Non sic in aliis sese præmonstrat authorem, & productorem, vt hic, quando hominem producit, dum enim ante productionem ait, *faciamus,* euidentius designat, & quasi digito monstrat, se per se immediate hominem gignere. Cur ergo voluit, quod hominis author, & genitor, sic præ aliis esset clarus, & conspicuus? Causam designat, illud quod sequitur, nimirum, *& præsit.* Vbi enim hominem ad principatus honores creabat, illud curauit, vt paterent hominis genitores, & essent omnibus ob claritatem conspicui. Ait D. Basil. *D. Basil.* Seleu. orat. 5. *Oportebat hominem procreari, qui regali throno conueniret. Quapropter vel nondum formatus homo à conditoris considerantia, & Dei consilio commendationem, & pretium accepit. Faciamus hominem ad imaginem nostram. Antiquiorem conditione sua honorem suscepit.* Equidem scit Deus quantum conducat honor ad seruandas, & extollendas omnes alias animi dotes, & iden honorem pro fundamento præponit homini, vt vel in ipsis generationis cunabulis, induatur honor, si non à rebus gestis nascentis ortus, saltem à munditie, & claritate progenitorum. Vt enim fundamentum solidum necessario præmittendum est cuilibet fabricæ gloriosiori; sic progenitorũ claritas, & honor, præmittendus iis, qui familiarum celsissimarum assumuntur in honores. Huc traho mandatum illud diuinum datũ Eliæ, 3. Reg. 19. *3. Reg. 19.* *Vnges Azael regem super Syriam, & Iehu filium Namsi regem super Israel, Elisæum autem filium Saphat, qui est de Abelmeula vnges Prophetã.* Expende, quod tres homines vngi mandantur, quorum duo simul proponuntur cum nominibus parentũ suorum, imo & horum alter etiam cum nomine patriæ suæ. Dicitur enim Iehu filius Namsi: dicitur Elisæus filius Saphat, qui est de Abelmeula. Solus Azael sine patris, patriæque nomine proponitur. Et cur Azaelis solius tacentur parentes, quando & Iehu, & Elisæi, & parentes, & patria accurate producitur in medium? Azael vngebatur in regem Syriæ prouinciæ gentilis, & perditissimæ; nec in aden vilis prouinciæ rege, curauit Dominus claritatem parentum. At in Iehu, & Elisæo, vt eligebantur in populi nobilissimi, & à Deo electi principes, & Doctores, sic nihil priùs ostenditur in illis, quàm patriæ claritas, & parentum. Sapienter equidem dicebat Cassiod. 2. var. 2. de eligendis ad clariora munera. *Cassiod.* *Curras quinimo honorum gratia per parentes.* Nequit equidem honor in illo diu consistere, ad quem nullus per parentes scitur deuenisse. Hinc Luc. 1. de Ioannis parente dicitur. *Fuit in diebus Herodis regis Iudæ, Sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia.* Non contentus Euangelista Sacerdotis nomen apponere, simul explicat eius ab atauis familiam, dum ait, *de vice Abia.* Et cur necessum fuit atauorum meminisse

Chrysol. memioisse? Ait Chrysol. ser. 86. *Quia vsque ad ipsum ab atanis, auis, patribus transfusum genus mansit Sacerdotij: tempus legis, sacrificij omnis seruata est disciplina.* Ecce tibi quo referat sanctus pater religiosæ disciplinæ custodiam in Sacerdote Zacharia, nimirum quia ad illum dignitas per parentes, & atauos cucurrit. Nec miremur, quod sic attendatur natalium claritas in illustribus familiis, dicit enim Spiritus diuinus, *Prou. 30.* Prouerb. 30. *Per tria mouetur terra: Per seruum cum regnauerit.* Vilis enim, & seruilis conditionis homuncio, in claro positus nihil priùs, quàm commotiones, & dissensiones nutrit. *D. Anast.* Et D. Anastas. Nissenus, quæst. 25. in hoc seruo meritò intelligit totam Hebræam nationem, inquit enim, *si seruus regnauerit, nempe Israël, qui fuit seruus in Ægypto, & repletus recalcitrauit.* Est equidem recalcitratio certissima notio animi seruilis, animi Iudaici, & Ismaelitici, qui omnes, vt seruilis conditionis sunt, sic debent caueri ab omni illustri familia, ne in claro positi omnia perturbent.

§. XII.

It quis est, quales sunt illi, quibus accedit.

Merito Sara vbi videt ancillæ filium ludentem cum filio suo, curauit, & ancillam, & filium domo eiicere, rata à seruis nihil non seruile emanaturum in ingenuum suum Isaacum, quando difficilè non respondet quis moribus illorum, quibus iungitur. Constantissimus ille Petrus, & primum post Christum Ecclesiæ fundamentum, dum sequitur Iesum vinctum peruenit in domo Caiphæ. *Mat. 26.* Quid ibi? Ait Matth. 26. *Petrus verò sedebat foris in atrio, & accessit ad eum vna ancilla, dicens; Et tu cum Iesu Galilæo eras. At ille negauit coram omnibus, dicens, nescio quid dicis.* Ecce tibi, qui præ Christi amore non æstimarat, vel in carcerem, vel in mortem ire, nunc timet vel eius discipulum dici. *Ioan. 21.* Valentior ostenditur Ioan. cap. 21. ibi enim dicitur: *Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus. Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei, etiam Domine tu scis, quia amo te.* Expende, quàm hîc Petrus ostenditor impertérritus amator, quàm illic ostenditur timidos negator Christi. Et cur qui sic modo amat, tam turpiter timet illic? Equidem is erat Petrus, quales erant illi, quibus iungebatur, dum dilectori suo Iesu iungitur, totus abit in flammas dilectioois: dum autem ancillæ accedit, seruili totus metu tenetur. Id quod ponderabat D. August. tract. 92. in Ioannem, inquiens. *D. Aug.* *Ante passionem seruilis timor Petri interrogatus est à fœmina seruitutis, post resurrectionem Domini liberalis eius amor ab ipso principe libertatis, & ideo ibi turbabatur, ibi quem dilexerat negauerat, hic, quem negauerat, diligebat.* Ecce tibi Petrus cum ancilla seruit timori, seruit peccato, Dominum suum negando: cum amatore Iesu amat, & totus abit in dilectioois flammas. Nescit non sequi mores eorum, cum quibus conuersatur. Et quando hoc in petra Ecclesiæ firmissima cernitur, in quo alio non cernetur? Sanè non absimilis fuit Ioas Rex Ierusalem, de quo *2. Par. 24.* 2. Paralip. 24. *Fecit quod bonum est Ioas coram Domino, cunctis diebus Ioiada sacerdotis. Postquam autem obiit Ioiada, ingressi sunt Principes Iuda, & adorauerunt regem: qui delinitus obsequiis eorum, acquieuit eis. Et dereliquerunt templum Domini Dei patrum suorum, seruieruntque lucis, & sculptilibus.* En humana facilitas! Mutamur quasi necessario ad conuictorum mutationem. Vnde ille solus habendus prudentissimus, qui nescit accedere nisi ad conspicuos virtute viros. Ex hoc maximè *Cassiod.* extollitur vir ille consularis apod Cassiodor. 2. var. 3. *Ab ipsis quippe primordiis, honoribus aggregatus pueritiam suam, quod est certissima probitatis indicium, gloriosissimis viris amulu semper grauitate sociauit, vt post domestica virtutis exempla sumeret de publicu authoritatis consuetudinem; quamquam omnium gratium indiscreta fuerit electione sectatus, quod de magnis raro eligi potest, tantùm se erudiuit Patricij Paulini affectu, vt hinc daret mirabilis conscientiæ signum, quod ad virum visus est festinare præcipuum. Præstat enim decus amicitia desiderata potiorum, quam societas bonorum morum callet infundere, dum affectione concordi parem sibi studet esse, quem deligit.* Hæc ille: quibus aliquid decerpsisse, piaculum fuisset, vt videatur, quam rapiantur homines conuictorum studiis, & quàm debeat censeri quis, ex moribus eorum, quos habet sibi iunctos.

* * *

§. XIII.

Antiquitatis præstantia rabidissimus affectus est aduersùs iuniores, si videantur aliqua præfulgere virtute.

Vidit Sara Ismaelis cum Isaaco ludos, & ex ludis visis nil citius eligit quam timere filio suo à filio ancillæ, & procurare mordicus eiectioonem illius. Inquit enim: *Eiice ancillam hanc, & filium eius.* Et quales erant ludi puerorum, qui reddiderunt Saram sic timentem filio suo, à filio ancillæ? Sanè vel in puerilibus ludis Ismael, & in religione circumcisionis antiquiorem suam sortem, & in ætate primatus prærogatiuam adeo ostentabat, vt quasi cum iuniori, & pupillo, & sibi subdito ageret cum fratre. Qui antiquioris prærogatiuæ affectus vt patuit Saræ, nihil priùs curauit, quam Isaacum ab illo defendere, vt quæ sciret rabiem intolerabilem illius affectus aduersus iuniores, si debeant præferri in aliquo. Hinc lucem capit locus D. Pauli ad Galatas cap. 4. vbi *Gal. 4.* loquens de hoc puerorum ludo, fatur: *Qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum.* Quem scriptura vocat ludum in præcenti Geneseos capite, vocat Paulus persecutionem, & qui ludus est persecutio? Planè ludus, in quo antiquitatis, maioritatisque in æuo, & religione prærogatiua semper ab Ismaële vsurpabatur, nõ simplex ludus esse poterat, sed rabidissimæ index persecutioois, quando affectus iste antiquitatis vel per ludum flammaotes iratum cuspides vomit. Aiebat D. Hieron ad Pauli locum: *Hieron.* *Apostolus quasi Hebræus ex Hebræis intellexit ludum illum, simplicem non fuisse, sed quia forsitan Ismael quasi maior natu, & eo tempore circumcisus, quo intelligebat, quod passus est, sibi primogenita vindicabat, scriptura iurgium puerorum, ludum vocauit. Vnde & Sara hæc verba non sustinens, & consuetudinem sibi primogenita vindicantis ancillæ filij non patiens, erupit in vocem: Eiice ancillam cum filio suo.* Expende illud, *consuetudinem sibi primogenita vendicantis non patiens*, quippe Ismael & per ludum, & serio semper ad ortus sui, & circumcisiootis suæ recurrebat antiquitatem, vt sibi assereret primatum; quam consuetudinem minimè pertulit prudentissima Sara, sed à tali affectu licet in puero, cœpit tamen, & sibi & filio repromissionis Isaaco timere mala. Et quæ non timeantur ab affectu antiquitatis, & maioritatis prærogatiuæ? De Ioanne dicitur Matth. 11. *Ioan. 11.* *Ioannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es?* Sciebat Ioaoes quis esset Iesus, de quo sæpe clarissimum testimonium reddiderat, & tamẽ dum est in vinculis citò ad superos euolaturus nil magis curat, quàm suos discipulos mittere ad Iesum, vt interrogent, an sit ipse Christus, vt vel illius conuersatione capti transeant in scholam Christi. Et cur Ioannes moriturus tam anxiè curat suos ad Christum transmittere? Pulchrè D. Basil. Sel. orat. 34. *Basil. Sel.* rationem iosinuat, inquiens: *Veretur Ioannes ne cum ipsum in cælis vitam agere discipuli acceperint, pertinaci quadam honoris studio, & veteris magistri desiderio, deserto Christo cognomentum aliquam Ioannis turbam, eámque Christiano gregi inimicam ducerent.* Expende, quid vereatur diuinus Præcursor in discipulis suis, nimirum, *veteris magistri desiderium, & studium*, vt quòd necessario cogeret eos arma sumere, vel aduersus Christum. Adeo enim in hominibus valet antiquitatis prærogatiua, vt vereatur Præcursor diuinus, ne discipuli sui hac gloria capti, tantùm deferant vetustiori, & antiquiori magistro, vt præ illius amore iniquè sentiant de Christo. Et quidem non mediocris virtutis est ille vir, qui non rapitus affectu antiquitatis, vt vel à Deo abeat. Præstantissimus ille Abraham accepit præceptum de immolando filio Gen. 22. & cum antiqui omnes patres ab Abel agnos, & vitulum immolassent, non filios; ipse tamen accingitur ad filium immolandum. Quid magnum fecit Abraham? Nonne & Israelitæ filios suos dæmoniis immolabant? Quid mirum quod Abrahamus Deo immolet filium? Sanè quando in aliis nõ se supra alios extolleret Abrahamus, extulit se vel in hoc supra omnes, quod pro Deo antiquitatem paruipendens, se neotericum sacrificatorem æstimauit. Hoc Diu. Ephrem orat. in Abrah. & Isaac. *Ephrem.* *Quem primum coronæ ornabo? Eumne, qui manum suam in charissimum extendit filium, ob magnam in Deum dilectionem, an illum, qui ad mortem vsque patri factus est obediens? Ille enim se ipsum supra naturam euexit, nihil priùs, antiquiusve diuino ducens præcepto.* In eo superior Abrahamus, quòd pro Deo contempsit antiquitatem.

Gen. 22. Quæ postquam gesta sunt, tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abraham: at ille respondit, Adsum. Ait illi:

Tolle filium tuum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super vnum montium, quem monstrauero tibi.

§. XIV.

Affectus humanus ferri nequit ad vnum peculiariter sine ingenti discrimine, & tentationis periculo.

ECce tibi Abrahamus tentatur, & in magnum adducitur discrimen. Et quæ fuit materies tentationis, & discriminis Abrahamo? Ait textus: *Tolle filium tuum, quem diligis, Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum.* Patres vniuersi Græci, quos vidi, addunt ex lectione Septuag. *Tolle filium tuum vnigenitum, &c.* Et quidem duo erant Abrahamo filij Isaac, & Ismael; sed Isaac sic amabatur à patre, ac si solus, & vnicus esset filius, in eum enim vnice, & singulariter paternus affectus ferebatur. Ne miremur, quod Abrahamus in tantum tentationis, & doloris periculum, ac discrimen adducatur, quando eius affectus sic in vnum Isaacum ferebatur. Pulchrè enim ait D. Basil. Sel. orat. 7. *Vt enim increuit infans, simul increuit, quod in infante parentes deamarent, totusque parentum amor indiuisus in vnum conferebatur, & omnis generis spes in vnum conferebatur filium. At mihi vide deinceps patrem ad certamen euocatum. Hæc vbi gesta sunt, inquit Moyses, tentauit Deus Abraham.* Simul Isaac ad se vnum rapuit totum affectum patris, & patrem adduxit in tentationis certamen, nunquam mihi credite, sic vnice rapitur affectus humanus sine tentationis, & doloris discrimine grandi. Hinc Gen. 26. dicitur. *Mansit itaque Isaac in Geraris. Qui cum interrogaretur à viris loci illius super vxore sua respondit: Soror mea est. Timuerat enim confiteri, quod sibi esset sociata coniugio.* Et cur magis cauet Isaac vocare coniugem, quam sororem? In coniugio conspicitur humanus affectus totus collatus in vnum, vt vel parentum obliuiscatur coniux, vt totus adhæreat vxori suæ. At in fraterno nomine, ibi affectus ostenditur æqualiter directus ad plures. Merito igitur, dissimulato singularis affectus nomine ostenditur nomen charitatis communis, quo debet insigniri quisquis, & bellis, & pugnis, & periculis occasiones amat abripere. Eleganter D. Ambros. lib. de Isaac cap. 4. inquit: *Rebecca non immeritò soror magis quam vxor appellatur, eo quod mitis, atque pacifica anima communis magis pietatis, quam specialis copulæ nomen accipiat: & quæ vniuersis magis, quam vni se existimet alligatam.* Vbi quis pacificus esse cupit, pacemque & tranquillitatem in vita habere; caueat, ne in vnam creaturam totum affectum conferat, ne alligetur particulariter vni; quin potius sic se gerat, vt communi pietate florens, se pluribus, se omnibus debitorem existimet. Nunquam peculiaris affectus in vnam creaturam, non bella, & calamitates intulit. De Iacob dicitur Gen. 37. *Israel autem diligebat Ioseph super omnes filios.* Ecce tibi vnus Ioseph rapuit sibi peculiariter affectum patris, & quot inde fuerunt patri ortæ materiæ luctus? Quot orbitatis, & dolorum certamina côcussere senem miserum? Ait D. Basil. Seleu. orat. 8. *Patris charitas erga filium filios excitat, & charissima pignora, inuidentia, bella contra semet incendit seditione. Senectutis filium Ioseph, spe senectutis fouendæ naturalem amorem sibi conciliauit, & obsequio ardentiorem messuit dilectionem futuram occasionem grandiori certamini.* Nihil citius fit singularis affectus in vnam creaturam, quam occasio grandiorum bellorum, grandiorum certaminum.

Basil. Sel. — *Gen. 26.* — *Ambr.* — *Gen. 37.* — *Basil. Sel.*

§. XV.

Bonorum Parentum filij euidentius solent pro virtute stare.

DIcitur Abraham tentatus à Deo, dum iubetur filium sacrificare; & Isaac qui sacrificandus erat, minimè dicitur à Deo tentatus. An non durius est iuueni pati mortem, quam esse parenti illam inferre? Cur igitur in durissimo hoc imperio de immolando Isaaco, non æquè dicitur Deus tentasse Abrahamum, & Isaacum, sed omisso Isaaco dicitur solus Abrahamus à Deo tentatus? Equidem in Isaaco erat iam pietas, & obseruantia diuinorum præceptorum hæreditaria; filius enim tanti parentis euidentius staturus pro virtute credebatur. Sic Diu. Zeno locutus de Abrahamo filio intimante mortem, ait: *Securus de fide generis sui pater, filio, de quo non dubitabat, patefecit, quia se Dominus postulasset, &c.* Itaque Isaaci virtus à parentibus veniens securitatem dabat, & omnē dubitationem auferebat: solicitum enim examen de filij moribus maximè temperat parentum conspicua virtus, & claritas. Pulchrè namque aiebat Athalaricus Rex ad clarissimos Senatores Vrbis, dum cuiusdam filium ad dignitatem vocabat apud Cassiod. 9. var. 23. *Quid Patres conscripti de vobis iudicemus, expendite, cum ad summarum culmina dignitatum, germina vestri viri, quos nunquam vidimus, eligamus, non fastidio negligentiæ, sed honorabili præsumptione naturæ. Ad examen veniant, quæ putantur incerta. Nam quis de illa re æstimet deliberandum, vbi nihil reputatur ambiguum.* Sic sapientissimus rex in clarissimorū parentum filiis examen prætermittebat, vt qui pro parte virtutis iam commendabantur, ipsa præsumptione naturæ. Sic etiam Theodoricus Rex apud eundem Cassiod. 3. var. 6. inquit: *Multò nobis probatur acceptius, quoties dignitatibus reddimus, quæ de ipsa Curia claritate nascuntur. Quia non sunt de vobis examina nostra solicita, dum præiudicata bona transfunditis, quæ merita cum laude præstatis. Origo ipsa iam gloria est, laus nobilitatis cognoscitur.* Et merito, qui à parentibus probatis nascūtur, necessitatem probationis in se minuunt, nō enim potest sperari defutura in filiis, quæ clarescebat in parentibus virtus. Sanè de nefaria illa Athalia dicitur 4. Reg. 11. *Athalia verò mater Ochoziæ videns mortuum filium suum, surrexit, & interfecit omne semen regium.* Itaque pessima fœmina, vt vidit mortuum filiū suum, omnes regis filios, & nepotes suos, & valdè puellulos interfecit. Et cur tam sæua in puellos, & nepotes extitit? An non posset puellulos ita alere, & educare, vt illos sibi in moribus faceret simillimos? Cur magis illos voluit interficere? Erant nepotes eius, simul & nepotes sanctissimi, clarissimique regis Dauidis, vnde merito sciola fœmina desperauit posse Dauidis prolem existere sine virtute, & pietate Dauidis, ideo maluit, omne germen Dauidis abscindere, vt simul abscinderetur Dauidis religio. Ait Theod. quæst. 14. *Vt impia, & tyrannica voluit omne genus Dauidis tanquam piam radicitus extindere, vt arrepto imperio populum suum doceret impietatem.* Tantum credidit valere in filiis sanctissimorum parentum virtutem, vt dum proles Dauidis existeret, non crederetur ei defuturus, qui pro pietate staret, & impietate contradiceret. Nec putauit impia fœmina tantùm se valere impietate, vt tenella Dauidis germina sic inficeret, ne in illis aliquis splendesceret radius paternæ virtutis.

D. Zeno. — *Cassiod.* — *Theodor.* — *4. Reg. 15.* — *Theod.*

§. XVI.

Hoc amat Deus in præstantissimis viris, ne quid boni habeant, quod alterius potius, quam Dei gloria adscribant.

SAcrificandus Isaac sisti iubetur Deo in monte, itinere trium dierum, ab habitaculo Abrahami, dissito, & cur non magis inter clientum frequentiam sacrificandus Isaac sistitur? Cur tanto facinori eligitur tanta solitudo? Filia Iephthe sacrificanda elegit montes, vt fleret intempestiuam mortem; sed ... inter clientes aris sistitur. Sic habes Iud. 11. *Cumque abiisset cum sociis, ac sodalibus suis, flebat virginitatem suam in montibus. Et expletis duobus mensibus, reuersa est ad patrem suum, & fecit ei sicut vouerat.* In montes abiit, vt fleret, vt autem sacrificaretur, montes reliquit, & reuersa est in domum paternam, inter clientes. Cur non sic Isaacus? Cur in Isaaci sacrificio cliētium cauetur conspectus, & montium solitudo magis eligitur? Eripiendus erat etiam Isaac paterno gladio, & seruandus in vita, pro quo ad solitudinem montis ignoti ducitur, ne cui alteri, quam Deo possit suam liberationem adscribere. Amat enim Deus in adeo præstantibus viris, nequid boni alteri possint referre, quam Deo ipsi. Non absimile accidit Ezechiæ regi, qui Assyriorum validissimo exercitu cinctus expectabat liberari à Domino, 4. Reg. 19. Quid tunc? Ait textus: *Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octingenta quinque millia.* Ecce tibi vt pellantur, imo vt interficiantur hostes Ezechiæ, tantáque salus illi comparetur hostibus extinctis, non meridiana lux, sed obscurissima nox eligitur. Et cur noctis tenebræ eliguntur, vt tanta sal... regi præstetur, nisi vt constet, quā nulli alteri, nisi Deo possit referri salus illa? Ait D. Chrys. in Psal. 106. *Hoc facit Deus, ne vllus eius sibi gloriam vindicet. Propterea regnante Ezechia erexit nullum trophæum.* Cauit Deus in sanctissimo rege, ne eius liberationis gloria alteri, quàm Deo possit adscribi, & ideò tempus elegit nocturnum, quo dormientibus cunctis Deus hostes perimeret, &

Iud. 11. — *4. Reg. 19.* — *D. Chrys.*

Regi

Dan. 3.

Regi pararet salutem; & longam incolumitatem. Item Dan. 3. iratus Rex Babylonis aduersus eos, qui non adorauerant suam imaginem, *viris fortissimis de exercitu suo iussit, vt ligatis pedibus, Sidrach, Missach, & Abdenago mitterent eos in fornacem ignis ardentis.* Et quidem ij tres pueri socij erant Danieli inseparabiles, in pietate, & religione pares, sub eodem magistro constituti, eisdem dapibus educati. Habes enim, cap. 1. *Fuerunt ergo inter eos de filiis Iuda, Daniel, Ananias, Misael, & Azarias. Et imposuit eis Præpositus eunuchorum nomina: Danieli, Balthassar: Ananiæ, Sidrach: Misaeli, Missach: Azariæ, Abdenago. Proposuit autem Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensa regis, &c.* Ecce tibi Daniel non solum socius trium puerorum, sed & dux eorum in religione, & pietate, & qui cum illis erat in ieiunio, & precibus, in damnatione mortis cum illis non inuenitur. Qui fieri potuit, quod Daniel non iret cum sociis in flammas? Vocabatur Daniel apud Babylonios Balthassar, quod erat nomen idoli Babylonij, ideo cauit Deus ne habens tale nomen caderet in flammas cum poeris, ne salus ibi pueris danda posset attribui Iduli nomini, nō posset attribui alteri, quam vero Deo illam danti. Ait D. Isidor. Pelus. epist. 19. *Hoc diuino consilio contigit, ut impij homines flammæ oppressionem Dei Babylonici nomini adscriberent, Balthassarum enim Danielem appellabant.* Sic Deus in præstantissimorum virorum salute cauet, ne cui alteri posset attribui, quam vni Deo vero illam communicanti. A nullo enim magis viri illustres commendantur, vt ab eo, quod nihil in illis sit, quod vni Deo acceptum non habeant. Hinc Luc. 12. ad apostolicos, & gloriosos viros dicitur: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum.* Expende, quod in talibus viris, præter honorem balthei præcingentis, præter lucidissima opera, & facinora refulgentia præ manibus, adhuc illud requiritur, quod vnum Dominum verum velint in omnibus expectare. Id quod pulchrè meditabatur D. Philippus Abb. lib. 2. in Cant. cap. 16. aiens: *Quia verò non sufficit magnis operibus quemdam fulgere, nisi per hæc intendat non hominibus, sed Deo placere, addit, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum. Intentio, vel expectatio, qua non transitoriam mercedem expectatis, quoddam est rectitudinis munimentum, & instar capitelli columnæ commendabilis ornamentum. Nuda equidem, & inconueniens est columna, si non capitello superposito decoretur, & insufficiens rectitudo, quo expectatione Domini non tenetur.* Huc veniant viri illi, qui amant in ciuitate Dei, in templo Dei columnas esse, & discant vnde accipiant tales columnæ totum suum decorem, & ornamentum, nimirum, inde, quod, quidquid boni habent, vnum Deum halet, vnum Deum spectet.

Dan. 1. — D. Isidor. — Luc. 12. — D. Phil.

Genes. 22. Igitur Abraham de nocte consurgens, strauit asinum suum: ducens secum duos iuuenes, & Isaac filium suum, cumque concidisset ligna in holocaustum, abiit ad locum, quem præceperat ei Deus. Die autem tertio, eleuatis oculis vidit locum procul. Dixitque ad pueros suos: Expectate hîc cum asino, ego autem, & puer illuc vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos. Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum, ipse verò portabat in manibus ignem, & gladium.

§. XVII.

Unius Christi Spiritus est in vili & abiecto opere vniuersum detriumphare mundum.

HOc mihi maximè nouum, & peregrinum videtur in tota hac historia, quod Abrahamus, qui secum & duos iuuenes & asinum è domo sua eduxerat, vt pergeret sacrificaturus filium, vbi sacrificij locum vidit, ligna scindens ad holocaustum, iuuenes, & asinum manere iubet, & solus mauult pergere cum filio lignis onusto. Esto enim, quod conueniens fuerit, quod iuuenes manerent, ne cum dolore holocaustum adspicerent, asinus cur maneat præcipuè eo tempore, quo magis necessarius videbatur vel ad portanda ligna, vel ad portandum puerum, vt leuatus labore itineris alacrior repræsentaretur in sacrificio? Cur viso iam loco sacrificij Abrahamus sic cauet, ne asinus adsistat, qui leuet filium vel labore portandi ligna, vel labore itineris? Sane id diuina prouidentia factum existimo, quæ moliebatur ostendere, quam sit proprium vnius Christi, quod in asino, hoc est, in vili, & abiecto opere detriumphet mundum. Quod Isaac sacrificaretur à parente, idem faciendum erat in Dei filio, & idem faciendum erat in aliis plurimis hominum filiis. Quid nouum quod filius à patre sacrificetur ob communem salutem? Vide apud prophanos Euripidem hucusque cantantem Iphigeniam à parente pro patria sacrificatam. Vide apud sacros authores Iudic. 11. Iephthe filiam in simili discrimine; item 4. Reg. c. 3. regius filius à rege Moab oblatus est in holocaustum super murum. Itaque quod se deuouerant filij morti pro patria, pro paterna salute, & commune fuit Dei filio, & Isaaco, imo & aliis nonnullis. Quod autem in asino, in opere vili orbis prosiliat triumphus, id non Isaac, non alius, sed vnus præstitit Christus, & eius spiritus. Id quod stupens Zacharias cap. 9. fatur: *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: Ecce rex tuus veniet tibi iustus, & saluator, ipse pauper, & ascendet super asinum, & super pullum filium asinæ. Et disperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Ierusalem, & dissipabitur arcus belli, &c.* Quis mundialium regum, vel ducum asino vsus est ad detriumphandum mundum? Sane id vnus perfecit Christus, qui asello portatus sibi deuicit potestates mundi. Pro quo ait Theodoret. ibi: *Dominus Christus iuxta prophetiam pullo vsus imperium Orbis terræ tenuit, & Deus verus esse creditur, & prædicatur. Et qui pullo asinæ insedit, reges habet adoratores, qui vehiculis auro, & lapidibus pretiosis ornatis gestantur.* Non Isaac, non vllus mundialium ducum, sed Christus solus in opere vili, in asino sedens humana sibi corda deuincit. Quo crediderim respexisse illud Lucæ cap. 19. vbi dum asinus iuberetur Christo afferri, vt eius triumphale imperium Ierosolymitanis repræsentaretur, sic cauet: *Inuenietis pullum asinæ alligatum, cui nemo vnquam hominum sedit: soluite illum, & adducite.* Non solum quærit nobilis Imperator asinum ad repræsentandum imperium, sed eum asinum quærit, cui nullus hominum vnquam insederit. Et cur, qui aliis communem viuendi sectabatur modum, in equitatu asini, tantam amat nouitatem, & singularitatem, vt non patiatur alteri seruiuisse asellum? Equidem euidentissimè inde ostendebatur, nullus hominum asino vectus populos sibi deuinxisse; idque vni esse Iesu reseruatum, qui primus in asino, in humili, & abiecto opere detriumphat gentes. Pro quo D. Chrysostom. hom. 67. in Matth. fatur. *Ecce Rex tuus venit mansuetus, ascendens super iugalem, & pullum nouum; non currus, vt reges cæteri, agens, non vectigalia exigens, non elatus tumore, nec satellitibus constipatus, sed magnam vndique monstrans humilitatem. Interrogetur ergo Iudæus, quisnam Regum asina vectus Ierosolymam intrauit? Neminem profectò præter Christum dicere possunt.* Non est humanæ præsumptionis, quod in asino vellent detriumphare mundum; de mundialibus principibus ait, Psal. *Hi in curribus, & equis*; vnus Iesus est, qui in asino, in vilissimo quouis, & infirmissimo instrumento sibi omnia trahere possit. Hinc illa notissima est Samsonis arrogantia, qui Iudic. 15. hostibus cinctus, *Inuentam maxillam, id est, mandibulam asini, arripiens, interfecit in ea mille viros, & ait: in maxilla asini, in mandibula pulli asinarum deleui eos, & percussi mille viros. Cùmque hæc verba canens complesset, proiecit mandibulam de manu, sitiensque valde, &c.* Dixit Samson, & ecce siti cœpit arere vsque ad mortem. Et quid dixit, quod tantum supplicium meruit continuo inflictum? Id dixit, *in maxilla asini, in mandibula pulli asinarum deleui eos*: se gloriatur fecisse, quod non ipse, sed Deus fecerat, & Christus eius, & ideò arrogantiæ suæ meritas dedit pœnas, in maxilla asini detriumphare non hominis erat opus, sed Christi omnipotentis facinus erat. D. Ambros. epist. 70. *Insolens Samsonis animus rerum secundarum, qui debuit inuentum pugna diuino fauori, & præsidio deferre, sibi arrogauit dicens, in maxilla asini deleui mille viros.* Non, inquam, hominis solius erat in asino detriumphare, sed Dei, vt sapienter ibi notauit Rup. lib. 1. c. 13. aiens. *Samsonis huius fortissimi omnes sunt actus mirabiles. Neque enim opera sunt hominis, sed Dei: non, inquam, viribus humanis acta, sed virtute Dei mirabilia facientis. Sunt autem numero septem. Quintus actus est, quod in maxilla asini, in mandibula pulli asinarum deleuit, & percussit mille viros.* Et latius expendens hoc propriissimum Christi facinus, ait cap. 19. *Mandibula asini in manu Christi, illa stulta, & infirma mundi, illa sunt ignobilia, & contemptibilia mundi, de quibus Apostolus dicit, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ sunt stulta mundi elegit*

Zach. 9. — Theodor. — Luc. 19. — D. Chrys. — Iudic. 15. — D. Ambr. — Rupert.

Deus, vt confundat fortia. Hoc mirabile opus fecit Deus. Samson fortissimus. Christus omnipotentissimus. Sciebat, quod grande sibi certamen foret, contra legis peritos, contra oratores, contra nobiles, & fortes, Reges, Imperatores, tyrannos. Et hoc sciens non vocauit prima expeditione multos sapientes, nobiles, siue potentes, sed tales nimirum, qui tanquam leonibus essent asini. Et in maxilla asinæ deleuit eos. Hæc ibi.

§. XVIII.

A cruce Domini nil citius prodiit, quàm vitæ auspicium.

PVrabat Abraham filium suum igne consumendum esse in holocaustum Domino, & nihilominus aiebat: *Postquã adorauerimus, reuertemur ad vos.* Cur bone de filio asseris, quod reuersurus etiam sit? Quem gladio præparas, & igni, qua ratione asseris reuersurum? Vnde tibi reuertentis filij incolumitas venit in mentem? Ait textus continuo: *Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum, &c.* Vbi ergo Isaac sub ligno apparuit, suæ incolumitatis clarissimum argumentum dedit, nihil enim a crucis dominicæ ligno citius prodit, quam securissimæ vitæ mysterium. Pro quo sapienter aiebat Iulius Firmicus Maternus lib. de errore prophanæ relig. c. 18. *Diuini, ac liberantis ligni ordinem disce. De cataclysmo humanum genus arca lignea liberauit. Deinde Abraham, ligna vnici filij humeris imposuit.* Fuit equidem vt in diluuio, sic in Isaaco lignum liberans, vbi in crucis typo lignum Isaaci humeros pressit, & in eius incolumitatem, & securissimam vitam expressit. Apud Iosue cap. 9. viri Gabaonitæ metuentes perire Israelitarum gladio, fraude quadam compararunt sibi ex principibus salutem: detecta autem fraude, dum expostularentur à vulgo militum in mortem, aiunt Principes: *Reseruentur quidem vt viuant, ne contra nos ira Domini concitetur, si peierauerimus, sed sic viuant, vt in vsus vniuersæ multitudinis ligna cædant.* Simul & cædendis lignis deputantur, & vitæ: vt videas, quam inter ligna crucis appareat mundo vitæ auspicium. Ait enim Theophanes Ceramæus, orat. in Exalt. crucis apud Costerum nostrum tom. 2. *Sed & Gabaonitæ, quos filius Naue lignis ferendis ad diuinum tabernaculum deputauit, Ethnicorum nationem repræsentabant, quæ accessit ad Iesum verum, à quo vita donati ligna ferre, hoc est, saluatoris crucis verbum humeris virtutũ circumferre didicerunt.* Simul & ligna ferre homo didicit, & vita viuere, quando Crux Domini vndecũque halat, & firmat vitam. Nonne Thamar illa vidua Iudæ nurus, dum prægnans inueniretur, flammis exurenda damnabatur? Et vnde in tanto discrimine mulier potuit salutem mercari? Ait textus Genes. cap. 38. *Quæ cum duceretur ad pœnam, misit ad socerum suum, dicens: De viro, cuius hæc sunt, concepi: cognosce cuius sint annulus, armilla, & baculus.* Quid plura? Vbi pro se ligneũ baculum ostendit, incolumis euasit. Ad hæc Theophanes Ceramæus vbi supra: *Thamar illa alienigena, quæ duobus fratribus nupta fuit, sterilisque permansit, astu quodam socerum fefellit, Israeliticæ seminis nobilitatem suffuratæ amatoremque socerum suum nacta, accepit ab illo pignori baculum, quo postea mortis discrimen euasit. Thamar igitur Ecclesiam ex gentibus collectam adumbrabat, quæ quasi duobus improbis fratribus, impietate scilicet, & multorum Deorum cultui prius iuncta, cum nullum pietatis fructum edidisset, surripuit fructum ex Iuda. Christum, inquam, ex tribu Iuda ortum, crucémque baculi instar arripuit, per quam à morte anima liberata est.* Sic vbique Domini ligni apparet vmbra, simul & vita hominis affulget.

Iulius. *Theoph.* *Gen. 38.* *Theoph.*

Gen. 22. Cúmque duo pergerent simul, dixit Isaac patri suo, Pater mi. At ille respondit: Quid vis fili? Ecce, inquit, ignis, & ligna, vbi est victima holocausti? Dixit autem Abraham: Deus prouidebit sibi victimam holocausti, fili mi.

§. XIX.

Præstantissima, & securissima filiorum est indoles, quæ in diuini obsequij curis parentes solos minimè relinquit.

MVltus erat Abrahamus in pecoribus, in seruis, in diuitiis, pro quarum cultu nunquam ostenditur Isaac solicitus, nec vllam vocem emittit, quæ vel facultatum, vel seruorum aliquid requirat, vt qui eam curam integram parentibus relinquat. Primam autem vocem soliciti Isaaci hanc inuenio in præsenti, nimirum: *Ecce, inquit, ignis, & ligna, vbi est victima holocausti?* Qui nunquam interrogasti patrem de pecoribus, de agnellis ortis, de seruis, integram horum curam patri relinquens, cur modo solicitus inquiris de victima? Cur etiam victimæ curam integram parentibus non relinquis? Equidem præstantissima, & securissima Isaaci indoles iam ostendebatur, quæ, vt cæteras omnes curas patri relinquebat, in virtutis, obsequiique diuini curis, minimè solum parentem esse permittit, sed se se curarum socium adiungit. Rem ponderans D. Basil. Seleuc. orat. 7. inquit: *Abraham ignem, & gladium manu tractabat, ligatsque victimarius Isaacum pulcherrimam victimam aggrauabat, & auxiliatrix sacrificij fuit ipsa victima. Simul enim cum patre Isaac sacrificium faciens, & cum genitore curam partitus, interrogationem profert, quæ patrium animum exulceret: Ecce, inquit, ignis, & ligna, vbi est victima holocausti?* Ferret præstantissimus filius quod pater sibi haberet integras domesticas curas, & pro his minimè vnquam mutiret, at in curis diuini obsequij non patietur esse solum parentem, sed cum illo tales curas partitur, & non minimam illarum partem sibi assumit; quo eius indoles ostenditur præstantissima, & securissima in periculis. Quæ præstantia in quibus non inuenitur, inueniri solent multa discrimina. Notissima est ruina filiorum Iob, filiorum, inquam, sanctissimorum, & nulla sensibili peccatorum labe pollutorum. Et quid de illis scriptura? Iob cap. 1. *Et ibant filij eius, & faciebant conuiuium per domos, vnusquisque in die suo: & mittentes vocabant tres sorores suas, vt comederent, & biberent cum eis. Cúmque in orbem transissent dies conuiuij, mittebat ad illos Iob, & sanctificabat illos, consurgénsque diluculo offerebat holocausta pro singulis. Dicebat enim: Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Iob cunctis diebus.* Expende, quæso, quid filij faciunt, & quid pater efficiat: filij epulantur, pater orat, Deo litat, holocausta offert pro filiis, & hoc faciebat tanta solicitudine, vt Polychronius putet illum insomnes noctes duxisse, vt multo mane adstaret aris sacrificaturus. Cur pereunt filij vallati tot patris sacrificiis? Cur non magis propugnantur aduersus rabies hostiles? Id faciebat solus Iob, nullus filiorum assistebat parenti sacrificaturo, nullus erat solicitus cum patre de hostia, de victima paranda, sed solus pater relinquebatur in sacrorum curis. Quid mirum quod filij tot sacrificiis, & holocaustis parentis vallati veniant in ruinam; quando nullus eorum holocausti curas cum patre partitur, sed eas vniuersas integrasque patri relinquunt? Equidem securiores essent in ipsis periculis, si patri prouidenti holocausta se adiungerent, & non paterentur illum solum esse in obsequiis diuinis. Hinc enim censentur præstantissimi, & viuidissimi filij. Psalm. 127. vbi dicitur: *Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* Cuius mensæ? Procopius in Exod. fol. 294. refert hæc ad mensam Eucharisticam; filij enim qui veluti oliuarum nouellæ reuirescunt, pacificámque & securam vitam in se amant ostendere, non patiuntur à parentum abesse sacrificiis. Sed quoties patres sibi mensam Eucharisticam struunt, simul aduolant filij, & cum patre tantæ mensæ benedictiones partiuntur.

Basil. Sel. *Iob 1.* *Psal. 127.*

§. XX.

In filio virtutibus præstanti necessariò se bene agnoscit patrem.

VOcatur Abraham pater ab Isaac, & respondit pater vocatus, eum carnificem agere parabat; quid insolentius? Vnde tibi ô bone venit in mentem, aut quis tibi persuasit te esse, & vocari patrem? An gladius? An ignis? An animus ad cædem paratus? Nonne hæc potius carnificem ostendunt? Cur ergo respondis ad patris vocabulum? Cur te in patris voce vocari putas? Cur semel vocatus pater, sic te patrem agnoscis, vt & semel, & bis filium clames? Ais enim: *quid vis fili?* Et continuo subiungis; *Dominus prouidebit sibi victimam holocausti fili mi.* Sane, is erat Isaac Deo sacrandus, tot tantisque virtutibus splendescebat sub lignis constitutus, vt vel inter tanta carnificinæ meditamenta cogeret Abrahamum meminisse se esse eius patrem. Postquam Saul Dauidem in generum suum adsciuerat, sic inuidia exarsit, vt omnem affectum patris, & soceri exueret, nihilque magis inimicum, & hostile sibi cogitaret, quam Dauidem. Hunc vt odiosissimum

persequebatur,

persequebatur, eiusque mortem toto exercitus sui conatu procurabat. Interea dum solus ingreditur speluncam purgandi ventrem causa, latebat intus Dauid qui parcens vitæ regiæ in testimonium virtutis suæ, scidit partem regiæ chlamydis. Vix rex exierat, & Dauid exiens à longè ostendebat regi partem chlamydis, & facinus virtutis suæ simul prædicabat, aiens: *Quin potius pater mi vide, & agnosce oram chlamydis tuæ in manu mea; quoniam cum præscinderem summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te.* Hæc Dauid 1. Reg. cap. 24. vocans Saulem patrem. Quid ad hæc insensissimus tyrannus? Ait textus: *Dixit Saul: Nunquid vox hæc tua est fili mi Dauid?* Quid magis inauditum? Qui acerrimum hostem agebat, ad vocabulum patris stat, & se agnoscit patrem, & filium vocat Dauidem. Quis inter tot odiorum effectus, inter tot rabies tibi persuasit esse patrem? Sane Dauidis virtus excellens necessario fecit, vt homo truculentissimus se meminisset patrem. Ait D. Chrysostom. homil. de Dauide & Saule. *Quid Dauide fœlicius, qui ex homicida fecit patrem? Verba quippe Dauidis ingressa in animum istum efferati, totam hanc perfecerunt mutationem. Et quemadmodum pater ex longo interuallo audita filij reuertentis voce ad ipsam vocem excitatur: sic & Saul simul vt accepit verba Dauidis in animum ingressa, posito affectu, recepit affectum patris.* Non potuit feralissimus homo etiam inter rabidissimas odiorum flammas, inter mortem halantes machinas non se agnoscere patrem, vbi Dauidis tanta virtus apparuit. Habent enim hoc paterna viscera, vt excitentur in filiis, qui nouerunt se se virtutibus commendare. Hinc de Iacobo audiente Iosephi virtutes, & glorias dicitur Genes. cap. 45. *Reuixit spiritus eius, & ait: Sufficit mihi, si adhuc Ioseph filius meus viuit.* Cur qui tot alios habebat, in solo Iosepho dicitur reuixisse? Rupert. ibi. *In eo tantum agnoscit se patrem si filium relinquat post se, qui iustitia consequatur hæreditatem.* Mortua sunt viscera paterna, dum filij non colunt iustitiam, tunc solum excitantur, & esse dicuntur, cum filij apparent virtutibus conspicui.

1. Reg. 24. — Chrys. — Gen. 45. — Rupert.

Gen. 22. Pergebant ergo pariter: & venerunt ad locum, quem ostenderat ei Deus, in quo ædificauit altare, & desuper ligna composuit: cúmque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum. Extendítque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum.

§. XXI.

Locus sacer, siue Dei templum vix capit nocentes, qui ibi in peccatis malint esse.

NOn serui, non asinus, sed soli Abrahamus, & Isaacus veniunt ad locum, quem ostenderat Deus tanto holocausto destinatum; & merito, locus enim sacer, qui Dei templo destinabatur, solos illos capit, qui munditiem, & sanctitatem ament: quidquid autem bestiale, & immundum, & scelestum est, maximè cauet. Compone modo Abrahamum & Isaacum cum Moyse; & illi, & hic venerunt in terram sanctam, illi & venerunt, & securi manent: Moyses vix terram calcat, & statim arcetur. Ait enim vox de loco exiens, Exod. 3. *Ne appropies huc, solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est.* Et quidem & illis, & huic erat locus sanctus, diuinis præparatus oraculis, cur Isaacus cum patre admittitur, & Moyses arcetur? Cur illi inoffense locum calcant; & Moyses non permittitur vel ad momentum ibi stare, nisi prius exuat calceos? Habebat hic immunditiem in calceis, quam vehementer cauet locus sanctus. Ait Origen. homil. 8. in Genes. *Moyses cum venisset ad locum, quem ostendit ei Deus, non permittitur ascendere, sed ante ei dicitur: Solue corrigiam calceamenti de pedibus tuis. Abrahæ nihil horum dicitur, neque Isaac: sed ascendunt, nec calceamenta deponunt. In quo illa fortassis est ratio, quod Moyses, quamuis esset magnus, tamen de Ægypto veniebat, & erant aliqua mortalitatis vincula pedibus eius innexa.* Admittuntur à loco sancto mundi omnes, admonentur, qui immunditiam habent, vt deponant eam; at qui nec in sancto loco mundi amant esse, sed ibi maculas gaudent inferre, fallar, nisi in maxima salutis discrimina veniant. Dum Ierosolymitana vrbs euertebatur, perfidorum Iudæorum phalanx in téplo erat, quæ maiori viribus audacia è templo erupit, & appropinquantes Romanos misere conficiebat. Rem spectabat è muro miles, quidam Cæsaris latero, Iulianus nomine, qui sese è muro proripiens prosilit in arenam tanta alacritate animi, vt vel ad eius aspectum Iudæi terga verterent, coacti se recipere ad templum. Iulianus autem, qui tergo illorum imminebat, dum alios perimit, & claustro coercet, confixum clauis calceamentum gerens, vsu militarium virorum, non considerauit polito lapide solum stratum, quod cauendum foret; sed quasi in campo præliaretur securus, labitur, & ingentem lapsu suo sonitum dedit. Nec potuit assurgere lubrico solo fusus, sed ibi ipsa occubuit hostium multitudine oppressus. Vnde huic tam strenuo militi tam nefarium apposuit Deus euentum belli? Rem considerans Egesippus lib. 5. de excidio Ierosol. cap. 3. fatur: *Solus Iulianus se de Antonia precipitat, solus in hostilia agmina ruit, solus se armatus miscuit, solus in templum Iudæos redire compulit. Vereor ne istud obfuerit magis, quia de templo fuerant exterminandi Deo infideles, ideò lapsus non inuenit remedium.* Quid pulchrius in rem præsentem? Euomebat sceleratos Iudæos templum; Iulianus strenuè dimicans illos coegit redire in templum, ideò lapsus non inuenit remedium: vt videas, quàm insanabilis sit, qui non dubitat scelera templo Dei inferre. Huc trahe dicta tom. 4. in Euangel. lib. 18. cap. 9. §. 5. & 4. & tomo 3. lib. 15. cap. 7. §. 1. & sæpe aliàs.

Exod. 3. — Origen. — Egesip.

§. XXII.

Magna facinora non subitò aggredienda.

ECce quot fiunt, antequàm Isaacus sistatur aris: non breue iter pater & filius arripiunt, montem scandunt, altare ædificatur, ligna desuper componuntur, aptantur. Et quid necesse fuit ligna priùs componi, altare ædificari? Quid obesset, si ante composita ligna victima occideretur? Cur maluit Abrahamus victimam occidere post ligna composita, & non anteà? Pulchram rationem attigit D. Ambrosius ibi fatus: *Quanta molimina immolaturi, ne raptus subitò ad immolandum æstimaretur!* Equidem, vt filij immolatio erat inter præstantissima virtutum facinora; sic sacrificaturus, antequàm ad illa perueniret, multa alia moliebatur in id conducentia, ne videretur subitò tantum aggredi facinus. Sic Dauid 1. Reg. 17. stans coram Saüle petens sibi singulare certamen cum Philisthæo, qui Israelem exprobrabat, dixit ad Regem: *Pascebat seruus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebámque de ore eorum, & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, interficiebámque eos. Nam & leonem, & vrsum interfeci ego seruus tuus.* Expende, quanta de se iactet coram Rege modestissimus iuuenis Dauid: vt in medium proferat, quæcumque ipse peregerat in solitudine. Et quæ ratio potuit compellere modestissimum iuuenem vsque ad illam horam de suis facinoribus mutum, vt illa coràm proponat, & euulget? Hoc satagebat prudentissimus iuuenis, ne videretur subita alacritate in tantum facinus, & tam splendidum, & tam periculosum prorupisse: sed id aggredi, cuius in aliis etiam fecerat periculum. Quippe ait Theodoretus quæst. 40. in 1. Regum: *Necesse habuit Dauid dicere, se omni reliquo tempore de victoria fiduciam concepisse, quomodo cùm gregem pasceret, suffocauit leonem, & vrsum eum inuadentes.* Hoc quippe necessarium erat viro bono, quòd ostenderet, se non subitò in tantum certamen venire; sed longa meditamenta præhabuisse; & multo antè tempore in similibus prælusisse, quando cum leone pugnauit, quando cum vrso. Huc trahe dicta 1. tom. in Euang. lib. 1. cap. 7. §. 27. & lib. 3. cap. 2. §. 19.

Ambros. — Theodor.

Genes. 22. Et ecce Angelus Domini de cœlo clamauit dicens: Abraham, Abraham. Qui respondit: Adsum. Dixítque ei: Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quicquam: nunc cognoui, quòd timeas Dominum, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me, &c.

Per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo

multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, & velut arena, quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ: quia obedisti voci meæ. Reuersus est Abraham ad pueros suos, abierúntque Bersabee.

§. XXIII.

Quò citiùs quis ad summam vsque deiectionem propter Deum deuenit, eò euidentiùs in proximo exaltationem tenet.

Ecce tibi Isaac, vniens Abrahami hæres, super struem lignorum positus apparet ligatis manibus, pedibúsque, quasi vile pecus, vt gladium occisionis spectet. Quid magis deiectum? Fallar, si quid magis deiectum, & humile cogitari possit. Quid plura? Tunc Angelus, tunc cœlestis vox intonat, quæ patris dexteram cohibet, & Isascum incolumem seruat, & mille benedictionibus exaltandum producit. Cur, Angele, anteà non venisti? Cur, cùm Isaac promptè sese patri ad mortem obtulit, tunc Angelus non adfuit, qui liberaret? Cur, cùm ligabatur non venit? Cur, cùm ligatus ante aras expectabat, non clamauit Angelus: sed siluit, donec ligatus iam supra struem lignorum, velut pecus sacrificandum poneretur? Equidem tunc erat exaltandus Isaac, cùm ad eam deiectiònem deuenerat, in qua positus non haberet, vnde ampliùs deiiceretur. Tunc solùm vniuersæ tentationes sistuntur, & securè incipiunt homines in vitam ascendere, cùm sic propter Deum deiiciuntur, vt nihil ampliùs habeât, de quo possint descendere. Dum Iob diuitiis, & filiorum corona florescebat, quis narret eius tentationes, & ruinas? Hostes, cœlum, elementa, & totus infernus in sanctissimum virum exsurgunt, vt eum prosternant. Diuitias amisit, filios perdidit, nec cessant tentationum tela, quia adhuc habebat, quid perderet, corporalem enim sanitatem habebat. Quid tunc? Ait cap. 2. *Egressus igitur Satan à facie Domini percussit Iob vlcere pessimo, à planta pedis vsque ad verticem eius: qui testa saniem radebat sedens in sterquilinio.* Satan percussit, & Iob percussus in sterquilinio sedit radens vlcerum saniem, vili, & aspera testa: nec amplius auditur Satan aliquid aduersus Iobum dixisse apud Deum. Cur Satan non amplius loqueris? Cur iterum non petis virum iustum tibi permitti? Ex quo Iob percussus in sterquilinio sedit, in ea se deiectione ostendit, vltra quam amplius cadere non potuit: quare necessum fuit, vt aduersa eius sopirentur, & secunda arriderent. Pulchrè D. Paulinus, epist. 10. ad Sulpitium Seuer. *Postquam Iob sedit in stercore, tentari desitit. Consumpserat tentatoris inuidiam humilitate perfectus, qua facilius surgere, quam deiici potest. Quia in fimo sedens, vnde cadat, non habet, & habet, vnde consurgat per eum, qui suscitat de terra inopem, & de stercore erigit pauperem.* Sanè qui in extremo deiectionis est, non mirum quod tentationes absumat vniuersas, quando iam non habet, vnde cadat, habet autem vnde possit erigi. Et sic necessum est, vt inde incipiat ascendere. Fœlix ille homo, qui propter Deum summæ se deiectioni, & abiectioni permisit, habet enim vnde erigatur in spem vitæ; & non habet, quid timeat. Propheta erat Dauid, & sanctus; & nihilominus clamabat, Psal. 118. *Feci iustitiam, & iudicium, non tradas me nocentibus me.* Post multa iustitiæ facinora timebat sibi à nocentibus aduersariis, à quibus liberari postulabat. Sed vide quam super regium hunc prophetam euolet Paulus, qui fornicarium iudicans, ait ad Corinthios, *iudicaui tradere huiusmodi hominem Satanæ.* Tantum abest, vt metuat Paulus tradi, vt ipse potius innocentes tradat Satanæ. Quam Pauli excellentiam meditatus D. Hilar. ibi fatur: *Propheta quidem ne à Deo tradatur, orat. Cæterum Apostolus habet iam in se id fiduciæ, vt peccatores diabolo tradat ipse.* Et vnde tanta hæc differentia inter regium vatem, & Apostolum: quod ille metuat tradi aduersario, hic autem adeo se super aduersarium extollat, vt illo tanquam ministro, & carcerario vtatur? Equidem Dauid licet sanctus erat in regno, erat positus in dignitate, habebat, quod posset amittere, & vnde incursiones aduersariorum posset pati, & ideo in solicitudine & metu ruinæ versabatur. Apostolus omnibus bonis spoliatus, morti destinatus, in acie nabaculæ erat, non habebat vnde caderet, consumpserat tentatoris inuidiam, & inde illo vt exaltationis suæ ministro vtebatur.

D. Paulin.

Psal. 118.

Ad Corinth.

D. Hil.

§. XXIV.

In Dominicæ passionis sequela vita, & triumphus exurgit.

Mactandus aderat Isaac super struem lignorum, & ecce tibi Angelus clamat ad patrem, *ne extendas manum super puerum, nec facias illi quicquam,* & merito, qui enim sequebatur filium Dei in patris obedientia, in vinculis, in sublato ligno, necessum erat, vt sequeretur in vita, in triumpho. Verissimum enim est assertum illud Pauli: *Si compatimur, & conregnabimus:* nulli negat Dei filius sui regni, suæ vitæ participium, quem nouit & mortis & passionis participem. Magnus ille Herodes regiis ornamentis exutus apud victorem Cæsarem querebatur, se in tantum discrimen, in tantamque miseriam coniectum fuisse ab Antonio Cleopatræ amoribus occæcato. Cui statim respondit Cæsar factus benignior apud Egesippum lib. 5. de Excid. Ierosol. cap. 34. inquiens. *Quid moraris Herodes si à te desistere fecit Cleopatra Antonium, cũ à me dissociauerit, atque ex consorte imperij hostem fecerit? Ego & quia tu nobiscum repudiatus es, & ideo nobiscum regna.* Et si magnanimus Imperator Herodem inimicum sibi expertus fuerat, & morte dignum, tamen vbi resciuit idem secum ab Antonio passum repudium ob Cleopatram, eo adductus est, vt illum etiam secum conseruaret in regno. Fecit hoc semel hominis Imperatoris magnanimitas, at regis mei Christi munificentia id facit in dies. Nullus cum meo rege repudiatus, & percussus est, qui non viuat, & regnet cum illo. Hæc est via vitæ, si dominicæ passionis sequaris viam. Mulieres illæ, quæ emerant aromata, vt vngerent Iesum, in fide resurrectionis mortuæ ingressæ sunt sepulchrum. Quid tunc? Ait Matth. cap. 28. *Exierunt cito de monumento, cum gaudio magno currentes nuntiare discipulis eius.* Viderant Angelos, audierant Angelos, & adhuc mortuæ manebant in resurrectionis fide; vnde nunc adeo viuidæ, vt & resurrectionem annuntient? Chrysolog. serm. 80. inquit: *Mulieres intrant sepulchrum, vt fierent sepulturæ participes, sociæ passionis, exeunt de sepulchro, vt ante fide resurgerent, &c.* Vbi intrantes sepulchrum, passionis sociæ fiunt, non potuerunt non participes fieri & vitæ, exeuntes è sepulchro in fide resurrectionis viuidissimæ. Habet hoc imago, vel vmbra mortis Christi, quod in nobis vitam stillet, & triumphos. Ait enim Paul. ad Rom. cap. 6. *Si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.* Petimus complantari similitudini mortis eius, vt crescamus in vitam, nos horrescimus similitudinem mortis Christi; & amplectimur mundi vitam, & perimus. Accipite in hanc rem pulcherrimum exemplum. Dum Romano exercitu cingeretur Ierosolyma, interni milites deliberant de eligendo duce, penes quem tota sit pacis, bellique potestas. Aberat homo quidam nobilis, cuius imago, vt præstantissimi viri in medio proponitur, vt videant, an euocari debeat in vrbis præfecturam. Imaginem contempsit Matthias quidam, fecitque vt contempta Ioannis imagine populus factionum authorem Simonem eligeret in principem. Nec mora, eligitur Simon, qui vix dignitatem accepit, & benefactorem suum nullius apud se conuictum facinoris durissimæ morti tradidit cũ tribus filiis. Cui Matthias sententia audita sic affatur apud Egesippum lib. 5. Excid. Ierosol. cap. 22. *Ad sceleris tui Simon acerbitatem, filiorum necis spectator assisto. Merui, fateor, quia Ioannem pictum videre non potui, & te armatum elegi. O præcipitem senectutem, imaginem timuimus, tyrannum expetiuimus. Ioannis nos cera terruit, Simonis latrocinia delectauerunt. Acceleretur itaque pompa funebris, veniat carnifex, &c.* Quid in rem nostram pulchrius? Proposita est nobis imago mortis Christi, cui complantemur, aut mundialis vita, & voluptuosa. Christum pictum videre non possumus, & armatas ferro voluptates eligimus. Imaginem mortis timemus, tyrannidem vitiorum amplexamur. Vel vmbra, vel cera passionis nos terret, & nos delectant voluptatum lethalia spicula. O amentiam hominum, si ad passionis imaginem currant, inde vita prosilit, & triumphus; sed quia imaginem fugimus mortis, voluptuosam agimus vitam, & mors acceleratur, & sub duro perimus carnifice.

Paul.

Egesipp.

Matth. 28

Chrysol.

Ad Rom. 6.

Egesip.

* * *

CAPVT II.

Isaaci nuptiæ, & filiorum natiuitas.

Textus Historia.

QVADRAGESIMVM viderat annum Isaacus, & patrem solicitum tenebat, quibus posset nuptiarum tædis lumen addere tanti filij virtutibus. Nulla è Chananitidis puella placuit seni, vt quæ à Noe traxerant maledictum seruitutis, & nimis essent Idolorum cultibus addictæ. Magis libuit, de antiqua Mesopotamiæ patria, & cognatione virginem comparare, quam filio adiungat. Rei consiliarium, & procuratorem vocat Eliezerum sibi omnium seruorum fidelissimum, & charissimum: hunc per Deum, quem de sui femoris carne venturum expectabat, per fœdera charitatis antiquæ orauit, vt Isaaci hymenæos curet, nec splendidum iuuenem compare Chananitide obscuret, neu illum ad cognatos reducat, sed potius inde afferat virginem. Hoc vnum, inquit senex, a iuramenti religione te reddet immunem, si nulla cognata virgo sponsum amet tam longo emendum itinere. Et illo inter gestus lætissimos iurante, pater conticuit, sperans à Deo sibi paratam nurum. Neque iter differebat Eliezerus; decem camelos lectissimis regionis, & familiæ premit spolijs, quæ virgini notam faciant opulentiam viri. His ductis viam arripit, cuius octauus, siue decimus dies hominem reddit Haran propinquum, & viciniori vrbis puteo. Hic sollicita Eliezere incipiunt vota, & Eliezeris votis sollicitatur diuinum numen, vt cœptis faueat, & virginem promat, quæ deceat tanti patriarchæ connubium. Eligendæ signa ponuntur, si petenti potum hilaris exhibeat, & addat insuper, quod etiam, & camelorum velit sitim extinguere. Interea apparet Rebecca Batuelis filia, Nachoris Abrahami fratris neptis ex Melcha, virgo venustissimæ formæ, non multa in comptu, in natiuo decore multa, & multa in officio. Hydriam applicuit fonti implendam, & tantum nitidam manibus applicuit hydriæ, quantum sufficeret, vt totus, quantus erat fons, in crystallum iret. Domum reuersuræ adstat Eliezerus, & insolitam miratus pulchritudinem, Liceat, inquit, decora puella, hospiti sitibundo de tuas hydria aquas haurire, quibus inuident vniuersi fontes Paradisi. Illa non multum hospitem morata, inclinatam sustentans manibus hydriam, aquas porrigit, quæ de sustentantis beneficio nectara superant. Vix hominem satiarat, & dicto citius camelis accurrens, quam semel & ter impleuerat hydriam, totidem repetitis officiis coram effundit, vt omnes bibant. Non aliter credebant antiqui Nympharum numina fontibus adstitisse, vt niuali fluenti mortalium sites extinguerent. Gradiebatur illa, tanta humanitate, tàmque concinnè, rursùsque ea comitatis specie, vt in illius contemplatione cerneret Eliezerus in effectum venisse vota sua. Vnum restabat sciendum, puellæ genus, quoniam Isaaco decognatione sua debebatur vxor. Itaque rogat Eliezerus, cui numini debeat tanta pulchritudo, quod nata sit. Et parens, & aui in promptu fuerunt nobilissimæ virgini. Ad quorum nomina exultans hospes, vt ex fronte coniiciebatur, in subitas lætitias assurgit. Tandem versus ad Deum, cuius quasi pedibus allapsus humi sternebatur, Summe Deus, inquit, firma tuo numine vota mea, firma Abrahami fidem, quando cœlesti munere factum est, vt recto itinere ad domum fratris domini mei adducar. O te fœlicem, formosissima puella, si tuas fortunas licuisset agnoscere, sciuissésque tui Abrahami patrui primogenitum Isaacum te alloqui, tibi adiungi; qui quo magis te deuinciat, hæc per me offert munuscula, parua optatissimi fœderis pignora. Simul dixit, & ex pyxide eruit inaures aureas appendentes siclos duos, & armillas totidem pondo siclorum decem, quibus erga Dominum suum, affectum virginis inclinare nititur. Aduolauit illa ad parentes, prætendit munera, & omnia ex Eliezero audita renuntiat. Erat virgini frater natu maior, cuius nutu regebatur familia; decesserat enim Batuel pater, vt autumāt plurimi. Ergo Labanus sororis percepta relatione pergit ad fontem, Eliezerum inuenit, quem officiose obsecrat, ne cunctetur venire, in sibi, & suis paratum hospitium. Successere omnes in tectum, & dum camelos ministri curant, perlata cœna, & Labani humanitas hospitem ad laborum obliuionem inuitant. Abstinuit à cibo Eliezerus, sed & antequam mensæ accumbat, sic tam longæ susceptæ viæ causas explicuit. Abrahamus mihi herus est, vir non solum vestri cultor, sed & sanguis, cui iuramenti religione adstrictus perueni virginem quæsiturus, quæ thalamum splendidissimi, sanctissimique iuuenis, illius primogeniti adimpleat. Tenet senem auitæ domus affectus, & maximè offendit fucata Chananitidum pulchritudo; hinc amat de propria stirpe plantam accipere, cui filio iunctæ debeat ingentes à summo Deo sibi promissos benedictionum fructus. Eisdem ego agitatus curis longum dimetior iter, vrbis accedo fonti, vbi dum coram Deo paratam coniugio virginem, Domini mei moribus, virtutibúsque depingo, adest Rebecca multis alijs longè splendidior, & humanior cunctis. Huius in aspectu, & magis in officio summum Deum Isaaci pronubum adoro, extractísque inauribus aureis, simul & armillis quasi nuptiali senio sponsam designo. Videte, hospites, quid in Isaaci genere, quid in fortunis displiceat? Aut me in cœlum afferite, si faciatis, vt velit Rebecca Isaacum habere maritum. Annuunt oranti virginis fratres, & non paucis lætitiæ signis ostendunt, sibi sororis cum Isaaco connubium pergratum accidisse, & fore auspicatissimum. Quæ tunc vota Eliezeri, qui sensus fuere? Auri, argentique vim, in diuersi generis vasis efformatam eruit, simúlque vestes eadem opulentia tumentes. His ornat Rebeccam, illis matris eius, fratrúmque ambitionem replet. Lætantes omnes excipit cœna, quæ multum consumpserat noctis, cum recessum est. Vbi Sol parturiebatur, adstat Eliezerus, redeundi ad heros de tarditate anxios facultatē contendit; tandem à resistentibus virginis fratribus facultate accepta, paratam profectionem Rebeccæ denuntiat. Libentissima illa ascendit camelum, noua fœlicitatis signa profectione prætendens Eliezero, quod adesat fructus laboris: peruicerat enim tot incommoda, ne seni hero obnoxius maneret. Fratribus iucundissimum erat sororem iungere illi viro, cui tanta à summo Deo promissa cognorant. Ancillæ nonnullæ ibant, inter quas nutrix Rebeccę dominam sequebatur amoris ergo, aliæ vt debita exhiberent obsequia. Omnes in felicitando multæ; at Eliezerus plurimus erat in explicandis Isaaci dotibus, præstantia formæ, indolis suauitate, & diuitiis Abrahamidæ domus. Iamque peruenerant ad confinia Geraræ ea hora, qua Isaacus in campum diuerterat, qui camelorum turmam à longè præuidens, putans suos, lento gradu occurrit venientibus. Subitæ seruorum voces fuerunt Isaacum esse, qui venerit, nam nota erat gradiendi forma, & visus in campum prodeundi. Cuius ad aspectum Rebecca flammeo circumamicta velamine ambulare cœpit, quantumuis resistentis sponsi allapsura pedibus. Rosarum illam vim inclinatam subleuat Isaacus, cui longissimum erat, quod non eam duceret ad gynæceum, haud dubiusu se amandum oblatum a Deo egregiæ adolescentis consortium. Tanquam cum Sponsa locutus est: nisi quod adhuc reuerentia accedebat blanditiis. Nec deerat illa laudibus suis, tam submissa in Sponsum, tam concinnā modestiā se ingerens, vt conclamatum sit illos à summo Deo fuisse coniunctos. Sopitus tunc primùm est in Isaaco materni funeris dolor; ex quo enim è matris sede cœpit Rebecca splendescere, omnia luctus nubila dispereère, & quem matri Isaacus affectum debuerat, sponsæ reddidit. Vna in iis tædis, Abrahamidum votis tardauit respondere Rebeccæ fœcunditas, quæ sub sterilitatis nota delitescens, assiduis tandem Isaaci precibus excitata sic creuit, vt gemina prole auctus, serotinus vterus intumesceret. Fuit vterus Isaaci filus palæstra, ibi enim infantes hostilibus agitati moribus vsque ad matris querelam, posterorum suorum sæuissima præfigurabant bella. Nascendi ordo primatum Esau dedit, ex quo a fratre Iacob deturbaretur, quando is nascebatur adnitens plantam maioris fratris subuertere. Vt ambo fratres creuerint, vt alter à matre, alter à patre amaretur; vt repulso Esau patris benedictionem Iacob furatus fuerit, superius dixi, vbi Iacobi ad amussim historiam texui.

PARS PRIMA.

Moralia circa textus.

ET nuptias, & filios Isaaci recensere conatus, [illegible] de literæ cortice ex sacro textu nobis veniunt nulla promenda.

Genes.

Genes. 24. Dixitque Abraham ad seruum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus, quæ habebat: Pone manum tuam subter femur meum; vt adiurem te per Dominum Deum cœli, & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito: sed ad terram, & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias vxorem filio meo Isaac.

§. I.

Quæ circa filiorum pudicitiam sunt, præcipuè parentes tangunt.

NVlla in Isaac de nuptiis ostenditur cura, nulla in illo de eligenda, iungendáque sibi puella cogitatio, id solus pater Abrahamus meminit, solus curat, solus seruum vocat, & cum seruo tractat seruile, & lasciuum Chananæorum genus effugere, & virginem ex propria mundissima cognatione filio dare. Et cur in hac cura solus introducitur pater, nisi vt ostendatur, quam præcipuè parentes tangant, quæcumque sunt filiis pudicitiæ, & castitati? Hine Paul. 1. ad Timoth. 2. *Mulier seducta in præuaricatione fuit. Saluabitur autem per filiorum generationem si permanserint in fide, & dilectione, & sanctificatione cum sobrietate.* D. Hieronym. lib. 1. in Iouinian. putat vltima hæc legenda esse, *& sanctificatione cum castitate.* Salus enim & fœlicitas parentis non solis ex propriis virtutibus constat, sed etiam resultat ex filiorum virtutibus. Et ex quibus filiorum virtutibus? Nimirum si fideles sunt, si sanctimoniam habeant cum castitate. Equidem quasi proprio stemmate ornantur parentes filiorum castitate. Vnde D. Hieronym. ibi: *Tunc ergo saluabitur mulier, si illos genuerit filios, qui virgines permansuri sunt; si quod ipsa perdit, acquirat in liberis, & damnum radicis, & cariem flore compenset, & pomis.* Ecce tibi vt se vestiat parens casto, & florido filiorum ornatu; & salutem componat suam de filiorum castitate, quasi hæc in filiis præcipuè spectet ad patres. Hine 1. Esdræ cap. 11. vbi petulantia, & libido populi in alienigenis ducendis curatur, sacerdotis magni Iesu filij illius criminis rei notantur. Ait enim; *Et inuenti sunt de filiis sacerdotum, qui duxerant vxores alienigenas. De filiis Iosue filij Iosedech, & fratres eius, Mansia, & Eliezer, & Iarib, & Godolia.* Quid tunc? Accipite Zachariam cap. 3. huc respicientem. *Ostendit mihi Dominus Iesum sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini: & Satan stabat à dextris virintis eius, vt aduersaretur ei. Et Iesus erat indutus vestibus sordidis, & stabat ante faciem Angeli.* Creditur Zacharias respexisse ad dictam Esdræ historiam, sed ibi Iesu sacerdotis summi filij dicuntur alienigenas duxisse vxores, illarúmque voluptatibus, & luxuria capti. Hic Iesus dicitur coram aduersario stare indutus vestibus sordidis. Non filij, sed solus Iesus apparet sordidus, quando enim filiorum castitas coniugio nefario sordidabatur, labes hæc præcipuè patrem afficiebat. Sic Beda in Esdr. fatur: *Rectè, inquit, stabat Satanas à dextris eius, vt aduersaretur ei, quia vera erat accusatio, ipso enim cum cæteris alienigenam duxit vxorem. Quod autem dicitur Iesus indutus vestibus sordidis, interpretatur ob coniugium illicitum. Sed intuendum, quod non scribit Esdras Iesum alienigenam duxisse vxorem, sed quosdam de filiis eius hoc facinore dicit esse pollutos. Quamuis & culpa filiorum ad patrem respiciat.* Ecce tibi vnde Iesus sordidas vestes habebat, nimirum ex sordidata filiorum pudicitia, non Iesus, sed filij sese coniugio lasciuo polluerant, & tamen pater totam illam maculam induit; in re enim castitatis, & pudicitiæ, quidquid in filiis inuenitur, patres aut ornat, aut inficit, quasi huius virtutis cura, præcipuè illos pertingat. Notissima est Heli clades, de qua ait Dominus 1. Reg. 3. *Suscitabo aduersus Heli omnia, quæ locutus sum super domum eius incipiam, & complebo. Prædixi enim ei, quod iudicaturus essem domum eius in æternum propter iniquitatem eius, eo quod nouerat indignè agere filios suos, & non corripuerit eos.* Sed & Samuel habuit filios perditissimos, & tamen non luit filiorum pœnas. Cur magis Heli, quam Samueli tribuuntur filiorum errores? De filiis Samuelis solum dicitur 1. Reg. cap. 8. quod *declinauerunt post auaritiam.* de filiis autem Heli dicitur cap. 2. quod *dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi.* Non autem alia, sed quæ ad castitatis labem in filiis pertinent, ea præcipuè tribuuntur parentibus. Ait Procop. in Glossa: *Quare Samuel non luit pœnas propter scelera filiorum sicut Heli? Isti in homines iniuriosi, illi in Deum impij fuerunt. Neque enim illi violauerunt matrimonia, neque libidinibus iniuria affecerunt diuinum tabernaculum. Erat autem solum accusas, quod corrumperentur muneribus.* Quando quæ castitatis sunt in filiis integra manent, integra etiam manet gloria parentum, quæ sordidatur, & contunditur, vbi in filiis datur aliquid, quod pudicitiæ, & castitatis splendori deroget.

1.Tim.2. *Hieron.* *1.Esd.11.* *Zach.3.* *Beda.* *1.Reg.3.* *1.Reg.8.* *Procop.*

§. II.

Perditioni solent esse nuptiæ, in quibus non tam Christus salutis author, quam temporale aliquod commodum cernitur.

SVbter Abrahami femur iubetur seruus Eliezer manum ponere, vt iuret de eligenda Isaaco sponsa: & cur ad hoc manus ponitur subter Abrahami femur? Erat in Abrahami femore, tanquam in radice Christus, vt malunt DD. Gregor. August. Ambros. Rupert. Hieron. & alij apud Lippomanum, qui solus in illo connubio spectabatur, non diuitiæ, non dominatus, non formæ venustas, cupiditatis pabulum. O Sponsa Isaaco digna, pro qua eligenda non temporalia commoda, sed Christus spectatur, fallar, nisi inde auspicatissimum connubium appareat; connubiorum enim discrimina tunc oriuntur, quando non Christus, sed lucrum quæritur temporale. Prouerb. 9. ex lectione Septuag. apud D. Hieronym. lib. 1. in Iouinian. *Mulier insipiens, & audax inops panis. Terrigenæ apud eam pereunt, & in profundum infernum incurrunt.* Expende qui sint, qui pereant, qui damna pessimæ fœminæ experiuntur, nimirum, Terrigenæ, hoc est, illi homines, qui in fœminarum consortio nihil Christianum spectant, nihilque vident, quod ad terrenum, & temporalem hominem non pertineat. Ex quo eleganter D. Hieronym. ibi: *Mulier insipiens, & audax, inops panis efficitur. Cuius panis? Nempe illius, qui de cælo descendit. Terrigenæ apud eam pereunt, & in profundum infernum incurrunt. Qui sunt terrigenæ, qui apud eam pereunt? Vtique illi, qui sequuntur primum Adam, qui de terra est, & non secundum, qui de cælo est.* Vbi diuinissimi panis inopia est, vbi in coniugali fœdere nihil secundi Adami, nempe Christi aspicitur, sed terrena, & temporalia commoda sola præ oculis sunt, ibi & ruinæ, & perditiones prosiliunt. Exemplum sit, quod de Herode narrat Egesipp. lib. 1. Excid. Hierosol. cap. 36. inquiens: *Hanc Herodis potentiam prosperis affluentem successibus vnius mulieris expetita societas inclinauit, mœstisque infregit doloribus, ex quo aduersum iat, fásque coniugium dignitate potius generis, quam charitate, vsu quodam regio metiendum existimauit. Sociat sibi Mariamnem Aristobuli neptem, Alexandri filiam. Itaque dum sequitur nobilitatem, in perturbationem incidit, quæ sibi domus propria non conueniret, cui diuersarum Prouinciarum multiplex obtemperabat populus.* Scatent connubia doloribus, scatent periculis, quando in illis solum spectatur temporale lucrum, nihil Christianum, & diuinum conspicitur. Caue homo, ne ad connubia curras, sicut equus, & mulus, sola respiciens pabula appetitus, quando nuptiarum auspicium fœlix nullum est, nisi vbi in illis quæritur Christus. Hine Psalm. 127. *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Quid vxor ad vitem? Vitis præstantissimus fructus non spectatur nisi de torcularis pressura; sic vxoris fœlicitas nullibi ita claret, vt à torcularibus Christi. Accipite D. Ambros. lib. 3. de Virg. fantem: *Est Ecclesia ager diuersis fœcundus copiis. Hic cernas germina virginitatis flore vernantia, illic tanquam in campis sylua viduitatem grauitate pollentem, alibi tanquam vberi fruge coniugij Ecclesia segetem replêtem mundi horrea, ac veluti maritata vinea fœtibus torcularia Iesu Domini redundantia, in quibus fidelis coniugij fructus exuberat.* Ecce tibi locutus de flore virginitatis, de grauitate viduitatis, vbi ad coniugium accessit sub specie vitis, minimè eius præstantiam ostendit, nisi prodeuntem de torcularibus Christi, quasi inde solum auspicatissima sint coniugia. Quo respiciens D. Chrysost. hom. 12. in epist. ad Coloss. ait: *Faciat quisquam nuptias, quales ego dico, & videbit voluptatem. Quales illas? Primum virgini quæras virum, qui vere virum, & tutorem illi præstet. Pecunias non quæras, non generis splendorem, non familiam magnificam, vana sunt hæc omnia, sed animi quæras pietatem, mansuetudinem, veram prudentiam, Dei timorem, si velis filiam tuam iucundè viuere. Postea quam diligenter viri virtutem compertam habes, filiámque iam elocare statuis, ora Christum, vt adsit. Neque enim pudebit* illum

Prouer.9. *Hieron.* *Egesipp.* *Psal.127.* *D.Amb.* *Chrys.*

illum adesse. Mysterium est aduentus, & incarnationis ipsius. Sic quærendum semper, vt in nuptiis spectetur Christus.

§. III.

Nil indecorum est, quod virtuti promouendæ ostenditur vtile.

PVtaret aliquis seniori, & nobiliori viro Abrahamo indecorum, quod serui manum subter femur exciperet, sed qui eo modo Christi à se oriundi profitebatur religionem, minimè indecorum putat, quidquid deseruit tanto bono. Sapienter quidem, quando quod vtile est virtuti promouendæ, non potest esse indecorum. Oseæ c. 1. ait Dominus: *Sume tibi vxorem fornicationum, & filios fornicationis, quia fornicans fornicabitur terra à Domino. Et abiit, & accepit Gomer filiam Debelaim, & concepit, & peperit ei filium.* Quid magis indecorum viro bono quàm sibi adiungere fornicariam fœminã? Quid ergo Oseas vir propheta indecorum duxit iubente Deo se fornicariæ copulare? Nonne hoc esset turpissimum cuiusuis hominis facinus? Cur ergo non magis detrectat tale Dei imperium? Cur cum Petro Act. 2. non ait, nunquam attigi aliquid commune? Equidem vbi Oseas vidit saluti spirituali fœminæ illud coniugium posse suffragari, nihil sibi indecorum putauit, dum seruiret virtuti tantæ. Rem pulchrè exagitat D. Cyrill. ibi fatus: *Equidem non verebor affirmare, Prophetam etiam Gomer saluti fuisse. Mulierculam enim adeo infamem multisque communem eo promouit, vt vni viro adhæresceret, honestámque liberorum parentem effecit. Quod autem de se parum solicitus, potius quod alteri vtile, & ad salutem necessarium foret, amplexus est, præclarus conatus, & sancto viro dignus fuit. Nihil ergo mirum, si paulò extra decorum egressus propheta, saluauit Gomer, & mulierculam perditam ad morum honestatem reuocauit. Vtilis autem, & necessaria rei causa, Deo mandante, vti muliercula coniugaretur, statim plenam fidem adstruit.* Nihil indecorum potest esse viro bono, vbi causa decora, & vtilis salutis promouendæ est. Quo spectabat Parens meus D. Ignatius, qui dum totius Ordinis clauum Romæ teneret, ipse mulierculas prostibulas conueniebat, & è fœtido stabulo exeuntes comitabatur, vt illas ad Deum traheret. Nec vnquam indecorum putauit cum istis vitiorum mancipiis conuersari, dummodo speraret aliquam illarum vel per breue tempus, se in bonam frugem recepturam. Quid mirum? Didicerunt hoc sanctissimi viri ab vnigenito filio Dei, qui cum in forma Dei esset, non indecorum putauit, se exinanire, & in formam serui venire, quando id vtile erat hominum saluti. Quod eleganter pertractat Theodotus Ancyræ Episcop. homil. 2. de Natiu. Christi, habita tom. 6. Concil. Ephes. cap. 10. inquiens: *Ne igitur mireris, si Deus Verbum ex vtero virgineo nascitur: Deus enim nihil ignominiosum ducit, quod humanam salutem conciliare natum est. Neque tu Dei naturam ita vilem, abiectámque arbitreris, vt cuicumque iniuriæ obnoxia esse queat. Nihil enim abiectum, aut vile, quod is nostri causa assumpsit, vllam illi ignominiam irrogat. Assumit nihilominus quædam inferiora, non quæ suam naturam contaminent; sed quæ nostram naturam saluet.* Dum saluti humanæ, virtutique promouendæ, aliquid conducat, nullo modo indecorum potest esse homini bono, nec Deo ipsi.

(margin: Osea 1.; D.Cyril.)

Genes. 24 Respondit seruus: Si noluerit mulier venire mecum in terram hanc, nunquid reducere debeo filium tuum ad locum, de quo tu egressus es? Dixitque Abraham: Caue, ne quando reducas filium meum illuc. Dominus Deus cœli, qui tulit me de domo patris mei, & de terra natiuitatis meæ, qui locutus est mihi, & iurauit mihi, dicens: Semini tuo dabo terram hanc, ipse mittet Angelum suum coram te, & accipies inde vxorem filio meo. Sin autem mulier noluerit sequi te, non teneberis iuramento, filium meum tantùm ne reducas illuc.

§. IV.

Non leuiter à suscepto Dei opere desistendum.

QVam pertinax Abrahamus hærebat Chananitidi regioni, & à Mesopotamia aberat, qui nullo prætextu concedit, quod filius reducatur illuc. Oderat Chananitides puellas, & amabat derelictæ patriæ suæ virgines: sed si ad has ducendas, necessum fuisset Isaacum filium illo ire, Deus bone quàm seuere iubet seruo, *Caue, ne quãdo reducas filiũ meum illuc.* Et iterum, *Sin mulier noluerit sequi te, non teneberis iuramento, filium meum tantũ ne reducas illuc.* O fœlicissimã sanctorum virorum pertinaciam, in nõ deserendo semel cœpto opere diuino. Abrahamus Dñi nutum sequẽs habitabat apud Chananæos, patriæ propter Deum valedicens, à quo vt deflectat, nullis incommodis adducitur. Nec optatissimum filij coniugium facit, quod Abrahamus semel propter Deum inceptã peregrinationem derelinquat. Non enim creatura, sed Deus sit grandiori sua potestate vtens, qui sanctum faciat ab opere cœpto virtutis desistere. Gen. 22. *Tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille respondit, Adsum. Ait illi: Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis, Isaac, &c.* Sic Abrahamus à Deo mandatum accipit litandi filium. De nocte ergo bonus senex consurgit, & cum filio ad montem pergit, ligna scindit, filium onerat lignis, subit montis iuga, & in vertice aram struit, ligna componit, ligat filium, vt mactet, gladium stringit. Quid tunc? Ait text. *Ecce Angelus Domini de cœlo clamauit, dicens: Abraham, Abraham. Qui respondit, Adsum. Dixitque ei, non extendas manum tuã super puerũ, &c.* Expende, quod vbi ponitur Dei præceptum, solum scribitur Deus dixisse: ait enim, *dixit ad eum.* vbi autem ab incepta præcepti adimpletione reuocatur, tunc dicitur clamasse, nimirum, *de cœlo clamauit, dicens.* Cur ibi simplex tantum vox profertur, hic autem clamor emittitur, nisi vt ostendatur, quanto maiores vires applicet Deus, necessum est, si velit virum sanctum reuocare ab incepto opere virtutis? Quo spectans D. August. serm. 72. de tempore, inquit: *Qui susserat, vt ferret, modo vociferatur, vt parceret.* Non equidem leui voce poterat sanctus deturbari à cœpto opere diuino: quippè quem Deus simplici, & tenui verbo in filij sacrificium impulerat; vt illum ab opere iam propter Deum cœpto reuocaret, quasi necesse habuit vocem extollere, multáque vti vociferatione. Sic ægrè & difficulter sancti dimittunt diuina opera cœpta. Act. 16. de Paulo & sociis dicitur: *Trãseuntes autem Phrygiam, & Galatiæ regionem, vetati sunt à Spiritu sancto loqui verbum in Asia. Cum venissent autem in Mysiam, tentabant in Bithyniam, & non permisit eos Spiritus Iesu. Cum autem pertrãsissent Mysiam, descenderunt Troadem; & visio per noctem Paulo ostensa est: Vir Macedo quidam erat stans, & deprecans eum, & dicens: Transiens in Macedoniam, adiuua nos. Vt autem visum vidit, statim quæsiuimus proficisci in Macedoniam.* Expẽde, vt in Macedoniam traheret Paulum, vir Macedo in somnis apparet; vt eundem cohiberet ab Asia, & Bithynia spiritus diuinus per se adest, dicit enim, *vetati sunt à Spiritu sancto.* Et cur necessum fuit ibi Spiritum sanctum per se ipsum adesse, quando hic vnus vir Macedo adest, & sufficit? Hic vocabãtur Apostoli, vt Macedonibus prædicarent iuxta munus sibi à Deo cõmendatum, ad quod leui quadam voce, vel nutu hominis mouebantur. Ibi detinebantur, ne officium inceptum prædicandi prosequerentur in Asia; vt autem à virtutis cœpto opere reuocarentur, opus erat maiori potestate, & vi, quam humana. Pulchrè D. Chrys. hom. 35. in Acta fatur: *Ibi quidem facilius creditur, & humanius apparet, illic autem violentius, ac diuinius. Nam vbi quidem solum vt prædicaret, festinauit, ad hoc somnium apparet ei: vbi vero non permittitur prædicare, ibi spiritus renclat. Non enim facilia operatus spiritus.* Pondera verba illa, nimirum, *illic autem violentius, & diuinius*: quippe vbi reuocandi erant Apostoli, & cohibendi ab incepto prædicationis officio; non creatura, sed Deus per se interuenit, multa violentia vtens, multamque promens vim diuinæ suæ virtutis. Tanta enim opus est mole, vt iustus vir debeat cohiberi, & reuocari ab incepto opere virtutis.

(margin: Gen. 22.; August.; Act. 16.; Chrysost.)

§. V.

Beneficiorum acceptorum memoria, & gratitudo fidem facit nouorum.

VIde securitatem, & fidem Abrahami circa nuptias filij, nimirum ait: *Dominus cœli, & terræ, qui tulit me de*

domo

domo patris mei,& de terra natiuitatis meæ,qui locutus est mihi,& iurauit mihi, dicens: Semini tuo dabo terram hanc,ipse mittet Angelum suum coram te,& accipiet inde vxorem filio meo. Vnde tam certò asserit Abrahamus Angelum à Deo mittendum, qui serui iter prosperet, sponsam filio inueniens? Cur tam securus xit, *mittet Angelum suum coram te, & accipies vxorem, &c.* Præmiserat beneficiorum acceptorum ex Deo gratissimam, & singularissimam recordationem, dicens: *Dominus cæli,& terra,qui tulit me de domo patris mei,qui locutus est mihi,& iurauit mihi,dicens: Semini tuo dabo terram hanc.* Vbi autem sancto viro acceptorum beneficiorum tam prompta est, & grata commemoratio, hæc securissimam fidem facit de accipiendis aliis. Quo spectans Lippoman.in cat.fatur. *Ideo seruo prolixe explicat Dei promissiones, & beneficia,quibus corroboretur serui fides. Sanctis,Dei beneficia recentes adsunt,& in numerato illa habent semper grati.* Hæc est sanctorum conditio, quod illis beneficia diuina recentia sunt, & in numerato illa gratissimi habent; quod vbi non defecit Abrahamo, inde corroborat, & firmissimam fidem seruo facit de accipiendo etiam nurus beneficio,quod sperabat. Et quid non obtineat à Deo grata acceptorum beneficiorum recordatio? Ait Theodotus Ancyræ Episcop.homil.2.de nat. habita 6.tom.Concil.Ephesini cap. 10. *Solet autem vberior gratia illis obuenire,qui grato animo gratiam accipiunt. Tantum enim plerumque donorum præstatur, quantum eorum est gratitudo,qui huiusmodi donis potiuntur. Quare cum de accepto dono donatoris benignitatem grata recordatione agnoscis,non modo pro acceptis fecisti satis,verum ad maiorem quoque beneficiorum elargitionem donatorem astrinxisti.* Quid pulchrius? Vna beneficiorum acceptorum supputatio tantum valet,vt donatorem ad maiora alia elargienda astringat. Nec aliud putabat D. Chrysost.hom.27. in Genesim,post beneficia à Deo in nos profecta numerata fatus: *Vidisti dona excellentia? vidisti beneficia illius omnem cogitationem transcendentia? In cor hominis non ascenderunt. Si igitur volumus supputare,& pro viribus nostris gratias agere, poterimus multo maiorem illius gratiam nobis conciliare.* Nunquam inanis erit acceptorum beneficiorum recordatio, & supputatio, sed nobis largitorem deuinciet ad multo maiora, eúmque prorsus nobis addictũ reddet. Qui ergo amat magni consilij Angelũ Iesum sibi sẽper habere obnoxium, hoc præstet,vt eius beneficia accepta frequenti supputatione memoret. Quo respiciens Paulus ad Rom. 16. finiebat epistolam, aiens: *Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis.* Quæ verba tractans D.Ambr.ibi fatur: *In conclusione Christum ponit,per quem facti,& iterum reformati sumus gratia eius, vt mentibus nostris hæreat: quia si beneficiorum eius memores simus,semper nos tuebitur,sicut dixit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Nobis semper addictum Christum tenebit crebra supputatio beneficiorum eius.

Lippom. *Theodot.* *Chrysost.* *Ad Rom. 16.* *D. Ambr.*

§. VI.

Nulla est creatura, cui sic Deus credat totam nostri curam,ne ipse per se assistat.

AIt Abrahamus ad seruum de Deo suo, *ipse Angelum suum mittet coram te,& accipies inde vxorem filio meo.* Mittet Angelum, ait,an quia ipse Deus abstineat ab illa cura,& negotio,cuius sollicitudinem Angelo committit? Absit, nec tale de Deo suo Abrahamus præsumit, imo ideo asserit Angelum à Deo mittendum, vt euidentius tanto negotio Deum per se assistentem indigitet. Nescit equidem Deus sic suorum curam Angelis committere, vt ipse ab illa requiescat, quin potius tunc certius ipse assistit, quando Angelorum solicitudo sentitur. Luc. 1. *Ingressus Angelus ad Mariam dixit: Aue gratia plena,Dominus tecum,benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset,turbata est in sermone eius.* Cur ad ingressum Angeli turbaris Maria? Nonne & purior Angelis es, & excellentior? Cur te mouet puritas Angelica? Non equidem ad ingressum solitarij Angeli turbatur, sed ad Dei ingressum, qui statim sentitur, vbi Angelus accedit. Ait enim Chrysol. serm. 143. *Maria vt vidit Angelum,turbata est. Turbata est caro, concussa sunt viscera, mens tremuit, tota cordis obstupuit altitudo; quia in ingressu Angeli virgo sensit diuinitatis ingressum.* Non est talis Deus, qui creaturarum suarum negotia sic committat Angelis,vt ipse ab illis supersedeat, quin potius nullum facit gradum Angelus,in quo nõ sentiatur adesse,& negotiari ipse Deus. Sic Exod. 2. dicitur, *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Apud Hebræos legitur: *Apparuitque ei Angelus Domini in flamma ignis.* Ibi dicitur Dominus apparuisse,hic dicitur Angelus,vter ergo apparuit? An Deus apparuit,an Angelus? An vterque? Crediderim,ex eo quod Angelus ille fuisse dicitur,quod & vterque erat,nimirũ & Deus, & Angelus, quando Angelus nunquam solitariè sine Deo adest humanæ naturæ medendæ. Quo respexit Hilar. lib. 4. de Trinit.fatus: *Cum Angelus Dei dicitur,non proprius sibi,ac solitarius esse monstratur.* Nũquam Deus patitur Angelum solum esse in salute humana procuranda. Vnde aiebat Lippom.ibi. *Potuit quidem fieri, vt sub præsentia Angeli Deus sese ostẽderet,vt habetur etiam Exod. 23. Vbi Deus alloquitur populum: Ecce ego mitto Angelum meum,obserua eum,quia in medio eius sum.* Ecce tibi, vt ad gressum Angeli veniat etiam Deus, vt suorum seruorũ negotia peragat. Hinc Malach. cap. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum,& præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum dominator,quem vos quæritis.* In cõfesso est apud omnes expositores per Angelum in præsenti intelligi Ioannem Baptistã. Sed cur diuinus Præcursor vocatur Angelus? An ob vitæ puritatem? An ob altitudinem sanctitatis? Crediderim ex eo vocari,& haberi Angelum Ioannẽ Baptistam, quod non venit solitarius,sed ex eius aduẽtu, Dei immediatè aduentantis præsentia sentitur. Adhæc D.Cyril. Alex.ibi: *Perspicis igitur,quomodo post statim,& tantum nõ è vestigio Christus prænuncium secutus sit,se ipsum hactenus latentem sistens Iudæis vniuersis,& quasi repentino,ac de improuiso apparens. Angelũ autem nominatum sacrosanctum Baptistam dicimus, non propter naturam quidem,sed quoniam illi talia nobis prædicandi, nuntiandique munus est impositum.* Inde merito Angelus dicitur,quod præsentem Deum nostra procurantem indigitat, nunquam enim in Angeli aduentu nostri causa,& ipse Deus non sentitur. Hinc Angelus ad Mariam Luc. 1. *Aue gratia plena, Dominus tecum.* De quo D.Ber.ser.3.ibi. *Hoc mirandum, quomodo qui Angelum miserat ad virginem, ab Angelo inuentus est esse cum virgine. Itane velocior Angelo fuit Deus,vt festinantem nuntium celerior ipse præueniret ad terras? Hoc mirum. Nam cum esset rex in accubitu suo,nardus virginis dedit odorem suum,& ascendit in conspectu eius fumus aromatis. Statimque rex egrediens de loco sancto suo,exultauit vt gigas ad currendam viam suam,& licet à summo cælo egressio eius, nimio tamen peruolans desiderio præuenit suum nuntium ad virginem.* Non mittit Angelum Deus, vt maneat ipse;quin potius & cum Angelo,& ante Angelum pergit,vt peragat negotia humanæ salutis.

Luc. 1. *Chrysol.* *Exod. 2.* *Lippom.* *Mal. 3.* *D. Cyril.* *Luc. 1.*

§. VII.

Qui se totum Deo deuouit, caueat vel vmbram seruitutis exhibendæ creaturis.

QVo tendit illud Abrahami seuerissimum mandatum, nimirum. *Caue,ne quando filium meum reducas illuc?* Cur sic cauetur Isaaci reductio in Chaldæam? Sane ipse Isaac non id curauit in filiis suis,quin potius Genes. 28. de illo dicitur: *Vocauit itaque Isaac Iacob,& benedixit eum,præcepitque ei dicens: Noli accipere coniugem de genere Chanaam,sed vade,& proficiscere in Mesopotamiam Syriæ, ad domum Bathuel patris matris tuæ, & accipe tibi inde vxorem de filiabus Laban auunculi tui.* Iacob Isaaci filius iubetur à parente, vt in Mesopotamiam Syriæ eat,& ibi sibi coniugem adiungat: ipse autem Isaac minime permittitur, illò ire. Cur non permittitur Isaac, & Iacob permittitur in Chaldæam redire? Terra illa Chaldæorum deputata erat à Deo,vt in illa Abrahæ semen seruitutis premeretur iugo, sic ibi Iacob quatuordecim annos Labano seruiuit,sic sub Nabuchodonosor seruierunt ibi vniuersi Israelitæ. Isaac autem qui solus totum se deuouerat Deo in holocaustum,merito solus non permittitur vel videre vmbrã terræ seruitutis. Dedecet enim maximè illum, qui totum se deuouet Deo,vel in vmbram venire seruitutis exhibendæ creaturis. Gen. 22. dixit Abraham ad pueros suos, *Ego & puer illuc vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Quid tunc? Proficiscitur senex cum filio,sacrificium adornat mactaturus filium, sed cœlitus admonitus arietem iugulat, & immunem seruat filium. Tunc ait textus: *Reuersúsque est Abraham ad pueros suos,abierúntque Bersabeth simul.* Ante sacrificium dicebat & se & puerũ reuersuros ad seruos,& quidẽ id nõ putabat futurũ. Verũ post sacrificiũ Abrahamus solus dicitur reuertisse, & puer reuertisse nõ exprimitur,& quidẽ iam nunc reuertebatur & puer cũ parente suo. Cur ergo qui ante promittebatur reuersurus ad seruos, post sacrificium peractum non exprimitur reuertisse, nisi quia ille,qui se totum obtulerat Deo, nihil cum seruis mundi debet habere commune? Equidem vbi Isaac se totum Deo in holocaustum obtulerat,

Gen. 28. *Gen. 22.*

obtulerat, iam non debuit numerari inter eos, qui ad seruos redeunt, qui adhuc exhibent miseram creaturis seruitutem. Hinc Dominus apud Matth.22. *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Expende quod antequam Deo se reddere accedat quis, iubeatur Cæsari reddere omnia sua. Et cur antea Cæsari reddat? Ne postquam se Deo dedicet, aliquid in se habeat, propter quod debeat Cæsari seruire, sed ab omni mundiali seruitute maneat immunis. Ait Paschas. lib.10.in Matth. *Quia numisma Dei totus homo est, ad imaginem Dei creatus, vosmetipsos reddite Deo. Quod omnino non potestis, nisi vos primum exuatis à censu Cæsaris, quatenus deinceps liberi sitis.* Ex quo se quisquis totum Deo exhibuit, id curet, vt liber sit ab omni abiecta mundiali seruitute, vt nulli viliter seruiat creaturæ. Vix enim accipit Deus in suis quidquid mancipatum videt mundiali seruitio. Vnde apud Luc. c.9. *Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Natus ex Maria Virgine, & in præsepio constitutus sufficienter ostendit, nihil sibi tulisse ex omnibus his, quæ sunt in mundo. Et cur sic eiecit mundialia omnia, nisi quia tunc Cæsari adscribebantur singula? Id quod meditatus D.Hier. de vera Circumcis. ait: *Nulla Dominum sæculo mancipata delectant, nec sibi vsurpat quicquam, quod vel Cæsari, vel mundo voluit esse captiuum.* Sic non patiaris mundo seruire, quisquis totus amas in Dei transire peculium.

Matt.22. *Paschas.* *Luc.9.* *D.Hier.*

Gen. 24. Posuit ergo seruus manum sub femore Abraham domini sui, & iurauit illi super sermone hoc. Tulítque decem camelos de grege domini sui, & abiit, ex omnibus bonis eius portans secum, profectúsque perrexit in Mesopotamiam ad vrbem Nachor. Cúmque camelos fecisset accumbere extra oppidum, iuxta puteum aquæ vespere, eo tempore, quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam, dixit: Domine Deus domini mei Abraham, occurre, obsecro, mihi hodie, & fac misericordiam cum domino meo Abraham. Ecce ego sto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius ciuitatis egredientur ad hauriendam aquam. Igitur puella, cui dixero, Inclina hydriam tuam, vt bibam: & illa responderit, Bibe, quin & camelis tuis dabo potum, ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac, & per hoc intelligam, quod feceris misericordiam cum Domino meo.

§. VIII.

Baptismi, & pœnitentiæ aquis debetur, quod cœlum capiat peccatrices gentes.

PRope fontem aquæ stat Abrahami seruus, vt inde puellam colligat, quam in Domini domũ deferat. Vide, Christiane, diuina mysteria, fonti debes baptismatis, siue pœnitentiæ, quod domibus afferaris cœlestibus. Ad hæc Dauid Psal.103. *Extendens cœlum sicut pellem, qui tegis aquis superiora eius.* Angustum erat cœlum, non pertingebat vsque ad eos, qui longè à Deo fugerant: vt eos pertingeret, vt eos caperet, extendendũ cœlum maximè erat. Sed quomodo cœlum extenderetur? Sicut pellis rugata, & nimis cõtracta aquis apponitur, & sic extenditur. Ita Dominus aquarũ fontibus cœlestia apposuit; & fontium beneficio habemus, quod & auersissimi homines admitti possint in extensissimo, & capacissimo cœlo. Arnob. ibi fatur: *Christus est, qui extendit cœlum sicut pellem, & tantum eum extendit, vt & meretrices, & publicanos capiat, qui non capiebat nisi solos immaculatos. Et quia quando tenditur pellis, super ipsam aqua aspergitur, ita hic tensurus cœlum, sicut pellem, texit in aquis superiora eorum. Non enim poterant tendi, & vsque ad peccatores attingere, nisi aqua sacri baptismatis tegerentur.* Aquarum ergo fontibus debemus, nimirum baptismo, & pœnitentiæ, quod nos à Deo longissimè dissitos & attingat, & capiat cœlum. Apud Luc.c.3. ostenditur, quid possit baptismus Christianus, quippe ait: *Factum est autem, cum baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato, & orante apertum est cœlum, & descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum, & vox de cœlo facta est. Tu es filius meus.* Et pater sonat, & Spiritus sanctus adstat, & cœlũ aperitur, & omnia hæc fiunt iuxta fluenta Iordanis. Cur iuxta fluenta Iordanis? nisi vt ostendatur, quod de aquarum beneficio venit, quod peccatores consentiente Patre, & Spiritu sancto cœlestibus adscribantur? Accipite D.Basil. Seleuc. orat. 34. fantem: *Pater cum clamore præconium fert, spiritus volatu indicium. Et videre erat rem inopinatã, in aquis matrix parabatur, quæ cœlo ciues pareret. O inaccessa mysteria! aqua pariebat, & cœlo ciues adscribebantur.* In cœlo peccatores scribi, beneficium erat aquarum, quæ à baptismatis fonte prosiliebant, vel à pœnitentiæ amne. O mirã aquarum vim! Cœlum extendunt, vt peccatores capiat, extensumque replent multo adoptiuorum filiorum agmine. Quid mirum, quod cœlum ab aquis extendatur? Accipe, quid maius, ipse Dei filius vnicus Iesus, ab illis maiorem exaltationem accipit, dum fit primogenitus in multis fratribus. Iosue c.4. postquam populus transierat aquas Iordanis, dicit text. *In illo die magnificauit Dominus Iosue coram omni Israel.* Quæ verba merito remittam Origeni ponderanda. Is enim ait hom.4. in Iosue: *Quanta ante gesta sunt! Mare rubrum pedibus transitum est, manna de cœlo datum est, fontes in eremo disrupti sunt, & nusquam dicitur exaltatus esse Iesus. Vbi vero Iordanis transitur, ibi dicitur ad Iesum, In hac die incipio exaltare te in cõspectu populi. Nec enim ante mysterium baptismi exaltatur Iesus, sed exaltatio eius, in conspectu populi inde sumit exordium.* Itaque vbi fons apparuit baptismi, iam non fuit Iesus in paruis, & paucis, sed inde eius gloria cœpit grandescere, & in immensum extendi. Et cur nõ grãdescat Iesu gloria in numero fidelium post baptismatis fontem inuentum, quando ab illo fonte etiam euenit, quòd aduersaria omnia fugentur? Sic enim ait Luc.c.4. *Iesus autem plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane, & agebatur à spiritu in desertũ diebus quadraginta, & tẽtabatur à diabolo.* Prius perfecit Iesus Iordanis baptisma, & inde prosilit in arenam, vt aduersarij tela repellat. Quippe sapienter notat D. Cyril. Alex. lib. de recta fide ad Reginas, vbi agit de Christi sanctificatione, & sacerdotio: *Non ante sanctum baptisma susceptum tentabatur, sed neque spiritu quoque in desertum agebatur. Ecquid, quæso, res ista nobis adumbrabat? Non aliud vtique quã perdifficile esse, imo vero fieri vix posse, vt ij, qui baptismi gratia needum potiti sunt, grauissimis instantis Satanæ insultibus viriliter obsistant, aut spiritualis vitæ rationem inire queant. Tempus autem obtinendarum illustris victoria post sacrum baptisma opportunius erat.* Sic ibi ait vir sanctus, & quidem sapienter.

Psal.103. *Arnob.* *Luc.3.* *D.Basil.* *Iosue 4.* *Origen.* *Luc.4.* *D.Cyril.*

§. IX.

De Iesu halitu orationes nostræ accepta sunt Deo.

NOtabam in serui huius orationẽ crebrum recursum ad Abrahamũ, ait enim: *Domine Deus domini mei Abrahami,* & post duo, aut tria verba statim subiungit, *Fac misericordiam cum Domino meo Abraham,* & post pauca finit: *per hoc intelligam, quod feceris misericordiam cum Domino meo.* Cur toties Abrahamus memoratur, in oratione adeo breui? Ait alibi datus D. Asterius hom. in Luc. 16. *In Christo nostrum omnium salus, ac spes, & expectatio futuro sæculi, qui secundum sortem humanam è carne prodiit Abrahami. Atque adeo laus huius fontis atque decus ad saluatorem relationem habet.* Merito ergo orans hic seruus toties Abrahamum memorat iam tunc Christo plenum, de cuius halitu solo venit, quod humanæ orationis voces percipiantur à Deo. De Iesu enim aiebat Paulus ad Hebræos cap.5. *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationésque ad eum qui possit illum saluum facere à morte cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Orauit itaque Iesus, & supplicauit cum lachrymis, & clamore, an quia ipse oratione egeret? Absit; sed orat, vt voce sua patris aures nobis redderet apertas, quorum orationes nisi de Christi halitu diuinas aures non tenerent. Ait D. Cyril. Alexand. lib. de recta fide ad Reginas, vbi de Christi sacerdotio agit: *Cum igitur necessarium esset, vt ipsemet Christus ad quoduis bonum opus, ducem se nobis, præceptorémque exhiberet, valido clamore, & supplicatione tanquam vnus è nobis ad Deum accessit, à quo etiam tanquam verus, naturalísque filius, qui repulsam pati non possit, exauditus est. Vt enim nostras preces Deo redderet acceptas, ipse primus rem exorsus est, paternas aures hac ratione humana natura quodammodo aperiens, dilatánsque, & illorum votis, qui illius causa aliquando periclitarentur, faciles, promptásque efficiens.* Hinc nostra vota, & orationes ad diuinas aures peruenient, si Christus præcedat, cuius halitus patris aures aperiat, dilatétque,

Luc.16. *Hebr.5.* *D.Cyril.*

vt capiant humana verba. Frustra tentat homo Dei aures, nisi Christus præcedat, huic vni debemus, quod Dei aures dilatatæ sint, & apertæ humanis precibus, quę nisi Christus præierit, obturatissimas Dei aures inuenerint. Fœlix, qui Christum præmittat in orationibus suis, fallar, nisi vel obturarissimas Dei aures penetret. Publicanus ille Luc. 18. *Percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* Et eius oratio penetrauit cœlos, imo diuinas aures tenuit. Quis crederet diuitis hominis orationem breuissimam sic valere? Dicebat Dominus Matth. 19. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cælorum.* Quomodo ergo fieri potuit, vt oratio diuitis publicani tam facilè cœlestia omnia penetrauerit? Sic se diues iste exinaniuit, vt per foramen acus prius intraret, hoc est, sic se humiliauit, vt se insereret foraminibus Crucifixi, qui velut acus filum secū deducit, vt penetret, sic quos ducit, facit penetrare aures diuinas. Ait D. Paulin. epist. 10. ad Seuerum. *Publicanus in corde detrito semetipsum accusans Deo, & pectus afflictū crebra manu tundens, ita se in humilitatē debitam strinxit, vt se foramini acus, hoc est, via crucis, qua arcto tramite ducit ad vitam, diuinarum aurium penetrator insereret.* Cur non penetret diuinas aures, qui se foramini acus inserit, & velut debile filum acutā acum, sic ipse præmittit in suis petitionibus Christū? Sane qui sine Christo orat, idem est, ac qui sine acu, cū solo filo velit vestes assuere.

Luc. 18.
Matth. 19.
D. Paul.

§. X.

Diuini generis stemma ab exhibendis splendet beneficiis.

VIde Eliezeris prudentiam, id signum ponit eligēdæ vxoris Abrahami filio, quod scilicet prompta, & alacris sit in exhibendis beneficiis. Quippe ait: *Et illa responderit, Bibe, quin & camelis tuis dabo potum, ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac.* Et cur in sola prompta exhibitione beneficij agnoscit signum præparatæ à Deo coniugis Isaaco Abrahami filio? Parabatur illis nuptiis non solum Isaaco vxor, sed & mater Dei filio; parabatur fœmina, ex qua ipsissimus Dei filius secundùm carnem genus duceret. Sapienter ergo fœminæ præparatæ ad diuini filij genus secundùm carnem promouendum, signum tale requiritur, quādo diuini generis stemma totum claret à dandis beneficiis. Hinc Luc. 1. ait Angelus ad Mariam: *Ecce concipies in vtero, & paries filium; & vocabis nomē eius Iesum. Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris sui.* Dicit Iesum vocandum filium Dei, & ille eum vocat filium Dauidis. Cur Angele tu non incipis illum vocare Dei filium? Cur mauis in pręsenti patris eius Dauidis meminisse? Non miror hoc, referebat Angelus Iesum accepturum ex Deo sedem Dauidis, vbi autem Iesus dicitur accepisse, hominis debuit vocari filius; tunc habebitur Dei filius, ad genúsque referetur diuinum, cum dare incipiat. Ait Chrysol. ser. 144. *Vides, quia quando accipit, Dauid filius dicitur: quando dat, Deo filius nuncupatur.* Clarissima est notio generis diuini, quod facilis sis ad præstanda beneficia, quod de tuis dare aliquid scias. De Iesu aiebat Paul. ad Rom. 1. *Qui factus est ex semine Dauid secundùm carnem, qui prædestinatus est filius Dei in virtute.* Requiris forsan in qua virtute prædestinatus est Dei filius, hoc est, declaratus est, & annuntiatus est filius Dei? Sanè ex virtute, qua sciuit aliis communicare bona sua; hæc enim est virtus, quæ clarius ostendit genus diuinum. Ex quo eleganter argumentatur D. Bruno ibi: *Quod Christus filius Dei sit ex virtute, apparet ex resurrectione mortuorum, per hoc quod resurgens à mortuis, mortuos fecit resurgere secum.* Itaque virtutem Christi, qua se filium Dei ostendit, illam putat esse, qua & ipse surrexit à mortuis, & aliis secum resurgere dedit. Vix enim declaratur nobis diuinum genus sine aliquo nobis exhibito, vel exhibendo. Hinc Isaias c. 9. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius; & vocabitur nomen eius Admirabilis, consiliarius, Deus.* Suffecisset, quod diceretur paruulus tantus natus fuisse nobis, cur & amplius additur simul & datus nobis fuisse? Non equidem satis exprimebatur diuinissimi generis præstantia quoad nos, nisi exprimeretur quod & natus fuerit, & datus, quando in dandis beneficiis diuinum genus apparet. Non longè abest Achatius Episcop. Melitensis hom habita tom. 6. Conc. Ephes. c. 11. fatus. *Is, qui in cælo cum potestate imperabat, in terris serui more factus est subditus. Qui superne erat filius, inferne factus est infantulus. Atque huc tendit illud Isaiæ Prophetæ, cuius vos meminisse velim, Puer natus est nobis, Filius datus est nobis. Quid sibi vult, datus est? Neque enim solum qui erat, natus est, sed & nobis quoque datus esse dicitur.* Sic sapientissimus Pater obruit hæreticos nullam diuinitatem agnoscētes in Christo; obruit, inquam, illos ex duobus illis verbis, quorum altero dicitur puer natus, altero filius datus dicitur. Sufficeret equidem dici natum puerum, si vulgaris esset filius, at quia præterea, & datus filius dicitur, iam ingeritur diuini generis notitia, cuius proprium stemma est, dare, & communicare bona sua.

Chrysol.
Rom. 1.
D. Brun.
Achatius.
Conc. Ephes.

§. XI.

Angusta in præstande manus generi non respondet diuino.

FOeminæ eligendæ in Isaaci vxorem, in auiam Christi signum, non solum ponitur in eo, quod petenti sitibundo aquam præbeat, sed & quod præterea adaquet camelos ipsius. Quippe ait: *Et illa responderit, Bibe, quin & camelis tuis dabo potum, ipsa est, &c.* Et merito tam larga manus requiritur ad genus Christi, quando manus curta in præstandis beneficiis non bene respondet generi diuino. Notissima est Achillis fabula circumlata vulgo gentilium: quem vt immortalitate donaret Dea, illum immersit aquis Stygis, sed intactam ab aquis seruans plantam eius, quam manu premebat, inde mors obrepsit Achilli. Ex quo D. Ennod. Ethica 2. pulchrè irridet Gentilium diuis, qui tam curti sunt in præstandis beneficiis. Quippe ait: *Cur nō largioribus digitis lympha se miscuit, vt ex toto exclusisset ictus, superis vnda sublimior?* Sane haberet vnda Stygia, vnde Deos superaret, si largiores manus effunderet, quibus totum hominem obrueret; sed & vnda, & dij ostendunt, quam male respondeant generi diuino, quando tam curti ostenduntur, vt abluentes hominem, plantam eius relinquāt inablutam, per quam mortem incurrat. Exod. 16. Mannæ cibus apparatur Israelitis, sed quomodo apparatur? *Mensi sunt ad mensuram Gomor, nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus: sed singuli iuxta id quod edere poterant, congregauerunt. Dixitque Moyses ad eos, nullus relinquat ex eo in mane. Qui non exaudierunt eum, sed dimiserunt quidā ex eis vsque mane, & scatere cœpit vermibus.* Ecce tibi datur manna, sed tam curte, tam anguste, vt non permittatur superesse, vel minimum vsque mane. At in Euangelio, vbi Dei filius quinque millia hominum pane satiat Ioan. 6. simul iubet colligi fragmenta, quæ superauerant. Cur hic permittitur superesse tantū, & ibi nihil? Hic declarabatur filius Dei author saturitatis: ibi non filius, sed seruus minister ostendebatur, nec potuit ostendi clarius Deus non esse, quam ex curta manu. Ait Diuus Basilius Seleuciensis oratione 33. *Magna res erat tot millibus quinque solos panes fuisse satis, tantam verò superasse reliquiarum copiam, non discipulos duntaxat miraculi recordationem ingenerabat, sed & omnes, qui patrarat, virtutem extrahebat in lucem. De cælo manna Israelitis dabatur, sed quia miraculi administer seruus erat, necessitati quoque donum seruiebat, quodque residuum euanescebat, & manus lectione manna nequibat expleri, deficiebátque.* Itaque vbi diuinitas ostendebatur, ibi & donorū copia, & superabundantia, vbi autem quis à Deo diuersus erat, iā id in stricta, & curta doni mensura præmonstrabat. Vnde & ille Deo gratior, & proximior habetur, qui nihil à Deo sibi curtum venire petit, sed semper spectat ad magna. Centurio ille Matth. 8. dum salutem pueri à Iesu petit, simul & petit, vt eam Dominus vnico à lōgè prolato verbo largiatur. Quid potentius? Quæ virium copia maior? *Audiens autē Iesus miratus est, & sequentibus se dixit, Amen dico vobis non inueni tantam fidem in Israel.* Ecce tibi vt Deus æstimat magna in se spectari. Pulchrè D. Chrysost. ibi fatur: *Ex hoc profecto intelligitur, id maximè fidem fructissimam, regnum cælorum, ceteráque bona nobis præbere, si magna de ipso, Deóque vero digna imaginari velimus.* In hoc propius Deo accedimus, si a Deo nihil profiliturum putamus, nisi magnum.

D. Enn.
Exod. 16.
D. Basil.
Matth. 8.
Chrysost.

§. XII.

Uxor larga in eleemosynis faciendis solet & virum saluare.

SI puella præbeat Eliezero, & eius camelis aquam, non solum apparet digna vxor Isaaco præstanda, sed insuper ait Eliezerus; *Per hoc intelligam, quod feceris misericordiam cum domino meo.* Et quidem sapienter intelligit magnam a Deo venturam misericordiam in eum virum, cui contigerit habere vxorem largam in eleemosynis præstandis. Clarissimum huius exemplum habemus in Abigail Nabali Carmeli vxore, quæ sciens Dauidem famelicum a Nabale repulsum, imò

& Dauidem

& Dauidem in Nabalem iratum, nil prius cogitat quam à viri iugulo tollere Dauidis gladium. Quid tunc? Ait 1. Reg. 25. *Festinauit igitur Abigail, & tulit ducentos panes, & duos vtres vini, & quinque arietes coctos, & quinque sata polenta, & centum ligaturas vuæ passæ, & ducentas massas caricarum, & posuit super asinos; dixitque pueris suis, Præcedite me, ecce ego post tergum sequor, viro autem suo Nabal non indicauit.* Cum iis peruenit ad Dauidem, dona offert, iubet à mariti offensa abstinere. *Suscepit ergo Dauid de manu eius omnia, quæ attulerat ei, dixitque ei, Vade pacifice in domum tuam.* Itaque fœmina larga in præbendo cibo indigentibus, à viri iugulo gladium properantem auertit, & misericordiam obtinuit omnibus domesticis. De quo Petrus Dam. opusc. 13. de perfect. Monachorum, cap. 19. *Abigail dum magnifici conuiuij partem subtrahit, à viri iugulo gladium Dauid in vltionem contumeliæ festinantis auertit, sicque suis cibum bene furata surripuit, quibus vtique vitam extraneis ministrando seruauit.* O laudatissimum vxorum furtum, quando ipsæ aliquid domesticis rebus subtrahunt, vt egenis largiantur! O cautissima largitio, qua vxores sæpe & viro, & toti familiæ vitam emunt, & incolumitatem! Iosue 2. Raab hospitio susceperat exploratores Israelitas, quos cum sanos dimitteret, ait illis: *Iurate mihi per Dominum, vt quomodo ego misericordiam feci vobiscum, ita & vos faciatis cum domo patris mei, detisque mihi verum signum, vt saluetis patrem meum, & matrem, fratres, ac sorores meas, & omnia, quæ eorum sunt, & eruatis animas nostras à morte.* Vna Raab fecerat misericordiam cum exploratoribus, & dum suæ misericordiæ remunerationem flagitat, non ait, sicut ego feci, ita & mihi faciatis, sed sicut ego feci, ita & vos vniuersæ familiæ, & cognationi meæ faciatis. Ea enim est misericordis mulieris gratia, vt non solum sibi, sed & toti familiæ, & cognationi suæ incolumitatem afferat.

1. Reg. 25. — Petr. Dam. — Iosue 2.

Gen. 24. Nec dum intra se verba compleuerat, & ecce Rebecca egrediebatur, filia Bathuel, filij Melchæ vxoris Nachor, fratris Abraham, habens hydriam in scapula sua: puella decora nimis, virgóque pulcherrima, & incognita viro: descenderat autem ad fontem, & impleuerat hydriam, ac reuertebatur.

§. XIII.

In eo perfecta laus est fœminæ pudicæ, quod caueat mendaces pulchritudinis fucos.

PRius dicitur Rebecca *puella decora nimis*, deinde vocatur, *virgóque pulcherrima*. Et cur prius decor eius maximus exhibetur, antequam exprimatur virginitas? Debuit equidem prius forma veri, & nō ementiti per fucos decoris probari, vt inde perfecta laus constaret virginitatis, & pudicitiæ. Non crederetur enim perfectus virgineus pudor, nisi probata esset forma decoris in nullo ementiti. D. Zeno lib. 1. serm. 7. de laudibus pudicitiæ, inde commendat, veram, & perfectam pudicitiam, inquiens: *Hæc in vtroque sexu conspicua, in omni ætate miranda, in quauis conditione non dubia, soli sibi deuota, vnum tantummodo metuens, ne sit amplius, quam vocatur.* Ecce tibi quid maximè metuendum vocat pudicitiæ; *ne sit amplius quam vocatur*, quo vniuersos ementitæ pulchritudinis fucos vt sibi contrarios, & inimicos abiurat. Abiurat equidem pudicitia omne illud studium, quo fœminæ adhibitis pigmentis, & fucis nituntur esse pulchriores, quam à natiuitate sunt dictæ. De iis eleganter Tertul. lib. de cultu fœm. *Quantum autem à nostris disciplinis, & professionibus aliena sunt, quā indigna nomine Christiano, faciem fictam gestare, quibus simplicitas omnis indicitur: effigiem mentiri, quibus lingua non licet.* Sanè quæ colorum, pigmentorúmque mendaciis se desormant, vt amplius sint, quam vocantur, à veræ, perfectæque pudicitiæ disciplina separantur. Illis aptarim, quod scriptum est Iob c. 3. *Qui maledicunt diei, qui parati sunt suscitare Leuiathan.* Si enim Leuiathani expendamus vocabulum, idem sonat, ac *additamentum eorum*, quare merito diabolo applicatur, cuius est omnis additamentis virtutum simplicitatem obscurare. Hunc dormientem excitant, quæ additis pigmentis amplius esse nituntur, quam vocantur, perpetuæ lucifugæ, vt à subobscuris plus placeant. Audiant ipsæ Tert. lib. de cult. fœmin. *Non supergrediendum vltra quam, quod simplices & sufficientes munditiæ concupiscunt, vltra quam Domino placere. In illum enim delinquunt, quæ cutem medicaminibus vngunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt, vtique ab aduersario artifice sumentes additamēta ista, id est, diabolo.* Vnus diabolus est, qui aduersus pudicitiam hæc additamenta potuit excogitare, & qui pro illis habendis ab impudicis fœminis excitatur. Adeo enim antelucanæ sunt fœminæ impudicæ, vt se medicaminibus pingant, vt merito putentur præuenire ipsæ diabolum, & illum excitare ad laqueos parandos. Vnde vanissimè iactatur fœmina de perfecta, & vera pudicitia, quæ prius non probatur ab iis additamentis aliena, vt metuat, ne amplius sit, quam vocatur. Quippe D. Nazian. in prosa aduersus mulieres fatur: Proinde, ne faciem tuam pingas, ò improba mulier, ne cuti tuæ imposturam facias. *Nullam enim ipse aliam pulchritudinem agnosco, quàm eam, quæ naturæ dono contingit. Vt Galli ad Rheni vndas fœtus in lucem editos explorant, vt ignis de auri puritate certissimus index est, sic ego animi tui pudicitiam ad incomptam, fucique expertem formæ elegantiam expendo.* Nec credi potest perfecta pudicitia cum istis fucorum additamentis.

D. Zeno. — Tertul. — Tertul. — D. Naz.

§. XIV.

Prima laus fœminæ à castitatis commendatione.

EXpectabatur ab Eliezero puella, quæ hospitalis appareret, quæ aquam sitibundo præberet, & insuper adaquaret camelos, & proferens hanc puellam scriptura, antequam eius hospitalitatem ostendat, multa est in eius pudicitia ostendēda. Ait enim: *Ecce Rebecca egrediebatur, filia Bathuel filij Melchæ vxoris Nachor fratris Abraham: puella decora nimis, virgóque pulcherrima, & incognita viro.* Non contenta puellam vocare virginem, amplius replicat, & incognitam viro, antequam ad hospitalitatem eius accedat, vt iis replicatis vocabulis ostendat, quam sit prius prædicanda, & monstranda pudicitiæ virtus in fœmina. Ait enim Sixtus Pontifex in tractatu de malis doctoribus, & castitate: *Est infinita virtus, corporis vincere voluptates, totum iustitiæ, atque sanctitatis fundamentum.* Iudith c. 10. vt aduersus armatum exercitum dimicaret, nuptiarum resumpsit ornamenta, & dum se lauat, dum se ornat, cauit scriptura dicens: *Omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat.* Cur hoc dicere præuenit scriptura narratura facinus, & inauditum triumphum tantæ mulieris, nisi vt ostenderetur decere in fœmina priorem apparere castitatis trophæum? Pulchrè rem expendit D. August. serm. 259. de tempore: *Quæ euerrata consurgens aqua abluit corpus suum, imponens sibi ornamentum, pendulas aurem diuitias suspendit, & manibus lapillatos circulos splendentes induxit, fluentes sinus purpurea vestis gemmato collegit pectore, casto vultu prius dimicatura, quam ferro.* Expende hæc vltima, nimirum, *casto vultu prius dimicatura*, vbi instabat tantum certamen, in quo Holophernis caput amputandum erat, dissipandi Babylonis exercitus, liberandus Israel, non prius itur ad alia arma, quam ad castitatem, non prius quæritur liberandi Israelis facinus, quam castitatis trophæus. Hoc semper debet esse prius in muliere facinus, quo eius asseratur castitas. Ruth c. 2. audit socrum monentem, quod se lauet, se ornet, & ignorantis Boozi accumbat lectulo, eiúsque cōiugium iuxta legem contendat. Quid tunc illa? *Quidquid præceperis faciam. Descenditque in aream, & fecit omnia, quæ sibi imperauerat socrus, &c.* Mirantur alij Ruthæ fidem, & obedientiam præstitam socrui; alij charitatem eius defuncto marito redditam, vt amaret relicta patria, & suis eius suscitare semen. Sed nil prius in illa laudat Author Imperfecti, quam pudicitiam in amore, & dilectione Israelitici generis. Ait enim homil. 1. in Matth. *Quid primum laudetur in Ruthа? Dilectio generis Israel, aut simplicitas, aut obedientia, aut fides? Dilectio quidem generis Israel, quia sic desiderabat filios suscipere ex semine Israel, & vna fieri ex populo Dei. Si enim communicationem viri desiderasset, quasi puella lasciua, aliquem iuuenem potius appetiuisset. Quoniam autem non lasciuia sua, sed religioni satisfacere cupiens fuit, familiam potius sanctam elegit, quàm iuuenilem ætatem.* Ecce tibi in muliere tantarum virtutum nullam prius putat laudandam esse, quam pudicitiam etiam in amore connubij Israelitici, quod sic casta, sic pudica fuerit in ea vel ipsa coniugij dilectio, vt nihil quod pudicitiæ repugnaret in illa videretur. Hinc, mihi credite, prima laus apparet mulierum, vt cui hæc desit, nec iam laudari, imo nec nominari debeat, licèt aliis virtutibus splendeat. Matth. 1. genealogiam Saluatoris scribens ait: *Iudas genuit Phares, & Zaram de Thamar: Booz autē genuit Obeth ex Ruth: Dauid autē genuit Salomonē ex ea, quæ fuit Vriæ.* Nominantur nomine proprio Thamar, & Ruth; Bersabee autem suppresso nomine exprimitur.

Sixtus. — Iudith 10. — D. Aug. — Ruth 2. — Matth. 1. — Matth. 1.

Et quare hæc non nominari metuit, vbi nominantur illæ? Io illis pudicitia fuit; Thamar enim expetiuit coitum non lasciuiæ seruiens, sed amans concipere genus Israeliticum: sic & Ruth: at Bersabee regiis amoribus seruiens, & propriæ lasciuiæ adulterium commisit, ideo nec nominari debuit. quando deerat illi prima fœminæ commendatio à pudore casto petita. Ait Paschas. lib. 1. in Matth. *Sanè non incongrue fatendam creditur, quia proscripto fœmino, per quas Christi opera pietatis insignia mysticè præsignantur, non solum culpari, verum laudari rectè meruerunt. Hæc quoque adulterio fuscata meritò videtur prætermissa.* Non stat laus mulieris cum lasciuia, quando prima basis commendationis illius, à pudicitiæ stemmate venit petita. Nec in re pudicitiæ debet esse aliquid, quod non sit fœminatum proprium, & peculiare, Genes. 18. vbi Abrahamus offendit peregrinos, *Festinauit in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcinericios panes.* Non ait, quod acceleret, & occurrat hospitibus, sed quod domi manens cibos paret. Et cur cum iubet, vt cibos paret, non iubet etiam, vt hospitibus occurrat? Pulchrè D. Ambr. lib. 1. c. 5. *Bonus maritus exortem religiosi muneris non patitur esse vxorem, nec auarè sibi totum munus vsurpat. Quod pietatis est, vult esse commune quod pudoris est, integrum manet Saræ. Ante tabernaculum vir hospitum explorat aduentum, intra tabernaculum Sara tuetur fœmina verecundiam.* Equidem in re pietatis se Saræ adæquat Abrahamus; in re autem pudicitiæ, & honestatis, quidquid laudabile est, totum integrum Saræ reseruatur, quando fœminarum est, hac in re sibi primas vsurpare.

Gen. 18. — *D. Ambr.*

§. XV.

Quibus secessus à turbis est proprius, si quando necessum fuerit egredi, non amplius foris maneant, quam dum negotium videtur postulare.

ECce puellæ virginis stemma singulare, necessum fuit domo exire, vt aliquid parentibus necessarium. Et quomodo exiit? Ait textus: *Descenderat autem ad fontem, & impleuerat hydriam, ac reuertebatur.* Nihil morata vt hydriam impleuit, domum reuertebatur. Necessitatis fuit exire domo, vt aquam è fonte portaret: sed virtutis, quod adimpleta hydria, non moraretur amplius, sed ad domus secessum festinaret. Hæc sit prima lex eorum, qui secessum amāt, quibus potest obesse turbarum conuersatio. Cum necessum fuerit, vt à secessu exeant, propter suam, vel proximorum necessitatem, sic exeant, vt finito negotio, sine vlla mora in secessum reuertātur, Act. 8. notissima est historia Eunuchi, qui in curru Isaiam legebat, & miro desiderio afficiebatur sciendi, quis esset ille vir, cui tale testimonium propheta dabat. Ad hæc ducitur Philippus ab spiritu Dei, currui inseritur, hominem informat, imo & dum perueniunt ad quandam aquam, illum sacro baptismate lauat. Quid tunc? *Cum autē ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus.* Et cur sic Philippus rapitur? Peractum erat iam totum negotium, ad quod venerat, peracto iam negotio non amplius permittit Dei spiritus suos alumnos ibi immorari. Ait Tertul. lib. de Baptismo: *Cui vltro Deus Apostolum miserat, ad quem rursus spiritus, vt se curriculo adiungeret, iusserat, scriptura ipsius fidei occurrit, in tempore exhortatus adsumitur, Dominus ostenditur, fides non moratur, aqua non expectatur, Apostolus perfecto negotio eripitur.* In tantum gentili principi adhærere Apostolus permittitur, in quantum salutis eius negotium perficitur. Vbi negotium perfectum est, non amplius moratur ibi Philippus, sed in propria festinat. Nota etiam est Mariæ in montana festinatio, vt cognatam inuiseret Luc. 1. Intrauit ergo cognatæ domum Maria, de qua dicit Lucas: *Mansit autem Maria mensibus tribus, & reuersa est domum, &c.* Cur post tres menses reuersa est? Venerat Maria sexto mense vteri Elizabethæ, vt parienti exhiberet officium, necessum fuit vt expectaret mēsibus tribus, vbi autem nono mense natus fuit sacer Præcursor, peracto officio, non moratur amplius Maria, sed ad sua festinat. Sic D. Amb. lib. 2. in Luc. *Maria in domo sera, festina in publico, mansit apud cognatam suam tribus mensibus. Etenim quæ propter officium venerat, inhærebat officio.* Vna erat causa manendi Mariæ, nimirum officium parienti exhibendum, in tantum mansit, in quantum manebat necessitas officij, vbi hoc peractum fuit, non amplius mansit ibi.

Act. 8. — *Tertul.* — *D. Ambr.*

Gen. 24. Occurritque ei seruus, & ait: Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua. Quæ respondit: Bibe Domine mi: Celeritérque deposuit hydriam super vlnam suam; & dedit ei potum. Cúmque ille bibisset, adiecit. Quin & camelis tuis hauriā aquam, donec cuncti bibant. Effundénsque hydriam in canalibus, recurrit ad puteum, vt hauriret aquam, & haustam omnibus camelis dedit. Ipse autem contemplabatur eam tacitus scire volens, vtrum prosperum iter suum fecisset Deus, an non? Postquam autem biberunt cameli, protulit vir inaures aureas appendentes siclos duos: & armillas totidem pondo siclorum decem. Dixítque ad eam: Cuius es filia? Indica mihi, est in domo patris tui locus ad manendum? Quæ respondit, filia sū Bathuelis, filij Nachor, quem peperit ei Melcha. Et addidit, dicens: Palearum quoque & fœni plurimum est apud nos, & locus spatiosus ad manendum. Inclinauit se homo, & adorauit Dominum, dicens, &c.

§. XVI.

Quæ Deo, & virtuti dantur, lucro sunt; quæ Idolis, sunt perditioni.

AQuam exhibet Rebecca hospiti sitibundo, quin & eius camelos simili potu implet, nec aquam datam, nec laborem amisit. ait enim text. *Postquam autem biberunt cameli, protulit vir inaures aureas, &c.* Non equidem amisit hospitalitatis fructum, quando pro aqua, & obsequio exhibito, aureis inauribus ornatur in pignus auspicatissimi iam aduenientis coniugij. Sic vel aqua Deo, & virtuti exhibita cedit in lucrū; vt quæ dantur idolis, in perditionem ruunt. Exod. 32. Israelitæ eò insaniæ deuenerunt, vt peterent fieri idolum sibi; *Dixitque ad eos Aaron, Tollite inaures aureas, de vxorum, filiorúmque, & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me. Fecitque populus, quod iusserat, deferens inaures ad Aaron. Quas cum ille accepisset, formauit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem, &c.* Itaque Aaron effecturus Idolum Israelitis, iubet inaures aureas in ignem coniici; & cur igni dat auri tantam vim, nisi vt perditionem omnimodam obiiciat iis, quæ Idolis offeruntur? Ait enim Tert. aduersus Gnosticos: *Vrgetur Aaron, iubet inaures fœminarum suarum in ignem conferri. Amissuræ enim erant in iudicio vera ornamenta aurium, Dei voces.* Expēde illud, *amissuri enim, &c.* Quippe in donis Idolo exhibitis, nihil prius ostenditur, quam omnimoda perditio. Componne modo Rebeccam puellam, cum iis Israelitis fœminis, illa hospitalitati seruiens aquam exhibet peregrino, & inaures aureas accipit, in pignus certissimi coniugij; hæ vt Idolo seruiant, inaures aureas exhibent, & omni ornamento cordis, & corporis manent exutæ. Sic & Iudæi Matth. 18. *Pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite, quia discipuli eius de nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus.* Sed scire cupio, quid compararunt miseri tantam mendacio offerentes pecuniam? Nil aliud cōpararunt, quàm quod nummos perderent ipsi resurgente gloriosius Christo. Pro quo D. Chrysol. ser. 76. ait: *Iudæe, quod tu obscurabas auro in Iudæa, fide toto claruit, & eluxit in mundo. Discipuli receperunt, non furati sunt Christum. Iudæe resurrexit Christus, tu pecuniam perdidisti.* Et cur non perderetur, quod oblatum erat mendacio? Est in donis vitio oblatis necessaria perditio; vt est lucrum certum in iis, quæ Deo, & virtuti offeruntur. Leuit. cap. 19. ait: *Ista est religio victimæ, quam constituit Dominus. Præcipe filiis Israel, vt adducant ad te vaccam rufam, ætatis integræ, in qua nulla sit macula.* Quæ verba sic transfert D. Cyril. Alex. in Oseam c. 4. *Hæc distinctio legis, quæcumque constituit Dominus, dicens. Loquere filiis Israel, & accipiant ad se vaccam rufam, immaculatam.* Iubet lex, vt vacca offeratur à populo sacerdoti, & ait, *accipiāt ad se vaccam,* quod si offerunt illa, cur non potius ait, abiiciāt à se vaccam? Cur in oblatione gaudet magis vocabulo accipiēdi? Sanè cōuenientissimo rei vtitur vocabulo, in eis enim quæ

Exod. 32. — *Tertul.* — *Matt. 18.* — *Chrysol.* — *Leu. 19.* — *Cyr. Alex.*

D. Cyril.

Deo offers, nunquam non accipis lucrum. Ait ibi D. Cyril. *Oblatum enim Deo, & paratum in sacrificium dicebatur accipi, & positum est vocabulum huic rei exprimendæ in primis idoneum.* Idoneè quidem qui offert Deo hostiam, dicitur illam accipere, nunquam enim à donis Deo exhibitis vacui manemus, sed ingentia semper lucra recipimus. Vel guttulam aquæ litemus Deo, & virtuti, & magno munerabimur lucro. Gen. 29. erat Iacob iuxta fontem, qua hora veniebat Rachel cum grege suo sitibundo. *Quam cum vidisset Iacob, & sciret consobrinam suam, ouesque Laban auunculi sui, amouit lapidem, quo puteus claudebatur. Et adaquato grege osculatus est eam.* Quid tunc? Ait D. Ambr. lib. 1. de Abraham cap. 5. *Dominus Iesus eum, quicumque dederit hospiti potum aquæ frigidæ, cælestium asserit præmiorum non exortem futurum. Denique Iacob oues adaquauit Rachel, & gratiam reperit, & vxorem acquisiuit.* Nec miror tantum lucrum capi ex donis, quorum ne pars minima perdatur. Deus ipse curat. Matth. 10. *Quicumque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantum in nomine discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam.* Expende illud, *non perdet*, minimè namque patitur Deus, quod misericordiæ oblatione appareat vlla perditio. Diu. Ber. ser. 12. in Cant. *Videsne, quam sit præferendum cæteris istud pietatis vnguentum, de quo solo permissum non est perditionem fieri? In tantum perditio de ipso non fit, vt neque aqua frigida munus irremuneratum sinatur. Bonum tamen contritionis vnguentum quod de recordatione peccatorum conficitur, mittitúrque in pedes Domini; quia cor contritum, & humiliatum Deus non despiciet. Cæterùm longè melius esse arbitror id, quod dicitur deuotionis factum de recordatione beneficiorum Dei, quippe quod & capiti idoneum reputatur, vt perhibeat de ipso Deus: sacrificium laudis honorificauit me. Porro vtrumque vincit vnctio pietatis, quæ de respectu miserorum fit, & per vniuersum Christi corpus diffunditur. Optimum reuera vnguentum, in cuius comparatione cætera nec respicere se ostendit, qui ait: Misericordiam volo, & non sacrificium.* Hæc D. Bern. ibi, quibus asserit, quam non patiatur Deus aliquid perdi de donis, quibus egentes reficiuntur; insuper, & contritionem, & sacrificium laudis, & misericordiam componit inter se, & asserit misericordiam esse præstantissimam; loquitur enim de misericordia, quæ cætera virtualiter in se continet.

Gen. 29. — Ambr. — Mat. 10. — D. Bern.

§. XVII.

Quo quis infirmior, eo magis ambitiosus.

INterrogata Rebecca cuius sit filia, non contenta est patrem dicere, sed & patrem, & auos in medium producit. Ait enim: *Filia sum Bathuelis, filij Nachor, quem peperit ei Melcha.* Sanè alij interrogabantur de parentibus suis, & à nullo inuenio cum parentibus suis auos etiam recensitos. Saul 1. Reg. 17. Dauidem triumphatorem videns ait: *De qua progenie es, ô adolescens? Dixitque Dauid, Filius serui tui Isai Bethlehemitæ ego sum.* Dauid interrogatus patrem ostendit, & de auis silet, Rebecca non solum patrem, sed & auos in medium producit. Cur Rebecca puella infirma in enumerandis patribus, & & auis plusquam Dauid diligentior existit? Ideo diligentior Rebecca in auorum gloria referenda, quia ipsa infirmior; hoc enim in humanis est vsitatissimum, quod ambitiosior sit, qui est infirmior. Post deiectionem humani culminis Gen. 3. *Fecit Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos. Et ait, Ecce Adam, quasi vnus è nobis factus est.* In tota paradisi gloria, vbi Adamus magnus erat, & verè potens, nunquam tale de illo dixit Deus, quod factus sit quasi vnus è tribus personis diuinis. Nunc cum deiectus apparet à culmine, cum vilis est, & infirmus, de illo dicit Deus, quod factus sit quasi vnus è personis tribus. Cur media in deiectione hominis hoc dicit Deus de illo, quod non dixit in tota gloria illius? Loquitur Deus ad Adami sensum, vt exprimeret, non quod in re erat, sed quod erat Adamus in phantasia sua, in qua nunquã ambitiosior fuit, nisi quãdo fuit infirmior. Ait S. Ephrem Patriarcha Theopolitan. apud Photium orat. 2. in Anatolium Scholasticum. *Ecce vnus, ait, sensum accepit, quoad eum imaginari se Deum esse. Ad illius sententiam loquitur Deus, exprobratque malitiam.* Ecce tu quando Adamus sensum accepit, vt imaginaretur se Deum esse: quando à sede paradisi deturbatus, vilibus pellibus vestitus, infirmus, & vilis addictus est terræ culturæ. Quando vilior apparuit, tunc euanuit in ambitionem inauditam. En misera hominis conditio, tunc ardentius ambitioni adhærescens, quando ostenditur infirmior. Mihi credite, nullus minus parcit honori, quàm qui minus honoris meretur. Hinc monet Paul. 2. ad Philip. *Hoc enim sentite in vobis, quod in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* Expende vnde D. Paulus Iesu nobilitatem diuinam, & patri æqualem non illi per rapinam adesse ait, nimirũ, quia exinaniuit semetipsum formam accipiens serui. Et quidem qui non haberet honorem sibi naturalem, sed solum furtim honoratus esset, in veritate autem vilis, & seruus; is nullo modo honorem declinaret, sed illi pertinacius adhæresceret. Id quod notat Theodor. hom. 1. de Natiu. Christi, tom. 6. Concil. Ephes. cap. 9. aiens: *Qui per rapinam libertate potitur, nil seruile pati sustinet, ne vsurpata libertati aliquod præiudicium generet. Et quid ergo ille? Quoniam natura Dominus erat, dispensationis mysterium diuinitatem non læsit.* Componite modo duos inter se, vilem, & nobilem, siue infirmum, & fortem, vtrumque in honore. Sane qui vilis est, qui infirmior est, minus multo parcet honori, sed illi longè pertinacius adhærescet. Dicitur Machabæor. lib. 2. cap. 9. *Antiochus inhoneste reuertebatur de Perside. Intrauerat enim in eam, quæ dicitur Persepolis, & tentauit expoliare templum, & ciuitatem opprimere: sed multitudine ad arma concurrente, in fugam versi sunt: & ita contigit, vt Antiochus post fugam turpiter rediret. Et cum venisset circa Ecbatanam, recognouit quæ erga Nicanorem, & Timotheum gesta sunt. Elatus autem in ira, arbitrabatur se iniuriam illorum, qui se fugauerant posse in Iudæos retorquere.* Expende, quando dicitur miser elatus fuisse, nimirum quando inhoneste reuertebatur, quando turpem fugam tenebat; sic quo vilior est hominum fortuna, elatiores rabies in eorum animos generat.

1. Reg. 17. — Gen. 3. — Ephrem. — Theodor. — Mach. 2.

§. XVIII.

Ille multus in recensendis auis, qui in se nullus.

ITaque vt vidimus initio paragraphi præcedentis, Rebecca interrogata, cuius esset filia, & patrem & auos meminit, dicens: *Filia sum Bathuelis filij Nachor, quem peperit ei Melcha.* Dauid autem similiter interrogatus 1. Reg. 17. solùm patrem meminit aiens: *Filius serui tui Isai Bethlehemitæ ego sum.* Cur illa tanta in auis percensendis, hic autem auos non meminit? Erat Dauidi in manibus Goliath caput, quod recenter absciderat, & qui talia facinora exhibet, non multum curat auorum stemmata, Rebeccæ nil erat præ manibus, præterquam quod habebat hydriam de fonte plenam, ne miremur, quod adeo multa fuerit in auis percensendis, quæ in se penè nulla erat. Hinc D. Hieron. in Epitaph. Fabiolæ ait: *Alius forsan memoraret Quintum Maximum, Vnus qui nobis cunctando restituit rem, & Fabiorum gentem proferret in medium, diceret pugnas; describeret prælia: & per tanta nobilitatis gradus Fabiolam venisse iactaret, vt quod in virga non poterat, in radicibus demonstraret.* Et quidem hominis est non habentis in se laudes, quod recurrat ad auorum illustria. Nec non, & humi repentis plantulæ proprium est, radicum virtutes iactare, quando in ramis nullum habet fructum. Et sanè vanissima gloria est, eo solum contendere, vt auos, atauosque tuos clarissimos numeres; & inde ostendis quam vacuus propriis facinoribus existas. Hinc Matth. 3. ad Iudæorum Principes: *Nolite dicere, quia patrem habemus Abraham.* Et cur prohibentur se ab Abrahamo satos vocare? Nonne verum erat, quod Abrahamum habebant patrem? Cur ergo illum patrem non dicant? Ait Imperfectus hom. 3. in Matth. *Ipse se vacuum ab omnibus bonis actibus ostendit, qui gloriatur in patribus.* Meritò prohibentur patrem Abrahamum clamare; quia ista gloriatio in maioribus, frequenter inuenitur in homine, qui nihil habet, vnde ipse commendetur. Quare D. Cyrill. Alex. in Amos cap. 9. acriter mordet Iudæos, apud quos ista gloriatio maximè vigebat. Ait enim: *Ea dementia miseri processerunt, vt sibi ad fœlicem statum, & ad gloriam satis fore arbitrarentur, ex radice Abrahami prodisse.* Quid amentius? Sanè amentissimus est, qui sibi ad gloriam, & laudabilem commendationem satis putat esse, si quod in se laudis non habet, in radice sui generis ostendat.

1. Reg. 17. — Hieron. — Matth. 3. — Amos 9.

Genes. 24. Cucurrit itaque puella, & nuntiauit in domo matris suæ omnia, quæ audierat. Habebat autem Rebecca fratrem nomine Laban, qui festinus egressus est ad hominem vbi erat fons. Cumque vidisset inaures, & armillas in manibus sororis suæ, & audisset cuncta verba referentis. Hæc locutus est

mihi homo: venit ad virum, qui stabat iuxta camelos, & prope fontem aquæ: dixitque ad eum. Ingredere benedicte Domini: cur foris stas? Præparaui domum, & locum camelis. Et introduxit eum in hospitium, ac destrauit camelos, deditque paleas, & fœnum, & aquam ad lauandos pedes camelorum, & virorum, qui venerant cum eo. Et appositus est in conspectu eius panis. Qui ait: Non comedam, donec loquar sermones meos. Respondit ei: loquere. At ille: seruus, inquit, Abrahæ sum. Et Dominus benedixit Domino meo valde, magnificatusque est: & adiurauit me, dicens, Non accipies vxorem filio meo de filiabus Chanaam, &c.

§. XIX.

Vera Ecclesia non in externo hominis aspectu, sed in Dei verbo nititur.

ECce tibi Rebecca cucurrit in domum matris suæ, *& nunciauit omnia, quæ audierat.* Viderat Eliezerum cum multis seruis aliis, cum camelis decem; & non dicitur nuntiasse, quæ viderat, sed solum dicitur nuntiasse, quæ audierat. Cur non nuntiat magis, quæ viderat? In ea exprimebatur Ecclesia, cuius proprium est, non curare externum hominis aspectum, sed sola Dei loquentis verba. Apud Luc. cap. 3. Anno quinto decimo imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Ituræ, & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum Anna, & Caipha: *factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium.* Hoc primum profert Lucas de Ioanne testimonium, quod Dei verbum factum sit super illum, cur prius non proposuit, quis Ioannes esset? An Angelus? An homo? Sanè Ioan. 1. de illo fatus ait: *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes, &c.* Cur simili modo Lucas non prius dicit, vt fuerit homo missus à Deo? Cur solum ait, vt fuerit Dei verbum factum super Ioannē, & nihil dicit de homine? Ostendebatur in Luca primum Ecclesiæ fundamentum, & ideo merito cauit nominare prius hominem, & verbum Dei præposuit, vt in quo initiatur Christi sponsa. D. Amb. lib. 2. in Lucam fatur: *Congregaturus Ecclesiam Dei filius ante operatur in seruulo. Et ideo bene posuit sanctus Lucas factum esse Verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto: vt Ecclesia non ab homine cœperit, sed à verbo.* Non homo, sed Dei voces dant firmitatem, & augmentum Christianæ Ecclesiæ. Exod. cap. 3. ostendebatur rubus totus flammis obsitus & non combustus: insuper vox egrediebatur de medio rubi dicens Moysi: *Solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est.* Ad hæc Moyses totus tremens calceamenta soluit, plenus reuerentia, & religione. Cur Moyses adeo religiosus existis? Quid vides præter ignem & rubum, quod sic reuereri posses? An vilis rubus, vel ignis te in hanc impellunt religionem? Absit: non attendit rubum, vel ignem Moyses, sed solas attendit Dei voces, quibus attentis Deum in rubo adorat. Ex quo sapienter conuincit Theodotus Hæreticos, qui videntes infirmitatem vteri virginei, Deum ibi inhabitasse nolunt. Quippe ait hom. 2. de Natiu. Christi habita in Concil. Ephes. tom. 6. c. 10. *Tu Deum ex rubo loquentem, Moysique dicentem, Ego sum Deus Abraham, audiens, & ipsum Moysem pronum adorantem cernens, credis, non ignis, qui cernebatur, sed Dei tantum, qui loquebatur, rationem habens, cur cum virgineum vterum memoro, abominaris, auersaris?* Sanè infirmior erat rubus, & ignis ad tenendum Deum, vt crederemus Deum esse in rubo, aut igne, quam in vtero virginali. Et tamen Moyses adorat in rubo Deum, & nos assentimur Moysi in rubo Deum adoranti. Et cur assentimur? *Non quidem ignis, qui cernebatur, sed Dei tantum, qui audiebatur rationem habentes.* Vbi Dei vox auditur aliquid dicentis, caue oculos, caue quæ cerni possunt contraria: non enim in homine, sed in Dei verbo Ecclesia ædificatur. Merito namque in ædificatione domus Domini tollitur omne ferreum instrumentum; quippe ait 3. Reg. 6. *Malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur.* Pro quo ait D. Bruno de laud. Ecclesiæ cap. 4. *Merito in domo Domini, quæ ædificata est, malleus, aut securis, aut non ferramentis audita non est, quia Ecclesia Dei, quæ per eam significabatur, non ferro, sed lingua ædificanda erat.* Audita Dei voce in Christi Ecclesia, non sunt curanda alia, quæ repugnantia sensibus videntur.

Ioan. 1.

D. Amb.

Conc. Ephes.

3. Reg. 6.

D. Brun.

§. XX.

Ecclesiæ ornatus virtutum exteriorum plurimum conducit ad hoc vt trahantur homines ad Iesum.

EXpende illa: *Cum vidisset Laban inaures, & armillas in manibus sororis suæ, & audisset cuncta verba referentis, venit ad virum, qui stabat prope fontem aquæ.* Quid communius? Non moratur Labanus, sed vbi inaurata brachia, inauratas aures sororis vidit, statim currit ad virum, qui iuxta fontem stabat. Nunquam, mihi credite, ornatus virtutum exteriorum Ecclesiæ non impellit homines vt currant ad Christum erectorem fontis baptismatis. Hinc Actor. 2. vbi Apostoli induendi erant virtute ex alto; *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum.* Et D. Cyrillus Ierosol. Catech. 17. putat has linguas igneas tāquam coronas insedisse Apostolorum capitibus. Sed quid necessum fuit, quod Apostolorum capita iis igneis coronis splēdescerent visibiliter? Equidem oportebat pulchro, & glorioso ornamento virtutum vestiri illos, qui initiabantur, vt populos afferrent Christo. Sapienter enim dicit D. Cyril. Alex. in Ioelem cap. 2. *Oportebat enim, oportebat Ecclesiæ mystagogos, & orbis terrarum magistros futuros, etiam ante alios dono Spiritus Sancti cohonestari, & veluti quoddam ornamentum per fidem in sanctificationem ab initio factos, diuina, & cœlesti gratia inaurari.* Equidem qui vt alios traherent, ordinabantur, merito ex tunc ignitis Spiritus Sancti coronis cohonestati, & ornati, ab inhabitante gratia etiam extrinsecus apparebant deaurati. Valet enim plurimum extrinsecus Ecclesiæ ornatus, vt homines impellat ad fontem Christiani baptismatis. Apud Gen. cap. 3. vbi de arboribus in paradiso fructificantibus agitur, dicit textus: *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile.* Sic debent esse plantæ, quæ in Christi Ecclesia assurgunt ad fructificandum, plantæ nimirum oculis aspicientium pulchræ, multoque virtutum decore exornatæ. Pro quo ait D. Bruno lib. de laud. Eccl. cap. 8. *Bonæ arbores paradisi, quæ & pulchræ sunt visu, & ad vescendum suaues. Tales arbores gignit Ecclesia, quarum pulchritudinem, & religionem nos legere, & audire delectat, quarum verbis, & doctrina nostræ mentes nutriuntur, & reficiuntur. Talis arbor beatus Paulus, qui & visu tam pulcher est, vt nihil sibi conscius sit.* Quis Paulo ornatior? Sic pulcher, sic omni decore virtutum splendescebat ornatus, vt nihil in se ostenderet abstergendum, nihil limandum. Non miror, quod tam pulchra arbor, in tantum fructificaret; nec miror, quod de tam ornati viri aspectu multi homines ad fontem euolarent Christianum.

Actor. 2.

D. Cyril.

D. Cyril.

Gen. c. 3.

D. Brun.

§. XXI.

In sola Christi Ecclesia aurea, & speciosa sunt ornamenta virtutum.

EXpende vbi dicitur Labanus vidisse inaures, & armillas aureas, nimirum, *in manibus sororis suæ:* hæc est Rebecca, hæc est Ecclesia Christi, in qua sola videntur aurea, & speciosa virtutum ornamenta. Ait Psalm. 44. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato.* Vna equidem regina nostra, nempe Ecclesia Christi in deaurato vestitu fulget, & verè speciosa, & aurea esse perhibetur. Quocirca aiebat Bruno de ornatu Eccles. cap. 12. *Pulchre in vestitu deaurato Ecclesia describitur, vt tota sapiens, tota munda, & incorrupta intelligatur. Nullum ornamentum illius est, etsi pretiosum, & pulchrum videtur, nisi aureum fuerit. Videntur hæretici, pagani, & Iudæi eadem ipsi ornamenta habere, quibus sponsa Christi vtitur, sed in hoc differunt, quod aurea non sunt, quamuis aurea esse videantur. Quæcumque fides, quæcumque charitas, quæcumque humilitas, quæcumque misericordia, pax, patientia, obedientia fuerit, si apostolica doctrina auro non splenduerit, falsa est, corrupta est, immunda est. Meritò ergo in vestitu deaurato Ecclesia pingitur, cuius omnia ornamenta tam purissimo auro intexta sunt.* In sola Christi Ecclesia eo intexuntur auro virtutes, quo & splendidæ, & pulchræ sunt; alibi si inueniantur, adhuc apparent indecoræ, & rusticæ. Sanè Maximus ille Philosophus Paulinus ad Christum iam conuersus sic postulat orationes

Psal. 44.

Eccl. 15.

orationes amici epistol. 10. *Interueniant orationes tuæ, vt animam meam multa corruptione discissam, & spinis meorum sensuum temere consertam, Dominicæ crucis acus inserto verbi salutaris filo sarciat. Fidem enim & verbum crucis Christi hanc arbitror acum, qua vita nostra habitus innouatur.* Nō potuit Philosophi ethnici vitam pulchriori exemplo distinguere à Philosophi Christiani vita. Itaque vitam suam philosophicam ante auditum verbum Christi putat spinis suorum sensuum temere consertam, post auditum verbum Christi iam putat vitam suam, quasi vestem cultiorem subtilissima acu, pretiosoque filo assutam, & expolitam. Quid pulchrius? Vt rusticanæ fœminæ vestes habent rusticanas, non alio quopiam, quam rudi spina, vel rudi ligni cuspide assutas, & adhærentes sibi, sic ethnici, sic Hæretici aliquas præseferunt virtutes, rusticas quidem, & suorum sensuum spinis temere, & incoocinne assutas. In sola Christi Ecclesia, in verbo crucis Dominicæ acus est, & pretiosum filum, quibus virtutes aptantur, assuuntur, vt speciosæ, & aureæ fiant.

§. XXII.

In eo homo differt à belluis, quod prius curet satisfacere officio, quam proprio lucro.

DAntur paleæ, & fœnum camelis, simul & Eliezero panis apponitur, quid tunc Eliezerus, an vt camelus fertur totus in cibum? Absit: imo inquit: *Non comedam, donec loquar sermones meos, &c.* Ecce tibi vt se homo à camelis discernit, illi nil aliud curant, quam appositum pabulum sumere; hic prius curat satisfacere officio, quam vel cibum sumat. Non equidem homo est, sed bellua, qui oblitus officij, totus rapitur in propria lucra. Vnde Hierem. cap. 22. dicitur ad Ioachim regem: *Tui vero oculi, & cor ad auaritiam & sanguinem innocentem fundendum: propterea hæc dicit Dominus ad Ioacim filium Iosiæ regem Iuda, Non plangent eum, væ frater, & væ soror; non concrepabunt ei væ Domine, & væ inclyte. Sepultura asini sepelietur.* Cur tanto regi asini sepultura annuntiatur, nisi vt ostendatur quis fieret, qui in munere regio totum se post auaritiam effundebat? Sanè non miror, quod non censeatur homo in morte, qui vitam pecorum more efformans, tantum inhiabat lucris præsentibus. Ait Olymp. in cap. 6. Ecclesiastæ: *Sepultura asini sepelietur, hoc est, non habebitur dignus quiete hominum rationalium, cum passiones carnis consectatus, instar pecorum vitam finiet.* Non homo est, sed bellua, qui officio, & munere proprio postposito, in hoc tendit, vt lucra temporalia acquirat, vt præsentaneis commodis se se immergat. Notissima est Balaami historia apud Numer. cap. 22. is semel, & iterum prohibitus à Deo ne iret ad regem Mohabitam, tandem oblatis regis captus muneribus, sic Deo institit, vt ire permitteretur. Quid tunc? *Surrexit Balaam mane, & strata asina sua profectus est cum eis. Et iratus est Deus. Stetitque Angelus Domini in via contra Balaam, qui insidebat asinæ, & duos pueros habebat secum. Cernens asina Angelum stantem, &c.* Expende quæso, quod mittit eos Deus iratus Angelum ad Balaam, ipse Angelus non Balaamo se prodit, sed iumento, non enim dicitur, quod Balaam viderit Angelum, sed quod asina viderit eum. Cur ergo Angele non potius permittis te a Balaamo videri, quam a bellua? Equidem ex quo Balaam muneribus, lucrisque habendis inhiabat totus officij immemor adeo vilis, & abiecta bellua erat, vt mallet Angelus agere cum asina, quàm cum eo. Ita D. Prosper. lib. de promiss. par. 2. c. 12. *Dum vadit Balaam auaritia sua iam corde captiuus, obuius ei Angelus, iumento ipsius quo vehebatur, se potius manifestare voluit, quam illi: quia homo cùm in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insensatis, & non similis, sed peior factus est illis.* Placuit Angelo se potius manifestare iumento, quam vati sui muneris immemori, & temporalis lucri memori: ex quo enim quis non tam officio satisfacere curat, quam lucris inhiat præsentibus, non homo est, sed rapacissima, & voracissima bellua. Hinc Isaias cap. 56. clamat: *Omnes bestiæ agri, venite ad deuorandum, vniuersæ bestiæ saltus.* Hieron. Theodor. Adamus, Forer. & alij putant in præsenti conuocari Romanos, qui Ierosolymam deuastent; sed cur Romani vocantur bestiæ agri? Equidem quando Romanis nihil magis præ oculis erat, quā se se præsentis mundi diuitiis omnibus ingurgitare, merito non homines, sed belluæ à Deo reputantur. De illis fatur Lactantius lib. 6. cap. 12. *Quantum à iustitia recedat vtilitas, populus ipse Romanus docet, qui per feciales bella indicendo, sempérque aliena capiendo, atque rapiendo possessionem sibi totius orbis comparauit.* Quid hoc feralius? Quid belluinum magis quam sic præsentaneis lucris inhiare?

Hier. 22.

Olymp.

Num. 22.

D. Prosp.

Isa. 56.

Lactant.

Genes. 24. Responderuntque Laban, & Bathuel: A Domino egressus est sermo; Non possumus extra placitum eius, quidquam aliud loqui tecum. En Rebecca coram te est, tolle eam, & proficiscere, & sit vxor filij domini tui, sicut locutus est Dominus. Quod cum audisset puer Abraham, procidens adorauit in terram Dominum. Prolatisque vasis argenteis, & aureis, ac vestibus, dedit ea Rebeccæ pro munere: fratribus quoque eius, & matri, dona obtulit. Inito conuiuio vescentes pariter, & bibentes manserunt ibi. Surgens autem mane, locutus est puer: Dimitte me, vt vadam ad dominum meum. Responderuntque fratres eius, & mater: Maneat puella saltem decem dies apud nos, & postea proficiscetur. Nolite, ait, me retinere, quia Dominus direxit viam meam; dimittite me, vt pergam ad dominum meum.

§. XXIII.

Beneficia temporalia, quæ à Deo ad impios etiam solent proficisci, non valde æstimanda.

VBi puer Abraham audit Rebeccam dari vxorem Isaaco domino suo, *procidens adorauit in terram*, & merito qui sæpe antea vocabatur seruus Abrahami, nunc primum cum Rebecca conceditur, & ipse lætus procedit, & adorat, vocatur puer. Sanè paulò inferius videt Isaac venientem vxorem, illamque excipit, & introducit in matris triclinium, nec procidit, nec adorat. Solum enim ait textus; *Seruus autem cuncta, quæ gesserat narrauit domino suo Isaac. Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ, & accepit eam in vxorem, & in tantum dilexit eam, &c.* Non dicitur Isaac procidisse, nec adorasse, nec gestientis lætitiæ signum aliquod dedisse visa Rebecca, vxore sibi charissima: & seruus solum audiens illam Isaaco dari, non se continet, quin procumbat, & adoret, & lætis acclamationibus tanti beneficij datorem prosequatur? Cur id? An quia seruus Isaaco gratior Deo? An quia sanctior? An quia beneficij magnitudinem noscebat magis? Absit; sed quia puerilior sensu pollebat, æstimabat magis beneficium temporale coniugij, quod à Deo solet etiam impijssimis hominibus præstari. Crede mihi, nunquam nisi de puerilibus, & seruilibus, & vilissimis animis venit, quod tota cordis æstimatione feramur ad beneficia tēporalia, quæ & impijs dātur. Ad Israelitas gloriantes de Abrahami genere, & de exitu ab Ægypto, loquitur Dominus Amos cap. 9. *Nunquid non vt filij Æthiopum vos estis mihi? Ait Dominus. Nunquid non Israel ascendere feci de terra Ægypti, & Palæsthinos de Cappadocia, & Syros de Cyrene?* Educti fuerunt de Ægypto Israelitæ, sed & de Cappadocia Palæsthini educti fuere, & de Cyrene Syri. Quid hoc ad Israelem? Cur illis obijcit Dominus similem liberationem aliorum populorum? Gloriabantur nimis Israelitæ de eo, quod educti fuerint ab Ægypto, hocque beneficio accepto nimis erant tumidi, ostendit ergo eis Dominus quàm inane, & puerile sit adeò æstimare illud beneficium, quando simile quid datum est ethnicis, & perfidis nationibus. Quo respiciens D. Cyril. Alexand. ibi fatur: *Atque magnum quiddam, & præclarum, & illud vobis videtur, ex Ægypto in aliam regionem transisse. Tum, quid hoc? Aut quam vobis vtilitatem parit? Acceperunt à me istud beneficium & alij. Transtuli siquidem alienigenas, hoc est, Palæsthinos è Cappadocia, & Syros omnes eduxi è finitima Cyrene.* Quod beneficium temporale alienigenis, & impijs hominibus sæpe datur; non multum inhiet ad illum fidelis, nec valdè æstimet, quod illo se videat adornari. Quo crediderim spectasse illud Apocal. quando Angelus mittitur, vt metiatur templum. Quippe ait cap. 11. *Et datus est mihi calamus similis virgæ; & dictum est mihi, Surge, & metire templum Dei, & altare, & adorantes in eo: atrium autem, quod est foris templum, eijce foras, & ne metiaris illud, quoniam datum est gentibus.* Pretiosum illud ostenditur, quod sub mensura recipimus, & habemus; quod sine mensura habetur, non puta-

Amos 9.

D. Cyrill.

Apoc. 11.

tur

tur pretio dignum. Merito ergo iubetur Ioanni, quod metiatur templi intima penetralia, & altaria sacra, quando hæc pretiosa sunt hominum saluti, propter quam fiebant. Sed cur non simili mensura expenditur atrium exterius? Nonne & atrium illud, atrium erat templi sacratissimi, pretiosissimi? Cur ergo non dignum apparet Apostolica mensura? Rationem textus insinuat, inquiens, *quoniam datum est gentibus.* Intima templi solis fidelibus peruia erant, at atrium exterius tam fidelibus, quam infidelibus erat commune. Merito ergo excluditur à pretio, & mensura, quod concedebatur etiam impiissimis hominibus. Huc spectabat D.Hier. epist. ad Pammachium, eius extollens gloriam: *Antequam Christo tota mente seruiret, notus erat in senatu, sed multi alij habebant infulas consulares. Totus orbis huiusmodi honoribus plenus est. Primus erat, sed inter primos. Quamuis clarus honor vilescit in turba. & apud viros bonos indignior fit ipsa dignitas, quam multi indigni possident. At nunc omnes Christi Ecclesiæ Pammachium loquuntur.* Ille honor, illa dignitas, illa laus æstimanda est, quæ datur solis sanctis, & iustis hominibus; quæ autem raptantur passim per indignos, & flagitiosos, & impios, non vehementer rapiunt cordatos viros. Hinc Gen.6. *Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ.* Filiabus hominum reproborum data est pulchritudo, ne nimis æstimaretur à Dei filiis. Sic Eucher. *Amatæ illæ fœminæ sunt à filiis Dei propter pulchritudinem, quod bonum, Dei quidem donum est, sed propterea id largitur etiam malis, ne magnum bonum videatur bonis.* Cur enim magni æstimetur bonum, quod in perditissimis etiam conspicitur?

D.Hier. — *Gen.6.* — *Eucher.*

§. XXIV.

Dum Dei auxilium assistat, caue ne cunctaris in Dei via, neue deflectas ab illa, alioquin omnia tibi in peius ruent.

NVllam patitur moram Eliezerus, sed cum primum inuenit Sponsam domino suo, statim festinat in patriam proficisci, nec vllis precibus detineri permittit. Et cur tam anxie curat non detineri? Ipse ait: *Nolite me retinere, quia Dominus direxit viam meam. Dimittite me, vt pergam ad dominum meum.* Ideo petit, ne detineatur, sed magis festinat pergere, quia nouit viam suam à domino esse directam. Proh serui prudentiam! Merito cauet cunctationes, & moras in opere, ad quod sentit sibi diuinum auxilium adesse. Sapienter ad hæc Lippoman. in cat. *Hoc loco docemur, non nectere morarum causas, citius redire expleto negotio. Cumque in opere sancto Dei experimur auxilium, non cessandum esse.* Abijce moras, cum assistat Dei adiutorium, & metue tunc, vel cunctari, vel paululum a via deflectere. Sanè fœdius est tunc ob cunctationem, vel deflexionem negotium perdere, quam si antea in Dei absentia in ruinas ires apertas. Ab Ægypto exierunt Iudæi Deo fauente, ducente, mare siccis pedibus transierunt; quod dum simul transire nititur Ægyptius exercitus, misere aquis immersus perit. Igitur suffocatis in mari hostibus pergit Israelita diuinum ducatum, & protectionem experiens in deserto, inter quæ tamen ipse tandem sic perit, vt duobus, aut tribus exceptis, nullus fuerit Israelita, qui nō ibi perierit. Componite modo Israelitam cum Ægyptio, hic maris vndis immergitur, ille mare transit, auspicatissimo portu vtitur in deserto, auxilium, & protectionem Dei singulis momentis expertus, inter quæ & ipse perit fœdius? Vter infelicius? Rem pulchrè attigit D. Gregentius in disputatione cum Herbano Iudæo, inquiens: *Inter Iudæos, & Ægyptios discrimen nullum est. Nam hos mari obrutos suffocasti; illos vero in deserto prostrauit. & qui rubrum mare incisum, ac diuisum pertransijsti, tanquam per siccum, & aridum solum, in ipso portu naufragium fecisti. male in deserto finiuntes.* Gloriosum fuerat Iudæis, quod suffocatis in mari Ægyptiis, ipsi mare siccis pedibus pertransirent, protectionem, & auxilium Dei experti sibi præsentissimum, in exitu de Ægypto, in transitu maris rubri, in tota deserti via, sed quia ipsi inter hæc cunctantur ire post Deum auxiliatorem suum, ab illoque deflectunt, perditionem incurrunt, in nullo a miseris Ægyptiis distincti, nisi quod Ægyptij in mari perierunt, Iudæi in portu, inter auxilia, & protectiones diuinas, quod est longe fœdius, & infelicius.

Lippom. — *D. Greg.*

Gen.24. Et dixerunt, vocemus puellam, & quæramus ipsius voluntatem. Cumque vocata venisset, sciscitati sunt, vis ire cum homine isto? Quæ ait, vadam. Dimiserunt ergo eam, & nutricem illius, seruumque Abraham, & comites eius, imprecantes prospera sorori suæ, atque dicentes, Soror nostra es, crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum. Igitur Rebecca, & puellæ illius ascensis camelis, secutæ sunt virum, qui festinus reuertebatur ad Dominum suum.

§. XXV.

Nullo prætextu moras nectas in sequendo Deum, qui velit gratus esse, & extremam cauere ruinam.

NVlla pigritia inuenitur in tota hac historia. Eliezerus viā adornat, & festinus reuertere ad Dominum curat: Rebecca interrogata an tam cito velit ire? non cunctatur. Sed impigre respondit, *vadam.* Quid plura? Vide in hac festinatione discrimen eorum, quibus Deus arridet, vel quos à se deturbat. Qui impigrè ad Deum pergit, ad Dei electionem se pertinere pronuntiat, qui moras nectit, metuat, ne cum impiis inueniat partem suam. Ait D.Amb. in præsenti: *Vocata autem non fecit moram, & ideo acceptior Domino. quia populus Iudæorum, qui erat ad cœnam vocatus, dignus non fuit venire, congregatio autem gentium simul vt accersiri se videt, occurrit.* Nota est ex Lucæ cap.14. parabola, vbi Iudaicus populus vocabatur ad cœnam regiam, & altera ex Matth. 22. vbi vocabatur ad nuptias. Sed & notæ sunt moræ, & excusationes, quas ille prætendit, ne veniret. Ne miremur, quod exclusus à cœna, & regno perditioni maneat addictus? felicior Ecclesia, felicior anima Christiana, quæ vt moras omnes abrumpit, vt sequatur Deum, sic gratior inuenitur. Numquam non grauis est Deo quæuis mora in causa salutis, Ioann.4. *Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta. Venit mulier, &c.* Ecce tibi Iesus fatigatus nunc primum ostenditur. Et cur fatigatus nunc ostenditur? Nonne antea iter egerat, & iter ita longum? Cur nunc primum dicitur fatigatus? Hoc iter faciebat Dominus, vt mulierem traheret in salutem; & iam hora esset diei sexta, & mulier venire adhuc cunctaretur, hoc grauissimum erat, & maximam fatigationis causam Iesu afferebat. D.Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 10. inquit: *Fatigatus est Iesus, sed in te, quia diu te quæsiuit, tua illum tandiu incredulitas fatigauit.* Dum tardas venire, dum diu quæsitus, & vocatus adhuc moraris, grauis est tua mora Iesu, illaque vehementer fatigatur. Quod metuendum est, ne tibi accidat lethale, ne in mora tua præoccupatus morte præripiaris. De Amon rege Israelitarum dicitur 2. Paralip.33. *Viginti duorum annorum erat Amon cum regnare cœpisset, duobus annis regnauit in Ierusalem. Fecitque malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater eius. Non est reueritus faciem Domini, sicut reueritus est Manasses pater eius.* Amon secutus est patrem peccantem, sed minimè fuit secutus patrem pœnitentem. Et cur non fuit secutus pœnitentem? Volebat equidem sequi pœnitentem, sed cunctabatur, & expectabat postremam ætatem, vt desisteret à peccatis. Dum autem cunctatur, & moras facit, morte abripitur, ne perueniat ad tēpus destinatum. Sic D. Clem. Rom. lib. 2. constit. cap. 23. *Decepit se Amon mala cogitatione transgressionis, dixit, Pater meus multa peccata ab adolescentia commisit, & cum senex esset, pœnituit, & nunc ego ambulabo, vt expetit anima mea, & postea conuertam me ad Dominum. & egit improbe coram Domino supra omnes natos ante se, & deleuit eum Dominus celeriter de terra, & regnauit tantum duobus annis.* Ecce tibi dum parentis exemplo fallitur, & moras in pœnitentia facit, & magis ac magis cunctatur: Deus eius vitæ finem accelerat, & miserum in perditionem trahit.

D.Amb. — *Luc.14.* — *Ioann.4.* — *D.Amb.* — *2.Paral.33.* — *D.Clem.*

§. XXVI.

Nil durum, aut indecorum homini solet haberi, quod est illi spontaneum.

CVm Rebeccæ nuptias tractant fratres eius, non puellam vocant, pudori in hoc virgineo consulentes, vbi autem de subita profectione illius agunt, nihil decernunt, quin prius explorent puellæ voluntatem. Aiunt enim: *Vocemus puellam, & quæramus eius voluntatem.* Et cur ad hoc voluntas

virginis

virginis eapectatur? Durum erat, imo indecorum, quod virgo oobilis tam subiro dimitteretur a parentibus,& permitteretur peregrino scruo, vt illam deserret io domum Abrahami, ideo in boe merito exploratur, si puella velit sic subito proficisci, nihil enim durom, oec indecorum accidere ceosetur, animo spontaneo. Hinc Paul. ad Philip. 2. de filio Dei. *Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aqualem Deo, sed exinaniuit semetipsum formam serui accipiens.* Noo horret Paulus asscrere altissimi filium in mundo delitescere sub seruili habitu. Et cur non magis hotret de Dei filio talia affirmare, quod nimirum seruituti subiaceat? Ipse horrorem tollit, cum ait, *exinaniuit semetipsum formam serui accipiens*, ooo coacte venit in seruitutem, sed spoote, ipse enim libens, & spontaneus seruilem induit habitum, quod illi indecorum esse non valuit. Ad id D. Cyril. Alex. lib. de recta fide ad Regio. ex 2. ad Corinth. fatur: *Quomodo omnem altitudinem aduersus Dei scientium se extollentem demolimur? Aut qua tandem ratione omnem intellectum in Christi obsequium captiuum ducemus? Sanè Verbum sponte se exinaniuit, patri vsque ad mortem factus obediens.* Vt demoliamur scientiam sese aduersus Christum extollentem propter eius deiectionem, hoc vnum præmittamus, quod nimirum Christus deiectionem sponte sua subierit. Vbi autem spontaneus Iesus in seruili habitu osteoditur; nihil tantæ maiestati indecorum, oihil durum apparebit. Quis oeget abiectionem esse humani generis, quod iubeatur ex aqua renasci? Sic enim cauet Dominus, Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quantum hoc deiicit hominem, quod eosdem cum piscibus habeat natales? An dignum est, quòd homo creatura soblimis, & regia aquam matrem cognoscat? Quid bonum potest esse in hac oatiuitate, quod deceat hominis præstantiam? Sanè in iis natalibus id præstans est: quod sint hominibus spootanei; & quod inde talis, quis nascatur, qualis velit nasci. Qua parte nihil potest accidere homini indecorum, quando de illius electione voluntaria pendet quod ex aquis fœlix nascatur. Quo spectans D. Zeno, serm. 4. de fonte Baptismatis, ait: *Iam iam ad æthereas portas, fratres, intrate, æternique gurgitis alueo genitali condentes, villam pro personis operari ne æstimatis hic gratiam, iudicio vestro nascimini, scientes, quoniam quo plus crediderit, nobiliorem se ipso præstabit.* Ecce tibi in regeneratione totam oatalium præstantiam ab hominum pendere voluntate, ne quid indecorum accidat homini, quando illi voluntarium est, quod nascatur ex aquis.

Ad Philip. 2. — *D. Cyril.* — *Ioan. 3.* — *D. Zeno.*

§. XXVII.

Solis parentibus gratiosum est, à filiis in gloria superari.

Ecce quovsque perueniunt preces fratrum Rebeccæ, quippe aiunt. *Crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorū suorum.* Optant Rebeccam crescere, & in tantum crescere, quod superet portas inimicorum, quod autem superet portas fratrum, id oeque optant, oec volunt fratres: solios parentis est velle à filiis in gloria superari. Ex quo sic affatur Theodosium Imperatorem D. Cyril. Alex. in Apolog. *At erat religiosissimo rex, cor tuum tutum, immotumque? Erat sanè, & hoc ipso profiteor, quippe cum res ipsa hoc clamans, longusque temporum tractus, quo impigre cum maiorum vestrorum pietate, & gloria certatis, prolixe testatum id faciat. Imo vero, quia illis gloriosum est, quod à vestra serenitate superantur, nihil veritus, dixerim meliorem has de re, honestioremque vos calculum tulisse.* Is est affectus paternus erga filios, vt ooo solum cupiat hostes à filiis vinci, sed iosuper pro gloria habeat, ab illis in laudum materie superari. Id quod oouerat Sidoo. Apol. lib. 7. epist. 9. in eoncione pro Simplicio fatus: *Filios ambo bene, & prudenter instituunt, quibus comparatus pater, inde fœlicior incipit esse, quia vincitur.* Addit semper parentibus triumphos filius, qui parentes in gloria vincit. De quo habes plura tom. 4. in Euang. lib. 14. cap. 17. §. 16.

D. Cyril. — *Sidon.*

Genes. 24. Eo autem tempore deambulabat Isaac per viam, quæ ducit ad puteum, cuius nomen est, Viuentis, & videntis, habitabat enim in terra australi. Et egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinata iam die: cumque eleuasset oculos, vidit camelos venientes procul.

§. XXVIII.

Verborum flores sine fructu vel adolescentem maximè dedecent.

Dicitur Isaacus *egressus ad meditandum in agro.* Alij legunt, *ad loquendum*, alij ponunt, *ad exercendum*, alij verò, *ad garriendum*, quæ verba sic D. Augustinus exagitat, in Psal. 118. concione 6. *Quidam interpretati sunt, garriam, quidam vero exercebor, quæ duo inter se videntur esse contraria. Sed si exercitatio intelligatur ingenii, cum quadam delectatione disputationis, vtrumque coniungitur, & quasi ex vtroque vnum aliquid temperatur, vt non sit aliena ab huiusmodi exercitatione garrulitas.* Itaque iuxta D. Aug. egreditur Isaac in agrum, vt se garriendo, & verba fundendo exerceat, vt verborum ludat, & se oblectet concinnitate. In quo iuuenis maximè ingenuitas, & moderatio apparet, vt iuuenis gaudet Isaac verborum ludis, & se oblectat pulchra concinnando vocabula, vt autem moderatus, & sapiens iuuenis, vt sic verbis ludat, & garriat, secessum amat, & vadit in agrum. Quis isto iuuene prudentior? Noo nisi in agro, & solitudine se dat verborum ludis, ostendens, quàm dedeceat sobrium iuuenem in publico, & à pulpitis verborum flores, & pulchritudines sine fructu iactare. In iis verbosulis, si in quibus aliis, animas corporeas esse, & materiales crederet Claudianus Mamercus libr. 2. de statu animæ, cap. 7. fatus: *Si forsan præcipiti lapsu stultitia, vlla anima corpus iudicanda est, illas equidem corporeas iudicauerim, quæ se corpus esse credunt. Non per hoc animarum generi derogans, sed quosdam sententia sua improbitate, non mea sponte denotans, & quid de hominibus fiat, quos cum eò vsque inscitia teneat, vt indoctos se esse nesciant, scientia nihilominus priuilegium sibi vindicant. Dumque in imperitas aures verborum puerilium spumas exspuunt, vno eodemque mendacio semet scientia fallunt, alios docendo decipiunt.* Expende illud, *verborum puerilium spumas exspuunt*, non equidem clariùs possent exprimi materialissimi isti verborum artifices, quam dum dicitur exspuere verborum puerilium spumas. Vt enim inter maiores gloriæ suæ ambitiones, nil clarius in equi generosi ore cernitur, quam spumantia fræna, quæ teruntur. Sic in ore eorum, quidquid prosiliit, spumea quædam verborum nebula est, quæ vulgus indoctum irrorat. Vnde D. Hieron. monebat Nepotianum epist. 2. *Nolo te declamatorem esse, & rabulam garrulumque sine ratione, sed mysteriorum peritum, & sacramentorum Dei tui eruditissimum. Verba voluere, & celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem sui facere, indoctorum hominum est. Nihil tam facile, quam vilem plebeculam, & indoctam concionem lingua volubilitate decipere, quæ quidquid non intelligit, plus miratur.* Caueat ergo sobrius adolescens hoc inanium verborum studium, sic orationem suam meditetur, sic decoquat, vt quidquid in illa verborum luxuriauerit, spumas credat tollendas. Sapienter enim ait Tullius lib. 1. de oratore: *Eloquentia est scientia comprehendendarum rerum plurimarum, sine qua verborum volubilitas inanis atque irridenda est. Etenim ex rerum cognitione efflorescat, & redundet, oportet, oratio; cui nisi subest res ab oratore percepta, & cognita, inanem quandam habet locutionem, & pene puerilem.* Sic ibi.

D. Aug. — *D. Aug.* — *Claudian.* — *Hieron.* — *Tullius.*

§ XXIX.

Vitiorum feritas facilè frangitur, si solum reducatur ad mentis certamen.

Prudeos Isaacus secessum quærit, agri solitudinem amplexatur *ad meditandum*, hoc est, iuxta D. Ambrosij interpretationem, ad alienandum se à sensibus per contemplationem. Et quidem sapientissimè sensibilibus omnibus valedicit, omniaque vitiorum lenocinia, voluptatum latrocinia, mundi decora ad vnum reuocat mentis scamma. Facilè namque vitiorum omnium, voluptatúmque feritas frangitur, si illorum insultus ad vnius mentis certamen reuocatur. Accipite Petrum Damianum pulchris exemplis, in rem præsentem opusc. 12. cap. 15. de contemptu sæculi, fantem. *Venator oppilatis anfractibus, densis circumsepit saltuum lustra fruticibus, vnumque pro multis aditum feris fugacibus ex arte relinquet, atque ibi se vibrata stringendo venabula in insidiis ponit, sicque compendium sibi laboriosa vexationis attribuit, dum per vnicum ferarum vestigia, quæ persequi per infinita nequiuerat, in egressionis solo vestibulo, negotioso otio quietus expectat. Et nos cum vitiis ad prauis operis libertatem prodire nitentibus, terrena actionis aditus occludimus.*

occludimus, quasi vno in loco illis insidias ponimus, quia cum solis cogitationibus iugiter dimicamus. Sicque vitiorum nostrorum bestialis feritas facilè capitur, dum solum cogitationis humana peruium singulariter custoditur. Quid pulchrius? Sanè nunquam venator triumphat securius de feris, quam vbi oppilatis anfractibus, & semitis omnibus, ad vnum illas cogit locum festinare, in quo ille & retibus, & ferro armatus impetentes expectat, vt mactet. Sic homo fidelis numquam certius de vitiis triumphos aget, quam vbi ablatis omnibus aditibus locorum, & operum, & verborum incentiuis, ad vnam solum mentis cogitationem reuocat totum illorum certamen; vbique ipse diuinis rationibus obsistit armatus. Quomodo non facilè capiatur, & feriatur bestialis voluptatis feritas, vbi nullum apparet vernans pratum, nulla pulchritudo præsens arridet, nulla Eua suadet, nullus cantus emollit, sed sola in cogitatione hæc bestia apparet? O te fœlicem, quis sic te alienas à sensibilibus, vt in sola mente possis pati certamina, fallar, nisi gloriosissimos triumphos agas. Pergit etiam alio simili exemplo rem ponderare Damianus vbi suprà;

Dam.

Auceps etiam cunctos vndique gurgites ramaleis densitatibus operit, atque ad vnum hauriendæ dulcis aquæ locum confluere volucres præscripta necessitate compellit, dumque solus ille ad bibendum locus exponitur, circumpositis muscipularum tegumentis felicis aucupij prouentione ditantur. Vt ergo diuersis animæ passionibus facilè possimus laqueos captionis inijcere, obtensis negotiorum sæcularium vinculis, aduersus solos cogitationum impetus studeamus viriliter decertare; vt dum vitia nostra ab actione deterrita sola cogitationum fluctuationibus adnolant, facilè in sanctæ prudentiæ laqueos cadant. Itaque huc toto studio nostro tendamus, vt nos à sensibilibus prorsus abalienantes, solius cogitationis habeamus certamina, proculdubio quæ hac in vna cogitationis cauea tenetur bestialis feritas, facilè superabitur. Huc traho illud Iob cap. 38.

Iob 38.

Quis conclusit ostijs mare, quando erumpebat, quasi de vulua procedens? Vbi per fluctus maris Diu. Greg. lib. 28. Mor. intelligit fluctuantes cordis humani cogitationes, magna vi erumpentes, vt hominem impellant in peccati voraginem. Et quis hos fluctus coercuit, & sedauit? Ipse explicat interrogando, *Quis conclusit ostijs mare?* Etenim qui potuit occludere omnia alia ostia, & totum certamen cohibere intra vnum fluctuantis cogitationis claustrum, ille facilius totam procellam componet, sedabit.

§. XXX.

Cauendus temporalium rerum splendor ei, qui velit rectum iudicium de virtutibus facere.

EGreditur Isaacus in agrum meditari, & prospicere, quod bonum eligat, humanæ vitæ consentaneum. Sed vide quando egreditur, nimirum, *inclinata iam die.* Vbi Sol lucis suæ contraxerat radios. Merito, fateor, temporalium splendorem luminum cauet, qui de virtutibus rectum iudicium nititur facere Hinc monebat Paul. ad Corinth. 1. cap. 15.

1. Cor. 15.

Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis. Cur non magis nos incitat ad veritatem cœlestium portandam? Esto enim quod terrena omnia imagines sunt, & vmbræ, at cœlestia vera, & solida sunt. Cur ergo Paulus non monet nos ad cœlestium veritatem, sed imaginem? Est aliquid necessarium ad videndam imaginem, in quo consistit multum profectus Christiani Quippe imago mensurato, & inclinato lumine circumspicienda est, vt placeat: si enim imago toti solis lumini exponitur, sub splendentium radiorum lumine, prorsus obscuratur: necessum fit, vt splendor luminis, confractus sit, & debilitatus, & extenuatus, vt sic clareat tota perfectio imaginis. Qui ergo cupit cœlestium æstimationem facere, sic in illa mentem figat, vt in imaginem, hoc est, non sub magno temporalium lumine, sed cum declinatione splendoris temporalis. Nunquam spectabiliora cœlestia, quam vbi sub declinatione temporalium luminum apparent. Hinc locutus D. Chrysost. de resurgentis Iesu gloria, ait, serm. 3. de Resur.

D. Chr.

Post supplicia crucis, & vulnera, surrexit de suo funere tam noua Phœnicis, quam vltimus Sol, & cinnama texerant putatis. Expende illud, nimirum, *vltimus Sol*, non equidem Sol temporalium rerum in primo suo splendore, & gloria; sed in vltimo, & iam penè emortuo, nobis præmonstrat Christum gloriosum, & amabilem. Caue Christiane primum, & crescentem temporalium rerum splendorem, quære magis vltimum, & penè emortuum; quando temporalibus splẽdoribus assuetus non mirum si cæcutias ad cœlestia, & in perditionem eas. Quis nesciat, quam stultè corruerit Esau? Is in lentis coctura sic impegit, vt propter lentem habendam, totum primogenitum prodegerit. Sed scire cupis, vt tantus homo sic in lente offenderit? Ait textus Gen. 25.

Gen. 25.

Coxit autem Iacob pulmentum, ad quem cum venisset Esau de agro lassus ait, Da mihi de coctione hac rufa, &c. Veniebat itaque Esau de agro splendoribus integri diei assuetus, quid mirum quod intrans domum ad quodlibet offenderet, vt cæcus? Sic qui totus temporalium bonorum luminibus assuescit, prorsus cæcutit, & offendit in qualibet re domus cœlestis. Ait D. Petrus Dam. Opusc. 12. de contemptu sæculi, cap. 25.

D. Pet. Dam.

Sic Esau, dum de agro rediens, se conqueritur lassum, damnosum valdè pepigit cum fratre commercium, magnum primogenitorum decus vili parua lenticula coctione distraxit. Sic nimirum, fit qui exterioribus deditus semetipsum deserit, &c. Non meliorem exitum sperent illi, qui sese exteriorum bonorum fulgentissimis splendoribus dedunt: pleni enim tanto splendore dum ad domum æternitatis accedunt, prorsus offendunt, & misere pereunt.

Genes. 24. Rebecca quoque conspecto Isaac, descendit de camelo, & ait ad puerum. Quis est ille homo, qui venit per agrum in occursum nobis? Dixitque ei, ipse est dominus meus. At illa tollens cito pallium suum, operuit se; seruus autem cuncta, quæ gesserat, narrauit domino suo Isaac. Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suę, & accepit eam in vxorem: & in tantum dilexit eam, vt dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret.

§. XXXI.

Quamprimum apparet in oculis, quod amatur.

PRima Rebecca interrogat de veniente, quia ipsa prima viderat, non enim muti fuissent serui, si antea dominum vidissent, nec clamantibus illis dominum suum, necessum fuisset, quod interrogaret illa. Sed interrogauit, quia prima vidit, nec miror, quod prima viderit, quæ vt sponsa iam sponsum amabat, & animo insitum tenebat, nec potest, quod amatur, non esse in oculis quamprimum. Gen. 43. dum filij Iacob vna cum Beniamin iussi fuissent venire in Ægyptum; venerunt illi, Proregis palatium intrant, imò & cubiculum secretiorem illius. Quid tunc?

Gen. 43.

Attollens autem Ioseph oculos vidit Beniamin fratrem suum vterinum, &c. Omnes fratres veniebant simul, vbi autem Ioseph oculos sustulisset, solum dicitur vidisse Beniaminum. Et cur solum dicitur Beniaminum vidisse? Amabatur à fratre plus cæteris Beniaminus, vnde euenit, quod prius in dilectoris oculis appareat ipse. D. Amb. lib. de Ioseph, cap. 10.

D. Amb.

Morale est, vt quos diligimus, eos videamus præ cæteris, & quos animi intentio tenet, priores eos obtutus offendat oculorum. Siquidem plerumque circa alia mentis occupatione districti, quos habemus antè oculos non videmus, seu duce animo dirigitur noster affectus. Vidit igitur Beniamin fratrem suum sanctus Ioseph, quem tenebat animo, quem oculis requirebat, quo absente fratres penè non viderat. O quam acuminat oculos affectus! O quam in oculis primo apparent euidentius dilecti! Ioan. 19. crudelissimæ cruci Iesus suffixus erat, cui adstabant turbæ innumeræ hostium, adstabat & paruulus grex fidelium. Quippe ait:

Ioan. 19.

Stabat autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleopha, & Maria Magdalene. Cùm vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, &c. Vt referuntur ab Euangelista stantes Maria Cleophæ, & Maria Magdalene, cur simul non referuntur visę à Iesu? Cur oculorum Iesu intuitum notans prætermissis illis, vnum discipulum cum matre meminit? Rationem insinuat illis prolatis verbis, *quem diligebat*, vt diligebatur Ioannes præ cæteris, sic primus Iesu oculos occupare censetur. Vidit igitur Iesus discipulum cum matre, quem animo tenebat, quem oculis requirebat, quo absente penè Marias non videbat, ita duce animo dirigebatur Iesu affectus. Piscantibus Apostolis Christus rediuiuus apparuit; quem illi minimè cognoscebant, Ioan. 21. Tunc textus:

Ioan. 21.

Dicit ergo discipulus quem diligebat Iesus Petro, Dominus est. Ad quæ verba Chrysol. ser. 78. fatur. *Primus, qui diligitur, videt, quia semper amoris oculus acutius intuetur.* Sic ibi: necnon & cum Iob sedisset in sterquilinio, ad illum venerunt amici, cap. 2.

Iob c. 2.

Cumque eleuassent

eleuassent procul oculos. Origenes legit: *Videntes illum de longe.* Et qui fieri potuit, vt homo adeo exinanitus, adeo derectus à longe videri posset? Erant amici, qui videbant, in quorum oculis nil prius appareri fecit vis amoris. Orig. lib. 3. in Iob: *Merito de longè viderunt eum, quia de longè cogitabant de eo, atque de longè erant soliciti pro illo. Nam amicus amicũ suum de longè videt, siue corporis visione, siue animi sinceritate, cũ memor est eius, &c.*

Origen.

§. XXXII.

Quod amas, semper illud velles lingua versare.

IN tam longa via multos è regione venientes viderat Rebecca, de nullo tamen legitur interrogasse, imo nec verbum vllum dicitur protulisse, nisi cum proprie accedit ad puteum viuentis, & videntis. Tunc videns hominem, statim de illo interrogat. Et cur alioquio silens, modo interrogat? Sciebat se esse in terra, in qua habitationem habebat sponsus eius Isaacus, & credens posse fieri, quod ille esset, qui occurrebat, quem animo tractabat, voluit de illo etiam sermonem texere. Nescit enim affectus in lingua non versare, quem animo tenet. Similiter Gen. 43. cum filij Iacob adducto Beniamino ad Iosephum Ægypti moderatorem accederent, statim ille viso Beniamino fatur. *Iste est frater vester paruulus, de quo dixeratis mihi?* Non expectat, quod illi verba faciant, sed præoccupãs illos festinat ipse de Beniamino interrogare. Et cur non magis silens expectat, quod illi loquantur? Ait D. Amb. lib. de Ioseph. c. 10. *Consuetudo, & gratia charitatis est, vt dilectos nobis non solum oculis, sed etiam sermone teneamus. Agnouerat Ioseph dilectum suum, sed ideo interrogabat, vt quẽ tenebat animo, vox sonaret.* Non se temperat affectus charitatis, quin de re amata loquatur. Parum dixi, loquatur; nisi repetitis vocibus dilectum sonet, non solet quiescere vis sancti amoris. Hinc Cant. 4. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es.* Suffecisset semel pulchritudinem animæ ab sponso commendari; sed amator noster Deus infructuosum putat, si repetitis vocibus dilectam non valeat sonare. Ait D. Philipp. Abb. lib. 2. in Cant. cap. 13. *Habet quippe hoc sibi familiare vis amoris, vt cum aliquem illexeris affectus vinculo charioris, illum excitet, vt de eo, quẽ diligit, loquatur gratiosa, & nisi repetantur, non sibi videantur satis eadem fructuosa.* Nihil fructus, nihil emolumenti sibi posse obuenire putat diuinus amator, nisi semel, & bis repetitis vocibus sonet, quod amat. Hinc etiam Dauid 2. Reg. 18. clamabat: *Absalon fili mi, fili mi Absalon.* Et in Psal. 66. sæpe repetit; *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* De quo ait D. Philippus Abb. vbi supra: *Videtis, quia loqui semel, quod placet amanti, sufficiens non putatur, sed affectus tenerior, iterare, quod dixerat gratulatur.* Vellet affectus charitatis, quod ab eius ore, nunquam excideret, nec abesset, quod amat.

Gen. 43.
D. Amb.
D. Philip.
2. Reg. 18.
Psal. 66.
D. Philip.

§. XXXIII.

Domestica pax, & quies præstantior omni externa fœlicitate.

VT Isaac audiuit ex seruo quidquid de sponsa adducta narrauit ille; vt illam liberalem, & perhumanam in fonte offendit, vt fratres eius adiit, vt adduxit statim, *introduxit eum in tabernaculum Saræ matris suæ.* Vbi Chaldæus: *Et introduxit eam Isaac in tabernaculum, & vidit, & ecce opera eius erant recta, sicut opera Saræ matris suæ. Et accepit Rebeccã, & fuit ei in vxorem.* Expende quam prudentior sit Isaac seruo suo: ille vt sponsam quæreret Domino suo, expectauit, quod puella domo egrederetur, & in fontem veniret, ibique notauit eius virtutes, vt iam supra late vidimus. Isaac autẽ introduxit eam in tabernaculũ, & ibi videt, & notat, quæ sint eius virtutes, quã respondeant moribus matris defunctæ: & post hæc sibi vxorem adiunxit. Vterque virtutes ducendæ vxoris notabat, sed seruus illas virtutes notat, quas extra domum exercet; Isaacus vero quas exercet domi virtutes, plus inspicit, sciens omni externa fœlicitate præstantiorem esse domesticam disciplinam. Quo spectãs Iob 5. ait: *Et scies, quod pacẽ habeat tabernaculum tuũ, & visitans speciẽ tuã nõ peccabis.* Lectio Græca in cat. ait: *Cognosces, quod pace fruetur domus tua. Conuersatio autem tabernaculi tui ne peccet.* Hæc summa fœlicitas viri, quod omnia domus suæ pacata, & tranquilla, & virtutis studiosa cognoscat. Vbi Chrys. in cat. *Non exteri modo tecum pacem habebunt, sed domus etiã pace fruetur incredibili. Et nimirum pacata domus nihil par potest reperiri. Quid enim profuerit, externis eum non tentari bellis, quæ turbis redundat intestinis?* Et quidem vna domestica disciplina, & tranquillitas longe superat omnes quascumque externas fœlicitates sine illa. Vnde Isaias cap. 32. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta.*

Chald.
Iob 5.
Chrysost.
Isai. 32.

Quæ ex Hebræo sic sonant apud Forerium: *Habitabit populus meus in mapalibus pacis, & in cohabitaculis securis, & residentiis tranquillis.* Compone versiones, Hebræus legit, *in residentiis tranquillis,* & vulgata posuit, *in requie opulenta:* enim verò solũ illa opulentia vera reputatur, quæ è domestica disciplina, & tranquillitate venit. Vt merito id defleat in Herode Egesip. lib. 1. de Excid. Ierosl. c. 45. *Annos triginta quatuor imperio exegit: vtinam tam domestico vsu, quam publicis latus successibus. Namque ita foris ei res adsperauerunt, vt priuatus in regnum asciscer etur, eoque per multa vsus annorum curricula, quod difficile saluæ potestatis vsu decederet, relinquens liberis imperij successionem, quam ipse à suis non acceperat. Sed intra domum infelicissimus, quam suorum sanguine, & luctu repleuit.* Sanè domestica infelicitas in filiis, in vxoribus hominem infelicissimum reddidit, qui ab externis summos gloriarum cumulos acceperat.

Forer.
Egesipp.

§. XXXIV.

Bona vxor mariti affectum adaugeat erga parentes.

IN tantum dicitur Isaacus dilexisse Rebeccam, *vt dolorem, qui ex morte matris eius acciderat, temperaret.* Expende quæso, quid temperetur, & minuatur in Isaaco ex adiuncta sibi Rebecca, temperatur equidem dolor de matris morte, sed minimè dicitur temperatus in illo fuisse, & imminutus amor erga parentes. Et quidem ad bonam coniugem spectat, quod mariti dolor minuatur, amor autem erga parentes, non diminutionem accipiat, sed incrementum. Sapienter Archelaus, qui filiam iunxerat Alexandro Herodis filio, vbi Alexãdrum parricidij suspectum accepit, aduolat ad Herodis Regiam, & filiam nullius criminis consciam, hac tamen percutit sententia. Ea est apud Egesipp. lib. 1. Excid. Ierosl. cap. 40. *Vbi, inquit, parricidiale illud reperiam caput, vt manibus discerpam meis? Eniscerabo primo scelestam, adiectam filiam bono sponso, & si sceleris non fuit conscia, non est tamen aliena contagij, quæ parricidæ coniugio patiebatur. Non agnosco filiam meam, quæ artes non deprehendit mariti, quæ se non talem exhibuit socero nurum, vt subiectum filium patri redderet.* Merito vitio vertit filiæ, quod sibi iunctum maritum parentibus nõ redderet magis subditum. Non equidem bona vxor illa est, cuius ob causam mariti amor erga parentes suos sic frigescit, vt minime illorum mandata curent. Quod euidenter patuit in illis pessimis Esau vxoribus, de quibus ait Gen. 27. *Esau autem quadragenarius duxit vxores duas, Iudith filiam Beeri Hethæi, & Basemath filiam Elon eiusdem loci, quæ ambæ offenderant animum Isaac, & Rebeccæ.* Chaldæus autem legit: *Et fuerunt rebelles, & irritatrices contra mandatum Isaac & Rebeccæ.* Expende illud, *& irritatrices contra mandatum,* non equidem contentæ erant ipsæ non obedire, sed insuper irritabant alios, puta maritum, ne parentum mandatis se subijcerent. In hoc vnum conueniebant alioquin dissidentes nurus, vt irritarent virum aduersus mandatum parentum. Nec vnquam maritus parentibus suis est iniurius, quod id non vertatur vitio vxori suæ; quando si bona esset vxor, ipsa sufficeret ad emolliendum, & moderãdum maritum. Ait enim D. Chrysost. hom. 60. in Ioan. *Nihil potentius muliere bona ad instituendum, & informandum virum, quodcumque voluerit: neque tam leniter amicos, neque magistros, neque principes patietur, vt coniugem admonentem, atque consulentem; habet enim voluptatem quandam admonitio vxoris, cum plurimum amet, cui consulit.* Hæc ibi. Rebeccæ sterilitatem, Isaaci orationem pro illa, conceptum, & vteri pugnas, & filiorum natiuitatem, & nomina eorum, & indoles, & paternæ benedictionis furtum habes supra lib. 2. cap. 1. vbi latè Iacobi historiam perfecimus.

Egesipp.
Gen. 27.
D. Chrys.

CAPVT III.

Isaaci peregrinatio, & mors.

Textus Historia.

FIliis duobus recreatus Isaac creditur deinceps nuptiali thalamo abstinuisse, vt cui post filiorum successionem in primis erat amor pudicitiæ. Dumque omni carnali voluptate vacuã, omni cœlesti dulcedine plenã vitã cõponit suam, in amantissimi parentis Abrahami mortem incidit. Hinc nouus diuitiarum cumulus Isaacum implet, ad quem totum familiæ paternæ decus peruenit, cæteros ex an-

T cillis

eillis filios,quæ reges etiam decerent, ornarunt munera. Et quæ diuitiæ eximant hominem mundialibus vicibus? Diues erat valdè Iſaacus,& floridiſſimus in domo ſua,& ecce vnius anni ſterilitas, vnius anni oborta fames virum cogit à noto ſolo exulare,& peregrinari velle in Ægyptum. Adeſt autem Deus iam ism proficiſcenti,iubet ab incepta quieſcere via,& manere in Gerara ſub Regis Abimelechi dominio. Igitur Iſaacus manſit in Geraris, & vt vix pulcherrimæ vxoris in Geraris ſecurus conſiſtat, profitetur ſororem ſuam eſſe Rebeccam,quidquid vxoris erat,diſſimulans. Non poteſt diſſimulatio manere din; & cum Iſaacus diu ageret in Geraris, inter vxoris blanditias deprehenſus à rege,ſimul agnoſcitur maritus. Credidit ſapiens rex facilius poſſe tantum virum mentiri,quam virgineo pudori maculam vel leuem inurere. Necnon & fallenti pepercit, vt qui iure timuerit,ne ſibi funeſta eſſet vxoris pulchritudo. Addidit bonus rex & imperium,vt ſacrum eſſet,ſi quis offenderet Rebeccæ pudicitiam.

Secutus inde Iſaacus colendæ terræ ſe ſe applicuit, nec ſine ingenti lucro, quando ſegetes centies multiplicatæ reſponderunt ſeminibus;gregeſque & armenta eius ſic omnia implerent, vt inuidioſi Palæſtini non poſſent ferre hominis opulentiam,cogerentque illum à ſuis finibus exire. Et vt feſtinatius abiret,adhibita humo puteos oppleot, ne ad Iſaaci armenta,aqua poſſet ſcaturire.Non ſcanduit manſuetiſſimus vir tanta iniuria, ſed cedens inuidis tritam quondam à patre ſuo arripit viam, vbi ſimili malitia Philiſthinorum vitiatos patris puteos inueniens reparat, & nonum alium iuxta torrentem effodit ipſe, in quo viuidiſſima aquarum vena proſiliuit. Duos puteos effecit Iſaac, & totidem rixas inter ſuos, & incolarum paſtores ſuſtinuit, ob quas alterum puteum vocauit calumniam, alterum inimicitias. Omnes autem rixæ ceſſarunt in effoſſione tertij putei, qui inde latitudo vocatus eſt, quod ſine rixis effoſſus magnorum daret incrementorum auſpicium. Nec id vane, quando vix ſe ſe ab hoc loco diuidit, & Berſabee tenet, & ecce tibi dominus Iſaaco potentiſſimus aſſiſtit,promiſſa omnia renouat, viri metus abſumit. Sic Dei numine implebatur Iſaac,cũ adſtant illi Abimelech Rex Geraræ, Ochoz Regis amicus, & Phicol dux militum, qui venerantes in Iſaaco præſentiſſimum numen, ambitioſè, & enixè contendebant viri iuramento firmatam amicitiam. Fœdera præceſſit lautiſſimum conuiuium,quo finito,datis dextris,abeunte Rege,Iſaaci lætitiam eius ſerui cumulant, nuntiantes effoſſum puteum aquis ſcaturientem clariſſimis,qui meruit nomine abundantiæ inſigniri.

Hæc integram, & robuſtam Iſaaci ætatem præſignant, poſt quæ, vt ad ſenium vrgebat, cœpit ſenilis conditionis morbos ſentire Tremebant hominis artus,hebeſcebãt lumina,& adeò hebeſcebãt,vt nec filiorũ poſſet diſcernere facies. Sub hac ſenis caligine ſecurus Iacob, impellente Rebecca, auſus eſt patrẽ fallere:& ſibi benedictionẽ paternã acquirere,quã Iſaacus Eſau maiori natu deſtinabat.Excanduit tantiſper ſenex ad furti acerbitatẽ:ſed nullis Eſau lacrymis potuit adduci,vt auſpicatiſſimę benedictionis datæ aliquid ſubtraheret.Hoc vnũ cauit,ne Iacob domi maneret, quẽ in atauorum regionẽ citiſſimè amãdat,vt inde vxorẽ trahat.Intereà bonus ſenex chariſſimæ ſuæ Rebeccæ morienti adſtat,mortuam deflet,quam mallet etiam in vitæ exitu comitari. At longè aliter factum eſt: in viduitate enim,& cæcitate, & infirmitate multis annis permanſit: tandem centeſimum octuageſimum annum explens redditus fuit auis:& Iacob,& Eſau filij eius iuſta ſoluerunt dilectiſſimo patri.

PARS SECVNDA.

Moralia circa textus literam.

ISAACI ſanctiſſimi poſtremos annos patientiæ plenos noſtra tranſcurrit oratio: modò à textus littera vocamur, quæ iam petit enucleari.

Geneſ. 26. Orta autem fame ſuper terram, poſt eam ſterilitatem, quæ acciderat in diebus Abraham, abiit Iſaac ad Abimelech Regem Palæſtinorum in Gerara. Apparuitque ei Dominus,& ait:Ne deſcendas in Ægyptum, ſed quieſce in terra,quam dixero tibi, & peregrinare in ea,eróque tecum,& benedicam tibi: tibi enim, & ſemini tuo dabo vniuerſas regiones has, complens iuramentum, quod ſpopondi Abraham patri tuo. Et multiplicabo ſemen tuum, &c.

§. I.

Quem nobis Deus decernit laborem ob culpas, ne fugiamus, ſi velimus citiùs illo expediri.

TRibulationem famis duriſſimæ immiſit Deus Palæſtinis, quam vt fugeret Iſaac,feſtinabat irẽ in Ægyptum,terram fœcundiſſimam. Feſtinanti adeſt Deus, & iubet manere in terra inope,& fameſcenti: manſit itaque Iſaac in Gerara Palæſtinorum Regis,& prorſus dimiſit viam Ægypti.Et quanto id lucro? *Ait Deus. Peregrinare in ea,eroque tecum, & benedicã tibi,&c.* Non permittitur iuſtus fugere à terra famis à Deo immiſſæ,ſed perſuadetur in illa manere, vt ſic citius beneficam Dei manũ percipiat.Habemus enim hoc in laboribus à Deo in noſtram exercitationem immiſſis,dum non illos fugimus, ſed illos alacriter ſubimus, citius Deum liberatorem & protectorem experimur. Huius rei clariſſimũ exemplũ do apud Hierem.cap.41. vbi Iſraelitæ ob Chaldæorum metum volebant in Ægyptum fugere, ne Chaldæis cogerentur ſeruire. Rem deducunt ad Ieremiam, qui ex Dei decreto reſpondit cap.42. *Si quieſcentes manſeritis in terra hac ædificabo vos, & non deſtruam:plantabo,& nõ euellam:iam enim placatus ſum ſuper malum quod feci vobis. Nolite timere à facie regis Babylonis, quem vos pauidi formidatis. Si poſueritis faciẽ veſtram,vt ingrediamini Ægyptum,& intraueritis,vt ibi habitetis;gladius, quem vos formidatis, ibi comprehendet vos,&c.* Et ſane qui ſub rege Babylonio in illa terra captiui erant,in Ægypto libertate potituri erant,& ſecuritate.Cur non permittuntur fugere à captiuitate,& terra plena diſcriminis, & ſe recipere ad terram ſecuritatis? Erat diſcrimen illud,& captiuitas illa à Deo procurata ad exercitium populi Iſraelitici, ideo non fugienda erat,ſed amplectenda ab illis, qui fœlicius volebant agere. Ad hæc fatur Egeſippus lib.5.de Excid. Ieroſol. *Abductus erat ab Aſſyriis populus Iudæorum in Babyloniam, reliqui ad Ægyptios transferre ſe, qui reſederant,deliberabant. Mandauit Dominus per Ieremiam Prophetam,& cæteros,vt vnius gentis eſſent imperio contenti,ne geminata captiuitas ærumnam augeret. Verum illi poſthabẽtes oracula Dei facti ſunt duarum captiui gentium, qui vnius gentis iugo exire impatienter deſiderauerant. Itaque in Ægypto exules perſeuerarunt. At vero illi,qui in Aſſyrios ducti ſunt, expleto tempore captiuitatis, quod pro peccatis populi Dominus conſtituerat,poſtea Cyro imperãte, remeandi facultatem adepti,reuerterunt cum gratia.* Vides,qui Babyloniorum fugientes imperium, ſub quo erant captiui, ad Ægyptios confugerunt,& duplicem ſuſtinuerunt captiuitatem,& nunquam euaſerunt liberati? Qui vero à Deo decretam ſuſtinuerunt captiuitatem Babyloniorum, in eaque maluerunt perſeuerare, ipſi tandem liberati ſunt, & hilares reuerterunt in patriam. Sic fit illis,qui non effugiunt labores à Deo immiſſos ad exercitium, & munditiem ſcelerum, ſed in eis manent. De ſancto Iob dicitur cap. 2. *Egreſſus igitur Satan à facie Domini percuſſit Iob vlcere peſſimo à plãta pedis,vſque ad verticem eius, qui teſta ſaniem radebat ſedens in ſterquilinio.* Cur in ſterquilinio? An deficiebat vel ſubditi domus tanta in vrbe, quæ regem infirmum exciperet? Abſit, ſed putans Iob illam calamitatem à Deo fuiſſe immiſſam ob peccata,nihil calamitatis fugiebat, ſed in maiore eius acerbitate perſeuerabat, vt inde mereretur citius liberari. Apollinaris in cat. Græca ait: *Neque caſus illos tentationes eſſe, ſed ſupplicia conſtituta diuinitus arbitrabatur. Idcirco à vulgi communione abſtractus,cum inuiſum ſe cunctis eſſe crederet,ſolitudinem delegit,in ſterquilinio, quod in conſpectu vrbis erat,cõſidebat, Deumque exorabat,cupiebatque ſibi vindicem in his ſordibus iacenti fore propitium.* Non fugit ſanctus vir calamitatem,quam putat ſibi à Deo immiſſam,ſed illa conſiſtens,ſedens in ſterquilinio cupiebat, ſic iacenti propitium fore vindicem diuinum. Et quando Deus non propitius eſt illis,qui cœlitus immiſſos labores non refugiunt?

Ierem. 42.

Egeſipp.

Iob 2.

§. II.

Parentum fauores ex Deo acceptos ille filius conſeruat, qui à parentum virtutibus non degenerat.

QVidquid Abrahamo promiſit Dominus,id Iſaaco in præſentiarum repræſentat, vt eius ſpem roboret, ne triſtis

maneat

maneat in terra famescenti;ait enim, *tibi dabo vniuersas regiones has, complens iuramentum, quod spopondi Abraham patri tuo.* Quid necessũ est recurrere ad Abrahamo promissa? An Isaacus per se nõ merebatur in Dei protectione,& cura esse? Ipse non erat obsequentissimus Deo, non erat omnis virtutis, & religionis speculum? Cur ergo volens Deus spem Isaaci cõfirmare, prætermittit Isaaci propria merita, & recurrit ad ea, quæ patris Abrahami erant? Ostendebat Dominus,quod boni filij non solum ipsi per se merentur munera, sed & omnia parentibus exhibita beneficia ipsi æternant. Ideo merito vt Isaacum roboret, in præsentiarum adducit, quæ patris eius erant. Ait ibi Chrysost. *Per mentionem virtutis patris,huius mentem roborat.* Totum enim cœleste robur,& auxilium à parẽte obtentum ex Deo,præsto est filio,qui minimè à paternis virtutibus se separat. Sapienter ille pater euangelicus aiebat ad filium Luc.15. *Fili tu mecũ semper es,& omnia mea tua sunt.* Expende connexionem,nimirum, & esse semper cum patre, & omnia eius bona habere;hæc habes,si primum tenes. Si cum patre es,si nunquam à patris moribus te discernis,omnia patris bona ex Deo acquisita certissimè habebis. Ad Pharisæos dicebat Ioannes Matth.3. *Ne velitis dicere intra vos,Patrem habemus Abraham.* Et cur vetantur dicere Abraham patrẽ,cum ab illo originem trahant? Nihil Abrahamidum bonorum ex Deo,ad illos pertinebat, quando apud Deum ille solus censetur dignus promissionũ patris, qui & patris virtutes æmulatur. Ex quo aiebat D.Cyril Alex.in Amos cap.vlt. *Nihil carnalis claritudo ea praditis profuerit. Apud Deum quippe nobilitas censetur boni mores,& ad virtutis morem vehementer propensi,& cũ religione maiorum contendere soliti.* Contendat cum maiorũ religione,& virtutibus, quisquis cupit auitas ex Deo receptas gratias,& priuilegia in se æternare. Alioquin ridendus es, si pessimus tu,paternis nõ respondes virtutibus, & putas ad te deuenturas maiorum tuorum gratias,& accepta ex Deo beneficia. De exhæreditatis Iudæis aiebat Oseas c. 6. *Ipsi autem sicut Adam transgressi sunt pactum.* Quæ ex Græco sic transfert D.Cyril.Alex. *Ipsi autem sunt vt homo præuaricans testamentum.* In quo ipse Cyril. odoratur aliquid aduersus testamenti paterni transgressores. Et quidem cauet l.fin.in fine,C.de fideicommiss.cum autheotica sequenti *Cum & in leges respeximus, quæ iustis dispositionibus testatorum omnimodo hæredes obedire compellunt, & sic strictius causam exigunt,vt etiam amittere lucrũ hæreditatis sanciant eos,qui testatoribus suis minimè paruerint.* Itaque Iudæi exclusi ab omnibus bonis paternis,& priuilegijs sunt, veluti homines testamentorum præuaricatores,ad quos nullum testatoris lucrum peruenit. Nec aliter fugiunt paterna bona filios in virtutibus degeneres, quam testamenti corruptorem fugiunt testatoris priuilegia. Merito ait D. Cyrillus Alex.ibi. *Transgressi sunt ergo Iudæi testamentum Patris,quantum in ipsis fuit heredem exhæredantes. Sed neque ipsi ad gratiam accesserunt.* Et quomodo filius ad paternas accedat gratias ex Deo habitas, qui patris non adimplet testamentum,paternæ non respondet voluntati?

Chrys. — *Luc. 15.* — *Matth. 3.* — *D.Cyrill.* — *Oseæ 6.* — *D.Cyrill.* — *D.Cyril.*

Gen. 26. Qui cum interrogaretur à viris locis illius, super vxore sua, respondit: Soror mea est, timuerat enim confiteri, quod sibi esset sociata coniugio,reputans ne fortè interficerent eum propter illius pulchritudinem.

§. III.

Virgineam pudicitiam magis verentur homines etiam procacissimi.

DAmna pulchritudinis fœmineæ ne sentiret Isaacus apud exleges, & procacissimos homines, nomen vxoris dissimulauit,& Rebeccam vocauit sororem suam, vt quæ ab eisdem auis,& cognatione veniret. Vocauit,inquam,eam sororem,non vt liberius,& securius posset à barbaris amari, sed potius vt existimata virgo innupta magis arceret violentam hominum luxuriem. Et quidem sapiẽter,cum virgineam pudicitiam magis soleant vereri etiam homines procacissimi. Iob c.31.fatur: *Pepigi fœdus cum oculis meis,ne cogitarem quidem de virgine.* Cur sanctus maluit ostendere propositum suum abstinens à conspectu virginis, & nõ magis abstinens à conspectu coniugatæ? An qui virgines cauebat aspicere, coniugatas respiciebat sine cautela vlla? Absit, sed posuit cautelam circa eam,quæ securius aspici posset,vt ostenderet,quantum abesset à conspicienda coniugata, in qua erat periculum, qui cauebat aspicere virginẽ,in qua conspicienda nullũ apparebat periculũ. Ait D.Chrys.hom.2.de Patientia Iob: *Tantũ aberat ab alieni thori insidiis,vt neque ad innuptam virginem, in qua nihil periculi fuerat, imprudentem oculum deflexerit.* Merito sanctus vir putat minus periculi esse in virgine conspicienda, quando status virginalis per se,inexpugnabilior repræsentatur hominibus,vt qui nec confabulationes, nec moras sustineat cum viris, sed quandam rusticitatẽ profiteatur inaccessibilem,quæ arceat etiam procacissimos. Quo refero illud 2. Reg.13.vbi dicitur: *Factum est autẽ post hæc, vt Absalom filij David sororem speciosissimam vocabulo Thamar adamaret Amnon filius David, & deperiret eam valdè, ita vt propter amorẽ eius ægrotaret: quia cum esset virgo,difficilè ei videbatur, vt quidpiam inhonestè ageret cum ea.* Quę vltima verba sic apud Hebræos sonãt: *Quia cum virgo esset,mirabatur Amnon,si quid ei facere posset.* Hoc vnum desperatum prorsus tenebat tabidum libidine iuuenem,quod nimirum amasia virgo erat, & inde inaccessibilis, inexpugnabilis, quãdo virginalis status omnes amoris occasiones amputabat. Quò accedit Abul.ibi fatus: *Status virginalis tollebat ei opportunitatem loquendi cum illa,& mirabatur,si vnquam posset frui optatis.* Plane status virginalis turpi facinori prorsus occludit aditum. Vnde mancipium illud libidinis Cleopatra, etsi in omnes fœminas zelotypo fureret ardore, virgines non adeo timebat, sed coniugatas. Nuntiatum enim fuerat Antonio Cæsari apud Iudæos esse duos fratres forma præstantes Aristobulum,& Mariamnẽ Herodis vxorem. Ipse statim scripsit Herodi, vt sibi Aristobulus mitteretur, nihil locutus de Mariamne. Et cur nõ petit sibi mitti Mariamnem? Ait Egesipp.lib.1.Excid.Ierosol.cap.37. *Scripsit Herodi,vt Aristobulum ad se sine mora mitteret,de Mariamne,quòd Herodi coniuncta foret, prætermisit. Non, quia cooperire libidines suas, vel in his,quæ nupta essent,apud maritos soleret, cui sine periculo visum foret, flagitium sine pudore,sed quo Cleopatra caueret indignationẽ,quæ vtriusque quidem sexus riuali offenderetur, sed amplius si sociatam viro mulierem deprehendisset.* Furebat lasciua fœmina, si maritum deprehendisset aspicientem ad coniugatas; non adeo furebat,si ad virgines, quando virginalis status, & pudor magis obstat hominum procacitati.

Iob c.31. — *D.Chrys.* — *2.Reg.13.* — *Abul.* — *Egesipp.*

Gen. 26. Cumque pertransirent dies plurimi,& ibidem moraretur; prospiciens Abimelech rex Palæstinorum per fenestram vidit eum iocantem cum Rebecca vxore sua. Et accersito eo ait: Perspicuum est,quod vxor tua sit: cur mentitus es sororem tuam esse? Respondit, timui, ne morerer propter eam. Dixitque Abimelech: Quare imposuisti nobis? Potuit coire quispiam de populo cum vxore tua, & induxeras super nos grande peccatum. Præcepitque omni populo dicens, Qui tetigerit hominis huius mulierem, morte morietur.

§. IV.

Viri religiosi dum à longè stant,inculpabiles,& modesti apparent principibus mundialibus, eisque in pretio sunt.

DIxerat Isaac Rebeccam esse sororem suam, & nihilominus cum Rebecca iocabatur,ridebat, ludebat eo modo, quo fratres non iocãtur cum sororibus,sed viri cũ vxoribus. Hos tamen iocos videns Abimelech statim credidit esse honestos iocos, quales solent inter vxoratos videri. Et cur rex barbarus magis illos putauit honestos, quã turpes? Cur magis credidit esse ludũ vxoriũ,quam stuprũ, præcipuè quando ipsi ludentes se cõpellabant fratres? Causam ostendit textus aiens: *Prospiciens Abimelech rex Palæstinorum per fenestram vidit eum iocantẽ,&c.* Non equidem rex vidit eos iocantes intra regiam,non vidit eos in aulæ aditis,non iuxta positos vidit,sed e fenestra respiciens in cãpos longè dissitos,ibi vidit illos,& inde nihil nõ honestũ,nihil non mundũ potuit de illis cogitare. Quã alij,principi apparerẽt viri religiosi,& quã suspecti etiã in licitis,si cominus viderentur frequentes in aulis, in regiarũ aditis,& non longè ab iis separati. Do D.Petrũ Damianum in Apolog.de contemptu sæculi,opusc.15.cap.26.pulchrè de hac re disserentem. Ait enim: *Apud quosdam absentis Monachi authoritas grauis est : si autem præsens assueuit . nullius*

D.Pet.Dam.

indicatur esse momenti. Sæpè cuiuslibet venerabilis viri literis reuerentia honor impenditur, qui persona, si adsit, indeuotiùs exhibetur. Apud sæculares enim religiosus quisque veluti pictura est. Picturæ siquidem si procul assistat, inhianter, & cum auiditate prospicitur. si iuxta sit, contemptibilis iudicatur. Et spiritualis quisque carnalibus absens quidem timetur, præsens autem videtur esse despectus. Quod & Apostolus sibimet contigisse testatur, cum ait 2. ad Corinth. 10. Epistolæ graues sunt, præsentia autem corporis infirma, & sermo contemptibilis. Quos enim epistolarum grauitate terruerat, in corporali præsentia despicabilis apparebat. Quid pulchrius? Rem ponderat ab scriptura, & ab exemplo; ab scriptura, cum Paulus de se scribat, quod cum absens scribebat, absentis scripta, & venerationi erant, & formidini; cum autem præsens instabat, tunc contemnebatur. Ab exemplo autem idem probat, dum ait religiosos viros esse picturas: *Apud sæculares religiosus quisque veluti pictura est.* Et quidem pictura dum procul assistit, elegantem sui formam prætendit, in omnibus absoluta, in omnibus perfecta, & suo prototypo simillima; vbi autem iuxta est, nihil decoris censetur habere. Sic religiosus animus dũ longè à carnalibus hominibus degit, in omnibus apparet perfectus, suspectus in nullo: at si se frequentem carnalibus præsentemque exhibeat, in communes illorum suspiciones deuenit. Absit religiosus homo à mundialibus, si velit perfectionem in omnibus exhibere vt pictura. Quo refero illud D.Cyril.Alexand. de recta fide ad Reginas, vnde extollit Eudociam, & Pulcheriã cãtarissimę virtutis principes. Ait enim Paul. ad Philip. 4. *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete: Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Non contentus est Paulus, quod modesti sint viri Christiani, nisi curent notam facere suam modestiam omnibus hominibus. Et quomodo sic omnibus notam facient modestiam suam? An omnibus se se adiungentes? Omnium adita penetrantes? Absit, sed potius vt pictura procul stantes, nihil non modestum in se omnibus repræsentabunt. Sic Cyril. ad Reginas dictas: *Igitur ex sacris literis aliquid depromam Gaudete in Domino semper, iterũ dico, gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus. Imo vero iam dudum illa, apud omnes ciuitatum, & regionũ omnium homines diuulgatu percrebuit; neque secus fere, atque tabella quadã depictum in se pietatis in Christum venustatem gerens, lateque resplendens, omnium admirationem excitauit.* Expende, vnde reginarum virtus omnium admirationem excitabat, nimirum, *neque secus atque tabella de pietate pietatis venustatem gerens*, vbi velut picturæ eminus cernebantur, sese ostendebant omnibus admirabiles. Quis enim adeo perfectus carnalibus coram astitit, & in contemptum non venit? Quis neget absolutissimam perfectionem in Iesu Domino? De illo absente multa audierat Herodes, & miro desiderio illum videndi afficiebatur. Vidit tandem, & Iesus Luc. 23. coram Herode astitit. Quid tunc? *Spreuit eum Herodes cum exercitu suo.* Qui absens adorabatur, & meritò adorabatur, præsens spernitur à mundialibus. Ad hæc P.Dam. vbi supra: *Herodes viso Iesu gauisus est valdè: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de illo. Sed videamus hoc tam magnum, tam diuturnum desiderium, quod in absentem Dominum falsitas Herodiana tenuerat, in quem tandem exitum oblatu videndi facultate concluserit. Quod nimirum manifestè declaratur, cum paulo inferius subditur: spreuit autem eum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. Ecce quem vulpes illa malitiæ suæ desiderauerat, spreuit, quem videre cupiebat, illusit.* Quis iam speret in præsentiarum non contemni à mundialibus?

D.Cyril.

Ad Ph. 4.

Cyril.

Luc. 23.

Dam.

§ V.

Ex vnius lasciuia potest & tota ciuitas opprimi.

SApientissimum illud crediderim Abimelechi regis dictum ad Isaacum, nimirum, *Potuit coire quispiam de populo cũ vxore tua, & induxeras super nos grande peccatum.* Merito vel ex eo, quod popularis quilibet lasciuiret, putat rex super se, & super totam curiam grande inductum esse peccatum. Potest enim tota ciuitas obrui sub vnius hominis lasciuo facinore. Vnus equidem erat Corinthi adulter, de illo tamen sic fatur D.Paul. 1. Corinth. 5 *Et non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui, vt præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini Iesu Christi, congregatis vobis, & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu, tradere huiusmodi Satanæ in interitũ carnis, vt spiritus saluus fiat. Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Vnus, inquam, erat adulter: & timet Paulus ne tota ciuitas corrumpatur, & totis viribus satagit illum curare, quasi in eo totius populi periclitetur salus. Ex quo D.Chrysost. hom. 13. ad Pop. *Vnus erat apud Corinthios fornicatus, & tamen tantum gemebat Paulus tanquam tota perdita ciuitate, & multum congrue. Sciebat enim quod illo non correcto, vitium procedens, & alios omnes inuaderet.* Profecto lasciuum vitiũ nescit quiescere in vno, nec contentum est, nisi vniuersam ciuitatem opprimat, populetur. Hinc monebat Dominus Leuit. 19. *Ne prostituas filiam tuam, ne contaminetur terra, & impleatur piaculo.* Id enim est lasciuiæ piaculum, quod si vel in vno radices egerit, inde vniuersam possit replere, & inficere terram. Et quidem Gen. 19. duæ tantum filiæ Loth sese prostituunt, paternumque furatæ sunt concubitum. Quid inde? Ait textus: *Conceperunt ergo duæ filiæ Loth de patre suo. Peperitque maior filium, & vocauit eum Moab: ipse est pater Moabitarum vsque in præsentem diem. Minor quoque peperit filium, & vocauit nomen eius Ammon, id est, filius populi mei: ipse est pater Ammonitarum vsque hodie.* Duæ populosę nationes Moabitarum, & Ammonitarum natæ sunt ex illo nefario concubitu. Et qui populi sceleratiores? Qui execrabiliores Deo? Cum soleat Deus peccatum parentum, vsque ad quartam generationem tantum meminisse, peccata, & supplicia Moabitarum, & Ammonitarum vsque in decimã generationem inueniuntur. Non enim lasciuia duarum puellarum contenta esset, nisi populosissimas nationes per plura sæcula inficeret. De quibus ait Theodor. apud Lippom. *Quia tamen non rectè ac secundum legem patrem suum cognouerunt, inde genus impietatis maximè insumis propagatum est. Moabitæ enim idolo Chamos seruierunt. Ammonitæ vero idolo Melchom. Quos etiam diuina lex vsque ad decimam generationem in Ecclesiam Dei ingredi vetuit.* Sic nouit vel vnius, vel paucorum lasciuia numerosissimos populos & nationes perdere.

1. Cor. 5.

D.Chrys.

Leu. 19.

Gen. 19.

Lippom.

§. VI.

Afflictio, & pressura corporalis hominem voluptatum contemptorem reddit.

MIror barbarissimum regem ad aspectũ pulcherrimæ fœminæ adeo moderatum, vt nec cum putabat illam Isaaci sororem, appeteret, & cum sciuit vxorem, illam edicto lethali protegeret. Ait enim textus: *Præcepitque omni populo dicens, Qui tetigerit hominis huius vxorem, morte morietur.* Sed neque vllus popularis antea, nec nunc de hac pulcherrima fœmina locutus est verbum. Sanè Gen. 20. cum Abraham in hanc ipse terram venisset cum vxore pulcherrima, quam etiam cognominarat sororem, vix terram attigit, & Sara rapta est ad regem. Ait namque: *Profectus inde Abraham in terram australem, habitauit in Cades, & Sur, & peregrinatus est in Geraris. Dixitque de Sara vxore sua, soror mea est. Misit ergo Abimelech rex Geraræ, & tulit eam.* Ecce tibi, vix formosissima Sara apparuit in Geraris, & statim appetitur à rege etiam Abimelecho, & rapitur ex consortio Abrahami, in Regiam. Rebecca autem formosissima est in Geraris, & visitur à rege, nec appetitur, nec rapitur, nec passa est vllũ pudoris discrimen, sed potius protegitur. Vnde hoc? Vnde Abimelechus hic tẽperatior, & castior illo Abimelecho, vt nec appetat pulcherrimam fœminam? Sanè hoc efficiebant famis tempora: erat modo in Geraris, sicut in vniuersa Palęstina panis egestas, qua maximè & rex, & regnum afflictabatur, vbi autem corporalis afflictio, & pressura regnat, vniuersæ voluptates, & cupidines sunt contemptui. Exod. 4. *Locutus est Aaron omnia verba, quæ dixerat Dominus ad Moysem, & fecit signa coram populo, & credidit populus. Audieruntque quod visitasset Dominus filios Israel, & quod respexisset afflictionẽ illorum, & proni adorauerunt.* Verba Moysis erãt, quod Israelitæ exituri erant de Ægypto, quæ vt audierunt Israelitæ, adorauerunt Deũ, & lætati sunt in tali egressu. Accipe aliud ex Num. 11. vbi Israelitæ cælesti recreati pabulo dicũt ad Moysem: *Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentẽ nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, cepæ, & allia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man.* Compone modò Israelitas cum Israelitis, hic toti feruntur in Ægyptum, & mente voluunt eius voluptates, à quibus maximè dolent se abstractos. Illic, vel ad verbũ egressionis ab Ægypto Deum adorant, & lætantur, nulla Ægypti voluptas illis in mentem venit, sed quam primùm exire gaudent. Cur ergo hic sic astringuntur Ægypto, & sic eius amant voluptates, ibi nihil voluptuosum Ægypti meminerunt, sed omnibus Ægypti bonis gaudent spoliari? Erant modo in abundantia cœlestis pabuli, abundabant manna, & quiete abũdabant; tunc erãt in summa afflictione, & labore, vbi autem afflictio est corporalis, facilè facit ab hominibus contemni

Gen. 20.

Exod. 4.

Num. 11.

D. Cyril. contemni voluptates. Ait D. Cyril. Alex. lib. 2. de Adorat. *Est voluptas intractabile malum, & vitiorum nostrorum feritas eiusmodi est, vt difficile mansuescant, at si sudor deprimat, ac labores impositi sint, tunc verò ij, qui se liberaturum ab ijs incommodis pollicetur, facilè persuaserit, ipsas quoque summas voluptates contemnere.* Quæ voluptas non contemnatur, vbi labor, & sudor regnat? Sit homo in afflictione, & pressura corporali, & fallar, nisi facile eueniat, quod nulla voluptas in eius mentem veniat. *Gen. 39.* Quis nesciat Iosephi robur aduersus voluptates? Gen. 39. *Mulier molesta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum.* Et vnde fœmineum lenocinium inuenit adolescentem adeo adamantinum? Multæ ad hoc iuuerunt Iosephi virtutes, sed non parum iuuit afflictionis tempus, & calamitatis, quando ingenuus puer se captiuum videbat ob ingentia odia fratrum. *D. Basil.* Quo respiciens D. Basil. Sel. orat. 8. sic fœminei teli aduersus Iosephum notat infirmitatem fatus: *Fratrum odia excepit mulier habens amoris odia immaniora, quibus cum Iosepho certamen fuit, & contentionem absque corona.* Accessit equidem blandiens fœmina ad adolescentem positum in medijs fratrum odijs, odiorumque importabilia sustinentem incommoda, captiuitatem, pressuram, orbitatem, in tali occasione certamen voluptatis fuit Iosepho non ad lapsum, sed ad coronam.

Genes. 26. Seuit autem Isaac in terra illa, & inuenit in ipso anno centuplum: benedixitque ei Dominus. Et locupletatus est homo, & ibat proficiens, atque succrescens, donec magnus vehementer effectus est: habuítque possessiones ouium & armentorum, & familiæ plurimum. Ob hoc inuidentes ei Palæstini, omnes puteos, quos foderant serui patris illius Abraham, illo tempore, obstruxerunt, implentes humo: in tantum vt ipse Abimelech diceret Isaac: Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valde.

§. VII.

Sub diuinorum præceptorum obseruantia viuens omnibus abundat bonis.

NOtanter textus designat, vbi Isaac centuplum fructuum metat, nimirum, *in terra illa*, hoc est, in terra illa arenti, in qua mansit iubente Deo, & prohibente illum in Ægyptum feracissimam descendere. Et quid bonorum non metat iustus in terra, in qua sub diuini præcepti obseruantia degit? Ait *Auth. cat. Græca.* Author cat. Græcæ in Pentat. *Vbi quis manserit iubente Deo, illuc bona omnia fluunt.* Hoc curet homo, vt sub obseruantia diuini viuat præcepti; & sibi putet omnia bona affluere. *Gen. 21.* Genes. 21. iussus est Abraham dimittere à se filium ancillæ. *Surrexit itaque Abraham mane, & tollens panem, & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius, tradiditque puerum, & dimisit eum.* Non iam miror, quod obedientissimus Abrahamus a se dilectum filium dimittat, id Deo iubente: sed illud vehementer stupeo, quod homo ditissimus, potentissimus, & qui seruum Eliezerum *Gen. 22.* Gen. 22. misit in Mesopotamiam cum decem camelis auro, & argento, & diuite supellectili onustis, nunc dimittat filium cum solo pane, & aquæ vtre, quæ posset puella tollere scapulis suis. Deus equidem, qui eiectionem mandauit, nullum verbum fecit de eiciendo Ismaele adeo nude, cur ergo ô bone adeo auarus es in filium? Cur non magis ornas dimittendum auro, argento, supellectili, seruis, ancillis? Non erant hæc necessaria puero, qui dimittebatur sub obseruantia præcepti diuini, quando qui sub tali obseruantia degit, necessum est, quod omnibus abundet, & quod illi affluant *Auth. cat.* bona cuncta. Ait Auctor cat. Græcę in Pentat. *Sine pueris, sine ancillis, sine auro, & argento Ismaelem emisit, nouerat eum, qui iusserat hoc, cumulate præstare promissa, id quod factum est. Vix enim puer siti confectus lugere cœpit, cum Angelus puteum indicauit potabilis aquæ, &c.* Expende rationem illam, ob quam sine argento, sine auro, sine pueris filium dimisit, nimirum, *nouerat eum, qui iusserat*, nouerat eiectionem illam sub obseruantia diuini præcepti fieri, & sperabat nihil defuturum puero sic eiecto, quin potius omnia bona illi affluxura ex Deo. Solent enim omnia affluere ei, qui viuit sub obseruantia diuini præce- *Iob c. 30.* pti. Hinc Domini est illa apud Iob cap. 30. vera gloriatio: nimirum: *Numquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila?* Solus enim Deus est, de cuius præcepti obseruantia venit, quod homines sese instar aquilarum eleuent, & exaltent, & omnibus bonis affluant. Cui accinit ipse Dominus Isaiæ cap. 1. *Isaiæ c. 1.* inquiens: *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.* Et quid deficiat illi, qui in diuinis præceptis ambulauerit? Fallar, nisi homo ille plenus sit, & omnibus abundauerit, quæ necessaria sint, vt æternas coronas in terra viuentium consequatur.

§. VIII.

Illud pulcherrimum, & gloriosum cuique homini, quod crescat ipse sine vicinorum iniuria.

MIrabar, quod Isaacus sic cresceret, vt magnus vehementer fieret; sed illud miror magis, quòd ad tantam augmenti perueniat magnitudinem cum vicinorum inuidia, non cum eorum iniuria. Omnes enim de illius augmento inuidiosos cerno, sed nullum affectum video iniuria. Dicit illi Rex: *Recede à nobis, quia potentior nobis factus es valde*, & cum obijcit potentiam, non obijcit tyrannidem, non obijcit factam iniuriam. Quid pulchrius? Quid gloriosius? Quod in tanto potentiæ accessu, nulla possit obijci viro vicinorum iniuria? Quatuordecim annos Iacob apud Labanum fuerat, ibique ingentibus apparuerat auctus diuitijs, & abiens dicit ad Labanum, Genes. 31. *Scrutare, quidquid tuorum apud me est, aufer, &c.* *Gen. 31.* Quantum hoc, quod in tanto diuitiarum augmento præsumat Iacob nihil alienum, nihil iniuria partum posse apud se inueniri? Rem ponderat D. Ambr. lib. 2. de Iacob cap. *D. Amb.* 5. *Quanta virtus, cui societas lucrum dabat, non irrogabat dispendium? Hoc est perfectum esse, adhærentibus sibi commodi plurimum dare, nihil afferre incommodi.* Est sanè perfectum, & pulcherrimũ, quod sic viuas, imo quod sic crescas, vt nullum incommodum vicinis tuis prębeas. Ecclesiastes cap. 1. sic extollebat *Ecclef. 1.* terræ stabilitatem: *Generatio præterit, generatio aduenit, terra autem in æternum stat.* Itaque in communi omnium mixtorum ruina solam prædicat stare terram: & quibus vtitur terra fulcris, vt se cadentibus alijs stantem & auctam conseruet? An habet hoc ex vicinis elementis ruina? Absit, imo in hoc pulchra ostenditur natura terrę, quę circumcincta aere, nulla aeris iniuria, nulloque incommodo ipsa stet, & permaneat aduersus omnium ruinas. Hinc D. Nissenus lib. Exam. ait: *Pul-* *Nissen.* *chra est terra, quippe quæ non eget aeris interitu, vt terra sit, sed naturali sibi à Deo insita potestate sese conseruans in proprijs qualitatibus manet.* Expende illud, *non eget aeris interitu*: quippe inde censetur præstantia, & pulchritudo, & gloria cuiusque, quod necessum non sit vicinos omnes interire, vt ipse viuat, nec vicinos omnes depauperari, vt ipse diues existat. In lib. 2. Reg. *2. Reg. 23.* 23. *Irruperunt tres fortes castra Philisthinorum, & hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, quæ erat iuxta portam, & attulerunt ad Dauid: at ille noluit bibere, sed libauit eam Domino, dicens: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc, num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam?* O vox regalissima, & pulcherrima, quæ manifestè ostendit, quam laudabile sit in homine, ne velit de aliorum interitu ipse viuere. Hinc D. Ambr. lib. 1. de Iacob cap. 1. *Laudo viros, qui erubuerunt desi-* *D. Amb.* *derium sui regis, & maluerunt finem eius verecundiæ vel periculo propria salutis afferre, sed plus laudo eum, qui erubuit in suo desiderio alienum periculum, & aquam dubio sortis pretio quæsitam sanguinis.* Hoc sanè magis laudabile est in quolibet homine priuato, quod non amet commodum cum aliorum iniuria: at in principe, id est, & pulcherrimum, & laudatissimum, quod erubeat se extollere de subditorum ruina. Quid enim magis regium est, quam non putare fœlicitatem illam, quæ comparatur vicinorum luctu? Ideo Theodoricus ille Italiæ rex cantatissimus, dum exercitum ad regni confinia mittit pro munimento aduersus inimicos, statim curauit relaxare tributa prouincijs illis, per quas exercitus transiuit, putans non esse decenter firma, & munita regni confinia, quando munimen habebant, tanto vicinarum prouinciarum incommodo, & discrimine. Ait enim bonus rex apud Cassiod. lib. 4. var. 36. *Cassiod.* *Illustris magnificentia tua prouincialibus Alpium, Cottiarum assem publicum per tertiã indictionem nos relaxasse cognoscat: quos transiens noster exercitus more fluminis, dum irrigat, oppressit. Nam licèt pro generali securitate frumenti adunatione prorupit, præteriens tamen istorũ culta vastauit. Radit enim semper fluuius alueũ suum, & licèt molliter egrediens vicina fœcundet, illud tamen reddit sterile, quod collectus influxerit. Vnde necesse fuit, eiuica vastatione deiectis porrigere dexteram salutarem, ne ingrati dicant se perisse solos pro defensione cunctorum, insecuntur potius lætitia, quæ tam Italia defensoribus præstiterunt. Tributa enim non debent tristes exigi,*

per quos tributarios fœliciter acquisiui. Quam sapiẽter cauet bonus, & sapiens rex, ne regni fines augeantur cum prouincialium vicinorum ruina. Numquam, mihi crede, non boni viri est, cætere augmenta sua de calamitate vicini. Hic Iosephus lib. 7. de bello Iudaico c. 24. ait de Tito Ierosolymæ euersore: *Iter autem agendo, cum ad Ierosolymam venisset, tristemque solitudinem, quam videbat, antiqua ciuitatis claritudini compararet, miserabatur excidium ciuitatis, multa imprecans seditionis authoribus, & qui hunc pœnã ei inferre cogere, ita certus erat, quod nũquam virtutem suam voluisset punitorum calamitate clarescere.* Hæc ibi.

Ioseph.

Gen. 26. Et ille descendens, vt veniret ad torrentem Geraræ, habitatétque ibi, rursus fodit alios puteos, quos foderant serui patris sui Abraham, & quos illo mortuo, olim obstruxerant Philistiim, appellauítque eos eisdem nominibus, quibus antè pater vocauerat. Foderúntque in torrente, & repererunt aquam viuam. Sed & ibi iurgium fuit pastorum Geraræ aduersus pastores Isaac, dicentium. Nostra est aqua. Quamobrem nomen putei, ex eo quod acciderat, vocauit calumniam. Foderunt autem & alium, & pro illo quoque rixati sunt, appellauítque eum inimicitias. Profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt. Itaque vocauit nomen eius, latitudo, dicens: Nunc dilatauit nos Dominus, & fecit crescere super terram.

§. IX.

Hostiles omnes rabies, quæ in hac vita insurgunt, tandem à sustinente exhauriuntur.

SEmel, & bis rixati sunt pastores Geraræ aduersus pastores Isaac, & vbi ad tertij putei effusionem peruenitur, iam non ibi rixæ, non calumniæ, non inimicitiæ, ait enim textus, *Fodit alium puteum, pro quo non contenderunt.* Finiuntur, mihi crede, huius vitæ rabies, exhauriuntur hostium inimicitiæ, si paulisper sustineas. Ait Lippoman. in Cat. *Quia Isaac his patientiam vicit, ideo tertia vice liberatur.* Non tot sunt in hac vita diræ, quæ exhauriri non possint ab eo qui sustineat. Sustine Christiane tantisper, & videbis omnia inimicorum tela exhaurita. Semel, & bis ausus est Satan Deo permittere insurgere in Iob; primò eius substantiam perdit, filios morti tradit, & cum tot tela repulsa videat à fortissimo Dei athleta, nihilominus non erubescit adstare Deo, & ampliorem permissionem nocendi petere. Igitur Deus corporalem Iobi substantiam permittit dæmoni. Quid ille? Ait text. cap. 2. *Egressus igitur Satan à facie Domini percussit Iob vlcere pessimo à planta pedis, vsque ad verticem eius. Qui testa saniem radebat sedens in sterquilinio, &c.* Sic diabolus percutit hominem sanctissimum, & percussum relinquit, nec amplius apparet coram Deo petens aliquid aduersus Iob. Miror, quod sciat aliquando fera bestia quiescere. Cur diabole amplius non instas? Cur non vrges percussum? Cur dolores non exacerbas? Cur ampliorem permissionem non petis? Sustinebat inuictissimus Iob, & dum est, qui paulisper sustineat in hac vita, breui tempore vacuantur, & exhauriuntur rabidissimorum inimicorum tela. Ait Origen. hom. 2. in Iob. *Cum in istis ergo perseueraret Iob, nequissimus diabolus obstupuit, expauit, desperauit, dicens. Vbi est præsumptio mea? Vbi est audacia? Omnem sollicitudinem exercui, & in Iob nihil feci, omnes sagittas nequissima pharetra mea euacuaui.* Dum iustus in sustinentia perseuerct, ô quam cito euacuantur, exhauriuntur mundialium malorum omnium pharetræ. Vt accinat D. Chrysost. in cat. Græca: *Clarus hic & insignis victor impetum omnem mira virtute sustinuit, inopia, fame, morbo, cruciatu, liberorum nece, amicis, inimicis, vxore, seruis in eum irruentibus. Nulla demum humana miseria fuit ærumna, quæ non sit in eius corpore exhausta.* Ecce tibi sustinuit Iob aduersariorum impetus, & totas eorum rabies prorsus exhauriuit, euacuauit. Proh mundi huius non multum timenda certamina! Quid timeas homo in certamine, cuius tela omnia, dum parum sustineas, prorsus euacuas? Caue magis labores futuri sæculi, qui numquam exhauriuntur, numquam euacuantur. Ait Psalm. 74. *Calix in manu Domini vini meri plenus misto. Et inclinauit ex hoc in hoc: veruntamen fæx eius non est exinanita.* Videbitur Deus primo impetu totum iræ suæ vas inclinare; imò totum effundere in reprobos homines; sed tamen nunquam exinanietur, numquam euacuabitur vas iræ. Ibi D. Bruno ait: *Veruntamen licèt mera sit retributio, fæx eius calicis non est exinanita, quamuis illa retributio mera sit, tamen fæx est quantum ad impios, austera scilicet, & turbida ad modum fæcis, & talis fæx, quæ nunquam erit exinanita, quæ nunquam euacuabitur, sed æterna erit.* In præsenti nullum malum non euacuatur sustinenti, in futuro nihil pœnarum damnato minuitur. Vt clamet Isaias, cap. 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt vsque ad satietatem visionis omni carni.* Ex quo pulchrè componit D. Cypr. fœlicitatem illorum, qui in præsenti sustinuerunt, cum miseria illorum qui futura reproborum tormenta patiuntur, quando hęc semper manent, illa breuiter exhausta sunt. Ait enim epist. ad Demetrianum: *Seruabuntur cum corporibus suis animæ infinitis cruciatibus ad dolorem. Spectabitur illic à nobis semper, qui hic nos spectauit ad tempus: & in persecutionibus factus oculorum crudelium breuis fructus perpetua visione pensabitur. Vermis enim eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt ad visionem vniuersæ carni.* Quam diuersa sunt nostra, qui hic viuimus, mala, ab illorum, qui in inferno sunt, malis. Nostra exhauriuntur, illa sempiterna sunt; nos ad tempus apparemus in pressuris, illi semper sub dirissimo flagello videbuntur.

Lippom.

Iob c. 2.

Orig.

D. Chrys.

Psal. 74.

D. Bruno.

Isai. 66.

D. Cypr.

§. X.

Vbi lites, & contentiones absunt, magnum rerum incrementum incipit.

VBi tertio puteo effosso non contenderunt vicini, merito ait Isaac, *Nunc dilatauit nos Dominus, & fecit crescere super terram;* plurimum enim rerum incrementum iam cernitur, quando absunt contentiones, & rixæ, & concordia rutilat. Huc spectabat maximus Constantinus Imperator in epist. quæ habetur lib. 1. Concil. Nicæni aiens: *Persuasum habeo, si omnes veros Dei cultores communi concordiæ vinculo, sicut mihi in optatis erat, deuincere possem, vniuersa Respublica nostra ciues se ad pia eorum instituta breui conuersuros.* Hoc vnum, & efficacissimum medium cogitabat esse bonus Imperator, vt cresceret, & dilataretur per totum orbem Christiana Respublica, si lites, si contentiones abessent à ministris, si omnes vinculum concordiæ constringeret. Et quis non crescat, vbi cessant rixæ, & concordia fulget? Paul. ad Ephes. 2. de Iesu bonis in nobis auctis locutus ait: *Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum.* Et quantum hoc, quod fiamus vnum cum populo Israelitico? Nonne in eo ad summum ostenditur, quod habeamus eumdem honorem, eandem gloriam, quam habebat ille? Absit, imo ex eo, quod duorum populorum contentiones tollantur, & data pace fiamus vnum, nõ in eandem, sed in maiorem gloriam, & charitatem exurgimus. Ait D. Chrysost. ibi hom. 5. *Quid est vtraque vnum fieri? Non hoc dixit, quod in illam Israelis nobilitatem nos euexerit, sed quod, & nos, & illos in maiorem extulerit.* Equidem vbi ablatis contentionibus, & differentiis in pace, & concordia sumus, nõ possumus in amplissimam gloriam, & claritatem non assurgere. Ezech. cap. 37. ostensa sunt ossa multa arida, & nuda dispersa per latissimum campum, quæ in vitã extollenda erant. Et quod est primum fundamẽtum quod ponitur, vt in vitã exurgant? Ait vates: *Factus est autẽ sonitus prophetante me, & ecce commotio, & accesserũt ossa ad ossa.* Ecce tibi in tantum desinunt habere fundamentum exurgendi in vitam, in quantum iacent per campum dissita, & dispersa; vbi autem incipiunt sibi accedere, & cohærere, quis dicat, quam cito exurgant, quàm cito dilatatæ referant speciem vitæ? Ex hoc pulchrè Tertul. lib. de Resur. ostendit incrementum lapsæ, & penè emortuæ Israeliticæ Reipublicæ. Ait enim: *Status Iudaeorum reformatur quodammodo emortuus, & exaridus, & dispersus in campo orbis. Qui recolligi habet, & recompingi os ad os, id est, tribus ad tribum, & populus ad populum, atque ita de habitaculis captiuitatis tristissima educi, & refrigerij nomine respirare, & viuere exinde in terra sua.* Expende ordinem accretionis, primo adiungitur os ad os, & tribus ad tribũ, nequid diuisionis appareat inter illos, & rebus sic cõpositis quod bonũ nõ eluceat? statim restauratio bonorũ plaudit, & vitæ lætissimæ gloria ingẽs. Tolle diuisiones, & rixas; pacẽ, & cõcordiã procura, & licèt sis aridũ os, licèt lapis reiectaneus appareas, fallar, nisi excrescas in lætissimã vitã. D. Petr. 1. epist. cap. 2. monebat primos discipulos: *Ipsi tanquã lapides viui ædificamini, &c.* Qual hoc monitũ? Quomodo quis se facere posset

Const. Imp.

Paul.

D. Chrys.

Ezech. 37.

Tertul.

D. Petrus.

lapidem

Deut. 27. *Origen.*

lapidem viuum; vel vnde lapis potest habere vitã? Cauebat lex, Deut. cap. 27. *Ædificabis ibi altare Domino Deo tuo de lapidibus, quos ferrum non tetigit.* Ex quo eleganter Origenes in rem nostram hom. 9. in Iosue, inquit: *Si quis est ille, qui ferrum pugnæ, ferrum belli, ferrum litium nunquam recepit, sed semper pacificus fuit, semper quietus, & mitis, & Christi humilitati conformatus. Isti sunt lapides viui, ex quibus Iesu altare construxit ex lapidibus integris, quibus ferrum non est iniectum, vt offerat super eos holocausta salutis.* Sic surgit in vitam & salutem homo, post reiectas contentiones, & lites, post pacem acquisitam.

Gen. 26. Ascendit autem ex illo loco in Bersabee, vbi apparuit ei Dominus in ipsa nocte, dicens: Ego sum Deus Abraham patris tui, noli timere, quia ego tecum sum, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum propter seruum meum Abraham. Itaque ędificauit ibi altare, & inuocato nomine Domini extendit tabernaculum: præcepítque seruis suis, vt foderent puteum. Ad quem locum, cum venissent de Geraris Abimelech, & Ochozath amicus illius, & Phicol dux militum, locutus est eis Isaac: Quid venistis ad me hominem, quem odistis, & expulistis à vobis? Qui responderunt: Vidimus tecum esse Dominum, & idcirco nos diximus, Sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus; vt non facias nobis quicquam mali, sicut & nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus, quod te læderet: sed cum pace dimisimus auctum benedictione Domini.

§. XI.

Generis præstantia solis virtutibus exhibetur.

De loco vbi tot rixas, tot vicinorum despectus patientissimè Isaac sustinuit; in Bersabee peruenit, ibique nil prius audit ex Deo, quam se pertinere ad Abrahamidum prosapiam. Ait enim textus: *Apparuitque ei Dominus in ipsa nocte, sic dicens: Ego sum Deus Abraham patris tui.* Et cur tunc festinat Deus illum vocare filium Abrahæ? Tunc præcipuè Isaacus declinans pacifice inuidos, & aduersarios, mansuetudine, & humanitate clarescebat, ex quibus virtutibus censebat Deus clarissimum genus Abrahæ. Hinc Philo Episcop. in Cat. Græca fatur: *Discat, quicumque cupit inter Abrahæ filios annumerari, ingenij esse humani, discat aduersarium suum non contentione rixarum superare, sed benignitate.* Discat virtutes, qui clarissimis cupit annumerari prosapiis; non enim aliunde, sed ex virtutibus censetur apud Deum generis claritas. De Iob dicitur cap. 1. *Eratque vir ille magnus inter orientales.* Quæ leguntur apud Origenem: *Fuit autem hic homo de genere optimo ex partibus Orientis.* Quæ vêrba non paruam faciunt quæstionem, vnde posset dici Iob esse de genere optimo, quando ille ab Esau & fero, & Dominica benedictione spoliato descendebat? Ab Esau genus habebat Iob, cur ergo dicitur esse de genere optimo? Erat ipse clarus optimis virtutum generibus, penes quas solas apud Deum çensetur claritas, & præstantia generis. Origen. lib. 1. in Iob fatur. *Vnde Iob de genere optimo? Si ex Esau, sub maledictum redactus est audiitatus. Si ex filiis Esau, impij extiterunt etiam ij propter contumeliam. Quomodo ergo de genere optimo erat, qui de talibus nascebatur? Ruben primogenitus Iacob, & Simeon, & Leui, qui ex Israel sunt progeniti, de genere optimo non dicuntur: Iob vero, qui ex impiis ortus est, id est, ex filiis Esau, hic de genere optimo dicitur? Ego, inquit, carnalem natiuitatem non quæro, non pereuntem generositatem laudo. Nam hæc apud Deum non magnipenduntur. Sed de genere optimo dicitur Iob ex sanctitate, ex iustitia, ex pietate, ex misericordia, ex Dei cultura, ex bonis cogitationibus. Ex istis ergo omnibus bene natus dicitur esse Iob.* Cum prosapiam hominis apud Deum claram, & clarissimis respondentem auis quæris, eo intende, vt eius virtutes propales, quot enim virtutes proferas, tot testimonia clarissimi generis, tot imagines auitæ nobilitatis habes. Ex humanitate, ex misericordia, ex pietate, & cæteris virtutum generibus noscere debes, quibus tribuendus sit homo parentibus, quibus auis. Vnde ait Amos cap. 9. ad Israelitas: *Nunquid non vt filij Æthiopum vos estis mihi filij Israel? Dicit Dominus.* Qui clarissima Israelis gloriabantur origine, ij censentur à Deo filij Æthiopum. Cur filij Æthiopum, nisi quia versabantur in obscuro vitiorum, non in claritate virtutum, penes quas apud Deum censetur claritas originis? Ait D. Cyril. Alexand. ibi: *Non enim Numen diuinum magis huc, quam illuc inclinatur; nec carnalem nobilitatem studiosis actionibus destitutam agnoscit: omni autem reuerentia, & honore dignatur spiritualem, & quam ex illustrium operum splendore clarescendi voluntas comitetur.* Ecce tibi vnde censendus es nobilis apud Deum, nimirum ex virtutibus, ex præclaris moribus. Si virtuti studeas, Israelita es, optimo, & clarissimo generi respondes, si vitiis nauas operam, pars tua erit inter vilissimos Æthiopes. Quando sola virtutum insignia reddunt hominem generi nobilissimo, clarissimo.

Phil. *Iob 1.* *Origen.* *Origen.* *Amos 9.* *D. Cyril.*

§. XII.

Fœlicissima hominis libertas, qui vbique locorum se se potest sistere Domino.

A Geraris in Bersabee deueniens, & Deum adstantem experitur, & altare erigit Domino, ait enim: *Itaque ædificauit ibi altare, & inuocato nomine Domini, &c.* Quid fœlicius? Quid liberius? Nulli alligatur loco, sed vbicumque res tulerit, & Deo se sistit, & altare excitat. Merito ait Philo Episcop. in Cat. Græca: *Ex hoc potissimum loco Isaac natura deprehenditur simplex, & libera.* Et quomodo qui vbicunque res tulerit, altare erigit, non deprehendetur adorare in libertate spiritus? Fœlix cui tanta plaudit libertas, ne vni alligetur loco, sed vbicunque velit, se possit sistere Deo. Hanc fœlicitatem veris Abrahæ filiis promittebat Dominus Oseæ cap. 1. *Et erit in loco, vbi dicetur eis: Non populus meus vos. Dicetur eis: filij Dei viuentis.* Ecce tibi, in quo loco dicantur eo posse peruenire, vt filij Dei vocentur, & ad Dei partem pertinere asserantur, nimirum in loco ipso, vbi nomen populi Dei amittebant. Quid istud? Dum Israelitæ ducebantur in captiuitatem, & erant extra Ierusalem in terra aliena, sic ibi iacebant, quasi populus Dei non essent, sine sacerdote, sine sacrificio, sine choro, vt ipsi clament Psal. 136. *Quomodo cantabimus in terra aliena?* Adeo vt si sacrificandum erat, si populi Dei stemmatibus erant induendi, prius Ierosolymam remeaturi essent. Ibi solum licebat hostias offerre, ibi & religione, & votis populus Dei erat; extra Ierosolymam nihil ad Dei populi pertinens poterant habere. Igitur Oseas nouam hanc fœlicitatem, eámque maximam annuntiat populo, nimirum, quod amplius non erunt alligati locis; sed vbicumque inuenti fuerint, etiam in terra aliena, etiam in loco, in quo nihil videantur habere populi Dei, ibi se Deo sistent, & in eam prosilient gloriam, qua non solùm in Dei populum, sed & in Dei filios adoptentur. Quo spectans D. Cyril. Alexand. ait: *Quomodo igitur erunt populus Dei? Num Ierosolymam denuo reuersi, & in templo congregati? An versantes in illis locis, in qua singuli dispersi fuerint? Quid ait Propheta? In loco vbi dictum est illis, non populus meus vos, & ipsi vocabuntur filij Dei viuentis. Ipse abiectus Israel in filios Dei cooptabitur, quamquam commorans in locis, vbi vixerit captiuus. Nihil enim coget ascendere Ierosolymam, & lapideum adhuc templum quærere.* O summam fœlicitatem, & libertatem fidelium! Non amplius alligati erunt loco, vt possint Deum emereri, in ipso loco captiuitatis, in loco afflictionis, imo in ipso perditionis loco altare erigent, & in filiorum Dei album venient recensendi. Nonne Ionas erat in loco perditionis, vbi voratus à ceto in ventre eius morabatur? Quid tunc? Ait Ionæ cap. 2. *Orauit Ionas ad Dominum Deum suum de ventre piscis.* Ad quæ verba Theophylactus ait: *Nihil damni passus à ceto, sed veluti pro domo vsus, Dei præsentem opem sensit. Quique olim in sola Ierosolyma Deum aperte apparere arbitrabatur, nunc ipsum in aluo ceti præsentem reperit, gratiásque agit illi, &c.* Putabat Ionas Deum Ierosolymis solum sentiri posse, sed calamitate doctus maiorem esse fidelium fœlicitatem aduertit, vt qui non solum Ierosolymis, sed in quouis loco, in ipso belluarum ventre litare possent Deo præsenti, & eius gratiam emereri.

Phil. *Osea 1.* *Psal. 136.* *D. Cyril.* *Iona 2.* *Theoph.*

§. XIII.

Mollescunt tentationum durities ad præsentiam sustinentis.

BIs venit Abimelech ad Isaacum, primo cum esset Geraræ, vbi accedens Abimelech dixit Isaaco: *Recede à nobis, quia potentior nobis factus es*, & de præcepto regis Isaac eiicitur, nec solum eiicitur, sed & contentiones, & rixas subditorum Abimelech sustinuit. Secundo venit Abimelech ad Isaacum in Bersabee, ibique conuenit Isaacum non vt eiiciat, sed vt firmet cum illo amicitiam, aiunt enim, *fit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus.* Qui sic oderant, vt abiicerent, modo procurant viri amicitiam. Sic equidem mollescunt odia mundi, sic leniuntur rabidissimæ iræ, ad præsentiam sustinentis. Sustinuit Isaac eiectionem suam, sustinuit vicinorum iniurias, & in tanti sustinentis præsentia cur non mollescerent rabidissimæ iræ? Nemo ignorat Iobi calamitates, vt venit nuntius afferens perditionem gregum, item alius armentorum clamat ruinam, tertius filiorum extremum lugebat diem: quid tunc? Iob cap. 1. *Tunc surrexit Iob, & scidit vestimenta sua, &c.* Expende illud, *tunc surrexit*, & mirare, cur non magis iaceret tot oppressus calamitatum nuntiis, vt potuit surgere vir diuinus? Vt non magis opprimebat illum moles tanti discriminis? Crediderim, quod ad inauditæ sustinentiæ hominis præsentiam leuiores fierent calamitates illæ. Rem pulchro exemplo declarat D. Basil. in cat. Græc. inquiens: *Priori nuntio calamitatem narranti posterior interueniebat, qui acerbiorem rerum ægritudinem, mœroremque afferebat: calamitas è calamitate erat apta atque ærumnæ vndarum eursionem imitabantur, nec dum prior lachryma desederat, cum recentis causa afferebatur. Iustus autem quasi scopulus consistebat, ac vim tempestatis excipiens, fluctuum violentam incursionem redigebat in spumam.* Et quidem scopulus, vt ipse firmior stat, sic quo durius fluctuum mole verberatur, eos redigit in spumeam leuitatem. Videbis enim densissimarum vndarum molem ad scopulos impingentem, in quorum firmitate confracta tota illa moles in spumas abit. Sic prorsus odia mundialia, sic rabidissimæ iræ, dum pectus marmoreum inueniunt, mollescunt, & quæ durissima videbantur flagra, spumarum leuitudines apparent. Hinc Dominus ad ipsum Iobum longa sustinentia exercitatum cap. 40. fatur: *Ecce Behemoth, quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet.* Vbi Græci legunt: *Sed ecce eam bestia apud te fœnum quasi boues comedunt.* Feralissimæ belluæ, quæ velut leones carnes vorabant, integrósque glutiebant homines, ad tantam mansuetudinem deuenerunt, vt quasi boues fœnum comedant apud Iobum. Et quæ bellua homines glutiens ad Iobi patientissimi præsentiam non prorsus mansuescat, & se se emolliat? Accipite Olympiod. in cat. Græca: *Aduersarias potestates bestiarum nomine significari dixerunt, vt hos apposite dicatur ad illud, Ne tradas bestiis animam confitentem tibi. Apud te igitur, inquit, & apud omnem qui est patientia instructus, hæ belluæ mansuefiant, atque subiiciuntur.* Proh fortitudinem animæ sustinentis, quæ potest mansuetè facere carniuoras inferorum belluas. Vel ipse rabidissimus dæmon mansuescit, & emollitur ad præsentiam sustinentis.

Iob 1. — D. Basil. — Iob 40. — Olymp.

Gen. 26. Fecit ergo eis conuiuium, & post cibum, & potum surgentes mane, iurauerunt sibi mutuo: dimisitque eos Isaac pacifice in locum suum. Ecce autem venerunt in ipso die serui Isaac annuntiantes ei de puteo quem foderant, atque dicentes, Inuenimus aquam. Vnde appellauit eum, Abundantiam, &c.

§. XIV.

Vbi perfecta virtus, ibi solum pax, & concordia firma inuenitur.

POst stabilitam, & firmatam pacem, & concordiam inter Isaacum, & Abimelechum, & Ochozat, & Phicol, non otiosè addit scriptura, *dimisitque eos Isaac pacifice in locũ suum.* Et merito solus Isaac dicitur egisse pacifice, vt qui solus esset perfectè iustus, & pius; pax enim & concordia firma esse non potest, nisi ex parte eius, in quo est perfecta virtus. Propone tibi ob oculos duas domos, ambas religiosis patribusfamilias gaudentes, ambas religione insignes, & clariores optimè educatis filiis. Altera est domus Iacob, altera domus Iob, In Iacobi domo amabatur tenere Ioseph à parente. Genes. cap. 37. *Videntes autem fratres eius, quod à patre plus filiis cunctis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quicquam pacifice loqui.* Ecce tibi pax, & concordia fratrũ turbata in domo religiosissimi Iacob, at in domo Iob quis non sciat arctissimã fratrum concordiam? De illis ait cap. 1. *Ibant filij eius, & faciebant conuiuium per domos, vnusquisque in die suo. Et mittentes vocabant tres sorores suas, vt comederent, & biberent cum eis.* Cur inter Iobi filios tanta vnanimitas seruari potuit, quæ in Iacobi filiis minime seruata est? De Iobi filiis nihil nõ iustum, nihil non sanctum auditur; de Iacobi autem filiis multa narrantur scelera; dicitur Ruben cubile patris ascendisse, Simeon, & Leui dolose interfecisse Sichimitas, Iudas cum prostituta concubuisse. Hinc non mirandum est non posse vnanimitatem, & concordiam esse inter Iacobi filios tot infectos sceleribus, esse autem illam strictissimam inter filios Iob omni scelere expertes; quando pax, & concordia ibi solum firma est, vbi est virtus perfecta. Ait Origen. lib. 1. in Iob: *Fuerunt Iobo septem filij, & tres filiæ, numero decem, animo vero vnus. Numero plurimi erant, consensu, ac concordia quasi vnus, vnanimitate ac dilectione quasi idem. Non separabat autem eos zelus, non dissecabat eos inuidia, sicut pridem fratres Ioseph. Quare? Quia non exorta est in eis præuaricatio, neque coinquinatio, sicut in Ruben, neque furor interficiens, sicut in Simeone & Leui, neque odium fraterna maledictionis, sicut in cæteris filiis Iacob. Sed erant omnes vnanimes in pietate, pacifici in iustitia, atque in Dei timore concordes.* Fundabatur concordia, & vnanimitas in omnimoda virtute filiorum Iob, ideo ibi erat firma, & stabilis, quam minime habere potuerunt Iacobi filij, quorum singuli multis scatebant sceleribus, & delictis. Pulchra, & vera est sententia D. Ambros. lib. 3. offic. cap. 16. *Non potest homini amicus esse, qui Deo fuerit infidus.* Vane quidem speras tibi concordiam, & vnanimitatem seruandam ab his, qui variis se fœdant aduersus Deum sceleribus, require prius solidum puræ, & virtuosæ vitæ fundamentum, quod si adsit, firmissimam concordiam spera, si desit, & lites, & rixæ passim erunt. Mirabar diaboli astum infatuatum in filiis Iob, dum illis mortem inferret, ait enim cap. 1. *Filiis tuis, & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, &c.* Parum fuit, quod occideret fratres diabolus, acerbius quid faceret, & sibi gratius, si non illos occideret, sed discordes redderet inter se, & patri rebelles. Duo erant tantum Isaaci filij Iacob, & Esau, fratres vterini, & alterum sic in alterum commouit, vt quotidie timeretur Iacobo mors à fratre Esau inferenda. Nonne hoc gratius diabolo erat, quam si ambo antequam male egissent, occiderentur? Cur ergo non simile bellum inuexit diabolus inter Iobi filios, vt se se perimerent ipsi, & morderent, & vorarent, spectante parente? Cur qui valuit inter duos tantum excitare bellum, id non valuit excitare inter decem? Erat duorum alter nequam Esau, & vbi est alter nequam, facile pax rumpitur, & discordia seritur, at decem illi omnes erant iusti, virtute pollentes; quos facilius credidit diabolus posse interire simul, quam inter se bellum gerere. Origen. lib. 1. in Iob: *Esau cum vnum sufferre non posset germanum fratrem Iacob, interficere eum quæsiuit. Septem vero filij, & tres filiæ Iob tanquam vna anima indiuisè conuixerunt in vnanimitate, & tanta fuit vnanimitas laudabilium filiorum Iob, vt & malignus, atque inuidus dæmon facilius omnes pariter indiuisos interficere, quam diuidere, atque dissociare benignam, atque veram eorum vnanimitatem posset.* Et quis diuideret atque dissociaret eos, qui in laudabili vita erant positi, laudabilibúsque pollebant moribus? Validissimum est virtutis fundamentum ad superædificandum concordiam, quod vbi non inuenitur, & pax, & vnanimitas, & amicitia facile corruunt.

Gen. 37. — Iob 1. — Origen. — D. Ambr. — Origen.

Gen. 27. Senuit autem Isaac, & caligauerunt oculi eius, & videre non poterat: vocauítque Esau filium suum maiorem, & dixit ei: Fili mi? Qui respondit: Adsum. Cui pater: Vides, inquit, quod senuerim, & ignorem diem mortis meæ. Sume arma tua, pharetram, &

arcum

arcum, & egredere foras. Cúmque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti, & affer, vt comedam: & benedicat tibi anima mea, antequam moriar,&c.

§. XV.

Multos virtutum habeat canos, qui sine intuitu oculorum velit inter fratres iudicare.

ECce tibi vbi Isaac sine intuitu oculorum inducitur benedictionem daturus filiorum alteri, simul senex annuntiatur. Quippe ait: *Senuit autem Isaac, & caligauerunt oculi eius, & videre non poterat, vocauitque Esau, &c.* Senex sit iudicij maturitate. multos virtutum habeat canos necessum est, qui sine intuitu oculorum amat iudicare inter fratres. Magistros Orbis designaturus Dominus ait per Ioelem cap.2. *Effundam Spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ. Senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt.* Expende, quod aliis datur, vt videant, nimirum iuuenibus; qui enim iuuenes sunt, non alia iudicent, quam ea, quæ sunt oculis subiecta. Aliis autem datur, quod vel clausis oculis iudicia exerceant, nimirum, senibus, qui enim senex est moribus, multósque habet virtutum canos, is vel dormiens, vel clausis oculis potest iudicium salutare præstare. Hinc Actor.cap.9. dicitur: *Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias, & dixit ad illũ in visu Dominus, &c.* Huic in visu apparuit Dominus; Paulo autem locutus fuit dormienti, quando Actor.c.16. vir Macedo apparens in somniis sollicitabat eum, vt iret in Macedoniam. *Visio per noctem Paulo ostensa est, vir Macedo quidam erat stans, & deprecans eum, & dicens: Transiens in Macedoniam adiuua nos.* Itaque Ananiæ vigilanti, & patentibus oculis apparet Deus, Paulo autem dormienti, & clausis oculis, preces suas offert vir Macedo. Et cur non magis excitatur etiam Paulus, vt audiat, vt videat deprecationem? Erat Paulus senex, erãt illi multi virtutũ cani, & sapientiæ, quibus vel dormiens, vel clausis oculis posset excipere Dei sermonem. Ait D. Cyril. Alex. in c.2. Ioel. *Audis, vt in visu alloquatur Ananiam. Erat, vt puto, fide fortis, habitu strenuus, animo ad virtutem incitato, spirituali robore instructus. In somniis autem Macedo Paulum rogare videtur, erat enim Paulus mente senex, animo grandæuus, & cælesti sapientia plenus.* In quo tanta est morum senectus, nihil officit, quod visione oculorum careat; vel dormiens, vel oculis clausis percipere poterit cœlestia, & de illis iudicare.

Ioel. 2.

Actor.9.

Actor.16.

D.Cyril.

§. XVI.

Communis hominum cæcitas est, quod ad solam magnitudinem corpoream respiciant.

ISaacus *videre non poterat, & vocauit filium suum maiorem.* Non equidem vocat filium potiorem, nec filium iustiorem, sed maiorem filium vocasse dicitur. Et cur aliis prætermissis virtutibus, hoc solum attendit, vt maiorem corpore, & ætate vocet? Ait textus: *Caligauerunt oculi eius, & videre non poterat;* plane ea est communis hominum cæcitas, qua ad solam respiciunt magnitudinem, & præstantiam corpoream. Auarus ille homo apud Luc.cap.12. *Cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos? Et dixit, hoc faciam, destruam horrea mea, & maiora faciam.* Posset attendere, vt firmiora, imo vtiliora fierent horrea, sed tantum attendit, vt fierent maiora. Cur non etiam aspexit ad firmitatem, siue vtilitatem horreorum, sed vnam amplitudinem eorum considerabat? Est hæc communis cæcitas hominum, quod solam magnitudinem corpoream aspicere possint. D. Zeno lib.1. serm.14. *Oculis patentibus cæcus dilatat horrea.* Ab humana cæcitate hoc solum pete, quod est circa amplitudinem, & præstantiam molis corporeæ. Mysterio plena fuit vox illa cæci hominis apud Marc. cap.8. *Video homines, velut arbores ambulantes.* Non enim aliter humana cæcitas videt homines, nisi vt videt, & æstimat arbores, nimirum ex altitudine, ex proceritate. Vt arbor æstimatur in oculis hominum, quia altior, quia procerior, sic cætera omnia humana in eisdem oculis quo altiora, & proceriora, eo gratiora apparẽt. Samuel electurus regem è filiis Isai, vt maiorem vidit, de eligendo non dubitauit. Ait 1.Reg.cap.16. *Vidit Eliab, & ait, Num coram Domino est Christus eius?* Vatablus assertiuè legit. *Certè coram Domino est Christus eius.* Nihil aliud requirunt oculi humani, vbi præstantiam corpoream vident, ibi putant omnia bona esse. Vnde addit in scholiis Vatab. *Quasi dicat, Dominus quam maxime fauet Christo suo.* Nihil aliud attendit, nil aliud videt dignum etiam fauoribus diuinis, nisi quod in homine est cum arboribus commune, nimirum vultus præstantiam, proceritatem, & altitudinem. Sed cito Dominus Samuelem correxit, imo leniuit oculos eius, & acuit dicens: *Ne respicias vultum eius, neque altitudinem staturæ eius, quoniam abieci eum, neque iuxta intuitum hominis ego iudico, homo enim videt ea, quæ parent.* Merito iubetur homo propheta non respicere ad vultum, nec ad staturæ altitudinem; quando hæc visio hominis cæcutientis est, qui nihil inter homines & arbores distinguit, solam corpoream molem intuens. Quò spectans D. Chrysostom. homil. in Psalm. 50. fatur: *Si ergo videris virum, aut mulierem speciosam, ne admireris, nam & robore arbores, & densæ sunt foliis, & altitudine excelsæ, &c.* Et quidem, qui externam hanc, & corpoream præstantiam solum intuetur, sic se gerit vt homo, qui propter visus obscuritatem distinguere non potest inter homines, & arbores. Nec aliud videt in homine, quod in arbore non inueniat. Vt iam non insueta sit hominibus illa cantatissima Xerxis siue stultitia, siue cæcitas, qua & Hellesponto compedes iniecit, & aquam verberauit, & platanum pulcherrimam sic adamauit, vt amari solent ab hominibus fœminæ. Quid mirum? sic communiter humana cæcitas homines, vt arbores videt, & æstimat.

Luc.12.

D.Zeno.

Marc.8.

1.Reg.16.

D.Chrys.

§. XVII.

Magnum homini gloriæ augmentum est, quod à veridico, & iusto laudetur.

VIde obsequij præmium ab Isaaco sanctissimo propositum maiori filio suo Esau: *Affer, vt comedam, & benedicat tibi anima mea.* Et quidem non parua esset Esau gloria, si à tanto sene, tam veridico, tam iusto benediceretur, laudaretur. Sapienter enim Theodoricus rex apud Cassiodorum 1. variar. 3. fatur. *Si æquabilis credendus est, quem iustus elegerit: si temperantia præditus, quem moderatus asciuit: omnium profectò capax potest esse meritorum, qui iudicem cunctarum meruit habere virtutum. Quid enim maius quæritur, quàm hic inuenisse laudum testimonia, vbi gratificatio nõ potest esse suspecta? Regnantis quippe sententia iudicium de solis actibus sumit, nec blandiri dignatur animus Domini potestate munitus.* Hòc sane præcipuum est hominis præmium, si laudum inuenit testimonium in eo, qui cunctis splendet virtutibus, qui nec blandiri eget, nec fallere cupit. Quod à tali viro, siue rex sit, siue priuatus lauderis, ad non paruum pertinet augmentum gloriæ tuæ. Hinc Deus homines maximè amans liberos fecit illos, vt iuxta proprium placitum sibi aut mortem eligerent, aut vitam. Ecclesiastici cap.15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui, adiecit mandata, & præcepta sua, si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Apposuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* In quæstionem tamen verti possit, an homini tanta libertas vtilis sit, qua possit etiam in perditionem ire? Nonne vtilius homini videtur, quod sic alligaretur virtutibus, vt nulla maneret libertas ad resiliendum? Cur hoc magis à Deo præstitum homini non fuit? Tolletetur, fateor, perditionis periculum, si ab homine libertas tolleretur; sed simul tolleretur materia laudis, in quouis præstanti facinore. At tanta gloria est posse hominem à Deo laudari, vt maluerit creator amantissimus, sapientissimus hominem relinquere in perditionis ancipiti, ne illum subtraheret laudibus, quas de bono opere posset illi Deus impertiri. Huc accedit D. Ephrem in serm. Ascetico de vita relig. inquiens: *Quis pater ita misericordem se præbuit, sicut Deus noster? Quis pater, sic suos diligit filios, quemadmodum nos seruos suos Dominus noster dilexit? Omnia quippe nobis liberalissimè donat, omniáque affluenter dispensat. Vult etiam voluntatem nostram atque propositum à se laudari. Poterat ille quidem cuncta animarum nostrarum sanare vulnera, nósque etiam inuitos ad bonitatem adducere; sed id facere non vult, ne voluntas nostra arbitriique libertas diuinis ipsius laudibus priuetur.* Nullo non discrimine debebat homo comparare, ne illo fœlicitatis, & gloriæ augmento priuaretur, nimirum, quod laudari in operibus suis possit à

Theodor.

Eccl.15.

Ephrem.

Deo. Quanta hæc gloria, quanta hæc fœlicitas erit? Apud Iob cap. 1. ait Dominus ad Satan: *Nunquid considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, homo simplex, & rectus?* Ex quo merito educit D. Chrysostom. Iobi summam fœlicitatem, quod benedicatur, & laudetur à Deo. Quippe ait in Cat. Græc. *Quomodo tandem non fuerit Iob cunctorum mortalium excellentissimus, Deo ipsi testimonium dante?* Pertinet equidem ad summam hominis præstantiam, & excellentiam, quod laudabilis appareat apud Deum. Hinc Chrysostom. homil. 18. in epist. ad Rom. de Paulo ait: *Est tanta eius pulchritudo, vt Deus illam deprædicet. Astra quidem cum fierent, admirabantur Angeli. Hunc verò Deus ipse admiratus est, dicens: Vas electionis est mihi iste.* Sic ibi. Extollitur merito Paulus, quod mereatur à Deo laudari.

Iob 1. *Chrysost.*

Genes. 27. Vix Isaac sermonem impleuerat; & egresso Iacob foras, venit Esau: coctósque de venatione cibos intulit patri, dicens: Surge pater mi, & comede de venatione filij tui, vt benedicat mihi anima tua. Dixítque illi Isaac, Quis enim es tu? Qui respondit: Ego sum filius tuus primogenitus Esau.

§. XVIII.

Via reproborum, qua in perditionem feruntur, eisdem laboribus, & sudoribus plena, ac via iustorum.

COmpone diligentiam, & vitam horum fratrum Iacobi, & Esau, illius electi ad benedictionem, huius repulsi, & reprobati. Iacob, vt benedictionem obtineret, iuit ad gregem, hœdum attulit, cibos coxit, parenti intulit, at Esau interea somno se dedit? Absit, imo nihil laboris prætermisit, vt cibos venaretur, coqueret, & parenti inferret. Ait enim textus; *Venit Esau, coctósque de venatione cibos intulit patri.* Id quod notans Lippom. in cat. fatur. *Et hic quoque nihil omittitur de obedientia, occurrentia, sedulitate, nulla negligentia in venatione, coctione, appositione, postulatione, solum antecerterat iam dudum Dei verbum, & fides promissionis, &c.* Ecce tibi Esau per omnes labores, & diligentias aptas ad obtinendam benedictionem se conficit, & nihilominus manet absque benedictione. Propone tibi ob oculos peccatorem aliquem, qui viam terat perditionis, & fallar, nisi in illo inueneris, aut eosdem, aut similes labores, & sudores, ac sunt illi, per quos alij sibi comparant cœlestem benedictionem. Clamabat Paul. ad Ephes. cap. 5. *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertineat, sed magis gratiarum actio. Hoc enim scitote, quod omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, non habet hæreditatem in regno Christi.* Summum equidem malum est horum peccatorum, quod excludantur prorsus ab hæreditate, & cœlesti benedictione. At in iis sceleribus habent aliquid saltem voluptuosi boni? Proh Deus immortalis! Fallar, nisi se in iis multo non conficiant labore. Accipe D. Ephræmum in Parænesi 40. fantem: *Contumacia vero, aut pestilentia, aut inuidia, aut superbia, & his similia non commorentur in sinu tuo neque ingluuies, vel turpitudo, vel stultiloquium, vel scurrilitas, quæ ad rem non pertinent. Omnis enim qui in hisce ambulat, à via veritatis aberrat, se ipsum per loca inuia terendo.* Sane iustus homo se per viam rectam conterendo peruenit ad benedictionem, reprobus autem per inuia se terendo abit in perditionem. Vix est vllum discrimen inter labores reproborum, & iustorum, nisi quod illi se terunt, vt pereant, hi se conterunt, vt viuant æternum. Psalm. 80. celebrat Iosephi benedicti labores, & populi captiuitatẽ, libertatem mœrentis, ait enim. *Manus eius in cophino seruierunt. In tribulatione inuocasti me, & liberaui te.* Itaque dum captiui in cophino seruiunt, negotiantur salutem à Domino; ex quo educit Egesippus extremam calamitatem Iudæorum iam reprobatorum, quando Pompeius expugnaturus templum, cogebat Iudæos ipsos, vt plenis terra cophinis æquarent templi fossas. Quippe ait ille lib. 1. de Excid. Hierosol. c. 16. *Ad templi autem irruptionem, quoniam pertinaciter resistebatur, Iudæos Magnus parauit socios; simul vt suis manibus Iudæi fossas replerent, impio ministerio, & turpi obsequio seruierunt, manus eorum in cophino mentes in sacrilegio.* Compone modo Iudæos in Ægypto cum Iudæis Ierosolymis, ibi sub tyrannide Pharaonis, hic sub tyrannide Pompeij, vtrobique captiui, vtrobique seruiunt tyrannidi principum, vtrobique seruiunt in cophino, sed in Ægypto negotiantur libertatem, constitutionem Israelitici populi; Ierosolymis, & templi, & totius populi ruinam negotiantur nefario opere. Ea est notissima conditio reproborum, quod in eisdem laboribus, in eodem cophino seruiant suæ perditioni; in quibus iustis negotiantur cœlestes benedictiones.

Lippom. *Ad Eph. 5.* *Ephrem.* *Psal. 80.* *Egesipp.*

§. XIX.

Qui diu in dignitate vixit, nescit viuere sine illa.

VItio vertunt Esau Chrysostomus, & Lippom. in præsenti, quod se apud patrem nominet primogenitum, ait enim: *Ego sum primogenitus tuus Esau.* Et ille quidem lentis edulio primogenitum vendiderat, imò illud vendidisse paruipenderat, cur modo audax resumit, quod vendidit? Sanè natus fuerat, & altus, & educatus in primogenij dignitate, ne miremur, quod illam modo inuadat, nemo enim diu in dignitate consistens creditur viuere posse sine ea. Hircanus Herodis socer expulsus à regno, ad generum coactus est sese recipere, apud quem securitatem quærens, in mortis discrimen venit. Cur tanto parricidio se Herodes polluit? Ait Egesippus lib. 1. Excid. Ierosol. cap. 36. *Hircanus in Iudæam reuertitur. Quod altius in pollus Herodis, quam quisquam ratus erat, descendit, non quod ille regnum affectauerit, sed quia vero regi generis, & diu exercitatæ priuilegio potestatis, incertum, an ab eo abstinere se posset, æstimabatur.* Incertissimum merito est apud omnes cordatos, quod abstinere possit à dignitate ille, qui eius priuilegio diu exercitatus est. Sapienter D. Ambros. ad rem loquitur lib. 5. Exam. cap. 15. dicens: *Continua, & diuturna potentia gignit insolentiam. Quem inuenias hominum, qui sponte deponat imperium, & ducatus sui cedat insigne, fiátque volens numero postremus ex primo?* Non facilè abraditur ab animo dignitatis amor, qui diuturno potestatis exercitio subcreuit; fieri potest, quod dignitatem diu exercitatam libens aliquando deponas, sed non fiet, quod vel amissam, vel depositam sæpius non inuadas, vel manibus, vel verbis, vel mente. Illud rarum & pene inauditum accidit in Ioseph, qui venditus à fratribus, delatus in Ægyptum, detrusus in carcerem, imo & regi oblatus nunquã generis sui nobilitatem prodidit, nũquam pristinã ingenuitatem meminit. Gen. 39. Igitur *Ioseph ductus est in Ægyptum, emitque eum Putiphar:* nec multũ post, *tradidit Ioseph in carcerem, vbi vincti regis custodiebantur,* rursus de ipso dicitur Genes. 51. *Ad regis imperium eductum de carcere Ioseph totonderunt, &c.* Per hos casus trahitur puer, & inter hæc, nunquam adducitur, vt genus suum, pristinámque prodat ingenuitatem, quod, vt inauditæ rei exemplum ipse de se ponderat in testam. 12. Patriarch. cap. 11. *Silui venditus, vt non dicerem Ismaelitis genus meum, quoniam filius eram Iacob viri magni & potentis.* Magnum hoc, & inauditum in homine, quod dignitatem, in qua diu vixit, & in qua altus fuit, saltem aliquando verbis non inuadat. Quod si quando accidat, in eo solum homine accidet, quem diuinus amor inflammat. De Moyse asserit Paulus ad Hebræos cap. 11. *Moyses grandis factus negauit se filium esse filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, &c.* Itaque Moyses abiecit honorem, & principatum, in quo altus, & educatus fuerat, plurimósque consumpserat annos. Et post hanc honoris abiectionem Exod. cap. 3. *Moyses pascebat oues Iethro soceri sui.* Non miror, quod reiecerit principatum, quod soceri oues pascat; sed illud venit mirandum, quod oues pascens soceri sui, nunquam meminerit pristinæ gloriæ, nunquam de illa loquatur. Vnde hoc potuit homini accidere? Equidem tenebat illum maximus Dei amor, quo flagrabat. Ait author caten. Græc. *In regia Moyses educatus, in deserto nunc pascit oues, neque idcirco indoluit pertæsus vitam suam. Quisquis enim amat Deum, contentus in vrbe degit, in agris, pauper, & diues, liber, & seruus.* Vnus qui Dei amore incenditur, scit ita dignitatem, in qua diu sint, deponere, vt in nullo discrimine constitutus amplius illam memoret.

Egesipp. *D. Ambr.* *Gen. 39.* *Gen. 51.* *Heb. 11.* *Exod. 3.* *Cat. Græc.*

Genes. 27. Expauit Isaac stupore vehementi: & vltra quam credi potest, admirans ait, Quis igitur ille est, qui dudum captam venationem attulit mihi, & comedi ex omnibus prius quam tu venires: Benedixíque ei & erit benedictus. Auditísque Esau sermonibus

nibus patris irrugiit clamore magno, & consternatus, ait: Benedic etiam & mihi Pater mi. Qui ait, venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam. At ille subiunxit: Iuste vocatum est nomen eius Iacob, supplantauit enim me, en altera vice: primogenita mea ante tulit, & nunc secundo surripuit benedictionem meam. Rursús ad patrem, Nunquid non reseruasti, ait, & mihi benedictionem?

§. XX.

Timendum maxime tibi est, ne illam damni causam proximo inferas, quam reuocare non possis.

VBi dicitur Isaac expauisse, si Hebraicum verbum examines, idem significat iuxta Lippomanum, ac expauescere, timere, admirari, vt significetur Isaac raptus esse ea admiratione, quæ coniuncta est cum pauore, & timore. Sed cur tantus in Isaaco pauor, & timor? Ipse ait: *Benedixi ei, & benedictus erit.* Videbat bonus ex sibi erepta benedictione, illud damnum esse illatum filio maiori, quod minimè ipse reuocare posset, quod non paruo debet homini esse timori. Sanè metuenda res est homini, quod illud damnum inferat proximo, à quo illum liberare non possit. De Iuda illo pessimo Iesu venditore ait D. Matth. cap. 27. *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum, & senioribus, dicens: Peccaui, tradens sanguinem iustum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris. Et proiectis argenteis in templo recessit: & abiens laqueo se suspendit.* Et scire cupis, cur Iudas non cucurrit ad laqueum ante consultos sacerdotes, & seniores? Siquidem tam iniqua pœnitentia, & tam damnabili correptus erat, cur maluit prius sacerdotes adire, & inde ad laqueum processit? Iuit ad sacerdotes credens damnum illatum posse reuocari, vbi autem vidit in sua iam non esse potestate reuocare damnum, tunc sic lethaliter affectus est, vt curreret ad suspendium.

Matth. 27.

Vnde sapienter monet Paschasius lib. 12. in Matth. *Quapropter caueant qui tam facile peccant in fratribus, quia, qui sic peccat in aliquem, vt emendare non possit, timendum valde est, quod peccauit. Non enim iam in potestate Iudæ erat, vt absolueretur, quem tradiderat, & ideo frustra vocem pœnitentis assumit, quia permanent opera impietatis.* Heu quam raro, & quam difficile in veram, & salutarem pœnitentiam assurgit ille, qui ea damna intulit, quæ irreuocabilia semper manent! Quo crediderim respexisse Oseam c. 4. dum inquit: *Particeps idolorum Ephraim, dimitte eum. Separatum est conuiuium eorum, fornicatione fornicati sunt: dilexerunt afferre ignominiam protectores eius. Ligauit eum spiritus in alis suis, & confundentur à sacrificiis suis.* Alij legunt: *Ligauit ventum in alis suis, & confundetur à sacrificiis suis.* Expende consequentiam, ex eo quòd ventum in alis suis ligauit, tenuit, non illi salutaria fuerunt sacrificia, sed confusionis plena. Et quem ventum ligauit in alis, qui sic ipsa sacrificia infecit? Ventum hîc puta mala Ephraimitarum opera, & damna proximis illata, quæ in eo ventum imitabantur, quod semel ab illorum manibus exorta, reuocari non poterant, sicut ventus semel euolans reuocari non potest. Et cur non meruit vel ipsis suis sacrificiis, qui irreuocabilis damni firmauit opera? Ait Chaldæus: *Principes eorum multiplicauerunt conuiuia ex rapina. Ideo errauerunt, & se conuerterunt post fornicationem. Opera magnatum illorum haud recta sunt, quemadmodum constrictum non potest teneri ventus in ala, nunc adducam super illos inimicos, & confusione obstupescent.* Expende, quo referat causam pauoris, imo & causam ruinæ, nimirum, quia opera eorum haud recta sunt, quemadmodum constrictus non potest teneri ventus, hoc est, quia ventum imitantur, dum irreuocabile damnum causant. Hinc militibus sæuientibus aduersus ciues Antiochenos propter statuas regis deiectas; metum, & pauorem incussit sanctus Monachus. De quo fatur D. Chrysost. homil. 17. ad popul. *Dicitur quidam Monachorum aliud verbum sapientiæ plenum dixisse, quod statuæ quidem deiectæ, rursus erectæ fuerunt, & propriam receperunt formam, & factum correctionem habuit celerrimam. Si vos autem Dei imaginem occideritis, quomodo rursum poteritis commissum reuocare. Quomodo perditos resuscitare, & animas corporibus reddere? Quis non consternaretur?* Sane res erat consternationis & pauoris plena, quod quis illud damnum inferret, cuius remedium in sua potestate non esset.

Paschas.

Osee 4.

Chrysost.

§. XXI.

Magna est laus hominis illius, qui de perditionis laqueis scit sibi compingere cælestes ascensus.

ET doli, & simulationes, & fraudes, qui quotidie homines trahunt in perditionem, sic temperantur, & honestantur in Iacobo, vt per simulationes ascendat ad temporalem, & æternam benedictionem. Quippe de illo ait Isaacus: *Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam.* Septuag. posuêre: *Venit germanus tuus cum dolo.* Quid præstãtius in homine, quam quod dolis, & simulationibus sic vtatur in bonum, vt de tantis perditionis laqueis sibi ascensus faciat ad æternas benedictiones? Fallar, si quid debeat magis cantari, & celebrari de homine. Leuitic. 16. *Suscipiet Aaron ab vniuersa multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato, & stare faciet coram Domino.* Vt peccatorum iustificatio ostendatur, duo hirci coram Deo iubentur stare. Et cur hirci? D. Hieron. in cap. 43. Ezech. ait: *Hircus assumitur, quia animal est semper ad excelsa festinans, & nihil periculi sustinens in præcipitiis; & ibi inuenit viam, vbi cæteris animantibus interitus est, vnde caprarii, & hircorum grex, sublimium conuersatio dicitur.* Et quid sublimius, quam quod viam inuenias in ipsis præcipitiis? Matth. 25. vbi ipse Christus integerrimus iudex celebrandas suscipit electorum glorias, inquit: *Venite benedicti Patris mei, possidete vobis paratum regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere.* Multa alia facinora gloriosa præstant electi in mundo, dum virgineis coronantur sertis, seu laurea martyrij effulgent, seu diuinis emicant doctrinis. Cur iis silentio prætermissis eleemosynarum largitio sola decantanda assumitur ab integerrimo iudice? Eleemosynarius homo id præstat, quod mundialia bona facit seruire cœlesti benedictioni obtinendæ, quæ bona sunt è laqueis præcipuis, quibus homines in perditionem trahuntur. Ideò non minor, quod hoc præcipuè æstimet in suis cœlestis iudex. Pulchrè Paschas. lib. 9. in Matth. *Redemptum fuit, vt in his amplius laudarentur, Domino seruiuisse, in quibus adhuc quasi in sæculo obnoxij tenebantur.* Quis non laudet captiuum, quod de catenis, quibus adstringebatur carceri obscuro, machinas fecerit, vnde & libertatem, & triumphum acquireret? Sic etiam laudandus magis est homo, qui bona illa temporalia plena laqueis mortis, plena multo discrimine sic per eleemosynam temperauit, vt per illa cœlestes triumphos acquireret. Hinc etiam Paulus ad Rom. 8. extollit virtutem Christi Domini inquiens: *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne.* Quid est de peccato damnauit peccatum? De ipsa illa carnis substantia, quæ in nobis tot peccatorum parit laqueos, in se assumpta, fecit omnium peccatorum medicamen, & quis id faceret, nisi vnicus filius Patris? Ait Tertul. lib. 5. in Marcion. *Ob hoc misit Deus filium suum in similitudinem carnis peccati, vt peccati carnem simili substantia redimeret, id est, carne, quæ peccatrici carni similis esset, cum peccatrix ipsa non esset. Nam & hæc erit Dei virtus in substantia pari perficere salutem.* Expende ab illis: *hæc erit Dei virtus in substantia pari, &c.* Quippe quod caro in nobis plena laqueis, plena periculis, assumpta in Christo, sic temperetur, vt per illam de omni triumphus acquiratur peccato, id maximè extollit diuinam potestatem, & Christi Domini laudem. Hinc celsos spiritus Imperatricis Agnetis commendat Petr. Damian. quæ post defunctum virum Imperatorem, dedignata venire in inferioris hominis potestatem, se Deo vni dicauit. Ait enim lib. 7. epist. 5. *Amisisti Regina virum, postquam dedignata es thalamos iterare, vel proci cuiuslibet fœdus admittere, nisi qui priorem virum excellentioris gloriæ dignitate transcenderet. Quia igitur in Imperatoriæ celsitudinis arce virtus præeminuit, et superior quispiam in humano genere reperiri non poterat. Qua ergo in terris idoneum, & qui tuis placeret oculis inuenire non poteras virum, in cælestis sponsi præuolasti amplexus. O beata superbia. ô beata mentis elatio, & omnibus digna præconiis: quæ dum carnalis thalami iura contempsit, in dotalitium regis æterni gloriosa transiuit.* Sane celebranda est multis præconiis elatio illa, quæ in aliis causat præcipitia, in Agnete autem Imperatrice sic temperata fuit, vt dum illa despicit omnes, fastidit minori seruire, eas pennas creauit, quibus volauit ad Christum.

Leuit. 16.

D. Hier.

Matth. 25.

Paschas.

Ad Rom. 8.

Tertul.

Pet. Dam.

§. XXII.

§. XXII.

Dolor pro ruinis temporalibus infructuose habitus, si pro spiritualibus ruinis haberetur, pulchriora reparationis ostenderet augmenta.

AD benedictionis expectatæ ruinam vehementer indoluit Esau, cuius dolorem, & eiulatum textus ostendit aiens: *Irrugiit clamore magno, & consternatus ait: Benedic etiam & mihi Pater.* Idque semel & iterum petens multo eiulatu nequit acceptum damnum reparare. Et cur tam parum valent viri eiulatus, & clamores, & lacrymæ? Erant omnia hæc pro damnis temporalibus, si enim essent pro spirituali damno, credo, quod statim illustriorem reparationem ostentarent. Cainus Genes. cap. 4. vidit sacrificium suum à Deo repulsum, vidit Deo acceptum sacrificium fratris. Quid tuoc? *Iratúsque est Cain vehementer, & concidit vultus eius.* Iratus est post peccatum suum, an irascebatur, vt monebat Psaltes, *Irascimini, & nolite peccare, in cubilibus vestris compungimini?* Vtinam sic in se ob peccatum irasceretur, ob peccatum doleret, posset inde omnia in melius reparare. Pulchrè ait Diuus Basilius Seleuciensis oratione 4. *Vtinam pœnitentia, non parricidij dolor esset! Quippe tunc obtulisset Cain dolorem pœnitentiæ, qui pretio superasset antecedens sacrificium: doni namque loco retractationem consilij Deus admittit.* Itaque si Caini dolor pro temporali damno habitus, fuisset dolor pro peccato, pretiosior, & gratior esset hic dolor apud Deum, quam si sacrificium repulsum integrum fuisset omni ex parte. Non desideraretur in Caino pretium sacrificij, si in eo dolor, & ira existens fuisset aduersus peccatum, quando hæc omnia prætermissa debita pretiosius solet restaurare. Acceperat ille prodigus filius ex patre substantiam suam, quam dissipauerat, quam prodegerat adeo, vt omni carens subsidio, fame periret. Eo erat in statu, quando ad se reuersus doluit vicem suam, doluit amentiam suam, qua tanti patris amiserat charitatem. Plenus autem dolore pergit ad patrem, Luc. 15. *Vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum.* Non miror, quod pater filium vehementer dolentem excipiat, amplexetus, osculetur: sed illud miror, quod non interroget de substantia data, nec verbum de illa faciat. Cur pater, non exquiris à filio, in quibus tot bona consumpserit? Cur non interrogas de dissipatione tantæ substantiæ? Vt vidit filium dolentem, & retractantem mala sua facta, in dolore illo, in retractatione illa vidit omnia simul reparata. Ait Ruricius lib. 1. epist. 1. *Filium proprepta substantia decoctorem læto suscepit amplexu, promptior pater gaudere de reditu, quàm imputare de lapsu. Denique non exprobrantur facinora, non luxuria, non egestas, sola conuersi reuersio omnia damna compensat, quia maior fuit proculdubio patri facultas reditus, quam rerum facultas.* Expende illa, nimirum, *omnia damna compensat:* habet hoc dolor pro ruinis spiritualibus, quod omnia restauret, & compenset, imo quandoque in melius trahat. Pro amissis temporalibus, etsi multum plores, etsi multum gemas, etsi multis clamoribus te mactes, nihil inde fructus, nihil percipis vtilitatis. Si autem dolores tui, lacrymæ tuæ iam non pro temporalibus, sed pro spiritualibus sint, omnia damna videbis compensata, restaurata, & in melius reformata. Huc trahe dicta tomo 3. in Euang. lib. 14. cap. 4. §. 13. & tom. 2. lib. 6. cap. 6. §. 8. & tom. 1. lib. 2. cap. 1. §. 9.

Gen. 4.

Basil. Sel.

Luc. 15.

Ruric.

§. XXIII.

Nominis turpitudo claros virtute homines non offendit, sed turpitudo vitæ etiam nomina inficit.

VT offendat Esau Iacobum, ad nomen eius recurrit, Iacob enim supplantatorem significat, quo maculam vult fratri inurere dicens: *Iuste vocatum est nomen eius Iacob, supplantauit enim me.* At non sunt nomina, quæ hominem virtute clarum obscurant, sed vitæ turpitudo est, quæ vel ipsa nomina inficit. Ecce tibi D. Ambros. lib. 5. epist. 32. in orat. in Auxentium, vt pungit Episcopum Arrianum, qui sic inficiebat nomina sua, vt egeret passim mutare illa. *Ergo Auxentius eiicitur, Mercurinus excluditur. Vnum portentum est, & duo nomina. Etenim ne cognosceretur, quis esset, mutauit vocabulum, vt quia hic fuerat Auxentius Episcopus Arrianus ad decipiendam plebem, se vocaret Mercurianum. Alius in Scythia partibus dicebatur, alius hic vocatur, nomina pro religionibus habet. Habet ergo iam duo nomina, & si hinc alio perrexit, habebit & tertium. Quomodo enim patietur, vt maneat ei vocabulum ad tanti sceleris indicium?* Sic turpissimi hominis vita nomen eius inficiebat, vt in quauis regione cogeretur deponere primum, & aliud accipere. Imo vt corporis sordes cogunt hominem, vt mutet tunicam lineam, sic sordes animæ cogebant scelestum, vt cum tunica nomina infecta mutaret. Sophon. 1. ait Dominus: *Disperdam de loco hoc reliquias Baal, & nomina æditorum cum Sacerdotibus, &c.* Sane nomina bona erant, & illustria, cur contra nomina Deus irascitur? Cur aduersus nomina scandet? Erant quidem nomina ex se præclara, sed vita hominum turpabantur, inficiebantur, & ideo Deus, & aduersus nomina irascitur. Ait ibi D. Hieron. *Signanter non ait, opera sacerdotum cum sacerdotibus, sed nomina: qui tantummodo falso nomina præferunt dignitatum, & malis operibus sua nomina destruunt.* Numquam nomen vile destruxit opera clara: opera autem, & vilia, & turpia maximè destruunt, & inficiunt nomen, quod alioquin inter sydera radiaret.

D. Ambr.

Sophon. 1.

D. Hier.

Genes. 27. Respondit Isaac: Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres eius seruituti illius subiugaui: frumento, & vino stabiliui eum, & tibi post hæc, fili mi, vltra quid faciam? Cui Esau: Num vnam, inquit, tantum benedictionem habes, pater? Mihi quoque obsecro, vt benedicas. Cúmque eiulatu magno fleret, motus Isaac dixit ad eum, in pinguedine terræ in rore cœli desuper erit benedictio tua. Viues in gladio, & fratri tuo seruies, tempúsque veniet, cum excutias, & soluas iugum de ceruicibus tuis.

§. XXIV.

Fœlicissimi principis sunt diuitiæ ex agris cultis.

AD Israelitici regni benedictionem illud ostendit Isaac fuisse precatus, nimirum quod panis, & vini copia non aliunde adducta, sed indigena, & propriis ab agris orta veniret. Ait enim, *frumento, & vino stabiliui eum,* nec parum princeps extollitur, cuius sub imperio, cuius sub studio sic fœcunda est, sic diues est agricultura. Hinc D. Nazianzenus Præfectum Candianum dum extollit, inquit epist. 194. *Quin poeta quoque quispiam, atque arte liberior, & solutior agricolarum choro coacto rusticum carmen accinat, demessaque matura spica, quam iucundissimam corollam nectat, vitibúsque hederæ, & vinso intertextis caput cingat. Agricultura nimirum hæc festiua sacra sunt suo beneficio rursum ad homines reuersa.* Nec immerito putatur Candianus extollendus, de cuius studio, & beneficio venit, quod agricultura inter homines adiuueret, ingentésque suas parturiret diuitias. Non ab hoc aberat Ecclesiastes cap. 5. aiens: *Et insuper vniuersæ terræ Rex imperat seruienti.* Septuag. legunt: *Et præstantia terræ in omni est, rex agriculti.* Syriacus ponit: *Hæreditas terræ in omnibus est rex, qui agrum colit.* Alij similiter: *Abundantia terræ pro omnibus est rex agri agricolati.* Et quidem ad fœlicitatem, & abundantiam, & diuitias regni satis prudenter existimatur sufficere princeps, sub cuius imperio, & studio agricultura vigeat. Quod adhuc exprimit lectio Olympiodori aiens: *Super omnes rex est. Dominus agri elaborati.* Vnde Chaldæus Complutensis fatur: *Laudabilior est terræ cultura super omnia, quoniam in tempore, quo filij regni, & rex habitat in vrbibus à fatie illorum, si ille rex non habet frumentum ad comedendum, fit seruus subiectus viro agricolæ.* Solus agellus cultus est, qui regalissimos reges faciat, qui regna potest stabilire, firmare. Vt merito ille Isaiæ cap. 3. regnum detrectauerit aiens, *in domo mea non est panis*, quasi non sufficeret ad regij status conseruationem, quod panis aliunde adduci possit, nisi in propria domo eius copia nascatur. Huc trahe dicta supra lib. 1. cap. 1. part. 2. §. 10.

Nazian.

Eccles. 5.

Syriacus.

Olymp.

Isaia 3.

§. XXV.

§. XXV.

Cœlestis panis stabilimentum est omnium conatuum bonorum.

MErito ait: *Frumento, & vino stabiliui eum*, præcipue si respexisset ad cœlestẽ panem in domo Iacob è virgineis aruis germinandum. Vbi enim cœlestis hic panis proponitur, nullus bonus conatus non stabilitur, non fundatur. Gen. 55. *Gen. 25.* vbi Eliezer peruenit ad vrbem Nachor, eiúsque aduentum resciuit Labanus; *Introduxit eum in hospitium, ac destrauit camelos, deditque paleas, & fœnum, & aquam ad lauãdos pedes camelorum, & virorum, qui venerant cum eo. Et appositus est in conspectu eius panis. Qui ait, Non comedã, donec loquar sermones meos.* Dum introducitur in hospitium, tacet, dum cameli curantur, dum hominis pedes lauantur, tacet: apponitur in conspectu eius panis, & statim rem profert, pro qua venerat in Mesopotamiam. Auspicata, & stabilita voluit esse omnia, de quibus non antea egit, quàm esset in conspectu panis. Tantum id non dixit Ruper. lib. 6. in Gen. c. 41. *Gen. 41.* satus: *Opportunitatem dicẽdi egregie sustinuit, & cum gratus esset hospitibus, siluit adhuc, donec in conspectu suo panis poneretur, & tunc demum inter maxima fœdera hospitum, id est, in præsentia panis appositi sermonem ingressus est, à veris incipiens laudibus Dei, &c.* Expende in quo ponat vir egregius opportunitatem aggrediendi quodcumque opus, nimirum, quod non illud aggrediatur homo antea, quam sit in conspectu panis. Et quidem de viuifici panis præsentia, & conspectu auspicium, & stabilimentum sumendum est omnium bonorum conatuum. Ipse enim viuificus panis signum est expressissimum firmitudinis, & securitatis cuiuscumque fœlicis euentus. Hinc Paul. 1. ad Cor. 11. *1. Cor. 11.* *Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, &c.* Descensurus in arenam passionis, non antea descendit, quam viuifici panis proponeret Sacramentum. Et quid interea? *Gratias agens fregit*, sic omnia tuta, & secura ostendebat viuificus ille panis, vt merito gratiæ agerentur de victoria obtinenda, quasi iam esset obtenta. Chrysost. ibi: *Chrysost.* *Accepit panem, vt se corpus accepisse significaret, & gratias egit Patri de reparatione hominum futura per mortem eius.* Ecce tibi dum ad reparationem proficiscitur, pãnem accepit: vbi autem panem accepit, nil amplius moratus de securo, & certo victoriæ euentu gratias egit. Fœlix, qui sub tanti panis firmamento omnia vitæ suæ negotia aggreditur, in eo enim & solidum, & securum est auspicium fœlicis euentus. Quod noscens Paul. ad Hebr. c. 10 ait: *Ad Heb. 10.* *Initiauit nobis viam nouam viuentem, per velamen, id est, carnem suam.* Expende, quale initium, & fundamentum positum sit cuiusuis fœlicissimæ viæ, nimirum velamen carnis Christi, hoc est, species panis, qui nobis velat diuinissimam carnem. Sic D. Bruno in præsenti fatur: *D. Brun.* *Initiauit nobis viam per velamen, id est, per carnem suam, cuius carnem & sanguinem in accessu mortis accipimus viaticum ad patriam. Carnem dico, & sanguinem specie panis velatam.* Vbi apparuerit panis velamen, sub quo latet caro diuina, ecce tibi securissima via, & certissima initiata est ad quemcumque euentum fœlicissimum. Annuit Psal. 49. *Psal. 49.* *Sacrificium laudis honorificauit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.* Et quod est sacrificium laudis, nisi sacrificium Eucharisticum? Id probat noster Turrianus tract. 5. de Euchar. c. 10. *Turrian.* In hoc ergo sacrificio laudis, sacrificio Eucharistico iter est fœlicitatis, & salutis adeo securæ, vt qui digne sub illo graditur, iam gratias referre possit quasi de obtenta illa.

§. XXVI.

Tota firmitudo, & valentia Christiana à passione, à cruce.

COmpone modo vtriusque fratris benedictionem, de Iacob dicitur: *Frumento, & vino stabiliui eum*, & quomodo stabiliuit eum? Ipse aiebat Iacobum benedicẽs: *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, & vini, & seruiant tibi populi, &c.* Ad Esau autem dicitur: *In pinguedine terræ, & in rore cæli desuper erit benedictio tua. Viues gladio.* Dicitur Esau quod viuat gladio, Iacob, quod viuat frumento adeo stabilitus, vt & fratres omnes, & nationes sibi subiiciat. Et cur, cui gladius datur, nullum stabilimentum, nulla populorum acquisitio promittitur; cui autem & frumentum, & vinum exhibetur, illi & stabilitatem, & regnum in nationes promittit? Equidem in frumento, & vino tritura, & oppressio ostenditur, vt enim triticum, & vinum non nisi de trituræ & pressuræ beneficio habent quod placeant, & quod hominum corda confirment, & lætificent, sic tota Christiana firmitudo, & valentia de passione, & contritione, & prælij crucis expressione surgit. Iesus vt Samaritanos, infensissimos Iudæis, sibi subiiceret Ioan. 4. *Ioan. 4.* *Fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem.* Vide quam noua bella eligit noster Imperator, debellaturus hostes fatigatus accedit, fatigatus eos aggreditur. Cur non magis fatigationem caues, vt expeditior, & fortior in tantam arenam prosilias? Accipite D. August. tract. 15. in Ioan. *D. Aug.* *Iesus fatigatur, & ab itinere fatigatur. Inuenimus virtutem Iesu, & inuenimus infirmitatem Iesu, fortem, & infirmum, fortem, quia in principio erat verbum. Vis videre, quam iste Filius Dei fortis sit? Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quid ergo illo fortius, per quem sine labore facta sunt omnia? Infirmum vis nosse? Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Fortitudo Christi creauit, infirmitas Christi recreauit. Fortitudo Christi fecit, vt quod non erat, esset, infirmitas Christi fecit, vt quod erat, non periret.* Itaque non minuitur fortitudo Christi in infirmitate; imo ad perditionem exsibilandam, ad vitam reparandam, ad expugnanda corda assumitur infirmitas, assumitur latitudo, & pressura, quando valentia Christiana potentior fit per passionem, & infirmitatem. Ne diffidas Christiane, cum te premi, & angi experiaris, imo tunc spera, quod maiora tuis viribus poteris præstare. Petra erat in deserto sicca, & arida, & prorsus inepta vt funderet aquas, accessit Moyses, & percussit petram virga? Quid tunc? Psal. 104. *Psal. 104.* *Dirupit petram, & fluxerunt aquæ.* Quod non poterat petra per se, sub ligno percutiente valuit. Proh valentiam passionis Christianæ, vel ad illius imaginem eleuantur creaturæ ad mirabilia patranda! Ait D. Machar. orat. de Cruce apud Gretherum tom. 2. *D. Machar.* *Hoc signum petra conspicata, regiámque imaginem sibi imprimere tolerata, ea quæ supra naturam suam erant, præstitit, & quæ non habebat, præbuit.* Vt in se petra excepit virgæ percussionem, & sensit in vulnere crucifixi imaginem, suarum virium ridet impossibilitatẽ, infirmitatem, & audet illa, quæ non habet, præstare. Non dicat, non possum, non habeo, qui sub Dominica militat pãssione, in imagine crucifixi, in Christi mortificatione, & pressura, omnia potest, ad omnia valet. Aiebat Ps. 10. *Psal. 10.* *Dicite in nationibus, quia Dominus regnauit à ligno*, ex quo mirifice D. August. extollit vim Christianæ passionis, *D. Aug.* aiens: *Quo enim nondum porrectum erat Romanum imperium, Christus iam possidet crucifixus. Et quod adhuc clausum est eis, qui ferro pugnant, non est clausum his qui pugnant ligno.* Ampliora equidem regna penetrarunt pauperes Christi sub eius mortificatione viuentes, quam mundi diuites gladiis, & armis nitentes. Gen. 26. *Gen. 26.* Isaac expulsus a rege Geraræ abiit tacens, & sustinens. Et post paucos dies: *Ad quem locum cum venissent, Abimelech, & Ochozath, &c.* Ipsi, qui expulerant, veniunt humiles amicitiam rogaturi. De quo Egesipp. lib. 5. de Excid. Ierusal. c. 16. *Egesipp.* *Non gladium vagina exuit Isaac, sed solam aduersus inuidentes patientiam induit, simplicitatem retulit. Venerunt rogantes, qui exterminandum denuntiauerant, poposcerunt amicitiam, qui finitimum non ferebant.* Sic ibi, vnde Theodahadus rex Gottorum apud Cassiod. lib. 10. var. 11. *Theod.* sic monet Anicium quemdam ad affinitatem regalem ascitum. *Considera, quod merueris, & dignum te nostra affinitate tractabis. Nam qui familiæ regnantis adiungitur, in laudũ gremio collocatur. Nunc maior opera mansuetudini detur, nunc omnibus communio benigna præbeatur, vt talem probemur elegisse, quem nulla prosperitas possit immutare. Humiles age rem gloria, quia de modestia laus sumitur, de elatione odium concitatur. Pronoctie proxima est inuidia, sed tolerantia melius vincitur, quæ contentione semper augetur, supra cæteras virtutes amicam sapientibus ama patientiam, sustinendo potius, quam vindicando laudaberis.* Hæc ibi.

§. XXVII.

Non seuera auctoritas, sed humanitas liberalis principis ditat imperia.

PRemendum illud est Esau dictum: *Viues gladio*: non ait, ditesces gladio, sed tantum viues, non enim sic valet seuera asperitas ad ditescendũ, vt humanitas liberalis. Neque vnquá tantum diuitiarum excreuit apud eos, in quibus seruata fuit Esau feritas, vt apud eos, in quibus apparuit Iacobi mansuetudo, & lenitas. Psal. 113. de progressu Israelitici populi, ait: *Ps. 113.* *Mare vidit, & fugit, Iordanis conuersus est retrorsum. Montes exultauerunt vt arietes, & colles, sicut agni ouium.* Sic diuitiæ populi accreuerunt, vt viderentur montes conuersi in arietes, & colles in agnos ouium. Vnde tanta hæc bonorum affluentia? Ait statim: *A facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob.*

Qui conuertit petram in stagna aquarum. Apparebat Dominus Iacobi mores referens, non carnificem agens, sed beneficentissimum pastorem, affatim prouidens pastumonibus, in tanta principis humanitate, nõ miror, quòd montes, & colles conuertantur in arietes, & agnos ouium. Hnc adest D. Machar. ser. de cruce, apud Grethserum tom. 2. *David quoque creaturam examinans: Quid est, inquit, tibi mare, quod fugisti, & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum? Quid accidit vobis? Quid vidistis? Quare montes exultastis sicut arietes, & colles sicut agni ouium? Respondet creatura: A facie Domini, ab apparitione Dei Iacob, qui conuertit petram in stagna aquarum, &c.* Non equidem montes vertuntur in arietes, nec mala fugiunt à facie Dei illius, qui gladio viuit, sed à facie Dei Iacob, cuius est gladium non nosse, sed baculum, quo adaquet, & pascat oues. Fœlix princeps, qui faciem refert Iacobi mansueti, & soliciti pastoris, fallar, nisi à facie eius omnia fugiant mala, omnia accrescant bona. Quò spectans Prouerb. 16. ait: *Indignatio regis nuntij mortis. In hilaritate vultus eius, vita, & clementia eius quasi imber serotinus.* D. Ambros. orat. de obitu Theodos. legit: *Sicut autem ros in herba, sic hilaritas eius.* Est hilaris, & clemens vultus principis, quod ros in herbis, quod imber messibus, vt enim siue ros, siue imber campos fœcundant, & faciunt, quod fructus nascantur; sic mansuetus & hilaris princeps omnia replet fructibus, omnia replet vbertate. Sub illo vel ipsi campi pinguescunt, & ditescet agricolarum labor. Annuit Ecclesiastes c. 10. de ingenuis, & nobilibus principibus fatus: *In risu faciunt panem, & vinum, vt epulentur viuentes: & pecuniæ obediunt omnia.* Alij legunt apud Patrem Pinedam: *Ridendo faciunt panem, & vinum lætificat viuentes, & argento humiliant omnes.* Quid pulchrius? Vere principum humanitas, & hilaritas, faciunt panem, & vinum, quando sub tali principe accrescit agricolarum labor, & terræ fructus in magna respondent abundantia. Insuper argento humiliant omnes, vt enim liberales argentum in suos spargunt, nullus est, qui in eorum imperium non vadat. De Antiparto aiebat Egesipp. lib. 1 Excid. Ierosl. cap. 14. *Præ cæteris Antipater, is erat Idumæus genere, Maioribus apud suos clarus, non tenuis pecunia, & ideo prævalida potentia, arte mira factus, ad contemnendam pecuniam propter conciliandam gratiam.* Hæc debet esse omnium principum ars mirabilis, qua sciant pecuniam contemnere, vt populorum acquirant gratiam, & omnia in regno bona abundare faciant? Vnde Cassiod. lib. 2. var. 2. sic monet principem: *Sume igitur consulatus insignia: dignúmque te tantorum desiderijs præsens comproba largitate. Hic profecto locus est, vbi præconium meretur effusio. quando virtutis genus est propriam substantiam non amare, vbi tantum opinionis acquiritur, quantum facultatibus abrogatur.* Liberalitas principis nunquam non fructuosa est, nunquam non trahit. & principis ingentes laudes, & populi maximas vtilitates.

D. Machar. — Prou. 16. — D. Amb. — Eccl. 10. — Pined. — Egesipp. — Cassiod.

§. XXVIII.

Parentibus gloriosum est, quod illorum splendor transeat ad filios.

Benedicitur Iacob, & benedicitur Esau ab Isaac patre, sed magnum discrimen est inter benedictionem huius, & benedictionem illius. Benedictio enim Iacob transit ad filios eius, non sic benedictio Esau, inquit enim Euseb. in cat. Græca: *Iacob quidem simul cum posteris. Esau vero solus benedicitur.* Et quidem solius gloriosi, laudabilisque parentis est, quod & benedictio, & splendor ab illo transeat ad filios. Quare non immerito extollit Athalaricus rex apud Cassiod. lib. 9. var. 23. Venantium quendam patricium, de quo ait: *Quidquid in illo viro gratia diuina concessit, integra perfectione transmissum cernimus in posteros.* Quid parenti gloriosius, quam quod nihil splendoris, nihil gratiæ sibi cœlitus datæ appareat imminutum in filiis? Iob c. 1. *Ibant filij eius, & faciebant conuiuium per domos vnusquisque in die suo. Et mittentes vocabant tres sorores suas, vt comederent, & biberent cum eis. Cumque in orbem transissent dies, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos.* Hæc potissima cura Iobi erat, ne in se solo sanctitas, & religio maneret, sed quod à se transiret ad filios. Ex quo ait D. Basil. in cat. Græca: *Quando igitur filios vitæ consortes accepistis, honestis disciplinis, atque exemplis erudite, & cuiusmodi in rebus ad Deum pertinentibus eos esse oporteat, docete. Hæ namque sunt diuitiæ multis pecuniis præstabiliores. Hæc præclara hæreditas à patre liberis transmissa. Hæc liberorum educandorum ratio Iobo instituta erat. Hinc filiorum dignitate erat insignis. Multos enim fratres existere, & cunctos virtute, & genere nobiles, hæc verò non obscura laus est eorum, à quibus nutriuntur.* Expende. quod vbi hæreditatem virtutum à Iobo in filios dicit esse transmissam, statim subiicit: *Hinc filiorum dignitate erat insignis;* insignis equidem apparet pater, & multum illustris, quando in filiis nil de eius virtutibus minuitur. De matre Machabæorum dicit Machab. 2. c. 7. *Nouissime autem post filios mater consumpta est.* Magna mulier, quæ sic Deum timuit, vt martyr efficeretur: sed inde maior, quod nihil gloriæ minus in filiis ostendit. Vnde Ioseph. in orat. de Machabæis fatur: *Postremum decus passorum accedit mater, contemnens minas regis, & maternum pectus offerens, & vitam filiorum. O beati generis erga, vnius viteri gloriosa fœcunditas! Non ego vos paruulos membrorum lineamentis, & totius vultus notis matris æmulos dicam. Sit hæc summa laudis in cæteris, quibus præter naturam nihil animus dedit, vos ergo similes mente, robore, fide asserens, & matri in omnibus pares dicam in nullo ei postponendi, in nullo minus venerabiles.* Et quid parenti gloriosius, quam quod in nullo appareat diminuta in filiis gloria paterna?

Euseb. — Cassiod. — Iob 1. — D. Basil. — Ioseph.

Gen. 35. Venítque ad Isaac patrem suum in Mambre ciuitatem Arbee, hæc est Hebron: in qua peregrinatus est Abraham, & Isaac. Et completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum. Consumptúsque ætate mortuus est: & appositus est populo suo senex, & plenus dierum: & sepelierunt eum Esau, & Iacob filij sui.

§. XXIX.

Magna hominis fœlicitas, quod sic ad mortem accedat, vt sola & nuda cum morte confligat.

Ætas longissima sic Isaacum consumpserat, vt in lectulo decumbẽs nihil iam reliquum haberet, quã decedere è viuis, vbi enim tãdiu cæcus in lecto fuit, iam è bonorũ mundialium cura recesserat: illa omnia filiis partitus, viuendi cupiditate non tenebatur, quando dicitur *dierum plenus*, siue vt legit Caietan *dierum satur*, ad mortem peruenisse. Quid fœlicius? Moriens Isaac non cũ acerbis animis confligit, non cum vitæ amore decertat, non pugnat cum temporalibus bonis, quæ omnia iam abhinc multis diebus a se in filios transmiserat, cũ sola, & nuda morte habet, quod pugnet. Hinc Theodosij Cæsaris gloriam, & fœlicitatem D. Amb. cumulat orat. in eius obitu, inquiens: *Nihil gloriosius exitus tanti principis habuit, qui omnia iam filiis tradidisset, regnum, potestatem, nomen Augusti.* Nemo dubitet discriminis, & doloris plenum esse mortis conflictum, in quo mortis stragem comitantur bonorum mundialiũ spoliatio, imperij amissio, bonoris finis, ætatis immaturitas. Et quis cum iis simul iunctis confligat in morte, & non periclitetur? Illius ergo exitus & gloriosior, & fœlicior apparet, qui viuens regnũ, & potestatem & nomẽ augustum exuens per multum tẽporis, cum ad finem peruenit, nõ habet, cum quo pugnet, cum quo confligat nisi cum morte nuda. Hæc est enim illa iustitia, & virtus, quæ spoliat prorsus, & nudat mortẽ omnibus armis suis, omnibus suis spiculis. Quo respiciens D. Paul. ad Rom. 5. fatur: *Sicut regnauit peccatũ in mortẽ, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam.* Sane peccatũ regnabat in mortem humanas cupiditates excitans, & faciens illas rebellare, vt de illarum adiutorio mors armaretur in homines. Quid tunc gratia? Excitauit etiam iustitias, & virtutes, quæ dũ humanas cupiditates, & affectus ad voluptatem, ad honores, ad temporalia bona cõprimunt, mortis arma tollunt, illámque nudã, & spoliatam reddunt, vt facile ab hominibus vinceretur. Ait D. Chrys. in præsenti hom. 10. *Peccatũ quidem loco regis fuit, mors autem loco militis sub peccato in acie stãs, & ab illo armata. Ergo si peccatum idem mortem armauit, iustitia per gratiam aducta, quæ ipsa nemarum idem tollit, non modo mortem armis spoliat, sed & illam de medio tollit.* Quid fœlicius iusto homine, cui vt datũ est sæculares omnes cupiditates conculcare, sic etiam datum est, mortem armis nudare, cum illáque nudata, & sola confligere? Huc veniat, qui velit discere, quomodo possit fœliciset cum morte cõfligere; nimirum si prius omnes mundi principatus conculcet, si prius cupiditates omnes abrascrit, quæ sunt arma mortis, tũc sola, & nuda manebit mors, cum qua fœliciter confligat. Hunc vincẽdæ mortis modum docuit ipse Dominus, de quo Paul. 1. ad Cor. 15. fatur: *Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Nouissima autem inimica destruetur mors.* Ecce tibi quousque reseruatur mors expugnanda, nimirum,

Caiet. — D. Ambr. — Ad Rom. 5. — D. Chrys. — 1. Cor. 15.

Chrysost.

nimirum, *nouissima destruetur.* Vbi eleganter Chrysost. *Quomodo nouissima? Post omnes. Post diabolum, post cætera omnia.* In primis nobilis Imperator aggressus est mundi rectores, tenebrarum harum, & omnes mundi ambitiones, & carnis cupiditates, & iis omnibus deuictis prius, & superatis, postremo mortem aggreditur, aduersus quam fœlicissimè inualuit. Sed cur postremo illam & post omnes aggreditur? Cur non simul cum aliis placuit mortem expugnare? Equidem vbi morti imminenti simul cupiditates mundiales, gaudia lethifera, illecebræ adstantes apparent, incredibiles dolores in homine causant, interest multum ad hominis fœlicitatem, quod prius eliminetur, & quod sola, & nuda sine illis mors appareat. Isaias cap. 13. *Vlulate, quia prope est dies Domini: quasi vastitas à Domino veniet. Propter hoc omnes manus dissoluentur, & omne cor hominis contabescet, & conteretur. Torsiones, & dolores tenebunt, quasi parturiens dolebunt, vnusquisque ad proximum suum stupebit: facies combusta vultus eorum.* Diem Domini vocat diem mortis, quem iubemur excipere magno luctu, ingenti dolore, & torsione. Et vnde in die mortis tot dolores? Vnde tot torsiones, & gemitus? Ait ipse vates: vnusquisque ad proximum suum stupebit: non enim veniet mors sola, non sola mors obiicietur menti hominum, sed simul cum morte videbitur vniuscuiusque proximus, videbuntur exercitus charissimorum, exercitus deliciarum & voluptatum lethalium, ex quibus incredibiles hauriat homo dolores, adeo vt ad magnam fœlicitatem putet esse, si nihil horum obiiciatur in morte. Hinc D. Aelredus apud Alleg. Tilmanni, fatur: *Anxietatem igitur mentis, quæ imminente iam morte ex flagitiorum recordatione procedit, per torsiones intellige. Quæ enim flagitiosis tunc erit tristitia, cum viderint se vilissima, ac breuissima voluptatis putredine æterna supplicia meruisse? Felices proinde, quibus ventris delitia has torsiones non parant: quorum membra hic circumciduntur, vt has tunc dolores non sentiant.* Expende hominis fœlicitatem, quod nimirum sic omnibus renunciet delitiis, sic cupiditates abradat, & vel charissima, iucundissimáque sibi membra circumcidat, vt nil horum appareat in morte, sed cum illa omnibus iis nuda confligat. Quare monebat Ecclesiast. c. 5. *Noli attendere ad possessiones iniquas, & ne dixeris, Est mihi sufficiens vita: nihil enim proderit in tempore vindictæ, & obductionis.* Tigurina legit, *in tempore aggressionis*, nimirum quando mors aggrediatur; tunc in illo tempore aggressionis, & conflictus cum morte, multum nocebunt temporalia bona, si attendantur, si adhuc intenta teneantur memoria. Fœlix ille erit, qui nec intentionem, nec affectum in iis temporalibus posuerit, is proculdubio tempore aggressionis pugnabit cum morte inermi.

Isai. 13.

D. Aelr

Ecclef. 5.

LIBER QVARTVS,

DANIEL, SIVE CHRISTVS A REGIBVS ADORATVS.

CHRISTVM Dominum à Regibus adoratum, & muneratum qui referat, vnus Daniel inuenitur. Is à Babylonio Imperatore Nabuchodonosor adoratus est adhibito thure: à Rege Balthasare torque aurea insignitus: ex Dario myrrhæ amarorem gustauit leonibus addictus. Nónne similia munera accipit puer Iesus, dum Orientales Reges eius cunabula intrant? Veniat ergo enucleandus Daniel, in quo repræsententur Reges, vt auro, thure, & myrrha onusti ad pedes mei Christi procumbant.

CAPVT PRIMVM.

Daniel apud Nabuchodonosorem.

Textus Historia.

ANNVS vigesimus sextus supra tria millia, & quadringenta annorum, initium dedit regno Ioachim, & Danielis vitæ, qui à regia Hebræorum, & sacerdotali tribu ortus simul in lucem prodiit, & tenebras seruitutis incurrit. Pusio erat, & puellulus, iuxta Epiphanium, & Sulpitium, tertium circiter ætatis annum pertingens, quando expugnatis Iudæis, inter regios iuuenes, obses Daniel Babylonem defertur, vt tutiùs Ioachimus in Iudæam possit dimitti. Nec obscurus latuit Babylone nobilis pusio. Seligi namque è Iudæorum Regiis iubet Nabuchodonosor pueros, qui præcellentes forma, & studiis culti, totidem stellæ è Babylonio culmine in orbe effulgeant. Hoc consilio quæsitus secessit Daniel in regium triclinium, cum charissimis sociis, Anania, Misael, & Azaria, quos quotidie regia fercula pelliciebant in Babylonias delicias. Rapuit Danielem cura virtutis, & deliciosæ mensæ fastidium, vt socios doceret, sine labe, & periculo regiis cibis vti non posse Iudæos viros, sed & genus esse sacrilegij noxiosissimum, à religiosis limitibus extractos, prophanorum vacare conuiuiis. Non à puerilibus annis tanti venerat ardor consilij, sed quod Deus inseuerat penè infantili animo, sic ad perfectum deduxit, vt puerili verbis persuaderetur etiam Præfectus regius, ne ampliùs pretiosis ferculis Danielem affligeret. Quò magis annona minuebatur puero, eò speciosior, & ornatior, & sapientior apparebat in dies. Iam duodenis erat, & Susannam pulcherrimam fœminam ex decreto seniorum ad adulterij pœnam traduci videt, iubet puer cruentissimam virorum pompam sistere; petit sibi iudicandos offerri senes; & mirabili astu mendacij conuictos internecioni tradit, sanctissimámque fœminam, & viro, & parentibus restituit. Quis deinde toto Imperio de puero illo sermo? Quis illum ignorauit? Triumphabat in omnium plausu: & sapientia, & pudicitia, & virtutes reliquæ puero erant, quarum ad se veluti flores in sertum collegerat.

Fatalis Babyloniis sapientibus annus venit, qui dum non valent Regi somnij præhabiti curas eripere, extremam sustinent mortis sententiam. Senescentes in sapientia homines deposcuntur ad lethale supplicium, inter quos eminet cana Danielis iuuentus, quem etsi quintus supra vigesimum annus à seniorum fatali consortio abscondera, prudentia prodidit cautissima. Acceptis verò vnius noctis induciis in prece totus diuini luminis non mediocrem partem excepit, vt arcanā veritatem pertingens, insomniorū clarissimus interpres fieret. Prouecta erat dies, & orbis moderatorē vnius insomnij cura solicitū in procerū præsētia sic affatur Hebræus iuuenis: Arcani enodatio, quam Rex à sapientibus requirit, longè superat humanæ sapientiæ fines: vnus Deus est, qui illam in medium producit, & Deo auspice, ego aruspicum, ariolorúmque periculo in præsentiarum defungar. Immensi corporis forma Regi obiecta fuit ad membrorum humanorum distincta figuram, caput aureum, argenteum cum brachiis pectus, æreus venter, ferrea crura, pedésque ex ære, & testa confictı non parum ominosum prætendunt vultum. Sed & illud omni omine maius, & omni expectatione mirabilius fuit: lapillus paruulus nulla impellente manu à culmine montis decidit, pedum testam ferit, & totam illam monstrosam formam redigit in fauillam. Sic ad parui lapidis ictum euanuit totus quantus erat ille monstruosi corporis vultus; cum interea lapis in montis magnitudinem assurgit, & terram implet.

Hæc vidisti, ô Rex, in lecto decumbens; accipe modo quid portendat siue monstrū, siue sacramentum istud. Et fœlicitatē, & diuitias imperij tui aureum caput designat, vt enim aurum vni cœlesti iubari debet, quod sit, ita splendidissima, & ditissima quæque ab vno Deo in te prosiliunt. Alius deinde veniet non æquè florens, sed tamen florens, & quasi argenteis habenis moderabitur cuncta. Rursus nouum imperium exurget, quod vocalissimi metalli instar, totum orbem terrarum impleat tinnitu. Quartum ferreum erit, & ferrea duritie mundum sibi describet. Id autem erit huic proprium, quod regni principes sic inter se diffidant, vt nec coniugiorum vinculis sibi adhæreant; veluti nec ferrum adhæret limo. Postremo in terra cœlestia iam sceptra nascuntur, lapillus sine hominum impulsu decurret, in quo Deus ostendit, vt vniuersa mundi imperia filio subiiciat, qui imperium sine fine possideat.

Multum inde stuporis Babylonio tyranno fuit, tunc primum excipienti diuinorum arcana. Se se in terram dimittit, Danielem adorat, cui aras erigit, & apponit thura. Illud in confesso erat Deum Danielis esse omnium potentissimum. Et hinc Daniel summis honoribus exaltatus, ad summumque principatum deductus, vnum hoc petiuit à rege, vt socij

vt socij Ananis, Misael, & Azaria prouinciarum acciperent præfecturas.

Regnorum curis gloriosus aduigilabat Daniel; & regem implet alterius somnij secretum. Arbor erat, cuius vertex vel adumbraret stellas, & ægre inueniretur natio, quæ eius non aduiueret aspectui. Inter admirandę pulchritudinis folia tot se brachia protendunt, quot sufficerent vniuersis implendis viuentibus ditissimo fructu, suauissima esca. Garrulæ cōmorantur alites brachiis frondentibus, dum grauiora animalia trunci ambitiosa vicinitate cingebant. Interea cœlitū vox ruit, quæ succidi arborē mandat, excuti folia, fructus dispergi, vt inde vel animalculum fugiat, vel passerculus euolet. Vnum in atroci clade cauetur, quod omirum arboris radix adhuc succulenta terræ visceribus adhærescat, sed ferreo circumligata nexu, & per septennium in nullo à ferarum conuictu discreta.

Danielem abstulit & sacramenti atrocitas, & reuerentia regis, vt tarde, & ægre, & post horæ silentium ad sermonem accederet. Tādem hoc tribuens Nabuchodonosoris gloriæ, quod tantæ arbori sit assimilis, sub cuius vmbra viuant nationes, & de cuius fructu ditentur, iram denuntiat cœlitus imminentem, vt exturbatus à regno, more ferarum acturus sit, donec in cœlestis regni cognitionem deueniat. Addit religiosus vir salutare consilium Regibus, vt eleemosynis distributis se se periculis eximant.

PARS PRIMA.

Danielis, & Christi à Regibus adorati symbola.

DANIELI thura offerri mandat Rex Babylonius Nabuchodonosor: vt in Daniele videamus Christum Dominum expressum, qui puer, & adorationem, & thura ex Regibus etiam accepit.

§. I.

Vt Daniel, sic Christus regibus gratiosus ostenditur.

QVis Daniele apud Reges gratiosior apparuit? A Nabuchodonosore adoratur, à Balthassare exaltatur, & in Balthassaris ruina, adhuc manet Danial, & Cyro, & Dario gratissimus. Vt merito cantem in Daniele gratiam Iesu diuini, is enim puer, materno adhuc pendulus ab vbere, sic gratiosus erat Regibus, vt Orientis Reges illi adludentes venirent. Ait Matt. 2. *Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam dicentes: Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus enim stellā eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Merito D. Hier. epist. ad Saluinā, sic eius filiæ infantulæ gratias exaltat, vt illam dicat per Regum brachia ire. Quippe ait: *Iligitur Nebridæ tuo germana, rosarum, & liliorum calathus, aboris vtrique commercium. Sic refert ore patrem, vt ad venustatem propensior sit. Sic matrem mixta pingit similitudine, vt in vno corpore vtrāque agnoscas. Ita suauis est, & mellitula, vt honor sit omnium propinquorum. Hanc tenere non dedignatur Augustus, hanc fouere in sinu regina lætatur. Certatim ad se omnes rapiunt, &c.* Et quidē ad puellæ commendationem hoc summū est, quod illi adgaudeant mūdiales principes: id quod tantula fuit pars gratiarum mei Iesu puerul, sic enim suauis fuit, sic mellitulus, vt honor esset seminis humani totius; vt illū non dedignarentur Reges tenere, imo festini venirent, vt recenter ab vtero fusum regalibus brachiis sustentarent, & regali fouerent sinu. Et quando mundi Reges Iesu puero obsequium humile non exhibeant? Prælibatur, mihi crede, in Iesu id quod Iesu affeclis accinit Isai c. 49. inquiēs: *Et erunt reges nutritij tui, & nutrices tuæ reginæ.* Equidē hoc solet esse cordi regibus, & principibus, vt circa filij Dei puerperia vehementer affecti sint. Vnde D. Cyril. Alex. ardentissimus propugnator diuinitatis in puerulo Iesu in Apolog. ad Theodos. sic se se ad certamen prouocabat: *Heus tu, silentium excusari non potest. Pius, & Christi amās est, quem Deus regni gloria decorauit. Sed & ipsa quoque serenissimarū Augustarum dyas, quæ eisdem illis honoribus potitur, æque religiosè ac tu erga venerandum illum, admirationéque dignum Virginis partum affecta est. Tum cæteri omnes, qui & ordine, & dignitatum quoque excellentia his proxime accedunt, rectáque ac inculpata fide ornati sunt, non vulgari, propter spretam saluatoris gloriam, & ipsi quoque tristitia afficiuntur.* Ecce tibi pro puerul Iesu gloria omnes principes mundi solicitabantur: nil ausa est blasphema lingua in puerum Iesum, quod non doleant principes, quod non abominentur Augusti, qui omnes parati sunt stare pro puerperio diuino.

Matth. 2.
D. Hieron.
Isai. 49.
D. Cyril.

Hinc Psal. 71. *Reges Tharsis, & insulæ munera offerent, reges Arabum, & Saba dona adducent. & adorabunt eum omnes reges terræ.* Ex quo D. Hieron. ait: *Omne mundiale imperium, honores, & ordines ad Christum accedere, eique colla submittere propheta pronunciat: quod ex Magorum muneribus intelligimus inchoatū. Ipsi enim gentium, regúmque typum tenuisse monstrātur.* Ecce tibi, vt Magis adorantibus puerulum Iesum, appareant omnes mundiales reges deuotum obsequium, & affectum exhibentes Christo.

Psal. 71.
D. Hier.

§. II.

Fidelium populus honoratur in Daniele, & in Iesu, dum ij reges sibi subiiciunt.

MIraris potētissimum orbis regem Nabuchodonosorem, vt cadit in faciem, & humi prostratus Danielem adorat? Sane id à Deo fiebat, vt fidelium populus tunc captiuus multum honoris acciperet, exhibēs sui sanguinis hominem, cui se substernant reges mundi. Ait enim Rup. lib. 6. de vict. c. 10. *Per hanc occasionem captiuos suos sic Deus honorauit, vt Nabuchodonosor caderet in faciem suam, & adoraret Danielem.* Ne quis putet paruum honorem obuenisse eidem populo fidelium, vbi paruulum Iesum prostrati orientales reges adorauerunt. Hinc dum Matth. 2. ad horum regum introitum *turbatur Herodes, & omnis Ierosolyma cum illo*: sapienter D. Chrysost. hom. 6. in Matt carpit Ierosolymitanos ciues, quod ipsi turbentur ad introitum regum quærentium Christum. Et cur non turbarentur illi? Ait Chrysost. *Oportuerat namque eos continuo sentire, quantum sibi esset additum dignitatis de tanti natiuitate regis, qui Persarum ad se regem ortu suo triumphante traxisset.* Sic creuerat fidelis populi dignitas, sic auctus erat eius honor, quādo apparuit Iesus sibi subiiciens Persarum reges, vt deberet id augmentum honoris statim sentiri ab eo, qui prorsus non esset lapideus, & insensibilis. Quod honoris summum incrementum aspiciebat Isaias cap. 60. vbi ad fidelium populum loquens sic fatur ex ore Dei. *Ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generatione & generationem. Et suges lac gentium, & mamilla regum lactaberis.* Tantus erit honor fidelium accrescens, vt videatur peruenire ad excessum, vt perueniunt incrementa superba: & vnde tantus honor accrescet? Ait: *Mamilla regum lactaberis,* vbi puerulo Iesu à mamillis matris pendenti reges adstant, illumque pretiosis donis oblectantur, quis fidelis non sentiat summum incrementum dignitatis? Eò tendit superbissimus Imperatorum ambitus, quod sibi reges obsequentes ostentarent. Quod ergo mundi superbia raro obtinuit, ecce tibi habet populus Christianus, quando sub eo rege, & Domino Iesu viuit, cui puerulo, & adhuc sugenti vbera matris reges famulantur.

Rupert.
Matth. 2.
D. Chrys.
Isai. 60.

§. III.

Vt Daniel, sic Christus paruulus veræ diuinitatis cultores effingit.

QVis Daniele sublimior? Vt cœlestis regni mysterium Nabuchodonosori reuelat, sic regem idololatrā in veræ diuinitatis cultorem transformat, vt vni Deo aras, & incēsum apponi iubeat. Sic Dan. 2. *Tunc rex cecidit in faciē suam, & Danielē adorauit, & hostias, & incēsum præcepit, vt sacrificarent ei. Loquens ergo rex ait Danieli: Vere Deus vester Deus Deorum est, & Dominus regum, & reuelās mysteria.* Ecce tibi rex hostiam, & incensum Danieli apponit, agnoscens, & laudans verum Deum Israelis habitantem in Daniele. Vbi Theodor. ait: *Considera quantæ sit, arrogantem illum eo adductum esse, vt captiuum adoret Iudæum, sibique persuadeat per ipsum, ipsius Deum adorare. Qui adorauerat, etiam incensum attulit. Et ne frustra hominem videretur adorare, dicit: Vere Deus vester, Deus Deorum est.* Equidem magnū hoc in Daniele facinus fuit, quod eo adduceret regem superbissimum, vt vni, & vero Deo incensum exhiberet, & cultū. In quo adumbrabatur omnipotētia puerul diuini Iesu, qui adhuc infans cantatissimos reges è propriis extraxit regnis, & sibi sterni fecit, in thuris oblatione testantes agnitionem diuinitatis absconditæ in membris puerilibus. Matth. 2. *Inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, &c.* Quid hoc puerulo potētius? Ipse pauper, ipse abiectus, & barbarissimos, & superbissimos reges in agnitionē diuinitatis adduxit. Vt merito stupefactus Theodorus

Dan. 2.
Theodor.
Matth. 2.

homil. de Christi Natiuit. habita tom. 6. Coocil. Ephes. Ap- *Theodor.* pendice 5. cap. 2. inquit: *Vide præsepe sedentis supra Cherubim, vide pannis obsitum eum, qui pelagus arena cinxit, vide deorsum paupertatem, diuitias eius sursum considerans. Sic enim gratia, & clementia videbis magnitudinem. Nam ipsa paupertate diuitiæ eius diuitiæ ostenduntur. Stella Magis declarabat pauperem, & Barbaros ad præsepe pauperis adducebat. Nam & Magi ei, qui videbatur, thus obtulerunt, tanquam Deo, munere diuinam dignitatem pronuntiantes.* Quæ hac potestate maior? Sane magnum est, quod de tanti pueri beneficio Idolorum reges cultores, fiant cultores veræ diuinitatis. *D. Bern.* Merito D. Bern. serm. 2. de Epiph. miracula Saluatoris tractans fatur: *Mirabilis aquarum mutatio, mirabilis Ioannis, & columba, & paterna vocis attestatio, sed illud mirabile magis, quod agnitus sit à Magis. Nam quod Deum agnoscant, indicat adoratio, indicat thuris oblatio.* Rectè habetur omni miraculo mirabilius, quod puerulus Iudæus in vili præsepio positus excelsos nationum reges sibi deuinciat, & faciat esse diuinitatis coltores. Quod nupcos Isaias cap. 8. clamabat: *Isai. 8.* *Antequam sciat puer vocare patrem, aut matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ.* *D. Ambr.* De quo D. Ambros. lib. 3. io Luc. io fine: *Priusquam sciat vocare patrem, aut matrem, accipiet virtutem Damasci, & spolia Samariæ. Hic enim est puer, cuius incunabula Magi spoliis orientalibus referserunt, quia gens ante Christum incredula, de exuuiis idolorum, mutata iam fide, manubias obtulit Domino triumphales.* Et barbarissimæ nationes, & superbissimæ ad aspectum pauperis, & humilis pueri sic reformantur, vt dæmonum cultu exsibilato, veræ diuinitati, & aras constituant, & thura ponant. Post Iesum puerum ortum, diuinitatem veram halat, quidquid in nationibus virtutis olet. Ad hæc pulchre ipse puerulus diuinos aiebat, Cant. 4. *Cant. 4.* *Quàm pulchra sunt mammæ tuæ soror mea sponsa, pulchriora sunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua, & odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.* Dum inter vbera agit diuinus infans, illud inuenit, quod in gentium Ecclesia vestimenta sic oleant, sicuti thus olere solet, nimirum quod iam referant veræ diuinitatis cognitionem, imitationem. *D. Niss.* D. Nissen. hom. 8 in Cant. ait: *Tuum, ô sponsa, virtutum indumentum imitatur diuinam beatitudinem, per puritatem, & impatibilitatem assimilata natura, ad quam non patet aditus. Talis est enim, inquit, odor tuorum vestimentorum, vt sit similis thuri, quod Dei honori est dicatum.* Ex quo Iesus inter vbera apparuit, etiam è barbaris regibus, & hominibus apparent in gentium Ecclesia veræ diuinitatis cultores.

§. IV.

Sapientum incolumitas vt in Daniele, & Christo puerulo.

TEnebat sententia mortis eunctos sapientes Babylonios, inter quos etiam quærebatur occidendus Daniel sapientissimus, cui somnium explicanti, de iussu regis, & aræ, & thura apponuntur. Sic enim habes Dan. cap. 2. *Dan. 2.* *Et hostias, & incensum præcepit, vt sacrificarent ei.* Incensum Danieli appositum mortis detinuit cursum, properantis sapientes opprimere, & quæ iam iam spectabatur tragœdia, ex tunc comœdia cœpit esse amœnissima. Sic puerulo Iesu matris sugenti vbera Magus apponit thura, quo Magus viuit, & currentis per mundum mortis cursus sistuntur, Matth. cap. 2. *Matth. 2.* *Apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, &c.* Ecce tibi puerulo Iesu incensum apponitur, in quo, quia ostenditur humanitati iuncta diuinitas, fallar, nisi vel ad eius odorem mors quàm longissimè fugiat. Accipite ex Num. cap. 16. *Num. 16.* vbi mors sæuire cœperat in populum, ait Moyses ad Aaron: *Tolle thuribulum, & hausto igne de altari, mitte incensum desuper pergens cito ad populum, vt roges pro eis: iam enim egressa est ira à Domino, & plaga desæuit. Quod cum fecisset Aaron, & cucurrisset ad mediam multitudinem, quam iam vastabat incendium, obtulit thymiama, & stans inter mortuos, & viuentes deprecatus est, & plaga cessauit.* Ecce tibi dum mors currit deuastans populum, obiicitur ei incensum ab Aarone positum in thuribulo, & non vltrà progreditur. Quid timuit in incenso mors, vt ita ad eius odorem frænaretur? Iam tibi in incenso illo timebatur diuinitas Christi in carne existens, & latens. *Origen.* Ait Origen. hom. 1. super Numer. *Intuere stantem Pontificem, & obiectione quadam sui viuentes à mortuis dirimentem, & incensi mysterium erubuisse Angelum vastatorem, & in hoc mortem quidem finitam, vitam autem reparatam. Vide quomodo verus Pontifex Iesus assumpto batillo humanæ carnis, adiecto etiam incenso, qui est spiritus immaculatus, medius inter viuos, & mortuos stetit, & mortem non fecit vltra grassari, sed destruxit eum, qui habebat mortis imperium, vt qui credit in eum, iam non moriatur, sed viuat in æternum.* Vbi huius diuinissimi incensi compositio, nimirum carnis, & diuinitatis commercium apparuit; protinus vel ad eius odorem erubuit mors amplius grassari, & absorpta morte vita hominibus plausit. Quò respiciens ipse Dominus, Cant. 4. *Cant. 4.* ait. *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Cur post myrrhę mõtem apposuit thuris collẽ? In myrrha, mors intelligebatur; in thure autẽ, triũphus de morte, qualis fit per resurrectionem, in qua vita accedente manebit mors penitus absorpta. Sic Philo Carpathius ibi: *Philo.* *Ad montem myrrhæ, & collem thuris voluntarie accessit sponsus, vt non solum pro sponsa mortuus sepeliretur, sed & pro eadem resurgeret immortalis: ob id colli thuris eius caro assimilatur, quod post resurrectionẽ thuris instar, viua ligna germinatura erat.* Ex quo enim illud thus diuinitatis in Christo existentis expressiuum appareret, necessum erat, vt iura mortis corruerent, & viuidissimæ venæ aperirentur.

§. V.

Et in Daniele, & in Iesu lactente diuinitatis apparet sublimitas.

VIx somnij mysteria dixerat Daniel, & ecce tibi Nabuchodonosor rex, *hostias & incensum, præcepit, vt sacrificarent ei. Loquens ergo rex, ait Danieli, Vere Deus vester, Deus Deorum est.* Eo quidem tendebat incensum, vt Dei Daniel ostenderetur sublimitas, qua vniuersos superat. Quæ enim thura solebant offerri Idolis, ea propter Danielem offeruntur vni Deo Israelis, cum testificatione dicentis, *Vere Deus vester, Deus Deorum est.* Circa quæ ait Lyra: *Lyra.* *Hic ponitur pro dictis magnificatio Dei.* Se super omnes exaltauit gloria Dei, cui cum tanta testificatione potentissimus rex apposuit thura. Nec absimilis fuit exaltatio diuinæ gloriæ in puerulo Iesu, vbi ei lactenti adhuc sapientissimi Persarum reges thura obtulerunt. Ait enim de illis Matth. 2. *Matth. 2.* *Apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, &c.* Ad quid thus puero humili, & pauperi? Sane in paupertate illa, & humilitate puerili thure promebatur altissima eius diuinitatis sublimitas. Prouerb. *Prouer. 30.* 30. aiebat. *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cœlo* Septuag. ponunt: *Viam aquilæ volantis, &c.* Abstrusissima est via aquilę volantis in cœlum, & quæ humanam inuestigationem pertranseat. Sed cuius aquilæ tam incognita est vis? Ait D. Isidor. apud Delrium in Adagial. *D. Isidor.* *Via aquilæ volantis, hoc est diuina filij natura, quæ nullo humano ingenio comprehendi potest. Et vestigia sua non cognoscentur, ait diuinus Spiritus in Psalmis.* Huius tamen aquilæ vestigia & cognita, & inuenta sunt à barbarissimis regibus Persarum, dum procidentes ante puerum Iesum, ei thura cœperunt sacrificare. Ait Rup. lib. 2. in Matth. *Rupert.* *Thure faciem aquilæ volantis inuenerunt, id est, sublimitatem ascensionis, & confessionis ad dexteram Patris.* Altissimos supra cœli cardines volabat aquilina progenies, Verbum Patris, adeo, vt eius vestigiis à nulla possent creaturarum inuestigari. Accedunt interea Magi, puerum Iesum vident in sinu matris, illique thura sacrant, & notos reddunt hominibus perpetes diuinæ aquilæ volatus. Vbi enim à sapientum manibus thura puerulo Iesu dantur, necessum erat eius humanitatem ostendi vsque ad diuinitatis solium exaltatam. Mirabundi Angeli in Iesu sponsa id stupebant Cant. 3. dum aiunt: *Cant. 3.* *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Equidem Ecclesia gentium iam tunc videbatur ascendere, quando adhuc desertum erat, quando nondum apparebat populus Christianus; tunc, inquam, in hoc deserto apparebat Ecclesia gentium ascendere, & odorem Iesu per orbem exhalare, dum Ierosolymis interrogat de puero nato. Et qualiter apparebat Ecclesia gentium? *Sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris;* circa quæ verba aiunt tres Patres apud Theodoretum: *Theodor.* *Virtute, quasi myrrha, cum carnis sensum mortificaret, fragrat; scientia vero, quasi thure, tanquam veritatis notis se ipsam diuinam imaginem ostendit.* Relinquo illud, quod myrrha fragret, illud pondero in præsenti, quod scientia, quasi thure se ipsam diuinam ostendit imaginem. In sapienti enim thuris munere gentium Ecclesia non solum in se vestigia referebat diuinitatis, sed expressissimam imaginem, vt iam inde pateret Dei sapientia incarnata apud homines conuersari.

§. VI.

§. VI.

In Daniele, & in Iesu cordi erat hominibus saluator.

NOn dicitur Nabuchodonosor obtulisse thus Danieli, sed dicitur præcepisse, vt alij offerrent. Ait enim textus: *Incensum, præcepit, vt sacrificarent ei.* Circumstabát sapientes vniuersi Babylonij mortis sententia damnati, nisi reuelatio somnij fieret; & omnes pendebant ab ore Danielis: iis ergo præcepisse crediderim regem, vt incensum sacrificarent Danieli, quod ipsi libenter peragerent in Daniele suum seruatorem diligentes. Incensi exhibitio à rege imperata sapientes Babylonios allexit erga seruatorem suum Danielem, vt incensi exhibitio sapientes Persas ostẽdit maximè affectos erga Iesum, quem ab ipsis incunabulis seruatorem suum amabant, colebant, & omnibus amabilem proponebant. Hoc enim exprimebatur in exhibitione incensi. In 1. Reg. 2. dicitur: *Venit autem vir Dei ad Heli, & ait ad eum, Hæc dicit Dominus. Nunquid non aperte reuelatus sum domui patris tui, cum essent in Ægypto in domo Pharaonis? Et elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in Sacerdotem, vt ascenderet ad altare meum, & adoleret mihi incensum.* Ecce tibi quasi magnum beneficiũ obiicitur domui Heli, quod electa fuerit, vt ascenderet ad Dei altare, & ibi adoleret incensum Deo. Et quid erat, quod Patribus illis permittebatur, & ascensus altaris, & incensio incensi? In altari saluator exprimebatur, in incenso autem ostendebatur, quam erga saluatorem suum omnium animi incenderentur. Ait enim D. Greg. lib. 2. in præsenti: *Pater ergo Heli ideo in sacerdotem electus à Domino est, vt ad altare ascenderet; quia ordo doctorum veterum ad hoc subiecto sibi populo præfuit, vt humani generis reparationem in redemptoris aduentu futuram prædicaret. Et incensum adoleuit: quia eis, quem futurum redemptorem prædicat, per desiderium auditorũ corda conuiuxit.* Huc, mihi crede, spectabant thuribula vetera, vt saluatoris odor spargeretur, & in eius amorem vniuersi homines incenderentur. Quot grana incensi cremabantur, tot pro saluatore excitabantur in populo affectus. Hinc de Zacharia locutus Lucas cap. 1. *Secundum consuetudinem sacerdotiũ exiit, vt incensum poneret ingressus in templum Domini, & omnis multitudo populi erat foris orans hora incensi.* Cur tam accurate exprimitur incensi hora, & incensi oblatio, dũ Zacharias ingreditur obtenturus promissioné filij, qui Christum præcedat? Merito ad hoc notatur hora incensi, vt ostendatur populi, sacerdotisque vota pro Christo saluatore esse. Chrysol. ser. 86. *In hora incensi fratres, iam Sol Iudaico occumbebat in templo, vt in Ecclesia matutinus exurgeret, legis obscurabatur dies, vt totus relucerct in gratia. Hinc est, quod Zacharias hora incensi prophetali spiritu incensum infert: offert preces, desideria ingerit, vota commendat, exigit Christum.* Vbi instabat hora incensi, & pro Christo seruatore vota omnium instabant, & preces, & desideria.

1. Reg. 2. — *D. Greg.* — *Luc. 1.* — *Chrysol.*

§. VII.

Cœleste regnum apparet, vbi creaturæ deficiunt, & in Daniele, & in Christo.

COelestis regni mysterium, quod & Regi, & sapientibus Babyloniis absconditum fuit, Danieli reuelatum apparuit, & quando Danieli reuelatur? Ait textus c. 2. *Tunc Danieli mysterium per visionem nocte reuelatum fuit.* Cum nox vniuersas creaturas oculis Danielis subduxerat, tunc illi patuit cœlestis regni pictura. Et in Daniele, & in Christo cœlestia mysteria aperiuntur, cum in noctis tenebras creaturæ festinant. Hinc Matth. 2. ingredientes Ierosolymam Magi clamant: *Vbi est, qui natus est rex Iudæorum? Vidimus stellam eius in oriente, & venimus cum muneribus adorare eum.* Ecce tibi qualis index datur cœlestem œconomiam Regibus ostensurus, nimirum stella, vt enim cœleste regnum appareat, non diei lux, sub qua mundialia bona splendent, sed facem præferunt nocturna sydera, sub quibus illa absconditur. Ait D. Chrys. ser. 157. *Vidimus stellam eius. Stellam non legiferam, sed signiferam, ferentem non dierum ordinem, sed noctium lumen.* Oritur Sol, & dies esse incipiunt, & ob hominum oculos mũdialia omnia prosiliunt: at enim cadente Sole omnia in tenebras noctis festinant; & interea emicans stella mortalium oculis ostẽdit cœlestem pulchritudinem. Nunquam enim citius cœlestia apparent, quam vbi nocturna lumina mundum in tenebris relinquunt. Vis homo cœlestibus imbui? Abiice creaturas, quo enim harum pauciores tibi affulserint, eo certius cœlestia omnia percipies. Accipe Magos Matth. 2. dicentes: *Vidimus stellam eius*: quasi vnam cœlestis regis stellam solam viderunt. Apocal. autem c. 12. ait: *Et signum magnũ apparuit in cœlo: Mulier amicta Sole, Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.* Duodecim stellæ radiant è vertice cœlestis fœminæ, è vertice autem Christi existentis in mundo vna sola stella fulgurat. Cur Deus tot stellis ornas fœminam, quando in natiuitate tua vnam Persis regibus stellam præmittis? Ibi dantur stellæ ad gloriæ ornatum, hic ad ducatum viæ; dum autem sumus in via, quo nobis pauciores creaturæ affulgeant, eo certius, & securius ad cœlestia proficiscimur.

Dan. 2. — *Matth. 2.* — *Chrysol.* — *Matth. 2.* — *Apoc. 12*

§. VIII.

In Christo, vt in Daniele, reparantur omnia, quæ Iudæis eripiuntur.

QVi Iudæos prostrauerat Nabuchodonosor, & regno, & patria expulerat; Danielem exaltat, & regnis præficit, & prouinciis. Sic cap. 2. *Tunc Rex Danielem in sublime extulit, & munera multa, & magna dedit ei, & constituit eum principem super omnes prouincias Babylonis, &c.* Et principatus & libertas, & fortunæ Iudæis ereptæ, sic vniuersæ Danieli restituuntur. Vt sic in Danielis figura euidentius pateat puerulus Iesus, in quo solo Iudæorum instauratur gloria, & Respublica. A Perside venientes Reges dum Bethlehemitici stabuli porticum intrant, puerulũ in vlnis matris vident, quem vt adorant Matth. 2. *Apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Cur his præcipue muneribus voluerunt cunabula ornare pueri diuini? Pulchrè rem attigit Euthymius in præsenti: *Quia Reges Babylonis Ierusalem quondam expugnauerant, ac diuinos thesauros deprædati fuerant, & hostias cessare fecerant, populumque iugulauerant; regnum autem Babylonis vna cum suis thesauris ad Persas deuolutum erat, ideo afferunt Persæ Babyloniorum hæredes Domino templi, quod tunc contumelia affectum fuerat, aurum quidem pro sublatis auri thesauris, thus autem pro hostiis, myrrham vero pro iugulatis.* Ecce tibi vt omnia antiquitus Iudæis erepta in Christo instaurantur. Turpiter fallitur Iudæus, si suam putat redintegrari posse Rempublicam nisi in Christo. Christianus halitus est, qui potest instaurare Iudæorum ruinas. Apud Lucam cap. 7. Pharisæi dum Romani Centurionis excusam agunt apud Iesum, inquiunt de illo: *Diligit gentem nostram, & Synagogam ipse ædificauit nobis.* Circa quæ eleganter, & acutè D. Chrysolog. serm. 102. ait: *Audistis, quia semper diruta est Synagoga, & iacet ingiter in cæmentis, nec cœlestem surgit in fabricam, nisi eam in Ecclesiæ culmen Christianus fabricator instruxerit.* Et quidem dum non attenditur Christus, nihil aliud in Iudæis apparet, quam ruina, quàm calamitas, in vno Christo eorum potest instaurari fœlicitas.

Euthym. — *Luc. 7.* — *D. Chrys.*

PARS SECVNDA.

Moralia circa textus literam.

QVam prætulerit Iesu facem Daniel à Nabuchodonosore adoratus, & incenso adhibito cultus, pro viribus ponderare curauimus, vocamur iam ad prophetæ textum, vt inde moralem nucleum educamus.

Dan. 1. Anno tertio regni Ioacim regis Iuda, venit Nabuchodonosor rex Babylonis in Ierusalem, & obsedit eam, & tradidit Dominus in manus eius Ioacim regem Iudæ, & partem vasorum domus Dei: & asportauit ea in terram Sennaar, in domum Dei sui, & vasa intulit in domum thesauri Dei sui. Et ait rex Asphenez præposito eunuchorum, vt introduceret de filiis Israel, & de semine regio, & tyrannorum, pueros in quibus nulla esset macula, decoros forma, & eruditos omni sapientia, cautos scientia, & doctos disci-

plina, & qui possent stare in palatio regis: vt doceret eos literas, & linguam Chaldæorum.

§. I.

Calamitas vltima regni, quòd sacra prophanentur.

NOn satis explicata esset Iudæorum miseria, si ipsi detenentur à patria expulsi, si eorum rex ostenderetur captiuus, nisi & illud additum esset, quod sacra templi vasa à prophanis capta in terram fuissent delata prophanissimam. Ait enim textus: *Tradidit Dominus in manu eius Ioacim regem Iuda, & partem vasorum domus Dei, & asportauit eam in terram Sennaar, &c.* Hæc vltima calamitas regni cuiusque, quod prophanantor sacra, quod contemptui habeatur sacramentorum religio. Sanè dum Romani sub Pompeio Ierosolymam expugnant, nil sic timet Herodes, quam quod templi sacra irreuerenter tractentur à gentibus. De illo enim ait Egesippus lib. 1. de Excid. Ierosol. cap. 31. *Fluctuare Herodes quomodo Romanorum manibus eriperet patriam, quomodo templum à gentilibus incoinquinatum reseruaret. Festinabant enim Romani spectare mysteria interiora, prophanare sancta sanctorum. Rex vero nunc precari, nunc minis remouere singulos, fuga deteriorem arbitratus victoriam, si quid sacramentorum diuulgaretur.* Itaque prudens homo ipsam victoriam, & triumphum contemnebat, si esset cum sacrilegio coniunctus; nec reputabat exilium, aut fugam, aut ruinam, dum sacra omnia manerent immunia. Hinc 2. Machab. 3. dum Heliodorus mittitur ab Antiocho, qui templi thesauros scrutetur, quasi in vltimam calamitatem inciderent, sic sese Iudæi in lacrymas effundunt. Ait enim textus: *Alij etiam gregatim de domibus confluebant, publica supplicatione obsecrantes, pro eo quod in contemptum locus esset venturus. Accinctaque mulieres cilicijs pectus, per plateas confluebant, sed & virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam, aliæ autem ad muros, quædam vero per fenestras aspiciebant. Vniuersæ autem protendentes manus in cœlum deprecabantur. Erat enim misera commista multitudinis & magni sacerdotis in agone constitute expectatio.* Quæ alia esset facies extremæ calamitatis? Et omnia hæc fiebant, *pro eo, quod in contemptum locus esset venturus:* & merito sic se totus populus macerabat, quando timebatur, quod sacra prophanarentur, & in contemptum & subsannationem existerent. Hinc post ruinam Israelitarum, 1. Reg. 4. venit nuntius ad Heli: *Fugit inquit, Israel coram Philisthiim & ruina magna facta est in populo. insuper & duo filij tui mortui sunt, Ophni, & Phinees, & arca Dei capta est. Cumque ille nominasset arcam Dei, cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est.* Audit imperterritus ruinam exercitus, & filiorum mortem, vbi autem percipit arcæ captiuitatem, & prophanationem, tanti mali excessum sustinere non potest. De quo Abulens. quæst. 18. in præsenti: *Cum audisset filios suos occubuisse, quasi nihil motus est, expectans, quid diceretur de arca. Cum vero audiuit arcam captam fore, elanguit cor eius, & non remansit in eo spiritus.* Bonus vir illam solam putauit calamitatem non ferendam, in qua populus sacris destitueretur, in qua sacra prophanarentur. Sed & Heli nurus, *audito, quod capta esset arca Dei, & mortuus esset socer suus, & vir suus, incuruauit se & peperit: irruerant enim in eam dolores subito. Et vocauit puerum Ichabod, dicens, Translata est gloria de Israel, quia capta est arca Dei.* Non cum exercitus fusus est, non cum mortui viri, sed cum captam arcam vidit, reputat omnem gloriam Israelis funditus periisse. Ad hæc Abul. quæst. 19. *Non punitur de ruina populi, scilicet, quod perissent triginta millia; sed intolerabiliter doluit pro captione arcæ, & quanquam alia animum afflixerint hanc mulierem, magis tamen afflixit captio arcæ. Nam pro illa imposuit nomen filio suo Ichabod, dicens, translata est gloria de Israel.* Quæ enim gloria posset manere in populo, cui sacra eripiebantur, & prophanabantur?

Egesipp.

2. Mac. 3.

1. Reg. 4.

Abul. 18.

Abul.

§. II.

Regalissimi principis est sibi adstantes quærere, à quibus possit in sapientia institui.

HOc video regalissimum in Nabuchodonosor, quod è nobilibus, eruditisque, & sapientibus iuuenibus eos eligat, quos sibi adstitutos designet. Quippe ait textus: *Et ait rex Asphenez præposito eunuchorum, vt introduceret de filijs Israel, & de semine regio, & tyrannorum pueros, in quibus nulla esset macula, decoros forma, & eruditos omni sapientia, cautos scientia, & doctos disciplina, & qui possent stare in palatio regis.* Fallar, si aliquid sit regalius in principe, quam hoc, quod amet viris familiaribus ministris, quorum sapiẽtia, & disciplinis possit institui. Athalaricus rex sic commendabat senatorem familiarem suum. Cassiod. 9. var. 24. *Egisti rerum Domino iudicem familiarem, & internum procerem. Nam cum esset publica cura vacuatus, sententias prudentum à tuis fabulis exigebat, vt factis propriis se æquaret antiquis. Stellarum cursus, maris sinus, fontium miracula rimator acutissimus inquirebat, vt rerum naturas diligentius perscrutatus, quidam purpuratus videretur esse philosophus.* Hoc ad regalissimi principis pertinebat præconium, quod eo vteretur familiari, a quo & naturæ mysteria, & sententias prudentum exquirere posset, vt sic ad veterum laudes se ipse componeret. Vtinam iis familiaribus principes vterentur, in quorum sapientia, & prudentia exaugenda tempus contererent. Apud Esdram lib. 3. cap. 3. *Darius rex ascendit in cubiculum, & dormiuit, & expergefactus est. Tunc illi tres iuuenes corporis custodes, qui custodiebant corpus regis, dixerunt alter alteri: Dicamus vnusquisque nostrum sermonem, qui præcellat, & cuiuscumque apparuerit sermo sapientior alterius, dabit illi Rex Darius dona magna, &c.* Itaque rex expergefactus a somno statim excipit disputationem iuuenũ, qui custodiebant corpus regis, & rege iudice ipsi iuuenes longam, & sapientissimam disputationem texunt. In quo regalissimum Darij patet ingenium, quod talibus custodibus delectetur, quorum disputationibus sapientiæ nec dum à somno expergefactus interfit. Ibi Lyra fatur: *Rex volebat vigilare, & ex hoc custodes corporis sui habuerunt occasionem ponendi inter se quæstionem ad faciendum regi solatium, & ex hoc patet prudentia regis, qui magis volebat transire tempus in aliquo vtili, quam in ludis inhonestis, aut nullius vtilitatis.* Ecce tibi quales regij corporis custodes adhibebantur, nimirum qui disputationes texere apud regem scirent, illasque pulchra & sapienti oratione exornarent: & tunc maius gaudium solatiumque putarent regi afferre, cum propositiones suas argutius probarent. Fœlix rex, qui iis custodibus & familiaribus gaudet, qui tempus terit in disertis, & vtilibus disputationibus auscultandis; huic non longa præcepta de optimo, & felicissimo regnandi modo traderet D. Synesius, quando ipse lib. de regno ad Imperatorem ait: *Videam à te Philosophiam cum imperio coniunctam, neque amplius de regno disserentem, me quisquam audiet.* Sanè non est, cur præceptis oneremus regem illum, qui Philosophos, & sapientes amat auscultare, ex quorum consuetudine illud habebit, quo regnum fœlicissime statuat.

D. Synes.

§. III.

Sermonis cultus in aula necessarius.

PRudentissimus rex non solum sapientiam requirebat in suis familiaribus, sed & culturam linguarum: iubebat enim de aulicis ministris, illorum Præfecto, *vt doceret eos literas, & linguam Chaldæorum.* Necessarius semper est sermonis cultus in aulicis, qui frequenter cum rege verba faciunt. Vnde apud Cassiodor. lib. 9. var. 25. commendatur disertissimus senator, dum dicitur: *Qua enim compensatione commendandus est, qui aures dominantium lucalenta sæpius prædicatione compleuit? Trahebat regnantis animum veritas, & disertitudo dictorum, cui sic omnia retulit, vt miraretur ipse, qui fecit. Allegauit solus, quod omnes vouaret. & dum purpuratus auditori suo ferias laudis, gratiosum nobis nostrum fecit imperium. Commendat enim suam gentem, qui oratione placabili permulcet regiam summitatem.* Ecce tibi vnius aulici lingua pulchro sermone exculta, quot, & quantas pariebat vtilitates, placido sibilo permulcebat regias aures, vt inclinatiores, & attentiores fierent subditorum causis, quæ de oratoris beneficio apud regem commendabiliores apparebant, vt sic ab vnius oris sale veniret, quod subditi gratiores essent regi, & rex beneficentior in subditos staret. Ideo sapiens regina Esther in summo populi discrimine apud regem actura, hoc maximè à Deo postulat cap. 14. *Tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis.* Non sic sapientiam expostulat, vt cultum sermonem, & ornatum, vt furentem regis animum edomaret, sciebat enim prudens fœmina, quam valeret in aulis sermonis cultus, & quam potens in illis sit oris gratia, vt regem teneat subditis placabilem. Et crede mihi in aula, in qua splendor linguæ non affulget, raro inuenietur splendor virtutum aliarum. D. Synes. lib. 1. de Prouident. vbi fœlicissimum Osiridis regnum exaltat, sic fatur: *Ita omnis eruditionis amor, tam eius, quæ ad animi, indicisque informationem*

Cassiod.

Esth. 14.

Synes.

formationem pertinet, quam qua in linguarum varietate posita est. noua in dies incrementa capiebat: nam qui in ea re praestarent catera, non tam gregarii, plebeiique erant, sed amplissimis à rege honoribus afficiebantur, quod eam artem profiterentur qua artis, sapientiaque ministra est, sententia enim dum prodeunt, ipsa quemadmodum oratione vestiuntur, ea vero si concinne, scitusve ornata fuerint, aut speciosa esse, aut decore carere videntur. Ostius ergo illa liberalium disciplinarum rudimenta magni à suis fieri cupiebat, eruditionemque fontem esse virtutis arbitrabatur. Itaque bonus rex viros sermonis politi, & culti maxime extollebat, merito credens in linguæ politione, & cultu, aulicarum virtutum plurimum stare; & inde à claritate, & splendore sermonis clara etiam & splendida facinora dimanare. Et quando splendens lingua non etiam ostendit splendida facta? Paul. 1. ad Corint. 11. *Dominus quidem Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit: Accipite, &c.* Dum panem vitæ porrigit, quo in opera virtutum saginamur, primo sese in diuinas effundit laudes: & cur prius linguæ splendorem ostendit in actione gratiarum, quam manibus porrigat vitæ panem? Ait Clemens Alex. 1. Stromat. *Propterea ergo seruator, cum panem accepisset, primum locutus est, & egit gratias. Quemadmodum autem, qui mala vtuntur oratione, nihil differunt ab iis, qui malo facto vtuntur: calumnia enim est ministra gladii, & dolorem affert maledictum, ex quibus est vita excessio, hac autem fuerint opera improba orationis: ita etiam qui bona vtuntur oratione, prope accedunt ad eos, qui bonis factis vtuntur.* Præmittit Dominus linguæ claritudinem ante viuifici largitionem panis: in lingua enim adeo splendida, & pulchra, quæ solum nouit alios exornare, & solum soluitur in laudes decantandas, iam ostendebatur clarissimum viuificæ struendæ mensæ facinus. Sic in aulicis ministris, linguæ splendor, & cultus, & ornatus prænuntius est, quod à tanta sermonis gratia, gratiosissima & magnificentissima prosilient in populares facta.

1. Cor. 11. — *Clem. Alex.*

§. IV.

Regnantis lingua addiscenda à subditis, qui velint deuotum regi exhibere animum.

QVos iuuenes ab Hebræorum Regiis in suam transferre mandat Nabuchodonosor, vt sibi assistant, præterquam quod vult eos esse in scientiis exercitatos, in sermone politos, insuper mandat Chaldaico sermone diligentissime instrui. Ait enim textus, *vt doceret eos litteras, & linguam Chaldæorum.* Merito Rex Chaldæus in aulicis suis requirebat Chaldæorum linguam, inde enim maxime se subditos regi deuotum exhibet, si etiam peregrinus regnantis lingua loquatur. Sic Athalaricus rex apud Cassiod. lib. 8. var. commendans Patritium Cyprianum fatur: *Quando talium filiorum pater effectus es, natura ipsa videris esse patritius. Quorum bona vernantia non est absurdum referri, quoniam educantium felicior laus est, de filiorum probitate laudari. Primum, quod non minima laudis præstat initium, infantia eorum nota est palatio. Sic fætus tui more Aquilæ se probantes regales oculos ab ipsis pene cunabulis pertulerunt. Relucent etiam gratia gentili, nec cessant armorum imbui fortibus institutis. Pueri stirpis Romanæ nostra lingua loquuntur: eximie indicantes exhibere se nobis futuram fidem, quorum iam videntur affectasse sermonem.* Expende, vnde sapiens rex probet horum iuuenum fidem sibi firmiter adhæsuram, nimirum, inde, quod Romani cum essent, gothicam didicere linguam, cum seruire affectabant gotho principi. Sanè illi te profiteris fidelem, & deuotum, cuius sermonem affectas, & curas te illi similem ostendere vel in linguæ sono. Gen. cap. 11. dum homines vnanimiter conuenerant, in turris Babelis ædificatione, dicebat Dominus ad Angelos suos: *Venite confundamus ibi linguam eorum:* quibus verbis putat Origenes Angelos adductos esse à Domino, vt varias linguas disseminarent inter homines, sic diuidentes gentem in varias nationes, quarum singularum fierent singuli Angeli custodes. Quippe ait Orig. hom. 11. in Num. *Venite, confundamus linguam eorum: quid aliud putandum est, nisi quod diuersi Angeli diuersas in hominibus linguas operati sunt ac loquelas? Vt, verbi gratia, vnus aliquis fuerit, qui Babylonicam vni hominum impresserit linguam; alius, qui alii Ægyptiam, & alius, qui Græcam, & sic diuersarum gentium ipsi illi fortasse principes fuerint, qui & linguarum, ac loquela videbantur authores, manserit autem lingua per Adam primitus data, vt putamus, Hebræa in ea parte hominum, quæ non pars alicuius Angeli, vel principis facta est, sed Dei portio permansit.* Habes ex Origene, quod diuersarum nationum custodes Angeli diuersas linguas in suis disseminarunt, & quod lingua illa primitiua, in qua Adamus locutus, in eo populo manserit, quem sibi Dominus peculiari ratione designauit. Sed cur in Dei peculiari populo lingua primitiua Adami permansit? In ea lingua non solum locutus fuerat Adamus, sed & Deus primo locutus cum Adamo apparuit, merito ergo qui populus Deo peculiari titulo asserebatur, in ea etiam lingua permansit, in qua Deum fuisse locutum constabat. Præclarè enim se fidelem, & addictum illi Domino protestabatur, cuius vel sermonem æmulabatur. Non parum enim homo se homini commendat, cuius se ostendit lingua studiosius ornatum.

Cassiod. — *Gen. 11.* — *Origen.*

§. V.

Fœlicior qui semper stat in mediocri statu, quàm qui per crebros casus summas percurrit fortunas.

VIde fortunam, quam Nabuchodonosor selectissimis quibusque iuuenibus mandat, nimirum, de illis ait, *qui possint stare in palatio regis.* Cur non ait, qui possint exaltari, & extolli in palatio? Qui enim quærebantur, de regio sanguine erant, docti erant, in omni scientia, & disciplina strenue exercitati, quos merito expeterent supremi regni gradus. Cur ergo de iis locutus rex, non ait, quod possint extolli, & exaltari, sed tantum dixit, quod possint stare in palatio Regia? Non multum curauit Rex de exaltatione, sed de honoris stabilitate, quod enim quis stet firmus in honore, quin videat casum, hoc fœlicitatis est maximæ, licet mediocris sit honoris habiti gradus. Sapienter Sidon. Apollinaris, lib. 1. epist. 6. principis cuiusdam amici sui genium lamentatur, qui gloriabatur se è crebris, & durissimis casibus per summas fortunas euolasse. Quippe ait prudens vir: *O quoties sæpe ipso se aduersa perpessum gloriabatur! Cum tamen nos ab affectu profundiore ruituram eius quandoque temeritatem miseraremur, definientes non esse fœlicem, qui hoc frequenter potius esse, quam semper iudicaretur.* Sane qui propter superata frequentia discrimina, propter superatos frequentes casus fœlix dicitur, licet in supremas fortunas abeat, minus fœlix est, quam illa, qui perenni, & firma gaudet fœlicitate, licet mediocris sit illius honoris gradus. Ride fœlicitatem etiam summam, quæ casibus intercipitur. Pincerna Pharaonis dignitate exutus, in carcerem truditur Gen. 40. ibi illi restitutionem dignitatis, & regis gratiam prædicit Iosephus ex somnii interpretatione: Ait enim; *Tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharao ministerii tui, & restituet te in gradum pristinum.* Quantula hæc fœlicitas hominis! Merito in somniis hæc fœlicitas apparuit, vt ostenderetur non fœlicitas, sed fœlicitatis somnium esse, quæ tanto casu fuerat interrupta. Ait D. Amb. lib. de Ioseph, cap. 6. *Sibi beatus videbatur, cum esset vini præpositus: & hunc summum credebat apicem omnis potentiæ, quod regi calicem dabat. Hæc gloria illius, hæc magnificentia in hoc sæculo; hac defraudatus dolebat, huic redditus gratulabatur. Sed hoc somnium est, &c.* Expende illa, nimirum, *hac defraudatus dolebat, huic restitutum gratulabatur,* merito enim non habetur gloria, sed somnium, quæ tales vices patitur, quæ in perditione & restitutione est. Illa solidior, & verior gloria, quæ nullas patitur vices, quæ nunquam in discrimine versatur, sed semper in suo splendore est, licet hic mediocris videatur. Hinc D. Nazianz. ridet summas mundialium fortunas, & æstimat Christianam mediocritatem suis orat. 25. *Angusta mihi caula? Sed quæ lupis non pateat, sed quæ latronem non admittat, nec à furibus, & exteris transcendatur. At mihi grex exiguus? Sed in præcipitia non fertur.* Hoc vnum ad veram pertinet fœlicitatem, quod bonum habitum sit stabile, nullas vices discriminum patiatur: fœlix non est, qui vicibus subiectus est, qui in nouacolæ acie frequenter versatur.

Sidon. Apol. — *Gen. 40.* — *D. Amb.* — *Nazian*

Dan. 1. Et constituit rex annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino vnde bibebat ipse, vt enutriti tribus annis postea starent in conspectu regis. Fuerunt ergo inter eos de filiis Iudæ Daniel, Ananias, Misael & Azarias. Et imposuit eis præpositus eunuchorum nomina: Danieli Balthassar; Ananiæ Sidrach; Misaeli Misach, & Azariæ Abdenago. Proposuit autem Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensa regis, neque de vino potus eius: & rogauit eunuchorum præposito,

ſito, ne contaminaretur. Dedit autem Deus Danieli gratiam, & miſericordiam, in conſpectu principis eunuchorum.

§. VI.

Regij ſanguinis ſplendor non verbis, ſed operibus ab ingenuo viro oſtendendus.

IVſſerat rex, quod pueri eligerentur *de ſemine regio, & tyrannorum*, vt autem ſe inter electos annumerat Daniel ſolum dicit. *Fuerunt ergo inter eos de filiis Iuda, Daniel, &c.* Tribum oominat, regium ſemen noo meminit, & quidem clarius oſtenderet adimpletam iuſſionem regis, ſi vt dixit, Fuerunt de filiis Iudæ, dixiſſet, fuerunt de ſemine regio: cur ergo prætermiſit nominare ſemen regium? Pulchre Theodor. in Gloſſa: [*Thod.*] *Lice illius inueni modeſtiam. Cum enim ſupradixerit electos à ſtirpe regia iuuenes formoſos, & doctos, & hæ perſonarum nomina poſuerit, tribus Iuda ſimpliciter mentionem fecit, & regiam cognationem occultauit.* Vere in hoc regius, & nobilis adoleſcens, qui noluit dicere, ſed probare ſuam ſtirpem regiam, abſtinuit à verbis, vt melius nobilitas regia operibus oſtẽderetur. Sic Ieſus Matth. 27. [*Matth.27.*] inter calumnias accuſatorum, inter iniurias furentium, dum reus ſiſteretur Pilato, ab illo interrogatus, *non reſpondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur præſes vehementer.* Cur Domine non reſpondes? Cur tuam regiam ſtirpem non manifeſtas? Cur non magis diſputas de regno tuo, de maieſtate ſua? Non erat veri regis, veri nobilis præſtantiam ſanguinis proclamare verbis, ſed operibus illam oſtendere. D. Amb. lib. 10. in Luc. [*D.Amb.*] *Cur Dominus tacuerit, ipſe præmiſit, dicens, ſi dixero vobis, non credetis mihi. Illud tamen præſtantiſſimum, quo maluit regem ſe probare, quam dicere.* Merito hoc dicitur præſtantiſſimum in Chriſto Domino, quod & in quouis alio viro præſtantiſſimum etiam eſt, ne vllus regiam ſtirpem ſuam, ſiue nobilitatem ſuam malit dicere, quam probare. Pertinet enim maxime ad præſtantiam originis, quod non verbis, ſed operibus demonſtretur: adeo, vt nemo ſe euidentius nobilem oſtendat, quam qui verbis demiſſionem, factis autem oſtendit dignitatem. Ieſus Dominus apud Ioan. cap. 11. ſuſcitaturus Lazarum, [*Ioan.11.*] hæc ad patrem verba facit: *Pater gratias ago tibi, quia audiſti me, ego autem ſciebam, quia ſemper audis me.* His dictis ad ſepulchrum peruenit, & clamans voce magna ait: *Lazare veni foras.* Cur cum reſuſcitat, oon ibi etiam prætendit nomen patris? Antea patrem nominat, & gratias agit, in ipſo autem opere ſuſcitationis, minimè pronnotiat patrem. Cur in opere non nominat patrem, quem antea nominabat? Sanè vbi ſolis verbis agebat, & Patrem nominat, & ſeſe aliquo modo ſubiectum oſtendit patri, vbi ad opus peruenit, noo demiſſe, ſed cum poteſtate operatur, vt factis oſtendatur non ſubiectus, ſed conſubſtantialis patri. D. Baſil. Seleu. orat. 42. [*Baſil.Sel.*] *Cur non dicit, in nomine patris mei, prodi foras? Cur non dixit: Pater eum vitæ reſtitue? ſed his omiſſis omnibus in ſpeciem precantis compoſitus, rebus ipſis auctoritatem manifeſtat. Hoc enim ſapientiæ eſt, verbis demiſſionem animi, factis poteſtatem demonſtrare.* Hæc erat Chriſti Domini ſapientia, & ingenuitas, quod verbis demiſſionem, imo abiectionem oſtentaret, factis autem maieſtatem, & poteſtatem. Vt verba eius ſemper demiſſionem prætendebant, ſic facta maieſtatem proclamabant. Hoc in veris nobilibus inuenitur, qui ſemper ſuam præſtantiam occultant verbis, quam produnt factis. Et contra in falſis, ſolæ voces audiuntur nobilitatis, & præſtantię. Vt dicat Dominus Sophon. cap. 1. iuxta Septuag. [*Sophon.*] *Auferam de loco nomina Baalim, & nomina ſacerdotum.* Baalim idem ſonat, *ac in ſublimioribus*, quaſi minetur Dominus nomina ſublimiorum auferenda. Sed cur auferenda erant ſola nomina ſublimiorum? Cur oon magis ipſi ſublimiores auferantur? Sanè mundiales ſublimitates nihil aliud habebant præter vocabula: ſolæ ſublimitatum voces remanſerant, præter has nihil aliud, vnde ſi ſola ſublimitatum, & dignitatum auferantur vocabula, procul dubio vniuerſę euaneſçent mundi ſublimitates.

§. VII.

Præſtantiſſimi, fideliſſimique viri eſt, quod non habeat virtutem loco, aut tempori alligatam.

NOn Ieroſolymis, vbi ciborum delectus habebatur, vbi à cibis immundis contaminatio timebatur, ſed Babylone erat Daniel inter multitudinem ſine metu, ſine horrore currentem ad quaſcumque epulas. Et Babylone *propoſuit Daniel in corde ſuo ne pollueretur de menſa regis, & rogauit Eunuchorum præpoſitũ ne contaminaretur.* Quid præſtantius? Quid fidelius? Sane præſtantiſſimi, & fideliſſimi viri eſt, quod eius virtus non ſit loco, aut tempori alligata, ſed ſemper, & vbique appareat. Merito ad hæc Theodoretus ait: [*Theodor.*] *Ingens autem hoc loco licet nobis reperire miraculum. Pueri apud Iudæos educati, doctique Deum in certo loco quærendum, deinde externam regionem incolentes, ſeruire compulſi, iuuenili ætate, patriam pietatem retinere ſtudent. Et conculcata regij conuiuij voluptate, ſupplicant regiorum ciborum expertes eſſe.* In loco certo Deus Ieroſolymis colebatur, locum mutauit Daniel cum locus, in Babylonem vſque raptus, ſed oon mutauit virtutem, non mutauit pietatem: vbique abſtemius oſtenditur, vbique cauet contaminari cibis prophanis, nec reputat virtutem eſſe loco alligatam, quod adeo præſtantis virtutis indicium eſt, vt merito tribuatur miraculo. Quam patrius locus exigebat virtutem, eam referunt etiam in regiooe barbara, & agentes inter barbaros. Placet Naamanum memorare, qui potentiſſimum Iſraelis regem, & Deum recognoſcens ſic apud Eliſeum dicitur oraſſe. 4. Reg. 5. [*4.Reg.5.*] *Non faciet ſeruus tuus vltra holocauſtum, aut victimam diis alienis, niſi Domino. Hoc autem ſolum eſt, de quo depreceris Dominũ pro ſeruo tuo, quando ingreditur Dominus meus templum Remmon, vt adoret, & illo innitente ſuper manum meam, ſi adorauero in templo Remmon, adorante eo, in eodem loco.* Cauebat regis idololatræ conſortium in adoratione, at minime cauebat adorationem præſtandam vero Domino etiam in falſi numinis domo. Quam enim religionem apud Iſraelitas biberat, ſic firmiter habebat, vt non putaret illã alligatã eſſe loco, quin potius & in omni loco, & in omni tẽpore, etiã in tẽplo Rẽmonis, illã in ſe curabat oſtendere. Ait Lyranus in præſenti additione 2. [*Lyranus.*] *Intelligens ex miraculoſa cura circa eum in nomine Dei Iſrael facta, ſolum illum verum Deum eſſe, & eum ſolum adorandum, hanc concluſionem elicuit, quod de cætero Idola colere nollet, ſed Deum Iſrael in omni loco, etiam in templo Remmon, quando iuxta officium ſuum intrare cum rege oporteret.* Vide quàm celeriter inſtructus à Deo fuit Naamanus, credens pietatem, & religionem non pendere a certo, & determinato loco, ſed eam poſſe exerceri in omni loco, etiam in ipſo templo falſorum Numinum. Vnum enim veretur bonus vir Idololatrarum conſortium, præter hoc nil veretur, paratus vel inter idolorum aras, vel inter ipſos idololatriæ ſuffitus, in verum Deum oſtentare pietatem ſuam. Quod quanti viri erat, quam fidelis, quam præſtantis, oſtendit luculenter Tertul. lib. ad Martyres, quibus ſic affatur: [*Tertul.*] *Domus quidem diaboli eſt & carcer, in qua familiam ſuam continet. Sed vos ideo in carcerem perueniſtis, vt illum etiam in domo ſua conculcetis. Iam enim foris congreſſi conculcaueritis.* Huc ſpectabat Martyrum valentia, & fortitudo, vt in domo carceris, in domo diaboli, vbi non niſi rei, & ſcelerum mancipia erant, ibi retinerent Chriſtianas virtutes, & diabolum vincerent. Non equidem res virtutis adeo anguſta eſt, vt debeat eſſe vno loco circumſcripta, & ibi affixa; quin potius eam fideliſſimi, & præſtantiſſimi viri in omnem locum deferunt, & etiam in ipſis vitiorum domibus faciunt, quod vigeat. Sic faciebat Iob, de quo [*Iob 1.*] dicitur cap. 1. *Vir erat in terra Hus nomine Iob, & erat vir ille ſimplex, & rectus.* Circa quæ D. Chryſoſt. in cat. Græca ait: [*D. Chr.*] *In primis laudationem intuere, quod tale germen produxerit Huſitis. Eiuſmodi enim quendam virum frugi in Arabia reperiri, vbi omnes corrupti erant; vbi nullum non extabat exemplum improbitatis, eſt admiratione perquam dignum.* Nunquam non admirabile eſt, quod vir adeo præſtans inueniatur, qui vſque ad domum vitij poſſit virtutes perducere, & ibi retinere illas.

§. VIII.

Iuxta hominis diligentiam accreſcit diuinum auxilium.

EXpende Danielis diligentiam, & ſimul accurrens diuinum auxilium. Daniel *poſuit in corde ſuo, ne pollueretur de menſa regis, neque de vino potus eius, & rogauit præpoſitum eunuchorum, ne contaminaretur.* Hæc Daniel, & quid Deus ad Danielem? *Dedit autem Deus gratiam Danieli, & miſericordiam in conſpectu principis.* Vbi Daniel curauit, ne ſe pollueret, ſtatim illi diuina gratia accurrit; quam promptam capetitur homo diligens in obſequio diuino. Ait Theodor. in præſenti de [*Theodor.*] tribus pueris: *Sequente autem voluntates eorum diuina cura, & ſimul atque diuina perſequi inſtituerunt, ſtatim diuino fruentur auxilio.* Nulla fuit mora, cum primum diuina ſequuntur, accurrens

rens experiuntur diuinum auxilium. Quod ſanè, iuxta diligentiam operantis & creſcere ſolet, & venire. *Matth. 2.* Matth. 2. dicebant Magi: *Vidimus ſtellam eius in oriente, & venimus, &c.* In patria dum erant, ſtellam vident, & ſtellæ lumine fori arripiunt viam, vt natum regem perueſtigent. Qui poſt longam emenſam viam, poſt intrepidam Ieroſolymis nati regis prædicationem, *intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius.* Ecce tibi domi ſtellæ lumen vident, vbi autem domo exeunt, labores itineris ſuſcipiunt, iam non ſtellam, ſed totum percipiunt ſolem diuinum. *D. Chryſ.* Pulchrè ad hæc D. Chryſoſt. hom. 7. in Matth. inquit. *Etenim Magi illi in Perſide ſtellam videre tantummodo; qui verò à Perſide receſſerunt, Solem ipſum aſpexere iuſtitiæ: qui certè neque ſtellam ipſam tandem videre meruiſſent, niſi citò à Perſide fuiſſent profecti. Surgamus ergo, & nos, &c.* Qui ſtellam cœleſtem accipiunt, dum domi erant, ſi ibi manerent, nec viam arriperent, nec vllam diligentiam præſtarent quærendo puero, & ſtellam amitterent, & nunquam ad ſolem peruenirent. At vbi è patria proficiſcuntur, longiſſimæ, laborioſiſſimæque ſe tradunt viæ, nec peregrinationis per incognita fugiunt diſcrimina; & ſtellæ ducatum habent firmiſſimum, & tandem ad ſolem iuſtitiæ perueniunt, ſub cuius radiis mirum in modum illuminantur in æternam vitam. Creſcit, mihi credite, diuinum auxilium, vbi creſcit diligentia in via virtutum. *Ioan. 6.* Hinc Dominus ad Iudæos ait Ioan. 6. de Euchariſtico pane, *Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit. Non ſicut manducauerunt patres veſtri manna, & mortui ſunt.* Iudæorum maioribus manna ex cœlo datum eſt, Chriſtianis autem & robuſtior, & pretioſior cibus paratur, cum ad nos è cœlo deſcendit ipſe Dei filius ſub ſpecie panis. Et cur, quando nobis cœli tantum cibum præſtant, Iudæis præſtabant mannæ eſcam perfacilem; niſi quia cœleſtis fauor diligentiam accipientis ſpectabat? *D. Zeno.* Ait D. Zeno lib. 3. ſer. 33. *Infirmis, ac languidis Iudæis manna teneritudinem irrorauit. Non enim erant ſanes, aut digni, qui cœleſtis panis perpetua ſoliditate fruerentur.* Itaque vt Iudæi erant languidi, & remiſſi in Dei via, ſic illis data eſt mannæ eſca & debilis, & facilis; dum ſeruatur robuſtiſſimus, & fortiſſimus Euchariſtiæ panis Chriſtianis, vt qui ardentius & diligentius ſeſe ad diuina excipienda parabant.

§. IX.

Non ſeuera, & rigida, ſed gratioſa, & miſericors eſt lex, quæ homini permittit ſuæ macerationem carnis.

EXpende illud, quod petenti Danieli ieiunia dicitur miſericordia & gratia data in conſpectu principis. Ait enim textus: *Dedit autem Deus Danieli gratiam, & miſericordiam in conſpectu principis eunuchorum.* Et quantula hæc gratia eſt, aut miſericordia Danieli conceſſa, nimirum, quod à menſa regis ieiunet, quod à vino abſtineat? Nonne hoc, quod quis ſe ieiuniis tradere ſinatur, magis ad ſeueritatem, & aſperitatem pertinet, quam ad gratiam & miſericordiam? Sanè rigidi, & auſteri gubernatoris eſt, quod ſubditis ſuis ieiunia longa, & abſtinentias permittat. Cur ergo Daniel non magis dicitur inueniſſe ſeueritatem in conſpectu principis, apud quem inuenit ieiunia, quam gratiam, quam miſericordiam? Satius ducitur à Daniele gratia, & miſericordia inuenta, quam ſeueritas, quando rem perſpicuè conſideranti gratia maxima eſt, & miſericordia, quòd ſinatur eius caro in macellum diſtrictionis abire. *Ezech. 20.* Hinc Ezech. cap. 20. de legibus datis Iſraelitis ait: *Ergo & ego dedi eis præcepta non bona.* id eſt, aſpera, & dura, & penè importabilia: vt ferrum, & medicamentum durum eſt, aſperum eſt infirmis, vt ait Clemens Rom. lib. 6. conſt. Apoſt. cap. 21. Sed quæres, verum hæc duriſſima præcepta venerint ab auſteritate, & ſeueritate gubernatoris, an ab eiuſdé gratia, & miſericordia? Hæreticus Marcion ex illis acriter mordet duritiem, & ſeueritatem authoris, verum ſapientius *Tertul.* Tertul. lib. 2. in Marcionem, non duritiem, ſed miſericordiam Dei inde cognoſcit; ait enim: *Illam legem non duritiei authoris promulgauit: ſed ratio ſumma benignitatis populi potius duritiem edomantis.* Expende illud, *ratio ſumma benignitatis*, non ſolum miſericordia, & benignitas Dei fuit, quod legem de tot ciborum abſtinentia, legem, inquam, adeo duram, & penè importabilem carnalibus promulgarit, ſed ea benignitas, & miſericordia fuit maxima, quando ſic carnales appetitus domabantur, mactabantur. Nunquam enim non venit à Dei gratia, & miſericordia, quod caro poſſit in obſequium Dei mortificari. Mariæ Dei matris gratias nemo ignorat, quandoquidem *Luc. 1.* illi ait Angelus Luc. 1. *Aue gratia plena*; & inſuper: *Spiritus Sanctus ſuperueniet in te.* Quanta hæc Mariæ gratia à Deo profecta! Sed illud mirandum, quod inter has Marianas gratias memorari poſſit Abelis tolerantia mortis illatæ à fratre, quaſi res eiuſdem generis, & rationis gratiæ. Sic enim S. *Amed.* Amedæus hom. 3. de Incarnat. Chriſti: *In alios ſanctorum venit Spiritus ſanctus, in alios veniet, ſed in te ſuperueniet, quia præ omnibus, & ſuper omnibus elegit te, vt ſuperes vniuerſos, qui ante te fuerunt, vel poſt te futuri ſunt plenitudine gratiæ. Impleuit quidem Abel tanta innocentia, vt innocens manibus, & mitis corde de manu fratris necem ſuſciperet; tua verò innocentia nullis nocentium innocentiam reddidit, & ſalutem.* Ecce tibi plenitudini gratiarum Mariæ comparat Amedæus minorem aliam, ſed tamen plenitudinem gratiarum Abelis. Et quæ erat hæc Abelis plenitudo gratiæ? Ait: *Impleuit quidem Abelem tanta innocentia, vt innocens de manu fratris necem ſuſciperet.* Fuit in Abele plenitudo gratiæ, qua fratris odia, fratris iniurias tolerare, qua ſeſe exponeret morti inferendæ à fratre. Proh Deus, quis hanc æſtimaret gratiam, & non potius auſteriſſimam ſeueritatem! Et tamen gratia eſt, miſericordia eſt, & licèt minor, tamen inter Mariæ gratias annumeranda, quo frater innocens fraterno gladio tradatur.

Dan. 1. Et ait Princeps eunuchorum ad Danielem, Timeo ego dominum meum regem, qui conſtituit vobis cibum, & potum: qui ſi viderit vultus veſtros macilentiores præ cæteris adoleſcentibus coæuis veſtris, condemnabitis caput meum regi. Et dixit Daniel ad Malaſar, quem conſtituerat princeps eunuchorum ſuper Danielem, Ananiam, Miſaelem, & Azariam. Tenta nos, obſecro, ſeruos tuos diebus decem; & dentur nobis legumina ad veſcendum, & aqua ad bibendum: & contemplare vultus noſtros, & vultus puerorum, qui veſcuntur cibo regio: & ſicut videris, facies cum ſeruis tuis. Qui audito ſermone huiuſcemodi, tentauit eos diebus decem. Poſt dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores præ omnibus pueris, qui veſcebantur cibo regio. Porro Malaſar tollebat cibaria, & vinum potus eorum: dabatque eis legumina.

§. X.

Infimi principum miniſtri facilè corrumpuntur ſpe lucri.

IAm ſapientiſſimus Daniel aulicum ingenium imbiberat, & repulſus à Principe eunuchorum non deſtitit ab eo, quod intendebat, ſed ad Malaſar, qui ſub illo principe miniſtrabat, acceſſit, illique proponit intentum ſuum, & petit, vt experiatur per decem dies, quam ſine cibo regio, cum ſolis leguminibus poſſit alacrior, & corpulentior viuere. Et cur repulſus ab Aſphenez eunuchorum principe, non magis ab incepto deſtitit? Cur adhuc magis Malaſari inſtat? Apud illum habebat gratiam ſibi à Deo datam, ait enim textus ſupra: *Dedit autem Deus gratiam Danieli in conſpectu principis eunuchorum.* Apud Malaſar autem non dicitur habuiſſe gratiam, cum ergo à principe ſibi grato, & amico repulſus fuiſſet, cur ſperat à Malaſare magis audiri, qui nec gratus, nec amicus dicitur? Erat Malaſar de minoribus aulæ miniſtris, quorum opera principes in muneribus ſuis ſolent vti, quod animaduertens aulicus iuuenis, hunc auidius aggreditur, quem non dubitauit ſpe lucri poſſe corrumpi. Vnde ait textus: *Et dixit Daniel ad Malaſar*: vbi ſtatim Lyranus ſubdit: *Quod enim Daniel non potuit impetrare à maiore; quærit impetrare à minore, qui erat conſtitutus ad miniſtrandum eis neceſſaria ſpecialiter.* Habent hoc infirmitatis aulæ principum, vnde nullius muneris, aut officij cuſtodia eſt omnino firma, quando præter principes integerrimos pro ſingulis muneribus conſtitutos, neceſſarij ſunt alij innumeri, & minores, & infimi miniſtri. Et quæ inde firmiſſimè, & fidiſſimè adminiſtrata à principibus, per infimos miniſtros corruptioni patent, & ruinæ. Id quod ſapienter

Ferrand. pienter canebat Ferrandus Diaconus in tertia reg. ad Reginum inquiens: *Tunc autem dux optimus nominem laedet, si in omni praetorio illius non audeat aliquis amicus, cliens, medicus, armiger, aut propter officij publici demerentem latere ducis semper adiunctus concessa beneficia vendere.* Expende, qui sunt, qui caueri debent à principe, ne eius vendant beneficia, aut munera; non solum amici alij aequales, sed etiam cliens, sed etiam medicus, sed etiam armiger, sed etiam minister adiunctus ad exercitium publicum. Et quidem ij, qui tam parui nominis sunt in aulis principum, vt medicus, vt armiger, vt alij innominati ministri, ij sunt, per quos parui lucelli spe munera perduntur, officia venduntur, & intima infirmantur consilia principum. Hinc Gedeon animaduersurus in Principes Socoth, vt omnes caperet, ita vt nec vnus celari posset, illorũ seruum adit, à quo omnium nomina singulariter didicit. Ait enim *Iud. 8.* Iudic. cap. 8. *Reuertensque de bello Gedeon ante Solis ortum, apprehendit puerum de viris Socoth: interrogauitque eum nomina principum, & seniorum Socoth, & descripsit septuaginta quinque viros, &c.* Cum audis puerum apprehensum de viris Socoth, ne putes puerum aetate, non enim puer hic aetate erat, quando sic tot nomina principum distincte tenebat, nec item erat rusticus quilibet, sed puer erat officio, ministrum officialis aliquis, aut minister vrbanus, ex minoribus illis, qui in aulis, & praetoriis deseruiunt, & quibus magnatum omnium nomina sunt patentissima. Sed illud in praesenti quaerit Abul. nimirum cur Gedeon hunc praecipue puerum maluit conuenire, & ab illo principum omnium nomina scire? Cur non magis festinauit vrbem ingredi, & capere aliquem ex principibus, a quo similiter aliorum nomina extorqueret? Sane prudentissimus homo nouit aularum infirmiorem partem esse illam, quae constat ex minoribus ministris; nunquam enim in strenuis, & maximis viris deficit, qui vereatur principis offensam, qui non curet, & nitatur principem periculis eripere, in minoribus autem officialibus raro inuenitur, qui haec curet. Ideò Gedeon vbi vniuersos principes perdere cupiebatur, vnum ex minoribus ministris aggreditur, à quo omnia principum discit, ne euadat vllus, & nequit rem ab strenuo, & maximo viro exquirere, à quo veretur, quod occultarentur principes in vitam. Hinc Dan. 2. dormienti regi statua visa est, aurea in capite, circa pectus argentea, pedes habens, & ferreos, & fictiles: quos vbi tangit paruulus lapillus, omnia rediguntur in fauillam. Quid hoc portendit? Sanè huius statuae rem, qui attigit, est Petrus Blesensis epist. 95. data Regi An-*Pet. Bles.* gliae, vbi dicit. *Si in auditorio vestrae celsitudinis, causarum negotia ventilantur, ibi nec aura munerum locum inuenit, omnia procedunt in iudicio, & iustitia, nec excedunt statuta vestra limitem aequitatis. Porro si ad pedaneos, & minores iudices pauperum negotia deuoluantur, iustificatur impius pro muneribus, &c.* Quid pulchrius? Principum iudicium auro incorruptibilius, & praestantius est, si ad haec aurea capita curras, nil inuenies non incorruptum. Verum cum pedales ministri è puluere orti, & concreti adeuntur, ibi & corruptio, & ruina Reipublicae.

§. XI.

Aulicorum amicitia summa, vel ad vmbram discriminis subeundi frigescit.

QVam gratiosus esset Daniel Principi eunuchorum, ostendit textus dicens: *Dedit autem Danieli gratiam & misericordiam in conspectu principis eunuchorum.* Sed qui tanta gratia, & amicitia pollebat apud Principem, fortasse illa fretus ab illo petit, ne cibis regiis amplius fatigetur. Quid ad haec gratiosissimus, & amicissimus princeps? Ait ipse: *Timeo ego Dominum meum regem, qui constituit vobis cibum, & potum, qui si viderit vultus vestros macilentiores prae caeteris adolescentibus coaeuis vestris, condemnabitis caput meum regi.* Ecce tibi tota gratia, & amicitia principis eo peruenit, vt rem adeo facilem non permittat Danieli. Qualem ergo gratiam, qualem amicitiam, qualem fauorem habet Daniel apud Principem, à quo facultatem adeò paruam non obtinet? Cur dicatur gratiam habere Daniel cum principe, qui tam futilis metus praetextu facultatem abstinendi à nouis cibis denegat? Ea est gratia? Ea est amicitia? Equidem gratia est, amicitia est cum aulico Principe; aulicorum autem amicitia summa, & gratia vel ad vmbram discriminis prorsus frigescit. Rem ostendit Egesippus *Egesipp.* lib. 1. de Excid. cap. 29. in Herode ad amicum regium confugiente: ait enim: *Prius tamen, quam de morte fratris cognosceret Herodes, Bocchum Arabiae regem alienum reperit, quem amicum credebant, non in fidem cum tempore mutantem, & iam appropinquantem, Arabiae finibus Herodem vetuit intrare. Causa fuit, quod sibi Parthorum odium infirmatum foret, ne profugum suum in regnum Arabiae recipiendum putaret, belliique grauissimi causam sibi gigneret.* Haec est amussis aulicae amicitiae, si damnum imminet, si timeatur vel molestiae vmbra, flagrantissimae quaeque amicitiae frigent. Non est petendum, nec sperandum ab aulico amico, quod illi potest esse timori. Quod in se expertus fuerat rex David Psalm. 30. inquiens: *Factus sum timor notis meis. Qui vi-* *Psal. 30.* *debant me foras, fugerunt à me, obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde.* Ecce tibi, quid accidat Dauidi inter amicitias aulicas, inter amicitias regias, factus est timor notis, factus est timor amicis, hoc est, eo status deuenit, vt per illum aliquid possent sibi amici timere, & vt aliquid potuerunt sibi per Danielem amici timere, vniuersi eum dereliquerunt, & vt mortuum habuerunt. Euthym. ait: *Obliuioni datus est Daniel* *Euthym.* *verentibus amicis, ne in aduersariorum suspicionem venirent.* Vbi Dauidis amici vereri coeperunt, timere coeperunt, nisi propter Danielis amicitiam suspecti essent potentioribus aduersariis, statim ab illo tanquam à mortuo exciderunt. Nunquam enim aulicorum amicitiae non frigent, vbi timor instat discriminis. Micheas cap. 7. ait: *Nolite credere amico, nolite* *Mich. 7.* *credere in duce.* Graecè: *Ne credatis in amicis, neque speretis in ducibus.* Et cur in ducibus non sperandum est? Ait D. Cyrill. Alex. *D. Cyril.* ibi: *Res enim lubrica, & incerta, & infructuosa omnino est; Postquam enim Babylonij aduenit Samariam depopulaturus, eum sustinentem populorum duces, quamuis firmissimum illi suppetias pollicentes, necesse habentes pro se ipsis decertare, sua saluti in primis dabant operam, de illis tuendis, conseruandisque ne tantillum cogitantes.* Ea est in ducibus, & principibus amicitia, quam obliuiscantur, vbi accidentaliquid, quod per se timeant.

§. XII.

Aulici ministri multos timores praetendunt, in quauis regalium sumptuum diminutione.

EXpende, quid petat Daniel ab eunuchorum principe, & quid timeat ille Princeps: Daniel petebat, ne sibi sociisque suis darentur cibi regij, in quibus non paruus erat quotidie sumptus; sed contentus erat viliori alio cibo, qui pretio posset haberi vili. Petebat ergo Daniel rem, in qua multum minorabantur regales sumptus. Ad hanc tamen petitionem quid respondet Princeps? *Timeo ego dominum meum regem, qui constituit vobis cibum, &c.* Petitur id, quo minoratur sumptus, & times? Cur non magis times, si fiant sumptus? Cur tibi res timoris visa est, illa quae potiùs videbatur res laetitiae, quando regales sumptus sic minorabantur? Equidem aulici principes non laeti accipiunt verbum de minuendis sumptibus; maximè abhorrent, & timent in verbis illis, quae sunt circa sumptus moderandos, minuendos. Pulchrè D. Bern. lib. 4. de consider. ad Eugen. de iis Palatinorum generis *D. Bern.* monet Pontificem: *Inter haec tu pastor procedis deauratus: tam multa circumdatus varietate. Si causa requirente, paulò summissius agere, ac socialius te habere tentaueris: absit, inquiunt, non decet; tempori non congruit, maiestati non conuenit, quam geris personam attendito. Ita omne humile probro ducitur inter Palatinos.* Ecce tibi quot indecentias, quot timores praetendant Palatini, ne diminutio fiat in ambitiosis, & gloriosis sumptibus. Nihil, quod summissionem, & moderationem oleat, non execratur, non timetur, licet inde crescant in immensum regales diuitiae.

Dan. 1. Pueris autem his dedit Deus scientiam, & disciplinam in omni libro, & sapientiae Danieli autem intelligentiam omnium visionum, & somniorum. Completis itaque diebus, post quos dixerat rex, vt introducerentur: introduxit eos praepositus eunuchorum in conspectu Nabuchodonosor. Cumque eis locutus fuisset rex, non sunt inuenti tales de vniuersis, vt Daniel, Ananias, & Misael, & Azarias, & steterunt in conspectu regis. Et omne verbum sapientiae, & intellectus, quod sciscitatus est ab eis rex, inuenit

uenit in eis decuplum ſuper cunctos Arioloſ, & Magos, qui erant in regno eius. Fuit autem Daniel vſque ad annum primum Cyri regis.

§. XIII.

In veri Dei ſchola, vel pueruli eam ebibunt ſapientiam, qua ſapientiſſimos quaſque detriumphent.

NOn longæuitate ſtudiorum detritis, ſed florentibus adhuc iuuenibus, qui in Dei maximi, & veri obſequiis ſeſe exercent, eam ipſe Deus ſapientiam præbet, quam ſtupeant ſapientes, & reges. Sanè iuuenili in flore erat Daniel, & dum in Dei obſequium abſtinet à gentilium menſis, tripodem inuenit in Dei ſchola, ex quo certiora, & ſapientiora oracula populis reddat. Ait enim textus: *Pueris autem his dedit Deus ſcientiam, & diſciplinam in omni libro, & ſapientia. Danieli autem intelligentiam omnium viſionum, & ſomniorum, &c.* Non multi ſtudiorum anni, non multæ vigiliæ, ſed Deus dedit adeo ingentem cumulum ſapientię puero, à Deo enim vero ſic pueruli ipſi inſtituuntur, vt triumphent de ſapientibus. Ad hæc dicebat Theodor. *A puero, quæ ſibi diuinitus reuelabantur, Daniel videbat, non in ſomnis tantum, ſed etiam vigilans, & poterat, quæ aliis oſtenderentur, interpretari. Hinc etiam docemur authorem omnium rerum Deum nullam ætatis rationem habere, ſed pietatem tantum, ac religionis ſtudium requirere: qua in iuuene comperta multis eum natu maioribus antepoſuit.* Non anni, non curriculorũ ſpatia longa adeo neceſſaria ſunt in Dei ſchola, vt neceſſarium eſt virtutum ſtudium; hoc ſi adſit, puerulus licet ſis, ſapientia ex Deo accepta ſapientiſſimos quoſque ſuperabis. Ezech. 10. vbi ſacra animalia Dei currui oſtenduntur alligata, ait text. *Facies vna Cherub*: quod ſi in Cherub nominis etymologiam quæras, Alcazar noſter notation. 7. ad cap. 4. Apocal. duas, aut tres etymologias in rem præſentem accommodatiſſimas proponit. Altera eſt ex Bibliis regiis, vt dicat, *Cherub quaſi pugnans*; altera eſt ex Vaticanis, nimirum *Cherub quaſi magiſter*. Tertia ab illo aſſignata eſt, *Cherub quaſi puer*. Ecce tibi, qui ſub curru Dei apparet, ſub eo nomine oſtenditur, quo videatur, & quaſi puer, & quaſi magiſter, & quaſi pugnans. Et quid magiſterium, & prælia ad puerum? Equidem ad puerum, qui ſub Dei veri gubernatione viuat, non indignum eſt, quod magiſterium referatur, & pugna, quando ſub vero Deo, vel pueruli eam ſapientiam acquirunt, qua poſſint mundiales poteſtates inſtruere, & illas deuincere. Cantic. 3. de Regia ſponſi locuta eius amatrix ait: *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſrael, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi.* Itaque & doctiſſimi, & fortiſſimi oſtenduntur excubitores cœleſtis cubiculi, de quibus tamen locutus Dominus apud Lucam cap. 11. ait: *Oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili.* Doctiſſimos, & fortiſſimos illos ab ſponſa oſtenſos, Dominus dicit eſſe pueros. Et quid pueri cum tanta doctrina? Quid pueri cum tãta fortitudine? Sane in Dei ſchola nihil differunt pueri & doctiſſimi, pueri, & fortiſſimi; ſed qui vel pueruli ſunt, incredibili ſolent effulgere doctrina, & fortitudine. Ex quo ſapienter elicit D. Niſſen. hom. 6. in Cant. *Idem eſt ergo dicere armatos eſſe circa lectulum, & infantes.* Dummodo in Dei cubiculo miniſtrent, nihil intereſt, quod dicantur infantes eſſe, ſiue armati, & ad bella doctiſſimi; quando ſub hoc Deo vel ipſa infantia, vel ipſa infirmitas poſſit differere cum mundialibus poteſtatibus, & illas vincere. Quo ſpectans Sapient. cap. 8. ait: *Propoſui ergo ſapientiam adducere mihi ad conuiuendum; ſciens quoniam mecum cõmunicabit de bonis, & erit allocutio cogitationis, & tædii mei. Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud ſeniores iuuenis. & acutus inueniar in iudicio, & in conſpectu potentium admirabilis ero, & facies principum mirabuntur me. Timebunt me audientes reges horrendi, in multitudine videbor bonus, & in bello fortis.* Expende ab illis, *habebo propter hanc claritatem, & honorem apud ſeniores iuuenis*: quippe iuuenis cum ſis, & pene infans ea cœlitus ſapientia perfunderis, qua & ſeniores ſuperes, & terribilibus regibus, & principibus, admirationem, imo, & bellum inferes, in quo vincas. Habet hoc ſingulare Dei ſchola, quod de puſionibus, & infantibus ſæpe agmina educat, quæ ſtent pro religione fortiſſimi, & diſertiſſimi pugnatores aduerſus mundiales principes. Notiſſimum eſt illud infantium agmen, qui primi Herodis acies retuderunt, ne occideretur puer diuinus Ieſus. De his ait Matth. 2. *Rachel plorat filios ſuos & noluit conſolari, quia non ſunt.* Mirabar quod Rachel iam in futuris poſita, in ſinu Abrahæ quieſcens, ploret mortem infantium pereuntium pro Chriſto. Et quid ploret Rachel in morte adeo fœlici? Plorat equidem, *quia non ſunt*, & crediderim plorare, quia non ſunt præliati aduerſus regem horrendiſſimum. Exituri erant à Dei ſchola pueruli, & infantes, tanta Dei ſapientia, & fortitudine imbuti, vt auderent ſtare aduerſus mundiales principes, illoſque ſapienti Chriſti confeſſione confundere. Quod præuidens Rachel, plorat in ſuis infantibus, quod licet moriantur pro Chriſto, non tamen eo gratiæ peruenerunt, vt ſtantes coram rege iniquo, illum in ſapientiæ, & prudentiæ prælio deuincerent. Ad hæc Euſeb. Gallicanus in ſerm. de S. Blandina, ſic Bethlehem affatur: *O Bethlehem in martyrũ noſtrorũ titulis, tu numero fortaſſe præcedas, ego merito: in tuis interfectio fuit, confeſſio non fuit: in meis colluctatio paſſionis, in tuis ſola fuit opportunitas & occaſio fœlicitatis; tu in ſanguine paruulorum potuiſti videre pereuntes, non potuiſti ſpectare certantes.* Ea eſt gloria maior, quod infans, quod paruulus ſtet in conſpectu regum horribilium, & illos vincat prudentiæ, & ſapientiæ præſtantia.

Theodor. — Ezech. 10. — Alcaz. — Cant. 3. — Luc. 11. — D. Niſ. — Sap. 8. — Matth. 2. — Euſeb.

§. XIV.

Doctrina, & ſapientia quæ à Deo, vt ſuperat hominum vniuerſas facultates.

QVæ hominum ſapientia comparari poteſt cum ſapientia, quæ à Deo in alumnos ſuos profecta eſt? Ait in præſenti textus: *Omne verbum ſapientiæ, & intellectus, quod ſciſcitatus eſt ab eis rex, inuenit in eis decuplum ſuper cunctos ariolos, & Magos, &c.* Longe ſemper excedit ſapientia, quæ à Deo venit, hominum ſapientiam. Matth. 13. dicebat id Dominus ſub pulchra parabola ſatus: *Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminat in agro ſuo, quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus. Cum autem creuerit, maius eſt omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cœli veniant, & habitent in ea.* Compone olerum ſemina cum ſinapis ſemine: tunc forſan ſinapis granum minus aliis videbitur. Verum vbi adoleſcere cœperint, cætera ſemina in vaniſſima folia olerum deſinunt: è ſinapis autem grano arbor fit, quo cœleſtes aues requieſcant. Quid pulchrius, vt exceſſus cœleſtis ſapientiæ exprimatur ſupra omnes hominum ſapientias? Id expendit D. Hieron. ibi fatus: *Confer cœleſtem doctrinam dogmatibus Philoſophorum, & libris eorum, & ſplendori eloquentiæ, & compoſitioni ſermonum: & videbis, quanto minor ſit cæteris ſeminibus ſementis Euangelij. Sed illa cum creuerit, nihil mordax, nihil viuidum, nihil vitale demonſtrat, ſed totum flaccidum, marcidumque, & molliuum ebullit in olera, & in herbas, quæ cito areſcunt, & corruunt. Hæc autem prædicatio, quæ parua videtur in principio, cum in anima credentis, vel in toto mundo ſata fuerit: non exurgit in olera, ſed creſcit in arborem, ita vt volucres cœli veniant, & habitent in eis.* Quæ differentia eſt inter olera herbarum, & arborum fructus, ea eſt differentia inter doctrinas ſæculares, & doctrinam cœleſtem. Illæ in olera deſinunt, & herbas; hæc fit arbor, quæ cœleſtia pertingat, & terram repleat. Quo ſpectans Iſaias, cap. 5. ait: *Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei.* Lætatur bonus propheta quod vineam fieri videat dilecto Deo ſuo: longe aliter Achab videns pulcherrimam Nabothi vineam, nil amplius curabat, quam quod vites in olera cõmutarentur. Sic enim ait 3. Reg. 21. *Da mihi vineam tuam, & faciam mihi hortum olerum.* Ille pro vinea, pro vitibus ſtabat lætus; hic totus erat pro oleribus. Et cur ille pro vinea ſtat, hic pro oleribus? Vterque adumbrabat ſtatum Iudæorum, vt ſe habituri eſſent, vel in ſchola Chriſti, vel in ſchola Phariſæorum, ab ſchola Chriſti Dei, in vineam exurgebant, & palmitibus altrinſecus iactis, & cœlum opplebant, & terram: ſub hominum doctrina, inſtar olera herbarum cito decidunt. Ait D. Cyril. Alexand. ad cap. 1. Oſeæ hæc duo loca connectens. *Et quod in his adhuc eminet, non eſt obſcurum. Sub Chriſtum quippe redacti Iudæorum populi, quomodo non vineis palmitum copia florentibus, & fertiliſſimis ſimiles erant futuri, habendique ab omnibus? Viuentes autem Phariſæorum inſtitutis, ac moribus, docentéſque doctrinas, ac mandata hominum, nihil prorſus diſſimiles herbis, humo propinquiſſimis, quæ & facile ſuccumbunt, atque marceſcunt.* Equidem à Dei ſchola nunquam non illa exurgit doctrina, quæ arboris inſtar exaltetur, & ſublimes referat fructus: mundiales vniuerſæ doctrinæ ad illam comparatæ olera ſunt euanida, vel in ipſo exortu euaneſcentes.

Mat. 13. — D. Hier. — Iſai. 5. — 3. Reg. 21. — D. Cyril.

Dan. cap. 2. In anno secundo regni Nabuchodonosor, vidit Nabuchodonosor somnium, & conterritus est spiritus eius, & somnium eius fugit ab eo. Præcepit autem rex, vt conuocarentur arioli, & magi, & malefici, & Chaldæi, vt indicarent regi somnia sua. Qui cum venissent, steterunt coram rege. Et dixit ad eos rex: Vidi somnium, & mente confusa ignoro, quid viderim.

§. XV.

In re cœlestis regni, vel ex vmbra debet homo in omnimodam diligentiam exsurgere.

VIde, quot sapientes, quot magi, quot arioli in Curia Babylonia perquiruntur, conuocãtur ad Regiam, & solicito regi sistuntur. Cur tantorum virorum conuentus fit? Iam dicit textus: *Vidit Nabuchodonosor somnium, conterritus est spiritus eius. Præcepit autem rex, vt conuocarentur arioli, & Magi, &c.* Pro regis somnio tot sapientum conuocationes, tot conuentus fiunt? Quanta hæc regis authoritas, quod pro somnio tanta fiant? Merito Cornelius à Lapide ostendit somnium hoc à Deo fuisse immissum, & esse de re diuina, ex eo quod rex nullum lapidem non moueat pro enucleando illo. Habent hoc in regiis pectoribus regni cœlestia vel vmbræ, vt illa excitent, & moueant, ne vllam diligentiam prætermittant. Matth. 27. dum Iesus vinctus apud Pilatum teneretur, cum iam Pilatus sederet pro tribunali, *misit ad eum vxor eius, dicens, Nihil tibi & iusto illi, multa enim passa sum hodie per visum propter eum.* Semel immissum est somnium bonæ fœminæ halans innocentiam Christi; & ex somnio accepto statim ad maritum mittit, Iesu testatur innocentiam, maritum à sententia damnante Iesum cohibere nititur. Et quid non efficiat in ingenuo, & nobili animo vel somnium halans Christum? Merito hinc torporem Iudæorum mordet D. Chrysost. homil. in Parasceue, apud Grethserum tom. 5. inquiens: *Misit ad Pilatum vxor præclara opitulatrix, currentem maritum inhibens. Nihil, inquit, tibi, & iusto illi, multa enim passa sum per visum propter eum. Tanquam alter Ioseph, veritatem per insomnia cognitam aduersus Iudæorum clamores testatur. Decebat enim eos à fœmina vinci.* Quando Iudæi à tot signis, à tot patẽtissimis miraculis, à tot scripturarũ luminibus non adducebantur, vt vel aurem aperiant veritati; hæc nobilis fœmina vel ab insomnio excitatur, vt veritatem publicet, eiusque quærat indemnitatem. Sic seruilem Iudæorum torporem damnat facilitas Christiana, quæ vel ab insomnio excitatur, ne quam diligentiam pro salute præterire patiatur. Iosepho anxio de vxore prægnante Matth. 1. *Ecce Angelus Domini in somnis apparuit ei, dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, &c.* Cur ad tantum negotium persuadendum Angelus in somnis apparuit? An parum erat, quod Ioseph acciperet vxorem, quam prægnantem & non à se videbat? Cur ergo non magis vigilanti, quam dormienti apparet Angelus? Sanè de re diuina somnium sufficiebat, vt via tantus ex his, quæ conueniebant, nihil prætermitteret facere. Chrysost. hom. 4. ibi: *Cur in somnis, & non potius apertè? Quia scilicet erat vir prorsus fidelis, & manifestiori reuelatione non indigens.* Vel à somnio moueretur via tantus, ne quid prætermitteret necessarium. Hinc quibus Regibus radians stella immissa est, vt ad Iesum quærendum venirent, post visum, & adoratum Iesum Matth. 2. *Responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt.* Cur qui antea per stellam monentur, nunc per insomnia? Euthym. *Oraculo accepto in somnis, reuersi sunt, citius credentes tanquam fideles.* Dum in tenebris erant infidelitatis fortiori egebant incitamento ad viam arripiendam, vbi autem fidem ebiberant, iam non adeo forte incitamentum expectant, vel à somnio admoniti, citissime viam significatam arripuerunt. Similiter Actor. 16. ait: *Transeuntes autem Phrygiam, & Galatiæ regionem vetati sunt à Spiritu Sancto. Cum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem. Et visio per noctem ostensa est; Vir Macedo quidam erat, stans, & deprecans eum dicens, Transiens in Macedoniam, adiuua nos.* Non parua petebantur ex Paulo, sed labores, & sudores in animarum negotio, & tamen hæc petuntur in somniis, is enim erat Paulus, qui vel in somnio admonitus, omnia perficeret, quæ conducerent saluti proximorum. Ex quo D. Chrys. homil. 34. in Acta. *Vide, quod iam non per Angelum monetur, sicut Philippus, & Cornelius. Sed quomodo? Per visionem in somnis. Nam vbi solum, vt prædicaret, festinauit ad hoc somnium apparet ei.* Vt festinet Paulus in rem salutis æternæ, sufficit somnium videri, vel enim à somnio mouebitur, vt in munere diuino præstet omnimodam diligentiam.

Matth. 27. — D. Chrys. — Matth. 1. — Chrysost. — Matth. 2. — Euthym. — Act. 16. — Chrys.

§. XVI.

Non virili, sed muliebri ab animo omnia diuulgantur, publicantur.

ECce tibi Nabuchodonosor vidit somnium à Deo immissum; *& somnium fugit ab eo,* adeo vt nec verbum illius posset efferre. Quid mirum? Sic suffocantur somnia in virili pectore, quæ si in muliebri caderent cerebro, minime ibi suffocarentur, sed omnibus hominibus nota fierent. Sedens Pilatus pro tribunali, vt sententiã aduersus Iesum diceret Matth. 27. *Misit ad eũ vxor eius dicens. Nihil tibi, & iusto illi, multa enim passa sum hodie per visum propter eum.* Constat inter omnes fere expositores huic mulieri per insomnia monstratam fuisse Christi innocentiam, vt à marito eius libertatem obtineret. Sed cur somnia de Christi innocentia non magis dantur ipsi Pilato? Cur potius eligitur mulier, quam vir, vt per insomnia sciat Christi Domini innocentiã? Sane intendebat Deus, quod somnij illius testimonium nõ suffocaretur, sed publicaretur, & notum fieret, ideo illud viro non ostendit, in quo sane occultum, & ignotũ maneret, sed ostendit illud mulieri, vt inde securius apud omnes diuulgaretur. D. Chrysost. hom. 87. in Matth. *Cur autem ipse Pilatus somnium non vidit? Quia non edixisset, sed secum ipse tenuisset. Idcirco igitur ex dispensatione mulier vidit, vt omnibus notum fieret.* Qui somnium occultari, perdive cupit, illud pectori virili tradat, perduntur enim, & occultãtur, & disparent somnia in virili pectore; si autem muliebri animo dentur, quam primum inde erumpunt, & fiunt omnibus manifesta. Quo respiciens Ecclesiasticus cap. 34. fatur: *Somnia extollunt imprudentes.* Vbi Septuag. legunt: *Somnia volare faciunt imprudentes.* Dum enim somnia cadũt in fœmineam imprudentiam, quietem absumũt, & alas induunt, quibus per omnium ora volitat insomnij fama. Sane in his fœmineis, imprudentibusque animis accidit id, quod asserit Ecclesiastes cap. 5. *Vbi multa sunt somnia, plurima sunt vanitates, & sermones innumeri.* Quis enim sustineat fœmineã garrulitatẽ narrãtem somnia sua? Fallar, si mille sapientes viri sufficiant ad exhaurienda verba mulieris, quæ somnia sua narrare incipit.

Matth. 27. — Chrysost. — Eccl. 34.

Dan. 2. Responderunt Chaldæi regi Syriace, Rex in æternum viue; dic somnium seruis tuis, & interpretationem eius indicabimus. Et respondens rex ait Chaldæis: Sermo recessit à me: nisi indicaueritis mihi somnium, & coniecturam eius, peribitis vos, & domus vestræ publicabuntur. Si autem somnium, & coniecturam eius narraueritis: præmia, & dona, & honorem multum accipietis à me: somnium igitur, & interpretationem eius indicate mihi.

§. XVII.

Non paruum Deo obsequium præstat, qui vnius lingua bonos sermones in aliam linguam transfert.

NOtanter propheta dixit responsum fuisse à Chaldæis regi Syriace, erant enim multi ex sapientibus à diuersis nationibus, & linguis collecti, quorum sermones in linguã Syriacam regi notam translatos eidem sapientissimi, & præstantissimi aliqui obtulerunt. Nec ingratus populis, & nationibus, imo Ecclesiæ veræ labor, quando aliquis in eo occupatur, vt sapientum sermones ab ignota lingua in aliam notiorem, & vtiliorem transferat. Exod. 25. vt construẽdo tabernaculo materies pararetur, iubebat Dominus: *Hæc sunt autẽ quæ accipere debetis, Aurum, & argẽtum, & æs, &c.* Itaque post auri, & argenti oblationem, nil prius offerri mandatur construendo diuino tabernaculo, quàm æs. Et quid in ære significatur adeo bonum, quod inter auri, & argenti pretiosa offerri mãdatur? In ære intelligebat Paulus sonũ linguarũ, quãdo dicebat 1. ad Corinth. 13. *Si linguis hominum loquar, aut Angelorum, charitatem*

Exod. 25. — 1. Cor. 13.

charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans. Ecce tibi, vt in ære linguarũ ſonus explicatur. Vt hinc pateat, quam debeat poni inter pretioſa labor, qui eſt in eo poſitus, vt boni ſermones ab vna lingua in aliam notiorem transferantur. Aiebat ad hæc Origen. hom. 13. in Exod. *Ita ergo loqui linguis, & interpretari ea alia, in aliam linguam, æris oblatio eſt. Neceſſe eſt enim omnia habere tabernaculum Dei, & nihil deeſſe domo Domini.* Et multum decoris, multum doctrinæ deeſſet in domo Dei, niſi adfuiſſet multorum labor, qui ſapientiã Græcam, & Hebraicam Latinitate donarunt, vt ſic exhauribilis eſſet ab omnibus vniuerſis Chriſtianis. Vt pateat, quam fuerit ſtrenuus labor D. Hieronymi, qui ſacram Scripturam latinam faciens, ſimul effecit, vt nihil deeſſet in domo Domini. Similiter oſtẽditur præſtantia illorum, qui nobis Chryſoſtomos, Nazianzenos, Nyſſenos, Baſilios, Cyrillos, Athanaſios Latinos reddiderunt. Ex quo etiã non immerito auguror, in Societatis Ieſu clauſtris eſſe domum Domini, quãdo nihil horum in illa deficit. Sunt è noſtris, qui aurum, & argentum offerant, nimirum ſapientiſſimas lucubrationes circa ſacras doctrinas, & diſciplinas; ſunt, & qui æra offerant, nimirum ſtudia indefeſſa circa notitias linguarũ, ex quibus ignotis ad notiores tot in dies transferũt cõmentaria, vt iam illis Bibliothecæ ſcateant.

Origen.

§. XVIII.

Secreta cordis in principibus, non tam inueſtiganda ſunt ex ſapientibus Aſtronomis, & Ariolis, quam ex mulierculis.

VAne Nabuchodonoſor Chaldæorum ſapientibus, hoc eſt, Aſtronomis, & Ariolis, & diuinis adeſt, vt ſecreta cordis ſui coram producant. Vaniſſime illis minatur mortem, & perditionem, vt ſic quę ipſe in ſecreto cubilis ſui, imò in ſecreto cordis ſui paſſus fuerat, ediſſerant. Non hoc ex ſapientibus, & Diuinis interrogandum erat, ſed ex mulieribus, quæ ſolæ percallent intima ſecreta principum. Petrus Bleſenſis vt in aulis exercitatiſſimos, ſic epiſt. 14. Principum ingenium deſcribens ait: *Quod ſi Princeps dixerit ſe ad certum locum ſummo mane in craſtino profecturum, ſententia proculdubio mutabitur. Videbis ſagmarios ſub oneribus expectantes, ſilere quadrigas, dormitare præambulos, mercatores curia anxiari, omneſque inuicem muſſitantes. Curritur ad meretrices, & tabernacularios curiales, vt inquiratur ubi eſt que Princeps profecturus ſit. Hoc enim genus curialium arcana palatij frequenter nouit.* Expende ad quos accedendum ſit, vt Principum, & Palatiorum arcana alioquin abſtruſiſſima in clariſſimam deueniant lucem. Nimirum ait: *Curritur ad meretrices. Hoc enim genus curialium arcana Palatij frequenter nouit.* Non ad ſapientes viros, non ad Aſtronomos, nõ ad Diuinos currat, qui velit timari intima arcana principum, hæc etiam, vt ſub nulla ſtellarum, aut rationis regula ſunt, ſic minimè indagari poſſunt à ſapiente vllo. Currat ad meretrices, currat ad mulierculas, quæ ſolæ intima principum tenent, & intimè luſtrant. Sic aiebat vnus de Iſraelitarum principibus, vbi vidit cordis ſui abſtruſiſſimum arcanum patefactum Philiſtinis Iud. 14. *Si non araſſetis in vitula mea, non inueniſſetis propoſitionem meam.* Enucleatius Chaldæus poſuit *Niſi inueſtigaſſetis in vxore mea, non inueniſſetis propoſitionem meam.* Prudentiſſimi illi viri, vt Samſonis arcana percallerent, non cucurrere ad Ariolos, non ad Magos, non ad Diuinos, licet his ſcateret Reſpublica. Ad mulierculam currunt, & ex illa inueſtigant intima cordis Principis, niſi enim muliercula illa interfuiſſet, nullus Ariolus, aut Magus, aut Diuinus poſſet, quod in ſolo corde principis erat, producere. Hinc Micheas cap. 7. monet: *Ab ea qua dormit in ſinu tuo, cuſtodi clauſtra oris tui.* Non enim ſolum petit, quod clauſtrum apponat ori, ſed inſuper addit, quod clauſtro appoſito cuſtodiam aliam adhibeat, oculatiſſima enim eſt fœmina, & penetrabiliſſima, vt ſeſe intimis principum viſceribus inſinuet. Niſi enim millia clauſtra apponantur, mulierculæ patebunt omnia intima principum. Quo affero illud Eſdræ 3. cap. 4. *Videbam Apemen filiam Bezacis, mirifici concubinam regis, ſedentem iuxta regem ad dexteram, & auferentem diadema de capite eius, & imponentem ſibi, & palmis cædebat regem de ſiniſtra manu. Et ſuper hæc aperto ore intuebatur eum, &c.* Expende illud, *aperto ore,* ſic enim principes ore aperto adſunt mulieribus, vt illæ facilè omnia illorum intima timentur, & omnia arcana cordis penetrent. Gen. 27. de Eſau dictum eſt: *Dixit in corde ſuo. Venient luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum. Nunciata ſunt hæc Rebeccæ, &c.* Circa quæ verba acute dubitant Diodorus, & Gennadius in cat. Græca. *Cum in corde ſuo eadem meditaretur, qui potuit id reſcire mater?* Equidem vt fœmina erat, & per fœminas, & ancillulas, & nurus negotia tractabat, non miror, quod & Eſau penetraret cordis ſecreta: quando principum intima patent mulieribus.

Pet. Bleſ.

Iud. 14.

Mich. 7.

3. Eſd. 4.

Gen. 27.

§. XIX.

Qui Regum fauores mendaciis venantur, iuſtiſſime in mortis diſcrimina incidunt.

TE fortè offendit præceps Nabuchodonoſoris ſententia lata in Chaldæos, niſi ſomnia eius diuinent, ait enim, *Niſi indicaueritis mihi ſomnium, & coniecturam eius, peribitis vos, &c.* Quæ ſententia non adeo præceps, nec adeo iniuſta videbitur, ſi noſcantur viri, aduerſus quos lata fuit. Hi erant Arioli, Magi, & Diuini regij, qui profitebantur ſe omnia cordium arcana prænoſcere, & præſcire, quibus mendaciis & Regis fauores, & munera venabantur quotidie. Iuſte ergo qui regia munera talibus mendaciis ſollicitabant, capti in arte fallaciæ ſuæ in mortis deuoluuntur anguſtias. Huc refero hiſtoriam apud D. Damaſcenum cantatiſſimam Sancti Ioſaphathi regis ab Eremita Barlaamo conuerſi ad fidem Chriſti. Cuius conuerſionem vbi Pater eius agnouit, nullum lapidem non mouet, vt reducat filium regem ad priſtinam perfidiam. Quæritur Ariolus celebris Nachor, qui ſub habitu Barlaami, & ſe Barlaamum fingens coram rege veniat in diſputationem pro Chriſto, eo pacto, vt ſe ſuperari permittat, & ſuperatus Chriſtum abneget, & Regi fateatur ſuam impoſturam. Parata erãt iam omnia, in arenam diſputationis venitur: hinc erant Magi, & Arioli, qui pro diis Gentium acturi erant, illinc adſtabat ille Barlaamus fictus, quaſi pro Chriſto dimicaturus. Quid tunc? Ait D. Damaſc. in Ioſaphati hiſtoria cap. 16. *Conuerſuſque Ioſaphath ad Nachorem, qui Barlaam eſſe putabatur, ad eum ait: Non te fugit, ô Barlaam, in qua gloria, quibuſque deliciis me inueneris. Tu tamen permultis ſermonibus me adduxiſti, vt à patriis legibus, & inſtitutis abſcederem, atque ignotum Deum colerem. Qua certa ita exiſtima, te nunc velut in trutina ſtare. Num ſi ex propoſito certamine ſuperior exceſſeris, eam ſcilicet doctrinam quam mihi tradidiſti, veram eſſe demonſtrans, tu quidem maiorem, quam vllus vnquam habuerit, gloriam referes, atque ego in tua doctrina perſtabo, Chriſtumque ad extremum vſque ſpiritum colam. Sin autem ſiue dolo, ſiue ſerio, ac verè ſuperatus ignominiam mihi conflaueris, contumeliam meam ſtatim vlciſcar. Etenim meiſmet manibus cor tuum, ac linguam euellam: vt tuo exemplo omnes regum filij impoſturam minime facere condiſcant. His verbis auditis Nachor ingentem triſtitiam, ac mœrorem concepit, vt qui ſe ipſum in foueam, quam fecerat, incidere, ac laqueo, quem abſconderat implicari, ſuoque gladio ſe confodi perſpiceret.* Ecce tibi vt mendacem Ariolum inuoluerunt in mortis periculum mendacia ſua. Crede mihi, nullus vnquam mendaciis vſus eſt, vt teneat gratiam Principum, qui à mendaciis ſuis tandem non proiiciatur in extrema mortis diſcrimina. Ait Oſeas cap. 7. de ineuitabili ruina impiorum: *Nunc circumdederunt eos adinuentiones ſuæ, coram facie mea factæ ſunt. In malitia ſua lætificauerunt regem, & in mendaciis ſuis principes.* Ecce tibi vt impij circumdantur vndique à propriis adinuentionibus, ne poſſint lethale effugere ſupplicium. Et quę ſunt hæ propriæ adinuentiones, quæ tanto vallo cingunt miſeros impios? Ait Ruper. ibi: *Quænam ſunt adinuentiones illæ, quæ eos circumuenerunt? Ait, In malitia ſua lætificauerunt regem, & in mendaciis ſuis principes.* Mendacia excogitata, vt fauores regũ captentur, hæ ſunt adinuentiones, quæ authores ſuos ſic tenent, ſic vndique cingunt, vt minime effugiant ruinam extremam. Hinc mendacem prophetam, qui adulatorio mendacio Achabum regem deceperat, monet Micheas 3. Reg. 22. *Viſurus es in die illa, quando ingredieris in cubiculum, intra cubiculum, vt abſcondaris.* Equidem homo mẽdacia Regi dicens, non diu ſtabit, citiſſime occidet, quod egeat fugere à morte, & non inueniat locum fugæ, vt euenit prophetæ iſti. De quo ait Abul. ibi quæſt. 16. *Filij Achab & maiores populi mox vt venerunt de bello, inquirebant Sedechiam ad occidendum eum, & ſatis veriſimile eſt, quod occiderint, & tunc Sedechias latuit in cubiculo ſecretiſſimo, vt non inueniretur. & ipſa die ſciuit ſe mentitum regi fuiſſe.* Expende illa. *& ipſa die ſciuit ſe mentitum regi fuiſſe:* ea nimirum ipſa die, qua nullum inueniebat latibulum ſecurum, nullum videbat à morte effugium, agnouit mendacia ſua, nempe in eorum fructibus. Nullus enim fructus certior eſt, quam quod aulici mendaces ineuitabilia incurrant diſcrimina.

Damaſc.

Oſea 7.

Rupert.

3. Reg. 22.

[*Dan.2.*] Responderunt secundo, atque dixerunt, Rex somnium dicat seruis suis, & interpretationem illius indicabimus. Respondit rex & ait: Certe noui, quod tempus redimitis, scientes quod recesserit à me sermo. Si ergo somnium non indicaueritis mihi, vna est de vobis sententia, quod interpretationem quoque fallacem, & deceptione plenam composueritis, vt loquamini mihi, donec tempus pertranseat. Somnium itaque dicite mihi, vt sciam, quod interpretationem quoque eius veram loquamini. Respondentes ergo Chaldæi coram rege dixerunt: Non est homo super terram, qui sermonem tuum, rex, possit implere: sed neque regum quisquam magnus, & potens, verbum huiuscemodi sciscitatur ab omni Ariolo, & Mago, & Chaldæo.

§. XX.

Nisi à muliebri cerebro non dicitur mendacium absque vllo fundamento.

Diu miratus sum hos Magos, & Ariolos, quod adeo periculose instent, vt reueletur sibi somnium per Regem. Semel, & bis petit rex, vt somniũ, quod sibi exciderat prorsus, ab Ariolis in mediũ reuocaretur, apposita capitali pœna, nisi id fieret. Et semel & bis Arioli negant se aliquid circa somnium dicturos, nisi prius rex, quale somnium fuerit, explicet. Cur non magis sibi consulunt hi Magi? Cur mendax aliquod somnium non effingunt, quo lætificent regem? Sane audito somnio multa erant mendacia dicturi circa explicationem eius. Cur etiam mendacium non effingunt de ipso somnio? Apud Iudices, cap. 5. Sisaræ mater anxia de filio, nesciens, an ipse valeret, amarissimam vitam ducebat. Quid tunc? [*Iudic. 5.*] *Vna sapientior cæteris vxoribus eius, hæc socrui verba respondit. Forsitan nunc diuidit spolia, & pulcherrima fœminarũ eligitur ei: vestes diuersorum colorum Sisaræ traduntur in prædam, & supellex varia ad ornanda colla congeritur.* Ecce tibi sapientissima fœmina sollicitæ matri de filij euentu, quanta prospera statim confingat. Cur similiter Chaldæi isti, siquidem sapientes sunt, regi sollicito pro somnio, quod euanuerat, non multa prospera somnia effingunt? Cur, quando mentituri erant in somnij explicatione, non magis mentiuntur in efformando somnio ipso? Nonne æque liberum erat his sapientibus mentiri de somnio, ac erat liberum sapienti illi fœminæ mentiri de euentu Sisaræ? Equidem in hoc distinguitur astutia virilis ab astutia fœminea, quòd viri non audeant mentiri sine fundamento, mulieres autem nullum curent fundamentum, vt mendacijs repleãt mundũ. Mulier erat Iezabel, quę vt perdat Naboth, & vineã eius acquirat sibi, 3. Reg. 21. [*3. Reg. 21.*] literas dedit viris Iezraelitis: *Literarum autem hæc erat sententia: submitte duos viros Belial contra eum, & falsum testimonium dicant, Benedixit Deum, & regem, &c.* Componite cum hac fera rabidissimos illos persecutores Christi, qui etiam contra filium Dei falsos testes pręmittunt. De his Matth. cap. 27. [*Matth. 27.*] *Nouissime autem venerunt duo falsi testes, & dixerunt, Hic dixit. Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud.* & verum erat; quod Iesus in alio sensu hæc verba dixerat. Sunt ergo Pharisæi, & Iezabel soliciti de falsis testibus inueniendis, qui mendacia dicant, sed quanto cum discrimine? Iezabel vnum curat vt mendacium dicatur, solũ aiens, *falsum testimonium dicant, Benedixit Deum, & regem,* nil amplius veretur; quod similiter dicere de Christo liberum erat Iudæis, sed tamen Iudæi id solum adducũt, quod de destructione templi dixerat, quod in alio sensu fuerat à Iesu dictum, cauentes sine vmbra fundamenti mentiri vel aduersus adeo sibi odiosum virum. Potuit mulieris leuitas eo adduci, vt nullo quæsito fundamento mendacium adstrueret; & non potuit rabidissimorum virorum ferocitas sine vmbra fundamenti mendacium fingere. Hinc merito Iosephus lib. 4. de Antiquit. cap. 8 [*Ioseph.*] ex nescio qua lege Mosis ait: *Mulieribus autem testimonium deponere non liceat, propter leuitatem, ac temeritatem eius generis.* Merito enim muliebri leuitati temeritas in testificando adscribitur, quãdo mulier comparata est ad mẽtiendum sine vllo fundamento. Vna tamẽ mulier inuenitur, quæ mendacio suo apponere studuit. Ea fuit Raab, quæ Iosue cap. 2. [*Iosue 2.*] habens exploratores absconditos, cũ interrogaretur de illis: *Fateor, venerunt ad me, sed nesciebam vnde essent, cùmque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt.* Ecce tibi duo profert mendacia; nimirum quod exploratorum nationem non agnosceret, & quod illi iam egressi ab vrbe fuissent; sed his duobus mendacijs aliquid veritatis adiunxit, dum fatetur illos in domo sua fuisse, vt de adiuncta veritate regios ministros magis deciperet. Ad hæc Procopius [*Procop.*] in Glossa: *Ingens quoque sapientia in Raab eluxit, ab inquisitoribus enim interrogata ad se ingressos non pernegat, verum cum affirmasset illud, mendacio fidem conciliauit. Immodicum enim mendacium incredibile est.* Tunc solum inuenitur mulier mendacijs suis aliquam veritatis vmbram addidisse, cum hoc necessum est, vt aliquem certius decipiant.

§. XXI.

Dei proprium est quod intima cordis peruadat, & quod sit cordis amicus.

Petebat Rex, vt somnium suum sibi diceretur, ad quod respondẽt Magi: *Non est homo super terram, qui sermonem tuũ, ô rex, possit implere.* Et cur supra hominem putabant esse, quod regi somnium diceretur? Vt somnium illud diceretur, secreta cordis erant scrutanda, quod nulli hominũ datum est, sed soli Deo est reseruatum. Ita Carthusianus ibi, [*Carthus.*] *Hoc verum fuit, loquẽdo de naturali hominum potestate. Cordium enim secreta cognoscere, non est facultatis humanæ.* Quidquid humanum est, antea euanescit, quàm possit pertingere cordis penetralia, solus Deus pondere suo, ad corda fertur, omniaque lustrat, atque peruadit. Psal. 7. [*Psalm. 7.*] *Scrutans corda, & renes Deus.* Vbi D. Cyril. Alex. lib. 2. in Ioan. cap. 33. ait: *Nulli autem alij, sed diuinæ solummodo naturæ corda hominum patere attribuit Propheta.* Diuina natura est, quæ corda penetrat, & cuius efficaciæ sese intima cordis substernunt. Hinc Matth. 12. post adductam Ionæ similitudinem, qui fuit in belluæ visceribus, tribus diebus, statim de se addit Iesus: *Ita erit filius hominis in corde terræ*, expende illud, *in corde*, expressius poneretur similitudo, si vt Ionas fuit in visceribus belluę, diceretur Dominus futurus in visceribus terræ. Cur nõ dixit in visceribus, sed maluit dicere in corde? Vbi infirmitatem Iesu per sepulturã prædicabat, simul voluit apponere aliquid, per quod eius potentissima diuinitas agnosceretur, & ideo dixit fuisse nõ in visceribus, sed in corde terræ; nequit enim non euidenter agnosci diuinitas per illud, quod ei creata corda referentur. Ad hæc D. Chrysost. ser. 5. in [*Chrysost.*] Feriam 5. Passion. *In corde dixit, non dixit in potestate, ne terra Dominicum corpus partem sui esse iuris crederet; sed supernã secum suspiceret maiestatem.* Ne terra crederet corpus illud Iesu nihil esse supra terrenos, sed eius diuinitatẽ experiretur, ideò illud extiturũ dixit in corde terræ, non enim sic ad corda penetranda properaret, nisi Deus esset in eo. Diuinitatis enim propriũ ẽst, sese cordium immiscere secretis. Quid creatura est corde hominis? Crede mihi, quod creatum est, totũ peribit in manibus tuis, & euanebit in cogitatione tua, quin possit vel vmbram tui cordis perstringere. Solus Deus est, qui cordi nostro infunditur, ibique omnia peruestigat, & in ditissimos conuertit fructus. Aiebat Psal. 103. [*Ps. 103.*] *Vt educas panem de terra, & vinũ lætificet cor hominis. Vt exhilaret faciẽ in oleo, & panis cor hominis confirmet.* Ex omnibus creaturis panis, & vinũ dicuntur ad cor hominis pertinere; pertinet oleum ad faciem, carnes ad gustum, aliæ ad alias delicias, ad cor autem solus panis pertinet, & vinum. Cur panis, & vinum pręcipue ad cor hominis pertinere dicuntur, nisi quia hæc præ alijs præsentissimũ Deum annuntiãt? Ioẽl. c. 2. [*Ioẽl. 2.*] *Respondit Dominus, & dixit populo suo. Ecce ego mittam vobis frumentum, & vinum, & oleum, & replebimini in eis.* Quid æstimet populus frumentũ, & vinũ a te missum Domine, nisi tu veneris? Magis veni tu ô Domine, quam frumentum mittas? Vbi frumentum mittitur, simul ostenditur Deus esse cum illo humana corda mirabiliter implens. Pulchrẽ ad hæc D. Cyril. Alex. super Ioẽl. [*Cyril.*] *Si cui corrumpuntur etiam bona cordis sui, luctui se dedat, pœnitentiam exerceat, ad Deum lacrymas effundat, & statim dicentem audiet, Ecce ego do vobis frumẽtum, & vinũ & oleum. Reddet enim cor eius, vt agrum spicis refertũ, vt hortum stirpibus comantem, vt vineã botris plenam.* Ecce tibi, vt corda hominum euacuata adimpleantur, quale remedium proponitur, nimirum quod ad vnum Deum recurras, qui statim immittet panem, & vinũ, hoc est, sese cordi immiscebit, & illud reddet omnibus bonis plenissimum. Perstrepent à corde segetes, ditescent vineæ, Deus ditissima hæc faciens ibi parturiri præsentia sua.

§. XXII.

§. XXII.

Superba præsumptiones ægre, & difficulter tolluntur.

IAm semel, & ter audierat Rex à Chaldæis somnij coniecturam, & explicationẽ proponi non posse, nisi prius ipse quale somnij habuerit, edisserat. Et nihilominus instat aiens: *Somnium itaque dicite mihi, vt sciam, &c.* Nec tot sapientũ persuasionibus potuit remoueri à superbissimo illo conatu, & præsumptione. Quid inde? Sapienter exclamat in præsenti Richar. Victor. lib. 1. de erud. inter. hom. par. 1. cap. 5. *O quam difficile humana imprudentia à sua præsumptione reprimitur! Ecce post plura experimenta, adhuc impossibilia exiguntur.* Posset vel vnum impossibilitatis experimentum hominem auertere à conatu irrito, nisi in illo esset superba, & imprudens præsumptio: atqui imprudenti præsumptione ferebatur, nec mille euidentissimis experimentis reprimitur. Montium altissima sciuerant homines superata fuisse diluuio, dicit enim Gen. 7. *Operti sunt omnes montes excelsi sub vniuerso cælo. Quindecim cubitis altior fuit arca super montes.* Et vix exsiccatum fuit diluuium, & conuenientes homines inter se manus imponunt ædificandæ turri, qua celebrentur, & liberentur ab alia imminente pluuia. Ait Gen. 11. *Venite, faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum.* Glossa ibi: *Voluerunt sibi construere turrim, in qua diluuium non timerent.* Et Lipp. in cat. *Memoriale vnitatis ædificare conabantur, præsumptuoso concilio, vt si aquas rursum inualescere contingeret, sibi asylum pararent.* Hæc erat hominum præsumptio, vt cauerent aquarum diluuia altitudine turris. Sed quando viderant vniuersas mundi altitudines aquis opertas, cur nõ desperant posse fieri altitudinem aquis cœlestibus superiorem? Cur tot montium ruinæ non illos auertebant à conamine adeò irrito? Bene Lippomanus dicit, quod laborabant præsumptuoso consilio, sola enim superba præsumptio non potuit obrui sub immensa calamitate diluuij. S. Prosper de promiss. & prædict. par. 1. cap. 8. inquit: *Mortalium fœcunditas dum accreuisset, radix peccati superbia, mundo pereunte diluuio ipsa perire non potuit. Turris superba à superbis extruitur, cuius caput cælum hactenus occuparet.* Nescit superba præsumptio vllis experimentis restringi, in mediis altitudinum omnium casibus, ipsa adhuc in altum extolli nititur. Id optime nouerat Dominus de iis ædificatoribus dicens cap. 11. Gen. *Cœperunt hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis.* Vbi Rup. *De stulta eorum præsumptione dicit Deus, nec desistent à cogitationibus suis, subaudiendum est, quantum in ipsis est. Satis enim diabolum imitantur dicentem, Ascendam super altitudinem nubium, qui quãtum potest, extollit se aduersus Deum altissimum.* Caue Christiane ne te teneat superba præsumptio; etiam mille experimentis perceptis vanitatis tuæ, impossibilitatis rei, non desistes à præsumptionis conamine. Mille argumenta videbis impossibilitatis, & adhuc præsumptuoso consilio ad impossibilia festinabis.

Rich. Vic. — Gen. 7. — Gen. 11. — S. Prosp. — Gen. 11. — Rupert.

Dan. 2. Sermo enim, quem tu quæris, rex, grauis est: nec reperietur quisquam, qui iudicet illum in conspectu regis: exceptis diis, quorum non est cum hominibus conuersatio. Quo audito rex in furore, & ira magna præcepit, vt perirent omnes sapientes Babylonis. Et egressa sententia, sapientes interficiebantur; quærebanturque Daniel, & socij eius, vt perirent. Tunc Daniel requisiuit de lege, atque sententia ab Arioch principe militię regis, qui egressus fuerat ad interficiendos sapientes Babylonis. Et interrogauit eum, qui à rege potestatem acceperat, quam ob caussam tam crudelis sententia à facie regis esset egressa.

§. XXIII.

Defectuum experientia admonet homines superiorem potestatem Creatoris esse.

TAndem miseri homines supremam diuinitatis potestatem coguntur confiteri, vbi se in somnij explicatione deficere cernunt. Quippe aiunt: *Sermo, quem tu quæris, rex, grauis est: nec reperietur quisquam, qui iudicet illum in conspectu regis, exceptis diis.* Vbi Glossa Interlinealis ait: *Tandem compulsi Deum creatorem omnium recognoscunt.* Et quem non compellant crebri experti defectus supremam creatoris virtutem profiteri? Actor. cap. 3. *Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris suæ, baiulabatur.* Non otiose ponitur, quod in ipsa vteri officina, quãdo vniuersæ causæ naturales intentæ sunt operi suo, iam tunc claudus iste fieret, sed vt ex isto defectu in causarum virtute admoneamur, supra illas esse aliam diuinissimam virtutem perfectorum omnium procreatricem. Ait namque D. Basil. Sel. orat. 21. vterinam huius claudicationem expendens: *Vitium natiuitatem non expectauit, sed nixum anticipauit nouo, & falsam naturam formatio redarguit. Fallitur enim sæpe natura dum fingit, vt imperantis Dei ministra videatur, non etiam creatrix.* Sic defectus naturæ quotidie de Deo creatore nos admonent; dum enim & lapsus, & casus, & insufficientias videmus, confiteri compellimur in nobis ministerium esse & vile, & infirmum, supremi solius creatoris esse virtutem absolutissimam. Hinc dum primum viuentium omnium fundamentum visibile ponit Deus, dicit de illo Gen. 1. *Terra autem erat inanis, & vacua.* Siue vt alij leguot: *Terra autem erat inuisibilis, & incomposita.* Eccur omnium animalium mater, sic incomposita, & vacua, & inanis statuitur? An vt ex eius inanitate compellamur ad alium veriorem, & perfectiorem nostrum parentem recurrere? Ait D. Chrysost. ser. de ieiuniis, ex Genes. *Terram perfectam poterat producere, sicut cælum: sed propter te, & propter salutem tuam non fecit. Nam & corpora nostra ex ipsa sunt, & ex ipsa etiam corporum nutrimenta, & ex ipsa quoque, & in ipsa nostra habitatio est, & post mortẽ in ipsã rursus cedimus; ne forte ergo ex his omnibus, quæ ex ea videris consequi beneficiis, facile, & lubrica cogitatione in impietatem delapsus ipsam esse vitam putares, & vituperes authorem, propterea imperfectam eam, atque incompositam produxit, vt tu intelligens, quod induit etiam ipsa opere, & beneficio conditoris, cultum venerationemque diuinam creatori omnium referas Deo.* Huc spectant omnes creaturarum defectus, vt nos compellant venire in cognitionem, & adorationem omnipotentis creatoris. Si enim nullos defectus experiremur in nobis, neque in nostris, sed omnia succederent ex sententia, in profundissimam Dei obliuionem prolaberemur. At cum crebri nos defectus circunstent, cum fortissima quæque creaturarum labare, & claudicare passim videmus, iam inde necessum est, vt ad illum respiciamus creatorem, cuius sunt opera, & integra, & perfecta.

Act. 3. — Bas. Sel. — Gen. 1. — Chrysost.

§. XXIV.

Mundiales Domini in seruis suis etiam impossibilitatem lethali culpa vertunt.

MVltis rationibus rei impossibilitatem sapientes adstruebant, & nihilominus damnantur à rege pœna capitali, ait namque textus: *Rex in furore, & ira magna præcepit, vt perirent omnes sapientes Babylonis.* Et cur pereant pro re euidenter impossibili? Carthusianus ex Lyra hanc vnam ostendit caussam ruinæ, nimirum, *vestitum, & victum, & sumptus magnos habebat à rege.* In iis autem, qui de mensa sua, & de redditibus suis viuunt, mundiales Domini etiam impossibilitatem obsequendi, & culpæ vertunt, & lethali pœna castigant. Dauid rex habebat quotidie in mẽsa sua Miphiboseth Ionathæ amicissimi filium, cuius tamen obsequium dum ab Absalone fugeret, semel requisiuit. Quod vbi illi obiecit Dauid 2. Reg. 19. respondens ait: *Domine mi Rex, seruus meus contempsit me. Dixique ei ego famulus tuus, vt sterneret mihi asinum, & ascendens abirem cum rege. Claudus enim sum seruus tuus, &c.* Sic Miphiboseth impossibilitatem suam, & euidentissimam, & regi notã prætendit in excusationem sui. Et quantum valuit apud regem hæc excusatio propter impossibilitatem? Textus indicat: *Ait ergo ei Rex: Quid vltra loqueris? Fixum est, quod locutus sum. Tu & Siba diuidite possessiones.* Expẽde illud, *ait ergo Rex*, quibus ostẽditur, quid inferat rex de audita impossibilitate Miphiboseth sibi occurrendi. Et quid inferat Rex de hac impossibilitate? An hominis absolutionem infert? Absit, non enim tale est ingenium dominorum mundialium, vt impossibilitatem obsequij in suis excusationem putent; quin potius ipsam impossibilitatem vitio tribuunt, & acerrimè mulctant, vt mulctauit Dauid auferens propter illam, medietatem bonorum, & familiari, & conuiuæ suo. Hinc 4. Reg. 5. cupiens Rex Syriæ, quod Naaman lepra mundaretur, illum remisit ad regem Israel sibi tunc temporis subditum: sic enim

Lyra. — 2. Reg. 19. — 4. Reg. 5.

habes in textu: *Naaman detulit literas ad regem Israel in hæc verba, cum acceperis epistolã hanc, scito quod miserim ad te Naamã seruum meum, vt cures eum à lepra sua. Cumque legisset rex Israel literas, scidit vestimenta sua, & ait, Nunquid Deus ego sum, vt occidere possim & viuificare, quia iste misit ad me, vt curem hominem à lepra sua? Animaduertite, & videte, quot occasiones quærat aduersum me.* Ecce tibi rex Israel, vt vidit postulationem regis Syriæ, in tantum dolorem deuenit, vt præ dolore sciderit vestimenta sua, quia ex se res euidenter impossibilis postulabatur, quam non homo, sed Deus posset præstare. Et cur ex rei impossibilis postulatione tantum dolorem conciperet, nisi quod sciret apud mundialem regem, ipsam impossibilitatem & offensæ, & vitio dari? Ait Lyra, quod scidit vestimenta, *credens, quod rex Syriæ quæreret occasionem mouendi bellum contra se petendo ab eo rem sibi impossibilem.* Sunt equidem semper apud dominos mundi magnarum occasiones irarum ipsissimæ exactioonm impossibilitates. Fœlices, quia ad tribunal diuinum stamus, apud qood de solis his, quæ possumus, indicamur.

Lyra.

§. XXV.

Ad regni conseruationem non tam mundiales sapientes, quàm diuinarum doctrinarum sapiens valet.

ERat præceptum regis, *vt perirent omnes sapientes Babylonis.* Quis rex non amens tale decretum daret? Et quis rex crederet posse regnum conseruari perditis sapientibus? Cur ô Nabuchodonosor non magis sapientum perditionem caues, cum qua & regni perditio solet stare? Cautum est regis decretum, iubet enim perdi sapientes Babylonis, hoc est, vt acutè notat Richard. Victor. lib. 1. de erudit. part. 1. cap. 7. sapientes sæculares. Isti autem sapientes, etsi perdantur, nullum imminet regno damnum, dum vel vnus sapiens sit diuinarum doctrinarum, qui regni statum proculdubio firmabit. Ecclesiastes cap. 14. *Ciuitas parua, & pauci in ea viri. Venit contra eam rex magnus, & vallauit eam; extruxitque munitiones per gyrum. Et perfecta est obsidio. Inuentusque est in ea vir pauper, & sapiens, & liberauit vrbem per sapientiam suam.* Expende, qui sapiens liberet vrbem, nimirum, *vir sapiens, & pauper,* qui sapientiam habet non venalem, nec ad ditescendum comparatam, sed qui sapientiam habet ab omni lucro alienam, opum contemptricem, vnum habentem scopum, scilicet cœlestium indagationem veritatum. Ecce tibi hinc Ieremias in summo obsidionis periculo monebat populum, cap. 42. *Si quiescentes manseritis in terra hac, ædificabo vos, & non destruam.* Illinc multi alij sapientes ex iis qui lucra temporalia spectabant, ait enim cap. 43. *Dixit Azarias filius Iosia. & Iohannam filius Caree, & omnes viri superbi dicentes ad Ieremiam. Mendacium tu loqueris, &c.* Quid tunc? Propter horum consilium, & vrbs capta est, & innumeri perierunt, qui vniuersi viuerent, & saluarentur, si starent à pauperculi Ieremiæ sententia. Rem notabat maximus curialis, & aulicus Petrus Blesensis, epist. 84. aiens: *Temporibus Sedeciæ regis, non fuisset exterminatum regnum Iudæorum, nisi aduersus Ieremiam, qui publica consulebat vtilitati, præualuissent mendacia pseudoprophetarum.* Vtinam venales sapientes periissent in populo, vt vnus pauper, & sapiens veritatis indagator Ieremias valeret apud populares, proculdubio nunquam tunc cecidisset Iudæorum status. Plurimum enim interest, quos inter sapientes res versetur, vt regnum eius habeat firmitatem. Saul, 1. Reg. 10. inter prophetas erat, dicitur enim ibi: *Ecce cuneus prophetarum obuius ei.* Dauid ab vno solo Samuele fuit regno inauguratus, cap. 16. Et Saulis regnum perijt, & regnum Dauidis apparuit confirmari. Equidem non quilibet gregales sapientes, sed vel vnus perfectus sapiens, & rerum diuinarum indagator valet ad regna stabilienda, confirmanda. Vt dicat Blesensis supra: *Cum esset Saul prophetans inter eos, qui inuocabant nomẽ Domini: regnum tamen Dauid erexit, & firmauit eius solium institutio Samuelis.* Et pergit adhuc bonus Doctor regna à diuinis sapientibus cõfirmata enarrare. *Rex Ezechias oppressus à Senacherib, & quasi in extremas angustias constitutus per Isaiam, ciuitatis liberationem, & beneficium consolationis obtinuit. Elisæus acrisiam Syris induxit, & eius beneficio Samariæ obsessores conuertuntur in fugam. Ioiada Sacerdos Ioas filium Ochoziæ à facie Athaliæ persequentis abscondit, quem cum erexisset in regem, sanctis eum moribus informauit. In quo manifestissime liquet quàm vtilis, & necessaria sit conuersatio, & doctrina iustorum his, qui populi regimen susceperunt.* Sic dum cœlestis veritatis indagator, & professor regibus adstet, licet mundiales alij, & venditij sapientes deficiant, pereant, nullum inde damnum regnis oritur. Imo magna ex eorum defectu vtilitas regno nascitur, quando illorũ consilia, vt plurimum fuere regnis exitialis. Huc traho illud ex 2. Reg. 16. *Ait Achitopel ad Absalon: Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimisit ad custodiendam domum, vt cum audierit omnis Israel, quod fœdaueris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum. Consilium autem Achitopel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum.* Ecce tibi cautissimus iste consiliarius consilium dedit ad roborandum regnum de constuprandis Dauidis concubinis! Et quale fuit hoc consilium? Sane, & misero Absaloni, & eius sequacibus perniciosissimum. Ait Carthus. *Ita Achitopel acutissimus fuit consultor, & tamen sicut vera carebat prudentia, quæ vitiosis non inest, ita nec vere salubria dedit consilia, quandiu impius fuit. Et istud eius consilium fuit tam sceleratissimum, quod propter eius impletionem Deus merito fecisset Absalonem cum suis succumbere, & mirum quod Achitopel hoc ipsum non considerauit, nec timuit.* Sic passim erant sapientes mundi.

Eccl. 14. *Ier. 14.* *Blesens.* *1. Reg. 10.* *2. Reg. 16.* *Carth.*

§. XXVI.

In regis fidelis aula, licet in moribus perditissimi, nunquam tamen deficit aliquod virtutum patrocinium.

HAbes Nabuchodonosoris decretum feralissimum de interficiendis sapientibus, & nullus est, qui mussitet, nullus qui obsistat, nullus qui detrectet nefarium munus, sed *sapientes interficiebantur.* Sed habes Saulis non absimile decretum de interficiendis omnibus Dei Sacerdotibus, 1. Reg. 22. *Noluerunt autem serui regis extendere manus suas in Sacerdotes Domini.* Quocirca Iosephus lib. 6. Antiq. cap. 13. *Cum armati circumstantes Saulem non præsumerent contingere Sacerdotem, sed diuinitatem formidarent, potius quam regi parere vellent.* Ecce tibi iniustum erat, & crudele vtriusque decretum, & tamen quod à Nabuchodonosore datur, absque vllius resistentia mandatur executioni, quod autem à Saole proficiscitur, à nullo eius seruo admittitur. Totus quantus erat exercitus cauet Saulis decretom exequi, & nullus inuenitur Babylone, qui Nabuchodonosori resistat. Vnde hoc? Erat Babylonius rex infidelis, fidelis autẽ erat Saul, licet perditissimus, & vt non mirum est, quod in aula infidelis principis nõ inueniatur vnus, qui stet pro iustitia, & virtute; sic nunquam continget, quod in aula regis fidelis quantumuis perditissimi non inueniantur multi, qui iniustitiæ obsistant. Accipite ex 3. Reg. 21. locum, vbi Iezabel regina mittit ad Israelitas, vt submittant duos falsos testes, qui accusent Naboth. Quid tunc? *Fecerunt ergo ciues eius maiores natu, & optimates, qui habitabant cum eo in vrbe, sicut præceperat eis Iezabel, & sicut scriptum erat in literis, quas miserat ad eos. Prædicauerunt ieiunium, & sedere fecerunt Naboth inter primos populi. & adductis duobus viris filiis diaboli fecerunt eos sedere contra eum. At illi, scilicet, vt viri diabolici dixerunt contra eum testimonium coram multitudine: Benedixit Naboth Deo, & regi. Quamobrem eduxerunt eum extra ciuitatem, & lapidibus interfecerunt.* Equidem datæ literæ sunt omnibus optimatibus, & magnatibus ciuitatis, à quibus manifeste petebatur, vt quærerent falsos testes, quorum testimonio innocens Naboth occideretur, & vt petebatur à rege, ita factum est, absque eo, quod vllus obsisteret, vel repugnaret immanissimo regis decreto. At sub Sedecia rege Iuda, Ierem. 38. *Tulerunt ergo Ieremiam, & proiecerunt eum in lacum Melchiæ filij Amelech, qui erat in vestibulo carceris, & submiserunt Ieremiam funibus in lacum, in quo non erat aqua, sed lutum: descendit itaque Ieremias in cœnum. Audiuit autem Abdemelech Æthiops, vir eunuchus, qui erat in domo regis, quod misissent Ieremiam in lacum: porro rex sedebat in porta Beniamin. Egressus est Abdemelech de domo regis, & locutus est ad regem dicens: Domine mi rex, malefecerũt viri isti, &c.* Non fuit in tota aula Achabi, imo in tota curia, qui nefarissimo eius decreto obsisteret, sed omnes vnanimiter conspirarunt in Naboth, eumque iuxta regis decretum perdiderunt: at in aula Sedeciæ repertus est vel vnus, qui staret pro Ieremia. Erat Sedecias rex Iuda fidelis, & Dei cultor. Achab autem infidelis, & idolorum cultui deditissimus, ideo non miror, quod non inueniatur in eius aula, qui crudelissimis sententiis obsistat, quando is inuenitur in aula Sedeciæ.

1. Reg. 22. *Ioseph.* *3. Reg. 21.* *Ier. 38.*

§. XXVII.

Vera sapientia cultor mortis vt euadit discrimina.

PRocedebat sapientium interfectio, donec ad Danielem peruentum fuit, habes enim in textu: *Et egressa sententia sapientes interficiebantur, quærebanturque Daniel, & sociĩ*

eius,

eius, vt perirent. Tunc Daniel requisiuit, &c. Ecce interficiuntur sapientes Babylonis, vsque dum ad Danielem perueniatur, qui & mortem depellat, & illis, & sibi acquirit vitam. Nec miror, quod prophani sapientes pereant, & veræ sapientiæ adiuncta. Balaamus ille Ariolus Numer. cap. 24. multa bona de viris iustis annuntiat, tandem ait textus. *Vidit quoque Cinæum, & assumpta parabola ait. Robustum quidem est habitaculum tuum: sed si in petra posueris nidum tuum, & fueris electus de stirpe Cin, quandiu poteris permanere?* Putat longissimam permanentiam, & vitam fore electis de stirpe Cin: & qui erant ij electi, qui sic poterant producere vitam? Glossa ibi: *Electi de numero sapientum, veritatis inquisitores vita viuunt perpetua.* Est semper vita in sapientiæ veræ vicinio, vt raro quis inueniatur veræ sapientiæ indagator, qui non gaudeat & læta, & diuturna societate vitæ. Quo respiciens Ecclesiastes, cap. 7. inquit: *Sicut protegit sapientia, sic protegit pecunia; hoc autem plus habet eruditio, & sapientia, quod vitam tribuunt possessori suo.* Ex quo eleganter D. Greg. Thanmaturgus ait: *Vita hominis non in caducarum, & fragilium opum collectione, & possessione, verum ex sapientia prouenit.* Thesaurizanti multa, sæpe dicitur, hac nocte repetent animam tuam; quin ex coaceruatis diuitiis habeat, quo possit detinere mortem; at sapiens, & veritatis indagator, quot veritates thesaurizat, tot haurit illices vitæ. Vt dicat Ecclesiasticus cap. 4. *Sapientia filiis suis vitam inspirat, & qui illam diligit, diligit vitam.* Cuius prior pars sic sonat apud Clem. Alex. Stromat. 7. *Sapientia insufflabit filios suos:* vt enim Deus terrenum, & exangue corpus primi hominis nactus inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Sic sapientia nacta alumnos suos pene exanimes insufflabit eos, vt de sapientiæ auris vitam habeant, & abundantius habeant. Ad hæc Baruch cap. 3. monebat. Audi Israel mandata vitæ; auribus percipe, vt sciatis prudentiam. *Quid est Israel, quod in terra inimicorum es? Inueterasti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum descendentibus in Infernum. Dereliquisti fontem sapientiæ, nam si in via Dei ambulasses, habitasses vtique in pace sempiterna.* Et post pauca locutus de gigantibus finit: *Et quoniam non habuerunt sapientiam, interierunt propter suam insipientiam.* Sic ibi: quibus ostenditur, quàm inualida esset mors aduersus illos, qui veræ sapientiæ splenduerunt insignibus.

Numer. 24. — *Eccl. 7.* — *D. Greg.* — *Eccl. 4.* — *Clem. Alex.* — *Bar. 3.*

Dan. 2. Cum ergo rem indicasset Arioch Danieli, Daniel ingressus rogauit regem, vt tempus daret sibi ad solutionem indicandam regi. Et ingressus est domum suam: Ananiæque, Misaeli, & Azariæ sociis eius indicauit negotium, vt quærerent misericordiam à facie Dei cœli, super sacramento isto, & non perirent Daniel, & socij eius cum cæteris sapiëtibus Babylonis. Tunc Danieli mysterium per visionem nocte reuelatum est: & benedixit Daniel Deum cœli, & locutus ait, Sit nomen Domini benedictum à sæculo, & vsque in sæculum: quia sapientia, & fortitudo eius sunt.

§. XXVIII.

Quo quis sanctior, eo vtilior aliis.

ECce tibi vt Daniel ingressus ad regem solus, & solus postulans inducias, vt recurrit ad Deum, non solus recurrit, sed Ananiam, Misaelem, & Azariam secum ad Deum rapit. Quippe ait text. *Daniel ingressus rogauit regë, vt tëpus daret sibi. Et ingressus est domü suam, Ananiaque & Misaeli, & Azariæ sociis eius indicauit negotiü, vt quærerent misericordiä à facie Dei.* Sic fæcüda est res virtutis, vt quo quis sanctior sit, eo vtilior, & fructuosior in alios appareat, vt illos secü ad Deum rapiat. Huc spectans interlinealis superposuit verbis datis: *Ne sis sapiens tibi soli, omnibus proficere debes, & alios tecum docere* quasi innuat, quid in Daniele secum ducente socios ad Deum debeamus imitari, nimirum quod non simus nobis ipsis solis sapientes, sed & proficui simus aliis, quos nobiscum ad Deum ducamus. Quam virtutem Sidonius Apollin. lib. 4. epist. 2. in Claudiano suo maximè extollebat. Quippe ait: *Nequo tam ex occupatis vnquam, vsquamve implicabere, quin illud in aliorum commoda retorqueas? Cum precaris Deum placas, eius dein non modo amicis, sed & ignotis quoque conciliàs. Cum sacra futurorum cælestium mysteria rimaris; quo te studiosius imbuis, eo doctrinam ceteris copiosius infundis. Cum tuas opes in vsus inopum prodigis, tibi quidem maxime, sed aliis quoque consultum facis.* Proinde *nihil videlicet, profecto nihil est, tam infœcundum adiumenti tuarum omnium, quo tibi vni soli tantum, & non aliis quoque multis tecum, vberiorem fructum ferat.*

Sidon.

Præstantissima hominis virtus non sterilis, sed fœcunda erat: nec gaudebat ire sola ad Deum, nisi & alios secum ferret. Curabat vir diuinus, vt inde eius virtus censeretur, quod aliis vtilis, & fructuosa fuerit. Audiui ab Scriptura prædicari Abelis sanctissimi innocentiam: ait enim Genes. cap. 4. *Factum est autem post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum, & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Sane hinc carissima mansit Abelis innocentia, qua Dei obsequiis se perfectissime dedit, qua in inuidiam fratris incidit, & ob quam ab eo mortem accepit. Quis hanc innocentiam non miretur? Potuitne hæc Abelis innocentia aliquo ex capite ab alia superari? Potuit, imo in hoc vno ab alia superatur, si illa fructuosa, & vtilis aliis fuerit. Equidem duo cum essent tantum in mundo fratres, Abel, & Cain; Abelis innocentia adeo fuit sterilis, vt nec fratrem posset secum ferre ad Deum, ex quo solum capite merito Abel dicitur superatus à Mariæ innocentia, quod hæc pluribus profecerit. Ait D. Amedæus hom. 3. de Incarnat. Christi fatus: *Impleuit Spiritus sanctus Abel tanta innocentia, vt innocens manibus, & mitis corde, de manu fratris necem susciperet. Tua vero innocentia, ò Maria, millia nocentium innocentia reddidit, & salauit. Quia Spiritus sanctus superueniet in te, vt superes vniuersos, qui ante te fuerunt.* Quando alia paria fuissent, merito hinc Abel à Maria superaretur, quod Abelis innocentia adeo fuit sterilis, adeo infœcunda, vt nec vnum fratrem in Deum impulerit; Mariæ innocentia plurimos acquisiuit Deo, & alioquin innocentissimos reddidit innocentiæ. Ex quo Moyses quasi nihil in se æstimaret solitariam virtutem, clamabat ad Deum, Exod. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Ecce tibi, vt magnus Moyses vix æstimat scribi in libro iustorum, si solus, & sine suis sociis scribendus sit. Pulchre ait D. Ambros. epistol. ad Gaudent. *Vult perire cum pereuntibus, nec propria salute contentus est. Gloria quippe regis multitudo populi.* Vix æstimat gloriam, ni etiam secum ad illam alios ducat. Quam virtutem crediderim Deo maxime appropinquare. Sic per Ierem. cap. 15. *Qui educit pretiosum à vili quasi os meum erit.* Similiter dicebat Adamus, Genes. cap. 2. vt summam coniunctionem inter se, & Euam significaret: *Hæc nunc os de ossibus meis:* quod idem fatetur Deus de eo, qui pretiosum à vili separauerit, nimirum, *quasi os meum erit.* Et quis es iste, qui pretiosum à vili separat, vt Deo intimius coniungatur, nisi ille, qui minime solitarius, & sterilis, sed multis cinctus sociis ad Deum vadit? Ita D. Chrysostom. homil. 3. in Genes. *Qui educit pretiosum à vili, quasi os meum erit. Quid est hoc? Qui ab errore ad veritatem, ait, manuduxerit, vel à peccato ad virtutem proximum induxerit: pro viribus humanis me imitatur.* Deus non solitarius mansit, sed quamuis ipse nullius egeret, multa fecit, multa sustinuit, vt homines haberet participes suæ gloriæ, suæ sanctitatis. Deo ergo maximè appropiat, qui sic studet esse fructuosum aliis. De quo laudat Hieronem Nazianzenus orat. 53. fatus: *Hoc autem primum philosophatur, vt ex duobus nostris vitæ generibus, vtrum præstantius sit, atque sibi, & omnibus Christianis fructuosius, intelligat, quod perfectissimi animi, ac sapientissimi esse iudicaret, priuatæ vtilitatis cum publicis commodis coniunctam habere rationem, neque enim quemquam nostrum sibi soli natum esse, sed omnibus etiam, qui eiusmodi naturæ participes sunt.* Sic ibi.

Gen. 4. — *D. Amed.* — *Exod. 32.* — *D. Ambr.* — *Ierem. 15.* — *Genes. 2.* — *Chrysost.* — *Nazian.*

§. XXIX.

Precatio ad Deum vt efficax ad nos vel morti eripiendos.

CVm sociis suis Daniel, vt morti eriperentur, confugit ad Deum, à quo postularent reuelationem mysterij, ait enim, *vt quærerent misericordiam à facie Dei cœli, & non perirent.* Nullum mihi crede efficacius inuenietur remedium, quo te & morti, & periculis eripias, quam si Deum precaturus cöuenias. Iratus Dominus Genes. c. 18. in viros Sodomitas, vna tätum re placaretur, si ibi decem viri inuenirentur; ait enim: *non delebo propter decem.* Itaque nisi decem ibi essent iusti

Genes. 18.

Num. 16. minimè diuina ira sedaretur. Verum Num. cap. 16. dum etiam Deus irascitur in vniuersos Israelitas, eosque morti tradere vellet, instat Moyses, & Aaron pro illis, & ira non procedit. *Cúmque tacerent in terra, dixit Moyses ad Aaron, Tolle thuribulum, & hausto igne de altari, mitte incensum desuper pergens cito ad populum, vt roges pro eis, iam enim egressa est ira à Deo, & plaga desæuit.* Quid tunc factum est? *stans inter mortuos, & viuentes pro populo deprecatus est, & plaga cessauit.* Compone modo & hunc cum illo successu: ibi decem requiruntur iusti, vt plaga cesset: in præsenti autem propter solos duos, nimirum Moysem, & Aaronem plaga protinus cessat. Vnde hoc? Erat in Aaron precatio ad Deum pro populo, quæ dum oritur à corde perfecto, efficacissima est, vt mortem ab hominibus possit auertere. Accipite Origen. homil. 11. in Num. saniem: *Origen.* *In Sodomis quidem quando minus decem requirebantur, per quos vix, si forte reperti essent, saluari possent ij, qui habitabant Pentapolim. Nunc autem etiam duo, si tamē inueniantur tales, qualis Moyses fuit, & Aaron, sufficere possunt, vt gens Israelitarum tota saluetur. Quid ergo dicemus amplius esse in his duobus? Quæ tanta virtus? Quod meritum, quo sexcenta millia, & eo amplius liberentur ab interitu vastatoris? Ego arbitror, quod in Moysi lex significaretur, quæ docet homines scientiam, & amorem Dei, in Aaron supplicandi Deo, & obsecrandi eum forma consistat. Si ergo accidat aliquando indignari nobis, vel vniuerso populo Deum, et si iam sententia vltionis procedat à Domino, reddat autem lex Domini, commoneat nos supplicare pro culpis, cessabit continuo iracundia, indignatio conquiescet.* Pruh vim potentissimam precationis! Accedat homo perfecto corde precaturus Deum, & prosilientem Dei iram cohibebit, & quam longissime mortem depellet. Quam vim in precatione citius ostendis, vbi & Moyses, & Aaron, hoc est, legis obseruatio, & precatio iunctæ fuerint: de vitæ enim puritate venit, quod efficaciores sint apud Deum tuæ preces. *Gen. 18.* Abraham Genes. c. 18. vidit tres Angelos venientes ad se, occurrit eis, & petit, vt apud se hospitarentur, & vix hoc petiit, & statim illi dixerunt: *Fac, vt locutus es.* Non multum post *Gen. 19.* Lot Genes. cap. 19. vidit duos Angelos etiam venientes, *& iuit obuiam eis, adorauitque pronus in terra, & dixit, Obsecro, Domini, declinate in domum pueri vestri, & manete ibi, lauate pedes vestros, & mane proficisceminis in viam vestram. Qui dixerunt, Minimè, sed in platea manebimus. Compulit illos oppido, vt diuerterent ad se.* Ecce tibi & Abraham precatur, & Loth precatur; sed Abraham statim obtinet, quod petebat. Loth autem & semel repulsam patitur, & multiplicatis precibus tādem eos compellit. Tam festinus hic, quam ille properauit ad hospites trahendos, cur ergo ille paucis obtinet, quod petit, hic multiplicare preces eget, & compellere, nisi quod hic non æque puritate vitæ pollebat? Ait Author Cat. Græcæ in Gen. *Cat. Græc.* *Loth ingenio erat hospitalis, perinde atque Abraham, qui in foribus tabernaculi hospites excipiebat. Verum quia Loth non eadem virtute præstabat, multis precibus opus est, ad exorandos hospites.* Multiplicat preces, qui in vitæ puritate minor est; possunt namque preces supplere, quod defecit vitæ, at quando & vitæ puritas, & oratio simul conueniunt, facili negotio, & in breui, quod petitur, obtinetur.

§. XXX.

Non stertentibus, sed laborantibus, & vigilantibus gloria Dei præsto est.

NOn sto à sententia Maldonati, qui putat & somnium Regis, & interpretationem Danieli etiam per somnium reuelatam esse, ea ductus cōiectura, quod hæc dicatur fuisse reuelata nocte. Fuerunt equidem reuelata nocte, sed nocte tristissima, & solicitudinis, & timoris plena; nocte, inquam, quæ pro mortis induciis data fuerat, vt in eius spatio ex Deo somnii mysterium quæreretur, vt morti se eriperent sapientes. Quis ergo credat, tunc Danieli solicito de re tanta somnium potuisse obrepere? Magis puto soliciris vigiliis laboranti Danieli ostensum esse mysterium, ait enim text. *Tunc Danieli mysterium per visionem nocte reuelatum est.* Itaque non dormienti, sed videnti, & vigilanti, & in magna solicitudine vigilanti Deus mysteria reuelauit, tales enim spectare solet Deus ad gloriam suam eis ostendendam, nimirum qui in vigiliis, & solicitudinibus, & in extremo discriminis timore versentur. Numer. cap. 16. post enarratum supplicium durissimum immissum rebellibus, pergit textus: *Num. 16.* *Murmurauit autem omnis multitudo filiorum Israel sequenti die contra Moysem, & Aaron, dicens: Vos interfecistis populum Domini. Cúmque oriretur seditio, & tumultus incresceret, Moyses, & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis. Quod postquam ingressi sunt, operuit nubes, & apparuit gloria Dei.* Expende, quando apparuit gloria Dei: non equidem apparuit Dei gloria, antequam Moyses, & Aaron in magna solicitudine, & anxietate, & timore confugissent ad Deum. Tunc autem, quando anxij, & soliciti, & trementes tabernaculum intrant, tunc confestim illis apparet gloria Dei. Ne quis putet sibi, & dormienti, & oscitanti, & in nulla solicitudine vigilanti Dei gloriam apparituram esse. Ex quo Origen. homil. 11. in Numer. *Quamuis magni sint merito Moyses, & Aaron, quamuis animi virtutibus polleant, apparere tamen eis Dei gloria non potuisset, nisi in persecutionibus, in tribulationibus, in periculis, atque in ipsa pene morte iam positis. Et tu ergo non putes tibi dormienti, & otioso apparere posse gloriam Dei.* Vanus est, qui nisi de plurimis vigiliis, de plurimis curis, & solicitudinibus putat sibi obuenturum aliquid Dei. Irritus proculdubio est omnis labor, irritæ vniuersæ vigiliæ, nisi affulserit Deus; sed Deus ibi affulget, vbi labor est, vbi vigiliæ sunt, & non vbi somno oppressus stertis. Psalm. 126. *Psal. 126.* *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem: frustra vigilant, qui custodiunt eam.* Contemnit quidem Psaltes labores, & vigilias, quibus Deus non aspirat, sed & supponit labores, & vigilias debere esse in omni augmento vitæ spiritualis. Id quod notans D. Ambros. lib. de Parad. cap. 4. *D. Ambr.* *Vides illos laborare, qui in operis sunt, ædificationisque processu, istos vero vigilare, qui iam custodiam perfecti operis receperunt. Vade & Dominus Apostolis, quasi iam perfectioribus, vigilate, inquit, & orate, ne intretis in tentationem; docens perfecta naturæ munus, & plena virtutis gratiam esse seruandam, nec quemquam etiam perfectiorem, nisi vigilauerit sui debere esse securum.* Expende ab iis, *nec quemquam etiam perfectiorem, nisi vigilauerit, &c.* Non enim est, cur sibi aliquid de Deo, & virtute adscribat, qui non vigilat, sed inerti somno iacet sepultus.

Dan. 2. Et ipse mutat tempora, & ætates: transfert regna, atque constituit: dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam. Ipse reuelat profunda, & abscondita, & nouit tenebris constituta: & lux cum eo est. Tibi Deus patrum meorum confiteor, teque laudo, quia sapientiam, & fortitudinem dedisti mihi, & nunc ostendisti mihi, quæ rogauimus te, quia sermonem regis aperuisti nobis.

§. XXXI.

Quidquid vera sapientia est, à Deo venit. Vbi Magister Granina castigatur.

IN hoc vere sapiens Daniel ostenditur, quod sapientiæ munus Deo refert acceptum, ab vnoque Deo putat venire, quidquid homines accipiunt sapientiæ. Quippe ait: *Dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam.* Et merito vir diuinus vbi de sapientia agit, illius donum putat venire à solo Deo. Hinc 2. Reg. cap. 23. locutus Spiritus sanctus non de Dauide, vt malunt plurimi; sed de cantatissimo Dauidis duce, qui primas in fortitudine ferebat, vt asserunt Isidorus Clar. Vatablus, & Interlinealis, & probat Carthusian. sic fatur: *2. Reg. 23.* *Sedens in cathedra sapientissimus princeps inter tres, ipse est, quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno. Post hunc Eleazar, &c.* Ecce tibi vbi Heroum omnium, quos habuit Dauid, nomina recensentur, solus ille, qui primus omnium erat, sine nomine scribitur. Et cur non magis primus hic nominatur, quam omnes? Si cæteri ob fortitudinis facinora meruerunt sibi nomen adscribi, cur qui cæteros vicit, in facinoribus non obtinuit, quod sibi apponeretur nomen? Sane quia hic non solum introducitur laudatus in fortitudine, sed etiam in sapientia, ideò non ponitur nomen eius, vt ostenderetur non ad illum, sed ad Deum pertinere sapientiæ munus. Ait Galfrid. apud Alleg. Tilmanni. *Galfrid.* *Merito proinde sedens in cathedra sua non designatur ex nomine, vt quicunque ille sit, deferatur potius cathedra, quàm persona. Et si quidem sancta est, non superbiat. sin aliàs, recta docentem nemo despiciat. Memento, quia tua doctrina non est tua. & tibi tribuere non oportet, si qua feceris opera vitæ, minus tamen verba doctrinæ.* Prudentissime, & sanctissime spiritualis doctor monet, no

quia

quid nostrum in sapientia, & doctrina agnoscamus, sed quidquid sapientiæ, præstantiæ fuerit, siue in factis, siue in verbis doctrinæ, id omne Deo acceptum referamus. Quod vt omnibus in Christo sapientibus debet esse pernotum, sic miror me reprehendi à Magistro Grauina tom. 3. Præscript. Catholicar. fol. 591. quod dixerim Societatis Iesu doctores non à suo conamine, & labore, sed ab aura cœlestis gratiæ habuisse, quod tam sapientia commentaria scripserint. Non conatus est Suares, non conatus est Vasquez, dixi, & accusor, quod meum, quod erat sapientiæ in istis doctoribus, Deo adscribo, quia sic videor illos inter scriptores canonicos ponere, imò & illos superiores authori librorum de Machabæis affingere. Sic etiam ab isto Grauina accusaretur Nazianzenus, qui in epist. ad Nicobuli patrem, fatur:

O genitor tua me doctrina pudore
Afficit, & præstans facundia. Nam tibi lingua
Aurêsque & cita mens, prosa versúque feruntur
Fœlici cursu, nec id vllo petis labore.

Planè iis dictis D. Nazianzen. male audiret apud Grauinam, & putaretur iniurius Authori librorũ de Machabæis, quando is cum labore scripsit, & Nicobulus dicitur à Nazianzeno scripsisse sine vllo pene labore. Sed & acrius morderetur à Grauina Tritemius lib. de Scriptoribus Ecclesiast. qui de D. Ephremo dicit: *Hic, sicut in vitis sanctorum Patrum legitur, ab Angelo visus est librum aureis literis scriptum recepisse: vnde mox altera die, & deinceps loquente in eo Spiritu sancto; tantam declamandi gratiam habuit, vt nullum sibi similem suo tempore inueniret.* Fœlix Tritemi, qui non lectus es à Grauina, alioquin grauiter accusareris, quod sic extollas sapientiam Ephrem, vt dicas illam ab Angelo, imo ab Spiritu sancto venisse, in quo videreris Grauinæ Ephremum inter Apostolos, & canonicos scriptores numerasse, & dedisse occasionem Hæreticis, & erroribus poëtarum. Vtinam Grauina non tam ardenti flagraret accusandi cupiditate, & fallar, nisi ei puderet tam ficulneo me percussisse gladio. Fateor, quia meorum scriptorum sapientiam tribuo diuinæ gratiæ, & non labori, & studio eorum, & quidem, & post acceptum vulnus, iterum dico, & assero Societatis Doctores à Deo habere, quod ita facile, & prompte, & sine labore tot sapientia ediderint commentaria. Et cum meam, meorúmque sapientiam Deo attribui, vnde possum superbientis animo accusari? Propior essem superbiæ, & iactantiæ, si meo acumini, meo labori, meæ diligentiæ attribuerem, quod aliquid sapio, cum autem id Deo attribuo, potius ostendo humilitatem Christianam. Nisi Grauinæ videatur Pelagius humilior Augustino & sanctior, quia ille propriis nitebatur viribus, & laboribus, hic autem Dei gratiæ nitebatur, à qua sola venit, quod iugum Christi suaue sit & onus adeo leue, vt sine grauedine, & labore, imò cum voluptate feratur. Deus bone, quia dico doctorum piorum doctissimas lucubrationes à Deo venisse, & non ab eorum labore, & dicor superbiæ spiritu laborare, & meos doctores inter canonicos numerare. Pudet hoc referre apud doctos viros, ne videar hominem doctum, & religiosum inscitiæ insimulare. Non equidem idem est dicere aliquem doctorem diuinitus fuisse afflatum, & illum inter canonicos numerare. Quis non dicat B. Tharasiam in iis, quæ scripsit, afflatam à Deo fuisse, & omnes Ecclesiæ doctores, & magistros? Idcóne illam, & illos Apostolis, & canonicis comparamus? Ideò Hæreticis, & poetarum somniis arma damus? Absit hoc ab homine mediocriter docto, qui scit differentiam canonicorum scriptorum notare, inter alios patres, & magistros, qui Deo acceptum referunt, quidquid sapiunt. Nec miretur Grauina quod Author librorum de Machabæis, si in scribendo laborauit, in hac parte superetur ab aliis doctoribus, qui plura scribentes non laborarunt, sic disponente Dei gratia; quando ipse Dei filius plurimum in cruce laborauit, & nihilominus alij homines dante Dei gratia in simili conflicto non laborarunt, imò ibant gaudentes à conspectu Concilij. Propter vnum ago Grauinæ ingentes gratias, quod ipse inuenerit catholicum sensum propositionis meæ, quæ dicit Authores Societatis Iesu, sine conamine tot commentaria dedisse. Quod enim superbum, & perniciosum dicat, si putetur venire id ex cœlesti auxilio, cum recurrere credit piaculum: tamen id verum existimat, si putetur venire ex multis auxiliis, & suffragiis creaturarum, & sociorum sese in opus iuuantium. Credit enim in Societate eum morem esse, vt omnes strenui doctores conueniant, & de omnium studiis, & laboribus coagmentari quemlibet commentarium. Quid gloriosius de scriptis Societatis Iesu dici potuit? Gratulor vos Societatis filij, ea enim scripta editis, quæ à Magistro sapientissimo Grauina ponderata sigillatim, tantum inuenit quemcumque codicem, vt prudenter ducat illum non ab vno, sed ab omnibus eruditissimi Ordinis Doctoribus fuisse exaratum. Non ea laus dicetur de Grauinæ scriptis, quæ satis apparent ab vno Grauina, eoque dormitante fuisse conflata. Si enim Grauina non dormitasset, facile percepisset diuersa tela ad demoliendos errores, & expugnandam Idololatriam in Iaponio, & Æthiopia, non consistere in eo quod diuersus Deus prædicetur, & diuersæ, aut aduersariæ dicantur fidei veritates. Sed in diuersis rationibus, & modis, quibus idem Deus, & eadem fidei veritates persuadentur modo iis, modo aliis. Exemplum iam est ipsis lippis, & tonsoribus notum, quando Græci legati apud Patrum Concilium, non potuerunt conuinci circa processionem Spiritus sancti ratione desumpta ex operibus sancti Thomæ, & conuicti sunt ratione desumpta ex operibus D. Bonauenturæ. Sic à diuersis Scholis diuersa rationum, & modorum intelligendi tela subministrantur, vt quando vna non sufficit, adhibeatur alia, & sic omnes in obsequium fidei possint captiuari. Ex quibus dissimulanda sunt omnia illa, quæ in me Grauina congerit à fol. 317. quod dicam diuersa tela parari oportere pro Æthiopibus, aut pro Iapponiis expugnandis, quasi his velim, quod diuersus Deus pro iis, & diuersus pro illis sit prædicandus. Sic fido doctrinæ, & pietati hominis religiosi, vt credam Grauinam de meis scriptis talia non educturum, si esset expergefactus. Illud acerbius in Grauina fero, quod pag. 342. Societatis Iesu Patribus in India existentibus, quasi ingens piaculum attribuit, omnium, quod metuentes Ethnicorum infirmitates, passiones, & mortem Christi Domini illis abscondant, & solas prædicent Christi glorias. Id & piaculum credit, & non dubitat illud Societati Iesu adscribere nisus autoritate Fr. Dominici Pisa viri Ordinis sui, & Anonymi Episcopi Lusitani, quem refert Natarius. Quod ego in primis alienissimum reputo à veritate, nisus non vnius, aut alterius authoritate, sed omnium Patrum Societatis rescriptis, & historiis, quibus ostenduntur apud Indos, & Iapponios in nostris publicis templis ingenti pompa luctuosa Christi mysteria celebrari, prædicari singulis annis, & vsque ad Regiam Sinarum deductam fuisse à nostris Christi crucifixi imaginem, vt testatur Frigonius. Sed esto, quod tantisper celarent nostri mysteria passionis, ne infirmo alicui daretur occasio maioris infidelitatis. Quantum hoc piaculum? Imò à plurimis sapientibus haberetur velut prudentia maxima. Sane D. Basil. dissimulabat dicere Spiritus sancti cõsubstantialitatem cum Patre, vt sic in parte alia prædicans, ad hanc etiam consubstantialitatis vocem postea auditores traheret. De quo laudatur à D. Gregor. Nazianz. aiens: *Ille propriam, & apertam vocem interim vsurpare differebat, &c.* Et quidem prudentissimi magistri est, tempus obseruare, quo veritates euangelicæ fructuosius infidelibus annuntientur: & de exemplo Pauli 1. ad Corinth. c. 3. cibum solidiorem infantulis non præbere, sed lac, quo in salutem crescant. Hæc obiter dicta sufficiant, ne putet Pater Grauina me sua scripta latere, in quorum refutatione, vt in re perspicua, piaculum duxerim, conterere tempus.

§. XXXII.

Sapientia sine fortitudine friget, & fortitudo sine sapientia.

NOn de sola accepta sapientia lætatur Daniel, sed de sapientia iuncta fortitudini, dicens: *Tibi Deus Patrum meorum confiteor, teque laudo, quia sapientiam, & fortitudinem dedisti mihi.* Sanè tunc Daniel sapientiam requirebat, qua somnia explicaret regi; cur non solam accipit sapientiam, sed & fortitudinem cum sapientia accipit ex Deo? Sunt hæ duæ virtutes sic inter se connexæ, vt vna sine altera pene frigescat. De sapientia ait Iob cap. 12. *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia. Apud ipsum est sapientia & fortitudo.* Componit sapientiam senum mundialium cum sapientia Dei, vt appareat, quam frigeat sapientia hominum in comparatione sapientiæ Dei. Sed in quo friget illa sapientia in comparatione huius? Iam id ostendit, aiens: *Apud ipsum est sapientia & fortitudo*: in antiquis, & senibus sapientia solum erat, sine fortitudine, quæ quidem sapientia carebat fortitudine, sic inutilis erat. Quæ à Deo est sapientia, ipsa venit iuncta fortitudine, nequid inueniat resistens, sed omnia ad victoriam perducat. Ait Rupert. lib. de sapient. 1. cap. 3. *In illis antiquis sapientia, atque prudentia est, videlicet à quibus, vel per quos sapientiæ thesauros omnes continens, sancta Scriptura condita est.*

Ephrem. — Iob 12. — Rupert.

est. Verum aliter in illis, aliter apud Deum sapientia est. Nam in illis participatione, apud ipsum est tota sui met vniuersalitate. Amplius autem & in hoc differunt, quod in illis sapientia tantum, apud ipsum autem sapientia simul, & fortitudo est. Etenim illi, quod sapiebant, ad effectum perducere non potuerunt, iste autem sapientiam actu perduxit vsque ad victoriam. Et qualis sapientia, quæ nihil potest perducere ad effectum? Sane de hac imbecilli, & inermi sapientia crediderim dictum illud, *qui addit scientiam, addit & laborem*, labor enim magnus est, & dolor, non posse remouere, quod scias remouendum; nec posse acquirere, quod scias acquirendum. Illa proculdubio sapientia æstimanda est, quæ sola apud Deum inuenitur, quæ fortitudini coniuncta est, vt quæcumque sciat bona, illa peragat sine resistentia. De D. Stephano dicitur Actor. cap. 6. *Stephanus autem plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia & signa magna in populo. Surrexerunt autem quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant à Cilicia, & Asia disputantes cum Stephano, & non poterant resistere sapientiæ, & spiritui, qui loquebatur.* Ecce tibi vt introducitur Stephanus plenus fortitudine, statim subiungitur eius sapientia triumphatrix de aduersariis, & talis, quæ nullam resistentiam patiatur. Quæ sola sapientia æstimationem apud Deum habet, alia sine fortitudine licet magna sit, nihil æstimatur, imò tenebris amandatur. Sic Ecclesiast. 7. *Noli quærere fieri iudex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates.* Quamuis enim tibi multa sit sapientia, si fortitudo desit, fuge solia dignitatum, & in tenebris delitescere ama. Non enim in luce stabit sapientia, quæ à fortitudine manet aliena; sicut nec fortitudo stabit, nisi fortitudini adiungatur sapientia. Quippe ait Prouerb. cap. 24. *Vir sapiens est fortis, & vir doctus robustus, & validus*: quasi & fortitudo totum suum valorem, & robur à sapientia habeat. Chaldæus ibi legit: *Melior est vir sapiens robusto, & vir scientia magis quàm ille, qui accinctus est fortitudine.* Ride fortitudinem eum qua non est sapientia, & pro certo habe, quod fortis sine sapientia exsibilabitur. Quis Sansone fortior? Lege apud Iud. cap. 16. huius viri fortitudines, & miraberis, vt leonem strangulauerit, vt Philisthæos sæpe percusserit, vt portas ciuitatis in montem portauerit, vt fortissima vincula ruperit. Sed huius etiam lege calamitates, vt deceptus fuerit à muliercula, & ad molam religatus. Vnde vir adeò fortis in tam miseram deuenit calamitatem? Defuit illi sapientia, & ideò parum illi tanta fortitudo valuit. Accipite D. Paulinum epist. 4. fantem. *Vtinam tam prudens Sanson ad cauendam mulierem, quam fortis ad strangulandum leonem. Sed carnalis victus illecebra, qui gratia spiritualis vicerat, cum prævaluisset fortis, ab infirmitate superatus est.* Non æque pollebat sapientia, vt pollebat fortitudine, & inde prostratus iacuit, tunc enim hæ virtutes valent, cum pares sunt in vnoquoque, & vna non inuenitur sine alia.

Stephan. — Eccles. 7. — Prou. 24. — D. Paul.

Dan. 2. Post hæc Daniel ingressus ad Arioch, quem constituerat Rex, vt perderet sapientes Babylonis, sic ei locutus est, Sapientes Babylonis ne perdas; introduc me in conspectu Regis, & solutionem Regi narrabo. Tunc Arioch festinus introduxit Danielem ad Regem, & dixit ei, Inueni hominem de filiis transmigrationis Iudæ, qui solutionem Regi annuntiet. Respondit Rex, & dixit Danieli, cuius nomen erat Balthassar, Putasne, vere potes mihi indicare somnium, quod vidi, & interpretationem eius?

§. XXXIII.

Ex his, qui ab ambitu, & negotiatione populis præficiuntur, innumeri ad populorum perditionem præfecti cernuntur.

Miraberis in barbarissima, & feralissima Babylonis curia vnum Arioch constitutum esse, vt perderet sapientes: cum Christianorum curiæ scateant ministris, qui nihil aliud moliantur, quam perdere cuncta. Deus bone, in aliis curiis, vt innumeri ascendunt dignitates, tenent præfecturas, sic innumeri apparent quasi ad ruinam populorum constituti, pene omnes ministri ad perdendum potius dati videntur, quàm ad bonum commune. Cur in feralissima Babylonis curia de vno solum Arioch dicitur, quod constitutus fuerit ad perdendos sapientes? Causam innuit textus, aiens. *Quem constituerat Rex, vt perderet.* Sane ex his, quos Rex prudenter eligit, & designat ministros, rarus est, vel solus vnus, qui perditioni studeat. Vbi autem non Rex, sed ambitus, sed negotiatio, sed fauor euocat homines ad Præfecturas, ex his innumeri exsurgunt, non vilicati, sed perditioni constituti. Querebatur Dominus per Micheam cap. 3. *Principes eius muneribus iudicabant, & Sacerdotes eius in mercede docebant, & Prophetæ eius in pecunia diuinabant, &c.* Sic Ierosolymis omnes magnates fures erant, lucris, & rapinis operam nauantes, omnia subditorum bona rapientes. Et qui fieri potuit, vt tot Sacerdotes, & Prophetæ, & iudices populorum prædistoenti essent? Erant hi non electione, & designatione regia in dignitatibus positi, sed qui ambitu, & negotiatione dignitates acquisierant. Sapienter ait D. Cyril. Alexand. *Vides quemadmodum in accusatos haud prætereat prophetam, & Sacerdotem, mercedem captantes, vt consulentibus renuntiare soleant, vellentque mercedem & munera afferre. Puta autem pseudoprophetarum, & non prorsus secundum legem, ac vere Sacerdotio fungentium: sed qui solerent in sacros honores callide irrepere, & gloriam illam pretio sibi comparare, mentionem hic deinde induci. Nec enim verus Sacerdos huiusmodi delectu animam suam obstringeret.* Prudentissime sanctus Doctor colligit hos omnes magnates, qui populorum spoliationi studebant, esse ex his, qui ambitu, & negotiatione ad similes honores obrepunt; ex his autem, qui vera electione, & designatione regia constituti sunt, raro aut nunquam aliquis talibus se latrociniis exercet. Euidentissime hinc patet illud Saluatoris assertum Ioann. cap. 10. *Amen, amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro.* Quid est, *ascendit aliunde*? Hoc est, ad dignitatum honores vel ambitu, vel negotiatione, vel fauore venditio obrepere; de his, qui per hæc ascendunt, nil certius quam latrocinia, & populorum spoliationes speres. Hos pulchre describit Ferrandus Diaconus in Paræneтico ad Reginum, regul. 3. *Accusatores Reipublicæ sunt ambitores, quibus vt potestas detur opprimere pauperes, impossibilia pollicentur, & desolatis bellis quoque incursu, iam perditis regionibus statum pristinæ stabilitatis adserunt. Adhuc vigere cuncta mentientes, animos posse tributorum onera sustinere. Culpant autem susurro antecedentes ministros fisci non exactores, desidesque eos, nulla prouidere Reipublicæ lucra mentiuntur. Sibi vero dum commissa fuerit actio, per nimiam fidelemque diligentiam cuncta effici prospera. Sed è pertinax cupiditas, diligentia eorum crudelitas, ratio depradatio melius appellatur. Ideo cupiunt emere grauissimas actiones, vt vendant. Promittunt falsa, vt vera surripiant, blandiuntur, vt noceant. Pium quasi solicitudinem pro vtilitatibus publicis gerunt, sed affligere simul omnia, & deteriorare moliuntur. Euertere cupiunt, non gubernare.* Hæc vt euidentissima, sic certissime inueniuntur in omnibus ambitionibus, emptoribus, negotiatoribus dignitatum, in omnibus, qui nõ per ostium, hoc est, per liberam, & spontaneam Regum electionem: sed aliunde, nimirum per callidas ambitionis artes, per secretos auctorum cuniculos, ad dignitates obrepunt. Cum his locustis videas regna, prouincias scatere, credas, non ibi regias electiones, sed ambitiorum artes pollere: quorum sub dignitatibus cadent regna. Hinc lucem capit Nahum cap. 3. aiens: *Ecce populus tuus, mulieres in medio tui: inimicis tuis ad apertionem pandentur portæ.* Ostẽditur Israel inimicis, & hostibus patens, cuius rei causa illa dicitur; nimirũ *mulieres in medio tui*, quod Principes, quod reges non viri, sed mulieres sint. At sub mulierum sceptris multa regna hostes depulerunt, & victorias multas de hostibus reportauerũt. Cur non possint mulieres, & optimos duces habere, qui triũphent de hostibus? Siquidem Rex domi est, & omnia per duces, per ministros aguntur, administrantur, quid interest, quod Rex sit vel vir, vel mulier ad regna tuenda? Multum per omne modum, nam mulieres laborant maxime in electionibus faciendis, apud quas plus valent semper ambitores, quæstu, & negotiatione eas capiant, ex quibus dum dignitates implentur, necesse est, vt perdantur regna. Alexandra fuit Ierosolymis cautissima regina, de cuius administratione plura memorans magna Egesipp. tandem ait lib. 1. Excid. Ierosol. cap. 12. *Assueuerunt se Pharisæi mulieri, genus hominum secundum legis doctrinam exercitatum, secundum qualitatem affectus callidum, auidum negotiorum, pecuniæ appetens, qui captantes elatam mulierculam, secundum scientiam iuris diuini extollendo suam fecerunt, vt pleraque regni negotia ipsis committeret, adhiberent, quos vellent; quos vellent, excluderent, atque aulico exuerent ministerio. Quid plura? Ita sese insinuauere, vt commoditatum omnium fructus ad eos peruenirent;*

Mich. 3. — D. Cyril. — Ioan. 10. — Ferrand. Diac. — Nah. 3. — Egesipp.

uirent; sumptus & molestia mulierem solam afficiebant. Nec mediocris mulieri spiritus, ut maxima quæque auderet, atque supra fœmineæ sexus conditionem prælia disponeret. Siquidem & præstantissimam de suis manum parauit, & peregrini exercitus copias coegit ingentes, ut non solum domi tuta ad omnem regnandi securitatem foret, verum etiam exteris potentibus esset formidabilis. Ea tamen reliquis præstabat omnibus, sed Pharisæis quasi inferior obtemperabat. Ecce tibi Reginam virilissimam, exercituum copiis potentissimam, hostibus formidabilissimam; hanc tamen tantam ambitores inuadunt, & prætextu religionis, & pietatis mulierem capiunt; & dum regni præfecturas occupant, & bona regni exhauriunt, & ipsum regnum populantur. Quippè ait illud: *ut commodorum omnium fructus ad eos peruenirent, sumptus, & molestia mulierem solam afficiebant.* Hæc quotidie videas in his, qui per ambitum, & fauores emptitios, præfecturas adipiscuntur.

§. XXXIV.

Vnus iustus multos valet sceleratos à periculis liberare.

NOtissima est illa Danielis vox ad Arioch, nimirum: *Sapientes Babylonis ne perdas. Introduc me in conspectu Regis, &c.* Vbi iniquissimi Babylonis sapientes secum in discrimine iustissimum habebant Danielem, id commodi iam possent sperare, quando vnius iusti innocentia potentior soler esse ad liberandos plures impios, quam impiorum multorum iniquitas ad perdendum valet. Fœlices illi sunt, qui sese vni innocenti, vni iusto assuunt, in eo vno habent, quod multis eorum iniquitatibus præponderet, vt possint liberari. Hinc aiebat Iob in nomine Christi Saluatoris nostri cap. 6. *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior in statera, quasi arena maris hæc grauior appareret.* Sanè Saluator noster, omnium peccatorum sumpserat debita, vt pro illis patiendo satisfaceret. Vnde autem tot hominum scelera, tot peccata in statera posita possent sic leuitare, vt calamitas passionia appareret longe illis grauior? Vnde tot peccatores, & scelerati possent reddere leuiorem alteram libræ lancem? Hoc faciunt scelerati de sibi adiuncto viro iusto, & innocenti, cuius innocentia multorum crimina leuat, vt cum iusto iniusti à periculo euadant. Rupert. lib. 1. de Sap. cap. 8. ait: *Vicit pondere calamitas in lance misericordiæ, lancémque sustollens iudicij, peccata decussit in profundum maris. Cur hoc? Videlicet, quia plures erant damnati, quam rei, plures, inquam, puniti, quã qui merebantur puniri. Vnus abundabat in numero damnatorũ, vnus superera t Christus, damnatus, non reus, punitus, & causam non habens, cur puniretur. Huius dolentis passio totius generis humani doloribus eius iniuste superaddita præponderauit, quasi massa arenarum, &c.* Sic similiter, vbi plures sunt sub iudicio damnationis, sub pressura calamitatis, quam qui merentur: vbi merentibus pœnas vnus innocens adiungitur, qui nihil mereatur, leuiora fiunt reorum scelera, vt possint scelerati à calamitatibus liberari. Hinc cum multi infideles secum Paulum habentes nauigassent, & tempestate agitati, eo deducti essent, vt nauim proiectis omnibus leuarent, ait enim Actor. cap. 27. *Armamenta nauis proiecerunt,* solent enim sic naues in tempestate leuari; tunc ad eos Paulus: *Suadeo vobis bono animo esse: amissio enim nullius animæ erit ex vobis, præterquam nauis. Astitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cuius sum ego, & cui seruio, dicens: Ne timeas Paule, Cæsari te oportet assistere: & ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum.* Tempestiue hoc dixit Paulus, cum iactu bonorum nauis leuabatur, ne incolumitas tribueretur leuamini nauis, quod venit ex mercium iactu, sed quod venit ex consortio ipsius Pauli. Crede mihi, sic peccatores leuantur vel de vnius iusti consortio in tempestate, vt certissima naufragia euadant. Propterea peccantibus amicis Iob Dominus consulebat cap. 42. *Sumite vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad seruum meum, Iob, & offerte holocaustum pro vobis.* Quando ipsi holocaustum offerre pro se poterant, cur necessum habeant ire ad Iob? Ait Chrysost. in cat. *Illud docet, haud illa satis futura sacrificia ad expiationem, nisi Iobi quoque merita accessissent.* Vbi sub ira Dei periclitantur peccatores, non sic fidant externis oblationibus, vt iusti alicuius sibi adiuncti fidant iuuamini. Qui hoc non habet, quasi nihil habet, quo se eripiat tempestatibus. Dicebat Iosue ad Israelitas Num. 14. *Neque timeatis populũ terræ huius: recessit ab eis omne præsidiũ.* Loquebatur de Chananitide regione, à qua asserit omne præsidiũ recessisse? Et cur dicitur recessisse ab illa regione omne præsidium? Noster Cornelius ibi ex sententia Hebræorum asserit illo ipso anno mortuum fuisse sanctissimũ Iob, qui vsque tunc viuens in medio prauæ illius regionis, nempe in Idumæa, scelestissimos, & prorsus deploratos homines suis meritis protegebat, vbi autem Iob mortuus est, omne præsidium, & protectio abiit, vt necessum sit illis extremæ subiacere calamitati.

Iob 6.

Rupert.

Act. 27.

Iob 42.

Chrysost.

Num. 14.

§. XXXV.

Præstantis viri est non solum suis, sed etiam alienis benefacere.

AIe Daniel ad Arioch, *Sapientes Babylonis ne perdas,* & quid Daniel habet cum Babylonis sapientibus? Quid Danieli, quod illi perdantur? Sanè boni, præstantisque viri erat, non solum suorum, sed & alienorum saluti inuigilare. Ad hæc aiebat Theodor. *Hæc misericordia prophetam decet. Neque enim tulit solus cum amicis ab iniusta cade liberari, sed etiam Chaldæis incolumitatem molitur.* Hoc est præstantissimorum virorum ingenium, quod intra amicorum septa compressam misericordiam fastidiant, illámque ament extendi ad extraneos, & prorsus sui generis peregrinos. Quod in Israelitis requirebat Dominus Deuteronom. cap. 24. iubens: *Quando messueris segetem in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, non reuerteris, vt tollas illum: sed aduenam, & pupillum, & viduam auferre patieris.* Expende illud, *sed aduenam, &c.* non solum enim amat Deus Israelitas affectos esse ad vicinos, & fratres, sed insuper cupit, quod extraneorum meminerint, misericordiam facientes & aduenis, & peregrinis. Ait enim Cassiodor. 12. var. 9. *Pietate plenum est, peregrinam gentem publicis beneficiis obligare, & non tantum consanguineos ad substantiam lucra mittere, quantum ipsos quoque aduenas inuitare.* Plenitudinem refert pietatis affectus, qui norit complecti etiam extraneos, qui vt de virtutum plenitudine venit, sic spectabilior, in quocumque sit, apparet. Quem in homine consulari stupebat Sidonius Apollinar. lib. 1. epist. 9. fatus: *Duo fastigiatissimi consulares Gennadius Auienus, & Basilius Carina præ cæteris conspiciebantur. Vtrumque quidem, si foris laribus egrediebantur, arctabat clientium prauia, pedissequa, circumfusa populositas: sed longe imparibus dispares sodalium spes, & spiritus erat. Auienus, si quid poterat, in filios, generis, fratribus promouendis moliebatur: cúmque semper domesticis candidatis distringeretur, ergo expediendas forinsecus ambientium necessitates minus valenter efficax erat: & in hoc Coruinorum familia Decianus præferebatur, quod qualia impetrabat cinctus Auienus suis, talia conferebat discinctus Auienus alienis.* Et merito præferebatur ille, cui cordi erant etiam extraneorum causæ.

Theodor.

Deut. 24.

Cassiod.

Sidon.

§. XXXVI.

Nemo aulicus in rebus Regi gratis non mentitur.

FEstinus Arioch ad Regem intrat, aiens: *Inueni hominem, qui solutionẽ Regi annuntiet.* Inueni, ait, quasi multam ipse diligentiam adhibuerit, vt Danielem inueniret; cum nullam prorsus inueniat ns adhibuisse, imò nec pedem mouisse. Sed erat hoc gratum regi, quod haberet tales ministros, qui multa facerent, vt Regem leuarent sollicitudine. Et ideò aulicus homo in nuntio læto addidit, & mendacium, quod sciret Regi gratius futurum. Quis enim aulicus in gratiam Regis non mentitur? Eos pulchrè notabat Oseas cap. 7. *In malitia sua lætificauerunt regem, & in mendaciis suis principes.* Apud curiales, non parcitur mendacio, quod creditur regi gratum futurum. Achimaas videns Absalonis exercitum percussum ipsumque Absalonem lanceis transfossum festinauit, vt lætum victoriæ nuntium deferat Dauidi 2. Reg. cap. 18. *Et adorans Regem coram eo pronus in terram ait: Benedictus Dominus Deus tuus, qui conclusit homines, qui leuauerunt manus suas contra Dominum meum Regem. Et ait Rex: Estne pax puero Absalon? Dixitque Achimaas. Vidi tumultum magnum, cum mitteret Ioab seruus tuus me seruum tuum nescio aliud.* Sciuerat ipse defunctum Absalonem, imò & propriis oculis viderat, cur sic audet Regi mentiri? Non vereotur aulici mendacia, quæ regibus molestias auferant. De isto ait Lyra: *Mentiebatur, ne Regem offenderet, quia viderat ipsum mortuum, denuntiauit tamen victoriam, quæ erat bonum nuntium.* Sic aulici omnes fausta quæque & mendaciis poliunt, vt regibus maiorem ingenerent lætitiam. Sunamitidæ hospitæ vt gratificaret Elisæus, filium à Deo imperrat 4. Reg. cap. 4. dixitque ad eam. *In tempore isto, in*

Oseas 7.

2. Reg. 18.

Lyra.

4. Reg. 4.

has

hac eadem hora,si vita comes fuerit,habebis in vtero filium. At illa respondit; Noli quaeso Domine mi, vir Dei, noli mentiri ancillae tuae. Virum Dei, & prophetam nouit, & tamen ab illo dici mendacium timet. Imò non veretur illum monere, ne sibi mentiatur. Cur mulier non magis caues virum Dei mendacem putare? An scis,cum quo loquaris,vt dicas ei,ne mendax sit?Sciebat equidem & virum Dei,& prophetam esse,sed simul sciebat in curia versari, & frequentem esse aulicis, & regi ipsi,cuius fauorem paulò ante promiserat. Ideò loquitur ad aulicorum mores, quorum est,in lætitiæ nuntiis non curare,an mendacia dicant. Quippe ait Carthus.ibi: *Curialiter respondit hac mulier, non quod putaret Elisaeum esse mentitum.* Non equidem putabat in viro Dei mendacium esse,at quando cum illo curialiter agit,hoc est,de curialium,aulicorúmque more loquitur, non grauatur illi mendacium attribuere, non enim ad similia verba curiales exasperantur, cum sciant res mendacij sibi familiarissimas.

Carth.

§. XXXVII.

Frequentissimum est aulicis principibus, honorem sibi adscribere de inferiorum fortunis.

PRemenda adhuc sunt verba ab Arioch dicta,nimirum: *inueni hominem de filiis captiuitatis,qui solutionem Regi annuntiet.* Cur non ait simpliciter, *venit homo,qui annuntiet Regi,* sed maluit rem sibi adscribere,dicens: *inueni hominem?* Quod solius fuerat Danielis diligentiæ,hoc ipse Arioch volebat facere suum, vt sic facinoris honorem sibi adscriberet. Est enim hoc ingenium Palatinorum principum,vt sibi glorias,& honores affingant ex iis,quæ potius fuerant inferiorum fortunæ. Naaman princeps Regis Syriæ cum leprosus esset, audit ex captiua Israelitide prophetam esse in Israele,à quo mundari posset à lepra. Rem refert Naamanus Regi, qui curans amici salutem,illum mittit ad Israelis regem,cui simul dedit literas suas.Et quid continebant literæ?Ait 4.Reg.5. *Cum acceperis epistolam hanc, scito, quod miserim ad te Naaman seruum meum,vt cures eum à lepra sua.* Dictum fuerat à captiua Naamanum curari posse ex lepra,non à Rege,sed à propheta Israelis.Cur Syrus nullum memorans prophetam, à solo rege curationem Naamani postulat?An credebat & à Rege posse curari illum?Minime,sed quod nouerat faciendum per regis subditum,maluit Regi id attribuere de more principum Palatinorum,qui de inferiorum gestis honores sibi attribuunt. Quo respiciebat Carthus.ibi: *Honorando regem ait,vt cures eum à lepra.* Deputant enim principes honori suo,quod faciunt subditi,& in immensum gloriantur de illo.

4.Reg.5.

Carth.

Dan.2. Et respondens Daniel coram Rege, ait: Mysterium,quod Rex interrogat,sapientes, Magi,& Arioli, & aruspices nequeunt indicare Regi: sed est Deus in cœlo reuelans mysteria, qui indicauit tibi Rex Nabuchodonosor, quæ ventura sunt in nouissimis temporibus. Somnium tuum,& visiones capitis tui in cubili tuo huiuscemodi sunt. Tu Rex cogitare cœpisti in stratu tuo, quid esset futurum post hæc: & qui reuelat mysteria, ostendit tibi, quæ ventura sunt. Mihi quoque non in sapientia,quæ est in me plusquam in cunctis viuentibus, sacramentum hoc reuelatum est:sed vt interpretatio Regi manifesta fieret, & cogitationes mentis tuæ scires.

§. XXXVIII.

Regibus solent à Deo aliqua immitti futurorum indicia.

SApienter ait Daniel ad Babylonium regem: *Est Deus in cœlo reuelans mysteria,qui indicauit tibi Rex Nabuchodonosor,quæ ventura sunt.* Itaque tibi,Rex,indicauit Deus ventura:assolet enim id fieri à Deo,vt regibus infundantur quædam indicia futurorum. Vnde locutus de Hircano Iudæor. principe Egesipp.lib.1.Excid.Ierosl.c.1.ait: *Hircanus moderator egregius, & pulchre sobrius, qui nihil vnquam, vel futuris euentibus dereliquit: vxori summa rei commisit negotia,ipsam consultius ratus rebus publicis moderaturam, filios præscientia quadam animi tenens non diuturnos fore,nec eum fefellit opinio.* Videre,quod non dubitet in Rege quandam præscientiam constituere,qua futuros euentus præueniat,illisque prudenti dispositione occurrat. Nec semel id accidit,sed sæpissime talia vel dici,vel agi à Regibus cernũtur,vt manifeste appareat illis fuisse immissa aliqua futurorum indicia. Quo respiciẽs Spiritus diuinus Prouerb.16.ait: *Diuinatio in labiis regis:* non sic clara inueniuntur in animalibus,vel in elementis futurorũ indicia,vt clara solent in Regibus inueniri. In qua re adeo firmus erat Egesip. vt lib.1, Excid.Ierosl.c.2. repetat de Ioanne clauum Iudaicæ tenente Reipublicæ. *Iudicium Ioannis etiam post mortem probatur, qui summam publicæ rei senatore committendam filio haudquaquam existimauit, quem tanto decliuitatum furore à pietatis lege, & norma iustitiæ praeuidebat. Haud scio,morúmne eius contuita,an insita gratia sacerdotũ principibus,vt his aliqua,quæ futura erant, etiam minus dignis infunderentur.* Ecce tibi, vt æstimat regni principibus eam gratiam infundi, qua sæpe ventura possint præsagire.Non equidem vel in auium occinio,vel in animalium extis tot inuenta sunt ab aruspicibus vanis indicia imminẽtium bonorum,vel malorum,quot vel in regum labiis, dum viuunt, vel in eorum cineribus, dum vita sunt functi. Quod innuebat Eccles.c.49.inquiens de Iosepho Ægyptiorum principe,& patre regni Israelitæ. *Et Ioseph,qui natus est homo princeps fratrum,firmamentum gentis,rector fratrum,stabilimentum populi: & ossa ipsius visitata sunt,& post mortem prophetauerunt.* Et quomodo prophetauerunt? Hugo Card.ex authore histor. Scholast.dicit, quod abituri Israelitæ ab Ægypto requisierunt Iosephi ossa, vt secum adsportarent, quæ requisita illis dederunt indicia difficultatis itineris. Sunt equidem viri principes sic à Deo compositi,vt vel in eorum cineribus immittat eam gratiam,ex qua soleant multa futurorum præsagia in medium prosilire.Huc trahe dicta tom.4. in Euang.lib.17.cap.2.§.1.

Egesipp.

Prou 16.

Egesipp.

§. XXXIX.

Homines temporales sæpissime oculati videntur ad futura,& circa præsentia cæcissimi.

ECce tibi Rex Babylonius in cubili suo, quibus angatur curis, quæ meditetur, & præ oculis habeat, nimirum ait Daniel. *Cogitare cœpisti,quid esset futurũ post hæc.* Quid esset futurum cogitabat rex temporalissimus, de eo autem quod in præsenti agere deberet,quod iam instabat, & in ianuis erat, nulla ei cura,nulla solicitudo, sed omnimoda erat ignorantia. En temporalium hominum ingenium! Oculatissimi fieri cupiunt ad futura,& summa in præsentibus laborant cæcitate. Matth.2. Herodes auditis Magis de ortu felicissimi Saluatoris clamantibus. *Congregans omnes principes sacerdotum,& Scribas populi,sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei,in Bethlehẽ Iudæ sic enim scriptum est per Prophetam. Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda.ex te enim exiet Dux,qui regat populum meum Israel.* Ecce tibi,quam diserti isti,quam oculati in expendenda prophetia,quæ de futuris loquebatur: at qui ibi futurus dicebatur, iam aderat,iam præsens erat,& multis euidentibus testimoniis adeò clarus,vt vel stellæ luce ad illum Magi festinarent. Quid ergo Iudæi de Iesu præsenti? An illum noscunt? An ad illum currunt? An de illo sciscitantur? Prorsus ad præsentem cæcutiunt,qui de illo futuro adeò erant soliciti & anxij. Ait D.Greg.ibi. *Iudaicus populus prophetiæ spiritu plenus,& cæcus est, de quo multa in futurum prædixit,in præsenti positum non agnouit.* Quid infelicius homini temporali? Populus tẽporalissimus de futuro saluatore disertus, ad præsentem prorsus cæcutit. Quem præ manibus habebat,nec videt, nec curat videre,& quem putabat futurum,ad illum erat attentissimus,& maxime sollicitabatur de illo. Nota est Iacobi historia, quando dissimulatus sub hœdinis pellibus patri Isaac aderat, vt se Esau fingens illius benedictionem subriperet. Isaac autẽ vbi pellium tactu fallitur; multa euentura illi sub benedictionis nomine prædicit.Quippe ait Gen.26. *Det tibi Deus de rore cœli,& de pinguedine terræ abundãtiam frumenti,& vini,&c.* Sed cur, qui tot futura præuidebat, in filij præsentia fallebatur? Errabat in præsenti filio,qui scite videbat tot illius bona futura. Nec miror, agebat enim Isaac tunc personam populi temporalissimi, qui totus positus in futuris, prorsus cæcutiebat

Matth.2.

D.Greg.

Gen.26.

D.Greg. tiebat in iis, quæ sibi erant præsentissima. Ait D. Greg. vbi supra: *Iudaos profectò bene Isaac cum filium suum benediceret, designabat, qui & caligans oculis, & prophetans, & in præsenti filium non vidit, cum tamen multa in posterum prauidit.* Est hæc propriissima figura populi temporalissimi, qui cum totus lynceus ad futura fiat, in præsentibus, & cæcus, & erroneus existat. Sic præsentatus Iesus Principi sacerdotum, & interrogatus ab illo, an esset Christus, respondit Dominus: *Tu dixisti*, Matth. 26. verum in pene simili quæstione respondens Pilato Matth. 27. ait: *Tu dicis*. Sacerdos de præterito ostenditur dixisse, Pilatus in præsenti dicere manifestatur. Cur ea diuersitas insinuatur? In sacerdote populus Iudaicus erat, qui vt oculatissimus fuerat ab initio in videndis absentibus, sic ad præsentia videnda erat obcæcatus. In Pilato autem exlex populus ostendebatur, qui tunc solum vidit, cum Iesus præsens adfuit. Ait D. Hilar. in Matth. canone 32. *Respondetur nunquam de præterito sacerdoti, quia semper venturum Christum ex lege ipse dixisset, huic vero legis ignaro interroganti, an ipse esset rex Iudæorum, dicitur: Tu dicis, quia per fidem præsentis confessionis salus gentium est.* Sic ibi.

Matth. 27.

D. Hilar.

§. XL.

Fœlix princeps, cui præ oculis est humanarum rerum vicissitudo.

AGnosco in Babylonio rege fœlicis principis notissimũ insigne, cui humanarum rerum vicissitudo præ oculis semper existit. Ait enim Daniel: *Tu rex cogitare cœpisti, quid futurum esset post hæc.* Procul dubio hæc cogitatio propria est principis fœlicis, qui omnia putat subiecta esse vicibus, & post vnum statum, alium longe diuersum immutere autumat, vt qui in primis nunc est, postmodum sit in infimis, & pareat illi, cui modo imperat. Hinc asserebat Ecclesiastes c. 4. *Melior est puer pauper, & sapiens, rege sene, & stulto, qui nescit prauidere in posterum.* Et stultus est, & infœlix rex, qui nescit prouidere in posterũ, qui nescit præuidere, quid futurũ est post hæc. Symmachus legit: *Qui nescit præcauere vicissitudinẽ.* In hoc est regis sapientia, aut stultitia, fœlicitas, aut infœlicitas principis in hoc est maxime sita: *Si præcauere sciat vicissitudines.* Qui enim sic præsentibus affigitur, vt illa æstimet fixa & stabilia, nec credat posse aliter euenire, stultissimus princeps est; & miserior, & infœlicior vilissimo quoque subdito. At qui sic est in præsenti fœlicitate, vt credat volubilem, & cogitet de iam iam imminenti casu, & discrimine, quo qui imperabat, fiat subditus, is est & fœlix, & sapientissimus princeps. Ad hæc aiebat D. Gregor. Thaumaturg. in præsenti. *Melior est puer pauper, & sapiens rege seno, & stulto, cui in mentem non venit fieri posse, vt quispiam ex carcere, atque ergastulo ad regni gubernacula constituatur; ipse autem postea inique principatu iuste exturbetur.* Hæc est stultitia, & infœlicitas principis, cui non venit in mentem humanarum vicissitudo rerum, vt seruus regni solium ascendat; vt rex incidat in vicem serui. Qui hæc non cauit, infœlix est, stultus est, vt è contra fœlicissimus est, qui hæc maxime præcauet. Cuius cautelæ defectũ in principibus noxium pulchris verbis ostendit Cassiod. 6. var. 13. aiens: *Frequenter nocuit iudicibus ipsa quoque integritas actionis. Nam multos, quos executione coërcitare nisi sunt, ipsos postea impensos iudices pertulerunt. Offendunt enim frequenter ignari, quibus sunt postea parituri: & dum causis alienis fidẽ custodiunt, interdum pericula propria salutis incurrunt.* Expende quid Iudicibus, quid Principibus afferat damni ignoratio mundialis vicissitudinis, quando in solio constituti sæpe eos castigant, sub quorum statim venturi sunt disciplina: illis dura imperant, quibus post modicum sunt parituri; sententiam aduersus eum ferunt, quam ab illis ipsi sustinere videbuntur.

Eccles. 4.

D. Greg.

Cassiod.

Dan. 2. Tu rex videbas, & ecce quasi statua vna grandis, statua illa magna, & statura sublimis stabat contra te, & intuitus eius erat terribilis. Huius statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem, & brachia de argento, porro venter, & femora ex ære: tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis. Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus ferreis, & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta quasi in fauillam æstiuæ areæ: quæ rapta sunt vento, nullúsque locus inuentus est eis: lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram. Hoc est somnium.

§. XLI.

Somnia sunt, & vmbra quæcumque splendida, & sublimia in nihilum possunt abire.

REcte post statuæ sublimitatem narratam, post aureum caput, argẽteum pectus, ventrem æreum, tibias, pedésque ferreos, & fictiles osteosos, ait: *Hoc est somnium*; somnia enim sunt, & vmbræ quæcumque splendida in vilissimos desinunt fines. Ad hæc aiebat Rich. Victor. lib. 1. de interior. hom. part. 1. c. 21. *Hoc est somnium. Ecce imago illa, quæ per visionem cernitur, varia permutatione semper in deteriora ducitur, & quæ in somno à pretiosissima materia incipit, per multiplicia detrimenta decurrens tandem in vilissimam materiam desinit. Quod enim inchoatur in auro, ad vltimum consummatur in luto.* Sic sic somniorum instar habentur mundialia bona, quæ cum à principio splendida reputentur, in vile quid desinunt, & inchoantia ab auro in luto finiuntur. Quæ pulcherrime notabantur Iob. c. 20. vbi dicitur. *Hoc scio à principio, ex quo positus est homo super terram, quod laus impiorum breuis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. Si ascendit vsque ad cœlum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderant, dicent, Vbi est? Velut somnium auolans nõ inuenietur, transiet sicut visio nocturna.* Expende ordinem: in primis ponitur hypocritæ gloria cœlum vsque pertingens, deinde in sterquilinio desinens, quid tunc? *Velut somnium auolans non inuenietur, transiet sicut visio nocturna.* Et quidem quæcumque gloria, quicumque splendor ab aurea pulchritudine inchoans, in luto cõsummatur, siue sterquilinio, somnium est, & visio nocturna. Ex hoc habes, vnde euidentissime distinguas somnia, & vmbras à veris, & solidis bonis, quæ eadẽ sunt in principio, & in fine, vera sunt, quæ in principio sublimitatem, & splendorem referentes, in fine cupri vilitatem, & fimi sterquilinium ostendunt, hæc vmbræ sunt, somnia sunt. De Deo munerante Salomonem dicitur 3. Reg. 3. *Et hæc, quæ non postulasti, dedi tibi, diuitias scilicet, & gloriam, vt nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retro diebus. Si autem ambulaueris in viis meis, & custodieris præcepta mea, & mandata mea, sicut ambulauit pater tuus, longos faciam dies tuos. Igitur euigilauit Salomon, & intellexit, quod esset somnium.* Porro Salomon, vt has promissiones bonorum accepit, simul certior redditus fuit de earum veritate, pro quibus gratias egit, & obtulit holocausta. Cur ergo dicitur de illo, *& intellexit, quod esset somnium?* Verissimas, & certissimas bonorum promissiones, imò exhibitiones recipis, & intelligis, quod sint somnia? Vnde æstimas somnia esse, quæ tibi obuenire in veritate cernis? Erãt bona illa omnia temporalia, erant ex his bonis, quæ in principio splendent, aureum quid fulgurant, sed tandem in fauillas euanescunt, ex qua parte sapiens homo, dum illa recipit, merito intelligit somnia esse. Et quis somniis, & vmbris non æquet bona hæc temporalia, quæ præcipiti cursu in fimum vergunt?

Ric. Vict.

Iob 20.

3. Reg. 3.

§. XLII.

Qui ad vnum vitium rapitur, facile ad multa rapietur; vt qui vnum expugnauerit, facile multa alia expugnabit.

QVot metalla in hac statua video, tot idola illarum gentium meditor; vt enim aureum dicitur caput, argenteum pectus, æreus venter, ferreæ tibiæ, fictiles pedes, sic de gentibus dicitur infra cap. 5. *Laudabant Deos suos aureos, & argenteos, & æreos, ferreos, ligneosque, & lapideos.* Ecce tibi quot metalla, tot regna, tot gentium idola. & quod mirere magis, omnia hæc gentium idola initium habent ab illo statuæ capite aureo. Sic Ierem. c. 50. *Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram, de vino eius biberunt gentes.* Hic Orig. hom. 1. & Chrysost. in Psal. 115. Greg. 34. Moral. 7. putãt à Babylone incepisse idololatriam, & incepit quidẽ à Belo illo Babylonis fundatore, qui primus idolum dedicauit.

Ierem. 50.

At Belus idolum vnum erexit aureum, quid boca d tot idola argentea, ærea, ferrea, fictilia, quæ per cætera regna pullulârũt? Plane vbi mũdus ad vnum idolum raptus fuit, facili negotio, & ad reliqua omnia sese prostrauit. Vbi enim quis homo ab vno vitio rapitur, à quo alio nõ raptabitur? Exod. 32. ingratus populus Israelis vnicum caput aureum vituli dedicabat, & tamen clamat: *Hi sunt dij tui, Israel.* Vnum erat idolũ, & quasi de pluribus clamabat. Et cur cum vnum dedicat, de pluribus fatur? Sic vafer populus consequentiam facit, quod qui semel ad vnum rapiuntur idolum, facili negotio, & pluribus se prostrabit. Chrysost. hom. 5. de Pœnit. *Respicit vnum factum vitulum. Quare igitur, hi dij? Vt ostendat, quod non modo eum, quem videt, adorat, sed & deorum pluralitatem annuntiat.* Iã miser populus dum vnum adorabat, plurimã Deorum turbam per omnes nationes sparsam ab Israele prænũtiat adorandam. Et cui idolo non se prosternat populus, qui semel vitulum adorabat? Infelix homo caue ab idolis, caue à vitiis, si vel vnum admiseris in animo, facili negotio ad plurium adorationem detrahẽberis. Vbi enim intrauerit aureum peccati caput, & cætera membra argẽtea, & ærea, & ferrea, & fictilia proculdubio intrabunt. Sane Roboan duos tantũ vitulos aureos constituit, qui adorentur à populo. 3. Reg. 12. & quæ idola non fuerunt culta ab Israelitis post vitulos? Ait text. 4. Reg. 17. *Fecerunt sibi conflatiles duos vitulos, & lucos, & adorauerunt vniuersam militiam cœli.* Ea erat difficultas, nimirum, quod aliquod idolum admitteretur, ex quo autem vel vnus, vel duo vituli recepti sunt, nec vlla in cœlis mãsit stella, nec in terris animalculum vllum fuit visum, quod nõ acciperet ab Israelitis cultũ. Hinc 4. Reg. 17. dum narratur scelus Israelitarum, propter quod in captiuitatẽ sunt missi, dicitur: *Ambulauerunt iuxta ritum gentium, quas consumpserat Dominus in conspectu filiorum Israel.* Videlicet, iuxta ritum Chananæorũ ambulauerunt, nec illis obiicitur, quod ambulauerint iuxta ritum aliarum nationum: cum nulla vix natio inueniatur, quorum non coluerint Israelitæ idola. Quippe, 4. Reg. 16. Damascenorum idololatriam accipiunt Israelitæ: & Ezech. 23. Assyriorũ, Chaldæorũmque idola similiter adorãtur a populo Israelis. Quærit ergo Abul. qu. 7. ad 4. Reg. 17. cur cùm nullum fuerit idolũ, nec in Damasco, nec in Assyria, nec in Chaldæa, quod non cultum fuerit ab Israelitis, tãtum hic meminerit textus idola Chananæorum? Cur non dixit; quod ambulauit Israel iuxta ritum Chananæorum, & Assyriorum, & Chaldæorum, sed solum dixit quod iuxta ritum ambulauerit Chananæorum? Equidem sufficiebat, quod diceretur populus vnum admisisse idolum, vt inde iam crederetur simul cucurrisse ad reliqua omnia. Amos, c. 5. referens idololatrias à populo peractas in deserto ait: *Portastis tabernaculum Moloch Deo vestro, & imaginem idolorum vestrorum sidus Dei vestri Remphan, figuras, quas fecistis vobis.* Et quidem à Moyse solus dicitur vitulus fabricatus, vnde præter vitulũ, & Moloch, & Remphan, & cætera idola colta? Ait D. Cyril. Alex. ibi: *Conspicuum ac velut commune omnium idolum vitulus erat. Multo porro & alia ab vnoquoque ficta sunt: semel enim ad veterem errorem conuersi, & à semita pietatis in Deum detorti, singuli, quod sibi placebat pro antiqua consuetudine in Ægypto numen fabricabantur, & formabant.* Id quod adhuc ponderabat D. Stephanus, Act. 7. aiens: *Vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hostiã simulacro, & lætabantur in operibus manuum suarum. Conuertit autem Deus, & tradidit eos seruire militiæ cœli.* In pœnam primi idoli admissi, permissi sunt alia multa adorare. Ait Cyril. Alex. in Amos, c. 5. *Vides diuinum Stephanum testimonium dixisse, eos fabricasse vitulum, & ad colendam militiam cœli conuersos esse?* Caue tibi homo ab vno idolo, caue ab vno vitio, si enim vel vni te funditus prostraueris, & simul admittes omnia. Quo retulerim illud Iacobi in epist. Canon. c. 2. *Quicumque offendit in vno, factus est omnium reus.* Qui nescit vnum vitium vigere in anima solum, sed illam misere rapiat ad omnia. Vt è contrario, si animose vnum expugnaueris vitium, etiam facili negotio cætera dabis internecioni. Exemplum est lapis abscissus de monte, qui percutiens statuam in pedibus in fauillam redegit totam illam capitis, & pectoris, & ventris molem. Sic enim habes: *Abscissus est lapis de monte sine manibus: & percussit statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta quasi in fauillam.* Pedes concussit lapis, & omnia contrita sunt; si enim Christi gratia vnum vitium fortiter concutiamus, à nobisque expellamus, & multa alia contrita cadent. Apud Marc. 1. *Erat in Synagoga eorum, homo in spiritu immundo; & exclamauit, dicens, Quid nobis, & tibi Iesu Nazarene? Venisti perdere nos?* Vnus erat iste immũdus spiritus, & quasi de pluribus perditis queritur apud Christum. Cur de pluribus queritur, quando ipse flagellatus est vnus? In se vno prostrato à Christo videbat cæteros omnes perditum ire. D. Chrysost. hom. 5. in Marc. *Qui dicit quid nobis, & tibi, vnus est, & de pluribus confitetur. In eo enim quod vincitur, intelligit, & suos secum esse superatos.* In vno multi superabantur; vbi enim Christi gratia sic confirmamur, vt vel vnum strenue expugnemus vitium, facili negotio & plura alia cadent per eandem gratiam.

Exod. 32. — Chrysost. — 4. Reg. 17. — 4. Reg. 17. — Amos 5. — D. Cyril. — Cyril. — Iacob. 2. — Marc. 1. — Chrysost.

§. XLIII.

Regius splendor Idololatria pater.

Ecce tibi in aureo capite primum mundi regnum à Nemroth, Gen. 10. fundatum, qui fuit Belus, à gentibus dictus Saturnus; sub quo aurea floruit ætas. Hi nimirum, siue Nemroth, siue Belus, aut Saturnus Babylonis fundatores, & primi regnum condiderunt, & primi mundo inuexerunt idololatriam. Itaque vbi primum regius splendor apparuit, ibi & idolum, & inde idololatria, nunquam non regius splendor simile portentum parit. Quo respiciens Synodus Romana. c. 16. in 1. tom. Concil. sic cauet: *Nemo clericus, vel diaconus, aut presbyter propter causam suam quamlibet intret in curia, quoniam omnis curia à cruore dicitur: & immolatio simulacrorum est.* Ecce tibi regales throni vnde nomen sibi sumant, nimirũ à cruore victimarum, vt merito dicatur omnis regia curia, propter ibi cæsas victimas, & omnis regia putetur immolatio simulacrorum esse. Nihil enim prius nascitur in regio splendore & cultu quam idololatria. Non fuit visum in mundo idolum, donec regni solium fuit visum, ex hoc statim apparuit illud. Apud 2. Paral. c. 11. dicit textus: *Roborauerunt regnum Iuda, & confirmauerunt Roboam filium Salomonis per tres annos, ambulauerunt enim in viis Dauid, & Salomonis annis tantum tribus.* Quæ verba ponderat Abulensis, notans, quam paucis durauit diebus Roboam virtus, durauit enim tribus tantum annis, post quos statim cucurrit ad idola. Et cur post tres annos statim cucurrit ad idola? Causam indigitant illa verba, *roborauerunt regnum*, vt primum fuit roboratus, & confirmatus in regno, statim sese prostrauit idolis. Ait Abul. ad 4 Reg. 17. quæst. 6. *Cœpit esse bonus Roboam per tres annos dum confortauit regnum suum postea declinauit ad idola, & populus etiam cum illo.* Itaque dum Roboam non erat confortatus in regno, bonus erat, Deo seruiebat, cum primum regnum confortatum obtinuit, statim idolis cœpit seruire. Tamdiu permansit in Dei seruitio, quandiu non firmus in regno fuit, regni firmitas, & securitas illum traxit in idololatriam. Hinc Oseas, c. 12. Israelitas videns idolis seruientes sic apud illos queritur. *In propheta autem eduxit Dominus Israel de Ægypto, & in propheta seruatus est. Ad iracundiam prouocauit me Ephraim in amaritudinibus suis.* Israel gratus Deo de Ægypto eruebatur, & incolumis à Deo conseruabatur: Ephraimus autem nihil non durum experiebatur apud Deum. Et vnde hoc discrimen? Id notat Oseas dicens: *in propheta seruatus est*, dum sub prophetarum moderamine ante reges viuebat Israel, magnam Deo exhibebat reuerentiam, sub qua florebat. Vbi autem Ephraim factus est, hoc est, sub regibus cœpit esse, statim in idololatriã tractus Deum offendit. Sic enim ait D. Cyril. Alex. ibi: *Accusat eos maiorem in modum, vt totos humano regi subiectos, nec Dei imperium per prophetas sustinentes. Saluauit enim, inquit Deus, Israelem de domo seruitutis, eduxit ministerio Moysis prophetæ, & prophetarum antesignani. Nec solum ex Ægypto eduxit, sed etiam custodiuit: in vero enim & natura colendo Deo persisterunt. Postquam autem sub regno fuerunt, dilectioni erga Deum valedixerunt. Primus Salomon aras, & delubra Baalim ædificauit. Post eum detestandus Hieroboam vitulos aureos fecit. Conqueritur ergo, vt qui pulcherrimam œconomiam non seruauerint, vt à Deo per prophetas regerentur, sed sub hominum potestatem se tradere maluerint, quod eos ad apostasiam quoque perduxerit.* Itaque cum se regibus gubernandus tradidissent, simul & idolorum cultum ebiberunt.

Gen. 10. — 2. Par. 11. — 4. Reg. 17. — Oseæ 12. — Oseæ. — D. Cyril.

§. XLIV.

Ex calamitatibus, & afflictionibus sceleratorum nunquam non metit aliquem fructum Dominus.

A Lapide in pedibus percussa statua, & conteritur, & redigitur in fauillam areæ æstiuæ. Sic enim ait: *Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta quasi in fauillam æstiuæ areæ.* Fauilla autem areæ æstiuæ semper suppone

ponit demessos frumenti fructus; nunquam enim in area super sunt fauillæ, nisi quando & frumenti grana condita sunt. Rediguntur ergo percussa metalla quasi in fauillam areæ, quia ex contritione, & calamitate impiorum, nunquam non nascitur aliquis fructus. Huc etiam spectat illud Isai. 21. *Cecidit, cecidit Babylon, & omnia sculptilia deorum eius contrita sunt in terrã Tritura mea, & filia area mea.* Ecce tibi in Babylonis ruina, & afflictione, & Dei tritura apparet, & messis: non enim paruus fructus metitur à Deo, vbi impij sub afflictione, & calamitate veniunt. Hinc Sophon. cap. 1. *Congregans congregabo omnia à facie terræ, dicit Dominus, congregans volatile cœli, & pisces maris, & ruina impiorum erunt, & disperdam homines à facie terræ, dicit Dominus.* Quæ verba sic Septuag. transtulerunt: *Defectione deficiat à facie terra, dicit Dominus, deficiat homo, & iumẽta, deficiant volatilia cœli, & pisces maris, & infirmabuntur impij.* In vulgata ait Dominus: *congregabo omnia*, apud Septuag. dicitur, quod deficiat homo, quod deficiant iumenta. Quid quod hæc deficiant, vt Deus congreget? Equidem fieri nequit, vt Deus fructum sibi non congreget, in omni defectu, & ruina, & calamitate impiorum. Exod. 5. petebatur ex Pharaone, quod liceret Israeli exire, vt sacrificaret Deo suo; respondit vero Pharao: *Nescio Dominum, & Israel non dimittam.* & dixit superbissimus, & ingentes plagas, & calamitates traxit regno suo. Et quid fructus, quid vtilitatis percepit Dominus ex tot calamitatibus illatis regi superbissimo? Potuitne fieri, vt vel Pharao afflictus aliquid fructus Deo reddiderit? Accipite Orig. in cat. Lipp. fantem: *Vides quid agit cruda superbia? Donec in laboribus hominum non est, & cum hominibus non flagellatur, propterea tenuit eum superbia. Denique videbis eum paulo post, quantum proficit in flagellis, quanto melior verberatus efficitur. Iste, qui modo dicit, nescio Dominum, postea cum vim senserit verberum, dicturus est, orate pro me Dominum, & non solum hoc, sed etiam contestantibus magis fatebitur, quia digitus Dei est in virtute signorum. Nemo ergo ita ineruditus diuina sit disciplina, vt flagella diuina pernitiem putet, vt verbera Domini pœnalium credat interitum. Ecce Pharao durissimus, tamen proficit verberatus. Ante verbera Dominum nescit, verberatus supplicari pro se Dominum rogat. Est profectus in pœnis, hoc ipsum agnoscere, quod meruerit pœnam.* Piaculum duxi aliquid decerpere, quando iis patebat, quam fructuosæ sint afflictiones in peccatoribus, siquidem hæc potuerunt aliquid efficere vel in Pharaone, quo superbissimus alioquin homo veretur Dominum.

Isai. 21. — *Sophon. 1.* — *Origen.*

Dan. 2. Interpretationem quoque eius dicemus coram te, Rex. Tu Rex Regum es: & Deus cœli regnum, & fortitudinẽ, & imperium, & gloriam dedit tibi: & omnia, in quibus habitant filij hominum, & bestiæ agri, volucres quoque cœli dedit in manu tua, & sub ditione tua vniuersa constituit: tu es ergo caput aureum.

§. XLV.

Primus in qualibet virtute, & splendore multum in eo sequentes omnes excedit.

QVatuor sibi succedentẽs Monarchias mundi proponit Daniel, nimirum Monarchiam Chaldæorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum; quorum singulorum glorias, triumphos, diuitias, splendores, latitudinẽ ditionis, subditorum numerũ, si perpendas, vix inuenies, in quo quis aliũ superauerit. Nihilominus Daniel tres monarchias succinctè memorãs, imo & postponens in amplificanda Chaldæorum monarchia multus est. Ait enim: *Tu es Rex regum, & Deus cœli regnum, & fortitudinẽ, & imperium, & gloriam dedit, & omnia in quibus habitant filij hominum, & bestiæ agri, volucres quoque cœli dedit in manu tua, & sub ditione tua, vniuersa constituit.* An talia dixit de reliquis tribus? Nullo modo; nec enim de Persarum rege, neque de Græcorum, aut Romanorum Imperatore dixit, quod Reges regum sunt, licet & hi plurimos reges sibi subditos habuerint; neque quod Deus iis dederit & regnũ, & fortitudinem, & imperium, & gloriam, & omnia alia splẽdida, licet in his minime inferiores fuerint. Cur ergo de solo rege Chaldæorũ fatur, quod rex regum sit, quod de Dei manu regnum, & fortitudinẽ, & gloriam acceperit, & quod aureus ipse reliquos excesserit, vt aurum cætera metalla excellit? Ex Gen. c. 10. habes regnum Babylonicum fuisse primum omnium mundialium regnorũ. Sic enim ibi: *Chus genuit Nemrod, ipse cœpit esse potens in terra, & erat robustus venator corã Domino. Fuit autẽ principium regni eius Babylon, &c.* Itaque in Babylonia sede fundata à Nemrod, instaurata, & ampliata à Nabuchodonosor apparuit primus in mundo regni splendor. Ne miremur, quod vbi primò regales virtutes radiare cœperunt, ibi maiora decora ponantur apud homines, & apud Deum. Habet hoc, qui primus aliquam virtutem inuexit, vt præ cæteris in facinoribus splendeat. Notissima est aquarum virtus, qua per baptismum regeneramur filij Dei, dicit enim Dominus, Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Vnde sic aqua supra omnia elementa extollitur, vt credatur de illa venire, quod regeneremur filij Dei, hæredes cœlestis regni? Habes Gen. 1. quod postquã iusserit Deus terræ, vt produceret herbas, & ligna, immediate dixerit: *Producant aquæ reptile animæ viuẽtis, & volatile super terram sub firmamento cœli, &c.* Itaque prima omniũ elemẽtorum aqua iubetur producere viuentes animas, siue, quæ natent in fluminibus, siue quæ ad cœlestia euolent, quæ autem prima animas genuit, & volucres in cœlum direxit, non miror, quod supra omnia elementa eligatur, vt cœlestes etiã homines regeneret. Pulchre ad hęc Tert. lib. de Baptism. c. 3. *Primus liquor, quod viueret, edidit, ne mirum sit in baptismo, si aquæ animare nouerunt.* Non mirũ equidem est, quod aquæ in baptismo adeo exaltentur, vt faciant animas esse cœlestes, quando aquæ primæ fuerunt in productione animarum viuentium. Quæ enim dignitas non credatur de eo, qui aliquã virtutem primus inuexit in orbẽ terrarum? Act. 11. de Paulo, & Barnaba dicitur: *Et annum totum conuersati sunt ibi in Ecclesia, & docuerunt turbam multam, ita vt cognominarentur primum Antiochiæ discipuli Christiani.* Et quãtum hoc Antiochiæ præconium? De illa D. Chrysost. hom. 17. ad Populum, fatur: *Quæ tandem est ciuitatis nostræ dignitas? Contigit primum Antiochiæ discipulos appellare Christianos. Hoc autem ciuitatum, quæ sunt in mundo, cunctarum habet nulla. Nec ipsa Romuli ciuitas. propterea contra omnem terrarum orbem oculos erigere potest, quoniam erga Christum amoris ignem habet, propter fiduciam, propter virtutem illam.* Multum equidem habet, vnde sese quis extollat super alios, si aliquam primus virtutem inuexit in mundum. Huc trahe dicta supra lib. 1. c. 3. §. 6.

Gen. 10. — *Ioan. 3.* — *Gen. 1.* — *Tertul.* — *Actor. 11.* — *D. Chrys.*

§. XLVI.

Regni gloria, & commendatio ab abundantia bonorum, quibus subditi egent ad vitam.

DIxerat à Deo datum esse Nabuchodonosori, *imperium, & gloriam*, & statim nuncians quę data sint illi in particulari, & meminit bestias agri, & volucres cœli, ait enim, *volucres quoque cœli dedit in manu sua.* Cur nõ prius memorat amplissimas ciuitates, numerosos exercitus, validissimas arces? Nõne gloria regni est maxima ciuitatũ amplitudo, & arces, & exercitus? cur hæc prætermittẽs, hoc satagit, vt ostẽdat illi & terræ bestias, & cœli volucres esse datas? Equidem in iis ostendebatur abundantia bonorũ, quæ necessaria est ad subditorũ vitam, quæ est prima gloria, & cõmendatio regni, & de qua vnica nascitur regnorũ claritas; vt si hæc desit, cætera omnia in sordes abeant. Hinc Gen. 1. *Dixit Deus primis hominibus. Replete terram, & subiicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram. Dixitque Deus. Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habẽt in semetipsis sementẽ generis sui, vt sint vobis in escã, & cunctis animantibus terræ, &c.* Ecce tibi datur homini principatus animalium, sed & statim omnis agrorũ herba illi datur, vt abundè cibus superfit animalibus. Cur vbi principatus datur, tã cito curritur ad herbam procurandam, nisi vt inde commendaretur homini gloria principatus inter animantia, pro quibus sustentandis fœcundi cãpi copiosissimam annonã suppeditabãt? Ad hæc D. Chrysost. apud Lippom. fatur: *Magna Domini erga hominẽ, quem condidit, ostenditur cura. Nã qui ipsum produxit, & omne ei dominium creaturæ tradidit, vt ne statim ab initio iumentorũ multitudinẽ videns, stomachari possit, quasi non sufficeret ad alenda tot, & tanta animalia, priusquam de hoc cogitaret, bonus Deus præueniendo demulcet eum, & ostendit, quod tam ipse quam iumenta, & bruta omnia præcepto Domini omnem copiam terræ suppeditante sit habiturus.* Quis homo non auersaretur principatum, in quo plures videbat subditos, & annonam paruam, aut nullam? Vt ergo Deus hominem principem animalium creans demulceret illum commendatione, & gloria principatus, non sinit subditos apparere, quin statim copiosissimam annonam pro illis sustẽtandis in prõptu constitueret.

Gen. 1. — *D. Chrys.*

Fugiendus enim & maximè ridendus principatus, in quo alimentorum,& necessariorum penuria. Vt merito dicat ille apud Isaiam cap.3. *In domo mea non est panis,neque vestimentum,nolite constituere me principem populi.* Principarum refugit, in quo subditi nulla habituri erant alimenta & quis velit esse princeps eorum,qui fame intereunt? Ille solus principatus commodabilis,imo amabilis est,qui copiosissima annona subditos replet. Vnde Ecclesiastes,c.10.ait: *Beata terra,cuius rex nobilis est,& cuius principes vescuntur tempore suo.* Ecce tibi,vt putat terram beatam sub principe nobili. Et cur sic extollit principatus nobilitatem? Statim explicat: *In risum faciunt panem,& vinum,vt epulentur bibentes, &c.* Vbi eleganter Caietan. ait: *Ad scriptam terram beatam pertinent hæc,videlicet abundantia panis,& vini,& pecunia. Par enim est,vt rex optimus, & principes temperati gubernent ciuitatem, seu regnum in abundantia panis, & vini, & argenti. & abundantia panis describitur, per facere panem risus.* Vbi panis,& cætera alimenta sic abundant, vt erectis lacrymis risu impleantur subditi, & sint læti vniuersi: ille principatus commendabilis est,& dignus viro regio.

Isai.3. — Eccl.10. — Caietan.

*Dan.*2. Et post te consurget regnum aliud minus te:& regnũ tertium aliud æreum, quod imperabit vniuersæ terræ. Et regnum quartum erit velut ferrum, quomodo ferrum comminuit, & domat omnia: sic comminuet,& conteret omnia hæc. Porro quia vidisti pedum, & digitorum partem testeam figuli, & partem ferream; regnum diuisum erit, quod tamen de plantario ferri orietur, secundùm quod vidisti ferrum mixtum testæ ex luto. Et digitos pedum ex parte ferreos,& ex parte fictiles:ex parte regnum erit solidum, & ex parte contritum. Quod autem vidisti ferrum mixtum testæ ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhęrebunt sibi,sicut ferrum misceri non potest testæ.

§. XLVII.

Sola illa dignitas æstimanda,& prædicanda,ad quam sine diminutione perueneris.

QVi tantus fuerat in primo illo Chaldæorum regno extollendo,quod in aureo capite significabatur,vbi ad secundum nimirum Persarum regnum accedit,quod in argenteo pectore ostenditur; nihil prorsus magnum,nihil splendidum de illo dicit. Solum enim ait: *Post te consurget regnum aliud minus te.* De primo dicebat, quod Deus illi fortitudinem,& gloriam dederat,quod sub eius ditione vniuersa cõstituerat, de hoc nihil dicit, sed solum ait, quod consurget regnum aliud minus illo. Et cur de hoc regno nihil prorsus dicit, cum tanta dixerat de illo? Rationem inuenio in verbis illis, nimirum, *consurget regnum aliud minus te,* non equidem æstimat regnum,quod in diminutione constituitur,quando sola æstimanda. & prædicanda dignitas est, ad quam nulla cum diminutione peruenitur. Hinc extollebat adolescentem ad insulas consulatus euectum Cassiod.lib.2.var.2. *Illustri honore ditatus tanta te maturitate tractabas,vt annos leues pateraris esse sub pondere, quem non potuit in prima ætate vincere fortissima vis naturæ. Paterna enim substantia locupletatus, qua semper nouos extollit hæredes,conseruasti diuitias,cum ad eas præter laboris studia peruenisses. In tanta facultate meruisti, ad quod vix euersis patrimoniis peruenitur.* Hoc laudabile in viro, quod integris facultatibus,integris patrimoniis eas dignitates attingat,quas alij nisi prius euersis patrimoniis non attingunt. Et quæ dignitas erit, quæ vt attingatur,census imminuit,exedit patrimonia,substantiam consumit? Sane illa in viro ingenuo sola debet prædicari dignitas, in qua tenenda nihil ostenditur minus,sed omnia ad splẽdorem pertinentia manent integra. Vt merito rideat Oseas Ephraimi sceptra,quæ minime tenebantur, nisi cum diminutione diuitiatum ingenti: Ait enim c.8. *Onager solitarius sibi,Ephraim munera dederunt amatoribus suis,sed & cum mercede conduxerunt nationes.* Prima verba ex Septuag.habes: *Refloruit per se ipsum Ephraim,*vt florẽs eius status in regno ostenderetur. Sed vt florida hæc serta sibi imponerent,quid Ephraimitæ fecerunt? *Munera dederũt amatoribus suis,sed & cum mercede conduxerunt nationes.* Sapienter noster Sanchez hæc refert ad Reges Israel,qui non nisi datis pecuniis, & exhaustis crumenis, cum ingenti facultatum dispendio compararũt ab Assyriis posse quiete viuere in regno, quod sane maxime indecorum, & vilissimæ æstimationis erat in regibus. Quo spectans D.Cyril.Alex.ibi fatur: *Excindendus sicut truncus rex de tribu Ephraim,refloruit per se ipsum, hoc est,sine Deo,aspirationem Dei non habens,putauit se victurum, & radices alias acturum, & thronum suum non amissurum. Emit enim dilationem mali ad tempus modicum contentus dona non accipere,sed dare. Quid inde? Vtilitas nulla.* Et quidem vtilitas nulla, splendor nullus est in dignitate,in solio,in quo bonis exhaustus sedes. Illa,mihi crede,est dignitas, ille est honor,qui te non depauperat, nec minimum censu ostendit. Hinc de infamissimo Iasone ait 2.Machab.4. *Ambiebat Iason frater Oniæ summum Sacerdotium,adito rege promittens ei argenti talenta sexaginta,& ex reditibus aliis talenta octoginta.* Quale Sacerdotium, quod tot argenteis talentis vacuatum referebat suum alumnum? Gloriosior Gaudentius ille,de quo Sidon.Apoll.lib.1. epist.4.inquit: *Macte esto,vir amplissime,fascibus partis, dote meritorum.quorum vt titulis, apicibusque potiare,non maternos reditus,non ciuicas largitiones, non vxorias gemmas,non paternas pecunias numerauisti. quia tibi è contrario apud principis domum,inspecta sinceritas, spectata sedulitas, admissa sodalitas laudi fuerunt.* Hæc gloria,hæc acquisitæ dignitatis maiestas,quod integris bonis illam obtinueris,nec necessum fuerit minorari in patrimonio,vt alto radiares à culmine.

Cassiod. — Oseæ 8. — D.Cyril. — 2.Mach.4. — Sid.Apol.

§. XLVIII.

Solius sermonis pompa tota terrea, nil habet cæleste.

TErtium regnum Græcorum regnum est,quod ideo dicitur æreum, quia loquax, quia oris pompa famosum, vt notat D.Hieron.& ex eo noster Cornel.à Lapide. Et notandum quod de natione vocalissima,& sermonia cultissima dicatur, quod *imperabit vniuersæ terræ.* Merito enim ad terram deiicitur principatus eius,qui solo sermone potens est,nec illi plaudit vnquam aliquid cœleste. Ecce tibi,2.Reg.23. *Hæc nomina fortium Dauid. Dauid sedens in cathedra sapientissimus, princeps inter tres, ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus. &c.* Hæc verba explicantes, Isidor.Clarius,Vatab. Glossa Interlin.incipiunt fortium Dauid Catalogum ab illis verbis: *Sedens in Cathedra sapientissimus,princeps inter tres:* & suppresso nomine primum fortissimorũ hac periphrasi ostendunt. Et cur ille, qui in Cathedra proponitur disertissimus, sine nomine proprio diuulgatur? Sapienter nomen disertissimi hominis tacetur,vt sciamus per solius sermonis splendorem, nullius nomen cœlesti in catalogo proponi. Aiebat Galfridus in Allegor.Tilman. *Primo huic historia regum non protinus nomen datur: quia nec dum ad nomen transit,si solum sine aliis charismatibus sapientia,& scientia inuenitur accepisse sermonem. Nam etsi magnum illi exinde datum fuerit nomen in terra iuxta nomen magnorum,qui sunt in ea,multum desipit,si præsumit,quod continuo etiam nomen suum similiter adscribatur in cœlo.* Insipiens est,quisquis putat aliquid cœleste teneri sola sermonis disertitudine, licet hæc potentissima sit,vt dominetur terrenis. Potest enim fieri,vt sermonis splendor in terra valeat,ad cœlestia autem nisi de adiunctis virtutibus nihil valet sermo. Dicebat Dominus Luc.10. *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.* Et quis est iste fulgur de cœlo ad terram vergens? Cum omnium splendorum proprium sit,vel in cœlis esse,vel ad cœlos ascendere, vnus fulgur, qui inter nigricantia nubila apparet, à cœlo videtur exclusus, & ad terras deiici. Quid aptius in illo fulgure potest significari, quam vnius sermonis splendor,& fulgur mundialis eloquentiæ? Ex quo monebat D.Hieronym. epist.ad Hedibiam: *Nec fulgore sæcularis eloquentiæ delecteris, quam vidit Iesus quasi fulgur cadentem de cœlo.* Ecce tibi vt totus sermonis splendor, si solus est,nequeat consistere in cœlestibus, sed inde repellatur ad terram, ibique reptans appareat,ab omni cœlesti fructu alienus. Potest equidem sermonis splendor terrena possidere, potest inter puluerulentas nubes mundi intonare, & aliqualem lucem ostentare,at de cœlestibus aliquid ostẽdere minime potest. Vt enim nunquam fulgur paret, nisi de obducto cœlo, sic splendor sermonis cœlestia obnubilata relinquens terrenis dominatur. Quę spectans D.Paul.1.ad Corint.2.aiebat de se:

2.Reg.23. — Galfrid. — Luc.10. — D.Hier.

1.Cor.2. *Sapientiam autem loquimur inter perfectos. Sapientiam vero non huius ſeculi, neque principum huius ſeculi, que deſtruuntur.* Et qui ſont principes huius ſæculi, quorum ſapientiam deteſtatur Paulus? Putarim hos eſſe rhetores,& oratores,qui tota oris pompa hominum ſæcularium, & terrenorum dominantur, in quibus nil altum,nihil ſublime,nihil cœleſte apparet,ſed ſupra ſæculum, & terram non habent amplius. *Chryſoſt.* D.Chryſoſt. in præſ. *Principes huius ſeculi vocantur,qui in dignitatibus ſunt, qui humana ſumma contentione expetenda arbitrantur,philoſophos ſcilicet,rhetores,& oratores.Etenim iſti interdum alios ſuperarunt,& ciuitatum principes euaſerunt. Saeculi autem principes appellauit, quoniam, vlet a praeſens ſaeculum,eorum non extenditur principatus.* Rhetores & oratores ſermonis ſolius pompa dominati ſunt mũdialibus,& ſæcularibus,verum vltra ſæculum ſupra terram,cœleſte nihil habuerunt. *Ecclеſ.6.* De iis Eccleſ.6.ait: *Omnis labor hominis in ore.* Vbi D.Gregor.hom.in Epulonem. *Quiſquis hoc ſolum laborat, vt ſciat, quid loqui debeat ab ipſa refectione mentis ieiunat.*

§. XLIX.

Stultiſſima omnium facetia, quæ in ſpurca, & obſcœna deſcendunt verba.

VOcaliſſimum Græcorum imperium non miror,quod æri vocaliſſimo metallo comparetur;ſed illud obſcurius eſt, cur comparetur ventri æreo? Noui in ventre æreo loquaciũ hominum ſtultiſſimum ingenium,qui acuminis commendationem venantur ex eo,quod nudis nominibus ſint vſi circa ea,quæ à ventre cadunt,vel ſunt infra ventrem.Horum ingenium nouerat Sidon. Apoll.lib.3. epiſt.13. eum ſic amicum *Sid. Apoll.* monet: *Vnice probo,gaudeo,admiror, quod caſtitatis affectu contubernia fugis impudicorum: praeſertim quibus nihil penſi,nihil ſancti eſt in appetendis, garriendiſque turpitudinibus, quique quod verbis inuerecũdis aurium publicarum reuerentiam inceſtant,granditer ſibi videntur faceti.* Ecce tibi vocaliſſimi hominis acumen quo perueniat; tune ſibi videtur granditer facetiari, grandéque ſophos dicere,quando ea,quæ veneris ſunt,nudis vocabulis exprimunt; quando inuerecundis ſermonibus publicarum aurium reuerentiam inceſtant. Hoc ingenium eſt vocaliſſimorum hominum: quod eò citius fugiendum, quo magis noſcitur nociuum,& lethale. Vnde monebat Paul.ad Epheſ. *Epheſ.5.* c.5. *Fornicatio autem, & immunditia,aut auaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos: aut turpitudo, aut ſtultiloquium,aut ſcurrilitas.* Iuxta D.Chryſoſt.ſic hæc vltima leguntur: *Aut obſcœnitas,& ſtultiloquium,& facetiarum vrbanitas.* Inter grauiſſima fornicationis facinora meminit Apoſtolus ſcurrilitatem hominum loquacium,ſiue facetiarum vrbanitates.Et cur has ſcurrilitates,ſiue facetias poſuit inter illas, niſi quia has turpes & ſtultas facetias neceſſum eſt,vt comitetur ſemper turpe fornicationis facinus? *Chryſoſt.* Ait D.Chryſoſt. in præſenti: *Quemadmodum vociferationem tanquam ira vehiculum ſuſtulit, ita & nunc turpiloquium, & facetiarum vrbanitatem, vt fornicationis vehiculum aufert.* Non equidem longe abſunt turpiſſima facinora in eo, qui ſic obſcœne aſſueſcat facetiari. A quo,quã fugere debeas,oſtendit Sidon.Apoll.lib.3.epiſt.13. *Sid. Apoll.* *Igitur in voto meo feceris, ſi talium ſodalitate ne congreſſu quidem primore ſorere,maxime illorum, quorum ſermonibus proſtitutis,ac theatralibus nullas habenas,nulla promittit repagula pudor. Nam quibus cuta honeſtatis nitorem iactabundis loquacitas face petulantia lingua polluitur infraniis,his conſcientia quoque ſordidiſſima eſt.* Hæc ibi.

§. L.

Affectus feriendi, & demoliendi viliſſimarum creaturarum refert ſpeciem.

REgnum quartum dicitur eſſe velut ferrum, nimirum regnum Romanorum, qui pene vniuerſum mundum ſubiugauerunt.Sed illud quærendum,cur regnum Romanorum ſplendidiſſimum,cantatiſſimum,tam vili metallo comparetur? Quid eſt ferrum ad aurum,ad argẽtum,ad æs? Sane omnium illorum viliſſimum eſt ferrum;cur ergo illi comparatur adeò ſplendidum regnum? De illo text.ait: *Quomodo ferrum comminuit, & domat omnia,ſic comminuet,& conteret omnia hæc.* Non miror,quod regnum excitatum ad conterendũ, ad percutiendum viliſſimi metalli ſpeciem referat, non enim multum abſimilis eſt à viliſſimis creaturis,qui ex percutiendi,& demoliendi affectu cenſetur. *Carthuſ.* Aiebat Carthuſ.in præſenti: *Romani praeſertim tempore Iulij,atque Pompeij,& Octauiani monarchiam ſortiti ſunt; omnemque regnorum,gentium,& gloriam deuicerunt, ac plurimos occiderunt. Vnde hoc regnum ſignatum eſt per ferreas tibias ſtatuæ huius.* Expende, vnde dicatur natum, quod Romanum Imperium per viliſſimum ferri metallum deſignetur; nimirum ex eo, quod omnia proſtrauit, omnia cõminuit,plurimos percuſſit,& quid apud homines obſcurios eo affectu,qui ſolum videtur intẽtus ad percutiendum? *Ioel 2.* Ioel c.2. *Reddã vobis annos,quos comedit locuſta,bruchus,& rubigo,& eruca fortitudo mea magna,quam miſi in vos.* Non loquitur Dominus de veris iis vermibus, ſed ſub horũ vocabulis notat fortiſſima imperia ethnicorum,à quibus non ſemel Iſraelitæ deſtructi fuerunt. Quocirca Rupert.ait: *Rupert.* *Valde notandum eſt,quod regna illa tam fortia,tamque potentiſſima,tã mirabiliter, & magnificat, & deprimit;vt & minimis vermiculis, locuſta, bruchо,eruca,rubigini comparet,& fortitudinem ſuam nuncupet.* Quid mirabilius? Et cur regna adeò fortia,adeò potentia,vt de illis affirmetur,quod ſint fortitudo Dei,ſic deprimuntur,vt viliſſimis animalculis comparentur? Sanè virtus,qui vocabatur fortitudo Dei, Angelus erat Gabriel miſſus Mariæ, vt magnum incarnationis opus in medium proferret. Cur modo imperij potentiſſimi virtus,quæ vocatur,fortitudo Dei,non Angelus,ſed locuſta,ſed bruchus, ſed eruca dicitur? Merito vbi tanto negotio ſalutis fortitudo Dei ingeritur, ſub angelico throno oſtenditur, nihil enim magis glorioſum ea fortitudine,quæ ſaluti eſt. Vbi autem tota fortitudo applicatur ad percutiendum, ad deſtruendum,ibi nullius magis, quam viliſſimorum animalculorũ ſpeciei refertur. Ex hoc ſapienter mordet Nazianzen. orat. 18. Præſules,qui nimis gloriabantur poteſtate feriendi accepta. *Nazian.* Ait enim: *Nec paſtores facti ſunt, niſi vt laniene, & diſpergant, atque aliorum labores infringant. Quandoquidem facilius ſemper eſt labefacere,ac perdere,quam conſeruare,& labore quidem homo gignitur,vt ait Iob, & manu extruitur, & domus ædificatur,interficere autem aut euertere,aut incendere quiuis facile poteſt. Ac proinde, ne nunc quidem inſolentius ſeſe efferant,qui ne ouiculam vnam proferre poſſunt,quam adduxerint, vel conſeruarint. Quod ſi gregem perturbant, idem & parua tempeſtas efficere poteſt,idem & exiguus morbus,idem & beſtia vna repente ingruens.* Non equidem viliſſimarum creaturarum ſpeciem ſuperas,dum totus es in plagis inferendis. Hinc etiam de Ieroſolyma deſtruenda à nationibus ait Oſeas c.2. *Oſeas 2.* *Comedent eam beſtia agri.* Græcus legit: *Comedent eam volucres cæli, & beſtia agri,& reptilia terra.* Ecce tibi vt ſplendidiſſima imperia in beſtiis,& viliſſimis reptilibus ſignificantur. Et cur per adeò vilia animalcula ſignificantur ſplendidiſſima regna,niſi propter affectum nocendi? Ait D. Cyrill. Alex. in præſenti *D.Cyrill.* num.27. *Dicebamus, per beſtias, & volucres ſignificari hoſtes Iudæorum regionem depopulantes, Perſas, Medos, Babylonios, & ex aliis cuiuſque generis commiſtam hoſtium multitudinem, qui à ferocibus beſtiis non multum abfuiſſe intelligi queant propter mores ſanguinarios,reptilia vero,quia atroces,& maligniſſimi.* Nil pene habes à beſtiis differens,à reptilibus diſtinctum,qui ſanguinarius es,qui percuſſioni,& deſtructioni intendis.

§ LI.

Longe diſtat à bono Principe,cuius benefica prouidentia non omnibus ſufficit ſubiectis.

VIde in quos fines deueniat ferreum regnum;deſinit nãque tota illa ſtatuæ machina in eos pedum digitos, qui partim ferrei ſint,partim teſtacei. Quid hoc? Ait Daniel. *Et digitos pedum ex parte ferreos,& ex parte fictiles: ex parte regnum erit ſolidum,& ex parte contritum.* Quod ad ſoliditatem, quod ad virtutem pertinet, nihil integrum, & completũ in ferreo regno apparet,ſed dimidiatum,ſed partiarium; in quo euidentiſſime oſtenditur nequitia ferrei principatus.Quis non ferreum, & peſſimum æſtimet principẽ illum,cuius benefica prouidentia ſic in parte exhauriatur, vt ruinæ, & contritioni ingentem alumnorum multitudinem tradat? *Tertul.* Pulchrè Tertul.lib.1. in Marcionem, hæreticum pungit, qui bonum dominum annuntiabat illum, ex cuius bonitate proueniebat,quod ingens hominum pars traderetur exitio,& flãmis. Ait enim: *Pluribus pereuntibus,quomodo perfecta defenditur bonitas ex maiore parte ceſſatrix,paucis aliqua,pluribus nulla,perditioni cedens,partiaria exitij? Nec tam imperfecta,imò,& defecta,exigua, & exhauſta, minor numero materiarum ſuarum, quæ non in omnibus exhibetur.* Expende illud, *ex maiore parte ceſſatrix*; quippe quæ à principe veniebat bonitas in ſubditos, & illorum partem minimam attingens, ibi ceſſat, maiorem partem relinquens,& tradens contritioni,hæc immerito imperfecta

bonitas appellatur, ſed prorſus exhauſta, nihil bonitatis habens. Ride bonitatem, quæ ſimul ſit mortis, & exitij partiaria: de cuius affectu venit, quod ſolum creſcat pauci, & plures in extremam ruinam abeant. Sanè nunquam non dure, & peruerſe agitur cum illo, qui relinquitur ex maiore parte contritus. Dicebat Marcion hominem in reſurrectione futurum fœlicem ſecũdùm animam, quæ ſola appariturа erat in gloria, manente corpore ſemper in puluerem diſſipato. Ridet hanc ſtultitiam Tertul. lib. 1. in Marcionem fatus: *Si plena eſt gratia, & ſolida miſericordia, quæ ſoli animæ ſalutaris eſt, plus præſtat hæc vita, qua toti & integri fruimur. Cæterum ex parte reſurgere, mulctari erit, non liberari.* Pulchre ſapiens author componit regnum huius vitæ, cum regno futuræ à Marcione compoſito. Confingebatur regnum futuræ vitæ glorioſum quidem, ſed ſolum ex parte ſolidum, nempe ex parte ſolius animæ glorioſum & conſtans; ex parte vero contritum, nimirum ex parte corporis in puluerem redacti in perpetuum. Quantula ergo hæc gloria vitæ futuræ pro ſola parte? Equidem Tertul. hanc vitam illi præfert, qua integri, & perfecti fruimur ſecundùm vtramque partem. Nequit enim in partiaria bonitate aliquid admittere præſtantiæ, imo ibi totum malum, & totum durum æſtimat, vbi bonum eſt ſolum pro parte. Ad mulctam enim, non ad gloriam reducit, quod ex duabus hominis partibus, altera in gloriam eacitetur, altera in pulueris contritione maneat.

Tertul.

§. LII.

Nuptiarum fœdera in regibus minime amicitias firmant.

QVam antiquitus reges per nuptias quæſierunt pacis amicitiarúmque firmitatem, tam antiquitus illam non inuenerunt. Veriſſimum illud à Daniele dictum de Romanorum principibus, *commiſcebuntur quidem humano ſemine, ſed non adhærebunt ſibi.* Id quod ſæpe in fere omnibus regibus viſitur. Qui reges confinantium amicitias non quæſierunt per nuptias? Et quæ nuptiarum, & affinitatum reuerentia reges à bello, à ſanguine cohibuit? Innumera exempla ſuppetunt, quæ explicent, quam potius ſint infauſta regum connubia. Sed pro mille ſit illud, de quo D. Proſper in Chronic. 4. inquit. *Inter Valentinianum Auguſtum, & Aetium Patritium poſt promiſſa inuicem fides ſacramenta, poſt pactum de coniunctione filiorum, diræ inimicitiæ conualuerunt, & vnde fuit gratia charitatis augenda, inde exarſit fomes odiorũ, incentore, vt creditum eſt, Heraclio Spadone, qui ita ſibi imperatoris animũ in ſincero famulatu aſtrinxerat, vt eum facile, in qua vellet, impelleret. Cum ergo Aetius placita inſtantius ingerit, & cauſam filij communis agit, Imperatoris manu, & circumſtantium gladiis crudeliter confectus eſt.* Hæc ibi, vt hinc videas, quid citius naſcatur e regalibus iunctis thalamis, quam ſæpe vnde gratia amicitiæ augenda erat, exardet fomes odiorum, vel nihil amicum exurgit. Fallar niſi regalibus thalamis conueniat illud Iſaiæ 28. *Coangustatum eſt enim ſtratum, ita vt alter decidat, & pallium breue, vtrumque operire non poteſt.* Equidem anguſtiſſimi ſunt regum thalami, adeò vt ſi ſemel accipiant ſponſam, poſt hanc nulli alij ſponſæ fratri ſufficiat, imò & hinc inde frequentiores ſibi caſus timeat, quàm ſperet augmenta, & ſuffugia. Vide ſuprà lib. 2. c. 4. par. 2. §. 20.

Daniel.

D. Proſp.

Iſai. 28.

Dan. 2. In diebus autem regnorum illorum ſuſcitabit Deus cœli regnum, quod in ęternum non diſſipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur comminuet autem, & conſumet vniuerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum. Secundùm quod vidiſti, quod de monte abſciſſus eſt lapis ſine manibus, & comminuet teſtam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum, Deus magnus oſtendit regi, quæ ventura ſunt poſtea, & verum eſt ſomnium, & fidelis interpretatio eius.

§. LIII.

Temporalia omnia ſub communi prouidentia relinquuntur, quæ æternitati annexa ſunt, ea peculiari Dei prouidentiæ ſubſunt.

DE quatuor monarchiis locutus Daniel, ſolum dicebat, *conſurget regnum*, vel, *regnum quartum erit*, vbi ad hoc cœli regnum accedit, non dicit, quod ſurget, vel, quod erit, ſed quod Deus ſuſcitabit illud. Sic enim ait: *In diebus regnorum illorum ſuſcitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur.* Expende illud, *ſuſcitabit Deus*, in quo ſignificatur quod non vtcumque, ſed ex particulari Dei prouidentia, & cura & ſollicitudine exſurget. Et cur hæc particularis cura, & prouidentia Dei non ad alia, ſed ad hoc ſolum exprimitur? In illis verbis cauſam attingo, *quod in æternum non diſſipabitur*: vbi autem inuenitur quid æternitati addictum, ibi inuenitur Dei peculiaris prouidentia, & cura, & ſtudium: quæ temporalia ſunt, communi prouidentiæ relinquuntur. Dicitur Geneſ. cap. 2. *Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis.* Quibus verbis innuitur Dei peculiare ſtudium, & cura in plantando paradiſo; ex quo Rupert. pulcherrime concludit paradiſi æternam amœnitatem. Ait namque lib. 5. in Geneſ. cap. 26. *Verbo plantantis fœlicis rei æternitatem, nomine voluptatis eleganter eiuſdem expreſſit iucunditatem. Verbum namque plantantis, plantatoris eius, ſiue hortulani ſtudium innuit, qui nunquam tranſitoriis rebus ſtuduit, ita vt cura ſibi ſit de illa, teſtante Apoſtolo cùm dicit: Nunquid de bobus cura eſt Deo?* Sanè diuina cura, & particulare ſtudium circa æterna, & ſemper manentia inuenitur; tranſitoria, & pereuntia vix Deus dignatur illa extremis labiis pertingere. Hinc Geneſ. cap. 22. dum Abrahamus inſtat ſacrificare filium, reuocaturus Deus pium patrem à ſacrificio filij clamat: *Abraham, Abraham.* In quo notandum, quod antea vocabatur vir iuſtus Abram, & quando ſic vocabatur, licet Deus non ſemel ſeruo ſuo adfuerit, nunquam tamen illum ex nomine appellauit. Et cur tunc cauit ab illo nomine, & nunc tam alacriter ea nomine vocat illum? Erat nomen illud temporale, quod in breui immutandum erat, Deus autem non curat ea, quæ temporalia ſunt, iuxta ſenſum dictum. Ait Origen. homil. 8. in Geneſ. *Abram vocabatur vir iſte prius, & nuſquam legimus, quod hoc nomine vocauerit eum Deus, aut dixerit ei, Abram, Abram. Non enim à Deo vocari poterat nomine delendo.* Sic cauet Deus temporalia, & tranſitoria vel nominare, vt qui circa æterna, & perpetua particulare ſtudium, & curam habeat, & ſe illorum authorem peculiarius eſſe gaudeat. Vnde Geneſ. cap. 21. aiebat Sara poſt Iſaaci partum: *Riſum mihi fecit Deus.* Circa quæ verba Acacius in caten. Græca, fatur: *Huius lætitiæ firmitatem oſtendens, mihi, inquit, fecit Deus. Quidquid enim eſt à Deo, perpetuum eſt.* Eſt equidem Deus amator perpetuitatis, æternitatis.

Gen. 2.

Gen. 26.

Origen.

Gen. 21.

§. LIV.

Mundialia omnia decora prorſus diſparent ad conſpectum Chriſti.

VBi cœli regnum, vbi cœleſtis rex apparet, ecce quid ſequatur. *Comminuet, & cõſumet vniuerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum*, nil mundiale regium, nil decorum, non abibit in fauillas ad conſpectum Chriſti. Iſai. 40. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, vt flos feni*, quantumcumque deprimat gloriam carnis, tamen floribus illam adæquat. Ioel 2. de occaſu mundialis ſplẽdoris locutus ait: *Et aſcendet fœtor eius, & aſcendet putredo eius, quia ſuperbè egit.* Et quis credat, quod in mũdiali flore ſit fœtor, quod putredo appareat in florentiſſima mundi ambitione? Et quis perſuadebit hominibus nihil aliud eſſe in mundi decore, quam fœtorem, quam putredinẽ? Vnus Chriſti cõſpectus id facile perſuadebit; appareat Ieſus inter mundi decora, & fallar, niſi hæc euaneant, & cenſeantur putrida, & fœtida. Sic D. Cyril. Alex. ibi: *Satanã fœtere non credebamus. At nunc & vix talem eſſe cognoſcimus. Putabamus miſeri bene olere, & amabilem eſſe, quando vinculis prauitatis conſtricti, eius poteſtate continebamur. Sed poſtquam Emanuel nobis apparuit, & hoc verbum edidit, ego flos campi, & lilium cõuallium, tunc ſero licet, eius fragrantiam ſentientes, illius graueolentiam deteſtati ſumus.* Ecce tibi vbi verus flos Chriſtus apparuit nobis, ſtatim & mundi florida, & amœna fœtere, & ſordeſcere cœperunt, quæ enim putabantur mundi ſplendida ad lumen vultus Chriſti inuẽta ſunt horroris, & fœditatis plena. Nec eſt animus adeo brutus, qui viſo Chriſti lumine mundialium bonorũ fœditatem nõ deteſtetur. Vt merito de hoc tempore dicat Iſaias c. 11. *Habitabit lupus cum agno: & pardus cũ hœdo accubabit: vitulus, & leo, & ouis ſimul morabũtur, & puer paruulus minabit eos.* Mirabar, quod puer paruulus lupum, & leonẽ, & pardum, & vitulum ſic minari poſſet, vt eos hiantes ad paſtum auertat, & trahat ad ſuum nutum. Quis paruulus ſi-

Iſai. 40.

Ioel. 2.

D. Cyril.

Iſai. 11.

sic leonem, & lupum ab innitante pastu anertat, & ad se pelliciat, nisi vnus paruulus, qui natus est nobis Dominus Iesus Dei filius? Ex quo hic paruulus in terra apparuit, sic de luce eius terrena omnia sordescere cœperint, vt vel brutescentes homines detestentur illa, & facili negotio trahantur ad Christi sublimia. Adhæc D. Greg. hom. 16. in Ezech. *Quis est iste puer paruulus, nisi de quo scriptum est, Puer natus est nobis, filius datus est nobis? Qui simul habitantes minat, quia ne in terrenis rebus corda nostra inhæreant, hæc per internum desiderium, quotidie inflammat, ne quem huius vitæ sit placeat, vt ad obliuionem patriæ perducat, ne delectata mens prosperis torpeat. Vnde & donis suis flagella permiscet, vt nobis, omne quod in sæculo delectabat, amarescat.* Sic diuinissimus infans apparens in mundo, quidquid mundi est, & amarore, & fœditate plenum facit apparere, quo facili negotio feralissimos etiam homines à bonis sæcularibus ad se minet.

D. Greg.

§. LV.

In Christi regno sola malitia funditus interiit, cætera in melius reformantur.

AVdis in Danieln, quod diuinissimus lapis Christus descendens ab vtero virgineo, *comminuit testam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum.* Sed & audis Isaiæ c. 42. quod de eodem dicitur angulari lapide, nimirum, *Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.* Quam diuersa, imò & contraria sunt hæc! Si & testam, & ferrum, & æs, & argentum & aurum Christus conterit, quomodo dicitur non conterere vel calamum quassatum? Est equidem quod in regno Christi contritione conteratur, vt funditus euertatur, & est, quo in ipsa contritione non damnum patiatur, sed in melius appareat transformatum. Quæ mala intrinsecus sunt, ea in regno Christi funditus debent dissipari; cætera etsi conteruntur, non damnum subeunt, sed meliorantur. Sophon. c. 1. *Dicit Dominus: Congregans hominem, & pecus, congregans volatile cœli, & pisces maris: & ruina impiorum erunt, & disperdam homines à facie terræ.* Quæ verba sic apud Septuag. sonant: *Dicit Dominus: Deficiat homo, & iumenta: deficiant volatilia cœli, & pisces maris, & infirmabuntur impij, &c.* In vulgata dicuntur homines, & iumenta, & pisces congregari ad Deum, in Septuag. dicuntur eadem deficere: & cum iubentur deficere, solum nominatur homo pecus, volucres cœli, & pisces maris: de bestiis autem, & reptilibus prorsus siletur. Cur quemadmodum dicitur, quod deficiant volucres cœli, & pisces maris, non similiter dicitur, quod bestiæ, quod reptilia deficiant? Agebat propheta de iis, quæ regno Christi erant aggreganda, in hoc autem regno, quæ mala sunt, vt bestiæ, vt reptilia, non solum deficere, sed & penitus debent dissipari, nequid illorum appareat, cætera autem in deiectione, & contritione ad longe melius statum transmutantur. Ait sapienter D. Hier. ibi: *Deficiat itaque homo, deficiant iumenta, deficiant volatilia cœli, & pisces maris, & non dixit, deficiant bestiæ, deficiant reptilia terræ. Hæc enim non debent deficere, sed perire: verum deficiant ea, quæ possunt habere correptionem. Deficit quis, vt homo, si contemnat humana, & audiat, ego dixi, dij estis. Deficit alius, vt iumentum, qui in altiora conscendens accusatur sermone prophetico. Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis. Deficit quasi volatile cœli, qui facit sibi pennas aquilæ, & reuertitur ad domum præceptoris sui.* Est itaque in regno Christi defectio, & defectio, contritio, & contritio, nimirum contritio incorrigibilis malitiæ, & contritio defectus corrigibilis. Quæ malitiæ incorrigibiles sunt, non solum deficiunt, sed extremam patiuntur ruinam, & funditus debent perire; cætera autem per defectionem, & contritionem non pereunt, sed in præstantiorem transmutantur fortunam. Ad hæc Nahum cap. 2. *Vniuersus interiit. Ascendit, qui dispergat contra te, qui custodiat obsidionem.* Ex Græco sic tinniunt: *Consummatum est, ablatum est, ascendit insufflans in faciem tuam, eruens de tribulatione.* Expende vt simul iunxit consummationem, internecionem & liberationem, simul extinctionem, & exsufflationem. Si est totalis [illegible]tio, ad quid insufflatio valet? Est quod totaliter extinguatur, nempè malitia, & est, quod vel ab internecione possit flatibus diuinis reuiuiscere. Rem explicabat D. Cyrillus Alexandrinus ibi in triumpho Christi inquiens: *Sapienter, & vere dicitur diaboli, & peccati imperium imminutum perisse, & quodammodo etiam mortem captam, & corruptionem omnino sublatam esse. Ascendit namque ab inferis, & reuixit Christus, qui insufflauit in faciem Apostolorum, & dixit, Accipite Spiritum sanctum. Ita enim omni malo expediti sumus, & participes facti sancti Spiritus in pristinum naturæ decus quasi ab ipsis elementis reformamur, atque in imaginem primã denuo imprimimur. Formatur enim in nobis Dominus noster Iesus Christus.* Quod malitiæ erat, hoc conteritur, & funditus extirpatur; & inter mali abolitionem diuinus artifex ictus concussam, & infirmam nostram naturam insufflat. Et quid per hanc insufflationem? Vt in principio in Adami faciem spirans Dominus spiraculum vitæ, animam dedit rationalem ad Dei imaginem factam, sic ipse Christus per insufflationem ostendit, quam à fundamentis reformet hominem, cui primam imprimat Dei imaginem.

Isai. 42.

Sophon. 1.

Hieron.

Nahum 2.

D. Cyril.

Danielis 2. Tunc Rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, & Danielem adorauit, & hostias, & incensum præcepit, vt sacrificarent ei. Loquens ergo rex ait Danieli, Vere Deus vester, Deus Deorum est, & Dominus regum, & reuelans mysteria: quoniam tu potuisti aperire hoc sacramentum. Tunc rex Danielem in sublime extulit, & munera multa, & magna dedit ei: & constituit eum principem super omnes prouincias Babylonis. Daniel autem postulauit à rege, & constituit super opera prouinciæ Babylonis, Sidrach, Misach, & Abdenago, ipse autem Daniel erat in foribus regis.

§. LVI.

Summa, & diuinissima potentia exercitium est, quod Deus diuinitatis suæ magnalia pandat.

AD Danielis verba attonitus rex immensam Dei veri reueritus præstantiam cadens in terram illum, & Deorum, & regum dominatorem, & dominatorem clara confessione pronuntiauit. Ait enim, *Vere Deus vester, Deus Deorum est, & Dominus regum, & reuelans mysteria.* Et merito vbi Deum experitur diuinitatis suæ mysteria reuelantem, colligit illum Deorum, & regum esse dominatorem, quando summæ, & præstantissimæ potestatis exercitium est, quod Deus suæ diuinitatis pandat arcana oculis creatis. De diuinis operibus locutus Moyses Gen. 1. ait: *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Et quanto ostenso labore creauit? *Dixitque Deus. Fiat lux, & facta est lux.* Verùm locutus Iesus, Luc. 12. de manifestatione diuinitatis in cœlestibus, ait: *Beati sunt serui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Vt mundum producat, introducitur Dominus solùm dicens, & vel solis dictis omnia facit; vt se se ostendat, & reuelet in patria, introducitur ipse Deus se se præcingens, & transiens, & ministrans. Cur hoc? Vt clareat, quam supremæ potestatis, & operis, & virtutis sit, quod Deus creatis oculis suæ diuinitatis pandat arcana. Iunilius adductus à Lippom. in cat. ad cap. 2. Gen. fatur. *Denique de hoc opere, quod in æterno die Sabbati facit, dicit ipse in parabola seruorum, Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Quis enim præcingit se, qui discubitum præparat, qui transit, qui ministrat, vtique operatur. Sed his tamen verbis omnibus nihil aliud intimatur, quam quod sanctos suos Dominus in æternum benedicit, & sanctificat, id est, visionis suæ gloria, post opera bona, quo donauit, remunerat.* Expende, quod vt se videndi, & intuendi copiam faciat, mille id ostendat operationum, & laborum vocabulis, quasi hoc sit præstantissimæ, & sublimissimæ exercitium virtutis, & potestatis. Non se sic operantem ostendit Dominus, cum mundum creat, quam cum penetrandi creatis oculis suæ diuinitatis arcana copiam facit. Quo respiciens Abacuch cap. 3. iuxta Septuag. lectionem ait: *Domine audiui auditionem tuam, & timui, consideraui opera tua, & expaui. In medio duorum animalium cognosceris.* Et quæ erant opera illa Dei tanta, tam mirabilia, tam potentia, in cuius consideratione propheta expauit? Cyrill. Alex. putat ea opera esse opera redemptionis, quibus aereas potestates detriumphauit, vectes ferreos confregit, infernum spoliauit, mortem deuicit, homines eripuit è diaboli potestate. Sed Tertullian. prudentissime asserit tanta illa opera in eo solum esse, quod diuinissimæ suæ gloriæ reuelationem

Gen. 1.

Luc. 12.

Lippom.

Abac. c. 3.

uelationem fecit in Thabor apud discipulos sibi amatos. Quippe ait relatus in glossa: *Domine audiui auditum tuam, & timui. Quem magis, quam vocem illius. Hic est filius meus dilectus, hunc audite? Considerani opera tua, & excidi mente. Quo magis, quàm cum visa claritate eius nescit, quid diceret Petrus?* Putat bonus author numquam magis esse posse stupori Dei opera, quam vbi suæ diuinissimæ præstantiæ videndę copiam facit. Et quidem, vt fiant creaturæ, vt mortui reuiuiscant, vt diabolicæ potestates iaceant, Deus dicit, & vniuersa in effectum vadunt. Vt autem diuina claritas cernatur, hic opus, hic labor est, hic Deus potentissimus, & Deus deorum, regumque apparet. Necnon & Abacuch ait c.3. *Deus ab austro veniet, & sanctus de monte Pharan.* Vbi D. Hieronymus ea explicans verba ait: *Agnitio sancti, id est filij Dei, de monte vmbroso, & condenso, id est, patre, qui est plenus virtutibus*, quasi non ab alio, nisi ab eo, qui plenus virtutibus est, posset agnitio diuini filij causari.

Abac. 3. D. Hier.

§. LVII.

Deus tunc maior apparet hominibus, cum magis ipse se deiicit, & minorat.

EXpende vnde inferat rex Israelis Deum esse Deum deorum, & regum Dominum, nimirum, ex eo quod Daniel eius magnalia pertingere potuit. Ait enim. *Vere Deus vester, Deus deorum est, & regum Dominus, & reuelans mysteria; quoniam tu potuisti aperire hoc Sacramentum.* Imo quia Daniel homo cum sit, Dei sui Sacramentum videre, & aperire potuit, certius inferretur, quod Deus pusillus foret. Nonne Deus vt capi posset ab homine, necesse habet sese quasi contrahere, & minorare, & deiicere? Vnde ergo potuit apparere adeo magnus, cum ostenditur captus ab homine? Equidem humanis oculis tunc grandior Deus apparere solet, cum magis ipse vt appareat, se deiicit, & minorat. Exod. 19. *Cum eduxisset Israelitas Moyses in occursum Dei de loco castrorum, steterunt ad radices montis. Totus autem mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus Deus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo, quasi de fornace: eratque omnis mons terribilis. Et sonitus buccinæ paulatim crescebat in maius & prolixius tendebatur Moyses loquebatur, & Deus respondebat ei. Descenditque Dominus super montem Sinai in ipso montis vertice, &c.* Ecce tibi in quanta magnitudine Deus videbatur, & quantum se ipse minorabat: magnus Deus videbatur populo implens igne, & fumo, & fulminibus montem, magnamque sui præbebat cognitionem. at ipse in se multum minorabatur, sic descendens, sic se aptans, & deiiciens, vt possit vel a paruulis capi. Vt merito dicat D. Cyril. Alex. lib. 7 de adorat. *Descendit in montem ille super omnia Deus, & inde vocatus ascendit Moyses, nec enim contingit, vt ad sublimitatem vera Dei contemplationis possit se quisquam attollere, nisi se ipsum demiserit Deus, & ita se accommodauerit, vt ad eum nostra mentis possint accedere.* Demittat sese Deus, & quasi minoret ad captum hominum, si granditer, & sublimiter velit apparere homini. Nunquam homo grande quid, & sublime in Deo contemplatur euidentius, quam vbi Deus sese demittit, & quasi minorat, vt capiatur ab homine. Huc accedit illud cantatissimum Malachiæ vaticinium de Christi ortu. Ait enim, cap. 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum, Sol iustitiæ.* At Christus in ortu suo quid habuit cum Sole commune? Sane pro nobis oriens sese exinaniuit formam serui accipiens, sese paulo minus ab Angelis minorauit, & paruulus natus est sub vmbra vagientis infantis Deitate celata. Quid Solis in hoc monstrauit? Aut in quo potuit Soli assimilari? Habet hoc singularissimum Sol, quod cum est in maiori exaltatione, & sublimitate sua, tunc minor apparet in sphæra mortalibus oculis, vbi autem ab exaltatione se deiicit, & cutriculi fugit sublimitatem, vt ei contingit tempore hyemali, tunc grandior eius vultus hominibus apparet. Sic Deus in hoc verissimus Sol dum suam sublimitatem, & summam exaltationem retinebat, vix parebat oculis creatis, & quasi nihil esse putabatur, vbi autem sese demisit, & puerilibus membris sese aptauit, statim de illo Angelus, Luc. 1. *Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur.* Tunc enim Deus grandis, & magnus hominibus apparet, cum sic minoratur, vt possit capi.

Exod. 19.

D. Cyril.

§. LVIII.

Præstantissima principis virtus, quod amicorum non obliuiscatur, illosque augeat.

COnstituitur Daniel in principem super omnes prouincias Babylonis. Quid tunc Daniel? Nil prius egit constitutus in principem, quam sociorum meminisse, eisque dignitates procurare. Ait textus: *Tunc rex Danielem in sublime extulit, & constituit eum in principem super omnes prouincias Babylonis. Daniel autem postulauit à rege, & constituit super opera prouinciæ Babylonis, Sidrach, Misach & Abdenago.* Dignitas non fecit Danielem obliuiosum amicorum, imo in principatu constitutus ille, nulli rei prius studuit, quam augendis, & colendis amicis, illos variis prouinciis præficiens. Ex hac amicitiæ religione mirifice extollit Caudianum principem Nazian. epist. 194. inquiens: *Quin illud etiam in tantum laudum numero ponendum est, quod in tanta Imperij amplitudine, amicitia quoque aliquid honoris, ac reuerentiæ tribuis, ac tibi à tot tantisque rebus, quas geris, hoc otij superest, vt non modo amicorum memineris, sed etiam eos per literas honore afficias, amoremque, ac desiderium confitearis, omnesque ad te pertrahas.* Merito hoc tribuit laudi Nazianzenus principi, quod vel in imperij culmine positus, amicitiam colat, amicorum meminerit, illisque honorem habeat, & illorum fortunis prouideat. Non se hac regia laude priuauit Dauid, de quo cum primum regnum pacifice tenuisset, ait 2. Reg. 9. *Et dixit Dauid: Putásne est aliquis, qui remanserit de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam propter Ionatham?* Post regnum acceptum hæc vna inuenitur solicitudo tenuisse animum Dauidis, vt amicissimi sibi capitis domus in fœlicitate viueret. Hoc anxius inquirit regalissimus princeps, credens ad præstantiam optimi regis spectare, quod omnia amicorum ad fœlicitatem currant. Ex quo dicebat D. Synesius lib. de regno: *Quæ vlla rege dignior possessio, quam amici consortium? Probi autem, ac benigni regis quodnam euidentius populo argumentum, quam si beatos eos faciat, quorum familiaritate vtitur? Hoc enim pacto etiam longinquioribus amabilem se præstabit, bonisque id in voto erit, regis amicitiam sibi demereri posse.* Plane regium est, quod nõ patiare in familiares tuos, in amicos tuos penuriam, aut infortunium venire, sed illos omni honore colas, omnibus adimpleas fortunis. Alioquin quis æstimabit gratiam principis, cuius familiares, & amici egere, & penuriam pati visuntur?

Nazian.

2. Reg. 9.

D. Synes.

§. LIX.

Regis amicitia colentibus suspecta, & timoris plena est quæuis absentia ab illo.

VT in regis gratiam, & amicitiã deuenit Daniel, vide quid de illo dicatur ibi, nimirum, *Ipse autem Daniel erat in foribus regis.* Et regis ingressus, & egressus obseruabat, perpetuus latero illius, nec licebat alio vel oculos vertere; timenda enim est quæuis separatio, & absentia regis amico. Ibi sapienter Lyra: *Vt enim teneret regem in amicitia, ideo non recedebat de latere eius, ne aliqui inuidi in eius absentiam seminarent odium.* Sic solicita est cum mundialibus regibus amicitia, vt non permittaris vel ad breue tempus te illorum lateri subducere. Hinc pulchre D. Chrysost. colligit Iesum non esse natum regem mundialem, quando Magi viri, qui in eius gratiam venerunt, reuersi sunt in regionem suam. Sic habes Matth. 2. post regis inuenti adorationem, post eius gratiam, & amicitiam expertam, *responso accepto in somniis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.* Cur non magis hæretis tanto regi? Cur tam cito dimittitis, quem tanti itineris labore comparastis? Cur non magis timetis absentiæ à tanto principe, ne inter absentes odia seminentur hostilia? Non rex terrenus est, sed diuinus; si enim esset terrenus, vt eius amicitiam Magi quæsierant, sic etiam multum cauerent vel ad punctum discedere ab illo. Ait Diuus Chrysostomus in catena Diui Thomæ: *Si Magi Christum quasi terrenum regem quæsissent, inuenientes eum apud ipsum mansissent, nunc autem adorauerunt, & reuersi sunt.* Hoc est obseruantissimum apud omnes, qui terrenorum regum colunt amicitiam, quod illis perpetuo assistant, nec vel ad horam discedere liceat. Hoc vno cum iis regibus potest conseruari amicitia. Plane vbi charissima Mardochæo Esther ad regale thronum fuit assumpta, ait textus cap. 2. *Mardochæus manebat ad ianuam regis, nec*

Lyra.

D. Chrys.

Matt. 2.

D. Chrys.

duo

dum prodiderat Eſther patriam, & populum iuxta mandatum eius. Quidquid enim ille præcipiebat, obſeruabat Eſther: & ita cuncta faciebat, vt eo tempore ſolita erat, quo eam paruulam nutriebat. Sic erat Eſther affecta erga nutritium ſuum, erga familiarem ſuum in regno poſita, vt erat affecta erga ipſum in vita priuata. Quid magis inſolens, quam quod cum regno aſſumpto non aſſumantur alij affectus, alij mores? Et qua ratione id fieri potuit? Ea eſt ratio, nimirum, *Mardochæus manebat ad ianuam regis*, vbi prudens vir nouit dilectam ſuam aſſumptam ad regium thronum, cupiens eius erga ſe conſeruare affectum, decreuit, nec ad horam diſcedere à regalibus foribus, ſed ibi morari die, ac nocte.

PARS TERTIA.

Moralia circa textus literam.

Indicavs primum Nabuchodonoſoris ſomnium à Daniele explicatum, enucleatum; pro eiuſdem ſomno ſecundo iam ſtamus, vt eius moralem ſuccum ſimiliter exhauriamus.

Dan. 4. Ego Nabuchodonoſor quietus eram in domo mea, & florens in palatio meo; ſomnium vidi, quod perterruit me, & cogitationes meæ in ſtrato meo, & viſiones capitis mei conturbauerunt me. Et per me propoſitum eſt decretum, vt introducerentur in conſpectu meo cuncti ſapientes Babylonis, & vt ſolutionem ſomnij indicarent mihi. Tunc ingrediebantur Arioli, Magi, Chaldæi, & aruſpices, & ſomnium narraui in conſpectu eorum: & ſolutionem eius non indicauerunt mihi: donec collega ingreſſus eſt in conſpectu meo Daniel, cui nomen Balthaſſar, ſecundum nomen Dei mei, qui habet ſpiritum Deorum ſanctorum in ſemetipſo, & ſomnium coram ipſo locutus ſum.

§. I.

Cupiditati humanæ tunc ſolum grata ſunt bona poſſeſſa, cùm ſpem ingerunt maiorum acquirendorum.

AMbitioſiſſimus homo Nabuchodonoſor de ſe pene orbem terrarum occupante locutus in præſenti ait: *florens eram in palatio meo*, ſic commendans ſuam gloriam, & fœlicitatem, vt illam aſſimilet flori. Et cur non magis fructibus ſuam gloriam aſſimilat, quam floribus? Nonne fructus, & præſtantior, & ditior eſt flore? Quid in flore inuenit Rex ambitioſiſſimus, propter quod magis complacet ſibi in bonis poſſeſſis aſſimilatis flori? Pulchre Richard. Victor. lib. 5. de erudit. hom. par. 1. cap. 1. ait. *Quia in flore fructus ſperatur, rectè per florem certa futurorum expectatio figuratur.* Non equidem tenebant regem ambitioſum poſſeſſa bona, niſi ex ea parte, qua ſpem illi ingerebant maiorum acquirendorum, quod exprimebatur per ſimilitudinem floris. Vt in flore non tam recreat præſens floris pulchritudo, quam fructuum expectatio futurorum, ſic in bonis poſſeſſis non quod præſens eſt, ſed quod ſperatur inde augendum, implet hominem ambitioſum. Illa erat vox hominis cupidiſſimi Luc. 12. *Deſtruã horrea mea, & faciam maiora* Cur homo horrea, quæ tibi plena ſunt, ſic deſtruere proponis? Qui fieri poteſt, vt homo auariſſimus adducatur eo, vt velit deſtruere tantam partem bonorum? Raro inuenitur homo auarus, qui non exhorreat, & pereat ad conſpectum deſtructi vnius oboli, & iſte ſic audet, vt horrea ſua deſtruere proponat? Quæ ratio ſic illi ingratas reddidit poſſeſſiones bonorum? Erant poſſeſſiones fructuum, non florum, erant poſſeſſiones, in quibus non ſperabatur maius aliquid capi poſſe, cupidus autem homo vt amat ſemper ſpes maiorum, ſic vel in ampliſſimis poſſeſſionibus fines odit. Ad hæc eleganter D. Zeno, ſerm. 1. de Auar. *Oculis patentibus cæci dilatant horrea: terras anguſtant, iungunt ſaltibus ſaltus & ſi orbem totum poſſideant, fines oderunt.* Ecce tibi vt auariſſimi homines habent; quod oderint in mundi totius poſſeſſione, nimirum, *fines oderunt*, quando talibus hominibus ſolum grata poſſit eſſe poſſeſſio, quæ ſpes alat acquirendi maiora. Eò etiam ſpectabat vox illa Achabi regis, 3. Reg. 21. nimirum: *Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum, quia vicina eſt, & prope domum meam, daboque tibi pro ea vineam meliorem.* Si meliorem vineam habes, cur non tibi in ea complaces? Cur poſſeſſam faſtidis, & ad aliam fereris totus? Nunquam, mihi crede, placent auaro animo bona poſſeſſa, niſi de expectatione aliorum habendorum. Ex quo ſapienter D. Amb. lib. de Nabuthe cap. 5. auariſſimi huius regis animum ob oculos ponit dicens: *Duo intolerabilia ſimul iungit, vt ambitioſam ſpem diuitiis augeat, & non deponat mendacitatis affectum.* Itaque poſſeſſæ diuitiæ auari, & ambitioſi hominis hæc duo ſemper coniuncta habent, quod in illo & ſpem augeant acquirendi, & exagitent auiditatem mendicorum. Nec gratæ poſſent eſſe diuitiæ, ſi ſpem plura habendi alere non poſſent.

Richard. — Luc. 12. — D. Zeno. — 3. Reg. 21. — D. Amb.

§. II.

Ille fœlix, qui in nullo virtutis opere quieſcit, ſed ad aliud, & aliud properat.

ECce fœliciſsimi hominis in re virtutis ſtatus, nimirum quod ſit *quietus, & florens*, quod non eam quietem colat, in qua ſordeat, ſed in qua floreat, nouas ſemper ingerẽs ſpes alterius pulchrioris operationis. Ita in præſenti aiebat Richar. Vict. lib. 2. de erudit. par. 1. c. 1. *Nonne illi tibi in palatio ſuo florere videtur, qui de die in diem renouatur? In palatio ſuo ſedet, & floret, qui inter magna opera ſua, quæ libenter facit, adhuc maiora, & meliora in corde proponit.* In nullo virtutis opere ſic quieſce, quod non feraris ad aliud præſtantius virtutis opus, hæc eſt quies non ſordens, ſed florens. Quo ſpectans Eccleſiaſticus, c. 39. ait: *Audite me diuini fructus, florete flores, quaſi lilium.* A fructibus petit, vt floreant flores ſuos: ſane naturæ ordo hic eſt, quod arbor producat flores, flores producant fructus, & in fructu deſinat productio; ſed in hoc ordine naturæ, vbi productio deſinit in fructu, etiam cernitur, quod putreſcat fructus. Hinc meliori conſilio Spiritus ſanctus locutus cum virtutum fructibus, petit ab illis, ne à noua productione abſtineant, ſed pergant ſemper ipſi nouos flores producere, nequid appareat in virtute fœdum, nequid appareat putridum. Quam continuam nouarum virtutum productionem notatur Dominus in ſponſa ſua Cant. 4. inquiens. *Ortus concluſus, ſoror mea ſponſa, ortus concluſus.* Ortus communiter dicitur, vt in quo aliquid denuo ſemper oritur, ex quo maximè ſponſa commendatur, quæ nouo exortu virtutum dilecti ſui trahat oculos. Ait ibi Ruper. lib. 4. *Vnde ortus? Nam inde nominatur ortus, quod ſemper ibi aliquid oritur; ortus nunquam ſine fructu eſt. Vnde ergo ortus es tu dilecta dilecti, niſi quia in te natum eſt aliquid, quod nunquam deſinet, & fructus tuus nunquam marceſcit, aut deficit.* Fœlix anima, quæ ſic ſeſe oſtendit floridiſsimum ortum Domino, ortum, inquam, in quo nihil marcidum, nihil putridum, nihil otioſum, ſed nouis, & frequentibus partubus refloreſcunt omnia. In hoc ortu ponebatur homo à Deo Gen. 2. vbi dicit: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſum voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret.* Horrebat iam tunc Dominus ceſſationem à virtutum opere, quando à fœliciſsimo homine ſuo requirebat inceſsabilem operationem. Quod meditans D. Amb. lib de Parad. c. 4. ait: *Non idem eſt operari, & cuſtodire In opere enim quidam virtutis proceſſus eſt, in cuſtodia quadam conſummatio operis deprehenditur, eo quod quaſi conſummata cuſtodiat. Hæc duo ab homine requiruntur, vt & operibus noua quærat, & parta cuſtodiat.* Expende, quod requiratur ex homine, nimirum, quod operibus noua quærat, quod inter peracta opera virtutum quieſcens, non ſordeat, ſed ſingulis momentis noua operari meditetur, & ad noua operanda reuireſcat, refloreat. Quo refero illud Ezech. 48. *In ripa eius ex vtraque parte omne lignum pomiferum, non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius: per ſingulos menſes afferet primitiua.* Expende hoc vitaliſsimi iuſti emblema, *per ſingulos menſes afferet primitiua.* Neſcit pati ſenium, ſed ſingulis menſibus se, quaſi tunc inchoaſſet, conſtituit. Vt dicat D. Greg. 22. Moral. c. 2. *Dum igne amoris excoquitur, ſemper in ſe ſeruat claritatem pulchritudinis quotidiana innouatione feruoris, neſcit enim mens* [illegible]

Richard. — Eccl. 39. — Cant. 4. — Rupert. — Gen. 2. — D. Amb. — Ezec. 47. — Greg.

per torporem veterascere, quæ studet per desiderium semper inchoare. De qua plura in Euangelicam historiam dixi.

§. III.

Sæcularis omnis sapientia inepta habetur, vt diuina mysteria explicare possit.

MVlti introducuntur sapientes Babylonis in regis conspectum, vt somnij à Deo immissi dicerent explicationem: Quippe ait. *Tunc ingrediebantur Arioli, Magi, Chaldæi, aruspices, & somnium narrauit in conspectu eorum*; sed quia ij sapientes Babylonis, prophanæ, & mundialis sapientiæ studiosi, prorsus hærent in diuini mysterij explanatione, dicit enim rex, *& solutionem eius non indicarunt mihi.* Et quæ mundialis sapientia audeat in Dei mysteria? Isaias cap. 6. postquam vates labia immunda senserat, postquam ignito carbone purgata expertus fuerat, audiuit Deum requirentem hominem, qui diuinitatis arcana ediceret populo, & totus alacris clamat, *Ecce ego, mitte me.* Non sic Moyses, quin potius cum mitteretur, vt annuntiaret Dei voluntatem Ægyptiis, ait Exod. 3. *Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem?* Hic detrectat ferre nuntium, ille alacris sese offert ad annuntiandum, & cur cum Isaias se offerat, Moyses refugit tale explicare nuntium? Rationem attingit D. Hieron. epist. ad Damasum fatus: *Isaias postquam à Seraphim audierat, ecce tetigit hoc labia tua, & abstulit iniquitates tuas, & peccata tua purgat, otio noluit torpere, sed vltro in ministerium Dei, quasi à peccato liber, zelo sese obtulit fidei. Moyses vero quia sæcularibus eruditus fuerat disciplinis, & interfecto Ægyptio conscientia eius aliquam ex parte sorduerat, se excusat, dicens. Precor Domine non sum dignus, pro quo in Hebræo legitur, non habeo labia circumcisa.* Expende ab illis, *quia sæcularibus eruditus fuerat disciplinis, &c.* Merito enim qui in se solam sæcularem eruditionem sentiebat, detrectat officium annuntiandi diuina mysteria, nec putat se tali muneri aptum, dum non circumcidit, & purgat sæcularem, & prophanam sapientiam, qua se imbutum cernebat. Non equidem est sæcularis sapientiæ pertingere diuina. De rapta Sara à rege locutus Dominus Gen. 20. ait: *Abimelech vero non tetigerat eam.* Miraris, quod rex potentissimus post quæsitam fœminam pulchram, post raptam, postquam illam habuit in suam, dicatur tamen non tetigisse illam. Quid hoc portenti? Pulchre Orig. hom. 6. in Gen. agnoscit ibi conatum mundialium sapientum in pertingenda Dei virtute irritum. Ait enim: *Videtur mihi, quod iste Abimelech formam teneat studiosorum, & sapientium sæculi. Iste ergo quantum ad Ethicam, id est, moralem philosophiam spectat, etiam puritati cordis operam dedisse comprobatur, & omni animo omnique studio diuinæ virtutis inspirationem quæsisse. Sed hanc non permisit Deus contingere eos.* Sic sapientia sæcularis inepta est ad omnia, quæ sunt diuinæ virtutis, pertingenda. Videbis in sæcularibus disciplinis facundissimos, disertissimosque homines in re diuina nec posse mutire, sed prorsus euanescere in verbis, & cogitationibus suis. De quo agit Patri gratias Sapientia increata Christus Iesus Matth. 11. inquiens: *Confiteor tibi Pater, Domine cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, &c.* Opus Dei est, quod cœlestia mysteria abscondita sint sapientibus mundi. Ex quo D. Chrysost. hom. 38. in Matth. fatur: *Ab omnibus sapientibus, qui secundum sensum carnis sunt sapientes, & non secundum spiritum cordis abscondet Deus semper mysterium veritatis. Qui sunt sapientes? Antiqui philosophi, & oratores, qui diuturnis sapientiæ literarum exercitatione examinantes de Dei natura quærere contendebant, non Deum inuenire desiderantes, sed altissima disserere cupientes, victi sunt ingenio, defecerunt sermone.* Nec miror, quod mundiales sapientes & ingenio, & sermone deficiant in re diuina, quando omnes sæculares disciplinæ in ambitiosa ostentatione, & temporalibus lucris sunt sitæ.

Isaiæ 6. — *Exod. 3.* — *D. Hier.* — *Gen. 20.* — *Origen.* — *Mat. 11.* — *Chrysost.*

§. IV.

Regia dignitas de religiosorum hominum consortio maxime viget.

INgredientibus Ariolis, Magis, aruspicibus Babylonis coram rege, adhuc regius animus in turbatione, & sollicitudine propter somnium erat. Et quousque durauit tota illa regis turbatio? Ipse ait: *Donec collega ingressus in conspectu meo Daniel, cui nomen Balthassar, secundum nomen Dei mei, qui habet spiritum Deorum sanctorum.* Qui habet spiritum Deorum sanctorum Daniel collega regis intrauit, & statim ostensa somnij reuelatione euanuit & sollicitudo, & turbatio regis. Proh quam floret regia dignitas de consortio collegæ spiritum Dei habentis! Sit regi collega religiosus, Dei spiritu plenus, & de tanti collegæ consortio portentum erit, si non floreat dignitas regia. Mirabantur plurimi, quod Saul in regium thronum ascendisset, à quo tam cito deturbandus esset, dicit enim 1. Reg. 13. *Filius vnius anni erat Saul, cum regnare cœpisset, duobus tantum annis regnauit super Israel.* Cur ergo factus est rex, Saul, qui sciebatur tam cito amissurus regnum? Ait Tertul. lib. 2. in Mar. *Adlegitur Saul, sed nondum despector prophetæ Samuelis.* Quasi ostendat, in quo steterit vel felicitas, vel infelicitas Saulis regis; cùm enim illi Samuel erat in pretio, de tantoque collegæ consortio viuebat, non mirum, quod thronum ascenderit, quod florentissimo ditaretur regno: ex quo expulsus est, cum primum habentem Dei spiritum despexit prophetam. Qui enim amat præsagire fortunas regum, non astra consulat, non consulat signa cœli, ad vnum conuertat oculos regis collegam, & lateronem; hic si spiritum Dei habeat, de cuius halitu res affletur, in nullas fœlicitates non deueniet, à quibus omnibus decidet de consortio nefarij collegæ. Erat Achab Israelitarum rex medius inter Michæam, & Sedechiam, ille spiritum Dei habebat, quo persuadebat regi, ne in bellum procederet, hic omni carens spiritu id solum curabat, vt loqueretur ad placitum regis. Abiecit à se rex Michæam, & Sedechiæ acquieuit. Quid tunc? Ait text. 3. Reg. 22. *Mortuus est ergo rex Israel, & prælatus in Samariam.* Quocirca fatus Iosephus in Glossa ait: *Dum ergo hæc Achab regi à Michæa prædicta videantur, oportet magnam indicari diuinitatem, & quæ vera sunt potius recipi, quam ea, quæ pro cuiusquam libidine dicuntur, amplecti. & arbitrandum quia nihil aliud vtilius est, quàm virorum talium præscientia, prabente scilicet Deo, quod vnusquisque debet obseruare.* Et sapienter & grauiter dictum illud, nimirum, *nihil vtilius est, quam virorum talium præscientia:* vbi regibus præsto est virorum Michææ similium, hoc est, virorum diuinum spiritum habentium præscientia, nihil vtilius potest inueniri, & regnis, & regibus. Sane de eorum virorum consortio necessum est, vt floreat dignitas regia. Habes 4. Reg. 13. *Eliseus autem ægrotabat in infirmitate, qua & mortuus est. Descenditque ad eum Ioas rex Israel, & flebat coram eo, dicebatque, Pater mi, pater mi, currus Israel, & auriga eius.* Sic afficiebatur Ioas morte Elisæi viri religiosi, quasi decideret fulcrum præcipuum totius regni. De quo aiebat Iosephus lib. 9. de antiquit. cap. 9. loquiens: *Cum Elisæus in morbum incidisset, visendi causa eum adiit Ioas: quem animaduertens spiritum extremum ducere, flere cœpit, & lamentari, patrem, & clypeum appellitans, quod eo viuo armis contra hostem opus non fuerit, sed ipsius prædictionis beneficio semper inuicti eua serint. Nunc vero illum è vita discedere, se vero exarmatos Syris, & aliis hostibus obiici.* Nec immerito exarmatam putat regiam dignitatem, cui deest collega, in quo diuini spiritus halitus floreat.

1. Reg. 13. — *Tertull.* — *3. Reg. 22.* — *4. Reg. 13.* — *Ioseph.*

§. V.

Nomen diuinum in quo est, ibi & diuinum spiritum, & diuina omnia designat.

QVam sapienter rex putat in Daniele, cui nomen Dei sui est, simul & esse Dei spiritum; ait namque: *Daniel, cui nomen Balthassar secundũ nomen Dei mei, qui habet spiritum Deorum sanctorum.* Planè vbi Dei nomen est, ibi necessum est, quod sit Dei spiritus, & quod sint omnia diuina. Vndè Exod. 23. ait Dominus: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem præparaui. Obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet, cum peccaueris, & est nomen meum in illo.* Ductorem designat, imò & vltorem, & vt de vtraque virtute gaudeamus, solum ait; *& est nomen meum in illo.* Quantum hoc? Cur magis non dicit, & est potentia mea, siue gloria mea, siue halitus meus in illo? Dum dicit diuinum nomen in illo esse, simul hæc omnia ostendit per illum manifestari. Sic ait Hugo Victor. in Annot. in Exod. *Nomen meum est in illo. Gloriam, & potentiam meam manifestabo per illum.* Nihil Dei magnum est, quod non appareat in eo, in quo nomen Dei iusta possit aptari. Ex quo pro magna gloria bellatoris Christiani, dicitur Apoc. 3. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius, & scribam super eum nomẽ Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Ierusalem, quæ descendit de cœlo à Deo meo, & nomen meum nouum.* Ecce tibi vt victoribus, summæ gloriæ datur, quod super eos nomen diuinum clareat,

Exod. 23. — *Hug. Victor.* — *Apoc. 3.*

elareat, & vocentur, ſiue à Deo viſo Iſraelitæ, ſiue à Ieſu Ieſuitæ, ſiue à Chriſto Chriſtiani, quodo nomen Dei non inuenitur ſine virtutibus, & glòriis alus diuinitatis. Quare eleganter D. Ambr. lib. 3. de Spirit. Sancto cap. 18. ait: *Ergo neque Arriane ſibe vſurpato nomine Chriſtiano blandiantur, quia Chriſtianos ſe eſſe dicunt. Reſpondebit eis Dominum: Nomen meum prætendistis, & ſubſtantiam denegatis, ſed non agnoſco nomen meum, vbi non eſt mea ſempiterna diuinitas. Non eſt nomen meum, quod à patre diuiditur, ab ſpiritu ſeparatur, non agnoſco nomen meum, vbi non agnoſco doctrinam meam, non agnoſco nomen meum, vbi non agnoſco ſpiritum meum.* Et Dei ſpiritus, & doctrina, & multæ aliæ diuinæ virtutes connexæ ſunt cum nomine diuino, vt vbi illud ſit, & illæ adſint; & ſine illis minime diuinum nomen inueniatur.

D. Amb.

Dan. 4. Balthaſſar princeps Ariolorum, quoniam ego ſcio, quod ſpiritum ſanctorum Deorum habeas in te, & omne Sacramentum non eſt impoſſibile tibi: viſiones ſomniorum meorum, quas vidi, & ſolutionem earum narra. Viſio capitis mei in cubili meo: Videbam, & ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia. Magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cœlum: aſpectus illius erat vſque ad terminos vniuerſæ terræ. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & eſca vniuerſorum in ea: ſubter eam habitabant animalia, & beſtiæ, & in ramis eius conuerſabantur volucres cœli, & ex ea veſcebatur omnis caro.

§. VI.

Mundiales principes tunc ſolum recordantur religioſorum virorum, cùm in afflictione ſunt.

QVanta Danielis meminit Nabuchodonoſor in ſolicitudine ſomnij conſtitutus? Ait ipſe: *Ego ſcio, quod ſpiritum ſanctorum Deorum habeas in te, & omne Sacramentum non eſt impoſſibile tibi, viſiones ſomniorum meorum, quas vidi, narra, &c.* Sanè cum elatus ſtatuam aoream dedicauit, cum Danielis ſocios dedit flammis, tunc nec Danielis recordatus eſt, nec meminit eius diuinum ſpiritum. Quæ ratio eius in memoriam Danielis virtutes reuocauit? Solicitudo, & vexatio fecit regem Danielis memorem, tunc enim ſolum mundiales principes recordantur religioſorum virorum, cum ab aliqua vexatione affligantur. Ait in præſenti Theodoretus, apud Gloſſam: *Plerosque hominum proſperi ſucceſſus faciunt eorum, qui de ſe benemeriti ſunt, oblivisci: neceſſitates vero, quibus premuntur, eos illis in memoriam reuocant. Cum aliquis proſpera vtitur valetudine, medica artis minime recordatur, cum vero in morbum inciderit, memoria repetit, ſe alicuius medici ope refectum. Ita etiam Nabuchodonoſor, &c.* Ita etiam mundiales vniuerſi principes, dum florent, vix agnoſcunt homines de ſe benemeritos, vix agnoſcunt viros religioſos, de quorum conſiliis, & laboribus ſæpe vixerunt; vbi autem è fœlicitate decidunt, afflictione aliqua vexantur, ô quanta memorant religioſi hominis facinora ſibi vtiliſſima! ô quàm illius ſibi amicam præſentiam amant! Apud 3. Reg. 11. dicitur de Ahia propheta: *Apprehendensque Ahias pallium ſuum nouum, quo coopertus erat, ſcidit in duodecim partes, & ait ad Ieroboam, Tolle tibi decem ſciſſuras, hac enim dicit Dominus Deus Iſrael, Ecce ego ſcindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus.* Hæc audiuit Ieroboam homo priuatus ab ore Ahiæ, & inſuper hæc poſtmodum impleta vidit, & ſe regem electum Iſraelis agnouit, & in throno ſedit, & regnum adminiſtrauit, & ſacerdotes quæſiuit, qui ſacra dicerent. Et inter hæc meminit Ahiæ? Nullo modo, dum regnum aſcendit, dum diſtribuit religioſa munera nec Ahiæ meminit, nec de illo mutit. Dicitur autem 3. Reg. 14. *In illo tempore ægrotauit Abia filius Ieroboam. Dixitque Ieroboam vxori ſuæ. Surge, & commuta habitum, ne cognoſcaris, quod ſis vxor Ieroboam, & vade in Silo: vbi eſt Ahias propheta, qui locutus eſt mihi, quod regnaturus eſſem ſuper populum hunc, &c.* Nunc recordatur Ieroboam Ahiæ prophetæ, à quo regni accepit præſagium primum. Cur hunc non memorat, cum regnum accipit? Cur nunc magis deuenit in memoriam illius? Ait text. *In illo tempore ægrotauit Abia filius Ieroboam.* filij ægritudo diuexans patrem, illum fecit venire in memoriam religioſi viri, de cuius ore lætiſſimum regni nuntium audiuerat. Proh mundialium principum conditio! Dum in fœlicitate, & proſperitate verſantur, obliuioni tradunt religioſos amicos, quos in memoriam reuocant, cum in calamitates incidunt, multaque comminiſcuntur, de obſequiis officiiſque ſibi exhibitis per illos.

Theod.

3. Reg. 11.

3. Reg. 14.

§. VII.

Vt eſt pauper Princeps huius mundi, & diues Chriſtus.

VIde quæſo totam Principis huius mundi opulentiam quales concludant fines, nimirum, intra vnius arboris menſuram, illam concludunt. Sit arbor magna licet, & fortis, & procera, quando vna arbor eſt, pauperrimum poſſeſſorem deſignat. Apocal. 22. *Ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem gentium.* Cum autem dicatur lignum tale ex vtraque parte fluminis eſſe, euidenter conuincitur, non vnum lignum eſſe, ſed multa, vt notat noſter Viegas, & Ab[illegible] expreſſe inſinuat Ezech. c. 47. inquiens: *Ecce in ripa torrentis ligna multa nimis:* & rurſus paulo inferius: *In ripa eius ex vtraque parte omne lignum pomiferum: non definet folium ex eo, & non deficiet fructus eius: per ſingulos menſes afferens primitiua.* Ecce tibi apud Danielem, vna proponitur arbor, apud Apocal. & Ezech. multæ & innumeræ arbores proponuntur plenæ & ſaluberrimis foliis, & vitam halantibus fructibus. Et cur ibi vna, hic multæ? Ibi opulentia oſtenditur Principis huius mundi, hic opulentia Chriſti, qua ditaturus eſt aſſeclas ſuos. Habes homo in Chriſto ingentes diuitias, habes vitales arbores innumeras, in mundi autem huius principe etſi omnia eius habeas, habes arborem vnam. Quid pauperius mundi principe? Quid ditius Chriſto? Accipe Nathanum ponentem diſcrimen diuitis, & pauperis, 2. Reg. 12. *Diues habebat oues, & boues plurimos valde. Pauper autem nihil habebat omnino præter vnam ouem paruulam, quam emerat, & nutrierat, &c.* Pauper equidem eſt, qui vnam tantum arborem, vnam tantum ouem habet, vt diues eſt, cui ſuppetunt & fœcundiſſimi greges, & vitaliſſimæ arbores. De Ieſu dicitur Luc. 15. *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, & ſi perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deſerto, & vadit ad illam, quæ perierat?* Ecce tibi Chriſtus nonaginta nouē oues habens, vnam quærebat, quæ ad mundi principem diuerterat. Et credes mundi principem diuitem, ad quem vna tantum ouis exceſſerat? Proculdubio hic in vnius poſſeſſione non poteſt non eſſe pauperrimus. Rem ponderat D. Amb. in Apolog. Dauid. 1. cap. 5. *Quis vere diues, niſi Dominus noſter Ieſus? Et vere diues erat maieſtatis ſuæ opibus, & diuinitatis propria plenitudine, cui Angeli, & Archangeli, Virtutes, & Poteſtates, & Principatus, Throni, & Dominationes, Cherubim, & Seraphim indefeſſo obſequio ſeruiebant. Sed tamen cum diues eſſet, reliquit nonaginta & nouem in montibus oues, & vnam ouem, quæ laſſa remanſerat, requiſiuit. Hanc princeps iſtius mundi egenus, & pauper alimentis propriis nutriebat.* Itaque Dominus Ieſus in nonaginta nouem ouibus diues & locuples eſt; princeps mundi in vna oue, in vna arbore prorſus pauper, & egenus. Et cur pauper non ſit, qui præter hanc vnam mundi perituram ſubſtantiam, nil aliud habet, nec habere expectat? Tunc princeps huius mundi ſe ſe opulentiſſimum oſtendebat, cum Ieſum diuitiis vincere, & ſuperare ſperabat. Ait enim Matthæus cap. 4. *Iterum aſſumpſit Ieſum diabolus in montem excelſum valde, & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei, Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Quantus hic erat in diuitiis, qui omnem gloriam mundi promittebat? Sanè quando vnam ſolam mundi gloriam promittit, nihil illo debet exiſtimari pauperius. Sic enim monebat Diuus Nazianzenus orat. 40. fatus: *Si per auaritiam te oppugnet, vno temporis momento, atque obtutu regna omnia, velut ad ſe attinentia, oſtendens, atque adorationem à te exigens, vt pauperem contemne.* Et cur non contemnas vt pauperem eum, qui vnam tantum mundi gloriam exhibet? Vnus ſolus eſt diues ille Ieſus, ſub cuius nutu ſiue egrediaris è vita, ſiue ingrediaris, paſcua inuenies. Vnus eſt diues Ieſus, cuius ſub imperio fructificant innumeræ arbores, quæ æternum paradiſum vita implent. Vnus eſt diues Ieſus, cuius ſub baculo tot cœleſtes greges, per æternitatis prata ſaturi gradiuntur. Princeps huius mundi pauper eſt, & egenus, in vniuerſis enim regnis, & bonis mundi perituri, non habet, quæ excedant.

Apoc. 22.

Ezech. 47

2. Reg. 12.

Luc. 15.

D. Amb.

Matt. 4.

Nazianz.

excedant, vel vnius ouiculæ, vel vnius arboris mensuram. Vnam gloriam habet mundanam, & hanc marcescibilem citissime, quis ergo eum vel in totius illius exhibitione pauperem, & egenum non rideat?

§. VIII.

Leuidensia sunt, & futilia, quæ hominum mundialium rapiunt affectus.

QVid leuius frutice? Quid foliis futilius? Et ecce tibi cantatissimum imperium mundi Nabuchodonosori obucitur in arboris foliis, in arboris frutice constitutum. Ait enim: *Magna arbor, & fortis: folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius.* Hæccine sunt mundi imperia, nimirum folia, frutex, quid leuius? Quid futilius? Et futilia hæc, & leuidensia cum toto animi conamine, imò cum vitæ euidentissimis discriminibus, quæruntur. Paul. 1. ad Corinth. 9. *Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant.* Quis nesciat agonistarum contentiones? Proponebatur corona de floribus, seu de frondibus, & pro hac obtinenda, & cursus, & sudores, & prælia, & pericula subibantur innumera. Ecce tibi mundialis agon quo spectet: spectat equidem coronam de foliis, *ac de* [illegible] cito marcescibilibus, imò iam iam perituris, pro quibus, & quies, & sanguis, & vita profunditur. Rem merito stupet D. Basil. Sel. orat. 37. inquiens: *His omnibus præmium corona de frondibus. Dedecoris argumentum, donum ridiculariorum, & fallacia est appellatione. Corona cætera infructuosa pro fructu pœnas prefert: ac totus ille conflictus propter vmbram foliorum suscitatur.* Totus quantus est mundialium hominum conflictus, prælia vniuersa, quibus ipse mundus quatitur, propter vmbras foliorum, propter futilissimas resculas iam iam interituras suscitantur. Huc spectant mundialium principum conuentus, huc eorumdem tendunt conatus, ne vel folium cuique deficiat, & pro perituris flosculis, seu fruticibus animarum salutē passim in discrimen adducunt. Quo respiciens Ierem. cap. 50. *Quoniam ego suscito, & adducam in Babylonem congregationem gentium magnarum. Et erit Chaldæa in prædam, omnes vastantes eam replebuntur, ait Dominus. Quoniam exultastis, & magna loquimini, diripientes hæreditatem meam quoniam effusi estis, sicut vituli super herbam, & mugistis sicut tauri.* Ecce vobis magnarum gentium conamina, prælia, discrimina qualia sunt, nimirum, qualia vitulorum super herbam, vt enim herba vilis vitulos trahit, & rapit ad se ipsam; sic futilissimæ resculæ hominum rapiunt affectus, vt pro illis se perimant, & in animarum coniiciant pericula. Herbis arescentibus similia sunt, quæ magnas nationes trahunt in discrimina.

1. Cor. 9. — *Basil. Sel.* — *Ierem. 50.*

§. IX.

A bonorum temporalium pastu infirmitas, & imbecillitas.

DE mundialium bonorum arbore, vide, qui manducent, ait enim, *ex ea vescebatur omnis caro*: non osseum robur vescitur ex mūdana arbore, sed sola caro infirma, quando à mundialium bonorum pastu sola infirmitas, & imbecillitas potest oriri. Apud Luc. 15. bonus pastor relictis nonaginta nouem ouibus, *vadit ad illam, quæ perierat.* Sed quæres de hac oue perdita, quæ illi fuerit causa defectionis, & perditionis? Nonne hæc cum aliis nonaginta nouem sub eiusdem diuinissimi pastoris cura erat? Nonne ab eodem in locum pascuæ ducebatur? Cur ergo hęc sola defecit, & periit? Vide quid dicat textus, 2. Reg. 12. *Pauper autem nihil habebat omnino præter vnam ouem paruulam, quam emerat, & nutrierat, & quæ creuerat apud eum cum filiis eius simul, de pane illius comedens, & de calice illius bibens.* Ecce tibi totam causam infirmitatis ouiculæ, reliquerat illa cœlestem Dominum diuitem, transierat in dominium pauperis mundi, sese de mundiali pane ingorgitans; vnde non miror, quod à mundiali pastu defectionem acquirat, & infirmitatem, & ruinam D. Amb. in 1. Apol. Dauid, cap. 5. *Vnam ouem acquisiuit bonus pastor. Hanc princeps istius mundi pauper, & egenus quasi filiam alimentis propriis nutriebat. Merito itaque defecerat, cui substantia erat cibus sæculi.* Cui de temporalibus, de sæcularibus solum dabatur cibus, & magna defectionis, & infirmitatis causa dabatur. Plane nihil osseum, nihil robustum speret à sæculari pastu, qui in eo, præter id quod temporale est, nihil cœleste, & diuinum meditatur Isaiæ cap. 3. *Ecce Dominator dominus exercituum auferet à Ierusalem, & à Iuda validum, & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ.* Et quod est robur panis, & robur aquæ auferendum? Robur panis est Christus, & vita æternanda, quod si à pane Christus tollatur, & æternæ vitæ memoria, nihil roboris, nihil ad fortitudinem spectans, sed ad infirmitatem, & imbecillitatem in eo manet. D. Hieron. in præsenti fatur: *Fortitudo igitur panis auferetur eis, ille qui dicit, ego sum panis viuus. Et fortitudo aquæ, de qua idem Dominus loquebatur: Qui bibet ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Habent Iudæi panem, sed absque fortitudine, habent aquam, sed absque robore. Et quia fortitudinem perdiderunt, infirmi sunt, propterea olera comedunt. Athletarum autem solidus cibus est, qui & vitam sustentat humanam, & vincentibus præbet fortitudinem.* Itaque vt Iudæi in mundiali pastu nil cœleste, nil meditantur Christianum, nihil roboris, nihil fortitudinis habent, sed in summa sunt infirmitate. Quando à solo mundiali pabulo, sine Deo nihil oriri potest robustum, & vitale. Vt merito dicat Dominus Matth. 4. *Non in solo pane viuit homo, sed de omni verbo, quod procedit ex ore Dei.* Sume solum panem, sola bona temporalia sine vllo Dei respectu, & nec vitam, nec fortitudinem habes. Aiebat enim in præsenti D. Hieron. *Non in solo pane viuit homo, sed de omni verbo, quod procedit de ore Dei. Si quis ergo non vescitur verbo Dei, iste non viuit.* Non equidem in viuis numerandus est, quisquis se se ita temporalibus tradit, vt nullum Dei studium, nullam Dei memoriam habeat. Fœlix ille, qui vel in mundiali pastu Deum adiungit, hic tantum vitæ robur nancisceretur, vt possit contrarias omnes potestates detriumphare. Famelico Dauidi, 1. Reg. 21. panis sanctuarij datus est: sic ibi: *Dedit ergo ei Sacerdos sanctificatum panem.* Quem vbi Dauid comedit, statim ait, *Si habes hic ad manum hastam, aut gladium, da mihi.* Multum roboris accepit in sanctuarij pane, qui post illum statim arma sumpsit, quibus hostes subiiciat. Ex quo D. Amb. apud Palacios in c. 15. Matth. inquit: *Dauid sumpto cibo arma Goliath sibi sumsit, & tu si Christum acceperis, Goliathem expugnabis.* Hoc sufficit, vt valeas expugnare hostes tuos, si mundi pastus solitarie non requiras, si de temporali pastu non viuas, sed de pastu sanctuarij, de pane, in quo respicias & Christum.

Luc. 15. — *2. Reg. 12.* — *D. Amb.* — *Isai. 3.* — *D. Hier.* — *Matt. 4.* — *D. Hier.* — *1. Reg. 21.* — *D. Amb.*

§. X.

Sumptus, qui absque ratione fiunt, nullam commendationem, famamque merentur.

VIdes in hac arbore commendari folia à pulchritudine, dicit enim, *folia eius pulcherrima*, de fructibus autem nihil commendatione dicitur dignum, præterquam quod erant nimij. Cur & fructus non commendantur etiam ex pulchritudine, ex odoris suauitate, ex saporis dulcedine, ex multarum aliarum qualitatum præstantia? Cur solum de illis dicitur, *fructus eius nimius?* Dabantur fructus in escam, & cōsumptionem bestiis terræ, & carnalium cupediis, quæ autem à carne, non à ratione, à brutis cupediis, non à rationabili ductu consumuntur, nullam sui speciositatem, nullam commendationem referunt. Illa solum speciosa, & commendabilia sunt, quæ rationabili ductu consumuntur. Cant. 6. ait: *Dilectus meus descendit in hortum, ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat.* Septuag. legunt: *Fraternus meus descendit in hortum suum, ad phialas aromatum pascere in hortis, & colligere lilia.* Nouus pascuæ locus videbitur aromaticus hortus, liliis & floribus consitus. Quis pastor deduxit gregem ad hortum, ad lilia, ad aroma, & non potius ad herbidas valles, ad succulentos montes? Cur non magis fœnum, & herba, quàm lilia, quam aromata dicuntur pauisse gregem Domini? Erat grex rationalis, erant oues, quæ nec gradum faciunt nisi duce ratione, ab istis quidquid consumitur, lilium est, aroma est, speciosum est, & plenum commendatione. Ad hæc Nyssen. homil. 15. in Cant. lilia & aromata memorās statim subiicit: *In his ergo versari dicit eam, qui ratione præditis ouibus præest; pascentem in hortis, & lilia decerpentem, colligentemque in vsum ouium. Nam lilia putari debent, quæcumque iusta, quæcumque pura, quæcumque boni nominis. Si qua virtus, & si qua laus, hæc sunt lilia, quibus ab illo præclaro ouiaria.* Et quidem pastor ouium ratione præditarum illas ducit inter lilia, inter aromata; nihil enim ab iis, qui ratione ducuntur, consumi potest, quod non pariatur floridum, splendidum, odoriferum, magna laude dignum, & commendatione. Vbi autem non ratio, sed caro, sed sensualitas pascitur, inde nil floridum, nil laudabile oritur. At in præsenti arbore, *ex illa vescebatur omnis caro.* Quid infelicius? Quid turpius? In regiæ substantiæ consumptione sola versatur caro, non ratio. Vide quot potentes in sæculo, tot

Cant. 6. — *Nyssen.*

lo, tot arbores fructibus plenas, ſed quæ abſumat hos fructus, non ratio eſt, ſed caro, non rectum iudicium, ſed cupiditas, non ſapiens prouidentia, ſed appetitus brutalis. In quibus ſumptibus multa ſunt infortunia, quæ defleas, pauca facinora quæ laudes. Ioſeph Gen. 37. quærens fratres ſuos inuenit hominem, ad quem ait: *Fratres meos quæro, indica mihi, vbi paſcant greges?* Ex Græco legunt alij; *indica mihi, vbi regant greges?* In differentia autem verbi paſcendi, vel regendi, notat Philo diſcrimen eorum, qui bruto feruntur appetitu, vel qui ad rationis normam procedunt. Quippe ait: *Non ſimpliciter rogat, vbi paſcunt, ſed vbi regunt? Nam qui paſcunt, alimenta iſta ſenſibilia omnia præbent bruto, & inſatiabili ſenſuum pecori, per quod fit, vt impotes noſtri, & infortunati ſimus.* Expende radicem infortunij, radicem fœdiſſimarum calamitatum, nimirum *alimenta iſta ſenſibilia omnia præbens bruto ſenſuum pecori.* Hæc præſtant, qui rationis regimen detrectant, qui in nullo rationis voces malunt auſcultare, ij omnia temporaria præbent bruto ſenſuum pecori conſumenda, per quod fit, vt in multa infortunia cadant. Hinc Bleſenſis ep. 5. mordet amicum Epiſcopum totum temporalibus deditum. Ait enim. *Si veſtram velim prædicare induſtriam circa ædificiorum meliorationem, circa prædiorum culturam, & circa exteriorum adminiſtrationem, quæ inceſſanter exigit humana neceſſitas: Quæ gloria eſt, inquiunt, quod viuaria conſtruxit, quod claudit feras indagine? Quæ vtilitas, quod fimo, & cruta ager ſationarius impinguatur, ſi in Dominica meſſis cultura nos ſpina conſlitur? Nunquid Deo cura eſt de bobus, & aſinis? Dominus tuus offici ſpiritualis intelligentiam conuertit in literam, aut vt dicatur melius, in literam.* Non equidem Deus æſtimat ſuos, eos, qui totos ſe paſcendis ſenſibus tradunt, bonaque ſua ſine ratione infirmunt. Ait enim Bleſenſis etiam epiſt. 10. *Vellem, quod munificentiæ tuæ ratio menſarum præſcriberet, & donationes, quas hiſtrionibus facit, limitaret modeſtia. Quantum per adulatores mediantibus donis eius ſpiritus ad inanem iactantiam creſcit, tanto apud bonos, quaſi in vaporem, & fumum eius beneficentiæ titulus euaneſcit.* Sic ibi. Quibus patet, quam infames ſint ſumptus facti abſque ratione.

Gen. 37. — *Bleſenſ.* — *Bleſenſ.*

Dan. 4. Videbam in viſione capitis mei ſuper ſtratum meum, & ecce vigil, & ſanctus de cœlo deſcendit, clamauit fortiter, & ſic ait: Succidite arborem, & præcidite ramos eius: & excutite folia eius, & diſpergite fructus eius; fugiant beſtiæ, quæ ſubter eam ſunt, & volucres de ramis eius. Verumtamen germen radicum eius in terra ſinite, & alligetur vinculo ferreo, & æreo in herbis, quæ foris ſunt, & rore cœli tingatur, & cum feris pars eius in herba terræ. Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei, & ſeptem tempora mutentur ſuper eum.

§. XI.

Fœlix ille eſt, cui in viſu proponuntur mala, quæ imminent illi.

NOn ad paruam fœlicitatem huius regis pertinet, quod in præſenti videbat ille, & per viſum patiebatur: excidendus enim erat à regno, & beſtiis æquandus, id quod in viſione arboris ſciſſæ illi monſtratur. Quippè ait: *Videbam in viſione capitis mei ſuper ſtratum meum, & ecce vigil, & ſanctus de cœlo deſcendit, clamauit fortiter, & ait: Succidite arborem, &c.* Quid fœlicius? Succiſionem arboris, præciſionem regni prius haurit oculis, quam corpore, prius datur illi in viſu pati, quod vitæ imminebat malum, vt inde pateat, quam procurabat Deus illius fœlicitatem. Matth. 27. cum Pilatus ſederet damnaturus Ieſum, miſit ad illum vxor eius dicens: *Nihil tibi, & iuſto illi, multa enim paſſa ſum per viſum propter eum.* Multa dantur fœminæ ſuſtinenda per viſum, quod non paruam fœlicitatem illi faciebat; fœlicitas namque eſt, quod oculis pertingas, quæ te mala expectent, niſi te illis eripueris. Ad hæc præclare Origen. hom. 35. in Matth. *Ideò per viſum paſſa eſt, vt ne amplius pateretur. Vt beatam fuiſſe dicamus Pilati vxorem, quæ per viſum paſſa eſt multa propter Ieſum, & recepit per viſum, quod erat paſſura. Ex quo audebit quis dicere, quod melius eſt recipere aliquem mala in viſa, quam recipere in vita. Quis enim non eligat per viſum mala ſua recipere, quam in vita ſua?* Merito beatam putat dicendam fœminam, cui licuit ante viſu, quàm dorſo flagella excipere; quæ oculis mala imminentia, & iam iam inſtantia intuita eſt, antequam illis afficeretur. Fœlix, & beatus eſt, qui ſic oculis tantum pati permittitur, ſed fœlicior, & beatior, qui ea hac paſſione per viſum, ſic præcauet ſibi, vt minime in corpore ſuo luat pœnas. Qua fœlicitate caruit ille, de quo Oſeas cap. 5. *Vidit Ephraim languorem ſuum, & Iudas vinculum ſuum. Et abiit Ephraim ad Aſſur, &c.* Quid fœlicius? Poſita eſt captiuitas, & vincula ferrea ob oculos Ephraim, antequam in corpore ponerentur. Oculis vincula, & carceres, & ſeruitutem miſeram inſtantem excipiebat, & qui ſic pœnas vidit, non prouidit, quomodo illis eriperetur. Fœlicitas fuit, quod videret, antequam ſentiret; ſed infœlicitas, quod illa viſio non in bonum, ſed in malum cederet. Ad hæc Rup. ait: *Mira male videntis exprobratio Ephraim languorem ſuum, & Iudas vidit vinculum ſuum, & tam magnum ille ſuum languorem æſtimauit, vt nullatenus à Deo patrum ſuorum curari poſſet, & idcirco ad Aſſur, tanquam Deo fortiorem confugit. Vterque male vidit, nam ſi bene vidiſſent, ſcirent id, quod ſequitur, & ipſe non poterit ſanare vos.* Abuſi ſunt miſeri magna fœlicitate, quando nimirum mala venientia viderunt, antequam illis afficerentur. Hoc illis magnum præſtabat Dominus, vt tantum oculis exciperent calamitates, ſed qui ex hac viſione malis ſe eripere poſſent, illa abutuntur, vt includantur vinculis pœnarum arctioribus. Vtinam ſapientiores eſſent iſti in bonum ſuum, fallas, ſi illa vincula prenderent, quæ prius oblata fuerint oculis. Ait enim Prouerb. 1. *Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Vna hæc eſt fœlicitas paſſerculorum, quod retia excipiant oculis, qui enim retia oculis excipit, nunquam illa excipiet corpore. Sic fœlicitas hominis ſapientis non parua eſt, quod pœnarum vincula imminentia eius ſuccedant oculis, ſi enim oculis ſuccedant, vix fieri poterit, quod afficiant corpus.

Matth. 27. — *Orig.* — *Oſeas 5.* — *Rupert.* — *Prou. 1.*

§. XII.

Maxime virum religioſum ornat lingua eiibrata aduerſus potentes peccatores.

ET vigil, & ſanctus, & cœleſtis oſtenditur, qui clamare dicitur ad arboris regiæ ſucciſionem. Ait enim: *Ecce vigil, & ſanctus, de cœlo deſcendit, clamauit fortiter, & ſic ait: Succidite arborem.* Et merito qui clamat aduerſus arborem regiam, & ſanctus, & vigil, & cœleſtis eſt, nihil enim ſic ornat virum religioſum, & illuſtrem reddit, vt vox libera in corripiēdis peccatoribus potentibus. De rege Ozia dicitur 2. Paral. 26. quod templum ingreſſus arripuit thuribulum, vt ſacrilege adoleret incenſum. Quid tunc? *Statimque ingreſſus poſt eum Azarias ſacerdos, & cum eo ſacerdotes Domini octoginta viri fortiſſimi, reſtiterunt regi, atque dixerunt. Non eſt tui offici Oſia, vt adoleas incenſum Domino.* Non veretur bonus ſacerdos iram regis peccantis, ſed in illum apertiſſimè clamat, & eius errores profert in medium, quo ſe non ſolum inter ſacerdotes, ſed & intra ciues annumerat cœleſtes. Quocirca D. Chryſ. hom 4. de Iſaiæ verbis ait: *Vide libertatem, vide mentem ſeruire neſciam, vide linguam cœlos attingentem, vide hominis corpus, & Angeli mentem, vide humi ingredientem, & in cœlo verſantem. Non licet tibi, ait, adolere incenſum, &c.* Sic cœleſtis, ſic angelicus, ſic ornatus efficitur, qui aduerſus potentium vitia nouit clamare. Quo aſpiciebat Eccleſiaſtes cap. 9. ſupra leonem mortuum exaltans canem, dum ait: *Melior eſt canis viuus, leone mortuo.* Verſio Arabica legit: *Canis ille viuus præſtantior eſt leone mortuo.* Et mirabar vnde viliſſimo cani poſſit tanta aduenire præſtantia, qua ſe ſuper leonem exaltet. Sane canis nunquam non aſſumitur in ſcriptura ad extremam vilitatem oſtendendam: & arcetur penitus à ſacris, vt ea Deuter. 23. notat Pater Pineda in præſenti. Qui ergo fieri poteſt, vt canis præ leone mortuo præſtantior, & ornatior appareat? Arabica verſio huius rationem inſinuat, dum præfixo articulo ait, *canis ille viuus,* quaſi hanc præſtantiam non tribuat cuilibet cani indiſcriminatim, ſed illi ſoli, qui imperterritus aduerſus alienigenas, & potentes Dei hoſtes nouit latrare. Leo quantumvis ſis, in dignitatéque ſplendeas, ſi mortuus es, ſi frigidus, ſi inſtar mortui ſiles aduerſus potentium vitia, vilis es, & prorſus contemnendus. Canis autem licet ſis, ſi euibrata lingua, non deſinis Dei hoſtibus oblatrare, mirum in modum ornaris, & ſuper alios exaltaris. Vt Nazianz. oratione 23. extollens athletam Chriſti Hieronem dicat: Adesdum

2. Paral. 26. — *D. Chryſoſt.* — *Eccleſ. 9.* — *Nazianz.*

Adesdum canis non impudentia, sed sua libertate, non ingluuie, sed quia in diem viuit, non latratu, sed bona custodia, vigiliisque pro animarum salute susceptis, atque etiam, quia virtutis quidem familiares ac domesticos mulces, alienos autem oblatras. Non parett bonus canis alienis, nec desinit oblatrare illis, qui vitiis sese tradût, ex quo sic vel canis nenatur, vt contemnatur vel leo, qui instar cadaueris silet inter potentium peccata. Et cur non contemnatur, & vilescat, qui sic tacet? De se ait Isaias cap. 6. *Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum.* Qoia videns reges peccare tacuit, & væ sibi dicit, & labia sua polluta esse testatur. Et quomodo tacentis labia immunditias contrahunt, vt polluta dicantur? Vidi aliquando statuas aperto ore, arrectisque auribus stare, quarũ in ore, & aurium foramine spurcissimas araneatum telas esse notaui, & necessarium esse putaui, quod ora, quæ nulli voci vtili seruiunt, vt prorsus otiosa sordescant plena telis aranearum. Quas immunditias in labiis sois plorabat Isaias, cum minime ausus fuerit regis peccata obiurgare. De illo ait D. Hier. epist. 1. ad Damas. *Isaias labia habebat immunda, & quantum ego arbitror, quia Oziam in templum irruentem non corripuerat, nec iuxta Elia exemplum libera voce impium designarat, labia habebat immunda.* Nec miror, quod labia muta inter potentium peccata sic immunditiis impleantur, & telis aranearum. Vt illis conueniat, quod Samariæ idolo aptat Oseas cap. 8. aiens: *In aranearum telas erit vitulus Samariæ.* Sic labia tacentium ad populi peccata in aranearum telas migrabunt. Quæ autem potentioribus peccatoribus oblatrant, ea maxime ornantur. Vt dicat Chrysost. hom. 47. in Matth. *Vnde Elias mirabilis factus? Nonne quia regem libere alloquebatur?* Ita plane.

Isai. 6.

Hieron.

Osee 8.

§. XII.

Nil terrenum habeat, qui velit intrepide potentes obiurgare.

QVi regiæ arbori præcisionem clamat, is vigil, & sanctus est, *& descendit de cælo*, nihil ex terra habens, qua solus, qui caret, audet aduersus potentes peccatores proclamare. Vbi Ozias rex sacrilege adolebat incensum, 2. Paral. 26. statim video feruidum sacerdotem clamantē & dicentem: *Non est officij tui Ozia, vt adoleas incensum.* Et mirabar aduersus regem, tam intrepidum proclamatorem esse. Vnde huic tanta alacritas aduersum regem, nisi ex eo, quod omnes terrenos affectus exuerat? Ait Chrys. hom. 5. de verbis Isaiæ fatus: *Vidisti sacerdotis animum multa fiducia plenum, excelsique spiritus. Non aspiciebat principatus fastum. Non audiebat illud Salomonis: Mina regis, sicut ira leonis, sed sublatis oculis ad verum regem cælorum impetum fecit in tyrannum. Nouerat enim, nouerat, inquam, quod comminatio regis, similis sit ira leonis, duntaxat iis, qui terram spectarent. Verum hominis, qui cælum haberet pra oculis, quouis cane vilior erat ille.* Cur timeat regem, qui cœlum spectat, qui ab omni terreno affectu liber, & immunis est? Possunt equidem terrori esse mundiales potestates, sed hominibus terrenis, at qui cœlum spectat, cuius tota in cœlis est conuersatio, & cōmoratio, nil habet, quo possit terreri. Eusebius Episcopus vir alioqnin strenuus potentissimis Dei hostibus Basilium magnum obiecit. Et cur bonos præsul non ipse per se in arenã descendit? Ait Nazianz. orat. 20. *Quippe vt nuper in cathedra collocatus, ac mundano materia aliquid adhuc spirans, nondumque in his, qua spiritus erant, instructus, ac praterea ingenti tēpestate vndique æstuante, atque imminentibus Ecclesia hostibus, opus habebat homine, à quo velut porrecta manu duceretur, & fulciretur. Ac propterea Basilij opera, atque auxilium amplectebatur.* Expende illud: *mundana materia aliquid adhuc spirans*; quippe dum aliquid de terra habebat, veretur in arenam aduersus Dei hostes procedere; non equidem terreni hominis est cum potentibus confligere pro virtute & Deo. Exue terrenos affectus, & tunc valebis potentibus obsistere in re virtutis. Moyses homo erat captiuus, qui Ægyptios thesauros spreuerat: & Elias etiã erat pauperculus homuncio; vterque tamen audacissimus ostenditur aduersus mũdi principes, ille aduersus Pharaonem, aduersus Achab iste. Et vnde tanta libertas pauperculis hominibus contra principes? Idem quia pauper, quia nihil terrenum habebat. Ait D. Chrysost. hom. 67. in Matt. de illis: *Sane magna libertate aduersus tyrannos locuti sunt; alter aduersus Ægyptium, alter aduersus Achab; quia etsi priuati; ac absque potestate fuerant, propositum tamen habuerunt ab idolorum cultu populum eripere, quorum alter tardus lingua, alter etiam aliquo modo rusticior, & vterque sacularium diuitiarum apprime contemptor. Nam neque Moyses quicquam possidebat, nec Elias prater melotem aliquid habebat.* Inde sane qoia à se omnia eiecerant temporalia, non verebantur etiam in principibus persequi peccata.

1. Paral. 26.

D. Chrys.

Nazianz.

§. XIV.

Cœlestis animi est ardentiori affectu moueri aduersus Dei hostes, quam tepidiori.

SVfficeret sancto, & vigili, & cœlesti spiritui, quod arborem illam superbam præscindi iuberet, at iste sanctus, & vigil non contentus est arboris superbæ præcisione, sed insuper iubet, vt fructus dispergantur, & vel folia conterantur. Ait enim: *Succidite arborem, pracidite ramos eius, & discutite folia eius, & dispergite fructus.* Si arbor succiditur, si rami, si fructus perduntur, quid necessum est, vt vel ad foliorũ perditionem descendas? Cur vel cōtra folium gladium eaeris? Nonne hoc nimij rigoris habet speciem? Hoc est cœlestis animi ingeniũ, quod facilius deprehendatur nimis ardere in Dei hostes, quã frigere. Hoc spectans D. Nazianz. orat. 21. ait: *Omnes philosophia deditos, ac Dei amore proditos, atque ante tempus in cælis ciuium munere fungentes, à nobis demoneantur. Qui tametsi aliequi pacati, ac moderati sunt, hac tamen in re lenes, & faciles esse non sustinent, cum per silentium & quietem Dei causa proditur, verum hi admodum bellaces sunt, ac in confligendo acres, & veloces, & feroces, citiusque aliquid, quod non oporteat, euonuerint, quam quod ex officio sit, pratermiserint.* Hoc est ingenium virorum pro Deo stantium in mundo, qui facilius inueniuntur aliquid nimium aduersus vitia fecisse, quam ignauia, & desidia in officio torpuisse. De qoibus etiam dicit D. Greg. 10. Mor. 5. *Sape namque magnis hoc doctoribus, mirandisque contingit, vt quo alia charitate ferueant, eo modum correctionis exaggerent, & lingua aliquid, quod non debet, dicat, quia mentem dilectio, quantum debet, inflammat. Sed verbum prolata contumelia, tanto citius parcitur, quanto & ex qua radice prodeat, pensatur.* Expende in quo errent magni, mirandique doctores, si errandi occasio contingat, errant equidem non torpentes, & ignauia frigentes, sed pro Dei, virtutisque zelo nimis aliquo modo exardescentes. Hoc magni, mirandique viri accipe argumentum, quod mirandus vir in re virtutis citius excedat feruore zeli aduersus peccatores quam ignauia, & desidia; qui enim ignauia excedit, hic magnus vir non est, nec vir, sed fœmina. Quod in Eli ignauiter corripiente filios, 1. Reg. 2. notabat Rup. lib. 2. in Apoc. fatus: *Magna res, & sancto viro necessaria zelus iste, vel ista fortitudo, quia nimirum, si careat ea, periclitatur in iudicio Domini, quantacumque sit in ipso propria vita sanctitas. Exemplum nobis est periculum sacerdotis Eli de Sylo. Nam quia nouerat indigne agere filios suos, & non digne zelando corripuit eos. Sed cum blãditiis nimium paternis, imo pene fœmineis. Nolite, inquit, filij mei, non est bona fama, quam audio: ideirco venit super eum iudicium.* E quibus verbis illud in præsenti ponderandum venit, quod dicatur non digne corripuisse filios, sed eum *blanditiis fœmineis*, vt ostendat, quam longe à viro sit, qui ignauiter, & desidiose se gerit in peccatoribus corripiendis.

Nazianz.

D. Greg.

Rupert.

§. XV.

Misericordiam, & compassionem à se elongat, qui sententia excipienda sistitur, adhuc ornatus, & cultui corporis studens.

VIde ordinem, prius arbor foliorum pulchritudine exuitur, & fructuum vacuatur diuitiis, tunc dicit vigil, *germen radicum eius in terra sinite, alligetur vinculo ferreo, &c.* Posset etiã foliis ornatus alligari, sic enim Daniel. c. 3. dicitur de socius eius: *Confestim viri illi vincti cum braccis suis, & tiaris, & calceamentis, & vestibus missi sunt in medium fornacis.* Et quãdo ij cum toto ornatu, & cultu vestium dantur vinculis, & ardenti fornaci, cur similiter qui arbore illa exprimebatur, cum tota foliorum pulchritudine non traditur vinculo ferreo? Sane qui ligabat arborem ferreis vinculis, simul & misericordiam, & compassionem Dei illi curabat facere propinquam, & ideo omnem prius ornatum, & cultum foliorum absumit, vt cum inornatus, & incultus sententiæ excipiendæ adstet, compassionem iudicis magis solicitet. Qui autem strenuos illos pueros ligabant, nil magis studebant quàm omnem adstantium compassionem fugare ab illis, ideo cum toto ornatu, & vestium cultu illos ligant, mirum enim in modum compassionem ablegat, qui delibutus, & calamistratus, in splendenrique ornatu iudicio sistitur. Pulchre Sidon. Apol. lib. 1. epist. 6. calum amici sui Aruandi describens ait: *Illud sanè ærumnosissimum, sicut narrauere, qui viderant, quod qua se sub atratis accusatoribus exornatum ille, politumque iudicibus intulerat, paulo*

Daniel. 3.

Sid. Ap.

post

post eum decernetur addictus, miser, non miserabilis erat. Quis enim super statu eius nimis inflecteretur, quem videret accuratum, delibutumque latomiis, aut ergastulo inferri? Eo quam misere fallitur, qui sub splendenti ornatu negotiari sibi compassionem nititur, imo hoc sibi persuadeat vir prudens, quod quantum ornatus, quantum cultus habuerit, tantum compassionis, tantum misericordiæ sibi in iudicio subtrahit. Addit namque de eodem Aruando Sidon. supra. *Procedit noster ad curiam paulo ante detonsus, pumicatusque, cum accusatores semipullati opperirentur, & ab industria squalidi præripuissent reo debitam miserationem, sub inuidia sordidatorum.* Nihil humanius est, quam quod reo miseratio habeatur, in præsenti autem accusatores totam miserationem debitam reo, sibi præripuerunt. Et vnde præripuerunt? Ait ipse: *Procedit noster paulo ante tonsus, pumicatusque, cum accusatores semipullati opperirentur.* dū reus pumicatus splēdebat, & accusatores pullati, & squalidi essent, merito illi omnem miserationem præripuerunt. Indignus prorsus miseratione est, qui in splendenti ornatu, & cultu corporis iudici sistitur. Vt hinc metuant, ne sibi misericordiam fugent, qui in sacramētalis cōfessionis tribunali excepturi peccatorum pœnam sistuntur, & pumicati, ac delibuti, calamistratique ibi visuntur. Quis enim inflectatur super eo, quem delibutum, & calamistratum sententiæ excipiendæ adstare videt? Merito Tertul. aiebat lib. de pœnit. *Itaque exomologesis prosternendi, & humilificandi hominis disciplina est, conuersationem iniungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu mandat, sacco, & cineri incubare, corpus sordibus obscurare.* Expende conuersationem *misericordiæ illicem*, quippe conuersatio talis, quæ mādet de habitu, quæ corpus sordere sinat in cinere, & cilicio, ea conuersatio est misericordiæ illex, ea misericordiam & compassionem maxime sibi præripit. Vnde 4. Reg. 19. *Ezechias rex scidit vestimenta sua, & opertus est sacco. Ingressusque est domū Domini, & misit Eliacim prepositum domus, & Sobnam scribam, & senes de sacerdotibus opertos saccis ad Isaiam Prophetā filiū Amos, qui dixerunt. Hæc dicit Ezechias: Dies tribulationis, & increpationis.* Quid sapientius? Vbi rex increpationis nouit instare diem, statim regium exuit ornatū, & à se, & à suis omnem cultum & splendorem abiicit. Ait Raban. in Glossa: *Mira regis humilitas & prudentia dimisso regio cultu, & obuolutus sacco ad templum pergit de palatio, principes sacerdotum non solum, sed celeros amictos mittit ad Isaiam, & dicit, Dies tribulationis nostræ hæc, & correptionis Dei.* Vel à sacerdotibus tollit splendidos sacrificiorum ornatus, & omnes vult squalidos, & pullatos sisti Prophetæ. Et tanti luctus, tantæque vestium incuriæ ostendens causam ait: *Dies tribulationis nostra hæc, & correctionis Dei.* In die enim, qua spiritu contribulati corripienti Deo sisti iubemur, insipiens est, qui studet ornatui vestium, quo à se miserationem prorsus depellat.

Sidon.

Tertul.

4. Reg. 19.

Raban.

§. XVI.

Salutaris est illa calamitas, quæ nos facit esse velut iumenta apud Deum.

IN futuræ veniæ spem, arboris scissæ germen in terra finitur. Quid tunc? *Alligetur vinculo ferreo, & æreo in herbis, & rore cœli tingatur, & cum feris pars eius in herba terræ. Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei.* Ecce tibi vbi radix in terra linquitur, in salutis spem, eò homo adducitur, vt conuiuat campi iumentis, & exuens hominem induat iumēti speciem. Ad quid hæc iumenti species inditur homini reseruato in salutem è tot calamitatum medio? Sane huc spectabant calamitates illæ beneficæ, vt homo redigeretur ad vilitatem, & abiectionem iumenti, quo diuinorum præceptorum oneri sustollendo subiaceret. Non absimilis est illa Ruricij Episcopi Lemoniceni excogitatio, qui lib. 2. epist. 35. sic fatur cuidam amico suo. *Infirmitatē vobis clementer illatam propitio potius, quā irato ipso Domino nostro, pro solita eius pietate committo. Sic enim legimus, quod corripiat Dominus, quē diligit. Quod etiam in vobis, quantum audio, probatur, vt ordinatis affectibus vestris, suum vobis insinuaret affectum, & habitu animoque mutato iugum vobis sua lenitatis imponeret, vt salutari suo currui colla subdentes, dum mandatorum suorum leue onus euehitis, peccatorum grauem sarcinam deponatis.* Quid pulchrius? Huc equidem spectans calamitates prementes eos, quos Deus amat, huc, inquam, spectant, vt illis homines iugo Dei subeundo aptentur, vt facti quasi iumenta collum suum diuino currui ferendo submittant, & oneri præceptorum tollendo se dedant. Quo respiciens Zacharias c. 10. ait: *Visitauit Dominus exercituum gregem suum domum Iuda, & posuit eos quasi equum gloriæ suæ in bello.* Vide, vt Deus visitat gregem suum, visitat domum Iuda, castigat, & affligit, & quid inde? *Posuit eos quasi equos gloriæ suæ*, ex Dei visitatione hoc bonum receperunt, vt quasi iumenta fierēt ante Deum, & quasi equi triumphali Dei subiicerentur currui, cuius sub iugo constricti mundum illuminent. Quo spectans Dominus ait sponsæ suę Cant. 1. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea sponsa.* Septuag. legunt: *Equæ meæ in curribus Pharaonis assimilaui te.* Et quomodo equis suis, iumentis suis assimilauit Deus sponsam? Honorius apud Delrium ait: *Similem te reputaui populo meo in Ægypto afflicto, quando Pharao illum prosequebatur in curribus & sicut eum tunc liberauit, ita & nūc liberabo te.* Itaque vt in afflictionibus, & calamitatibus similis quis apparet populo ab Ægyptiis oppresso, sic & equis, & iumentis Dei similis apparet, sub eius iugo constrictus, & in libertatem ibit, & salutem. Dauid Psal. 48. hominis deflebat calamitatem & ruinam, inquiens: *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Hoc deflet, quod homo eo adductus sit, vt similis iumento fieret; sed & Psal. 72. hoc ipse in commendationem suam adducit, quod iumentum factus sit. *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Cur quod in aliis deflebat, commendat, & æstimat in se ipso, nisi quod expertus fuerit quàm beneficæ sunt calamitates, quę hominem eo adducunt, vt humiliatus iumentum fiat, vt possit sub Dei iugo viuere? Ad hæc D. Bernard. serm. 7. in Psal. 90. inquit: *Quid ergo tantopere vel plangit propheta, vel arguit in homine similitudinem iumentorum, presertim qui alio quodam loco de se dicere Deo, non sine quadam congratulatione videtur, vt iumentum factus sum apud te? Sed similitudinem aliquam iumentorum homini commendat. Quis enim non illi iumento plurimum inuideret, cui ita humilis ergo ad commendationem ineffabilis suæ mansuetudinis dignatus est sedere Saluator.* Equidem fœlix illa est calamitas, ex qua homo humiliatus ad similitudinem iumentorum se deiicit, quibus possit author salutis portari.

Zachar. 10.

Cant. 1.

Psal. 48.

Psal. 72.

D. Bern.

Dan. 4. In sententia vigilum decretum est, & sermo sanctorum, & petitio, donec cognoscant viuentes, quoniam dominatur Excelsus in regno hominum; & cuicumque voluerit, dabit illud, & humillimum hominem constituet super eum. Hoc somnium vidi ego Nabuchodonosor rex: tu ergo Balthassar interpretationem narra festinus, quia omnes sapientes regni mei non queunt solutionem edicere mihi: tu autem potes, quia spiritus Deorum sanctorum in te est. Tunc Daniel, cuius nomen Balthassar, cœpit intra semetipsum tacitus cogitare quasi vna hora: & cogitationes eius conturbabant eum.

§. XVII.

Tunc Dei manus notior, quando & beneuola, & amica creatura in nos insurgunt.

QVod arbor regia præcideretur, quod rex alligaretur ferreo vinculo, quod ad ferale consortium mitteretur, hoc ait, *in sententia vigilum decretum est*, & hoc erat *sermo sanctorum & petitio* Sed Angeli, sed sancti hominibus amici sunt, & Angeli omnes dati à Deo in ministerium humanæ salutis. Qui ergo sic beneuoli, & amici hominum erant, cur assumuntur, vt tantam regi calamitatem inferant? Ait textus: *Donec cognoscant viuentes, quoniam dominatur Excelsus.* Vt diuina potestas notior fieret, per amicas, & beneuolas creaturas durum decretum de regis casu & calamitate perficitur. Vbi enim per eos, quibus curæ sumus, affligimur, tunc clarissime ostenditus manus diuina. Post mortem Achabi, & Ioram adhuc restabant septuaginta Achabi filij apud vrbem Samariæ, qui nutriebantur sub tutela principum, & magnatū ciuitatis illius. Nutritij autem eorū vt viderunt regnare Iehu, omnes Achab filios sibi creditos iugulauerunt, & capita eorum adduxerunt Iehu, qui inter capita constitutus sic ait ad populum, 4. Reg. 10. *Si ego coniuraui contra Dominum meum, & interfeci eum, quis percussit omnes hos? Videte ergo nunc, quoniam non cecidit de sermonibus Domini in terram, quos locutus est Dominus super domum Achab, & Dominus fecit, quod locutus est.* Sapientet, quia non ipse rebellans in regem fecerat illam

4. Reg. 10.

occiſionem,ſed illam fecerant Samaritæ, apod quos regij illi puerulı nutriebantur, oſtendit rem à Deo peractam fuiſſe. Tunc enim euidenter apparet potentiſſima Dei manus, cum affligimur per eos,à quibus potius ſperabamus auxilium.Ait Theodor.q.32. *Filius Achabi interfectus, non ab hoſtibus,ſapienter Iehu dixit populo.Ego tanquam tyrannus conſulto tuli Ioram:fratres autem eius,qui erant numero ſeptuaginta quis occidit? Annon ira à Deo immiſſa,qua neceſſarius,& ſanguine tinctus vſa eſt adminiſtrat?* Sane inde oſtendebatur clariſſime, non hominis,ſed Dei ira fuiſſe, quæ regiis pueris parabat excidium per eorum nutritios, & amicos, a quibus potius debebant ſperare patrocinium. Nota eſt calamitas Abſaloois parricidæ, vt à queren pendens transfixus eſt tribus lanceis per manus Ioab. Ait enim 2.Reg.18. *Tulit ergo Ioab tres lanceas in manu ſua, & infixit eas in corde Abſalon.* Porro Ioab erat Abſalonis amiciſſimus,illum apud patrem excuſauerat de morte fratris, & patre emollito illum reuocauerat ab exilio, & in Regiam adduxerat,feceratque parentis conſpectu frui.Quomodo ounc adeo mutatus eſt,vt de numeroſiſſimo exercitu ſolus ille inueniatur, qui velit Abſalonem transfigere? Vt oſtenderentur lanceæ illę oon à creatura,ſed à Deo aduerſus rebellem cootorqueri, ideo per illius manus contorquebantur,qui toties apud patrem iuuenis patrocinium ſuſceperat. Ait D.Chryſ. in gloſſa: *Et vt ſciat,quod factum eſt,non fuiſſe humana induſtria, ſed diuini iudicij. capillis ad lignum eum alligarunt, & brutum animal eum tradidit, & pro fune quidem coma, pro ligno autem arbor extitit,pro milite cum adduxit mulus. Conſidera quod eſt mirabile. Nemo ſuorum ad eum accedere auſus eſt. Et quod eſt mirabilius,qui patrem ei reconciliauit, is ipſum interfecit.* Quod euidentius ſignum à Deo immiſſæ ruinæ? Apertiſſimus equidem eſt Deus plagas homini inferens,quando hæc per amicas,& beneficas alioquin creaturas infliguntur.

Theod. — *2.Reg.18.* — *Chryſ.*

§. XVIII.

Nunquam ſine damno, ſe quis vltroneus, & promptus offert malis denuntiandis, ſiue inferendis.

VT Daniel cognouit ſomoij regij malitiam, turbatus hæret, per integram horam animo reluctans imminentem calamitatem regi edicere. Ait enim textus: *Tunc Daniel cuius nomen Baltbaſſar,cœpit intra ſemetipſum tacitus cogitare quaſi vna hora: & cogitationes eius conturbabant eum.* Cur tandiu cogitabundus hæret Daniel? Cur tandiu reluctatur,& verbis proſilientibus reſiſtit? Cur non magis properat,quæ nouerat,regi prædicere? Duriſſima erat annuntiaturus, & ideo ſapienter hæret, & reluctatur,nunquam enim ſine damno ſuo,quis vltrooens,& promptus malorum anountiator,vel executor efficitur. Moyſes mittebatur à Deo,vt Pharaooem rebellem expugoet, multaſque illi plagas denuotiet; quod detrectans Moyſes,ait Exod.3. *Quis ſum ego,vt vadam ad Pharaonem?* Longe alacrior Moyſe extitit Iſaias,qui cap.6.audiens Deum ſollicitum de mittendo homine, qui multa mala Iſraelitarum principibus anountiaret, ipſe vltro ſe ſe offert funeſto muneri,inquiens, *Ecce ego,mitte me.* Vter fœlicius egit,an Moyſes detrectans munus, an Iſaias ſe vltro offerens ad illud? Huic quæſtioni reſpondit D.Hier.epiſt.ad Damaſum 1. fatus: *Quis Moyſes aſſertor eſt, humilitatem eius prædicat, ac manſuetudinem, quod ſe indignum indicans miniſterio Dei,maior effectus eſt. Iſaias vero,qui vltro ſe obtulit,incipiens prophetare à maledictis cœpit. Aure audietis, & non intelligetis, &c. Ob quod inde multa mala perpeſſus,& ab omni populo pro inſano habitus eſt.* Hæc venatur,quiſquis vltroneus,& promptus eſt ad mala denuntianda,ad auditores feriendos. Moyſes vt erat manſuetiſſimus, ſic durum ountium refugit, & quidquid durum videbatur detrectans, magnus apud vniuerſos factus eſt. Iſaias,vt rigidioris ſpiritus erat,ſic vltro ſe offert dennotiandis rigoribus,ob quod multa mala perpeſſus,& ab omni populo inſanus habitus eſt. Sic Ierem.25. *Dicit Dominus exercituum Deus Iſrael,Sume calicẽ vini furoris huius de manu mea, & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te. Et bibent,& turbabuntur, & inſanient à facie gladij,quem ego mittam inter eos. Et accepi calicem de manu Domini,& propinaui cunctis gentibus,ad quas miſit me Dominus Ieruſalem,& ciuitatibus Iuda,& regibus eius,&c.* Et quo effectu,quo lucro hunc furoris calicem propinabat Ieremias populis,& regibus? Ipſe propheta ait cap.20. *Seduxiſti me Domine, & ſeductus ſum: factus ſum in deriſum tota die,omnes ſubſannant me.* Equidem maxime ſeducitur, qui putat,ſe periculis, & ſubſannationibus eripere,dum vltro,& prompte ad annuntianda mala feſtinat. Ad hæc Hieronymus vbi ſupra: *Accipe calicem meri huius,de manu mea & potionabis omnes gentes. ait Dominus. Quod cum audiſſet propheta, non renuit, non ſecundum exemplum Moyſi dixit; precor Domine non ſum dignus,prouide alium, quo mittas,ſed calicem meri libenter accepit. Et accepi, ait, calicem de manu Domini, & potionaui omnes gentes. Pro qua propheta quid in alio loco dicat,auſculta, ſeduxiſti me Domine, & ſeductus ſum, factus ſum in deriſum tota die, exiui in ſubſannationem.* Sic infeliciter belligeratur ille, cui cordi ſunt rigores, qui non detrectat mala renuntiare, ſed vltro, & prompte ſe ſe ingerit muneri feriendi, percutiendique proximos.

Exod.3. — *D.Hier.* — *Ierem.25.* — *Hieron.*

Dan. 4. Reſpondens autem Rex ait: Balthaſſar, ſomnium, & interpretatio eius non conturbent te. Reſpondit Balthaſſar, & dixit: Domine mi, ſomnium his, qui te oderunt, & interpretatio eius hoſtibus tuis ſit. Arborem, quam vidiſti ſublimem, atque robuſtam, cuius altitudo pertingit ad cœlum, & aſpectus illius in omnem terram, & rami eius pulcherrimi, & fructus eius nimius, & eſca omnium in ea, ſubter eam habitantes beſtiæ agri, & in ramis eius commorantes aues cœli. Tu es Rex, qui magnificatus es, & inualuiſti, & magnitudo tua creuit, & peruenit vſque ad cœlum, & poteſtas tua in terminos vniuerſæ terræ.

§. XIX.

Solus Deus verè potens oſtenditur in omni creaturarum facinore.

ECce tota Nabuchodonoſoris potentia,qua magnificatus eſt,& inualuit, & ſæcularia omnia ſubiecit ſibi,ſuſtentauitque,arbori robuſtæ,& excelſæ comparatur,per quam arborem & viuere,& ſuſtentari dicuntur,quotquot per regem illum ſuſtentabantur in vita. Sic quæ regis erãt,arbori aptantur, & quæ arboris videbantur eſſe, de rege dicuntur. Nec quid in arbore minus inuenies,quàm in rege ipſo circa altitudinem, circa proceritatem, circa ramorum extenſioem, circa foliorum pulchritudinem, circa eſcas vel beſtiis exhibitas,vel volucribus. Et cur nihil per tantum regem ſit,quod non oſtendatur fieri per arborem vnam? Vt oſtendantur magnalia illa à ſolo potente Deo profecta fuiſſe,qui vt ſolus potens eſt, ſic illa vel per maximas, vel per minimas creaturas poteſt efficere. Aſſyriorum exercitus maximè Ieroſolymitas arctabat,tempore Ezechiæ regis,quem vt ab hoſtibus,& bello liberaret Dominus, miſit Angelum ſuum, Iſaiæ cap. 37. *Egreſſus autem Angelus Domini percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta millia.* Hæc fecit Angelus; verùm, Ioſue cap. 10. alienigenarum ingentes exercitus, vt contereret Dominus, *Miſit ſuper eos lapides magnos de cælo vſque ad Azeca, & mortui ſunt multo plures lapidibus grandinis, &c.* Tempore Ezechiæ miſit Angelum, qui hoſtes perimeret, & finem bello imponeret: tempore autem Ioſue non Angelum miſit, ſed grandinem,& per grãdinem factum eſt,quidquid fuerat per Angelum factum. Et cur non magis vtrobique miſit Angelum? Vt diſcerent mortales, ab vno Deo eſſe veram poteſtatem,quando & omnia,quæ præſtant Angelicæ virtutes, poteſt ipſe Deus, per minima etiam elementa præſtare. Rem pulchrè tractat D.Chryſoſt.in Pſalm. 148.fatus: *Tanta eſt potentia iubentis,quòd quæ per Angelos,& magnas poteſtates faciebat, eu ſæpe etiam per elementa facit admirabiliter,vt quando hac Angelus quoque fecerit,nemo paulò inſipientior id illis attribuat, ſed ei, qui imperauit. Angelus bello finem impoſuit. Impoſuit quoque grando. Interemit primogenita Angelus. Maris quoque procella populum interemit. Pro omnibus ergo elementi Deo gratias age.* Quando quidquid Angelus, quidquid creata poteſtas agit, eadem prorſus viliſſimaquęque elemẽta agunt;nõ Angeli, nec creatæ poteſtatis,ſed ſolius Dei eſt potẽtia,quæ ſola in omnibus facinoribus claret,& ſibi præripit omniũ gratias. Hinc lucem affero Ioeli,cap.2.dicẽti: *Reddã vobis annos,quos comedit locuſta, bruchus,& rubigo,& eruca;fortitudo mea magna.* Cõcors eſt ferè omniũ expoſitorũ ſentẽtia,per locuſtam bruchũ, & rubiginem,& erucam ſignificari fortiſsimos Chaldæorũ exercitus, qui quater Ieroſolymam vaſtauerunt. Cur ergo de his fortiſ-

Iſai.37. — *Ioſue 10.* — *Chryſoſt.* — *Ioel.2.*

ſimis,

ſimis, validiſſimis exercitibus locutus Dominus, quaſi in fortitudine, & valentia ſua gloriatur adeò, ait enim *fortitudo mea magna?* Siquidem rex Chaldæus potentiſſimus viſus eſt vaſtaſſe, & contriuiſſe Ieroſolymitanos cunctos, vnde credam vaſtationem illam non potentiſſimo regi, ſed fortitudini magnæ Dei tribuendam eſſe? Id oſtenditur perſpicuè ex comparatione regis illius cum locuſta, cum brucho, cum rubigine. Quando enim quidquid validiſſimus exercitus Chaldæus peregit, non exceſſit ea, quæ peraguntur à locuſta, à brucho, à rubigine, ſed potiùs omnia æquè fieri poſſent per hæc, aut per illum. In his non creata aliqua poteſtas, ſed Dei magna fortitudo laudabilis apparet.

§. XX.

Cum diuitiarum cumulo ægrè ſtat proximorum amor.

DE arbore, cuius eſca veſcuntur, & volucres cœli, & beſtiæ agri locutus, illam dicit eſſe Nabuchodonoſorem regem ditiſſimum, & bonis omnibus cumulatiſſimum *Tu rex es, qui magnificatus es, & inualuiſti.* Tu, inquam, ſic magnificatus, ſic ampliatus, ſic ditatus es arbor ſublimis, & robuſta, in qua & volucres, & beſtiæ ſuſtentantur. Sed quando & hominibus datum eſt, quòd de arboribus poſſent ſuſtentari, iuxta illud Geneſ. 1. *De omni ligno paradiſi comede:* cur non expreſſè dicuntur homines de iſta arbore regia ſuſtentari? Equidem quia ſub arbore feraciſſima homo exprimebatur ingenti bonorum cumulo ditatus, meritò ibi hominum memoria eraditur, & ſola ponitur memoria ferarum, non enim cum diuitiis tantis proximorum affectus poterat ſtare. Matth. cap. 19. erat adoleſcens habens multas poſſeſſiones, cui interroganti de mandatis ducentibus in vitam æternam, ait Ieſus: *Non homicidium facies, non adulterabis. Non facies furtum. Non falſum teſtimonium dices. Honora patrem tuum, & matrem tuam. Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. Dicit illi adoleſcens, Omnia hæc cuſtodiui ab adoleſcentia mea.* Quem mendacij conuincunt D. Baſil. & Paſchaſius. Et vnde poteſt conuinci mendacij à tantis viris, niſi quia in ſe oſtendebat duo incompoſſibilia? Ipſe enim cùm diues eſſet, multiſque poſſeſſionibus locupletatus exiſteret, aſſerebat ſimul præceptum de proximo diligendo à ſe impletum fuiſſe. Quę magis incompoſſibilia? Sanè falſum eſt, mendacium eſt, quòd cum poſſeſſis diuitiis, amor proximorum exiſtat. Pulchrè D. Baſil. hom. 7. in auar. inquit: *A mandato illo ſeruando palam eſt, quòd multum abſis, & in te ipſo mentiri deprehenderis: quòd videlicet proximum ſicut te ipſum diligas. Si enim fraternitatis charitatem, ac tantum præceptum cuſtodiſti, vt ea proximo, quæ tibi ipſi reddideris, vnde quæſo hæc diuitiarum copia? Cura namque egenorum pecunia conſumptiua eſt, dum & modicum quiſque pro ſua neceſſitate capit, & reliqua in omnes alios diuiduntur.* Meritò proximorum amor, egenorum eradicitur pecuniæ conſumptiua; non enim hæc ſtat cum diuitiarum cumulis, ſed potiùs diuitias imminuit. Nequeunt, mihi crede, eſſe diuitiæ ſimul cum affectu erga proximos, erga hominum filios. Quò reſpiciens Eccleſiaſtes, cap. 4. inquit: *Vnus eſt, & ſecundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non ceſſat, nec ſatiantur oculi eius diuitiis, nec recogitat dicens, cui laboro, & fraudo animam meam bonis?* Et quando plenus eſt diuitiis, quibus bonis poſſet cogitare, quòd fraudetur anima ſua? Quæ, inquam, bona adhuc animæ ſuæ requirit? Sunt equidem præter diuitias bona, quæ ex conuictu amicabili cum filiis hominum reſultant, hęc bona nunquã inueniuntur in diuitibus corde, qui vt pleni ſunt diuitiis, nihili æſtimant cum aliis hominibus vitam amicabilem ducere. Ad hæc Chaldęus Complutenſis, ait: *Eſt vir ſolus, & non eſt ei ſecundus: filium quoque & fratrem non habet, vt ſit hæres ſubſtantiæ ſuæ, & non eſt finis vniuerſo labori ſuo, oculus quoque eius non poteſt ſatiari diuitiis; & non dicit in corde ſuo, cui ego laboro, & fraudo animam meam bonis? Surgam & faciam ex eo eleemoſynam, & lætabor in hoc ſæculo cum filiis hominum, &c.* Itaque qui diues corde eſt, qui eò tendit, vt diuitiis impleatur, nunquam dicit, *Surgam, & faciam eleemoſynam, & lætabor in hoc ſæculo cum filiis hominum*; non curæ illi ſunt hominum filij, nec æſtimat lætari cum illis, quando id eſſe credit detrimentoſum diuitiis: quæ vbi in corde altas agunt radices, nullum ſecum admittunt affectum ad hominum filios. Id inſinuabat Iſaias c. 5. cùm dicit ad diuites: *Væ, qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis.* Et quale erat hoc malum? Vnde erant iſti damnabiles, eò quòd coniungerent domum ad domum, ſi id faciebant iuſto pretio dato? Sanè in illa coniunctione domus ad domum exprimitur notiſſima in diuitibus excluſio fraternæ charitatis; ideò enim adiungunt ſibi vicinas domus, ne quem hominem ſibi proximum, & vicinum habeans, ſed quàm longè vniuerſos à ſe amandent. Ait D. Ambroſ. de Nabuthe, cap. 3. *Arguit vos inefficacia auaritia. Fugitis enim cohabitare hominibus, & ideò excludunt vicinos.* Huc tendit omnis diuitis cogitatio, vt nimirum homines à ſe longè faciat, vt meritò à D. Chryſoſt. hom. 81. in Matth. vocetur *Auarus communis omnium hominum hoſtis.*

Gen. 1. — Matth. 19. — D. Baſil. — Eccleſ. 4. — Chald. — Iſai. 5. — D. Amb. — Chryſoſt.

Dan. 4. Quòd autem videt rex vigilem, & ſanctum deſcendere de cœlo, & dicere, Succidite arborem, & diſſipate illam, attamen germen radicum eius in terra dimittite, & vinciatur ferro, & ære in herbis foris, & rore cœli conſpergatur, & cum feris ſit pabulum eius, donec ſeptem tempora mutentur ſuper eum: Hæc eſt interpretatio ſententiæ Altiſſimi, quæ peruenit ſuper Dominum meum regem. Eiicient te ab hominibus, & cum beſtiis feriſque erit habitatio tua, & fœnum vt bos comedes, & rore cœli infunderis: ſeptem quoque tempora mutabuntur ſuper te, donec ſcias quòd dominetur Excelſus ſuper regnum hominum, & cuicumque voluerit, det illud.

§. XXI.

Caueant viri religioſi principibus & potentibus ſolam humanitatem exhibere, ſeueritatem abſcondere.

QVàm religioſus Daniel, quàm prudens, quàm iuſtus! ecce totus fit melleus regi, vt annuntiet ſententiam Altiſſimi; ſed dum totus fit melleus, nihil ſeueritatis, & acrimonię prętermittit: *Hæc eſt*, inquit, *interpretatio ſententiæ Altiſſimi, quæ peruenit ſuper dominum meum regem. Eiicient te ab hominibus, cum beſtiis, feriſque erit habitatio tua, & fœnum vt bos comedes.* Quid ſuauius, quid blandius verbis illis; nimirum, *peruenit ſupra dominum meum Regem?* Quid durius, quid ſeuerius illis, *cum beſtiis, feriſque erit habitatio tua: fœnum vt bos comedes.* Hoc eſt religioſi viri, ne totus molleſcat ad conſpectum principum; ſed & ſe humanum, benignum, & ſeuerum in annuntiandis eorum malis exhibeat. Qui enim ad conſpectum principum, ſeueritate depoſita, totus melleus fit, caueat ſibi ab ingenti aliqua ruina. Notiſſimus hoſtis Iſraelitarum erat Benadab Rex Syriæ, qui aliquando confractus ab Achabi Regis Iſraelis militibus, ſeſe Achabo ſiſtit, miſericordiam petit ab illo. Quem Achab ſuſpiciens, ſic eius calamitate inflexus eſt, vt eum faceret aſcendere in curru ſuo, cum illóque amicitiarum fœdera iniret, & ſic proſperum dimitteret. Quid tunc? Achabum conuenit Propheta Dei 3. Reg. 20. & ait: *Quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius.* Cur ſic acer Deus in Achabum? Et cur illi vitio vertitur, quòd fuerit in Regem benignus? Nonne hominis religioſi eſt, quòd inflectatur ad proximi calamitates, quòd afflicto ſe manſuetum & facilem exhibeat? Equidem propria eſt religioſi viri benignitas, quando hæc coniuncta eſt cum ſeueritate, in iis, qui debent puniri. At qui totus melleus fit in principes, & potentes, nec quid illis ſeuerum oſtendit, etiam cùm merentur, is Dei offenſam incurrit, quemadmodum Achabus incurrit. Vnde Theodor. quæſt. 19. in lib. Reg. oſtendens cauſam offenſæ in Achabo, inquit: *Quoniam cum benignitate, & humanitate miſcenda eſt iuſtitia. Iſte autem iſtam vſus eſſet ſæuitia aduerſus Prophetas, & eos ſuſtuliſſet in hoſtem Iſraelis, oſtendit manſuetudinem.* Verè impius, & magno dignus ſupplicio, vbi enim res erat cum humilibus, & abiectis hominibus cum Prophetis Dei, ibi totus efferefcebat, & totus obduratus, nil lene, & manſuetum meditabatur: vbi autem cum Aſſyriorum rege Benadab res erat, ibi totus melleus fit, & totus ſuauis, nihil non blandum, & ſuaue aduerſus tyrannum meditatus. Quid peius? Alienum hoc à viris religioſis maximè eſt, qui vt manſuetudinem erga omnes colunt, ſic etiam aduerſus magnates, & principes ſciunt cum manſuetudine exercere ſeueritatem. Quis ſuauior, quis blandior Dauidi, quàm Nathan? Is miſſus à Deo Dauidem reprehenſurus, 2. Reg. 12. comiter accedit, Regem ſalutat,

3. Reg. 20. — Theod.

efficta fabula diuitis rapientis ouem ex paupere vicino, regium animum soporat in criminis vindictam. Quid tandem, tempus in fabulis enarrandis conterit? Absit: vix rex pauperis spoliati miseretur, & Nathan seueritatem induens regi obiicit nudum delictum: *Tu es anquit, ille vir, &c.* Nihil suauitatis, & nihil seueritatis prætermittit religiosus Propheta, vt comitate, & suauitate regiæ dignitati consulat, sic seueritate peccatum regis adurit. Pro quo D. Basil. Seleuc. orat. 17. inquit: *Venit ad Dauidem Nathanus, & orationem texit argutè. actum sermonum sacrum legit, & narratu ferrum celat, sub lingua medicamentum gerit, & sensum fallit, vt sensum excitet. Quid denique? Euulgat arcanum, nudat reum, scelus clarè repræsentat. Tu ille es, ô Rex, qui id commisisti.* Vtinam hanc mentem induant vniuersi viri, quorum est potentioribus, principibúsque viam talibus suggerere, ne toti in blanditiis hæreant, ne sola quæ blanda sunt, & afferunt delinimenta, velint proponere regibus, sed suauitati, & comitati, & reuerentiæ sciant, & seueritatem miscere, vt de suauitatis oleo minus sentiatur vulnus inferendum a seueritatis ferro. Nec item putent ab omni suauitate abstinendum iis, qui potentes obiurgant, prudentiæ namque religiosæ est, ferrum seueritatis obducere multis suauitatis medicamentis. Vt in ipso Nathano respectu Dauidis ponderat D. Chrys. in Psal. 50. serm. 1. *O sapientia Medici! Intrauit portans gladium, vt secaret vulnus, sed infirmanti non ostendit, ne abhorreret medicinam. Abscondit autem ferrum non sub vestimento, sed sub velamine narrationis. Statim enim vt introiuit, non dixit. O inique, ô immunde, ô adulter, ô homicida: non vsus est nuda coarguitione, non causa iactauit fiduciam, sed erat ferrum obsconditum.* Sic bonus, & sapiens Nathanus in scelestum regem inuehens, non iactat causæ fiduciam, sed ferrum abscondit, vt non parcens vulneri, fructuosius illud infligat.

Basil. Sel.

D. Chrys.

§. XXII.

Regalissimi principis est, quòd ab eo damnati, & reprobati viri te possis amicum impunè fateri, & ostendere.

VIdet Daniel regem ab hominibus eiiciendum, regno spoliandum, & ad ferarum conuictum damnandum, & ait: *Hæc est interpretatio sententiæ Altissimi, quæ peruenit super Dominum meum Regem.* Non detrectat Dominum suum amicabiliter confiteri, quem videt à Deo eiectum & reprobatum, & damnatum ad bestias. Et cur non magis talem hominem caues dominum tuum prædicare? Cur non magis caues offendere Deum, cuius reum damnatum adhuc amicabiliter nominas, adhuc dominum tuum prædicas? Nouit Dominatoris omnium regalissimum ingenium, est enim imperatoriæ maiestatis proprium, quod palam, & impunè possis te amicum etiam erga eius reos profiteri. Quam laudem Romanorum Imperatori attribuit Sidon. Apollin. lib. 1. epist. 7. dum dolorem suum pro quodam imperatoriæ maiestatis reo ausus est publicare, aiens: *Angit me casus Aruandi, nec dissimulo, quin agat. Namque hic quoque cumulus accedit laudibus imperatoris, quod amare palam licet & capite damnatos* Laudabile plane est, & maximè commendabile in regio, & imperatorio animo, quòd palam te amatorem ostendere possis eorum, qui sunt, & proscripti, & damnati. Hac etiam laude solicitabat Herodes Augustum Cæsarem, dum se coram illo audet profiteri amicum Antonij Cæsaris hostis, & iam deuicti, & funditus extirpati. Rem eleganter meminit Egesipp lib. 1. de Excid. Ierosol. cap. 33. fatus. *Itaque Herodes, cùm Rhodum accessisse Cæsarem vera indicio comperisset, accessit ad eum. Adueniénsque deposito diademate, sese obtulit priuato habitu, sed mente regia. Denique nil veritati subtrahens constantiam tenuit, authoritatem seruauit: Ego, inquit, Auguste, fateor me fidelem fuisse Antonio socium, vtpote qui ab eo regnum acceperim, tum me debiterem adhuc vtri obnuo, idque armis probassem, si Arabes non impedissent. Ea necessitate arma aduersum te non tuli; non quasi amici desertor, sed quasi domi rebus gerendis occupatus. Ingratum me tamen sibi non sensit Antonius, quod & adiumenta exercitus, & frumenti innumerabiles copias absens miserim. Vide quàm nihil subtraham. Plus metuo apud te ingratus in hostem suum, quàm in te hostis videri. Iudicium mihi tuum grauius, quàm bellum est, apud quem non virtutum merita, sed vitia periclitantur. Vnde ego malo apud te de fide, quàm de perfidia causas dicere.* Sic eloquentissimus homo deliniebat imperatoriam majestatem, illi attribuens, quod in regio animo putabat esse maximè laudabile, nimirum, quòd liceret apud illum se amicum, & amicum fidelem testari eius, qui ab ipso Cæsare hostiliter erat prostratus, & redactus vsque ad mortis necessitatem. Apud quem Cæsarem turpius putat videri, quòd quis tempore angustiæ amicum erubescat, quàm quòd quis pro amico se ostendat Cæsari aduersarium. Quam aliud sit ingenium hominis vilis, politi in dignitate, sapienter notat D. Synes. epist. 68. in Andronico, de cuius rabidissima agens crudelitate post emptam præfecturam, fatetur: *Cùm nobilis vir nihil iniustè moliens, sed calamitosus ob hæc excarnificaretur, & hæc sub meridianum dies ardorem agerentur; postquam condolere ei Ecclesiam sensit, nullo quidem ex alio indicio, sed quòd statim atque audiuimus, è vestigio accurrimus, vt ei adsideremus, & miseriæ participes essemus, ad hæc Andronicus audita, furore præceps agitur, quòd Episcopus vllus hominis sibi infensi misereri audeat.* Ecce tibi, quòd vllus misereri audeat hominis sibi infensi, furescit Andronicus; sed Andronicus, qui imperium pecuniæ redemit, qui tyrannus erat, qui è terra, vel potiùs è Syrte aliqua natus, vt multis idem Sanctus decantat. Cui enim natiuum imperium est, qui animum habet regalem, non vetat amicorum condolentiam, etiam in reos maiestatis.

Sidon.

Egesipp.

D. Synes.

§. XXIII.

Calamitates eò efficaciores sunt, vt ducant homines ad Deum, quò priùs denuntiatæ sunt illis in pœnam peccatorum.

AB hominibus eiicit diuina sententia Regem ad bestias, & inter bestias degere, & quasi bos fœnum cogitur comedere, *donec sciat, quòd dominetur Excelsus.* Et qui Excelsi dominatú nō sciuit inter sapientes homines versans, in vita ciuili, & cultiori degens, quando eũ sciet agens inter bestias factus bellua? Vnde adeò calamitosa vita poterit belluinum animum ducere in Dei cognitionem, quem rationalem nō traxit cultior vita, vt cognosceret Deum? Quis credat calamitates adeò potentes ad ingerendam Dei cognitionem, quam non ingessit longa consuetudo sapientum? Qui viderit calamitates illas prænuntiatas ante peccatorum pœnam; tunc enim Deus euidentiùs ostenditur inter calamitates, quando illæ notantur prius prænuntiatæ fuisse vltrices scelerum. Inter has vel brutus quisque agnoscet clarissimè Deum. Hinc Moyses coram Pharaone feralissimo rege stans, nullam illi plagam infert, quã antea non prænuntiauerit ei. Exod. 7. *Ecce percutiam virga, quæ in manu mea est, aquam fluminis, & vertetur in sanguinem:* & cap. 8. dicit: *Ego percutiam omnes terminos tuos ranis:* & sic de singulis plagis, quæcũque infligenda erat, priùs prænũtiabatur regi. Cur priùs prænuntiabatur, nisi vt postea veniens apertissimè ostēderet inibi esse Deum? Auth. Cat. Græc. dicit: *Nullam præterea exigit vltionẽ Moyses, quã prius non denuntiet, ne ex ipsius sponte, casuve aliquo fieri credatur, sed certas esse plagas sciant, quibus contumacia Regis plecteretur à Deo.* Et similiter Theodoretus ibi: *Quin etiam huius rei causa plagarum genera prædicit, vt ne illas sponte sua admisisse confingant, sed à Deo immissas, vel inuiti fateantur.* Calamitates enim quæ prænuntiantur ob peccatorum pœnas venturæ, adeò efficaces sunt, vt vel feralissimis hominibus, vel inuitis, & renuentibus, Dei cognitionem exhibeant. Quò spectans Iehu, postquam omnem Achabi progeniem peremerat, volens ibi ostendere non suam, sed Dei manum apparere patentissimam; septuaginta capita totidem filiorum regis populo obiicit, & inquit 4. Reg. 10. *Si ego coniuraui contra dominum meum, & interfeci eum, quis percussit omnes hos? Videte ergo nunc, quoniam non cecidit de sermonibus Domini in terram, quos locutus est Dominus super domum Achab, & Dominus fecit, quod locutus est, &c.* Sane notum erat, quòd Iehu totam illam calamitatem domui Achabi intulerat, ipse apertissimè coniurauerat in Ioram, quem & occiderat, ipse literas dederat in præsenti Samariæ dicens: *Tollite capita filiorum Domini vestri, & venite ad me.* Vnde ergo præsumit posse fieri, ne ipse putetur fecisse stragem illam, sed ab vno Deo illam stragem euidentissimè proficisci? Id ille ostendit verbis illis: *Videte ergo, quia non cecidit de sermonibus Domini, quos locutus est Dominus super domum Achab. & Dominus fecit, quod locutus est.* Vt nec minima pars calamitatis illius ostensæ supra domum Achab, erat, quæ priùs per Eliam non prænuntiata esset, sic illa erudiebat videntes, à patentissima Dei manu venire, non ab aliqua alia creatura. Dominus fecit, quod loquutus est, quod, inquam, loquitur Deus malum aduersus peccatores, & quas illis calamitates prænunciat, hæc cùm adsunt, diuinam manum ostendunt patentissimam.

Exod. 7.

Auth. Cat. Græc.

Theod.

4. Reg. 10.

§. XXIV.

Qui beneficiis acceptis abutuntur in malum, duriter, & ſeuerè tractandi.

QVid durius ad arborem, quàm illa vox clamantis: *Succidite arborem, præcidite ramos eius?* Quid durius ad hominem, quàm illud, *ab hominibus eiicient te, fœnum vt bos comedes?* Quis ad tantam duritiem non expaueat? Sed tota hæc durities oſtenſa eſt, quando in elatiſſimo rege nihil profuerat lenitas, nec humanitas, quæ in illum tot bona congeſſerat, & diuitias. Priùs arbor erat procera, & magna, quæ vſque ad cælum ſeſe protendebat, & ramis luxuriantibus terram occupabat, fructibus omnia implebat, in quibus maximè oſtendebatur cura hortulani cum arbore. At poſtquam hortulanus curis ſuis arborem vidit excreſcere in malum, tunc ſapienter ſecurim exerit, præcidit ramos, vt de duritie, & ſeueritate ſectionis ad bonos fructus edendos aptetur arbor. Hoc præſtitit vigilans hortulanus in hac arbore, quod debet præſtare, quiſquis curam ſuſcipit colendæ arboris rationalis; quæ ſi ſub cura, & beneficiis in malum creſcit, aſperè, & duriter debet tractari. Quò ſpectabat Dominus, Ieremiæ cap. 1. *Conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſupra regna, vt euertas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.* Qui ſupra regna cõſtituuntur, ſtatim iubetur, vt diſperdat, vt diſſipet, vt euertat. Cur nõ lenius, & benignius aliquid illi mandatur? Res erat cum regnis, hoc eſt, cum iis, qui diuino beneficio ſic exere[...]t, vt regiis fulgerent diuitiis, & dignitatibus, quibus abutebantur in malum. Iis autem, qui beneficiis abutuntur, non lenitas, ſed aſperitas, ſed durities inferenda eſt maxima. Ad hæc ait Theodotus Epiſcop. Ancyræ, hom. contra Neſtorium, habita tom. 6. Concil. Epheſ. cap. 9. fatus: *Neque pietas commodè inſeri poteſt, niſi malitia antea fuerit extirpata. Par eſt vtique affectum membrum primum rigare, culturæ induſtriam vti, pietatis fermentum adhibere, & omne denique medicamenti genus putreſcenti membro applicare. Verùm ſi tabes maior fuerit, quàm vt curationem admittat, tunc demum membrorum ita affectorum ſectio praeſens eſt medecina.* Sanè in quibus benefica, & ſuauia medicamina nihil efficiunt vitæ ſalutare, ad hos aſpera, & dura ſectio eſt neceſſaria. Sectio equidem adhibenda eſt arbori, quæ molli rigatione, & cultu in luxuriantes excreſcit pampinos. Hinc Paulus 1. ad Timoth. 1. monebat. *Diuitibus huius ſæculi præcipe, non ſublime ſapere.* Expende verbum *præcipe*, longè benignius, & humanius dixiſſet, roga, exora, cur ergo diuitibus cauet vel humanitatis vocabulum? Agebat de diuitibus, qui acceptis diuitiarum beneficiis in luxum, & ambitionem abutebantur; & de tam fœcunda irrigatione bonorum, quibus implebantur, nihil hauriebant ſalutare, ſed peiores in dies videbantur. Iis iam non culturæ ſuauitas, ſed ſectionis durities erat neceſſaria. Ait D. Anſelm. ibi. *Notandum valde eſt, quod humilitatis doctor, memoriam diuitum faciens, non ait, Roga, ſed præcipe: quia etſi impendenda eſt charitas, vel pietas infirmitati, honor tamen non debetur elationi. Talibus ergo rectum quod dicitur, tanto rectiùs iubetur, quanto & in rebus tranſitoriis altitudine cogitationis intumeſcunt.* Qui de beneficiis Dei efferuntur, & de affluenti bonorum copia rigati intumeſcunt. luxuriant, ij non expectent ſuauitatem, humanitatem, ſed rigorem, ſed ſectionem à ſapienti hortulano. Non equidem rigatio lenis, ſed ſectio aſpera adhibenda eſt arbori luxurianti.

Ierem. 1.
Theodot.
1. ad Tim. 1.
Anſelm.

§. XXV.

Inde maximè diuinitas claret, quòd ſciat peccatores expectare.

EXpende illa verba, *mutabuntur ſeptem tempora ſuper te, donec ſcias, quòd dominetur Excelſus:* quaſi ſeptennium viræ pecuinæ hoc effecturum fuiſſet, vt Deus cognoſceretur. Et quidem indè maximè cognoſcitur Deus, quòd per ſeptennium, & ampliùs ſciat expectare peccatorés ad pœnitentiam. Qui non ſtatim brutum hominem funditus perdit, ſed & quinquénium, & ſeptennium expectat, is Deus eſſe manifeſte oſtenditur. Paul. 1. ad Timoth. 1. dicit: *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quòd Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ſum ego. Sed ideò miſericordiam conſecutus ſum, vt in me primo oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi in vitam æternam.* Patientiam ſuam oſtendebat Ieſus in expectando Paulo, dum fureret in Chriſtianos, dum diſcipulos perſequeretur. Et ad quid tantam patientiam in homine peccatore expectando oſtendebat? *Ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi,* qui credituri ſunt diuinitati eius, quæ maximè claret, dum Ieſus oſtenditur peccatores expectans. Ad hæc D. Cyril. lib. 2. ad Reginas, fatur: *Si Chriſtus Ieſus peccatores ſaluat, patienterque delinquentium mores tolerat, illorum pœnitentiam expectans. Si per fidem, quæ eſt in ipſum, vitam æternam adipiſcemur, quomodo non eſt Deus? Quandoquidem mundum, hoc eſt, eos, qui in mũdo hoc degunt poſſe ſaluare, æquo ad hæc animo peccatores ferre, vitã poſtremo impertiri ſpirituali vita deſtitutis, id meritò in ſolum Deum conuenire creditur.* Solus Deus eſt, qui æquo animo peccatores ferat, illóſque expectet ad pœnitentiã, & illis pœnitẽtibus vitã æternã concedat. Ex qua expectatione, & tolerãtia Deus manifeſtè oſtẽditur. Rebellem Pharaonem iam duabus plagis pulſauerat Dominus, & cùm ipſe nondum reſipiſceret, addidit Deus aliam Cyniphum plagam, quæ non perimeret regẽ, ſed ſolùm vexaret. Quid tunc eius Sapientes? Cùm ipſi Cyniphes viderent, clamarunt, Exodi cap. 8. *Digitus Dei eſt hic.* Et ex quo adeò patenter diuinus digitus oſtendebatur, vt à veneficis hominibus dignoſci poſſet? Erat Pharao rebellis, & obduratus aduerſus Deum, & nihilominus Deus illum ſuſtinebat, & licèt plagæ in illum proſilirent, non funditus, & primo ictu perdebant hominem, ſed ſic ſe habebant ad illum, quaſi amicus amici fodicans latus, vt illum expergefieri faceret. Id quod manifeſtum erat indicium diuinitatis ſcientis hominem peccatorem expectare. Ait Theod. in Cat. Græca: *Digitus Dei eſt hic, id eſt, ſunt hæc à Deo, non iam ab hominibus, neque à dæmone aliquo. Quia ſenſim irrogabantur, ne primo velut ictu rex confectus, gloriæ diuinæ materiam ſubtraheret.* Vbi peccator non primo ſub ictu cadit, ſed adhuc expectatur, & aliis, & aliis ictibus excitatur, patentiſſima eſt diuinitatis operatio, non enim id ſuſtineret homo, nec diabolus.

1. ad Tim. 1.
D. Cyril.
Exod. 8.
Theod.

Dan. 4. Quod autem præcepit, vt relinqueretur germen radicum eius, id eſt, arboris: regnum tuum tibi manebit, poſtquam cognoueris poteſtatem eſſe cœleſtem. Quamobrem, Rex, conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum, forſitan ignoſcet delictis tuis.

Hæc vſque Daniel cum Nabuchodonoſor.

§. XXVI.

In tantum quis regno aptatur, in quantum diuinæ ſe ſubiicit poteſtati.

ECce quando permanens regnum Nabuchodonoſori aſſeritur, nimirum, ait: *regnum tuum tibi manebit, poſtquam cognoueris poteſtatem eſſe cœleſtem.* Priùs bonus Rex cœleſtem recognoſcat poteſtatẽ, cui ſe ſubdat, ſub cuius nutu omnia aggrediatur, & inde maximè regno adminiſtrando aptatur. Hinc Paulus de Chriſto Domino locutus ad Epheſ. cap. 1. ait: *Et conſtituens eum ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſuper omnem principatum, & poteſtatem, &c.* Vt extollat Ieſum, videtur cœleſtes omnes deiicere principatus, & poteſtates. Nonne deiectio eſt principatuum, quòd ſub Ieſu ponantur? Abſit, imò inde cœleſtes principatus magis nobilitantur, & in regno firmantur, quòd ipſi diuinæ maieſtati, & poteſtati ſubiaceant. Quod notans D. Bernard. lib. 5. de conſider. ait: *Preſunt principatus, & regunt, ſed reguntur & ipſi, ita vt regere iam non poſſint, vbi regi deſierint.* Sanè in hoc cœleſtium principatuum, & firmitas, & fœlicitas, quòd & ipſi diuinis nutibus regantur; ſi diuinis nutibus non obtemperarent, inutiles prorſus regimini permanerent: ideò regendis hominibus maximè aptantur, quia ipſi diuinæ ſubiacent poteſtati. Optimo regnorum moderatori illud accinitur 4. Reg. cap. 13. *Currus Iſrael, & auriga eius.* Currus ductum alterius expectat, à quo moueatur, auriga ipſe mouet, & currum regit. Qui ergo vtilis regnis vult eſſe, priùs currus ſit, Dei ductum expectans, deinde auriga erit, optimè alios regens. Ad hæc Lyra 1. Reg. c. 9. *Currus, qui ducitur, ponitur primò; & auriga, qui ducit, ſecundò*

Ad Eph. 1.
D. Bern.
4. Reg. 13.
1. Reg. 9.

ad ostendendum,quòd ille benè ducit regendo,qui primò fuit ductilis in obediendo. Et quidem qui primò supernam agnoscit potestatem,cui se ductilem præbet,cui obedit,is maximè se aptat regno. In 3.Reg.15. dicitur: *In anno vicesimo Ieroboam regis Israel regnauit Asa rex Iuda, & quadraginta & vno anno regnauit in Ierusalem. Et fecit Asa rectum ante conspectum Domini,&c.* Ecce tibi primo anno regni Asa regis Iuda, regnabat Ieroboam in Israel, sed & cap. 16. dicitur Ela regnasse in Israel, deinde Zambri, post hunc Amri, post hunc Achab, qui regnare cœpit trigesimo octauo anno regni Asa. Ex quo patet, quòd dum vnus Asa regnat in Iuda,quinque aut sex reges prætererunt in Israel. Et cur Israelitæ reges tam rapidè præteribant, quando Asa adeò firmiter durabat? Sanè ait textus: *Asa fecit rectum ante conspectum Domini*, supremam agnoscebant potestatem, cui se subdebat, vnde præ aliis in regno firmabatur. Ait Iosephus lib. 8. Antiq. 12. citatus in Glossa: *Israelitarum reges, propter suam iniquitatem, & iniustitiam alter super alterum irruentes, multi paruo tempore perierunt, & eorum genus exterminatum est. Asa autem rex Ierosolymorum, propter pietatem, & iustitiam ad longam, fœlicémque perductus est senectutem. & cùm regnasset quadraginta & vno annis,bona morte defunctus est.* Ecce tibi,qui Deo rebelles extiterunt,eiúsque leges abiecerunt,parum in regno durabant, vt regno gubernando minimè apti. At qui sub diuinis erat legibus, supremamque Dei potestatem verebatur, prosperè, & fœliciter producebat regni annos. Id quod etiam patet 4. Regum 15. vbi Amasias rex Iuda simul à Dei cultu,& à regni fœlicitate cecidit, cum enim victoriis clarus Dei obliuisceretur, bellum inferens Israelitis,superatus est. Ait enim textus: *Percussúsque est Iudas coram Israel,& fugerunt vnusquisque in tabernacula sua.* Circa quæ verba D.Chrysost. in glossa fatur: *Aduerte,quicumque regum placuerunt Deo, diutius regnauerunt, & prosperati sunt, & inimicos eorum humiliauit Deus sub manibus eorum. Quotquot malignè gesserunt eorum, velociter,& à regno,& à vitis cum amara morte præcisi sunt, & humiliauit illos Deus sub inimicis eorum.* Sic Chrysost. in regibus minimè reuerentibus Dei potestatem agnoscit celerem regni spoliationem,quod durabat, & prosperabatur in iis, qui se Deo parabant obsequentiores. Hinc Dauidi dicit Dominus, 2.Reg.cap.7. *Fidelis erit domus tua, & regnum tuum, vsque in æternum.* Sed & Iehu dixit Dominus, 4.Reg.10. *Quia studiosè egisti,quod rectum erat, & placebat in oculis meis. & omnia, quæ erant in corde meo, fecisti contra domum Achab,filij tui vsque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel.* Dauidi æternam regni durationem pollicetur Dominus, Iehu autem regnum etiam promittit sed non in æternum,sed in quartam vsque generationem. Et cur,qui in Dauid tam largus promissor,in Iehu tam angustus ostenditur? Dabatur regnum pro obedientia hominum ad Deum; Dauidis autem obedientia ad Deum magna fuit. omnibus modis Dei nutui subiacens, & ideò regni duratio illi promittitur vsque in æternum. Iehu autem obediens fuit Deo in vna re tãtùm,nimirum in deletione Achabi familiæ,in omnibus aliis, & rebellis inuentus fuit,& malus. Et pro limitata obedientia, regnum etiam illi promittitur curtum,& limitatum. In quantum enim te Deo summittis,in tantum te regno aptas. Ait D.August. lib. contra mend. cap. 11. citatus in glossa: *Iehu pro nonnulla obedientia, quam de domo Achab omnino delenda pro cupiditate suæ dominationis exhibuit, aliquantam mercedem transitoriam regni temporalis accepit.* Vt supremam Dei potestatem colueris, te aptabis regno, quod regnantis animam erga Deum solet sequi.

3.Reg.15. — *Ioseph.* — *4.Reg.15.* — *2.Reg.7.* — *4.Reg.10.* — *D.Aug.*

§. XXVII.

Non tam opera, quàm intentio attendenda, & procuranda operum.

BEneficentissimus in omnes rex Nabuchodonosor exprimitur in figura arboris fructibus abundantissimæ, quæ non sibi fructus habebat, quin potiùs ait, *esca vniuersorum in ea*,&.rursus asserit, *ex ea vescebatur omnis caro*,& ne pauperes, & viles excludi viderentur, dicit: *Subter eam habitabant animalia,& bestiæ.* Quid beneficentius eo rege, de cuius fructibus quodlibet humile, & abiectum animalculum sumebat, & sustentabatur? Huic tamen dicit Daniel, *Consilium meum placeat tibi,& peccata tua eleemosynis redime,&c.* Ecce à beneficentissimo largitore petitur, quòd largiatur adhuc pauperibus. Et cur hoc petitur à rege qui effusissimus erat in largiendo? Quando ipse escas dabat omni carni, vt etiam minima,& abiecta animalcula saturarentur ex cibis eius, cur adhuc monetur, vt det? Nonne & ipse iã dabat? Dabat equidem, sed pro gloria regni, pro temporali ex subiectis conseruando lucro,non pro peccatis redimendis,nec pro salute habenda. Vnde meritò monetur, vt pro iis largiatur, non enim tam opera, quàm operis intentio maxime est attendenda, quæ soleat vel salutem causare, vel offensam augere. Dei Patris profusissimam in homines charitatem expendens Paulus ad Rom.cap.8. ait: *Proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ecce tibi opus Dei charitatis profusissimæ filium tradentis, & mundi salutem procurantis,sed & de se Iudas fatur, Matth.cap.26. *Peccaui,tradens sanguinem iustum.* Et Pater tradit, & Iudas tradidit, & Pater mundi salutem efficit, hominum peccata filij traditione redimit, Iudas autem nihil aliud,quam ruinam,quàm excidium,quàm perditionem ostendit. Et cur eiusdem sanguinis traditio,& in altero peccata redimit, in altero maximè adauget scelus? Sanè ab vno fundebatur propter scelera redimenda, propter salutem obtinendam, ab altero propter paruum argenti lucellum, & vna hæc intentionis differentia in eodem opere tam contrarios perfecit effectus. Vt dicat D.August. in Psal. 93. *Si traditor Christi, & non tradentis animus considerandus est, hoc fecit Iudas, quod fecit Deus Pater, qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Hoc fecit Iudas,quod fecit ipse Dominus Iesus, qui se ipsum tradidit pro nobis oblationem, & hostiam. Et tamen gratias agimus Deo Patri,& Filio, & detestamur Iudam, non enim ille pro nobis tradidit Christum, sed pro argento.* Intentionis diuersitas fecit in Iuda lacrymabile excidium, quæ in Deo ostenderat trophæum charitatis profusissimæ, Eadem enim Christi traditio facta ob temporale lucrum extremam attulit Iudæ ruinam; facta autem pro peccatis hominum abolendis largissimam inuexit mundo salutem.

Rom.8. — *Matth.26.* — *D.Aug.*

§. XXVIII.

Saluti Regum conducit,quod vtile est,& proficuum subditis.

EXpende vnde Nabuchodonosor iubeatur peccata redimere, emere salutem,ex eleemosynis,ex bonis in subditorum necessitates effusis. Id enim solùm datur saluti regibus,quod vtile est subditorum subsidiis. Ioachimus rex,post arctissimum vrbis Ierosolymitanæ vallum, & vrbis irruptionem sustinuit,& se,& omnes suos in Babyloniæ regiam ferri captiuos vidit. Dum autem textus,lib.4.Reg.c.15. spolia vrbis numerat,tandem ait: *Quæ aurea,aurea,& quæ argentea,argentea tulit princeps militiæ.* Et quando inter obsidionis arctissimæ necessitates videt D. Ambros. aurum, & argentum reseruari integrum, quod possit tolli ab hostibus, inde putat ortum totum regis excidium, cuius salus certiùs procurata fuisset, si aurum, & argentum in ciuium egenorum subsidia fuisset distributum. Ait enim lib.2.officior.c.28. vt in glossa: *Ioachim,qui aurum in obsidione seruabat,nec dispensabat alimonia comparãda, & aurum vidit diripi,& se in captiuitatem perducere.* Accedant huc reges, & videant, quid thesauri, quid diuitiæ asseruatæ,& negatæ egentium subditorum vsibus producãt, producunt etiam excidia vrbis, excidia regni, excidia regis ipsius. Id solet regibus esse saluti,quod in vtilitatem subditorum consumitur, quod inutile iis est,potiùs deseruit ruinæ. De morte regis Asa locutus text. 2.Paral 17. dicit: *Posuerúntque eum super lectum suum, plenum aromatibus, & vnguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta, & combusserunt super eum ambitione nimia.* Et cur permisit Deus, quod carissimi eius regis sui Asa in funere tot aromatum diuitiæ traderentur igni? Planè vt ostenderetur, quid pariant regum diuitiæ,quæ non seruierunt subditorum egentium subsidiis. Ait glossa ibi: *Hæc in ignem mittunt, quia omnia gehennæ ignibus obnoxia esse ostenduntur, quæ hic sine vtilitate, & ædificatione fratrum protulerunt.* Quæ reges sine vtilitate subditorum consumunt,mirum erit,si deseruiant regiæ saluti, mirũ erit, si gehennæ flammas non nutriant. In eo saluantur reges, si proficua exerceant suis subditis. Ex quo extollebat D.Ambr. Theodosium in eius orat. funebri, inquiens: *Theodosius plenus timoris Dei, plenus misericordiæ speramus, quòd liberis suis apud Christum præsul assistat, si Dominus propitius sit rebus humanis. Bonum est misericors homo, qui dum aliis subuenit, sibi consulit, & in alieno remedio vulnera sua curat.* Hæc est regum,imò omnium misericordium hominum fœlicitas, *quòd in alieno remedio vulnera sua curant.* Non enim minus molestum est ægris pati remedia,ac pati vulnera;at misericors non patitur in se remedia,sed remedia ipse aliis ministrans,sua sanat vulnera.

4.Reg.25. — *D.Ambr.* — *2.Par.17.* — *D.Ambr.*

CAPVT

CAPVT II.

Daniel apud Balthassarem.

POst Nabuchodonosoris funus, eius filium Euilmerodachum Babylonij adorauerant, quem in Ioachimum Iudæ regem, in Danielem, & cæteros Israelitas captiuos propensum mors immatura viuis eripuit. Successit Patris regno Balthassar, non affectui, de cuius fastuoso supercilio, hoc commodum accepit Daniel, vt aulicam scenam effugeret, & cœlestibus secretis adhæreret. Quid mirum si præsenti palatij iucunditati ereptus, præsagiat futura? Sic vacuatus aulicis negotiis Danielis animus, cœlestis commercij libertatem acquisiuit, vt in quatuor ventis, totidémque bestiis è mari emergentibus imperia denotet, quæ succidaneo cursu erant Orbi dominatura. Tantis otiis vacantem tenebat Danielem annus, qui totius Babyloniæ circuitum aduerso milite implet. Is erat annus vigesimus secundus Balthassaris, qui validissimo exercitu obsitus, & obsidionem ridens conuiuium in Regia adornat lætum principibus suis, religiosum Diuis. Iam cœna perlata ad regem vocauerat conuiuas: & illi tanquam prosperis rebus, præliorum timore iu vasorum, paterarúmque certamina commutant. Victor est, qui exhaurit vasa plura, tótque apparent exhausta, vt rex, quò certamina instaurentur, vasa sacra ab Ierosolymitano templo in Belis sacellum per Nabuchodonosor translata in medium afferri iubeat. Petuntur vasa sacra ex profanis, ex regiis concubinis inter idolis decantaros hymnos; sed adhuc circumferebatur mulsum, & ad manum in aduerso pariete scribentem rex obstupuit. In clamorem prorupit stupor regis, vt Sapientes vniuersi, & Aruspices venirent, qui scriptum enodarent, & aurea, regiáque munera reciperent. Conantur multi, sed rem aperit nullus: ex vultu, impetúque omnium, cui hoc periculum esset, nescires, nisi quòd adhuc licentiùs rex videbatur turbari. Triclinium intrat regina mater, iubet Danielem inquiri, qui vt plenus Dei spiritu tot abstrusa mysteria Nabuchodonosori aperuit, facili poterit negotio illam explanare scripturam.

Adstanti iam Danieli pallens rex, ac tremens conscio metu multa promittit, si scripta referat, eorúmque sententiam edisserat. Incunctanter Daniel cùm videret sibi opportunitatem suppetere, qua Dei magnalia diuulget, nihil prætereundum ratus, flagitia Nabuchodonosoris, & Balthassaris flagitia quadam perstringat modestia, vt nec vrgere tanquam accusator videretur, nec occulta esse sineret: cùm plurimum Dei causam iuuaret, si ob ea noscerentur imminere pericula. Altissimus ille, & solus Deus, inquit, parenti tuo Nabuchodonosori super omnes mortales dedit imperium splendidissimum, ditissimum, quo ipse in superbiam abusus statim sensit diuinam censuram. In eam deuenit amentiam, vt à Regia, à solio eiectus nihil sibi attribueret non belluinum. Consortium, pabulum, voces belluarum amabat, belluis per septennium adiuiens, donec agnito vero Deo sibi restitutus euasit in perfectum virum. Tanta aui tui calamitas potens erat curare ferocissimum, non te reddidit, ô Rex, supremæ diuinitati morigerum; sed aduersus Dominatorem cœli insurrexisti: vasa eius sacra profanis compotationibus fœdasti, cum principibus, & vxoribus tuis, in Deorum ligneorum laude multus, in Dei veri præconio nullus extitisti. Contempti à te Dei manus est illa, quæ exaratis in pariete literis, hanc sententiam pronuntiat, nimirum, *Mane, Thecel, Phares.* Cùm *Mane* audis, puta percensente Deo adimpletum esse dierum regni tui numerum. In verbo *Thecel* ostenditur, quàm diminuta sit in te iusti regis mensura. *Phares* dicit, vt in Persas, & Medos diuidendum est imperium tuum. In hæc siluit Daniel, & audita est regis iussio, quæ vatem aurea torque exornat, & tertium regio solio annumerat. Nec mora, eadem nocte, Balthassare occiso, in se dominantes Persas Babylonia vidit.

PARS PRIMA.

Iesu, & Danielis à rege ornati auro symbola.

A BALTHASSARE rege Iesus meus adoratus iam ostendebatur in Daniele à Balthassare culto, sed & rex Iesu cunabula auro implet, vt appareat quàm Iesu similis sit Daniel per regem etiam ornatus aureo munere.

§. I.

Iesus & Daniel ad regnum auro notantur.

ECce tibi Daniel *iubente rege indutus est purpura, & circumdata est torques aurea collo eius, & prædicatum est de eo, quod haberet potestatem tertius in regno.* Aurea torque designat rex Danielem in administrationem regni, sic & reges aureo munere Iesu ostendunt maiestatem regiam. Nunquam enim aurum non protendit in hominibus regnum. Vt meritò Plato, 3. de Repub. illud effingat, dicens: *Verum Deus in formando vobis, qui ad imperium idonei estis, aurum in generatione admiscuit. Quapropter honoratissimi estis.* Hoc semper curauit Deus, vt dominatores mundi ex aureis virtutibus clarescerent, ne quid in illis vel ab incunabulis esset, quod aureum quid, & præstantissimum non videretur. Hinc de nobilissimo rege nostro Iesu ait Sponsa Cant. 5. *Caput eius aurum optimum.* Vbi Guillelm. apud Delrium fatur: *In auro regia dignitas designatur. Ait, aurum optimum, insinuans eum in assumpto homine non esse simpliciter regem, aut vnum regum, sed Regem Regum, & Dominum Dominantium. Secundum caput hoc, id est, humanitatē suam, regnum immortale, atque immensum habet.* Et tam regalis est meus Iesus, vt nihil in eo sit, nihil ex eo appareat, quod splendidissimum non rutilet aurum. De illo pergit sponsa, Cant. 5. *Caput eius aurum optimum, coma eius quasi elata palmarum, nigra quasi coruus. Oculi eius quasi columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima. Manus eius tornatiles aureæ, &c.* Nunquam alibi pulcherrimi corporis manus dictæ sunt aureæ; frequentiùs manus & aptiùs, & ab albedine commendantur, vt niueæ appareant. Cur modò sponsa niualis candoris immemor manus aureas facit? Agebat de manibus illius, qui omnium creaturarū erat caput aureum: ab eo autem, cui datū est, esse caput aureum, nihil in manuū opus exire debet, quod non rutilet aurū. Huc spectans Nyssen. hom. 14. in Cant. fatur: *Manus eius tornatiles aureæ. In hisce verbis sensus manifestus est, quòd ob quæ caput laudatur, eadem manuum quoque encomium absoluant. Quod si caput hoc nostrum appellatum fuit aurum immaculatum, itidem hic manus etiam vocantur aureæ.* Et quidem quem aurum designabat hominum, & Angelorum caput, non potest non ostendi, & in manibus aureis. A tam regali capite, necessum erat, vt regius valor proderetur in manibus, ex quibus nihil exiret, quod non esset aureum, sub quo etiam eius propinqui mirabiliter splendeamus. Id quod manifestè ostenditur Psalm. 44. vbi sic: *Astitit regina à dextris tuis, in vestitu deaurato.* Sermo est de Ecclesia gentium, quæ in regionem longinquam peregrinata consumpserat substantiam suam viuendo luxuriosè, & vix vilibus pannis induta, facta erat mancipium voluptatum sordidarum. Ergo tam abiectæ animæ, tam egenti quis dedit vestes aureas? Vnde huic deauratus vestitus, & regia dignitas potuit constare? Adstitit à dextris Iesu, accessit aureo creaturarum omnium capiti; qui vt rex est regalissimus, sic aureos facit sibi appropinquantes. Ait Chrysost. ibi: *Hanc vestem auream rex texuit, ipsáque illam per Baptismum induit. Quotquot enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Antea enim erat nuda, turpis & inhonesta exposita omnibus, qui transibant per viam. Ex quo autem illam vestem induit, euecta est ad illam altitudinem, & vt à dextris staret, digna fuit visa.* Expende illa: *Hanc vestem auream rex texuit:* de propinquitate huius regalissimi regis venit, quòd non infirmissimi, & abiectissimi homines sub aureo amictu splendemus eleuati per illum ad dignitatem regiam.

Plato.

Cant. 5.

Cant. 5.

Nyssen.

Psal. 44.

Chrysost.

§. II.

§. II.

Iesu, vt Danieli pretiosissima munera offerenda.

DAnielem munerat rex torque aurea, quippe *circumdata est torques aurea collo eius:* decebat enim vatem spiritu Dei plenum non nisi pretioso, & aureo munere splendescere: vt in hoc vero Deo Iesu facem præferret, cui recens nato aurea munera reges obtulerunt. Ait enim Matth. c. 2. *Apertis thesauris, obtulerunt ei munera, aurum, &c.* Et quis nisi de pretiosissimis vellet Deum munerare? Pro quo maximè æstimanda est pietas Principum Israelitarum, de quibus ait text. Numer. 31. *Cùmque accessissent principes exercitus ad Moysem, & tribuni, centurionésque, dixerunt, Nos serui tui recensuimus numerum pugnatorum quos habuimus sub manu nostra, & ne vnus quidem defuit. Ob hanc causam offerimus in donariis domini singuli, quod in præda auri potuimus inuenire, periscelides, & armillas, annulos, & dextralia, ac murenulas, vt depreceris pro nobis Dominum.* Non equidem de vilibus, nec de mediocribus adornant Deo munus, sed quæcumque in hostium spoliis pretiosa inueniuntur, quæcumque aurea, ea Deo litant. Ecce dicunt, *quod in præda auri potuimus inuenire,* cauebant boni principes de pretiosissimis spoliorum ea Deo parare munera, quæ in maiori pretio, & æstimatione possent inueniri. Quid magis religiosum? Quid Principibus Christianis dignius? Sanè sub hac religione Christiana incunabula fulgent, quòd Principes, & ingenui homines pretiosissima quæque Deo litent. De Regina Saba dicitur, 3. Reg. 9. *Ingressa Ierusalem multo cum comitatu, & diuitiis, camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas pretiosas venit ad Regem Salomonem.* Miraris, quòd vt hominem videret sapiens regina, è tam longinquo veniat, tot tantásque auri, gemmarum, aromatum prætendat diuitias. An tam pretiosis muneribus veniebat hominis conspectum comparatura? Absit hoc à sapienti fœmina, ait D. Isidor. in lib. 3. Reg. cap. 5. sed *Christum in Salomone mirata.* Et dum Christum in Salomone erat admiratura, non miror, quòd pretiosissimarum rerum illi adornet pretiosissimum munus, hoc enim tulerunt vel incunabula Christi. Ad hæc D. Nyssenus hom. 7. in Cant. *Dum relicto regno Æthiopum accedit ad Salomonem, gemmis, & auro, vnguentísque pretiosis regem honorificè prosequi: manifestum est ad quodnam Euangelicum aspicit miraculum. Vt Æthiopia præbuerit munus Deo, eò quòd obtulerit dona Regi pietatis aromata, & aurum Dei cognitionis, & gemmas præceptorum, & virtutum operationes.* Sane in pretiosissimarum diuitiarum oblatione, Christianum miraculum ostendebatur, quo homines terreni, & in tenebrarum obscuro sedentes cœperunt aduolare ad ortum Solis salutiferi Christi, illique offerre alacres animi sui, affectus sui, possessionis suæ pretiosissima.

Matth. 2.
Num. 31.
3. Reg. 9.
3. Reg. 5.

§. III.

Vt in Daniele, sic in Iesu auro exhibito diuinæ redimuntur offensæ.

SCelerum sententiam suorum audiuit Balthassar ex Daniele, & nihilominus aureis muneribus ornat Prophetam; *tunc enim iubente Rege circumdata est torques aurea collo eius.* Et cur Rex sic munerat hominem, de cuius ore rigidissimam sustinet Dei sententiam? Ait glossa in præsenti: *Dei Prophetam honorando, se putauit veniam promereri, non tamen obtinuit, quia sacrilegium maius fuit, quàm veneratio hominis.* Et meritò putabatur placanda diuina seueritas munere exhibito Prophetæ tanto; placant enim Deum munera nostra, si pretio, & æstimatione offensæ debitis æquantur. Sic etiam Reges Tharsis munera offerunt aurea Iesu nato, cupientes à Deo offensarum remissionem impetrare. Ait enim Matth. 2. *Obtulerùt ei munera, aurum, &c.* Et cur aurum? Ait D. Chrysol. serm. 5. de Epiphan. *Mysticis muneribus confitetur Magus, thure Deum, auro regem, vt eum diuitis placaret obsequio, quem curioso, & importuno incesserat, & offenderat instituto.* Placatur equidem Deus à diuitibus auro accepto, & offensarum obliuiscitur, dum puer, dum egens, & pauper magnifica auri dispersione lenitur. Huc spectabat illud Christi Domini monitum. *Date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis.* Pro quo D. Ambros. serm. 30. ait: *Vtiliore commercio, qui pecuniam quondam dederat, vt adulterium perpetraret, pecuniam eroget, vt adulter esse iam desinat, & emat sibi quodammodo innocentiam, qui sibi emerat aliquando peccatum.* Fœlix qui hoc commercium ambabus manibus amplectitur, vt de exhibito auro peccatorum redemptionem acquirat. Ad hoc enim bonum est aurum, & maximè hominibus vtile, si sciamus cum illo æternam negotiari salutem. Quippe ait Chrysostom. homil. 9. ad Timoth. *Bonum est aurum, verùm si indigentibus erogetur, bonum, si ex ipso pauperes nutriantur: bonum, nisi eo quispiam inutiliter vti velit, nisi domi seruare velit, atque humi subruere, ita enim profectò inutile est, plerúmque detrimentis.* Quisquis auri quæstuosissimum negotium habere cupit, caueat, ne seruet illud, sed dispergat; sed in egentes distribuat, & fallar, nisi ingentia lucra recipiat.

Matth. 2.
D. Chrysol.
D. Ambr.
D. Chrysost.

§. IV.

Vt Daniel, sic Iesus aureis ornatur muneribus.

ET Daniel, & Iesus fulget sub aureo munere. Daniel aurea torque donatus à Babylonio rege; *Iubente enim rege circundata est torques aurea collo eius.* Iesus autem auro etiam apparet muneratus à Persis principibus: *Apertis namque thesauris obtulerunt ei munera, aurum, &c.* Vt Matth. cap. 2. dicit. Ne quis homo putet se ad diuinissimi Iesu ornatum posse conducere, nisi aureus existat. Pulchrè enim ait D. Bruno serm. de Epiphan. *Valde sapientes fuerunt viri isti, qui talia munera Domino obtulerunt. Hos igitur imitemur, & aurum, & aromata Domino offeramus. Omnium metallorum aurum pretiosissimum est, nec igne minuitur, nec vetustate corrumpitur. Omnia vasa tabernaculi aurea sunt, arca, mensa, altare, candelabrum, thuribulum, tabula, & ipsi Cherubim de ipso auro purissimo facti sunt. Nihil in toto templo nisi aureum videbatur. Aureos igitur nos esse oportet, siquidem vasa tabernaculi sumus.* Si quidem ad tabernaculum Dei pertinere præsumimus, necessum est, quòd aurei fiamus, nihil enim admittit Deus pro suæ domus ornatu, quod non splendeat sub auro. Quæ in nobis aurea puritas est, qui operum valor aureus, is est, quem Deus spectat, & in quo sibi placet, & de quo amat cœlestes impleri thesauros. Ad hæc spectans D. August. serm. 6. de verbis Domini fatur: *Argentei estis, aurei eritis. Ait enim sicut aurum in fornace probauit eos. Ecce quid eritis ad thesauros Dei.* Nescit Dominus vile aliquid thesaurizare sibi: qui ergo diuinis amat recondi thesauris, hoc curet, vt sicut aurum possit probari, & probatus appareat totus aureus. Hinc Cant. 5. locuta sponsa de sanctis hominibus, qui primas tenent in regno Christi ait: *Caput eius aurum optimum:* quasi Christi primates minimè permittantur esse aliquid infra aurum. Pro quo eleganter D. Paulinus, epist. 4. ait: *Hoc aurum forma Sanctorum est, qui in capite corporis, vt lamina micant, & sunt aurum ignitum Deo. Quia videlicet eos per examina passionum, in mundi huius fornace conflatos inuenit dignos se; & in iis sacram imaginis suæ percussit monetam, imprimens cordibus, & linguis eorum veritatis suæ verbum, eosdémque ipsos statuens nummularios, vt secundùm suam formam probabiles domino cuderent nummos, & abolita de nobis figura Cæsaris, viuum regis æterni numisma signarent. Summa itaque ope enitamur, ita nos comparare, vt diuini capitis crines, & aurũ esse mereamur.* Quid pulchrius? Ille sanè diuino Ecclesiæ capiti Iesu hæret, qui aureus est, qui auri puritatem, & soliditatem, & pretium sic æmulatur, vt possit velut cœlestis moneta non Cæsaris, sed Dei viui, & veri splendescere sub imagine. Vel ille Christo adhæret, qui ea opera præstat, è quibus tanquam bonus nummularius aureos domino cuderet nummos, qui in se expressam omnibus diuinam prætendant imaginem. De cuius auri valore, & puritate ipsissima Virgo Maria Deo in se habendo maximè aptatur. Locutus Moyses Exod. 37. de arca per Beseleel facta ait: *Et vestiuit eam auro purissimo intus, & foris.* Pro quo Richardus à Sancto Laurentio, lib. 10. de laudibus Mariæ, inquit: *Vestitio auri intus, & foris: per quæ datur intelligi in Virgine gloriosa virginitas, & fœcunditas. Virginalis castitas per aurum, ratione incorruptionis, & pretiositatis. Integritas & incorruptio dignam facit Virginem quo ad se, pretiositas quo ad Deum.* Itaque ex pretiositate auri, & aurea incorruptione Maria digna apparuit, quæ Deum in se clauderet: vt qui Deo accedere cupiat, curet in operibus suis, & pretiositatem, & puritatem auri æmulari, vt inde sese aptet expressiorem in se ostendere diuinam imaginem.

Matth. 2.
D. Brun.
D. Aug.
Cant. 5.
D. Paulin.
Exod. 37.
Richard.

PARS

PARS SECVNDA.

Moralia circa textus literam.

MOs iam vocat literæ succus, qui vt ad mores alendos educitur, sic vberrimos semper ostendit fructus, & longè copiores messes instruit.

Dan. 5. Balthassar rex fecit grande conuiuium optimatibus suis mille : & vnusquisque secũdùm suam bibebat ætatem. Præcepit ergo iam temulentus, vt afferrentur vasa aurea, & argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuit in Ierusalem, vt biberent in eis Rex, & Optimates eius, vxorésque eius, & concubinæ. Tunc allata sunt vasa aurea, quæ asportauerat de templo, quod fuerat in Ierusalem, & biberunt in eis Rex, & Optimates eius, vxores, & concubinæ illius. Bibebant vinum, & laudabant Deos suos, aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneósque, & lapideos.

§. I.

Quid mali non pariant compotationes, & conuiuia?

AVdis temulenti Regis præceptum, & meritò virtuti, & sanctitati times. *Præcepit enim Rex temulentus, vt afferrentur vasa aurea, & argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuit in Ierusalem, vt biberent in eis Rex, &c.* Sanè vt benè notat Theodor. Nabuchodonosor, dum multo milite expugnat Ierosolymam, vasa sacra transfert à templo Ierosolymitano in templa Babylonia, in quibus seruabantur ad sacros vsus. Hæc Balthassar è sacris ad profana transfert conuiuia. Cur non magis sacra veretur? Cur quod Nabuchodonosor armatus, multóque circumdatus ferro non audet; Balthassar domi sedens audet? *Præcepit iam temulentus*, sanè quibus bellicus furor pepercerat, non sustinuit parcere è conuiuiis orta temulentia. Similiter Alexander dum expugnat Persarum Regiam, ædificiorum pulchritudine captus, ab incendio vrbis abstinuit. Et vt victoriæ celeberrimum diem lætitia impleret, conuiuio excipit carissimos duces totius exercitus. In conuiuio erant omnes, quid tunc? Ait Quintus Curtius, lib. 5. *Ex pellicibus vna, Thais, & ipsa temulenta maximam apud omnes Græcos initurum famam Alexandrum affirmat, si regiam Persarum iussisset incendi: expectare hoc eos, quorum vrbes barbari deleuissent. Ebrio scorto de tanta re ferenti sententiam, vnus & alter, & ipsi mero onerati assentiunt. Rex quoque fuit auidior, quàm patientior. Quin igitur vlciscimur Græciam? Et vrbi faces subdimus? Omnes incaluerant mero. Itaque surgunt temulenti ad incendendam vrbem, cui armati pepercerant.* Quod non faceret totus quantus est Martis furor; hoc ex conuiuiis, & compotationibus orta præstat temulentia. Cui rei non debebo fatalissimum illud Herodis conuiuium, cuius tragœdiam narrat Marc. cap. 9. dicens: *Herodes metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum, & sanctum, & custodiebat eum. Et audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. Et cùm dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui cœnā fecit principibus, & tribunis, & primis Galilea.* Sic erat in conuiuio Herodes; *& misso speculatore præcepit afferri caput Ioannis in disco.* Vide in vno Herode duos repræsentatos Babylonios Reges, & Nabuchodonosorem, & Balthassarem. Nabuchodonosor vasa templi veritus est, illáque reuerẽter tractauit: sic Herodes Ioannem verebatur, sciens virum iustum, & sanctum, ad eiúsque verbum se componebat. Balthassar nihil veritus in sacris vasis, illa afferri præcepit, vt profanarentur; sic Herodes præcepit afferri caput Ioannis ad mensam. Quis te, Herodes, tam citò in Balthassaris præcipitauit sacrilegia? Tu non ille es, qui Ioannem verebaris, qui illum virum sanctum habebas, & eum libenter audiebas? Vnde modò sic in eum desæuis, vt præcipias caput eius in disco afferri? Modò in conuiuio erat, modò præcepit temulentus. Et vbi temulentia præcipit, nil non audent homines, nil verentur. Ait Andreas Ierosolymitan. orat. de Amputat. capitis Ioannis: *Si superiorum fiat comparatio cum inferioribus, ea magnam in se habent differentiam. Nam prima quidem loquendi libertas, & zelus, & reprehensio regis increpabant amentiam, & tamen in honore habere, & venerari Dei prophetam tanquam iustum, & sanctum, tunc locum habuit. Quæ autem deinceps sunt consecuta, sunt dissimilia omninò. Quam autem ob causam, & propter quid? Temulentus enim deuenit.* Verebatur, fateor, Ioannem Herodes, illúmque maximè in honore habebat; verùm vbi conuiuium, & compotatio, ab iísque orta temulentia intercessit, nec iustitiam, nec sanctitatem veretur.

Q. Curt. — *Marc. 9.* — *And. Ierosol.*

§. II.

Mundialium Principum mensa de alienis bonis farcitur; Christi autem mensa de suis inter alios diuidit.

ECce tibi vt à conuiuio Regio feratur Balthassar in spolia è templo Ierosolymitano adducta; *præcepit enim iam temulentus, vt afferrentur vasa, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuit in Ierusalem.* Non contenta esset principis mundialis mensa propriis, nisi ad illam etiam afferrentur aliena, & de vicinorum spoliis impleretur. De Achabo, pessimo Israelitarum rege, dicitur 3. Reg. 21. *Proiiciens se in lectulum suum, auertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem.* Mirabar, quòd de homine Rege diceretur, quòd penitus non comederit, quòd nec panem gustauerit: sed legit D. Ambros. tem explicans; *non comedit panem suum.* Et meritò de Rege mundiali creditur, quòd panem suum non comederit, quando horum mensa non soleat impleri nisi de alienis. Ait D. Ambros. lib. de Naburhe, cap. 4. *Et non manducauit panem suum, quoniam quærebat alienum. Etenim diuites magis alienum panem, quàm suum manducant, qui rapto viuunt, & rapinis sumptum exercent suum.* Hoc habet proprium mundialium Principum ingluuies, hoc habet proprium eorum mensa, quòd amet alienis impleri, quòd impellat homines ad capetenda aliena. Quàm aliter mensa cœlestis Regis, in eo est tota, vt homo propria in alios egentes dispergat. Accipite mensam Christi Matth. 26. *Cœnantibus autem illis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit: deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite, Hoc est corpus meum. Et accipiens Calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes; Hic est enim sanguis meus noui Testamenti, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Et hymno dicto exierunt in montem Oliueti.* Expende quò salutare conuiuium illos impulit, nimirum in montem Oliueti. Et quid per montem Oliueti portenditur nisi misericordia in egentes? quot oliuæ, tot misericordiæ indices, qui homines faciant egentium misereri, vt hinc pateat, quàm impellat Christi mensa conuiuas suos ad hoc, vt diuidant sua inter egenos. Id quod notans D. Chrysostom. homil. 60. ad Populum, sic inuitabat fideles ad altaris mensam: *Non sunt humanæ virtutis opera proposita: qui tunc ipsa fecit in illa cœna, idem eadem nunc quoque facit. Hæc est illa mensa, & minus nil habet. Non illam Christus, hanc autem homo perficit, verùm & hanc ipse quoque. Hoc illud cœnaculum, vbi tunc erant. Hinc in oliuarum montem illi prodierunt, prodeamus & nos ad manus pauperum. Hic enim mons oliuarum locus; oliuæ sunt etenim plantatæ in domo Dei, pauperum multitudo.* Et quidem pauperum multitudo oliuarum mons est, in quo misericordiæ oleum abundat, ad hunc montem à mensa Domini prodeamus: ea est enim Dei mensa, quæ suos conuiuas vehementer impellit ad alendos suis bonis pauperes. Huc trahe dicta 1. tom. in Euang. lib. 3. cap. 8. §. 33. & §. 34. & tom. 3. lib. 14. cap. 10. §. 3. in fine.

3. Reg. 21. — *D. Amb.* — *Idem.* — *Matth. 26.* — *D. Chrys.*

§. III.

Aut demens, aut multum temerarius est, qui Maiorum castigata crimina non refugit.

NOtandum adhuc est, quid temulentus Rex præcipiat, nimirum, *Præcepit temulentus, vt afferrentur vasa aurea, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo, &c.* Et cur necessum fuit expressam mentionem facere Nabuchodonosoris? Nonne ad rem sufficiebat dicere quòd iusserit, vt afferrẽtur vasa a Ierosolymis allata? Cur & Nabuchodonosorem illorum prædatorẽ exprimere maluit? Sanè cùm Regem

temulentum

temulentum dixisset, voluit euidens testimonium eius temulentiæ dare, quòd scilicet ausus fuerit Nabuchodonosoris a Deo castigati, & afflicti scelera imitari. Qui enim prædecessorum scelera castigata non cauet, aut multum reus est, aut prorsus amens. Quò respiciens Cassiod. 7. var. 2. sic Præsidem admonet: *Decessorum bona exempla sequere, à vitiosorum te imitatione disiunge: non putetur omnis consuetudo probabilis. Cautum te debet reddere, non sequacem error alienus. Prodit iustitia culpam, qui sequitur accusatum.* Prudentis hominis est, quod in alienis erroribus sibi cauet, qui autem accusatos, imò damnatos sequitur, nihil iniustum non facit, ostium supplicium vitabit. Hinc Amos c. 2. de principibus Iuda, fatur: *Super tribus sceleribus Iuda, & super quartum non conuertam eum, eo quod abiecerit legem Domini, & mandata eius non custodierit. Deceperunt enim eos idola sua, post quæ abierunt patres eorum.* Expende, vnde exaggeret Iudæ scelera, nimirum, quòd ad illa perpetrãda deceptus fuerit idolis, post quæ abierunt parentes eorum. Ea enim ipsa idola, sub quorum cultu toties castigati sunt patres Israelitici populi, ea, inquam, idola deceperunt Iudam, quo vel eius amentia ostenditur, vel eius culpa crescit supra modũ. Ait D. Cyr. Alex. ibi: *Multa quidem valde Israelitarum scelera reprehendit; sed maximè omnium illud, quod patrum errores secuti sunt. Illi enim Ægyptiorum dominatui subiecti, vitulo diuinos honores adhibuerunt. Ast hi cùm multis modis instituti essent, vt perspicuè Dei beneplacitum scirent, in patrum suorum errorem prouecti esse deprehensi sunt.* Quid turpius? Quid amentius? Quid sceleratius, quàm paternos errores noscere a Deo toties accusatos, à Deo toties punitos, & nihilominus illos amplecti toto corde suo? Mirum erit, quòd qui talis est euadat supplicium. Notissima fuerunt Manasses regis Iuda facinora, propter quæ traditus Babylonio regi, & multo ferro oppressus seruabatur in oeruo, vbi afflictione edoctus pœnitentiam egit, & à Deo vitam & libertatem obtinuit. Quid tunc? Ait text. 4. Reg. 21. *Regnauit Amon filius eius pro eo. Fecitque malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater eius, & ambulauit in omni via, per quam ambulauerat pater eius. Seruiuitque immunditiis, quibus seruierat pater eius, & adorauit eas. Tetenderúntque ei insidias serui sui, & interfecerunt regem.* Perit miserè Amon in delictis, è quibus euaserat pater eius, & cur Amonis crimina tantam ruinam pepererunt, quando eadem in Manasse fuerunt per pœnitentiam deleta? Erant Amonis crimina, crimina patris eius, vt nullũ admitteret scelus Amon, quod in patre suo non viderit præextitisse, & quod in patre suo non viderit castigatum esse à Deo. Meritò ergo perit, qui non cauit accusatum, sed potiùs sequitur. Glycas apud Glossam, ait: *Hac de causa Deus pœnitentiam huius non expectauit, quando paternis calamitatibus nullo modo factus erat melior.* Sanè paterni errores, e quibus tot calamitates emerserant, cautum deberent facere filium, non sequacem; quando qui accusatũm sequitur, necessum est, quòd seuerissimo iustitiæ rigori det pœnas.

Cassiod. — *Amos 2.* — *Cyril. Alex.* — *4. Reg. 21.* — *Glyc.*

§. IV.

Exitialia sunt sacra, quæ ingloriè, & inhonorè circumferuntur.

VIde radicem calamitatis extremæ, nimirum, *tunc allata sunt vasa aurea, quæ asportauerat de templo, &c. & biberunt ex eis Rex, & Optimates eius, vxorésque eius, & concubinæ illius.* Nulla electio fit personarum, per quarum manus sacra vasa circumferantur, sed indiscretè per manus regis, & mulierculaarum, & pellicum circumferebantur, nulla habita ratione illorum honoris, & reuerentiæ, quid mirum quòd sacra adeò ingloriè tractata extremas calamitates creent? Hinc prudentissimè Abias rex Iudæ populosissimo Israelitarum exercitui hanc imminentis ruinæ causam prætendebat, ait enim 2. Paralip. 13. *Habetis grandem populi multitudinem, atque vitulos aureos, quos fecit vobis Ieroboam in Deos; eiecistis sacerdotes Domini, filios Aaron, atque Leuitas, & fecistis vobis sacerdotes sicut omnes populi terrarum. Quicumque venerit, & initiauerit manum suam in tauro, & de bobus, & in arietibus septem, fit sacerdos.* Expende, quid numeret inter Israelitarum extrema flagitia, quæ illis parient etiam extremas calamitates, nimirum, *Quicumque venerit, &c.* nulla electio fiebat personæ, cui committerentur sacra, sed per quoscumque etiam viles, & abiectos, & nullius pretij homunciones sacra circumferebantur. Quod non poterat nõ esse principium magnæ calamitatis. Ad hæc Theod. in Glossa ex ore Abiæ ipsius, fatur: *Ego autem vos arguo, quòd aduersus regnum diuinum audetis arma mouere, & confiditis in auro innumeris, propter quæ eiecistis Dei sacerdotibus, alios pro eis suffecistis, facientes similiter gentibus. Nam, & illi quos sunt sacerdotes eligunt iis, qui dij non sunt. Nos autem in vero Deo confidimus, eiusque & sacerdotes, & Leuitas honoramus.* Ridicula prorsus est confidentia eorum, quibus cordi non est sacrorum honor, sed quidquid sacrum est, per vilissima, & abiecta quæque circumferri patiuntur. Hi ridiculi sunt, si non expectent se mille submergendos calamitatibus ortis ex sacris inhonoratis. Illi namque meritò calamitates non metuunt, sed prospera euadent, quibus in maximo honore sunt omnia sacra. Apud 4 Reg. 8. introducitur Azael solium regnum Damascenorum ascendens, de quo fatur Iosephus lib. 9. Antiq. cap. 4 aiens: *Azael verò apicem regiæ potestatis obtinuit. Erat enim vir efficax, multáque Syrorum & Damascenorum deuotione florebat, vt hucusque, & ipse Adher, & Azael, qui post eum regnauit, quasi dij colantur, propter beneficia, & templorum ædificia, quibus Damascenorum exornauerant ciuitatem.* Itaque homo priuatus solium regni ascendit, & summam in regno obtinuit fœlicitatem, quia velut Deus prædicabatur, propter templorum ædificia ab illo peracta; vt enim templis, sacrisque exornandis operam nauabat, sic vsque in diuinas ascendit fœlicitates.

2. Par. 13. — *Theod.* — *4 Reg. 8.* — *Ioseph.*

§. V.

Quando homo propter fœmineas delicias non fiet religionis contemptor?

VT biberent regiæ pellices, & concubinæ, sacra vasa profanantur à Balthassare, ait enim textus: *Biberunt in eis rex, vxores, & concubinæ eius. Bibebant vinum, & laudabant Deos suos.* Cur non magis veretur sacra vasa Balthassar? Sanè afferebantur illa, vt gratum faceret rex vxoribus, & concubinis suis, vbi autem spectatur grata voluntatis, & voluptatis fœmineæ, nulli parcitur religioni, nulli parcitur virtuti. Theodoretus in præsenti: *Quæ vasa erat vt tangere, impius rex in medium afferri iussit, & in ipsis bibebat, præcepitque vt quæ suam explebant lasciuiam, per hæc vino fruerentur.* Expende, ad quid attendebat rex in sacrorum profanatione, nimirum, vt per hæc vino fruerentur, quæ suam explebant lasciuiam. Vbi autem, quæ voluptatis sunt fœmineæ spectantur, non mirum est, si trahatur homo in omnium sacrorum, diuinorumque contemptum. Hinc Esdras lib. 1. c. 10. monebat populum, inquiens: *Vos transgressi estis, & duxistis vxores alienigenas, vt adderetis super delictum Israel. Et nunc date confessionem Domino Deo patrum vestrorum, & facite placitum eius, & separamini à populis terræ, & ab vxoribus alienigenis.* Et quid interest, quòd Israelitæ duxissent vxores alienigenas? Cur vates adeò curat illos separare ab harum consuetudine? Sanè periculum erat, ne per has voluptatum causas homines fierent contemptores religionis auitæ. Ait D. Aug. lib. 1. de adult. coniugiis, c. 18. *Dimiserunt Israelitæ vxores alienigenas, quæcumque tunc habere potuerunt, per quas fiebat, vt & ipsi ad alienos seducerentur Deos, non vt illæ per maritos verò acquirerentur Deo. Nondum enim tanta gratia Saluatoris illuxerat, & promissis temporalibus veteris Testamenti adhuc inhiabat illius populi multitudo.* Quod per mulieres non perderentur homines, sed adducerentur ad cognitionem veri Dei, reseruatum erat temporibus Christi, & gratiæ, quam ex Christo eramus accepturi. Ante Christum vix fieri potuit, quòd homo a fœmineis delicijs non seduceretur vsque ad contemptum religionis diuinæ. Et quis homo temporalis temporalibus adornans non rapieretur, vel in Dei contemptum ab eis, quæ suam explebant lasciuiam? Nonne id in Salomone patet? Nonne id in Achabo fuit visum? Nonne in ferè omnibus Israelitis? Fallar, si quæ coniunctiora sunt, quàm fœmineæ illecebræ, & diuini contemptus cultus. Num. 25. *Morabatur eo tempore Israel in Setim, & fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt, & adorauerunt Deos eorum.* Quid iunctius? Ingrediebantur illi ad Moabitides, & illæ trahebant eos in idolorum cultum. Rem pulchrè meminit D. Chrysost. orat. de Nouiluniis: *Madianitæ olim volebant infensum Deum Iudæis facere, hac via arbitrati se illos superare posse, si beneuolentiam Dei erga illos minuerent, puellas exornantes, & in exercitus conspectu collocantes, lenocinabantur eos, vt ad stuprum primò, deinde etiam ad impietatem adducebant.* Expende illud, *ad stuprum primò, &c.* ad nullam impietatem non trahetur homo ab eis, quæ assueuerint eius lasciuiam implere.

Theodor. — *1. Esdr. 10.* — *D. Aug.* — *Num. 25.* — *Chrysost.*

Iram.

Dan. 5. In eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ & rex aspiciebat articulos manus scribentis. Tunc facies regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius soluebantur, & genua eius ad se inuicem collidebantur. Exclamauit itaque rex fortiter, vt introducerēt Magos, Chaldæos, & aruspices. Et proloquens rex ait sapientibus Babylonis: Quicumque legerit scripturam hanc, & interpretationem eius manifestam mihi fecerit, purpura vestietur, & torquem auream habebit in collo, & tertius in regno meo erit.

§. VI.

Scelerum inuentores acriùs, vehementiùsque puniuntur.

AB scribentis manu terror exortus vnum Balthassarem occupat, cùm multi alij, & optimates, & reginæ, & concubinæ conuiuio interessent, & sacris vasis fuissent abusi. Qui ait: *Et rex aspiciebat articulos manus scribentis. Tunc facies regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius soluebantur, &c.* Quid terribilius? Sed quando tot erant in eodem scelere, cur solum regem occupat tanti terroris acies, quæ cæteros in nullo tangit? Ille erat sacrilegiorum author, ille, qui cæteris tacentibus iussit afferri vasa; & meritò ille præ omnibus debuit acriùs, & vehementiùs mulctari. Nemo ignorat facinora Regis Achab, & vxoris eius Iezabel, cùm iustum Naboth interfecerunt. Sed Achab in bello vulneratus sagitta occubuit, 3. Reg. 22. de Iezabel autem dicitur 4. Reg. 9. *Præcipitauerunt eam. Aspersúsque est sanguine paries, & equorum vngula conculcauerunt eam.* Cur ille tam subito vulnere occubuit, hæc autem tam atrociter fuit præcipitata, & conculcata, nisi quòd hæc inuentrix fuerit, & incitatrix totius peccati aduersus Naboth perpetrati? Quam rem grauiter expendens D. Chrysost. hom. 25. ad Rom. ait: *Serpens magis punitus est quàm mulier, & mulier plusquam vir, & Iezabel maiores pœnas dedit quàm Achab vineæ raptor. Ipsa enim proposito vniuersum istud negotium texuerat, regique lapsus occasionē dederat. Igitur, & tu quoque, si reliquis perditionis causa fueris, grauiora pateris, quàm qui per te subuersi sunt. Neque enim peccare tãtum in se perditionis habet, quantum quod reliquos ad peccandum inducunt.* Hoc proprium est iræ Dei, quod acerbius, & vehementius in illos desæuiat, qui authores sunt aliis peccandi, & qui primi alios incitauerunt. Hinc cum Aaron, & Maria fratres Moysis de fratre murmurare cœperunt, statim Aarone sano relicto Maria apparuit penè depasta à rabidissima lepra. Ait Num. 12. *Iratus contra eos Deus, abiit, nubes quoque recessit, quæ erat super tabernaculum, & ecce Maria apparuit candens lepra.* Ira ambos fratres Aaronem, & Mariam respiciebat, cur sola Maria visa est affligi sub tormento lepræ? Ait D. Isidor. Pelus. lib. 3. epist. 152. *Quia scriptura Mariam pontifici præposuit in pœna, idcirco mihi videtur eā scelere præiuisse, illū autem secutus fuisse.* Ne miremur, quod quę prima aggressa est nefariū opus, acerbiores, & multo duriores det pœnas Deo; quando hoc est lucrum eorum, qui causas præbent scelerum, vt maximè in se Deum iratum sentiant. Huc spectat illud Oseæ, c. 5. *Facti sunt principes Iuda quasi assumentes terminum, super eos effundam, quasi aquam iram meam. Calumniam patiens est Ephraim, fractus iudicio, quia cœpit abire post sordes.* Ecce tibi & Iudas, & Ephraim eadem perpetrabant scelera, & in Dei iram deuenerunt; sed Iudæ fuit Dei ira, quasi aqua non conterens, sed emundans, & purificās, vt benè notat Rupert. Ephraimo autem Dei ira fuit quasi malleus eū prorsus conterēs, & cōfringens, fractus enim apparuit sub Dei iudicio. Cur ille lotus ab ira, hic autem penitus fractus apparuit? Ait vates: *Fractus iudicio, quia cœpit abire post sordes.* Non Iudas, sed Ephraim cœpit ad vitulos adorandos transire, qui ergo cœpit nefaria exercere, non miretur, si aduersus se immitiorem Dei iram sentiat. Ait D. Cyril. Alex. ad cap. 8. Oseæ: *Omnis improbitatis Israel causa fuerunt, qui de tribu Ephraim regnum in eos tenuerunt. Primus enim execrandus Ieroboam apostasiæ inuentor fuit, quando ipse erexit duos vitulos. Quare meritò minæ contra regnum ex tribu Ephraim diuinitus intentæ sunt.* Is est Deus, qui acriùs, & vehementiùs feratur in eos, qui cæteris errandi causas posuere.

4. Reg. 9. — Chrysost. — Num. 12. — Isid. Pel. — Osea 5. — Cyr. Alex.

§. VII.

A Dei ira ostensa maior pauor, & terror creari solet, quàm ab omnium creaturarum furore.

CInctus erat Balthassar validissimo Persarum exercitu, nihilque aliud circa muros vrbis videbat, quam hostiles phalanges, ignem, erucemque minitantes, interea tamen ipse securus, & impauidus conuiuium fecit suis optimatibus. At inter conuiuium, *rex aspiciebat articulos manus scribentis. Tunc facies regis commutata est, &c.* Ad solos articulos manus scribentis turbatur, tremit, horret, clamat, qui ad hostiles exercitus impauidus stetit. Et quando à validissima hostium manu nullus terror in regem veniebat, à solis articulis manus scribentis profectus terror sic regem commouit, sic regem cœpit? Ostendebatur sanè in illis tribus digitis diuinæ iræ processus, quæ magis deterrēt, & premit humana corda, quàm vniuersi creaturarum furentium exercitus. Accipe ex 4. Reg. 7. vbi Samaria obsessa erat ab Assyriorum exercitu: *Dominus sonitum audire fecerat in castris Syriæ curruum & equorum, & exercitus plurimi. Dixerúntque ad inuicem Syri: Ecce mercede conduxit aduersum nos rex Israel reges Ethæorum, & Ægyptiorum, & venerunt super nos. Surrexerunt ergo, & fugerunt in tenebris.* Hæc ibi: solùm dicitur, quod ad sonitum equorum fugerunt Syri, cum rege suo, sani tamen, & incolumes. At statim cap. 8. dicitur: *Benadad Rex Syriæ ægrotabat.* Dum Syrus audit sonitum, quem putat equorum, & auxiliatoris exercitus esse, fugit incolumis, & sanus, nullaque consternatione animi afficitur, & statim post hæc in morbum incidit. Vnde post hæc morbus? Sciuit postea sonitum illum non ab exercitu hominum causatum fuisse, sed à Deo solo immissum in signum irę suæ, quod sic horruit, vt in morbum incideret. Ait Iosephus in Glossa: *Syrorum rex dum venisset in Damascum, & agnouisset, quod diuinitus ei, & eius exercitui timorem immisisset, & fugam, & non inuasione hostium fuisse factum: nimis afflictus, eo quod Deum ita haberet iratum, corruit in languorem.* Qui non incurrit in languorem, cum putauit aduersum se stare validissimos hostium exercitus; incurrit protinus, vbi sciuit non exercitus hostium, sed Dei iram sibi imminere. Nec miror, quod langueścat fortissimus rex, dum sibi Dei ira ostenditur, aliquid enim amplius dicit Exod. 15. *Misisti iram tuam, quæ deuorauit eos:* vbi Lippom. ait: *Misisti iram tuam, id est, ostendisti te iratum, & statim perierunt.* Sufficit enim, vt vel ira Dei ostendatur, & pauor mortis humana corda tenebit. Vt meritò dicat Isaias, cap. 19. *In die illa erit Ægyptus quasi mulieres, & stupebunt, & timebunt à facie commotionis manus Domini exercituum, quam ipse commouebit super eum.* Ecce dum Deus, vel paululum commoueat manum, vt terror, & pauor peruadat validissima regna.

4. Reg. 7. — Ioseph. — Exod. 15. — Lippom. — Isai. 19.

§. VIII.

Vel ignoti, aut popularis scriptoris manus, vt pauenda Regibus.

QVi ad validissimum exercitum imminentem non pauebat, totus expauet ad scribentis articulos, quippe ait: *Rex aspiciebat articulos manus scribentis. Tunc facies regis immutata est, &c.* Non sic enim hostiles exercitus, vt vel vulgarium scriptorum manus solet perterrefacere reges. Et quidem vnus est dignus rege timor, ex iis, quæ à mundialibus euentibus venire solent, nimirum, quid scribetur de illo, quid ferri stylo in vngue adamantino exaratum manebit? Hoc timore frænabant Ægyptij reges suos, de quorum exequiis locutus Diodor. Sicul. lib. 2. c. 3. ait: *Postrema die corpus in arca conditum ... omne sepulchri aditum ponunt, ibi breuiarium rerum vita à rege gestarū, de more recitant, volentique facultas datur defunctum accusandi: adstātes sacerdotes mortui recta facta laudātes. Populus supermagnus est, qui exequias certãstas, applaudit veris laudibus ea reliquus magno reclamant tumultu, quo accidit, vt plures Reges repugnãte multitudine, soliti caruerint sepulchri honore, ac magnificentia. Is timor coegit Ægypti reges iustè viuere, veritos futuram post mortem plebis iram, atque odium sempiternum.* Non timor hostium, non cladium timor cohibebat reges Ægyptios, sed timor,

Diodor.

quod vitæ ipſorum breuiarium à popularibus erat cenſurandum, & inde in plebis æterno contemptu permanſurum. Et quidem regius non eſt ille animus, qui in facinoribus perpetrandis, oratorum, & ſcriptorũ cenſuram non timet æternam. Regaliſſimus Iob in tantum oſtendit hunc timorem à ſe prorſus alienum, in quantum limpidiſſimum ſuum vitæ curriculum oſtendebat. Ait enim c. 19. *Quis mihi tribuat, vt ſcribantur ſermones mei? Quis mihi det, vt exarentur in libro? Stylo ferreo, aut plumbi lamina, vel celte ſculpantur in ſilice.* Non timet bonus geſtorum ſuorum ſcriptores, quinimo anxiè cupit, vt quicquid ſuſtinebat, ſcriberetur, quando talia agebat, quæ poſſent in lucem prodire. Iobo ſimilis Theodoricus Italiæ rex, de quo ait D. Ennod. in Paneg. *Amauerunt prædeceſſores tui inſcitiam, quia nunquam laudata geſſerunt. Sordebat inter aratra facundiſſimus, & quod peritia dederat, vis negabat.* Itaque ante Theodoricum reges ſtudioſos oderant, illos violenter à literarum cultu, ab ſcribendis orationibus deterrebant, vt qui vituperabilia efficiebant: Theodoricus autem ſic ſe regaliter gerebat, ſic vitam compoſuerat ſuam, vt mallet illam ſtudioſorum literis celebrari.

Iob 19.

D. Ennod.

§. IX.

In calamitate quiſque manſueſcit.

ET Nabuchodonoſor, & Balthaſſar Babylonis conuocant ſapientes, ille de ſomnij interpretatione, hic ſolicitus de reſcripto appoſito parieti. Nabuchodonoſor autem Dan. 3. ait: *Niſi indicaueritis ſomnium, & coniecturam eius, peribitis vos, & domus veſtræ publicabuntur.* Verum Balthaſſar in præſenti c. 5. ait: *Quicumque legerit ſcripturam hanc, & interpretationem eius manifeſtam mihi fecerit, purpura veſtietur, &c.* Ille totus in denunciando ſupplicio, hic totus in denunciando præmio, ille totus ferus, hic totus manſuetus. Et cur quando in Nabuchodonoſor tanta erat feritas, tanta manſuetudo in Balthaſſare apparebat? Nabuchodonoſor oblitus ſomnij nihil in ſe durum, nihil metuendum ſentiebat, Balthaſſar autem ad ſcripturæ adſpectum ingenti metu correptus, in maxima erat afflictione; & quis non amens in calamitate poſitus non manſueſcit? Rex Iſrael, 4. Reg. c. 6. maximo Syrorum cinctus exercitu, & ſe, & populum in ſumma fame videbat, pro qua cilicio veſtitus Deo preces fundebat. Quid tunc? Ait textus: *Vidit omnis populus cilicium, quo veſtitus rex erat ad carnem intrinſecus. Et ait rex: Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, ſi ſteterit caput Eliſæi, &c.* Quid amentius? In cilicio, & fame poſitus adhuc efferatur, & mortem minatur Prophetæ, non hoc faceret, niſi qui amens, & ſtolidus eſſet. Ait Theod. in Gloſſa: *Rex ſtolidus æmulatus patris, ac matris animum ſpirantem cædem, iuſſit amputare caput Prophetæ, idque ſacco indutus, conſtituens ſoluere, & diſſipare horridam illam, & ſtridentem nubem.* Expende illud, *idque ſacco indutus*, ſumma enim erat ſtoliditas, & hominis amẽtia; quod in tanta afflictione, & calamitate, qua rex cilicio indutus erat, adhuc efferaſceret, & mortes minaretur, nec vllo modo miteſceret. Niſi enim maximè ſtolidus eſſet in calamitate tanta poſitus, potiùs ad manſuetudinem flecteretur. Quis ignoret Eliæ rigorem? Is 3. Reg. 17. ait: *Viuit Dominus, in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his ros, & pluuia niſi per os meum.* Hæc Elias dixit, & à Deo ductus ipſe eſt in torrentis cuiuſdam abſcondito, vbi carnibus paſcebatur à coruo, & de torrentis aqua bibebat: *Poſt dies autem ſiccatus eſt torrens, &c.* Et quando Deus Prophetam duxerat ad torrentem, vt in eius aquis ſuſtentaretur, cur permiſerit torrentem ſiccari? Volebat equidem Deus, vt Elias in populum miteſceret; & ideò curauit, vt & ipſe in eadem ſiccitatis, & famis afflictione verſaretur. Ait D. Chryſoſt. hom. de Elia: *Rem tamen moderatus Dominus ſic eſt, vt Prophetam ſimul tenerere videretur, & populo miſereretur. Et quid fecit? Prophetam vna cum populo punit, vt dum etiam ipſe in famis ſupplicio comprehenditur, aliquid miſericordiæ addiſcat.* Proh Dei ſapientiam! Vt miſericordiam Prophetam doceret, in illum famis, & ſiccitatis calamitatem inuexit; niſi enim amens ſit, qui in calamitate, & afflictione eſt, neceſſum eſt, vt & in alios ipſe fiat manſuetior.

Dan. 3.

4. Reg. 6.

Theod.

3. Reg. 17.

Chryſoſt.

Dan. 5. Tunc ingreſſi omnes ſapientes regis nõ potuerunt, neque ſcripturam legere, neque interpretationem indicare regi. Vnde Rex Balthaſſar ſatis conturbatus eſt, & vultus illius immutatus eſt: ſed & optimates eius turbabantur. Regina autem pro re, quæ acciderat regi, & optimatibus eius, domum conuiuij ingreſſa eſt, & proloquẽs ait, Rex in æternum viue, non te conturbent cogitationes tuæ, neque facies tua immutetur. Eſt vir in regno tuo, qui ſpiritum Deorum ſanctorum habet in ſe, & in diebus patris tui ſcientia, & ſapientia inuentæ ſunt in eo, nam & rex Nabuchodonoſor pater tuus principem Magorum, incantatorum, Chaldæorum, & aruſpicum conſtituit eum: pater, inquam, tuus, ô rex: quia ſpiritus amplior, & prudentia, intelligentiáque, interpretatio ſomniorum, & oſtẽſio ſecretorum, ac ſolutio ligatorum inuentæ ſunt in eo, hoc eſt, in Daniele: cui rex poſuit nomen Balthaſſar, nunc itaque Daniel vocetur, & interpretationem narrabit.

§. X.

Non parua fœlicitas Regia eſt, in qua etiam expectari poteſt prudentia Reginæ.

QVando vniuerſi hærent Babylonij ſapientes & optimates turbantur, nec in tota Regia inuenitur, qui regẽ liberet ſolicitudine, nec vllum conſilium ſalutare ingerat, ecce adeſt Regina, non alia, quam Balthaſſaris mater, quæ vna regem docet, vt poſſit à ſolicitudine exire, ſi Danielẽ requirat. Ait enim: *Regina ingreſſa eſt, & proloquens ait. Rex in æternum viue, non te conturbent cogitationes tuæ. Eſt vir in regno tuo, &c.* Quid fœlicius? Non ſapientes, non optimates, ſed Regina ſola ſuggerit regi ſalutare conſilium, de quærendo Daniele habente Dei ſpiritum. Fallar, niſi hoc ad magnam familiarum fœlicitatem ſpectet, quod adſint illis adeò ſapientes, & prudentes matresfamilias. Quò referendum eſt illud Theodorici regis ad Tranſmundum etiam regem apud Caſſiod. 5. var. 43. *Quamuis à diuerſis regibus expetiti pro ſolidanda concordia, aut neptes dedimus, aut filias, Deo nobis inſpirante, cõiunximus: nullã tamen æſtimamus nos aliquid ſimile contuliſſe, quàm quod germanam noſtram, generis Amali ſingulare præconium, veſtrum fecimus eſſe coniugium; fœminam prudentia veſtra parem, quæ non tantum reuerenda regno, quantum mirabilis poſſit eſſe conſilio.* Ecce tibi quid æſtimat Theodoricus in ſorore Tranſmundo nupta, votum equidem æſtimat in illa, pro quo ſibi debitorem adſtringere nititur Tranſmundum. Non quod illi regiam vxorẽ dederit, hoc enim & dederat alijs plurimis, ſed quod illis dederat reginam, quæ poſſit illi eſſe à conſilijs. Id quod ad maximam fœlicitatẽ pertinebat Regiæ totius, & quod reges vniuerſi præ omnibus aliis dotibus deberẽt habere ſibi auſpicatiſſimum. Poſtquã Abraham cũ vxore ſua peregrinatus eſt in Geraris Geneſ. c. 20. *Miſit Abimelech rex Geraræ, & tulit Saram.* Vt eam vidit, captus eius pulchritudine, in coniugem ignotãs accepit illam. Sed Sara eo tempore vetula erat, ipſa enim c. 18. audiens ab Angelis ſe ex viro concepturam, riſit, dicens, *poſtquam conſenui, &c.* Senex ergo Sara erat, & in ſene fœmina quid rex iucunditatis poterat inuenire, vt illam in cõiugem acciperet? Crediderim regem ſapientiſſimum in Sara prudentiam, & ſapientiam maximam deprehendiſſe, ob quam ſibi illam amabat coniungere. Ait enim Author Cat. Græcæ: *Sed qua forma ornata mulieris in ſenectute? Nempe quæ gratia ſterilitatem natura emendauerat, eadem corporis veterem, velut aquila renouauerat. Quamquam & ipſe Abimelech vir alioqui iuſtus, ac pius, tametſi in ſua illa authoritate regia, multas ſibi puellas habere liceret, voluit tamẽ ex ea eam quam prudentem ſimul & honeſtã reſciuerat, ſuſcipere liberos.* Sic prudens fœmina putabatur à ſapiente rege, ſuæ auſpicata familiæ, vt præ hoc nihili æſtimet quod vetulam ducat. Non abſimilis Abimelecho Dauid, qui 1. Reg. 25. audita Nabalis morte, *miſit, & locutus eſt ad Abigail, vt ſumeret eam ſibi vxorem.* Et mirabar, quod homo fugitiuus, qui per auia, & deſerta loca degebat, poſſet cogitare nuptias ſibi. Vnde in Danidis mentem hæ nuptiæ potuerunt venire? Sane dum errabundus graditur Nabalis duritie offenſus, properabat in hominem vecordem ſæuire, tunc Abigail vxor Nabalis obuiam venit Dauidi, illumque mira

Caſſiod.

Gen. 20.

Cat. Græc.

1. Reg. 25.

prudentia

prudentia lenit, & facit esse ab homicidio securum. Qua prudentia captus Dauid, vt primum rescivit Abigailem viro carere, noluit ipse carere consortio fœminæ prudentissimæ. Ait Lyra: *Locutus est Dauid Abigail, vt sumeret eam sibi uxorem, quia sciebat eam esse pulchram, & prudentem.* Nec posset homo in regnum destinatus euidentius venientis fœlicitatis accipere auspicium, quam si prudentissimam illam fœminam sibi adiungeret.

Lyra.

§. XI.

Regina mater filio salutaris rara.

INter turbatos optimates, sapientes hærentes, regem vna mater Regina confortare dicitur; *Regina*, inquit, *ingressa est*, & hæc solicito filio viam aperit, qua posset ponere solicitudinem, si Danielem perquirat. Et quidem notanter hoc debet animaduerti in hac regina, quæ mater regis erat, & filio dedit salutare consilium. Rarum enim est, & penè inauditum quod Regina mater sit salutaris filio. Id vt rarû, sic in Amalesuinta extollit Cassiod. 11. var. 1. *Quid tale antiquitas honora promeruit? Placidiam mundi opinione celebratam, principum prosapia gloriosam purpurato filio studuisse percepimus, cuius dum remissè administrat imperium, indecenter cognoscitur imminutum. Nurum denique sibi amissione Illyrici comparauit, factaque est coniunctio regnantis, diuisio dolenda prouinciis. Militem quoque nimia quiete dissoluit. Pertulit à matre protectus, quæ vix pati potuit destitutus. Sub hac autem domina, quæ tot reges habuit, quot parentes, noster exercitus terret externos, &c.* Qua oratione multus est Cassiodorus in recensendis bonis, quæ à tanta matre in regem filium profecta sunt, quæ à cantatissimis aliis matribus non receperunt reges alij. Expendendum enim est illud: *Pertulit à matre protectus, quæ vix pati potuit destitutus.* Quæ sententia, & verè, & sapienter dici potest de omnibus regibus, & principibus, qui sub matrum vixerunt disciplina. Et quis à matre protectus non pertulit, quæ vix pati posset destitutus? Hinc non paruam lucem capit locus Prouerb. cap. 3. vbi Salomon loquit: *Nam & ego filius fui patris mei, tenellus, & vnigenitus coram matre mea.* Hebraice autem dicit: *tener, & vnicus in faciebus matris.* At 1. Paral. 3. numerantur tres alij filij, quos cum Salomone genuerat sibi Dauid ex Bersabeth. Quos omnes eorum fuisse veros, & naturales filios tradit, & certior, & communior sententia, quam latè tractat noster Salazar ad locum Prouerbiorum. Cum ergo plures fuerint Dauidis filij ex Salomonis matre, cur Salomon se dicit & vnigenitum, & vnicum filium coram matre sua? Equidem non solùm respectu propriorum fratrum, sed respectu omnium aliorum hominum principum ipse Salomon erat vnicus coram matre sua, vt qui de matris protectione habuit regnum, & in eo fuit stabilitus. Vide vniuersos regum libros, & vnicus inuenietur Salomon, qui à matre protectus non passus sit, quanta posset pati destitutus.

Cassiod.

Prou. 3.

§. XII.

Vna fœmina sobria multum excedit fortissimos, & sapientissimos viros deditos compotationibus, & conuiuiis.

NOn otiosè dicitur regina hæc, non esse inter regis conuiuas, sed à foris venisse. Ait enim; *Regina autem, pro re quæ acciderat regi, & optimatibus eius, domum conuiuij ingressa est.* Non ipsa aderat conuiuio, nec compotationibus intererat, sed audito, quod conuiuiis acciderat, venit ad domum conuiuij, & Regem allocuta, de requirendo Daniele consilium dedit. Et cur hæc præ aliis omnibus inuenta est sapientior, quando ibi erant sapientissimi, & fortissimi Babyloniorum? Sapientes illi, & optimates illi, & conuiuio, & compotationibus intenti erant, vna hæc Regina aberat à conuiuio; & ideo vna hæc omnes illos excedit in sapientia, quando vel fœmina sobria sese extollit super omnes viros, & fortissimos, & sapientissimos, si conuiuiis, & compotationibus se dedant. Dux ille Holofernis, post visum eius cadauer, Iudith cap. 14. exclamauit, dicens: *Vna mulier Hebræa fecit confusionem in domo regis Nabuchodonosor, ecce enim Holofernes iacet in terra, & caput eius non est in illo.* Sed vnde vna mulier elusit fortissimos & validissimos virorum exercitus? Ait c. 13. *Erant omnes fatigati à vino.* Omnes conuiuiis, & compotationibus vacabant, vna Iudith abstinebat, ne miremur, quòd vna mulier sobria exercitus virorum bibentium superare valeat.

Iud. 14.

Idem c. 13.

Ait D. Ambros. lib. de viduis: *Haud difficile ebrios exercitus vnius mulieris sobrietas, & vincere potuit, & eludere. Nec dextera tantum hoc opus, sed maiora trophæa sapientia. Nam manu solum Holofernem vicit, consilio autem omnium hostium vicit exercitum. Suspenso Holofernis capite, quod virorum non potuit excogitare consilium, suorum erexit animos, hostium pressio.* Quid pulchrius? Sed adhuc in eandem apparet idem Ambros. luculentior, dum ait epist. 81. *Iudith solo titulo sobrietatis desperatum lacertis virilibus reportauit triumphum. Exemplum eiusdem, quod & illum terribilem populis bellatorem virum luxuria sua emolliuit, & hanc fœminam temperantia cibi fortiorem viris fecit. Non hic in sensu suo victa est natura, sed in cibo suo victa est, & regem superbum suis inclinauit ieiuniis.* Ea est sobrietas, quæ vel fœminas faciat superiores multo euadere viris. Hinc regina Esther congressura cum rege Assuero, & cum Amani astutia, ait cap. 4. ad Populares suos: *Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus; & ego cum ancillis meis similiter ieiunabo.* Hæc faciebat Esther, insuper c. 5. coram rege stans ait: *Veniat rex, & Aman ad conuiuium, quod paraui ei.* Quia ieiunat, & regi, & Amano parat conuiuia: vt sic vtrumque faciliùs vincat, certum enim est, quod si viri vacent conuiuiis, facilè vel ab vna muliere sobria superabuntur. Ad hæc D. Ambros. lib. de Elia, & ieiuno. *Itaque illa quæ triduo ieiunauit continuò, plus placuit, & vindictam retulit. Aman autem dum se regali iactat conuiuio, inter ipsa vina pœnam suæ ebrietatis exsoluit. Est ergo ieiunium reconciliationis sacrificium, virtutis incrementum, quod fecit etiam fœminas fortiores augmento gratiæ.* Non est fortitudo, non est sapientia inter vina, inter fercula: da mihi sobriam fœminam vel vnam, & ipsa sapientissimos quosque, & fortissimos vincet.

Ambr.

Idem.

Esther 4.

Esther 5.

D. Amb.

Dan. 5. Igitur introductus est Daniel coram rege. Ad quem præfatus rex, ait: Tu ésne Daniel de filiis captiuitatis Iudæ, quem adduxit rex pater meus de Iudæa? Audiui de te, quoniam spiritum Deorum habeas; & scientia, & intelligentia, ac sapientia ampliores inuentæ sunt in te. Et nunc introgressi sunt in conspectu meo sapientes magi, vt scripturam hanc legerent, & interpretationem eius indicarent mihi, & nequiuerunt sensum sermonis huius edicere. Porrò ego audiui de te, quòd possis obscura interpretari, & ligata dissoluere. Si ergo vales scripturam legere, & interpretationem eius indicare mihi, purpura vestieris, & torquem aureum circa collum tuum habebis, & tertius in regno meo princeps eris.

§. XIII.

Quàm citò disparet à mundialibus Regiis, quisquis in virtute, & veritate ambulat.

FAllar, si quis Babylone fuerat notior Daniele, ipse enim erat princeps aruspicum, & magorum à Balthassaris parentibus constitutus, ipse in palatio die ac nocte versabatur totius imperij negotia administrans. Iste ergo tantus in Regia, tam notus, tam familiaris regibus, nunquã nullo palatino noscitur, nisi ab anu quadam regina, & ab ipso rege adeò ignoratur, vt introductus coram rege audiat ab illo: *Tu es Daniel de filiis captiuitatis Iuda, quem adduxit pater meus de Iudæa?* Et qualiter rex potuit virum adeò parenti familiarem & notum sic ignorare? Sanè vir virtutis, & veritatis non potuit permanere in aula impietatis, sed inde necessariò erat exturbandus. Ait enim Theod. *Videtur rex præ multa impietate, post patris obitum, Danielis consuetudinem fugisse, quare statim terrore perculsus Magos quidem vocat, sed Prophetæ memoriam etiam ab animo abiecerat.* Non manet in mundiali regum animo memoria viri, qui pro veritate, & virtute stare soleat. Illi præstò sunt, & frequentes in memoria principum, qui ad eorum corda loquuntur, nec quid sincerum, & virtutem halans annunciant. Accipe ex 1. Reg. c. 16. non absimile quid in Saule, de quo dicitur: *Misit Saul ad Isai dicens, stet Dauid in conspectu meo: inuenit enim gratiam in oculis meis. Igitur*

Exod.

Theod.

1. Reg. 16.

quandocumque ſpiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & leuius habebat, recedebat enim ab eo ſpiritus malus. Ecce tibi Dauid, vt gratus eſt Sauli, vt illum citharæ dulcedine leuat à nequam ſpiritu. Sed non multum poſt congreſſurus cum Philiſthæo, coram rege ſtat, & rex non agnoſcit illum c. 17. *Eo tempore, quo viderat Saul Dauid egredientem contra Philiſthæum, ait ad Abner principem militiæ, de qua ſtirpe deſcendit hic adoleſcens? Dixitque Abner, viuit anima tua, rex, ſi noui. Et ait rex, interroga tu, cuius filius ſit iſte puer.* Vnde tanta ignorantia de Dauide ſic potuit implere Saulem? Nonne Dauid apud illum fuerat, regi notiſſimus, & gratiſſimus? Nonne ſæpius regem à malo ſpiritu curarat? Cur ergo modo ſic ignorat puerum? Non placet D. Auguſtini ſententia, quæ ſupponit primò Dauidem imberbem aſtitiſſe regi, poſtea barbatum veniſſe, & barbæ cauſa tantam illi fuiſſe mutationem vultus, vt vel ab amico, & fratre potuiſſet non agnoſci. Quin potiùs crediderim Dauidem imberbem adhuc fuiſſe, cum pugnaturus venit cum Philiſthæo, vnde a Saule reiiciebatur, dicente: *non vales reſiſtere Philiſthæo huic, quia puer es.* Nec reiiceretur vt puer, quia adeò barbatus eſſet. Quæ ergo alia cauſa excogitari poteſt, cur Dauid intra tam paucos dies penitus ignoraretur a rege, cui & gratus, & officioſus fuerat? Ego cauſam euidentiſſimam inuenio petitam ex officio præſtito a Dauide regi, nimirum: *Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, recedebat enim ab eo ſpiritus malus.* Quid plura? Vbi Dauid a Regia ſpiritum malum abigebat, & voce ſua non permittebat durare in rege ſpiritum malitiæ, ſpiritum mendacij, non miror, quod a palatio excedat, & quòd nec in memoria regis, nec in memoria palatinorum permaneat. Ille enim, & permanet, & feneſcit apud mundiales principes, qui ea ſolùm loquitur, quæ ſunt cordi eis. Vnde 3. Reg. 13. dicitur: *Propheta autem quidam ſenex habitabat in Bethel;* vbi ne miremur, quod in Bethel, qui locus ad Ieroboam regem pertinebat, dicatur Propheta aliquis ſenuiſſe: quis iſte fuerit, explicat Ioſeph. lib. 8. Ant. c. 9. *Erat in ciuitate ſenior quidam malignus homo, falſúſque Propheta, quem Ieroboam magno ſtudio honorabat, cum eo dicente quæ illi grata forent, crebro deciperetur.* Ecce tibi, qui ſeneſcant apud principes, & qui illis ſunt in honore, ab eiſque multa ſuſcipiunt, nimirum qui dicunt ea, quæ grata ſunt regibus, illos paſſim decipientes.

D. Auguſt. *3. Reg. 13.* *Ioſeph.*

§. XIII.

Affulgeat prius in cordibus noſtris diuinus ſpiritus, neceſſum eſt, vt ea percipere poſſimus, quæ ad cæleſtia ſpectant.

SApienter rex barbarus in Daniele putat poſſe eſſe ſapientiam, & intelligentiam ad percipienda ea, quæ ad ſalutem ſpectant, ex eo quòd illum diuino ſpiritu afflatum credit. Quippe ait: *Audiui de te, quoniam ſpiritum Deorum habes, & ſcientia, & intelligentia, ac ſapientia ampliores inuentæ ſunt in te.* Et quidem vane ſperaretur intelligentia poſſe inueniri in aliquo ad percipienda ſalutaria myſteria, niſi in illo diuini ſpiritus affulſio præceſſerit. Nullus homo licet in cultiſſima educatus patria, licet inter ſapientiſſimos altus præceptores, percipiet ea, quæ ſalutis ſunt, quantumuis præ oculis videantur eſſe, niſi de diuini ſpiritus radio præfulgenti. Quò ſpectat illud Oſeæ c. 2. dicentis: *Et loquar ad cor eius, & dabo ei vinitores eius ex eodē loco, & vallem Achor ad aperiendam ſpem.* Ecce tibi quanta promittit Deus ſe daturum populo ſuo, vt erigatur in ſalutis ſpem. Promittit illi vinitores ex eodem loco, hoc eſt, præceptores ex cultiſſima Republica Ieroſolymitana ortos; inſuper promittit vallem Achor, nimirum totam illam tragœdiam ex c. 7. Ioſue petitā, vbi Achor propter anathematis furtum cum omni ſua familia iubente Deo interfectus eſt. Quid clarius ad oſtendendas peccatorum pœnas? Hinc voces fidelis populi, illinc Achoris ſupplicium ob oculos ponitur, & nihilominus vt hęc intelligentiam ſalutis ingerere poſſint, prius illud præmittitur, nimirum, *loquar ad cor eius.* Niſi enim de ſpiritu diuino pulſante, & illuminante corda veniat, nec voces fidelium, nec ſupplicia peccatorum, intelligentiam ſalutis cauſare poſſent. Ait D. Cyril. Alex. ibi: *Perpende autem quomodo, non prius datu ſit ad aperiendam intelligentiam eius vallis Achor, quam loqueretur ad cor eius: nec enim diuina præcepta Iudæorum populus intellexiſſet, nec in typus Chriſti myſterium aſpexiſſet, niſi vt nos, qui credidimus, communione Spiritus ſancti, & ſuperna illuminatione dignatus fuiſſet.* Euidentiſſima repræſentatio erat vallis Achor, vt aperiret intelligentiam eorum, quæ peccatores expectant, & tamen tota illius vallis tragœdia non profuit niſi iis, quorum corda Spiritus ſancti illuminatio tetigit. Vanus eſt, qui intelligentiam ſalutarem requirit in eo, qui non diuini ſpiritus radijs ducitur, ſed maligni ſpiritus tenebris. Syriæ rex cum multa aduerſus Iſraelitas cogitaret, omnia ea perſentiatur regi Iſraelis patere, vnde perſuaſus eſt, in ſeruis intimis ſuis aliquem proditorem eſſe, qui reuelabat hoſtibus ſui cordis ſecreta. Sed admonitus fuit id non proueniſſe à proditore aliquo Syro, ſed à Propheta Eliſæo, qui omnia abſtruſa callens, illa ſuo manifeſtabat regi. Quid tunc Syrus? Ait 4. Regum cap. 6. *Ite, & videte vbi ſit Eliſæus, vt mittam, & capiam eum.* Præclarè huius regis ſtultitiam deprehendit Chryſoſt. quod credens omnia patere Eliſæo, nihilominus iubet requirere de eo, vt iret ad illum comprehendendū. Si tua illi conſilia patefacta vides, cur non vides hoc etiam conſilium de eo comprehēdendo fore, vt illi pateſieret, & abſcederet? Sed mihi credite, qui non diuino, ſed nequam ſpiritu mouentur, in re ſalutis, & ad Deum pertinenti nullam habent intelligentiam. Ait ſapienter in præſenti Carthuſ. *Si rex Syriæ crederet Eliſæum cognoſcere omnia verba à ſe etiam in conclaui prolata, fruſtra miſit ad inquirendum vbi eſſet, tum Eliſæus interim, ſi vellet fugere, poſſet, ſed tanta eſt excæcatio impiorum, vt eum vnum credant, atque conſiderent, non conſiderent aliud, quod ex illo eſt conſequens, ſicut Herodes credidit futurum ſibi à Magis denuntiatum eſſe Chriſtum, in lege, & Prophetis promiſſum, & tamen miſit ad occidendum eum.* Etiam quæ in promptu ſunt, & euidenti educi poſſunt ſequela, ſi ad Dei negotium ſpectant, minimè intelliguntur ab iis, qui ſpiritu nequam mouentur. De ſolo enim Spiritus ſancti radio venit, quod quis habeat intelligentiam, per quam illuminetur circa ſaluti ſuæ conducentia.

Oſea 2. *D. Cyril.* *4. Reg. 6.* *Carth.*

Dan 4 Ad quæ reſpondens Daniel, ait coram Rege: Munera tua ſint tibi, & dona domus tuæ alteri da; ſcripturam autem legam tibi, rex, & interpretationem eius oſtendam tibi. O rex, Deus altiſſimus regnum, & magnificentiam, & gloriam, & honorem dedit Nabuchodonoſor patri tuo. Et propter magnificentiam, quam dederat ei, vniuerſi populi, tribus, & linguæ, tremebant, & metuebant eum: quos volebat, interficiebat: & quos volebat, percutiebat: & quos volebat, exaltabat, & quos volebat, humiliabat. Quādo autem eleuatum eſt cor eius, & ſpiritus illius obfirmatus eſt ad ſuperbiam, depoſitus eſt de ſolio regni ſui, & gloria eius ablata eſt: & à filiis hominum eiectus eſt: ſed & cor, &c.

§. XV.

Ille diuinis percipiendis aptatur, qui mundialia deſpicit.

PRomittit Daniel abſtruſa ſcripturæ illius myſteria à ſe manifeſtanda, & prorſus pandenda, ſed priùs munera contemnit regia. Quippe ait: *Munera tua tibi ſint, ſcripturam autem tibi legam, rex.* De regij muneris contemptu ſcripturæ myſteriis enodandis accedit, maximè enim aptatur diuinis percipiendis, qui mundialia contemnit. De Eliſæo arcana hominum percipiēre, quæ patent ſoli Deo, dicebant homines Syri ſuo regi 4. Reg. cap. 6. *Eliſæus Propheta, qui eſt in Iſrael, indicat regi Iſrael omnia verba, quæcumque locutus fueris in conclaui tuo. Dixitque eis, ite, & videte, vbi ſit, vt mittam, & capiam eum. Annuntiaueruntque ei dicentes, Ecce in Dothaim.* Et quidem Dothaim idem eſt Philoni, quod *derelictio ſufficiens,* in quo oſtenditur, quàm omnia inferiora derelinquebat Eliſæus, vt auris diuinis potiretur. Ad hæc D. Chryſoſt. hom. de Eliſæo, & Syris, ait: *Nullus te, inquiunt, detulit, nullus tua conſilia denudauit: ſed eſt in iſtis Propheta ſanctiſſimus, qui ſi quid cogitaueris; qui ſi quid loqueris, ſcit, & quæcumque occultè diſpoſueris, recognoſcit. Idem illi totum retulit, idem quod diſpoſueras, indicauit. Sedebat namque Eliſæus in monte altior mundo, propior cælo. Sedebat, inquam, in edito, iacentia infra ſe deſpiciens, ſuperna*

4. Reg. 6. *Chryſoſt.*

iam deuotus attendens : nec humano colloquio deditus, qui per precum colloquia Deo fuerat copulatus. Quid non attingat diuinum, qui sic supra omnia mundialia effertur? Qui altior mundo sedet, qui omnia inferiora despicit, iam diuinæ intelligentiæ æmulus omnia perspicit. Minime enim cœlestibus percipiendis te aptum putes, nisi te abstraxeris a bonis, quæ sunt in mundo. Quo spectans clamabat Dominus Cant. 1. *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea.* Circa quæ verba eleganter D. Ambros. fatur lib. de Isaac cap. 6. *Aperi, inquit, mihi, noli aperire aduersario, sed extraneis claude, saeculo claude; neque ipsa foras ad illa materialia prodeas, neque tuum relinquas lumen, & alienum requiras: quia materiale lumen tenebrosam infundit caliginem, vt non videatur lumen vero gloriæ.* Quidquid splendescit in argento, quidquid in auro rutilat, quidquid in mundialibus bonis lucidum est, tenebrosam infundit caliginem; claudendus omnino animus est, ne quid ex mundialibus gustet, & tunc fœliciter diuinis aperitur. Huc adest Habacuc c. 3. inquiens: *Super custodiam meam stabo, & figam gradum super munitionem. Et contemplabor, vt videam, quid loquatur mihi.* Paulò aliter Græcua: *Super custodia mea stabo, & ascendam super petram, & contemplabor, vt videam, quid loquatur in me.* Ecce tibi antequam oculos ad diuina percipienda sustollat, quanta cura & diligentia sese expedit inferioribus his, & mundialibus. Priùs inferiora contemnens altissimam petram scandit, ibique mundo altior, cœlestibus percipiendis se aptat. Ait enim D. Cyril. Alex. ibi: *Sanctus quippe solemne fuit, si oracula à Deo percipere, futurorúmque notitias suscipere vellent, curas, & sollicitudines huius vitæ ab animo remouere quam longissime. atque eo ita vacuo, & custodito velut in speculam, & petram ad eorum considerationem emicare, quæ illis scientiarum Dominus aperire vellet. Depressam enim, & deiectam mentem odit: corda verò terrenis negotiis, & temporaneis cupiditatibus altiora, & in sublime volantia quærit.* Non est illius diuina oracula percipere, qui totus reptat, vt caduca hæc & inferiora capiat. Iis te altiorem, & superiorem ostende, si velis tibi aliquid diuinum appropinquare. Exod. c. 19. *Totus autem mons Sinai fumabat: eò quòd descendisset Dominus Deus super eum in igne.* Expende super quos descendat Dominus, nimirum super altissimos montes, hoc est, super eos, qui ad alta sublati, inferiora mundialium bona nec amant attingere. Quod expendens D. Cyril. Alex. lib. 7. de adorat. ait: *Igitur, quòd in monte descendit Deus, signum perspicuum esse poterit, non illum ad montes abiectissimos venire: neque cum illis habitare solere, qui terrenos, & humi abiectos animos habeant: sed cum eo, cuius animus in sublime conscendat, & quasi verticem excelsum tenens humana despiciat; & ea sola, quæ Dei sunt, spectet.* Sic ibi ostenditur aptus Deo excipiendo, qui se prorsus subtrahit creaturis.

Cant. 1.

Habac.

D. Cyril.

Exod. 19.

D. Cyril.

§. XVI.

Perfecti hominis ingenium illud est, vt suum æstimet lucrum, quod aliis tribuitur.

Ecce in Daniele vna hominis perfectissimi, nimirum Regi dicit, *dona domus tuæ alteri da*, tantùm abest, vt cæteris inuideat, quin potiùs proprio deputet lucro, quod alter accipiat. Hoc vt ingenium est hominis perfectissimi, sic raro visitur in hoc sæculo, videbitur planè in terra viuentium, in fœlicitate sæculi futuri. Quò respiciens aiebat D. Iob cap. 3. *Paruus, & magnus ibi sunt, & seruus liber à Domino suo.* Et mirabar, quòd in futuro regno, vbi tranquillitas summa, vbi nullus locus inuidiæ, nullus tristitiæ, dicantur nihilominus ibi esse parui, & magni. Vbi ergo differentia est parui, & magni, qui fieri potest, vt parui non afficiantur ad maiorum dignitates? Quis tollet à paruis illis desideria maioritatis, & inde ortam tristitiam, si non adipiscantur, quæ concupiscunt? Equidem ibi parui sunt, sed qui perfectissimam hominis rationem possideant, ex quo euenit, quod non inuideant, sed suum lucrum reputent, quidquid in aliis magnum existere vident. Ad hæc D. Greg. lib. 4. Moral. c. 31. *Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa discretio dignitatum: vt quo hic alius alium superat merito: illic alius alium retributione transcendat. Vnde ait: In domo patris mei mansiones multæ sunt. Sed in eisdem multis mansionibus erit ipsa retributionum diuersitas concors: quia tanta vis amoris in illa pace nos sociat, vt quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultet.* Quid perfectius? Fallar, si hominis perfectio vltra possit ascendere, quam quod eò charitatis perueniat, vt sibi acceptum tribuat, quod in alio videt, & quasi de proprio sic lætetur de fratris lucro. Quod vt maximum est, sic in hoc sæculo raro reperitur, reperietur in patria. Ex quo D. Ephrem lib. de Timore Dei, monet: *Promotioni fratrum ne inuideas. Ait enim Scriptura 3. Ioan. 1. Maius gaudium non habeo, quam vt audiam filios meos in veritate ambulare.* Quicquid in aliis videbat profectum, id suum gaudium putabat vir diuinus. Quo spectans illa Cant. 1. aiebat: *Exultabimus, & lætabimur in te:* non solùm de sua, sed de omnium aliorum lætitia, quasi de propria gratularar sibi. Quocirca aiebat D. Philipp. Abb. lib. 1. Cant. c. 15. *Tantus eius amor æmulam, vel pellicem non veretur, nec damnum suum putat, si ad amandum illum altera prouocetur.* Merito perfecta Dei sponsa non damnum, sed lucrum suum æstimat, quod boni in aliis erga Deum intuetur. Vnde Paul. ad Philipp. c. 4. *Itaque fratres mei charissimi, & desideratissimi, gaudium meum, & corona mea.* Et cur illos vocat gaudium suum, & coronam suam, nisi quia, quod ipsi gaudent in Domino, & coronantur, suum deputat? Quo spiritu D. Bern. in Apolog. ad Guillelmum omnium sacrorum ordinum virtutes in sua numerare non refugit. Quippe ait: *Denique requiratur etiam à me, cur cùm omnes ordines laudem, omnes non teneo. Laudo enim omnes, & diligo, vbi piè viuitur in Ecclesia. Vnum opere teneo, cæteros charitate. Faciet autem charitas, vt ne illorum quidem fructu fraudet, quorum instituta non sequor. Plus aliquid dicam. Tu tibi tamen age. Potest autem contingere, quia tu frustra laboraueris: vt autem ego frustra diligam bonum, quod operaris, fieri non potest.* Quid sapientius? Id quod Bern. dicit de virtutibus sacrorum ordinum, puta dictum de omnibus bonis, quæ apparent in proximis, in quibus dum tu per charitatem gaudes, quasi in propriis, eorum tenes lucrum apud Dominum, & quod forte perdit possessor, tu integrum custodis.

D. Greg.

D. Ephr.

Phil. Abb.

Ad Phil. 4.

D. Bern.

§. XVII.

Odiosum facinus Deo, in quo non ratio viget, sed affectuum impetus.

Inde incipit Daniel ostendere, quæ erant Deo odiosa in Nabucbodonosore, nimirum, *quos volebat, interficiebat, quos volebat, exaltabat, & quos volebat, humiliabat.* Nec in exaltatione, neque in humiliatione subiectorum ratione aliqua ferebatur, sed solo impetu voluntatis. Quid turpius in homine? Quid magis Deo odiosum? Sanè omne despicit Deus, imò odit facinus, in quo non ratio præualet, sed impetus voluntatis. Marcus cap. 1. dicit de Ioanne: *Egrediebatur ad eum omnis Iudææ regio, & Ierosolymitæ vniuersi, & baptizabantur ab illo in Iordanis flumine.* Et quod mirere magis, ait etiam de illo Matth. cap. 3. *Videns autem multos Pharisæorum, & Sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum, &c.* Omnis Ierosolymæ nobilitas egrediebatur ad Ioannem, eius baptismum suscipiens, & Ioannes sic dure illos accipit, vt viperas, serpentésque vocet. Cur Ioannes sic odisti eos, qui tam deuotè tuo se submittunt lauacro? Non miror, quod oderit illos Ioannes, quando videbat illos venire irrationali quodam impetu, non ductu rationis agitari. Et ideò post baptisma susceptum ait Ioannis cap. 1. *Miserunt Iudæi ab Ierosolymis Sacerdotes & Leuitas, vt interrogarent Ioannem, tu, quis es? Quid ergo baptizas, si non es Christus, neque Elias, neque Propheta?* Ecce quando interrogant, quando examinant baptisma Ioannis, quando iam omnes illud susceperant, vt pateat, quam cæco impetu, & sine vllo rationis ductu ad illud accesserint, ne miremur quod inde indignationem incurrant. Pulchre D. Chrysost. homil. 15. ibi: *Qui ex ciuitatibus ad Ioannem confluxerant, qui propria damnarant peccata, qui baptizati erant, post baptisma mittunt, qui Ioannem interrogent, Tu quis es? Certe genimina viperarũ, & serpentes, vel si quid hic grauius generatio mala, & adultera, & peruersa, post baptisma Baptistã interrogas, & percontaris? Quid hac stultitia stultius? Quomodo eum conuenistis? Quomodo peccata vestra confessi estis? Quomodo ad baptisma cucurristis? Hæc omnia à vobis temere, & sine ratione facta sunt, cum neque principium, neque fundamentum intelligatis.* Vipera est, serpens est ille, quem non ratio, sed temeritas rapit voluntatis. Tunc equidem euidentius ostenderunt Ierosolymitani principes, quam bestialiter agerent, quàm instar serpentium repearent, cum sine examine, sine ductu rationis, sed solo impetu tanta faciunt propter Ioannem ad ripam Iordanis. Et cur non offendant, qui nulla ratione ducuntur, quando multum placet, qui in suis semper nititur ratione? Chananæa illa fœmina, dum se à Iesu repulsam tanquam canem sentiebat, sic instat Matth. 15. *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt*

Marc. 1.

Ioan. 1.

Chrysost.

Matth. 15.

cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens Iesus, ait illi, O mulier, magna est fides tua. Quid miratur in hac muliere Dominus, quid in illa laudat? An adeò mirabile, & laudabile est, quod mater pro filia quærat Saluatorem? Quæ mater filio infirmanti, & precibus, & nutibus, & sollicitudine non quærit curatorem? Quid ergo in hac peculiariter laudabile? Id crediderim præcipue placuisse in hac fœmina, quod ratione præmissa filiæ curationem extorquet. Ait Chrysostom. hom. 17. ex varijs in Matt. *Propterea, inquit, Deus laudo constantiam eius, laudo fidem, quia intricata permansit, & ratione extorsit.* Meritò placet mulier, quæ vel ad salutem filiæ obtinendam, præmittit Domino rationem. A qua vt abhorruit Herodias, sic iustissimam Dei incurrit indignationem. Ait enim ad Herodem Matth. 14. *Volo, vt des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ.* Expende illud, *volo,* & expauesce potentium tribunalia, in quibus non ratio aliqua, sed voluntas proponitur. Ibi D. Chrysost. hom. 49. *Vides impudentiam puellæ, vides à diabolo penitus ipsam detineri? Nec causam petitionis vllam affert, sed absque ratione alienorum calamitatibus honorari contendit.* Non mulier, sed diabolus erat, quæ nulla ratione, sed solo voluntatis impetu ferebatur in Ioannis destructionem.

Chrysost. — *Matth. 14.* — *Chrysost.*

Dan. 5. Tu quoque filius eius Balthassar, non humiliasti cor tuum, cùm scires hæc omnia, sed aduersus dominatorem cœli eleuatus es, &c.

Ideò à Deo missus est articulus manus, qui scripsit hoc, quod exaratum est. Hæc est autem scriptura quæ digesta est: MANE, THECEL, PHARES. Et hæc interpretatio sermonis: MANE, numerauit Deus regnum tuum: & compleuit illud. THECEL: appensus es in statera, & inuentus es minus habēs. PHARES: diuisum est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis. Tunc iubente rege indutus est Daniel purpura, & circumdata est torques aurea collo eius, & prædicatum est de eo, quòd haberet potestatem tertius in regno. Eadem nocte interfectus est Balthassar rex Chaldæorum. Et Darius Medus successit, &c.

§. XVIII.

Vnde sacrilegium, inde firmissima gignitur pœna sententia.

CVm dicitur manus articulus *scripsisse hoc, quod exaratum est;* Albertus Magnus, & Carthusianus non ad simplicem scripturam, quæ cum atramento fit, referunt, sed ad eam scripturam, quæ per scissionem, qualis excauatis lapidibus solet fieri. Et quidem manus illa non colorans, sed excauans lapides apparebat è pariete egressa cœnaculi, in quo sacris prophanatis vasis peragebatur tantum nefas. Et quas pœnas non parturiat tam nefarij facinoris arena? Notanter dicebat Arabicus Alexandrinus: *Egressi sunt digiti manuum è pariete contra lucernam super calice.* Reponebantur vasa sacra profanata in abace aliqua constituta è regione discumbentium. Quid tunc? Qui supereminebant lapides parietis iis vasis, & calicibus, ab illa manu excauari cœperunt, & haud facilè delebilem præsentibus sententiam proferre. Sic indelebiles pœnæ notæ excudi solent ibi, vbi culpæ suos accipiunt progressus. Ait Ieremias cap. 17. *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo, vngue adamantino, exaratum super latitudinem cordis.* Sunt, qui in præsenti non solùm peccatum Iudæorum, sed & apertissimas pœnarum meritarum notas sculptas velint in cuiuscumque eorum pectore. Et fallar, si sint marmores clariorem in se & diuturniorem scissam, & insculptam referentes scripturam, quàm Iudæorum pectora & nefandissimi sceleris sui, & luctuosissimi supplicij notas referunt. Et hæ notæ meritò sculptæ sunt non in alio marmore quàm in Iudæorum pectore, ipsa enim officina nefarissimi operis, debet & funestam ostendere pœnæ sententiam. Aiebat enim ad hæc S. Ambr. lib. 5. epist. 32. *Scripta est Iuda culpa tua graphio ferreo, & vngue adamantino, & scripta in pectore tuo, hoc est, ibi scripta, vnde processit.* Nullus marmor, nullus silex possit diutius ostendere, quid crimine suo meruerint Iudæi, quàm proprium eorum pectus, ex quo tantum nefas processit. Quod solum pectus potuit tantum fabricare scelus, id ipsum potest tandiu illorum miseriæ notas apertissimas, & clarissimas referre. Crede mihi, inde veniunt notæ supplicij, vnde culpa habuit originem. Cantatissimus est ille vir Dei, qui iussus est a Deo non comedere, neque bibere in Bethel. Hunc conuenit pseudo-Propheta, & multis persuadet, se ex Deo percepisse præceptum illud de non edendo fuisse solutum. Quid tunc? Accipite ex 3. Reg. 13. *Fefellit eum, & reduxit secum. Comedit ergo panem in domo eius, & bibit aquam. Cumque sederet ad mensam, factus est sermo Domini ad Prophetam, qui reduxerat eum. Et exclamauit ad virum, qui venerat de Iudæa dicens: Hæc dicit Dominus, quia non obediens fuisti ori Domini, & non custodisti mandatum, quod præcepit tibi Dominus Deus tuus, & reuersus es, & comedisti panem, & bibisti aquam in loco, in quo præcepit tibi, ne comederes panem, neque biberes aquam, non inferetur cadauer tuum in sepulchro patrum tuorum.* Sanè qui hæc omnia dicebat pseudo-Propheta erat, & vir pessimus, cur ergo Deus in eius ore posuit tot veritatis verba de imminente calamitate hominis Dei? Cur non magis ipsi homini Dei locutus est Dominus per se? Vel cur non quæsiuit alium verum Prophetam, qui hæc loqueretur? Planè vt verba erant pœnæ, & supplicij, in nullo ore melius ponerentur, quàm in ore illius, in quo fuerat incitamentum ad scelus. Quippe ait D. Greg. Papa in Glossa: *Bene autem ore eius sententiam mortis accipit, cuius reductione à vita præceptis deuiauit, vt inde pœnam veraciter sumeret, vnde culpam negligenter admisisset.* A nullo certius pœna egreditur, quam ab eo ipso, à quo exiuit occasio, vel causa culpæ.

Arab. Alex. — *Ierem. 17.* — *S. Ambr.* — *3. Reg. 13.* — *D. Greg.*

§. XIX.

Peccata parentum in filijs conseruata extremam afferunt ruinam toti familiæ.

MAximè notandus est Danielis sermo, qui vocatus ad interpretandam scripturam; funestæ significationis illius causam proponit, & meminit superbiam, & Nabuchodonosor, & eius supplicium, & pœnitentiam. Deinde Balthassaris peccata meminit, aiens: *Tu quoque filius eius Balthassar non humiliasti cor tuum, &c. Idcirco à Deo missus est articulus manus, qui scripsit hoc.* Sed quando de Balthassare solùm dicitur, quòd vt pater eius, non humiliauit cor suum, cur maiora illi supplicia exhibentur? Nabuchodonosor non humiliauit cor suum, & supplicium salutare percepit, quo pœniteret. Balthassar quoque filius eius non humiliauit cor suum, & ideo sententia illi decernitur calamitatis extremæ. Et cur Balthassaris superbia imputatur illi ad maiorem pœnam? Sanè superbia, & quæuis alia scelera parentum, quæ in filijs conseruata videntur, frequentissimè solent extremam ibi ruinam inferre. Huc spectat illud Ieremiæ cap. 17. *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo, in vngue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum, & in cornibus ararum eorum. Cùm recordati fuerint filij eorum ararum suarum.* Equidem scriptum erat peccatum Iudæ, vt pro illo pœna inferretur; sed quousque scriptum erat ad pœnam? Quando daturum erat illud peccatum debitas pœnas? Ait: *Cum recordati fuerint filij eorum ararum suarum*, ecce tibi tempus, & occasio castigandi, destruendique familiam vniuersam, nimirum, quando filij recordantur peccata paterna, vt similia perpetrent. Ait Hugo Cardinal. *Hæc est causa, propter quam destruentur, quia scilicet recordabuntur filij ararum suarum, vt in eis sacrificent.* Itaque tunc ira Dei acuitur, tunc destructio ex Deo venit, cùm in filijs apparent conseruata ipsa peccata parentum. Cui adstipulatur ibid. D. Thom. aiens: *Diuitias tuas, & thesauros in direptionem dabo, cùm malitia tua ita consummata fuerit, vt filij patres imitentur, in omnibus locis idola colentes.* Expectat Deus in parentum peccatis, an ibi subsistant, vel an ad filios, & nepotes pertranseant, cùm autem videt ea, & in filijs durare, & in nepotibus, tunc absque mora indignationem exacuit. Quod respiciebat illud Exod. 20. *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, & zelotes visitans iniquitates patrum in filios in tertiam, & quartam generationem.* Quid est, visitans peccata patrum in filios? An quòd filij propter parentū peccata, & non sua puniantur? Absit, non sic durus est Deus, vt puniat immerentes propter

Ier. 17. — *Hug. Card.* — *D. Thom.* — *Exod. 20.*

propter aliorum debita, sed visitat peccata parentum in filiis, hoc est, expectat, antequam parentes puniat, an illa peccata transeant ad eorum progeniem, vbi autem peccata parentum durare in filiis videntur, tunc vindictæ gladium aduersus illos Dominus exerit. Ad hæc D. Hieron. in Cat. Lippom. ait: *Non enim puniuntur in tertia, & quarta generatione, quia deliquerunt patres eorum, cùm patres potius, qui fuerunt peccatores, puniri debuerint, sed quia patrum extiterunt æmulatores, & oderunt Deum, hæreditario malo, & impietate in ramos quoque de radice crescente.* Quæ in parentibus longanimiter Deus dissimulabat peccata, expectans eos ad pœnitentiam; vbi cernuntur propagari in filios, dum filij eadem peragunt, iam tunc in illa ira Dei suas vires exercet. Hinc Exod. 32. dum populus absente Moyse ageret in deserto, vitulum effecit, cui adoleuit incensum, statim autem Moyses descendit, & de Dei instinctu iussit peccatores percuti, *Ceciderúntque in die illa quasi triginta millia hominum.* Quid seuerius ob adorationem vituli? Et quidem Israelitæ dum apud Ægyptios viuerent, sæpe eorum adorauere idola, sæpe Apis bouem in honore habuerunt, & non sic atrociter occisi sunt, sed multi eorum in pace mortui fuerunt. Cur modò magis irascitur Deus in eos? Videbatur modo parentum idololatria ad filios serpere, & ideò Deus, qui primos expectauit ad pœnitentiam, hos statim delet. Ait Diodorus in c. 20. Exod. apud Lipp. *Idololatra in Ægypto fuistis, id tamen aliquam excusationem habet, propterea quod illis commiscebamini, nunc verò ab illorum erroribus liberati, miranda aduersus Ægyptios vidistis. Si igitur post hac idola colueritis, patrum vestrorum peccati pœnas vobis infligam, neque enim peccatum illorum pœnas expenditis, sed in eisdem peccatis existentes, instas pœnas exoluetis, neque enim par est, vt vobis, quemadmodum & illis parcam.* Non equidem Deus ita mansuetè se habet erga filios, in quibus videt regnare peccata parentū. Quis nesciat impiissimum Ieroboam? Et tamen de eius morte locutus textus 3. Reg. 14. *Dormiuit Ieroboam cum patribus suis, regnauitque Nadab filius eius pro eo.* Sic quietè, & tranquillè primus ille, qui apostatare fecerat Israel, in mortem deuenit, relinquens filio suo regnum. Sed accipe de filio eius cap. 15. *Nadab, filius Ieroboam regnauit super Israel, &c. Et fecit quod malum est in conspectu Domini, & ambulauit in viis patris sui, & in peccatis eius, &c. Insidiatus est autem eum Baasa filius Ahia de domo Issachar, & percussit eum, &c. Cumque regnasset Baasa, percussit omnem domum Ieroboam, non dimisit nec vnam quidem animam de semine eius.* Ecce tibi Ieroboam tranquillè moritur; & filius eius percutitur à rebelli seruo, & cum omni familia, & stirpe perit. Et quando pater peccati author tranquillè moritur, cur filius sic atrociter perit? Ait textus: *Ambulauit in viis patris sui:* quod sustinuit Deus in parente peccatum, id noluit sustinere, vbi in filio similiter fuit inuentum, sed ibi iustissimæ iræ suæ acerbitatem ostendit.

D. Hier. — Exod. 32. — Diodor. — 3. Reg. 14.

§. XX.

Inhumanæ menti nunquam non horrendum est, quòd de suis bonis aliquid sit dandum.

IN tribus vocibus clauditur totum Balthassaris supplicium, nimirum: MANE, THECEL, PHARES: & iuxta Glossam; primum pertinet ad terminationem regni, quando numerus eius adimpletus ostenditur. Secundum pertinet ad terminationem vitæ Regis, quæ tanto minus habens inuenta est, quanto celeriùs amputanda erat. Tertium pertinet ad translationem regni, ait enim, *Diuisum est regnum tuum, & datum est Medis.* Sed quando Rex audierat se statim interimendum, ad quid vlteriùs additur regnum eius Medis dandum? Quid regi occidendo interest, quòd regnum detur alij post eius occisionem? Sanè inhumana mens nunquam non atrociter feritur ad vocem dandi, quod vt morte horribilius magis timet. Sapienter dicebat D. Zeno ser. de triplici tentat. *Inhumanum propositum impartiendi cuiquam causam nullam idoneam putat.* Qui inhumanus est, nullam causam, nullam occasionem ex omnibus, quæ accidere possunt, putat idoneam, vt aliquid de suis dandum sit. Nec etiā causa mortis putat sustinendum, quòd aliquid detur. Innumeri sunt quotidie qui nec causa infirmitatis propriæ, nec calamitatis communis, nec affinitatis, nec amicitiæ, nec cognationis adduci possunt, vt non exhorreant ad vocem largiendi. Imò in ipso mortis articulo constituti, quando necessariò omnia dimittenda sunt, sic stupent, & percutiuntur ad largiendi verba, vt testamenti condendi facultatem extraneo alicui committant, ne ipsi cogantur dicere, mādo hoc, vel illud post mortem, aut amico, aut affini. Sic inhumanas mentes quatit verbum, quod largitionem significat. Non me tempero, quin huc adducam diuitem illum purpuratum de quo ait D. Luc. 16. *Eleuans autem oculos suos cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius, & ipse clamans dixit. Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Nunquam non miratus sum in hoc homine, quòd cùm tam multus sit in petendo, in promittendo, & offerendo prorsus sit nullus. Equidem morale est omnibus hominibus in calamitate aliqua constitutis, multa promittere, multa offerre, si eripiantur, multisque votis, & donis exhibitis, & eleemosynis, & peregrinationibus niti comparare euasionem, & salutem. Hic autem homo in tormentis est atrocissimis, quorum aliquale leuamen contendit, & vehementer clamat pro illo, & de præstanda aliqua re prorsus silet. Quando, miser, clamas, vt petas leuamen, cur non etiam clamas, vt vota exhibeas, vt aliquid offeras, aliquid etiam largiaris in tanta causa tua? Pulchrè ait Chrysol. serm. 122. *Quid clamas, adhuc diues? Adhuc diues, sed crimine, non censu. Adhuc diuitem malitia non deserit, quem iam possidet pœna, qui non se ad Lazarum duci postulat, sed ad se Lazarum vult deduci.* Vel in tormentis positus adhuc implet personam diuitis, cui æreum pectus est, qui clamare nouit pro habendis bonis, pro trahendis ad se cunctis, & cauet, & timet vel verbulum proferre, quod ad dandum, ad exhibendum aliquid pertineat. Inhumanus animus nullam causam impartiendi idoneam putat, nec illam, qua liberaretur à tormentis summis, imò vel in iis constitutus expauet ad impartiendi vocabulum, velut ad rem importabiliorem tormentis cunctis.

D. Zeno. — Luc. 16. — Chrysol.

§. XXI.

Carnales peccatores etiam post vitam carnalibus relictorum affectibus torquentur.

OCcidendo statim Regi illud etiam pro maxima pœna dicitur; *Diuisum est regnū tuum, & datum est Medis, & Persis.* Et quantulus hic erat dolor Regi morituro, quòd post eius fata regnum ad extraneos veniret? Sane impios non deserunt vnquam pessimi affectus carnales, sed quibus sollicitantur in mundo, eisdem magis torquentur in inferno. Erit impiissimos quosque tenet affectus carnalis æternandi regni in filiis, & cognatis, eodem affectu vel inter flammas exardescunt, stridentes de regni amissione in suis. Cùm erat in tormentis diues ille purpuratus, Luc. 16. clamabat ad Abrahamum. *Rogo te pater, vt mittas Lazarum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.* Ecce tibi vt miser hic in tormentis erat, in inferno erat, & tamen ibi angebatur cognatorum, & fratrum sollicitudine. Qui enim carnalis affectus, & prauus pro cognatione fuerat in vita, idem illum comitatur in pœnis ad maiorem pressuram. Nissenus in Cat. Diui Thomæ: *Lazari quidem animus non est erga præsentia solicitus, nec retorquet se ad aliquod relictorum. At diues quasi quodam visco etiam post mortem à vita detinetur carnali. Nam si quis omnino carnalis secundùm mentem fiat, nec postquam corpus exuerit, remouetur à passionibus eius.* Comitantur impios etiam in inferno carnales affectus, vt torqueantur ad relictorum vices, & exardescant eisdem passionibus carnalibus, quibus in vita. Huc trahi potest nurus Heli, quæ vbi prægnans audiuit captionem Arcæ, & soceri mortem, inter partus dolores animam agebat. Quam vt solarentur fœminæ adstantes, 1. Reg. 4. *In ipso momento mortis dixerunt ei: Ne timeas, quia filium peperisti. Quæ non respondit eis, neque animaduertit, & vocauit puerum Ichabod, dicens; Translata est gloria Domini Dei Israel.* Ecce tibi morienti fœminæ qui singultus, qui gemitus sunt, nimirum pro translatione Sacerdotij à filiis suis ad alios. Diuus Greg. lib. 3. ibi capite 8. *De nato filio lætari refugit; quia dum ad gentes transisse præterit im gloriam conspicit, ad captiuitatem se parere ingemiscit.* Vtinam moribunda fœmina magis solicitaretur de propria salute, sed vt semper carnali filiorum prouentui studuerat, sic vel inter ipsam mortis falcem, nil magis ingemiscit, quàm quòd gloria Sacerdotij eripienda sit filiis, & ipsi mansuri sint captiui.

Luc. 16. — Nissen. — 1. Reg. 4. — D. Greg.

§. XXII.

Perfectorum virorum est ad leuamina aliqua vitæ descendere, vt proximis sint saluti.

QVi cibos regios tam anxiè deuitauit, & solis curauit viuere leguminibus, Dan. capite 1. & alibi, modò non sic refugit regios honores, non sic refugit vestiri regia purpura. Ait enim textus: *Tunc iubente rege, indutus est Daniel purpura, & circumdata est torques aurea collo eius, &c.* Et cur sanctus vir, qui dapes regias fugisti, non magis refugis & purpuram, & regium munus? In purpura, & munere regio poterat Daniel multum prodesse populi sui saluti, & perfectorum est virorum in ea vitæ temporalis leuamina descendere, quibus proximo proficiunt. Ad hæc Lyra in caput 5. Danielis fatur: *Arguit Porphyrius, quòd sanctus Daniel non accepisset talem honorem à Rege infideli. Ad quod dicendum, quòd Porphyrius ignoranter loquitur, quia Ioseph sanctus similia à Pharaone accepit, & Mardochæus ab Assuero. Considerandum autem quòd talem honorem accepit Daniel, & isti à regibus infidelibus non ex ambitione honoris, sed ad consolationem populi sui, & ad honorem Dei.* Vbi autem populi sui consolatio, & releuatio sperabatur, non refugiebant viri sancti in vestibus mollibus & splendentibus, regum solijs præsidere. Quis enim vir sanctissimus, & perfectissimus non sciat à vitæ austeritate supersedere, & aliqua leuamina assumere, vt proximorum saluti auxilium possit præbere? De Iesu totius sanctitatis magistro dicit Lucas cap. 9. quòd transiret per Samariam, *& non receperunt eum, quoniam facies eius erat obfirmata, vadens in Ierusalem.* Itaque quia ipse firmiter, & irreuocabiliter ibat Ierosolymam, non acquieuit, vt à Samaritis reciperetur, quin potiùs in eorũ animis illum affectum permisit, quo excluderent eum. Et cur sic curauit excludi à Samaritis? Properabat passionum rigores sustinere, & si reciperetur à Samaritis, à toto illo adeò desiderato passionis rigore aliquanto supersederet, vt Samaritis præsto esset. Sic enim amabat hominum salutem, vt propter illam, si necesse esset, in longius tempus passionis rigores dimitteret. Ait Diuus Hieronymus ad Algasiam quæst. 5. *Vt enim non reciperetur Samaritis, fuit Dominicæ voluntatis, quia festinabat ire in Ierusalem, ibique pati, & sanguinem fundere, ne occupatus susceptione Samaritica, & doctrina gentis illius, passionis differret diem.* Erat equidem Iesu maximè in optatis asperitas, & districtio passionis, nimirum & verbera, & nuditas, & amaritudo, & dolor, & alia illius temporis terribilia, quæ tamen differret, si necessum esset incumbere alicuius populi vtilitati, & doctrinæ. Hinc Psal. 18. *Exultauit vt gigas ad currendam viam suam* de aduentu filij Dei in mundum dicitur. At Ioan. 4. *Fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem.* Cur Domine sedes? Nonne ille es, qui exultasti, vt curreres totam viam tuam? Quis te fecit cursum remittere, & leuamen sessionis admittere? An id fecit fatigatio ex itinere? Absit, magis credo Dominum sedisse super fontem, vt mulieris Samaritanæ vacaret saluti, & doctrinæ, vna enim hominis vtilitas faceret, vt Deus viæ de contentione suæ remitteret, sessionis leuamen admittens.

Lyra. *Luc. 9.* *D. Hier.* *Psal. 18.* *Ioan. 4.*

§. XXIII.

Diuina iustitia vtitur regibus alijs, tanquam carnificibus ad puniendos alios.

NOn multa mora interfuit, & Balthassar interfectus est, dicente Scriptura: *Eadem nocte interfectus est Balthassar rex Chaldæorum. Et Darius Medus successit, &c.* Sic tyrannus sustinet & rabiem alterius tyranni, & alijs regibus aduersus alios vtitur Deus. Accipite ex 3. Reg. 17. *Regnauit Ela filius Baasa super Israel in Thersa duobus annis, & rebellauit contra eum seruus suus Zambri dux mediæ partis equitum. Irruens ergo Zambri percussit eum, & occidit eum, &c. Ascendit ergo Ambri, & omnis Israel cum eo de Gebbethon, & obsidebant Thersa. Videns autem Zambri, quod expugnanda esset ciuitas, ingressus est palatium, & succendit se cum domo regia, &c.* Ecce tibi vt quilibet tyrannus truciorem alium inuenit, sub quo diuinæ iustitiæ pœnas luat. Id quod notans Theodor. quæst. 46. in præsenti, sapienter inquit: *Percussit Baasa totam domum Ieroboam: filius eius à Zambri fuit interfectus, & destructa tota domus Baasa. Zambri obsessus ab Amri cum domo, in qua degebat combustus decessit. Per hoc nos docemur, quod eos, qui vitam agunt in sceleribus, & flagitijs, Deus per se inultum punit, & sceleratum tradit sceleratiori, eis vtens tanquam quibusdam lictoribus.* Hoc est, quod passim cernitur in arena mundi, videbis, quòd occiso vno, alius & locum, & thronum accipiat, sed statim hic ipse alterius cadit transuerberatus spiculis. Fugiebat Dauid ad mortem quæsitus, & pene eiectus à viuis, & regnabat Absalon eius tyrannus; sed statim iste suspensus ligno, Ioabi lanceis transfigitur; nunc & parum post Ioab eundem exitum sustinuit. Rem eleganter ponderat D. Chrysost. Psal. 3. inquiens: *Absalonis scelus non est ad finem vsque processit. Cum autem tanquam lictor deseruisset, interfectus est, vt qui esset damnatus, & quemadmodum, quæ sunt in theatris belluæ alios quidem inuadunt, ab alijs verò interficiuntur, ita etiam Absalon Dauidem aggressus, à Ioab occisus est.* Nec Ioab liber euasit ab arena mundi, quando & ipse per Salomonis imperium interfectus occubuit. Eadem enim semper apparet iustissima Dei prouidentia, quæ sceleratos homines, quasi belluas in theatro huius mundi permittit, vt sese mutuò conficiant, & nullus sit, qui in sceleratioris manu pœnas suæ tyrannidi debitas effugiat. Quò respicit illud Ecclesiastæ c. 5. *Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia, & subuerti iustitiam in prouincia, non mireris super hoc negotio quia excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij.* Nullus est, qui tandem non cadat sub fortiori alio, ex quo fuerunt in mundo tyranni. Vt dicat Ierem. c. 30. *Omnes, qui comedunt te, deuorabuntur & vniuersi hostes tui in captiuitatem ducentur: & qui te vastant, vastabuntur: cunctósque prædatores tuos dabo in prædam.* Sic ibi.

3. Reg. 17. *Theod.* *Chrysost.* *Eccles. 5.* *Ierem. 30.*

CAPVT III.

Daniel apud Darium.

Textus Historia.

NVNQVAM non Daniel inter regni primores egregius; iam semel sub Nabuchodonosor in somnij reuelatione, & iterum sub Balthassare in scripturæ explicatione ornauerat patriam, & thure & auro. In paucis etiam Dario charus, vnus è tribus, qui recrudescentem regnandi molem regi decoquerant. Sed vnicus, qui mentis perspicacia, & summa dexteritate in negotijs tractandis regium palatium saporabat. Iam iam super omnes à rege constituendum cœpit inuidia lacinare. Summo studio offensionis in eo causa quærebatur, sed citiùs in scirpo nodus, quam in Daniele à Persis inueniretur macula. Quid faceret inuidia aduersus inculpatum? Regium animum eò adducit, vt legem ferat, qua cauetur, ne quis intra triginta dierum spatium preces fundat alteri, vel Deo, vel homini, quàm Dario. Non latuit iniqua lex Danielem; sed nec Danielis religiosus animus latuit aduersarios, qui insidiantes viro, etiam dum domi clauditur, ter orantem in die apertis fenestris versus Ierosolymam deprehendunt, Regem festinatò adeunt, strictissimæ legis seueritatem recolunt, Danielem reum narrant ad omnia verba horrenti, & tota die nitenti ab iniqua accusatione amicum incolumem reddere. Nihil profecit regius conatus pro homine inuidioso principibus, qui tandem nactus Regem apud Deum, & homines oratorem, famelicis leonibus fuit obiectus. Caueæ ostium, post intromissum Danielem, obsignat Rex, ne quid liceret hominibus inuidis aduersus virum, si fortè nihil feris liceret. Quippe Rex præsagiebat tantam Danielis virtutem, vt erat hominibus inuidiosa, sic fore reuerendam feris. Nec fallitur regia præsumptio, quin potiùs Rex, & à cœna, & somno alienus multo mane consurgens ad caueam accessit, crebroque gemitu vocem inflectens Danielem vocare cœpit. Proh Deus immortalis, & omnipotens! Rex luctuosus Danielem vocat, Daniel autem inter famelicos leones alacer, & lætus Regi respondet, incolumitatem suam grata voce testatur ex Deo, qui potuit à fideli seruo ora leonum concludere. Exultat Rex gaudio, præcipitesque mittit ministros, qui Danielem educant; eductúmque dum miratur incolumem, prosilientem non cohibet iram in accusatores. Iam ij tremebundi adstabant, qui vix de imperio Regis immissi sunt caueæ, & antequam pauimentum attingerent, vorati apparuerunt à leonibus. In tanto Dei facinore raptus Darius fuit in diuinæ potestatis admirationem; quam datis literis testatam facit omni suæ ditioni,

vt

vt nemo sit, qui altissimum Danielis Deum non vereatur, & colat.

Veri Dei cultor Darius nondum annum impleuerat, & decedens è viuis Cyrum reliquit imperij successorem; cui in primis Daniel & charus, & geminatus conuiua assidebat. Vnum est, quod Cyrus in Daniele suo desiderat, nimirum, cultus Belis. Cantatissima ex ære statua vocabatur Bel, cui quotidianæ dapes apponebantur à populo credente ab æreo idolo posse dapes consumi. Ridet sæpe Daniel apud Regem Belis edacitatem, sed magis eius cultoribus irridet, qui credant mortua metalla posse egere cibo. Risus venit Danieli in capitis discrimen, si eiectis è templo Sacerdotibus, & clausis ianuis, annulóque regio munitis, nihilominus dapes Beli appositæ appareant consumptæ. Videres sacerdotes cum omni familia sua lætissimos à templo exire, vt in eorum discessu euidentiùs pateret Dei sui gula. At, dum ipsi discedunt, Daniel totum templi pauimentum spargit cinere, annuente Rege Danielis astutiæ: qui & templum obserat, & in regiam abit expectaturus matutinum.

Igitur primo mane & Rex, & Optimates, & Daniel in templum festinant, & signaculis reseratis adstupet Rex Belis viuidissimam virtutem, cuius gustum vacuatæ mensæ monstrabant testatissimum. Iam ingredi properantem tenet Daniel in limine, orans vt verrat oculos priùs ad pauimenti vestigia; erant enim & puerorum, & virorum & mulierum quamplurima impressa cineri. Regem abstulit vestigiorum aspectus: & candens ira trahi iubet vniuersos idoli mystas, quorum ab ore didicit ostiola furtiua sub aris, vnde nocturno silentio egrediebantur, cibos ibi appositos consumpturi. Sic qui propter edacitatem colebatur Belus, contemnitur cùm ieiunat, & omnes eius mystæ, fraudis pœnas luentes capite plectuntur.

Belis vacuatis templis, non vacoatur Babyloniorum nefanda religio, non solum penes æreas imagines, sed & penes immanissimas belluas cantatissima. Draco aderat eò insipienti populo venerabilior, quò horribilior aspectu, cuius aris nitebatur Cyrus præclarissimum Danielem subiicere. Non est, inquit, cur detrectes adorare hunc, quem plenum numine horror sacer ostendit, & quem viuere tu ipse Daniel vides. Vnum mihi, respondit, venerationi nomen est & viuens, & æternum viuens, cæterorum vitam non æstimo, quam ego, dum per te liceat, Rex, inermis absumam. Et dicto citius massam ex pilis, adipe & pice confectam belluæ obiecit, qua immanissimus draco protinus disrumpitur. Ad draconis casum, popularium, procerúmque turba periculosissima immaniter detonuit. Regem vecordes impetunt, & ni Belis, draconisque interfector Daniel in eorum manus tradatur, feralissimam minantur internecionem. Hæc vna fuit Regi salutis via, quòd passus est Danielem immitti leonibus. Iterum in cauea errat sanctissimus Propheta, iterum securus agebat inter leones, quibus, licèt negata erat consueta annona, tamen non defuit reuerentia erga tantum veræ religionis propugnatorem. Cui etiam præsentissimum affuit cœli numen, raptus enim Abachuc ab Angelo, quod prandium in Iudæa portabat messoribus, illud Danieli exhibuit in cauea Babylonis. Iam septima dies ostentabat victum tot ferarum, tot certaminum triumphatorem, quem vbi Rex cognouit incolumem, à cauea eripit, & auidè expectantibus feris tradit omnes illius persecutores. Sic Daniel Regum fauoribus, diuinis prædictionibus, multáque virtute conspicuus vixit, & tandem annosa senectute confectus, decessit è vita, manétque Babylone sepultus.

PARS PRIMA.

Iesu, & Danielis symbola.

VIDIMUS & thure, & auro à Regibus Danielem exornatum; nec defuit illi ornamentum myrrhæ, vt enim myrrha Iesu mortalitatem, & passionem ostendebat mundo, sic & Daniel passionis gustat myrrham, quoties apud Darium, & Cyrum persecutores sustinet, à quibus & famelicis leonibus obiicitur.

§. I

Regius splendor, & in Daniele, & in Christo index passionis, & mortis.

DVm Daniel purpura ornatur, & auro, non pauca discrimina capitis patitur; ait cap. 6. *Rex cogitabat constituere eum super omne regnum, vnde & Principes, & Satrapæ quærebant occasionem, vt inuenirent Danieli ex latere regni.* Et simul regius splendor Danieli parabatur, & occasio illi lethalis quærebatur. Et quando regio splendori mortis discrimina non imminent? Iesum puerulum inter ipsa auspicia vitæ Reges Sabæi muneribus ornant, Matth. 2. *Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Post thus, & aurum, statim offertur myrrha, vt enim in auro puerum regium, sic in myrrha moriturum ostendunt. Nunquam non annexa mors venit splendori regio. Pulchrè ait Diuus Chrysol. serm. 5. de Epiphan. *Magus dum credit Deum, sentit Regem, intelliget humani generis amore moriturum.* Simul in Iesu apparuit aurum, & myrrha, simul vt in auro regius eius animus ostēsus est, & in myrrha claruit, quod moriturus erat. Nunquam enim in Iesu nō simul fuerunt & regius splēdor, & quod moriturus esset. Hinc dum in eius typo Dauid rex inauguratur, adhuc paruulus, adhuc puerulus dicitur. 1. Reg. 16. *Erat autem Dauid rufus & pulcher aspectu.* Quid necesse fuit in regni inauguratione notari puerū esse rufum? Sanè rufus color sanguinem notabat, cuius profusio annexa erat inaugurationi nostri summi regis Iesu Christi. Ait Rup. lib. 1. Reg. cap. 16. *Quòd rufus erat Dauid, imaginem pastoris illius prætendebat, pastoris qui animam suam pro ouibus suis posuit. Nam & iste rectè rufus dicitur, non alieno sanguine, sed proprio: quemadmodum Zacharias testatur: Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua. Inde pulcher aspectu spiritualibus Prophetæ oculis cognosci potuit, quod ipse esset, quem regem futurum præparatrix iam præparauerat Dei gratia.* Ex nullo clarior apparet regius splendor, quàm ex adiuncto profundendo, vel profuso sanguine. Vt Rex es, sic ad sanguinis profusionem vocaris, vt sub auro regio fulges, sic tibi passionis myrrha adest. Hinc est, quòd Iesus post panum multiplicatorum miraculum, regnum oblatum declinauit, ait enim Ioann. cap. 6. *Iesus ergo cùm cognouisset, quia venturi essent, vt facerent eum regem, fugit iterum in montem, &c.* At circa vltimam celebrationem Paschæ, iumento vectus sese Ierosolymitanis ingerit, eósque excitat, vt regnum eius assererent, Regémque voluit se omnibus ostentare. Ait enim Matth. 21. *Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi, mansuetus, & humilis, sedens super asinam, &c.* Tunc vel regni cogitationem fugit, modò rex amat ab omnibus proclamari, & regali triumpho vult Ierosolymam intrare. Cur modò quem fugiebat, resumit regium splendorem? Amabat iam mori, nolebat dilatare passionis horam, & ideò sub regio splendore apparet, vt quæ necessario adiuncta foret mors, & passio. Pulchrè Diuus Bern. serm. 3. in Ramis palmarum, fatur: *Sanè venturas aliquando turbas, vt raperent, & eum Regem facerent, fugisse legitur declinasse. Nunc verò etiam non quæsitus affuit, vt tanquam Rex Israel susciperetur, & prædicaretur ab eis, quin etiam in hæc ipsa præconia eorum animos excitauit. Et hæc quidem præparatio ad passionem fuit, excitata hinc maximè inuidia Sacerdotum.* Sic semper regio splendori adiunctum est discrimen sanguinis.

Matth. 2.

Chrys.

1. Reg. 16.

Rupert.

Ioan 6

Matt. 21.

D. Bern.

§. II.

Daniel è discriminibus gloriosior, vt Christus ex morte illustrior.

POst eductum è leonum cauea Danielem, ait textus, cap. 6. *Porrò Daniel perseuerauit vsque ad regnum Darij, regnúmque Cyri Persæ.* Vbi Chaldæus legit: *Porrò Daniel prosperè egit vsque ad regnum, &c.* Itaque non solùm apud duos potentissimos reges perseuerauit, sed & in magna prosperitate, & gloria fuit apud illos, ex quo & leonum certamina euasit, & hostiles rabies deuicit. Ait meritò Diuus Cyprianus lib. de lapsis: *Quid gloriosius Daniele? Quid illo ad facienda martyria in fidei firmitate robustius? In Dei dignatione fœlicius? Qui toties & cùm conflixerit, vicit, & cùm vicerit, superuixit.* Sic conflictus, & mortis amaritudines extulerunt Danielem, vt in eo facem clarissimam præferat Christo, cui passione, & conflictu mortis nihil extitit sublimius. Inter cunabula agenti Reges obtulerunt

D. Cypr.

lerunt munera, & qualia munera? Ait Matth. 2. obtulerunt munera, *aurum, thus, & myrrham.* Ecce tibi post aurum, post thus, myrrha offertur puero diuino, vt pateat, quam se super omnia extollat passio, & mors significata per myrrham. Huc spectat ipse Dominus dum sub sponsi forma dicit, Cant. 4. *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Ecce tibi thus nõ excedit collis altitudinem, licèt per thuris suffitum diuinitatis ostendantur gloriæ. At per myrrham altitudo monstratur montis, per quam etiam ostenditur infirmitas passionis: quasi hæc sit, quæ altiorem, & sublimiorem referat Dominum. Ad hæc aiebat Psellus apud Theodoretum: *In his cruciatus & mortem Saluatoris. Hos enim ta per montem myrrhæ intellige. At per collem thuris intellige gloriam ipsius, qua Pater desuper eum, & solum illustrauit.* Totus gloriæ splendor in Christo nobis referebat collem, vbi ad mortem ventum est, iam tunc viuidissimi Solis fulgor radiabat montes. Tunc enim nobis sublimior, & illustrior apparuit Dominus. De Magis adorantibus Christum ait Matth. cap. 2. *Inuenerunt puerum, & Mariam matrem eius, & procidentes adorauerunt eum; & apertis thesauris, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Et quidè non otiosa illa munera erant, sed illis testabantur puerum Deum, Regem, moriturúmque, vt concors est totius Ecclesiæ sententia. At Magi isti, stellarum scientiæ deditι, Idola colebant, nihil magnum de Deo credentes. Vt autem lacrymantem, & vagientem hunc puerum viderunt, ecce quot magnalia de illo testantur; nimirum quod sit Deus solus, quod fulgeat sub regali stemmate, quòd sanguine suo detriumphet potestates aduersas. Vnde tot magnalia apparent in hoc puero? An ea stella cubante supra vbi erat puer? Minimè, quin magnalia omnia prætendebant vagitus, lacrymæ, panni pauperes, passiones illæ pueri. Ait Diuus Chrysol. ser. 5. de Epiphan. *Hodie Magus quem fulgentem quærebat in stellis, in cunis reperit vagientem. Hodie Magus clarum miratur in pannis, quem diu in astris patiebatur obscurum. Videt enim non sic lucere in cælo stellas, Lunam, Solem, qualiter illuxisse carnem contemplatur in terris.* Et quidem qui obscurus erat inter astra, & vix paucis notus; inter passionis infirma, inter fascias infantiæ, inter vagitus, & lacrymulas clarior apparet etiam cæcis, & splendidior.

Cant. 4. — *Psell.* — *Matt. 2.* — *Chrysol.*

§. III.

Vt in Daniele, sic in Iesu pressura fructuosa fuit aliis.

POstquam Daniel passus est discrimina leoninæ caueæ, postquam à lacu, & periculo leonum eductus est, miratus eius incolumitatem Darius ait: *A me constitutum est decretum, vt in vniuerso imperio, & regno meo tremiscant, & paueant Deum Danielis, &c.* Nihil tale factum est, dum Daniel regnabat in Darij fauore, at postquam electus est in caueam, postquam fuit leonibus traditus, & inde incolumis apparuit, sic affecit Regis animum, vt eum in summi Dei agnitionem traheret, illámque vniuersis subditis communicaret. Quid manifestius in Christo? Sanè dum filius Dei in dextera esset patris, præter paruulum Iudæorum populum, totus quantus erat mundus Deum ignorabat, &, quam debebat auctori, lignis, & lapidibus adorationem præstabat. Missus est Dei filius in mundi caueam, accepit nostram infirmitatem, & puer natus per omnia discrimina transit humanæ passibilitatis, quid tunc? Non moratur, sed cùm primùm nostra infirma gustauit, cùm primùm vagiit inter arctas fasciolas, diuinitatem gentibus annuntiauit, eásque in agnitionem sui traxit: Matt. 2. *Cùm natus esset Iesus in Bethlehem Iuda, in diebus Herodis regis, ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam, dicentes, Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* Et Magi, & Idololatræ ex vastissimo gentilitatis campo veniunt, verum & summum Deum adoraturi. Vnde tam insolita, & noua inquisitio habuit originem? Sanè hoc debes homo humanis Christi pressuris, ex quo infirmitatem carnis accepit, ex quo discrimina nostra vel puerulus gustauit, ex quo natus passibilis, mortalis inter belluas in præsepio iacuit, in diuinitatis agnitionem fecit nationes properare. Ait D. Leo ser. 1. de Epiphan. *Noluit intra maternæ habitationis angustiam ortus sui latere primordia, sed mox ab omnibus voluit agnosci, qui dignatus est omnibus nasci. Tribus igitur Magis in regione Orientis stella noua claritatis apparuit. Dedit & aspicientibus intellectum, qui præstitit signum, & quod fecit intelligi, fecit inquiri, & se inueniendum obtulit requisitus.* Ex quo Dei filius nostras pressuras gustauit, non amplius diuinitas gentes latuit, sed eas ad se traxit. Vide homo quantum debeas pressuris, & infirmitatibus Christianis, quæ statim Deũ impulerunt, vt sese gentibus communicaret. Habent hoc Christianæ pressuræ, quòd nesciant sterilescere, sed fructuosæ fiunt, vt ditent alios. Matt. 27. *Sedente autem Pilato pro tribunali misit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi & iusto illi. Multa enim passa sum hodie per visum propter illum.* Quam nouerat mulier iustitiam Iesu, illam statim voluit viro communicare. Nec distulit, sed cùm primùm sciuit Iesum iustum esse, statim monet virum. Et curiam anxiè curat trahere virum in sententiam suam? Ait ipsa, *Multa passa sum per visum propter illum:* ex quo propter Iesum patitur, nil magis curat, quam trahere alios in agnitionem illius. Pulchrè ait D. Hilar. ibi, canone 33. *Species in ea mulieris gentium plebis est, quæ iam fidelis, eum eum quo conuersabatur incredulum populum, ad Christi fidem aduocat. Quæ quia ipsa multum sit passa pro Christo, in eamdem gloriam futuræ spei illum, cum quo conuersabatur, inuitat.* Et simul in pressuris est, & in solicitudine pro acquirendo alio adoratore diuinitatis. Ex quo enim cœpit aliquid pro Deo pati, non quiescit, nisi alios acquirat, alios Deo trahat.

Matt. 5. — *D. Leo.* — *Matt. 27.* — *D. Hilar.*

§. IV.

Vt Daniel, sic Iesus puer draconem interfecit.

HOc fuit Danielis postremum certamen, quod draconem à Babylonijs adoratum interfecit. Ait enim textus, Dan. 14. *Dedit in os draconis, & diruptus est draco. Et dixit, Ecce quem colebatis.* Sic Daniel finiuit certamina, draconem neci tradens, eiúsque deturbans aras. In quo pueruli diuini primum emicuit facinus, vix enim inter vbera matris apparuit, & antiqui serpentis virus euacuauit. Quò aspiciens Isaias cap. 7. ait: *Antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris, à facie duorum Regum suorum.* Terra gentium, quam Iudæus detestabatur, derelicta est à Regibus properantibus puerulum diuinum adorare. Quæ verba Septuag. sic transferunt: *Antequam sciat puer bonum aut malum, non credet malitia, vt eligat bonum.* Quid est, non credet malitiæ? Nescio quid ibi insinuatur antiqui veneni à primo serpente infusum hominum generi. Erant enim humana omnia serpenti antiquo peruia, vt nullò te verteres, in quo aliquid serpentinum non cerneres, quasi in cauernis proprijs, sic serpens ille habitabat in humano pectore. Tunc puer diuinus, cùm primum in gremio matris apparuit, ethnicorum Regum concussit corda, illuminauit intima, & inde extractum serpentem neci dedit, quin eius malitia vel in minimo inficeretur. Ad hæc aiebat Diuus Ambrosius libro tertio, in Lucam cum Adamo Christum componens: *Lignum scientiæ boni, & mali, fallente diabolo, suadente Eua, ille gustauit, vt iste nobis priusquam sciret malum, eligeret bonum, diríque serpentis insidias vacuaret. Iuxta quod scriptum est; Quoniam priusquam sciat puer bonum, aut malum, non credet malitiæ, vt eligat, quod bonum est. Et priusquam sciat vocare patrem, aut matrem, accipiet virtutem Damasci, & spolia Samariæ.* Ecce tibi puerulus diuinus in primis infantiæ suæ annis spoliat Samariam, & Damascum, dum ab eorum aris draconem eliminat, & diri serpentis insidias euacuat. Nunquam terrena regna fœliciùs spoliata sunt, quàm vbi à puero Iesu serpentium aris vacuantur, & ab insidijs, & dominatu antiqui draconis liberantur. Nullum enim virus, nulla malitia huius draconis timetur, ex quo puerulus diuinus apparuit. De quo proculdubio aiebat Isaias capite 11. *Delectabitur infans ab vbere super foramina aspidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.* Septuag. legunt: *Puer paruulus in foramen aspidum, & in cubile propagationum aspidum manum immittet, & non malefacient, neque poterunt perdere vllum in monte sancto meo.* Quod euidentius est foramen aspidum, quàm pectus humanum? Ibi aspides, & serpentes cubabant: apparuit autem benignitas, & humanitas Saluatoris, & nostræ sese immiscuit carni, quo totum aspidum venenum à nobis exsufflauit. Ait Diuus Ambrosius in titulo ad Psalm. 37. *Verbum quod erat in principio, factum est caro, misit manum in cauernam aspidum: venenum euacuauit, peccatum abstulit.* Sic ad pueruli Christi introitum in mundum cœperunt draconis venena effugari, & ipse draco cœpit decidere ab aris.

Isai. 7. — *Septuag.* — *Ambr.* — *Isai. 11.* — *Ambr.*

PARS

PARS SECVNDA.

Moralia circa textus literam.

MOCANT nos duo extrema Danielis cum feris certamina, quibus vt ipse à leonibus victor apparuit, sic nos de illorum leonum ore nitemur mellifluos virtutum elicere fauos, quibus mores componamus humanos.

Dan. 6. Placuit Dario, & constituit super regnum Satrapas centum viginti, vt essent in toto regno suo. Et super eos Principes tres, ex quibus Daniel vnus erat: vt Satrapæ illis redderent rationem, & Rex non sustineret molestiam. Igitur Daniel superabat omnes Principes, & Satrapas, quia spiritus Dei amplior erat in illo. Porrò Rex cogitabat constituere eum super omne regnum; vnde Principes & Satrapę quęrebant occasionem, vt inuenirent Danieli ex latere regni: nullámque causam, & suspicionem reperire potuerunt, eò quòd fidelis esset, & omnis culpa, & suspicio non inueniretur in eo.

§. I.

Virtus apud quoslibet valet, illustrémque sibi parat locum.

VIdisti Danielem clarum apud Nabuchodonosorem, sed & apud Balthassarem; ecce modò etiam; *Placuit Dario, & constituit super regnum Satrapas centum viginti. Et super eos Principes tres, ex quibus Daniel vnus erat.* Darius, qui & Balthassarem, & omnem Nabuchodonosor prosapiam sustulit, eorúmque nomen erasit, is Danielem illorum intimum in summa dignitate conseruauit, de eóque ad maiora promouendo cogitabat. Et cur è Balthassaris, & Nabuchodonosoris domesticis, & familiaribus vnus Daniel apud Darium inuenit gratiam? Cur non magis offendit tyrannum Balthassaris familiaris? Sanè quæ Danielem Balthassari, & Nabuchodonosor obstrinxerat virtus, eadem illum reddidit Dario gratum, virtus enim apud omnes valet, sibique vel à crudelissimis tyrannis locum parat. Ait in præsenti Theodoretus: *Nihil reuera potest obscurare pietatem, quæ, vbicumque sit, proprios emittit radios, siue in fornò, siue in captiuo reperiatur: quod ex his, quæ beato Danieli vsui venerunt, perspici potest. Qui cùm seruus esset bello captus, & in externa regione incoleret, vtérque barbaros versaretur, regnante Nabuchodonosor splenduit, ab horribili Rege adoratus est: regnante item Balthassare floruit; nec minus illustris fuit Dario tenente regnum, regúmque successiones nihil de eius honore immutarunt, illis morte extinctis. Consueuerant Reges minimè confidere iis, qui priorum Regum intimi fuerunt, hic apud omnes eamdem nactus est libertatem, æquale honoris præmium consecutus.* Vna virtus Danielis Regum vicit consuetudinem, & naturam; & extinctis aliis, aliisque succedentibus semper in eodem cultu, & dignitate permansit apud cunctos. Pereunt cũ pereuntibus illi, quibus nulla virtus suffragatur; at quos virtus euexit, eos ipsa facit virtus apud infensissimos etiã hostes stare. Nõ grauabor Herodis cũ Cæsare Augusto acta narrare. Regnum ab Antonio Herodes acceperat, quem mirificè coluit, & fidelissimè etiam aduersus Augustum secutus est; vbi autẽ Augustus Antoniũ vicit, interfecit, anxius petebat ad mortẽ Herodẽ. Quid tunc Herodes? An fugit? An sese abscõdit sub priuato habitu? Imò decernit se inermem in Augusti conspectum dare. Qua id fiducia? Putauit prudens vir, sui erga Antonium amicitiam, & officium, & fidelitatem opus fuisse virtutis iubentis benefactori suo referre gratiam. Vt autem officium suum erga Antonium opus virtutis esse cognouit, non metuit infensissimo Antonij hosti se præsentare, virtutis enim est suis asseclis apud quoslibet patrocinari, & dignitates conseruare. Accipe Herodem stantem apud Augustum, ex Egesippo lib. 1. de Excid. Ierosol. cap. 33. *Ego, Auguste, fateor me fidelem fuisse Antonio socium, vtpote qui ab eo regnum acceperim, cui me debitorem adhuc non abnuo, idque armis probassem, si Arabes non impediuissent. Ea necessitate arma aduersum te non tuli; non quasi amici desertor, aut prælij pauidus, sed quasi domi rebus gerendis occupatus. Ingratum me tamen sibi non sensit Antonius, quod & adiumenta exercitus, & frumenti innumerabiles copias absens miserim. Vide quàm nihil subtraham. Plus metuo apud te ingratus in hostẽ tuum, quàm in te hostis videri. Iudicium mihi tuum gratius quàm bellum est, apud quem non virtutum meritũ, sed vitia periclitantur. Cùm depostui diadema, sed non abieci virtutis conscientiam, vt voles, iudica.* Quid ad hæc hostilis Augusti animus? An perimi iussit fidelem amicum aduersarij? Absit, quod enim fuerat virtutis facinus, non potuit vel apud infensum Regis animum non triumphare. Sic Augustus ad Herodem: *Salue, inquit, & nunc magis regno tuo vtere, quem non inuidemus virtutibus, sed delectamur. Dignus enim es pluribus imperare, qui sic tueris amicitiam; & vt in aduersis positum non abnegas, & amicum tibi confiteri non erubescis. Sed adorire felicioribus adhærere, & conseruare fidem in prosperis, quam in aduersis satis probasti. Vicerit te Antonius, sed non ego te victum putabam, quem amicitia parem facit victoribus. Propterea experiris à nobis, quia nullus te belli euentus mutauit.* Et quidem, quicumque sit in aliis euentus; virtus alumnum suum semper facit victoribus & parem, & gratum. Nota est Ierosolymorum tragœdia, quando Nabuchodonosor interficiebat Ioacim Regem Iuda, & omnes Optimates populi, interea Ier. c. 39. *Præceperat autem Rex Nabuchodonosor de Ieremia Nabuzardan magistro militum, dicens; Tolle illum, & pone super eum oculos tuos, nihilque ei mali facias, &c.* Mirabar, quòd inter tot Principum, & popularium neces, dum magis victor furit Imperator, tunc recordatur Ieremiæ solius, eiúsque curam habet. Cuius rei gratia? Vna virtus Prophetæ illum victoribus fecit parem, & reddidit Imperatori superbissimo gratum. Sic Ieremiæ virtutem, & pudicitiam extollens Diuus Hieronym. libro 1. contra Iouinian. fatur: *Cùm omnes Iudæi capti essent, vasa quoque templi Babylonio Rege vastante direpta, iste solus liber ab hostibus est, & captiuitatis nescit iniurias, & à victoribus accepit stipendia, & Nabuzardan, cui de Sanctis Sanctorum Nabuchodonosor non præceperat, præcepit de Ieremia.* Expende illud, *à victoribus accepit stipendia*, vt videas, quam faciat virtus alumnos suos etiam in omnium clade victoribus æquales. Hinc est illa Tiberij Patricij commendatio exhibita à Theodorico Rege apud Cassiod. 2. variar. 16. *Recineatis Patricium Tiberium, & in aduersitate nostra fuisse laudabilem, qui sic Odouacris integerrimus parebat obsequiis, vt nostra post fuerit electione dignissimus, contra quos multa fecisse videbatur inimicus. Non enim ad nos vilissima transfuga conditione migrauit, aut propriũ dominũ finxit odium, vt alterius sibi procuraret affectum. Expectauit integer diuina iudicia, nec passus est sibi Regem quærere, nisi priorem perdidisset. Vnde sic factum est, vt ei libenter daremus præmium, qui nostrum fideliter inuit inimicum.* Sic semper valet virtus, & Eedes etiam apud Principes barbarissimos, hoc vnum homo curet, vt integrè præstet, quod debet fidei, quod debet virtuti, & in omni euentu speret sibi prosperitatem vt plurimùm, affuturam.

§. II.

Quantum in te habes Spiritus diuini, tantum te super homines extolles.

ECce de Daniele dicitur, quòd ipse superabat omnes Satrapas, & quòd Rex cogitabat constituere eum super omne regnum. Et vnde sic Daniel ferebatur in sublime? Ait textus: *Quia Spiritus Dei amplior erat in illo.* Et quidem Spiritus Dei in sublime nititur, vt desuper omnes homines effulgeat. Aiebat Lactant. lib. 2. de origine erroris, capite 19. *Quicumque Sacramentum hominis tueri, rationemque naturæ suæ nititur obtinere, ipse se ab humo suscitet, & erectâ mente oculos suos tendat in cælum, non sub pedibus quærat Deum, nec à vestigiis suis eruat, quod adoret: quia quidquid homini subiacet, infra hominem sit, necesse est. Sed quærat in sublimi, quærat in summo; quia nil potest homine maius esse, nisi quod fuerit supra hominem. Deus autem maior est homine, supra ergo, non infra est. Nec in ima potius, sed in summa regione quærendus est.* Itaque Dei spiritus nec quærendus, nec reputandus inter infima, qui semper è sublimi radiare consueuit, & quoscumque implet, super omnes effert, quasi nesciat in deiectis, & vilibus quiescere. Hinc adueniente diuino Spiritu Actor. 2. *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ,*

Theod.

Egesipp.

Ierem. 39.

Hieron.

Cassiod.

Lactant.

Actor. 2.

lingua, tanquam ignis, seditque supra singulos eorum. Linguæ igneæ apparent, & sedent supra capita Apostolorum. Et quidem linguarum sedes intra ora erant; cur non à propria sede, nimirum cur non ab ore Apostolorum fulgurabant hæ linguæ, sed apparebant sedentes super capita eorum? Vt diuini spiritus erant signa linguæ illæ, sic ostendebant eius proprietatem, qua de summo eminet, gaudens se super omnes efferre, omniáque sibi subiectare. Nulla mihi crede, est potentia, quæ non subsit eis, qui diuino spiritu afflantur.

Matt. 10.

Apud Matthæum cap. 10. *Ad Reges, atque Præsides ducemini propter me, &c. Cùm autem tradiderint vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri.* Ecce tibi ad subiiciendas mundiales potestates, quid detur Christi Domini asseclis; datur nimirum illis diuinus spiritus, qui loquatur, ex quo potentissimos quosque superabant, & super omnes efferebantur.

Chrys.

Rem ponderans Chrysost. hom. 34. in Matth. fatur: *Habebant in medio sui populi, Reges, ac Principes, duodecim homines; vinculis, flagellis, carceribus, quibuscumque poterant, vt solerent, comminabantur, nec potuerunt ora eorum obstruere, sed veluti nemo solares radios vincere potest, sic nullus linguam eorum potuit compescere. Quoniam non homines, sed Spiritus Sancti virtus loquebatur; qua etiam Paulus Agrippam & Agrippæ ministros, Neronem quoque omnium hominum perniciosissimum facilè superauit.* Expende illud nimirum; *Veluti solares radios nemo vincere potest:* quippe qualemcumque obicem Soli opponas, desuper rutilat solaris radius, sic quæcumque obiiciantur iis, qui Dei spiritu afflantur, nunquam non desuper eorum claritas radiat.

§. III.

Gubernatorum dignitas plena discrimine, plena laqueis.

GLoriæ Danielis inuidi quærebant occasionem eum accusandi, imò & perdendi, & vnde hanc occasionem quærebant? Ait textus, *vt inuenirent Danieli ex latere regni,* hoc est, iuxta D. Hieronym. Vatab. Maldon. ex regni administratione, & gubernatione. Insidiabantur ergo homines inuidi Danieli, qua parte gubernator erat, scientes illam partem pluribus scatere laqueis, quibus vel oculatissimi gubernatores comprehendantur. Et quis Dauide oculatior in subditorum gubernatione? Sed fugatus à Regia ibat præclarissimus gubernator cum militibus suis peccata sua plangens 2. Reg. 16.

2. Reg. 16.

Et apparuit Siba puer Miphiboseth in occursum eius, cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus, & centum alligaturis vuæ passæ, & centum massis palatharum, & duobus vtribus vini. Et dixit Rex Sibæ. Quid sibi volunt hæc? Responditque Siba, asini domesticis Regis, vt sedeant, & panes, & palatha ad vescendum pueris tuis, vinum autem vt bibat, si quis defecerit in deserto. Et ait Rex, vbi est filius Domini tui? Responditque Siba regi, Remansit in Ierusalem, dicens: Hodie restituet mihi domus Israel regnum patris mei. Et ait Rex Sibæ, Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth. Qualis hæc sententia oculatissimi regis, qui & tunc erat sub gladio Dei? Vnus erat Siba Domini sui accusator, & ad primam vocem serui, statim bonus Rex sententiam promit, & Miphiboseth bonis spoliat.

Carthus.

Sapienter ait Carthus. in præsenti: *Valde difficile est in magnis officiis vitare peccata, quoniam David vir tantæ prudentiæ tam præcipitanter dedit sententiam contra absentem, innoxiúmque Miphiboseth, ideò status iudicum est periculosus, nec appetendus.* Res est multi discriminis dignitatis thronus, è quo tot laquei prosiliunt, vt rarus sit, licèt oculatissimus, qui non trahatur in lapsum.

1. Reg. 13.

De Saule dicitur 1. Reg. 13. *Filius vnius anni erat Saul cùm regnare cœpisset, duobus autem annis regnauit super Israel.* Tantus erat Sauli vitæ candor, cùm thronum ascendit, quantus solet esse infanti vnius anni. Et quandiu durauit in candore illo? Ante regni administrationem multis annis durauit, postquam autem regnum accepit, vix potuit duobus annis esse inculpabilis.

Procop.

Ait Procopius in Glossa: *Quo verbo simplicitas animi Saulis ostenditur, quam in regno habuit, qua tamen non longo tempore vsus est. Quapropter additur: Et duobus annis regnauit in Ierusalem, nempe cum illa merum simplicitate. Postea ad prauitatem declinauit.* Non diu potuit in solio consistere, quin eius peste inficeretur, & ad praua multa facinora raperetur. Effugiat enim necessum est dignitates forenses, quisquis errores, & culpas veretur, quando vt inculpabilem ostendat Psal. 1. ait:

Psal. 1.

In cathedra pestilentiæ non sedit. Septuag. posuere, *in cathedra pestium;* nulla namque pestis est, nullum contagium potest inueniri, quod non sit in forensibus subselliis.

D. Hil.

Vt dicat D. Hilar. ibi: *Illa est cathedra pestilens, cuius contagium Pilatus manus abluendo deuitat. Quamuis enim multi religiosi propositi tenaces sint, tamen necessitate sedes obtenta, tùm ad contumeliam, tùm ad iniuriam, tùm ad pœnam cunctante licet voluntate coguntur, faciunt eos necessitatis ipsius participes, tùm tanquam lue morbida imbuuntur.* Itaque ipsa forensis dignitatis sedes pestilens est, plenáque contagio, quo vel religiosissimi inficiantur.

4. Reg. 9.

Hinc Elisæus 4. Reg. 9. vocauit vnum ea filiis Prophetarum, qui vngeret Iehu in regem, dicens: *Tolles lenticulam olei fundes super caput eius, & dices. Hæc dicit Dominus: Vnxit te Regem super Israel. Aperiésque ostium, & fugies, & non ibi subsistes.* Cur non magis maneat apud regem à se vnctum? Cur necessum est fugere, nec ad momentum manere cum homine, quem regem designabat? Est thronus regius, sedes pestium, à qua tot pestes, tot emanant contagia, vt nisi effugias ocyssimè, mirum erit, si eius peste non corripiaris.

§. IV.

Fœminæ præsentissimæ perditionis occasiones.

INsidiabantur inuidi Danieli, vt inuenirent ei *ex latere regis,* nimirum vt Hieronymus & Carthusianus ex Hebræis afferunt, ex parte reginæ, & concubinarum, quæ rectè Regis latera vocantur. Et quando hominis insidiator non concussit hoc latus? Sane serpens antiquus vt perderet hominem, ex hoc latere egressus est, nimirum per Euam: nunquam enim fœminæ, vel in regiis non sunt homini præsentissimæ perditionis causæ. Fœlix, qui illas nouit declinare.

Egesipp.

De Herode Rege ait Egesippus libro primo de Excid. capite 29. *Herodes Alexandriam summo studio contendit, atque ibi cum honore à Cleopatra susceptus, quod tanti nominis virum ducem militiæ suis expetendum partibus arbitraretur. Vnde posthabitis Reginæ petitionibus, Romam nauigauit, minores procellas hyemis ruens, perturbationísque Italiæ temporis, quàm quos in Cleopatræ mobilitate grauiores omnibus naufragiis fluctus perhorrescebat.* Sapiens homo etiam tempore hyemis maluit se committere fluctibus maris, quàm Cleopatræ promissis: non tam horruit brumali tempore cum ventis, & tempestatibus belligerare, quàm horruit apud Reginam sibi fauentem stare. Nunquam enim duriora tela iaciuntur ad perdendos homines, quàm ea sunt, quæ iaciuntur ex parte fœminarum. Sapientissimus David sciens armatum filium venire, vt regiam occuparet, festinauit egredi cum militibus suis, & fugere à filij facie. Ait 2. Reg. 15. *Egressus est ergo Rex, & vniuersa domus eius pedibus suis. Et dereliquit Rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum.* Qualis hæc domus custodia tempore belli? Se hominem bellicosum cinctum militibus insufficientem putat, vt domum aduersus filium custodiat, & ideò fugit, & putat à decem concubinis custodiri posse domum? Cur non magis militarem manum relinquit pro custodia, quæ multo vibrato iaculo arceat vel prosternat hostem? Sane nulla militaria tormenta, nullæ bellicæ machinæ robustiores possent relinqui domi, ad perdendos homines, quàm si fœminæ relinquantur solæ: vbi enim de consilio Achitophel ad illas ingressus est Absalon, statim cœpit dari in perditionem.

2. Reg. 16.

Quod notans Carthus. in cap. 16. Reg. 2. aiebat, quod ex adimpletione nefarij consilij, *Deus merito fecisset Absalonem cum suis succumbere.* Nulla vis militaris sic concussit miserum, vt concusserunt illum fœminæ in regia relictæ, quarum occasione Princeps præcipitari cœpit in extremam ruinam.

3. Reg. 19.

Postquam occidit Prophetas Baalis Elias 3. Reg. 19. misit Iezabel nuntium ad Eliam, dicens, *Hæc mihi faciant dij, & hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam, sicut animam vnius ex illis. Timuit ergo Elias, & surgens abiit, quocumque eum ferebat voluntas.* Cur tantus Propheta sic affectus est? Vnde in illum tantus potuit cadere terror? Vnde sic conturbatus incedebat? Locuta est mulier, & vel de eiaculato verbo mulieris labat tota fortitudo Prophetæ.

Eucher.

Pulchrè Eucher. lib. 4. Reg. *O violentiam verbi, ô formidinis eminentiam! Audito mulieris verbo fugit Elias; ingressus est in eo sermo mulieris, & quid ageret, nesciebat: tanti itineris spatio motu exagitante iactatus: ita Prophetæ animum virtutum vtilis nauigantem mulieris perculit sermo, totámque eius nauem per omnes formidinum fluctus turbato vectore iactauit.* Sic affecit Prophetam vel vnum mulieris verbum; ingressus est in eo sermo mulieris, & in ea grauiores omnibus naufragij fluctus perhorrescebat.

Dan.6. Dixerunt ergo viri illi; Non inueniemus Danieli huic aliquam occaſionem, niſi fortè in lege Dei ſui. Tunc Principes, & Satrapæ ſurripuerunt Regi, & ſic locuti ſunt ei, Dari Rex in æternum viue: conſilium inierunt omnes Principes regni, Magiſtratus, & Satrapæ, & Senatores, & Iudices, vt decretum imperatorium exeat, & edictum, vt omnis qui petierit aliquam petitionem à quocumque Deo, & homine vſque ad triginta dies, niſi à te, Rex, mittatur in lacum leonum. Nunc itaque Rex confirma ſententiam, &c.

§. V.

Honoris, gloriæque ambitu pleni ad clariſſimas, & patentiſſimas veritates cæcutiunt.

AVdis abſurdiſſimum edictum compoſitum à Principibus Babylonis, & à Rege confirmatum per Sapientum fraudē; ait enim textus: *Surripuerunt Regi, &c.* Sed edicti abſurditas adeò clara, & perſpicua erat, vt facilè à quoquam perſpici potuiſſet, quomodo potuit Rex in ea falli? Quomodo Rex non vidit ſe minimè omnia ſubditis ſuis poſſe præſtare, non lac infantibus, non ſalutem adultis, non pluuiam agricolis, non alia innumera, quæ ſciebat ſupra ſuam eſſe poteſtatem? Cur ergo non vidit ſummā decreti abſurditatem, imò ſummum damnum populi, ſi hæc non peterentur, niſi ab eo, qui non poterat illa dare? Sanè repræſentabatur edictum, quaſi cederet in magnam gloriam, & honorem Regis, ſub cuius ambitu penè neceſſum erat, vt Rex cæcutiret ad clariſſimas, & euidentiſſimas veritates. Pulchre ambitioſorum hominum hoc nouerat ingenium, Lactantius lib.7. cap.1. fatus: *Qui verò ambitione inflati, aut amore potentiæ inflammati omne ſtudiū ſuum ad honores acquirendos contulerunt, nec ſi Solem quidem ipſum geſtemus in manibus, fidem commodabunt ei doctrinæ, &c.* Quidquid pabulum non eſt gloriæ mundialis, & ſi euidentiſſimum, & ſi clariſſimum ſit, non cernitur, neque apparet in oculis eorū, qui ambitione inflati, & amore potentiæ inflammati, omne ſtudium ſuum ad honores acquirendos contulerunt. Hi ad clariſſima quæque cæcutiunt, ſi inde metuant aliquid minus temporalis gloriæ naſci. Accipite modo Nicodemum, Ioan. 3. audientem ex Ieſu, quòd niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei. Ad quæ verba ſtupefactus, & hærens reſpondit: *Quomodo poſſunt hæc fieri?* At mulier quædam Samaritana, Ioannis 4. cùm audit à Ieſu dari aquam, quam qui biberit, non ampliùs ſitiet, ſtatim lætans ait, *Domine da mihi hanc aquam, &c.* Nihil hæſitat, nihil dubitat, ſed ſtatim viuificam aquam petit. Quod miratus D. Chryſoſt. hom.31. in Ioannem, hanc fœminam longè ſapientiorem, & acutiorem reputat Nicodemo. Ait enim: *Credidit continuò mulier, longè Nicodemo ſapientior. Ille, quomodo poſſunt hæc fieri, inquit, nec manifeſtum ſpiritus exemplum à Chriſto adductum accepit, mulier verò mox, non expectata confirmatione, ad Chriſti ſermonem, tanquam certum accipiendum properat.* Sed quod patuit Samaritanæ, non patuit Nicodemo? Vel cur quod vidit, & credidit fœmina, Iſraelis magiſter adhuc ignorat, & media in luce penè hæret cæcus? Nonne quod dicebatur lux erat? Equidem lux erat quod dicebatur, vt poſſet vel à fœmina cerni, ſed ad lucem cæcutiebat Nicodemus adhuc mundialis glorioſæ amore poſſeſſus. Ait D. Chryſ. hom. 27. ex c. 3. Ioan. *Venit lux in mundum. Verùm Nicodemus multitudinis gloria mulcebatur, quamobrem debitam fiduciam habere non poterat.* Ne mireris, quòd homo vincatur à fœmina in ſapientia, in perſpicacia; nec mireris, quòd non videat vel ipſum Solem, mulcebatur adhuc multitudinis gloria, & ſub gloriæ mundialis amore clauſi ſunt oculi, ne apertiſſimas veritates videre poſſint. Aiebat Dominus Mat.22. *Super Cathedram Moyſis ſederunt Scribæ, & Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, ſeruate, & facite.* Sanè quæ Scribæ, & Phariſæi explicantes legem de Chriſto dicebant, adeò clara, & perſpicua erant, vt meritò Ieſus ad eos audiendos populum mitteret, & iuberet, vt iuxta dicta illorum ſe haberent. Verùm illud mirandum venit, quòd cùm Phariſæi, & Scribæ tam patentia, & clara de Chriſto dicerent quotidie, nihilominus Chriſtum tam clarè à ſe explicatum non viderent præſentem. Et vnde illis tanta erat cæcitas? Chryſoſt. hom. 43. in Matt. *Prædicabant quidem in lege Chriſtum venturum, & non credebant in eum, quia omnia opera ſua faciebant, vt ab hominibus viderentur. Id eſt, quia non verè prædicabant Chriſtum venturum, deſiderantes ipſius Chriſti aduentum, quem prædicabant: ſed propter hoc ſolùm, vt prædicatores, & traditores eſſe legis ab hominibus viderentur.* In quibus tantus vigebat glorioſæ mundialis amor, non miror, quòd non fuerint illis oculi ad videndam præſentiſſimam, & clariſſimam veritatem.

Lactant. — *Ioan.3.* — *Ioan.4.* — *Chryſ.* — *Mat.22.* — *Chryſ.*

§. VI.

Aulici principes ſic æſtimant regium fauorem, vt nil aliud videantur requirere.

ECce tibi Babyloniorum Principum, & Satraparum decretum: *Vt omnis, qui petierit aliquam petitionem à quocumque Deo, & homine vſque ad triginta dies, niſi à te, Rex, mittatur in lacum leonum.* Sic miſeri putant vnum Regem ſibi ad omnia ſufficere, ſic credunt poſſe fieri, vt de ſolo Regis ſui nutu, & placito viuant, quin egeant vel creaturæ alterius, vel ipſius Dei munere. Et quis tale crederet, niſi Principes aulici, niſi ſatrapæ, & regij miniſtri? Sanè hæc adeò imbibita eſt in animis Principum Aulicorum, Procerúmque ſiue impietas, ſiue ſtultitia, vt ſic æſtiment regium nutum; quod dum hunc fauorabilem naciſcantur, nihil aliud requirant. Sic 1. Reg. 8. *Congregati vniuerſi maiores natu Iſrael venerunt ad Samuelem in Ramatha dixerúntque ei, &c. Conſtitue nobis Regem, vt iudicet nos.* Quæ petitio relata ad Deum cùm fuerit; ſtatim reſpondit Deus: *Audi vocem populi huius, in omnibus, quæ loquūtur tibi. Non enim te abiecerunt, ſed me.* At illi ſolùm filiorum Samuelis regimen detrectabant, quod vt cauerent, Regem ab ipſo Samuele petebant, ſub quo viuerent, ſicut nationes vniuerſæ ſub Regibus ſuis viuebant. In quo ergo dicuntur iſti Deum abiecisse, eo ipſo, quòd Regem petant? Equidem in expetendo Rege iam animum gentilem oſtendebant, quando adeò proprium eſt principum, & magnatum ſic regio fauori fidere, vt præter hunc nil aliud æſtiment requirendum, & in vno Rege ſibi omnia bona conſtituta eſſe credant. Nunquam non regij fauoris fiducia magnatum animos à Deo plurimum alienat. Inde iterum Samuel 1. Reg. 12. obicit Iſraelitis, *Videntes, quòd Naas, Rex filiorum Ammon, veniſſet aduerſùm vos, dixiſtis mihi; Nequaquam, ſed Rex imperabit nobis.* Equidem aliàs in periculis ad arcam Dei confugiebant, prophetam requirebant, coram Domino ſtabant; nunc autem videntes Ammonitas armatos contra ſe, & videntes Samuelem pro ſe ſtantem, nequaquam acquieſcunt alij auxilio, ſed Regem expetunt, & Regem ſibi dari clamant. Cur non magis Dei ſolicitant gratiam? Vt regiis auxilijs ponderandis intenti ſunt, nihil æſtimant aliud, nec Deum eſſe recordantur. Præclarè Diuus Cyril. Alex. ad Oſeæ cap.12. num.144. fatur: *Obiurgat Iſraelitas, quòd ſe humano regno ex aſſe ſubiicerent, cùm tamen regnaret ſupra ipſos Deus, & nihil eis ad proſperitatem deeſſet. Meminimus eos, ſuperſtite adhuc Samuele, regem poſtulaſſe. Accuſat ergo eos maiorem in modum, vt totos humano regi ſubiectos, nec Dei imperium ſuſtinentes. Poſtquam autem ſub regno fuerunt, dilectioni erga Deum valedixerunt. Sed ſub hominum poteſtatem ſe tradere maluerunt, quod eos ad apoſtaſiam quoque perduxit.* Ecce tibi quàm ſimul fuit in Iſraelitis, & ſeſe credere Regibus, & apoſtatare à Deo. Adeò enim potens eſt in mundialibus pectoribus affectus expiſcandi fauores regios, vt præter hos, nil aliud æſtiment, facilique negotio fidant ſe cum iis poſſe viuere, etiam ſine Deo. Quam impietatem, vt tollat Deus ſæpiſſimè permittit Principes non per Reges, ſed per viliſſimos quoſque ad exoptatam ſalutem accedere. Notiſſima eſt hiſtoria Naamani Syri, is cùm plurimus eſſet apud regem Syriæ, ingentiáque ex illo bona poſſideret, tamen lepra infectus triſtiſſimam vitam agebat. Tunc ancillula quædam Iſraelita ſuggeſſit vxori Naamani, quàm facilè poſſit Dominus curari à lepra, ſi Prophetæ Iſraelitæ adeſſet. Ait enim 4. Reg. 5. *Vtinam fuiſſet Dominus meus ad Prophetam, qui eſt in Samaria, profectò curaſſet eum à lepra, quam habet.* Expende, vt per ancillulam ingerit Deus ſpem ſalutis Syro Principi, & primo inter amicos Regis. Et cur Deus prouidit quòd Princeps ſtatus reciperet ſpē ſalutis ab ancillula? Sanè vt Aulici Principes ſe omnia putāt habere in fauore Regis, ſic permiſit Deus vt iſte per vile inſtrumentum ſpem ſalutis reciperet, ne in Rege, ſed in Deo omnia eſſe crederat. D. Amb in Gloſſa. *Sancta cōſilio puella à Propheta ſalutē ſperare cōmonitum, non terreni Regis imperio, ſed*

1.Reg.8. — *1.Reg.12.* — *D.Cyril.* — *4.Reg.5.* — *D.Amb.*

diuina misericordia liberalitate sanatur. Expende illud: *non seruent Rega imperio:* magnum hoc; & pene incredibile, aulicis Principibus videretur, quòd aliquid bonum possit illis esse, & non à Rege.

Dan. 6. Quod cùm Daniel comperisset, id est, constitutam legem, ingressus est domum suam: & fenestris apertis in cœnaculo suo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebatúrque coram Deo suo, sicut & antè facere consueuerat. Viri ergo illi curiosiùs inquirentes, inuenerunt Danielem orantem, & obsecrantem Deum suum Et accedentes locuti sunt Regi super edicto. Rex nunquid non constituisti, vt omnis homo, qui rogaret quemquam de diis, & hominibus vsque ad dies triginta, nisi te, Rex, mitteretur in lacum leonum? Ad quos respondens Rex ait: Verus est sermo iuxta decretum Medorum, atque Persarum, quod præuaricari non licet. Tunc respondentes dixerunt coram rege: Daniel de filiis captiuitatis Iuda, non curauit de lege tua, & de edicto, quod constituisti, sed tribus temporibus per diem orat obsecratione sua.

§. VII.

Potestates omnes aduersarias despicit, qui Deo exorando adstat.

FEralc Regis edictum nouit Daniel, & nihilominus *ingressus domum suam, & fenestra aperta, in cœnaculo suo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, &c.* Cur non magis vereris ò Daniel edictũ regis, & insidiatorum rabiem? Cur non magis leones famelicos expaues? Qui Deo exorando vacat, illique tota mente inhæret, inde habet, quò facile despiciat omnes aduersarias potestates. Illa erat vox Pauli ad Rom. 8. *Certus sũ, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, &c. poterit nos separare à charitate Dei.* Et in quo fundabat Paulus tantam certitudinem victoriæ suæ, & potentiæ suæ, etiam aduersus aduersarios Angelos. Sanè dum Paulus orationi instaret, Deóque inhærere pura mente niteretur, meritò posset certitudinem habere, quòd sibi inferiores futuræ essent omnes aduersariæ, etiam Angelicæ potestates. Ait D. Aug. de moribus Ecclesiæ cap. 11. *Non separat Angeli. Neque enim est Angelus, dum inhæremus Deo, nostra mente potentior, & toto mundo est omnino sublimior mens inhærens Deo.* Hoc satage, vt Deo attentus inhæreas, vt Deo deuotus vaces, & ride vniuersas creaturarum potestates, neque mors, neque vita, neque altitudo, neque profundum, neque Angeli possunt aliquid facere aduersus eos, qui Deo per orationem intimè vacant. Sic etiam Danieli oranti aiebat Angelus Gabriel cap. 10 *Ex die primo quo posuisti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua. & ego veni propter sermones tuos. Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti & vno diebus.* Ecce tibi dum Daniel orat, Princeps Persarum, siue is sit bonus, siue malus Angelus, totis viribus suis curat, ne Danielis orationes effectum sortiantur. Et potuit Angelus aduersus Danielem orantem? Absit, vbi enim Daniel Deo per orationem intendebat, aduersantibus Angelicis potestatibus superior euasit. Sic D. Greg. 57. Moral. c. 8. *Precum quidem tuarum merita exigunt, vt Israeliticus populus à iugo sua captiuitatis exuatur, sed est adhuc, quòd in eodem populo, Persarum Domino purgari debeat, vnde ereptionem illius Persarum Princeps mihi iure contradicat, quamuis preces tua adiuuent.* Nil valet contradictio, & oppositio creatarum potestatum aduersus eum, qui precibus armatur. Fœlix tu, quisquis Deo te iungis, Deo exorando iugiter vacas, fallar, nisi omnibus aduersarij potestatibus superior sis, & pro multis virtutibus aduersus illas valeas. Dicebat enim Danieli oranti, c. 10. Angelus: *Annuntiabo tibi, quod expressum est in Scriptura veritatis, & nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Michael Princeps vester.*

Ad Rom. 8. *D. Aug.* *D. Greg.* *Dan. 10.*

Et non paruam quæstionem facit Carthusiano, quod in re Danielis, quæ tot aduersarios patiebatur, nullus alius adiutor interesse dicatur, nisi Michael tantum. Vbi enim puer Elisæi contrariorum multitudine terrebatur; 4. Reg. 6. *Aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum.* Ex quo Carthusianus mirum valde putat esse, quòd Danieli vnus solus Michael dicatur adesse, cum Elisæi puero tot Angelorũ phalanges adstent. Et Danieli vnus tantùm Michael adiutor datur, & puero tot myriades Angelorũ exhibentur? Orabat Daniel, puer autem non orabat, sed magno timore trepidabat, qui autem orat, intentéque Deo vacat, tantam inde fortitudinem sumit, vt vel cum paruo adiutorio omnibus aduersariis superior euadat. Vt dicat D. Macar. hom. 43. *Si fuerint dæmones fortes, robore montibus haud dissimiles, ab oratione comburuntur, veluti cera ab igne.* Sic orans homo vel montes plenos aduersariorum contemnere potest. Hinc 2. Paralip. 4. de Salomone ædificante eam partem templi, in qua sacerdotes orabant, ait: *Fecit atrium sacerdotum, & basilicam grandem.* Ex Hebræo: *& atrium præsidij:* quippe vbi orationes funduntur, & præsidia sunt, sub quibus appareat homo contrariis inaccessibilis.

4. Reg. 6. *D. Mac.* *2. Par. 4.*

§. VIII.

Inexcusabilis est, qui aliquod orationum pensum Deo non soluit quotidie.

TOtius regni Babylonici negotiis occupatus Daniel, vt qui vnus è tribus erat, qui omnia moderabantur, tamen tribus diei temporibus preces ad Deum fundebat. Quippe dicit textus: *Tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebatúrque corã Deo suo, sicut & antè facere consueuerat.* Quis tot, tantísque negotiis immersus, quantis Daniel? Et inter illa Daniel ter in die flectit genua, & orat, & confitetur corã Deo suo, vt inexcusabiliter cõfundatur, quisquis nullo exhibito pẽso, putat se posse seruire Deo. De se aiebat Dauid Psal. 118. *Præuenerunt oculi mei manè, meditarer verba tua.* Et quidem Dauid vnum nouerat magistrum Moysem, de cuius magisterio didicerat, non omninò absorberi negotiis regni, sed ante omnia pensum soluere Deo, diuinissimum illũ adorana verbis. Ex quo D. Ambr. octonar. 19. in Psal. dictum, sic Christianos mordet: *Et tu, Christiane, dormis, cui magister est Christus? Et nõ vereris, ne de te dicatur; Populus iste me labiis me honorat? Iudæus vel labia, tu verò nec labiis. Si illius, qui vel labiis honorat, cor longè est à Deo: quomodo potest cor tuum prope esse, qui etiam labiis nõ honoras? Quàm diu te somnus, quã diu te sæcularia tenẽt? Diuide saltem Deo, & sæculo tempora tua. Manè festina ad Ecclesiam, defer primitias pij voti, & postea, si vocat sæcularis necessitas, non excluderis dicere, Præuenerunt oculi mei manè, meditarer verba tua. Sic securus procedis ad tuos actus. Quàm iucundum inchoare ab hymnis, & canticis!* Et nescio quid speret, cuius ab ore nihil ad Dei laudem pertinens tota die prodit. Qui nullum orationis pensum soluit; qui nec semel labia in Dei obsequium mouit. De hoc aiebat ipse Amb. lib. 5. Exam. cap. 12. *Quis enim sensum hominis gerens, non erubescat, sine Psalmorum celebritate diem claudere, cum etiam minutissimæ aues solemni deuotione, & dulci carmine ortus dierum prosequantur?* Multùm ab homine distat, qui vel de auium exemplo non curat quotidie laudando Deo sese deuouere. Sanè Moyses sanctissimus vir, dum se populi negotiis nimis immergit, ne sibi vacaret, vocem laudis offerre Domino, audit à socero gentili. Exod. 18. *Stulto labore consumeris;* quippe stultissimè consumitur, quisquis immersus sæcularibus, nec dimidiam horam sumit in die, vt vacet Deo, & confiteatur coram Domino. Ex quo sapienter D. Lauren. Iustinian. lib. de discipl. & perfect. monast. cap. 21. ait: *Et quis Moyse sanctior? Qui causam populi ardentissimi amoris zelo iudicabat? Vt audeat sine læsione persistere in eo, in quo sanctus Propheta perseuerare non valuit. Audito namque gentilis viri consilio, prudenter restrinxit negotia proximorum, vt in iis, quæ Dei erant, sua quietius vacaret tempore.* Equidem sanctissimus Moyses, nisi se subtraheret negotiis, tempúsque sibi præfigeret Deo exorando; non liberaretur à labore stulto, nec à labe stultitiæ, sub qua consumebatur iudicante cognato. Et quid magis stultum, quàm sic hominem occupari, vt non vacet illi Deum orare? Meritò ait D. Chrys. lib. 1. de orando Deo: *Quisquis non orat Deum, nec diuino colloquio cupit assiduè frui, is mortuus est, & vita carens, expérsque sanæ mentis. Nam hoc ipsum euidentissimum est argumentum amentiæ non intelligere magnitudinem huius honoris, nec amare deprecandi studium, nec hoc habere persuasum, quòd anima mori sit, non prouolui ad Dei genua.* Hæc ibi.

Psal. 118. *D. Amb.* *Ambr.* *Exod. 18.* *Laur. Iust.* *Chrys.*

§. IX.

Quò virtutum opera magis celantur humanis plausibus, eò præstantiora, & efficaciora.

ORaturus Daniel non in publico mansit, sed *ingressus est domum suam, & in cœnaculo suo, flectebat genua sua.* Iam tunc adimplens præceptum Christianum, datum Matth. 6. *Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum.* Nunquam enim non requiritur homo cautus in fugiendis humanis plausibus: quò enim magis abest ab illis virtutis opus, eò efficacius, & præstantius. Iuxta quod Prouerb. 21. dicit: *Munus absconditum extinguit iras.* nescio, an quid validius inueniatur ad extinguendas aduersarias potestates, quàm virtutum opus absconditè, absque vlla applausus humani peractum. Quis enim nesciat Samsonis valentiam & fortitudinem, qua vniuersas hostium rabies superabat? Is importunè requisitus, vnde haberet fortitudinem tantam, Iudic. 16. *Aperiens veritatem dixit. Ferrum nunquam ascendit super caput meum, quia Nazaræus, id est, consecratus Deo sum de vtero matris meæ. Si rasum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea.* Cùm tot, tantaque manibus patraret, non habebat fortitudinem, & valentiam addictam manibus, sed solis capillis capitis. Et cur præ cæteris membris capilli placuerunt Deo, vt in illis totam hominis valentiam funderet? De capillis ait Paul. 1. ad Corinth. 11. *Capilli pro velamine dati sunt.* Quando ergo in capillis velamen exprimebatur, meritò in illis ponitur tota hominis valentia ad hostes exterendos, tunc enim efficacissimum est virtutis opus, quando in abscondito, & sub velamine exercetur, ne ab oculis mortalium fascinetur. Ait D. Aug. ser. 107. de tempore. *Quid est autem, quòd in capillis virtutem habeat Samson? Virtutem non habuit in manu, non in pede, non in pectore, non in ipso capite, sed in capillis, in crinibus. Quid sunt capilli, quid coma? Et nos videmus. & Apostolus respondet nobis, Coma velamentum est. Et in velamento Christus habet virtutem, quando vmbra veteris legis tegebant.* Nec se putet Christianus inutilem cùm absconditè operatur, cum fugit humanos conspectus, vt virtutum operibus se dedat, tunc maiori in virtute est, cùm in abscondito est; tunc fortior existit, vt detriumphet hostes vniuersos, cù se hominum applausibus negat, & Christus Dominus absconditus sub vmbris legis multa facinora edebat, & in absconditis suorum operibus virtutem constituit ingentem. Non timeat viribus suis, quicumque sub velamine opera sua bona facit latere. Tunc de infirmitate sua, vel etiā de vulnere anima queritur, cùm ablato velamine apparet oculis videntium. Sic Cant. 5. *Percusserunt me, & vulnerauerunt me; tulerunt pallium meum mihi.* Vt ablatum fuit pallium sub quo latebat, & infirma apparuit, & patuit vulneribus; habet enim Christus virtutem in velamento. Nec putet Christianus se habere alia bona, nisi quæ ab oculis mortalium velat. Vnde Paul. 1. ad Corinth. 4. de Iesu ait: *Qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Expende in die iudicij coram iudice æterno, quæ facta hominum in lucem prodibūt, & illuminationem, nimirum, *abscondita tenebrarum,* quæcūque modò abscondita sunt ab oculis viuentium, tunc in luce apparebunt, & nobis æternæ laudi erunt. Quæ autem nō abscondimus, sed oculis humanis exponimus, ea prorsus euanida inuenientur, resoluta in fumum, & ventum. Ait D. Ber. ser. 4. de Aduentu: *Veniet, cùm manifesta erunt abscondita cordis, quæ verò fuerint ostentata, non comparebunt. Propterea dico vobis, charissime: vtile est abscondere magis, quàm ostentare, si quid habemus boni.* Ostentata euanebunt, abscondita nunquam nos deserent, sed ad iustitiæ Solis radios victricia venient, ibique non mediocrem gloriam metent.

Matt. 6. Prou. 21. Iudic. 16. 1. Cor. 11. D. Aug. Cant. 5. 1. Cor. 4. D. Bern.

§. X.

Prima & durissima calamitatis asperitas est potentioribus, quòd orationis effectus nullus sentiatur.

ECce iam initium durissimi aduersus Danielem certaminis, nimirum, hostes insidiantes *inuenerunt Danielem orantem, & obsecrantem Deum suum.* Inuenitur ab hostibus Daniel orans, & obsecrans Deo, sed non dicitur, quòd inuenitur aliquid oratione sua nactus. Et hæc est prima, & summa clarissimi viri asperitas, quòd relictus hostibus, nihil per orationem ex Deo nancisci videatur. Accipite Diuum Synesium, epist. 79. de die assumptionis suæ ad Episcopatum, fantem: *Nosti ad certum anni diem mortem mihi prædictam fuisse: fuit ille ipse quo sum Episcopus factus. Sensi ego mutationem vitæ, quam cùm hactenus perpetua quadam hilaritate, ac velut festiua celebritate traduxissem; video me eodem tempore omnibus orbatum, ac despoliatum esse. Sed quod malorum est longè maximum, quódque mihi desperatam vitam facit, nunquam antea in precibus ad Deum fundendis frustrari voto solitus, nunc primò frustra me semio deprecatum, qui ærumnis oppressam familiam video, &c.* Expende quòd summum æstimet malum vir clarissimus, nimirum quòd ad Episcopale solium euectus, proximorum expositus curis, & ærumnis, & furentibus hostibus traditus; tunc primò experiatur se orare, & obsecrare frustra. Non absimilis Iob cap. 30. inquit: *Comparatus sum luto, & assimilatus sum fauillæ, & cineri. Clamabo ad te, & non exaudis me; sto, & non respicis me. Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi.* Multa, & horribilia mala perpessus iam fuerat, extremum calamitatum cumulum sustinuerat, & inter illas hanc solam vocem emittebat cap. 19. *Miseremini mei vos saltem amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Nihil ibi meminit de duritie diuinæ manus, nihil de acerbitate, seu, vt ita loquar, de crudelitate flagelli, sed tantùm ait se molli diuinæ manus tactu fuisse compressum. Modò autem repentè putat Deum mutatum esse in crudelem, & durissimam ab illo manum suam ostendi: *Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ aduersaris mihi.* Vnde quam antea acerbitatem, & duritiem non aduertit, modò exprimit? Quid nouæ calamitatis experitur, quòd super omnia prima durum, & crudele repetit? Sanè illud solum inuenies denuo, nimirum: *Clamabo ad te, & non exaudis me:* & si enim acerbissima omnia pertulerat; hoc reputabat omnium acerborum primum, & summum, quod se frustra deprecari experiretur. Ait Carthus. *Qui inuariabiliter in se bonus, ac pius est, quantum ad effectum habet se per modum crudelis, tam durè diu affligendo, nec exaudiendo.* Quando enim calamitate coniungitur, quod dilatetur orationis effectus, sic crescit calamitatis asperitas, vt carnalibus oculis videatur peruenisse ad crudelitatis excessum. Et fallar, si quid est in calamitate, quod durius afficiat etiam validissimam mentem, quàm si orationis propriæ sentiat dilatari expetitum effectum. Hinc orta est illa Christi Domini vox, qua licet amātèr, tamen summè dolenter apud Patrem queritur, Matt. 27. clamans: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Sanè multa, & horribilia Dominus sustinuerat ab hostibus suis, alapas, sputa, laqueos, verbera, spinas, clauos; & inter hæc non queritur, nulla eius auditur querela, nunc autem, cùm iam iam propè stat tantæ calamitatis, & tempestatis finis, soluitur Saluator meus in querelas. Vnde in te, Domine, hęc vox tam querulosa modo procedit? An hæc vox est hominis crudeliter verberati? An hæc vox est hominis immanissimè crucifixi? Absit, imò ait D. Leo ser. 16 de Passione: *Ipsa vox est non exaudīti.* Quam vocē, quam querelam immanissima tormenta educere minimè potuerūt, illam educit experientia, qua Dominus sentit orationes a se factas pro declinanda passione, iuxta carnis infirmitatem, exauditas non esse. In quo, & summam sui despectionem, & calamitatem videtur ostendere, Psal. 21. *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies. In te sperauerunt patres nostri, sperauerunt, & liberasti eos; ad te clamauerunt, & salui facti sunt in te sperauerunt, & non sunt confusi. Ego autem sum vermis, & non homo.* Expende vnde educat suam extremam vilitatem, quòd vermis habeatur, quòd non homo putetur: nimirum, quia cùm alij patres clamabant de tribulatione, exaudiebantur, & liberabantur, ipse autem & clamans, & vociferans pro mortis expulsione, non exauditur, sed relinquitur mori, in quo videtur tractari, quasi non sit homo.

D. Synes. Iob 30. Carthus. Mat. 27. D. Leo. Psal. 21.

§. XI.

Nunquam non sanctis viris iniuria paratur de Regum offensa.

OBseruantissimus Regis Babylonis cùm esset Daniel, nihilominùs vt illum hostes sui perdant, nil prius tractant, quàm quòd illum reddant Regi suspectum. Etenim *dixerunt coram Rege: Daniel de filijs captiuitatis Iuda, non curauit de lege tua, & de edicto, quod constituisti.* Sic de regis cōtempto Danielem accusant, illúmque Regi suspectum reddere nituntur; nunquā enim non de Regibus seruis Dei inuidia commouetur. Similiter Matt. 22. Iudęi, tentātes Iesum, ex illo quęrebāt: *Magister, licet tributū dare Cæsari, an non?* Iam diu Iudæi tributū Cæsari soluebant, nihil in hac solutione verentes, cur modò de re adeò trita quæstionē apud Iesum mouent? Vt Iesu sanctitatem euidentissimā nouerāt, ex nullo capite illum citiùs posse lædi credebant, quàm si Cæsari redderetur suspectus,

Matt. 22.

Id quod notabat D.Amb.aduersus Arrianos, à quibus accusabatur, quòd Basilicam vnam negaret Imperatori hæretico. Quippe ait lib.5.epist.32. *Aiunt, plus velle Ambrosium posse, quàm Imperator, vt Imperatori prodeundi facultatem neget. Quod cùm dicunt, apprehendere sermones nostros gestiunt, sicut Iudas, qui Christum versuto sermone tentabant dicentes: Magister, licet tributum dare Cæsari, an non? Semperne de Cæsare seruis Dei inuidia commouetur? Et hoc ad calumniam sibi arcessit impietas, vt imperiale nomen obtendat?* Scit impietas semper imperiale, aut regale nomen obtendere, in sanctos viros, vt eos citiùs capiat, & perimat. Nunquam enim de offensa Regis non paratur seruis Dei decipula, in qua capiantur, & trahantur in pœnam. Aliquando vehementer Iudæi accusabant Iesum apud Pilatum, dicentes Ioann. cap. 19. *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit.* Itaque & manifestum legisfragium, & Deo iniuriam illatam aduersus Iesum probatam se clamant habere, & nihilominus iudex pro Iesu innocentia stans de eius libertate cogitabat. Quid tunc Iudæi? Iterum clamant: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris: omnis, qui se regem facit, contradicit Cæsari.* Cùm Dei iniuriam despici vident, Cæsaris iniuriam prætendunt. Sed cur cùm Deum offensum proposuerant, addunt modò & Cæsarem offensum? An Cæsaris offensa poterat apud iudicem valentior apparere ad perdendum Iesum, quàm Dei offensa? Equidem maius quid erat imperiale nomen ad perdendum Iesum, quàm legisfragium, quàm Dei offensa, ideò impij, cæteris dimissis, hoc vnũ apud Pilatum prætendunt. Vnde ait D. August. hom. 5. de Pass. *Maiorem timorem se ingerere putauerunt Pilato terrendo de Cæsare, vt occideret Christum, quàm superiùs, vbi dixerunt: Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori, quia filium Dei se fecit.* Sciebant impiissimi homines, quòd esset efficacius telum aduersus iustum virum, si vel regiæ offensæ prætextus proponeretur, quàm si legisfragium, quàm si Dei offensa: vnde vt maius quid agant aduersus Iesum, Cæsaris iniuriam prætendunt, sub qua necessum erat, vt innocentissimus Iesus apud iniquum iudicem malè haberet. Vix est virus perniciosius viris sanctis, quàm quod in Regum præcordiis nascitur. Marcus cap. 6. *Misit Herodes, & tenuit Ioannem, & vinxit eum in carcerem propter Herodiadem, &c.* Mirabar, quòd qui solùm vox erat clamantis in deserto, possit alligari, quando vt dicebat Paulus: *Verbum Dei non est alligatum.* Si non alligatur Verbum, quomodo vox poterit alligari? Quomodo potuit teneri in domo carceris, qui in vastissima eremo à primis annis versabatur? Quomodo potuit percuti, qui salutem mundi nuntiabat? Ait D. Basil. Sel. orat. 18. *Herodianis affectibus vsus diabolus viam aperit ad Baptistæ mortem. O pulchrè excogitatam à diabolo insaniam! Carnificem statuit in Ioannem Regem ipsum.* Nec aliter posset vaferrimus hostis nocere Ioanni, nisi illum infensum Regi statuere procuraret.

Ioan. 19.

August.

Marc. 6.

D. Basil.

Dan. 6. Quod verbum cùm audisset Rex, satis contristatus est: & pro Daniele posuit cor, vt liberaret eum, & vsque ad occasum solis laborabat, vt erueret illum. Viri autem illi intelligentes Regem, dixerunt ei, scito Rex, quia lex Medorum, atque Persarum est, vt omne decretum, quod constituerit Rex, non liceat immutari. Tunc Rex præcepit, & adduxerunt Danielem, & miserunt eum in lacum leonum. Dixítque Rex Danieli, Deus tuus, quem colis, ipse liberabit te.

§. XII.

Vt Rex Regum Christus pro hominum salute disceptauit, laborauit, & doluit pro damnatis.

QVam bonus iste Rex Darius, pro Danielis damnatione ad leones vehementer tristatus est, & apposuit cor suum, *vt liberaret eum, & vsque ad occasum solis laborabat, vt erueret illum.* Laborabat, inquam, hoc est, iuxta Lyræ expositionem longam texebat disputationem pro Daniele liberando, & edicto, regiáque lege interpretanda. Miraris, quòd Rex potentissimus, sic disputet, & laboret, & doleat pro liberando seruo? Sed accipe, quod mirere magis, quando Rex regum, & Dominus dominantium Christus filius Dei sic agit hominum causas, vt pro illis vsque ad occasum vitæ non desinat cũ patre disputare, nullum laborem, sudorémque pro illis refugiat, imò vehementer doleat, quòd aliqui damnati maneant. Vis videre nobilẽ pro nobis disputatorem? De Salomone dicebat 3. Reg. 4. *Disputauit super ligna, à Cedro quæ est in Libano, vsque ad hyssopum, &c.* Quæ verba vniuersi mystæ ad Christum trahunt, sed quando disputauit Christus super lignis, nisi quando actus in crucem, super illo viuifico ligno positus, cum Patre egit de salute humana vsque ad solis occasum? Diuus Isidor. Hispalen. in 3. Reg. cap. 3. *Super ligna autem disputauit Christus, dum in cruce pependit.* Quippe in cruce existens nobilis disputator, ibi multus erat in salute humana procuranda; tot ora pro nobis liberandis aperiebat, quot erant acceptæ plagæ. Et quantus istius disputationis labor? D. Lucas c. 22. eius solum initium repræsentans, inquit: *Et factus in agonia, prolixiùs orabat. Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis.* Vehementer pro hominibus liberandis laborabat, qui sic sudabat, qui sic omnibus corporis membris lacrymabatur. Vt dicat D. Ber. ser. 3. in Ramis: *Ventum est ad orationẽ, & factus in agonia orabat. Vbi quidem non solis oculis, sed quasi membris omnibus fleuisse videtur.* Quid laboriosius? Laborabat equidem Iesus cum sudore, & lachrymis nitens hominem à damnationis æternæ sententia liberare. Quò spectans Paul. ad Hebr. c. 5. *In diebus carnis suæ preces, supplicationésque ad eum, qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens exauditus est, &c.* Quò tendebat tantus Christi clamor? Tot riui lacrymarum? Tam inauditus sudor sanguinis? An iis curabat ipse à morte liberari? Absit, sed in iis omnibus laborabat regalissimus Princeps Iesus, vt erueret nos à diaboli potestate. Ex quo sapienter inquit Primasius: *Dicitur autem Iesus fudisse preces, supplicationésque cum lacrymis, non timore mortis, quam sponte suscipiebat, sed causa nostra salutis.* Omnia hęc laborum, sudorúmque & lacrymarum, & precum, & supplicationum machinamenta, à Christo Rege Regum adhibita sunt, vt nos à damnationis sententia liberaret. Vnus enim, & maximus erat dolor nobilissimo regi nostro, nimirum, si aliquis homo maneret damnatus. Vnde Matth. 27. de illo cruci affixo locutus, ait: *Iesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum.* Et quid denotabat ille nouus, & inauditus clamor spirantis? Magnus Hilar. can. 33. ait: *Spiritum cum clamore magnæ vocis emisit, dolens non omnium se peccata portare.* Hoc dolebat adhuc in extremis constituturus, & huius doloris vi clamabat dũ ageret animam, quòd non omnes ad salutem properarent, sed aliqui remansuri essent in peccatis damnandi.

3. Reg. 4.

D. Isidor.

Luc. 22.

D. Bern.

Ad Hebr. 5.

Matt. 27.

Hilar.

§. XIII.

Nunquam non triste, & calamitosum est regio animo, quòd seruus ille aliquando acceptus in perditionem eat.

AVdito verbo de Danielis damnatione Rex Darius *satis contristatus est, &c.* Sed quomodo Rex potentissimus, & clarissimus tristari potuit in vnius seruuli perditione? Ait Carthus. *Rex satis contristatus est, quòd clarissimum condemnaret ad mortem, & virum vtilissimum regno perderet.* Nunquam, mihi crede, non calamitosum, & tristitiæ plenum regio animo est, quòd vel seruulus sibi aliquando acceptus, & regno vtilis, in perditionem eat. Cùm maximus Rex Regum Iesus esset in cruce, vt saluaret homines; ait D. Matth. c. 27. *A sexta autem hora, tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam. Et circa horam nonam clamauit Iesus voce magna dicens: Eli, Eli Lammasabacthani: Hoc est, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Antequàm tenebræ fierent, per vniuersa tormenta passionis, à primo cõprehensionis puncto nulla vox Christi audita est, quæ tristitiam, aut querelam apud Patrem monstraret. Cùm primùm tenebræ operiere Iudæam, ecce statim luctuosus clamor, & querela, qua se derelictum, & desolatum clamat. Et cur post tenebras in regalissimo Christi ore clamor derelictionis, & desolationis apparet? In tenebris illis Iudęam operientibus ostendebatur, vt populus Iudaicus, qui tandiu acceptus fuerat, Christique œconomiæ seruierat illam adumbrans, iam tenebris, & perditioni dabatur. Quomodo ergo regalissimus Christi animus non clamet se derelictum, & desolatum, visa manifesta perditione populi tamdiu accepti, & grati? Origen. hom. 35. *Postquam autem vidit super omnẽ Iudæam tenebras factas dixit, magna voce sua. Quare me dereliquisti? Illud ostendere volens per hæc, quid volens dereliquisti me pater, & talibus exinanitum calamitatibus tradidisti, vt populus, qui fuerat apud te honoratus, implens mensuram patrum suorum, priuetur lumine tuæ prospectionis, & fiat in tenebris.* Et quis

Carthus.

Matth. 27.

Origen.

non dolenter aspiciat perditionem seruuli tamdiu habiti inter gratissimos? Hanc desolationem & derelictionem durissimam æstimat regalissimus, & diuinissimus meus Christus, qui vt super omnes Reges est, sic super omnes illos se putat desolatum, & derelictum, cùm videt instare iam perditionem populi antea sibi dilectissimi, & regno suo vtilissimi. Hinc audita morte Saulis Regis, & Ionathæ filij eius, 2. Reg. 1. *Apprehendens Dauid vestimenta sua scidit, omnesque viri, qui erant cum eo, & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt vsque ad vesperam super Saul.* Dauide flente, & ieiunante pro Saule, vniuersi & flent, & ieiunant pariter cum eo. Aliter autem accidit dum Dauid Abnerum fleret, tunc enim 2. Reg. 3. flente Dauide omnes flent, ieiunante autem Dauide, nullus alius ieiunat, ait textus: *Cùmque venisset vniuersa multitudo cibum capere cum Dauid, clara adhuc die, iurauit Dauid dicens: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si ante occasum Solis gustauero panem. &c.* Quod quæstionem facit Abulens. & est trigesima tertia, cur cùm Dauide ieiunante pro Saule, tot ieiunant, pro Abnere autem solus Dauid ieiunat, nullus alius inuenitur, qui velit ieiunare? Erat Saul Rex populi, Abner autem solùm erat seruus Regis, ad conseruationem regni multum necessarius. Qui autem pro Regum casibus doleant, multi sunt, etiam inter populares; verùm qui pro seruo doleat, solus inuenitur Dauid, solus inuenitur regius animus. Regalissimi animi insigne est, quòd doleas serui tibi accepti miserum casum.

2. Reg. 1.

2. Reg. 3.

§. XIV.

Quod Reges emendare non possunt, quamuis velint, id diuina cura, & prouidentia emendabitur.

VIctus tandē Darius, & nihil proficiēs in Daniele liberando, illū hostibus tradidit, dicēs: *Deus tuus, quem colis, ipse liberabit te.* Cur Rex sic audacter promittis ex Deo liberationem hominis tradiți coottarius? Cur non magis satagis tu illum liberare? Fecerat Rex quidquid potuerat, & videns, quod nihil aliud posset sine ingenti periculo suo, rem Deo committit, à quo non dubitat venturum remedium salutare, quādo diuinæ curæ est illa corrigere, quæ Reges etsi volentes non valent. Ait D. Hier. *Quod ipse obtinere non poterat, potentia Dei committit: Non ambiguè loquitur, sed audacter affirmat. Deus tuus liberabit te.* Est hoc quasi debitum diuinæ prouidentiæ, & potestatis, quod illis rebus accurrat, quæ corrigere, & emendare Reges non valent. Non absimile accidit Dauidi, 2. Reg. 3. vbi Abner dolo Ioabi occisus occubuit, rem adeò turpem Rex indignè tulit, & vehementer cupit illam statim vindicare, sed cùm recens creatus esset Rex, non ausus est aliquid moliri aduersus potentissimum Ioabum, nihilominus dicit: *Ego autem delicatus sum, & vnctus Rex. Porrò, viri isti filij Saruiæ duri sunt mihi, retribuat dominus facienti malum, iuxta malitiam suam.* Et cùm tu Rex sis, ô Dauid, cur etiam malos non corrigis? Cur id remittis soli Deo? Non poterat bonus Rex in adeò recenti throno aduersus potentissimos duces stare, & ideò quod ipse volens non potest castigare securè diuinæ potestati id committere valet. Iosephus in Glossa fatur: *Saruiæ filiis nihil preualeo facere, cùm sint memetipso potentiores, sed vicem eis reddat diuinitas.* Nec dubitandum est, ad Deum spectare correctionem illorum, quæ Reges etiam volentes corrigere non valent. Quod autem valent corrigere, & non corrigunt, id exitiale illis est. Achabo enim dimittenti blasphemum Benadab ait Dominus per Prophetam, 3. Reg. 20. *Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima illius.* Vbi Carthus. ait: *Quia dimisisti Benadab regem blasphemum, quem Deus dedit in manum tuam, vt eum occideres, tu occideris pro eo.* Quam pœnam putent vniuersi Reges & potestates sibi à Deo decretam; si enim quos possunt reos corripere, dimittunt, eorum pœnas apud Deum luent.

D. Hier.

Ioseph.

3. Reg. 20.

Carthus.

Dan. 6. Allatúsque est lapis vnus, & positus est super os laci, quem obsignauit Rex annulo suo, & annulo Optimatum suorum, ne quid fieret contra Danielem. Et abiit Rex in domum suam, & dormiuit incœnatus, cibíque non sunt allati coram eo, insuper & somnus recessit ab eo. Tunc Rex primo diluculo consurgens, festinus ad lacum leonum perrexit, appropinquánsque lacui Danielem voce lacrymabili inclamauit, & affatus est eum. Daniel serue Dei viuentis, Deus tuus, cui tu seruis semper, putásne, valuit te liberare à leonibus?

§. XV.

Regium splendorem decet, quòd in bonis affectibus faciat, imò cogat sibi similes esse Optimates & Principes.

COactus Darius Danielem in leonum lacum immittere, nihilominus ne quid aliud damnum ab hominibus illi inferatur, obstruit ostium laci, illúdque obsignat annulo suo, & annulo Optimatum. Ait enim. *Quem obsignauit Rex annulo suo, & annulo Optimatum suorum, ne quid fieret contra Danielem.* Esto quod annulo suo obsignet Rex ostium laci, ne quid mali fiat contra Danielem, quid necessum fuit Magnatum etiam annulis obsignari? Nonne Rex sciebat Magnates omnes aduersus Danielem conspirasse? Nonne sciebat à Magnatibus accusatum, & traditum leonibus? Nonne sciebat ex quanis Danielis ruina magnam lætitiam affulsuram Magnatibus? Cur ergo facit, quòd ab illis obsignetur lacus, vt indemnis seruetur Daniel? Sanè vt decebat regem, ita damnatū iustum honorare, & annulo suo defendere: sic etiam decebat ipsum Regem in eiusdem honorem, & defensionem debitam facere, quòd venirent omnes eius Magnates, & Principes Babylonij, ne in re adeò honesta à Rege dissimiles esse videantur. Notissimum est illud Ioabi infame facinus, quo dolosé interfecit Abnerum. huius funus satis dolenter tractans Dauid 2. Reg. 3. *Dixit ad Ioab, & ad omnem populum, qui erat cū eo. Scindite vestimenta vestra, & accingimini saccis, & plangite ante exequias Abner. Porrò, Rex Dauid sequebatur feretrum.* Ecce tibi dum luctus pro Abnere celebratur; iubet Rex, quòd Ioab princeps militiæ luctuosum habitum præferat cum omni exercitu suo. At Ioab is ipse erat, qui Abnerum interfecerat: cur ergo Rex Ioabum cogit, vt funeri intercedat, & luctum agat, in funebri pompa pro eo, quem ipse interfecerat, & de cuius interitu prorsus lætabatur? Quæstionem sapienter absoluit Abul. quæst. 32. *Fecit hoc Dauid ad indicandum, quòd Ioab dolebat de facto suo, cùm ipse plangeret hostem. Nam si Ioab non iuisset ad plangendum, sed mansisset gaudens in domo, tanquam egisset aliquid valde laetum, esset magnum dedecus Dauid, quod de eodem ipse plangeret, & viri sui gauderent. Voluit autem quòd planctus sunt communis esset ad omnes, ideò compulit Ioab plangere.* Bonus Rex nihil honestum & iustum voluit non esse commune, & sibi, & Principibus suis; vt enim dedeceret Regem in re honesta habere sibi Principes dissimiles; sic maximè regiam dignitatem decet, quòd Magnates omnes suos cogat, & compellat in re honesta viuere ad regium nutum. Hinc Ecclesiastes c. 10 ait: *Beata terra cuius Rex nobilis est, & cuius Principes comedunt in tempore suo.* Sub eadem laude ponit & Regis nobilitatem, & temperantiam Magnatum, & Principum, sciens inde magis splendorem regium clarere, si Magnates suos Rex trahat in virtutes suas. Et hoc tantum est honorificentius in regibus, quantum illi efficacissimi sunt ad persuadendum quidquid volunt Principibus. Vt dicat Isaias cap. 32. *Princeps, quæ sunt digna Principe, cogitabit, & ipse super duces stabit.* Habet hoc bonus princeps, quòd nihil indignum admittat, sed ad virtutes promptus sit, & super duces stet, hoc est, Principibus, & ducibus instet, vt in simile adducat. Et quo non adducet Rex Principes? Ait D. Synes. lib. de regno: *Cùm multa sint à Deo regia dignitati præstabilia, beatáque concessa, tum non minus, imò multo magis cæteris omnibus mirabitur tam vim quispiam, quam in subditorum animis præcipuam habet. propterea quòd Rex quamlibet ingenij opinionem veteri consuetudine, ac antecedentibus delitiis institam tum nullo negotio mutat, cùm id quod contrarium est in pretio habere, maximéque facere videtur. Quocunque enim Rex gaudet, hoc subinde inualescere, studioséque à plerisque affectari necessum est.* Quando ergo Rex sic potens est in subditorum affectibus, indecens est, & valde turpe, quòd in re virtutis solus sit, & non faciat secum Magnates & Principes sentire.

2. Reg 3.

Abul.

Eccl. 10.

Isai. 32.

D. Synes.

§. XVI.

Qui Aulici malè agunt, dum liceat nequissima sua optata perficere; Regis mœrorem, aut tristitiam nihili ducunt.

MIror Regem Darium post Danielis calamitatem in summa esse tristitia, & mœrore; sed illud magis mirandum,

dum, quòd sic mœrentem, & dolentem Regem nec vnus è Magnatibus conueniat, nec sit, qui curet Regem ab illa leuare tristitia. Ait enim textus: *Abiit Rex in domum suam dormiuit incœnatus, cibique non sunt allati coram eo, insuper, & somnus recessit ab eo. Tunc Rex primo diluculo consurgens, festinus ad lacum leonum perrexit, Danielem voce lacrymabili inclamauit, Daniel serue Dei* Quis vnquam maiori affectus tristitia, quàm Rex iste? Et sic mœret, dum præ tristitia abiicit cibos, dum lacrymas, & gemitus fundit, sic ab omnibus Magnatibus Regiæ relinquitur, vt nullus appareat, qui nitatur regem ab illo amouere luctu. Similiter dolebat, & flebat Dauid, cùm audiuit Absalonem occisũ, at vt dicit 2.Reg.19. *Nuntiatum est Ioab, quòd Rex fleret, & lugeret filium suum. &c. Ingressus ergo Ioab ad Regem in domum, dixit. Confudisti hodie vultus omnium seruorum tuorum, qui saluam fecerunt animam tuam, &c. Nunc ergo surge, & procede, & alloquens satisfac seruis tuis, &c. Surrexit ergo Rex, & sedit in porta, &c.* Ecce tibi Ioab, qui & ipse interfecerat rebellem Absalonem, non potest ferre, quòd Rex sit in luctu, & tristitiis, illúmque cõuenit, & totis viribus ab illo luctum vel vi depellere nititur, & facere, quòd siccis lacrymis, lætantibus oculis exercitum victoriosum accipiat. Cur simile non factum est cum Rege Dario? Cur eum illum dolere, & illacrymari ad Danielis calamitatem sciunt, non Regem conueniunt illi ipsi magnates, euius decreto, & sententia traditus fuerat Daniel leonibus, & Regis dolorem nituntur lenire? Cur non magis extorquent à Rege quod lætetur in vlius rei damnati perditione? Nonne & Rex erat Darius, vt Dauid? Cur vt Dauidis mœrorem curat Ioab depellere, non idem procurat in Dario aliquis Babylonius Princeps? Sanè Principes Babylonij vniuersi malitiosè, & peruerse agebant, dum Danielem immerentem occidunt; qui autem Aulici malè agũt, dum liceat suam adimplere nequitiam, nil curant de Regis mœrore, aut tristitia. Ioab autem vt præclarè se gesserat aduersus rebellem, sic non contentus est bona operari, nisi etiam lętum, & alacrem Regem videat, ab illóque omnem absterget mœrorem, & tristitiam. Tristissimum Idumæi regis Iobi statum penè omnes nouerunt, vt filiis, & bonis orbatus à throno in sterquilinium deciderat. Interea Iob c.2. *Audientes tres amici Iob omne malũ, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites, condixerant enim, vt pariter venientes, visitarent eum, & consolarentur.* Sic amici Iob, vt audierunt eius tristem euentum, aduolarunt, vt consolationem afferrent Regi charissimo. Quàm aliter factum est cum rege Antiocho. 1. Machabæor.6. de quo textus: *Incidit in languorem præ tristitia: quia non factum est ei, sicut cogitabat. Et erat illic per dies multos, quia renouata est in eo tristitia magna, & arbitratus est se mori. Et vocauit omnes amicos suos, & dixit illis. Recessit somnus ab oculis meis, & concidi, & corrui corde præ sollicitudine, & dixi in corde meo, In quantam tribulationem deueni, & in quos fluctus tristitiæ, in qua nunc sum, qui iucundus eram, & dilectus in potestate mea? Et vocauit Philippum vnum de amicis suis, & præposuit eum super vniuersum regnum, &c.* Compone modò Regem cum Rege; Iobum cum Antiocho; vterque in calamitatẽ incidit; vterque in luctu, & mœrore maximo erat. Sed ad Iobum aduolant amici, vt consolarentur illum, ad Antiochum autem nullus est amicus, qui ex se accedat; necessum est, quòd illos vocet Rex ipse, & suum illis mœrorem lethalem dicat, & sic vocati, & instructi de Regis mœrore, nec vllum verbum consolationis proferunt, solùm dicitur Philippus accepisse clauum Reipublicæ. Quid mirum? Sanctissimo Iobo sancti & iusti erant amici, vt probat Orig. Olympiod. Chrysost. Gregor. citati à Pineda in Iob cap. 2. vers. 11. at sancti Principes, & boni, nihil magis optabant, quàm omnem mœrorem à Rege amico depellere, illique ingentem consolationem afferre, qua leuaretur in casu adeò tristi. Verùm nequissimo Antiocho, & amici, & familiares omnes erant pessimi, & ideò non curabant de Rege consolando, nec illis erat curæ, quòd Rex immodica absorberetur tristitia, dum ipsi in Rempublicam liberè sua exercerent latrocinia.

2.Reg.19. — Iob 2. — 1.Mach.6.

§. XVII.

Non paruum virtutis lucrum affert etiam hominibus impiis bonorum amicitia.

AVdio in idololatra, & impio rege verba religiosa, & pia erga verum numen; clamat enim, *Daniel serue Dei viuentis*, & vnde idolorũ cultor, Deum viuum putat illum, qui à Daniele colebatur? Sanè hoc acceperat Darius ex Danielis amicitia, quòd Deum verum, & viuum clamaret: nunquam enim non proficua est bonorum amicitia etiam impiis. Salomon, ædificaturus domum Domino, memorans fœdera, & amicitiam Dauidis cum Hiram Rege Tyri ethnico, misit ad illum, vt inde acciperet & ligna cedrina, & sapientes artifices ad omne opus illustre. Quid tunc Hiram? Ait text. 2. Paralip. 3. *Dixit autem Hiram Rex Tyri per literas, quas miserat Salomoni, &c. Benedictus Dominus Deus Israel, qui fecit cœlum & terram; qui dedit Dauidi Regi filium sapientem, & eruditum, &c.* Expende, vt ethnicus, & idololatra Rex prædicet Deum Israelis creatorem cœli, & terræ. Vnde idololatra Rex tam pium sensum, tam veram notitiam accepit de Deo? Imò vnde tantam virtutem, vt sic velit verum Deum confiteri? Idololatra erat Rex iste, sed amicitiam cum Dauide piissimo habuerat, ex qua nõ potuit aliquod pietatis lucrum non habere. Theod. ibi: *Quantum iuuet piorum amicitia, docet Hiram rescribens; Benedictus Dominus Deus Israel, qui fecit cœlum & terram. Est autem perspicuum, quòd ex ea, quæ ei fuit cum Dauide, consuetudine didicerit, quòd Deus Israel est creator cœli, & terræ.* Consuetudo, quæ fuit inter Hiram, & Dauidem, non potuit non esse fructifera Hiramo, illíque Dei, virtutísque aliquam notitiam inserere. Semper enim amicitia, & consuetudo cum bonis aliquod fructum meris. Erat Rex Samariæ nequissimus Achabi filius, qui tamen cum Elisæo consuetudinem habebat, de cuius consilio vel hostili exercitui cibum dederat: is cum à Syrorum Rege arctissimè vallaretur, eò deducta res est, vt matres præ fame filiorum carnibus vescerentur. Quod memorans textus 4. Reg. 6. ait: *Quod cùm audisset Rex, scidit vestimenta sua, & transibat per murum. Viditque omnis populus cilicium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecus.* Mirabar in rege idololatra tantam virtutem, qua sic maceraretur, vt cilicio nudũ corpus circumdaret. Quod etiam miratus Caietanus, causam eius indigitans, ait: *Ecce fructus Elisæi in Rege: affligebat se Rex cilicio instructus ab Elisæo.* Id fructus Prophetæ consuetudo attulit Regi, vt sese asperè tractaret coram Deo, si fortè inde misericordiam consequeretur. Nullus enim adeò efferus est, qui si cum bonis ineat fœdus, aliquam inde virtutem non ebibat. De Abrahamo locutus textus Gen. 14. ait: *Habitabat in conualle Mambre Amorrhæi fratris Escol, & fratris Aner, hi enim pepigerant fœdus cum Abram.* Ex eo autem quòd Amorrhęi isti dicantur fœdus habuisse cũ Abram piissimo viro, colligit Lippomanus illos ad verã virtutem, verámque religionem fuisse tractos. Quippe ait In Cat. *Vt nota facta fuerat probitas, & sanctimonia viri, sic illos quoque viros bonos latere non poterat, cuius ob id societatem ambierunt, licet hominis peregrini, à quo profecerunt, & adiuti sunt. Quod etsi infideles, & simul improbi fuerunt, quia tamen inter eos demorabatur iustus, iure potuit cum eis in licitis fœdus contraxisse, vt propterea ad vnius veri Dei cultum illos attraheret. Quod & fortè antea fecit.* Sic confidit bonus doctor de bonorum consuetudine, & familiaritate, vt præsumat viros illos Amorrhæos fœderatos cum Abraham, inde ad veri Dei cognitionem fuisse adductos, quando nunquam non est proficua bonorum amicitia.

2. Par. 3. — Theod. — 4. Reg. 6. — Caietan. — Gen. 14.

Dan. 6. Et Daniel Regi respondens ait, Rex in æternum viue. Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi: quia coram eo iustitia inuenta est in me: sed & coram te Rex delictum non feci. Tunc vehementer Rex gauisus est super eo, & Danielem præcepit educi de lacu: eductúsque est Daniel de lacu, & nulla læsio inuenta est in eo, quia credidit Deo suo. Iubente autem Rege adducti sunt viri illi, qui accusauerunt Danielem, & in lacum leonum missi sunt, ipsi, & filij, & vxores eorum, & non peruenerunt vsque ad pauimentum laci, donec arriperent eos leones, & omnia ossa eorum comminuerunt.

§. XVIII.

Rabidissima quæuis potentia lucris satur, aut metu correpta mansuescit.

IDeò prædicat Daniel suam indemnitatem inter leones famelicos, quia Angelus Domini eorum oppilauit ora; ait enim:

enim: *Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum, & non nocuerunt mihi.* Sed præter leonum ora, quæ conclusa erant, restabant in leonibus vngues, quibus & prændere, & laniare magis solent prædam. Quid ergo interest, quòd Angelus leonum ora concluderet, si liberi manebant vngues? Nonne & concluso ore poterant vnguibus laniare virum? Crediderim ab Angelo timorem fuisse leonibus incussum, & simul ora occlusa, quæ duo ferocissima quæque trahunt ad mansuetudinem. Vbi rabidissimus quisque habet, vnde ora impleat, & abundantibus dapibus occludat, vel vnde aliquid metuat sibi; fallar, si velit inde nocere alicui. Nullus feralior inuentus est homo, quàm Andronicus Cyrenes Præfectus, qui vbi ingressus est Præfecturam, mille tormentorum genera exercuit, vt lucra ex miseris ciuibus conquireret. De huius feritate, & crudelitate multa memorans D. Synesius epist. 79. tandem inquit: *Soli verò apud eum possunt Zenas, & Iulius, quorum Zenas ille est, qui duplex hoc anno vectigal extorsit, atque illo volente Andronico plurimum potest: Iulius verò inuito ac plorante, nec in quemquam fortior, quàm in Andronicum extitit. Bis enim iam ac ter in illu vociferans, & conuitiis proscindens scelus illud mitem ex leone reddidit. Atque ex illo tempore eo tamquam mancipio vtitur.* Ecce tibi vt feralissimum mortalium mansuetum tenent, & Iulius metu, & Zenas oblatis in dies tributis nouis à populo extortis. Nulla est, mihi crede, hominis rabies adeò ferox, quæ non cicuretur acceptis lucris, quibus possit impleri. Hinc de Israele inter feralissimos, crudelissimósque hostes habitante ait Oseas cap. 8. *Onager solitarius sibi Ephraim, munera dederunt amatoribus suis.* Græcè legunt ex D. Cyril. priora verba. *Refloruit per seipsum Ephraim.* Et mirum quòd Ephraim inter tot hostes, qui vehementer amabant eius bona capere; tamen florebat illæsus. Vnde habuit Ephraim sic inter rabidissimos hostes posse illæsus florere? Ait, *munera dederunt:* crebris muneribus missis rabidissimam hostium famem, eorúmque inhiantia ora opplebant, quo comparabant, vt possent aliquandiu florere. Ibi pulchre D. Hieronym. *Quia amant offerre aduersariis munera, ideò paulisper beneficium consequentur.* Ne timeas rabidissimos leones, feralissimas belluas, dum eorum ora possis occludere exhibitis muneribus: iis enim ex leonibus facies agnellos. Tota rabidissimorum hostium feritas in ore esse dicebatur à Ierem. 51. *Comedit me, & deuorauit me Nabuchodonosor Rex Babylonis; reddidit me quasi vas inane, absorbuit me quasi draco, repleuit ventrem suum teneritudine mea.* Similiter & de exercitibus vastantibus Israelem loquens Ioel cap. 1. *Residuum erucæ comedit locusta, residuum locustæ comedit bruchus, residuum bruchi comedit rubigo.* Et locustæ, & brucho, & rubigini tota feritas in ore solo est; vt pateat quòd si semel rabidissimorum os crebris muneribus obstruatur, nullum ab illis restet damnum, quod timeatur. Et rarum erit, & instar portenti, aut miraculi habebitur, quòd si semel os aduersarij datis muneribus oppleueris, ab illo accipias damnum. Quippe 4. Reg. c. 17. postquam Rex Babylonius captiuos adduxerat Israelitis, & Israelis regiones alienigenis impleuerat, dictum est illi: *Gentes, quas transtulisti, & habitare fecisti in ciuitatibus Samariæ, ignorant legitima Dei terræ, & immisit in eos Dominus leones, &c.* Circa quæ verba haud inelegans quæstio est, vnde isti nouerint leones istos fuisse immissos à Deo, & non naturali impetu illos venisse? Id quod potuit euidenter patere ex eo quòd leones illi laniantes, & interficientes plurimos, nec carnes comedebant, nec sanguinem sugebant; vbi autem obstruso ore ad comedendũ nihilominus sæuiebant feræ, meritò putabatur id non naturæ vi obuenire, sed supernaturaliter ex Deo. Ait Abul. ibi quæst. 13. *Fortes leones isti solùm occidebant viros & fœminas, & nullum cadauer comedebant, vt tunc manifestè appareret, quia Deus immittebat eos. Quia sic factum est de viro Dei, quem percussit leo: nam Deus misit leonem ad percutiendum eum, & non lacerauit cadauer eius, nec comedit quicquam, nec etiam læsit asinum, sed manebat mansuetus apud asinum, & cadauer, tanquam essent duo asini, & non leo?* Rem adducit ex 4. Reg. cap. 13. & ex iis probat, quam supernaturale sit, quòd vbi feritas quædam obturatum os habet, ne comedat, nihilominus desæuiat.

D. Synes. — Oseas 8. — D. Hier. — Ier. 51. — Ioel 1. — 4. Reg. 17. — Abul.

§. XIX.

Gula in animalibus magna causa sæuiendi, imò præcipua.

ANgelus mansuefacturus leones, nihil circa eorum vngues ligandos fecit, sed totus fuit in ore obstruendo, *conclusit enim ora leonum, & nõ nocuerunt.* Et quidem sapienter, quando gula in animalibus magna est & præcipua causa sæuiendi. Vis videre crudelitatis monstrum, quod gula pariebat? Alexander Rex Ierosolymorum post victoriam de hostibus, multos Iudæorum in ciuitatem cogit, cui nomen Besemelel. Quid tunc? Ait Egesippus lib. 1. de Excid. cap. 10. *Besemelelis expugnatio acerbiorem solito pestem inuexit, tam sanè crudelitatem processu, vt ex eo numero in media ciuitate crucifigeret. Quorum in conspectu coniuges eorum, filiósque iugulari præcepit. Hæc spectabat accumbens in medio concubinarum, latus inter escas, & pocula, sed magis sanguine, quàm vino inebriatus.* Quis octingentos homines tot crucibus suffixos videns, adhuc gauderet videre & coniuges, & filios eorum coram interfici, nisi qui esset inter epulas gulæ seruiens? Fallar, si tanta crudelitas possit capi nisi in epulantis pectore. Crudelissimum hominem aduersus miserum Lazarum, vt Dominus depingeret, ait Luc. cap. 16. *Homo quidam erat diues, & induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie splendidè.* Non enim potuit tanta crudelitas hominis obdurati ad pauperis gemitus, nisi inter epulas reperiri. Quò spectans D. Chrysolog. serm. 2. ait: *Epulis blandis ferrea viscera crudelis anima nutriebat,* ea nullo magis crudelitas sese roborabat, & duritiem indomabilem addebat, quàm ea epulis. Quò respicit illud Oseæ cap. 7. *Dies regis nostri. Cœperunt principes furere à vino.* Equidem vbi Ieroboami inaugurationem celebrabant epulis dediti principes Israel, eo cœperunt corripi furore, vt quasi furiosi hinc inde coram Idola saltantes, multa crudelitatis plena efficerent. Quò respiciens Carthus. aiebat: *Principes vestri gulæ seruiebant, &. præ ebrietate vini, vsum rationis amittentes, cultui idolorum imprudenter vacabant, vt furibundi.* Itaque dum gulæ seruiunt, idolis vacant vt furibundi, quò putarim trahi in memoriam Bacchanalium furiosissimam insaniam, de qua Tertul. in Apolog. inquit: *Ipsis Bacchanalium furiis nec mortuis parcunt Christianis, quin illos de requie sepulturæ, de asylo mortis iam alios, iam nec totos auellant, dissecent, distrahant.* Solemne erat è Bacchanalium conuiuiis homines prosilire iis furiis agitati, qui obuios quosque percuterent, etsi in Christianos semper crudeles erant gentiles, tamen inter has Bacchanalium epulas, eò procedebat crudelitas, vt nec Christianos ab illis defenderet mortis, sepulchríque asylum. Quando vel ossa à sepulchris eruebant, milléque contumeliis raptabant per vrbem. Quid feralius? Et hanc feritatem pariebant Bacchanalium conuiuia. Ad eum modum ait Carthus. dum principes Israelitæ vacabant gulæ, simul & vacabant idolorum festis vt furibundi, furiosa, & crudelia exercentes per vrbem. Et quid aliud pariant carnalium epularum ferales ingluuies? Equidem Exod. 12. dum agni immolationem hominibus salutarem commendat Dominus, sic iubet Israelitis: *Edent carnes nocte illa assas igne, & azymos panes cum lactucis agrestibus.* Ex quibus verbis concludit D. Zeno, non potuisse in illo Paschate esse, vnde salus speraretur mundi, quando ex carnium ingurgitatione, non salus oritur, sed magis nascuntur crudelissima latrocinia. Quippe ait serm. 8. de Exod. *Agnus salutaris, qui designatur ex ouibus, & ex hœdis inter pecora non potest inueniri. Sanè omnium greges insontes interficit Iudæus, quos in amaritudine assumit. Quis non intelligat fratres, illud Pascha non esse, sed bramosum latronis cruenti conuiuium?* In vanum quærebatur salutaris agniculus inter carnalia fercula, ad quæ tot hœdi, tot agni mactabantur, vt possint gulæ Israelitarum seruire. Vix à ferculis carnium alitur aliud, quàm latronis feritas cruentissimi.

Egesipp. — Luc. 16. — D. Chrysol. — Oseas 7. — Carthus. — Tertul. — D. Zeno.

§. XX.

Nullus adeò ferox, & intractabilis homo est, qui non habeat, vnde eius possit acquiri familiaritas.

QVis leone famelico ferocior, & intractabilior? Sed & Daniel apud famelicos leones inuenit gratiam: missus enim est à Deo Angelus, qui *conclusit ora leonum, & non nocuerunt ei.* Sed quid fecit Angelus, vt leones ferocissimos redderet Danieli mites, & faciles? An illorum naturam immutauit? An ferreis vinculis eorum adstrinxit ora? Absit, sed in ferocissima leonum natura requisiuit partem illam, qua vel ferocissimi leones leniri, & suauiari solent; ea enim est, qua excipiunt proprios catulos. Per hanc cognitam partem aggreditur Angelus leones, sic eorum phantasma mouendo ad aspectum Danielis, vt ipsum moueri solebat, cum aspiciebat proprios catulos. Crede mihi, nulla est adeò ferox natura, in qua non sit pars aliqua suauitatis; dexteritas autem hominis in hac parte consistit inuestiganda, post illam

cognitam, non difficile est quod inde ferocissimum quemquam trahat in sui familiaritatem. Accipite D. August. lib. 2. de Mirab. sacræ Scripturæ c. 139. in fine dicentem: *In hoc tam insigni facto, non natura in leonibus mutatur, sed insita à conditionis initio, sua parte per Angelum à Deo gubernatur. Blanditiem enim, & lenitatem, quam catulis suis leones ostendunt, in Danielem exercebant.* Non aliunde petitum est quo leones redderentur Danieli blandi, sed ex illis ipsis ex natura propria, quam ex prima conditione habent. Vt enim natura leonum est cruenta, & fera ad omnia alia animalia, sic est blanda, & suauis ad proprios catulos. Ex hac parte Angelus sollicitauit, & mouit leones, vnde factum est, quòd illi se gererent erga Danielem, eodem modo, ac si Daniel esset eorum catulus. Ex quo lucem nouam capit Genes. locus cap. 49. vbi sic ait Iacob moribundus filio suo: *Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum?* In quibus verbis non otiosè Propheta, per tria leonum genera, virtutes Iudæ tribus explicuit; quod non fecit in aliis, quas etiam animalibus comparauit: Issachar enim asinus fortis dicitur, Nephthalim ceruus, Beniamin lupus. In solo Iuda posuit & leonem, & leænam, & catulum leonis, quia in hac tribu futuri erant, qui peculiaria leonis, & leænæ, & catuli leonis repræsentarent. Futuri erant fortissimi duces & Reges, qui hostes confringerent, patriam, filiósque acerrime defensarēt, & de hostium spoliis ingentes diuitias compararent. In quo & leonum, & leænarum virtutem repræsentarent. At leonum catulos quis perfectiùs expressit, quam Daniel de tribu Iuda in animositate coram regibus, in mansuetudine coram famelicis leonibus? Cùm enim ferociebant leones præ fame, obiectus illis Daniel fuit, & sic ad illum molliti sunt, & mansuefacti, ac erga proprios catulos. Hoc imitetur homo ciuilis ad gratiam ferocissimorum hominum expiscandam, non multum fidat in externis aliis auxiliis, sed intimos hominis affectus perquirat, quibus altus est, & educatus; & qua parte inuenerit hominem suauiari solere, inde speret se posse in eius venire familiaritatem. Notissima erat fornax succensa à Babylonio tyranno cuius flammæ sead cœlum vsque protendebant, & nihil videbatur in fornace, nisi flammæ. Tunc Dan. cap. 3. missi sunt tres pueri Hebræi in medias fornacis flammas. Angelus autem Domini descendit cum illis, *& excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem.* Expende, quòd Angelus inter medias fornacis flammas fecit ventum irrorantem: vnde traxit Angelus ventum, & rorem in medias flammas? An adduxit illum ex nubibus cœli, vt ibi pueros refrigeraret? Minimè; sed ex ipsius ignis natura intrinseca illud fecit: vt enim ignis ardebat, & viuebat, hoc non fieri poterat nisi ex adhibito pabulo, nisi ex habito mixto aliquo, in quo & aereæ, & humidæ essent partes. Ingressus ergo Angelus in ignem, ex ipsis ignis pabulis, aereas & humidas partes excitauit, quæ in roscidam auram effusæ pueros recreabant. Acutè D. August. lib. 2. de Mirab. sacræ Scripturæ cap. 129. *Quandiu ergo ignis in aliqua terrena materia arserit, ipsius vita in aere, & humore consistit. Vnde potens gubernator ignis naturam inter inimicos, & famos suos diuisit, ardorem terminis flabilem, & humidam aquæ, & aeris substantiam famulis suis conuertit. Quapropter, Angelus Dei descendit in caminum, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem. Ex aere enim spiritum, & ex aqua in ipso igne inuenit rorem.* Sic prorsus in rem nostram, quando nullus est adeò inhumanus, cuius affectus, dum viuit, non alantur terrenis aliquibus substantiis; hoc est, cuius mens non afficiatur ad aliquid: quid hoc sit, cura inuestigare, & ex hac parte secundissimæ te auræ afflabunt.

D. Aug.

Gen. 49.

Dan. 3.

D. Aug.

§. XXI.

Vix vnquam non sentit quis damnum in se, quod aliis melioribus infert.

EXtrahitur à lacu Daniel, & iubente Rege mittuntur in illum, qui Danieli parauerant tantam ruinam, ait enim textus, *adducti sunt, qui accusauerant Danielem, & in lacum leonum missi sunt.* Et quando non euenit, quòd in te sentias damnū, quod alteri intulisti? Notissima est Naboth historia, siue tragœdia, vt propter negatam Achabo paternam vineam fuerit ad mortem petitus; vt lapidibus obrutus euolauit è viuis. De illius morte lætatus Achab veniebat iam vineam possessurus, & ecce tibi Elias factus obuius, hæc regi annuntiat, 3. Reg. 21. *In hoc ipso loco, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.* Quid iustius? Et quid certius solet parare diuina iustitia? Ait D. Ambr. lib. de Nabut. c. 11. *Hinc diuina mouetur sententia & auarum digna seueritate condemnat. Quàm iusta, quàm seuera sententia, vt quam intulit alteri mortis acerbitatem, eam ipse mortis sua horrore dissoluere proderetur. Inhumanum pauperem Deus aspicit, & ideò insepultum diuitem iacere decernit, vt & mortuus luat sua inquietatis ærumnam, qui nec mortuo putauit esse parcendum.* Diuinæ iustitiæ est, quòd suorum oppressio non maneat inulta; sed oppressores gustent calicem, quem Sanctis propinauerunt. Et vix vnquam sanctus vir iniuriam passus est, quæ in damnum non cesserit eius, qui fecit. Quando Israelitæ spoliabantur ab Ægyptiis, & seruitute premebantur, vt eam à tanto malo liberarentur, iubet Deus, vt singuli Israelitæ vasa aurea, & argentea commodatò ex Ægyptiis peterent. Sic Exod. cap. 11. *Dices ergo omni plebi, vt postulet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua vasa aurea, & argentea.* Et cur Dominus noluit educere populum suum ex Ægypto, absque ipsius Ægypti spoliatione in vasis aureis, & argenteis? Volebat Dominus tyrannis ostendere ex damno accepto, quid illis afferat iustorum hominum oppressio. Hinc D. Nazian. orat. 42. sic omnes monet: *Si sapiens es Israelites, ad terram promissionis transfer vasa aurea, eóque nomine discrucietur persecutor, atque ex fraude sibi facta hoc intelligat, quòd tyrannide, ac seruitute meliores frustra opprimebat.* Hoc noscent tyranni vniuersi; quando & se sub damnis illatis gemere, & viros iustos liberos gaudere experientur. Frustraneus est conatus, & maximè damnosus, quando viro iusto, te meliori, damnum inferre tentas, tu sine dubio damnum experieris, numquam enim Deus non faciet, quòd tyranni bonis, & iustis viris subiectentur. Cùm Rex Ezechias per reuersionem Solis signum salutis accepit, ait textus, 4. Reg. c. 20. *In illo tempore misit Berodach Baladam filius Baladam, Rex Babyloniorum, literas & munera ad Ezechiam.* Sæpe aliàs audies quòd Rex Babylonis miserit Ierusalem, vt caperet Regem, vt spoliaret vrbem, vt perderet Iudæos, nunc autem non vt perderet, sed vt muneraret, misit. Et cur superbissimus Rex sic se deiicit, vt velit muneribus ornare regem Israel? Fecit hoc Deus, vt ostenderet, quàm semper meliores tueatur, & calcet tyrannos. Theod. ibi quæst. 51. *Rex Babylonis misit & legatos, & dona ad regem Iudæorum, & quos solebant abducere in captiuitatem, eos honorarunt, tanquam præstantiores. Ita eos reddidit insignes Deus, quem coluerunt.* Sic Deus nunquam non solet viros præstantes virtutibus super tyrannos exaltare, vt ij experiantur abiectiones, quibus ipsi seruos Dei vexabant.

3. Reg. 21.

D. Ambr.

Exod. 11.

Nazian.

4. Reg. 20.

Theod.

Dan. 6. Tunc Darius Rex scripsit vniuersis populis, tribubus & linguis, habitantibus in vniuersa terra, Pax vobis multiplicetur: A me constitutum est decretum, vt in vniuerso imperio, & regno meo tremiscant, & paueant Deum Danielis. Ipse est enim Deus viuens, & æternus in sæcula; & regnum eius non dissipabitur, & potestas eius vsque in æternum. Ipse liberator, atque saluator, faciens signa, & mirabilia in cœlo, & in terra, qui liberauit Danielem de lacu leonum. Porrò, Daniel perseuerauit vsque ad regnum Darij, regnúmque Cyri Persæ.

§. XXII.

Gloriosum homini, quod vel in vltima senectute, ad veritatem accedas.

CVm huc accedo, videóque Darium veri Dei cognitione, & prædicatione conspicuum, statim recolo diligentiam, qua facit Scriptor cap. præcedenti in fine, notauit ætatem Darij: ait enim: *Et Darius Medus successit in regno annos natus sexaginta duos.* Nihil de ætate Nabuchodonosoris, nec de Balthassaris, aut Cyri ætate dixit; cur ergo maluit in Darij principatu prænotare eius vltimam senectutem? Dicturus erat hoc Darij decretum de Deo vero colendo, & adorando, & ideò maluit tam piè decernentis senectutem præmittere; ne senes erubescant, erroribus, quibus inueterati sunt, valedicere, gloriosum enim est cuique, etiam in vltima senectute

senectute veritati amplectendæ animum addicere. Hinc D. Ambros. lib. 5. epist. 31. inducit veterem Romam de conuersione sua sic loquentem: *Pœnitet lapsus, & vetusta senectus pudendi sanguinis traxit ruborem. Non erubesco, cum toto orbe longæua conuerti, verùm certum est, quia nulla ætas ad perdiscendum sera est. Erubescat senectus, quæ emendare se non potest. Non annorum canities est laudanda, sed morum, nullus pudor est ad meliora transire.* Non adeò credendum est senectuti, vt in quibus consenueris moribus, eos putes meliores, eo ipso quòd iam senex illos tenuisti, multi senescunt in vitiis, in erroribus, in flagitiis, qui beati essent si vel in senectute properassent ad virtutem. Sanè in Apocal. cap. 4. subito introducuntur senes, qui coronas suas immaculato agno submittunt. Quippe ait: *Procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum, &c.* Quid hi fecerint adolescentes, iuuenes, minimè dicitur, cùm primùm senes dicuntur, simul monstrantur adorare Deum viuum, illíque coronas suas submittere. Nec probrosum est, quòd dum primò notantur adorare Deum, iam senes possent dici, non enim probrium, sed gloria est hominis, quod vel in senectute Deum sibi acquirat. Hinc magnificans Dominus Abrahamum super filios suos ait, Genes. cap. 15. *Tu autem ibis ad patres tuos, sepultus in senectute bona.* Philo Iudæus legit: *nutritus in senectute bona.* Sed in rem nostram Chrysostom. ponit: *Consecutus in senectute bona.* Quod non abnuit Philo in lib. de Abraham, vt ait: *Abraham per tempus longum Chaldaico imbutus delirio, postquam puram lucem pro densis tenebris cœpit intueri, secutus est eius splendorem.* Nec paucorum est sententia, multum ætatis ab Abrahamo fuisse in erroribus consumptum, vt posset credi iam senex conuersus esse ab idololatria in veram religionem, verámque fidem. Sed in nostram rem sufficit, quòd senex Abraham conuersus fuerit ab imperfecto statu ad perfectissimum, vt intrepidè, & indubitanter crederet diuinis promissis. Quod maximè in Abrahamo sene ponderabat Cæsar. Nazian. frater, dial. 2. aiens: *Non secundùm Astronomiam, sed diuinam promissionem Abrahamus ex sterili, & decrepita consorte sobolem se procreaturum credidit, cum qua ab adolescentia, & florenti ætate vsque ad ipsam canitiem, & extremam senectutem versatus erat.* Quid isto sene fœlicius? Quando senectus annosissima non obfuit, quominus inauditis, & creditu difficillimis fidem adhiberet promissis, meritò hic senex propositus est, vt ab eo & pueri, & iuuenes, & adolescentes exemplum sumant, quòd & Deum sequantur, & diuinam profiteantur fidem: & omnes pro gloria habeamus, quòd dicamur illius spirituales filij.

D. Ambr. — *Apoc. 4.* — *Genes. 15.* — *Philo.* — *Nazian.*

§. XXIII.

Ea non immeritò prædicatur calamitas, quæ Saluatorem & liberatorem habuit Deum.

QVando Deum Danielis Darius prædicabat omnibus populis, & nationibus; quid necessum fuit Danielis proclamare calamitatem, qua in lacum leonum missus fuerat? Et quando id voluit publicare, cur etiam non dixit inuidiam procerum, & calumniam, propter quam damnatus fuerat? Solùm dicit: *Deus liberauit Danielem de lacu leonum:* & debet addere, in quem missus fuit ob inuidiam procerum, qui pro illo vorati à leonibus fuerunt. Nonne hoc ad plenam notitiam miraculi pertinebat? Cur hoc tacuit, & solam Danielis calamitatem meminit? Vt Dei Danielis prædicabat magnalia, sic placuit magis illam solam calamitatem memorare, quæ à Deo curata erat, clamans quòd Deus *liberauit Danielem de lacu leonum.* calamitatem autem procerum penitus tacuit, vt quæ minimè à Deo fuerat sanata. Solùm enim de spiritu Dei venit, quòd prædicetur calamitas, quæ Deum saluatorem, & liberatorem habet. De prima hominum calamitate, quando per esum pomi tot myriades morborum contraxit, multa dixit Scriptura sacra, ait enim cap. 3. Genes. vt callidissimus serpens mulierem aggressus est, vt esum persuasit, vt mulier *tulit de fructu illius, & comedit; deditque viro suo, qui comedit, & aperti sunt oculi amborum; cùmque cognouissent se esse nudos, &c.* Ecce tibi, quàm sigillatim hominum calamitas, & peccatum recenseatur: at qui tam multus fuit in recensenda hominum calamitate, de Angelorum ruina prorsus tacuit. Nullibi Moyses dixit verbum de Angelorum peccato? imò quale illud fuerit, quo ordine, & modo perpetratum, nec in Moyse, nec in sacra aliqua pagina inuenies narratum, nisi in Isaia ad sensus allegoricos recurrere ames. Cur ergo cauit Deus, ne historia Angelicæ calamitatis narretur, quando tam multus est in enarranda humana calamitate? Meritò humana calamitas sigillatim prædicatur, vt quæ Deum redemptorem habuit, quæ enim calamitas Angelorum sine remedio fuit, ea sub silentio clauditur. Ait August. lib. 1. de Mirab. sacræ Scripturæ cap. 2. *Angelicum vulnus verus medicus, qualiter factum sit, indicare noluit, dum illud postea curare non destinauit. Et qualiter sit erectus per sententiam vindictæ reticuit, quem per pœnitentiam nullo modo reuocauit. Peccatum verò hominis, quomodo factum fuerit, profertur: ipsum namque quandoque promereri veniam non desperatur. Et qualiter erectus sit homo, indicare Deus maluit, quem ad statum pristinum in nouissimo iterum reuocauit.* Quid pulchrius? Hoc diuino spiritu dignum est, quòd solæ illæ calamitates exarentur, prædicentur, quæ curari à Deo meruerunt. Vnde Ierem. cap. 17. ait: *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo, in vngue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum, & in cornibus ararum eorum.* Loquitur Propheta de peccato idololatriæ, propter quod tribus Iuda apud Medos, & Persas fuit captiua. Sed & reliquæ Israeliticæ tribus ob simile peccatum eandem sustinuerunt captiuitatem. Cur peccatum Iudæ, & non peccatum Israel scriptum est ferreo stylo, in vngue adamantino, quando & Israel idem peccatum habuit, & eandem pœnam sustinuit? Israeliticæ tribus semper manserunt captiuæ, eorum regno penitus euanescente, tribus autem Iudæ libertatem obtinuit, & per Zorobabel restituta fuit in dignitatem pristinam; ne miremur, quòd eius calamitas sic prædicetur, & scribatur, quando ea ad gloriosum peruenit finem. Ait D. Cyril. Alex. in cap. 8. Oseæ. *Sciendum est, postquam Cyrus Israelem liberum dimisit, non fuisse vnctos in Samaria de tribu Ephraim, sed censos ab vno iugo omnes: Ierosolymis de tribu Iuda regnantibus.* Vt solius Iudæ regnum post captiuitatem restauratum est, sic solius Iudæ dicuntur, & peccata, & calamitates scripta, & exarata adamantino vngue. Quò spectabat illud ardentissimum Iobi desiderium cap. 19. vbi fatur: *Quis mihi tribuat, vt scribantur sermones mei? Quis mihi det, vt exarentur in libro, stylo ferreo, aut plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice? Scio enim quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum.* Quibus licèt videatur desiderare Iob, quòd eius sola verba scribantur, tamen in verbis intelligit Polychron, & Philippus res ipsas ærumnarum, & calamitatum, quibus D. Gregor. assentitur, aiens lib. 14. Moral. cap. 15. *Cuncta quæ pertulit, stylo ferreo, & plumbi lamina scripta sunt.* Cur ergo Iob tam auarus est, & tam auarè cupit, vt eius calamitates scribantur, & in memoriam perpetuam teneantur? Ipse causam indigitat, dicens: *Scio enim quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo, &c.* Et meritò optat scribi suas calamitates pro magna gloria sua; quando scit se ab illis per diuinissimum Redemptorem liberandum.

Gen. 3. — *August.* — *Ier. 17.* — *D. Cyril.* — *Iob 19.* — *D. Gregor.*

§. XXIV.

Iustitia, & pietas vt facit alumnos suos triumphare de omnibus aduersariis.

NOn ad paruam commendationem virtutis, & pietatis facit illud; quod in fine huius capitis additur, nimirum: *Porrò, Daniel perseuerauit vsque ad regnum Darij, regnúmque Cyri Persæ.* Inter furentes, & plurimos & potentes aduersarios, etiam defunctis regibus auxiliatoribus vnus Daniel perseuerabat in florente statu. Potest equidem sola iustitia, & pietas alumnos suos de omnibus triumphare facere. Ad hæc Theodoretus in præsenti: *Daniel in vtroque regno floruit, & omnibus conspicuus, & illustris fuit honoribus. Nos autem decet perceptâ pietatis vi, hanc eligere, & omnibus rebus ipsam anteponere, ac nullis periculis territos, nullóque discrimine ab ea discedere. Imò, etiamsi omnes homines simul propter ipsum contra nos pugnent, alacrìter eorum impetum excipere huiusce vi fretos. Ita enim beatorum Apostolorum chorus à cuncto orbe terrarum obsessus, inexpugnabilis permansit, atque hostes sibi dicto obedientes fecit.* Sic semper ab initio pietas, & iustitia triumphant; quæ vitio, & iniustitiæ nitebantur, ea sua ipsorum mole corruerunt, euanuerunt; quæ autem à parte iustitiæ sunt, inexpugnabilia permanserunt. Id quod probè callebat Abias Rex Iuda, cùm videns contra se innumerabilem Israelitarum exercitum erectum à Ieroboamo, sic eius vires despiciebat, 2. Paralip. 13. *Habetis grandem populi multitudinem, atque vitulos aureos, quos fecit vobis Ieroboam, &c. Noster autem Dominus Deus est, quem non relinquimus. Nos quippe custodimus præcepta Domini Dei nostri, quem vos reliquistis. Ergo in exercitu nostro dux est Deus, & Sacerdotes*

eius,

Theod. — *2. Par. 13.*

eius, qui clangunt tubis, & resonant contra vos. Sic sapiens excontemnit multitudinem exercitus hostilis, obiiciens illi ex parte sua & iustitiam, & pietatem erga verum Deum, quæ sola vinci non potest. Vnde explicatiùs hanc Abiæ orationem proponens Iosephus, lib. 8. de Ant. cap. 11. ait: *Cùm Abias orationem habuisset ad exercitum Ieroboam, tandem ait: In quo de victoria estis confidentes? An in vitulis aureis, & aris, quæ vestra sunt impietatis, & non religionis indicia? An multitudo spem vobis præbuit? Sed nulla virtus illic est, vbi licèt cum multis militibus vnus pugnat iniustè. Solummodo enim in pietate, & iustitia spes victoriæ consistit, quæ scilicet apud nos est, seruantes à principio leges, & verum Deum venerantes.* Meritò sibi victoriam promittebat, quam & gloriosissimam obtinuit à penè innumerabilibus hostibus ille solus, qui ex sua parte iustitiam, & pietatem habebat. Ex quo D. Ambros. lib. 5. epist. 29. conueniebat Imperatorem, qui impio duci fidebat, inquiens: *Habebis imperator comitem præuaricatorem, & huic vexilla committes victricia, huic labarum, hoc est, Christi sacratum nomine?* Quasi absurdum reputat vir diuinus, quòd victricia arma committantur duci impio, quando ex parte impietatis victoria vix potest consistere.

Ioseph.

D. Ambr.

Dan. 14. Erat autem Daniel conuiua Regis, & honoratus super omnes amicos eius. Erat quoque idolum apud Babylonios nomine Bel, & impendebantur in eo per singulos dies similæ artabæ duodecim, & oues quadraginta, vinique amphoræ sex. Rex quoque colebat eum, & ibat per singulos dies adorare eum: porrò Daniel adorabat Deum suum. Et dixit ei Rex, Quare non adoras Bel? Qui respondens, ait ei: Quia non colo idola manu facta, sed viuentem Deum, qui creauit cœlum, & terram, & habet potestatem omnis carnis.

§. XXV.

Diuinitati nunquam non & prima & optima reseruanda.

VT Bel Deum esse putabant, sic illi & prima, & optima offerebant Babylonij, ait enim textus: *Impendebantur in eo per singulos dies similæ artabæ duodecim.* Quid est simila? Simila est, quod in farina triticea primum est, & maximè defæcatum, constat enim apud omnes gentes, quòd primum, & optimum bonorum temporalium, & æternorum vni diuinitati est asseruandum. Hinc Genes. cap. 2. *Formatis igitur Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea.* Et quando volucres cœli adductæ sunt ad Adam, vt de eius beneficio nominibus gauderent, cur similiter non adducta sunt astra cœli? Vt volucres, sic astra in seruitium hominis condita sunt, cur ergo hæc non adducuntur, vt nomen accipiant ab eo? Erant astra prima, & præstantia inter creaturas, quæ vt prima sic reseruabantur Deo, ne ab alio nomen, quàm à Deo acciperent. Sic Caietan. in cat. *Sunt astra primo prima vniuersi principia, & propterea meritò diuinæ nominationi reseruata sunt.* Hæc curet homo, vt quæ prima sunt, & præstantissima bonorum, eo ipso iam vni Deo putentur addicta, qui primis & præcipuis debet semper honorari ab homine suo. Nec inter minimas laudes Iobi constituitur, quod primas diei partes Deo offerebat vni, surgens diluculo sacrificaturus. Ait enim cap. 1. *Cùmque in orbem transissent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocausta.* Expende illud, *consurgensque diluculo*, nempe ad primam diei lucem surgebat Iob sacrificaturus, ne in aliis insumeretur, quod erat diei primum, nisi in obsequiis diuinis. Didymus in cat. Græca fatur: *Quemadmodum ille dixit, de nocte ad te, de mane vigilat spiritus meus, ô Deus. Et Deus, Deus meus, ad te de mane vigilo, ita Iob nullam aliam ob rem, nisi propter Deum de mane surgebat, vt ille sacrificium pro liberis factitaret.* Meritò Iob nullam aliam ob rem dicitur ad primam lucem surrexisse, nisi propter Deum holocausta facturus; hoc enim decebat virum sanctissimum, ne permitteret, quod prima diei lux altera, quàm Deo seruiret. Quæ cura sic vallabat Iobum, vt inde crediderim illum tunc fuisse prorsus hostibus inaccessibilem, vsque ad hostis ipsius querelam dicentis; *Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, & vniuersam substantiam eius per circuitum?* Quando quis sub ea cura viuit, vt omnes cedat Deo primas, nec permittit, quòd prima diei lux in aliis insumatur, quam in diuinis, sic à Deo vallatur, vt nullos timeat hostiles incursus. Habes Genes. cap. 32. Iacobum tota nocte in lucta, & certamine esse cum Angelo; & post non paucos luctæ sudores clamat Angelus: *Dimitte me, iam enim ascendit aurora.* Et cur Angelus, qui tota nocte in lucta & certamine tenuit Iacob, vbi ascendit aurora, tam anxiè curat supersedere à lucta, & abire, relinquens nobilem athletam quietum, & securum? Sanè non immeritò: vbi enim Iacob in prima diei luce non cum aliis quam cum Deo erat, cauet Angelus, ne illi exinde maneat discrimen, ne remaneat periculosa lucta. Ait D. Cyril. in cat. Græca: *Vidésne, lucescente die, in pugillatu non perseuerasse? Haud enim luctatur cum illo Deus, qui lumine perfusus meritò dicat; Deus, Deus meus ad te de luce vigilo.* Absoluit luctas, & penè absoluit pericula, qui primam lucem non sustinet in aliis occupare, quàm in diuinis. Vide homo, vnde te multis possis eripere luctis, eripere periculis, si quod primum est diei, Deo vni adscribas. Nemo dicat, paterfamilias sum, pro filiis sustentandis sollicitor, hæc mihi est prima cura, hæc me vigilantem tenet, & Iob, & Iacob patresfamilias erant, & maximè solliciti pro filiis, sed quia pro filiis erant solliciti, hoc satagebant, vt primam lucem diei cum Deo absumerent, quo se, & multis eripuerunt luctis, & periculis.

Gen. 2.

Caietan.

Didym.

Gen. 32.

D. Cyril.

§. XXVI.

Vera diuinitati qualibet indigentia repugnat.

VIde qualem Deum & superbissimi, & sapientissimi Babylonij adorabant, nimirum Deum, cui, ne famesceret, quotidie *impendebantur similæ artabæ duodecim, & oues quadraginta, vinique amphoræ sex.* Et Deus credebatur, qui tot indigebat, ne periret fame? Sapientissime Tertul. in Apolog. gentium Deos ridebat, dum ait illis: *Non sufficimus, & hominibus, & Diis vestris mendicantibus opem ferre.* Et quis opitulari sufficeret illis Diis mendicantibus, quorum vnus duodecim artabas similæ, & oues quadraginta, & sex vini amphoras famelicus quotidie exposcebat? Apage à tam indiga diuinitate, nullo potest indigere, qui est Deus verus. Post diluuium exsiccatũ dicitur Gen. 8. de Noe: *Ædificauit autem Noe altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit holocausta super altare.* Noranter dixit, quòd obtulerit holocausta, holocaustum enim consumebat omnia animalia, illáque in cineres redigebat. Cur ergo Noe de pecoribus, & volucribus holocaustum fecit Domino? Cur non magis illa integra Deo reseruauit, sed maluit illa igne absumere? Ait D. Chrysostom hom. 27. ibi: *Accepta fuit Deo oblatio iusti, vt per ipsam sciatur Dominum nullius indigere. Et propterea concessit, vt igne consumerentur: vt ex iis, quæ fiunt, discant etiam ij, qui offerunt, quòd omnia propter suam vtilitatem fiant.* Igne absumi sibi oblata animalia voluit Deus, ne ipse videretur egere carnium; quæ enim acceptabat munera, ea in offerentium acceptabat vtilitatem, non quòd ipse egeret aliquo. Hæc enim est patentissima notio diuinitatis, quod nullius egeat; nullúmque requirat in se à creaturis profectum leuamen. Hinc Gen. 2. *Requieuit Dominus die septimo ab omni opere, quod patrarat. Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illum: quia in ipso cessauerat ab omni opere suo, quod creauit Deus, vt faceret.* Ecce tibi quem diem Deus sibi benedictum habeat, non equidem diem, in quo volucribus plena fuerunt cœlestia, nec diem, in quo terrena omnia vel fluctibus apparuerunt plena, vel animalibus. Sed illum sibi Dominus diem benedictum fecit, qui omnium sterilissimus fuit, qui nullum fructum, nullam creaturam Creatori repræsentauit. Et cur non magis benedixit diei, quo terra, & fructus, & animalia parturiebat: vel quo cœlestia replebantur auibus? Cur sibi adeò placuit in die sterili? Cauit Deus benedicere diebus, in quibus & fructus, & cætera hominum bona creabantur, ne videretur indigus creaturarum, & ideò sanctificationi suæ elegit diem, quem nullus fructuum partus nobilitabat. Id notabat Eucher. in caten. Lippom. fatus: *Cur Dominus sanctificauit diem quietis suæ; nisi quia se creatura, quam fecit, diligendum proposuit, non sanctificauit diem, qua ea facienda inchoauit, nec illum in quo ea perfecit, ne illis, aut faciendis, aut factis, augmento eius gaudere videretur, sed tunc sanctificauit, quando ab ipsis, in se ipso requieuit.*

Tertul.

Gen. 8.

D. Chrys.

Gen. 2.

Eucher.

Hic

Hic erat ſcopus in omnibus operibus Dei, ne ipſe alicuius indigus videretur. Ædificant Principes domos, quia illarum egent: ædificant hortos voluptatum, quia à negotiis ſæculorum indigent recreari. At Deus & in mundi creatione, & in Paradiſi plantatione, oſtendere voluit, quàm eorum non egeret, reſeruans ſanctificationi ſuæ diem, qui nullo creaturarum partu fuerit nobilitatus. In nullo enim ſic Dominus gaudet, vt in iuſtitia, & ſanctitate. Ex quo ſapienter Minutius Felix in Octauio monebat: *Hoſtias, & victimas Domino offeram, quas in vſum mei protulit, vt reiiciam ei ſuum munus. Ingratum eſt: cùm ſit litabilis hoſtia, bonus animus, & pura mens, & ſincera ſententia. Igitur, qui innocentiam colit, Domino ſupplicat; qui iuſtitiam, Deo libat: qui fraudibus abſtinet, propitiat Deum, qui hominem periculo ſurripit, optimam victimam cædit. Hæc noſtra ſacrificia, hæc Dei ſacra ſunt.* Sanè hæc veri Dei ſacra ſunt, in quibus non Dei guloſitas, & indigentia; ſed omnium ſanctitas, & iuſtitia, & hominum vtilitas patet.

Minut.

§. XXVII.

Hominum idola hoc ſolùm ſciunt, quòd illorum abſumant ſubſtantiam.

ECce totum negotium idoli à Babyloniis adorati: *impendebantur in eo ſimilæ artabæ duodecim*: crede mihi hoc ſolùm ſciunt idola ab hominibus adorata, quòd ad diſpendium, & perditionem attinet humanæ ſubſtantiæ. De Iſraelitis declinantibus ad idola aiebat Pſalm. 105. *Mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum.* Et quidē Dei gloriam dereliquerunt pro ſimulacro vituli; vituli, inquā, comedentis fœnum, hoc eſt, conſumentis, & perdentis aſſeclarum ſuorum gloriam, quæ eſt vt flos fœni. Ait D. Auguſt. ibi: *Gloriam ſuam, id eſt, Deum mutauerunt in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum, vt ab eo comederentur, à quo comeduntur, qui ſapiunt ſecundùm carnem; Omnis enim caro fœnum.* Hoc factum eſt cum Iſraelitis; id quod fit quotidie cum omnibus qui ſibi idolum eligunt; quot tibi idola erigis homo, tot habes, à quibus comedaris, à quibus lanieris, vſque dum funditus pereas. Quò reſpiciebat Oſeas cap. 8. rem oſtendens in populo Iſraelitico, dum de idolo fabricato dicit: *Artifex fecit illum, & non eſt Deus: quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ. Quia ventum ſeminabunt, & turbinem metent: culmus ſtans non eſt in eo, germen non faciet farinam, quod etſi fecerit, alieni comedent eam. Deuoratus eſt Iſrael, nunc factus eſt in nationibus, quaſi vas immundum.* Sanè ex quo populus ille idolum vituli erexit; totæ illæ decem tribus, quæ ſub Samariæ vitulo erant, deuoratæ ſunt, vt nihil earum permanſerit, nec nomen ipſum; hoc enim vnum ſciunt idola, nimirum, abſumere, & vorare ſubſtantiam ipſam cultoris ſui. Hinc ipſe Oſeas cap. 9. monebat Iſraelitas: *Noli lætari Iſrael, noli exultare ſicut populi, quia fornicatus es à Deo tuo, dilexiſti mercedem ſuper omnes areas tritici. Area, & torcular non paſcet eos, & vinum mentietur eis.* Græcè autem hæc leguntur: *Dilexiſti data ſuper omnem aream frumenti. Area, & torcular non cognouit eos, & vinum decepit eos.* Læti Iſraelitæ, ſicut nationes, idolorum ſuorum feſta agebant, inſuper idolis ſuis data, & munera offerre amabant pro meſſium & vindemiæ abundantia. Et quid cōpararunt ab idolis circa meſſem, circa vindemiam? Ait ipſe: *Area, & torcular non cognouit eos*: hoc compararunt, vt ſine area, ſine torculari à calamitatibus innumeris vorarentur. Ait D. Cyril. ibi: *Inſipienter viſum eſt eis, ab idolis frugum copiam ex agris petere. An verò petitiones ei euenerunt ex ſententia? Nihil minus: area enim, & torcular non cognouit eos, & vinum decepit eos. Ac neminem latent peſtilentia, ſterilitates, ſiccitates longæ, quæ Samariam occuparunt.* Nulla vnquam alia ab idolis beneficia & erunt, niſi quibus eorum cultores abſumantur, vorentur. Quid ſperas, homo, ab idolo in medio tui cordis reſidente? Nonne idolum eſt aura popularis, quam colis, quam adoras? Sed accipe quid aura hæc ſuis cultoribus præſtet. Ierem. cap. 22. *Omnes paſtores tuos paſcet ventus.* Alij legunt, *conteret, depaſcet ventus.* Et quidem fallat, ſi quis ambitioſus cum omni ſubſtantia ſua ab aura populari non fuerit voratus. Non fructuoſiùs alius voluptatem adorat, quem monebat Prouerb. cap. 5. *Ne des annos tuos crudeli,* (nempe meretrici, lupæ) *ne forte impleantur extranei viribus tuis, & labores tui ſint in domo aliena: & gemas in nouiſſimis, quando conſumpſeris carnes tuas, &c.* Crede mihi, nullam creaturam coles, in qua non videas tui perditionem. Eccleſiaſtes cap. 4. *Stultus complicat manus ſuas, & comedit carnes ſuas.* Vbi Chaldæus Coſti ait: *Stultus in æſtate manibus blanditur ſuis, & veluti eas oſculis complectitur, neque ſe labori vult addicere. Ex quo efficitur, vt hyeme ſua omnia concoquat. &c.* Ecce tibi, vel ex manuum cultu ad omnium bonorum decoctionem, & perditionem venitur. Nec miror, quando ego ipſe hominem vidi, qui adeò colebat, & curabat manus ſuas, vt mallet mendicare, quàm eas operi addicere. Huc vſque trahunt vel leuiſſima idola alumnos ſuos.

D. Aug.

Oſeas 8.

Oſeas 9.

D. Cyril.

Ierem. 22.

Prou. 5.

Eccleſ. 4.

§. XXVIII.

Regiam præſtantiam dedecet crebra ſine cauſa tributorum exactio.

PRopoſuerat Daniel omnium Babyloniorum idolum, cui ſingulis diebus tot munera impendebantur, & notanter addit: *Rex quoque colebat eum, &c.* Et quando tot impenſis colebatur ab omnibus Babyloniis idolum illud, quid neceſſum fuit addere, Rex quoque colebat eum? Infrà de dracone locutus, ſolùm dicit: *Erat draco magnus in loco illo, & colebant illum Babylonij*: non addidit, quòd coleret eum Rex; ſupponens, quòd Reges idola gentis ſuæ colebant ſemper. Cur ergo in idolo Belis addidit, Rex quoque colebat eum? An aliquid erat particulare in idolo illo, quod magis Regem decceret? Erat ſanè hoc peculiare in Belis idolo, quòd *impendebantur in eo per ſingulos dies, ſimilæ artabæ duodecim, & oues quadraginta, vinique amphoræ ſex.* Et quidem Regem maximè dedecebat, quòd putaret vllam poſſe eſſe dominatricem poteſtatem, quæ tam crebra exactione deuotos ſibi opprimebat. Non Dei, nō Domini, non Regis eſt, ſubditos crebris exactionibus exagitare. D. Syneſius ſect. 1. de Prouidentia. introducit dæmones cupientes Ægyptiorum regnum demoliri, & exactionibus deuorare, quod minimè potuerunt efficere, dum ibi regaliſſimus Oſiris dominabatur. Quid tunc? Ait Syneſ. *Deteriora quæque apud Ægyptios præualere, omniaque tam citò perturbari, & conſternari fas non erat, quamdiu ſacer, & diuinus animus, in iis ſedibus verſaretur: vt enim fieri id liceret, præter illum Typhonem dæmones aderti ſunt, quibus miniſtrum ſeſe præbens is, quem pridem ad tyrannidem euexerat, variis illos incommodis exercebat. Tributa iampridem multiplicia tenuitatibus imperata nomina, aut conſilia, quæ nunquam fuerant, aut inducta iam, & obliterata reſcribebantur, &c.* Ecce tibi dum ſacer, & diuinus animus Ægyptiorum dominabatur, nullas vexationes, nullas exactiones populo moleſtas dæmones potuerunt introducere, vbi autem tyrannum inuexerunt, qui dæmonibus obtemperaret, ſtatim exactiones & tributa tanta, & tam crebra imponuntur, vt neceſſum fuerit illorum nomina confingere. Non enim à diuino & regio animo, ſed à dæmonum furiis procedunt crebræ exactiones ſine cauſa, quibus populi vires exhauriuntur. Vnde de regaliſſimo Imperatore Valentiniano locutus D. Ambroſ. in orat. funebri, ait: *Quid de amore prouincialium loquar, vel quo eos ipſe complectebatur, vel quo ab iis conſultori ſuo rependebatur, quibus nihil vnquam induci paſſus eſt? Præterita, inquit, non queunt ſoluere, noua poterunt ſuſtinere? Hoc laudat prouinciæ Iulianum: & ille quidem in robuſta ætate, iſte in proceſſu adoleſcentiæ. Ille plurimum reperit, & exhauſit omnia: iſti nihil inuenit, & omnibus abundauit.* Vt regius Valentiniano, & diuinus animus erat, ſic abſtinuit ab exactionibus prouincialium; non quia diues erat, ſed quia bonus, ſed quia ſalutaris, vnde nouit etiam in paupertate nullis impoſitis tributis abundantiam ſibi comparare.

Syneſ.

D. Ambr

§. XXIX.

Eò quòd quis reddat Regibus, quæ Regum ſunt, non impeditur, quominus reddat Deo, quæ ſunt Dei.

ECce tibi Danielem, qui apud mundialem Regem, & apud Deum primas tenet. Dum regem colit, tantus eſt in regiis obſequiis, vt mereatur eſſe *conuiua Regis, honoratus ſuper omnes amicos eius.* At ſic valens apud Regem, minor fit in iis, quæ ſunt Dei? Abſit, imò nihil impeditus, vel officiis, vel fauoribus Regis, vbi Dei cauſa interuenit, religioſè clamat: *Non colo idola manu facta, ſed viuentem Deum, qui creauit cœlum, & terram.* Sic ſtrenuus vir nouit Regi, quæ Regis erant, omniū fideliſſimus præſtare; & ſimul ad ea, quæ Dei erant, attentiſſimus eſſe, oſtendens in regiis debitis obſequiis nullū impedimētum exiſtere, vt quis poſſit ſeruire Deo. Simile aiebat Nazianzen. de Cæſario fratre orat. in eius funere: *In aulam ... contulit; atque in amicorum numero apud Imperatorem habitus, ampliſſimis honoribus affectus eſt. Quodque maximum conſideratu*

Naz. ...

est, non commisit, vt à gloria, aut ab iis, inter quas versabatur, delitiis, anima sua nobilitas corrumperetur. Quam potius cum multa, & magna ipsi suppeterent, ad dignitatem tamē, hoc primum erat, quòd Christianus & esset & nominaretur. Sic strenui viri nouerũt, & Regibus adesse, & Deo; ostendentes quàm possit quis omnia debita Regibus præstare, & regali amicitiæ satisfacere, & simul in iis, quę Dei sunt, maximè gloriari. Id quod Matth. 22. docebat Dominus, dicēs: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Quibus non incōpossibile aliquid, & repugnās mandabat, sed quæ possent ab homine præstari. Pro quo Orig. hom. 21. in Matt. aiebat. *Neque enim ex eo, quòd reddit quis Cæsari, quæ Cæsaris sunt, impeditur reddere Deo, quæ Dei sunt.* Non se mutuò expellunt regia dignitas, & diuina maiestas; sed homo cordatus, vtrique seruire nouit: vt seruans integrum honorem regibus, nihil virtutis, nihil pietatis prætereat. Vnde meritò aiebat Petrus Blesens. epist. 150. *Scio, quia ij, qui in regia familiaritatis sacrarium admittantur, multa facere possint, & dicere, quibus pauperum necessitas subleuetur, foueatur religio, fiat æquitas, Ecclesia dilatetur. In his, & consimilibus misericordiæ operibus possunt sibi curiales ædificare ad vitam, si tamen non detrahant, si non inuideant, &c.* Et meritò bonus doctor in plurimorum regum curiis exercitatus, in regia familiaritate gradus notat, per quos familiarissimus Regi ad domum æternitatis euolare possit.

Matt. 22. — *Origen.* — *Petr. Bles.*

Dan. 14. Et dixit Rex ad eum. Non videtur tibi esse Bel viuens Deus? An non vides, quanta comedat, & viuat quotidie? Et ait Daniel arridens; Ne erres, Rex, iste est enim intrinsecus luteus, & forinsecus æreus, neque comedit aliquando. Et iratus Rex vocauit Sacerdotes eius, & ait eis; Nisi dixeritis mihi, quis est, qui comedat impensas has, moriemini. Si autem ostenderitis, quoniam Bel comedat hæc, morietur Daniel, quia blasphemauit in Bel. Et dixit Daniel Regi, fiat iuxta verbum tuum.

§. XXX.

Maximè dedecet supremam maiestatem fallax adulatio, palpatio.

Regi viuidam Belis virtutem probanti, incunctanter restitit Daniel, dicens: *Ne erres, Rex, iste est enim intrinsecus luteus, &c.* Sic apertè, ô Daniel, Regi errorem obiicis, vanitatémque suæ religionis exponis? Túne amicus, & conuiua Regis, & ab illo honoratus super omnes, sic eius maiestatem despicis? Cur non magis consulis regiæ maiestati? Sanè nunquam magis Daniel augustæ maiestati consuluit, quam cùm illi ablata omni fallaci adulatione errorem quo tenebatur, exposuit. Vt enim viles, & repētes naturæ nutriuntur adulationibus, sic augustis, supremisque maiestatibus infensissimus est quilibet sermo fallaciæ adulatoriæ. Id quod sapienter notabat Arnob. lib. 1. aduersus Gentes, aiens: *Etenim re vera est impium, & sacrilegia cuncta transcendens, sapientem illam credere, beatissimámque naturam magnum aliquid putare, si se sibi aliquis adulatoria humilitate summittat: & si fuerit non factum, despectam se credere, & à summis culminis decidisse fastigio. Puerile, pusillum est, & exile, vix & illis conueniens, quos iam dudum experientia doctorum dæmones appellat. & hœc aiaon nosse cœlestia, & in hac rerum materia crassiore conditionis suæ sorte versari.* Expende in cuius naturam forte cadere posse existimat, quòd adulationibus moueatur, nimirum, in naturā eius, qui inter dæmonas est, inter rectores tenebrarum harum, qui non nouit cœlestia, qui repεat per subterranea. De suprema autem, & augusta maiestate id suspicari impium, & sacrilegio plenū, imò & puerile, & pusillum, & exile. Hinc Esther sapientissima, blandis sermonibus volens capere Assuerum, orat c. 10. *Tribue Domine sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis.* Et qualis fuit iste sermo, quem componebat in conspectu leonis? Ait ipsa, c. 15. *Vidi te Domine quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ.* Quem leonem æstimabat, Angelum vocat plenum gloria, & splendore. Et cur æstimabat leonem, quē vocat gloriosum Angelum? Meritò sapientissima reputabat leonem, hoc est, inter infimas, & subterraneas potestates censebat illum, aduersus quem tales parabat blanditias sermonis. Infirmarum enim, & vilium potestatum est posse moueri sermonibus blandientibus, & adulatoribus, qui supremis naturis, augustisque potestatibus sunt maximè odiosi. Vnde princeps regum terræ Iesus coram Herode positus Luc. 23. & interrogatus à Rege, imò & rogatus, vt aliqua miracula ederet, quæ ab Aulicis celebrari possint, *Ipse nihil illi respondebat. Spreuit autem illum Herodes cū exercitu suo.* Cur Iesus non magis cauit contemptum Herodis? Bonus, & supremus Princeps magis voluit cauere adulationis sermones, quàm opprobria, & contemptus, vt qui tantæ maiestati non essent tam odiosi, quam adulationes. Ait D. Gregor. in Cat. D. Thom. *Magis elegit apertè à superbientibus despici, quàm à non credentibus vacua voce laudari.* Sic suprema, & augusta maiestas vacuos adulatorum sermones horrescit, vt malit opprobria, & contemptus superborum subire, quàm inanes, & adulatorios sermones perpeti.

Arnob. — *Esth. 10.* — *Luc. 23.*

§. XXXI.

Ad mundi idola procumbentium stultitia ridenda.

Cum Rex exaltabat idoli sui viuacitatem in comedendo, *ait Daniel arridens; Ne erres Rex, iste est enim intrinsecus luteus, &c.* Expende illud, *ait Daniel arridens.* Cui homini cordato non faciāt risum, quæ dicunt, & faciunt mundiales etiam sapientissimi in extollendis idolis suis? Meritò Philosophus ille ridebat omnia mundi negotia pro inanibus, & vacuis, & luteis. Nunquam enim non meretur errantis multitudinis conatus risu castigari. Aiebat sapienter Tertullian. aduersus Valentinianos dum horum errores aggreditur impugnare: *Si & ridebitur alicubi, materiis ipsis satisfiet. Multa sunt sic digna reuinci, ne grauitate adorentur. Vanitati propriè festiuitas cedit. Congruit & veritati ridere, quia lætans, de æmulis suis ludere, quia secura est.* Detur mihi homo, qui veritate solida nitatur, hic securissime potest, & debet ridere omnia, quæ adorantur ab hominibus deceptis, quæ quidem intrinsecus vacua, & inania sunt, nec habēt aliam bonitatis speciem, nisi illam, quam confingere sibi volunt ipsi ambientes. Quò spectans Ierem. c. 10. ait: *Stultus factus est omnis homo à scientia, confusus est artifex omnis in sculptili, quoniam falsum est, quod conflauit, & non est spiritus in eis. Vana sunt, & opus risu dignum.* Quanta effingit homo sibi bona in voluptate, in dignitate, in nummis? Quam lætos inde dies, quàm longos vitæ annos cordis sui idolis affingit? At pro lætitia ingentes dolores metit, pro honore confusionem, & inopiam inuenit. Et vt vana sunt, & falsa omnia eius inuenta, sic & sunt opus risu dignum. Meritò de hoc Psal. 51. *Super eum ridebunt, & dicent, Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum. Sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, & præualuit in vanitate sua.* Est homo diuitiis affluens, splendidissimis bonis vallatus, vndique septus amicis, multa confingens commoda, & præualens in vanitatibus suis, sed subitò infirmitate correptus, præterlabentibus bonis iacet irremediabili dolore constrictus. Quis cordatus non rideat in bonis illius? Fallar, nisi horum finis risum faciat Deo ipsi. Ait Prouer. 1. *Ego in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis, quod timebatis, aduenerit. Cùm irruerit repentina calamitas, &c.* Et dignissimè risum faciunt homines vanissimi, qui Dei prorsus immemores, omnia sibi læta, & prospera affingunt, nihilque in temporalibus splendens foris, & voluptuosum non mirantur, non colunt totis viribus. Quò etiam refero illud Psal. 2. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus dominum, & aduersus Christum eius, &c. Qui habitat in cælis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.* Planè hi inanes meditatores, & confictores digni sunt, qui præter meritas flammas, videntis Dei castigentur risu. Sic Iob c. 22. de istis vanissimis dicitur: *Qui dicebant Deo, Recede à nobis, & quasi nihil posset facere omnipotens, æstimabant eum. Cùm ille implesset domos eorum bonis, quorum sententia procul sit à me. Videbunt iusti, & lætabuntur, & innocens subsannabit eos.* Apud Græcos leguntur hæc vltima: *Videntes autem iusti riserunt: irreprehensibilis autem subsannabit eos.* Itaque erant impij, qui nec Deum memorare volebant; qui cùm ex Deo bonis affluebāt, nihilominus Deum non verebantur, adinuentionibus suis addicti, & nihil sibi malum suspicantes. Viderunt hos iusti, & cordati viri, *& riserunt.* Cur non magis illos maledictis imperiuerunt? Planè digna est horum fallacia, vel risu conuinci. Ait Cat. Græc. Author: *Postquam homines pietate præstātes impiorum scelestum esse consilium animaduerterint, prorsus illos irrident.*

Tertul. — *Ierem. 10.* — *Psal. 51.* — *Prouerb. 1.* — *Psal. 2.* — *Iob 22.* — *Cat. Græc.*

irvident. Illi quidem fixa res sibi permanere existimarunt, sed nimirum, contra quã illi opinabantur, cecidit. Nam & illorũ bona deleta penitus, atque illi ipsi perierunt omnino. Nec quis oculos cõiiciet in fines consiliorũ mundialium; qui non soluatur in risum, videns quid illi sibi effingant, & quid tandè accidat re ipsa.

§ XXXII.

Non aduersus correctorem, sed aduersus effectorem erroris irascendum.

HVc veniant vniuersi Principes mundi, & discant in barbaro, & exlege Imperatore, vt se in correctionibus gerere debeant. Sanè Daniel errorem Cyri notabat in adorando Bele, qui cum intrinsecus luteus esset, extrinsecus æreus, nec cibum requirere, imò nec vitam poterat habere. Quid Rex ad hæc? Ait rext. *Iratus Rex vocauit Sacerdotes eius, & ait eis. Nisi dixeritis mihi, quis est, qui comedat impẽsas has, moriemini, &c.* Itaque ad voces Danielis scanduit Rex, & maximè iratus est. An iratos iussit Danielem à regia, & à curia discedere? An iussit illum audaciæ pœnas dare? Absit hoc à Rege cordato, quin potiùs Danielis verbis iratus vocauit Sacerdotes, & iurato supplicio curabat extorquere authorem erroris. Proh Regis regalissimi sapientiam, & prudentiam! Ira excitata à reprehensore, & correctore non vtitur impotens sui, vt correctorem protinus perdat; sed magis illa ira stimulatur, vt perquirat authores erroris reprehensi. Vtinam sic auditis concionatorum reprehensionibus Reges Christiani irascerentur, vt diligenter perquirerent, à quibus damna, & errores publici, qui inuoluunt cunctos, prouenirant. At dum totam iræ aciem in correctorem cõuertunt, si excessit, si audax fuit, si nimius, & nihil emendant, & summam Dei iram in se exardescentem ostendunt. Accipite ex 2. Paral. 16. quæ faciant in rem præsentem: *In tempore illo venit Hanani Propheta ad Asam Regem Iuda, & dixit ei. Quia habuisti fiduciã in rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo, idcirco euasit regis Syriæ exercitus de manu tua. Nonne Æthiopes, & Libyes multo plures erant quadrigis, & equitibus, & multitudine nimia? Quos, cùm Domino credidisses, tradidit in manu tua? Oculi enim Domini contemplantur vniuersam terram, & præbent fortitudinem iis, qui corde perfecto credunt in eum. Stultè igitur egisti, & propter hoc ex præsenti tempore aduersum te bella consurgent. Iratúsque Asa aduersus Videntem, iussit eum mitti in neruum. Valde quippe super hoc fuit Dominus indignatus, & interfecit de populo in tempore illo plurimos.* Cùm dicitur Deus valde fuisse indignatus super hoc, non est super incarceratione Prophetæ, sed super incredulitate Regis, pro qua permissus est, vt verteret iram, & bilem ex correctione excitatam, non in se, qui culpæ author erat, sed in Prophetam corripientem; in quod facinus non veniret Rex, nisi ex magna Dei ira id permittentis. Quod sapienter notabat Caiet. ibi: *Ratio siquidem quare afflixerit Prophetam, redditur ex parte diuina iustitia deserente Asam. Magna, at pessima species iræ Dei est, qua deserit hominem, qui peccarat, vt peccatis peccata accumulet.* Hanc magnam, & pessimam speciem diuinæ iræ homines æstiment, quòd nimirum de errore admoniti, hoc addant primo sceleri, vt sese aduersos admonitorem, & correctorem conuertant. Quod non fecerunt nisi illi, aduersus quos Deus valde iratus erat.

2. Paral. 16.

Dan. 14. Erãt autem Sacerdotes Bel septuaginta, exceptis vxoribus, & paruulis, & filiis. Et venit Rex cum Daniele in templũ Belis. Et dixerunt Sacerdotes Belis: Ecce nos egredimur foras, & tu Rex pone escas, & vinũ misce, & claude ostium, & signa annulo tuo: & cũ ingressus fueris manè, nisi inueneris omnia comesta à Bel, morte moriemur, vel Daniel, qui mentitus est aduersus nos. Cõtemnebant autẽ, quia fecerant sub mensa abscõditum introitũ, & per illum ingrediebantur semper, & deuorabant eam. Factũ est igitur postquã egressi sunt illi, & Rex posuit cibos ante Bel, præcepit Daniel pueris suis, & attulerunt cinerẽ, & cribrauit per totũ templum coram Rege, & egressi clauserunt ostium, & signantes annulo regis abierunt.

§. XXXIII.

Ecclesiastica bona sæcularibus exactionibus nullo prætextu minuenda.

SEptuaginta erant Sacerdotes Belis, qui vt ostenderent dapes appositas idolo, à nullo alio, quam ab idolo consumi, sic aiunt: *Ecce nos egredimur foras, & tu Rex pone escas, & claude ostium, & signa annulo tuo, & cum ingressus fueris manè, nisi inueneris omnia comesta à Bel, morte moriemur.* Vnum hoc propònunt ad euidentiam gulæ Belis; quòd appositis escis idolo, & clauso tẽplo, omnes ipsi Sacerdotes visuntur manere foris. Quid inde? An quamuis Sacerdotes omnes foris esse appareant, non posset laicus aliquis intra templum latere, qui prætextu defendendi Sacerdotes cibos à Belisaris tolleret? Cur ergo non addunt Sacerdotes ad maiorẽ rei euidentiam; ecce nos egredimur foras, & tu scrutare omnia, & vide, quòd nemo alius maneat in templo absconditus, qui cibos tollere posset, præter vnum Belis idolum? Equidem non addũt hoc, quia superfluum; si enim Sacerdotes vniuersi foris existẽtes cibos idolo sacros non possent tollere, certũ erat quòd nullus alius laicus, siue Princeps, siue priuatus vllo prætextu auderet attingere bona, quæ diis sacrata esse nouerat. Conueniant huc Principes Christiani, & discant ab ethnicis, quam integra, & intacta debeãt sinere bona, quæ Deo viuo, & vero sacrata noscunt. Id ex ethnicis Principibus docebat Petr. Blesens. epist. 112. quæ est de exactionibus clero impositis a Rege Franciæ pro bello contra Sarracenos, aiens: *Patrimonium Christi, & Ecclesia sua hodie vertitur in occasionẽ scandali, & materiam seruitutis. Certè sub Pharaone tùm ex principali decreto omnes ad solutionẽ quintæ partis generaliter vrgerentur, Sacerdotes tamen fuerunt ab obseruantia, & more illius constitutionis immunes. Et quid aliud à Pontificibus, vel clero potest, vel debet Princeps exigere, quàm vt incessanter fiat oratio ab Ecclesia ad Deum pro eo?* Et quando vel ethnici Principes a Sacerdotibus nihil aliud putarunt debere exigi, quantum piaculum foret, si Christianus Princeps bona tẽporalia à maioribus suis ob victorias partas Deo viuo, & vero sacrata repetat? Nec valet prætextus, quòd hæc repetuntur pro defendenda ipsa Ecclesia ab instanti bello. Pulchrè enim ait D. Synes. Episcop. Ptolemaidæ epist. 5. *Quisquis autem per Ecclesiæ tuendæ speciem marsupium auget, atque hoc ipso, quòd iis temporibus vtilis esse videatur, quæ vim animi efflagitant, sibi potestatem conciliat, is est, quem nos extra Christianum consortium amandatum volumus. Non indiget virtutem fecit Deus, non illius societate nequitia indiget. Nõ Deo milites deerũt, Ecclesiæ idonei, commilitones inueniet, hic quidem mercedis expertes, sed in cælis plena mercede donandos.* Et meritò sanctus Præsul despicit illos Ecclesiæ defensores, qui vt defendant, priùs marsupium implent de bonis Ecclesiæ. Quos adhùc vehementiùs vrget Petr. Blesens. epist. data 112. *Quæ ratio est, vt qui pro Ecclesia pugnant, Ecclesiam spolient? Quam inimicorum spoliis, & bonis triumphalibus ampliare debuerant? Putantne insipientes, & miseri, quod Christus, qui summa iustitia est, velit sibi de iniuriis, & sacrilegio exhiberi sacrificium, aut sustineat commissa ex iis spolia prosperari? Si enim testimonio veritatis in ignem æternum mittitur, qui sua pauperibus non dedit, vbi quæso mittendus est, qui bona pauperum, vel Ecclesiæ rapuit? Pro iis, & consimilibus filii Ephrem intendentes, & mittentes arcum conuersi sunt in die belli. Nunquam pauperum, nunquam Ecclesiæ spolia prosperum habuerunt euentus auspicium.* Ecce tibi, vt simul bona Ecclesiæ ampliari solent donis triumphantium Principum, sic illorum donorum repetitio simul visitur esse cum ruina exercituum. Qui ex votis Deo exhibitis triumpharunt de hostibus, multi sunt, quorum victricia vexilla, & stemmata in Dei templis splendent quotidie. Qui de manubiis Ecclesiæ importuna exactione captis plenus vicerit, nec numerabitur vnus; imò & multi sunt, qui eorum celebrent ruinas. Semper enim cum spoliis Ecclesiæ solet esse ruina coniuncta. In 1. Machabæor. 6. vbi Antiochi infortunia narrari incipiunt, dicitur: *Et rex Antiochus perambulabat superiores regiones, & audiuit esse ciuitatem Elymaidem in Perside nobilissimam, & copiosam in argento, & auro; templúmque in ea locuples valde, & illic velamina aurea, & loricæ, & scuta, quæ reliquit Alexander Philippi rex Macedo, qui regnauit primus in Græcia. Et venit, & quærebat capere ciuitatem, & deprædari eam, & non potuit, quoniam innotuit sermo iis, qui erant in ciuitate. Et insurrexerunt in prælium, & fugit inde cum tristitia magna.* Ecce sibi Antiochi inauspicata profectio in Persidè, vt pro pecunia, quam ad belli sumptus è tẽplo cõuehere studebat, ignominiam fœdam, & dedecus extorsit. Quam cladem vt cum cupiditate spoliandi

Blesens.

D. Synes.

Blesens.

1. Mach. 6.

templum ethnici scriptores coniunctam viderunt, non dubitant illam asserere profectam ex intentato sacrilegio. Quippe ait Iustinus Dindymæus lib. 3. c. 1. *Interea in Syria rex Antiochus cum graui tributo pace à Romana premiretur, & victus, eneruatúsque esset, seu inopia pecuniæ compulsus, seu auaritia sollicitatus, qua sperabat se sub specie tributariæ necessitatis excusatius sacrilegia commissurum, adhibito exercitu nocte templum Dindymæi Iouis aggreditur. Qua re prodita concursu incolarum cum omni militia interficitur.* Sic cautū est apud omnes gentes, vel etiam apud ethnicos, quòd templorum bona intacta sint à Principibus, vt non dubitent bellorum aduersa coniungere cum spoliis templorum. Sed expende illa verba, *sperabat sub specie tributariæ necessitatis excusatius se sacrilegia commissurum*, & puta fidelibus principibus nullam esse necessitatem, qua liceat bona Ecclesiæ rapere Sacerdotibus inuitis, si velint à sacrilegij macula liberari, & cum Antiocho in die belli non perire. Nouerunt id Catholici Hispaniæ reges Ferdinan. & Elizabet, qui in summa penè penuria constituti, vt author est Antonius Nebrissensis Decad. lib. 1. cap. 9. *A sede quoque Apostolica auxilium implorauere ad stipendia militibus persoluenda. Et missa est à summo Pontifice cum senatus Apostolici assensu facultas distribuendi centum millia ducatorum aureorum, per vectigalium Ecclesiasticorum classes, &c.* Quæ dona Ecclesiæ ne aliquando confunderentur cum exactionibus sæcularibus, curarunt Catholicissimi Principes ea per diuersos omnino colligi officiales, & thesaurarios. Ait enim Aluarus Gomesius lib. 1. de gestis Francisci Ximenez, de Alphonso domino Turrilacunæ, quòd *concionem nummariam curaret, quæ ex Romanis Pontificum condonationibus Regis fisco debebantur.* Sic à thesaurariis regiis præpositis ad colligendas laicorum exactiones alius distinctus designatus erat pro colligendis Ecclesiasticis, quæ ex dono Pontificis concedebantur; cauentes sapientissimi, & religiosissimi Reges, ne in re tributi viderentur Sacerdotes inuolui cum sæcularibus. Hoc studio Catholici Reges fuerunt semper inuicti, & nouis triumphis quotidie Hispanias implent. Nec ad momentum bona Ecclesiæ, nisi dante Pontifice, attingunt, vt se probro liberent, quod Petrus Blesensis epist. 20. Galliæ Regi inurit: *Sanè, sicut audiuimus, exiit edictum à Philippo rege, vt describeretur Gallicus orbis, & oneretur Ecclesia decimationibus recidiuis. Sic paulatim transibit decimatio in consuetudinem, & præsumpta semel abusio ignominiosam Ecclesiæ seruitutem infliget. Offertur domino nostro Episcopo cælitus gratia triumphalis occasio. In optione ipsius est, aut degenerem, & deiectum animum turpiter ad seruiendum submittere; aut coronam immarcescibilis eminentiam obtinere. Regiæ quoque indignationis motus non timeat, &c.* Et quantum hoc dedecus est Principibus, quòd illa intentent imponere, quibus si non resistant Prælati, degeneres sunt, & abiecti animi, indigni altaribus Christi, si autem fortiter resistant, fieri potest, vt iram Regis incurrentes palmam obtineant martyrij? Qua ratione terrebat D. Ambros. Imperatorem Theodosium, qui iusserat Synagogam reædificari expensis Episcopi, qui eam in Iudæorum odium diruerat. Quippe ait lib. 5. epist. 29. *Sit ista Episcopus feruentior in exustione Synagogæ, timidior in iudicio. Non veretur Imperator, ne acquiescat sententiæ tuæ, ne præuaricetur, non times? Non enim veretur, quod futurum est, ne verbis resistat comiti tuo? Necesse erit igitur, vt aut præuaricationem faciat, aut martyrem. Vtrumque indignum temporibus tuis, si aut præuaricari cogatur, aut subire martyrium.* Qui Princeps Catholicus hoc non timeat temporibus suis. Et tamen, qui in exactionibus, & tributis Sacerdotum bona, & laicorum æquè inuoluit; rem aggreditur, cui nisi resistant Episcopi præuaricatores fiunt, & canes muti, si autem resistant, & inde adducantur in vitæ, exiliive discrimina, martyres fient, & nemo nescit, quàm sit vtrumque alienum à temporibus Catholici Principis.

Dindym. — *Nebris.* — *Gomes.* — *Blesens.* — *D. Ambr.*

§. XXXIV.

Nulla natio tanta fuit in cultu deorum suorum, quanti sunt viri Catholici in egenorum, pauperúmve Christi cultu.

ECce tibi tota Babylonici Imperij religio, vsquequò se extendebat, vnum requirunt Sacerdotes ex Rege potentissimo, omittũ, *& tu Rex pone escas, & vinũ misce.* Dum Rex epulum faciat vni edacissimo idolo Belis, finiuntur omnes impensæ pro Deorum Babyloniorum cultu. Proh angusta, & auara hominum religio, vel hinc apparet falsitas tua, quando veræ religionis asseclæ pro pauperibus sustentandis longe plura insumunt, quàm tu pro Diuis! Sapienter Tertul. in Apolog. mordebat Ethnicos, dicens: *Certè, inquitis, templorum vectigalia quotidie decoquunt, stipes quotusquisque iã iactat. Cum interim plus nostra misericordia insumat vicatim, quàm vestra religio templatim.* Intra Ethnicorũ, & Hæreticorum templa, in quibus maximè se iactat eorum ambitiosa religio, & simul percurre pauperum, egenorum viculos, & maiores sumptus in iis videbis quotidie fieri à fidelibus Christi, quàm in illis à suis Principibus. Hanc virtutem vt propriam maximè inuidebat Iulianus Imperator Apostata Catholicis hominibus, eamque ad suos transferre curabat. Sic enim in epist. quam dedit Arsacio in Galatia gentilis professionis Pontifici, de qua Sozomen. lib. 5. c. 15. & Baron. anno Christi 362. inquit. *Porrò Xenodochia multa in singulis ciuitatibus exstrueto, vt peregrini nostra benignitate fruantur: Nam turpe profectò est, cum nemo ex Iudæis mendicet, & impij Galilæi* (sic malus bonos Christianos vocabat) *non suos modò, sed nostros quoque alant: vt nostri auxilio, quod à nobis ferre ipsi debeant, destituti videantur.* Sic Imperator Apostata turpe putabat vigere inter Christianos eã virtutem, qua nulli parcentes sumptui, egenis pauperibúsque prospiciant, quæ in toto orbe ethnico nunquam fuerat audita. In Apost. Act. c. 19. Antiocheni discipuli, vt primùm insigniti dicuntur nomine Christiani, sic primùm etiam dicuntur tractasse de mittendis collectis pro egenis Ierosolymitis sustentandis. Ex quo extollit suos ciues Chrysost. hom. 17. ad Popul. Antioch.: *Fames olim difficillima futura erat, & Antiochiam habitantes statuerũt, prout quisque abũdabat, ad Sanctos Ierosolymam habitantes aliquid mittere. Ecce & secundam Antiochiæ dignitatem in fame charitatem. Non contraxit ipsos tempus, nec segniores reddidit calamitatis expectatio sed quando alij aliena colligunt, tunc illi sua emittebant.* Et quidem hæc secunda dignitas cõsequenter fuit in illis, in quibus erat altera, qua primi vocati sunt Christiani. Est equidẽ propria & inseparabilis proprietas puræ, & sinceræ Christianitatis, quòd nulli parcas sumptui pro egenis iuuandis. Et ex hac virtute confundit D. Aug. illos, qui aliqua vitia notabant in Christianis, ait enim Psal. 80. *Quanta, inquiunt, rapina temporibus nostris, quanta pressura innocentium, quanta expoliationes rerum alienarum? Non habebat antiquitas tales raptores rerum; sed habebat antiquitas tales donatores rerum suarum? Vides raptorem, qualem nunquam vidisti. Vide contemptorem rerum suarum, qualem nunquam vidisti.* Fortè continget, quòd inter veros Catholicos aliquis latro, aut fornicator inueniatur, qualis nec inter ethnicos apparuit, sed certissimum est, quòd in Catholicis inuenitur ea misericordia in pauperes, qualis in nulla natione gentium, aut hæreticorum potuit inueniri. De quo videndus est Bozius de signis Ecclesiæ lib. 10. cap. 9.

Tertul. — *Sozomen.* — *Chrysost.* — *D. Aug.*

§. XXXV.

Non alteri credas, sed tu ipse operare ea, quæ te à morte defendant.

PEndebat mortis sententia siue in Belis Sacerdotes, siue in Danielem, si quis eorum inueniretur falsa Regi dixisse circa idoli epulas; iam Sacerdotes egressi à templo omnes, liberum Danieli & regi reliquerant, quòd cibos apponerent, & templum clauderent. Quid tunc Daniel? *Præcepit Daniel pueris suis, & attulerunt cinerem, & cribrauit per totum templum coram Rege.* De præcepto Danielis pueri attulerunt cinerem, sed ipse Daniel per se ipsum cribrauit per totũ templum. Cur, vt iussit pueris, quòd cinerem afferrent, nõ simul iussit, vt illi cribrarent? Nonne indecens erat, quòd tantus Princeps coram ipso Rege adeò seruile, & immundum officium subiret? Cur ergo sic se depressit, vt non per ministros, sed per se ipsum cribrauit cinerem? In ea diligentia cineris spargendi iaciebatur fundamẽtum, quod Daniel mortis sententiam à se defferet ad contrarios. In re autem mortis eatenus sapiens est, qui non alterius fidit diligentiæ, sed ipse illam per se operatur. Similiter cùm Ægyptij plagis erant affligendi, plagarum adductio in Ægyptios vni committitur Aaroni, vel Moysi, nihil in iis agentibus cæteris Israelitis. Exod. 7. & 8. per solum Aaronem aquæ in sanguinem vertuntur, ranarum, & cyniphum adducitur multitudo. Exod. 9. & 10. per Moysem sex aliæ plagæ perficiuntur, & locustæ, & muscæ, & iumentorum mors, & vesicæ, & vlcera, & tonitrua, & grando, & tenebræ palpabiles. Vbi autem ad decimam plagam ventum est, qua Angelus transiens Ægyptum vniuersa primogenita morti dedit, sic ait Dominus vniuersis Israelitis. Exod. 12. *Vnusquisque tollat agnum per familias, & domos suas, &c. Et sumet de sanguine eius, & ponet super vtrumque postem*

Exod. 12.

postem in superliminaribus domorum, &c. Trāsibit autem Dominus percutiens Ægyptios, cúmque viderit sanguinem in superliminari, & in vtroque poste, transcendet ostium domus, & non sinet percussorē ingredi. Itaque in cæteris plagis nihil iubentur facere populares Israelitæ, sed omnes per vnum Aaronem, siue Moysem perficiuntur. In hac decima, nō solus Aaron, nec solus Moyses, sed singuli Israelitarum iubentur agnum sumere, singulósque suæ domus postes eius sanguine linire. Et cur in hac sola plaga iubentur omnes esse in opere, & labore postes liniēdi? In hac sola plaga de omnium agebatur vita, in hac sola percussor Angelus veniebat, qui primogenitos interficeret, vbi autē te a morte liberare velis, & asserere vitæ, necessum est, ne nimium alteri fidas, sed per te ipsum debes operari salutem. Stultissimū est, quòd in re vitæ acquirendæ, & mortis deflectendæ, tu otio indulgeas, & negotium totum alteri committas. Fallar, si qui hæc faciūt, æterna euadāt discrimina. Achab Israelis Rex dum esset in Samaria pene inermis, contra se vidit Benadab regis Syri exercitum, & validissimum, & penè innumeris conflatū militibus. Triginta enim & duo Reges cōuenerant cum Benadab, vt Israelitā Regem perimerent, sed nihilominus Achab de seniorū consilio parat tanto hosti resistere. Quid tunc? Habes 3.Reg.21. *Factum est autem cùm audisset Benadab verbum istud, bibebat ipse, & Reges in vmbraculis, & ait seruis suis, circumdate ciuitatem. Et circumdederunt eam. Et ecce Propheta vnus accedēs ad Achab Regem Israel ait ei: Hæc dicit Dominus. Certè vidisti omnem multitudinem hanc nimiam, ecce ego tradam eam in manu tua hodie, vt scias, quia ego sum Dominus. Et ait Achab, Per quem? Dixitque ei, Hæc dicit Dominus per pedissequos Principum prouinciarum. Et ait, Quis incipiet præliari? Et ille dixit: Tu. Recensuit ergo pueros Principum, &c.* Iosephus indubitanter asserit hos pedissequos, & pueros Principum fuisse filios Potentatuum, & Magnatum Israelitarum, cui non dissentit Abul. Sed illud expendendum est, qualiter disponebatur exercitus periturus, & qualiter disponebatur exercitus triumphaturus. Ex parte Achab, iubet Deus, vt omnes filij Principum in arenam descendant, & ipse Rex primus certamē ineat, ex parte autem Benadab, bibebat ipse, & Reges in vmbraculis, & ait seruis suis, Circūdate ciuitatem. Quando ergo Benadab cū omnibus, & Principibus, & Regibus auxiliatoribus quiescebat, & bibebat in vmbraculis, mandans seruis suis vallum vrbis, cur similiter Deus non iubet, quòd Achab cum Principibus suis requiescat, & bibat in regia, & mādet seruis suis, quòd hostibus oppugnent? Absit hoc à Deo nostro, cuius est ostendere certiorem viam salutis, aut ruinæ. Ille enim siue Rex, siue Princeps, siue priuatus, se triumpho aptat, qui per se ipsum agit rem triumphi, qui autem tantam rem alteri credit, vt ipse otio, & voluptati indulgeat, is æternę paratur ruinæ. Omnibus Principibus hæc siue stultitia, siue amentia solet esse communis, quòd bibentes ipsi, & sibi indulgentes, dicant seruis suis, dicant alijs, quòd rem belli, & pulueris Christiani agant. Credant mihi, imò credant Prophetis, per quos Deus loquitur, quòd ille solus, siue Rex, siue Princeps, siue priuatus declinat hostes, reportat triumphos, qui per se ipsum aggreditur rem pulueris.

Dan. 14 Sacerdotes autem ingressi sunt nocte iuxta consuetudinem suam, & vxores, & filij eorum, & comederūt omnia, & biberūt. Surrexit autē Rex primo diluculo, & Daniel cū eo. Et ait Rex, Saluáne sunt signacula Daniel? Qui respondit, Salua Rex. Statímque cùm aperuisset ostium, intuitus Rex mēsam, exclamauit voce magna, Magnus est Bel, & non est apud te dolus quisquam. Et risit Daniel, & tenuit Regem, ne ingrederetur intrò, & dixit: Ecce pauimentum, animaduerte cuius vestigia sunt hæc.

§. XXXVI.

Consuetudo percipiendi temporalis lucri cæcissima est in vorandis periculis.

Vix noctis tenebræ mundum oppleuerant, & Sacerdotes Belis cum vxoribus, & filiis per aditum secretum templum intrant, & securissimi dapes idolo appositas sibi eripiunt. Cur id maiori cautela & metu non faciunt hac nocte? Erat enim tunc Rex cupidissimus sciendi, quis illas dapes voraret; erat potentissimus princeps apud Regem Daniel in mortis discrimine, si non probaret illas absumi à Sacerdotibus, non à Belo, spatium autem tanto certamini propositum solius præsentis noctis erat. Cur ergo Sacerdotes omnia hæc scientes, non magis timent, ne a Daniele, siue a Rege aliqua fuerit in templo occultata decipula, qua capiantur miseri? Cur hæc verentes non magis cauti, & soli ipsi intrant relictis domi vxoribus, & filiis? Quid necessum est cum filiis, & vxoribus sic intrepide, & nihil verentes venire? Rem attingit text. inquiens: *Ingressi sunt iuxta consuetudinem suam, & vxores, & filij eorum, & comederunt omnia.* Agebātur miseri consuetudine, & quādo hæc inueterascit in percipiendo aliquo temporali lucro, cæcissima est, vt quæcumque voret discrimina. Quam meritò notabat Ierem. cap. 8. in Israelitis, inquiens: *(Ierem. 8.)* *Omnes conuersi sunt ad cursum suum, sicut equus impetu vadens ad prælium. Miluus in cælo cognouit tempus suum, turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui, populus autem meus non cognouit iudicium Domini.* Expende illa, *sicut equus impetu vadens ad prælium*; quippe multa spicula, multi ignes ex aduerso agmine expectant equum ruentem, ille tamen tubarū clangore excitatus, & calcaribus agitatus nihil pauens, nihil mali curans impetu currit, vt sese figat aduersariorum spiculis. Sic prorsus omnes homines ad consuetum cursum feruntur, nihil verentes inde, vnde consueuerunt percipere lucrum. In hoc longè inferiores miluo, hirundine, ciconia, quæ vel in regionibus amœnissimis præsentiunt aduentantia incommoda, & ad alia diffugiunt. In hominibus autem consuetudo inueterata sic omnem sensum absumit, vt nec sentiant pręsentissima discrimina, sed omnia vorent, ne consuetis careant lucris. Quò spectans Oseas, c. 10. sic loquitur *(Oseæ 10.)* de Israelitis: *Ephraim vitula edocta diligere triturā.* Sunt in tritura præsentissimi labores, quibus maximè sub graui iugo premuntur vitulæ, & nihilominus istæ toto affectu ad trituram currunt. Et quomodo docentur sic ad trituram currere, quæ ibi laboribus premuntur? Cur non magis trituræ labores effugiunt? Assuescunt in tritura, libero esse ore, vt quātas petit gula, tantas dapes accipiant. Consuetudo autem tanti percipiendi lucri & feras, & homines sic agit, vt vorent quæcumque alia laborum, mortisvę discrimina. Ait Ruper. *(Rupert.)* *Igitur Ephraim similis est vaccæ vitulæ, quæ didicit aream terere, & non solam didicit, verum etiam à nimia consuetudine cœpit amare, quod docta est, licèt triturationis laborem inferat. Sic & populus Israeliticus licèt frequenter affligeretur, & multa aduersa pateretur propter idololatriam, tamen voluntatis suæ, & ingluuiem ventris sequi desiderans, vltro ad idola reuertebatur.* Et quæ discrimina, quot labores non voret consuetudo percipiendi temporalis lucri? Pone ibi labores, sudores, mortes, tormenta, & inter hæc pone vel voluptates, vel lucrum, cui assueuisti, & fallar, nisi ad omnia illa cæcutias, vt hæc percipias.

§. XXXVII.

Vera magnitudo & præstantia, non à factis sumptibus, sed a donis siue sumptu præstitis sumenda est.

Ingressus Rex templum, vidit aras vacuatas epulis, quas ille putauit à Belo absumptas, sic exclamauit, dicens: *Magnus es Bel*, magnum inde æstimans, quia tanta absumpserat. Quid delirius? Sane stultissimum Hispaniæ vulgus vt Principis alicuius magnitudinem extollat, dicere consueuit, quòd ille viginti, aut triginta millia aureorum quotannis vorat, quasi ex sumptibus factis magnitudo Principum censeri debeat, & non magis ex præstitis muneribus. Ille namque verè magnus est, qui non absumit, sed multa præstat. Hinc Ioelis c. 2. ait verè magnus, & verè potens Deus, *(Ioel 2.)* *Implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino, & oleo. Et reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca, fortitudo mea magna, quā misi in vos.* Non simpliciter promittit Dominus à se multa esse bona præstanda, sed insuper addit illa præstāda esse pro bonis, quæ locusta, & rubigo, & bruchus comederunt. Et cur necessum erat, quòd redderentur bona ab iis insectis comesta? Causam explicant illa verba, nimirum, *Fortitudo mea magna, quam misi in vos*, vbi enim magna Dei fortitudo in locusta, & brucho, & ærugine apparebat, necessum erat omnia ab iis absumpta resurgere, & integrè reddi, ne videatur diuinæ fortitudinis magnitudo in sola absumptione, & comestione esse. Quando quod verè magnum, & præstās est apud Deum, nō ex absumptione, sed ex

exhibitis sine sumptu donis debet censeri. Post recensitas oblationes vniuersas exhibitas à populo Deo ex præscripto diuini imperij, Numer. 31. ait textus: *Cúmque accessissent Principes exercitus ad Moysem, & tribuni, centuriones, qui dixerant: Nos serui tui recensuimus numerum pugnatorum, quos habuimus sub manu nostra, & ne vnus quidem defuit. Ob hanc causam offerimus in donarijs Domino singuli, quod in præda auri potuimus inuenire, periscelides, & armillas, & annulos, &c.* Quæ Deus sibi offerenda petiuerat, iam vniuersæ familiæ obtulerant, præter hæc Magnates, & Principes populi aurea donaria offerunt, scientes apud Deum veram magnitudinem, & præstantiam Principum inde censeri, si plura ex liberalitatis affectu præstent. Circa quod Procopius: *Populorum Principes, & sua & populorum causa angustioribus donis venerari Deum solent, aliquid semper ex abundanti addentes, & mandata exuperantes. Qualis erat Paulus, qui vltra legem, & mandatum Christi nullum carnale præmium à suis Euangelij discipulis percipiebat, at Euangelium extra sumptum deponebat.* Expende illud, *extra sumptum*, quippe Paulus inter omnes Christi asseclas veram gloriam, veramque magnitudinem in se ostendebat, qua se inter summos cœlestium Principes referebat, quando tot Euangelij commoda sine sumptu vllo hominibus proponebat. De qua magnitudine ipse aiebat 1. ad Corint. 9. *Bonum est mihi magis mori, quàm vt quis euacuet gloriam meam.* Vbi D. Ansel. *Magis opto mori, quàm sustinere, vt quis euacuet gloriam meam, quam pro hac abstinentia habere volo in Christo apud Deum, compatiens infirmis, dum nil ab eis sumo.* Ecce tibi vnde Paulus, & magnitudinem, & plenitudinem gloriæ veræ apud Deum metiebatur, quam præ ipsa vita æstimabat, nimirum, ex eo, quòd multa præstabat, absque vllo sumptu eorum, quos beneficiis implebat. Tanta autem sublimitas est eorum, qui non inhiant bonis accipiendis, vt in illis videatur Deus ponere Orbem vniuersum. Sic 1. Reg. 2. *Domini sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.* Ex Hebræo legitur. *Domini sunt afflicti terræ*, nimirum, pauperes spiritu, qui nihil mundiale appetunt, sed omnia aliis cedunt. Vnde D. Hieron. lib. de Tradit. ait: In Hebræo habetur: *Domini sunt afflicti terræ. Hos nomine pauperes spiritu, & humiles corde intelligunt, super quos Dominus orbem posuisse dicunt.* Itaque Orbis Magnates, & qui toti Orbi præpositi sunt à Deo, illi sunt pauperes spiritu, qui nihil sibi assumere concupiscunt, sed omnia aliis facilè cedunt. Hinc D. Synes. de Prouid. sect. 1. componens maximum, & regalissimum Ægyptij moderatorem Osiridem, de illo dicit: *Cæterùm diuitias ipse quidem neglectas habebat, aliis verò vt quàm amplissimæ essent, omni cura, ac diligentia prouidebat, vir vt in accipiendis muneribus restrictissimus, ita in dandis munificentissimus, ac liberalissimus.* Sic principatus sublimitas, & amplitudo, non ex absumptis bonis, sed ex donis datis est semper mensuranda.

Num. 31. — Procop. — 1. Cor. 9. — 1. Reg. 2. — D. Hier. — Synes.

§. XXXVIII.

Qui veritate nititur, certissimè in euentu testificato ridebit.

REx Babylonius dum sese in laudes Belis effundit, quasi Bel omnia apposita comedisset, Daniel ridebat attendens vestigia pauimenti. Ait enim text. *Et risit Daniel, & tenuit Regem, ne ingrederetur intrò, & dixit, Ecce pauimentum, animaduerte, cuius vestigia sunt hæc.* Ad ciborum defectum stupebat Rex, credens eos deuoratos à Bele; ad vestigia pauimenti ridebat Daniel, videns certissima veritatis suę argumenta. Et quando, qui veritate nititur, non ridet in certissimo, & patentissimo eius euentu? Iob c. 8. *Deus non proiiciet simplicem, nec porriget manum malignis, donec impleatur risu os tuum, & labia tua iubilo.* Quæ verba sic in Cat. Græca sonant in rem præsentem: *Omne autem domum impij non recipiet Deus, veracium autem os implebit risu, labia autē ipsorum confessione.* Sanè ridebunt omnes veraces, quando necessum est, quòd videant adimpleri, & ostēdi omnia, quæ ipsi annūtiauerunt. Quisquis enim aliquid præcauet, in quo ab incredulis cōtemnitur, necessum est, quòd rideat, vbi viderit illud euenisse, quod sibi, & aliis timuerat. Inde sapientia Dei veracissima terrebat impios incredulos, mendaciis, & vanitatibus deditos, Prou. 1. *Ego in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cū vobis, quod timebatis, aduenerit. Cum irruerit repentina calamitas, &c.* Vbi qui veracium vocibus fuerunt increduli, comprehensi fuerint à malo annuntiato, tunc & sapientia Dei & veraces omnes sapientes non poterunt non ridere. Ast iusti hominis est ridere in malis alterius? Non equidem risum faciunt iustis impiorum mala, sed veritatis toties annūtiatæ patentissimus effectus. D. Bern. ser. 8. in Psal. Qui habitat, dicit: *Sapientia in orans videbit interitu. Nēpe ipsa prædicit, quæ mentiri non potest. Ego quoque in interitu vestro ridebo. Sanè quod Sapientiæ tunc placebit, sapientibus quoque placeat, necessum est vniuersis. Quando & videbis in eorum interitu, non quòd velit quadam immanitate in adolescentes in ipsa tibi vltione complaceas, sed quòd modus ipse pulcherrimus diuinæ ordinationis vltra quam credi possit, iustitiæ zelatorem, & amatorem æquitatis oblectet. Vbi optimè omnia constituta, & in suum quemque cessisse locum, plenius, & perfectius illustrante veritate cognosces.* Expende illud, nimirum, *illustrante veritate*; de veritatis enim beneficio veniet, quòd te oblectes, & rideas, videns vt impij in locum tormentorum sibi paratum discedant.

Iob 8. — Prou. 1.

Dan. 14. Et dixit Rex, video vestigia virorū, & mulierū, & infantium. Et iratus est Rex. Tūc apprehendit Sacerdotes, & vxores, & filios eorum, & ostenderunt ei abscondita ostiola, per quæ ingrediebantur, & consumebant, quæ erant super mensam. Occidit ergo illos Rex, & tradidit Bel in potestatem Danielis: qui subuertit eum, & templum eius.

§. XXXIX.

Princeps, qui falli nolit, non verba, sed vestigia ministrorum attendat.

ECce tibi quā Rex Babylonius ab ingēti errore, & sumptū liberatus est. Ait ipse: *Video vestigia virorum, & mulierum, & infantium. Tunc apprehendit Sacerdotes, & vxores, & filios, & ostenderunt ei abscondita ostiola.* Proh Deus immortalis, si Reges non ad verba, sed ad vestigia ministrorum diligenter attenderent, quot fallaciarum abscondita etiam in sanctissimis deprehenderent! Regina erat, & vxor Regis illa, cui dictum est, Cant. 1. *Si ignoras te, ò pulcherrima mulierum, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum.* Consultius videretur esse reginæ ad depellendam ignorantiam, quòd interrogaret sapientissimos sui gregis, & ad eorum dicta, prudentésque sermones attenderet. At non dicitur illi, quòd interroget, nec quòd attendat ad verba, sed quòd vigili cura abeat post vestigia gregum. Et fallar, nisi vniuersas ignorantias, & errores depellat Rex, qui paulisper surdescens ad verba, multum vigilat ad suorum vestigia deprehendenda. Pulchrè Sidon. Apollin. lib. 5. epist. 7. gloriatur à se homines deprehensos & Regi, & regno valde infensos: *Indagauimus*, inquit, *qui germani tui, & noui Principis amicitias criminarentur, si tamen fidam sodalium sagacitatem clandestina delatorum non fefellere vestigia. Hi sunt, quos hæc peculiariter prouincia nouit inferre calumnias, deferre personas, afferre minas, auferre substantias. Quorum si narea afflauerit vspiam rubiginosi aura marsupij, confestim videbis illic & oculos Argi, & manus Briarei, & Sphingarum vngues, & periuria Laomedontis, & Vlyssis argutias, & Sinonis fallacias adhiberi. Hi moribus obruunt virum non minus pietate, quàm potestate præstantem. Ad quorum consilia Phalaris cruentior, Midas cupidior, Tarquinius superbior, Nero impurior, Domitianus truculentior redderetur.* Expende, vnde potuit bonus Regis amicus has cognoscere regni pestes; nimirum ipse ait: *fidam sodalium sagacitatem clandestina delatorum non fefellere vestigia.* Dum ipsi multa apud Regem comminiscuntur, blandisque verbis, & zelo plenis obruunt virum; bonus indagator Sidonius non compositas hominum orationes attendit, sed per fidos sodales eorum nititur clandestina indagare vestigia, ex quibus homines inuenit perditissimos, illisque moribus compositos, qui proculdubio perderent & regnum, & principem. Quò refert Rodulphus gloriam Regum, de qua Prouerb. 25. *Gloria Regum inuestigare sermonem*, quasi inde gloriosi reddantur Reges, quòd non hæreant in blandis, compositisque sermonibus ministrorum, sed insuper inuestigent, hoc est, eorum vestigia attendant, clandestinásque eorum speculentur semitas. Quod faciebat Iob c. 29. *Causam, quam nesciebam, diligentissimè inuestigabam.* Non ait, diligentissimè interrogabam, sed inuestigabam, vt enim bonus canis venaticus non tam ad voces, quàm ad semitas, quàm ad vestigia attendebat. Ibi Chrysost. *Peruertens lustrabat omnia, eos quærens, qui læsi essent multa diligentia.* Ex quo maximè Dei extollit principatum, Psal. 138. *Domine probasti me. Tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam, intellexisti cogitationes meas de longè, semitam meam,*

Sid. Apol. — Prou. 25. — Iob 29. — Chrysost.

meam, & funiculum meum inueſtigaſti. Quàm hoc glorioſum Principi? Nil profectò magis glorioſum, quàm quòd miniſtrorum ſuorum cognoſcat *ſeſſionem, & reſurrectionem*; nimirum, vt Chaldæus legit: *Coram te nota eſt ſeſſio mea ad ſtudendum legi, & reſurrectio ad eundum in prælium*: vt inquirat, peruestigetque rex, quot horas togati illi miniſtri ſedent, vt ſtudeant legibus, & quàm opportunè bellatores diſponant prælia. Quòd curet percallere omnes eorum *cogitationes*, hoc eſt, vt Chryſoſtom. legit, *animi ſenſa*, ſiue vt plures alij, *amicos eorum*; & ſemitam, & funiculũ, hoc eſt, iuxta Genebrar. & longos ſinus, & ſpiras perueſtigare, & inſtar canis venatici veſtigiis eorum adhærere. Curet Rex ſic ſuorũ clandeſtina veſtigia perſequi, & raro facinora mille non deprehendet. Ezechiel. c. 8. ait Dominus: *Fili hominis fode parietem. Et cùm fodiſſem parietem, apparuit oſtium vnum. Et dixit ad me: Ingredere, & vide abominationes peſſimas, quas iſti faciunt.* Velit vtinam Rex ſcrutari clandeſtinas ſemitas, & mille oſtiola ſtatim inueniet, quã horrenda crimina perpetrentur. Vt meritò ad hæc dicat D. Cyprian. lib. 2. epiſt. 2. *O ſi & poſſis oculos tuos inſerere ſecretis, recludere cubiculorum obductas fores, & ad conſcientiam luminum penetralia occulta reſerare; aſpiceres ab impudicis fieri, quod neque aſpicere poſſit frons pudica. Videas, quod crimen ſit & videre: videas, quod vitiorum furore dementes geſſiſſe ſe negant, & gerere feſtinant. Fiunt, quæ nec ipſis, nec illis poſſunt placere, qui faciunt. Iidem in publico accuſatores, in occultis rei, in ſemetipſos cenſores pariter, & nocentes. Damnant foris, quod intus operantur, quorum quo ſecretior culpa, maior audacia.* Et quanta gloria regis, quod hæc priuatis inſcrutabilia, ipſe perueſtiget, ſcrutetur!

Ezech. 8.

D. Cypr.

§. XL.

Peruestiganda Regibus non ſolùm miniſtrorum nequitia, ſed & vxorum eorum, & infantium.

NOn inconſultò bonus Rex attendit ad virorum, & fœminarum, & infantium veſtigia expreſſa, ait enim: *Video veſtigia virorum, & mulierũ, & infantium.* Quid neceſſum fuit ſigillatim notare veſtigia mulierum, & infantium? Nõne ſuffeciſſet, quòd veſtigia humana videret? Optimo principi nõ ſolùm cura eſt de veſtigiis, & ſemitis miniſtrorum, ſed & de veſtigiis infantium eorum, & mulierum, ſolent enim hæ eſſe quæ totam integritatem gubernatorum coniugum euertũt. D. Syneſ. ſect. 1. de Prouid. dum in Typhone effingit gubernatorem peſſimum ſic loquit: *Duplici tamen deſperatis rebus arte ſuccurrebatur, ſi quis aut vxori pecunias obtuliſſet, hæc autem veluti in proſtibulo, palam ſedebat, ad corporis voluptates, obeundáque negotia, meretriciũ, & lenarum opera vtẽs, ferúmque illud, quod ab Ægyptiis hactenus iudiciarium appellabatur, iudiciorũ mercatum efficiens; quæ cum ea collocutus eſſet, mitiorem Typhonis animum experiebatur.* Et quot iudiciorum mercatus, & quot iudicum facinora non inuenientur, ſi vxorum veſtigia inueſtigentur? De Achab Iſraelitarum Rege dicitur 3. Reg. 21. *Igitur nõ fuit alter talis ſicut Achab, qui venundatus eſt, vt faceret malum in conſpectu Domini: concitauit enim eum Iezabel vxor ſua.* Ecce tibi mercatus, in quo miſer Rex ſe vendidit, ad omnia perpetranda mala, ſed iſtius turpiſſimi mercatus vxor in cauſa fuit. Illa & Regis, & regni venditionem fecit, innumeriſque illum facinoribus, & ſacrilegiis expoſuit, vt temporale lucrum acquireret. Vnde D. Amb. lib. de Nabuthe c. 9. monet: *Nõ audias illam Iezabel, dicentem: Ego dabo tibi vineam, quam deſideras. Ego habeo mea iura, meas leges, calumniabor, vt ſpoliem; & vt poſſeſſio pauperi eripiatur, vita pulſabitur. Nõ eſt Iezabel illa, non vna, ſed multiplex, non vnius temporis, ſed temporum plurimorum, hæc omnibus dicit, ſicut illa dixit Achabo: Ego dabo tibi vineam Nabuthæ.* Non equidem in Iezabele præcipitatæ ſunt omnes vxores corruptrices coniugum; nunc ſunt apud Principum Regias, apud atria Iudicum vxores multæ, quarum ſi greſſus attendas, veloces ſunt ad effundendum ſanguinem; quæ quotidie dicant viris ſuis, ego dabo tibi litigãtium bona, ambientium marſupia. Et quando hæc non faciunt vendibiles viros ſuos? Quam rarus eſt, qui in fœminis ſuis voluerit caſtigare occaſiones facinorum! De Aſa vno dicitur 2. Paral. 16. *Sed, & Maacham matrem Aſa regis ex auguſto depoſuit imperio, eò quòd feciſſet in luco ſimulacrũ Priapi.* Vbi Theod. *Adeò ardenter Aſa diuinas leges eſt amplexatus, vt etiam matrem ſuam, quo maluit colere Aſtartem, regno priuaret.* E tot Principibus vel Iudæ, vel Iſraelis vnus Aſa numeratur, tã feruidus amator Dei, qui vel in matre corriperet cultũ idolorũ. Sic rarum eſt, quòd iudices populorum non magis à fœminis ſuis trahantur in errores.

D. Syneſ.

3 Reg. 21.

D. Amb.

2. Par. 16.

§. XLI.

Terreni lucri cupiditate punita facili negotio ruit erronea religio.

COnuictos ſacerdotes Belis, quòd ipſi cibos abſumerent, *Rex omnes occidit, & tradidit Bel in poteſtatem Danielis, qui ſubuertit eum.* Et cur non magis ipſe Rex, qui Sacerdotes occidit, & Belem deſtruxit? Cur priuato homini deſtructionem Idoli commiſit, quando ipſe deſtructionem Sacerdotum ſibi aſſumpſit? Equidem poteſtas, & fortitudo magna ad hoc neceſſaria eſt, vt terreni lucri cupidos miniſtros, & Sacerdotes eliminet, iis eliminatis, vel à quouis tolletur priuato erronea religio. Ecce tibi 1. Reg. 5. *Tulerũt Philiſthiim Arcã Dei, & intulerunt eam in templo Dagon, & ſtatuerunt eam iuxta Dagon. Cùmque ſurrexiſſent diluculo Azotij altera die, ecce Dagon iacebat, &c.* Ad ſolam Arcæ diuinæ præſentiam Dagon ab aris excidit, & iacet in puluere, quomodo tam facilè Idolum ruit? Nota temporis circumſtantiam, nimirum Sacerdotes temporaliſſimi Eli filij manebant in acie occiſi, cùm Arca Dei introducta fuit in Dagonis templum à Philiſthinis. Vbi autẽ terreni lucri cupidi percutiuntur miniſtri, Eccleſia veri Dei facilè negotio de falſis religionibus triumphat. Ait Rup. in lib. Reg. comment. lib. 1. c. 14. *Vbi ſupra dicto modo occidit ſacerdotium vetus, cum terrena Ieruſalem, & manufacto templo eius, tunc victorioſiſſimè pugnam init cum diis gentium Arca Domini, quæ eſt Chriſtus ſedens, & manens in Eccleſia ſua.* Non poterit manere difficile prælium cum falſis diis, cum falſis religionibus, vbi ſemel ablati fuerint amatores temporalitatis, amatores lucri terreni. Duo prælia difficillima exorta aduerſus Paulũ inuenio, fuit primum vbi ſanata apparuit puella à Pythonico ſpiritu, quo dominis ſuis multa comparabat lucra, ait enim Act. 16. *Videntes autem domini eius, quia exiuit ſpes quæſtus eorum, apprehendentes Paulum, & Silam, &c.* Sed & aliud longe grauius excitatum fuit in Aſia Epheſi, quo ſupra modum ſe eſſe grauatum Paulus oſtendit 2. ad Corinth. 18. Et vnde fuit natum tantum prælium? Act. 19. *Demetrius quidam nomine argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ, præſtabat artificibus non modicum quæſtum. Quos conuocans, & eos, qui huiuſmodi erant opifices, dixit. Viri ſcitis, quia de hoc artificio eſt nobis acquiſitio: & viditis, & auditis, quia non ſolùm Epheſi, ſed penè totius Aſiæ Paulus hic ſuadens, auertit multam turbam dicens, quoniam non ſunt dij, qui manibus fiunt. Non ſolùm autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, ſed & magnæ Dianæ templum in nihilũ reputabitur, ſed & deſtrui incipiet maieſtas eius, quam tota Aſia colit. His auditis repleti ſunt ira, &c.* Vides & ibi, & hic difficilia bella pro falſitate religionis ſuſcitari, non ab aliis, niſi ab iis, qui amabant quæſtum? Pulchrè D. Chryſ. hom. 42. in præſenti: *Vide vbique idololatriam à diuitiis fieri. Et illi propter pecunias: & hi propter pecunias dolent, non quòd illis pietas periclitetur, ſed quòd materiem lucri non habituri ſint. Audiuis, inquit, his, impleti ſunt furore. Vnde furor factus eſt? Quãdo de Diana audierũt, quando de lucri iactura.* Fallat, ſi alia vnquam inuẽta ſuit difficultas in expellendis erroribus, niſi quam excitabant illi, qui de erroribus habent quæſtum. Tolle quæſtus amatores, & viciſti quidquid fortius reſiſtit errori tollẽdo. De iis dicebat Paul. 1. ad Timoth. 6. *Qui corrupti ſunt mente, & qui veritate priuati ſunt, exiſtimantes quæſtum eſſe pietatem.* Vna quæſtus expectatio omnes errores conſeruat. Ibi D. Amb. *Dei culturam, & pietatem quæſtum exiſtimant, non de futuro aliquid ſperantes, ſed quomodo in præſenti tranſigant prouidentes, ſicut & mũdano ſecto quæ conſtat propter præſentia lucra inuentæ.* Proh quàm citò deciderent vniuerſi errores, ſi quæſtus, lucríque temporalis amor tollerentur! Cum iis temporalitatis, quæſtuſque amatoribus qui pugnet, potens ſit, fortis ſit, adeò, vt inde extollat Paulus potentiam Dei quod aduerſus hos venerit. Ad Gal. 4. *Quando venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum.* Quocirca D. Bern. ſerm. 1. de Aduentu ait: *Plenitudo, & abundantia temporalium obliuionem, & inopiam fecerat æternorum. Opportunè ergo tunc aduenit æternitas, quando magis temporalitas præualebat.* Et quidem cum temporalibus hominibus ſic præualentibus ſolus poterat pugnare Rex Regum; illis contritis, facilis reſtabat pugna aduerſus errores vniuerſos.

1. Reg. 5.

Rupert.

Actor. 16.

2. Cor. 18.

D. Chryſ.

1. Tim. 6.

D. Ambr.

Ad Gal. 4.

D. Bern.

Dan. 14. Erat draco in loco illo, & colebãt eum Babylonij. Et dixit Rex Danieli: Ecce nũc non potes dicere, quia iſte non ſit Deus viuens: adora ergo eum. Dixítque Daniel, Do-

minum Deum meum adoro, quia ipse est Deus viuens: Tu autē Rex da mihi potestatem, & interficiam draconē absque gladio, & fuste. Et ait Rex, Do tibi. Tulit ergo Daniel picem, & adipem, & pilos, & coxit pariter: fecitque massas, & dedit in os draconis, & disruptus est draco. Et dixit: Ecce quem colebatis.

§. XLII.

Qui à Deo deficit, vilissima quaque veretur, & adorat.

Erat draco, *& colebant eum Babylonij*, & quid non colant, quid non vereantur, qui vel semel à vero Deo deficiunt? Arnob. lib. 1. ait: *Templa felibus, scarabeis, & buculis, sublimibus sunt elata fastigiis, silens irrisa numinum potestates, nec lenire afficiuntur vllo, quòd sibi comparatas animantium vilium conspiciunt sanctitates.* Vbi Deus verus contemnitur, nulla manet excogitata maiestas, quæ detrectet adorationis, cultúsque consortes habere, etiam à vilissimis rebus petitos. Et feli, & scarabeo, & lacertæ aras eriget, & venerationem præstabit humana sublimitas. Vbi Amos c. 7. minabatur mūdialibus Idolis ruinas, ait: *Demolientur excelsa Idoli.* Pulchrè D. Cyril. Alex. legit: *Et delebuntur aræ risus.* Nil ridiculum, nil abiectum, & humi reptans inuenitur, quod non colatur ab iis, qui verum Deum derelinquunt. Conijce oculos ad omnia quæ coluntur, quæ adorantur a cæcis hominibus, & fallar, nisi ea sunt ex reptilibus terræ, ex vilissimis mundi rebus, quæ conculcationi potiùs deberent esse, quàm cultui. Hinc veteranus hostis hominem subuersurus serpenti sese immiscet Genes. cap. 3. *Dixit serpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quòd in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij.* Ecce tibi Deorum mentionem faciens introducit iam veternosus anguis idololatriam, & mundum idolis implere nititur. Sed cur hostis antiquus subuersurus hominem, illúmque ad Idolorum cultum impulsurus, serpentis ore maluit ea dicere? Volebat callidè hominem in Idolorum cultum impellere, & simul ostendere, qualia futura essent idola ab homine culta, à serpente enim, quæ idola effingi possent, nisi serpentia, & reptantia humi, aptiora conculcationi, quàm cultui. Accipe Iulium Firmicum de errore prophanæ relig. c. 27. *Hoc erat, quod Eua, cùm eam perderes, magnoperè pollicebaris, cùm ei diceres: Eritis quasi dij. Tunc parabas, Draco, tibi, ac tuis templa, & delubra faciebas, & veneratoris illusiem consecrabas.* Et pergens ad hanc excogitationem c. 22. inquit: *Deus iste vester non biformis est, sed multiformis. In multas enim species veterator is forma mutatur. Ipse est basiliscus, & scorpio, qui fidelium securis vestigiis premitur. Ipse malitiosus anguis, cuius caput quærit decepta mortalitas. Ipse tortuosus draco, qui hamo ducitur, qui captiuus inducitur. Iste Deus vester Lernæi anguis crinibus adornatur, videns vt percusso Domini, morientium anguium turba succedat.* Ecce tibi serpens ille antiquus qualia in mundo parturiuit idola, sub quibus se adorandum obtulit formis, nimirum sub reptilium illorum, quæ data erant seruis Dei ad conculcationem, & irrisionem. Ea veneni monstra, quæ conculcanda erant, & irridenda, ea manent adoranda ab iis, qui verum Deum non colunt.

Arnob. — *D. Cyril.* — *Gen. 3.* — *Iul. Firm.*

§. XLIII.

Nociua potestas non rarò patitur ipsa malum, quod intulit.

Sapienter Daniel massam fecit, *& dedit in os draconis, & disruptus est draco.* Quàm meritò adoratus draco perijt per cibum, quando & ipse per cibum & hominem perdidit, & minuit veri Dei cultum, & adorationem! Posset equidem Daniel aliter percutere draconem, sed quia non iam pugnabat cum dracone præsenti, quam cum antiquo serpente Idololatriæ satore, ruinam eius oblato cibo aggreditur, vt pateat, quòd nociua potestas idem malum patiatur, quod ipsa protulit. Salomon qui Deo ædificauerat templum, in senectute sua etiam domos ædificauit concubinarum Idolis; vnde iratus Deus illi dicit: 3. Reg. cap. 11. *Quia habuisti hoc apud te, & non custodisti pactum meum, & præcepta mea, quæ mandaui tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo.* Ecce pœnam peccati, se Salomon diuiserat inter Deum, & idola; quam similiter diuisionem in regno passus est, dum scissæ decem tribus à tribu Iudâ regnum separatum sibi fecerunt. Quocirca ait D. Cyril. Alex. in præfat. ad Oseam: *Postquam amore mulierum victus, quamuis sapientissimus Salomon, Dei regnum quo ausu, & conatu tantum non discidit, ipsi, & soli conuenientissimum honorem, atque gloriam idolis consequans; idcirco, & quidem rectissimè, discessum iri regnum eius Deus comminatur, par pari referens, vt scriptum est in Ezechiele: Sicut fecisti, sic erit tibi: retributio tua retribuetur in caput tuum.* Et quando qui damnum intulit, illud in se non fuit expertus venire? Notissimus omnibus est Ieroboam, qui Israelis regnum scidit, sibi decem tribus arripiens, quas à Deo fecit declinare, ne munera ferrent, nec oblationes templo sancto Dei, sed pro Deo colerent Samariæ vitulos. Horum aris adstabat Ieroboamus iste, vitulis sacrificaturus, & ecce adest homo Dei, qui relicto Rege ad altare locutus, & altari, & vitulis prænunciabat imminentem ruinam. Quid tunc rex? Ait text. 3. Reg. cap. 13. *Cùmque audiuisset Rex sermonem hominis Dei, quem inclamauerat contra altare in Bethel, extendit manum suam de altari, dicens: Apprehendite eum. Et exaruit manus eius, quam extenderat contra eum, nec valuit retrahere eam ad se. Altare quoque scissum est.* Vide & supplicium, & portentum; & altare scinditur, & arescit manus Regis; vt in altari scisso, & in manu arida, ostendat, quòd ipse sciderit Dauidis regnum; & Israelitarum manus aridas reddidit, ne quid vero Deo offerrent. Ait D. August. lib. 2. de Mirabil. Sacræ Script. cap. 13. *Altare in duas partes statim finditur, & integra ipsius Regis manus siccatur. Aptum enim videbatur, vt qui Dei cultum, qui illuc vsque in vno altari, & templo erat, diuisisset, ipsius altare, quod ipse sibimet fecerat, sic scissum dissecaret. Et qui populi Dei manum, ne Domino suo oblationem immolaret, aridam fecisset, in schismatico illo holocausto manus illius arida appareret.* Sic nociuæ potestates in se experiuntur, quæ mala cæteris inferunt, ne multum glorientur in malitia sua, quando æque sibi, ac aliis machinantur ruinas. De quo plura habes alibi dicta.

3. Reg. 11. — *Cyr. Alex.* — *3. Reg. 13.* — *August.*

§. XLIV.

Homini illatas iniurias etiam in feris vindicat Dominus.

Tremendum illum draconem, quem vniuersi Babylonij verebantur, vnus Daniel oblato cibo occidit, quippe *dedit in os draconis, & disruptus est draco.* Sed qui fieri potuit, quòd homo togatus, homo pacificus, nimirum Daniel, tam immanem belluam occiderit? Sanè ex quo vidi a serpente perditum fuisse genus humanum, non miror, quòd Deus tradat dracones, & scorpiones in hominum manus, vt qui humanas iniurias soleat, vel in feris vindicare. Non multum nocuerat homini coruus, sed solùm dicitur de illo, Genes. cap. 8. quòd missus à Noe de arca, vt nuntium afferret serenitatis, *egrediebatur, & non reuertebatur.* Et nihilominus Deus 3. Reg. cap. 17. in summa alimentorum angustia dicit Eliæ: *Præcepi coruo, vt pascat te.* Et cur tam arduum præceptum pascendi Prophetæ tempore famis coruo imponitur, nisi vt luat pœnas pro eo, quòd fuit Noemo ingratus? Ait D. August. lib. 2. de Mirab. Sacræ Script. c. 13. *A coruis verò ministratio Prophetæ præcipitur, vt si culpam, quam in diluuio commiserat, purgare auis illa videretur, dum vt fidelis minister efficitur Eliæ, qui negligens, & fallax erat antea Noe.* Sic vel de irrationalibus vindictam sumit Deus pro damnis homini suo illatis. Id quod ipse pronuntiabat Gen. 9. dicens: *Carnem cum sanguine non comedetis. Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis.* Et quid est, quòd de manu bestiarum requirendus sit à Deo hominis sanguis? Nimirum, quòd nec bestiæ impunè effundēt hominum sanguinem. Ait Rup. *Quomodo de manu bestiarum requirit Deus sanguinem hominis? Nam quòd de manu hominis requirat, nō dubium est, sed de manu bestiæ, lupi ferè homine iugulātis, quomodo sanguinē hominis requirit? Ergo hoc intelligendū est, quòd ipsa bestia persæpe ab hominibus capta pœnas exsoluunt.* Datur in manus hominum iugulandæ ipsæ bestiæ, quæ homini nociuæ fuerunt. Nec detrectat Deus idipsum lege cauere, & pœnam statuere feris, quæ homicidæ fuerint. Sic enim cauet Exod. 21. *Si bos percusserit virum, aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur, & non comedentur carnes eius.* Vbi D. Aug. qu. 81. super Exod.

Gen. 8. — *August.* — *Gen. 9.* — *Rupert.* — *Exod. 21.* — *August.*

Exod. *Ad iustitiam autem pertinet, vt animal hominibus noxium perimatur. Et quod de tauro positum est, à parte totum intelligendum est, quidquid de pecoribus vsu humano subditum, infestum est hominibus.* Sic Dei iustitia pro homine suo stat, vt etiam feras illi nocuas mulctet.

Dan. 14. Quod cùm audissent Babylonij, indignati sunt vehementer, & congregati aduersus Regem, dixerunt, Iudæus factus est Rex: Bel destruxit, draconem interfecit, & Sacerdotes occidit. Et dixerunt, cùm venissent ad Regem: Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te, & domum tuam. Vidit ergo Rex, quòd irruerent in eum vehementer, & necessitate compulsus tradidit eis Danielem.

§. XLV.

Qui sine Deo est, licèt potentissimus Rex sit, multo cinctus milite, sæpe solus inuenietur in periculis.

Ecce tibi potentissimum Babyloniorum Regem, qui tot exercitus sustentabat; dum in Regia sedet, à Babyloniis impetitur dicentibus, *Da nobis Danielem, alioquin interficiemus te. Vidit ergo Rex, quòd irruerent in eum, & necessitate compulsus tradidit Danielem.* Quare non magis opposuit milites, suos irruentibus ministris? Equidem nullus erat miles in promptu, nullus erat, qui pro Rege loqueretur, ipse solus, & destitutus sustinebat mortis periculum. Hoc enim familiare est Regibus, qui sine Deo sunt, quòd sæpe soli veniant in pericula. Quam miseram Regum conditionem notabat Minutius Fœlix in Octauio, inquiens: *In hoc quidam imperiis ac dominationibus eriguntur, vt ingeniûm eorum perdita mentes licentia potestatis liberè nundinentur. Absque enim notitia Dei, qua potest esse solida fœlicitas, cùm sors sit somnio similis? Antequam tractur, labitur. Rex esse tam times, quàm timeris, & quamlibet sis multo comitatu stipatus, ad periculum tamen solus es.* Cur glorientur Reges in militum cohortibus, in multitudine ministrorum, in viribus exercituum? Hoc enim sibi persuadeat Rex, quòd si veri Dei societate, & amicitia caret, ab omni alio destitutus, & solus in pericula veniet. Quis nesciat numerosum exercitum Saulis? Eo cinctus persequens Dauidem 1. Reg. 24. *Venit ad caulas ouium, quæ se offerebant vianti, erátque ibi spelunca, quam ingressus est Saul, vt purgaret ventrem; porrò Dauid & viri eius in interiore parte speluncæ latebant. Et dixerunt serui Dauid ad eum, Ecce dies de qua locutus est Dominus ad te, Ego tradam inimicum tuum, &c.* Quid regis Deo inimici proprius? Dum multo milite cingitur, tamen solus speluncam intrat, vbi deuenit in manus hostiles, & mortis periculum incurrit. Sapienter huic dictum est, *licèt sis multo comitatu stipatus, ad periculum tamen solus es.* Nec semel hoc illi accidit, sed & 1. Reg. 26. *Venerunt ergo Dauid, & Abisai ad populum nocte, & inuenerunt Saul iacentem, & dormientem in tentorio, & hastam fixam in terra ad caput eius: Abner autem, & populum dormientes in circuitu eius, &c.* Inter tot fortissimos exercitus Saul bis solùm ostenditur in vitæ pericula deuenisse, & vtrobique patet, quòd solus à periculis inuentus esset. Vbi omnia erant secura, vbi nullus hostis apparebat, qui possit lædere, multo milite cinctus Saul erat; vbi autem hostis aderat, & vitæ discrimen imminebat, ibi solus Saul erat. Hæc est misera conditio potentum, quòd ad pericula soli veniant. Sic 2. Reg. 18. cùm Absalonis exercitus manus confereret cum seruis Dauid, & Absalon declinaret ad montem: *Cùm ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, & magnam, adhæsit caput eius quercui, & illo suspenso inter cœlum, & terram, mulus, cui insederat, pertransiuit.* Vbi tunc erant milites, qui pro Absalone acritèr vsque ad internecionem pugnabant. Cur non adsunt misero pendenti? Sanè qui tot exercitus aduersus Dauidem addu erat, solus vel à mulo relinquitur in suspendio, nec vllus illi adest, quo se in tanto periculo defendat. Ibi D. Chrysost. in Psal. 7. *Considera, quod est admirabile. Nemo suorum ad eum accedere ausus est, cùm tantum fuisset spatium.* Licebat per tempus, licebat per hostes, qui nondum approximauerant, vt familiares milites pendenti accurrerent Regi, sed nemo audet accedere, solus ille apparet in tanto discrimine ab arbore pendens. Sic qui Deum relinquunt Principes, soli à periculis inueniuntur.

Minut. | 1. Reg. 24. | 1. Reg. 26. | 2. Reg. 18. | Chrysost.

§. XLVI.

Solius Regis cœlestis est se pro suis tradere morti.

Maximè Danielem amabat Rex Babylonius, vbi autem ipse timuit impetum rebellium, *compulsus necessitate tradidit Danielem.* Huc perueniunt amores mundialium Regum, qui vel traditis amicissimis sibi consulere consueuerunt. Non sic Rex cœlestis, de quo Paulus ad Gal. 2. *In fide viuo filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Ille pro se tradidit Danielem, hic pro me semetipsum tradidit, vide modò quantum differat Rex cœlestis à terreno. Pulchrè Apocal. 1. de cœlesti Rege dicitur: *Qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, Princeps Regum terræ, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris sanguine suo.* Meritò Regum terræ Princeps asseritur, vt qui in hoc super omnes Reges terræ se efferat, quòd non sanguine amicorum se tuatur, se defendat; sed potiùs nos amicos suos sanguine suo protegat. Incendium aliquando absumebat populum Israeliticum, vt pene omnes in perditionem rapi necessum esset. Tunc Aaron Num. 16. *Cucurrit ad mediam multitudinem, quam iam vastabat incendium, obtulit thymiama & stans inter mortuos, ac viuentes, pro populo deprecatus est, & plaga cessauit.* Quantum hoc facinus Aaronis? Sed quod facem prætulit meo regi Iesu, qui vt nos ab æterni incendij morte protegeret, mortis in se spicula suscepit. Ait enim D. Isidor. in Glossa: *Ruinam mortis in mundo aspiciens Iesus occurrit à summo cœlo, venitque obuius quasi gigas ad currendam viam, stetitque inter viuos, & mortuos, quia natus, & mortuus est: sic & thuribulum passionis accipiens, & in odorem suauitatis protendens, suspendit ignis æterni perniciem, & inimicam pertulit mortem.* Ecce tibi vbi incendium furebat, & populum absumebat, cucurrit bonus Rex noster Iesus, & sese obiecit pro nobis, & vt nos euaderemus, ipse sustinuit mortem. Quod regis nostri facinus adhuc extollit amplius Isaias c. 53. *Verè languores nostros ipse tulit; & dolores nostros ipse portauit:: Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra:: & liuore eius sanati sumus.* Expende quid faciant afflictiones, & languores, & infirmitates in Regibus terræ, & quid in cœlesti Rege faciunt. Reges terræ quamuis benignissimi sint, quamuis suorum amantissimi, tamen si infirmi viribus sunt, si in miserum deueniunt statum, tum saltem necessitate compelluntur, suos exactionibus premere, & vel suorum sumptibus, & sanguine salutem regni comparare. At in nostro Rege Iesu longe aliter nobis euenit, in eius afflictione, in eius infirmitate, in eius liuore posita est nostra salus. Quò ad plures miserias deuenit, eò plures nobis salutis fontes aperit. Vt dicat D. Ber. ser. 4. Hebdom. *Flagellis cæsus est, spinis coronatus, clauis confossus, affixus patibulo, opprobriis saturatus. Hinc multa miseria corporis, hinc multa misericordia cordis, hinc dolores, hinc miserationes, hinc oleum exultationis, hinc sanguinis gutta decurrentis in terram. Misericordia Domini multa, sed & miseria Domini multa.* Vt crescit in meo Rege numerus miseriarum, & crescit numerus misericordiarum, sub quibus omnes viuamus. Apage Reges terrenos, quorum vt crescunt miseriæ, & afflictiones, crescit necessitas exhauriendi subditorum bona, exsugendi subditorum sanguinem. Verè Princeps Regum terræ Dominus, super quos se maximè exaltat, quando proprias afflictiones, & miserias nostrarum facit seruire augmento gratiarum, vt de eius liuore fœliciores viuamus.

Ad Gal. 4. | Apoc. 2. | Num. 16. | D. Isidor. | Isai. 53. | D. Bern.

§. XLVII.

Sub Christo Domino, nulli subiacemus necessitati.

Miser, qui totus est in Regum mundialium fauore; veniet enim necessitas, qua Reges compellantur vel amicissimos quosque morti tradere. Sic Babylonius Rex, *necessitate compulsus tradidit Danielem.* Vnus Christus est, qui nulli cedit necessitati; qui amicos suos eripit de quacumque infirmitatis humanæ necessitate. Hunc respiciebat Sapient. c. 18. aiens: *Properans homo sine querela deprecari pro populis, proferens seruitutis suæ scutum, orationem, & per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, & finem imposuit necessitati.* Et quis homo alius magis purus, magis immaculatus, magis sine querela, quàm Christus? Equidem vt ipse solus ab omni labe purus, ab omni querela liber; sic solus potest resistere venienti iræ, siue Dei, siue creaturarum, & finem imponere ineuitabili malorum necessitati. De illo pulchrè Arnob. lib. 1. aduersus

Sap. 18. | Arnob.

Gentes: *Simul & illud volumus scire, cùm summatim enumeratio facta gestorum est, non ea solùm Christum potuisse, quæ fecit, sed constituta etiam insuper esse fatorum. Nam debilitates, & corporum passiones, surdi, manci, & muti, neruorum contractio, & amissio luminis, fatalibus accidunt, irrogantúrque decretis, & simul hæc Christus correxit, restituit atque sanauit; Sola ipso est clarius, potentiorem illum esse, quàm fata sunt, cùm ea soluit, & vicit, quæ perpetuo nexibus, & immobili fuerant necessitate deuicta.* Ecce tibi, vbi Christus est, nulla vis cogit, nulla necessitas valet, quando de eius halitu habere possumus, quod vel immobiles ex creatarum virium concursu necessitates vincamus. Hinc Paul. 2. ad Corinth. 1. *Non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum grauati sumus supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere. Sed ipsi in nobismetipsis responsum mortis habuimus, vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo qui suscitat mortuos.* Itaque eò afflictionis res deducta erat, vt non esset virium humanarum illi resistere. Quin si quando intra se consulebat Apostolus de exitu afflictionis, ipse sibi responsum mortis dabat, hoc est, indicabat impossibile esse liberari à morte. Et cur Dominus tam ineuitabilia mortis mala permisit euenire suo Apostolo? Ipse ait, *vt simus fidentes in Deo, qui suscitat mortuos*; nimirum sic ostendebatur Domini potestas, quæ sola necessitati omni finem imponit. Ibi D. Ansel. *Quia Deus præsidia sua non negat in necessitate positis, maximè suis, eripuit illos desperantes de semetipsis, fidentes in Deo.* Non est necessitas, quam non superemus sub tanto Domino: etiamsi aduersæ potestates nos ita impetant, vt nullus appareat euadendi locus, vt necessum sit iam perire; adest tunc Dominus, qui nullas necessitates agnouit, sed finem omnibus imponit, vt suos alumnos protegat.

2. Cor. 1. — *D. Ansel.*

Dan. 14. Qui miserunt eum in lacum leonum, & erat ibi diebus sex. Porrò, in lacu erant leones septem, & dabantur eis duo corpora quotidie, & duæ oues, & tunc non data sunt eis, vt deuorarent Danielem. Erat autem Habacuc Propheta in Iudæa, & ipse coxerat pulmentum, & intriuerat panes in alueolo, & ibat in campum, vt ferret messoribus. Dixitque Angelus Domini ad Habacuc, Fer prandium, quod habes, in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum.

§. XLVIII.

Insani furoris est, quod semel vidisti irritum malum, si illud iterum inferre conaris.

IAm secundo Daniel mittitur in leonum lacum; sciuerant Babylonij vniuersi, quòd paulò antè sub Dario bonus Daniel immissus leonibus, liber euaserat, & nihilominus modò non dubitant illum iterum leonibus tradere. Meritò dicuntur ad hoc facinus vehementer fuisse irati, imò æquè bene dicerentur furiosi facti fuisse, aut insani. Quid enim insanius, quàm quod malum irritum iam semel expertus es, illud iterum inferre conari? Saul 1. Reg. 22. castra mouit aduersus Dauid, sed ingressus solus in spelũca agnouit se fuisse in Dauidis manus, & quòd Dauid non solùm à tanto exercitu liber erat, sed quòd eius vitæ potuerit parcere. Quo cognito pactum cum Dauide percutit, *& abiit Saul in domum suam.* Non multi præterierant dies, & ecce iterum Saul cum ingenti militum manu Danidem perdere satagit, sed in medio exercitu dum dormit, idem periculum incurrit, quòd à Dauide occidatur, & quòd Dauid prorsus sine hoste maneat. Quid tunc Rex? Ait 1. Reg cap. 26. *Et ait Saul, Peccaui, reuertere fili mi Dauid, nequaquam enim vltra tibi malefaciam, eò quòd pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie: apparet enim quòd stultè egerim, & ignorauerim multa nimis.* Ex Hebræo legitur; *Ecce insaniui, & erraui multum valde.* Et meritò se stultum, & insanum fatetur, extremæ enim insaniæ opus est, quòd aduersus fratrem velis iterare semel iam irritum malum. Ibi Caietanus ait. *Fatetur non solùm se errasse, sed etiam insaniuisse multum valde persequendo iterum Danidem.* Quem iustum vides a persecutione semel euadentem, ab omni expeditum malo; quòd hunc adhuc persequaris, eadem tela in illum retorqueas, quæ vidisti semel infirma fuisse, & inania; hoc non est solùm errare, sed extrema corripi insania. Cantatissimum erat apud Iudæos, quod Lazaro acciderat; vt mortuus fuerat, & sepultus, & post quatuor dies, vt fuerat ad viuos reuocatus, liber ab omni mortis damno. Quid post hæc Iudæorum Principes? Ait Ioan. cap. 12. *Cogitauerunt autem principes Sacerdotum, vt & Lazarum interficerent.* Quid dementius? Quem semel de Iesu beneficio à morte liberatum vident, iterum curant morti illum tradere, hoc furoris est, & extremæ dementiæ facinus. Vt dicat D. Aug. tract. 51. in Ioan. *O stulta cogitatio, & cæca sæuitia! Quando Lazaro inferebatis necem, nunc auferebatis Domino potestatem? stultissimum, & dementissimum scelus Iudæi etiam de occidendo Lazaro corde perdito conceperunt.* Stultorum quidem hominum, & prorsus insanientium erat illa cogitatio, qua intendebant mortem inferre Lazaro, quem iam semel ab ipso sepulchro immunem, & viuum prosiluisse cernebant.

1. Reg. 22. — *1. Reg. 26.* — *Ioan. 12.* — *D. Aug.*

§. XLIX.

Confidentia in Deo reddit homines iustos insuperabiles omnibus aduersis.

SEx dies agebat Daniel inter leones famelicos, ac si inter suos esset; *Miserunt enim eum in lacum leonum, & erat ibi sex dies.* Quis hospes vel in amicissimi domo tamdiu manet adeò inoffensè? In Regia Darij charissimi sibi Regis vix fuit vna die sine persecutione, qua raptatus in tantum discrimen peruenit. In cauea autem leonum famescentium, prorsus securus, & innoxius per sex dies erat. O iusti hominis confidentiam, non quidem in Rege mundiali positam, sed in Deo viuo, & vero! Sapienter hanc agnouit in præsenti D. Chrysost. hom. 25. in Genes. fatus: *Daniel cùm à leonibus circumdaretur, quasi ab hominibus stiparetur, sic intrepidè viuebat. Quandoquidem iusti fidentia ferarum naturam frenabat, nec sinebat, vt agerent ea, quæ facere solent.* Fidentia iusti in Deo posita cohibebat feras, ne quod malum inferrent, vt pateret, quam verum fuerit illud Psal. 117. *Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine. Bonum est, sperare in Domino, quàm sperare in principibus.* Non potuit Rex potentissimus liberare Danielem à leonibus; fidentia autem in Deo illum tenuit sex diebus sanum, & incolumem, & omnibus abundantem inter leones. Quò spectabat Isaias cap. 32. aiens: *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.* Expende illud, *in tabernaculis fiduciæ*, quod enim sunt militibus tabernacula munitissimo in loco constituta, id est viris iustis fiducia in Deo locata, qua ab omni malo sunt protecti, & opulentissimis bonis sunt satiati. Vt tutus, vt securus, vt satur inambulat diues Imperator in tabernaculo suo, sic iustus tutus, & securus, & satur ambulat in medijs periculis, si fructuosa, & viua in Deo confidentia fuerit armatus. Ferocissima quæque animalia iussus fuit Noe seruare in ipsa illa arca, in qua & filios, & vxores seruabat. Sic Gen. cap. 7. ad Noe: *Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam, &c. Ex omnibus animantibus mundis tolles septena, & septena, masculum, & fœminam, de animantibus verò immundis duo, & duo.* Sic Domine in vnius arcæ angustiis vis claudi Noemi prolem & tot ferocissima animalia? Vnde poterit Noemus cum paucis filiis inter tot leones, lupos, tygrides, securus vitam agere? Fiducia in Deum reddebat iustum securum, & lætum in conuictu rabidissimarum ferarum. Ait D. Chrysost. hom. 25. in Gen. *Ego supra omnia virtutem iusti admiror, Dominique bonitatem, & ineffabilem misericordiam, quòd potuerit versari in medio bestiarum, leonum dico, & pardorum, & aliarum immitium ferarum. Egregius ille magna facilitate ferebat conuictum ferarum, & neque loci angustia, neque temporis productio, neque quod sic inclusus erat, morosum & difficilem reddebant, sed ob fidem in Deum omnia ipsi facilia videbantur.* Figebat vir diuinus in vno Deo suam mentem, in illóque fiduciam suam collocabat, & inde securus erat inter feras, & lætus, omnibúsque abundans in angustiis arcæ. Hinc meritò Prouerb. 28. *Iustus quasi leo confidens absque terrore est.* Absumit confidentia in Deo iusti timores, nec relinquit in illis vnde expugnari possent. Pulchrè enim ait D. Greg. lib. 31. Moral. cap. 13. *Iusti viri securitas rectè leoni cõparatur, quia, contra se, cum quoslibet insurgere conspicit, ad mentis suæ confidentiam redit, & scit, quia cunctos aduersantes superat.* Non decidat iustus à confidentia posita in Deo, & supra omnia aduersantia erit, & leo erit inter leones, nihil inde pauens, nil metuens.

Chrysost. — *Psal. 117.* — *Isai. 32.* — *Gen. 7.* — *Chrysost.* — *Prou. 28.* — *D. Greg.*

§. L.

§. L.

Patientia iusti feracissima messis est.

ET sibi,& familiæ suæ prandium paratum habebat Habacuc, & tamen de solo prandio messoribus parato iussus est cibare Danielem. Quippe ait text. *Coxerat pulmentum, & intriuerat panes in aluëolo; ibat in campum, vt ferret messoribus. Dixitque Angelus Domini ad Habacuc, Fer prandium in Babylonem ad Danielem.* Cur Angele non magis requiris prandium paratum pro domesticis? Cur expetis solùm prandium pro messoribus paratum; & quod messoribus pluribus paratum erat, in vnum Danielem confers? Nonne suffecisset, quòd vel pars aliqua vni sufficiens alicuius prandij Danieli præberetur? Cur totum messorum prandium vni soli? Erat Daniel in lacu leonum, erat in patientiæ area; cuius messis tanta est, vt meritò vni patienti attribui posset, quod erat plurium messorum. Ait notanter Tertul. lib. aduersus Psychicos:

Tertul.

Danieli in lacum leonum esurienti prandium metentium exhibitum est. Simili operi simile prandium paratur; vt pati,& metere idem est, & in patientiæ area ditissima semper apparet messis bonorum, sic messorum metentiúmque solatia meritò dantur patienti. Hinc primæuos Christianos designat Isaias cap. 2.

Isai. 2.

Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Ecce tibi de iis, qui non referiebant, sed sicut oues ad occisionem ducebantur, dicitur, quòd lanceas suas in falces mutabant. Sed quibus nec viuere licebat, sed vbique erant afflicti, angustiati, in solitudinibus errantes, ad quid falces, & vomeres? Sanè illa ipsa patiendi arena rem ditissimæ messis referebat. Ait enim D. Irenæus lib. 4. exp. 67.

D. Iren.

Gladios, & lanceas bellatorias in aratra fabricauerunt ipsi, & in falces, quas dederunt ad metendum frumentum, & iam nesciunt pugnare, sed percussi alterum præbent maxillam. Quò in afflictionibus, & iniuriis acceptis patientiores existunt, eò in illis clariora metentium apparent instrumenta. Feruet opus messis, vbi opera feruent patientiæ. Vt meritò dicat Dominus de virtutum seminibus Luc. 8.

Luc. 8.

Fructum afferunt in patientia, quasi ad patientem animum pertineat vberes fructus metere. Quod in Iobo manifestè ostendit Tertul. lib. de Patient. vt cui fuerunt omnia duplicia reddita beneficio patientiæ. Et D. August. quæst. 118. ex vtroque testamento ait:

August.

Cùm diabolus zelatur sanctum Iob, duplicauit ei meritum, & in cœlo, & in terra, quia & hic auctus est, & in cœlo receptus. Sic in area patientiæ crescit messis. Vnde sapiens ille colonus, vt de sterili ficu ingens speraretur messis, ait Luc. 13.

Luc. 13.

Fodiam circa illam, & mittam stercora, & siquidem fecerit fructum, &c. In fossura intelligit D. August. serm. 31. de verbis Domini exercitium patientiæ; cui accinit Theophylact. dum per stercus, vitæ seueritatem, & asperitatem intelligit. Vbi autem quis in hac arena patiendi constituitur, fallar, nisi inde multos fructus metat. Quò spectans D. Amb. lib. 7. in Luc. ait:

Ambr.

Magna profectò vis stercoris, vt de infœcundis fœcunda, de arentibus virentia, de sterilibus faciat fructuosa. In quo sedit Iob cùm tentaretur, & vinci nequiuit. Denique cùm antea Iob plurima perdidisset, posteaquàm sedit in stercore, non habuit, quod ei diabolus posset auferre. Sic de malorum sustinentia roborabatur, vt inde iam totus esset in metendo fructus, & nullus in eis perdendis.

Dan. 14. Et dixit Habacuc, Domine Babylonem non vidi, & lacum nescio. Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portauit eum capillo capitis sui, posuítque eum in Babylone super lacum in impetu spiritus sui. Et clamauit Habacuc dicens; Daniel tolle prandium, quod misit tibi Deus. Et ait Daniel, Recordatus es mei Deus, & non dereliquisti diligentes te. Surgénsque Daniel comedit. Porrò Angelus Domini restituit Habacuc confestim in loco suo.

§. LI.

A bono spiritu eò semper ducimur, vbi salus firmatur; è contra à malo spiritu ducimur eo, vbi lapsus.

RApitur Habacuc ab Angelo,& ducitur Babylonem super lacum leonum, vbi maximus Dei athleta Daniel incolumis seruabatur. Sic enim habes: *Portauit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylone super lacum in impetu spiritus sui.* Compone modò hunc Habacuc raptum, cum raptu Christi Domini, de quo Matth. 4. vbi dicitur.

Matt. 4.

Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, &c. Angelus portat Habacuc in profundum leonum lacum; diabolus portat Iesum in montem excelsum valde. Et cur tunc solùm ostenditur Habacuc portatus ab Angelo, quando ad leonum portatur lacum; & Iesus à diabolo in montem excelsum valde eleuatur? In laci profundo Danielis firma erat salus, & incolumitas, ad quam semper nos ducunt boni spiritus; in altitudine montium, nihil citiùs apparet quàm lapsus, quàm præcipicia, ad quæ semper impellimur à malo spiritu. Ait D. Hieron. ad caput Matth. 4.

Matt. 4.

Gloria mundi, quæ cum mundo peritura est, in monte & in supercilio demonstratur; Dominus autem ad humilia descendit, & campestria, vt diabolum humilitate superet. Porrò diabolus ducere eum festinat ad montes, vt per quos ipse corruerunt, etiam cæteri corruant. In præsumpta altitudine ibi Angeli corruerunt, ibi lapsus fuerunt, & præcipitia cœlestium virtutum, ideò malus spiritus nunquam non satagit, vt homines in alta ducat, à quibus lapsus possint sperari, bonus autem spiritus non amat nisi plana, & tuta,& secura. Hinc Iudic. 2.

Iudic. 2.

Ascenditque Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium, & ait, &c. Venerat Angelus Domini ad Galgala, vbi erant Israelitæ, nec mansit ibi, sed statim vniuersos secum rapuit,& duxit ad locum flentium, vbi longam concionem instituit. Cur non magis moratus est in Galgalis? Galgala idem sonant, ac rota, siue volutio, siue volutabrum; in quibus meritò mundiales altitudines explicantur, vt rotantur, & præcipitantur ad instar rotæ, in qua nullum est fixum cacumen, sed citò in ima descendunt, quæ fuerunt alta. Hæ non sunt viæ boni Angeli, sed prorsus mali. Quippe ait D. Bern. serm. 11. in Psal. Qui habitat:

D. Bern.

Vim demonum præsumptionem diximus, & obstinationem. Possumus tamen vias eorum vià adhuc altâ inuestigare. Legimus siquidem de eis omnibus, quoniam in circuitu impij ambulant. Legimus de eorum principe, quoniam circuit quærens, quem deuoret. Dicamus vim eius, circuitionem. Semper ille extollitur, sed deiicitur semper: superbia eius ascendit semper, semper humiliatur. Væ homini, qui sequitur hunc circuitum. Ecce tibi viæ diaboli vt in altitudines tendunt, sed in altitudines circuli, siue rotæ, quæ vt ascendunt, sic præcipitantur; nec vllum in circulo, in rota videbis cacumen, cui annexum non sit præcipitium, cui non instet descensus, & lapsus multiplex. Meritò Angelus Domini à Galgalis discedit, & ad locum flentium tendit, sciens salutem, quæ in valle lacrymarum sperari potest, longè abesse à mundialium rotarum cacuminibus. Hinc vafer spiritus, Matth. 4. suadens Iesu à pinnaculo templi præcipitium, verba Psal. 90. mutilè retulit, dicens:

Psal. 90.

Mitte te deorsum, scriptum est enim; Quoniam Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te. Sic mutilè Psalmum recitat malignus: Psalmus enim ait: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.* Et cur malignus adeò cauit dicere verba illa, *vt custodiant te in omnibus viis tuis?* Sanè illis manifestè ostendebatur, quod erat Angelorum munus, & quàm diuersum ab officio Satanæ. Quippe munus Angelicum, in deducendis hominibus, erat, fastigia, & præcipitia fugere, vias eligere, qua securè,& tutè gradiatur humana fragilitas. Præcipitia consulere, & altitudines, à quibus immineant ruinæ; hoc diabolicum est, non Angelicum consilium. Acutè D. Bern. serm. 14. in Psal. 90.

D. Bern.

Animaduertite, & videte, quoniam subticuit malignus, quod malignitatis suæ commenta dissolueret. Quid enim mandauit? Nempe quod in Psalmo sequitur; Vt custodiant te in omnibus viis tuis. Nunquid in præcipitiis? Qualis via hæc, de pinnaculo templi mittere se deorsum? Non est via hæc, sed ruina: & si via, tua est, non illius. Quæ via præcipitia habet, ruinas ostendit, non est via qua ducamur à Dei Angelis, à bono spiritu, sed à maligno spiritu diaboli.

***

§. LII.

§. LII.

Boni spiritus argumentum clarissimum ab vtilitate.

ECce tibi Habacuc portatur ab Angelo; ait enim textus: *Apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portauit eum capillo capitis sui, posuitque eum in Babylonem super lacum leonum: : Et clamauit Habacuc dicens, Daniel, tolle prandium &c.* Sed & Iesus assumptus fuit à Diabolo Matth. 4. *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum supra pinnaculum templi, & dixit ei, Si filius Dei es, mitte te deorsum.* Per aera rapitur Habacuc ab Angelo; per aera rapitur Iesus volens à diabolo. In quo ergo differt raptus per Angelum factus, & raptus factus per diabolum? Qui ab Angelo rapitur, simul imperium habet, vt vtilis sit Danieli, illique exhibeat prandium, ostendátque Dei curam erga suos famulos. Qui autem rapitur à diabolo, extrinsecè suadetur, vt sese in aera mittat, ab altóque pinnaculi per aera curet volitare. Vbi vtilitas est, ibi spiritus bonus adest: vbi nihil vtile ostenditur, sed solus inanis, & vanus volatus, non potest ibi spiritus bonus esse, sed spiritus diaboli. Author Imperfecti, hom. 5. in Matth. fatur: *Si filius Dei es, mitte te deorsum. Per hanc propositionem, quomodo poterat cognoscere, si filius Dei est, an non? Primum volare per aerem non est proprium opus Dei, quia nec hoc est vtile alicui, vel ad animam, vel ad corpus.* Clarissimum hoc argumentum est, quòd non à Deo, neque à bono est opus, sed à diabolo, de cuius astu venit, quòd vanis, & prorsus inutilibus occupetur homo. Bonus enim spiritus semper studet vtilitati, quæ ex suis operibus potest venire ad salutem siue propriam, siue aliorum. Hinc Ioann. 1. de vijs, & occupatione Angelorum locutus, ait: *Videbitis Angelos ascendentes, & descendentes super filium hominis:* quasi proprium sit Angelici spiritus non solùm meditari ascensiones in corde suo, sed & condescensum, quo intendant saluti hominum. Ait D. Bern. serm. 11. in Psal. 90. *Quæ verò sunt sanctorum Angelorum viæ? Profectò illæ, quas vnigenitus enarrauit, dicens: Videbitis Angelos ascendentes, & descendentes super filium hominis. Ascensio ergo tua, & descensio via illorum. Ascensio propter se descensio, vel potius condescensio propter nos.* Per hoc excitendæ, & demonstrandæ sunt viæ Angelorum, viæ spiritus boni, nimirum per ædificationem Ecclesiæ, per vtilitatem inde resultantem ad proximos. Vnde Psal. 90. ait: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis.* Ecce quò tendat in te Angelorum custodia, vt custodiant te non in peregrinis, & ignotis vijs, sed in tuis: vt per tuas vias appareant vestigia Angelorum. Et vnde in nostris vijs ostendemus Angelorum vestigia? Ex vtilitate à nobis dimanante in proximos. Ait Ber. in præsenti serm. 11. *Iterum mandauit Angelis suis, non quidem vt amoueant te à vijs tuis, sed vt in eis ipsis te custodiant, & quasi per vias suas, vias tuas dirigant ad vias ipsius. Quonam modo inquies? Nempe vt quod Angelus ex sola charitate purus agit, tu propria saltem necessitate compulsus, & admonitus, descendas, & condescendas exhibere proximo misericordiam.* Hæ sunt Angelorum viæ: huc tendunt boni spiritus impulsus, vt quis fructuosus fiat, & vtilis in operibus suis. Quando ab vtilitate censenda omnis Christianorum virtus. Sic Matth. cap. 25. vbi Dominus suos designat, ait: *Esuriui, & dedistis mihi mãducare;* & de his, quos minimè agnoscit suos: *Esuriui, & non dedistis mihi manducare.* Ex quo D. Chrys. hom. 20. in Acta, sic dicit: *Vide horum nulli improperari sua peccata, non quòd scortati sint, non quòd peierarint, sed quod alteri non fuerint vtiles. Talis erat, qui talentum defoderat, irreprehensibilem quidem exhibens vitam. Qui autem alijs non est vtilis, dic mihi, quomodo erit Christianus? Si fermentum commistum farinæ non commutauerit totum in alium habitum, numquid fermentum tale est? Si vnguentum non impleuerit odore accedentes, vnguentúmne dicemus?* Sic Chrysostom. non agnoscit virtutem Christianam, quæ careat vtilitate.

Matt. 4. — *Imperf.* — *D. Bern.* — *Psal. 90.* — *Bern.* — *Matt. 25.*

§. LIII.

Ad externa sanctitatis magnalia non nisi coactus feraris.

VT Habacuc in aëra tollatur punctóque temporis feratur a Iudæa Babylonem, ibique Danieli ex inopinato appareat, dicitur capillis portatus ab Angelo: *Apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portauit eum capillo capitis sui.* Nec otiosè bis repetitur, in vertice apprehensum, & capillis portatum, sed vt ostendatur quàm coactè Habacuc illos patiatur raptus. Nullò enim diceretis apud Nostrates duci magis coactè, quàm quo duceris capillis portatus. Et quidem ad hæc externæ sanctitatis magnalia, nimirum, ad raptus & similia sapiens est ille, qui non nisi coactus ducitur. De Iesu magistro, & Domino nostro, quando in deserto erat, dicitur, Matth. 4. *Cùm ieiunasset quadraginta diebus, postea esuriit:* sic bonus magister nulla externa vi impulsus ieiunia coluit, quæ erant sanctis viris, & popularibus familiaria. Post hæc autem dicitur de eodem: *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum supra pinnaculum templi.* Posset ille etiam propria virtute leuare se supra altitudinem pinnaculi, inde non mediocres ostendere splendores virtutis, & sanctitatis. Cur ergo ad ieiunia ipse proprio impulsu venit: ad raptum autem illum non accedit nisi ab extrinseca vi maligni spiritus impulsatus? Id curabat noster magister, quòd doceremur consuetas virtutum vias proprio Marte arripere, ad externæ sanctitatis magnalia, & altitudines non ire nisi coacti. Author Imperfecti, hom. 5. in Matth. fatur: *Christus ieiunium quidem vltro suscepit, super templum autem diabolus eum duxit. & tu qui filius Dei es, ad ieiunium quidẽ morale, id est, ad abstinentiam laudabilem rei cuiusdam sponte procedas, & alacriter: extolli autem ad fastigium sanctitatis non acquiescas, quia nemo extollit se ad sanctitatis altitudinem, nisi ducente diabolo. Nec ideò acquieuit Christus duci, & constitui super templum, vt tu moraliter existens imitator eius ascendas per iactantiam cordis tui ad altitudinem sanctitatis. Nec enim volens ascendit quantum ad corpus, sed ideò acquieuit duci, & audire præcipitij verba: vt tibi ostendas exitum metuendum.* Metuendus equidem maximè est exitus funestus iis, qui auidè arripiunt has altissimas externæ sanctitatis semitas; vt enim rarò ire ad has cupis sine aliqua cordis extollentia, sic rarò ibis sine lapsu ingenti. Ideò, qui sapiens est, ad illas nisi coactus non tendat; vltrò solum amplectens planas, & notas virtutum semitas. De se aiebat Dauid, Psalm. 130. *Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me.* Et quidem Dauid in magnis & in mirabilibus ambulauit, & inter magnos, & mirabiles viros numerabatur. Nonne ipse Rex, & Propheta? Nonne ipse, vel pulsans citharam, dæmones fugabat? Nonne raptus, & ecstases habebat, quãdo dicebat. Ego dixi in excessu meo; Omnis homo mendax? Erat ergo in magnis, & in mirabilibus; & numerabatur inter viros magnos, & mirabiles ob notas externas sanctitatis. Quod cùm ita sit, qui fieri potest, vt dicat, se non ambulasse in magnis, nec annumeratum fuisse inter magnos? Nota verba, dicit enim, *Neque ambulaui*, hoc est, non ipse meo impulsu iui ad magna, neque ad magnos, sed quando inter eos videbar, ideò videbar, quia ferebar inuitus, & coactus. Ait Euthymius: *Non ambulaui, inquit, cum hominibus maioribus, & supra me admirandis, cum huiuscemodi viris conuersatus non sum, indignum me illorum conuersatione reputans, nisi illi me fortassis inuitum coegissent.* Non aliter ibat bonus virtutis athleta ad magna, nec ad magnos, nisi coactus, & inuitus ferretur: gaudet enim Deus, quòd nos fugiamus inter magnos censeri, & quòd nisi coacti nolimus inter magnalia esse. Vnde Ierem. 45. dicit Dominus ad Baruch: *Ecce quos ædificaui ego destruo; & quos plantaui ego euello, & vniuersam terram hanc. Et tu quæris tibi grandia? Noli quærere.* Et quæ grandia quærebat? Chaldæus, & Vatablus aliique Hebræi putant, à Baruch concupitum esse Prophetiæ donum, pro quo obtinendo maximè sese angebat; & iubetur à Deo ne illud quærat. Non enim dona hæc magna, & splendida sine periculo quæruntur & amantur à viris religiosis, quando sunt discriminum plena.

Matth. 4. — *Imperf.* — *Psal. 130.* — *Euthym.* — *Ierem. 45.*

§. LIV.

De iusti viri consortio hoc habes, quòd in periculis tutus sis.

SVper lacum leonum erat positus Habacuc, & clamare cœpit, *Daniel, tolle prandium, quod misit ad te Deus.* Cur Habacuc sic inter leones clamas? Cur non magis illorum rabies vereris, si vocibus excitentur? Clamabat Danielem, de cuius consortio habebat etiam inter leones securum esse. Et quando iustus vir non reddit sibi iunctos etiam in periculis securos? Actor. c. 27. ob oculos ponitur sæuissima tempestas, qua maximè periclitabatur nauis ferens in se Paulum: vt nautæ, & milites iam desperarent salutem, & penè iacerent exanimes. Quid tunc? *Stans Paulus in medio eorum dixit, Oportebat quidem, ô viri, audito me, non tollere à Creta, lucrique facere iniuriam hanc, & iacturam. Et nunc suadeo vobis bono animo esse; amissio enim nullius animæ erit ex vobis, præterquam nauis.*

Actor. 17.

Assistit

Astitit enim mihi hac nocte Angelus Dei, cuius sum ego, & cui seruio, dicens, Ne timeas, Paule, Cæsari te oportet assistere, & ecce donauit tibi Deus omnes, qui nauigant tecum. Planè vbi viuus Paulus erat, de eius consortio cæteri omnes medijs tempestatibus securitatem tenebant. Id quod notans D. Chrysost. hom. 53. in Act. fatur: *Iusti licèt in tempestate sint, licèt in mari, licèt in pelago, nihil graue patiuntur, quin & alios secum seruant. Si nauigantes, periclitantes, & naufragium sustinentes, si & vincti, per Paulum seruati sunt, cogita quid est esse virum sanctum in domo; multas enim tempestates etiam nobis incumbunt his multo grauiores, sed potest Deus etiam nos donare sanctis.* Fœlix ille, qui viris sanctis sociatur, nunquam ex eorum consortio non capiet magnam vtilitatem; nunquam non sub eorum nomine pericula ingentia vitabit. Et quando Deus non repetit illud semel dictum. 4. Reg. 19. *Protegam ciuitatem hanc propter me, & propter Dauid seruum meum?* Vbi Dei seruus, vbi iustus adest, qui ardenter colat Deum, ibi & Dei protectio est, ne quis illic degens pereat. Ait D. Chrysost. hom. 42. in Genes. *Multa Domini bonitas est, & sæpè solet propter paucos dare multis salutem. Et quid dico, propter paucos iustos? Sæpe quando non est inuentus in vita ista iustus, propter defunctorum virtutem viuentium miseretur, & curam habet, vnde clamat, dicens, Protegam ciuitatem hanc propter me, & propter Dauid seruum meum; quasi diceret; Licèt illi indigni sint, & nullam salutis habeant occasionem, verùm quia solitus sum misericorditer agere, propter me ipsum faciam, & propter Dauid seruum meum, qui ante hos annos è vita migrauit, hic author erit salutis his, qui sua se perdiderunt desidia.* Ecce tibi vt iusti etiam mortui valeant nos liberare à periculis, in quæ nos conijciunt nostra peccata.

Chrysost.

Chrysost.

§. LV.

Ex alimonia præbita iustis habes, bona, quæ illi ex sua iustitia habent.

VIdes Habacuc ab Angelo Babylonem translatum, & positum in leonum lacu, ait enim: *Apprehendit eum Angelus, &c. posuitque eum in Babylone super lacum.* Nec solùm super lacum mansit Habacuc, sed, iuxta Carthusiani opinionem, intima laci penetrauit inter ipsos leones prorsus impauidus ferens Danieli prandium. Nec miror, quòd Habacuc pascenti Danielem, incolumitas Danielis præstetur, vt sicut Daniel inter leones tutus agebat, sic ipse Habacuc inter eosdem securus ageret. Solent enim, qui iustos pascunt, & fauores, & gratias iustorum participare. Mirabar sæpe Abdiam, virum palatinum, in Achabi aula nutritum, & ab impijssimi Regis latere, nihilominùs eo virtutis deuenisse, vt inter Prophetas duodecim canonicos numeraretur. Cuius rei causam cum requiro, audio ipsum dicentem 3 Reg. 18. *Nunquid non indicatum est tibi Domino meo, quid fecerim, cum interficeret Iezabel Prophetas Domini, quòd absconderim de Prophetis Domini centum viros, quinquagenos & quinquagenos, & pauerim eos pane, & aqua.* Vbi autem video tot Prophetas nutritos à viro isto, non iam miror, quòd tot Prophetarum altor, simul acquirat donū propheticum. Ait D. Hieron. in Abdiam: *Hic igitur, quia centū Prophetas aluerat, accepit gratiam prophetalem, & de duce exercitus fit dux Ecclesiæ.* Non potuit carere Prophetarum & dono, & gratia, qui suis sumptibus tot viros Prophetas pauit. Hinc Elias 3. Reg. 17. petens pabulum à paupercula vidua, ait: *Mihi primùm fac de ipsa farinula subcinericium panem paruulum, & affer ad me: Tibi autem & filio tuo facies postea. Hæc autem dicit Dominus Deus Israel. Hydria farinæ non deficiet, &c.* Et vnde sic præsumit hydriam farinæ non defecturam mulieri pauperculæ? Erat hoc promissum iustis, quod notatum relinquebat Dauid, dum ait; *Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem*, & quando panis suppeditandus erat semper viris iustis, absque eo quòd illis deficeret, meritò Elias hanc gratiam transferendam præsumit in mulierem, quæ iustum & Prophetam pascit. Ad hæc D. Chrysost. hom. 42. in Gen. *Est autem & hoc admirabile, & rarum, quòd neque laboribus postea opus habebat, sed parua perpetuò erant farina, & oleum, & neque agricultura indigebat, neque boum cooperatione, neque vlla alia cura, sed super naturam eueniebant omnia. Et cùm Rex anxius esset, & fame laboraret, pauper vidua omnibus destituta, quia Prophetam susceperat, in perpetuam venit abundantiam. Propterea & Christus dicebat; Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ recipiet.* Sic quæ dona cœlitus dantur viris iustis, vnisque Prophetis in eos transeunt, qui iustos, siue Prophetas pascunt. Et hic est facillimus modus, quò peruenire potes ad virtutes, & excellentias Prophetæ cuiusuis castissimi, si vel eum tuo pascas cibo. Vis peruenire ad virtutes Eliæ? Sanè hoc magnū dicebatur de Ioanne Bapt. Luc. 1. quod venerit *in spiritu, & virtute Eliæ*, quando illum referebat in deserti solitudine, in ieiunijs, in asperitate vitæ, in valentia aduersus Reges impios. Sed quis non contremiscat vel ad conspectum virtutum harum, quæ fuerunt in Elia? Quis non fugiat rigorem, & asperitatem, & animositatem eius, quibus tot mala sibi comparauit in mundo? Accipe ergo suauissimum alium modum, quo gaudeas & spiritu, & virtute Eliæ, imitare viduam quæ illum pascebat, & inde tibi acquires Prophetæ gratias, & virtutes. Sic monebat D. Chrysost. hom. 42. in Gen. *Ego quidem vellem vos Prophetam imitari, & eius possidere virtutes. Sed quia hoc onerosum nobis esse videtur; si vel mulierem hanc imitemur, paulatim eò veniemus, vt Prophetam etiam imitemur.* Vix fieri potest, vt si quis gressus pascentis Prophetam sequitur, non perueniat in eiusdem Prophetæ gratias, & virtutes.

3. Reg. 18.

3. Reg. 17.

Chrysost.

Luc. 1.

Chrysost.

§. LVI.

Certissima salus iusti apud Deum est solum.

HOmo erat, qui Danieli inferebat prandium, & Angelus, qui hominem cum prandio adduxerat; & tamen Daniel, nec ad hominem, neque ad Angelum aspiciens, vnum Deum salutis suæ authorem clamat, atens: *Recordatus es mei Deus, & non dereliquisti diligentes te.* Et cur vel Angelo vel homini nullum verbum facit, sed vni Deo attribuit sui recordationem? Sapientissime docebat, iusti salutem nec apud Angelum, nec apud hominem, sed apud Deum certissime repositam seruari. Psal. 36. *Salus autem iustorum à Domino.* Quæ verba Græcè sonant: *Salus autem iustorum apud Dominum.* Circa quod sapienter Origen. hom 5. in Psal. prædictum fatur: *Non dixit in cœlo salus iustorum, & hoc enim præterit, non apud aliquam creaturam, quia nihil immobile, vel immutabile, sed apud Dominum salus est iustorum, qui semper manet, semper idem est, semper immobilis est, nec vsquam potest esse tutior salus hominis, quàm apud Dominum. Ille mihi locus, ille mihi Dominus, ille mihi mansio, ille requies, ille sit habitaculum.* Extra Deum nihil securum est viris iustis apud creaturas; quantumcumque illæ bonæ sint, atque angelicæ. Solus Deus est, apud quem tuta, & certa seruatur salus iustorum. Vnde Paul. ad Coloss. cap. 1. *In Christo complacuit omnem plenitudinem inhabitare: & per eum reconciliare omnia in ipsū, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siuè quæ in cœlis.* Ecce tibi, quod cœlestia, siue terrestria nobis bellum non inferant, non hoc ab aliquo cœlite, vel homine factum est, sed à solo Christo Iesu Deo vero, & viuo. Ex quo D. Chrysostom. hom. 3. in præsenti: *Hæc omnia virtus Dei efficit. Quid ergo in Angelos fiduciam collocatis? Tantum enim absunt illi ab eo, vt vos reconciliarent, vt vobis magis infensi hostes fuerint. Nisi Deus vos illis conciliasset, vtique pacificati non fuissetis. Vis discere, quanto odio fuerint aduersus nos Angeli, & quomodo nos semper auersati sint? Ad supplicium mittebantur contra Israelitas, contra Dauidem, contra Sodomitas, in vallem fletus. At nunc non ita, sed è diuerso in terra occurrunt vehementer gaudentes.* Angelicæ naturæ magis erat, despicere, contemnere, imò & perdere homines; quòd autem hominibus Angeli prospiciant, non ex seipsis, sed id habent ex Deo, apud quem solùm nostra salus tuta, & certa erit.

Psal. 36.

Origen.

Ad Col. 1.

Chrysost.

Dan. 14. Venit ergo Rex die septimo, vt lugeret Danielem: & venit ad lacum, & introspexit; & ecce Daniel sedens. Et exclamauit voce magna Rex, dicens, Magnus es Domine Deus Danielis. Et extraxit eum. Porrò illos, qui perditionis eius causa fuerant, intromisit in lacum, & deuorati sunt in momento coram eo.

§. LVII.

Illud maximè lugubre, & fatale Regibus est, quòd fidelem, & præstantem amittat seruum.

MIraris potentissimum Babylonis Regem sic in lacrymas ire post ruinam Danielis, ait enim textus: *Venit die septimo, vt lugeret Danielem.* Quid defles Rex? Quid potest esse in

vnius

vnius hominis ruina, quod sic concutiat regale pectus? Erat Daniel sapientia, & consilio supra omnes Babylonios excellens: talis autem tantique ministri amissio nunquam non fatalis, & timenda debet esse Regibus. Egesippus lib. 3. de Excid. Ierosol. agens de Nerone, quòd à se miserat Vespatianum strenuum virum aduersus Iudæos, sic inquit: *Inuitum misit hunc Nero, qui sibi auferebat præsidium: sed arctabatur futurus suorum scelerum pœnis, vt se tanto destitutum comitatu duce inermem relinqueret. Nunquam profectò Galba asperandi ad imperium studia vsurpasset, nisi Vespasianum absentem comperisset. Sed procurauit hoc Deus, vt in Syriam dirigeretur vir, qui & Iudæorum insolentiam suprema gentis excidio labefactaret, & Neronem auxilio destitueret.* Tanti ministri destitutio Neroni ex Deo procurabatur, vt impius Imperator pœnas suorum scelerum daret. Magna equidem erant scelera Neronis, quibus arctabatur, vt à se dimitteret Vespasianum, in cuius enim hominis absentia, nil non luctuosum, & triste Imperatori Orbis restabat. Nouit hoc Dauid, qui adeò dolenter excepit Abneri mortem, vt dicat textus 2. Reg. cap. 3. *Cùmque sepelissent Abner in Hebron, leuauit Rex Dauid vocem suam, & fleuit super tumulum Abner.* Flebat Rex in morte optimi ducis, & ad fletum trahebat vniuersam multitudinem. Et ne regius planctus indignus videretur, inter lugēdum, sic Dauid dicebat seruis suis: *Num ignoratis, quoniam Princeps, & maximus cecidit hodie in Israel? Ego autem adhuc delicatus, & vnctus Rex.* Quæ verba sic in rem præsentem elucidat Carthusianus: *Ignorare non debetis, quoniam Princeps, & maximus ipse Abner, vir vtique valde magnus, prudentia, strenuitate, ac virtutibus ad bellatorem spectantibus, recidit hodie in populo Israelitico, ideò valde dolendum.* Valde equidem dolendum Regibus est, quòd strenuus aliquis vir, in regno eorum pereat. Raro enim præstantissimorum ruina non fatalis est Regi.

Egesipp.

2. Reg. 3.

Carthus.

§. LVIII.

Barbarus est, & impius, qui lugendos putat eos, qui pro Deo, & virtute se morti tradunt.

ERant Babylone multi Iudæi lege diuina innutriti, ob quorum solatium Deus Danielem exaltarat apud Reges, vt ille popularibus suis opem præstaret. Vbi autem Daniel feris traditur, nullus ex populo fideli, nullus Iudæus, qui de eius fauore viuebat, Danielem dicitur luctu & lacrymis honorasse. De solo Babylonio tyranno ait textus; *Venit die septimo Rex, vt lugeret Danielem.* Cur nullus Iudæus? Cur nullus ex fideli populo benefactorem suum traditum feris luget, sed solus Rex barbarus, & impius est in luctu pro illo? Sanè non ea erat mors Danielis, quam flere deberent nisi barbari, nisi impij; mors enim viri pro virtute, & Deo suscepta solis impiis videtur lugenda, fidelibus autem inter triumphales glorias censetur reponenda. Id quod exemplis ornat D. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 285. *Nec generosum athletum, qui in arenam descendit, ac puluere respergitur, & caditur, deflere conuenit, siquidem labores ipsius in coronis desinunt: nec fortis, & præclari militis, qui ad bellum exit, vulneráque accepturus est, vicem luctu, & lamentis prosequi par est. Victor enim & palmarius redibit, ac statuas & præconia consequetur.* Et meritò nullus sapiens deflet virum ob ea, quæ illi gloriosum triumphum adscribunt. Enimverò inter triumphales agones luctus, & planctus, non tam gratiā, quàm offensam incurrunt. Hinc Dominus Luc. 23. ad mulieres flentes dicebat: *Filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent, beatæ steriles, &c.* Flebant fœminæ Iesum ad mortem euntem; ille autem prohibet illas à fletu, nec solùm prohibet illas à fletu, sed insuper annuntiat illis calamitates alias imminentes, sub quibus & illæ, & filij erant inuoluendæ. Sed, bone Iesu, sic percutis flentes fœminas, vt illis tam dura annunties? Illæ pro tuo damno flentes deberent à te consolari annuntiata illis resurrectione tua, cur magis illas affligere de nuntio aduenientis super illas calamitatis extremæ? Sanè ingratæ erant illæ lacrymæ Saluatori, qui enim luctu, & lacrymis prosequitur eum, qui se pro virtute, & Deo tradit morti, impius est, & dignus quouis durissimo despectu. Ait D. Isidor. Pelus. supra: *Quandoquidem ipse sponte ad patiendum se conferebat, vt mortem extingueret, & diaboli neruos refringeret, eum autem, qui laudibus, ac plausu dignus erat, illa fletu prosequebantur, propterea ipsis malum imprecatus est, ac vera calamitates ipsis euenturas prænuntiauit.* Non miror, quòd malè audiant apud Deum, qui malè deflent; morientem enim pro virtute, non lacrymis, sed plausu, sed laudibus prosequi deberent.

D. Isidor.

Luc. 23.

D. Isidor.

Illud mirum, quod in triumphali morte puerorum ab Herode facta dicit Matth. c. 2. *Vox in Rama audita est, ploratus & vlulatus multus, Rachel plorat filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.* Non solùm plorat occisos pro Deo, sed consolationem abnuit, sed consolari minimè vult. Et cur non vult consolari, an vt maiori absorbeatur tristitia? Absit, sed non vult consolari, quia non sunt, nimirum consolationes sumendæ, vbi lacrymas non elicit res doloris, sed res triumphi. Plorabat bona mater non dolore, sed gaudio, vt ostenderet, quid deberetur filiis occisis pro Deo. Ait Euseb. Gallicanus hom. in Natali Innocentium: *Quamuis multum de filiorum suorum nece, dirísque cruciatibus lugeat, consolationem tamen non recipit, quia non sunt in tali euentu danda, vel suscipienda consolationis. Vbi enim lætitia vincit lacrymas, gaudium mœrorem, & gloria passionem, ibi consolatio necessaria non est. Magis enim lætandum est de illa vita, quàm de ista sit dolendum, quam amiserunt.* Fluant lacrymæ, quæ ex gaudio sunt in morte eius, qui pro Deo occumbit: luctus autem & mœrores, & tristitiæ non inueniantur in re triumphi, nisi velint offensam incurrere.

Matt. 2.

Euseb.

§. LIX.

Impij sibi accelerant supplicium.

HEu miseri Danielis persecutores, vix in lacum missi sunt, & statim à leonibus vorantur: textus ait: *Vorati sunt in momento eorum eo.* Et qua de causa tam celeriter vorati sunt? Ipsi eripuerant leonibus annonam, vt Danielem vorarent, vnde factum est, quòd obiecti leonibus adeò famescentibus, in momento fuissent deuorati. Ait Iosephus lib. 10. Ant. 7. *Sæuierunt leones in Babylonios, antequam peruenerunt ad fundum fouea, nihil enim discerpserant ab heri, & undius tereius.* Tota cura Principum in eo posita fuit, ne quid cibi præberetur leonibus, vt sic celerius Danielem vorare possent: at ieiunia illa, à viris procurata, sic fame rabidos tenebant leones, vt dū ipsi illi in lacum mitterentur, non liceret ad fundum caueæ peruenire, quin priùs discerperentur à leonibus. Sic impij supplicium sibi accelerare solent. Impia erat Ieroboami vxor, quæ ad Ahiam Prophetam venit, vt sciscitaretur de incolumitate filij graui morbo correpti. 3. Reg. 14. Ad hanc Propheta locutus dixit: *Tu igitur surge, vade in domum tuam, & in ipso introitu pedum tuorum in vrbem, morietur puer.* Quid tunc mulier misera? An moras fecit? Ait textus: *Surrexit itaque vxor Ieroboam, & abiit, & venit in Thersa, cúmque illa ingrederetur limen domus, puer mortuus est.* Et cur mulier non magis tardauit ingredi, vt puer diutius posset viuere? Dictum erat, quòd puer moriturus erat ad ingressum eius, vnde necessum erat, quòd tamdiu puer viueret, quamdiu mulier suum ingressum differret; illa autem audita Prophetæ sententia, nec cunctatur, sed accelerat quàm primùm videre filium, vt sic & eius pœna accelerarετur, & mors filij. Nihil enim aliud sciunt impij, nisi accelerare sibi supplicia. Ait Iosephus lib. 8. de Ant. cap. 4. *Hoc oraculo mulier territa se proripit; & toto itinere futuram filij mortem iam tunc deplorans, plangénsque misera properat propter maritum, eadémque opera filio fatum accelerans, quem non nisi mortuum visura erat.* Eadem diligentia, qua properabat ad maritum mulier, filij fatum & mortem accelerabat; quò enim citiùs ad domum perueniret, eò celerius è viuis erat eripiendus filius, & castigandi erant parentes in morte filij. Quàm verè de his dixit Ecclesiasticus c. 11. *Est homo laborans, & festinans, & dolens impius.* Non miror, quòd impius laboret, & doleat; sed illud mirandum, quòd currat, quòd festinet ad excipiendos dolores, ad excipiendos cruciatus acerbissimos. Sic de impiissimo Antiocho dicitur 2. Machab. 9. *Elatus autem in ira arbitrabatur se iniuriam illorum, qui se fugauerant, posse in Iudæos retorquere, idéoque iussit agitare currum suum, sine intermissione agens iter, cœlesti eum iudicio perurgente.* Ecce tibi vt impius festinabat, iratus enim currum agitari iubebat; & agitatus ipse intus cœlesti iudicio omnes rumpebat viæ moras. Et quò tetenderunt agitationes, & festinationes illæ procuratæ à Deo, iussæ à viro impio? Ait textus: *Præcipiens accelerare negotium, contingit illum impetu euntem de curru cadere, & graui corporis collisione membra vexari, &c.* Sanè quò vehementius agitari currum, accelerari negotium præcipiebat, eò velocius ruinam, & supplicium trahebat. Deus enim, qui iam illum punire decreuerat, intrinsecus virum vrgebat, vt moras rumperet, vt cursum acceleraret, vt curreret, vt tali acceleratione, & festinatione citius ruinam traheret, quod sciunt impij facere. Ait ibi Carthus. *Deus cœli iusto iudicio permisit impium furere contra Iudæos, & ex consequenti præcipere currum sic agitari, ad quod consequuta est ruina.*

Ioseph.

3. Reg. 14.

Ioseph.

Eccl. 11.

2. Mach. 9.

Carthus.

ruina, & conquassatio corporis sui. Ad nihil aliud erat tota illa agitatio currus necessaria, nisi ad hoc vt celerius impius homo pœnas daret; ideò Deus iustus vindex iniquitatum, ipsi impio accelerationem pœnæ permittebat, vt ipsc iuberet cursum agitari, negotium accelerari; nullus enim alius meliùs quàm ipse impius scit accelerationem pœnæ suæ tractare.

Dan. 14. Tunc Rex ait: Paueant omnes habitantes in vniuersa terra Deum Danielis; quia ipse est Saluator, faciens signa, & mirabilia; qui liberauit Danielem de lacu leonum.

§. LX.

Veritas supremæ potestatis clariùs ex timore monstratur.

NOra edictum Regis; quia Deus Danielis est Saluator, ideò iubet: *Paueant omnes Deum Danielis.* Imò quia Saluator est, meliùs, & aptiùs iuberemur illum diligere, illum totis visceribus amare. Quis beneficum non magis amet, quàm timeat? Cur ergo Regis edicto iubentur Babylonij potiùs pauere, & timere Saluatorem Deum, quàm amare? Sanè illum affectum requirit Rex in hominibus, ex quo clariùs ostenditur veritas supremæ potestatis, & quando à benefactore etiam insidiatoriè, & dolosè posset noster amor sollicitari, timorem petit, qui index solet esse clarior veræ, & supremæ potestatis. Hinc sapienter confundit Marcionem Tertul. lib. 1. Ponebat enim ille Deum nullo prorsus modo timendum, sed solùm amandum; quod inde refutat Tertull. quia amor etiam à falsis dominis muneribus sollicitatur, timor autem difficiliùs exhibetur nisi veræ potestati. Quippe ait: *Sic domique & plagiarij diliguntur, non etiam timentur. Non enim timetur, nisi iusta, & ordinaria dominatio, diligi autem potest etiam adultera. Sollicitatione autem constat, non authoritate. & adulatione, non potestate.* Et quidem amor non elicitur authoritate, & potestate, sed vel solicitatione exhibitis donis, exhibitis obsequiis, vel adulatione. Timor autem rectus, & perfectus vbi est, iam ibi patet, & ostenditur authoritas vera, & vera dominatio, quando hæc est, quæ bonum nutrit timorem in pectoribus mortalium. Hinc per Malach. cap. 1. vt supremum suum dominium Deus ostenderet, vnum in subditis timorem requirit. Ait enim: *Filius honorat patrem, & seruus Dominum suum. si ergo pater ego sum, vbi est honor meus? Et si Dominus ego sum, vbi est timor meus? dicit Dominus exercituum?* Quasi nullo magis ostenderetur Dominus reputari, quàm si timeretur: semper enim timor supremam authoritatem, & dominationem ostendit. Quò spectans Deuteron. cap. 10. inquit: *Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum, ac seruias Domino Deo tuo.* Expende, quòd ex iis, quæ Dominus Deus ex nobis requirit, nil priùs requirit quàm timorem: ait enim, *quid Dominus petit à te, nisi vt timeas, &c.* quippe timor perfectus primas fert in colendo supremam, & diuinam maiestatem: adeò vt vel charitas ipsa sine hoc timore filiali, & perfecto vacua videatur. Id quod non obscurè ostendit Ecclesiasticus c. 1. fatus: *Plenitudo sapientiæ est timere Deum. & plenitudo à fructibus illius. Omnem domum illius implebit à generationibus, & receptacula à thesauris illius. Corona sapientiæ timor Domini replens pacem. & salutis fructum.* Ecce tibi vt timor totum Dei cultum, totam religiositatem, totam dilectricem concordiam implet. Et id adhuc ostenditur ex Vatabli translatione, vbi dicitur: *Reuereri Deum vberrima sapientia est, quæ homines fructibus suis exsaturat. Omnem domum ipsorum delicijs implet, & suis item cellas prouentibus, vtraque vero dono Dei sunt, quæ faciunt ad prosperitatem.* Et vix inuenies plenitudinem in aliqua virtute, in aliqua gratia, nisi ibi timor Dei adsit.

Tertul.

Malach. 1.

Deu. 10.

Eccles. 1.

§. LXI.

Sub Saluatore Deo, nullo nocemur malo.

HOc proprium veri Dei nostri elogium, nimirum: *Ipse est Saluator, qui Danielem liberauit à lacu.* ipse equidem qui Danielem liberauit, est Saluator, & ita fecit suos saluare, vt qui hunc secum Saluatorem habeat, nequeat vlla timere mala. Perde homo vniuersa quæcumque sunt in cœlo & in terra, si hunc solum habes tecum, nullam perditionem expaueas. Vnde monebat ipse Matth. 10. *Estote prudentes sicut serpentes.* Serpens in omni conflictu illud curat, vt obseruet caput, illúdque tutum habeat, quod si obtinuerit, nihil timet ampliùs. Cùm autem caput nostrum sit Dei filius, verus mundi Saluator, si in hoc seruando, & custodiendo nobis serpentes æmulamur, quàm secura inde nostra salus radiabit. Pulchrè D. Ambros. in Psalm. 118. Octon. 20. *Hoc caput humani seruate serpentes: etiamsi omnia membra cadantur, totum vratur corpus incendiis, mergatur profundo, hoc tamen capite custodito, vita integra est, salus tuta est: nemò enim potest perire, cui non sublatus est Christus caput. ex quo omne corpus per compagines, & coll gationes subministratum, & copulatum crescit in incrementum Dei.* Quid pulchrius? Habes homo in te hoc caput, nimirum Saluatorem Iesu custoditum? O quàm potes ridere vniuersos aduersarios! Is est enim noster Saluator, qui omnia mala abigat, omnes ruinas aut repellat, aut restauret, vt custodito in nobis hoc Saluatore, nihil restet, quod timeamus. De Iesu sepultura locutus Matth. cap. 27. ait: *Accepto corpore, Ioseph inuoluit illud in sindone munda, & posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra Et aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti, & abiit.* Incluso Iesu in monumento, ibique asseruato, magnum saxum occludit monumenti ostium, vt intuatur, quàm maneat occlusus aditus omni malo, in pectore illo, in quo fuerit Iesus asseruatus. Accipite D. Hilarium de hac re sanctem canone 33. *Domini igitur corpus tanquam per Apostolorum doctrinam infertur in vacuam, & in nouam requiem lapidis excisi, scilicet in pectus duritia gentilis, quodam doctrinæ opere scissum, Christus infertur, rude scilicet, ac nouum, & nullo antea ingressu timoris Dei peruium Et quia nihil est, quod præter eum oporteat in pectora nostra penetrare, lapis ostio aduoluitur, vt quia nullus antea in nos diuinæ cognitionis autor fuerat illatus, nullus absque eo postea inferatur metus.* Et qui metus erit, vbi in pectore tuo tantum Saluatorem habeas. Planè simul vt in nobis Christus infertur, magnum obuoluitur saxum, quod omnes malos incursus ab ingressu arceat. Cum tanto enim Saluatore nihil stat mali, omnia nobis bona integra manent, & tuta salus. Vna est hominibus timenda ruina, si Iesum perdant, si Saluatorem suum secum non habeant. Hæc sola est maxima calamitatum, etiam si aliunde abundent cætera omnia, dicente Isaia cap. 2. *Proiecisti populum tuum domum Israel; quia repleti sunt vt olim.* Vbi D. Basil. ait: *Nulla atrocior pœna, ceteras omnes vincit calamitates hæc, deseri à Deo.* Habeas cuncta, si Deum non habes, calamitosus es, & prorsus miserabilis, innumeris timoribus expositus. Perdas autem omnia, & habeas Deum, nihil perdidisti, nullo affligeris metu, tibi enim integra, & tuta bona vniuersa manebunt. Vtinam vt hæc vera sunt, ita experiantur vniuersi fideles, quorum vtilitati vt seruiam, iam me accingo, vt alia parem, & condiam de Iesu virtutibus fercula. Ipsi laus, honor, & gloria in sempiterna sæcula. Amen.

D. Amb.

Mat. 27.

D. Hila.

Isai. 2.

LAVS DEO, VIRGINIQVE MATRI, & Parenti Ignatio.

R. P. DIDACI

DE BAEZA

PONFERRADIENSIS,

Societatis IESV Theologi,

COMMENTARIORVM ALLEGORICORVM,
& Moralium de CHRISTO figurato
in veteri Testamento,

TOMVS SECVNDVS,

COMPLECTENS VITAM MOSIS.

DD 2 LIBER

LIBER QVINTVS,

MOYSES, SIVE IESVS IN ÆGYPTO.

A REGIBVS adoratum Iesum durissima alterius Regis persecutio agitare cœpit: ea fuit excitata ab Herode, cuius rabiem præcauens Deus, fecit, vt Maria in Ægypto tenellum puerum protegeret. Quid expressius in Moyse? Accipite Oecumenium in Acta Apost. cap. 3. sic fantem: *Contra Moysem Pharao, Herodes contra puerum Iesum, & Rex vterque pueros alios occidit; à matre seruatus est, & hic & ille: Moyses in fiscella expositus est ad flumen: Christus iuxta eundem fluuium in Lyco ciuitate Aegypti nutritus est; Moyses à filia Pharaonis, Christus puer in ciuitate Aegypti de ditione Pharaonis*, &c. Meritò ergo assumendus est Moyses, vt in Ægyptum euntis magnalia adumbret diuini pueruli.

CAPVT PRIMVM.

Moysis natiuitas, & adolescentia in Ægypto.

Textus Historia.

DVO millia, & quadringenta, & sexaginta quatuor annorum mundus attigerat, & faustus Israelitico generi inter Aegypcias calamitates affulserat dies. Calamitosum illis erat Regis eruentissimi edictum, quo eorum infantes a maternis visceribus fusi, cum primo vitæ lumine tenebras mortis miscere coguntur, & prius implete sepulchra, quàm cunas. Calamitati verò tantæ hora successit faustissima, quæ Hebræum puerulum dedit luci, adeò elegantem, adeò splendidum in ipsis puerperij maculis, vt parentes in illius insolita pulchritudine communem salutem præsagirent, & multis niterentur, si possent illum imminenti cladi eripere. Trium mensium incolumitatem puero fecit parentum cura, quibus transactis, plus de Deo, quàm de se fidentes, curę diuinæ rem optatissimam committunt. Paratur arcula lignea, cui absolutissimè fabricatæ infans includitur, vt haberet in illa, vel cunam in vitæ auspicium, vel in mortis occasionē sepulchrum. Sic Israeliticus thesaurus occlusus Nili fluminis apponitur ripis, non omnino paternis destitutus curis; soror enim puella nomine Maria à longè speculabatur, quid puero accideret. Neque id casu fiebat, quando Hebræorum Saluatoris cunabulis nō semel debebatur Mariæ virginis solicitudo.

Cœpit infantulus parentes non videre, requirere materna vbera, & parentum desiderium cœpit vagitibus exprimere. O Dei opportunissimam curam! De Regis Hebræorum vastatoris visceribus prouidit, quæ Hebræorum erectorem repararet in vitam. Ea fuit Aegyptiorum Princeps, Pharaonis Regis vnica filia, quæ multis comitata puellis, dum animum amœnat ad ripas fluminis, in arculam incidit. & pulcherrimi pueruli sic afficitur vagitibus, vt Hebræa fieret, si ita liceret tanti infanti iam Hebræi deprehensi matrem fieri. Regias vlnas extendit nobilis Regina, vt qui seruorum erat filius, & penè emortuus, regiis fauoribus aduiueret, dum regali furori eripitur, & regalibus succedit cutis. Affectus maternus in regio pectore suppetebat infanti, requirebantur tamen materna vbera, quæ dum ab Aegyptiis nutricibus frustrà petuntur, accedit rei speculatrix Maria pueruli soror, spondet à se adducendam Hebræam fœminam recèns orbatam fœtu, & puerulo illi nutriendo aptissimam. Nec mora, expectante Regina, abit puella domum, matrem monet de euentu pueri, accurrens illa, & Reginæ pedibus aduoluta sub nutricis nomine, de regio puerulo lactando paciscitur. Nutricem ornat regiis muneribus bona princeps, & infantem Moysis nomine insignit; vt is æternam haberet inscriptam nomini fortunam suam.

Res inter mulieres acta, tanto fuit silentio sepulta, vt, si Philoni credimus, Regina se apud patrem, & maritum potuerit prægnantem fingere, deinde infantem edere mentitur iuuantibus puellis, quæ consciæ secreti extiterant. Supponi tamen illi Moyses non potuit. Nam minimè conuenisset tot mensium infans puerperæ. Sed commodus alius fœtus cunis inseritur, quem deinde Reginæ iussio alendum aduexit; nec passa est infantulum ab aliis videri, quàm à consciis nutricibus, fascini metum forsan assimilans. Ita biennio peracto facile fuit pulcherrimum Moysem, tanquam à se natum, in lucem producere. Qui oris dignitate regiam confirmans stirpem, aui Regis sic rapiebat animam, vt crebrò capitis sui diadema puero imponeret, ibique diu relinqueret, nisi puer Aegyptiæ gloriæ caput subtraheret, & aui coronam deturbaret in humum. Iam tunc infantuli simplicitas in deiectione coronæ ominosum quid minabatur Aegyptiis.

Gratiosa infantis crescentibus annis ponebatur balbuties; & magistri vndique quæruntur, qui regios in illo mores efforment, tam litterarum cultu, quàm exercitio virtutum. Inter sapientissimos ad hoc munus vocatos e Aegyptiis diuino accedit nutu, vt ex Hebræis vocaretur Amram vetus pueri pater, vir omni Chaldaica disciplina imbutus, & veræ religionis sapientiæ peritus. Vt enim diuinitùs prouisa fuit mater Moysis, quæ eius ageret nutricem, sic fuit eius pater prouisus, qui tanti pueri pædagogum ageret, & magistrum. Ab hoc ebibit ingenuus puer religionem auitam, totámque sacræ sapientiæ disciplinam, verarum virtutum integrà notitiam, insuper ex hoc nouit natales suos, vt Hebræus, ex Hebræis erat, vt diuino oraculo editus in populi salutem, vt à flumine susceptus per Reginā, & eius adoptatus, imò affictus filius, à cæteris autē Physiologiam, Astrologiā, Geometriam,

& hieroglyphicorum arcana cumulatissimè didicit. Nec defuêre, qui de re militari iuuenem instruerent, quando, si credimus nonnullis historiis, strenuum Imperatorem aduersus Æthiopas egit, & gloriosum de illis reportauit triumphum. His Moyses adultus omnem suorum expectationem fouebat, omnem præstantissimi viri in Regia adimplens iuuenturem. Seu differendum, seu notarum arcana explicanda, seu equitandum, seu tela mittenda. Statim æqualibus maior, & tantus denique erat, cui meritò possent inuidere magistri. Sed ipsam etiam vincebat inuidiam, quia prius neminem vlla arte, quàm humanitate, comitate, & obsequio superabat.

Hæc vna in re exsurgentem minimè refrænabat bilem, si Hebræorum aliquis duriusculè tractaretur ab Ægyptiis. Hinc Ægyptiarum gloriarum fastidia opplebant Moysem, nihili æstimantem dici filium Regis cruentissimi, dum veris natalibus non compararet salutem. Amabat ab aula peregrinari, laborantibúsque Hebræis aduiuere, quorum vnus dum miserè vapulat à Præfecto Ægyptio, à longè spectantem feriebat animum Saluatoris sui. Aduolat ille calens iracundiâ, & non paruo spatio tumultuariè superato, Quæ, inquit, hæc inhumana tyrannis? Aut quis miseris, & innocuis, me præsente, per nimiam crudelitatem illudit! Clerique consilio, ne impune hoc esset, contorsit in Ægyptij ora venabulum, quo merentem transfodit Aegyptium. Quod facinus vt credidit iustum, sic verebatur immaturum, quo posset Aegyptiorum tyrannis recrudescere in se, & in suos: adductóque arenæ aggere, & cadauer hominis, & rem adnititur occulere. Interea subsequens dies spectaculum edidit homini longè iniucundius, non Hebræus ab Aegyptio, sed Hebræus ab Hebræo immaniter feriebatur, & spectantibus multis, nemo pugnam prohibere sustinuit. Malitiæ indignitate commotus Moyses, dum flammantibus fratrum iris frigidam parabat effundere, præclara monenti processit obuiam percussor, & leuiter manu repulsum, ponere zelum iubet, & palam obiicit arcanum Aegyptij homicidium. Pallet ille, ac tremit euulgatione facinoris, quo vt in se armatos credit Aegyptios cum Rege suo; sic festinat arripere fugam, in finitimáque Madianitarum regione tutò asserere sortem suam.

PARS PRIMA.

Christi, & Moysis in Ægypto symbola.

APPARVIT Moyses expositus Aegyptiis in primo vitæ suæ limine, vt iam inde radiaret Christus infans à suis expulsus, & traditus Aegyptiis, inter quos maluit humanæ vitæ, & sumere, & præstare auspicia.

§. I.

Et Moysem, & Iesum inuidia non finit esse tutos inter suos.

NAtus Moyses inter sæuientia Pharaonis edicta aduersus Hebræos infantes, ob nimiam suam pulchritudinem, & gratiam à parentibus suis obtinuit, vt vellent eum à tyranno seruare; quòd præstare voluerunt trium mensium spatio, hoc enim transacto, coacti sunt puerum producere, illúmque Aegyptij fluminis ripis commendare. Quippè ait Exod. 2. *Videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus. Cumque iam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, & liniuit eam bitumine, ac pice, posuitque intus infantulum, & exposuit eum in carecto ripæ fluminis.* Et cur credidit parens Moysis, illum certiùs seruari posse expositum littoribus Aegyptiis, quàm inter suorũ cognatorum abdita? Viderunt parentes in forma pueri non paruam materiam inuidiæ, & vbi hæc bellua immanissima alebatur, meritò magis fidunt hostilibus littoribus, quã cognatorum tutelis. Sic Rup. lib. 1. in Exod. cap. 8. hanc tradit fuisse causam expositi Moysis, nimirùm; *Ne propter elegantiam eius, quæ iam ardere cœperat, magis inflammaretur inuidia.* Et quis elegantem, & præstantem filium inter cognatos positum eripere posset flammis inuidiæ? Fallar, nisi consultiùs tradaris truculentissimis hostibus, quàm inter tuos illis inuidiosus viuas. Hoc etiam consilio pulcherrimum infantem ab Angelis decantatum, à Regibus adoratum, à prophetis prædicatum,

Exod. 2.

Rupert.

diuinus pater à suis, à tota cognatione exulare iubet, & manere inter barbarissimos Aegyptios. Ait Matth. 2. *Accipe Puerum, & Mariam matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Cur in Aegyptum fuga mandatur? Cur non magis apud cognatos abscondi permittitur puerulus diuinus? Sanè ne propter elegantiam eius, magis inflammaretur inuidia, relictis suis maluit exulare apud hostes feralissimos. Nunquam puer Iesus non securior agit apud extraneos, quàm apud cognatos inuidos. Nonne Magi extranei erant, Dei hostes erant? Illi tamen adoraturi veniunt Iesum, & de illo regium decorẽ prædicant mediis Ierosolymis, dicentes, Matth. 2. *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* Ad quorum voces: *Turbatus est Herodes, & omnis Ierosolyma cum illo.* Ecce tibi Magi prædicant Regis ortum, & Iudæi cognati turbantur. Et cur Iudæi turbantur ortu Regis sui, Regis, inquam, quæsiti, & prædicati à Magis? Quo gloriosiùs puerulus prædicabatur, eò magis inflammabatur cognatorum inuidia, vt iam inter illos minimè posset viuere. Ait Euthymius: *Quare Ierosolyma turbatur? At quã gaudere ipsam magis oportuit, quòd ipsis Rex natus esset, quem olim prophetæ Saluatorem, ac redemptorem Israel prænuntiauerant, & gloriari tanquam propinquos, quod statim à cunabulis Persas ad sui adorationem attraheret. Verum excæcauit illos inuidia statimque audientes, turbati sunt quasi timentes, ne fortè salutem consequerentur. Persæ verò cùm essent extranei, non solùm nato non inuiderunt, imò à finibus suæ regionis vsque Bethleem propter eum venerunt. Iudæi autem cùm essent cognati, etiam gloria eius inuiderunt, ne fortè magnus futurus esset.* Sic cognatorum inuidia & Iesum, & præcellentes quosque viros à suis abigit.

Matt. 2.

Matt. 2.

Euthym.

§. II.

Vt Moyses, sic Iesus in Ægypto seruatur. Locus enim semel salutaris, semper solet prodesse saluti danda.

QVi ægrè inter cognatos, & domesticos tribus potuit mensibus seruari; hostili terræ expositus ibi salutares inuenit manus, quibus seruatus est, alitus, & educatus. Quid Iesu similius? Sanè eadem hostilis Aegyptus & Moysi, & Iesu in eadem occasione dedit, quo possint incolumes, & liberi seruari. Rem pulchrè expendit D. Bern. serm. 1. in octaua Paschæ atena: *In Ægypto dum paruuli omnes Israelitici generis necarentur, expositum in aquis Moysem tulit filia Pharaonis. Et vide, si non manifestè Christo in hoc præcessit figura. Similis nempe cum Pharaone etiam Herodes suspicione laborans ad eadem conuersus est crudelitatis argumenta, sed eodem modo est, & ipse delusus. Vtrobique pro vnius suspecta persona trucidatur numerositas puerorum, vtrobique, qui quærebatur, euasit. Et quo modo Moysem filia Pharaonis, ita Christum quoque Ægyptus suscepit conseruandum.* In summo puerorum discrimine liberatur Moyses per Reginam Aegypti, & in eodem discrimine Iesus puerulus sub Aegypti vmbris liberatur. Fuit equidem semper Aegyptus Israelitico generi auspicata; cùm à fame tuetur Abrahamum, & Isaacum, cùm puerum Ioseph è seruitute erigit ad regni clauum; cum totam Iacobi familiam alendam suscipit; cùm vel mactans Israelitas multiplicat, & in summo discrimine eorum Saluatorem Moysem tutatur. Meritò ergo Angelus monet Iosephum Matt. 2. *Accipe puerum, & Mariam matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Cur non magis iubetur cum puero fugere in Arabiam, ex qua venerant Magi, vt puerum adorarent? Erat notissima Aegyptus ex salute sæpe Israelitis data; in qua eorum fuerant auspicatiora cunabula. Vnde non miror, quòd ad illam potius confugiat Iesus salutis obtinendæ causa. Quo respiciens D. Leo, ait ser. de Epiph. 3. *Qui sanguinem suum fundendum in aliam differret ætatem, Ægypto se parentum ministerio subuectus intulerat, repetens scilicet Hebrææ gentis antiqua cunabula.* Quæ tellus vitalia semper obtulerat Hebræis cunabula, ea meritò quæritur ab Iesu, vt petitus ad mortem, in illa viuat. Nusquam enim securiùs aget homo, quàm in loco, qui semper vitalibus fœtibus fuit insignis. Hinc D. Hieron. epist. ad Lætam, dum monet, qualiter posset virgunculam filiam instituere, & seruare in vitam, ait: *Noli ergo subire onus, quod ferre non potes: sed postquam ablactaueris eam cum Isaac, & vestieris cum Samuele, mitte auiæ, & amitæ. Redde pretiosam gemmam cubiculo Mariæ, & cunis Iesu vagientis impone.* Itaque Bethleem monet sanctus, vt virgo educanda, & seruanda mittatur? Bethleem, inquam, vbi Christi fuerunt auspicatissima cunabula, quæ enim loca in puero Iesu tanta salute manarunt, nunquam non erunt salutaria pueris instituendis, seruandis.

D. Bern.

Matt. 2.

D. Leo.

D. Hier.

§. III.

§. III.

Vt Moyses, sic Iesus in Ægypto extra omnem visibilem munitionem constitutus, & bellum gerit, & triumphat.

ECce tibi Moyses puerulus ab hostili Ægyptiorum rabie in mortem petitus, & solus à Pharaone requisitus, vt ait Origen. hom. 3. in diuers. *Extra paternam domum eiicitur, & in fluminis ripa à suis derelinquitur.* Quid tunc? penitus infans solus derelictus in terra adeò hostili? Imò inde à Regina Ægypti asportatus, in aulam ducitur, de omni hostium sæuitia triumphaturus. Sic extra omnem visibilem munitionem nobilis puer positus, nobiles de hostibus reportat triumphos. Rem pulchris verbis tractat D. Chrysostom. hom. 16. in Act. inquiens: *Hoc mirabile, quod futurus Præfectus in ipso medio furore nascitur: expositum autem illum sustulit filia Pharaonis, & eum nutriunt sibi pro filio. Nusquam templum, nusquam sacrificium, cum tanta dispensatione facta sunt.* Expende illud, *Nusquam templum, &c.* quasi ad facinotis seruati Moysis præstantiam, hoc plurimum faciat, quod nimirùm templum Dei nondum erat. Et quantum hoc ad commendationem seruati Moysis? Accipe in 4. Reg. cap. 11. Athaliam furentem in omne semen regium, vt nec paruulus infans remaneret, qui esset de Dauidis stirpe. *Tollens autem Iosaba filia Regis Ioram, soror Ochoziæ, Ioas filium Ochoziæ, furata est eum de medio filiorum Regis, qui interficiebantur, & nutricem eius de triclinio, & abscondit eum à facie Athaliæ, vt non interficeretur. Erátque cum ea sex annis clam in domo Domini.* Itaque filia Regis procurans Ioas infantuli vitam, illum tollit à facie sæuientis Athaliæ, & in abscondito templi illum secum custodit. Quid mirum, quòd Ioas puer eripiatur morti, & detrimphet hostes suos? Nonne à filia Regis seruatus est, & in templo Dei custoditus? Illud mirabile in Moyse, quòd rabidissimè expetitus ad mortem, morti eripitur, & à filia Regis seruatur in triumphos: seruatur autem non répli munitionibus custoditus, sed in aperto campo, in ipsis oculis tyranni rabidissimi. *Nusquam templum, nusquam sacrificium, cum tanta dispensatione facta sunt.* Talis triumphus soli Iesu puerulo post Moysem potuit conuenire, qui dum recens natus ad mortem petitur, vt morti eripiatur immaturæ, adstat Angelus monens Iosephum Matth. c. 2. *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Cur in Ægyptum mandatur fuga? Cur potius in Dei templo non asseruatur regius infans? Imò cur Dei templum fugitur, & eligitur Ægyptus? Sanè cauebat Isaias cap. 13. *Va, qui descendunt in Ægyptum ad auxilium.* Si ergo auxilium Ægypti minime requirendum, cur puer diuinæ consugit ad Aegyptum? Non equidem fugit ad Aegyptum, vt auxilium requirat, sed potius vt omnem munitionem visibilem deserat, & in apertiori campo cum hoste confligat, & de illo triumphet. Ait D. Chrys. serm. 150. *Deus quando fugit hominem, Sacramenti est, non pauoris; potens quando se subducit inimicis, insequentem non pauet, sed fortis producit, vult enim in aperto vincere, &c.* Timorus militis est, conflictus hostis expectare intra munitiones suas: qui potentia, viribúsque pollet, non amat munitionibus includi, in apertum procedit, eóque hostem agit, vbi quò remotiores sunt munitiones, eò acrior conflictus, & gloriosior reportatur triumphus. Quid mirum quòd puer Iesus in templo asseruatus, tot munitionibus, quot sacris vallatus hostiles impetus subigeret? Clariorem amat nobilis puerulus triumphum, & ab hoste petitus, non in templo manet, sed procedit in Aegyptum, in qua non templum, non sacrificium, non aliqua erat virtutis munitio, sed potius, vt ait Theophylactus. *Ivbi erant omnia nequitia effecta.* Clarissimus hic diuini pueri fuit triumphus, qui extra proprias munitiones positus, hostes superauit in suis. Quem triumphum Christi martyribus adscribit Tertull. dum in carcere inter nocentes detinebantur. Ait enim lib. ad Martyres: *Domus quidem diaboli est carcer, in qua familiam suam continet. Sed vos ideo in carcerem peruenistis, vt illum in domo sua conculcetis.* Non mirum est, si in templo Dei, inter sanctos aduersus diabolum audeas; sed quòd illum in suo, inter nocentissimos aggrediaris, hoc perfectæ virtutis testimonium est. Hinc licet mihi mirari virtutem mei Patris Diui Francisci Xauerij, qui in vastissimo Iapponiorum campo, quando nullum ibi templum, nullum sacrificium erat, tot victorias de hostibus reportauit. Non sic miror, quòd in D. Thomæ ciuitate, & templo semel & bis auderet cum dæmone belligerare, eiusque sese flagellis exponere, quam quòd solus in Mauri Insula, & Iapponiorum auderet aduersus diabolos stare, vt in ipsorum munitionibus illos expugnaret, vt expugnauit.

Origen.

Chrysost.

4. Reg. 11.

Matth. 2.

Isaias 13.

Chrys.

Theoph.

Tertul.

§. IV.

Vt in Moyse, sic in Iesu gloriosior victoria stetit in eludendo tyranno.

PEtebatur à Pharaone Moyses infantulus, & occisis aliis infantibus, vnus Moyses in Aegypto apud Pharaonem seruatur, similiter ab Herode petebatur in mortem Iesus, & occisis plurimis aliis, vnus fugiens in Aegyptum euasit. In vtroque puer non perditur, sed mirificè deluditur tyrannus. Sic supra alio datus dicit D. Bernard. *Similis eum Pharaone etiam Herodes suspicione laborans, eodem modo est, & ipse delusus. Vtrobique pro vnius persona numerositas trucidatur puerorum, vtrobique, quem quærebatur, euasit.* Itaque & in Moyse, & in Iesu manet delusus tyrannus, & vterque puer suam maiorem ostendit præstantiam, non quòd conficiant, sed quòd deludant aduersarium. Et quanta hæc illusi hostis in Iesu gloria? Poterat equidem diuinissimus puer mortem inferre Herodi, poster illum æteris iam flammis commendare, sed maluit fugiens, eius ostendere irritos conatus, vt maiori feriretur hostis delusionis plaga, & præstantiorem Deus suam virtutem ostentaret. Ait enim in præsenti D. Chrysost. *Magos celeriter emittit, stupefactum reddens furorem tyranni, vt discat se impossibilia moliri, & conceptam extinguat insaniam, sique à studio vano laboris abducat. Est autem diuinitatis virtute dignum, non modò conterere inimicos, verum etiam cum omni illos facilitate decipere.* Hæc est diuinitatis summæque virtutis præstantia clarissima, quòd sciat facilè hostiles animos deludere, & ostendere illorum conatus prorsus irritos. Hinc Philisthini illi sapientes diuinam potentiam & virtutem maximè apud populares suos extollebant, dicentes. 1. Reg. cap. 6. *Quare aggrauatis corda vestra, sicut aggrauauit Ægyptus, & Pharao cor suum? Nonne postquam percussus est, tunc dimisit eos?* Apud D. Chrysost. hom. 8. in Matth. sic sonant hæc vltima verba. *Nonne postquam illusit eis, dimiserunt populum, &c.* Quod si quæras, quando Deus Aegyptios delusit, vt dimitteret populum, putat Chrysost. id factum fuisse, cum Hebræi iussi sunt Exod. 11. petere à vicinis Aegyptiis vasa aurea, & argentea, vt itent ad sacrificandum Deo suo. Cùm enim posset Deus facere, vt Hebræi vi, & armis spoliarent Aegyptios, maluit, vt non vi, sed amicis verbis illos deluderent, & spoliarent. Sed illud mirandum est, quòd Ascalonitæ scientes Aegyptiorum omnium submersionem à Deo factam pro Israelitis, non ad hanc recurrunt, vt illum ostendant terribilem, & metuendum cunctis. Sed ad seductionem, & delusionem recurrunt, quando in vasis aureis, & argenteis delusi sunt. Cur non magis dicunt, quòd percussi sunt in vita, quam quòd in vasis argenteis sunt delusi? Pulchrè D. Chrysostom. vbi suprà: *Ægyptios populis suæ vtilitate seduxit, cùmque palam in Iudæorum manus illorum posset transferre diuitias, occultè hoc magis fieri, ac decipiendo præcepit, quod certè illum apud inimicos non minus fecit, quàm alia signa, terribilem. Denique Ascalonita, cum cæteris mirabilibus, hoc quoque in medium protulerunt, dicentes: Quare grauatis corda vestra sicut grauauit Ægyptus, & Pharao cor suum? Nonne postquam illusit eis, dimiserunt populum suum?* Inde terribilem, & metuendum Deum ostendebant, non tam, quòd percuteret, quam quòd facili negotio deludat hostes suos. Quo spectabat illud Iobi cap. 40. de Leuiathan: *Nunquid facies tecum pactum, & accipies eum seruum sempiternum? Nunquid illudes ei, quasi aui?* Extollit enim ibi Dominus suam maximam potentiam, quam facere potest ea, quæ creaturæ facere nequeunt. Et quæ sunt illa? *Nunquid illudes ei, quasi aui?* Nequit sanè creatura trucissimo hosti sic facilè illudere, vt pueruli simplicibus illudunt auiculis, vt eas trahant in retia. Id autem solius diuinæ potentiæ proprium est, cui etiam dicit Psalm. 103. *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei.* quasi non adeò ostendatur Dei virtus in perdendo, vt ostenditur in illudendo dracone.

Bernard.

Chrysost.

1. Reg. 6.

Chrysost.

Chrysost.

Iob 40.

Psal. 103.

§. V.

Vt Moyses naturales parentes, licèt pauperes, omnibus mundialibus bonis prætulit, ita & Christus Dominus.

NEscio, an quid prius emineat in Moyse, quàm naturalium obseruantia parentum; expositus enim erat ad

Nili ripas, indéque sublatus à filia Ægyptij Regis, quæ illum pro filio cœpit habere. Quanta hæc cura Dei, quæ exposito puerulo matrem Reginam dedit? Sed accipite aliud, quod amplius miremini; simul enim ac in Reginæ manibus puer erat, accedit eius soror Maria, dicens se nosse Hebræam fœminam, quæ optime posset nutrire puerum. Nec amplius morata, de Reginæ imperio currit ad domum, verámque matrem pueri adducit, vt nutricis nomine illum accipiat nutriendum. *Exod. 2.* Exod. cap. 2. *Perrexitque puella, vocauit matrem suam, &c.* Et quando puero à naturali matre deserto Regina mater erat, cur insuper ipsa mater naturalis additur, quæ illum susciperet nutriendum? Erat maximè à Deo prouisum in isto puero, vt nulla in prosperitate sua, naturalibus non prospiceret parentibus. Ad *Rupert.* hæc ait Rupert. lib. 1. in Exod. cap. 9. *Elegans infantulus elegants è solo miserationis occursu exceptus est, vt matri sua, cui natus fuerat, non periret, & aliam matrem prepotentem adoptandus inueniret.* Sanè hoc ex Dei cura spectabatur in Moyse, quòd minimè deficeret naturalibus parentibus; quòd licèt regali cognationi insertus esset, tamen non periret illis, qui à natura fuerant parentes. Imò sic in illo hic affectus excelluit, vt vel pauperculam cognationem omnibus Ægyptiorum *Ad Heb. 11.* diuitiis præferret. Ait enim Paul ad Hebræos cap. 11. *Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filia Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis habere peccati iucunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi.* Itaque meritò Moyses pauperem vitam, cum pauperculis parētibus, & cognatis prætulit Ægyptiorum regnis, & vt naturalibus adiuueret parentibus, negauit se esse filium filiæ Aegyptij Regis. At contrarium videtur fecisse Esther de consilio Mardochæi, quæ occultauit genus suum naturale, vt ad Assueri solium assumeretur. Sic enim *Esther 2.* habes Esther 2. *Qua noluit indicare ei populum, & patriam suam. Mardochaus enim præceperat ei, vt de hac re omnino reticeret.* Et quidem, vt Moyses, sic Esther & Mardochæus destinabantur à Deo in salutem populi sui; cur ergo vt hi ad permanendum in Regia Assueri dissimularunt genus suum, occultarunt auitam prosapiam, Moyses autem vt esset cum pauperculis parentibus contempsit Pharaonis regiam, & negauit se filium regis? Nónne vt illa, sic ipse à regio throno posset populo suo maximè prodesse? Sto à sententia sapientissimi nostri Saliani, qui premens Apostoli verba, putat, quod Moyses dum esset in Regia Pharaonis, & princeps Aegypti haberetur, cogebatur in dies à proceribus, vt Aegyptiarum rerum augmento prospiceret, & maiora onera imponeret Hebræis. Vbi autem ille vidit, quòd principatus suus, & opulentia sua non prodesset parentibus, apertissime negauit se filium regis, & principatum abiecit, vt sic non amplius cogeretur molestus suis parentibus, & cognatis esse, mallens illis pauperculis adiuuere, quàm in regiis deliciis esse. Vt merito de illo dicat D. Anselm. in epistol. ad Hebr. cap. 11. *Anselm.* *Peccatum Moyses putabat, se lætari in aula, dum fratres sui affligerentur.* In quo non mediocriter delineauit affectus Iesu in Aegyptum fugientis. Erant enim Iesu præsto tres Magi, et res Orientis reges, qui datis muneribus illum adorabant; cum Herodes res machinabatur illum morti dedere. Interea venit *Matth. 2.* Angelus monens Iosephum Matth. cap. 2. *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Cur Angele fugam mandas parentibus cum puero in Aegyptum, quando præsto aderant tres illi reges, quibus tradi puer posset, vt in eorum regiis seruaretur? Cur permittis sic reges abire? Cur non magis illis commendas puerum, sed mauis, vt tenellus puer cum pauperculis parentibus peregrinetur in barbara regione, & Hebræis molesta? Hoc sane quæstionem faciebat D. *Chrysost.* Chrysostom. hom. 8. in Matth. sancti: *Dignum est scrutari, cur non Magi præsentes saluentur, & puer: sed illi quidem in Persidem reuertantur, hic autem cum matre in Ægyptum transfugiat?* Erat hic Christo adnatus affectus, qui noscens imminentem persecutionem aduersus Dauidicum genus, cuius pueri erant celeriter interficiendi, negauit regias delicias: pereuntibus enim fratribus, & afflicta omni cognatione, maluit cum paupercula matre & ipse affligi in Aegypti regione Hebræis exosa, quàm lætus esse in Arabum Regiis, præferens pauperculorum parentum affectum omnibus & deliciis, & diuitiis Orientis. Quasi peccatum enim putabat, se lætari in aula, dum fratres sui, dum cognati sui, dum parentes sui affligerentur. Nunquam enim de Christi halitu non venit purus, & virtuosus affectus erga parentes, & cognatos. Ex quo maxime extollebat Marcellam D. Hieronym. epist. ad Principiam *Hieron.* fatus: *Matri in tantam obediens, vt interdum faceret, quod nolebat. Nam cum illa suum diligeret sanguinem, & absque filiis, & nepotibus vellet in fratris liberos vniuersa conferre, ista pauperes eligebat, & tamen matri contraire non poterat: monilia, & quidquid supellectilis fuit, diuitibus peritura concedens, magisque volens pecuniam perdere, quàm parentis animum contristare.* Sic Christi spiritu plena Marcella studebat maternæ obseruantiæ, vt vel in re eleemosynæ maluerit pecuniam perdere, aliqua diuitibus donans, quàm contristare matrem. Non absimilis Isaac Genes. cap. 22. *Gen. 22.* cum ligatur ad mortem, sustinet sene parente robustior. Et vnde Isaac adeò mansuetus sustinet? ait D. Ephrem ibi: *Vsque ad mortem Isaac patri se obedientem præbuit, morte prius esse sciens, tristitiam, atque molestiam patri inferre.* Sic ille.

§. VI.

Vt Moyses, sic Iesus Ægyptios percussit.

NOn otiosus egit Moyses in Aegypto, quin potius egressus quadam die ad fratres suos Exod. cap. 2. *Exod. 2.* *Vidit Aegyptium virum percutientem quendam de Hebræis fratribus suis: & percussum Aegyptium abscondit sabulo.* Præficiebantur Aegyptij viris Hebræis, vt illos in opera agerent; ex quibus Præfectis vnus dum Hebræum percutit, & ipse à Moyse percussus occubuit. Sic in conspectu Moysis incipiebat cadere Aegyptiorum tyrannis, vt ibi clarius exprimeretur Christus Dominus Aegyptum adiens. Vix enim diuinissimus paruulus ad Aegyptum accessit, & ecce tibi Aegyptiorum idola, Aegyptiorum res miserè cadunt. Quò spectans Isaias cap. 19. ait: *Isai. 19.* *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & commouebuntur simulacra Aegypti à facie eius, & cor Aegypti tabescet in medio eius.* In nube leui ibat Dominus, vt ait D. Ambros. in exhortatione ad Virg. & Procopius in præ- *Ambr.* senti, cum vlnis Mariæ portatus deferebatur in Aegyptum. Et quid tunc? *Commouebuntur simulacra Aegypti à facie eius, & cor Aegypti tabescet.* Vnus Iesus ingrediens Aegyptum potuit facere, vt Aegyptiorum errores corruerent. Vt merito dicat D. Athanas. de Incarnat. Verbi: *Athan.* *Aegyptiorum superstitio non quieuisset, nisi Dominus omnium in corpore, quasi in nube vectus, eo descendisset, & idolorum errores compescuisset, omnes in se, & per se ad patrem transferens.* Itaque vt Aegyptum tetigit Puerulus diuinus, Aegyptiorum prauitatem destinauit ruinæ, nihilque ibi erroris, & falsitatis principare vidit, quod non percuteret. Vnde cum Matth. 2. dicitur Iosepho: *Matth. 2.* *Tolle Puerum, & Matrem eius, & fuge in Aegyptum.* pulchrè Origen. homil. 3. de diuersis rem amplificans dicit: *Fuge in Aegyptum, propterea vt destruantur manufacta eorum, vt confringantur, & pereant idola ipsorum, vt dæmones deturbentur, vt fiat in aduentum Domini fugitiuorum seruorum, & malorum interitus. Fuge in Aegyptum, vt adimpleam quæ dicta sunt, Ecce dominus sedet in nube pusilla, & veniet in Aegyptum, & commouebuntur omnia manufacta. Fuge in Aegyptum, vt fugiant de Aegypto, quæ ibi sunt dæmones.* Et quidem nullus Aegyptiorum error non percutitur, non commouetur, vt pereat, ex quo diuinus puerulus Iesus ingressus est Aegyptum.

PARS SECVNDA.

Moralia circa textus literam.

IAm nos vocat litera textus, quæ dulcissimos, & vitam halantes latices etiam propinat, vt inde in solidam crescamus salutem.

Exod. 2. Egressus est post hæc vir de domo Leui. Et accepit vxorem stirpis suæ, quæ concepit, & peperit filium: & videns eum elegantem abscondit tribus mensibus. Cúmque iam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, & liniuit eam bitumine, ac pice, posuítque intus infantulum, & exposuit eum in carecto ripæ fluminis, stante procul sorore eius, & considerante euentum rei.

§. I.

Ad conſpectum pulchritudinis quæcunque diſcrimina vorantur.

DVm Pharaonis edictum viget de pueris ſuffocandis, in maximum ſe vitæ diſcrimen conijciebat pater, qui filium natum abſconderet à rabie tyranni. Nihilominus Moyſis parens, dum illum parit, *videns eum elegantem abſcondit tribus menſibus*. Et cur cum tanto diſcrimine audent parentes puerum abſcondere? Cur non magis cauent edicti vrgentis rabiem? Cur ſibi magis non timent à rabidiſſimo tyranno? Cauſam indigitat textus, aiens: *Videns eum elegantem, &c.* vbi pulchram pueri formam viderant, ad conſpectum pulchritudinis omnia pericula vorarūt, nihilique edictum, rabiemque tyranni fecerunt. Ait Philo Iudæus in cat. Lippoman.

Philo.

Natus infans mox vrbaniorem præſeferebat vultum: adeo vt parentes quantum poſſent, tyranni edicta facile paruipenderent. Quæ metuebantur edicta tyranni, deſpici cœperunt, & pro nihilo reputari, vbi puer venuſtus, & pulcher apparuit: nullum enim diſcrimen eſt, quod in conſpectu pulchritudinis non ſoleat vorari. Quo refero illud Numer. cap. 25. vbi ſic:

Numer. 25.

Fornicatus eſt populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad ſacrificia ſua. At illi comederunt, & adorauerunt Deos earum. Initiatúſque eſt Iſrael Beel-Phegor: & iratus Dominus ait ad Moyſem: Tolle cunctos Principes populi, & ſuſpende eos contra Solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Iſrael. Dixitque Moyſes ad iudices Iſrael. Occidat vnuſquiſque proximos ſuos, qui initiati ſunt Beel-Phegor. Et ecce vnus de filiis Iſrael intrauit coram fratribus ſuis ad ſcortum Madianitidem, vidente Moyſe, & omni turba Iſrael, &c. Quid impudentius? De imperio Dei erant erectæ cruces ad ſupplicium ſumendum, propterea quod Iſraelitæ intrauerant ad Moabitides, illarumque Deos adorauerant, ſtricti etiam erant, iubente Moyſe, gladij, & miſeri rei quærebantur, & tamen interea, his ita compoſitis, *ecce vnus de filiis Iſrael intrauit coram fratribus ſuis ad ſcortum:* Quo ruis miſer homo? Cur non magis Dei imperia, Moyſis edicta, gladios ſtrictos, furcas erectas, carnifices paratos vides? Quæ te vis rapit, vt ad tam immania pericula cæcutias? Non equidem alia vis ſic miſerum raperet Iſraelitam, niſi vis pulchritudinis viſæ. Meritò Origen. homil. 20 in Numer. ſic inducit vatem loquentem ad Moabitidum Principem:

Origen.

Aduerſus hos non virtute militum, ſed mulierum decore pugnandum eſt. Procul hinc, procul amoue armatorum manum, & electam congrega ſpeciem puellarum forma vincit armatos, ferrum pulchritudo captiuat; vincentur ſpecie, qui non vincantur prælio. Et quidem vbi Iſraelitis non ferrum, non ſpicula ab hoſtibus obijciebantur, ſed pulchritudo, ſed ſpecies, non miror, quod atrocia contemnerent edicta, quod gladios vorarent, & furcas, extremæque perditionis nihili facerent pericula. Qui enim bellorum moleſtias, & diſcrimina taciti ſuſtinebant, vbi pulchram Hebræam viderunt, ſic alacriter, & animosè clamant apud Holophernem Iudith cap. 10.

Iudith 10.

Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, vt non pro his merito pugnare contra eos debeamus? Ecce vt vorant ſanguinis effuſionem, & omnia belli pericula, vt poſſint viſam fœminæ pulchritudinem ſibi acquirere. Imo, vt de ſimilibus ait D. Cyprian. lib. de ſingular. Clericor. *Malint mori, quàm contenti ſint à lateribus mulierum aliqua diſiunctione diuelli.* Sic rapit homines pulchritudo mulierum, vt nihili mori æſtiment, dum ab illa non diſcedant.

§. II.

Pulchritudo ægrè, & difficulter poteſt celari, & abſcondi ab hoſtilibus oculis.

ELegantem & pulchrum puerulum Moſem, tribus menſibus, ægrè celant, & non amplius, poſt illos enim impletos minime eum poſſe celari animaduertunt. Ait enim textus: *Cumque iam celare non poſſent, &c.* Et quidem plures alij celabantur quotidie, ne in tyrannorum manus venirent, vt ſatis probabiliter exiſtimat Lippomanus in caten. &

Lippom.

Rupert. lib. 1. in Exod. cap. 8. Quando ergo alij celabantur, cur vnus Moyſes minime potuit celari, volentibus, & procurantibus parentibus? Huius difficultatis cauſam in pueri pulchritudinem conijcit Rupert. coactos fuiſſe parentes, vt filium exponerent, *ne propter elegantiam eius, quæ iam ardere cœperat, inuidia inflammaretur.* Sane vt maior erat pueri pulchritudo, eo ſe magis publicabat, & inuidis vehementiores ſtimulos adhibebat, vt illam furioſis tyrannorum iris exponerent. Nunquam enim pulchritudo non ſe obijcit hoſtilibus incendiis. Ad hæc Oſeas cap. 9. ait: *Ephraim, vt vidi, Tyrus*

Oſeæ 9.

erat fundata in pulchritudine. Et Ephraim educet ad interfectorem filios ſuos. Septuag. legunt: *Ephraim ſicut vidi, in captionem præbuit filios ſuos.* D. Hieronym. in commentario ait. *Ephraim quomodo vidi, in venationem præbuit filios ſuos.*

Hieron.

Itaque dum vulgata Ephraimi pulchritudinem ponderat, in pulchritudineque fundatam dicit; Septuaginta, & Hieron. hoc ſolum conſiderant, quod Ephraimi filij dati ſint in captionem, & in venationem inimicis. Et merito, quando pulchritudo, & decor neſcit abſcondere alumnos ſuos, ſed illos frequenter exponit & venationis, & captionis periculis. Sapienter enim de pulchra fœmina ait D. Hieronym. ex Theophraſto lib. 1. aduerſus Iouinian.

Theophr.

Minori miſeria deformis habetur, quam formoſa ſeruatur. Difficile cuſtoditur, quod plures amant. Nihil tutum eſt, in quod totius populi vota ſuſpirant. Crede mihi ſub nullis tenebris erit pulchritudo cuſtodita, quando illam totius populi vota ſuſpirant. Ægre, & difficulter ſeruabitur decorus aſpectus, ne in pericula proſiliat. Apud Zachar. cap. 11. ait Dominus:

Zach. 11.

Aſſumpſi mihi duas virgas, vnam vocaui Decorem, & alteram vocaui Funiculum. Quid tunc? An ambas virgas apud ſe cuſtoditas retinuit? *Et tuli virgam meam, quæ vocatur Decus, & abſcidi eam vt irritum facerem fœdus meum, quod percuſſi cum omnibus populis.* Ecce tibi duæ tantum virgæ aſſumptæ fuerunt à Domino, vt ſeruaret, & cuſtodiret illas, & è duobus altera, quæ decora erat, prima venit in abſciſſionis periculum, & abſcinditur, & proijcitur. Cur non magis ſeruatur Decus, & abijcitur Funiculus? Ea eſt Decoris natura, quæ ſeruatur difficilius, & facillime in pericula ruit. Sic de Rege Tyrio dicit Ezech. cap. 28.

Ezech. 28.

Perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo, in terram proieci te, ante faciem regum dedi te, vt cernerent te. Equidem decorus, & pulcher iuuenis datus eſt in faciem regum, non vt illum impugnarent, nec vt illum bellicis tormentis impeterent, ſed vt illum cernerent, & ex eo ſolum non potuit decor, & pulchritudo in perditionem non ire.

§. III.

In Chriſti ſimilitudine humanæ ſalutis auſpicium eſt.

EXponendo puerulo paratur fiſcella ſcirpea; dicit enim textus; *Sumpſit fiſcellam ſcirpeam, & liniuit eam bitumine, & pice; poſuitque intus infantulum, & expoſuit eum, &c.* Et cur vili fiſcellæ creditur pueri vita, quæ in parentum domo non erat tuta? Oecumenius in Act. Apoſt. cap. 3. in hac vili fiſcella

Oecum.

agnoſcit imaginem quandam, & ſimilitudinem præſepij illius, in quo Chriſtus Ieſus recens natus expoſitus fuit à matre ſua. Merito ergo patres Moyſis, quem ipſi ſeruare non poſſent infantulum, vili fiſcellæ committunt. de tanta enim Chriſti venturi ſimilitudine certiſſimum iam dabant puero vitæ auſpicium. Nunquam equidem parentes firmiorem ſalutem filiis adſcribunt, quàm vbi illos nituntur aſſimilare Chriſto. Iuſſerat Dominus Geneſ. cap. 22. mactari Iſaacum

Gen. 22.

Abrahami dilectum filium, quem vt mactaret pater iuxta Dei imperium ſuper ſtruem lignorum conſtituit, gladium exeris, parat ictum. Quid tunc? *Dixitque ei Dominus: Non extendas manum ſuper puerum, neque facias illi quicquam.* Quem poſtulabat Dominus paulò antea ad mortem, nunc poſtulat eundem ad vitam. Et cur modo eum poſtulat ad vitam? Vbi Iſaac à parente poſitus eſt ſuper ſtruem lignorum, vbi ſacrificandus extitit; ſimul apparuit ſimillimus Dei filio crucis arbori ſuffixo, ex qua ſimilitudine non potuit non reſeruari ad vitam. Sic Dominus apud D. Auguſt. ſerm. 73. de Temp.

Auguſt.

ait: *Parce inquit, Abraham. Qui iuſſeras, vt ferires, modo vociferatur, vt parceret. Parce, inquit, deuote pater, parricida ſine crimine parce. In voto probaui, quod in facto remiſi. Laudo fidem, nec reprobo pietatem, nec tibi patior inferri orbitatem. Ecce ſpirituali præſagio meum præueniſti conſilium. Quod enim paraui pro toto mundo, tu iam deliberaſti in filio tuo. Quod in vnigenito meo diſpoſui, tu in tuo vnico perfeciſti.* Sic ibi Dominus vitam annunciabat filio, in quo exprimebatur ſacrificandus Chriſtus. Quando enim Abrahamus delineabat in Iſaaco ſuo, quod pro vniuerſo mundo erat Chriſtus Dominus præſtaturus, iam non mortis, ſed ſalutis, ſed vitæ clariſſimum in illo præbebat auſpicium. Quando enim a Chriſti ſimilitudine non rutilat hominis vita? Apud Luc. cap. 7. cum Ieſus appropinquaret ad portas ciuitatis Naim:

Luc. 7.

Ecce

Ecce defunctus efferebatur, filius vnicus matri ſuæ, & hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa. Quam cum vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper illam, &c. A nullo rogatur Dominus, vt vitam tribuat huic adoleſcenti; ſolas viduæ matris lachrymas videt, & totus commotus ad illum ſuſcitandum feſtinat. Quid erat in adoleſcente iſto, quod ſic traheret Dominum, vt illi vitam refunderet? Erat adoleſcens *filius vnicus matri ſuæ*, vt vnicus erat etiam parentibus ſuis Chriſtus, ex quo non miror, quod adoleſcens ſeruaretur in vitam. Ait D. Baſil. Seleuc. orat. 10. *Viduæ lacrymæ vnigenitum Ieſum traxerunt ad reſtituendam vnigenito vitam.* Vt vnigenitus erat filius viduæ, vnigeniti Mariæ referens ſimilitudinem, inde habuit poſſe in vitam reſurgere. Nunquam enim à Ieſu non venit vita in ſibi ſimiles.

Baſil.

§. IV.

In iis, quæ Dei propria ſunt, cauendum eſt, ne tribui poſſint creaturis.

ET periculis obſitum ortum ſuum, & cantatiſſimam euaſionem narrans Moyſes, parentum ſuorum nomina diſſimulat. Solum enim ait: *Vir de domo Leui accepit vxorem ſtirpis ſuæ, quæ concepit, & peperit, &c.* Et cur non magis nominat Parentes ſuos? An pudet eos parentes habere, quorum nomina fugit? An ingratus parentibus nec meminit, qui vocarentur? Abſit hoc à tanto filio, ſed vt ortus ab vna patuit virtute diuina, ſic parentum nomina reticeit, ne aliquid videretur tribuere creaturis. Similiter philoſophabatur Paulus Oroſius lib 7.c.73. in ſummo Romani Imperij diſcrimine, quando per Rhadagaiſum tyrannum periclitabatur. Venerant tamen barbari reges Romanis in auxilium. Quid tunc? Ait Oroſius: *Adſunt Vldin, & Sarus Hunnorum, & Gothorum duces præſidio Romanorum. ſed non ſiuit Deus rem potentia ſua, virtutem hominum videri. Contertitum diuinitus Rhadagaiſum in Taſulanos montes egit, &c.* Expende illud, *Non ſiuit Deus rem potentia ſua, virtutem hominum videri*: quippe eo ſemper tendit diuinus ſpiritus, vt quod Dei poteſtatis eſt, non poſſit tribui humanis viribus. Meditatus Dominus Dauidis promotionē in regnū, 1. Reg. 16. ſic loquitur ad Samuelem: *Imple cornu tuum oleo, & veni: mittam te in Bethlehem ad Iſai, prouidi enim in filiis eius mihi regem.* Multi erāt filij Iſai, è quibus vnus ſolus erat à Samuele in regem dicitur vngēdus, nec tamē à Deo, quis iſte ſit, nec quod eius nomē, ſed ſinitur ire Samuel in incertum. Cur non deſignatur puer eligēdus ex nomine? Cur cauetur, ne Samuel ſciat, quis eſſet à ſe inungendus? Quando Dauidis electio, & promotio à ſolo Deo veniebat, meritò vel cognitio eius cauetur in Samuele, ne quid attribui poſſet hominum prouidentiæ. Ait D. Baſil. Seleuc. orat. 14. *O ſapientiam immortalem! O arcanam miraculi editionem! Et filium regis, non clare dixit: Vngatur mihi Rex Dauid, ſed prouidi in filiis Iſai. Ne humana videatur eſſe gratia vnctio.* Non equidem ſinit Deus rem potentiæ ſuæ, virtutem, aut fauorem hominū videri. Hinc pugnaturo Dauid aduerſus Philiſthæos. 2. Reg. 5. ait Dominus: *Nō aſcēdas obuiam eis, ſed gyra poſt tergum eorū, & venies ad eos ex aduerſo pyrorum. Et cum audieris ſonitum clamoris gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium, quia tunc egredietur Dominus, &c.* Quæ verba non paruam quæſtionem fecerunt Abulenſi, cur nimirum Dauid non permittatur pugnare, antequam audiat ſonitum in cacumine pyrorum? An id factum ſuit, quia de Aſtrologorum more obſeruandæ ſunt fauſtæ horæ, in quibus perſuadentur futuri euentus boni? Quod ſi hæc à fidelibus minimè eredenda, nec ſpectanda ſunt: cur Dauid cohibetur à pugna vſque ad illius ſonitus horam? Sane non permittitur Dauid pugnare, niſi in illo determinato ſonitus diuini puncto; ne ſibi poſſet Dauid attribuere victoriam, ſed Deo auxiliatori. Quo reſpiciens Theodor. quæſt. 19. in præſenti, fatur: *Sapientiſſimus pædotriba Dauidem in virtute exercet, & ſuadet, ne ſuis viribus fidat, ſed eius expectet auxilium. Nam quando, inquit, videris ſyluas ſua ſponte moueri abſque vento, tum deſcende ad bellum. tunc egredietur Dominus.* Decernit maximus Dominus, & belli dux horam pugnæ, eiuſque momentum præfigit, ne cui alteri, quam eius auxilio, & potentiæ tribuatur victoria. Pro quo defectum vini in nuptiis repræſentanti Mariæ Ioan. cap. 2. reſpondit Dominus: *Quid mihi, & tibi mulier? Nondum venit hora mea.* Mulierem vocas, quaſi alienam excipis Mariam, ô bone? An neſcis eſſe matrem tuam? cur ſic diſſimulas, & matris nomen, & amorem, & oſtendis rei petitæ præfixam eſſe a te horam? An quia in alia hora vel petente matre nihil facere potes? Abſit, ſed & horam præfixam oſtendit, & matrem diſſimulat, non ſinens rem faciendam à potentia diuina, hominum virtutem videri, aut fauorem. Pulchrè D. Aug. tract. 8. in Ioan. *Tanquam non agneſcis viſcera humana operaturus facta diuina.* Vbi erant diuinitatis facinora euulganda, vel ipſa materna non agnoſcit viſcera; nequit enim Deus rem potentiæ ſuæ, reputari hominum virtutem. Ideo puerulus Dauid pugnaturus cum Goliath, cum Saulis armis eſſet munitus, 1. Reg. 17. *Depoſuit ea.* Cur in tanto diſcrimine arma deponit? Ait D. Baſil. Seleuc. orat. 15. *Nihil tibi huiuſmodi opus armis, quæ partem gloriæ bellicæ ſibi arrogent. Ne victoriæ gloriam ad ſe trahat armorum potentia.* Sic ibi.

Oroſius. 1. Regum 16. Baſil. Sel. 2. Reg. 5. Ioan. 2. Auguſt. 1. Regum 17. Baſil.

§. V.

Vſque ad Chriſtum virginitatis perpetuæ virtus incognita fuit.

MIrabar à Moyſe ampliores non redditas gratias ſorori ſolicitæ de ſua incolumitate, eius ſaltem nobis proponendo virtutes. Solum enim ait, *ſtante procul ſorore eius, & conſiderante euentum rei.* Et quidem virguncula tunc erat ſoror Moyſis, & in æuum virgo permanſit, vt author eſt D. Ambr. aliique Patres. Cur id non laudauit in ſorore ſua Moyſes? Cur non dixit, quod puella, & virgo ſoror ſtabat pro puero ſolicita, ſic eius ſolicitudinem gratificans, vt ſimul eius prædicaret virtutem virgineam? Sanè non erat integritas virginalis priſcis temporibus in numero virtutum, nec æſtimata, imo nec cognita fuit ab vllo vſque ad Chriſtum. Quod multis iam probatum ſupra lib. 1. ſingulariter confirmat D. Athanaſ. de Incarnatione Verbi Dei, explicans quæ noua, & à nullo excogitata induxerit mundo Chriſtus. Ait enim: *Quis igitur hominum vel poſt mortem, vel in vita author ſeruandæ virginitatis fuit? ac non contra arbitratus eſt, eam virtutem præſtari non poſſe? Attamen noſter Saluator, & omnium rex Chriſtus tantum valuit in huiuſmodi præceptis, vt pueri nondum maturi legum diſciplina, virginitatem, quæ ſupra leges eſt, profiteantur.* Itaque de mente magni Athanaſij, quam nullus antea coluit virtutem virgineam, imo quam omnes antea putarunt impoſſibilem, vnus & coluit, & perſuaſit hominibus Dominus, & Saluator noſter Chriſtus. Et quis magno Athanaſio, Ioannem Ieroſolymitanum, & ſimiles aliter ſentientes opponat? imperterrito Chriſti aduerſus mundum Chriſtianorum propugnatori hominem non tot doctrinæ ſudoribus clarum? Sed, & Athanaſio clariſſimus in Cōcilio Epheſino Sanctus Proclus ſubſcripſit, qui homil. de Transfiguratione, hinc præfert Chriſtum Moyſi, & Eliæ, dicens: *Hic eſt filius meus dilectus, non Moyſes, non Elias, ſed hic, nempe Chriſtus: non alius, non aliud, ſed hic vnus, & idem, hic in quo acquieui, ipſum audite. Iuſtus eſt Moyſes: verùm in hoc acquieui. Eliam ignei curru ſubuectum recepi, ſed hunc miſi virginem tanquam in cœlo ex virgine natum, in idem cœlum. Nullus enim, inquit, aſcendit in cœlum niſi qui deſcendit è cœlo.* Ecce tibi in quo Chriſtus extollatur etiam ſupra Eliam; quia licet Elias curru vectus in cœlum ſit; at Ieſus Virgo miſſus, & natus ex Virginē in cœlum fuit aſſumptus. Quaſi currui igneo Eliæ opponat Chriſti virginitatem, quæ vt ſola ſplenduit in Chriſto, ſic vel ex hoc capite oſtendit illum ſublimiorem Elia. Nec vacat repetere dicta in rem præſentem tom. 1. in vetus Teſtamentum contentus iis duobus patribus & antiquiſſimis, & pro Chriſto vbique propugnatoribus inuictiſſimis, qui virginitatem ex affectu virtutis cultam ſolum agnouerunt in Chriſto.

Athanaſ.

Exod. 2. Ecce autem deſcendebat filia Pharaonis, vt lauaretur in flumine, & puellæ eius gradiebantur per crepidinem aluei. Quæ cum vidiſſet fiſcellam in papyrione, miſit vnam è famulabus ſuis: & allatam aperiens, cernénſque in ea paruulum vagientem, miſerta eius ait; De infantibus Hebræorum eſt hic. Cui ſoror pueri: Vis, inquit, vt vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire poſſit infantulum? Reſpondit: Vade. Perrexit puella, & vocauit matrem ſuam. Ad quam loquuta filia Pharaonis: Accipe, ait, puerum iſtum, & nutri mihi.

Ego dabo tibi mercedem tuam. Suscepit mulier, & nutriuit puerum, adultumque tradidit filiæ Pharaonis. Quem illa adoptauit in locum filij, vocauítque nomen eius Moyses, dicens: Quia de aqua tuli eum.

§. VI.

Deus scit suis consulere, eâ viâ, quam nulla mens humana attingere valet.

PAtentes Moysis Ægyptiam aulam, totámque Pharaonis familiam verentes, puerulum filium Nili littoribus inter riparum virgulta exponunt, si forte vel apud pauperem piscatorem inueniat gratiam, qua de regio furore liber euadat. Quid tunc? Non piscator, non popularis aliquis Ægyptius, sed *ecce descendebat filia Pharaonis, vt lauaretur, &c.* & ipsissimi Pharaonis filia petens lauacrum puerulo salutem affert & incolumitatem. Vbi merito Lippomanus in cat. ait: *Lotionis casualis, & carnalis instituti opus, quis credidisset in operis diuini promotionem futurum?* Sane si mundi sapientes conuenirent in vnum, & toto sapientiæ conamine agerent, qualiter Deus posset puerulum Hebræum seruare ab ira regis incolumem, nullū adeò casuale, imo & contrarium medium pertingeret. Fiderent omnes piscatoris, aut fullonis accedentis ad flumen misericordiæ; at Deus non per istos, sed per casuale reginæ lauacrum puero parat salutem, vt ostendat, quàm possit suis prouidere ea via, quam nulla humana sapientia pertingit. Esurienti populo in deserto promiserat Deus carnium abundantiam mense integro. Tunc sapientissimus Moyses speculatus qualiter tot carnes dari possent, ait ad Dominum Numer. 11. *Sexcenta millia peditum huius populi sunt, & tu dicis: Dabo eis esum carnium mense integro? Nunquid ouium, & boum multitudo cædetur, vt possit sufficere ad cibum? Vel omnes pisces maris in vnum congregabuntur, vt eos satient?* Ecce tibi sapientia Moysis quousque peruenit, vt ingentem populi multitudinem crederet à Deo carnibus saturandam; si vel Dei potentissima virtus oues, bouesque pene innumeras quotidie cæderet, vel omnes pisces maris in cibos traheret. Quid tunc Deus? Ait textus: *Ventus autem egrediens à Domino arreptas trans mare coturnices detulit, & demisit in castra, &c.* Non boues, non arietes, non pisces parat Dominus populo suo, sed coturnicum tantam adducit multitudinem, quæ vel numerosiorem populum satiaret. Et cur relictis bobus, ac arietibus coturnices adducit, nisi vt ostendat, quam longe ab humana sapientia procedat diuinitas in suis saturandis? Ait D. August. lib. 1. de Mirab. sacræ Scripturæ cap. 17. *Et idcirco, vt nihil de iis, quæ Moysi mens fragilis, vt puta humana, arripuit, in pastum populi cederet, ventus à Domino egrediens arreptas trans mare coturnices ad castrorum loca detulit.* Non qua via cogitabat Moyses, Dominus suis prouidit; quin potius cauit nihil adducere de iis, quæ humana sapientia potuit pertingere; & cogitatas carnes boum, arietúmque contemnens, coturnices adduxit, quæ nullatenus in hominis mentem possent venire. Sic Deus scit suis prouidere eâ viâ, quam nulla humana sapientia pertingat. Et quidem prouisurus Israelitico populo regem, mittit Samuelem ad domum Isai, vt vnum de filiis eius regem designet. In re autem designandi regis, qui Israelem defendat, statim apparuit oculis humanis omnium aptissimus Eliab & natu primus, & robore, & elegantiâ corporis omnium facile princeps. Quem cùm Deus repulisset, & alios etiam fratres eius à parente in medium adductos, sciscitatus est Samuel, an alius aliquis remaneret filius. Ait enim text. 1. Reg. 16. *Dixitque Samuel ad Isai: Nunquid iam completi sunt filij? Qui respondit: Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oues.* Semel monitus Isai quos domi habebat, in medium adduxit filios, quibus adductis, imo & repulsis; substitit pater, nec alium prompsit filium; sed necessum fuit, vt Samuel iterum patrem vrgeret, & quæreret, an haberet alium, quem adduceret. Et cur necessum fuit, vt denuo pater vrgeretur ad adducendum Dauidem? Cur non magis paruulum manifestauit, vt ex se manifestauit cæteros? Nec affectus paternus, nec natura, nec prudentia humana cogitare poterat paruulum inter oues agentem populo Israelitico dandum esse regem, Deus autem per ea, quæ nec in cogitationem cadunt humanam, suis solet prouidere. Vt meritò diceret D. Basil. Seleuc. orat. 14. *Rex erat Dauid prophetica manu ad regnum prouectus, & cælesti approbatione dignitatem consecutus, subitoque primus fratrum comperiebatur, qui postremus, ordóque natura cedebat gratiæ. Arcana erant regni exordia, vtque ab ipsa natura eluebat imperium.* Sanè quod Dauid rex daretur Israelitis, nec natura, nec ratio, nec prudentia humana persuaderet; arcanum erat quidquid ad regni Israelitici exordium pertinebat. & tandem venit regnum, per quem nec ab ipsius parentibus sperari posse videretur. Nec absimile est, quod in ipso Dauide accidit, vt populus Philisthæo exprobrante liberaretur. Stabat Goliath in arena Israelitas exprobrans, aduersus quem Saul armatum produxerat exercitum: ad quem Isai valentiores filios misit, qui cum rege pugnarent, & Philisthæos delerent. Sed etiam misit paruulum Dauidem, qui fratribus portaret alimenta. Ait text. 1. Reg. c. 17. *Abierunt autem tres filij eius maiores post Saul in prælium: & nomina trium filiorum eius, qui perrexerunt ad bellum, Eliab primogenitus, & secundus Aminadab, tertius quoque Samma: : : Dixit autem Isai ad Dauidem filium suum. Accipe fratribus tuis ephi polentæ, & decem panes istos, & curre in castra ad fratres tuos, & decem formellas casei has deferes ad tribunum: & fratres tuos visitabis, &c.* Propone tibi modo ob oculos, hinc tres maiores filios Isai sub armis splendentes, cum ingenti Saulis exercitu aduersus Philisthæum stantes, illinc vnum paruulum Dauidem caseis, panibúsque onustum, vt cibaria pararet. Si tibi diceretur hostis ab vno horum esse trucidandus, quem tantæ gloriæ, tantæque saluti designares? Nonne milites armatos, & sub armis splendentes? Quis de aliis, quam de armatis illis tantam illam salutem posse venire cogitaret? Et Deus inter tot armatos vnum puerulum inermem elegit, & salutem dedit per eum, per quem à nullo posset cordato homine sperari. Bene Chrysost. in Psalm. 50. *Nunc Dei processit pastor ad pugnam. Et qui bello fuerant assueti, pauore tremebant, & iste, qui arboribus, & vmbra frondium delectabatur, cum vidisset alienigenam, irruit, &c.* Quando humana sapientia vocaret armatos milites, veteranos duces, eosque spectaret, vt posset viuere; Dei nutus pastorem agit in castra, & per pastorem, per quem minimè sperari poterat, Israelitis salutem causauit. Vt merito dicat Nazianzenus orat. 1. in Iulianum: *Deus potentes de sede deponit, & insuspicabilem diademate ornat.* Sic ibi.

Lippom. — Num. 11. — August. — 1. Reg. 16. — Basil. Sel. — 1. Reg. 17. — Chrysost. — Nazianz.

§. VII.

Vnus bonus filius valet parentes suos, vel aduersus naturæ leges lætificare, & ornare.

SVscepit Regina infantulum, & noscens Hebræum esse, decreuit tamen illum seruare. Magnum hoc fuit in Moyse, quod eius infantilis elegantia persecutoris filiam sui seruatricem faceret. Sed accipite quid maius: Videns rem soror pueri, Reginam adit, *Vis, inquit, vt vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire possit infantulum? Respondit: Vade. Perrexit puella, & vocauit matrem. Ad quam locuta filia Pharaonis, Accipe, ait, puerum istum, & nutri mihi, ego dabo tibi mercedem tuam. Suscepit mulier, &c.* Quid mirabilius? Quem parentes cogebantur abiicere filium, & orbitatem tristissimam pati, nunc absque vllo edicti obstaculo illum recipiunt lætantes, & regiis expensis alunt. Quid fœlicius? Quando alij edicto regio suos suffocabant filios, hi parētes regiis impensis suum filium viuificant, alunt. Sed non miror, erat enim filius eorum Moyses, puer elegans, & propter eminentes in infantili corpore virtutes diuinæ prouidentiæ traditus; vbi autem talis filius inuenitur, is valet vniuersos parentes, & maiores suos lętificare, & ornare. Lippom. in cat. fatur: *Quem exposuerant prouidentia Dei, ipsum recipiunt cum pace Regis, déque eius alimonia, non propriis impendiis alendum, sic, vt matris quoque vberibus restitueretur lactandus, quo quid erat mirabilius?* Sanè hæc efficiuntur miracula à filio, qui propter virtutes suas curæ est Deo; vt nimirum etiam contra vniuersas naturæ leges gratiarum, bonorumque priuilegia parentes ad se trahant. Thamaris partum referens Genes. 38. ait: *Apparuerunt gemini in vtero; atque in ipsa effusione infantium vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinum dicens: Iste egredietur prior. Illo verò retrahente manum, egressus est alter. Dixitque mulier: Quare diuisa est propter te maceria? Et ob hanc causam vocauit eum Phares. Postea egressus est frater eius, in cuius manu erat coccinum, quem appellauit Zara.* Ecce tibi & natura ipsa, & obstetrix nitebantur, vt Zara primogenituræ acciperet priuilegium, & Phares in secundis maneret. Sed aliter accidit, qui enim secundis seruabatur à natura, prior ortus de facto est, & primogenij prærogatiuam accepit. Et vnde Phares sibi primogenitum traxit ipsa naturæ lege obsistente, & repugnante? Futurus erat

Lippom. — Gen. 38.

erat illi filius Dauid, imò futurus erat illi filius Iesus; vbi autem tales filij ad partem Phares pertinebant, non mirum est, quod vel aduersus omnes naturæ leges gratiarum priuilegia omnia traherent ad parentem. Ait Diodorus in cat Græca.

Diodor.

Illud præcipue considerandum, quod Zoram natura primogenitum faciebat manum iam proferentem. Deus autem ad Phares contulit priuilegium: vnde Dauid, regiumque genus, & Christus ipse oriundus erat. Cui tanti filij erant dandi, prouidit Deus, vt repugnante ipsa natura, illustria gratiarum, & primogenij priuilegia darentur. Et quæ leges non rumpantur in parentibus honorandis, quibus sunt filij adeò strenui? Quo spectat illud Paul. ad Hebræos cap. 2. loquens de filio Dei, quod factus sit filius hominis:

2. ad Heb.

Vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit Itaque quando lex durissima & peccati, & seruitutis, sub qua tenebantur homines, abrumpenda erat, non sese naturæ Angelicæ copulauit Dei Verbum, sed Abrahæ semini, vt filius hominis fieret. Et cur magis amaret fieri filium hominum, quam Angelum, nisi quia filius bonus aptior videtur, vt parentum naturam ornet, liberétque ab omni seruitutis labe, infamiæque inquinamento? A quo non longe erat Chrysol. serm. 143. aiens:

Chrysol.

Quo nascendi necessitas Deo, cui suppetit faciendi potestas? Quo? vt ipsam naturam nascendo reficeret, quam fecerat operando, quia quæ facta fuerat, vt generaret ad vitam, generabat ad mortem. Per peccatum primi hominis natura lethale vulnus accepit, & cœpit esse origo mortis, quæ erat initium vitæ. Hoc est ergo negotium natiuitatis, quod nasci compulit Christum. Vt primorum parentum error captiuum sub mortis tyrannide, & peccati lege tenebat humanum genus: sic vt illam nostri generis oppressionem abrumperet, veniens Deus, adductus fuit vt ex homine nasceretur. Sic enim cõgruentissime seruitutis, & peccati leges à primis parentibus introductæ funditus possent euerti, quando tantus filius necessario extolleret genus suum, etiam quibuscumque legibus renitentibus. Nunquam enim boni filij non proficiunt parentibus. Post vituli adorationem iratus Moyses ait ad Aaron Exod. 32.

Exod. 32.

Quid tibi fecit hic populus, vt induceres super eum peccatum maximum? Hoc vnũ verbum asperum audio dictum ad Aaronem pro tanto peccato; de popularibus autem, *ceciderunt illa die quasi triginta millia hominum.* Et quæstio est, cur Aaron maiores pœnas non dederit? Pro quo ait Diodorus in cat. Græc. *Accessit Moysee maximus deprecator, & quos de lumbis Aaron Deus processuros videbat, Samuelem, Eliam, Ioannem Baptistam, quibus fuisse immemor Deus iniuriarum, virum absoluit.* Sic viri processuri de Aaron patrem liberarunt à pœna delicti.

§. VIII.

Fœminarum consilia raro non sunt exitialia propriæ familiæ.

NVtritum, alumque puerulum Moysem tradidit mater eius, & nutrix filiæ Pharaonis, *quem illa adoptauit in locum filij.* Et quale hoc consilium Reginæ in adoptando, & conseruando puerulo? Sanè parenti suo, & toti Ægypto exitialissimum fuit De quo D August. in cat.

August.

Dum paruulum seruat ignara, patrem decipit incauta. Dignum malitia eius erat, vt filio prouisione periret. Et quando fœminarum prouidentiæ, & consilia suis non attulerunt perniciem? Huc adducam Macronem illum Imperij Romani columen, qui toto conatu curauit, quod Tyberius Caium regno præficeret, à quo tota Macronis familia extincta fuit. Sed quomodo potuit fieri, quod Macro solertissimus vir tantam suæ domus extolleret perniciem? Id faciebant mulieris Macronis preces assiduæ. Ait enim Philo lib. de legat. ad Caium.

Philo.

Quidquid pro germanis fratribus ac filio afferri poterat, hoc totum, & amplius afferebat Macro pro Caio apud Tyberium. in causa fuerunt, non solum officia mutua, sed & vxor Macronis, quæ quotidie maritum incitabat, ne vllam occasionem fauoris, & iuuandi iuuenis prætermitteret. Veruntamen post non multos dies Macro infœlix sublatus est è medio vna cum vxore sua, extremã pœnã repensã sibi pro immodico studio, &c. Ecce tibi vxor Macronis virum stimulat, vt Caio faueat, à quo & ipsa, & vir misere trucidãtur in mercedem tanti beneficij. Solet enim sæpe fœminea prouidentia hanc eligere suis perniciem. Non absimile quid accidit. 4. Reg. cap. 11. vbi Athalia pessima occidebat omne semen regium, dicit enim textus:

4. Reg. 11.

Tollens autem Iosaba filia regis Ioram soror Ochoziæ Ioas filium Ochoziæ, furata est eum de medio filiorum regis, qui interficiebantur, & nutricem eius de triclinio: & abscondit eum à facie Athaliæ, vt non interficeretur. Eratque cum ea sex annis clam in domo Domini. Erat equidem Iosaba soror defuncti regis, & vxor summi sacerdotis Ioiadæ, & ideo facile potuit abscondere in templo regium infantulum. Sed cum plures essent filij regis, qui interficiebantur, erga nullum alium seruandum fuit solicita Iosaba, nisi erga hunc paruulum Ioas; in hoc vno seruando totam suam curam, & prouidentiam constituit. Et quidem hic vnus exitialis fuit mulieris familiæ, quando mariti sui filium Zachariam occidit. Ait enim 2. Paral. cap. 24.

2. Par. 24.

Et non est recordatus Ioas rex misericordiæ, quam fecerat Ioiada pater illius, nempe Zachariæ, *secum, sed interfecit filium eius.* Sic mulieris consilium, & prouidentia in suorum exitium solent ruere. Quod sapienter notans D. Athanas. orat. contra Idola, gentes irridet, quæ de fœmineis numinibus sperabant auxilium. Ait enim:

Athan.

Vtinam intra mares studium istud veteris idololatriæ constitisset, neque fœminis detulissent diuinum nomen. Nam & fœminas, quas neque ad commune de republica consilium, tutum est admittere, illas ipsas Deorum religione, vt numina venerantur. Quid stultius? Putant esse diuinitatem in fœminis, quarum prouidentiæ, & consilia suspecta debent esse in qualibet ordinata Republica, vt quæ semper in exitialia inclinent. Qui ergo vel domui, vel Reipublicæ, vel regno amat prouidere, caueat fœminea consilia, caueat fœminarum prouidentiam, nisi forte aliquam virginitatis gloria illustrem inuenerit: quo enim virginitas remotior est à fœminea fragilitate, eo aptiorem ostendit alumnam suam moderando imperio. Quo spectauit D. Cyril. Alex. lib. de recta in Deum fide ad Theodosium, dicens Imperatori:

D. Cyril.

Interior, nostro quomodo, vt recta fides Canonem ab Apostolis traditum, & commentariolo hoc breuiter comprehensum, velut spirituale quoddam Xenium, cum vestra maiestati, cum ipsis quoque Reginis vera pietatis studiosissimis offeram, vt quæ ambæ vna cum vestra serenitate totuscent, insigniterque floreant. Altera enim sobole vobis exoptatissima fœlix regni vestri sceptris perpetua successionis spem adfert: altera verò inter virgineas gemmas sensim adolescens regas vestri præclarissimi curam vobiscum communes habet. Expende nouum quid, & raro, aut nunquam exauditum à Theodosio Imperatore peractum. Ad regni curas fœminam euocauit, cum illaque partitus est totius imperij solicitudines: sed quæ hæc fœmina? An eius vxor? Habebat quidem vxorem piétissimam, sed relicta vxore filiorum educandorum curis, virginitate conspicuam sororem conspicatus, quam virginem nouit, non dubitauit ad regni curas vocare, nihil timens fœmineæ infœlicitatis, in ea, quæ virgineo splendore radiabat.

§. IX.

Præclari gubernatores in regum aulis debent educari.

QVem primum saluatorem, & gubernatorem populi sui Dominus erigebat, vide, qualem illi educationem parabat, nimirum qualis habetur in magni principis aula. Ait enim textus: *Adultum tradidit filiæ Pharaonis, quæ illum adoptauit in locum filij.* Non passus est Deus, vt, qui futurus erat tanti populi gubernator, in domo priuata, inter priuatos parentes adolesceret, sed quod iam puer raperetur ad aulam, vbi commodius in præclarum gubernatorem figuraretur. Rem ponderans Lippom in Cat. ait:

Lippom.

Tantum absuit, vt Moyses perire potuerit per Regis crudelitatem, vt ipsum quoque intra regiam aulam suam educari oportuerit. Intra aulam certe proficere commodius potuit scientia rerum multarum ob consortia sapientum, experientia rerum omnium, & potentia rerum agendarum. Variarum rerum notitia, & experientia & industria agendorum, quæ gubernatori optimo necessaria sunt, non in priuatis domibus, nec in priuatis studiis, sed in aulæ negotiis commodius, & citius addiscuntur. Et mirum erit, si ad clauum regni vtilis accedat, qui aliunde, & non de aulæ medio, de curiæ negotiis fuerit assumptus? Componite primos Israelitarum reges, alter fuit Saul, alter Dauid, vterque è priuata domo vocatus ad regnum fuit; Saul, dum asinas patris quærit; Dauid, dum paucas pascit ouiculas. At Saul sic se gessit in regni administratione, vt regnum amitteret; Dauid autem & strenue regnat, & solium suum in sæcula stabiliuit. Et vnde tam bonus Dauid in regno, & tam malus Saul? Hoc vnum inuenio in illis discrimẽ, quod Saul è priuato designatus ad regnum, statim eius administrationem inbit, nullius alterius regis curiam, nullius alterius aulam intrans, nec videns. Ait textus 1. Reg. cap. 10. *Tulerunt eum inde:* nempe Saulem de domo

1. Reg. 10.

priuata,

priuata, in qua latebat, *stetitque in medio populi, & altior fuit vniuerso populo ab humero, & sursum. Et ait Samuel ad omnem populum: Certe videtis, quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo. Et clamauit omnis populus: Viuat Rex::: Sed & Saul abiit in domum suam in Gabaa, & abiit cum eo pars exercitus, &c.* Expende, vt priuatus homo, & è priuata domo in regnum assumitur, & vt statim ipse in priuata domo exercitus administrationem, & regni gubernaculum sumit. Dauid autem cum electus ad regnum ageret puer in domo paterna, dexteritatis in pulsanda cithara occasione ad aulam Saulis euocatus fuit. Sic 1 Reg. 16 *Misit ergo Saul ad Isai nuntios, dicens: Mitte ad me filium tuum Dauid, qui est in pascuis. Et venit Dauid ad Saul, & stetit coram eo. at ille dilexit eum nimis, & factus est eius armiger.* Et quãdo Saul designatus ad regnum, ad nullius regis aulam vocatur, sed subito è priuata domo, belli, pacisque regni negotiis præponitur, cur & Dauid non similiter regno inseritur? Cur magis prouidit Deus in Dauide, quod post vnctionem, antequam regnum caperet, in aulam regis Saulis vocaretur, ibique moraretur Regi factus familiaris, & principibus? Sane, vt sapienter Salianus notabat, in Dauide is formabatur gubernator, qui regnum Israeliticum promoueret, in immensumque erigeret, ideò prouisum est, vt in aula adolesceret, & inter regni negotia, pacis, bellique rationes, & cuncta, experientia duce perdisceret. Aliter in Saule formabatur gubernator, qui regnum perderet; ideò non miror, quod de priuatis negotiis assumatur, & subitò ingeratur regni negotiis communibus: & antequam aulæ gustum perciperet, nec Regiam vllam videret, iam clauum totius haberet Reipublicæ. Hinc etiam Gen. 39 dicitur. *Ioseph ductus est in Ægyptum, emitque eum Putiphar Eunuchus Pharaonis, princeps exercitus sui::: Inuenitque Ioseph gratiam coram Domino suo, & ministrabat ei, à quo præpositus omnibus gubernabat creditam sibi domum, &c.* Vide, vt Deus non permisit Iosephum diutius morari apud mercatores, sed illum in domum principis duxit, ibique illi totius palatij curam dedit. Et cur hæc, nisi quia ordinabatur ad administrationem regni Ægypti? Nazianzen. orat. 1. in Iulian. *Ioseph dum venderetur, & amaretur, & liberaretur, & potentiam obtineret, maiorisque dispensationis causa, dispensatoris munere fungeretur.* Expende illud, *maioris dispensationis causa, &c.* vt enim ad magni regni administrationem ducebatur; sic debuit in principis minoris aula exerceri.

1. Reg. 16. *Gen. 39.* *Nazian.*

Exod. 2. In diebus illis, postquam creuerat Moyses, egressus ad fratres suos, vidit afflictionem eorum, & virum Ægyptium percutientem quendam de Hebræis fratribus suis. Cumque circumspexisset huc, atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo. Et egressus die altero conspexit duos Hebræos rixantes, dixitque ei, qui faciebat iniuriam. Quare percutis proximum tuum? Qui respondit: Quis te constituit principem, & iudicem super nos? Num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium? Timuit Moyses, & ait: Quomodo palam factum est verbum istud.

§. X.

Potentia fœmineo nitens fauore nunquam non terribilis, crudelisque.

Miraris Moysem ob lenitatem, & mansuetudinem carissimum, quod dum adhuc aulam Ægypti inhabitat, sub regiaque ibi splendet dignitate, filiæ Pharaonis filius adoptatus, tam subita exardescat ira in Ægyptios, vt Ægyptium morte percutiat, & sepeliat sabulo. Ait enim textus: *Percussum Ægyptium abscondit sabulo.* Vnde hanc duritiem sanguinolentam concepit vir alioquin mitissimus? Nonne vt princeps Ægyptiorum erat, in illoque regno potentissimus & percutientem Aegyptium posset mitius corrigere, & Hebræum percussum liberare? Cur maluit reus videri Aegyptij sanguinis, qui ad eorum imperium designabatur? Erat tota illa Moysis in Aegypto potentia in fauore filiæ Pharaonis fundata, & quando quidquid Moyses valet, in fœmineo fauore fundatur, non miror, quod eius valentia sanguinolenta sit, & tota terribilis appareat. Me in hanc cogitationem coniecit D. Athanas. qui epist. ad solitariam vitam agentes de Eusebianis Hæreticis locutus sic fatur. *Eusebiani contra, neque causam dixerunt, neque de impietate scriptorum suorum consilij pudore repressi sunt, sed potius grauius in omnes sæuierunt, & quia per fœminas ad Cæsarem commendationem habent, cunctis se terribiles præbuere.* Expende ab illis, *& quia per fœminas, &c.* fœminarum enim fauore adiuti Eusebiani apud Cæsarem valebant, ex quo nullam non sæuitiam, & crudelitatem in alios imbibebant. Compone modo id quod accidit 4. Regum, cap. 6. cum eo quod accidit Esther. cap. 9. Ibi Israelitarum hostes infensissimi, nimirum exercitus Syrorum nescientes adducti sunt per Elisæum in ciuitatem Samariæ, ibique clausi tenebantur, vt facili negotio possent interfici ab Israelitis. At Israelitæ de consilio Elisæi hostibus pepercerunt, imò illos cibarunt, vt læti, & saturi redirent in patriam. Ait enim textus 4. Reg. cap. 6. *Appositaque est eis ciborum magna præparatio, & comederunt, & biberunt, & dimisit eos, abieruntque ad dominum suum.* Longe aliter se gesserunt Iudæi cum hostibus suis, Esther. cap. 9. vbi ait: *Per omnes prouincias, quæ ditioni regis subiacebant, pro animabus suis steterunt Iudæi interfectis hostibus, ac persecutoribus suis: in tantum vt septuaginta quinque millia occisorum implerentur, &c.* Et vnde natum est tantum discrimen in Israelitis; vt qui tunc adeo lenes fuissent in hostes, nũc adeo essent seueri, & rigidi? Tunc nullus Iudæus, cum facile posset, ausus est hostẽ lædere, nunc in tot millia sic sæuierunt, vt nullum permitterent viuere. Vnde hoc? Sane in primo Iudæorum valentia in hostes nitebatur in Elisæo propheta, in secundo autem nitebatur in Esthere Regina. Nec miror, quod viri alioqui mites, vbi per fœminam valebant, rigidi apparerent, & terribiles. Hinc Genes. cap. 4. *Dixit Lamech vxoribus suis Ada, & Sella: Audite vocem meam vxores Lamech, auscultate sermonem meum. Quoniam occidi virum, &c.* Et cur Lamech cum vxoribus suis agit de homicidio a se perpetrato, quod vt memorat, non vnam vxorem, sed plures à se habitas ostendit? Crediderim inde voluisse Dominum monstrare, quam iunctus sit homicida, & crudelis animus cum ingenio ad mulieres currente. Quo respiciebat D. Hieronym. lib. 1 in Iouinian. fatus: *Primus igitur Lamech sanguinarius, atque homicida vnam carnem in duas diuisit vxores.* Quando a Deo vna fœmina data est homini in adiutorium, Lamech fœminarum primus multiplicauit adiutoria, Lamech, inquam, sanguinarius, & homicida. Nequiuit enim fieri, vt qui fœminarum multiplicabat sibi adiutoria, non simul laboraret crudelitate in alios homines. Vt dicat Esdras lib. 3. cap. 4 *Oportet vos scire, quoniam mulieres dominantur vestri. Nonne doletis? Et accepit homo gladium suum; & vadit in viam facere furta, & homicidia, & mare nauigare, & flumina, & leonem videt, & in tenebris ingreditur, & cum furtum fecerit, & fraudes, & rapinas amabili sua affert.* Ecce tibi, vbi homines sese mulieribus addicunt, in quæ ferantur, nimirum in gladios, in furta, in rapinas, in homicidia, quasi in his solum debeant fœminæ pasci.

Athan. *4. Reg. 6.* *Esther 9.* *Gen. 4.* *D. Hier.* *3. Esdr. 4.*

§. XI.

Sapientes principes maxime cauere, & vereri debent potestate vti absoluta in moderanda Reipub.

Sto à sententia communi Doctorum asserentium Moysem licite mortem intulisse Aegyptio, tum quia à Deo designatus iam erat defensor Israelitarum; tùm quia habitus Pharaonis nepos, & regni hæres, cuius erat punire eum, qui coram se tam impudenter peccabat. Quam sententiam cum suis authoribus refert, & sequitur noster Salian. anno 2503. in 2. tom. Annal. Quo supposito notanda sunt illa verba textus, nimirum: *Cúmque circumspexisset huc, atque illuc, & nullum adesse vidisset, &c.* Non enim antea ausus est percutere Aegyptium, quam certus fieret, quod à nemine videretur. Quod grauem, & elegantem facit quæstionem, cur nimirum Moyses, quando à Deo erat designatus defensor Israelitarum, & Aegypti princeps erat, quibus è capitibus licitè percutere poterat in scelere deprehensum reum; cur, inquam, sic cauit, sic veritus est ab aliis in hac punitione cerni? Cur ô bone, cum princeps sis, vereris manifestum reum punire? Puniebat Moyses reum non iuxta leges ordinarias, quæ præscribebant modũ puniendi, iuxta quas ordinarie puniebantur rei à Rege, & à iudicibus;

Salian.

sed Moyses iis minime expectatis, absoluta vtens potestate, reum manifestum puniebat, quod absolute reges facere possent. At bonus, & sapiens Princeps vbi ad potentiam absolutam exercendam accedit, merito cauet, & veretur videri; nunquam enim non est sapientis principis cauere, & vereri vti absoluta potentia. Hinc commendat Ierem. cap. 23. cantatissimum hominum principem Iesum, fatus. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum: & regnabit rex, & sapiens erit.* Chaldæus legit; *Suscitabo Dauidi Messiam,* ita & D. Hieron. Theodor. Raban. & cum omnibus Hebræis Vatablus: datur enim ibi aperta promissio de excitando Saluatore in domo Dauid, de eius lumbis, qui sapientissimi regis impleat munus. Sed expende, quod ponatur fundamentum sapientissimi regni, imo & fœlicissimi, nimirum, *germen iustum.* Et cur germen iustum, & non magia dicitur germen potens? Quasi in eo res consistat, quod princeps creaturarum Iesus sapientiam, & fœlicitatem ostendat suam, quod non potenter, sed iure velit etiam cum hostibus confligere; & ideo, qui erat Deus, factus est Dauidis filius. Rem pulchre edisserit Euseb. Gallicanus homil. 6. de Paschate, inquiens: *Quid est, quod semetipsam diuinitas exinaniuit? Non poterat, per potentiam brachij sui liberare à potestate diaboli hominem suum, vt necessum non haberet humanum corpus assumere? Sed non debebat homo per potentiam quasi innocens liberari. Conditio enim humana, quæ per peccatum primi hominis tenebatur obnoxia, non imperio erat eruenda, sed pretio. Potuit filius Dei, hostem humani generis & in cælo positus, nutu ipso diuinitatis elidere; sed ne quid talis Diabolus conqueri posset, placuit Deo secundum iustitiam suam pro humano genere offerre filium, &c.* Potentissimus Deus cauit sua potentia absoluta vti, vt spoliaret tenebrarum principem, & quando per potentiam illum absolute spoliare posset, à potentia abstinuit, & ad bellum descendit iustitiæ, ne querimoniæ maneret locus vllus. Vtinam hanc ex Deo imbibant mentem mundi principes, & sic agant cum subditis, vt caueant potestate vti absoluta, sed malint in legalia fori descendere iura. O quam obstrueretur locus querelis! O quam pacate tenerentur regna, & quam augerentur tranquille! Vbi serpens antiquus homines sibi rapuit in paradiso, ait Dominus ad illum præmonstrans Mariam Genes. cap. 3. *Ipsa conteret caput tuum,* in tempus futurum reiiciens curationem illius vulneris. Sed cum id ipse statim facere potuit, & dæmonem spoliare, vel antequam vllus hominum intraret tenebrosum carcerem ipsius, cur maluit tot sæcula expectare, vt carcerem confringeret? Nonne id tunc potuit præstare? Potuit equidem id Deus facere, sed esset maximam inferre violentiam tyranno; quare iustissimus, sapientissimúsque princeps maluit expectare moras iustitiæ, quam pro potestate inferre violentiam vllam. Ait D. August. quæst. 83. ex nouo Testamento. *Saluator inter ipsa primordia venire non debuit. Tunc enim diabolus superato homine triumphauit: hic victus genus suum subiecit peccato. Quamobrem iniustum erat victori violenter auferre spolia, quia Deus quod facit, iuste facit. Quanquam enim omnia possit Deus, illud facit, quod conuenit rationi, vt irreprehensibilis perseueret.* Hæc sit sapientis principis forma, ne solum spectet, quod potest, sed quod sine violentia, & querimoniis potest. Et quamuis omnia absolute possit, illa semper caueat, quæ violentiam sonant, quæ non venient ad effectum sine querimoniis. Fallar enim si quid perniciosius est principi in regni administratione, quam si solum respiciat ad id quod absolutè potest. Vnde Diodor. Sicul. lib. 1. Histor. in Rege Ægyptio præclarissimè omnium depingit gubernatorem. Quippe ait: *Primi Ægyptiorum reges non pro cæterorum vsitato Monarcharum vitam agebant, vt omnia scilicet, ad suum arbitrium, nullis obnoxij censuris moderarentur. Sed vniuersa, non modo publicè gerenda, sed & quotidiana vitæ regimen, & victus ratio ad legum normam conformata erant.* Et nullus vnquam sapiens imperium daturum constituit, quin principem non adstringeret legibus, ne pro potestate operaretur.

Ierem. 23.

Euseb.

Gen. 3.

August.

Diodor.

§. XI.

Præstantissimi gubernatoris est cauere verba contumeliosa in corrigendo fratre, & subdito.

OBserua optimi gubernatoris indolem in Moyse Hebræos rixantes corripiente, ait enim textus: *Conspexit duos Hebræos rixantes, dixitque ei, qui faciebat iniuriam: Quare percutis proximum tuum?* Nullo ignominiæ vocabulo reum percutit, solum crimen illi obiicit, omni ablato exaggerationum strepitu, nullúmque verbum promit, quod reum exacerbare, & maculare queat. Quantum hoc præstantiæ in gubernatore? Hinc Cassiodor. lib. 10. var. 7. extulit quendam Patritium fatus: *Certaminibus eius modestia semper affuit: dicendi calore raptatus studuit laudabilibus inuentis: non quod plerique faciunt, vacauit iniuriis, qui sic perorauit causas sub tranquillitate, vt mores proprios semper assereres.* Odi in Præsulibus, in patribusfamilias, quod nesciant ad vitia carpenda accendi, quin fœdissimarum rerum vocabulis feriant subditos, in hoc cochlearum fere nihil dissimiles, quæ dum commouentur, nihil non fœdum voluunt, nihil non fœtidum spirant. Aliter præstantes homines, etiam corripiendi calore raptati, nulla non inueniunt verba laudabilia, quia nihil intrinsecus retinent non pellucidum, non tranquillum. Quod si reus aliquis ignominiosis debebat percuti vocabulis, is erat crudelissimus ille epulo, qui post despectum Lazarum, cum in tormentis esset, clamabat Luc. cap. 16. *Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam.* Sic miser, vt dolores Lazari despexerat, nitebatur & eius requiem turbare semper crudelis in illum. Cui tamen respondit Abraham: *Fili recordare, quia recepisti bona.* Quid tranquillius? Nequissimum pauperum verberonem & corripit, & vocat filium, cauens vel in illum iaculari contumeliosum verbum, in quem meriti iaculabantur ignes. Hinc D. Chrysostom. concion. 2. de Lazaro, inquit: *Vide philosophiam, vide humanitatem iusti. Non dixit, inhumane, crudelis, sceleratissime, cùm tam multis commiseris in hominem, nunc mentionem nobis facis misericordiæ? Non pudet? Non erubescis? Sed quid dixit? Fili, inquit, recepisti bona.* Hæc est magnorum gubernatorum, & Patrumfamiliâs philosophia præstantissima; quod in corrigendis ab omni verbo contumeliæ abstineant, sed semper studeant inuentis laudabilibus. Non aliter Iosue cap. 7. locutus cum Acham per sortes diuinitus reo deprehenso, & authore calamitatis Israeliticæ apud Iericho, ait illi: *Fili mi, da gloriam Deo, & confitere, atque indica mihi, quid feceris.* Authorem calamitatis noscit, & filium vocat, cur non magis acerbis illum verbis impetit? Ait Carthusianus ibi: *Sanctus Iosue vir discretus, ac mansuetus, non turbulenter, sed piè, ac mitè primo alloquitur eum, ne ex dura allocutione perterritus, aut exacerbatus non acquiescat veram dare responsionem.* Equidem bonus præsul etiam inter apertissima subditorum crimina nihil agit turbulenter, nec voce tonat, nec verbis fulminat, sed tranquillè, & placidè conuenit reum, illumque sceleris admonet, & correctionem expectat.

Cassiod.

Luc. 16.

Chrysost.

Iosue 7.

Carthus.

§. XII.

In potestate humana nihil prius apparet, quam mortis rigor, in diuinâ lenitas, mansuetudo.

NOn præteribo hominis Hebræi argumentum Moysi obiectum, dum inquit: *Quis te constituit principem, & iudicem super nos? Nunquid occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium?* Duo illi obiicit iratus homo & iudiciariæ potestatis præsumptionem, & homicidij voluntatem. Quod ad occisionem inclinet, non improbabiliter colligit ex præcedenti Ægyptij occisione peracta à Moyse: vt enim Ægyptius occisus fuit à Moyse, ea solum ratione, quod visus est iniuriam facere Hebræo; sic non absurde suspicatur iste similem iniuriam inferens se posse vocari in mortem. Vnde voluntatem occisionis non prorsus improbabiliter ex præcedenti facto obiiciebat Moysi. At iudiciariæ potestatis præsumptionem in Moyse fuisse vnde colligere iste potuit? Non quidem ex verbis, quando hæc mitissima, & simplicissima fuere, solum enim dixit, *Quare percutis proximũ tuum?* Hoc autem quilibet priuatus homo & dicere, & interrogare posset. Vnde ergo potuit iste colligere in Moyse potestatis præsumptionẽ? Sanè id collegit ex notissima mansuetudine Moysis, & Ægyptij ab illo peracta occisione, sola enim præsumptio potestatis posset hominem adeo mitẽ trahere in sanguinis effusionem. Sicut enim potestas diuina ex lenitate, sic potestas humana ex sanguinolento rigore noscitur. Huc reuoco compositionem illam Mosayci tabernaculi, in quo duo altaria erãt, aliud interius, in quo adolebantur incensa, aliud exterius, in quo victimæ cremabantur. Illud aureum erat, hoc æreum; de vtroque, Num. 4. ait Dominus: *Necnon altare aureum inuoluent hyacinthino vestimento: sed & altare mundabunt cinere, & inuoluent illud purpureo vestimento.* Aureum & interius altare hyacinthinis velari iubet, exterius & æreum altare purpureis.

Num. 4.

Et

Et cur hyacinthinus color fulgeret ab interno altari, purpureus ab exteriori? Pulchram rei cauſam offert Theodoret. in caten. Græca, fatus: *In penetralibus hyacinthinus color renidebat, cœlum indicans, vbi nulla ſupplicia delictorum mandantur: extrinſecus purpura fulgebat, inſigne terrenæ poteſtatis, quæ ſcelera ſanguine ſolet expiare.* Et merito nihil ſanguinolentum oſtenditur intrinſecus, vbi ſignatur poteſtas cœleſtis, & diuina: vbi autem terrenæ poteſtatis aſſerebatur inſigne, iam ibi purpureus, ſanguineusve color affulget, vt quæ per ſanguinis effuſionem expiet crimina. Vbi ergo ſanguinolentum quid affulget; terrena ibi agnoſcitur poteſtas, non cœleſtis, neque diuina, quæ magis in lenitudinem inclinat. Hinc 3. Reg. cap. 17. vt percutiantur Iſraelitæ, ait Elias: *Viuit Dominus Deus Iſrael, in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his ros, & pluuia, niſi iuxta oris mei verba.* Et ros, & pluuia res erant poteſtatis cœleſtis, cur Elias illa proprio arbitrio nititur regere? Cur non magis illa in Dei arbitrio ponuntur, quam in hominis placito? Quærebatur poteſtas, quæ feriret rigoroſe reos, & inde Deus ſuam cauit poteſtatem, & res cœleſtes permiſit poteſtati terrenæ. Ait D. Baſil. Seleucienſis orat. 11. *Reuerſus ſiquidem Deus eſt ardorem charitatis ſuæ, & Eliæ creaturæ habenas permiſit.* Vbi ſupplicium erat inferendum, ſuæ charitatis ardorem cauit Deus, & rerum poteſtatem permiſit Eliæ: neſcit enim humana poteſtas inter reos verſari ſine gladio, ſine ſanguine, ſine vulnere. Vnde in Thaboris gloria ad mundi iudicis conſpectum dulcedine madidus Petrus clamat Matth. cap. 17. *Domine, bonum eſt nos hic eſſe. Faciamus tria tabernacula, tibi vnum, & Moyſi vnum, & Eliæ vnum.* Quem ſic loquentem inſcitiæ damnat D. Lucas cap. 9. Et cur Petrus damnatur inſcitiæ in hac poſtulatione? Merito inſcitiæ damnatur, dum Moyſis poteſtatem eiuſdem rationis putat eſſe cum poteſtate Chriſti: quando Moyſes accepta poteſtatis virga ipſum mare percutit, & acri verbere in partes diuidit; Ieſus autem nec inter tumentes fluctus nimiam nouit cauſare ſciſſuram. Pulchrè ad hæc Proclus ſerm. de Transfig. inquit: *O Petre diſcipulorum caput, & anteſignane, quid humili intellectu, & humana cogitatione tot diuinos inſanias, & tria tabernacula te excitaturum dicis? Seruos pares cum domino conſtituis dignitate & honore? Num Moyſes, & Elias legiones dæmonum ex hominibus eiecerunt? Moyſes aliquando iratus eſt, & baculo percutiens mare diuiſit: tuus vero Magiſter Deus ſuper mare ambulans tibi Petre profundum peruium fecit.* Expende diſcrimen Moyſis, & Chriſti euidentiſſimum, ambo poteſtatem habent in mare, ſed Chriſtus tempeſtate commotos fluctus ingreditur, & fluctus componit, & nec minimum illis ſciſſuræ ſignum imprimit; Moyſes autem poteſtatis virgam exerens, & mare percutit, & fluctus verberat, & partes ſecat. Neſcit equidem humana poteſtas non ſe oſtendere à diuina diuerſam ex percuſſione, ex verbere. Quam differentiam præclare attigit in Elia, & Deo ſuſtollente Eliam de mundo, 4. Reg. cap. 2. D. Baſilius Seleuc. orat. 11. apud quem ſic Deus fatur rationem reddens, cur Eliam tollat: *Tibi peccantes cernere graue ſpectaculum, mihi vero qui ſum Dominus, lex de humanitate ſcripta eſt, me ipſum debitorem clementiæ conſtituo.* Sic ibi oſtenditur, vt homo de rigore, Deus de humanitate ſibi leges faciant.

Theodor. — *3. Reg. 17.* — *Baſil.* — *Matth. 17.* — *Procl.* — *4. Reg. 2.* — *Baſil. Sel.*

§. XIII.

Poteſtas in alios nunquam exercetur ſine periculis, ſine diſcriminibus.

ILlud in præſenti maxime ponderandum eſt, quod ait textus: *Timuit Moyſes, & ait: Quomodo palam factum eſt verbum iſtud?* Et quidem quadraginta annos Moyſes ante hæc vixerat, & ſi credimus Ioſepho, & Philoni, multa patrarat facinora, in nullum tamen timorem dicitur incidiſſe, vſque dum ad iſtud facinus peruenit, quo vindicem, & Saluatorem cœpit agere populi Iſraelitici. Nec miror, quod metus, & ſolicitudines veniant ſimul cum poteſtatis exercitio; nulla enim poteſtas in alios eſt, quæ non ſcateat periculis. Quis numeret curas, ſollicitudines, metus, ſuſpiria, gemitus regnantium? Sapienter in hanc rem aiebat Sidonius Apollinarius, lib. 2. epiſtol. 13. *Nunquam ego aſſentior, vt fortunatos putem, qui Reipublicæ præcipitibus, ac lubricis culminibus inſiſtunt. Nam dici nequit, quantum per horas ſert in hac vita miſeriarum vita fœlicium iſtorum, nimirum, qui ſupergreſſi ius, faſque commune, ſummam poteſtatem, hoc ipſo ſunt miſeriores, quod parum intelligunt inquietiſſimo ſe ſubiacere famulatui. Maximus ille nuncupatus Auguſtus, ac ſub hac ſpecie Palatinis liminibus incluſus, ante crepuſculum ingemuit, quod ad vota peruenerat. Namque cum cæteros aulicos honores tranquilliſſime percurriſſet, ipſam aulam turbulentiſſime rexit inter tumultus militum, popularium, fœderatorum.* Et quid citius regnantium animos tenet, quam tumultus, quam pericula? Ex Dei promiſſione habebat Abraham, quod dominaturus erat terræ Chananæorum; ſcire autem cupiens Abraham quando, & per quem dominatus ille in ſua eſſet deuoluendus, quærit ex Deo Geneſ. cap. 15. *Domine Deus, vnde ſcire poſſum, quod poſſeſſurus ſim eam?* Scire bonus amabat, ſi ad ſuam perſonam pertineat dominatus ille, de quo certior fieri contendit ex Deo. Cui Deus: *Scito prænoſcens, quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubiicient eos ſeruituti, & affligent quadringentis annis: Et poſt hæc egredientur cum magna ſubſtantia. Tu autem ibis ad patres tuos in pace.* Expende quæſo, & Abrahami poſtulatum, & Dei reſponſum; Abraham poſtulabat, vt diceretur ei, ſi ipſe eſſet dominaturus Chananæorum; Deus autem reſpondit, hoc ſolum de Abraham, quod nimirum vitam ducet in pace: *tu ibis ad patres tuos in pace.* Quid hoc ad poſtulationem Abrahami? Ille poſtulat informari de regno, Deus de pace reſpondit. Cur Deus non magis de regno loqueris? Cur pateris hominem tuum ignorare de regno ſuo decretum diuinum, & ſolum eum informas de pace? Equidem vbi dicit Deus, quod Abraham ducet vitam in pace, euidentiſſime monſtrat, dominatum minime ad eius pertinere perſonam: quando dominatus cum pace, ſine tumultibus, & periculis eſſe non poteſt. Ait Theodoret. in caten. Græca. *Docetur Abraham, quo pacto, quo olim tempore imperium eius prouincia patietur. Cuius expertem fore Abrahamum demonſtrat, quando ait: Tu vero in pace vitam abſolues.* Tunc aperte quis minime dominaturus explicatur, cum dicitur vitam acturus in pace: nunquam enim tranquillitas, & ſecuritas viuendi conuenit cum principatu. Hinc natum eſt illud, quod accidit ipſi Abrahamo volenti emere ſepulchrum in terra Chanaam à filiis Heth. Sic Geneſ. cap. 23. *Locutus eſt Abraham ad filios Heth, dicens: Aduena ſum, & peregrinus apud vos, date mihi ius ſepulchri vobiſcum, vt ſepeliam mortuum meum. Reſponderunt filij Heth, dicentes: Audi nos domine: Princeps Dei es apud nos, in electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuum.* Vbi noſter poſuit, *Princeps Dei es apud nos.* D. Chryſoſtom. ex Græco tranſtulit. *Rex à Deo tu es in nobis;* quaſi iam præſagiꝫtent regnum terræ illius ad Abrahamides pertinere. Sed expende, quid primo offerant ei, quem ditionis illius regem prædicant? nimirum aiunt: *In electis ſepulchris noſtris ſepeli mortuum tuum.* Cur non magis principem muneribus colitis? Sane nihil prius cum principatu, & regno coniungendum eſt, quam ſepulchrum, & mortis expectatio. Theodor. ad cap. 15. Geneſ. in cat. Græca ait notanter: *Iſ admodum officioſi fuerunt in Patriarcham, quem cum regem ſibi à Deo eſſe acclamarent, cadauer tuum, dixerunt, in noſtris ſelectis conde monumentis.* Ecce tibi regalis inauguratio, quæ munera primo prætendat Regi, nimirum ſepulchrum, vt quod ſit in primis neceſſarium principibus, quando nequit eſſe principatus ſine mortis metu. Quo ſpectans D. Syneſius epiſt. 70. dicit amico gratulanti de Epiſcopatu accepto: *Noſti ad certum anni diem mortem mihi prædictam fuiſſe: fuit ille ipſe quo ſum Epiſcopus factus. Senſi mutationem vitæ, &c.* Itaque prædictionem, quam acceperat de morte obeunda certo die, vidit bonus impleri in eo, quod illo ipſe die creatus Epiſcopus eſt. Similiter Henrico Bauariæ duci, oſtenditur in pariete ſcriptum illud, *Poſt ſex.* Henricus autem putans poſt ſex dies, deinde poſt ſex hebdomades, deinde poſt ſex menſes, demum poſt ſex annos ſe moriturum, parabat ſe ad mortem. Verum poſt ſex annos Imperator creatus eſt, ſic enim Deus & imperij, & mortis cogitationem iniecit, vt oſtenderet, quam debeant morti expoſiti principatus eſſe.

Apoll. — *Gen. 15.* — *Theodor.* — *Gen. 23.* — *Theodor.* — *Syneſius*

Exod. 2. Audiuítque Pharao ſermonẽ hunc, & quærebat occidere Moyſem. Qui fugiens de conſpectu eius moratus eſt in terra Madian.

§. XIV.

Nunquam incolumis apud Deum animus ſanguinarius.

ECce tibi propter homicidiũ peractũ cogitur Moyſes ab aula, & à curia, imo ab amicis, & fratribus exulare, & inter ignotas Madianitarum nationes vitam agere. Dicit enim textus

textus: *Fugiens de conspectu Pharaonis moratus est in terra Madian.* Sed & homicidium licite, imo & sancte peractum fuit, cur ergo permittit Deus, quod propter illud tam duro exilio Moyses incipiat mulctari? Si iniuste occidisset hominem, æquum esset, vt exilio castigaretur: at quando licite occidit, & diuino zelo inflammatus, cur finitur affligi, & eiici a fratribus? Iuste equidem occidit, sed tamen quia occidit, & hominis effudit sanguinem, permittitur in exilia venire, & calamitates, vt ostēdatur, quam erit apud Deum semper obnoxius pœnis animus sanguinarius. Sic lex cauebat Numer. cap. 5. *Præcipe filiis Israel, vt eiiciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit, pollutúsque est super mortuo.* Expende, qui eiici debeant e castris Israeliticis, vt exulent apud extraneos, nimirum, *pollutus super mortuo*, hoc est, qui mortuum attingens maculam incurrit legalem. Quanta hæc macula, & pollutio est, vt propter illam debeat quis a suis exulare? Cur adeo seuere Deus animaduertit in hominem, propterea solum, quod mortuum contrectauerit? Rationem attigit Theodot. in cat. Græca, fatus: *Nam si quis pollutus super mortuo, id est, si qui tetigerit cadauer, vel ossibus demortui hominis, manum admouerit, reiicitur ab aliorum contubernio, quanto magis ille, qui ad mortem causas dedit?* Et quidem reiicitur à consortio suorum, qui vel mortuum tetigerit, vt hinc appareat, quam erit apud Deum obnoxius supplicio profusor humani sanguinis. Quomodo enim fieri potest, quod immunis à pœna abeat apud Dominum, qui hominem occiderit, quando & qui vel mortuum tetigerit, plectitur exilio? Hinc Dauid sanctissimus, innocentissimus in hostium Dei perditione, ait ad filium 1. Paralip. 22. *Fili mi, voluntatis meæ fuit, vt ædificarem domum nomini Domini Dei mei. Sed factus est sermo Domini ad me, dicens: Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti: non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me.* Sed Dauid iuste, & sancte inimicorum Dei sanguinem fuderat, cur ergo ob hoc non finitur domum ædificare nomini diuino? Ait Procopius in 2. Reg. 7. *Domum orationis construere Deus Dauidi non permisit, docens humanitatem omnes, quotquot hoc in loco Deum erant inuocaturi. Nam qui vident prophetam non concedere Dauidi propter cædes quantumuis iustas, vt Deo ædificet, puras manus à sanguine habere docentur.* Sic sanguinum profusores nunquam non pœnam imminentem sibi vident, quando ab illa non iusta cædes manet immunis.

Num. 5.

Theodor.

1. Par. 22.

Procop.

§. XV.

Improbis ministris scatebit domus, seu familia eius Principis, qui patulas præbet aures clandestinis delationibus.

VT Moyses occideret Ægyptium, huc, illuc prius respexit, ne ab aliquo posset sentiri, & nihilominus ait textus: *Audiuit Pharao sermonem hunc, & quærebat occidere Moysem*, & res tanta circumspectione peractâ quomodo potuit ad aures regis peruenire? Imo vbi cædes adeo occulte, & circunspecte, & iuste fuit perpetrata, quomodo potuit & deferri ad regem, & ita referri vt ipsum exacerbaret aduersus nepotem suum? Textus causam indicat, dicens: *Audiuit Pharao, &c.* vbi enim Princeps audire amat, & patulas præbet aures delationibus clandestinis, nequit fieri, quod non innumeri insurgant, qui abstrusissima quæque longis mendaciis ampliata eius insusurrent auribus. Quos ad mortem quæsierat filios Herodes, tandem lentior factus illos hortabatur, ne vllam deinceps sui suspicionem darent. Quid tunc filij? De illis Egesippus lib. 1. Excid. Ierosolymit. cap. 4. sapientissime in rem præsentem fatur: *At illi orare simul incipiunt, & polliceri operibus ipsis, in reliquum propria fidem defensionis daturos, tantummodo factum pater expectaret, ne temere auditis crederet; non enim defuturos delatores improbos, quamdiu auditor credulus suppeditaret.* Quid sapientius? Detur Princeps credulus clandestinis susurris, implicat, quod eius domus, & familia delatoribus improbis non scateat. Quo refero illud Prouerb. cap. 29. nimirum: *Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habebit impios.* Neque enim sanctis patent, vt aliquid suggerant nimis credulo principi. Nec adeò peruersus homo, qui non habeat, vnde ascendat ad clarissimas dignitates Reipublicæ. Ex quo D. Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 275. ait: *Postquam Aspianus in patulas, ac nimium credulas Imperatoris aures calumnias insusurrauit, vrbis huiusce quæsturam ab eo accepit: ac tribules suos tot malis, ac calamitatibus affecit, quot etiam fur domesticus.* Expende, vnde factum est, quod pessimus hic Aspianus quæsturam vrbis obtineret, nimirum ex eo, quod imperator patulas, & nimis credulas aures haberet. Qui enim pessimi sunt, hoc de facili perficiunt, vt clandestinis calumniis, incertisque rumoribus operam dent; quibus si pateant nimis aures principum, apertissima via est, qua in dignitatibus constituantur pessimi.

Egesipp.

Isidor.

CAPVT II.

Moysis nuptiæ, & visio rubi.

NONDUM apud Arabes nobilitas honori gloriæque duxerat otium iners; nec actuosam vitam, vel in mediis agris erubuerat: pascebant namque greges promiscuè viri, mulieres, iuuenes, virgines, non plebeij solum, sed & nobiles. Cumque regio aquarum laboraret penuria, septem lectissimæ virgines Madianitæ Sacerdotis, & Principis filiæ præoccupant puteum, ne qui sub tanta pulchritudine pascebantur greges, norint aquam sitire. Iam bis, & ter exhaustas hydriis de puteo aquas, in proximos alueos præcipitant, & rustica turba pastorum superueniens intuita principes, sed contemnens puellas, præoccupatum fontem nititur prima potiri. Procubuerat in herbida vicinia Moyses, peregrinationis, fugæque malis insuetus, qui & innata virtute, & indignitate facinoris excitatus sic pastores deterruit, vt meritò virgines possent suas iniurias habere lucro. Quæ tantum liberatorem nactæ, insalutatū relinquunt, magis timentes pudori suo ab vrbanis officiis, quàm à rusticorum iniuriis. Admirationi fuit puellarum parenti festinatus illarum recessus ad sua, cuius dum causam pandunt, simul exponunt, quantum gratiarum debeant Ægyptio viro. Cum Raguel (id puellarum parenti erat nomen) audisset, vt illæ in peregrinum virum incidissent, quódque ille humanus præbuisset auxilium, haud mora ad eum euocandum tanti beneficij gratias habiturus, remisit filias. Iam puteum liquerat Moyses, & obuius factus virginibus, simul ingreditur domum prior Raguelí locutus. Si Deus voluisset, Maxime princeps, inquit, me antehac tuæ virtutis conscium esse, harum puellarum lacrymas adorassem, quæ fecerunt, vt militare potuissem sub tanto duce. Rusticas turmas à me fuisse depulsas, quamuis peregrino insolens, parui æstimabis, si illam vim, qua in homines iniurios valeo, erga fortiores hostes tuos amas experiri. Raguel & ipse blandissimus refert gratias properati auxilij, multúmque pastorum rusticitati aiebat tribuendum, quod illa dederit tantum propugnatorem metuisse.

Interea succedunt in tricliniūm, mutuísque officiis ritè perfunctos dum cœna demulcet, non dubitauit Raguel discere ab hospite, quo nomine, quáve patria esset, an præterea consilio, vel errore Madianitarum limina attigisset. Ille ex Ægypti aula, respondet se venire, nec dissimulat genus natiuum, sciens haud ingratum futurum Madianitis, qui eadem Abrahamidum extollebantur origine. Neque se ait, curioso actum impetu in ignotas prouincias; sed Madian cursum fecisse, vt consortio propinquorum tegeretur, quando fratrum amore ascititiis Regiæ Ægyptiæ parentibus erat inuidiæ. Auspicatum itidem ducit ingressum suum, quod puellarum regiarum propugnator, tanti regis oculos primum subeat. Quod si meis viribus, rex, inquit, & manibus, vti placebit, me tuis imperiis staturum iureiurandi religione firmissime obstringo.

Auidissime Raguel in Moyse hærebat & dicente, & iurante. Species oris, liberalitas vultus, tum luminum vigor, neque tristis, aut inepta modestia conciliabat narrantem. Vtque loqui desiit; gestiebat Raguel arcanam mentem producere, qua recens exceptum peregrinum destinabat in filium. Maluit tamen expectare, donec magis placeret, & consuetudo viri, acerbitatem nouæ affinitatis maturanisset. Nec decerent Moysem subitæ, vel regiæ nuptiæ: ad quas diutinis officiis emptas peruenit tandem egregius vir, accepta Sephora Madianitis principis filia. Cum vxore domesticas Soceri subiit curas, & de fortunis suis duo nomina effinxit, Gersam, & Eliezer; quibus ornati duo primi ex Sephora filij posteris indicabant, vt Moyses male habuit apud Ægyptios ciues, & vt prospere apud Madian peregrinus.

Accesserat

Accesserat annus quadragesimus, ex quo Moyses fratres suos Ægyptia pressos seruitute reliquerat, & abominatus terram tot malorum causam, in Madianitide Regia libertatem asseruerat suam. Crescebat interim Hebræorum labor in Ægypto, vt nouis in dies quaterent cœlestia gemitibus; crescebat & Moysis apud Madianitas quies, hoc vnum curātis, vt Soceri sui greges pinguioribus possent pastibus potiri. Iuga montis Sina tenebat omnium pastorum nobilissimus, & interno tumultu raptum animum spargebat in diuersa sibi crediti muneris. Vt fuerat natus in suorū salutem? Vt benè processissent initia? Quā secure ab Ægyptio throno medelam porrigebat afflictis? Genius ne deinde, an mortalis prodidisset cōsilia? Iis dicti actis oculos perstrinxit subitea lux, ab vno arbusto in omnē montis latitudinem fusa. Rubus innocuis ignibus inuolutus non ardens videbatur ardere, cuius materies, nec incendiis alimenta præstabat, nec circumfusi luminis flammis correpta detrimentis exusti roboris subiacebat. Ita diuini fomitis temperabatur attactus, vt blandiente ramis æstuantibus flamma, splendor in frondibus cerneretur esse, non pœna. Nec diu in huius contemplatione hæsit, sed properans Moyses cominus rem aspicere, voce impeditur, quæ cœpit audiri ex mirabili incendio per ipsum montis silentium ad vacuas hominis aures horridius allabens. Hæc processurum admonebat, procul subsisteret, veritus vel nudis pedibus tangere terram, quam celsissimum implet numen. Et quod numen? Deus, inquit, sum Abraham, Isaac, & Iacob. In hanc vocem elanguit Moyses, & religioni par stupor erat demissis oculis, alto silentio marcentis, vt nil loqui, aut videre vacauerit. Hærebat animus, paratos impensurus affectus, quæcumque duxerint numinis imperia.

PARS VNICA.

Moralia circa textus literam.

De historia textus ad eius apices notandos decurro, vnde hominum mores viuidissimis exemplis componam.

Exod. 2. Fugiens de conspectu eius, moratus est in terra Madian, & sedit iuxta puteum. Erant autem Sacerdoti Madian septem filiæ, quæ venerant ad hauriendam aquam, & impletis canalibus adaquare cupiebant greges patris sui. Superuenerunt pastores, & eiecerunt eas: surrexitque Moyses, & defensis puellis adaquauit oues earum.

§. I.

Maior claritas prosilit à Sacerdotij infulis, quàm à regali trabea.

IN confesso est omnibus expositoribus Sacerdotem hunc Madianitarum simul & regem esse, vt ex ipsa originali voce notat Lippomanus. Cur ergo noster dissimulata prorsus hominis regia dignitate, vnam sacerdotalem amat propalare? Nonne solum ait, *erant Sacerdoti Madian septem filiæ?* Merito dissimulans, quod regium erat; quod Sacerdotis erat, aperte pandit; quæ enim à Sacerdotij infulis venit claritas, super regium splendorem maxime exaltatur. Ea quo Egesippus lib. 5. de Excid. Hierosol. cap. 22. aiebat: *Caditur Ananus sacerdos, claro genere ortus, licet nemo clarior sit splendore generis, quam munere religionis. Illo enim affectatur nobilitas, hoc non desideratur. Habeat sibi vetus prosapia diuersorum fascium honorem, habent & sacerdotes suas fasces: qui eleuantur non humeris, sed moribus: & attolluntur non virgarum proceritate, sed laborum perseuerantia, fidei altitudine, pietatis fastigio.* Sic sacerdotales infulæ suos extollunt, vt super omnia regia decora videantur eminere. Vbi enim quid sacerdotale agnoscitur, iam ibi aliquid putatur esse & diuinitati proximum, & eleuatum supra omnes reges. Nota est Regis Ioas historia ex 2. Paral. c. 22. & 23. & 24. vt à Sacerdotis Ioiadæ vxore paruolus morti ereptus est, vt in sacerdotali aditu occultatus, & seruatus per sexennium; vt à Ioiada sacerdote rex declaratus. Quid tunc? Ait text. cap. 24. *Postquam autem obiit Ioiada, ingressi sunt principes Iuda, & adorauerunt regem: qui delinitus obsequiis eorum, acquieuit eis.* Itaque principes Iuda Regi iuueni quasi Deo adorationem impendunt, & placent, quasi rem debitam exequerentur. Sed vnde potuerunt adulatores isti Regem adducere eò, vt crederet se Deum, & adorari vellet? Hoc illi ob oculos proposuerunt, quod à puero in sacerdotalibus adytis fuisset, quod inter sacerdotes in templo vixisset; de tanto autem sacerdotum cōsortio, ac conuictu, facili negotio persuasus est aliquid se habere supra regem, & proximum Deo. Ait Carthus. ibi: *Exhibuerunt ei honorem diuinum, atque blandiebantur ei dicentes, ac persuadentes, quod dignus esset tali honore, eo quod in infantia sua fuisset conseruatus, & enutritus in templo sex annis, quod non contigisset, nisi diuinum quid fuisset in eo, quoniam aliis, quam sacerdotibus non licuisset sine periculo ingredi in ipsum Dei templum.* Quod illi commune fuit cum sacerdotibus, nimirū ali in Dei templo, astute assumitur, vt persuadeatur rex se aliquid habere splendidius regno, & proximum Deo. Et quando sacerdotium non splendet supra regnum? Post reiectum Saulē ait Dominus Samueli. 1. Reg. 16. *Imple cornu tuum oleo, veni, vt mittā te ad Isai Bethlehemitem, prouidi enim in filiis eius mihi regem.* Nec mora; proficiscitur Samuel ad Isai domum, filios cōuocat ad vnctionem, & omnes nominatim repelluntur a Dei gratia, vnus paruulus, qui minime sperabatur talis, in medium producitur, cui Deus statim tradit regni clauum. Vbi notanter D. Basil. Sel. orat. 14. ait: *De repente puer Dauid producitur paruus ætate, animo magnus; & cœlesti approbatione dignitatē consecutus, subito primus fratrum comperiebatur.* Et merito bonus pater in Dauidis electione, nihil non subitum, & repentinum respectu prophetæ vngentis cōtemplabatur. Quā aliter in Aaronis electione accidebat Exod. 29. ibi enim ait, postquam Aaron, & filij eius à populo segregati fuerint, postquam vestes eorum perfectæ; *Sed & hoc facies, vt mihi in sacerdotio consecrentur. Tolle vitulum de armento, & arietes duos immaculatos, panesque azymos, & crustulam absque fermento, quæ conspersa sit oleo, lagana quoque azyma, oleo lita. De simila triticea cuncta facies, & posita in canistro offeres. Vitulum autem & duos arietes, & Aaron, & filios eius applicabis ad ostium tabernaculi testimonij. Cùmque laueris patrem cum filiis aqua, indues Aaron vestimentis suis, id est, linea, & tunica, & superhumerali, & rationali, quod constringes balteo, & pones tiaram in capite eius, & laminam sanctā super tiarā, & oleum vnctionis fundes, &c.* Ecce tibi quot, quantaque iubentur parari in Aaronis vnctione: vt Dauid vngatur, solum cornu olei iussus est Samuel parare, nec Dauidis nomen illi explicatur, sed id relinquitur, vt ex inopinato, & subito vngēdus appareat. Vt autem Aaron vngatur, nihil subitum, nihil repentinum permittitur, in primis separatur Aaron cum filiis à cæteris popularibus, tunc vestes elaborantur; deinde vituli, & arietes, & panes adducūtur, rursus Aaron ad ostium tabernaculi lauatur; insuper vestitur, tandē inungitur. Et quando Dauid iam subito, cur Aaron tam morose eligitur? Equidem non magnæ molis erat cōstituere regem, at sacerdotem constitui id summæ attentionis opus esse debet. Non mirum est, quod quis subito fulgeat à throno regio; sacerdotale autem culmen, vt supra reges est, & proximum Deo, sic pluribus eget, vt suum fulgorē præstet. Pulchrè ad hæc Nazian. orat. 1. ait: *Et quis est, qui contra hæc omnia, celeritatem potius in sacerdote, quam securitatem exposcat? Quis est, qui veritatis propugnatorem vnius diecula spatio, velut è luto statuam finget: illum, inquam, qui cum Angelis stabit, cum Archangelis glorificabit, ad superum altare sacrificia transmittet, cum Christo sacerdotio fungetur; figmentum instaurabit, imaginem exhibebit, superno mundo opificem aget, & vt, quod maius est, dicam, Deus erit, aliosque Deos efficiet?* Itaque quantumcumque reges subitanei fiant; sacerdotes non subito, & ex inopinato, sed multorum dierum prouidentia possunt fieri, vt qui non corporum, sed animarum sint propugnatores, & qui & ipsi dij fiut, & alios Deos facere elaborent.

Egesipp.

2. Par. 22.

Carth.

1. Reg. 16.

Basil. Sel.

Exod. 29.

Nazian.

§. II.

Maxima, & præstantissima facinora non subito à Deo ostenduntur, sed multo ante solent fundari.

IVxta puteum sedens peregrinus Moyses puellarū Madianitarū pro adaquando grege iniuriam à pastoribus acceptam depellit. Ait enim, *Defensis puellis adaquauit oues earum.* Et quando aquarum fluenta non fuerunt Moysi in victoriam

auspicatissimam? Recens natus ad fluminis ripas linquitur, vbi nactus Pharaonis filiam protectricem, tyrannum truculentissimum deludit. Ab Ægypto eiectus iuxta puteum sedens, de aquis hauriendis litigantes filias Madianitæ principis iouenit, quas ipse protegens viam incolumitatis prosperissimæ sibi acquirit. Quantum hoc portentum, quod Moysi recens nato, & eiecto, & peregrino aquæ semper auspicatæ extiterint? Nec miror, quod qui tantam erat operaturus salutem in mari rubro, incolumem per illud populum ducẽs, & Ægyptios ibi confundens, vel in natiuitate, vel in priuata vita, aquas sibi auspicatas, & salutares sortiatur, vix enim Deus maximum aliquod facinus exhibet, quin illius fundamina multo ante præmittat. Id quod notabat D. Nazianzen. orat. 18. in D. Cypr. inquiens: *Diuina enim sapientia magnarum rerum fundamenta multo ante iacere nouit.* Est hæc diuinissimæ sapientiæ notio, quæ non subito ex maxima prosiliat; sed magnũ aliquid structura, multo ante illius fundamenta præsignet. Nec aliter Prouerb. 8. multus est Dominus in ponderanda prima creatione aquarum. *Quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum: quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos: quando appendebat fundamenta terræ. Cum eo eram, &c.* Ecce tibi quã paucis absoluat cœli, terræque creationem; de cœlo ait, *æthera firmabat sursum:* de terra autem: *appendebat fundamenta terræ.* Verum vt de aquis loquitur, vix finem facit verborum, librabat enim fontes aquarum, mari circundabat terminum, legem ponebat aquis. Proh Deus! quã multus est apud aquarum conditionem? Sed & Gen. 3. dum terram percutit: *Maledicta terra in operibus tuis, spinas & tribulos germinabit tibi.* Et de aqua prorsus silet. Cum irascitur, multus in terra maledicenda, in aquis nullus: cum autem benefacit, cum terra parcissimus, & cum aquis multus. Cur sic ad aquarum prima cunabula afficitur, vt tam multus appareat in eis ditandis, & remouendis maledictionibus earum? Sanè iam tunc fundamenta iaciebat Sacramenti illius, quod per aquas expiaturus erat mundum. D. August. lib. 1. mirab. cap. 4. *Exceptis aquis à maledicto aquæ Deus pepercit, quoniam per aquam diluere maledictionem illam parauerat, quod in diluuio factum est, & nunc per baptismum indulgetur.* Sic ante parantur a Deo fundamenta ingentium gratiarum. Hinc Gen. 18. Abraham cum eleuasset oculos: *Apparuerunt ei tres viri stãtes prope eum, quos cũ vidisset, cucurrit in occursũ eorũ de ostio tabernaculi sui, & adorauit in terrã. Et dixit: Domine, si inueni gratiã in oculis tuis, ne transeas seruũ tuum, sed afferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes vestri, & requiescite sub arbore. Ponamque buccellam panis, & confortetur cor vestrum. Qui dixerunt: Fac, vt locutus es.* Nolo huius apparitionis longam explicationem dare, sed suppono in tribus istis viris Deum Abrahamo ostensum esse, & Deum venisse, vt paulisper visibili in forma moraretur apud Abrahami tabernaculum. Sed cur Deus Abrahamum sic voluit honorare, vt eius hospes fieret, vt visibilis eius tabernaculum intraret, ibique cibum caperet? Quæ mens omnipotentem illum in hæc abiecta, & humilia hospitij humani compulit? Sanè illa sola mens, qua adductus est Deus, vt aliquando inter veros filios Abrahæ secundùm veram assumptionem carnis velit numerari, & esse; hæc, inquam, sola mens illum tanto ante adduxit, vt hospes Abrahæ tabernaculum intraret. Nihil enim magnum solet Deus præstare, cuius multo ante non ponat fundamentum. Ait Tertull. lib. de Trinitat. *Quod erat futurus, meditabatur in Sacramẽto. Abrahæ factus hospes apud Abrahæ filios futurus.* Qui inter filios Abrahæ vere, & realiter numerandus erat, quo Sacramento, vel Angelos obstupefaceret, voluit multo ante tantæ rei fundamenta iacere, dum sub forma visibili in domo Abrahæ hospitium caperet. Quo etiam spectabat pœnitentia illa Zachariæ incredulitati imposita ab Angelo Luc. 1. *Eris tacens, & non poteris loqui vsque in diem, qua hæc fient.* Quid seuerius? Esto enim, quod Zacharias offenderit, ideòne tam rigide mulctari debuit? Cur non leniori modo corripitur? Erat iam in vicinio pœnitentiæ à Ioanne prædicandæ austeritas, adeò antea vel in eius parẽte tanti rigoris fundamenta præmitti oportebat. Ait D. Aug. lib. 3. de mirab. c. 1. *Conueniente autem dispensatione factum est, vt Ioannes, qui postea hominibus victu, & vestitu, & loco exempla pœnitentiæ praberet, & pœnitentiam prædicans, etiam conceptionis eius tempore pater pœnitentiæ modum sibi ab Angelo impositum, donec ille nasceretur, sustineret.* Non subito introducenda erat tanta pœnitentiæ austeritas; quæ ideò oportuit, vt præmitteretur conspicua in antecessoribus Ioannis.

Nazian.

August.

Gen. 18.

Tertul.

Luc. 1.

August.

§. III.

Supra humanas, imo creatas vires est, quod quis præstantiam suam velit prorsus obtegere.

AD iniuriam puellis illatam commotus Moyses exurgit in iniuriatores, illósque abigit, *& defensis puellis adaquauit oues earum.* Et cur non magis cauet Moyses suum zelum pro iniurijs proximorum depellendis? Sanè propter similem zelum aduersus Ægyptium ostensum, coactus fuerat aulam relinquere, hæreditatem regiam perdere, apud exteros peregrinari, & sub priuati habitu latere. Quando ergo in eas angustias deuenit propter iustitiæ zelum, cur non magis eum cauet? Cur saltem non magis patitur videre puellas à fonte exclusas per pastores aduenientes? Non equidem est humanarum virium, quod quis præstantiam suam velit in occasione prorsus obtegere. Qui sic se abscondat, vt vel occasione data commotus suam præstantiam non exerat, is supra hominem sit, necessum est, & par Deo. Memini Iudæorum rabiem, qua accusabant Iesum apud Herodem, quod se faceret regem; imò quod se filium Dei prædicaret. Aiunt enim Luc. 23. *Hunc inuenimus subuertentem legem nostram, & prohibentem tributum dare Cæsari, & dicentem, se Christum regem esse.* Imo Ioannis cap. 19. dicunt: *Secundùm legem nostram debet mori, quia filium Dei se fecit.* Sic Iesus apud Pilatum accusabatur affectati regni, imò affectatæ diuinitatis; & facile ipse poterat se tunc regem verum, & filium Dei ostendere. Et Præses id maxime optaret, & scelera, & iniuriæ, quæ tunc impune exundabant, veri regis, & vindicis ostensionem requirebant. Inter hæc tamen Iesus amauit latere. Cur Domine & regium, & diuinum zelum non magis manifestas? Pulchrè ait D. August. tract. 116. in Ioannem: *Vtrumque verum est, & vnigenitus Dei filius est, & rex ab eo cõstitutus super Sion montem sanctum eius, & vtrumque nunc demonstraret, nisi quanto erat potentior, tanto mallet esse patientior.* Et quidem nisi Iesus vellet ostendere patientiam suam esse parem infinitæ diuinitatis potentiæ, non se cohiberet, quin præstantiam suam, & diuinam, & regiam in præsenti ostenderet. Necessum erat supra potestatem humanam, & angelicam vires ostendere in patiendo, qui sub tanta occasione præstantiam suam prorsus latere vellet. Hoc vnum fuit in causa, quod Iesus tunc non se regem, & Deum aduersus tot blaterones monstraret, nimirum, quod quanto erat potentior, tanto mallet esse patientior. Nisi magna, & diuinis viribus vicinissimam patientiam vellet ostendere, suam præstantiam minime permitteret tunc latere. Tantæ molis est, quod homo velit latere, vbi occasio manifestationẽ exigit. Id quod in Christo Domino miratur Tertul. lib. de Patient. fatus: *Nasci se Deus in vtero patitur matris, & expectat: natus adolescere sustinet, & adultus non gestit agnosci.* Et quis tandiu sua manifestatoria opera cohiberet, nisi Deus, aut Dei spiritus plenus? Ait Isaias c. 42. *Dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet. Non clamabit, non accipiet personam, non audietur vox eius foris.* D. Matth. legit cap. 12. *Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius.* Fuerat equidem Iesus & dux, & iudex gentium constitutus, & quid inde? An ad scelerum conspectum clamoribus, rixis, minis implebat forum? An reis obiurgatis suam potestatem promebat? Absit hoc à Iesu meo: id faciebat Moyses, qui dux, & protector populi sui factus, nulla in occasione suam potestatem non promebat, siue Ægyptium interficiens, siue Israelitas monens, siue abigens à puellis Madianitis pastores. Et quando in Moyse iuris zelus sic vbique sese promebat, cur in Iesu tanto premebatur silentio, vt vel inter nocentissimos homines per plures annos viuens, nullam admonitionis, aut contentionis ederet vocem? Causam ostendit vates dicens ex Dei ore: *Dedi spiritum meum super eum:* sola enim ea patientia potuisset data occasione excellentiam non prodere, quæ diuino spiritui respondere posset. Eleganter enim ait Tertul. lib. de Patient. *Non contendit, non reclamauit, nec quisquam in plateis vocem eius audiuit, arundinem quassatam non fregit, linum fumigans non restinxit. Neque enim mentitus fuerat Propheta, imò ipsius Dei contestatio spiritum suum in filio cum tota patientia collocantis.* Expende illud, *cum tota patientia;* nisi enim patientia tota, quæ diuino spiritui correspondet, ibi adesset, via tandiu, tot in occasionibus vindicis zelus cohiberetur, quin se proderet.

Luc. 23.

August.

Tertul.

Isai. 42.

Tertul.

§. IV.

§. IV.

Præstanti viro, nec gradus faciendus sine fructu.

ET fugitiuus, & peregrinus sedens iuxta puteum Moyses, vt vidit pastores puellis iniurios, surrexit, illosque abigens, *& defensis puellis adaquauit oues earum.* Cur magis & fugitiuus, & peregrinus non quiescit? Equidem & fuga, & peregrinatio Moysis non debuit esse iners, nec otiosa, quando præstanti viro quilibet gressus debet esse fructuosus. Vbi Christi Domini spiritus abscessit à corpore, & corpus exanime traditum fuit sepulchri quieti, ait D. Matth. cap. 27. *Multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.* Multis aliis præstantissimis, & clarissimis signis posset Iesus suam morientis, & resurgentis gloriam illustrare, sed de multis hæc elegit, vt mortui resurgerent, & venirent in sanctam ciuitatem. Et merito vt ostenderet se nec in regione mortis fuisse sine fructu peregrinatum, quando inde plures liberabat à mortis tyrannide. Euseb. Gallicanus homil. 6. de Pasch. fatur: *Hodie Domino resurgente visa sunt multa sanctorum corpora resurrexisse, & apparuerunt in sancta ciuitate. Regrediens ergo Dominus post diem tertiam, fructus secum triduanæ peregrinationis viuentibus reportauit.* Adeò præstantis viri gressus debent esse salutares, & fructuosi, vt nec in regione mortis vellet Iesus peregrinari, quin statim peregrinationis suæ fructus monstraret. Quo traxerim viros, qui religionis ergo, longas peregrinationes instituunt, vt sciant, quam debeant, vel horariæ peregrinationis factæ euidentissimos manifestare fructus. Quam præstantiam in viris Euangelicis agnoscebat Isaias cap. 52. inquiens: *Quam pulchri super montes pedes annuntiantis, & prædicantis pacem!* Quæ sic legit Diu. Cyrill. Alex. apud Cornelium à Lapide: *Quam verni pedes euangelizantium pacem!* Nec aliud primum amauit cogitare in præstantissimorum gressibus, quam similitudinem veris. Vt enim post infœcundam, & inertem hyemem vernum tempus fœcundam fructibus viam sternit, vt nullus sit campus, qui veris præsentiam fœcundis partubus non manifestet. Sic Euangelici hominis gressus nesciunt non fructuosi vbique côparere. Ait Cyrillus: *Ver apparens in montibus quid efficit? Ornat eos flore recenti, & ex sterilitate fœcunditatem gignit, prout cuiusque natura fert. Prælapsa enim hyeme, ver pulchrum in terra oritur, & eam nutricem florum reddit, matremque pulcherrimorum fructuum facit. Cuiusmodi etiam de nobis factum est.* Quod ver præstat, id à viris claris, & ingenuis petitur, vt nesciant in loco apparere, nec gradum facere, quin processus sui fructum ostendant. Nulla peregrinatio, nullus cursus præstanti homine dignus videtur, qui aliquo facinore non præstet. Vnde laudaturus textus sacer Asahelis cursum pernicissimum notanter ait 2. Reg. 3. *Velox erat sicut ceruus:* habent enim hoc cerui, vt quibus currunt pedibus, eisdem perdant venenosos serpentes. Nec vllus vir laudabiliter graditur, cuius gressus non vbique appareat lethalis serpentibus. Vt dicat Bachiar. aliò datus epist. ad Ianuarium: *Velox erat sicut ceruus, qui non solum perspicacis mentis, inimicis laqueos deuitabat, verum etiam serpentem, id est, contrariarum virtutum interfector extitit.* Inde cursus præstantis hominis laudandus, quod vbique appareat contrariarum potestatum depulsor.

Matth. 27. — Euseb. — Isai. 52. — Cyr. Al. — Cyril. — 2. Reg. 3. — Bach.

§. V.

Vel vnus homuncio à parte iustitiæ, & veritatis stans, potentissimos quosque potest agere in triumphum.

AIt textus: *Superuenerunt pastores, & eiecerunt eas: surrexitque Moyses, & defensis puellis, &c.* Multi erât pastores superuenientes, vnus solus Moyses, & peregrinus, & pauper dicitur in illos insurrexisse, imò & illos repulisse. Sic enim valet, vel vnus homûcio, vt potêtissimos repellat, vbi fas, iusque suffragiû præbet. Præstantissimus vir Eusebius aliquando Cæsareæ Episcopus creatus est populari tumultu; quod maxime accêdit Iulianû Apostatâ Imperatorê; de cuius iussu vrbis Præfectus epistolis solicitabat Episcopos, vt Eusebij tractarent desectionem. Imperatori furenti, eiúsque Præfecto cedebant plures Episcopi, nec inueniebatur, qui auderet resistere. Quid tunc? Datæ etiam sunt Epistolæ Nazianz. Episcopo patri Gregorij, cuius responsum, & euentum sic in rem præsentem ponderat ipse D. Nazianz. orat. 19. *Nos, inquit, (Potentissime Præfecte) rerum omnium, quæ geruntur, censorem vnum, ac regem habemus, qui nunc oppugnatur. Is & præsentem electionem expendet, quam nos rite, ac legitime, atque vt ipsi gratum est, fecimus. Vos autem alia quidem aliqua in re nobis, si animus ita tulerit, vim afferre perfacile potestis, id autem nemo vnquam nobis adimet, quin ea, quæ facta sunt, vt recte, ac iuste facta defendamus. His litteris ille etiam ipse admiratus est qui accepit, (etiamsi parumper stomachatus sit.) Atque hoc, & imperatoris impetum compescuit, & ciuitatem periculo liberauit, non male autem addiderim, quod nos quoque dedecore, & infamia. Hoc exiguæ vrbis Episcopi opus, cathedra secundas omentis.* Quid illustrius? Quando magnatum vrbium Episcopi rabidissimum metuebant tyrannum, nec audebant ei repugnare; vnus homuncio exiguæ vrbis præsul audet obsistere Imperatoriæ tyrannidi; & eius impetum feralissimum comprimit, & omnia pacat. Quod Imperatoris furentis rabies comprimatur, quod adulatorum exercitus non mussitet, quod medio in bello ciues viuant pacati, *Hoc exiguæ vrbis Episcopi opus,* à parte iustitiæ stantis. Vtinam vel vnus homuncio, vel vnus paruulus sacerdos inueniretur, qui imperterritus pro virtute stare auderet, fallar, nisi is solus regnantium nefarios impetus comprimeret, & salutem acquireret regnis. Vidisti Israëlitarum principes in Susannam armatos, quæ iam populari impetu rapiebatur ad necem; Dan. 13. Comprimitur tamen totus, quantus erat, populi impetus, nec principes vniuersi audent gradum facere, vt perimant tacentem, & in nullo se excusantem fœminam. Et quis potuit præcipitem populum, optimatesque furentes in media furiarum via continere? Vnius puerulí pro iustitia, & virtute vox totum id fecit. Ait textus: *Suscitauit Dominus spiritum sanctum pueri iunioris, cuius nomê Daniel: Et exclamauit voce magna, Mundus ego sum à sanguine huius. Et conuersus omnis populus, &c.* Vt errantium multitudinem, & principes, & optimates, & populares cohiberet, vnius pueri excitauit spiritum, cuius vox imperterrite pro iustitia stetit, & impetum potentum confregit, & innocentem liberauit periculo, & populum infamia, & dedecore. *Hoc exiguæ vrbis Episcopi opus.* Hoc vel paruuli cuiusque facinus esset, si pro iustitia imperterritus stare vellet. Vt dicat D. Ambr. lib. 2. de virginibus: *Daniel supplicium Susannæ spectatoris aduenit, & quam populus damnarat, vnus absoluit.* Vnus, & paruulus cohibuit impetum ruentis populi, dum pro iustitia stare voluit. Et quod mirere magis, vbi Bethulienses principes ciuitatem hostibus intra quinque dies tradere decreuerant, vna sola fœmina Iudith cap. 7. principes ad se vocat, illosque multis arguit, reprehendit. Quid tunc? *Et dixerunt illi Ozias, & Presbyteri: Omnia, quæ locuta es, vera sunt, & non est in sermonibus tuis vlla reprehensio. Nunc ergo ora pro nobis, &c.* Vide tanti principes ad mulierculæ vocem hærent, & a decreto desistunt, erroremque suum confitentur? Carthusian. ibi: *Ozias, & Presbyteri exhortationem, & increpationem fœminæ patienter, & humiliter susceperunt, propter virtuositatem illius, quia & ipsa ex zelo iustitiæ, charitatis feruore, & ex inspiratione diuina humiliter, non iactanter fuit locuta.* Vbi vel vna fœmina in medium proferat, quæ iustitiæ zelo, & charitatis feruore errantibus principibus opponat, nôn dubito, quin illos trahat in salutarem sensum. Cassiod. 1. var. 4. de parente suo, ait: *Ad Attilam igitur armorum potentem legationis est officio non irrite destinatus. Vidit intrepidus, quem timebat imperium, facies illas terribiles, & minaces fretus veritate despexit; nec dubitauit eius altercationibus obuiare, qui furore nescio quo rapens mundi dominatum videbatur expetere. Inuenit regem superbum, sed reliquit placatum.* Sic valet vnus homo stans pro veritate.

Nazian. — Amb. — Iudith 7. — Carthus. — Cassiod.

Exod. 2. Quæ cum reuertissent, ad Raguelem patrem suum, dixit ad eas: Cur velocius venistis solito? Responderunt: Vir Ægyptius liberauit nos de manu pastorum, insuper & hausit aquam nobiscum, potumque dedit ouibus. At ille, vbi est? inquit. Quare dimisistis hominem? Vocate eum, vt comedat panem.

§. VI.

Studiosas virtutis personas, vt decet rusticitas, & inurbanitas.

EXpende illud textus, nimirum: *Quæ cum reuertissent ad patrem suum, &c.* Qui enim illas à pastoribus defenderat,

non illas officiosa confabulatione detinuit, sed illas abire ad patrem permisit, nec se illarum comitem dedit. Quid inurbamus? Imò & puellæ nihil censentur dixisse liberatori suo, nec vllum officiosum sermonem texunt, nec opem offerunt peregrino, sed tacitæ abeunt quam citissime. Quanta hæc rusticitas? Sane 1.Reg.9. de Saule, & eius seruo dicitur: *Cùm ascenderent cliuum ciuitatis, inuenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, & dixerunt eis: Num hic est videns? Quæ respondentes dixerunt illis: Hic est, ecce ante te, festina nunc, hodie enim venit in ciuitatem, quia sacrificium est hodie populi in excelso. Ingredientes vrbem statim inuenietis eum, antequam ascendat excelsum ad vescendum, atque enim comesturus est populus, donec ille veniat, quia ipse benedicet hostiæ, & deinde comedent, qui vocati sunt. Nunc ergo conscendite, quia hodie reperietis eum.* Ecce tibi vt peregrinus Saul à puellis amat informari de præsentia prophetæ; & puellæ non paucis, sed multis illum informant, longamque confabulationem texunt, & in multa officij, vrbanitatisque verba descendunt. Nil horum in præsenti, sed puellæ Madianitæ à Moyse liberatore suo abeunt silentes, imò abeundi tempus accelerant, nec vllum illi verbum officiosum exhibent. Moyses autem etsi peregrinus nihil quærit à puellis, nec cuius sint filiæ interrogat, nec comitem se offert earum. Et cur tanta in his rusticitas, & inurbanitas, cum & puellæ ab omni officio debito abstineant, & Moyses totum obsequium aulicum neget puellis, illas incomitatas abire cernens? Erat equidem Moysi cura virtutis, qua nitebatur ab omni etiam vrbano puellarum comitatu se prorsus ostendere alienum. Mirum enim erit, si virtutis studium, & officiosus puellarum comitatus in vnum conuenerint. Nota est historia illa Gen. 19. vbi iaculatis fulminibus de cœlo Sodoma exurebatur; cuius incendium vt euaderet Loth, & familia eius, accesserunt Angeli, *& apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius, eo quod parceret Dominus illi. Eduxeruntque eum, &c.* Ecce tibi duo miracula; alterum est, quod cœlesti igne exurantur vrbes, alterum verò quod Angeli furentur totam Lothi familiam ab incendio. Sed verum est maius miraculum? Rem definit Nazianzen. orat. 3. quæ est secunda in Iulianum, aiens: *Mirabilis impiorum interitus sulphureo igne obrutorum: mirabilius etiam piorum furtum.* Et cur mirabilius est, quod Angeli furentur pios à flammis incendij? Vide, quid egerint Angeli in furto, & abductione illa, nimirum, *apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius, &c.* vbi ostenduntur Angeli fœminarum manus officiose tenentes, illasque per viam ducentes, mirum est, imò omni miraculo superius, quod angelica vita, & fœminarum officiosus comitatus in vnum conueniant. Quam Nazianzeni mentem pulchre exprimit eius scholiastes Elias Cretensis, fatus: *Mirabilem autem, & insolitam istorum subductionem appellauit, tum quia ab Angelis facta est, an non enim nouum ac mirum est fœminas ab iis duci?* Equidem mirum est, si angelica puritas, & fœminarum officiosus ductus conueniant in vnum, ne miremur, quod virtutis studiosus inurbanum se fœminis, & rusticum ostendat. Quæ inurbanitas, & rusticitas, & puellas maxime decet, quibus officiositas, & vrbanitas debet semper esse suspecta. Vnde Iudith cap. 8. audiens principum decretum circa vrbis traditionem, *Misit ad presbyteros Chabri, & Charmi. Et venerunt ad illam.* Non ipsa iuit, sed ad se vocauit presbyteros, quod vt bene notat Pater Sanchez, modestiæ minus, & vrbanitatis habere videbatur. Sed cur bona fœmina vbi ad suam sententiam trahere repugnantes principes moliebatur, non magis comis, & vrbana, ad illos properauit? Sapienter Lyra fatur *Quod autem non iuit ad illos, non fuit ex defectu humilitatis, sed ex zelo castitatis.* Ex zelo castitatis vrbanitatem debitam principibus dissimulauit: sciens quam mirum sit, quod inter vrbanitatis officia seruetur puritas integræ castitatis. Hinc Ioan. cap. 20. dum Magdalena fleret ad Iesu monumentum, *vidit duos Angelos in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis, quia tulerunt Dominum meum: : Hæc cum dixisset, conuersa est retrorsum.* Vide quam paucis absoluit cum Angelis colloquium, quos nec salutat, nec affatur, sed breui dato responso, statim illis terga vertit. Cur non magis cum Angelis comis? Apud Origen. in præsenti homil. ait: *Nolo Angelos videre, nolo cum Angelis manere. Si cœperint mihi multa narrare, & si voluero illis ad omnia respondere, timeo, ne amorem meum magis impediant, quam expediant.*

Timet prudens mulier amoris sui puritati,
si vel cum Angelis dilatet
officiosa colloquia.

1.Reg.7. *Gen.19.* *Nazian.* *Nazian.* *Iudith 8.* *Ioan.20.* *Origen.*

§. VII.

Non est puella casta, quod ad labores, & luctas sui causa à iuuenibus susceptas multum attendat.

CVm Moysis strenuitas dicta sit in defendendis puellis, aduersariisque depellendis; de puellis hoc solum dicitur, quod *diuertissent ad patrem suum.* Et cur sic properè à iuuene liberatore suo discedunt? Cur non magis attendunt ad Moysis pugnas, & labores, vt propter illas vnus se multis obiicit, vt illos depellit, vt greges ad aquas ducit? Nonne hæc propter se peracta facinora deberent bonæ puellæ attendere magis? Absit, multum enim abhorret à castitate fœminarum, quod attendant ad labores propter illas à iuuenibus exantlatos. Hinc D. Nazianz. orat. 3. obiicit Iuliano Apostatæ irridendam Dianæ castitatem, inquiens. *Non victimas pro Christo cæsas veritus es? : Qui Spartanos adolescentes, virgis sese lacerantes laudas, & aram cruore respersam, Deam castam, virginem oblectantem.* Sapienter mordet bonus Pater Iulianum, qui Christianos labores contemnens, Spartanorum iuuenum labores, quibus Dianam virginem, castamque oblectabant, laudat, insuper & Dianæ virginitatem, & castitatem mordet, in talibus iuuenilium laborum spectaculis. Spartani enim iuuenes sese virgis cædebant in honorem Dianæ, eiusque aras cruore proprio spargebant, qui iuuenum labores in pretio erant Deæ virgini, & castæ. Proh bellam castitatem, & virginitatem in iuuenum laboribus accipiendis occupatam! Ait Elias Nazianzeni scholiastes ibi: *Dianam irridens vir sanctus, Deam castam, & virginem nominauit. Nam si castitatem colere voluisset, haud profecto ex talibus spectaculis voluptatem cepisset.* Non equidem est castæ virginis, nec honestæ fœminæ labores, luctasque iuuenum sui causa susceptas multum spectare, ad illasque morose attendere. Vix enim inuenies fœminam, quæ sibi inseruientis iuuenis labores curiose attendit, quæ non cadat in lasciniæ barathra. Iosephi labores, & officia in Ægyptiorum dominorum domo narrans Gen. 39. ait: *Benedixitque Dominus domui Ægyptij propter Ioseph, & multiplicauit tam in ædibus, quam in agris omnem eius substantiam, nec quicquam aliud nouerat nisi panem, quo vescebatur. Erat autem Ioseph pulchra facie, & decorus aspectu. Post multos itaque dies iniecit Domina sua oculos suos in Ioseph.* Dum Ioseph omnia rectè administrat, nulli labori parcit, vt dominorum substantiam augeat, fœlicissimeque in omnibus procedit ad dominorum vtilitatem, Domina oculos in illum attente coniecit, & quis eius memoret libidinis flammas? Tandiu fuit casta, quandiu ad Ioseph officia non attendit; vbi autem coniecit oculos, vt adolescentis curiose, & attente ministeria videret, ab alto honestatis, & castitatis decidit. Id quod notabat Lippoman. dicens: *Cum ergo sic de pace, & gratia gauderet Ioseph, & in omnibus fœliciter ageret, tentatio illi præparatur à Domino, qua exercitatus ad maiora proueheretur. Cui aptum vasculum Satan huic applicuit operi, mulierem scilicet, quæ curiose, & attente illum iugiter intuita, capiebatur elegantia formæ.* Expende illud *curiose, & attente*, quippe vbi seruientis sibi adolescentis officia attendere cœpit, illumque in officiis domesticis strenuum, & elegantem curiose obseruauit, lasciuis flammis incunctanter accendebatur.

Nazian. *Nazian.* *Gen.39.* *Lippom.*

§. VIII.

Castæ fœminæ nullos citiùs fugiunt quàm beneficos sibi iuuenes.

PRoperati recessus in domum causam hanc reddunt nobiles puellæ, nimirum: *Vir Ægyptius liberauit nos de manu pastorum, insuper & hausit aquam nobiscum, potumque dedit ouibus.* Quod virum in se officiosum nactæ fuerint, ideo solito citius dicunt se ad paternam domum venisse. Imo hæc solet esse tota causa retardandi puellas, ne citius ad parentes accedant, quod officiosos sibi & beneficos inueniunt viros. Quas puellas non detinent magis, & morari faciunt iuuenum officia? Fallar, si quæ sic remora, quæ sic properantem ratem detineat, vt iuuenum officia detinent puellas. Quando ergo officiosus vir, & beneficus potius detentionem, quam festinationem reditus solet causare in puellis, cur nobiles hæ puellæ totam causam sui festinati reditus in id coniiciunt, quod officiosum virum, & liberatorem strenuum inuenerant? O virtutem puellarum regiarum! Detinentur equidem officia

officiis iuuenum mulierculæ; at quæ ingenua est, & decori, & pudori studet puella, à nullo citius euolat, quam ab eo quem officiosum, & beneficum sibi sentit. Nota est historia virginis Alexandrinæ, quam à tyrannis Christi hostibus in lupanari constitutam miles Christianus adit, oratque vt secum mutet vestes, vt dum ipsa sub habitu militari euadit stupratores, ipse sub virgineo amictu martyriú expectet. Quid virgo ad tam officiosum, & beneficum liberatorem respondit, dum esset sola cum solo? Rem vsque huc protractam paucis absoluit D. Amb. lib. 2. de virgin. fatus: [*Ambr.*] *Inter hæc verba miles chlamydem exuit, suspectus tamen adhuc virgini habitus, & persecutoris, & adulteri. Quid plura? Mutato habitu euolat puella de laqueo.* Porrigebat miles virgini euasionis habitum, quæ de tanti liberatoris manu habitum accipiens, securitatem ab illo videbat, suspectum tamen habebat habitum tam officiosi militis, metuens ne lateret sub habitu liberatoris persecutor, & adulter. Quid tunc? *Mutato habitu euolat puella de laqueo*; non moratur eum adeo benefactore milite, nullum illi verbum facit, sed vbi induta est chlamydem, statim euolat, minus verita occursus violentorum iuuenum, quam consortium officiosi iuuenis. Sic Genes. 24. [*Gen. 24.*] Vbi Abrahami seruus donaria Rebeccæ exhibuit: *Cucurrit itaque puella & nuntiauit in domum matris suæ omnia, &c.* [*Gen. 29.*] Sic etiam Gen. 29. accedebat Rachel ad fontem: *quam cum vidisset Iacob, & sciret consobrinam suam, ouesque Laban auunculi sui: amouit lapidem, quo puteus claudebatur. Et adaquato grege osculatus est eam, & eleuata voce fleuit. Et indicauit ei, quod frater esset patris sui, & filius Rebeccæ, at illa festinans nuntiauit patri suo.* Possent bonæ puellæ lento gradu eum adeo officiosis, & beneficis viris domum procedere, & illos sibi socios itineris adducere, præcipue quæ in agris, & pastionibus vitam agentes, non detrectabant virorum concursus. Cur maluerunt cum tanta festinatione abscedere, & ad parentes ita properanter concurrere? Crediderim id ab ingenuo puellarum pudore prouenisse, quæ enim communes virorum conuentus, vt moris erat, non verebantur, vbi adeo sibi officiosos, & beneficos viros nanciscuntur, non audent ibi vel morari tantisper, sed festinant abscedere, & celeri cursu se officiis iuuenum eripiunt, ad oculósque paternos confugiunt. Hinc Virgines monebat Nazian. in Præceptis aiens:

A cunctis abscede viris, sed maxime ab illis
Virgo, synisactos quos nos de more vocamus.
Illius auxilio, quid opus tibi (dic ago) qui non
Sufficit ipse sibi?
Charus equo quamuis sit equus, ceruo quoque ceruus,
Et sturno sturnus, & vir pius egregiusque
Egregia pietate viris: tamen ipsa caueto.

Equidem licet omnes viri debeant esse suspecti virginibus, illi maxime suspecti sint, qui synisacti, hoc est, officiosi protectores, & defensores putantur. Ab iis quamprimum abscedat Virgo ingenua, nec multum æstimet auxilium, aut protectionem, aut defensionem eorum, sed magis in iis cauta, quam grata appareat. Sane Raab, Iosue cap. 2. [*Iosue 2.*] multum auxilij sperabat ab exploratoribus Israeliticis, quos domi absconderat, & eripuerat periculo. Ab iis namque petebat misericordiam sibi, & parentibus suis. *Qui responderunt ei: Anima nostra sit pro vobis in mortem, si tamen non prodideris nos, cumque tradiderit Dominus nobis terram, faciemus in te misericordiam, & veritatem. Dimisit ergo eos per fenestram, &c.* Ecce tibi vbi beneficam promissionem audit fœmina: statim nihil fata illos à se dimittit. Quod factum sic Magdalena apud D. Chrysost. [*Chrysost.*] inter opera Sancti Ephremi adductum sic componit secum. *Atqui ibi Raab à se dimisit exploratores; ego verò retinere eum conor, quem desideraui.* Vtraque salutares viros innenerat, illa exploratores, hæc Iesum; sed illa exploratores dimisit, hæc Iesum retinebat. Et quare vel illa non retinuit suos, vel hæc non dimisit suum? Illi homines, hic Deus, homines benefici dimittendi à fœmina sunt, solus Deus retinendus. *Ecce*, ait Maria ibi, *illuxit mihi Sol iustitiæ, & magna à Deo visitatio*: Deus retinendus, homines ablegandi.

§. IX.

Apud Palatinss admirationi sunt quicunque se ostendunt vindices puellarum.

VT audit Raguel Madianitarum princeps puellarum iniurias per Moysem vindicatas, viri desiderio affectus ait: *At ille, vbi est? Quare dimisistis hominem?* Non potuit princeps Palatinus non affici erga hominem vindicem puellarum; quando Palatini omnes illam maxime inuident, & mirantur, & laudant strenuitatem, qua quis puellarum iniurios scit repellere, & vindicare. Ex quo merito pungit Apostatam Iulianum Nazianzen. aiens, orat. 3. [*Nazian.*] *Nec magnos pugiles extimuisti, Ioannem illum, Petrum, Paulum, Iacobum, Stephanum, Lucam, Andream, Theclam, eos, qui & post illos, & ante illos pro veritate periculis se obiecerunt::: Hæc non colis, sed contemnis, qui Herculis rogum ex calamitate, iniuriisque mulieribus illatis excitatum admiraris.* Ignes, cruces, & tormentorum genera, inter quę triumphabant Christi martyres, despiciebat Imperator Iulianus; rogum, quo Hercules cremabatur, in admiratione habebat, & stupebat. Et cur cui viles erant Petri cruces, gladij Pauli, lapides Stephani, Theclæ, & Laurentij flammæ; admirationi & laudi erant ignes Herculis, quibus cremabatur? Sanè ij ignes vindicabant in Hercule iniurias ab illo fœminis illatas, quippe ait, Herculis rogum ex calamitate, & iniuriis mulieribus illatis excitatum admiraris. Sic principibus, sic Palatinis, sic aulicis admirationi sunt vindices puellarum. Proclama apud aulicos viros, vt Thecla cum leonibus pugnauit, vt Petrus inuerso corpore cruci affixus est, vt Stephanus lapidibus obrutus, vt alij multis tormentis gloriam compararunt, videbis ad hæc aulicos, & Palatinos oscitare, dormitare. Sed ostende, vt quidam ob tutandam puellam, sese gladiis obiecit, milleque contempsit vulnera lethalia; stupent omnes, mirantur omnes, non est, qui homini bona non incipiat imprecari. Nota est historia ea 3. Esdræ 3. [*3. Esd 3.*] vbi tres eloquentissimi viri apud regem declamarunt; vnus pro fortitudine vini, alius pro regis potestate, tertius pro valentia fœminarum. Et cum multa de vino, & rege à primo, & secundo dicta essent, absque eo quod vllus videretur in auditorio plausus; tertius cœpit dicere de mulieribus cap. 4. inter alia. *Et accipit homo gladium suum, & vadit in viam facere furta, & homicidia, & mare nauigare, & flumina, & leonem videt, & in tenebris ingreditur: & cum furtum fecerit, &c.* Hæc & alia plura pro mulierum valentia declamabat. Quid tunc? *Et tunc rex, & purpurati intuebantur in alterum.* Proh Deus immortalis! Vbi pro veritate, pro rege, pro vino multa declamant oratores, nec rex, nec purpurati vllum exhibent signum plausus. Vbi autem ad pericula ventum est, quæ homo subit pro fœminis mulcendis, fouendis, tunc regis plausus, tunc purpuratorum admiratio. Ij, mihi credite, sunt omnes aulici, omnes purpurati, qui maxime ęstimant officia, quæ fœminis præstantur, & præ iis cætera nihili faciant. Petenti caput Ioannis Herodiadi Rex Herodes Matth. 14. [*Matth. 14.*] *propter iuramentum, & eos, qui pariter recumbebant, iussit dari.* Ibi Andreas Cretensis ait: *Rex propter eos, qui simul discumbebant, noluit eı abnuere.* Et quid ad discumbentes, quod rex non annueret petenti Ioannis caput? Multum sane, quando enim ij omnes principes, & purpurati erant, id laudi, & admirationi erat, quod vel per omne crimen, & discrimen suum fœminis obsequium præstabatur. Non sic Rex conuiuantium principum seruiebat palato in exquisitorum ferculorum pompa, vt seruiuit, quando nece Ioannis satisfecit puellæ cupiditati. Crede mihi apud Palatinos id solum laudi, & gloriæ datur, quo puellarum gratia captatur. Vnde Michol Dauidi saltanti nihil prius obiecit, quam offensam puellarum. Ait enim 2. Reg 6. [*2. Reg. 6.*] *Quam gloriosus fuit hodie rex Israel discooperiens se ante ancillas seruorum suorum.* Et quis aulicus non expauesceret ad hæc verba, quod puellis minime fuisset gratus? At Dauid inde maxime Deo placuit, quod contempsit puellis fuisse ingratum. Ait D. Ambr. epist. 36. [*Amb.*] *Non erubuit igitur Dauid fœmineas opiniones, nec opprobria apud mulieres subire pro religionis obsequio verecundatus est. Ludebat enim Domino puer suus, & ideo amplius placuit.* Hoc magnum de aulico viro dici potuit, quod pro Deo displicere puellis non fuit verecundatus.

Exod. 2. Vocate eum, vt comedat panem. Iurauit ergo Moyses, vt habitaret cum eo. Accepitque Sephoram filiam eius vxorem, quæ peperit ei filium, quem vocauit Gersan, dicens: Aduena fui in terra aliena. Alterum verò peperit, quem vocauit Eliezer, dicens: Deus enim Patris mei adiutor meus, & eripuit me de manu Pharaonis.

§. X.

§. X.

Qui à diuitiarum cumulo in paupertatem deuenere, tunc solum à benefico homine censentur iuuari, cum donis eò adducuntur, quæ non requirant pristinum statum.

AD accipiendum panem vocabatur Moyses, qui accedens Sephoram filiam principis vxorem accipit. Dicit namque textus: *Accepitque Sephoram filiam eius vxorem.* Et cur bone peregrinum hominem, quem ad panem vocabas, tam subito in generum accipis? Nonne sufficiebat illi cibum porrigere? quid necessum fuit illum & regia familia ditare? Beneficus princeps dum popularem peregrinum Moysem putabat, ei qualecumque prandium porrigebat, at vbi ex crebra confabulatione didicit, vt fuerat ex Abrahamidum genere ortus, & in Ægypti regia nutritus, ibique Pharaonis hæres designatus, à cuius postea gratia deiectus, per exteras, & ignotas nationes peregrinari coactus; hæc, inquam, ex illo noscens Madianitarum princeps non in conuiuium solum, sed & in generum hominem euocauit, ratus homini à tanta fœlicitate deiecto, dedecori potius esse munus, quod illum in pristinam gloriam non reuocabat. Similem mentem inuenies in Nazianzeni matre, de qua ipse fatur orat. 19. *Solas insuper has tutas, atque ab omni surreptione immunes opes ducebat, nimirum Deo, & pauperibus opes effundere, ac præsertim consanguineis, qui fortunis suis tanquam flore quodam excidissent; quibus, quod necesse esset dumtaxat præbere, non calamitatis depulsionem, sed monumentum esse iudicabat, liberalius autem & prolixius eos iuuare, id demum firmi honoris, ac perfectissimi solatij esse.* Quid sapientius? Plane dum deiectum à culmine propinquum, ac proximum iis tantum iuuas, quibus possit in vita sustentari, non tam illum ornas, quàm eius æternas infamiam. Non tam beneficium illi exhibes, quam longiorem facis eius calamitatem. Tunc solum beneficus erga hunc eris, illique firmum honorem dabis, cum tantis illum imples muneribus, quantis par possit esse gloriæ pristini status. Vbi Angelorum princeps descendens à regalibus sedibus pauper, & humilis in præsepio apparuit Matt. 2. *Ecce Magi ab Oriente venerunt::: Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum. Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Quam Magorum beneficentiam erga paruulum & pauperem puellum extollens Tertul. lib. de Idolol. ait: *Primi igitur stellarum interpretes natum Christum annunciauerunt, primi munerauerunt.* Nec mysterio caret, quod Magi dicantur primi munerasse recens natum Deum, cum pietas Christiana semper exhibeat ante Magos, pastores munuscula sua puero afferentes, nec ego credam pauperculum puerulum potuisse videri à pastoribus, quin illi aliquod munusculum exhiberent. Illud etiam prorsus certum, quod Maria Virgo, & pannos puero dedit, quibus eum inuoluit, & mammam famelico ante Magos sæpe porrexit. Cur ergo non prior dicatur Maria munerasse Deum natum, secundo pastores, & Magi tertio? Vel cur Mariæ, pastorumque muneribus tacitis primi dicantur Magi muneratores Dei? Meritò Magi primi censentur muneratores pueri, quorum munera vt amplissima, & plena mysteriis sic puerulum pauperem extollebant; vt illum regiæ diuinitatis gloriæ, à qua in tantam paupertatem venerat, parem ostenderent. Mariæ autem panni, & vbera, & pastorum munuscula, vt pauperculi infantis solum necessitati succurrebant, sic non tam munerum ornamenta, quam calamitatis videbantur monumenta. Ad hæc D. Leo serm. 1. de Epiph. pro Magis stat fatus: *Consummans ergo Magi desiderium suum, & ad puerum Dominum Iesum Christum eadem stella præeunte, perueniunt. Adorant in carne verbum, in infantia sapientiam, in infirmitate virtutem, & in hominis veritate Dominum maiestatis: vtque Sacramentum fidei suæ, intelligentiaque manifestent, quod cordibus credunt, muneribus protestantur. Thus Deo, myrrham homini, aurum offerunt regi.* Et quidem vt nullum munus exterius ante hæc puerulum pauperem ad primas diuinitatis regiasque diuitias referebat, sic nulla alterius muneris, nec dum materni lactis æstimatur mentio; in comparatione horum, quæ infantem subantiqua Deique, Regisque ostendebant claritate. Licet enim Mariæ munera exhibita infanti, egenti, quantum est ex parte interioris affectus, longe excederent cætera omnia, quæ à Magis, & aliis exhiberentur; attamen iuxta externam solam speciem considerata, vt solum indigentiæ, & necessitati egentis paruuli commensurabantur, sic non tam munera, quam paupertatis monumenta apparebant. In qua consideratione prima ferebant munera Magorum, quæ infantem egentem sub diuinitatis primæ diuitiis ostentabant. Vt discat Christianus in munerando paupere, quam debeat attendere non solum ad præsentem indigentiam, sed ad primum illius statum, ad quem, quoad potuerit, tenetur ex charitate illum reuocare.

Nazian. — *Matth. 2.* — *Tertul.* — *D. Leo.*

§. XI.

Sacerdotes maxime decet in egentes, & peregrinos largitas.

NOn prætermittam illud sace[rd]otis Madian ad filias mandatum, circa hominem pe[re]grinum, nimirum, *Vocate eum, vt comedat panem.* Quæ vox magis sacerdotalis? Pulchrè in præsenti Lippomanus de hoc Sacerdote Madianita fatur: *Dixit ad filias suas, vbi est? Quare dimisistis hominem? Vocate eum, vt comedat panem. Sacerdotes maximè, & suam familiam decet hospitalitas, & beneficentia, & vt nullius operam gratis accipiant, sed liberales sint, & benefici etiam ignotis, maxime autem peregrinis.* Hæc est virtus sacerdotalis, ex qua veri Sacerdotes censentur, si sint in pauperes liberales; nec verus sacerdos est, qui nescit misereri pauperum. Nota est Iosephi historia ex Gen. 47. qui emit omnem substantiam Ægyptiorum, vt illos tempore famis sustentaret. Sic enim ibi habes: *Emit igitur Ioseph omnem terram Ægypti, vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis. Subiecitque eam Pharaoni, & cunctos populos eius à nouissimis terminis Ægypti vsque ad extremos fines eius, præter terram Sacerdotum, quæ à rege tradita fuerat eis, quibus, & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur.* Tanta erat illius temporis fames, vt vniuersi cogerentur suas vendere substantias; soli Sacerdotes in abundantia erant, qui à Prorege accipiebant gratis omnia necessaria. Et quid inde ortum est? Cum Sacerdotes Ægyptij diligentissime curarent, quod omnia temporum suorum insignia posteritati commendarentur, eâ hieroglyphicis figuris consignantes, tantæ famis calamitatem prorsus prætermiserunt, nec vllum eius vestigium apud sacerdotalia scrinia vnquam comparuit. Qui fieri potest, quod Sacerdotes tantæ famis, & tam apud alias nationes decantatæ non meminerint? Hinc merito grauissimus Paulus Orosius colligit illorũ sacerdotij falsitatem, qui vt à Ioseph sustentati erant in frumenti abundantia, non attenderunt ad proximorum necessitatem. Ait enim lib. 1. cap. 8. *Dehinc Sacerdotum Ægyptiorum fallax malitia confutanda est, qui vel astu, quod manifestum est, euidentem iram, misericordiamque veri Dei memoria subtrahere conati sunt: vel forte, vt indulgentius accipiamus, obliti sunt. Illius enim nostri Ioseph prouisione ipsi abundabant frugibus quasi Sacerdotes: sed quia falsi Sacerdotes erant, cum cæteris esurientibus non dolebant.* Et fallar, si in alio se quis falsum Sacerdotem euidentius ostendat, quam in eo, quod esurientium voces ipse fartus non attendat. Hinc sese verus Sacerdos à falsis clare discernit, quod eius fores, & viscera pateant hospitibus esurientibus. Hoc traho illud ex 2. Paralip. 4. *Fecit mare etiam fusile decem cubitis à labio vsque ad labium::: porrò in mari Sacerdotes lauabantur.* Factum fuerat Exod. 38. labrum æneum, quo Sacerdotes lauarentur, at hic à Salomone non fit labrum, nec qualecumque vas, sed mare constituitur in templo pro sacerdotibus lauandis. Quid mare ad Sacerdotes? Multum per omnem modum, vt enim maria nullum non excipiunt flumen, siue riuum, qui ad se accedat, sic Sacerdos debet patere omnibus peregrinantibus. Hinc maris pulchritudinem extollit Cæsarius Nazianzeni frater dialog. 1. fatus: *Pulchrum enim spectaculum mare albicans, cum ipsum constans tenet tranquillitas. Pulchrum quoque, quod cum fluminum sit mater, ipsum eadem rursus suscipit, hinc quidem quasi in lucem proferens, illinc vero recipiens quasi hospites.* Quid pulchrius in mari, quam quod hæc duo appareant in illo, & quod ipsum emittat in lucem omnia flumina, & quod rursus post longas peregrinationes, vt hospites vniuersas aquas recipiat? Qui fluuius non venit in lucem ex mari? Et quem vel paruum riuulum hospitem mare non recipiat? Huc spectet Sacerdos, & vt nullus ab eo non venit in lucem, dum & regeneramur, & nutrimur in Christo; sic nullus debet esse vel pauperculus homuncio, quem Sacerdotalis ianua hospitem non recipiat.

Lippom. — *Gen. 47.* — *2. Par. 4.* — *Exod. 38.* — *Nazian.*

§. XII.

Filiorum examen vera religionis zelum consequitur in Principibus.

ECce vobis fidelis populi propugnator Moyses, vt vxorem accipit, & filiorum examina videt crescere, dicit

enim

enim textus: *Accepit Sepheram filiam eius vxorem, quæ peperit ei filium, &c.* Solent hæc filiorum consequi præmia Principes, qui veræ religionis gaudent ardere zelo. Vnde Paulus Orosius componens inter se Neruam, & Theodosium, ambos Hispanos, ambos Romæ Imperatores, virtutibus cantatissimos ambos, tandem ait lib. 7. cap. 34. *Cum Theodosius in omnibus humanis virtutibus Neruæ par fuerit, in fidei Sacramento, religionisque cultu sine vlla comparatione præcessit, siquidem ille persecutor, hic propagator Ecclesiæ. Ita illi ne vnus quidem proprius filius, quo successore gauderet, indultus est. huius autem Orienti simul, atque Occidenti per succiduas vsque ad nunc generationes gloriosa propago dominatur.* Placuit Orosio Theodosij fœcunditatem regiam cum Neruæ componere sterilitate; vt iam in viris Hispanis ostenderet, vnde imperium in filiis potest æternari. Qui enim Ecclesiæ fuit persecutor, ei datum fuit imperium, data prosperitas in Republica administranda, datæ sunt mille fortunæ aliæ, sed nec vnus filius fuit datus. Hoc habuit Ecclesiæ propugnator Theodosius, qui & reliquit filios eodem imperij diademate claros. Non aliter Euseb. Cæsar. lib. 4. de vita Constantini cap. 74. fatur: *Neque tamen vt Ægyptia auis, nempe Phœnix, quam aiunt sibi ipsi mortem consciscentem in aromatum aceruo emori, ex cineribus vero eius reuiuiscere, & excitari aliam eiusmodi, qualis ipsa fuit; sed saluatoris sui exemplo, qui pro vno fere tritici semine, benedicente Domino, spicam multis seminibus refertam exhibuit, suoque fructu vniuersum orbem impleuit. Ita is ter beatus per triniam liberorum successionem pro vno multiplex redditus est. Hæc exempla cum omnium mortalium Deus in solo Constantino nostris oculis proponeret; nimirum ostendere voluit, quantum inter eos intersit, qui ipsum, Christumque suum colere vellent, & qui contrariam sectam consequerentur, id est, qui Ecclesiæ eius bellum inferrent.* Non iam cum vno, aut alio Imperatore componit Constantinum, qui primus Christi Ecclesiam ardenter protexit, sed cum omnibus aliis, qui Ecclesiam Dei persecuti fuerunt. Sane de omnibus iis Imperatoribus vnus Constantinus filios Imperatores genuit, in quo solo ostendit Deus hoc præmium eorum, qui veræ religionis zelatores erant. Id quod de Iudæis asserebat etiam Minutius Fœlix in Octauio, fatus: *Nam & Iudæi, quamdiu Deum caste, innoxiè, religiose coluerunt, quamdiu præceptis salubribus obtemperauerunt, de paucis innumeri facti, de egentibus diuites, de seruientibus reges.* Et 2. Reg. 6. cum proponatur Michol Dauidis vxor contempsisse Dauidis religionem, quia ante arcam saltauerat, statim subditur: *Igitur Michol filia Saul, non est natus filius vsque in diem mortis suæ.* Vbi Procopius in Glossa fatur: *Michol alienum à regia dignitate esse putauit, quod Dauid publice in omnium conspectu saltabat. Nesciebat enim diuini amoris stimulos, quos sermone Dauid ad ipsam declarabat. Addit ad hæc Scriptura, quod filium non habuerit, suæ irrisionis pœnas indicans. Dein etiam ne regium semen ex illa regnum obtineret.* Sterilescit profecto semen eorum principum, qui veram religionem insectantur, vt fœcundatur eorum semen, qui Ecclesiam Catholicam tuentur. Id quod maxime claret in Legionis, & Castellæ regibus, qui vt Catholicorum cognomen acceperunt, illis filiis, & nepotibus ditati sunt, ad quos vniuersa Hispaniæ regna, successionis iure deuenerunt. Nonne Catholicorum agnomen Ferdinando, & Elizabethæ inditum fuit? Statim in Ioanna filia Aragonij, & Castellæ regna iuncta sunt, & in nepote Philipp. 2. Lusitaniæ regnum iis additum est, in vnumque, quod nunquam antea, omnia Hispaniæ regna confluere iure hæreditaria visa fuere. Vt merito dicere possimus de Catholico agnomine, quod de Christiano dicit D. Nazianzen. orat. 3. quæ est 2. in Iulian. fatus: *Illud enim probe perspiciebat, altius videlicet, magisque regie, quam plerique soleant, de his cogitans, cum Christianorum rebus Romanorum quoque res incrementum simul accepisse, atque cum aduentu Christi Imperium simul ingressum fuisse, cum nondum prius hoc euicisset, vt in vnius principatum plane deueniret. Ob idque merito quidem res nostras magis amplecti mihi videbantur.* Sic Nazianzenus extollit Constantij Imperatoris perspicaciam, & religionem, qui intimius prouentum Romani Imperij perpendens, simul illud videt augeri, & simul iaci Christianitatis fundamina. Quando enim vniuersus Orbis & scribitur, & quiescit sub vno Imperatore Romano, nisi quando simul Christus inuentus est in scripturis Romanis? Quod nunquam Orbis finis in extensum conquiesceret, & quod ad vnum hominem perueniret; id accedit, vbi recens natus Christus Iesum nomen suum dedit Romanorum chartis. Ob quod Imperator Constantius multum deferebat religioni Christianæ. Quid pulchrius? Muta nomen Christianum in nomen Catholicum, & videbis cum Catholicorum regum agnomine, Hispanorum quoque res incrementum simul accepisse, atque cum hoc nomine Imperium monarchicum simul ingressum fuisse, cum nondum prius hoc euicisset, vt in vnius principatum plane deueniret. Quis antequam Catholicum nomen Hispanis Regibus adderetur, euicit, vt Aragonium, vt Castellæ, vt Lusitaniæ regna in vnius deuenerint principatum? Sane quod antea nullus euicit, factum est, vbi Catholicum nomen reges Castellæ condecorauit, quibus simul filij, & nepotes nati sunt, in quorum vno omnia regna clarent. Ob idque merito Ecclesiæ Catholicæ res magis debent reges Hispaniarum tutari. Huic Catholicorum principum fœcunditati comparo Ethnicorum Imperatorum sterilitatem. De vno eorum ait Iudith cap. 3. *Præceperat enim Nabuchodonosor rex, vt omnes Deos terræ exterminaret, videlicet vt ipse solus diceretur Deus.* Et quid ex tam insana præsumptione in Deitatem fuit natum? Carthusian. ibi fatur: *Ideo diuina sapientia Dei decentissime ipsam deiecit per fœminam, & regno eum priuauit in se ipso, ac posteris, eiusque filium regni successorem non habuit.* Sic ibi.

Theodos. — *Euseb.* — *2. Reg. 6.* — *Nazian.* — *Iudith 3.*

Exod. 2. Post multum verò temporis mortuus est rex Ægypti, & ingemiscentes filij Israël propter opera vociferati sunt; ascenditque clamor eorum ad Deum ab operibus. Et audiuit gemitum eorum, ac recordatus est fœderis, quod pepigit cum Abraham, Isaac, & Iacob. Et respexit Dominus filios Israel, & liberauit eos.

§. XIII.

Magnitudo malorum & luctus, & querelarum facultatem solet opprimere. Vbi de Maria luctu iuxta crucem.

MOrtuus est, inquit, *rex Ægypti, & ingemiscentes filij Israel propter opera vociferati sunt.* Cum tyrannus moritur, tunc miseri captiui ingemiscunt, cur non potius ingemiscebant, cum tyrannus viueret? Equidem non ingemiscebant, dum viueret tyrannus, à quo tantæ indies & tam crebræ veniebant afflictionum, & calamitatum inuentiones, vt locum eriperent querelis & gemitibus. Non absimile inuenies in Iobo, cui cum cap. 1. armentorum raptus nunciati essent, insuper & ouium, pastorumque exustio, camelorum furtum, imo & filiorum, filiarúmque extrema ruina, *ipse corruens in terram adorauit,* nullam querelæ vocem emisit. Sed & percussus atrociter est à planta pedis, vsque ad verticem capitis, vt cogeretur domo egredi, sedere in sterquilinio, ibi testa saniem à vulneribus manantem radere, vxoris contumeliam, amicorumque vultus sustinere tristissimos. Quid tunc? In iis erat tacitus septem integros dies. & c. 3. ait: *Post hæc aperuit Iob os suum, & maledixit diei suo, & locutus est. Pereat dies, &c.* Post tanta exantlata mala, in vocem luctuosam prorupit; cur non antea lamentatus est? Cur dum spoliatur, dum orbatur filiis, dum atroci plaga percutitur, dum eiicitur, dum affligitur amicorum aspectu, non luget, non ingemiscit, nullamque vocem doloris emittit, sed post tantum tempus laborum, tunc incipit? Deferbuerat, credo, assiduitate laborum magnitudo, quorum horrendi fluctus, sic crebro antea percutiebant miserum, vt vel gemitibus locum eriperent. De illo D. Nazianzen. orat. 21. in Athanas. *Non enim pecuniam tantum, & prædia, & splendidam, ac numerosam prolem, quæ res ab omnibus hominibus vehementer expetuntur; non hæc, inquam, duntaxat Iob amisit, & quidem ita, vt nec luctibus ipsis ob malorum connexionem locus esset.* Absumebant calamitates catenatæ in pectore ipso a luctus, ne liceret exterius prodire. Sic omnia hominis occupabantur crebris malorum fluctibus, vt nullus maneret exeundi locus gemitibus. Quo spectabat Sapientiæ cap. 4. dum de Deo affligente impios ait: *Disrumpet illos inflatos sine voce;* tanta enim erit acerbitas afflictionis, vt dum præcordia disrumpantur, nullus maneat locus vocibus. Sic ipsi suam calamitatem exaggerantes Ierem. cap. 8. dicunt: *Conuenite, & ingrediamur ciuitatem munitam, & sileamus ibi; quia Dominus Deus noster silere nos fecit, & potum dedit nobis aquam fellis.* Et qualiter Dominus silere eos fecit? Carthus. ait: *Id est, ad hanc calamitatem peruenire reliquit, imò & fecit.* Quippè tot calamitates in miseros à Deo venerunt, vt nec gemitibus, nec vocibus illis locus esset. Quas calamitates optabat hostibus suis Moyses Exod. 15. fatus: *Tunc conturbati sunt principes*

Nazian. — *Ierem. 8.* — *Exod. 15.*

Lata,

Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan. Irruat super eos formido, & pauor in magnitudine brachij tui. Fiant immobiles quasi lapis. Ex Hebræo legit Lippom. *In magnitudine brachij tui sileant quasi lapis.* Non equidem petit illud telum à Dei brachio contorqueri in hostes, quod illos gemere, & clamare faciat, sed illud, quod omnem locum gemitibus auferat, quod sic interna viscera conterat, vt externa rigere faciat, quasi omni sensu doloris carrant. Id quod sæpe contingit in doloribus, calamitatibusque maximis. Vnde Ierem. cap. 8. aiebat: *Dolor meus super dolorem, in me cor meum mœrens.* Expende quam exaggeret suum dolorem, nimirum, quod esset super omnem alium dolorem. Sed quis dolor erat iste adeò magnus, a quo cæteri superabantur? Id explicat verbum Hebræum ibi positum pro dolore, quod Græce sonat, *Meidiama*, & significat eum dolorem, qui sic interna exedit, vt exterius hominem quasi subridere faciat. Quippe ait Diu. Hieron. *In Hebræo non tam dolor est, qui Græcè dicitur. Odins, quam Meidiama, quod nos interpretari possumus rictum oris, dolore contracti, & habentem eius similitudinem.* Ecce tibi dolor super omnes dolores, qui sic concutiat interna, vt exteriora potius videantur subridere. Sanè de mulieribus sequentibus ad crucem Christum, ait Lucas cap. 23. *Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum.* At de matre eius Ioannes ait cap. 19. *Stabat autem iuxta crucem mater eius, &c.* Nullum dicitur ploratum, aut lamentum edere Maria, & quando cæteræ plorabant, & lamenta edebant, cur mater nihil horum agit? An quia minor dolor erat in matre, quam in cæteris? Absit, imò quia Mariæ dolor supra omnium dolores erat, sic omnia concutiebat interna, vt externa apparerent, quasi nihil paterentur. Ait Ernaldus apud Allegorias Tilmanni: *Pectus maternum immanitate doloris urgetur. Suspirat intrinsecus, & erumpentes reuocat lacrymas, & eò amplius anxietas intumescit, quæ egredi prohibetur. Denique formido imperabat dolori silentium, & vrgentium Iudæorum toruis oculis illos turbines suffocabant. Vocum illa tantarum procellarum salsuginem ebibebat, & clausa tanti doloris tormento intrinsecus, alium vultum exhibebat.* Quid immanius? Tanta viscerum procella, omnem locum externis signis negabat. Merito illi aptarim illud Psalm. 106. *Statuit procellam eius in auram*, ex Hebræo *statuit procellam eius in silentium.* Non erat Mariæ procella huiusmodi, vt lamentorum fragoribus sentiretur, sed quæ intrinsecus sæuiens, exteroa omnia immota referebat. Cuiusmodi procellam merito cauebat defuncti Valentiniani sororibus Diu. Ambr. fratur in orat. de eius obitu. *Non igitur velut penicillo quodam sermonis mei vestras abstergam lacrymas. Neque enim id facere vellem, etiamsi possem. Est enim piis affectibus quædam etiam flendi voluptas, & plerumque grauis lacrymis euaporat dolor.* Sic minor sit dolor, qui ploratum facit; ille maximus, & intolerabilis, qui nullum dat locum gemitibus, ploratibus.

Ierem. 8. *Hieron.* *Luc. 23.* *Ernald.* *Psal. 106.* *Ambr.*

§. XIV.

Æquè fugienda, & detestanda sunt, siue pretiosa, siue vilia, quæ nos a Deo auertunt.

NOn otiose tacuit sacer scriptor qualitatem operum, propter quæ lamentabantur Israelitæ, & quæ refugiebant. Quippe ait: *Ingemiscentes filij Israel propter opera vociferati sunt.* Et quando opera hæc circa vilissima erant in luteis lateribus efficiendis ad construendas ciuitates, cur non explicat, quod Israelitæ vociferati sunt propter opera, luti, vel propter opera, quibus carissimas ciuitates construebant? Cur hæc, quæ vel extollebant, vel deprimebant opera, non magis explicantur, sed prorsus prætermittuntur? Equidem apud veros Israelitas non æstimantur opera propter speciositatem, nec fugiuntur propter vilitatem, sed quæcumque illa sint, siue splendida, siue vilia, æque despiciuntur, si in sæculi captiuitate detineant, & a Deo hominem auertant. Hinc Psalm. 113. Idola gentium condemnans ait: *Simulacra gentium argentum, & aurum:* sed & Dan. cap. 5. de Babylonis proceribus ait: *Laudabant Deos suos, aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneosque, & lapideos.* Quando ergo gentium simulacra non solum aurea, & argentea erant, sed & ferrea, & lignea, & lapidea, psalmus non meminit lapideorum, ligneorumque vilitatem, vt sic facilius possent contemni? Cur vilitate omissa, auri pretiositatem produxit in medium? Nihil refert, quod idolum sit aureum, & splendidum, siue vile & abiectum: si enim auertat a Deo, æque debet vel in summa pretiositate contemni. Non longe abest Diu. Gaudentius tract. 9. satns: *Studio tacuit cæteras viliores materias metallorum, vt in pretiosis multo magis damnaret & vilia.* Nihil refert, quod in idolis præterea materiarum vilitates, & pretiositatem proponat, quando id solum attendendum est in omnibus rebus, si ad Deum, virtutemque conducant, vel si ab iis auertant: si enim ad Deum conducunt, vel vilissima amplecti debent; si autem auertunt à Deo, vel pretiosissima fugienda. Sic strenui fideles vnum hoc debent attendere in rebus, nimirum si possint, vel officiant virtuti, vt assumant, vel repellant qualiacumque sint, vel pretiosa, vel vilia. Habes 1. Reg. 17. *Dauidem cum Goliath congressurum, & ait textus: Induit Saul Dauid vestimentis suis, & imposuit galeam æream super caput eius, & vestiuit eum lorica. Accinctus ergo Dauid gladio eius super vestem suam, cœpit tentare, si armatus posset incedere, non enim habebat consuetudinem. Dixitque Dauid ad Saul: Non possum sic incedere, quia non vsum habeo. Et deposuit ea, & tulit baculum, &c.* Ecce tibi vt Dauid repellit aurea Saulis arma, splendentemque eius gladium, & ad vilem pastoris baculum, fundamque recurrit, vt certamen cum Philisthæo ineat. Sed inito certamine subditur: *Præualuitque Dauid aduersus Philisthæum in funda, & lapide, percussumque Philisthæum interfecit. Cumque gladium non haberet in manu Dauid, cucurrit, & stetit super Philisthæum, & tulit gladium eius, &c.* Compone modo vtrumque facinus Dauidis, primo splendentem Saulis gladium abiecit, & ad vilem recurrit fundam, & baculum pastoritium; nunc deiecto hoste, & baculum, & fundam despicit, & ad gladium recurrit. Cur bone modo infuctum gladium arripis, & deiicis baculum, & fundam? Cur non magis deiecti guttura fundæ laqueo strangulas, & sic totum cadauer reptas vsque ad victores mulieres? Cur gladium nunc requisitum, antea non arripuisti, sed magis ad fundam inclinasti, quam modo depellis? An hostis deiectio grandiores tibi indidit spiritus, vt iam vilia repellas, & ad splendentia magis curras? Absit hoc à Dauide pleno diuini spiritus, quinimò ipse sic compositus erat, vt tantum quæreret illud, quo expeditius, & citius ad virtutis triumphum perueniret, siue hoc esset speciosum, siue vile. Dum autem absciso hostis iacentis capite citius triumphum erigeret, vilitatem fundæ, & baculi expuit, & splendorem gladij arripuit; vbi autem insueti gladij, armorumque splendentium onere detinebatur, ne expeditius in certamen iret, splendorem armorum abiecit, & recurrit ad vilem fundam. Quo aspiciens D. Basil. Sel. orat. 15. *Arma tanquam victoriæ impedimenta Dauid exuit, bellicam stolam excutit, stola pastoritia, & virga, ac pera obarmatur.* Expende illa, nimirum, *arma tanquam victoriæ impedimenta Dauid exuit.* Et quidem in eo quod bonus Dauid, aut repellit, aut arripit, hoc solum spectatur, si ad victoriam impediat, aut prosit; ea sola arma quæruntur, quæ impedimenta non sint, sed auxilia; vnde quæ splendida impediunt, abiiciuntur, & vilia quæ iuuant, tenentur; & è contra similiter abiiciuntur vilia ad triumphum virtutis inepta, & præ iis auidius assumuntur splendida. Vtinam sic & nos compositi simus, & solum inspiciamus virtutis impedimenta, ad illa fugienda, & adiutoria ad illa amplectenda; cætera autem speciositatis, vel vilitatis æqualem in nobis affectum excitent. De Iesu Domino nostro dicebat Paul. ad Philippens. 2. *Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod, & Deus exaltauit illum, &c.* Qui sic sedeiecit, cui tandem admisit exaltationem? Cur non magis placuit durare in abiectione, & repulit vsque in finem sæculi exaltationem? An fastidiuit citius vilitatem passionis? Absit, vnum enim respiciebat Iesus, nimirum virtutis progressum, hic dum esset, cætera siue vilitatis, siue exaltationis æqualiter respiciebat. Pulchrè enim ait Euseb. Gallicanus hom. 2. de symbolo. *Humilians itaque semetipsum factus obediens vsque ad mortem, vt sublimior appareret: & Angelis, & hominibus insinuata sublimitas. Quid agis inter hæc superba mortalitas? Ecce Deum non minus delectat humilitas, quam maiestas.* Æque Deum afficiunt humilia, & alta; splendida, & obscura, si æque ad virtutis progressum spectant. Vnum hoc differentiam facit in rebus erga Deum, nimirum quod virtus stet, ad huius progressum, quæ impediunt, aspernanda sunt, vel sint obscura, vel splendida; quæ autem non impediunt, sed iuuant, ea placent in quauis sint vilitatis, aut pretij differentia. Id quod in Abrahamo patet, qui Gen. 22. à iugulo filij abstractus, *leuauit oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus. Quem assumens obtulit holocaustum pro filio.* Quanta hæc differentia holocausti apud patrem? Pulchrè ait D. Zeno serm. 5. de Abrah. *A filio ad agnum transtulit dexteram, semper lætatus, & gaudens, nec mutatus est vultus eius, cum esset victima commutata. Cum tanta lætitia arietem obtulit.*

Gauden. *1. Reg. 17.* *Basil. Sel.* *Ad Phil. 2.* *Euseb.* *D. Zeno.*

abstulit, cum quanta obtulerat filium. Vnum spectabat bonus, nempe Dei obsequium; quæ ad hoc pertinebant, æque respiciebat, siue essent dura, siue blanda. Æque gaudebat in durissimis, ac in blandis, si per vtraque æque Deo famulabatur; vt æque fugiebat blanda, ac dura, si Deus per vtraque offendebatur.

§. XV.

Oratio cum afflictione, & lacrymis iuncta, vt efficax est.

SImul vt filij Israel ingemiscentes clamant ad Deum, Deus illorum gemitibus maxime attendit. Ait enim: *Ingemiscentes filij Israel propter opera vociferati sunt: ascenditque clamor eorum ad Deum ab operibus. Et audiuit gemitum eorum.* Non vacuus recessit Israelitarum gemitus, sed vt Dei aures tetigit, Deus statim ingemiscentium hominum fuit misertus. Vt sapienter dicat Nazianzen. orat. 18. *Neque enim Deus vlla de re perinde, atque corporis ærumna, conciliatur lacrymisque misericordia vicissim rependi solet.* Et ærumnoso homini, & lacrymanti, & ingemiscenti, quam citissime Deus adest. Id quod Ezechiel cap. 18. apud Nazianzenum fatebatur aiens: *Si conuersus ad Dominum ingemueris, tunc saluus eris.* Quocirca ipse Nazianz. orat. 17. fatur: *Si, inquit, conuersus ad Dominum ingemueris, tunc saluus eris. Videtis, quemadmodum salus cum gemitu coniuncta sit? Et adhuc te loquente dicet: Ecce adsum. & loquetur animo tuo, Salus tua sum. Nihil inter petitionem, & rei petitæ obtentionem intercedit, non aurum, non argentum, non splendida, & eximia gemma, non cætera quibus hominum mentes ad lenitatem, & clementiam inflectantur.* Vt humanæ mentes ad misericordiam trahantur, id solet efficere aurum, vel argentum, vel dona alia pretiosa, quæ exhibentur. At apud Deum, nil horum intercedat, necessum est; & gemitus, & lacrymæ adsint, & iis coniuncta salus à Deo venit. Nescit enim Dei benignitas contineri, vbi oratio cum lacrymis accedit. Quare Dauid clamabat Psalm. 38. *Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam auribus percipe lacrymas meas.* Merito orationi exaudiendæ lacrymas adiunxit, ne eius petitio frustretur. Ex quo Petrus Dam. opuscul. 13. cap. 12. aiebat: *Non possunt lacrymæ in sua petitione contemni, quæ & magnum voces habent in auribus creatoris, quas voces ille ad Deum frequenter emiserat, & quid ad obtinendum possent, subtiliter nouerat, qui dicebat: Exaudi orationem meam Domine, auribus percipe lacrymas meas. Lacrymæ nempe cum in conspectu pij iudicis supplicant, nihil hæsitant, sed sic misericordiam tanquam rem quamlibet proprij iuris sibimet vendicant, & impetrasse se quod petebant, confidenter exultant.* Solet equidem gemitus cum obtentione rei petitæ videri coniunctus. De quo sæpe aliàs in Euangelij Moralibus diximus.

Ezech. 18. *Psal. 38.* *Petr. Dam.*

§. XVI.

Hoc valde miserum est, quod nec calamitates nos ad Deum impellant.

VIuente Rege miseri Israelitæ, nec mutiebant, duris laterum operibus prægrauati: vbi autem mortuus est rex, *statim ascendit clamor eorum ad Deum ab operibus.* Et cum antea essent eadem afflictionis opera, cur etiam ab eisdem operibus non ascendebat vllus ad Deum clamor? Cur non rege viuente, sed mortuo durissima seruitutis opera miseros ad Deum quærendum excitabant? Sanè hæc est summa crudelissimi in nobis viuentis Domini tyrannis, quod nec calamitas nos faciat ad Deum properare. Pulchro exemplo hanc tyrannidem D. Nazianzen. orat. 3. quæ est secunda in Iulianum, explicabat. *Non in virtute proficere, neque ex veteribus subinde nouos effici, sed eodem statu hærere, in vitiis ponimus. Ita enim nobis idem, quod trochis accideret, quos in orbem volui, non autem progredi videmus, atque immota, vt sic loquar, scutica vi impulsos rotari.* Quid magis apposite? Sunt trochi, quibus pueri vtuntur in ludo. Hi autem simul atque flagello percussi sunt, motu quodam impelluntur; verum sic impelluntur, vt tanquam in centro quodam sese versantes, propemodum defixi esse videantur, vt qui in orbem moueantur, & locum minime mutent. Hoc ipsum ex magna dæmonis tyrannide accidit miseris hominibus, qui calamitatum flagellis percussi nullum gradum ad Deum faciunt, sed in eodem vitiorum centro voluuntur, eisdem prauis consuetudinibus defixi. Vt merito de iis dicat Ecclesiastes cap. 10. *Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in vrbem pergere.* Alia litera habet; *Labor stultorum plagabit eos, &c.* nec aliter magis potuisset exaggerari hominis misera stultitia, quàm dum ostenditur, vel inter afflictiones, & plagas esse, nec inde oculos abiicere, vt nouerint æternæ ciuitatis adeundæ vias. Hinc inde flagellis percutiuntur hominum miserrimi, & stultissimi, & in vitiorum centro se versantes, à malo ad peius voluuntur, nesciunt in cœlestem ciuitatem pergere, imò nec ad illam faciunt gradum vnum. Quam extremam hominis miseriam impio adscribebat Iob cap. 20. aiens: *Omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis eius: deuorabit eum ignis, qui non succenditur; affligetur relictus in tabernaculo suo.* Non illum extrahent afflictiones à peccatorum tabernaculo, vt in Dei ciuitatem abeat: sed & afflictiones, & flagella, & exustiones illi aderunt; ipse tamen inter has nullam mutationem ostendet, nullum gradum faciet, quo ad Deum vadat, sed in eodem vitiorum loco rotabitur. Quid miserius? Huc trahe dicta 1. tom. in Euang. lib. 4. cap. 1. §. 15.

Nazian. *Eccles. 10.* *Iob 20.*

Exod. 3. Moyses autem pascebat oues Iethro soceri sui, sacerdotis Madian: cumque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quod rubus arderet, & non combureretur.

§. XVII.

Athleta Dei ne statum abiectum, & humilem, in quo positus est, mutare festinet. Vbi ambitiosi taxantur.

QVi Israelitarum dux designatus erat Moyses, imo qui & Sacerdotis, & Principis Madian erat gener, pastorem ouium in agris agebat quadraginta annis. Sic enim textus: *Moyses pascebat oues Iethro soceri sui, Sacerdotis Madian:* nec huius pastoritiæ vitæ tempus nos sinit ambigere Actorum cap. 8. vbi dicitur de Moyse: *Factus est aduena in terra Madian, vbi generauit filios duos. Et expletis annis quadraginta, &c.* Itaque apud Principem Madianitam fuit Moyses quadraginta annis, nec aliud ibi munus dicitur obiisse, quam illud, quod erat circa pascendas oues. Et cur homo ad regnum destinatus, non magis ambiebat sese intromittere regni negotiis? Cur fastidiens rusticam pastoris vitam, non magis ciuilia, alta, & splendidiora munera sibi sollicitabat ex socero? Magnus Dei athleta in quo munere semel fuit positus, etsi abiecto, & vili, tamen ibi manebat, nec de splendidiore alio obtinendo cogitans. Quæ virtus vt rara est, & propria Dei athletis, sic maxime commendatur à D. Nazianz. orat. 9. *Ne quis igitur caput sit, qui vix aut manus, aut pes, aut vilius quoddam aliud corporis membrum est: verum quo vocatus est, in eo gradu quisque maneat, etiamsi alioquin præstantiori dignus sit, plus vtique laudis habiturus ex eo, quod in præsenti gradu acquiescit, quam si eum quærat, quem non accepit.* Ecce tibi vnde crescat laus hominis fidelis, nimirum ex eo quod in eo gradu maneat, in quo positus est, nec præstantiorem ambiat, nec quærat. Quanta hæc laus in electis sit, in filiis Abrahæ ostendebat Dominus dicens Gen. 13. *Faciam semen tuum sicut puluerem terræ.* Et cap. 15. de eisdem loquutus ait: *Suspice cælum, & numera stellas, si potes: sic erit semẽ tuum.* Iam filios Abrahæ comparat terræ pulueri, iam cœli astris: vt credamus duo ex Abrahamo proditura filiorum examina; aliud nõ solum numero, sed splendore, & gloria simila cœlestibus astris; alterum & numero, & vilitate pulueri terræ comparatum. Sed cur deiectos, & reiectos Abrahæ filios pulueri, splendidos autem, & electos astris comparare maluit? Quid habet puluis terræ, quod sordeat in filiis Abrahæ? & quid habent astra, quod in illis splendeat magis? Terrenus puluis nescit in suo quiescere statu, sed per varias generationes, in perfectiores formas amat transmutari; vt qui in se turpis est, in olus, siue in florem transmutatus, de pulchritudine contendat, cũ quolibet pretioso lapide. At astra cœli hoc singularissimum habent, quod in eo ordine, & statu in quo cõdita sunt, in eodẽ perseuerant, quin nec præstantiorẽ aliũ desiderarint. Quo spectãs D. Valerianus hom. 1. fatur: *Tanta est disciplinæ ratio, vt intra temporum metas lege conscriptum, ita indefessi itineris alternis vicibus syderum cursus agitetur, vt nec Luna defectionis suæ damna effugiat, nec Solem diutius luminis flamma destituat.*

Actor. 8. *Nazian.* *Gen. 13.* *D. Valer.*

Quid pulchrius? Per tot annos in nullo ab ordine suo exorbitarunt astra. Nec miror, quod Sol in tot susceptis viis, vel minimum radium luminis non amiserit; non, inquam, hoc miror, cum naturale sit creaturis integram suam gloriam niti conseruare. Illud mirandum est in stellis, & Luna, quod cum defectionis patiantur damna, & obscuritates, per tot sæcula non effugerint hæc damna, nec vel in minimo sortem suam meliorare fuerint conata. Tanta equidem est in cœlestibus disciplinæ ratio, tanta virtus, vt quæ defectionibus turbantur, in iis defectionibus maluerint durare, quia id mundi lex præscribit, quàm ad perfectiorem sortem exorbitare. Ex quo non immerito splendent lectissimi filij Abrahæ. Crede enim mihi, quod homo, qui in inglorio statu constitutus, nō ambit perfectiorem alium, is ad splendidissima cœli lumina pertinere notatur. Qui autem ab vno ad perfectiorem contendit semper transmutari, is terrenæ pulueri exæquatur, nunquam non potentiorum pedes allambens, nunquam non in reiectorum numerum deputandus.

§. XVIII.

A te factum ostendas, necessum est, quod aliis faciendum persuadere amas.

O Clarissimam veri Domini apparitionem! *Apparuit enim ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quod rubus arderet, & non combureretur.* Sic verus dominus flammantem, & innocuum sese ostendit, vt nequid detrahat flammarum veritati, nec vel vili rubo inferat damnum. Et cur adeò flammans, & innocuus sese in præsenti ostēdit? Veniebat excitaturus Moysem ad populi principatum, & vt principē doceat veri principis mores, quibus inter potentiæ, & seueritatis flammas, debet maximè cauere, ne vel minimo homuncioni inferat damnum, sic ipse vere Princeps, & Dominus ostenditur, & flammans, & innocuus, vt nec lædat vilissimæ stirpis ramum. Multum enim interest, quod à te ostendas factū, quod faciendum cupis persuadere aliis, Actor. 2. vbi Spiritus Sancti visibilem aduentum proponit, ait: *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum.* Non immoror in eo, quod spiritus diuinus sese in flamma ostendat innocua, quod veri dominatoris propriū est, sed illud noto, quod sese ostendat sub specie splendētium linguarum. Et cur Domine nunc maxime splendentis linguæ in te refers speciem? Veniebat equidem, vel in rusticis hominibus linguarū splendorem excitare, ne mirum videatur, quod in se eam formam præmonstrat, quam amat etiam excitare in aliis. Ait Nicetas in orat. 42. Nazianz. *Igneas linguas conspicati sunt, non quod similis linguæ diuina figura sit, sed quia circa linguā futura erat spiritus operatio* Vide, quā sit perfectum, & efficax diuini spiritus magisterium, vbi nititur hominū linguas illustrare, illasque non in proximorum vstionem, sed in lucem reformare, nil prius ipse facit, quam sese sub splendentibus linguis ostentare. Similiter vbi Iesus baptizabatur in Iordane, dicitur Luc. 3. *Descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut colūba in ipsum, & vox de cœlo facta est: Tu es filius meus, &c.* Vocem autem hanc de cœlo factam putat D. August. venisse à patre per nubē. Et cur modo Pater è nube sonat, Spiritus sanctus apparet sub specie colūbæ? Iam ibi Trinitas persuadebat hominibus baptismū Christianum, ideò & ipsa debuit se ad naturas aquarum efformare, vt ostenderetur, vel de nube, quæ ab aqua venit, in columba, quæ de aquis generata est cum cæteris auibus. Aug. lib. 3. de mirabil. Script. cap. 5. fatur: *Idcirco in nube, & columba imagine pater, & Spiritus sanctus ad baptismum veniunt, quoniam aquatica natura res illa aliquid haberent. Dum enim in terra filius, ad baptismi mysterium aqua creaturam elegisset, necessum fuit, vt & pater per aquaticam nubem intonaret, & Spiritus sanctus illud corpus, quod de aqua in principio factum est, ex illa nube acceptum simularet.* Equidem quando à Deo ad aquæ baptismum vocabamur, merito tota Trinitas sese sub aquaticis naturis manifestabat, quando enim & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sub aquaticis naturis fulgebant, maxime persuadebant hominibus confugere ad aquas. Sic etiam Matth. 9. *Et cum transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in teloneo, Matthæum nomine. Et ait illi, Sequere me.* Transiens vocat Matthæum, & cur non magis sedens vocat? Volebat, vt ille transiret ad bonam frugem, ideò, & transiens vocat ipsum. Ait Paschas. lib. 5. in Matth. *Et notandum, quod transiens eum videt, & vocat. Ad hoc quippe vt & ipse de hoc sæculo transiens ad æterna quantocyus festinet.* Sic te eo habitu induas, ad quem alios trahere curas.

Actor. 2.

Luc. 3.

August.

Paschas.

§. XIX.

Multum extollit Dei potestatem, quod infirma res cula possint stare aduersus validissimos aduersarios.

VBi Deus suam potentiam aduersus Ægyptium ostensurus aduenit; ecce tibi in quo sese nititur manifestare; quippe ait: *Apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi, &c.* Vilem rubum prætendit inter medias voracissimas flammas viridantem. Et quidem in nullo clarius ostenditur Dei brachium, quam in eo, quod vilis, & infirma plantula illæsa inter validissimos aduersarios appareat. Si cedrus esset, quæ mediat inter flammas non exureretur, forsan tribueretur eius incorruptibilitati; ideò non cedrus, sed rubus vilis, & facilis esca flammarum obiicitur, vt de tubi infirmitate, & vilitate euidentius Dei potestas clareat. Hinc Saul perterrefaciebat Dauidem. 1. Reg. 17. *Non vales resistere Philisthæo illi, nec pugnare aduersus eum, quia puer est, hic autē vir bellator ab adolescentia sua.* Sapiens rex iuxta creatam potentiam æstimās certamen, puerum inexpertum absterret, ne parere audeat coram validissimo, & exercitatissimo aduersario. Quid ad hęc Dauid? An euidentia discriminis abstinuit à certamine? Absit: imo quo infirmior, eo alacrior init certamen, in quo videbat vnam diuinam potentiam esse exaltandam. Ait enim ipse apud D. Basil. Sel. orat. 15. *Qua ratione à proposito certamine conaris me auertere, acrius ò Rex ad pugnam euocasti. Hic quidem bellator, ego verò belli inexpertus, qua res animos mihi facit: neque enim viribus meis fretus, sed gratia in aciem prodeo.* Et quidem vbi trophæa erant erigenda diuinæ gratiæ, diuinæ potestatis, non contemnenda infirmitas, & vilitas pugnatoris, sed maxime erant æstimandæ, vt quæ multum commendent Dei potestatem. Quam potestatem Dei ille magis extollit, qui in strenuis victoriis minus ostendit creatæ potestatis. Postquam magnus iste Goliath ab inermi puerulo prostratus est vno ictu lapidis, arripuit Dauid interfecti gladium, & eius scidit caput, & gladium appendit in Dei tabernaculo. Sic enim habes 1. Reg. 17. *Assumens autem Dauid caput Philisthæi, attulit illud in Ierusalem, arma vero eius posuit in tabernaculo suo.* Indeque transtulit gladium in tabernaculum Domini ad perpetuam rei memoriam, vt habes cap. 21. Sed cur Dauid in tanti triumphi attestationem gladium Deo victori appendit? Cur non magis fundam, & lapidem hærentem tyranni capiti, Deo apposuit? Sanè gladius non deiecit monstrum, sed deiecti, & defuncti caput abscidit; funda vero & lapis totam illam perfecerunt victoriam: cur ergo non magis hæc tabernaculo Dei appenduntur, sed iis dimissis vnus gladius appenditur? Sanè Dauid, vt curabat extollere Dei potentiam, sic minuere conabatur instrumenta victoriæ, illud satagens ne ex parte sua, vel minimum adiutorium appareret, vt clarior fieret Dei triumphantis victoria. Ad hæc D. Basil. Sel. orat. 15. *Sectum caput cum sectore gladio, victoriæ partat donatum offert, & cum qua deuicerat, Deo offert, et victoriam arrogat. O qui palam egisti fidem ad pugnam nullis egere armis! O qui in teipso palam fecisti fidei vim.* Fundam, & lapidem suum dissimulat, & contemnit, & pro nihilo habet, solum hostis gladium appendens, vt sic clarius effulgeat Dei potestas, quominus ex sua parte Dauid habuisse testatur. Hinc Matth. 2. inducitur Bethlehem lætis lacrymis prosequens puerorum innocentum triumphos aduersus tyrannum validissimum Herodem. Ait enim, *Rachel plorat filios suos, &c.* qui ploratus, non luctus, sed lætitiæ, sed triumphi fuit, quod inermes, & infirmi puelli sic turbent, & comprimant regem fortem. Sed vt hos Bethlehem triumphos superaret Lugdunus Gallicus, vnius virgunculæ Blandinæ certamina in medium promit. Et quid virguncula vna cum tanto exercitu puerorum? Multum sane, vbi enim potestatis diuinæ res erat, ibi magis æstimatio crescit, vbi infirmior, & vilior est causa victoriæ. Ait Euseb. Gallican. hom. de sancta Blandina: *Digne tecum, ò Bethlehem, Lugdunus noster certaret, & super diuinis circa vtraque beneficiis velut collato tecum sermone contenderet: Beata enim illa morte, qua Herodes dum sacrum puerum quærit solum, tantum pueros immolauit, exemplum tamen sexus vnius, omnino vterque promeruit: mea pugna palmam de mundi principe etiam in fœminis reportauit.* Quid pulchrius? Ibi maior diuinitatis triumphus, vbi imbecillior, & vilior miles apparet in certamen. Quam gloriam Deo inuidens Geisericus tyrannus Paulilli pueruli martyrium occultabat, ait enim de illo D. Prosper in Chronico: *Puer autem Paulillus nomine pro elegantia formæ, atque ingenij admodum regi acceptus à professione, atque amore Catholicæ fidei cū nullis minis deturbare*

1. Reg. 17.

Basil. Sel.

1. Reg. 17.

Basil. Sel.

Euseb.

D. Prosp.

turbare

turbare posset, diu fustibus cæsus ad infamem seruitutem damnatus est, nec ideo, vt appareret interfectus, ne superata sanctia tyrannus Regis etiam illa atas gloriaretur. Nemo enim non videt, quam gloriosum est Deo, quod pueruli imbecilles inter rabidissimos tyrannos in triumphos eant.

§. XX.

Plus lædunt imperium vitia regnantium, quàm rabidissimorum hostium incendia.

STrepebat ignis flamma in medio rubi, & videbat, *quod rubus arderet, & non combureretur.* Quid hoc portenti? Theodoretus ait: *Significatur Israelem ab Ægyptiis inimicis, atque infestatoribus haudquaquam consumendam fore.* Itaque rubus Theodoreto est populus Israeliticus; ignis autem est Ægyptiorum tyrannis, quæ minime Israelem vastabit. Sed & Isaias longe aliud de Israele vaticinatur cap. 9. aieos: *Succensa est quasi ignis impietas, veprem, & spinam vorabit; & succendetur in densitate saltus, & conuoluetur superbia fumi. In ira Domini exercituum conturbata est terra, & erit populus quasi esca ignis.* Compone modo spinam, & spinam, rubum, & rubum, hoc est populum Israeliticum, & ipsum populū Israeliticum: ibi flammis circumdatus non comburitur; hic prorsus vorarur à flammis; ibi flamma parcit rubo, non consumit populum, hic flamma deglutit veprem, & spinam, omnisque populus fit esca flammarum. Et cur rubus, qui primo loco viret inter flammas, secundo loco in cineres, & fauillas abit? Equidem primo loco per flammam ignis exprimebatur Ægyptiorum tyrannis aduersus Israelitas, quæ minime illos consumere valuit. In secundo autem loco per ignitam impietatem ostenditur concilium principum Hierosolymitanorum aduersus Iesum coactum, vt probat, & testatur Leo à Castro in præsenti, à quo concilio manauit extrema ruina populi. Non equidem hostilis Ægyptiorum rabies sic cōbussit Israelitas, vt illos combussit, in cineresque conuertit malitia suorum principum Annæ, & Cayphæ. Et quando non magis perduntur regna à malitia regnantium, quàm à furore potestarum contrariarum? Rem in Barbaris sub Alarico Romam vastantibus, & Nerone ponderat Paul. Orosius lib. 7. cap. 39. fatus: *Tertia die barbari, quam ingressi vrbem fuerant, sponte discedunt, facto quidem aliquantarum ædium incendio, sed ne tanto quidem, quantum septingentesimo conditionis eius anno casus effecerat. Nam si exhibitam Neronis Imperatoris sui spectaculis inflammationem recenseam, proculdubio nulla comparatione æquiparabitur, secundum id, quod excitauerat lasciuia principis, hoc, quod nunc intulit ira victoris.* Et fallar, nisi hoc contingat singulis regnis, quibus nunquam tantam attulere vastitatem hostium rabies, quantam affert malitia regnantium. Vt merito dicat Ecclesiastes cap. 10. *Est malum, quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens à facie Principis. Positum stultum in dignitate.* Ecce tibi malum omnium euidentissimum, quod per erroneas Principis cupiditates fit, nimirum quod homo stultus, nihil prudentiæ Christianæ habens, sed totus traditus desideriis suis, ad principatum euehatur, & in dignitate constituatur. Et quantum hoc malum? Fallar nisi in eo tota Iudaici regni tragœdia repræsentetur quotidie. Vt enim vidimus in Iudaico regno, quod ab hostibus truculentissimis illæsum, funditus perdiderunt Principes nefarij, qui filium Dei egerunt in crucem: sic similiter in singulis regnis videbimus, quæ non rabies hostiles, sed regnantium stultitia, & vitiositas impellunt in extremam ruinam. Quam cladem ad suam Cirenem accessisse ex pessimo Proconsule Andronico sic D. Synesius lamentatur epist. 58. *Horrenda ad carnificinam instrumentorum genera primus intulit, digitale pedum distortorium. Prælum, & nasi pressorium, & auribus ac labris detrahendis forcipes. Dei vero sacerdotibus ea minatur, quæ vel Phalaris Agrigentinus, vel Cephren Ægyptius, vel Sennacherib Babylonius minatus esset, is qui Ierusalem Deo, atque Ezechia conuiciaturos misit. Illam ego dico diem alteram Deo crucem attulisse. Et hac Sol vidit, non Tiberio Claudio Rempublicam administrante, à quo Pilatus ad Iudæorum Præfecturam missus, sed pia Theodosij sobole Romanorum sceptra moderante, à qua furtim Andronicus sibi Imperium ambiit, eadem qua Pilatus mente præditus.* Pulcherrime sanctus vir totam Iudæorum tragœdiam in patria sua proponit per vnum Andronicum repræsentatam. Passus enim est populus Iudaicus truculentissimos tyrannos, dum à Cephrem Ægyptio captiuus detinetur, dum à Sennacherib ingenti exercitu arcte cingitur. Sed ab iis rabidissimis hostibus liber, & incolumis euasit. Accesserunt Principes Annas, & Cayphas, & Pontius Pilatus, qui crucem Iesu fuerunt meditati, & quis deinde miseri populi memoret calamitates, quibus penitus iacet dissipatus? Similiter in Cirene, ait Synesius, *Sol vidit alteram Dei crucem*, vidit enim blasphemias in Deum, calamitates in ciues, tormenta inaudita, ruinas, quas nullus hostis inferret; nec Phalaris, nec Cephren, nec Sennacherib, nec vllus alius Romanus tyrannus. Et quis potuit tantas inferre populo Christiano calamitates? Vnus nequam præfectus Andronicus, qui furtim, & per errorem à Theodosij filio imperium accepit. Sic errores, & vitia regnātium molestiora solent esse subditis quàm hostilia arma. Id quod euidentissime etiam patet in Dauide, sub cuius imperio mille hostes pertulit populus, millia iniuit cum hostibus certamina, ex quibus & victor, & illæsus apparuit. Sed clarus Dauid, dum subditorum numero amat gloriari, quis narret eius regni luctuosissimam cladem? Eam notat 2. Reg. 24. *Immisit Dominus pestilentiam in Israel, de mane vsque ad tempus constitutū, & mortui sunt ex populo de Dan vsque ad Bersabee septuaginta millia virorum.* Nunquam ab hostibus populus exceperat tantam cladem, quantam modo illi intulit vna regis elatio. Merito ergo dixit Ecclesiastes supra. *Est malum, quod vidi sub Sole, quasi per errorem egrediens à facie principis. Positum stultum in dignitate.* Quæ verba sic in rem præsentem explicat Chaldæus Costi: *Est & malum, quod hoc in orbe, in luce omnium est, quanta incommoda in orbem inuehant calumniosa verba, quæ aperta, & à principe in quemquam dimanant.* Ea sunt mala quæ à principe nequam oriuntur, quæ valeant, vel totum orbem incommodare. Ne mirer, nihil magis caræ dæmoni esse, quàm pessimos homines Reipublicæ præficere, ibique illos prosperrimis euentibus fulcire. Vnde verba illa Ecclesiastæ 10. *Per errorem egrediens à facie principis. Stultum positum in dignitate.* Sic explicat D. Greg. Thaumaturg. vt per principem intelligat Diabolum. Ait enim: *Tyranni autem, patrisque omnis malitiæ opera fuerint, stultum quidem in sublime attolli.* Id quod D. Synesius epist. 79. in suo pestilenti Andronico notabat, aiens: *Sed mihi ille videtur, cum huiusmodi sit, malorum dæmonum prouidentia, ac præsidio fulciri, qui laude hominum, ac secundis rebus afflare, diras illas ac detestabiles animas volunt, quibus ad publicas calamitates administris, atque instrumentis vtuntur. Quare ex iis gloriam illi quasi forti viro, ac strenuo comparant.* Sic ibi.

Theodor. — *Isaias 9.* — *Orosius.* — *Eccles. 10.* — *Synesius.* — *2. Reg. 24.* — *Eccles. 10.* — *Greg.* — *Synesius.*

§. XXI.

In Christi Domini aduenientis mysterio leges naturæ minimè spectandæ.

V*Idebat equidem, quod rubus arderet, & non combureretur.* Quid ibi naturale? Sed quando ibi Christi Domini aduenientis exprimebatur species, vt ait Nissen. Amb. Ber. & multi alij apud Lippomanum, nil requirendum erat naturale. De Sara Abrahæ vxore dicitur Gen. 21. *Concepit, & peperit filium in senectute sua.* Et quidem Agar in iuuenili flore ex Abrahamo conceperat filium; cur Sara relinquitur senescere, & funditus sterilescere, & tunc illi datur, vt concipiat filium? In conceptione, & natiuitate Isaaci adumbrabatur mysterium venturi Christi, & ideo debuit ad illam conceptionem, quidquid naturæ erat, finiri. Ait enim Eucherius ibi: *Significatum est magnum Sacramentum in duobus filiis Abrahæ, quod vnus de ancilla secundum carnem natus est Ismael: alter est autem de Sara libera secundum promissionem natus; vterque quidem de semine Abrahæ, sed illum genuit demonstrans consuetudo naturæ, illum vero dedit promissio significans gratiam. Ibi humanus vsus ostenditur, hic diuinum beneficium commendatur. Sed vbi significandum fuerat Dei donū, quod ingratis hominibus gratis gratia largiretur, sic oportuit filium dari, quemadmodum naturæ non debebatur.* Nihil naturale apparere oportebat in eo, in quo Dei donum adumbrabatur, quo cum adhuc inimici essemus nos, venit Deus nostram salutem operari. Hinc Luc. 1. Virgini dicit Angelus: *Concipies & paries filium.* Quale hoc verbum ad Virginem? Chrysol. ser. 142. *Nostra ergo carnis ordo secedat, hic sibi natura nostra nil vindicet, vbi ad diuinam progeniem cælestis ordo, diuinum instituitur in naturam.* Nunquam equidem requirendæ sunt leges naturales, vbi diuini regis componuntur natalitia. Similiter roganti virgini: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Respondet ipse Chrysol. *Prætermitte naturæ ordinem, recognosce ordinem creatoris.* Quidquid enim ad naturæ ordinem pertinet, prætermittendum est, vbi creator naturæ accedit ad hominem.

Gen. 21. — *Luc. 1.* — *Chrysol.*

§. XXII.

Vt conuiuia possunt longis ieiuniis æquiparari.

MIrabar voracissimi elementi abstinentiam, quando *apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi: & rubus ardebat, & non comburebatur.* Quid sanctius? Non miror, quod ignis sic ieiunus iuxta pabulum, vel circumiacentem terram sanctificaret. Sed illud etiam mirandum, quod Isaias ait cap. 10. *Erit lumen Israel in igne, & Sanctus eius in flamma, & succendetur, & deuorabitur spina eius, & vepres in die vna.* Sane vtrobique Deus in igne apparet, & vtrobique Dei sanctitas æque splendet. Sed in Exodo Dei sanctitas splendet in igne ieiunante circa spinosi rubi pabulum; in Isaia autem splendet Dei sanctitas in igne vorante spinas, & vepres. Cur non magis sanctitas Dei fugit à voratore elemento, vt solum appareat in ieiunante? Absit hoc à Deo; solent enim in sanctis viris æque laudabilia esse, & conuiuia, & ieiunia larga, cum & illa ad bonum animarum ordinantur. Habes Iesum in deserto ieiunatorem, habes eundem Hierosolymis conuiuantem vel apud ipsos publicanos; quid inde? Defecit Iesus in iis conuiuiis a perfectione vitæ, quam in eremo sui ieiunii inchoauerat? Nullo modo; sed longissimis ieiuniis æqualem sanctitatem halant conuiuia abstemia, quæ ad proximorum vtilitatem ordinantur. De quo extollit Episcopum Patientem nomine Sidonius Apollin. lib. 6. epist. 12. fatus: *Omitto te tali semper agere temperamento, sic semper humanum, sic abstemium iudicari; vt constet indesinenter regem præsentem prandia tua; regiuam laudare ieiunia.* Æquè in bono Prælato laudabilia apparebant prandia, ac ieiunia, quando his, & illis vtebatur, prout se offerebat occasio animarum ad Dei sagenam acquirendarum. Id quod in sancto Sulpitio laudabat idem Sidonius Apollin. lib. 7. epist. 13. vbi ait: *Tota illi actionum suarum institutio, celeritas, mora, Christus est quodque mouere, vel laudes, nihil otiosum facit; iam nihil faciat non quietam. Io vnius delectatur, edulibus acquiescit: illis adhæret propter consuetudinem crucis, illis flectitur propter gratiam charitatis: summo vtrumque moderamine, quia comprimit, quoties prandere statuit, gulam, quoties abstinere, iactantiam.* Itaque vt Christi crux imperat suis ieiunia, sic & charitas solet imperare prandia, ne manducantem spernat ieiunus, nec ieiunium infructuosum reputet, qui prandet. Sed vel in prandio, vel in ieiunio maxime finis debet spectari.

[Margin: Isaias 10. — Apoll. — Apoll.]

Exod. 3. Dixit ergo Moyses: Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.

§. XXIII.

Præstanti, & sublimi viro detrimentosum est, magna non aggredi.

VIde Moysem ad magnitudinẽ miraculi visi magis audentem; quippe ait: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam.* Sed & vide Petrum miraculi magnitudinem in piscium captura fugientem: visa enim piscium captorum multitudine, Luc. cap. 5. stupẽs, & tremens ait Iesu, *Exi à me, quia homo peccator sum.* Tam longe abest, vt ipse currat ad miraculi authorem, quod ab illo abesse magis exoptet. Et vnde Petrus ad miraculi magnitudinem pauet, Moyses autem ad illam magis accurrit? Equidem Petrus pauperculus erat piscator in paruis semper nutritus, nõdum ex alto virtutem induerat, & ideo tutius sibi putat, si à rebus magnis abstineat. Moyses autem & regie, & inter magna nutritus, quo maiorem rem aspectabat, eo ardentius ferebatur ad illam; nunquam enim non est detrimento, magno, & præstanti viro, si res magnas aggredi dissimulet. Sapienter ad hæc dicebat D. Nazianz. orat. 1. *Etenim sublimi viro detrimentum est res magnas non aggredi, nec virtute ad multos propagare, sed in paruis consistere, non secus ac si magno lumine paruam domum illustret, aut virilibus armis puerile corpus obtegat: parua autem salus in eo consistit, vt paruum onus subeat, nec iis rebus, quæ vires eius extedant, se ipsum subiiciens, &c.* Itaque vt parui animi salus in eo cõsistit, quod se in paruis contineat, sic nunquam non detrimentosum est præstãti, & sublimi viro, quod ad magna non currat, neque in magnis ambulet, & mirabilibus. Fugiat pusillus homo magni certaminis arenam; sublimis autem & præstans vir magnorũ triumphorum materiam auidius arripiat. Accipias ex Gen. 39. Iosephum a fœmina petitum, vt illum in luxuriæ barathrum deturbet. Quid ille? *Relicto in manu eius pallio fugit, & egressus est foras.* Cur non magis stat pro castitate, & procacem fœminam vel verbis, vel gladio castigat? Sic Num. 24. Madianitides fœminæ trahebant Israelitas ad luxuriam; imo Israelitarum princeps ingressus ad scortum, dux erat cæteris nefarissimi facinoris. Quid tunc Phinees? An fugit præceps discrimen? Ait textus. *Quod cum vidisset Phinees filius Eleazari filij Aaron Sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione ingressus est post virum Israelitem in lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet, & mulierem.* Ecce tibi Ioseph fugit, nec audet stare paulisper in conspectu mulieris procacissimę; Phinees autem ipsum lupanar intrat, ibique audet pugnare aduersus rẽ turpissimam. Cur Phinees non magis fugit immanitatem periculi, aut cur Ioseph non magis audet stare aduersus illud? Rem pulchre definit Philo lib. 1. legis Allegoriarũ, inquiens: *Ioseph vt homo iuuenis, qui non posset cum Ægyptio corpore, scilicet voluptate contẽdendo sperare victoriam, maluit fugere; Phinees autem sacerdos zelo Dei correptus, aut fuga sibi salutem quæsiuit, sed non desistit prius quàm Madianitidem transfigat.* Et quidem infirmi adhuc, & pusilli iuuenis propria est fuga, ne se magnis certaminibus committat; qui autem sacerdotij infulis sublimis erat, & Dei zelo præstabat, non debebat sese magnis certaminibus subtrahere, sed quæuis magna, & ardua debebat audere. Hinc Matth. 19. clamant Apostoli: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Sed & Zachæus Luc. 19. *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus.* Illi omnia dimittunt, ab omnibus se abstinent; hic eo contentus est, quod solam medietatem largiretur. Cur & ad omnia largienda iste non audet, aut cur illi non potius amant in renuntiatione medium, sed magis gaudent abnegatione omnium extrema? Paruulus Zachæus erat, & in paruis detinetur; sed apostolica fulgentes sublimitate nihil facerent, nisi magna, & ardua auderent. D. Hier. epist. ad Pammach ait: *Zachæus diues erat, Apostoli pauperes. Dimisit ille medietatem substantiæ suæ, quæ remanserat, suscepit Christum hospitem, salus facta est domui eius. & tamen quia paruulus erat, & Apostolicæ proceritati se non poterat extendere, non fuit in duodecim numero Apostolorum; Apostoli autem quantum ad voluntatem totam mundum pariter reliquerunt.* Extremam quippe renuntiationem vniuersæ substantiæ, vt arduam soli illi fecerunt, qui ad Apostolicam proceritatem creuerant; non Zachæus, qui vt paruulus sic in paruulis, nimirum in medietate hæsit. Ex Gen. 13. habes qualem sibi regionem Loth elegerit; dicit enim. *Elegitque sibi Loth regionem circa Iordanem, & recessit ab Oriente: Abraham habitauit in terra Chanaam. Loth moratus est in oppidis, quæ erant circa Iordanem.* Quæ si legantur iuxta Hebraicum textum sic sonant. *Elegit omnem planitiem Iordanis.* insupper addit: *Et Loth habitauit in oppidis planitiei, seu campestribus.* Itaque Loth sibi elegit plana, & facilia loca; relinquens ardua, & difficilia Abrahamo. Nec miror; infirmi enim animi homo, quid, nisi facile, & planum sibi vellet? Nec immerito præstanti viro Abrahamo ardua quæuis reseruantur per Deum. Ex quo D. Hier. epist. ad Pãmachium, sic præstantem virum monebat: *Euge noster, initia transgrederis, statum summum tenes, de radice peruenis ad cacumen, primus inter monachos in prima vrbe, primum sequeris Patriarcham Loth, quod interpretatur declinans, campestria eligat, facilia magis sectetur. Tu cu ardua, & saxosis cum Sara tibi monumentum para.* Non equidem deceret strenuum virum cum Lotho in planis manere; nisi cum Patriarchis ad ardua, & summa capessenda auderet. Ait enim Cassiod. 5. var. 2. *Generosi est animi optare, quod summum est.*

[Margin: Luc. 5. — Nazian. — Gen. 39. — Philo. — Hieron. — Gen. 13. — Hieron. — Cassiod.]

§. XXIV.

Præstantis imperij forma est à suis priuatis commodis abstinere, vt subditis benefaciat.

HOc quærebat Moyses videre, & scire, nimirum: *Quare non comburatur rubus?* Et quidem causam iam præmonstrarat textus, dicens. *Apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi, &c.* Nullo enim sese magis Dominus ostendebat in flamma, quàm dum flammaà subiecti rubi pabulo prorsus abstinebat; quando ille præstantissimus Dominus, & princeps est, qui à commodis abstinet priuatis, vt subiectorum incolumitati seruiat. Nazianzen. oratione 1. sic Diuum Paulum extollebat: *Nunc Apostolorum minimus est, nunc experimentum pollicetur Christi in se loquentis. Nunc ex hac vita discessum exoptat, ac delibatur; nunc propter suos magis necessarium esse censet in carne permanere. Non enim, quod suum est, quærit,* *sed*

[Margin: Nazian.]

sed quod per Euangelium genuit. Hic enim spiritualis omnis imperij finis est, vbique priuata vtilitate neglecta, commodis aliorum consulere. Expende ab illis: *Hic spiritualis omnis imperij finis, &c.* quippe in tantum sese purum, & defæcatum imperium ostendit, in quantum nullis priuatis commodis inhæret: sed omnia sua negligit, vt subditi incolumes perseuerent. Cum ad conspectum Goliath vniuersi Israelitæ consternarentur, & penitus deficerent, vnus Dauid adolescens, & inexercitatus in bellis, de post fœtantes, venit, & clamat ad regem. 1. Reg. 17. *Ego seruus tuus vadam, & pugnabo aduersus Philisthæum.* Et cum miles non sis, sed pastor ouium, cur non magis satagis de pascendis ouibus paternis, quam de Philisthæo repellendo? Vnde tantus ardor in pastore, quod relicto grege, in tam periculosum certamen descendat? Cur non magis sibi consulit inexercitatus puerulus? Sane hoc facto volebat Deus ostendere in suo electo rege publicam formam optimi regis, qui sua obliuiscens commoda, omnis subditorum pericula ad se deflectit. Ait D. Basil. Sel. orat. 15. *Cum autem nullus à toto exercitu probaretur satis, essetque in periculo Saul; tunc militem suum producit in medium Gratia, verè regem factus declarans, dum pugnæ prouocationem Dauid ad se rapit.* Expende illud, *verè regem factus declarans:* quippe Dauidis tunc facta illum vere regem declarabant, quando pugnæ prouocationem ad se solum rapiebat, proprium negligens sanguinem, ne quid discriminis Israelitas tangeret. Hinc extollit præclarum regem D. Synesius lib. 1. de Prouid. fatus: *Cum à Dijs quacumque, aut aeris, aut aqua, terra ve munera sunt, affatim omnia regi, cumulateque suppeditarentur, earum ille rerum vsum populo indulgebat, ipse omnia vitæ solatia respuebat, nullumque non laborem antiquiorem habebat, vt somni parcissimus, sic curarum, solicitudinumque plurimarum particeps. Et vt semel dicam, pro quiete, otioque omnium, ipse quietis otiique expers.* Sic ibi.

1. Reg. 17. — *Basil. Sel.* — *Synes.*

§. XXV.

Illud peccatori homini seuerissimum est, quod ei integra scelerum pœna in futurum sæculum reseruetur.

DVo erant in visione illa, quæ admirationem facere possent Moysi, alterum, quod Dominus apparebat in flamma ignis, alterum, quod rubus arderet, & non combureretur. Moyses autem de secundo solo quærit indagare rationem: ait enim: *Videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Non ait, videbo, quare Deus in igne veniat: notissimum enim erat Deum in fortissimo ignis elemento venire, vt ostenderet suam aduersus Pharaonem, & Ægyptios fortitudinem & potentiam, vt notat Ruper. lib. 1. in Exod. cap. 12. Quo euidentissimo supposito merito Moyses astupet, quod à tanto igne rubus non comburatur, & tam insolitæ rei rationem quærit, aiens: *Videbo, quare non comburatur rubus.* Et quidem quando Deus apparens in igne suam valentiam aduersus Pharaonem ostendebat, cur sic cohibet ignis voracitatem, ne vel rubum lædat? Cur non magis permittit sæuire ignem, vel in ipsas montium cedros? Iustissime Dominus dum se aduersus scelestum Pharaonem ostendit, ignis voracitatem in præsenti frænat, ne ignis aculeus in hac vita hebetetur erga tantum peccatorem, sed totus integer maneat illi in venturo igne post mortem. Seuerissimum enim est peccatori, quod integra scelerum pœna maneat illi in æterno rogo. Iosue cap. 7. Iratus Dominus contra anathematis violatorem, sic cauebat: *Quicumque ille in hoc facinore fuerit deprehensus, comburetur igne.* Deprehensus autem Achan damnatus est à Iosue, ductusque ad vallem Achor, & ibi *lapidauit eum omnis Israel.* Ecce tibi quem igne comburi iubebat Dominus, Iosue non comburit, sed lapidibus obruit. Cor bone nefario homini non magis applicas flammas, quam lapides? Nonne Deus in illum flammantes ignes contorquet? cur tu ab igne abstines, & lapidas hominem? An mauis te Deo mitiorem ostendere in pœna peccatoris? Absit hoc à viro bono & iusto Iosue, sed vt seuerius agat in peccatorem, aduersus quem Deus ignem vibrarat; abstinet ipse ab igne, volens post suum in futuro sæculo reseruari ex Deo integrum ignis supplicium peccatori. Ait D. Aug. quæst. 9. in Iosue: *Ideo Iosue voluit hominem lapidari, vt quod à Domino dictum est, igne cremabitur, intelligeretur quod Dominus faceret, non quod ab ipsis esset faciendum. Non enim dictum est, igne cremabitis eum. Cum vero ita dictum est, vt magis videatur Deus, quod ei futurum esset, prædixisse: illum lapidibus magis, quàm flammis peremit, ne vllis ignibus verba Domini impleta viderentur.* Abstinuit bonus Iosue ab igne inferendo, ne supplicium ignis à Deo paratum peccatori videretur consummatum in hac vita; sed potius cum absque ignis voracitate peccator finiret vitam, ostenderetur illi integer manere in futuro ignis aculeus. Timeat peccator, quando in præsenti debitas scelerum pœnas non patitur; id quidem non ex lenitate, sed ex maiori Dei ira procedit, qui illas integras ad futurum sæculum reseruat. Quos enim Deus amat, hos in præsenti permittit dare peccatorum pœnas. De Iosia sanctissimo dicit 2. Paralip. 35. *Nec acquieuit sermonibus Nechao ex ore Dei, verum perrexit, vt dimicaret in campo Magedde, ibique vulneratus est, &c.* Circa quæ Diuus Hieronym. epist. ad Castrutium, inquit, *Quid inter reges Iosia sanctius? Ægyptio mucrone interfectus est. Quid Petro, & Paulo sublimius? Neronianum gladium cruentarunt. Et Dei Filius sustulit ignominiam crucis. Et tu putas beatos, qui fœlicitate istius sæculi, & delicijs perfruuntur? Magna ira est, quod peccantibus non irascitur Deus.* Non potest non esse ira magna, quæ nescit minui in aliquo, sed integra, & inflexibilis reseruatur.

Exod. 12. — *Iosue 7.* — *August.* — *2. Par. 35.*

§. XXVI.

Dei præsentia inexplebilem voracitatem valet coercere.

VNum requirere properabat Moyses in magna illa visione, nimirum, *quare non comburatur rubus:* cum elementum ignis omnium voracissimum sit, qui fieri potest, vt non feratur in pabulum, sed suam comprimat voracitatem? Magna hæc res, sed quam temperabat textus aiens: *Apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Vbi enim Deus igni præsens aderat, non miror, quod eius voracitatem frænaret; quando præsentia Dei voracissimum quemquam coercere valet. Accusabantur Christi discipuli à Iudæis, quod non ieiunarent, quod gulæ voracitatem semel damnosam, imo lethalem inuentam ieiuniis non castigarent. Accusatoribus autem respondet Dominus Matth. 9. *Auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt.* Et cur non ieiunabunt etiam quandiu cum illis sponsus est? Quando ieiunium est remedium inordinatæ voracitatis, cur & hoc remedium non applicatur, quandiu Iesus nobiscum est, sed eius absentia speratur? Cur & coram sponso ieiunium non datur? Equidem vbi sponsus adest, non requiritur aliud, sed sola eius præsentia voracitatem coercere valet. Ait D. Basil. Sel. orat. 3. *Christi præsentia longe potentior est protoplasti voracitate, & hominum genere per gulam nefariam in fraudem inducto.* Ponatur hinc primus ille homo ad pomum inhians, imo & ponatur totum genus humanum gulæ voracitate raptatum, & illinc Christus præsens ponatur; non dubito quin Christi sola præsentia totam hominum curet voracitatem. Hinc Eccles. cap. 10. ait: *Beata terra, cuius rex nobilis est, & cuius principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, & non ad luxuriam.* Sed scire cupis, quod tempus sit vescendi, in quo principes non ad luxuriam, sed ad reficiendum vescantur, habentes prorsus coercitam voracitatem? Ait Chaldæus in Regia: *Bene erit tibi, terra, quo tempore regnabit super te vir valens in lege, & magnates tui, postquam obtulerint iuge sacrificium, comedent panem, &c.* Itaque vbi homo non prius accedat ad prandium, quam ad sacrificium; & postquàm se per sacrificium sisteret Deo, tunc comederit; non dubito quin tunc omnis gulæ voracitas, & ingluuies tollatur. Quo respicit illud 1. Reg. 1. *Surrexit autem Anna postquam comederat, & biberat in Silo. Et Heli Sacerdote sedente super sellam ante postes domus Domini, cum esset Anna amaro animo orauit ad Dominum flens largiter, & votum vouit.* Hoc mirum, & pene insitatum accidit, quod ea conuiuio ad tam attentam & efficacem orationem surgeret Anna. Cur non magis à conuiuio impeditur, & inepta redditur ad orandum? Quę immediate post conuiuiũ oratura erat, iam in ipso conuiuio Deum ob oculos habebat, illumque præsentem intuebatur, quo nihil licuit gulæ voracitati. Vnde Chrysost. hom. de Fide Annæ fatur: *Igitur à fœmina discamus, & post conuiuium orare. Quisquis enim ad hoc præparatus fuerit, nunquam in ebrietatem, aut vinolentiam incidet. Conuiuium, quod à precatione cœptum, in deprecationem desinit, quouis fonte vberius nobis omnia adferet bona. Vbi enim precatio, & gratiarum actio, eo Sancti Spiritus aduenit gratia.* Dum oratio conuiuium antecedit, & subsequitur, necessum est, quod ibi & Spiritus Sanctus adsit, de cuius præsentia proculdubio veniet, quod nõ maneat locus ebrietati, sed omnis gulæ mala reprimãtur. Et quidem brutis feralior erit, qui ad Dei pręsẽtiã cibis nõ abstinuerit. Dan. 14.

Matt. 9. — *Basil. Sel.* — *Eccles. 10.* — *1. Reg. 1.* — *Chrys.*

ipse Daniel missus est in lacum leonum, vt à leonibus famescentibus voraretur: at leones viso Daniele, cibi obliuiscuntur. Ex quo Chrysost. in Psal. ait: *Qui sunt gula dediti, vereantur ferarum abstinentiam. Leones viderunt Danielem, & philosophati sunt; nos ad nos venientem filium Dei videntes minime philosophamur. Maluerunt illi fame perire, quam sacrum corpus tangere. Nos nudum Christum, & fame confectum cernere videntes, nec supernacua dimittimus.* Sic ibi.

Chrysost.

Exod. 3. Cernens autem Dominus, quod pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi, & ait: Moyses, Moyses. Qui respondit, Adsum. At ille, Ne appropies, inquit, huc: solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est.

§. XXVII.

Vox Dei efficacior omni opere ad creaturarum corda commouenda.

DE reuerentia præstanda loco admonetur Moyses diuina voce; quando ipse tunc audacter, curioseque, ac parum religiose ad scrutandum illius apparitionis miraculum, & mysterium propius vellet accedere. Ait enim text. *Cernens autem Dominus, quod pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi.* Insuper & dicit. *Ne appropies huc, solue calceamentum, &c.* Quibus loci reuerentiam persuadebat. Sed quando miraculum rubi inter flammas virentis præ oculis erat, cur necessum fuit Deo vti vocibus, vt Moysem ad reuerentiam moueret? Cur tantum illud & miraculum, & mysterium non magis mouit Moysem ad reuerentiam; sed insuper fuit vox diuina addenda, quæ illam persuaderet? Crede mihi, non sic quæ videntur magnalia Dei, corda humana ad virtutem mouent; vt vox diuina potens est animas ad se rapere, & conuertere. Ait Gen. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram. Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi: & spiritus Domini ferebatur super aquas. Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux.* Ecce tibi quod Dei magnalia appareant in principio, antequam vlla Dei vox exprimatur. Apparent enim pulcherrima illa cœlorum tecta summo silentio Dei fabricata; apparet moles terrarum, & aquarum, quæ Dei spiritu insedente fœcundabantur. Quid tunc? Ventum est ad lucis fabricam, & ibi primo exprimitur Deus voce tonasse; *Dixitque Deus: Fiat lux.* Et cur, quando cœlos, & terram silens produxit, maluit lucem vocibus in medium trahere? Sane, apparenti cœlorum, & elementorum opere; nullus Angelus dicitur motus fuisse ad Dei gloriam decantandam; ideò Deus in lucis effectione vocem addidit, vt magis moueat Angelos in sui laudem. Sicque factum est, quod dicit Dominus Iob 38. *Cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* Quæ sic apud Diu. Epiphanium tom. 2. lib. 2. Hæres. 65. *Quando genita fuerunt sydera, laudabant me omnes Angeli.* Itaque tunc solum Angeli dicuntur moti fuisse ad laudes Dei, cum lux fiebat, non quando cœli, aut elementa creabantur; quapropter lux Dei voce, non silentio fiebat. Ait D. Basil. Sel. orat. 1. *Cælum profecto productum est, & terra cum aquis, cum vox antecesseret nulla. Lux vero cum producebatur, Deus voce præiuit::: Non ergo potuit quodcumque exhibitum fuerat silentio facere? Merito nunc loqui occupat, vt eius, quod fit, sensu, & admiratione Angelos moueat.* Poterat equidem lucem silentio creare, vt creauit cœlum, & terram, sed quando mouere Angelos voluit, addidit vocem in lucis effectione; & qui ad conspectum cœlestium magnalium hæserunt, ad Dei vocem vehementer moti sunt in laudem creatoris. Sic quos non mouebant Dei magnalia, mouerunt Dei voces. De mari dicitur Iob cap. 38. *Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia. Et dixi: Vsque huc venies, & non procedes amplius, &c.* Opposuit equidem Deus mari terminos, quos transire non posset, insuper addidit vectes, & ostia, quæ vel vereretur attingere. Ad hæc etiam adiecit vocem: *Et dixi: Vsque huc venies, & non procedes.* Et quando & termini, & vectes, & ostia erant mari imposita, ne vltra progrederetur, quid necessum fuit addere voces? Cur quando tanta facis, etiam dicis, ô Domine? Forsan nihil aliud vereretur creatura tumens, & fremens, vt verita est Dei vocem. Ait Diu. Basil. Sel. orat. 1. *Fertur mare quidem fluctibus alte elatum, vbi vero terminos attigerit, veretur, refugitque, & Domini vocem littoribus inscriptam cum intuitum fuerit, curuatis fluctibus termini positorem adorat.* Expende illud, *curuatis fluctibus, &c.* Non solum enim fluctus maris refugiunt terminos à Deo positos attingere; sed cum elati, & vehementer tumentes ad littus accedunt, ibi propria sponte sese deflectunt, & refracto tumore submittunt, quasi adorantes, & verentes littora. Et vnde hanc ebibunt reuerentiam, & submissionem? An ea terminis visis, ex vectibus, ex ostijs inibi à Deo positis? Minime, sed ex Dei voce inscripta littoribus. *Domini vocem littoribus inscriptam cum intuitum fuerit, curuatis fluctibus termini positorem adorat.* Sic vox Dei efficacius, quam opera, creaturas mouet, vt cultum exhibeant creatori.

Gen. 1.

Basil. Sel.

Iob 38.

Basil. Sel.

§. XXVIII.

Carnalis affectus, vel minimus, nos Deo appropinquare vetat.

PRohibetur Moyses accedere ad rubum, in quo Deus erat, nisi prius deponat calceamenta, ait enim diuina vox: *Ne appropies huc, solue calceamenta de pedibus tuis.* Ecce tibi ignis diuinus, qui rubum vilem in se admittebat; non admittit calceatum Moysem accedere. Et cur diuinus ignis sic cauet Moysis calceos, vt illos à se longe faciat esse, nisi vt ostendat, quam longe sit à deitate, quisquis vel minimis carnalium tenetur affectibus? Nota est Empedoclis Philosophi præsumptio, qua, vt crederetur translatus in Deum sese flammantibus Ætnæ hiatibus commisit. Sed sapiens ignis absumpto penitus homine, calceum eius foras in conspectum omnium eiecit. Et cur non magis calceus hominis inter flammas fuit detentus? Cur protinus à flammis expulsus, longe ab illis positus apparuit? Rem attigit Diu. Nazianzen. orat. 3. quæ est secunda in Iulian. inquiens: *Ex quibus Empedocles, cum per Sicula foramina diuinitatem, vt sibi opinione fingebat, comparuisset, seque ad meliorem sedem transmisisset, charissimo calceo, igne æstu eiecto, proditus est: atque ita non Deus post hominem ostensus est.* Itaque calceus hominis charus illum longe a diuinitate remotum ostendebat, neque enim potest fieri, vt diuinitati proximus sit, qui carnali calcei affectu ostenditur teneri. Cauendi equidem sunt vniuersi carnalium rerū affectus, & spirituales assumendi; si proximè ad Deum ascendere contendimus. Hinc Ioann. 20. Christus rediuiuus prohibuit se tangi à Magdalena dicens: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum*; verum vbi inter cæteros discipulos Thomam offendit, illum prouocat, vt accedat, & tangat, dicens: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manū tuam, & mitte in latus meum.* Et cur Thomas prouocatur, & inuitatur, vt Christum tangat, Magdalena autem prohibetur, ne simile audeat? Supponit Diu. Cyril. Alexand. lib. 12. cap. 56. in Ioannem, quod per insufflationem Iesu resurgentis omnes Apostoli, tam præsentes in cœnaculo, quam Thomas absens Spiritu Sancto induti, facti erant spirituales; non sic cæteri discipuli, nec mulieres; quæ adhuc in carnalibus affectibus detinebantur, donec in die Pentecostes plenius super omnes effusus fuit Spiritus Sanctus. Hinc est, quod Thomas potuit ad tangendum Iesum prouocari, vt qui ex Christi insufflatione in virum euaserat spiritualem; Magdalena autem merito repellitur, vt quæ aliquo adhuc erat infecta affectu temporali. Ex quo sic D. Cyril. Alexandr. cap. 58. *Recordetur studiosi Magdalenam quidem à tactu Christi prohibitam. Thomam autem hortatur, vt & latus, & clauorum fixuras diligentius tangendo, & manum, aut digitum immittendo perquirat. Quare sic? Magdalena enim nondum gratia Spiritus sanctificata tangere non licebat. Thomæ autem hoc licebat, quia vna cum Apostolis spiritum fuit consecutus.* Vt Iesus insufflauit in Apostolos, eisque communicauit spiritum, quo fierent spirituales; non sic communicauit spiritum fœminis, & ideò illas repulit, ne accederent, & tangerent; procul enim à Deo est, quisquis adhuc in affectu detinetur temporali. Hoc dixerim, de affectiua, & perfectissima cum Deo vicinitate. Hinc ortæ sunt illæ Dauidis voces Psal. 54. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Cur non magis expetit pennas aquilæ? Nonne iis altius, & velocius euolaret? Cur ergo iis contemptis vnas columbæ pennas appetit? Diuus Gregorius Nazianzen. orat. 17. ait: *Columbæ pennas expetit quod spiritum adumbrent.* In columbæ pennis contemplabatur Dauid columbam illam, sub cuius specie Spiritus diuinus ad Iesum accessit, & super illum mansit, vt Diuus Ioannes capite 1. testificatur.

Nazian.

Ioan. 20.

Cyril. Alex.

Psal. 54.

Nazian.

Vt

Vt ergo Dauid cupiebat ipsi Iesu appropinquare, & de eius manu celsissimam perfectæ vitæ salutem capere, merito non in aliud, quam in diuinum alitem amabat transformari, quando ei euidentissimus patet ad Dei filium transitus, qui in diuini Spiritus formam possibili aliquo modo transit.

§. XXIX.

Qui Deo secure velit appropinquare, conformis illi fiat, & similis.

APpropinquans Moyses prohibetur à Deo monente illum, quod prius calceos exuat. *Solue*, inquit, *calceamenta de pedibus tuis*. Et cur non magis monet de discooperiendo capite, quam de nudandis pedibus? Plures inuenies nationes, quæ ob reuerentiam præstandam caput detegant, quam pedes nudent; cur ergo Deus tunc magis sibi reuerentiam procurabat ex detractis calceis, quam ex detracto capitis operculo? Conueniunt huc pene omnes sacri Expositores, & in calceis recognoscunt animalium mortuorum exuuias, quando calcei ex pellibus fiunt. Nec miror, quod vbi Deus in flamma apparebat, ita nec rubum consumeret, sed illum & viuaciorem, & florentiorem relinqueret; non permitteret sibi Moysem appropinquare, nisi prius mortis exuuiis depositis, quidquid vel in pedibus ostenderet, halaret vitam. Ille enim secure, & tutò Deo appropinquat, qui prorsus illi conformis fieri nititur. Similiter vbi Dei filius non in igne, sed in aquis apparuit; Iordanem intrans baptizandus à Ioanne, vix in aquis erat Dei verbum, & ecce tibi ait Luc. cap. 3. *Descendit Spiritus sanctus corporali specie, sicut columba in ipsum, & vox de cœlo facta est Tu es filius meus.* Vocem hanc per nubem venisse putat D. August. sed cur modo & Pater, & Spiritus sanctus sese, & per nubem, & columbam ostendunt? Nonne frequentius natura diuina, imò personæ diuinæ in igne se ostendebant, aut in sibilo auræ lenis? cur modo in nube, & columba? Apparebat Dei Verbum Iesus in aquis Iordanis, cui volentes Pater, & Spiritus sanctus visibili forma appropinquare, ad eas creaturas recurrunt, quæ etiam sunt aquaticæ naturæ. Ait D. August. lib. 3. de mirab. cap. 5. *Dum in terra filius ad baptismi mysterium aqua creaturam elegisset, necessum fuit, vt & pater per aquaticam nubem intonaret, & Spiritus sanctus illud corpus, quod de aqua in principio factum est, ex illa nube acceptum simularet.* Ecce tibi, vbi filius Dei in aquis apparuit, vt secundum Augustinum necessum fuit, quod personæ illi coniunctæ, & propinquæ, & formas aquis propinquiores assumerēt, quando Deo ille placet propinquus, qui illi conformis fieri nititur. Et quando Pater vt filio applaudat, illi se assimilat etiam in forma visibili, quomodo poterit esse Deo propinquus, nisi ille se in omnibus assimilare curet? Ioann. cap. 19. de Iesu dicitur: *Cum vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier ecce filius tuus.* Quibus verbis, vt acute notat Origen. tom. 1. in Ioann. sic designatur Ioannes, quasi ipse prorsus desierit, & fuerit conuersus in Iesum Mariæ filium. Quippe ait: *Iesus autem matri dicit: Ecce filius tuus, non, Ecce etiam hic filius tuus: profecto simile dixit, vt si dixisset: Ecce hic est Iesus, quem generauisti.* Et cur necessum fuit tantam similitudinem, imò identitatem ostendere inter Ioannem, & Iesum? Cur Iesus non contentus est discipulum extollere, dum illi credit Mariæ patrocinium, sed insuper ad maiorem eius exaltationem addit, quod adeò sibi sit similis, vt haberi possit alter Iesus? Vndè necessum fuit tantam in illo exprimere similitudinem? Equidem quando Ioannes vnus ex omnibus discipulis permissus est Iesu crucifixo appropinquare, illique adeò in cruce proximus esse, necessum fuit huius peculiaris gratiæ prætendere radicem; minime enim sic tuto adhæreret Iesu ad patrem eunti, nisi esset illi maximopere similis. Equidem ille tutò, & securè Deo appropinquat, qui illi conformari, & assimilari nititur. Dum Iesus in Thabor transfiguratur, ait Matth. cap. 17. *Ecce vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde.* Non absimilis vox intonuit apud Iordanem dum baptizatur Christus, imò ait Lucas cap. 3. *Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato, & orante apertum est cœlum, & descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum, & vox de cœlo facta est: Tu es filius meus dilectus, in te complacuit mihi.* Ecce tibi vtrobique vox patris auditur, sed in Thabor ad Dei vocem consternati discipuli ceciderunt in facies suas; verum in Iordane nullus ad Dei vocem obstupuit, nullus timuit. Ex quo hanc quæstionem sapienter mouet D. Chrysostom. hom. 57. in Matth. satus: *Quomodo autem cum tam ante similis vox in Iordane audita fuerit, nemo ex turba, quæ aderat, expauit?* Et quidem in Thabore discipuli erant, & amici valde Iesu, nihilominus audita Dei voce, eius expauent propinquitatem: at in Iordane multi erant populares, à Iesu familiaritate distantes, & nihilominus non timent, non turbantur. Vndè ex Dei voce tantam turbationem accipiunt Apostoli, & turbæ adeo sunt imperturbatæ? Rationem huius discriminis inuenio in ipsis D. Lucæ verbis, aientis: *Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato, &c.* Cum transfigurabatur Iesus, discipuli non transfigurabantur; cum autem Iesus baptizabatur, omnes similiter populares baptizabantur; vndè factum est, vt qui in simili baptismo cum Iesu erant, intrepide, & tuto præsentiam, & propinquitatem sustinerent diuinitatis: timerent autem, & expauerent discipuli, qui in longe diuersa forma in Thabore adstabant.

Luc. 10. *Ambr.* *Ioan. 19.* *Origen.* *Matth. 19.* *Luc. 3.* *Chrysost.*

§. XXX.

Reuerentia exhibita Deo non parua dispositio est ad magnas gratias promerendas.

VT magnam Dei apparitionem Moyses videat, vnum hoc ex illo petitur, nimirum, *Solue calceamenta de pedibus tuis, &c.* Et quid quod Moyses calceamenta solueret? Vndè hoc tantum erat, quod tantam Dei apparitionem potiri mereretur? Concors est expositorum sententia, quod in illa calceorum abiectione, petebatur ex Moyse Deo digna reuerentia, quam si exhibeas, magna proculdubio ex Deo mereberis. Similiter Iosue cap. 5. dum ipse quid faciendum ad Dei fauorem consequendum inquirit, hoc diuinum responsum accepit: *Solue calceamētum tuum de pedibus tuis, &c.* Magna sperabat bonus dux à Deo, & pro magnis obtinendis vna ex eo petitur reuerentia per calceorum nudationem exhibenda. Quid plura? Accipite Petrum Damian. lib. 3. epist. 8. fantem: *Iosue certe cum vidisset Angelum, ait: Quid Dominus meus loquitur ad seruum suum? Cui nihil aliud ipse præcepit, nihil prorsus, vt exequeretur, iniunxit, nisi tantum hoc. Solue, inquit, calceamentum de pedibus tuis.* Sanè vt magna obtineret Iosue, magna illi fuerant iniungenda præcipuè parato ad omnia; sed vnum ex illo requiritur, quod ex parte reuerentiæ se tenet, quod si vel solum præstiterit, non dubito quin magna ex Deo obtineat. De Maria Magdalena quærente Iesum mortuum dicit Ioan. cap. 20. *Maria stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis, quia tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum. Hæc cum dixisset, conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem: & non sciebat, quia Iesus est. Dicit ei Iesus: Mulier, quid ploras? Quem quæris? Illa existimās, quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, vbi posuisti eum, & ego eum tollam. Dicit ei Iesus, Maria. Conuersa illa dicit ei, Rabboni, &c.* Ecce tibi descriptam totam diligentiam fœminæ, quæ prima omnium Apostolorum meruit videre gloriam Domini resurgentis. Et sane non dubitandum est, quod illa in fletu, in colloquio Angelorum, in fide resurrectionis nimis tarda, & infirma, & imperfecta fuerit. Quid tardius, & imperfectius, quam nec ex Angelis visis, nec ex sepulchro vacuo, nec ex linteis relictis, vel ad minimam resurrectionis Dominicæ suspicionem accedere? Quando ergo in iis omnibus tam imperfecta, & tarda Maria fuit, quid aliud fecit, quo sibi tantum bonum mereretur, quod prima gloriam videret resurgentis? Sanè si eius imperfectas lachrymas tollas, si tarditatem in colloquio Angelico percipiendo, vnum hoc in illo restat, nimirum, quod summa semper reuerentia Iesum meminerit, illum semper, & vbique Dominum suum appellans. Ne miremur, quod licet in aliis deficiens, dum in hac compellandi dominum persistit reuerentia, prima Deum resurgentem videre meruerit. Ait D. Cyril. Alexand. lib. 12. in Ioann. c. 47. *Tarda hæc est ad intelligendum mulier. Nondum enim intellexit, quid visio illa significaret, fletus autem causam explicat. Verum quoniam Christum semper Dominum appellaret, & feruentem ergo ipsum amorem hoc modo ostenderet, propterea etiam ipsum videre digna indicata est.* Vna equidem reuerentia in compellando Domino Iesu vicit & tarditatem, & infirmitatem fœmineam in percipiendo tanto Sacramento; & fecit, quod quæ suum affectum erga Deum tanta reuerētia explicabat, prima Apostolorum Christum videret. Similiter Samaritana mulier ad

Petr. Dam. *Ioann. 20.* *D. Cyril.*

primam Christi petitionem, parum reuerita personam petentis aiebat Ioann. 4. *Quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis?* Verum de diuinis donis instructa, & de aqua nunquam deficiente, *dicit ei mulier, Domine, neque in quo haurias, habes, & puteus altus est, vnde ergo habes aquam viuam?* Ad hæc Christus iam profusissimus in donis suis, non cunctatur in promittenda affluentissima sua vena gratiæ, quippè ait; *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo tibi, non sitiet in æternum.* Quid magnificentius? Aquam promittit se fæminæ daturum, quæ omnes extinguat sites animi. Sed scire cupis, quid fecerit, aut quid dixerit hæc mulier, vnde ad tantam promissionem deuenerit? Duo verba ab illa inuenio prolata, primum dixit: *Tu Iudæus cum sis, &c.* Secundo autem reuerentiam addidit, fata: *Domine, neque in quo haurias, habes*; quæ, vt magna dispositio ad recipiendam gratiam, sic à Theophylacto notatur. Quippè ait: *Dicit ei mulier, Domine. Vides quomodo statim ab humili cogitatu desistens, magnum ei honorem tribuat, dominum vocando?* Quod vbi in aliquo erga Deum notatur, iam habet, vnde ad præstantissima dona recipiatur.

Ioan. 4. — *Theoph.*

§. XXXI.

Iusti homines inuisibili potius nituntur protectione.

CAlceamenta tollere iubetur in præsenti Moyses, per id, quod dicit textus: *Solue calceamenta de pedibus tuis*; contrarium autem iubebat Dominus populo Israelitico profecturo ex Ægypto Exod. cap. 12. ibi enim ait: *Calceamenta habebitis in pedibus*: vbi, vt bene notat Pererius disput. 7. de calceamentis loquitur, non vrbanis, sed de iis, quæ vsui esse possint ipsis ad iter longum, & laboriosum tuto peragendum. Vnde D. Hieronym. cap. 11. in Ierem dicebat: *Pascha igitur facturi, calceamenta iubentur habere in pedibus, & Apostolus calceatos prædicat pedes eorum, qui Euangelio præparantur, ne dum per sæculi huius solitudinem gradiuntur, venenatis pateant animantibus.* Quando ergo ex Ægypto migraturi per desertum iubentur Israelitæ aduersus pericula munire pedes suos calceis, cur Moyses ingressurus per montem spinosum, & sentICOsum iubetur exuere calceos? Nonne æque necessaria erant calceamenta aduersus spinarum, & aliorum malorum periculum in monte Horeb, ac in deserto? Cur ergo interdicitur Moysi calceorum protectio, quæ Israelitis iniungitur? In Israelitico populo plures erant temporales homines, nihil vltra crepidam cogitantes, quibus merito datur visibilis calceorum protectio, vt qui putent nihil esse, quod non vident. At Moyses homo erat perfectus, & omni virtute absolutissimus, vnde omni externo, & visibili munimento nudatur: perfecti enim viri, & iusti magis solent inuisibili protectione muniri. Elisæus hostili exercitu cinctus, & omni visibili auxilio nudatus, terrori erat seruo suo, pro quo orauit 4. Reg. cap. 6. *Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu montis.* Vnus puer Elisæi videbat tantas has auxiliarices copias stare pro magistro suo, quas nullus alius videbat. Et cur vt sese manifestabant puerulo, non item se manifestabant visibiliter magistro ipsi? Puer imperfectus erat, & non quietaretur nisi in auxilio visibili; at Elisæus vt vir iustus, & perfectus non egebat iis visibilibus, sciens iustis hominibus nunquam non esse præsto auxilia inuisibilia. Ex quo D. Ambros. lib. 5. epist. in orat. aduersus Auxentium, inquit: *Respexit puer, & vidit Angelorum millia. Aduertitis igitur, quod seruos Christi magis custodiant, quæ non videntur, quam quæ videntur.* Hoc communissimum est in Dei seruis, quod magis custodiantur, & protegantur à potestatibus inuisibilibus. Seruus Dei es homo? Ride visibilia hæc munimenta, habes enim munimenta inuisibilia, quæ nullis possint expugnari, imò nec lædi viribus. Quando nudior omni visibili auxilio videris, tunc inuisibili Dei manu tutius protegeris, & multa tibi adsunt inuisibilia adiumenta. Quis nudior omni visibili auxilio quam mortuus? Sed mortui hominis protectionem sibi Iob exquirebat, dum cap. 14. clamat: *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me?* Optat equidem sibi bonus, iuxta authoris catenç explicationem, quam mortui habent in sepulchris protectionem. Sed quæ protectio in sepulchro esse potest, quando ibi omnimoda nuditas, & destitutio traditur? Nonne quidquid ibi apparet, humanam vitam perdit, imò humanam formam? Quæ ergo in tanta destitutione & desolatione protectio esse potest? Equidem si de visibili protectione loqueretur, nulla ibi prorsus est: at Dei seruus non ad visibilem, sed ad inuisibilem respicit protectionem, quæ vel in sepulchro est, vel in mortis faucibus incolumes seruat humanæ vitæ fontes. Vnde eleganter Minutius Felix in Octauio premit visibilium rerum æstimatores; *Tu perire, & Deo credis, si quid oculis nostris hebetibus subtrahetur? Corpus omne siue arescit in puluerem, siue in humorem soluitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subducitur nobis, sed Deo elementorum custodia reseruatur.* Est equidem in ipsa ruina nostri corporis Deo pro nobis custodia, quæ etsi oculis non paret, tamen inuisibiliter eam nobis prætendit protectionem, qua tempore debito exurgamus ab omni damno mortis incolumes.

Hieron. — *1. Reg. 6,* — *Ambros.* — *Iob 14.* — *Minut.*

Exod. 3. Et ait: Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Abscondit Moyses faciem suam: non enim audebat aspicere contra Deum.

§. XXXII.

Virtutum paternarum laus magnum calcar est filiis ad virtutem.

NOn otiose Deus cum Moyse locutus eius proauorum honorificè meminit, dum se illorum Deum compellat, quippè ait: *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob.* Cur non magis se ex alio deitatis nomine gloriosiori extollit? Hoc erat sane nomen Dei gloriosissimum, nimirum: *Ego sum, qui sum*, cur non vtitur hoc nomine ad Moysem, sed relictis solitariæ gloriæ vocabulis, illis vsus est, quæ cederent in Abrahami, & Isaaci, & Iacobi commendationem? Imbuebat tunc Deus suum tyronem, illumque ad virtutum certamina prouocabat: propterea nil prius curauit, quam illi proponere laudatissimos parentes suos; quando laus parentum magnum calcar solet esse filiis ad virtutem. Sapienter enim dicit Cassiod. 1. variar. 4. *Pudet eum peccare, qui laudatis viris videtur potuisse succedere.* Tenetur maxime filius laude parentum, ne in vitia corruat, sed ad præstantissima facinora contendat. Nunquam enim virtus in parentibus laudata, non parit in filiis actiones præclarissimas. Cum duæ hominum generationes descriptæ essent, altera ex Adam per Cain nequam, altera ex Adam per laudatissimum Seth, addit textus, Genes. cap. 6. *Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ, &c.* Sic equidem duæ illæ generationes distinguebantur, vt qui à Cain erant geniti, hominum filij dicerentur; qui autem ex Seth nascebantur, dicerentur Dei filij. Et vnde filij Seth in tantam creuerunt virtutem, vt Dei filij agnomine possent dici? Pulchrè D. Basil. Seleuc. orat. 4. inquit: *Sethus vero cum Deum suæ virtutis laudatorem inuenisset, & ad Abelum moribus accederet, hoc virtutis præmium tulit, vt sui filij, Dei filij vocarentur.* Expende illud, *cum Deum laudatorem suæ virtutis inuenisset*: quippè ex eo quod Seth Deum laudatorem habuit, factum est, vt filij eius eam vitæ rationem instituerint, qua mererentur benedictionem diuinam. Quis enim filius ad parentum laudatam vitam attendit, qui non abstineret à vitiis? Huc spectabat illud Tobiæ iunioris assertum cap. 8. *Filij sanctorum sumus, & non possumus ita coniungi, sicut gentes, quæ ignorant Deum.* Sic sapiens iuuenis vt se suamque vxorem distinguat à moribus, & vita gentium, in medium adducit laudabiles virtutes parentum.

Cassiod. — *Gen. 6.* — *Basil. Sel.* — *Tobiæ 8.*

§. XXXIII.

Vt Deus memor officij sibi præstiti, sic creatura obliuiosa est beneficij accepti.

MIrabar cur Deus in præsenti relictis aliis nominibus ex eo solum vellet Moysi innotescere, quod Abrahami, & Isaaci, & Iacobi Deus esset. Et cur ex iis tribus iustis nomen suum explicat Dominus? Fallar nisi ostendere voluerit, quam alia diuina natura esset à naturis creatis. Deus enim semper coram habet, quæ in suis grata suscepit; creatura omnium obliuiscitur beneficiorum acceptorum, nisi illi frequenter repetantur. Ideò se nunc Deum Abrahami, & Iacobi, & Isaaci nominat Dominus coram Moyse, vt pateat, quàm non egeat Deus excitatore, vt præsentes habeat ob oculos sibi officiosos famulos; & quam egeat Moyses excitatore frequenti, vt meminerit illum Deum, à quo tot beneficia, & promissa

promissa recepetat in parentibus suis Abrahamo, Isaaco, & Iacobo. Quorum iam Moyses non memos esset, nisi Deus sese modo sub illis benedictionibus manifestaret. Ait enim D.Hilar. lib.5.de Trinit.apud Lippomanum in cat. *Moyses in Regina filium adoptatus, & omnibus Ægyptiorum doctrinis eruditus, cum vtique ex natura affectu Hebrei iniuriam morte Ægyptij vltus esset, Deum tamen paternarum benedictionum nesciebat. Nam cum in terra Madian pastor ouium esset, ignem in rubo sine concrematione rubi contuens, Deum audiuit, & nomen interrogauit, & naturam cognouit.* Ecce tibi vt Deus benedictionis largissime impertitæ Abrahamo, Isaaco, & Iacobo, ab horum filio Moyse ignorabatur, imò semper maneret ignoratus, nisi ipse sese iterum in rubo sub illorum agnomine manifestaret. Ea enim est natura creata, quæ crebro egeat excitatore, ne in obliuionem beneficiorum acceptorum abeat. Contristatis discipulis de morte magistri sui, apparuit illis Iesus rediuiuus, plagarúmque manifestatione resurrectionem suam testabatur. Sic enim habes Ioann.cap 20. *Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis. Deinde dicit Thomæ, infer digitum tuum huc, & vide manus meas & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Non solum Dominus vitam gloriosam resumpserat, sed & plagas mortis, lethalia ipsa vulnera in gloriosa vita retinebat. Ea quo pulchra excitatur quæstio a D. Cyrill. Alexand. an similiter in corporum resurrectione, mansura sint vulnera, & plagæ singulorum? Eruntne gloriosa corpora sanctorum in cœlo cum cicatricibus, & plagis in præsenti pro Deo, & virtute acceptis? Quod si hæc in corporibus gloriosis non erunt, cur reseruata sunt in solo corpore Christi Domini? Equidem quando sanctorum res cum Deo erit, non egebunt excitatore, vt Deus ob oculos habeat, quæcumque siue magna, siue parua pro illo in mundo passi fuerint. Imò quodcumque vulnus pro Deo acceptum fuesit, licet ingentibus gloriarum cumulis abscondatur, non poterit abscondi Deo. At quando Christi Domini negotium cum creaturis suis est, vt illæ in incredulitaté, & obliuionem non abeant, necessum est, vt perpetuo illis ob oculos ponat clara, & manifesta vulnera, illorum amore accepta. Ait D. Cyril.lib.12.in Ioannem cap 58. *Dicimus nullas corruptionis reliquias, nullum signum, nulla consequentia, vel antecedentia post resurrectionem in hominibus futura. Verum quoniam ad certiorem id fidem Thomas flagitauit, necessario Dominus noster Iesus Chr sine vllam infidelitatis causam praberet, sic & illi, & cæteris apparet, vt illis conducebat::: at præter illud, quod rerum conditio requirit, propter vtilitatem nostram passionis notas retinuit.* Pro confirmandis creaturis in fide, & gratitudine beneficiorum, retinendæ fuerunt Iesu vulnerum notæ; non autem retinendæ illæ erunt cæteris beatis, vt qui rem habeant cum solo Deo, cui nulla potest esse oblinio vel minimi vulneris eius causa accepti.

Hilar. — *Ioan.10.* — *D.Cyril.*

§. XXXIV.

Ille solus habendus pater, ex quo filij veram religionem, veramque ebibunt virtutem.

AMramo patre natus fuerat Moyses, & post hunc in Reginæ Ægyptiæ adoptatus est filium; tandem Sephoræ matrimonio iunctus inter filios numerabatur Madianitis Principis. Cur ergo regales hos natales prætermittens Dominus in Moyse, recurrit ad pastorum, & peregrinorum hominum originem, dicens: *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob?* Cur non magis dicit: Ego sum Deus ille, qui tibi in Ægypto, & in Madian parentes reges prouidit? Cur non magis ad hos præsentes, & regios spectat, quam ad illos & remotissimos, & peregrinos? Merito Dominus Abrahamum, Isaacum, & Iacobum solos meminit parentes Moysis, vt à quibus præcipue tota manarit Moysis in religione, & virtutibus disciplina. Sic rex Tyri scribit Salomoni 2.Paralip. 2. *Misi ergo tibi virum prudentem, & scientissimum Hiram patrem meum:: qui nouit operari in auro.* Bonus rex quem artificem mittit Salomoni, non dubitat vocare patrem suum. Et quando patrem regem habebat, cur hunc artificem patrem vocat? Ait Interlinealis: *Patrem suum vocat, quia de terra Israel peregre profectus docuit eum timorem Domini, & cognitionem veritatis.* Merito bonus rex regiam despicit stirpem, illum solum patrem agnoscens, etsi priuatum, à quo & religionem, & cultum veri Dei didicit. Hinc Psalm.4. cui titulus ille præfigitur; *In finem filiis Core intellectus*, ostenditur enim psalmus a filiis Core decantatus fuisse. Et quid filij Core dicunt? *Deus auribus nostris audiuimus, & patres nostri annuntiauerunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum.* Nec paruam quæstionem facit, quod filij Core dicant se aliquid boni nuntij ex suis patribus accepisse. Nonne istorum patres ambitiosi in deserto terræ hiatu absorpti sunt? Quos ergo patres vocant Core filij? An qui perierunt ambitione sua? Absit, imo illos solos patres suos cognoscunt, à quibus recte instructi sunt in via virtutis. Rem præclare ponderat D.Ambros. ibi inquiens: *Qui sunt isti patres nostri? Core autem & Dathan, & Abiron cum aliis, qui aduersum Moysem & Aaron insurrexerant studio contumaci, terræ hiatu in deserto vorati sunt, & notati. Quibus mortuis, qui alij patres eorum filiis mirabilia opera annuntiare potuerunt? Ipse est bonus pater, qui potest docere, & formare in nobis Dominum Iesum.* Ille solus pater agnoscitur, qui format Deum in filiis suis, illósque docet vias virtutũ, adeo, vt qui hoc non facit, possit à parentum numero rescindi. Vnde 2.Paralipom 15. locutus textus de Asæ facinoribus ait: *Et Maacham matrem Asa regis ab augusto deposuit imperio, eo quod fecisset in luco simulacrum Priapi.* Ecce tibi vt cauit Maacham vocare matrem suam, sed illam vocauit matrem regis, vt magis alterius videretur. Et cur non vocauit matrem suam? Ait D.Hieronym.in Glossa: *Idcirco non dixit Maacham matrem suam, sed matrem regis, quia non ambulabat viam rectam, sicut filius eius.* Nec mirum, quod bonus negaret matrem, à qua nihil virtutis, nihil pietatis poterat addiscere

2.Par.2. — *Psalm.4.* — *Ambr.* — *2.Par.15.* — *Hieron.*

CAPVT III.

Moyses mittitur in Ægyptum.

Textus Historia.

FIDI hominis reuerentiam non aspernatus Dominus, imperium maturat, & Moysi iubet, vt reuertatur in Ægyptum, apud Pharaonem salutem Israelitici populi negotiaturus. Sed destituebant obedientia impetum animi vires, crebris difficultatibus pertinaciter concussæ: quas etiam prouinciæ magnitudo compositis rationibus exaggerabat. Vt priuatus, & contemptibilis homuncio coram potentissimo Rege de re illi ingrata perageret? Vt Israelitarum principibus Numinis imperium persuaderet, cuius vel nomen ignorabatur? Vt vnus renitenti multitudini satisfaceret? Vt pene elinguis homo disertos palatinos in sententiam traheret? Sub iis elanguens fidissimi hominis vigor, munus suscipere pigritabat. Quibus facile Omnipotens occurrens, se hominis socium coram rege statuit, necnon & diuinissimum nomen enulgat, quod nullum certum modum essendi determinet, sed omnem plane ambiat, ac comprehendat, velut quoddam pelagus infinitum substantiæ. Id ostendet, dum dicat *Qui est, misit me ad vos.* Rursus ne popularium renitentia grauetur, datur à Deo Moysi, vt miracula patret, siue virgam velis vertere in colubrum, siue manum lepra infectam, velit in sinum reductam sanare, siue attactu virgæ aquas in sanguinem transmutare. Insuper, & oris pompa præsenti numine promittitur, qua possit disertissimos quosque superare, nisi malit id muneris eloquenti fratri Aaroni committere, quem socium habebit, in quouis oratorio certamine.

His persuasus Moyses profectionem adornat in Ægyptum, salutatoque socero, iter, quod Deus beneuertebat, exorsus est. Prosequebantur euntem duo filij, & Sephora vxor, quæ postquam primæ noctis diuersorium intrauis, subito quasi monstro perculsa est. Nam Dei Angelus terribili aspectu apparens, vt primum Moysem aspexit; quæ procella, quodve fulmen celerius aera rumpit, quam tunc indignatio, & auidus sanguinis furor eius vultus corrupit? Mox trucibus oculis, necdum tamen omnia impetui indulgentibus lethali vulneri locum in pene exangui viro spectabat.

Sephora inexpectato coniugis discrimine vexata celeri mente percurrés, quæ possent Numen adeo infensum monstrare, nondum circumcisum filium inuenit, cui dicto citius lapideo cultro viuificum signum aptauit. Proh fœminæ religionem! Flammantem Angeli iram restinxit, & sibi denuo filij sanguine maritum comparauit. Nec multum ab irati Angeli discessu tempus processerat, & Moysi Horebi montem pertingenti Aaron occurrit, de fratris enim aduentu à Deo

fuerat

fuerat monitus, ſed nondum perceperat ſibi & fratri munus demandatum. Moyſes fratris conſpectum lętiſſimo vultu excipiens poſt mutuos amplexos ordine cuncta recenſet, quæ Dei nutu voluebat, vt Iſraelis curaret libertatem. Fratres ergo ſimul ad populum procedebant, cuius præſtantioribus congregatis concionem habuit Aaron, vt a Deo erant in proximo liberandi. Denique tantis dicta confirmat miraculis, quantis nec incredula natio valuit repugnare, ſed vno ore omnes Iſraelitæ ſibi de ſalute gratulantur, immortaléſque Deo gratias agunt.

PARS VNICA.

Moralia circa textus literam.

IAm nucleus moralis è textus cortice eruendus nos vocat, vtinam vt iſte ad vitam componendam valet, ſic ſaporet guſtus palatum.

Exod. 3. Veni, mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum filios Iſrael de Ægypto. Dixitque Moyſes ad Deum: Quis ſum ego, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſrael de Ægypto?

§. I.

Munus non præſumptum, ſed acceptum fructuoſum eſt.

IN Moyſi ducatu præſtito ad educendos de anguſtia Iſraelitas non otioſe poſitum illud in primis eſt, nimirum *Veni, mittam te*: non enim qui præripit ſibi munus, ſed qui vocatus, & iuſſus accedit, ille in munere fructuoſus ſolet eſſe. Hinc Marc. cap. 10. repelluntur à Ieſu filij Zebedæi dicentes, *Da nobis, vt vnus ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtram tuam ſedeamus.* Sed Ioann. cap. 21. diſcipulis tota nocte inaniter laborantibus, ait Dominus: *Mittite in dexteram nauigij, & inuenietis. Miſerunt ergo, & iam non valebant eete trahere præ multitudine piſcium.* Compone modo negatam dexteram Zebedæi filiis, cum dextera conceſſa piſcantibus diſcipulis: illi pro dextera acquirenda certantes, inanes, & vacui tunc manſerunt; hi ad dexteram nauigij retia mittentes implentur piſcibus. Et cur, quæ illis inanis fuit dextera, his adeo diues, & fructifera fuit? Ait D. Cyril. Alexand. lib. 12. in Ioann. cap. 62. *Retibus in dexteram partem iactis magna multitudo piſcium capta eſt. Iuſſu autem Domini hoc factum eſt: quia non rapuerunt gratiam, ſed imperio Chriſti paruerunt.* Expende fœlicitatis cauſam, nimirum, *quia non rapuerunt gratiam*, quippe quia non tetenderunt retia ipſi, vt dexteræ gratiam præriperent, vt dignitatem raperent, ſed Dei imperium expectarunt humiles, & de Dei notiſſimo imperio, & ad retia, & ad dexteram feſtinant, inde tam fructuoſam piſcationem inſtituunt. Non equidem qui præripit dignitatem, ſed qui oblatam à Deo aſſumit, ille fructuoſus eſt in illa. Ecce vobis Geneſ. cap. 24. magna ſolicitudo tenet Abrahamum pro vxore filio quærenda, & ſeruus mittitur muneribus plenus, qui illam in Meſopotamia quærat, & inuentam curet trahere ad Iſaacum Dominum ſuum. Nec impiger ſeruus, ſed omnia perficiens tandem puellam virginem pulcherrimam, dignamque magno Iſaaco, attulit Domino ſuo. Quid tunc? Ait textus cap. 25. *Iſaac cum quadraginta eſſet annorum, duxit vxorem Rebeccam filiam Bathuelis Syri Meſopotamiæ, ſororem Laban. Deprecatúſque Iſaac pro vxore ſua, eo quod ſterilis eſſet, &c.* Vxor Iſaac cum tanta diligentia, & ſolicitudine per ſeruum quæſita, tandem ſterilis inuenitur. Quid hoc? Cur Deus tam diligenti quæſitori puellam ſterilem prouidit? Nonne amat Deus Iſaaci ſemen? Nonne ex Iſaac naſciturus erat populus infinitus? Quando ergo fœcundiſſimæ familiæ vxor parabatur, cur hæc ſterilis fuit? Equidem in Rebecca figurabantur Eccleſiæ Chriſti per orbem ſparſæ, quas qui per ſeruilia officia, anxietate multa ex Principibus ambiunt ſibi acquirere, neceſſum eſt, vt ſteriles, & infructiferas eas teneant: apud illos enim ſolos dignitates ſunt fructiferæ, qui nullo ſeruili officio, nulla ambientis animi ſolicitudine illas præripiunt, ſed Dei iuſſu, & manu ad illas tegendas ſunt adhibiti. Hinc D. Nazianzen. extollit Baſilium ſatus orat. 20. *Iſaac antequam in lucem ederetur, promiſſus eſt. hic autem ſponte ſe ipſum promiſit, ac Rebeccam, hoc eſt, Eccleſiam, non procul quæſitam, ſed è propinquo aſſumptam vxorem duxit, nec per ſeruilem legationem, ſed diuino beneficio conceſſam, atque commiſſam, nec in filiorum prælatione circumuentus eſt, ſed vnicuique, quod promerebatur, cum Spiritus iudicio, ac delectu tribuit.* Expende, quam totus alius ab Iſaac ſit Baſilius in vxore habenda, hoc eſt, in Eccleſiæ dignitate tenenda, & in illius fructu. Ille longè à ſe poſitam per ſeruilem negotiationem ambiuit, inde & in ſterilem incidit, & in promotione filiorum cæcutiit. hic nihil ſeruiliter egit, nullam ſeruilem legationem inſtituit ad principes, nullos dedit ſeruiles codicillos, nullam præmiſit ſolicitudinem pro acquirenda dignitate, imo nec gradum fecit propter illam, ſed in proximo à Deo ſibi oblatam, & immiſſam accepit. Et quis inde numeret Baſilij in dignitate fructus? Sane nullam fraudem paſſus eſt in promouendis filiis ſibi commiſſis. Huc accedat, qui cum tot Prælatos in Dei Eccleſia videat, pauciſſimos queritur eſſe ſpirituales fructus, innumerabiles errores in promouendis miniſtris ad beneficia. Vnde hæc fructuum ſterilitas, & errorum abundantia? Multi velut Iſaac longe à ſe ſuiſque meritis poſitas ambiunt Prælaturas, quas per ſeruilia officia exhibita principibus ſibi acquirunt, & inde & cæcitas in eligendis miniſtris, & ſpiritualis fructus penuria. Rari, qui non per ſeruilia officia, ſed diuino beneficio conceſſam ſibi, ſuiſque meritis proximam acquirant Prælaturam, inde rari fructus, & rarus delectus in promouendis miniſtris. Aiebat Paul. ad Hebr. cap. 5. *Neque quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Nouum hoc aſſertum videtur, & difficile creditur, quod nec quiſquam inueniatur, qui ſumat ſibi honorem, niſi vocatus à Deo ſit vt Aaron. An non multi ſunt, qui nec vocati, nec merentes, ſed pugnantibus Dei legibus aſſumunt Prælaturas? Cur ergo dicit Paulus, quod nec quiſquam ſumit honorem niſi vocatus vt Aaron? Sapienti verbo vſus eſt Paulus dum dixit, *ſumit*: qui enim non vocatus vt Aaron accedit ad dignitatem, hic non ſumit, ſed præripit, & ideò ſterileſcit, vt maledictus. Ait D. Anſelm. ibi. *Qui ſe ingerit, & propriam gloriam quærit, non ſumit honorem, ſi Pontifex aut prælatus Eccleſiæ factus fuerit, ſed gratiæ Dei rapinam faciens, ius alienum vſurpat. Et ideo non accipit benedictionem, ſed maledictionem.* Nec miror, quod ſub maledictione ſterileſcat Prælatus, qui non vocatus acceſſit, & præripuit Prælaturam.

Marc. 10. *Ioan. 21.* *Cyr. Alex.* *Gen. 24.* *Nazianz.* *Heb. 5.* *Anſelm.*

§. II.

Diffidentia ſui familiaris iuſtis viris.

AVdierat Moyſes ſe à Deo mitti ad educendos Iſraelitas, & nihil dicens de eo quod mittatur à Deo, ſolum obiicit infirmitatem progreſſionis ſuæ, dicens: *Quis ſum ego vt vadam ad Pharaonem?* Cur non magis Deo mittenti obiecit: Quis ſum ego, vt mittar? Cur tacens de eo, quod mittatur, ſolam proponit difficultatem eundi? In eo quod mittatur, nihil ſuum inuenit, totum id ex parte Dei ſe tenet, cui nihil eſt difficile. In eo, quod ipſe vadat, iam aliquid ſuum videt; de iis autem, quæ ad ſe pertinent non audet vir iuſtus ſperare aliquid velle. Sic Iſaiæ cap. 6. *Et audiui vocem Domini dicentis: Quem mittam? Et quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego, mitte me.* Duo expreſſe Dominus requirebat, & quem mitteret, & quis iret; at vates vt audenter petit mitti, ſic veritus tacet de eo, quod ibi. Ait enim, *mitte me*, ſed non ait, *ego ibo*. Cur bone vt te mitti petis, non ſimul ſpondes te iturum? In eo quod iret, erat aliquid ſuum, vt autem ſe videt, nihil audet polliceri de ſuis viribus, quas nouit infirmas. Ibi D. Baſil. Magnus inquit: *Non adiecit, Ego ibo. Per id, quod libera, & electiua erat voluntatis, reſpondit, Ecce ego ſum, mitte me. Quod autem erat gratiæ, reliquit Domino, vt, qui propriæ conſcius infirmitatis non eſt auſus polliceri ſe iturum.* Sic viri iuſti, quod ſui ipſorum eſt, verentur, nec audent de ſe aliquid bonum ſperare, ſed potius in ſuis maximè diffidunt. Iob cap. 13. aiebat Deum ſpectans: *Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo*: Sed & cap. 7. dixerat: *Deſperaui, nequaquam iam viuam.* Ecce qui adeo ſperabat, vt iam deſperat, putabat ſe nullis caſibus poſſe a ſperando deturbari, & facili negotio ſe iam deſperaſſe dicit. Vnde qui ſic ſperabat, tam facile deſperabat? Sperabat in Deo, deſperat de ſe, vt enim iuſtorum eſt firmiter in Deo ſperare, ſic eſt eorum nullam habere ſui fiduciam. Vt dicat Richard. Victor. lib. 1. de erud. part. 1. cap. 51. *Deſperaſſe ſe dicit, ſed dubitat forte de quo, de Domino,*

Iſai. 6. *Baſil.* *Victor.*

Domino, an de se ipso? Audi ergo, quod alibi dicat, & agnosce, quam fortiter in Domini confidentia fixus manebat. Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. Sperat itaque, sed de Domino. Desperabat nihilominus, sed de se ipso. Hi simul iustum virum affectus tenebant, & fiducia, & diffidentia, vt Deum spectabat: sic firmiter Deo fidebat, vt nihil non auderet in illo, vt ad se oculos conuertebat, sic diffidebat, vt vitali cuiuis actioni vale diceret. Nunquam enim sui diffidentia non comitator viros iustos. *Matth. 26.* Matth. 26. dixerat Dominus se tradendum esse ab vno discipulorum. Quid tunc? *Et contristati valde cœperūt singuli dicere: Nunquid ego sum Domine? At ille respondens ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.* De vno audiunt, & omnes turbantur; & singuli de se metuunt, & quærunt de se. Cur singuli de se dubitant? An non vident affectum suum erga Christum longe à tali proditione positum? Equidem vident, sed quia suum vident, ex ea parte diffidunt se in eodem posse perseuerare. Vnde merito *D. Leo.* D. Leo sic ad Iudam impudentissimum fatur, serm. 7. de Pass. *Ecce innocentes condiscipuli tui ad significationem facinoris expauescunt, & omnes sibi, non edito impietatis authore, formidant. Contristati enim sunt, non de conscientia reatu, sed de humanæ mutabilitatis incerto, timentes ne minus verum esset, quod in se quisque nouerat.* Videbant innocentes discipuli animum suum bonum erga Iesum, at quia suum norāt, timebant, ne minus verum esset, quod de se putabat. Quo enim innocentiores, & sanctiores erant, eo minus de suis virtutibus sperabant.

Exod. 3. Qui dixit ei: Ego ero tecum, & hoc habebis signum, quod miserim te. Cum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum.

§. III.

Magnis negotiis nunquam Deus non adest particulari sua prouidentia.

MAgnum erat, quod priuatus homuncio ingentem populum, vel renuente tyranno à captiuitate extraheret. Quod quidem sine Dei particulari assistentia fieri minime poterat. Vnde Deus ait: *Ego ero tecum*, insuper & signum particularis assistentiæ suæ addidit, dicens: *Et hoc habebis signum, quod miserim te: Cum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum.* Ecce tibi pro signo assistentiæ diuinæ particularis solus rei euentus proponitur: quod nimirum populus à Moyse erutus de facto in illo monte immolaturus sit Deo. Sed rei euentus de se non signa sunt diuinæ particularis assistentiæ; quando sub prouidentia communi, multa eueniunt, quæ minime Deo vt particulari authori, & motori imputari debent. Vnde ergo euentus libertatis Israeliticæ erit signum Dei in illa procuranda assistentis? Equidem id euidentissime designauit ipsa magnitudo rei: quo enim maius erat, quod à potentissimo tyranno captiuus populus per manum priuati hominis Moysis erueretur, eo euidentius ostendebat Dei assistentiam particularem, quæ semper proxima est magnis euentibus. *Luc. 2.* D. Lucas cap. 2. natiuitatem Christi Domini memorans, simul ob oculos proponit rem, quæ vsque ad illa tempora inaudita fuit. Quippe ait: *Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis.* Et quis Cæsar, aut quis Imperator tale vnquam edictum dedit, quo ad descriptionem cogeret totum orbem terrarum? Quę tamen descriptio dum fiebat: *Ascendit Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem: eo quod esset de domo, & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante. Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies, vt pareret. Et peperit filium suum, &c.* Ecce tibi Dei filius in mundo nascitur, & inter homines apparet, eo ipso tempore, quo vnus homo sub dominio suo scribebat totum orbem terrarum. Et cur Deus inter homines venit, quando vnus homo omnes homines sub sua redigit potestate, nisi vt ostendatur tanta res non posse fieri nisi interueniente Deo, cuius particularis prouidentiæ est, magna omnia administrare? Sic D. Nazian- *Nazian.* zen. orat. 9. fatur: *Cum Christo describis, cum Christo tributum expendis, cum capite censuram facis, cum Verbo rationem subducis. Nunc Christus tibi nascitur, & Deus est, & homo efficitur, & cum hominibus conuersatur. Quid autem sibi vult hæc oratio? Sane, nisi me sententia fallit, eos, quibus huiusmodi munera commissa sunt, admonet, Deum semper maximis rerum administrationibus interesse.* Nulla, mihi crede, magna rerum administratio exercetur, cui Deus non adsit; si regna euertenda, si stabilienda altera, si promouendæ nationes, aut pessundandæ, Deus sese iis rebus adeo immiscet, vt in quouis magno effectu præsentissima eius prouidentia particularis clareat. Quo spectabat illud *Daniel 4.* Daniel. cap. 4. *Cognoscant viuentes, quod dominatur excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit, dabit illud.* Nulla enim regnandi moles agitur, nihil quod ad regnorum magnitudinem pertinet, tractatur, in quo non potentissime assistat peculiaris quædam Dei prouidentia, sine qua nulla magna administratio erit. Vt sapienter ad hæc dicat Iosephus apud *Ioseph.* Egesipp. lib. 5. de Excid. cap. 15. *Quis autem ignorat cum illis esse Deum, qui sibi omnia subiecerunt? Quia aduersis populis Deus per vices potentiam dedit. Primo Ægyptiis, post Iudæis, Assyriis quoque, & Persis auxiliatorem fuisse nullus negat: postea conuersum ad Romanos, cum his perseuerare.* Nullibi inuenies rem magnam agitari circa regnorum, vel deiectionem, vel promotionem, in qua Dei peculiaris prouidentia non pateat. Regnarint Ægyptij, regnarint Assyrij, regnarint Persæ, regnarint Iudæi, regnarint Romani, ad nullum peruenit regnandi moles, nisi ex Dei prouidentia singulari.

Exod. 3. Ait Moyses ad Deum, Ecce ego vadam ad filios Israel, & dicā eis: Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi: Quod est nomen eius? quid dicam eis? Dixit Dominus ad Moysem: Ego sum, qui sum. Ait, sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos. Dixitque iterum Deus ad Moysem: Hæc dices filiis Israel: Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale est in generatione, & generationem.

§. IV.

Quæ recentia, & præsentanea bona monstrantur, longius à falsitatis suspicione, quam antiqua, & nimis præterita absunt.

ECce quale suum nomen Dominus exprimit: nimirum ait: *Ego sum, qui sum*, & illud, *Qui est, misit me ad vos*: & cum ipse antiquissimis etiam sæculis extitisset, nimirum ab æternitatis antiquo, non per verbum præteriti, sed per verbum præsentis maluit suam præstantiam exprimere. Cur etiam non ad præterita, & antiqua sæcula recurrit, dicens: Ego sum, qui fui? Cur de præteritis, & antiquis nihil, sed omnia recentia, & præsentanea exhibuit, aiens, *Ego sum, qui sum, &, Qui est, misit me?* Merito Deus ad præsentia, recentiaque sola recurrit, vt quæ longius abessent ab omni suspicione falsitatis. Ex quo Arnobius lib. 1. Gentes pungit, quod idolorum *Arnob.* glorias antiquiores iactabant esse Christianis. Quippe ait: *Sed antiquiora, inquiunt, nostra sunt, ac per hoc fidei, & veritatis plenissima: quasi vero errorum non antiquitas plenissima mater sit, & non ipsa pepererit res eas, quæ turpissimas diis notas ignominiosis concinnauerunt in fabulis.* Equidem & quo antiquiora proferuntur, eò promptiora sunt falsitatum fundamenta, & errorum discrimina; ne mirer à Deo recentia, & præsentanea amari, quæ vt potentiora oculis, sic magis à fabularum suspicione libera. Hinc Leuit. cap. 2. cauet Deus: *Si autem obtuleris* *Leuit. 2.* *munus primitiarum frugum tuarum Domino, de spicis adhuc virentibus torrebis igni.* Expende, quæ exquirantur à Deo spicæ primitiarum, nimirum, quæ adhuc virent, in recentiorique splendore sunt. Et cur magis ad recentes, & virentes spicas Deus afficitur, nisi quia vetustissimarum rugæ, & sinus plures possent fallacias gignere? Ad hæc Philo lib. de sacrificio *Philo.* Abel, inquit: *Virentes recentesque ideo postulat, quia homines illos antiquum, fabulosumque tempus amantes, celerem autem & nulli tempori obnoxiam Dei potentiam non intelligentes docet; admonens vt noua, recentia, pubentiaque sumant bono animo, ne priscis immoriti fabulositatibus, quæ multis ætatibus ad decipiendos mortales sunt traditæ, imbuantur falsis opinionibus: sed à Deo nunquam senescente noua, recentiaque bona copiose accipiendo discant credere non esse quicquam vetus apud eum.* Et quidem ab eo, quæ velit falsitatis suspicionem abradere, non multum fidendum est

rugosis

Ephes. 5.
Caietan.
Leuit. 19.
Philo.

rugosis illis vetustatibus, quæ pene absoletæ nihil prærer quasdam rugas prætendunt, in quibus & fabulæ & fictiones nutriri possuot. Illa sunt prorsus diuina, quæ non nouerunt senij rugas, sed virenti, & recenti splendore decora sese ostendunt. Ait enim Paulus de Christo Domioo ad Ephes. cap. 5. *Vt exhiberet ipse sibi Ecclesiam gloriosam, non habentem maculam, aut rugam.* Sed in Christi Ecclesia maxime antiquitas, & vetustas commendatur; cur à Christo tollitur in Ecclesia senium? Vide quale senium tollitur, non senium, non antiquitas rollitur, quæ iuuenilem quendam & splendorem, & virorem refert. Illud senium tollitur, quo multa dicta absolentur, & solis quibusdam rugis conseruantur, vnde præbeant mareriam fingentibus. Ex quo in præsenti Caietan. *Vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam fictionis.* Et præclare Theodor. *Christus Dominus pro sua sponsa ne mori quidem dubitauit, vt eam emundaret, & ei senium abraderet.* Semper male olet senium illud, in quo tempus absumpsit omnem virorem, & nihil splendoris reliquit, nihil quod possit placere, sed solum rugas prætendit quàm aptas fingentibus. Qui in hac antiquitate confidunt, & præsumunt, prorsus fugiendi sunt, vt qui animos impleant fabellis. Leuit. c. 19. ait Dominus: *Coram cano capite consurge, & honora personam senis.* Quæ sic leguntur apud Philoοem: *A facie cani surges, & honorabis faciem senioris*: quibus illud præcipitur, quod senior honoretur: sed de cano non dicitor, quod honoretur; quin potius monemur, quod ab illo surgamus, abeamus. Et quando senior honorandus est, cur canus non similiter honoretur? An non cani, & senes idem suot? Absit; imo maximam ponit inter temporis vetustatem differentiam; & in seniori intelligit vetustatem illam, quæ præstantiam, & virotem semper ostendit recentem, & splendidum sine vlla ruga, quæ possit fallere oculos aspicientium. Senectus hæc ad honorem, & reuerentiam pertinet. At io cano intelligit vetustatem, quæ nihil aliud habet nisi edacitatem temporis, & rugas fallentes; qui solum huius vetustatis vi honorem quærunt, maxime sunt cauendi. Ad hæc Philo lib. de sacrificio Abelis, inquit: *Canum enim dicit, tempus illud otiosum, à quo surgere, migrareque oportet eos, qui declinant opinionem istam innumeris fallentem, quod tempus habeat naturam faciendi aliquid. Seniorem autem eum, cui honore, præmio dignitateque præfertur, &c.* Cane senium, quod solum rugas exhibet, & edacitatem temporis; illa senectus suspicienda est, quæ nihil præsentanei splendoris perdidit.

§. V.

Solius Dei laus est, in summa antiquitate nunquam non commendationem habere.

Dion. Areop.
1. Reg. 2.

MVlta Dei oomina erant, quæ eius explicarent magnalia: sed placuit iode in præsenti nominari, quod est, quippe ait: *Ego sum, qui sum*, & insuper, *Qui est, misit me ad vos.* Et cur relictis aliis ad hoc essendi solum nomen recurrit? Hoc vt est omnibus prius & antiquius, sic ad Dei commendationem debuit sumi; cuius solius proprium est, æque laudabiliter posse repræsentare & antiquissima, & vetustissima Ait D. Dionysius Areopag. lib. de Diuinis nominibus cap. 5. *Ante alias omnes Dei participationes, ipsum esse propositum est, & est ipsum esse antiquius, quam vita, & quam sapientia, & quam alia quadam similitudinem diuinam participantia, ante hæc enim omnia ipsa esse participant. Merito igitur reliquis principalius est ipsum esse; & ex ipso tanquam antiquiori aliis Dei donis ipse Deus celebratur.* Ecce tibi Deus ex antiquiori celebratur, quod sane non reperies in alio; non in creatis, quæ cum ex nihilo fiant, recurrere ad antiquitatem cauent, ne in nihilum abeant. Imò vix reperietur creaturarum antiquitas, & vetustas, quæ non io aliquo sordeat, vel rugam trahat; Deus solus est, qui & in antiquissimis æque possit gloriari. Quò respiciens Anna Samuelis mater 1. Reg. cap. 2. aiebat ad Iudæorum proceres: *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes: recedant vetera de ore vestro: quia Deus scientiarũ Dominus est.* Quia Deum sciẽtiarum Dominũ agnoscit, iubet vetera recedere ab ore illorũ. Et licet Deus scientiarum Dominus sit, cur vetera longè à se faciãt Iudæi proceres? Cur vt vetera ableget, oppoοit illis Deum solum esse Dominum scientiarum? Apud Iudices cap. 1. agens textus de expeditione Caleb, ait: *Profectus abiit ad habitatores Dabir, cui nomen vetus erat Cariath Sepher, ciuitas literarum.* Et ideò veteri nomine ciuitas literarum vocabatur, quod in ea antiquorum patrum, quasi archiuum fuerit, in quo post orbis diluuium plurima reposuerint antiquitatis monumenta. Ita Magallanes in præsenti sect. 1. annotat. 9. Possent ergo Hebræi gloriantes ad vetustissimum nomen ciuitatis Dabir recurrere, in eoque antiquissimos sapientiæ suæ fontes demonstrare. Quos monet prudens fœmina ne multum fidant antiquitati sapientiæ suæ, ne gloriantes recurrant ad vetustum illud suorum archiuorum nomen, solus enim Deus est scientiarum Dominus, & illarum scientiarum, quæ & antiquitus eundem splendorem habeant. In aliis enim antiquitas, & vetustas nunquam non ostendit, vel rugas aliquas, quibus & minus extensæ, & magis implicatæ displiceant, & nouis illustrationibus, & extensionibus, vt placeant. Suspecta enim solet esse antiquitas in rebus creatis, vt dicat Paul. ad Ephes. cap. 4. *Deponite vos secundum pristinam conuersationem, veterem hominem, qui corrumpitur, secundum desideria erroris.* Vt enim in vetustate corporis, & rugæ, & plicæ apparent, sic errorum occasiones mille notantur. Vel da mihi vetustatem aliquam in creaturis, quæ sordibus non scateat? Vnde cum Dominus permisisset innocentibus hominibus, quod dilapidarent adulteram; statim abierunt eius accusatores: imò notat Ioannes cap. 8. *Vnus post vnum exibant, incipientes à senioribus*, ecce tibi qui antiquiori ætate gloriari poterãt, ipsi primi recedunt ab opere, ad quod vitæ innocentia requirebatur. Difficile namque datur in creatis antiquitas, quæ erroribus non sordeat. Ait D. Ambros. epist. 58. *Exire cœperunt singuli incipientes à senioribus: vel quod ipsi plura haberent crimina, qui diu vixerant.* Sic in creatis antiquitatibus plurimæ inuoluuntur sordes.

Ad Eph. 4.
Ioan. 8.
Ambr.

§. VI.

Id magis Deo proprium est, quod est pluribus communius.

QVæritur ex Deo nomen proprium, & ait: *Ego sum, qui sum*, & insuper: *Qui est, misit me ad vos.* Et cum nomina propria ideò confingantur, vt res per suas indiuiduas proprietates ab aliis cognoscantur distinctæ; cur Deus nomen suum proprium exprimit ex eo, quod communissimum est omnibus creaturis? Cum enim sapientia, iustitia, & aliæ virtutes in aliquibus, iisque paucissimis inueniantur, esse in nulla non inuenitur. Cur ergo quod proprium debebat esse, sic sumitur ex perfectione communissima, nisi vt ostendatur, illud esse magis Dei proprium, quod ab illo ad plures proficiscitur? Ait D. Hieronym. in cat. Lippoman. *Et quomodo nomen commune substantiæ, sibi proprium vendicat Deus? Illa, vt diximus, causa, quia cætera vt sint, Dei sumpsere beneficio.* Quo in plures venit à Deo beneficium, eo illius magis proprium est, magisque exprimit proprietatem diuinam. Hinc Ioann. cap. 6. Dixit ergo eis Iesus: *Amen, amen dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cœlo. Sed pater meus dat vobis panem de cœlo verum, &c.* Et quidem per Moysem datus fuerat popolo illi panis, nimirum manna, qui & à cœlo veniebat, & miraculose cadebat, & talis erat, qui panis Angelorum diceretur. Cur ergo Iesus negat hunc panem fuisse cœlestem, & proprium mensæ illius, quæ à summo Deo exhibetur peculiari affectæ? Non erat hic panis communis multitudini hominum, sed tantum Iudæis, vnde habuit, ne singulariter attribueretur Deo, cuius propria, quo magis propria, eo communiora pluribus esse debent. D. Cyrill. lib. 4. in Ioann. cap. 34. *Panem cœlestem manna ex imperitia nuncupatis, quo, quamuis innumeræ pene gentes in orbe sunt, solum tamen Iudæorum genus fuit enutritum. Neminem vestrum errare volo, non erat panis ille cœlestis, sed hic est, qui vniuersum terrarum orbem potest nutrire, & toti mũdo vitam præbere.* Illud putat Dei propriissimum, quod multis commune. Vt dicat D. Ambros. lib. 6. in Lucam: *Christi munera parua videntur, & maxima sunt. Denique non vni collata, sed populis.* Quo spectabat illa Dei querela apud Oseam cap. 11. iuxta lectionẽ Græcã D. Cyrill. Alex. vbi ait: *Sicut vocaui eos, ita abibant à facie mea.* Summa esset ruina hominis, & summa labes, quod à facie Domini abiret, quod Deum sperneret, ab illoque fugeret. Quid scelestius? Quid miserius in populo illo? Sed Deus aliud quid queritur in Israelitis, nimirum quod non solum abirent, sed quod abirent eodem modo, & ordine quo tracti, & vocati fuerant à Deo ad vitam. Et quale hoc crimen? Equidem grauissimum, vt quod sese opponebat clarissimæ & notissimæ diuinitatis proprietati consistenti in eo, quod ad plures extendebat beneficia vocationis suæ. Qua illi abutebantur in malitiam, eodem modo inficientes omnem multitudinem, ne vnus maneret, qui à Deo non abiret. Pulchre D. Cyril. Alexand. ibi: *Abierunt autem,*

Hieron.
Ioan. 6.
D. Cyril.
Ambr.
D. Cyril.

quonam

quonam modo? Num quia singillatim, & secundum paucos à mente, & iudicio desciuerunt, & quorundam fallacia capti sunt? Nullo modo. Resilierunt enim sic, quomodo videlicet vocati sunt, id est, secundum vniuersum multitudinem, & secundum tribus, totum genus, tota familia. Profusissimam Dei beneficentiam in Israelitis saluandis illi æmulati sunt in malum: vt enim Deus iuata notissimam diuinitatis suæ proprietatem, in eo se ostendebat, in quo pluribus, imo vniuersis Israelitis per tribus & familias salutem præstabat: sic illi curabant, vt secundum eandem multitudinem omnes prorsus deuiarent. Quid scelestius? Quid exitialius quam abuti in malum tanta diuinitatis proprietate?

§. VII.

Tunc futura promittens placet, quando & de præsenti præstat aliquid.

INsuper Deus aliud nomen sibi addidit, asserens: *Hæc dices filiis Israel: Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos; hoc nomen mihi est in æternum.* Et cur maluit nomen suum ostendere ex his tribus patribus conflatum, potius quàm ex aliis? Cur non Abelis, & Sethi, & Enochi Deum se dixit? Cur, iis omissis, solos Abrahamum proposuit, & Isaacum, & Iacobum? Agebat Deus cum Abrahamidum genere, cui futuram salutem, & protectionem promittebat: vt autem eorum animos caperet, sic futura hæc promittebat, vt aliquid iam de præsenti exhibitum eorum patribus demonstraret. Ille magis futurorum sponsor semper placet, qui in præsenti aliquid, velut pignus eorum quæ promittit, facit. Dominus Iesus Ioann. cap. 16. aiebat discipulis: *Expedit vobis, vt ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos.* Ecce tibi vt promittit se missurum Spiritum sanctum, cum ad patrem abeat. Sed nondum abierat ad patrem, Ioann. cap. 20. & apparens discipulis *insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum.* Ibi promittit se missurum, hic statim præstat; & antequam veniat ad patrem, ex quo præstaturus erat diuinum spiritum, iam illum in præsenti concedit. Cur Domine ante promissionis tempus dona acceleras? Cum apud Patrem sit, cumulatissimè erat præstiturus promissum, nunc in præsenti aliquid ex parte exhibet, vt futurorum promissiones confirmentur. Ait D. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioann. cap. 56. *Quamuis tempore suo facturus sit, quasi tamen arrhabonem rei futuræ, nonnihil fecit ex parte, vt generalia credantur. Sic cum missurum ad omnes spiritum dixerit, postquam ad patrem ascenderit, primitias tamen pollicitationis, & quasi arrhabonem nobis in discipulis dedit.* Profectò non magni æstimandus videretur ille, qui cum multus sit in promissionibus futurorum, in præsenti exhibitione nullus appareret esse. Qui ergo acceptior vult esse in promissionibus suis, nihil de futuro promittat, quin aliquid faciat de præsenti. Similiter Ioann. cap. 5. dixerat Dominus: *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ. qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.* Sic futuram resurrectionem omnibus hominibus promittebat. Et quid iucundius singulis, quàm quod cum vniuersis de tumulis egressuri erant? Nonne hac promissione satis nostras confirmaret Iesus mentes? Sed vide Ioann. cap. 11. vt Lazarum à morte reuocat in vitam, & alibi filium viduæ, & Iairi filiam morti eripit. Ad quid has præproperas resurrectiones in paucis efficit, qui in omnibus longe præstantiores effecturus erat? Pulchrè D. Cyrill. Alexand. lib. 12. in Ioann. cap. 56. ait: *Multa tempore suo generaliter facturus pollicitus est, quæ tamen ex parte antea fecit, vt credamus vere ipsum vniuersaliter quoque facturum. Prædixit omnes se mortuos suscitaturum. Verum quoniam rei magnitudo fidem excedebat, præuenit vtiliter, & ante resurrectionis tempus Lazarum, & viduæ filium, & Iairi puellam suscitauit.* Expende, vt nobilis promissor molliebat futurorum promissiones, quæ oculis carneis fidem videbantur excedere; nimirum aliquid earum in præsenti exhibebant. Huc traherem ego omnes illos, qui magna in futurum se promittunt facturos pro virtute, & Deo; qui ne blaterones putentur, aliquid de præsenti debent exhibere. Similiter traherem huc illos, qui cum multa rapuerint, ingentem restitutionem promittunt se facturos, qui si in hac debita promissione securi malunt quiescere; aliquid ex parte de præsenti præstent. Si enim nec tertiarium vis reddere de præsenti; quomodo fidem facies, quod in futuro ingentem pecuniarum summam reddes? Ille bonus promissor habetur, qui vt potest, aliquid saltem ex parte de præsenti præstat. De futuro iudicio locutus Dominus Matth. cap. 13. inquit: *Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum.* Hoc omnibus iustis hominibus promittebat Dominus, quod totidem soles facti regnaturi erant. Quid deinde? Matth. cap. 17. *Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelsum seorsum; & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut Sol.* Cur omnipotens filius Dei faciem suam ad solis splendorem efformat? Cur non supra solem? Diuus Cyrill. Alexandrin. vbi supra: *Tunc, inquit, fulgebunt iusti sicut Sol in regno patris sui. Quod vt firmiter crederetur, præuenit, & in monte hanc gloriam discipulis monstrauit.* Adstruebat fidem promissioni de beatorum fulgore; & vt crederent homines se instar solis effulsuros in cœlo, præostendit illis in vultu filij hominis solis speciem. Ne quis magni faciat promissionem de futuro, si nihil de præsenti efficit.

Ioan. 16.

Ioan 20.

D. Cyril.

Ioan. 5.

Matt. 13.

Matth. 17.

D. Cyr.

Exod. cap. 3. Vade; & congrega seniores Israel, & dices ad eos; Dominus Deus patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, dicens: Visitans visitabo vos: & vidi omnia, quæ acciderunt vobis in Ægypto. Et dixi, vt educam vos de afflictione Ægypti in terram Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Heuæi, & Iebuzæi ad terram fluentem lacte, & melle. Et audient vocem tuam.

§. VIII.

Non quod multitudinis impetu, sed quod seniorum, magnatumque consilio introducitur, id in Repub. stabile.

LIbertatis Israeliticæ negotium tractari mandat Deus apud seniores Israel, non apud populares, ait enim, *Vade, & congrega seniores Israel, &c.* Et sane libertatis vox efficacior solet esse apud populares, quorum animos vt concitarent plurimi, hac vna vsi sunt voce, vt libertatem clamarent. Cur ergo Deus non potius mittit libertatis nuntium ad populares, apud quos solet esse efficacius? Sciebat Dominus facilius multitudinem moueri ad vocem libertatis; sed etiam sciebat nihil multitudinis impetu introductum posse durare; & ideò sapienter ad seniorum conuentum mittit, de quorum consilio introductæ res solent, & firmiorem, & durabiliorem recipere statum. Id quod clarissime patet in Christo Domino, quem accedentem ad ciuitatem Ierosolymorum populares turbæ, & regem, & Dauidis filium proclamant. Ait Matth. cap. 21. *Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via: turba autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna filio Dauid; Benedictus, qui venit in nomine Domini: Hosanna in altissimis.* Quanta hæc Christi Domini præconia? Quanta popularis affectus in eum demonstratio? Quis non crederet Christi regnum ex tunc in illo populo æternari? At tota illa gloria subito disparuit, & turbæ, quæ acclamarunt intranti, post biduum illum reiecerunt, eiusque regnum abiurarunt, clamantes in prætorio Pilati Ioannis cap. 20. *Non habemus regem, nisi Cæsarem:* in quo adeo pertinaciter adhæserunt, vt nunquam desisterent ab hoc conatu; donec fuerit Iesus in cruce exaltatus. Et cur primus ille gloriæ status tam facile mutatus fuit, quando secundus hic ignominiæ status tam pertinaciter perseuerauit? Ille excitatus fuit impetu populari, nullo principe consentiente, & ideò non potuit durare, durauit autem hic secundus status, qui introductus fuit consilio magnatum. Sic de Iudæis locutus ait D. Cyril. Alex. lib. 12. in Ioan. 26. *Ipsi autē, quamquā asina pullo insidentē Iesum publicè in Hierosolyma cū infantibus diuinis honorarūt laudibus. Benedictus,*

Matt. 21

Ioan 20.

D. Cyr.

clamantes, qui venit in nomine Domini, resiliunt tamen nunc principatum Romanorum amplexi, & iugum regni Dei reiicientes. Hoc enim plane significant dicentes: Non habemus Regem nisi Cæsarem. Sed tunc à populo, & à simplicioribus vt Deus, Christus laudabatur: nunc vero consilio, & clamore pontificum regnum Dei excutiunt. Expende, in quo ponat & primi status inconstantiam, & secundi stabilitatem: primò enim acclamatus fuerat Rex, sed populari impetu, & multitudinis affectu, ideò tam cito resilierunt. Secundò autem consilio, & clamore Seniorum, Pontificumque exhonoratus est, & ideò in hac ignominia, vsque ad mortem durauit. Nihil enim in Republica durat, quod populari impetu introducitur, sed quod introducitur per procerum Senatum. Ride multitudinis suffragia, quisquis velis certum, & stabile fundamentum fœlicitatis. Dum Matth. cap. 1. genealogiam Christi Domini texit, veniens ad Salomonis filium ait: *Salomon autem genuit Roboam.* Et quidem Roboam idem sonat, ac *in multitudine populi*, & quando mos erat antiquis proceribus in nominibus filiorum, præsagium quærere eorum fœlicitatis, cur sapientissimus Rex ad popularem multitudinem recurrit, vt filij fortunam præsagiat? Sane, vt est angusta sapientia creata, inde filium confirmari putabat, si ei multitudinem popularem aggregaret. Verùm Dei sapientia in eo euidentius præsagium præferebat in Roboamo finiendæ, aut minuendæ gloriæ regalis; quando nihil in populari multitudine futuri potest esse stabile, nisi potentium, magnatumque consilium, & auxilium adsit. Ait D. Chrysost. homil. 1. in Matth. *Salomon cum haberet regnum valde multiplicatum, natum sibi illo tempore filium, appellauit Roboam; id est, in multitudine populi; vt secundum statum regni sui multiplicati nominaretur filius eius, prouidentia autem Dei dispensauit, vt diceretur in multitudine populi; quoniam quod fit in multitudine populi, statim facile seditionem multitudinis patitur.* Nescit popularis multitudo diu consistere, sed instar maris fluctus, prout ventus afflauerit, modo huc, modo illuc rapitur. Insipiens est, qui se tantæ committit inconstantiæ.

Chrysost.

§. IX.

Cœlestium apparitiones crebrius fœminis, quàm sapientibus viris dantur ob horum præstantiam.

IVbetur Moysi, quod congregatis senioribus Israelis oarret, vt sibi apparuerit Dominus, vt eorum doleat vicem, & promittat libertatem. Ait enim: *Congrega seniores Israel, & dices ad eos: Dominus Deus patrum vestrorum apparuit mihi, dicens: Visitans visitabo, &c.* Cur non potius ipse Dominus congregatis senioribus apparet, & illos de tempore libertatis imminentis informat? Cur, qui simplici pastori in deserto agenti apparebat, non etiam apparet senioribus, & proceribus Israelis, illósque monet de auxilio præstando? Rationem insinuat Lippomanus in caten. fatus: *Seniores illi prudentes erant, promissiones, Patriarchis de liberatione eorum posteritatis ex Ægypto introductioneque in terram Chanaan factas nouerant. Tempus à Deo præfixum ex numero generationum adimpletum esse cernebant.* Et quidem Deus non solet mittere apparitiones cœlestes illis, qui ea sapientia, & prudentia pollent, qua possint scripturas & maiorum traditiones percallere, vt qui habeant in scripturis, & sapientiæ monumentis, & fortius, & certius argumentum ad percipienda cœlestia. Rudes autem & simplices animæ, quæ literas nesciunt, hæ frequentius apparitionibus diuinis ad cœlestia incalescunt. Accipite ea Ioann. cap. 20. Vt Petrus, & Ioannes, & Magdalena veniunt ad Christi Domini sepulchrum, vt illud vacuum inueniunt, vt linteamina diuini cadaueris seposita ibi notant. Quid tunc? Ait textus: *Abierunt ergo discipuli ad semetipsos. Maria autem stabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum, & vidit duos Angelos in albis.* Ecce tibi, vbi abierunt discipuli, Angeli apparent fœminæ, illamque ad fidem resurrectionis Christi Domini excitant. Et cur simul Angeli discipulis non apparuerunt, sed soli apparent fœminæ? Quam quæstionem grauissime proponit D. Cyrill. Alexandrin. & soluit lib. 12. in Ioann. cap. 46. fatus: *Ambigere aliquis non iniuria poterit, quamobrem discipulis, Petro, dico, atque Ioanni, Angeli non apparuerunt, mulieri autem, & apparent & loquuntur.* Hæc est sancti viri quæstio, accipite solutionem totidem eiusdem

Lippom.

D. Cyrill.

verbis. *Discipulos enim rerum exitus scriptura, Christique prædicationibus conueniens ad firmissimam fidem induxit. Superuacaneum igitur erat, firmiter credentes voce Angelorum doceri. Mulieri autem penitus necessarium, quæ nec literas sciret, nec alio modo sublime resurrectionis mysterium percipere posset.* Quid sapientius? Facit Dominus Angelos frequentius apparere fœminis, vt quæ cum litteras nesciant, magis indigeant auxiliaribus iis fauoribus, vt firmiùs radicentur in abstrusis fidei mysteriis. At sapientes viri, dum rerum euentus habent, correspondentes scripturæ, & apostolicæ traditioni, inde philosophantes sic firmiter imbuuntur fidei mysteriis, vt Angelorum apparitionibus non adeò egeant. Hinc Sapient. c. 16. extollens fauorem illum, quod Deus nutriuit populum suum in deserto, ait: *Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, &c.* Quantus hic fauor erat præstitus Israelitis, quo possent cognoscere magnificentiam diuinam? Cur simile non concessum est Christianis? Christiani habuerunt ex Deo panem vitæ, & intellectus, panem fortissimum sapientiæ, & doctrinæ, quo mirabiliter confirmantur in fide. Illi Israelitæ vt doctrinæ rudes, qui nesciebant penetrare corticem litteræ, acceperunt Angelorum ministeria, & per illos mannæ cibum. Ait illis D. Zeno serm. 33. *Infirmis, ac languidis manna teneritudinem irrorauit. Non enim idonei erant, aut digni, qui cœlestis panis perpetua soliditate fruerentur.* Vbi non erant idonei, qui fruerentur cœlestis doctrinæ, & intellectus pane, quo scripturas possent penetrare, mannæ teneritudine tanquam infirmi irrorantur, confirmantur. Sic cum videris rudes, simplicesque homines, & fœminas cœlestibus apparitionum dapibus impleri, Angelicisque colloquiis frui; non inde putes hos superiores esse multis viris aliis & sanctissimis, & sapientissimis, qui illos fauores non habent. Imò puta simplices & rudes velut infirmos confirmari teneritudine illarum apparitionum, & fauorum, vt qui scripturas nesciant, sapientiæque momentis careant, in quibus & fortius, & securius argumentum habet vir sapiens, ne indigeat aliis. Hinc petenti mortuorum apparitiones ad fratrum salutem negotiandam, respondit Dominus Luc. cap. 16. *Habent Moysem, & Prophetas, audiant illos.* Et merito mortuorum apparitionibus scripturas prætulit, in iis enim intellectis, & ponderatis securiorem fidei confirmationem viri sapientes habent. Ait enim in præsenti Theophylactus: *Nunc nihil tam vtile est, vt scripturarum diligens scrutatio. Mortuorum suscitationem falsè, & apparenter facere potest etiam diabolus, vt seducat imprudentes seminans doctrinas de inferno dignas sua malitia: at eis, qui scripturas probe scrutantur, nihil potest illudere. Illa enim sunt lucerna, & lumen, quo lucente fur deprehenditur, & manifestatur. Illis igitur credendum, & de mortuorum suscitatione non curandum.* Hæc ibi; & merito ne in sanctis viris apparitiones cœlestium requirantur, quando ij sapientiam scripturarum habent.

Sap. 16.

D. Zeno.

Luc. 16.

Theoph.

§. X.

Fœlicitas temporalis vix vlla est, quæ circumstantium calamitatibus non fœdetur.

ECce tibi Israelitarum fœlicitas quantarum gentium calamitatibus comparetur, imò & fœdetur. Ait Dominus: *Dixi, vt educam vos de afflictione Ægypti, in terram Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Heuæi, & Iebuzæi.* Vt Israel viuat & fœliciter viuat, perdenda est Ægyptus, perdendi Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Heuæi, & Iebuzæi. Et quantula hæc Israelis fœlicitas inter tantarum calamitates gentium? Fallar, si vlla possit videri fœlicitas, circum quam mille calamitosæ, & perditæ nationes non gemunt. De splendidissimo, & cantatissimo Romanorum imperio locutus Dominus Dan. 2. ait: *Et regnum quartum erit velut ferrum, quomodo ferrum comminuit, & domat omnia, sic comminuet, & conteret omnia hæc.* Non aliter Romana lux potuit splendescere nisi de ruina, & perditione cunctarum gentium; & ideò merito comparatur ferro vili, & turpi metallo: nequit enim fieri temporalis fœlicitas, quæ non vilescat, & fœdetur a calamitatibus circumiacentibus. Quam rem luculentè tractans Paulus Orosius lib. 5. c. 4. ait: *Ecce quam fœliciter Roma vincit, tam infœliciter, quidquid extra Romam est, vincitur. Quanti igitur pendenda est gutta hæc laboriosæ fœlicitatis, cui adscribitur vnius vrbis beatitudo in tanta mole infœlicitatis, per quam agitur totius orbis euersio? Aut si ideo fœlicia putantur, quia vnius ciuitatis opes auctæ sunt, cur non potius infœlicissima iudicentur,*

Dan. 2.

Paul. Oros.

indicentur, quibus miſerabili vaſtatione multarum, ac bene inſtitutarum gentium potentiſſima regna ceciderunt? Et quidem ſi fœlicitas Romana comparanda eſt cum ruinis, & exlamitatibus regnotum, & prouinciarum, ex quibus illa conualuit, proculdubio velut parua gutta dulcis in vaſtiſſimo amaritudinum mari videbitor. Nec eſt eur non potius illa fœlicitas ſe abſcondat ſub tantis infœlicitatum aggeribus. Id qood accidit omni temporali fœlicitati; vt vnus ditetur, tot depauperantur; vt nequeat cerni diues inter frequentiſſimas omnium pauperies. Vnius riſus tot aliorum luctibus alitur, vt difficile credatur riſus aliqoi potuiſſe manere. Gutta eſt quæuis temporalis fœlicitas ſcaturiens io vaſtiſſimo infœlicitatum circumiacentium pelago. Sic aiebat Saluianus lib. 4. de prouid. *Vt pauci illuſtrentur, mundus euertitur. Vnius honor orbis excidium eſt.* Vt merito de homine ad dignitates habendas properante dicat Eccleſiaſt. cap. 9. *Super delentiam armis ambulabis.* Nulla enim fœlicitas temporalis tibi obueniet, quæ de luctibus, & gemitibus aliorum non nata fuerit.

Saluian.

Eccleſ. 9.

Exod. cap. 3. Ingredieriſque tu, & ſeniores Iſrael ad Regem Ægypti, & dices ad eum, Dominus Deus Hebræorum vocauit nos. Ibimus viam trium dierum in ſolitudinem, vt immolemus Domino Deo noſtro. Sed ego ſcio, quod non dimittet vos Rex Ægypti, vt eatis, niſi per manum validam.

§. XI.

In Dei promiſſis temporalibus illud in primis ſpectatur, quod pertinet ad ſpiritus profectum.

Liberatio ex Ægypti afflictione, & introductio in terram manantem lacte, & melle promittebatur Iſraelitis; & ait dua eorum ad Regem: *Deus vocauit nos. Ibimus viam trium dierum in ſolitudinem, vt immolemus Domino.* Vocaris, vt execas ab afflictione, & vadas in terram lacte, & melle manantem; & tu de illa terra ſilens ais, Ibimus in ſolitudinem, vt immolemus Domino? Cur non magis dicis, ibimus in terram Chanaam, in terram dulciſſimis fructibus plenam? Cur hanc ſilentio tegis, & ſolum meminiſti, qood ibis in ſolitudinem ſacrificaturus Deo? Si Deus vocabat, vt iretis in terram diuitem ad poſſidendum eam, cur tu ſolum dicis, quod ibis in montem, vt ſacrifices Deo? Equidem illud dicit Moyſes, quod in primis Deus ſuis promiſſionibus intendebat: promittebat quidem Deus corporalem abundantiam, ſed in primis, & præcipue illorum intendebat ſpiritualem profectum, qualis per opera religionis, & pietatis euenit. Promittebat Dominus temporalium abundantiam, ſed ad illam ituri erant per ſpiritualium virtutum euidentiam. Hic eſt ordo in omnibus Dei promiſſionibus maxime tenendus, quòd promittente Deo aliquod temporale bonum, tu in primis, & præcipue ad ſpirituale virtutis opus contendas. Præclare ad hæc Ioel cap. 2. ait: *Filij Sion exultate, & lætamini in Domino Deo veſtro, quia dedit vobis Doctorem iuſtitiæ, & deſcendere faciet ad vos imbrem matutinum, & ſerotinum ſicut in principio. Et implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino, & oleo.* Ecce tibi vbi & vini, & olei redundantia: promittitur, quis omnibus iis præmittitur, nimirum doctor iuſtitiæ, ait enim *dedit vobis doctorem iuſtitiæ*, deinde ponit dona reliqua, quæ ſane illos ſolom ſpectant, qui iuſtitia imbuti in operibus ſpiritus profecerint. Et quid doctor iuſtitiæ cum torculariom redundantia? Maxime equidem ſunt hæc connexa, imo cum te à Deo vocari ad temporalia munera ſenſeris, prius crede te ducendum per iuſtitiæ opera ad ſpiritualem profectum. Hoc didicit Maria Ioann. cap. 1. cum nuptiarum ruborem cernens, & vinum pene deficiens augeri à Deo petens audit ex filio: *Quid mihi, & tibi mulier? Nondum venit hora mea.* Nec matrem cognoſcit Deus, vt det abundantiam cuiuſuis rei temporalis ante horam. Sed ſcire cupis, quæ illa erat hora expectanda, vt temporale munus daretur? Illa ſane hora erat, in qua accipientes ad ſpiritualem progreſſum prius erant adducendi. Ait D. Gaudent. tract. 9. *Quid tam propera es, ô mulier, ſuggerendo, cum hora paſſionis meæ nondum aduenerit? Poſt paſſionem reſurrectionemque meam, cum ad patrem rediero, tunc eis donabitur vinum Spiritus ſancti.* Ecce hora petendi, & accipiendi aliquid temporale pro hominibus, nimirum hora, qua ipſi Spiritu ſancto implentur. Hoc in primis ſpecta, vt ſpiritu implearis, vt io ſpiritu proficias per virtutum opera, & poſt hæc maturus ad quodlibet munus tēporale peruenies. En quàm acerbus & nociuus eſt temporalis fructus iis, qui nullū gradū in ſpiritu fecerūt, imo ſpiritu ad carnē demauerunt. Illa eſt voa hominis funditus perditi. 1. Reg. 15. *Peccaui, ſed nunc honora me coram ſenioribus populi mei, & coram Iſrael.* Opera carnis agnoſcit, peccatum confitetur, & honores petit: fallar, niſi hoc ſit maximè timendum, quod quis ſine ſpiritus ductu, per opera carnis, per peccatum ad honores temporales accedat. Ait D. Syneſius epiſt. 105. *Non iſtud demum, quam magna afferant, ſpectare conuenit, ſed quam ſint huiuſmodi, à me vt accipi poſſint. Etenim hominum diuinos prope honores capere, ſi quidem dignus ſit, qui aſſequatur, ad animi fructum accidet ſuauiſſimum; ſin multum rei dignitate ſit inferior, acerbam futuri ſpem proponit. Neque enim recens ille mihi metus eſt, ſed cum primis antiquus, ne qua in re in Deum peccans, honorem ab hominibus conſequar.* Expende, qui metus angat ſanctum virum, nimirum, ne qua in re in Deum peccans, honorem ab hominibus conſequatur, eſt hoc homini maxime metuendum, ne per opera carnis ad honores, & dignitates accedat. Huc veniant vniuerſi illi, qui non per ſacrificia Deo exhibita, nec per ſpiritus profectum in virtutum operibus, ſed per carnalia opera, per lenocinia manifeſta, per peccata ad honores contendunt. En quam acerbus illis honor venit! En quàm debent ſibi ab illo honore metuere, ne in tam acerbo fructu, & ſui & filiorum dentes obſtupeſcant!

Gaudent.

1. Reg. 15.

Syneſius.

§. XII.

In fidem Trinitatis aduerſus omnia mala initiamur.

Profecturo populo ex Ægypto tres dies proponuntur, poſt quos ſacrificet Deo. Quippe ait: *Ibimus viam trium dierum in ſolitudinem, vt immolemus Domino.* Io trinis diebus beatiſſimæ Trinitatis ſignum offertur; ne quid timeat populus ſub tali ſigno proficiſcens, ſed in illo habeat aduerſus omnia mala amuletum. Hinc Nazian. orat 40 matribus præſtat, vnde poſſint ſuis filiis maxime prouidere: *Nihil tibi amuletis, nec incantamentis opus eſt, cum quibus prauus ille in leniorum hominum animos ſimul irrepit. Trinitatem ipſi da, magnum, inquam, illud, & pulchrum amuletum.* Solent ſtultæ matres amuleta affigere pueris ſuis, vt faſcinum pellant, vt tenella membra ſeſe à peſtilentibus oculis in via defendant. Caueat mater fidelis hanc ſtultitiam periculoſam, & ſi velit puerulos ſuos ab omni mala incurſione protegere; apponat illis Trinitatem, quod eſt pulchrum, & præſtantiſſimum amuletum aduerſus omnia mala incidentia. Sub hoc amuleto initiatus nouellus populus Iſraelis ab Ægypto diſceſſit, terram lacte, & melle manantem diutiſſime poſſedit, regna florentiſſima ſtabiliuit, & ſæculis multis regnauit potens, & lætus. Vbi autem Trinitatis amuletum à ſe depulit, Patrem io filio negaoa, funditus ſub Romaoorum exercitu periit. Quam enim nationem nec Aegyptius, nec Perſa, nec Medus, potentiſſimi, & feraliſſimi reges potuerunt extirpare, quomodo Romanus extirpaſſet, niſi illa in ſe conſudiſſet Trinitatis amuletum? Rem ſapienti, & pulchra ponderatione attigit Paulus Oroſius lib. 7. cap. 9. vbi Titum, & Veſpaſianum ſimul triumphantes miratus ait: *Veſpaſianus, & Titus Imperatores magnificum agentes de Iudæis triumphum, Vrbem ingreſſi ſunt. Pulchrum, & ignotum antea cunctis mortalibus, inter trecentos viginti triumphos, qui à conditione Vrbis vſque ad id tempus acti erant, hoc ſpectaculum fuit, patrem, & filium vno triumphali curru vectos glorioſiſſimam ab his, qui patrem & filium offenderant, victoriam reportaſſe.* Quid pulchrius? Non viderat mundus, non viderat Roma patrem, & filium ſimul in eodem triumphali curru, niſi quando Veſpaſianus & Titus de miſeris Iudæis triumphabant. Et cur tunc ſolum permiſſum eſt à Deo, vt pater, & filius ſimul oſtenderentur triumphantes? Equidem vt ſimul pareret miſeros Iudæos opprimi offenſa diuini filij diuinique patris, negatione Beatiſſimæ Trinitatis. Nec miror, quod qui validiſſimo hoc amuleto ſe priuant, in nouas calamitates incidant, nouoſque & inauditos de ſe triumphos præſtent inimicis. Id quod in bello Gothico, vbi Valens Imperator Trinitatis inimicus incendio abſumptus eſt, notabat Paulus Oroſius lib. 7. cap. 33. inquiens: *Conſoletur ſe,*

Nazian.

Oroſius.

Oroſius.

ſed

sed in hoc solo peruicacia, miseriaque gentium, quæ temporibus, & regibus Christianis tanta simul congesta clades pressam Reipublicæ onerauere ceruicem: euersa prouincia, deletus exercitus, Imperator incensus. Magnum re vera hoc est, ad nostrum dolorem, magisque miserum, quo magis nouum. Sed quid hoc ad consolationem proficit paganorum, qui palam peruident, & in eo quoque persecutorem Ecclesiarum fuisse punitum? Gothi antea per legatos supplices poposcerunt, vt illis Episcopi, à quibus Christianæ fidei regulam discerent, mitterentur. Valens Imperator exitiabili prauitate doctores Ariani dogmatis misit. Itaque iuste Dei iudicio ipsi eum viuum incenderunt, qui propter eum etiam mortui vitio erroris arsuri sunt. Sane vnus, & primus Christianus, rex fuit Valens, qui imperium, & exercitum simul amittens ab hostibus viuus crematus occubuit. Hunc solum regem cum perdito regno, & exercitu flammis absumptum possent obiicere Christianis gentiles. Sed is Arianus erat, & hostis beatissimæ Trinitatis, aduersus quam armauit & Gothos; & sic merito à Deo factum est, vt per Gothos ipsos Trinitatis hostis primus regum Christianorum cremaretur viuus.

Exod. cap. 3. Extendamque manum meam, & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus sum in medio eorum: post hoc dimitter vos. Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis: & cum egrediemini, non exibitis vacui; sed postulabit mulier à vicina sua, & ab hospita sua, vasa argentea, & aurea, ac vestes: ponetisque eas super filios, & filias vestras, & spoliabitis Ægyptum.

§. XIII.

Difficilius diuinæ potestatis opus est, quod homines volentes sibi subdat.

Ecce tibi quantis Deus armatur conflicturus cum Ægyptio; ait enim: *percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus sum in medio eorum: post hoc dimittet vos.* Non tantis aduersus totum orbem armatur Dominus; ait enim Ioel cap. 1. *Audite hoc senes, & auribus percipite omnes habitatores terræ:: Residuum erucæ comedit locusta, residuum locustæ comedit bruchus, residuum bruchi comedit rubigo.* Et vt validissimum Babyloniorum exercitum perimeret, vnum emisit ex Angelis suis. Sic 4. Reg. cap. 19. *Venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.* Itaque aduersus validissimum exercitum Babyloniorum vnum Angelum mittit, imo aduersus terrarum orbem vel locustam, vel bruchum, vel rubiginem minatur; at aduersus vnum Ægyptium non Angelos solos, sed & locustas, & ranas, & cyniphes, & tenebras, & sanguinem, & fulmina, & vniuersas suas armat virtutes, ait enim, *Percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis.* Cur Domine Assyrios percutis in solo Angelo, orbem in sola locusta, Ægyptum autem in cunctis tuis mirabilibus? Cur plures exeris virtutes aduersus hos, quam aduersus illos? Illos solum volebat Deus perimere, ad quod sufficit vel Angelus, vel vermis à Deo immissus; in Ægypto autem volebat Deus non regem perimere, sed regis voluntatem trahere, vt volens, & libens Israelem dimitteret. Vt autem voluntas hominis trahatur in placitum diuinum, non quælibet potestas sufficit, sed opus est Dei omnium potentissimum. Nota est historia ex Num. 25. vbi Phinees valentia exprimitur, quando arrepto pugione scortatores trãsfodit. Similiter nota est animi magnitudo in Anna Samuelis matre, quæ filium multis gemitibus comparatum non dubitauit à se auellere, & Deo tradere, 1. Regum cap. 1. His componenda Machabæorum mater, dum septem lectissimos iuuenes filios suos eo ducit, vt velint mori pro religione patria. Rem habes 2. Machabæor. cap. 7. Et quis se fortius, & potentius gessit, an Phinees, an Anna, an Machabæorum mater? Hæc sane se illis præponit apud Nazianzen. orat. 22. fata: *Iam cum Phinees collocabimur, cum Anna celebrabimur: nisi fortasse eo etiam magis, quod ille vnus eras, vos contra multi zelo præditi estis, ac scortatorum interfectores, non corporum, sed animarum scortationem gladio confodientes. Rursus illa vnum duntaxat diuino beneficio concessum, eumque infantem, ego contra septem viros, eosque volentes Deo consecraui.* Expende illud, *eosque volentes*; in eo enim sese & Annæ, & Phinees bona mater præponit; quod illi valuerunt circa corpora, nihil circa voluntates agentes, at hæc iuuenum florentissimorum voluntates sic mouit, vt illos volentes faceret currere ad mortem propter Dei amorem. Et quid hoc fortius? De ingenti virtute sua in puniendis peccatoribus gloriatus est Dominus Psalm. 117. *Omnes gentes circuierunt me; & in nomine Domini, quia vltus sum in eis.* Et quanta virtus, & fortitudo Dei est, quod se de hominibus vlciscatur? Quanta potentia, quæ se ostendit aduersus folium, quod vento rapitur? An hoc gloriæ potentissimi Dei aliquid potest addere, quod vermiculum vilem perimat? Non equidem hoc ad gloriam suæ potestatis affert Dominus, quod inimicos homines peremit, sed quod eorum sic trahit voluntates, vt ipsæ grauissimum sibi numen amare vellent. Quod vindictæ genus & potentissimum est, & gloriosissimum Deo. Ait ibi Incognit. *Vlciscitur Deus peccatum commissum puniendo æternaliter. Vlciscitur inimicum ad suum amorem conuertendo. Et hoc est summum genus vltionis, & nobilissimum, sicut hoc: Et in nomine Domini, quia vltus sum in eis.* Et potentissimi & nobilissimi vindicatoris est, non quod hostes perdat, sed quod eorum voluntates ad sua placita sequenda alliciat.

Ioel 1. *4. Reg. 19.* *Nazian.* *Psal. 117.*

§. XIV.

Non cuiusuis, sed maximæ potentiæ opus est in hominibus lucri cupiditatem infringere.

Maxime notandum est, quantum vitium adhibeat Dominus in præsenti, & quid illis adhibitis nitatur efficere. Quod ad vires attinet, ait: *Percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis:* nulli parcit, sed omnia potestatis suæ arma promit contra Ægyptum. Et quid tot, tantisque virtutibus adhibitis efficere curat? Ait ibi: *Post hæc dimittet vos.* Vnum hoc intendit: vt Pharao populum lucris suis vtilem dimittat, vt lucrum ex populi laboribus ortum contemnat, & populum permittat abire. Nec miror quod Deus omnibus mirabilibus suis agat, vt homo contemnat lucrũ; id enim opus est Dei, non potestatis cuiuscũque. Vbi capienda erat Iericho, & diruenda, præcepit Iosue militibus, nequid bonorum ibi existentium attingerent, quod licet Iosue præcepisset, nihilominus ait cap. 7. *Achan filius Charmi, filij Zabdi, filij Zare de tribu Iuda, tulit aliquid de anathemate, &c.* Sed & cap. 10. *Locutus est Moyses Domino in die, qua tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israel, dixitque coram eis, Sol ne mouearis contra Gabaon, & Luna contra vallem Aialon. Steteruntque Sol, & Luna, &c.* Tantum erat Iosue imperium, vt vel voce frænaret equos solis, ne progrederentur; sed dum illud imperium applicat populo, ne sumat aliquid de anathemate, non cohibetur Acham, quominus aurum rapiat. Et quando ad vocem Iosue stat Sol, nec progreditur, cur ad eandem vocem non stat miles, ne ad aurum volet? Equidem, qui sistere astra potest, lucri cupiditatem sistere non potest; alterius enim potestatis est, & præstantioris, quod auri sitis, vel sopiatur in homine. Ait D. Ambr. lib. 2. officior. cap. 26. *Itaque Iesus Naue, qui potuit solem sistere, ne procederet, auaritiam hominum non potuit sistere, ne serperet. Ad vocem eius Sol stetit, auaritia non stetit. Sole itaque stante confecit Iesus triumphum, auaritia autem procedente, pene amisit victoriam.* Quæ cœlestes cursus valuit frænare potentia, lucri cupiditatem in milite non valuit cohibere; maior alia, & ea validissima debet esse potestas, quæ in homine excutiat cupiditatem habendi. Miraris, quod Iosue verba potentia sistere cursus cœlestium, non cohibuissent in homine auarum affectum? Sed accipe, quod magis mirere, nimirum Christi Domini verba, ea nimirum, quę mortuos suscitabant, quę militum cohortes solo sternebant, & auaritiam Iudæ immobilem referunt. Iudas enim lucri cupiditate possessus vnguenti effusionem super Christi caput à Magdalena peractam acriter mordebat. Quem multis temperare curans Dominus Matth. 26. dicebat: *Quid molesti estis huic mulieri? Bonum opus operata est in me. Nam semper pauperes habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis. Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum ad sepeliendum me fecit.* Quę hæc verba non emollirent? Quem non cohiberent? Ait iis auditis: *Tunc abiit vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad Principes sacerdotum, & ait illis. Quid vultis mihi dare, &c.* Post meritissima Christi verba, post euidentissimas rationes propositas à Iesu, vt animus Iudæ quiesceret, adhuc ille inflexus lucra quærit.

Iosue 7. *Ambr.* *Matth. 16.*

Proh

Chrysost. Proh rabidissima fames habendi! illis verbis resistis, quibus nec monumentorum saxa restiterunt? Pulchrè D. Chrysost. hom. 64. in Ioan. *Nihil horum ferum animum flexit, licet ita multò plura, & diceret, & faceret Iesus. & pedes eius eadem nocte lauisset, & ad mensam secum adhibuisset. quod & latronum animos mulcere assolet, & alia verba locutus est, quibus etiam lapides mollire potuisset: sed aduersus omnia Iudas perstetit immobilis. Grauis namque morbus est auaritia.* Ecce tibi inter verba sepulchra vacuantia, dæmones fugantia, perditissimos quosque conuertentia, stat immobilis Iudas cupidus auri.

§. XV.

Muliebre genus ad dona capienda promptum.

Sic consulit Dominus Israelitis ab Ægypto egressuris: *Non exibitis vacui, sed postulabit mulier à vicina sua vasa argentea, & aurea, ac vestes, &c.* Non ait, quod postulet vir, sed quod postulet mulier, quæ nihil mali, nihil verecundum in accipiendis donis solet inuenire. Quæ enim mulier non promptè dona accipit, & illa habet acceptissima? Ecce vobis Gen. 24. Eliezer seruus Abrahæ quærens sponsam Isaaco Rebeccam formosissimam puellam inuenit, imo eius beneficam hospitalitatem experitur in se, & in camelis suis; cui ipse vt gratiam rependat, præterquam quod se seruum patrui sui Abrahæ dicit, insuper, & addit munera inaures aureas, & aureas armillas. Quid tūc puella? Ait text. *Cucurrit itaque puella, & nūciauit in domū matris suæ omnia, quæ audierat.* Nec est parua inter Doctores quæstio, cur puella in domum matris, & non potius patris dicatur cucurrisse, vt nuntiaret aduentum serui cognati sui? Nonne plus ad patrem attinebat, quod seruum Eliezerum sciret aduenisse, vt illum ad hospitium duceret? Equidem non sic erat matris, vt patris erat seruū cognatorum occurrere? Cur ergo puella patris alloquium vitat, & ad matrem festinat? Acceperat bona puella aurea duna ex viro, cum quibus cauens apparere in conspectu patris, ad matrem cucurrit, vt cui acceptio munerum, & donorum, qua mulier est, non poterat ingrata accidere. Hinc 2. Paralip. 9. vbi de muneribus à Salomone retributis Reginæ Sabæ dicitur, ait textus: *Rex autem Salomon dedit Reginæ Saba cuncta, quæ voluit, & quæ postulauit, & multa plura, quam attulerat ad eum.* Itaque Regina, & postulauit, & accepit multo plura, quam attulit: Salomon autem nihil postulauit, sed accepit pauciora, quàm dedit. Et cur Salomon nihil postulans accipit pauca, & dat plura; è contra Regina Saba & postulauit, & accepit plura multò, quàm dedit? Abulensis sic soluit hanc quæstionem in præsenti: *Primo, quia Salomon erat ditissimus inter omnes reges, Regina autem Saba non erat tam diues. Secundo, quia ipse erat vir, & Regina erat mulier.* Hoc fuit in causa, quod Regina & plura postularet, & plura acciperet, nimirum, quia erat mulier, quarum genius est, quod plura accipiant, nec vlla detrectent munera. Hæc est fœminarum vox promptissima. Oseas c. 2. *Fornicata est mater eorum, confusa est, quæ concepit eos: quia dixit: Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, & aquam meam, & lanam meam, & linum meum, &c.* Expende, vnde suos amatores commendet, non equidem ex eo, quòd sint formosi, quòd sint diserti, quòd sint nobiles, quòd florenti gaudeant ætate; sed ex eo solum, quòd *dant panes, &c.* Vbi enim amator hanc gratiam dandi habet, nihil aliud fœminea cupiditas requirit, quæ solum quærit, vnde possit accipere. Hunc muliebrem genium optime callebat tentator ille diabolus, qui nihil veritus fuit confligere cum sanctissimo Iob immediate; imo data Dei permissione ait cap. 2. *Egressus igitur Sathan à facie Domini percussit Iob vlcere pessimo à planta pedis, vsque ad verticem eius.* Verum vbi res erat cum primis parentibus, astute cauit Adami congressum, & tentare prius fœminam procurat. Ait enim Genes. 3. *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem, &c.* Et cur qui audet cum Iobo solo confligere, & sperat illum subuertere; cum Adamo non audet, sed illo relicto, prius tendit ad fœminam? In Iobo parabatur tentatio per bonorum ereptionem, per morbos, per vulnera; in primis illis parentibus solum parabatur tentatio per exhibitionem pomi, quod assumeretur ad esum. Vbi autem tentatio fit per exhibitionem rei, quæ assumi debeat; tunc callidus hostis securior de victoria non ad virum, sed ad fœminam accedit.

Paral. 9. *Oseæ 2.* *Gen. 3.*

Exod. 4. Respondens Moyses, ait: Non credent mihi, neque audient vocem meam, sed dicent: Non apparuit tibi Dominus. Dixit ergo ad eum. Quid est, quod tenes in manu tua? Respondit: Virga. Dixitque Dominus; proiice eam in terram. Proiecit, & versa est in colubrum, ita vt fugeret Moyses.

§. XVI.

Omnia præmeditanda sunt bono Principi, & consulenda, antequam veniat faciendi occasio.

Iam supra de senioribus locutus Dominus, dixerat Moysi, *Audient vocem tuam:* sed cum post principes, & seniores ingens popularium multitudo restaret, horum incredulitatem etiam obiicit Deo Moyses, ne qua ibi difficultas non maneat præmeditata, ait enim: *Non credent mihi, neque audient*, nimirum populares, *sed dicent, Non apparuit tibi Dominus.* Et quando seniorum obedientiam securam & certo præuouerat Moyses, cur adhuc moratur in popularium obedientia examinanda? Sapienter ait Oleaster: *Aduerte Moysis prudentiam, qui nunc omnia impedimenta legationis suæ Deo opponit, ne postmodum ad eum redire cogeretur.* Nihil prudentissimus vir in faciendi tempus reseruat, quod posset eam habere difficultatem, qua ad consultationem redire cogatur, sed tempus faciendi, omnes proponit Deo difficultates, nil inconsultum, nil patitur esse non præmeditatum. Huc veniant vniuersi principes, vniuersi magistratus, & discant omnia muneris sui occurrentia habere præmeditata, ne quando tempus instet faciendi, ipsi ad consilium vadant. De Isaaco nuptias expectante dicitur Genes. 24. *Egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinata iam die, cumque eleuasset oculos, vidit camelos venientes procul, &c.* Bene ante assumptam vxorem ostenditur Isaac præmeditatus, nam post assumptam vxorem iam serò, & stulte quis coniugij onera meditatur. Ex quo D. Bern. lib. 2. de considerat. monet Eugenium assumptum ad Pontificatum: *In hunc agrum Isaac exierat, cum primum Rebecca occurrit ei; & vt scriptura habet, exierat ad meditandum. Ille ad meditandum; tu ad extirpandum egrediaris necessum est. Tibi iam præcessisse meditatio debet, tempus faciendi præ manibus. Si nunc hæsitare incipias, id quidem sero. Ante iuxta consilium saluatoris sedisse debueras, ante æstimasse opus, metiri vires, ponderasse sapientiam, merita comparasse, sumptus computasse virtutum.* Non confundendum est viro sapienti tempus meditationis cum tempore operis. Isaac bene ad meditandum exiuit, quando nondum coniugatorum statum intrauerat, at qui in coniugio est, qui in dignitate, & munere iam est, is ad faciendum progrediatur, & ita progrediatur, ne egeat reuertere ad meditandum. Sera enim, imo stulta est consultatio, & meditatio, quæ fit tempore faciendi instante. Hinc Isai. c. 19. stultos vocat Principes Ægyptios fatus: *stulti Principes Taneos.* & cur sic Principes Taneos stultitiæ accusantur à Dei vate? Ait Elias Cretens. in orat. 1. Nazianz. *Est Tanan vrbs Ægypti, cui is, qui præerat, cum ea in hoc discrimen adducta esset, vt iam, iamque capienda videretur, grauissimo metu perculsus, sapientes quidem ad se accersebat, atque quam studiosissime de rerum euentu consulebat.* Quid stultius? Tunc consilium requirebatur, quando si manus tollebatur, necessario ciuitatem cadere oportebat. Quando hostes instant, quando res in discrimine versatur, tunc tempus est faciendi, non confugiendi ad consilium; qui tunc ad consilium recurrere eget, clarissimam notam stultitiæ meretur.

Oleaster. *Gen. 24.* *Bern.* *Elias Cret.*

§. XVII.

Principibus salutare in primis est, quòd agnoscant, quàm parua in se habeant, vt regnorum potestatem teneant.

Qui corda hominum scrutatur Deus, optime videbat, quę in Moysis manu erant, cur ergo interrogat. *Quid est hoc quod tenes in manu tua?* An pastoritiam virgam non agnoscebat? Cur ergo, quæ esset, tam anxie quærit? Non vt ipse sciat, interrogat Deus, sed vt ipse Moyses attendat virgæ

paruitatem, & infirmitatem, qua tamen ex Deo moderaturus erat populos terræ, cohibiturus tyrannos, imperaturus elementis. Et quidem salutare hoc est Principibus vniuersis, vt norint, & aduertant, quam parua ex se habeant, vt populos, & regna sibi subiciant, & moderentur. Id quod persuadebat mundi Imperatoribus Nazianzen. orat. 27. aiens: *Nazian.* *Imperatores purpuram vereamini. Cognoscite quantum id sit, quod vestræ fidei commissum est, quantumque circa vos mysterium. Orbis vniuersus manus vestræ subiectus est, diademate paruo, atque exiguo panno retentus. Supera solius Dei sunt, infera autem vestra etiam sunt. Hic imperium vestrum sit, non autem in auro, & exercitibus.* Expende illud, *diademate paruo*, quippe Imperatorum diadema, parua quædam fascia erat, si secundum se consideretur, nec de illa parua fascia sperari possit, quod ingentem populorum multitudinem portenderet. Quid inde? Cognoscant Imperatores hanc diadematis, & virgæ, seu sceptri paruitatem, quæ si secundum se relinquantur, parua sunt, & infirma. Verum quod hæc parua adstupeat mundus, & veneretur rerum vniuersitas, quod sub iis paruis ingentes prosiliant virtutes, ad barbarissimos quosque populos continendos, id mysterium est, quod Deus operatus circa reges terræ: in cuius cognitione, potius quam in auro, & exercitibus stabiliuntur imperia. Hinc pulchre succensebat Babylonium tyrannum Isai. 10. *Isai. 10.* *Dixit enim: In fortitudine manus meæ feci, & in sapientia mea intellexi, & abstuli terminos populorum, & principes eorum depredatus sum, & detraxi quasi potens in sublime residentes. Et inuenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum, & sicut colliguntur oua, quæ derelicta sunt, sic vniuersam terram ego congregaui: & non fuit, qui moueret pennam, & aperiret os, & gannirei. Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? Quomodo si eleuetur virga contra eleuantem se, & exaltetur baculus, qui vtique lignum est. Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum, in pinguibus eius tenuitatem, &c.* Ecce tibi vnde ortum habuit potentissimi regis ruina; erat equidem in manu eius virga, & sceptrum regni, sub quo tenebat vastissimas prouincias; sed quia non cogitauit, quam infirma est virga secundum se relicta, quæ paruum est, & inutile lignum; sed potius ingentem sibi virtutem attribuebat, inde perditionem incurrit. Cum secundum se paruitatem, & inefficacitatem virgæ non excederet, in mirabilibus factis tantum agnoscebat manus suas, vnde periit. Ait ibi Gloss. *Sicut hæc nimirum virga, & baculus inanimata tantum sunt instrumenta nihil per se facientia, sed per eum, qui mouet ea, sic nec Sennacherib per se, sed per Dei virtutem operatus est, vnde & gloriatio eius stulta, & vltione digna.* Qui se Imperatores intra virgæ paruæ infirmitatem non continent, & non agnoscunt potestatem suam esse instar virgæ ligneæ, quæ indigeat supremi motoris virtute, & stulti sunt, & vltione digni. Ille imperium confirmat, qui ex se nihil maius agnoscit, quam ligneam virgam sceptri; quod autem sub hac parua virga populi possint constringi, hoc mysterium putat diuinum, quod fit circa reges in dies.

§. XVIII.

Magistratus sic suo fungantur munere, quasi qui sciant illud non esse perpetuum.

QVam testatur in manu virgam esse, iubetur Moyses illam à se proiicere, quippe: *Dixit Dominus, proiice eam in terram*: Cur Domine qui eligitur in ducem populi, virgam proiiciat, & non magis illam in se retineat? Nonne magistratibus datur virga potestatis insigne? cur ergo Moyses dum magistratus eligitur, iubetur virgam proiicere? Sapienter instruebat Dominus magistratum suum, ne nimis virgæ fideret, quasi semper eam in manu habiturus; quin potius sciret illam aliquando à se abiiciendam, & sic fungatur munere, quasi qui illud aliquando est depositurus. Ex quo monebat Magistratus Nazianzen. orat 27. inquiens: *Nazian.* *Aulici proceres, ac sublimibus thronis, & dignitatibus insignes, ne ob potentiam magnopere animos efferatis, nec de mortalibus rebus, tanquam de immortalibus cogitetis.* Absit hoc à bono magistratu, quod non cogitet munus suum temporale, & breui finiendum; quod sic se gerat, quasi nunquam depositurus sit infulas potestatis. Qui enim bonus est, illud in primis ob oculos habeat, nimirum quod exuendus est dignitate. Hic Iesus Dominus passus est sibi à tentatore mundi dignitates proponi, ait enim Lucas cap. 4. *Luc. 4.* *Et duxit illum Diabolus in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis: & ait illi: Tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam illorum, &c.* Quibus illud notandum, quod omnes hæ dignitates, & potestates offerantur à Diabolo in momento temporis, quo non solum innuitur breuitas ostensionis, sed & breuitas durationis earum, quæ talis conditionis erant, vt diu esse non possint in vno possidente. Sic enim ait D. Ambros. *Ambr.* lib. 4. in Lucam: *Nec tam conspectus celeritas indicatur, quàm caducæ fragilitas potestatis exprimitur. In momento enim cuncta illa prætereunt, & sæpe honor sæculi abiit antequam venerit. Quid enim sæculi potest esse diuturnum, cum ipsa diuturna non sint sæcula?* Sed cur tentator volens Iesum decipere, fluxam potestatum sæcularium non celauit conditionem? Cur necessum fuit potestates momentaneas, & breui finiendas ostendere? Vellet equidem tentator id celare; at optimus magistratuum Iesus non potuit in omnibus potestatibus, & dignitatibus fluxam earum conditionem non videre. Non potuit non attendere in mundiali scena, quam citò exuantur omnes, qui principatus gerunt. Ex quo lucem capit difficilis locus Iob, ait enim cap. 3. *Iob 3.* *Somno meo quiescerem cum Regibus, & Consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines; aut cum principibus, qui possident aurum, &c.* Expende quam diuersa sit periphrasis Consulum à periphrasi Principum; hi dicuntur, qui possident aurum; illi dicuntur, qui ædificant sibi solitudinem. Et cur magis consulum est ædificare sibi solitudines? Consulum dignitas, & potestas annua erat, & sic breui finiebatur; vt qui hodie multo apparebat milite cinctus, cras solus relinquebatur. Vnde Tertul. lib. de Patientia, consulatum vocabat volaticum gaudium. Et D. Cyprian. epist. 16. ait: *Cyprian.* *Eant nunc Magistratus & Consules annuæ dignitatis insignibus, & duodecim fascibus glorientur.* Quod scientes Consules, qui sibi rectè consulebant, in dignitatis frequentia nunquam non solitudinem venturam meditabantur, & ea faciebant, quibus se possent in tempore solitudinis iuuare. Quid dignius consultissimo magistratu? Sane Genes. 1. *Gen. 1.* Fecit Deus duo luminaria, luminare maius, & luminare minus. *Luminare maius, vt præesset diei.* Chrys. legit: *Chrysost.* *In præfecturam diei.* Et quid Sol in hac præfectura facit? Ait D. Zeno serm. de Resurrect. *D. Zeno.* *Sol quotidie nascitur, eademque die, qua nascitur, moritur: fidelis semper, semper intrepidus ad sepulchrum noctis cognata contendit.* O Præfecti optimi indolem! qui in ipso dignitatis splendore, semper illius instantem depositionem videt. Huc spectabat Ecclesiastes cap. 4. *Eccles. 4.* inquiens: *Melior est puer pauper, & sapiens rege sene, & stulto, qui nescit prouidere in posterum. Quod de carcere, catenisque interdum quis egrediatur ad regnum, & alius natus in regno inopia consumatur.* Summa equidem stultitia est illi, qui nunquam cogitat, quod etiam summa dignitas finiri possit. Quocirca caten. Græca ait: *Ego certè longè præstare contenderim adolescentem pauperem illum quidem, prudentem, ac sobrium seu prouecta iam ætate, verùm stulto, & improuido, quorum se nec moderari nouerit, tum illud secum religiose non cogitet, nimirum fieri posse, vt vnus aliquis è carcere vocetur in regnum, ipse inuisto exturbetur dominatu.* Hæc ibi, quibus consentaneè D. Maxim. serm. 9. de Magistrat. ait: *D. Max.* *Principem trium meminisse oportet; primum se hominibus imperare: alterum, ex legibus imperare debere; tertium, se non semper imperaturum.* Sic ibi.

§. XIX.

Principes, & Magistratus sciant regnandi supercilium in Dei causa deponere.

SVi populi Principem, quam optimè informat Dominus, aiens de virga potestatis insignis: *Proiice eam in terram*, vt non semel sciat princeps regnandi supercilium deponere, vbi & Dei obsequio, & subditis id conducere potest. Ad prædicationem Ionæ mœrentibus Niniuitis peruenit verbum ad Regem; quid tunc rex? Ionæ cap. 3. *Ionæ 3.* *Surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum, &c.* sunt equidem Principes, qui nec pedem à solio, nec manum à virga retrahere norint; veniant huc, & videant Regem, & potentissimum, & floridissimum, vt vidit suorum afflictionem, totum regnandi supercilium deponere. De illo pulchre D. Ambros. serm. 40. *Ambr.* *Sapiens rex, qui pro salute ciuium peccatorem se magis confitetur, quàm regem. Obliuiscitur enim se regem esse, vbi Deum regem omnium pertimescit; nec potentia sua meminit, vbi potentiam diuinitatis agnoscit. Obliuiscitur ergo se regem esse, dum proiicit purpuram, dum diadema deponit, cilicio autem vestitur, & sacco.* Longè hic rex fuit ab illis regibus, & magistratibus, qui nunquam non meminerunt se in solio esse; qui in nulla occasione, siue ad Deum, siue ad

homines

1.Reg.6. Ambr. Ioan.19.

homines spectante norunt deponere supercilium regnandi. Hic autem prudentissimus, & sapientissimus, & pro ciuium amore, & pro Dei reuerentia scit prorsus obliuisci dignitatem regiam. Educebatur arca Dei de domo Obededon, & Dauid rex stolam regiam exutus saltabat ante arcam; sic enim habes 2.Reg.6. *Dauid percutiebat in organis armigatis; & saltabat totis viribus suis ante Dominum, porro Dauid erat accinctus Ephod lineo.* Sciebat bonus abiicere regium fastum, vbi religioni aliquid erat dandum. Ex quo D.Ambr. 1.Apol.6.ait: *Saltabat ante arcam potentissimus regum, & cum à propria reprehenderetur vxore, quod denudatus esset ante faciem puellarum coram Domino nudabor adhuc, & ero nugax ante oculos tuos, vt benedificetur, inquit, Dominus, qui me pro patre tuo assumit in regnum. Docens contemptum regalis potentiæ non habendum, vbi religioni exhibetur obsequium.* Hinc conueniant principes mundiales, qui vel religionem fugiunt, in qua aliquid mundiali fastui detrahere debent: illamque solam religionis, & virtutum partem assumunt, quæ ad augmentum dignitatis, & gloriæ accedit. Fallar nisi hos delineatos in Iosepho, & Nicodemo cerno; de quibus ait Ioan. cap. 19. *Post hæc autem rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathæa, (eo quod esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum) vt tolleret corpus Iesu. Et permisit Pilatus. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ, &c.* Expende, qui ante Christi Domini mortem, & occultè, & sub tenebris veniebant ad eum, nec volebant eius discipuli apparere, nunc post mortem non detrectant eius publicè tractare exequias, sed in conspectu omnium adeunt Pilatum, petunt diuinissimum cadauer, funus adornant. Cur magis antea Pilatum non adiuerunt, vt Iesum innocentem testarentur? Cur se eius asseclas non prædicarunt? Cur illis omissis nunc ad funeris pompam iam audaciter accedunt? Equidem in funere extremus honor defuncto exhibendus spectabatur; in prima sequela aliquod timebatur dedecus. Timebant ergo isti in primis decori suo, in iis autem quæ ad honorem spectabāt, sunt diligentes. Pulchre D.Cyril.

Cyr.Alex.

Alexand.lib.12.in Ioan.cap.41. *Duo igitur pollinctores Ioseph. & Nicodemus fuerunt: animo quidem credentes, sed formidine pressi terrestrem adhuc gloriam cælesti anteferebant, ideirco antea timidius, & occultius Christum honorabant.* Vna equidem erat illis præ oculis in primis gloria terrestris, quam nulla occasione obliuisci patiuntur, ideò in quibus ab illa decidere timent, minimè audent comparere. Vbi autem totum quod fit, honoris est, ibi quam prompte, & alacriter se ostendunt. Sic multi nobiles, ex iis qui nulla sciunt occasione nobilitatis supercilium deponere, pœnitentiæ sacramentum, in quo necessum est magis se viles, & peccatores, quam nobiles confiteri, ægre & difficulter intuentur; at diuitum funeribus, festiuis concionibus libenter intersunt, quia quidquid in iis fit, ad honorem pertinet.

§. XX.

Magistratus, & dignitates dum exuuntur, raro non mortiferæ ostenduntur possessoribus suis.

Sid.Ap.

PRoiecit Moyses virgam à se, & statim in colubrum conuertitur, qui et lethalem incutit metum. Sic textus: *Proiecit, & versa est in colubrum, ita vt fugeret Moyses.* Et cur potestas dum exuitur, non fit serpens, qui mordeat, qui deterreat? Pulchrè ad hæc Sidon.Apollin.lib.2.epist.13. de Maximo Petronio ad imperium euecto, fatur: *Nunquam ego assentior, vt fortunatos putem, qui reipublicæ præcipitibus, ac lubricis culminibus insistunt. Hic si omittamus antecedentium principum casus, vel sequentium, solus iste peculiaris Maximus maximo nobis ad ista documento poterit esse:: Námque cum cæteros aulicos honores tranquillissimè percurrisset, ipsam aulam turbulentissimè rexit, quod & exitus prodidit nouus, color, acerbus, quem cruentauit fortuna diu lenocinantis perfidus finis, quæ virum, vt scorpius vltima sui parte percussit.* Expende illud, nimirum, *vt scorpius*, quæ enim regia dignitas videbatur in principio, in fine vbi erat exuenda, versa in scorpium miserè hominē percussit. Heu quot dignitatibus sublimes, dum illis gaudebant, nihil dulcius, nihil iucundius putabant, verum vbi illis exuendi fuerunt, serpentinum illarum experiebantur venenum! Crede mihi, feralissimæ sunt dignitates mundiales, quarum morsus lethiferos tunc aper-

Apoc.17.

te videbis, cum illis exueris. Apocal. 17. *Vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam::: Et mulier erat circundata purpura, & cocco:* & de bestia statim additur, quod *in interitum ibit.* Mirabar ego, quod mulier adeo gloriosa, & purpureis vestibus ornata tradita fuerit bestiæ, quæ in interitum ruit. Quid purpura cum muliere in tanto periculo constituta? Imò nullo magis exprimi posset miseræ mulieris periculum, quam purpura, quando sæculi dignitates nunquam non sunt naturæ humanæ mortiferæ. Ait enim D. Amb. ibi: *Purpura, & coccus sunt vestimenta regalia, per quæ potestas sæcularis designatur. Purpura igitur & coccus sanguinis speciem habent, quia potentia sæcularis mortifera est, & periculum sempiternum affert.* Et vidi sæpe potentes viros de sæculi theatro exituros, quibus abstractæ dignitates nihil repræsentabant nisi ingentia perditionis pericula. Num. 12. Aaron & Maria murmurauerunt contra Moysem, *& Maria apparuit candens lepra.* Et cur Aaron non incurrit simile supplicium? Erat in Sacerdotali dignitate; dignitates autem non cum sunt, sed cum exuuntur, solent importare damna malitiæ. Sic ait D. Chrysost. hom. 3. ad Colossens. *Qua ratione, cum vterque Moysi obloquuti essent, Maria sola pœnas dedit? Ne mireris. Si enim in mundanis dignitatibus, etsi mille modis quisque insaniat, non tamen primum ad iudicium ducitur, nisi prius principatum deposuerit; multo magis in prælatura spirituali, quisquis tandem ille sit, qui illam gerit, operatur gratia Dei. Quando verò illam deposuerit, siue morte, siue etiam in hac vita, tunc sane grauiore supplicio punietur.* Sic dignitatum fines solent deputari ad pœnam.

Ambr. Chrysost.

§. XXI.

Bonis viris solùm cum exuuntur, solent dignitates metum incutere; pessimis autem, etiam quando habentur, afferunt perniciem.

Philon.

PRimo proiecit Moyses virgam, & tunc illa in colubrum versa fuit, à quo Moyses sibi metuens fugit, sic enim ait: *Proiecit, & versa est in colubrum, ita vt Moyses fugeret.* Et cur non magis virga in colubrum metuendum versa est, quando erat in manu? Erat in manu Moysis & boni, & præstantis viri, talibus autem viris solum, cum exuuntur, metum dignitates sæculi incutiunt, & apparent conuersæ in serpentis figuram; malis autem, & pessimis viris, etiam dum sunt in manu eorum, serpentinæ, & lethiferæ redduntur. Huc traho illud Philonis in Flaccum notatum; quippè ait: *Sub Tiberio Cæsare aliquot præfecti, qui prouincias fortiti potestatem legitimam in tyrannidem verterant, Romam reuersi exacto magistratus tempore postulati sunt repetundarum. At Flaccum in ipso magistratu inuasit infensa malis viris iustitia:: Id quod inauditum antea Flacco accidit, vt in sua prouincia vinus caperetur hostiliter.* Quod Præfecti, & Potestates sæculares exacto tempore magistratus, & proiecta potestatis virga, experiantur transactæ dignitatis morsus, commune omnibus solet esse; at quod dum adhuc sunt in potestate, dum adhuc virgam in manu tenent, illis lethalis reddatur virga, id insolitum est, & solis malis, pessimisque viris solet contingere. Expende namque illud, *Flaccum in ipso magistratu inuasit infensa malis viris iustitia*; illa ipsa iustitiæ virga, quæ adhuc tenebatur in manu Flacci, antequam poneretur, in colubrum versa est, & hominem inuasit; quod solet accidere pessimis iudicibus. Ad hæc dicebat Ecclesiastes cap.

Eccl 4. Sid.Ap.

4. iuxta lectionem Septuag. *Bonus est puer pauper, & sapiens super regem seniorem, & stultum, qui nescit prouidere in posterum. Quoniam de domo victorum egredietur, vt regnet; quia etiam in regno suo factus est pauper.* Puero pauperi, & sapienti respondet illa prima propositio, quoniam de domo victorum egredietur, vt regnet. Verum regi seni, & stulto illa respondet, nimirum, *quia etiam in regno suo factus est pauper*; non in muneris depositione, sed in ipsa functione, cum adhuc solium teneat, & virga potestatis vtatur, ab ipso munere deuorabitur. Id quod in Aruando Præfecto, amico suo luget granditer Sidon.Apoll.lib.1.epist.6.inquiens: *Præfecturam primam gubernauit cum magna popularitate, consequentemque cum magna populatione. Pariter onere pressus æris alieni, metu creditorum successuros sibi optimates æmulabatur. Omnium colloquia ridere, consilia mirari, officia contemnere, pati de occurrentium raritate suspicionem, de assiduitate fastidium; donec odii publici mole vallatus, & prius cinctus custodia, quàm potestate discinctus, captus, destinatusque peruenit Romam, &c.* Expende illud nequissimi magistratus meritum, *prius cinctus custodia, quam potestate discinctus*; quod licet acerbum, tamen familiare est malis iudicibus, aduersus quos potestatis virga, antequam deponatur, cum adhuc in manu tenetur, in serpentinos, & lethiferos conuertitur vultus.

§. XXII.

Potestas sine Christi halitu in tyrannidem crudelissimam vertitur.

NOn in manu Moysis mediatoris, sed à manu Moysis proiecta, longéque ab illo separata virga *versa est in colubrum.* Nec miror, potestas enim, quæ à mediatore nostro Christo separatur, nec eius manu auxiliatrice tenetur, in belluam vertitur feralissimam. Exemplum esto mitissimus ille Imperator Tiberius, qui omnibus ob mansuetudinem, & suauitatem charus, vbi Christi Domini magnalia audiuit, petiuit à Senatu, vt orbis Romanus adorationem exhiberet Christo. Non placuit Senatui, quin potius hoc curat, vt Christum à Romana vrbe eliminet. Quod edictum tanta secuta est rerum mutatio, vt Tiberius ille mitissimus, & suauissimus post hæc omnium sæuissimus aduersus Senatum, Romanósque existeret. Rem grauiter ponderat Paulus Orosius lib. 7. cap. 4. vbi post narratam Tiberij petitionem de Christo adorando, & vt fuerit à senatu repulsus, ait: *Itaque paulatim immutata est illa Tiberij Cæsaris laudatissima modestia in pœnam contradictorum senatus. Nam regi, quæcumque voluntate faciebat, voluptas erat: atque ex mansuetissimo principe sæuissima bestia exarsit. Nam plurimos senatorum proscripsit, & ad mortem coegit. Viginti sibi patritios viros consilij causa elegerat, horum duos incolumes reliquit, cæteros diuersis causis necauit. Referre singillatim facta eius horret animus, pudétque; tanta libidinum, & crudelitatum rabie efferbuit. vt qui spreuerant Christo regi saluari, rege Cæsare punirentur.* Sic Tiberij à Christo separata potestas versa in colubrum est, & libidine, & crudelitate. Ibi, mihi crede, solum non est ferale exterminium, vbi in potestate est spiritus Christianus. Notissima est clades florentissimi Assyriorum regni, quando Balthasare interfecto Medi, & Persæ illud occuparunt, quippè ait Dan. cap. 5. *Eadem nocte interfectus est Balthasar rex Chaldæus. Et Darius Medus successit in regnum, &c.* Intra vnius noctis spatium Chaldæorum Monarchia funditus periit, spoliata Babylonia, interfecto Balthasare, quin in tanta clade aliquid appareret humanitatis. Et hoc accidit, postquam illa Monarchia aucta venerat vsque ad millesimum centesimum & sexagesimum quartum annum. Et quod mireris magis, post totidem durationis annos, Monarchia Romana, Imperante Honorio ab Alarico Gothorum Rege ingentem cladem fuit passa, ab illóque expugnata, & spoliata. Non tamen funditus periit Imperium Romanum, nec interfectus Imperator, nec vsque ad internecionem sæuitum est, sed fuit etiam in Barbaris victoribus non parua humanitas. Et cur in Monarchiis tam similis durationis, & potentiæ, tam dissimilis clades accidit, vt in illam sæuiretur sine humanitate, in hanc tanta ostenderetur humanitas? Erat in iis quamuis barbaris victoribus aliqualis spiritus Christianus, qui deerat Medis Assyrios expugnantibus. Accipite Paulum Orosium lib. 2. cap. 3. pulchre de hac re disputantem: *Ecce similis Babyloniæ ortus, & Romæ similis potentia, similis magnitudo, similia tempora, similia bona, similia mala, tametsi non similis exitus, similisve defectus. Illa enim regnum amisit, hæc retinet: illa interfectione regis orbata, hæc incolumi Imperatore secura est. Et hoc quare? Quoniam ibi in rege libidinum turpitudo punita, hic Christianæ religionis continentissima æquitas seruata est: ibi absque religionis reuerentia auiditatem voluptatis licentia furoris impleuit; hic & Christiani fuerunt, qui parcerent, & Christiani, quibus parcerent, & Christiani propter quorum memoriam, & in quorum memoriam parceretur.* Sic vbi spiritus erat Christianus, etiam inter hostiles impetus, & suauitas, & mansuetudo, & indulgentia inueniebatur; vbi autem Christi spiritus absuit, ferale excidium, bellina rabies apparuit.

Paul. Oros. — *Dan. 5.* — *Paul. Oros.*

Exod. 4. Dixitque Dominus: Extende manum tuam, & apprehende caudam eius. Extendit, & tenuit, versaque est in virgam. Vt credant, inquit, quod apparuerit tibi Dominus Deus patrum tuorum, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob.

§. XXIII.

Non parum conducit iustæ administrationi Reipublicæ, quod Magistratus nouerint sui muneris finem.

COlubri caudam apprehendit Moyses, & coluber in virgæ formam redditus est. Dicit namque Dominus: *Extende manum tuam, & apprehende caudam eius. Extendit, & tenuit, versáque est in virgam.* O quam redderentur potestates in virgæ rectitudinem, si earum extrema apprehenderentur! Fallar, si iustitiæ rectissimæ forma non appareret, vbi Magistratus muneris sui finem, vel manu tangerent, vel oculis apprehenderent. Id quod docebat D. Amb. lib. 5. Exam. cap. 15. vbi de gruibus primatus munera alternantibus sermonem faciens sic pergit: *Sic ab initio acceptam à natura exemplo autem politiam homines exercere cœperunt. vt communis esset labor, communis esset dignitas. per vices singuli partiri curas discerent, obsequia imperiaque diuidere. Hic erat pulcherrimus rerum status. nec insolescebat quisque perpetua potestate. Neque audebat alium seruitio premere, cuius sibi successurus in honore mutua ferent subeunda fastidia.* Continentur maxime in officio potestates humanæ, cum ad muneris respiciunt finem, & successoris districtionem possunt metuere. Feralissimos Israelitarum reges vt cicuraret Dominus, & ad suauitatem, & mansuetudinem traderet, vnum hoc fecit, vt dignitatum successores illis ob oculos poneret. Ad horum autem conspectum quæ fera ad humanitatem non redit? Michæas cap. 1. ait: *Propterea dabit emissarios super hæreditatem Geth, domus mendacij in deceptionem regibus Israel. Adhuc hæredem adducam tibi.* Ecce tibi quod frænum obiiciat Dominus deceptis Regum potestatibus, nimirum ait: *Hæredem adducam tibi.* Sed in rem præsentem argutius posuere Græci legentes: *Ideò dabis emissarios vsque ad hæreditatem Geth, domos vanas. In vana fuerunt regibus Israel, donec hæredes adducant tibi.* Expende vsquequò procedat regum, principumque vanitas, & mendacia, & iniustitiæ, & vltra quod minime pergere audeant, nimirum: *Donec hæredes adducant.* Sed vnde hæredis conspectus sic afficere potest potestatum animos? Quid principibus magis in optatis, quàm hæredes habere? Nonne huc principum vota tendunt, vt bonorum suorum hæredem habeant? Nonne & propter hæredes locupletandos nequiora, & scelestiora audent? Cur ergo Dominus putat principum malitiam solum duraturam, donec hæredes adducant? Non loquitur de hæredibus, qui bona accipiant post illorum fata, sed loquitur de hæredibus illis, siue successoribus, ad quos, viuis adhuc manentibus principibus, dignitates transeunt. Et quis in malitia duret, cum videat dignitatem suam breui in se finiendam, & transituram ad alium? Fallar, si quod frænum fortius iniici possit potestatibus. Ait D. Cyril. Alexand. in præsenti: *Vanis studere reges non desierunt, donec eò miseriæ deuenerunt, vt aliorum hæreditas fierent, quæ illis à Deo destinata erat.* Expende quando studium vanitatis, & insolentiæ, & iniustitiæ in regibus desiit, nimirum tunc solum, cum eò deuenerunt, vt viderent dignitates sibi à Deo creditas, in se finiendas, & ad aliorum transituras hæreditatem. Et quis non abstineat à malo, cum videat, iam in vicino esse successorem suæ dignitatis?

Ambr. — *Mich. 1.* — *D. Cyril.*

§. XXIV.

Diuinus halitus tunc euidentiùs sentitur, cum pericula ingrauescunt.

ECce vobis Moyses Dei voce, & clariori halitu impellitur, vt colubri caudam apprehendat. *Dixitque Dominus: Extende manum tuam, & apprehende caudam eius.* Et cur potius Deus adest Moysi, in serpentinæ caudæ apprehensione, illúmque monet, roborat, vt confidenter caudam apprehendat? Cur non magis vt apprehendat fauces, aut caput? Crediderim in draconis caudâ vehementiores intelligi tentationes, quippè Apocal. 12. de horribili dracone dicitur, *& cauda eius trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram.* Vbi autem in draconis cauda, vel cœli stellæ periclitantur, non miror, quod ibi adsit Dominus, & despiciens caput, faucésque draconis, & clara voce, & halitu corroboret Moysem; tunc enim clariùs diuinus halitus apparet, cum pericula insistunt grauiora, Ioannis cap. 6. de Christi discipulis dicitur: *Cum ascendissent nauim, venerunt trans mare in Capharnaum: & tenebræ*

Apoc. 12. — *Ioan. 6.*

tenebræ iam factæ erant, & non venerat ad eos Iesus. Mare autem, vento magno flante, exurgebat. Cum remigassent ergo quasi stadia vigintiquinque, aut triginta, vident Iesum ambulantem super mare. Tenebræ incipiunt, mare alteratur, ventorum rabies exsurgit, & non venerat ad eos Iesus: sed cum ingrauescentibus ventorum furiis, vigintiquinque, aut triginta spatia stadiorum remigauissent, post tam longa dimensa spatia, tunc demum Iesum vident properantem super fluctus maris. Cur Domine non magis ad tempestatis initium occurristi? Cur post stadiorum cursus? Pulchrè D. Cyrill. Alexandr. lib. 3. in Ioann. cap. 22. loquit: *Non statim, nec in principio periculorum, sed quando iam longè à terra remigauerant, Christus discipulis apparuit. Non enim incipientibus aduersis gratia Christi confestim nos saluat: sed postquam terror increuerit, & certum videatur imminere periculum, tunc è mediis fluctibus eripit, timorem abigit, & ab omni periculo liberat.* Hoc est ingenium diuinum, vt magis gaudeat apparere in maioribus discriminibus, nec eius amoris est sic festinare ad primos hostium incursus depellendos, vt ad penè deploratæ salutis festinat. Sic Ioann. 11. *Miserunt sorores Lazari ad eum dicentes, Domine, ecce quem amas infirmatur.* Quid tunc Iesus? Accurrit illico, vt morbi ab amico depelleret conflictus primos? Imo ait textus: *Vt ergo audiuit, quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.* Luctantem cum morbo audis Domine amicum, & adhuc moras nectis? Cur non magis accurris? Equidem expectat, vt aggrauetur lucta, vt deploretur salus amici, quando eius amoris est velle apparere, vbi maius fuerit periculum. Ait D. Chrysost. serm. 63. *Sorores dicentes affectum pulsant, charitatem conueniunt: sed Christus, cui plus est mortem vincere, quam remouere languorem; cuius amare illud est, non vt dilectum alleuet, sed ab inferis vt reducat, &c.* Expende ab illis, *cuius amare illud est, non vt dilectum, &c.* Non enim sic gaudet diuinus amor, vbi alleuiatur statim dilectus, vt gaudet, quando è summis eruitur periculis. Sic missis tribus pueris in fornacem ignis, vbi accepto pabulo exurgebant flammæ, Dan. 3. ait: *Angelus autem Domini descendit cum Asaria, & sociis eius in fornacem, & excussit flammam.* Ex quo pulchrè D. Chrysost. epist. ad Cyriacum, monet ipsum: *Ne sis autem pusillo animo, quod licet sæpe rogaueris, non tamen sis exauditus. Habet enim hanc consuetudinem Deus. An non potuit ipse tres pueros liberare, vt non inciderentur in caminum ignis? Sed cum in seruitutem redacti, cum in regionem barbarorum abducti, cum paterna hæreditate priuati essent, tunc denique Christus verax Deus repente mirabili opere dispersit ignem.* Hanc profectò habet Deus consuetudinem non in principio, sed post certaminum progressus, in periculorum augmento suis opem singularissimam ferre.

D. Cyril.
Ioan. 11.
Chrysost.
Dan. 3.
Chrysost.

§. XXV.

Diutinus laborum concursus quouis magno, & horribili conflictu est difficilior.

EO tendit diuina vox, vt Moyses ad colubri caudam manum mittat: clamat enim: *Extende manum tuam, apprehende caudam eius.* Et quantum hoc ad Imperatorem fortissimum initiandum, quod nimirum colubri caudam apprehendat? Dauid puerulus, vt aduersus hostem Philisthæum se ostenderet, aiebat 1. Reg. 17. *Veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietem de medio gregis: & persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum: & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam interficiebámque.* Sic nobilis tyro ad imperium aptabatur, apprehendens mentum leonum, oráque, & suffocans eos. Cur Moyses non ad mentum, sed ad caudam colubri apprehendendam incitatur? Cur non magis caput, seu fauces colubri constringat? An Dauid paruulus maiori animo erat, quando audet leonis prendere caput, quam Moyses vir, qui iubetur colubri prendere caudam, & non caput? Imò crediderim difficilius quid mandari Moysi, quam Dauidi; licet enim horribiliora sint ferarum ora, tamen audentium illa inuadere, breuior est conflictus, vt qui instantaneè possint illa constringere, & suffocare: sic enim ait, *apprehendebam mentum eorum, & suffocabam.* Non id accideret in apprehensione caudæ colubri, ibi enim saluo capite, diuturnior, & longior conflictus manet; & diutina mali pertinacia longe difficilior est quouis alio conflictu maximo, Matth. 17. narrans passionem Ioannis ab Herode inflictam ait: *Misitque, & decollauit Ioannem in carcere.* Quid trucius? Sanè non aberrauerit à vero, qui putet trucius esse, si viuus relinqueretur diutius ærumnis, & pædoribus carceris. Ait enim Diu. Chrysost. in epist. ad sanctos in carcere inclusos 4. *Exposita sunt etiam vestra corpora pœnis, suppliciis, tormentis. Nondum decapitati estis, sed longè acerbiora tulistis. Non enim idem est breui temporis momento caput amittere, & tanto tempore cum talibus luctari doloribus, terroribus, minis, vinculis, abductionibus ad tribunal, carnificum manibus, sycophantarum impudentissimis linguis, conuitiis, salibus, & dicacitatibus. Nam & hoc maximum certaminis genus.* Non dubito quin diutina malorum pertinacia maximum sit certaminis genus; nec vlla est mortis species adeò horribilis, quæ non leuis appareat, si cum diutina ærumnarum malitia comparetur. Nemo non scit efferatam Iezabelis rabiem in Eliam, vt illi minata est internecionem. Quid tunc? Ait 3. Reg. 19. *Timuit ergo Elias, & surgens abiit, quocumque eum ferebat voluntas:* fugit itaque per loca auia, & montosa, & inhospitalia, & post aliquot dies, fame, & siti, & labore, & mœrore confectus, nihil non triste suspirans, proiicit sese ad arboris vmbram, *& petiuit animæ suæ vt moreretur.* Antea fugiebat mortem, nunc mortem expetit. Et cur modo expetis, & amplecteris, ô bone, mortem, quam antea vt summum malum fugiebas? Antea solo & subito timore mortis afficiebatur, nec dum alia mala expertus fuerat, ideò vt malorum extremum mortem fugiebat. Modo accessit diutina peregrinatio, longum exilium, lōgissima inedia, & mœror, qui vt diutinis morsibus viri animum fodicabat, sic acerbissimam mortem lenem faciebat. Ad hæc Chrysost. epist. ad Olympiam. *Quomodo autem mortem, quam tunc fugerat, nunc requirit? Vt videas hinc etiam maximè, quomodo morte peior est mœror. Cū enim eum solus ille timor turbasset, sine dubio agebat omnia, vt eum posset effugere. Cum verò incideat ista tristitia propriam ostendit naturam, excedens eum, & consumens dentibus suis; tunc demum ille, quod erat plus omnibus graue, leuius æstimauit.* Et quidem grauissimum mortis malum leuius putatur, vbi tristitiæ morosus affectus longo ærumnarum tractu mordet animum.

3. Reg. 19.
Chrysost.

§. XXVI.

Non timidi, sed audentes sint illi, à quibus sperari possint facinora.

FVgitantem Moysem reuocat vox diuina, & iubet caudam colubri apprehendere: *Extende manum, & apprehende caudam eius.* Et cur Deus instat, vt Moyses colubri caudam prendat ante Israelis eductionem ex Ægypto? Quid hoc cum libertate Israelis patranda? Multum sanè; is enim debet esse, cui tanta mandantur, qui nesciat fugere, sed qui quælibet audere sciat. Pulchrè enim ait D. Chrysost. hom. 9. in cap. 2. ad Philippens. *Nequit fieri, vt qui nihil audet generosum, quid faciat vnquam.* Ab illo solo magna, & præclara facinora speranda sunt, qui audere sciat, vel si cum serpentibus ludendum sit. Quo respiciens Isaias cap. 11. decantatissimis Christianæ militiæ ducibus, ait: *Delectabitur infans ab vbere super foramina aspidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.* Vide quales duces præficiat Iesus suæ militiæ, qui vel ab ipsa infantia sciant audere, cum serpentibus ludere, ad nulla veneni spicula timere. De magnis Orbis Imperatoribus sic canebat Sidon. Apoll. in Paneg. ad Authemium Augustum, loquens.

Præbuit intrepido mammas lupa facta Quirino:
Magnus Alexander, necnon Augustus habentur
Concepti serpente Deo;
Alter Phœbigenam sese gaudebat haberi
Pæonij iactans Epidauri signa draconis.

Sic pueri imperaturi Orbi, & nutricibus, & parentibus, feris serpentibusque gaudebant, intrepidique & draconum signa in se referebant, & inter ferarum mammas agebant. Nunquam enim non audet aliquid generosum, qui ad magna facinora præstanda contendit. Vbi autem bonorum omnium spoliationem, extremamque miseriam in populo suo confirmare vult Dominus, hoc addit, quod pauidum illis cor, & nihil audens apponit. Sic Deuter. 28. post omnimodam bonorum spoliationem ait: *Dabit enim tibi Dominus ibi cor pauidum, & deficientes oculos.* Circa quæ præclare D. Chrysost. epist. 8. ad Olympiam, fatur: *Quando maximas Iudæis Deus tetenderat minas pro iniquitate multa, post commigrationem in aliena regione, post fames, post morbos, & humani generis cibum, hanc infert vindictam, dicens: Dabo illis cor deficiens, & oculos deficientes, & animam tabescentem.* Ne miremur sic ab omni bono decidisse, in omnique calamitate esse, cui adeo pauidum, & deficiens cor tribuitur, vt nihil audere sciat, sed vel à folio ventis agitato fugiat.

1. Reg. 17.
Chrysost.
Chrysost.
Chrysost.

Exod.

Exod. 4. Dixitque Dominus rursum, Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar niuis. Retrahe, ait, manum tuam in sinum tuum. Retraxit, & protulit iterum, & erat similis carni reliquæ. Si non crediderint, inquit, tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis.

§. XXVII.

Nequis ad impiorum consortium accedere, quin inficiaris eorum malitia.

VBi manus Moysis à sinu protracta est, leprosa fit; ait enim, *protulit leprosam instar niuis.* Quid hoc portendit, nisi vt populus Israeliticus protractus in Ægyptum, statim infectus est Ægyptiorum malitia? Sic Theodor. quæst. 10 in præsenti, inquit. [*Theodor.*] *Quid significat, quod manus Moysi reddita est leprosa? Familia Iacob in pietate educata, profecta est in Ægyptum, sed illic impietatem Ægyptiorum didicit, & quasi leprosa est facta.* Via fieri potest, quod diu maneas apud impios, quin illorum inficiaris malitia. Caue homo ad impios prodire, nisi velis vel de eorum halitu totus infici. Matth. 3. [*Matth.* 3.] dicit de Baptismo Ioannis: *Tunc venit Iesus à Galilæa in Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo,* & quidem venit Iesus non vt ipse mundaretur, sed vt mundaret aquas. At aquæ nullam incurrerant maculam, sola terra maledictionem sustinuerat post peccatum, dicente domino, *Maledicta terra in opere tuo.* Et quando non aqua, sed terra maledictionis incurrerat labem, vnde necessum erat, quod Iesu præsentia mundarentur aquæ? Fateor, aquas non maledictas esse, nulla maledictionis infectas labe secundum se, at quando terræ maledictæ proximæ erant, ex maledictæ vicinitate adeo inficiebantur, vt egerent purgari. D. August. lib. 3. de Mirab. sacræ scripturæ, cap. 5. [*August.*] *Ad baptismum descendit Dominus Iesus, non quod baptismi Sacramēto, & lauacro egeret, sed vt aquas, quæ, quamuis in delicto Adæ Deus non maledixit, terra, qua continebantur, maledictione infectas purgaret.* Non fuerunt aquæ à Domino maledictæ, at quia terræ maledictæ approximant, inde ea infectæ sunt tabe, qua egeant à Domino purgari. Ne credat quis posse se maculatorum contubernio vti, quin multas contrahat maculas. Hinc 1. Reg. 20. dicit. [*1. Reg. 20.*] *Fugit autem Dauid de Naioth.* nec veretur textus tam strenuo duci, & imperatori fugam attribuere. Et cur non magis celat Dauidis fugam? Fugiebat ab impio, cuius consuetudine vix posset vitiorum maculas effugere. Ait D. Ambr. in Glossa: [*Ambr.*] *Fugit sanctus Dauid odia Saulis regis inimici, & superbi, quia mens sua adhærebat Deo.* Et vbi vitiosorum contagia non fugiuntur, mirum erit, si non illorum mala contrahantur. Vbi diluuij malum expenditur, ait Gen. 7. [*Gen.* 7.] *Consumptaque est omnis caro, quæ mouebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptilium, quæ reptant super terram.* Ecce tibi, quodcunque animal, quod super terram mouebatur, diluuio periit; verum animal, quod non in terra, sed in aquis mouebatur, tunc securus agebat. Et cur solum animalia terrena, & non aquatilia experiuntur communem calamitatem? De hac quæstione pulchre D. August. lib. 1. Mirab. sacræ scripturæ cap. 4. ait: *Quamobrem terrena animalia humanæ vindictæ plusquam aquatica succumbunt? In peccato primi hominis, terra de qua gustauerat, statim maledicitur. Per diuinum namque oraculum ita infertur: Maledicta terra in opere tuo. Qua in re notandum ipsa animalia, quæ maledictam terram manducauerunt, expertia maledictionis esse non posse.* Perierunt equidem non aquatilia, quibus nil fuit commune cum fructibus maledictæ terræ, sed terrestria omnia, quæ vt in cibo cum terra maledicta communicauerunt, sic maledictionis infectione non caruerunt. Nequit enim fieri, vt impij non maculent, & suum faciant quemcunque ad sua accedere senserint. Hinc Gen. 22. vbi Sodomitæ pereunt, & ab illis Loth indemnis eripitur, ait Nazianzen. [*Nazian.*] orat. 1 in Iulianum: *Mirabilis impiorum interitus sulphureo igne obrutorum, mirabilius etiam piorum furtum.* Et sapienter Lothi ereptio vocatur furtum, quasi illum Angeli furati fuerint ex Sodomis. Sed cur dicantur Angeli furati Lothum ex Sodomis, nisi ex eo quod impij, commilitones adeo suos efficiunt, vt furtum reputent, si liberi excedant.

§. XXVIII.

Periculosa homini à Deo separatio.

MAnus à sinu extracta leprosa fit, & sanatur, vbi in sinum retrotrahitur. *Quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar niuis, &c.* Tamdiu enim durat salus hominis, & incolumitas, quamdiu in Dei sinu est: qui à Deo separatur, en quanta incurrit mala, & quam lethales infirmitates. Id quod in vno populo Hebræo notabat D. Isidor. in Exodum cap. 8. fatus: [*Isidor.*] *Sic plebs Iudæa nunc aliena est à sinu Dei, & foras immunda remansit, sed reuocat eam, & reddet ad pristinum colorem, dum agnouerit Deum.* Tunc est hominis salus, cum ad Deum reuocatur; si ab illo absit, nullum non expectet malum. Ioan. cap. 6. post miraculum panum remansit Iesus in oratione solus; discipuli autem ingressi sunt nauim. Quid tunc? *Et tenebræ iam factæ erant, & non venerat ad eos Iesus; mare autem magno flatu vento exurgebat,* Acuebatur tempestas, ventis reflantibus, & discipuli periclitabantur, nec id mirum est, quando *non venerat ad eos Iesus,* sed potius longe ab eis aberat. Ex quo D. Cyril. Alex. [*D. Cyril.*] lib. 3. in Ioan. c. 22. ait. *Et conturbat nimia vis ventorum, & impetus; quo funditus euerti mare, & fluctus in montes erigi videbantur, & quod plus timoris inferebat, Christus non aderat. Necesse est enim procellis agitari omnes, qui diuinorum præceptorum contemptu, atque delictis, à Christo decisi sunt.* Væ illis, qui à Christo decidunt, innumeris tempestatibus procellisque exponuntur. Vt enim corpus sine cibo in lethalia incidit pericula, sic qui diu à Christo separatur, tantoque sustinet carere cibo, vix fieri potest, quin in mortem incidat. Quod vt insinuaret Dominus aiebat Ioan. 6. *Ego sum panis vitæ:* non aliter necessarius est Iesus ad vitam animi, quam necessarius est panis ad corporis vitam. Pro quo D. Cyrill. Alex. lib. 3. in Ioann. cap. 37. [*D. Cyril.*] *Sciant baptizati homines, & diuinæ gratiæ participes facti, si rarius in Ecclesiam proficiscantur, & longo temporis spatio propter simulatam religionem mysticè communicare Christo recusent, ab æterna se vita procul depellere.* Quid grauius? Quia multi sunt qui religionis ergo se à Christi Domini communione abstinere simulant, hos monet Cyrillus, vt omnes prætextus etiam religiosos abiiciant, quibus à Iesu diu abstinent. Nequit enim fieri, quod diu homo sine Domino agat, & in lethalia damna non incidat. Quò refert Adon in Chronico, [*Adon.*] in fine quintæ ætatis mundi, illud, quod accidit Cæsari Augusto, sub cuius Imperio natus est Christus. Quippe ait: *Cum in Sicilia victo prius à Pompeio, & Lepido legionibus triginta millia seruorum Dominis Cæsar restituisset, & sex millia, quorum Domini non extabant, in crucem egisset, nouansque in vrbem ingressus, omnia superiora populi Romani debita donanda literarum etiam monumentis abolitis censuisset, in diebus ipsis fons olei largissimus de taberna meritoria per totum diem fluxit. Quo signo quid euidentius, quàm sub principatu Cæsaris Romanoque Imperio, hoc est, per omne Romani Imperij tempus, Christum, atque ex eo Christianos, id est, vnctum, atque ex eo vnctos de hospita Ecclesia affluenter, atque incessabiliter processuros? Restituendosque per Cæsarem omnes seruos, qui tamen cognoscerent Dominum suum; cæterosque, qui sine Domino inuenirentur, morti, supplicioque dedendos?* Expende hæc vltima, *qui sine Domino inuenirentur, &c.* hoc enim sufficiens est, vt quis perdatur funditus, nimirum, quia cum natura seruus sit, sine Domino inuenitur. Huc spectant Cæsareæ leges, huc vniuersæ consuetudines; vt quando tu seruus es, emptus sanguine Christi, mortem incurras, si tanti Domini in te præsentis nullum referas signum.

Exod. 4. Quod si nec duobus quidem his signis crediderint, neque audierint vocem tuam, sume aquam fluminis, & effunde eam super aridam, & quicquid hauseris de fluuio, vertetur in sanguinem. Ait Moyses: Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri, & nudius tertius: & ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ sum.

§. XXIX.

§. XXIX.

Ille gubernator fœliciter eligitur, qui sermonis facundia plurimum valeat.

ECce tibi Moyses dum virgam accipit, quam possit in draconem conuertere, & potestatem, qua possit flumina vertere in sanguinem; nihilominus detrectat Præfecturam populi aiens, *Non sum eloquens, &c.* Quid interest, ô bone, quod eloquentia careas, cum habeas potestatem conuertendi virgam in serpentes, & flumina in sanguinem? Cur non magis terribili hac potestate animaris ad munus subeundum? Cum omnia subiicere potes, vel immissis serpentibus, vel infectis aquis, cur iis despectis requiris solam oris elegantiam? Equidem non insipienter hanc requirit bonus gubernator, quando id præstantis gubernatoris est, quod non violenta potestate, sed facundia sciat subditorum animos capere. Hinc extollebat Gennadium Præfectum D. Synes. epist. 73. fatus: *Pentapolis nostra in multis est à Gennadio Syri sublenata. cuius illud maximum est, quod orationi, & persuasione Imperium permittens nemine nostrûm aduertente plus pecuniæ in publicas rationes intulit, quàm crudelissimi quique & atrocitatis nomine celeberrimi: propter quam nemo lacrymatus est, propter quam nemo agrum vendidit, contributionem illam piam, merito aliquis appellauerit. quam non iniuria, aut verbera extorserunt.* Expende illud, *orationi & persuasioni Imperium permittens*, inde maximus, inde fructuosus, inde præstans, & salutaris apparuit bonus gubernator, qui imperium non ferrati, non absolutæ potestati, non atrocitati, sed orationis efficaciæ, & persuasioni permittebat, quibus vt maxime valebat, sic vel ad onera rapiebat libenter subditorum animos. Quam in principibus virtutem mirabatur Psal. 17. aiens: *Qui subdit populos meos sub me.* Ex Hebræo legitur: *Alloquens populos meos sub me.* Tale enim erat eius eloquium, vt idem esset, & loqui, & nationes subiectare. Quod promittebat Isaias cap. 5. *Et pascentur agni iuxta ordinem suum.* Hebraicè legitur: *Pascentur agni iuxta verbum* · hoc est, habebunt Israelitæ rectores, & principes, qui eloquio, & verbis potentissimi sint. Et quantum hoc ad principem, quod eloquio valeat? Crediderim hoc nō inter mediocres principum virtutes numerari. Quippè Cassiod. 10. var. 7. vocans eloquentissimum virum ad principatum, ait: *Talem itaque virum non decuit insistam petere, sed docere. Quia iudiciaria virtus est, lingua bona abundare.* Maxime conducit ad Potestatis ornatum, & compositionem, quod lingua valeat, quod eloquentiæ vi possit subditos trahere. Ex quo Micheas cap. 2. aiebat: *Congregatione congregabo Iacob totum, in vnum conducam reliquias Israel, pariter ponam illum quasi gregem in ouili, quasi pecus in medio caularum.* Ex Hebræo, *quasi pecus in medio verbi sui.* quasi totum Israelis Imperium committat orationi, & persuasioni regnantium. Ille enim rex, & princeps paratur a benefico Deo, qui non tam virga, quam verbo possit populos domare. Quam laudem Ferreolo duci adscribit Sidonius Apollin. lib. 8. epist. 12. *Prætermisit Gallias tibi administratas, tunc cum maximo incolumes erant. Prætermisit Gothia ferocissimum, inflexum affatu tuo, melleo, graui, arguto, inusitato.* Sic bonus princeps ferocissimas nationes in medio verbi sui, quasi intra caulas detinebat. Vnde Salomon Sapient. cap. 8. ait: *Habebo propter hanc claritatem ad turbas & honorem apud seniores iuuenis:: loquentem me respicient, & sermocinante me plura, manus ori suo ponent.* Nec miror, quod erudito regi populi applaudant, quando & de regina Amalasuntha ait Cassiod. 11. var. 1. *Hanc enim dignissime omnia regna venerantur. quam videre, reuerentia est; loquentem audire, miraculum. Qua enim lingua non probatur esse doctissima? Attica fœcundia claritate diserta est: Romani eloqui pompa resplendet: natiui sermonis vbertate gloriatur: excellit cunctas in propriis, cum sit æqualiter vbique mirabilis.* Sic eloquentia Reginam & mirabilem, & suspicabilem populis reddebant, quasi illa propria principum potestas sit, non quæ à virga, sed quæ à verbis venit. Pro quo faciebat illa Herculis Gallicani effigies apud Alciatum; vbi homo & leoninis exuuiis, & claua ornatus, ab ore catenulas emittebat, quibus ingentem populi multitudinem ex aure trahebat. Quid tunc? Ait Alciatus emblem. 180.

Arcum læua tenet, rigidam fert dextera clauam,
Contegit & Nemees corpora nuda leo.
Herculis hæc igitur facies?
Quid quod lingua illi leuibus traiecta catenis,
Quæis fissa faciles allicit aure viros?
Anne quod Alciden lingua, non robore Galli
Præstantem populis iura dedisse ferunt?
Cedunt arma togæ, & quamuis durissima corda
Eloquio pollens ad sua vota trahit.

Ne miremur Moysem non sic credere potenti virgæ, sanguineis fluctibus, vt facundiæ linguæ; quando in Hercule & claua, & pelles leoninæ otiosæ putantur, & vna lingua ad domandos populos creditur seruiisse.

Synes. — Psal. 17. — Cassiod. — Mich. 2. — Apoll. — Sapient. — Cassiod.

§. XXX.

Vox cum operibus iuncta potentissima ad mouendos animos, & plausus expiscandos.

SIgnorum patrandorum potestatem accipiens Moyses in virga, adhuc munus legationis detrectat, obiiciens defectum vocis, dum ait: *Non sum eloquens: impeditioris, & tardioris linguæ sum.* Cui virga militat potens transmutare elementa, potens orbem implere miraculis, quid interest, quod linguæ desit facundia? Cur Moyses non contentus es miraculorum efficiendorum potestate? Cur hac quasi contempta, desiderio afficeris linguæ volubilis elegantiæ? Non miror, quod Moyses in tanta potestate signorum, requirat linguam magis: vox enim cum operibus iuncta, potentissima est, vt animos omnium, & plausus trahat. Iob cap. 38 aiebat Dominus: *Cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* Quæ verba sic reddidere Septuag. *Quando facta sunt sydera, laudauerunt me filij Dei.* D. Epiphan. tom 2. lib. 2. Hæres. 65. *Quando creata fuerunt sydera, laudauerunt me omnes Angeli.* Et D. Basil. Seleu. orat. 1. *Cum astra faciebam, laudabant me voce magna omnes Angeli mei.* Itaque quando Deus faciebat mundi lumina, Deum vniuersi Angeli summis laudibus efferebant. Sed ante luminum effectionem effecerat Deus cœlum, effecerat terram, & omnia elementa, & nullam dicuntur illi laudem attribuisse Angeli. Et cur in effectione luminum rapit Deus Angelos in suas laudes; quos non rapuerat in effectione cœli, & terræ? In creatione cœli prima, & terræ, virtus infinita Dei ostendebatur, producens ex nihilo substantias, quæ non adeo infinita in luminum productione requirebatur. Quid ergo inuentum est in lucis productione, quod magis traheret Angelos in creatoris laudes? Habes id in cap. 1. Gen. vbi ait: *In principio creauit Deus cœlum, & terram Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi & spiritus Domini ferebatur super aquas. Dixitque Deus Fiat lux Et facta est lux.* Expende illud: *Dixitque Deus*, quippe tunc primū ostenditur Deus dixisse, tunc primū ostenditur vocem adiunxisse operi mirabili. Antea creabat cœlos, terras, elemēta, prorsus tacēs; erant pulcherrima Dei facinora, sed sine voce, cum ad lucis creationem ventum est, tunc vocem addidit, & vox operibus iuncta statim rapuit Angelos in diuinas laudes. Accipite D. Basilium Seleu. orat. 1. fantem: *Cœlum profecto productum est, & terra cum aquis, cum vox antecesserit nulla. Lux vero cum producebatur, Deus voce præiuit. Merito nunc loqui occupat, vt eius, quod fit, sensu, & admiratione Angelorum turbas moueat, quo imperium effectione rei comitatum conspicati in hymnum creatoris conuertantur.* Qui cœlestia creans tacebat, & non laudabatur, vbi vocem operibus addidit, nullum non Angelum mouit, omnes in suas prædicandas laudes traxit. Ille enim potens est ad trahendos animos, qui simul contuentium oculos pulchritudine facinorum implet, & pulchritudine verborum implet aures. Dan. 3. tres pueri Hebræi in conspectu regis constituti aiebant: *Deus noster quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô rex, liberare:: Tunc Nabuchodonosor repletus est furore, &c.* Sed eò peruenit res, vt coniecti pueri in fornacem ibi liberi prorsus apparerent. *Tunc Nabuchodonosor accessit ad hostium fornacis ignis ardētis, & ait: Sidrach, Misach, & Abdenago serui Dei excelsi egredimini, &c.* Et quis sic regem immutauit, vt laudaret, quos antea cremabat? Antea prædicarunt Dei potestatē, & regem in furorem verterūt, modo illum laudatorem habent. Vnde hæc? Pulchrè D. Chrys. hom. 6. ad Pop. *Antea quando dixerunt, Diis tuis non seruimus, fornace family accensus est; postquam vero per ipsa opera hoc ostenderunt laudanit, & admiratus est.* Quid pulchrius dici poterit? Equidem pulchritudo operum iuncta voci audientium animos rapit. Hinc Cant. 2. clamat sponsus ad diuinissimam amasiam suam: *Ostende mihi faciem tuam. sonet vox tua in auribus meis.* Et mirabar, quod dum tam pulchra facies expectabatur, subiret memoria vocis, & mirum auget Cassiodorus ibi faciei decorem explanans, fatus: *Faciem suam quasi Deo ostendit Ecclesia, tam proximis ad vtilitatem, & profectum per virtutum opera, quantam intrinsecus habeat pulchritudinem, demonstrat.* Cui assentiue

Iob 38. — Epiph. — Basil. Sel. — 1. Gen. — Dan. 3. — Chrysost. — Cassiod.

assentitur D. Greg. PP. & alij: quando ergo in facie tantarum virtutum decor monstrabatur, cur adhuc vox requirebatur, nisi quod opera simul, & vox potentissima sunt ad commendationem cuiusuis viri maximi expiscandam? Ex quo Cassiod. 5. variar. 14. de præstantissimo viro aiebat: *Adfuit mandatis regalibus eloquens, & decorus orator, permulcens etiam inspectus, quos gratissimos reddebat auditus.* In hoc maximus videbatur iste regalibus decretis adstitisse, quod & eloquentiæ facundiam, & decorem referebat virtutum, vt visus simul, & auditus de omnibus ageret triumphos. Quo spectabat illud Ioel. cap. 2. *Nolite timere animalia regionis, quoniam germinauerunt speciosa deserti.* Siue vt Græcus ait: *Confidete iumenta campi, quoniam germinauerunt campi solitudinis.* Et qui sunt campi isti, qui germinant in tantum iumentorum, bestiarumque boum? Hi sunt Doctores, qui pulchritudine operum, & doctrinæ sic valent, vt bestias transforment in homines. Ait D. Cyril. Alex. ibi: *Campi eius sunt populorum rectores, & Doctores, qui & diuinis è cælo charismatibus animum velut scatentem, & pulcherrimo vndique florentem gerunt, & dogmatum floribus spirantem suauiter, & recenti herba vndique pubescentem. Hi bestiarum naturam, & ingenia exhilarant, vt etiam ad prudentiam homine dignam adducant.* Sic valent, qui virtutum operibus floridam doctrinam adiungunt.

Cassiod.

Ioel. 2.

Cyr. Alex.

Exod. 4 Dixitque Dominus ad eum. Quis fecit os hominis? Aut quis fabricatus est mutum, & surdum, videntem, & cæcum? Nonne ego? Perge ergo, & ego ero in ore tuo: doceboque te, quid loquaris.

§. XXXI.

Præclara oratio ex silentio, & linguæ tarditate nascitur.

VT timorem, quem prætendebat Moyses ex linguæ impedimento, Dominus depellat, & spes illius alat, quod coram populo, & Pharaone non sentiet linguæ damna, ait: *Quis fecit os hominis? Aut quis fabricatus est mutum? Nonne ego? Perge ergo, &c.* Qualis hæc ratio, vt Moyses speret nulla sibi futura linguæ damna, nimirum quia Deus fabricatus est mutum? Imo quia scit Moyses se ex Deo linguam mutam, & impeditam recepisse, ideo detrectat munus, in quo necessaria erat orationis efficacia. Cur tu Domine iubes, vt nihil dubitet de eloquentia futura, ex eo quod muta, & impedita labia tu fabricatis? An muta labia possunt habere aliquid cũ viuida, & efficaci oratione? Equidem ex muto ore, ex tarda & impedita lingua, non semel arguta, & efficax vox in occasione nascitur. Huc tendit Cassiod. 5. variar. 22. disertissimi oratoris Capuani extollens laudes: *Est etiam quoddam speculum morum agentis oratio: nec maius potest esse mentis testimonium, quàm qualitas inspecta verborum. Nam vt eius, nimirum Capuani, propria describamus, patitur in simplicibus rebus linguæ retinacula: in certamine correctior cum perorat: & hoc illi ad gratiam datum est prouidente natura, vt quem præ foribus hæsitantem videas, eloquentem in certaminibus obstupescas.* Sic tarda, & pene muta lingua in simplicibus rebus, & quotidianis hominem parabat, vt admirationem faceret in eloquentiæ certamine. Nec semel longa taciturnitas, & linguæ tarditas obstetricante Deo vocem parturit omni præstantem eloquentia. Marc. 7. homo mutus adducitur ad Iesum, qui tetigit linguam eius, *& statim solutũ est vinculũ linguæ eius, & loquebatur recte.* Non miror, quod mutus homuncio ablato à Deo linguæ vinculo loquatur; sed illud mirandum, quod qui si natus fuisset sine linguæ damno, communiter loqueretur, ex linguæ damno conualens dicatur locutus rectè. Vnde mutus tam rectè loqueretur, nisi quia linguæ tarditas de obstetricantis beneficio Domini hoc habet, quod splendentem orationem generet? Huc spectabat Victor Antiochen. aiens: *Quomodo enim non rectè loqueretur, rectèque audiret, cum naturæ opifex id expleret, quod naturæ deerat?* Sunt equidem tarditas linguæ, & impedimenta præclaræ lapidicinæ, ex quibus Deus artifex præclaram hominis orationem elicit. Ex quo monebat Ecclesiasticus cap. 28. *Verbis tuis facito stateram, & frenos ori tuo rectos.* Et quãdo homines id maxime curant, vt linguæ tollant impedimenta, bonus consulit, vt ori iniiciant fræna, cur non magis fræna rumpant? Ait Philo lib. Quod deterior potiori insidietur, *Ideo studemus vnumquodque os, de quibus diximus, obligare non rumpendis temperantiæ vinculis. Quotquot enim nullis cohibentur vinculis, vt alibi Moyses ait, impura sunt.* Vt impura omnia nascuntur à dissoluto ore; sic vbi frænum præcessit in ore, multaque taciturnitas, & pura, & lucidissima oratio prodit. Nonne mutus erat Zacharias Baptistæ pater? Ab eo autem vbi interrogatur nomen pueri, postulans pugillarem scripsit: Ioannes est nomen eius, Luc. 1. *Apertum est autem illico os eius, & loquebatur benedicens Deum.* Expende in quàm splendidum prorumpat mutus verbum; nimirum *loquebatur benedicens Deum*: lingua enim taciturnitatis fræno cohibita statim vt soluta est, parturiuit diuinitatis halantia verba. Quo spectans Orig. hom. 9. in Lucam ait: *Vt stylus impressus est ceræ, lingua, quæ prius fuerat vincta, laxata est. Recepit eloquium, non humanum, quoniam ligata fuit lingua eius.* Sic de ligata lingua aurei, & diuini sermones procedunt. Huc trahe dicta in tom. 2. in Euang. lib. 10. cap. 10. §. 9.

Marc. 7.

Antioch.

Ecclesi. 28.

Luc. 1.

Orig.

Exod. 4. At ille: Obsecro Domine, inquit, mitte quem missurus es. Iratus Dominus in Moysem ait: Aaron frater tuus Leuites, scio, quòd eloquens sit; ecce ipse egredietur in occursum tuum, vidensque te lætabitur corde. Loquere ad eum, & pone verba mea in ore illius, & ostendam vobis, quid agere debeatis. Et ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum: tu autem eris ei, in iis quæ ad Deum pertinent. Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.

§. XXXII.

Quæ per homines fieri possunt, per homines procuranda sunt, non vni Dei potestati committenda.

QVi ad tot Moysis excusationes non iratus fuerat, dum suam imbecillitatem, dum populi duritiam, dum linguæ tarditatem obiicit, cur modo irascitur, ad eiusdem verba dicentis, *Mitte, quem missurus es?* Adde, quod iis verbis petebat Moyses Christi Domini aduentum, vt fert communior Catholicorum sententia. Cur ergo Deus tot excusationes Moysis sustinet, & ad petitionem, qua Christus petitur, excandescit? Equidem totum munus educendi populi ex Ægypto, & confundendi Pharaonis regis, per hominem purum cœlesti auxilio adiutum, perfici poterat; nec fert Deus, quod ad ea, quæ per hominem fieri possunt, huius diligentiis contemptis, expectetur vnus Deus. Inde cum euocaturus Lazarum à monumento Ioan. 11. vidisset sepulchri speluncam lapide occlusam, ait circumstantibus: *Tollite lapidem.* Quo licet trahere ex Gen. 29. vt Iacob à domo paterna peregrinatus venit in terram orientalem, inuenitque puteum lapide clausum, qui tunc à simul iunctis pastoribus amouendus erat, cum ouium greges accederent. Accedebat iam Rachel Iacobi cognata cum ouibus suis, *quam cum vidisset Iacob, & sciret consobrinam suam, ouesque Laban auunculi sui, amouit lapidem, quo puteus claudebatur.* Non expectat Iacob, vt lapis amoueatur, vt amatæ puellæ oues adaquet, nec requirit aliorum auxilium, sed ipse per se solum id præstat munus; & Iesus amicum suum vt vocet in vitam, ab aliis lapidem tolli iubet? Cur non magis, ô bone, in gratiam amicorum tuorum velut Iacob tu ipse lapidem amoues? Cur aliis mandas hoc munus, quod minimè Iacob fecisset? Iacob vt homo erat, quæ à se fieri posse videt, solus efficit, nec aliorum expectat auxilium, sed suum ipse impendit conatum diligentissimè. At Iesus in præsenti personam Dei agebat reuocantis hominem à sepulchro, qui vt Deus ostendebatur, sic detrectat ea facere, quæ per alios homines possunt fieri. Ad hæc D. August. serm. 104. de Tempore; *Quid dicimus? Nunquid lapidem Dominus à monumento præcepto remouere non poterat, qui inferni claustra propria virtute remouit? Sed quod ab hominibus fieri poterat, homines facere præcepit; quod autem diuinæ virtutis erat, sua potentia demonstrauit. Lapidem enim à monumento reuocare humanæ virtutis est; animam verò ab inferno reuocare, solius diuinæ potentiæ est.* Quod solius diuinæ potestatis est, id vult Iesus per se præstare; quod autem humanæ erat potestatis, & per homines poterat executioni mandari, id potius creditur labori humano; non enim amat Deus quod sibi ea prorsus committantur, quæ per homines possunt præstari. Hinc Ioann. 5. cum Dominus paralytico dixisset: *Vis sanus fieri?* Illico paralyticus

Ioann. 11.

August.

cus ait : *Domine hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam. Dum venio enim ego, alius ante me descendit.* Solum interrogabatur iste, an vellet sanari, & ipse ad hoc silens multa alia comminiscitur, de quibus non interrogabatur, vt nimirum homo nullus sit, per quem salutem posset negotiari, vt ipse frustra tentauerit illam acquirere. Cur hæc præmittis, antequam dicas, quod vis sanari? Cur non magis festinas Deo directe respondere aiens, volo sanari? Equidem bonus verebatur salutem ex Deo expectare, nisi prius quidquid per se, vel per homines ad illam poterat pertinere, factum omni diligentia repræsentaret. Ait enim Euthym. ibi : *Suspicabatur, quod hoc Dominus propterea interrogaret, vt argueret, quod præ segnitie frustraretur sanitate; ideò respondet, quia hominem non haberet. Dicens autem; Dum venio ego, alius ante me descendit; suam ostendit perseuerantiam, qua tot annis frustratus adhuc perseuerabat, idque non segnis, nec sic negligentior efficiebatur.* In Iesu offerentis sanitatem verbis magis reprehensionem suspicabatur, quam solent incurrere, qui quæ per se, vel per homines possunt facere in re salutis, vel commoditatis effugiunt; & ideò merito hanc reprehensionem cauens nihil de suæ salutis desiderio loquitur, quin prius ostenderet se non habere hominem, ad quem recurrat, & nihilominus per se curasse descendere in aquam, nullamque sibi possibilem diligentiam non tentasse. Huc veniant homines, & credant, tunc solum à Dei reprehensione posse fugere, cum illi soli minimè credunt, quæ per se, vel per homines possunt facere. Sed potius eo sunt animo, vt nisi post adhibitas vniuersas diligentias nolint quid à Deo expectare.

Euthym.

§. XXXIII.

Iram Dei meritò incurrit, qui sic fraternum affectum exuit, vt non putet sibi prodesse, quidquid boni in fratre videt.

ACcedant huc quique sub Dei militant disciplina, & videant Deum in Moysem iratum : eo quod ipse impedimentum suæ linguæ obiiceret, quod detrectaret impositum sibi munus. Equidem detrectabat Moyses munus subire, eo quod impeditioris esset linguæ. Quid tunc? *Iratus Dominus in Moysem ait : Aaron frater tuus Leuites, scio, quod eloquens sit, &c.* Et cur Deus irascitur in hominem humiliter proponentem impedimentum suæ linguæ ad munus, quod maxime indigebat lingua? Causam ipse Dominus indicans dicit : *Aaron frater tuus Leuites, scio, quod eloquens sit.* Merito enim increpatur Moyses, quod defectum linguæ sentiret in se, quando linguam in fratre nouerat disertissimam, quam deberet putare suam. Ait Diu. Augustin. quæst. 10. in Exod. *Ostenditur Deus increpasse potius Moysem, qui timeret ire, quod ipse esset minus idoneus, cum haberet fratrem, per quem posset ad populum loqui, quod vellet.* Proh Deus immortalis! Quot Dei iras, quot Dei increpationes caueremus, si quod in fratre boni est, illud nobis non deesse putaremus, sed magis nostrum putaremus illud? Sic viue, Christiane, eum fratrum amorem indue; quo possis pro tuo habere bonum, quod est in illo; & vitabis Dei iram, & nihil in te requires. De ciuitate pacis cœlestis Hierusalem locutus Dominus Ioann. cap. 14. ait : *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Expende illud verbum, *mansiones*, quo explicantur ingentes diuersitates gloriarum. Et mirum est, quod gloria inferior alia posset dici mansio; in mundo enim vbi sunt diuersæ dignitates, aliæ inferiores aliis, nequit fieri, vt vlla in aliqua fiat vera mansio, quando vix aliquis vnam intrat dignitatem, & statim pergit ad aliam, & requirens semper, quam non habet, nunquam in aliqua quietus manet. Vndè ergo potest fieri, quòd in cœlesti domo tot mansiones inueniantur, hoc est, tot gloriarum diuersitates, aliæ aliis inferiores, in quibus singulis sic quisque quietus maneat, vt nullam molestiam inferat, aut patiatur pro acquirenda alia? Id nascitur ex eo, quod quisque suum putat, quod bonum videt in fratre. Ait Diu. Gregor. PP. libro 3. Moralium, c. 31. fatus : *In ipsis mansionibus erit aliquo modo ipsa diuersitas concors : quia tanta vis amoris in illa pace nos sociat; vt quod in se quisque non acceperit, hoc se accepisse in alio exultet.* Non dolet, sed exultat quisque pro eo, quo caret, cum videat illud in fratre existere; & quod in fratre existere videt, sic reputat suum, vt quasi de re propria gaudeat de illo.

August.

Ioan. 14.

Gregor.

§. XXXIV.

In rebus maximi ponderis maximè verborum splendor requirendus.

ADhue mirari non desinam, quod dum linguæ tarditatem, & rusticitatem Moyses obiicit, mereatur incurrere iram Domini. Ait enim textus : *Iratus Dominus in Moysem ait, &c.* Et cur irasceris Domine in eum, qui humiliter notissimum linguæ impedimentum refert, quod muneri putabat damnosum? Mandabatur Moysi munus de asserenda diuina potentia coram populo, coram Pharaone, in re autem tanti ponderis, in qua erat populi salus, & libertas, & Pharaonis vita, culpæ vertitur, quod requiratur splendor, & pompa sermonis. Ex quo sapienter Arnobius contra gentes lib. 1. premit eos, qui in Christianæ Fidei præconibus requirebant lumina sermonum, *Pompa ista sermonis, & oratio missa per regulas concionibus, litibus, foro, iudiciisque seruetur; deturque illis imo, qui voluptatum delinimenta quærentes, omnes vnum studium verborum in lumina contulerunt. Cum de rebus agitur ab ostentatione submotis, quid dicatur, spectandum est, non quali cum amœnitate dicatur, nec quid aures commulceat, sed quas afferat audientibus vtilitates. Enimvero dissoluti est pectoris in rebus seriis quærere voluptatem, & cum tibi sit ratio, cum male se habentibus, atque ægris, sonos auribus infundere dulciores, non medicinam vulneribus admouere.* Expende illud, *dissoluti est pectoris, &c.* vt videas, quantæ culpæ vertat Arnobius, quod in rebus maximi ponderis desideratur, & requiratur splendor sermonis. Quam vitans Paulus 1. ad Corinth. 2. aiebat : *Veni non in sublimitate sermonis, aut sapientia, annuntians vobis testimonium Christi : Et sermo meus prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis.* Vir alioquin sapiens, & eruditus, & qui linguarum dono pulchrum posset struere sermonem, vbi Christianas virtutes persuadere conatur, statim rhetorum fluminibus Saluatoris fontes præponit. Et quidem Esther cap. 10. *Fons paruus in lucem, solemque conuersus est* : & Isaiæ capite 18. *Diripuerunt flumina terram eius* : vt paruus fons ad lucem, & flumina ad direptionem terræ dari solent, sic flumina rhetorum nocent, & linguæ moderamen maxime prodest. Quo aspiciens Nazianzen. orat. 15. ait : *Profecto nec maior pluuia vi minore vtilior est, cum illa ob vehementiam suam terram abstrahat, atque ipsa etiam forte agricolam mulctet : hæc autem sensim ac leniter labens, & ad ima vsque penetrans, agrum pinguem reddat, atque agricolam commodo afficiat, spicamque ad maturum fructum alat. Nec item in sermonibus is, qui vberior, ac copiosior est, sapientiore fructuosior, & conducibilior est. Ille enim postquam exigua voluptate auditorem affecit, abscessit, simulque cum percusso aere solutus est; ac per linguæ leporem auidis auribus præstigias quasdam effudit : hic autem in mentem penetrauit, atque ingentem paucis syllabis segetem edidit.* Itaque non rhetorum fluminibus nimis insistendum tibi est, nisi velis terram humanorum animorum obruere, quando flumina terram diripiunt, & a linguæ leporibus potius nascantur præstigiæ, quam seges vlla. Fructus autem vberior venit ab iis, quæ oculis, quàm ab iis, quæ auribus ingeruntur. Vt dicat Psal. 110. *Initium sapientiæ, timor Domini. Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Ex quo Nazianzen. orat. 15. ait : *Præstantior est pulchritudo ea, quæ oculis cernitur, quàm quæ sermone pingitur; & sapientia, quæ per opera demonstratur, quàm quæ sermone nitet, splendescit. Intellectus enim bonus, inquit ille; omnibus facientibus eum, non autem prædicantibus.* Non ex concionis pulchritudine claritudo oritur, sed ex operum splendore. Vnde eleganter Diu. Athanas. hom. de semente : *Quid refert, si Græcè loquamur, & animo barbari simus? Quid prodest, si concinnus est sermo, & mores sint inconcinni? Multo præstantius est nescire Græcè loqui, & legem Dei in corde possidere. Si enim Ecclesia esset auditorium rhetorum, opportuna res esset eloquentia; sed quia certamen de moribus, & de fructificatione propositum est, & cœlum est, quod expectatur, non lingua acquiritur, sed moribus boni.* Sic ibi.

Arnob.

1. Cor. 2.

Esther 10.

Psal. 110.

Athan.

§. XXXV.

Linguæ splendor, & disertitudo ad modicum valet in re virtutis.

ECce tibi Aaron eloquens est Dei testimonio, Moyses autem impeditioris linguæ esse concluditur, quid inde?

Sanè

Sanè eloquentissimo Aaroni solum mandatur, quod loquatur, ait enim *Ipse loquetur pro te ad populum.* Moysi autem creduntur diuina omnia, & efficienda signa: *Tu autem eris ei, in his, qua ad Deum pertinent. Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.* Diuinorum tractatio, signorum effectio viri Moysi impeditioris viro linguæ creduntur, eloquenti Aaroni nihil aliud præter loquelam committitur. Cur non magis eloquentiæ fiditur? Hoc est ingenium diuinum, quod in se virtutum parum, aut nihil eloquentiæ committat. Accipite Diu. Paulum 1. ad Corinth. 13. loquentem: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam: factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & nouero mysteria omnia, & omnem scientiam, et si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam: charitatem autem non habuero; nihil sum.* Quibus illud maximè venit notandum, quod cum cætera dona proponuntur, simul proponuntur cum multis effectibus suis; fidei donum proponitur cum eo, quod montes transferat: prophetiæ donum proponitur cum cognitione mysteriorum omnium, & omnium scientiarum; solum donum linguæ proponitur, sine effectu aliquo. Et quidem hoc linguæ donum est, quod potest omni effectu nudari. Ait Diu. Chrysost. hom. 32. in præsenti. *Vide vt rursus etiam hic linguarum æstimationem depressit. In prophetia magnum quoddam ostendit momentum, mysteria, scientias omnes nosse, in fide rem non mediocrem, montes transferre: solum linguarum donum posuit nudum.* Hoc sane linguarum donum, quo quis splendidè, & copiosè loquatur, infirmius quid est, & nudius in re virtutis, nec adeò valet ad edendos animi veros fructus. Vnde ipse Paul. 1. ad Corinth. 2. ait: *Veni non in sublimitate sermonis, aut sapientia annuntians vobis testimonium Christi.* Et quando veniebat in sublimitate virtutum, cur non veniebat in sublimitate sermonis? An qui mortuos suscitabat, & mutos loqui faciebat, non posset eloquentiam præstare linguæ suæ? Posset equidem, sed ab eloquentia abstinuit, vt a re inutili. Ait Diu. Chrysost. hom. 6. in præsenti: *Cuius vestimenta mortuos suscitarunt, & vmbra morbos expulerunt, longe magis illius anima pollere facundia potuisset. Sed noluit ita Deus, quoniam nullam attulisset vtilitatem.* Cauit Deus in prædicatore suo facundiam, vt quæ vtilitatem afferat nullam. Hinc Nazianzen. orat. 3. Iuliani Imperatoris turpissima facinora detestans, simul eius præceptores irridens ait, *Hoc ipsum Platones, & Chrysippi, & venerandus Peripatus, & Stoa, & iactata illa sonoro gutture fundentes edocuerunt. Hæc geometriæ argutias, & de iustitia sermones. Hæc egregii magistri, & imperii defensores, & legislatores, quos ex triuiis, & barathris sibi collegerat. Quorum non vitam, aut mores laudauerat, sed facundiam suspexerat. An non hos suspicere, atque admirari par est, qui ciuitates eas, quæ re ipsa construi, ac coagmentari nequeunt, sermone fingunt?* Expende, quò perueniant rhetorum studia, & facundissimi philosophi, nimirum, vt vitia foueant, vt illas ciuitates oratione demonstrent, quæ re ipsa minimè esse possunt. Christi discipuli etsi idiotæ, etsi barbari eâ docuerunt, quæ facta sunt, & in quæ traxerunt vniuersum orbem maximo ipsius orbis bono: at facundi illi quas vrbes effinxerunt, minime construi, & coagmentari possent.

(Margin: 1. Cor. 13. — Chrysost. — 1. Cor. 2. — Chrysost. — Nazian.)

Exod. 4. Abiit Moyses & reuersus est ad Iethro socerum suum, dixitque ei: Vadam, & reuertar ad fratres meos in Ægyptum, vt videam, si adhuc viuant. Cui ait Iethro, Vade in pace. Dixit ergo Dominus ad Moysem in Madian: Vade, & reuertere in Ægyptum, mortui sunt enim omnes, qui quærebant animam tuam. Tulit ergo Moyses vxorem suam, & filios suos, & imposuit eos super asinum: reuersusque est in Ægyptum, portans virgam Dei in manu sua.

§. XXXVI.

Nullus ad imperium aptior, quàm qui sub legibus, & obedientia scit viuere.

Imperatorium animum indutus ex Deo, vt Israelem educat de Ægypto, hunc primum in executione muneris sui gressum facit, vt soceri sui facultatem exquirat. *Reuersus est ad Iethro socerum suum, dixitque ei, Vadam, & reuertar ad fratres, &c.* Apud Lucam cap. 9. dicenti iuueni, *permitte mihi primum ire, & sepelire patrem meum*, respondit Dominus, qui vocauerat: *Sine vt mortui sepeliant mortuos suos, tu autem vade, & annuntia regnum Dei.* Idem Deus erat, qui vocauerat Moysem, & qui vocauerat hunc adolescentem, & adolescenti non permittitur ire in paternam domum, sed omnia humanitatis iura obliuiscens trahitur in executionem vocationis suæ. At Moyses longè aliter facit ex Deo, à quo vocatus in Ægyptum suspendit executionem vocationis, & ad domum paternam redit, nec viam adornat, donec humanitatis iuribus satisfaciat, & soceri licentiam obtineat. Cur cùm adolescens renuntiat iuribus humanitatis, vt sequatur vocationem diuinam, Moyses vocationem suspendit, vt satisfaciat, humanitatis, & obsequij debiti iuribus? Mittebatur adolescens ad annuntiandum regnum cœleste, cui cedere debent humana iura, mittebatur Moyses ad Israeliticum imperium ciuile, ad quod nullo melius disponebatur, quàm satisfaciens omnibus humanitatis, & ciuilitatis iuribus, viuensque sub illis. Et fallar, si quis aptior potest ad imperium inueniri, quàm qui nulli legi, nulli iuri se nouit subducere. De mundi dominatore populo Romano hanc virtutem extollebat 1. Machab. 8. vbi hic: *Omnes obediunt vni.* Ecce tibi in natione ad orbis imperium destinata dempto vno, omnes sub legibus viuunt. Quo ductus Ataulphus Gothus maluit in Romanis regnum stabilire, quàm in Gothis hominibus gentis suæ. Rem sic ostendit Paulus Orosius lib. 5. in fine: *Beatissimo Hieronymo referente audiui, militem strenuum Narbonensem familiarissimum Ataulpho apud Narbonam fuisse: ac de eo sæpe sub testificatione didicisse, quod ille, cum esset animo, viribus, ingenioque nimius, referre solitus esset, se in primis ardenter inhiasse, vt obliterato Romano nomine, Romanum omne solum, Gothorum imperium, & faceret & vocaret: essetque, vt vulgariter loquar, Gothia, quod Romania fuisset; fieretque tunc Ataulphus, quod quondam Cæsar Augustus. At vbi multa experientia probauisset, neque Gothos vllo modo parere legibus posse propter effrænatam barbariem, neque Reipublicæ interdicere leges oportere, sine quibus Respublica non est Respublica, elegisse se salutem, vt gloriam sibi de restituendo in integrum, augendoque Romano nomine, Gothorum viribus quæreret, habereturque apud posteros Romanæ restitutionis auctor, postquam esse non poterat immutator.* Quid sapientius à cordatissimo Principe, aut dici, aut excogitari potuit? Et Gothus ipse erat, & Gothorum genti addictissimus, & Romanis infensissimus, quos funditus perdere amaret, vt suos exaltaret. Vbi autem expertus est Gothos suos exleges homines, qui nulli scirent attendere iuri, è contra Romanos maximè legibus obtemperantes, & Gothos, maluit Romanum imperium conseruare, quod minime durare posset ad homines exleges translatum. Sic ratio ipsa cuique persuadet illum ad imperium habendum merito ordinari, qui scit omnibus legibus, & statutis reuerentiam præstare. De Deo cœlestium principum æternante principatum sic dicebat Paul. ad Ephes. cap. 1. *Et constituens Iesum in cœlestibus super omnium principatum, & potestates, &c.* Et quando Iesum constituit Deus in cœlestibus, vt eius nutui omnes Principatus pareant, an fecit hoc, vt principatus cœlestium ciuium euacuaret? Absit, imò nunquam firmiùs æternantur principatus, quàm vbi sub legibus sciunt ambulare. Pulchrè ad hæc D. Bern. lib. 5. de consideratione ad Eugen. fatur: *Quid hoc ad summum, sempiternum, singulareque dominium? Præsunt Principatus, & regunt, sed reguntur & ipsi: ita vt regere iam non norint, si regi desierint.* Expende vnde D. Bernard. commendet, & summum, & singulare, & sempiternum dominium, nimirum, ex eo, quia principatus regi sciant, & sub legibus viuere. Et quando finietur regnum, cuius princeps nulli vrbanitatis, humanitatis, aut honestatis legi se subducit.

(Margin: 1. Mach. 8. — Paul. Oros. — Ad Eph. — D. Bern.)

§. XXXVII.

Ille aptus imperio, qui domesticas rectè administrat curas.

Ecce tibi Moyses electus in tanti populi principem, adhuc in soceri domum pergit, eiusque licentiam solicitat; vxorem suam, filiosque suos conuenit, eosque sic accommodat, vt possint proficisci. Ait enim: *Tulitque Moyses vxorem suam, & filios suos, & imposuit eos super asinum.* Non abstulit virum regale munus à domesticis curis, quin potiùs vbi ad imperatoriam functionem eligebatur, nil prius curat quàm

quàm res domesticas aptare, vxori, liberisque prospicere, in eo enim maxime ostenditur regale ingenium ad publicas curas, si quis sciat domesticis rebus iustâ impendere curam. De Ioseph ad Aegyptiorũ regnũ destinato a Deo, ait Gen. 49. vt fuerit venditus à fratribus, vt emptus ab Ismaelitis, vt ductus in Aegyptum, vt ibi iterum emptus a Putiphare, apud quem maximam gratiam inuenerit; imò *à quo præpositus omnibus gubernabat creditam sibi domum, &c.* Ecce tibi qui ducebatur in regale munus, vt prius detineretur, sic Deo prouidente, in domus administratione. Ille enim præclarus ostenditur ad regni administrationem, qui in domesticis curis probatur optimus. Pulchrè ait Philo lib. de Ioseph: *Ergo in specie ab emptore suo domus præfectus est, reuera autem à natura conciliante illi magna genus, ac regionis principatum. Oportebat enim futurum administratorem Reipublicæ praexerceri in rebus œconomicis, nam domus est parua quædam ciuitas, & œconomia compendiaria Respublica. Vnde facilè discimus eundem esse aptum, & dispensationi domesticæ, & administrationi publicæ.* Ridendus sane est, qui cum nesciat domesticas subire curas, sese publicis ingerit. Imo irridendus est, qui cum quatuor filiorum, & totidem ancillarum quoquam norit disponere gressus, festinet, vt commeatum disponat exercitibus; cum nulla lege sciuerit tenere domesticos, præsumat amplissimæ Monarchiæ dare iura. Cum semper substantiolam domesticam ære alieno pressam tenuerit, iactet se imperio æris alieni leuamen allaturum. Cum debita propria nulli soluat, amet haberi hominem, qui neminem in regno pati velit iniuriam. Cum nunquam domui suæ, vel obolum acquisiuerit, sed dilapidata omnia domestica ostendat, in consilia de augendis, ampliandisque regnis velit venire. Oportet equidem præexerceri in rebus œconomicis, & strenuum se ostendere in domestica administratione, qui vult aptus haberi ad regalia muneta subeunda. Hinc Ezechiæ lethaliter languenti ait Isaias cap. 38. ea Dei nomine: *Dispone domus tuæ; morieris enim tu;* & quidem regi maximo in primis consulendum erat, quod disponeret regno, & id præcipue mandandum erat Ezechiæ, qui cum filium non haberet, nisi clarè, & apertè omnia circa regni successionem, & administrationem reliquisset, non parua orirentur regno incommoda. Id quod notat Abul. 4. Reg. 10. quæst. 4. Cur ergo Isaias regi moribundo nihil de regni dispositione mandat, sed de domus dispositione? Hoc est primum, & principale in homine, quod sciat prospicere domui domesticisque rebus consulere optimè; qui hæc sciat, non eget moueri de regno, illud enim quam aptissime tractabit, disponet. Fallar enim, si qui dolet in perditione domus, & gaudeat in eius reparatione, non magis doleat in regni perditione, & magis gaudeat in eius reparatione. Rex Niniue cum tota curia sua ad vocem Ionæ contremuit, & misere lugebat regni perditionem; Ionas autem, qui totam illam calamitatem induxerat, nihil patiebatur humanum in tanti regni perditione. Quid tunc? Ex virentibus cuiusdam fruticis foliis tuguriolum sibi inuenerat Ionas, sub quo securus iacebat contra solis ardores. At Deus præparauit vermem, qui tugurioli hederam roderet, *& percussit hederam, & exaruit.* Et cur Deus, qui feceras prophetæ tuo tuguriolum ex hedera, tam subito illud perdis? Si destructurus illud eras adeo breui, cur illud ædificaueras? Præparabat Dominus Ionam in Saluatorem regni Niniuitarum, & cum videret hominem nudum sine domo, in primis extemporaneam illi domum de hedera fabricauit, quam statim perdidit, vt in variis proprij tugurioli successibus speculum haberet, vnde disceret & condolere, & prospicere regno, & ciuitati Niniuitarum. Ait D. Ephrem ad Ionam legens pro hedera cucurbitam: *Figuram, & vmbram tibi viuæ ciuitatis præbeo in cucurbita arefacta. Cucurbita tibi nunc loco magistri efficitur, ex qua sapientiam, & prudentiam addisce. Tugurium tuum sit speculum ciuitatis. Tugurium absconsum quæris, & vrbem funditus euertis? Vbi rectum iudicium tuum?* Non moueatis quod Ionæ detur domus ex cucurbitarum foliis compacta; quæcumque enim domus sit, licet parua, licet vilis, summum habet magisterium, vt ex eius administratione discat homo, qualis futurus sit in administratione ciuitatum. Scitè enim dicitur illud, *Tugurium tuum sit speculum ciuitatis;* nequit enim iudicium esse in homine illo, qui cum domui propriæ augendæ incumbat, totus sit in minuendis ciuitatibus; cum iuste domui propriæ implendæ bonis, multus sit in regnis euacuandis. O bone, tugurium tuum sit speculum ciuitatis. Disce in domo tua, qualiter es administraturus ciuitates. Quod si nec in domo tua scis præcauere mala, firmare bona, neque ad regni administrationem aliquid vales. Illud optime obseruatum à Paulo, dum 1. ad Timot. 4. ait: *Si quis autem domui suæ præesse nescit: & quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* Quibus & ego addiderim, quod si quis domus suæ rectè præest, & longe aliter in administratione publica agit, is rectum iudicium non habet.

Philo. Isai. 38. D. Ephr. 1. Tim. 4.

§. XXXVIII.

Eo sint homines animo, vt si aliqua vi disiungi cogantur, hac ablata facilè, & promptè redeant ad primam vnitatem.

Ecce tibi quàm paucis Dominus Moysi reditum ad suos persuadeat; *Vade, & reuertere in Ægyptum, mortui sunt enim omnes, qui quærebãt animam tuam.* Coactus fuerat Moyses abire à suis metu mortis per Pharaonem sibi intentatæ; nunc Dominus vt reditum persuadeat, hoc vnũ proponit, quod mortuo rege, omnis abiit periculi occasio. Et cur aliam etiam vrgentiorem rationem nõ addidit? Eo erat Moyses in suos animo, vt ablato impedimento, citissime ad illos remearet. Et vtinam omnes induerent erga proximos hunc animum, vt impedimento ablato, in eorum currerent vnionem & charitatem. Quo respiciens Deus populos hominum per aquas designabat, Apoc. 17. *Aquæ, quas vidisti, populi sunt.* Et cur populi designantur in aquis? Aquæ si per aliquam vim diuidantur, hoc habent, vt vi ablata, facili negotio ad suam pristinam redeant vnitatem. Exodi cap. 14. iubebat Dominus Moysi: *Tu autem eleua virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & diuide illud.* Quod & factum est, eleuãte enim Moyse virgam, & extendente manũ, mare diuisum est, vt pertransiret Israel; tunc iterum ait Dominus ad Moysem: *Extende manum tuam super mare, vt reuertantur aquæ, &c.* Vt diuiderentur aquæ, & virga, & manus Moysis eleuatur, vt aquæ reuertantur, nihil de virga dicitur, sed sola manus extendi mãdatur, ea est namque natura aquarum, quæ vt diuidatur vel virgæ ictibus eget; vt autem in primam vnionem reuertatur, solum indiget, vt causa diuisionis non appareat. Quò spectabat Nazianz. orat. 3. fatus: *Mare, tum ad virgæ ictum cidens, tunc ad sermonem rursus coiens.* In tantum durauit diuisio aquarum, in quantum virgæ percussio apparuit; vbi hæc cessauit, rursus aquæ ad sermonem coiere. Sed vt coirent rursus aquæ, nullum sermonem fecit Moyses, sed tantum extendit manum: ad qualem ergo sermonem coierunt? Coierunt equidem ad sermonem, non ad sermonem à Moyse prolatum, sed ad sermonem dictum à Deo in prima conditione aquarum, vbi dixit Gen. 1. *Congregentur aquæ.* Quippe ait Elias Creteus. Nazianzenum explicans: *quod autem aqua rursus ad suum locum curreret, & confluerent, id vero natura aquæ erat, at sermonis ab ipso ipsi ab artifice Verbo dicti.* Sic verba vnionis à Deo aquis antiquitus data conseruabantur sculpta naturæ earum, vt non egeant alio aquæ ad hoc, vt sese vniant, & congregent in vnum, nisi vt impedimentum tollatur. In quo præclare ostenditur fidelium populorum præstantia, qui quidem vt diuidantur, multa opus est violentia; at vt ad concordiam reducantur, dum violentia absit, sufficit vel verbulum a Deo datum.

Apoc. 7. Exod. 14. Nazian. Nazian.

Exod. 4. Dixitque ei Dominus reuertẽti in Ægyptum; Vide, vt omnia ostenta, quæ posui in manu tua, facias coram Pharaone: ego indurabo cor eius, & non dimittet populum. Dicesque ad eum: Hæc dicit Dominus: Filius meus primogenitus Israel. Dixi tibi: Dimitte filium meum, vt seruiat mihi: & noluisti dimittere eum, ecce ego interficiam filium tuum primogenitum.

§. XXXIX.

Post perfectas vniuersas diligentias in quolibet effectu quiescendum tibi est.

Monetur Moyses, vt perficiat omnia, quæ ad molliendum Pharaonis animum inuenta sunt, nec vlli elemento parcat, sed omnia turbet, omnia commoueat, & portentis impleat, *Vide, vt omnia ostenta, quæ posui in manu tua, facias coram Pharaone.* Et quid inde? *Ego indurabo cor Pharaonis,* Deo submouente plura auxilia, & habenas contrariis

Exod.

affectibus permittonto in Pharaone, indurabitur cor eius, ne populum dimittat. Et quando indurandus est Pharao, ne quid boni fiat, cur sic præmonetur Moyses, vt omnia ostenta perficiat coram illo; vt nihil prætermittat eorum, quibus posset emollire Pharaonis animum? Sicne amat Dominus Moysem affligere, vocans illum ad opera, quæ simul ostenduntur frustranea? Absit; non enim hoc mandatum Dei est affligentis Moysem, sed erudientis, vt quis debet esse promptus & exactus in adimpletione omnium, quæ ad se pertinent, pro bono aliquo præstando, in effectu autem, quicumque ille fuerit, æque se conformet Dei voluntati, quin velit aliud. Rem sanctissimè ab Isaaco videbis peractam Gen. 27. Is amabat filium suum Esau natu maximum, cui vt primogenij benedictionem donaret, quid non fecit? Vocat hominem, petit de eius manu captam venationem, vt manducet; quam vbi sibi allatam celeriter sensit, fallaciam suspicatus tentat afferentis manus, & colla, ora osculatur, vt vestimentorum odorem captet, post quæ omnia, animaduertens non Esau, sed Iacobum fuisse benedictum; ait ad dolentem Esau: *Benedixi ei, & erit benedictus*, cur hoc, non magis factum reuocas, quando euentum vides tuis diligentiis, & curis prorsus contrarium? Sancti viri hoc curant, vt nulla diligentiarum prætermittatur pro bono aliquo, siue habendo, siue præstando: post omnes autem diligentias impletas, in quouis effectu secuto, licet contrarius sit, æque sese conformant Dei voluntati, nihil aliud amantes. Sic in præsenti de Isaaco dicebat Theod. in cat. Græca: *Deceptus enim, quando minime decipi credebat; siquidem omnium rerum periculum faciens, ita vt manibus etiam iuuenem attrectaret, nihil tamen cognitus insidiis immutare voluit.* Quid sanctius? Quæ ad se pertinebant diligentiarum nullam prætermiserat, pro benedicendo filio natu maximo, post illas vniuersas completas se noscens effectu frustratum prorsus quieuit in effectu adeo contrario; nec quid facere voluit pro illo immutando. Quò spectat illud Ieremiæ cap. 51. vbi dicitur: *Subito cecidit Babylon, & contrita est: vlulate super eam, tollite resinam ad dolorem eius, si forte sanetur. Curauimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam, & eamus vnusquisque in terram nostram.* Vox est hæc Angelorum custodum, quibus credita erat Babylonis reprobæ curatio, & quibus iniuncta fuit impositio malagmatum. Instant illi curationi, nullam prætermittunt diligentiam, nulli officio parcunt, videntes autem frustratos labores suos, clamant. *Curauimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam, & eamus, &c.* Cur non magis dolent in perditione ciuitatis tantæ? Cur non magis perditam operam plangunt? Cur sic abeunt, quasi nihil euenisset mali? Ad illos non pertinebat effectus sequendus, sed diligentia præstanda: vbi autem omnia artis, & medicinæ remedia præstiterunt, nihilque in suis diligentiis defectuosum, aut criminosum habent æque in effectu contrario lætantes, in sua abeunt. Id explicatius proponit Orig. hom. 2. in Hierem. fatus: *Non scientiam artis sua, neque resinæ vim criminantur Angeli, sed vident se operam perdere, cum loquuntur inuicem, & dicunt. Relinquamus eam, & abeamus vnusquisque in terram suam, hoc est, credita nobis est à Deo medicina, vt animam curemus humanam, adhibuimus adiutorium, medicinam imposuimus, studium nostrum non sequitur effectus. Relinquamus eam. &c.* Expende illud: *Studium nostrum non sequitur effectum*, non detrectant sapientissimi Angeli ea fateri, quibus labores suos ostendant effectu frustratos; quando enim nullum defectum in suis diligentiis verentur, quod effectus aliter eueniat, nihil ad eos attinet.

Theod. — *Ier. 51.* — *Orig.*

§. XL.

Nemo primus in aliquo facinore apud Deum fuit, qui aliqua excellentia non notetur.

VIde vt pro Israele adstet Dominus, cuius libertatem petit, cuius persecutoribus mortem minatur, & vnde Israel tantum protectorem, & saluatorem meruit? Ipse ait: *Filius meus primogenitus Israel, &c.* Nullus ante Israelem populus diuinas accepit leges; ipse primus fuit, qui diuinis initiatus Sacramentis sese ab aliis in diuinum peculium secreuit. Et merito vt fuit primus in Dei signo accipiendo, sic singularem excellentiam ex Deo meruit, quando nullus est primus in aliqua virtute ex Deo, qui etiam non insignatur aliqua excellentia. Matth. 1. vbi Iesu progenitores recensentur, ait textus. *Iesse autem genuit Dauid regem. Dauid autem rex genuit Salomonem, ex ea quæ fuit Vriæ. Salomon autem, &c.* Sed & Matth. 23. ait Dominus ad Iudæos: *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine iusti Abel, vsque ad sanguinem Zachariæ, &c.* In primo vnus Dauid dicitur rex, & cum Salomon longe præstantius regnum obtinuerit, rex minimè dicitur. In secundo etiam vnus Abel iustus nominatur, & cum Zacharias propter iustitiam occubuerit, non accipit nomen iusti. Et cur præ Salomone Dauid rex, & præ Zacharia Abel iustus nominatur, tantoque vocabulo insignitur: Ille primus ad regnum, & Abel primus ad martyrium venit, ex quo in gloriosiores deuenerunt titulos. Ait D. August. lib. 1. de Mirabilibus sacræ scripturæ cap. 3. *Iesse autem genuit Dauid regem. Dauid autem rex genuit Salomonem: cui non additur, regem, cum Salomon patris regno teneret maius imperium. Sed ex hoc intelligitur patris sui Dauid regnum Salomon hæreditario iure possidere, & ad Dauidem honorem regni plus pertinere; quod & Abel in iustitia hominum primatum tenuit, quod primus in terra iustus fieri cœpit.* Qui primi in aliqua virtute Deum vocantem sequuntur, ij proculdubio præ cæteris debent præstantiori aliquo insigniri titulo. Quis enim apud Deum primus venit in virtute, & aliquid non recepit insigne? Ex Ioann. 20. habes Magdalenam docentem discipulos, quod Dominus resurrexerit, ait enim: *Venit Maria Magdalene annuntians discipulis, Quia vidi Dominum.* Quod notans D. Cyril. Alexand. lib. 12. in Ioann. cap. 52. fatur: *Curatur mulierum infirmitas misericordia Domini, qui Magdalenam resurrectionis nuntiam fecit, ac primitiis Euangelij discipulis prædicare misit.* Vt sapiens Doctor vidit in mulieris ore primum resurrectionis nuntium, statim credidit totam mulierum infirmitatem curatam fuisse. Hoc fecit Deus, vt mulierum infirmitati prospiceret, dedit mulieri, quod prima Iesum videret suscitatum, quod prima resurrectionis proferret nuntium, quo in muliebri genere nihil non apparuit & præcellens, & illustre. Recens natum Iesum prima Ægyptus suscepit, vt defenderet; sic enim habet Matth. 2. *Accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Et quis numeret ex tunc glorias Aegypti, quod susceperit, & defenderit Iesum prima? Ait D. Chrys. hom. 8. in Matth. *Ægyptus suscipit, ac tuetur insidiis fugientem tyranni. Namque tactu ipse Domini gustum quendam sanctificationis adipiscitur: vt cum illum audierit ab Apostolis prædicari, huius quasi priuilegij honore decoretur, quod Dominum prima susceperit. Denique si quis nunc ad Ægypti veniat solitudines, paradiso prorsus omnem illam eremum videbit digniorem, & innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus, & populos martyrum, & choros virginum, & omnem diaboli tyrannidem solutam, & regnum Christi coruscans.* Pergit sanctus vir Diuus Chrysostomus glorias Aegypti recensens, ex quo prima & suscepit Iesum, & defendit; nunquam enim primus ad aliquam virtutem venies sine lucro ingenti. Quo refero dicta supra tom. 1. in verus testam. lib. 1. cap. 3. §. 6. & lib. 4. cap. 1. §. 45.

Matth. 1. — *Matth. 23.* — *August.* — *D. Cyr. Al.* — *Matt. 2.* — *Chrysost.*

§. XLI.

Temporalia bona, quo priùs florent, eo citiùs euanescunt.

ILlud maximè notandum est in præsenti, quod carnalis, & temporalis populus dicatur filius Dei primogenitus. *Hæc enim dicit Dominus: Filius meus primogenitus Israel.* Et quidem ante Israelem fuerunt Sethi filij, qui pleno ore vocabantur filij Dei. Habes enim Gen. 6. *Videntes filij Dei, &c.* vbi August. Theodoretus, Chrysost. in filiis Dei filios Seth intelligunt; de quibus ait Gennadius in cat. Lipp. *Filios Dei filios Seth esse ego arbitror, vtpote ergo quos ipse affectum paternum, & curam singulariter ostenderit. Quales, & Iacob & posteri dici possunt, ait enim apud Isaiam, Filios enutriui, & exaltaui.* Quando ergo Sethi filij ante Israelitas iam vocabantur filij Dei, cur Deus maluit & nomen, & bona primogenituræ Israelitis attribuere, inquiens, *Filius meus primogenitus Israel?* Sanè maluit primogenituram Israeli & carnali populo, & perituro; vt ostenderet, quam paruæ fœlicitatis sit carnali homini, quod in suis bonis ferat primas, quando ad temporalia bona, quo priùs accedit quis, eo etiam priùs discedit ab illis. Quò forte spectabat D. Zeno ser. 40. de Iudæis inquiens: *Deus Israeli ducatum præbuit, idem à sua eum facie postmodum abiecit.* Fuit primogenitus Dei Israelita, sed quo priùs annumeratus est inter Dei filios, inter excipiendos fauores diuinos, eo priùs decidit ab omnibus illis. Similiter primam mundi Monarchiam dedit Dominus Assyriis, ait enim Gen. 10. *Porro Chus genuit Nemrod: ipso*

Genes. 6. — *Zeno.* — *Gen. 10.*

ipse cœpit esse potens in terra. Fuit autem principium regni eius Babylon. &c. Sic Babylone cœperunt mortales sibi regna statuere, leges condere, populos subiugare, & eo peruenit regalis tyrannis, vt etiam populum Dei Israelem captiuum traheret. Tunc Dominus Isaiæ 43. *Propter vos misi in Babylonem & detraxi vectes vniuersos, & Chaldæos in nauibus suis gloriantes.* Quibus ruina Babylonis, & totius Monarchiæ Assyriorum per Cyrum facta explicatur, vbi, & muri solo æquati sunt, & portæ detractæ, & ciuitas euersa, & totum Assyrium nomen euanuit. Sed illud venit maximè ponderandum; quod vt Deus eriperet suos ab Ægypto, perdidit quidem exercitum Ægyptiorum, non tamen illorum Regiam euertit, nec transtulit. Vt autem erueret eos ab Assyriorum tyrannide, non solum perdidit exercitum, sed & Regiam, & totum imperium eorum de terra erasit. Cur non Ægyptus, sed Assyrius funditus interiit in Israelitarum libertate? Debebatur Assyriis hæc perditio, qui vt primi ad regnum euolauerant, sic primi erant in exitium extremum deturbandi. Ait Paulus Oros. lib. 2. cap. 6. Babylonis ruinam demiratus: *Exaggerare hoc loco mutabilium rerum mutabiles status non opus est; quicquid enim est opera manu factum labi, & consumi vetustate, Babylon capta confirmat, cuius vt primum imperium, ac potentissimum extitit, ita & primum cessit.* Quid euidentius in mortalium vita? Æquali cursu in bona, & in interitum ruitur; quem gradum facis in curriculo fœlicitatis, similem necessum est, vt facias in excidij curriculo; ne tibi obblandiaris quod prior in bona venisti, quando qui prior in bonis, & prior solet esse in excidio. Iobo dicebat postremus nuntius cap. 1. *Filiis tuis, & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt.* Vide quæ domus extremam calamitatem excipiat, nimirum domus primogeniti fratris. Equidem vniuersi filij faciebant conuiuia, vnusquisque in domo sua, & in die sua; cur ergo non alterius, sed primogeniti domus excepit ruinam, nisi quia debuit, qui prior in bona venit, & prior patere fini?

Isaiæ 43. *Pau. Or.* *Iob 1.*

Exod. 4. Cumque esset in itinere, in diuersorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eũ. Tulit illico Sephora acutissimam petram, & circuncidit præputium filij sui, tetigitque pedes eius, & ait: Sponsus sanguinum tu mihi es. Et dimisit eum, postquam dixerat, Sponsus sanguinum tu mihi es, ob circumcisionem.

§. XLII.

Qui Deum, vt par est, veretur, nihil aliud vereri sciet.

QVem in Ægyptum trahebat Dominus, venientem inuadit, vt eum occidat, sic enim textus: *Volebat occidere eum,* nimirum, *Moysem*, vt melior sententia tulit. Cur Domine interfectionem moliris eunti ad complendum munus commissum? Cur te adeo terribilem ostendis viro, qui in Ægyptũ properat, vt tuum imperium adimpleat? Sapientissime Deus se terribilem ostendit Moysi, & eunti, & Pharaoni verenti, vt Dei ira territus, Deumque terribilem veritus, nihil inde possit vereri in creaturis. Ait Diodorus in cat. Lippom. *Id totum factum est, vt Moyses, qui Pharaonis timore correptus erat, adeo vt mittenti se Deo diceret: Obsecro Domine mitte alium, quem missurus es, tanquam ab Angelo interficiendus, mortis suæ discrimen, quam euaserat, secum in mente circumferret, & timor vehemens, quem illi Angelus incusserat, Pharaonis timorem, vt clauus clauum truderet.* Et quis timens Deum, vt par est, aliud timere, aut vereri sciat? Hoc cura homo vt tibi ob oculos sit Dei terribilis ira, & fallar, si possis aliorum vereri vel rabidissimam iram. Nota est historia Eunuchi Candacis Reginæ, qui dum imbueretur mysteriis Fidei à Philippo, venit ad aquæ lacum, cuius conspectu vehementer appetiuit baptismum. Quid tunc? Actor. 8. *Descenderunt vterque in aquã, Eunuchus, & Philippus, & baptizauit eum.* Et cur Eunuchus magnus Reginæ princeps non magis veretur nudare se coram seruis, vt baptismum susciperet? Pulchrè Dionys. Carth. ait: *Eunuchus magnam familiam habuit, nec tamen coram illis se nudare, ac lauare erubuit, dum coram Deo de propriis verecundabatur peccatis.* Vbi cœpit coram Deo peccata sua videre, quæ iram merebantur diuinam, eum concepit horrorem, & timorem, quibus nil aliud horrere, aut timere sciuerit. Vtinam & nos terribilem Dei iram nostris culpis respondentem videamus; in illum horrorem & verecundiam veniemus, quibus nihil aliud timeamus, vereamur.

Diodor. *Actor. 8.* *Dionys.*

§. XLIII.

Vt Mariæ puritas originalis adstruatur.

PRoficiscens cum vxore, & liberis in Ægyptum Moyses ad eruendos Israelitas de captiuitate, merito in Angelum incurrit, qui *volebat occidere eum.* Quis enim crederet alios eruendos à captiuitate per illum, à quo & vxor propria, & liberi ferebantur in seruitutis locum? Imo ipse Moyses ferens vxorem in Aegyptum videbatur non credere, sibi inde proficiscendum, propter quod male audiebat apud Deum. Id quod notans Euseb. Cæsariensis apud Lippom. ait: *Propterea Angelus Moysem interficere volebat, quod secum vxorem ac liberos ferret, quasi egressionem ex Ægypto minimè crederet.* Speciem profecto non credentis egressionem ex Aegypto præseferebat, qui illuc totam familiam, & vxorem ipsam ducebat. Si enim firmiter crederet, quod inde egressurus erat, & extracturus populum suum vniuersum, minime permitteret illo ire in locum seruitutis vxorem suam dilectam. Quid plura? Hac eadem fortissima ratione conuincor putare Mariam & filiam, & matrem, & sponsam Dei minime permissam esse venire in originariæ seruitutis stemma. Quando enim Deus veniebat in mundum, vt diaboli imperium confringeret, & homines ab eius seruitute erueret; vix credi potest, ab hoc vindice, & liberatore captiuorum permissum fuisse matrem, & filiam, & sponsam suam captiuitatem incurrere. Sponsus Mariæ erat, qui diaboli vacuabat imperia, qui seruitutis diabolicæ iura rescindebat, qui eo ipso, quod talia, ac tanta peragebat, & extracturus erat à seruitute homines vniuersos, profecto minime fineret, quod eius sponsa, & filia seruitutem videret. Quò spectat illud Psalm. 18. *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedit de thalamo suo.* Expende connexionem illam, & coniunctionem Dei orientis ex Maria tanquam sponsi, & facientis tabernaculum suum instar Solis. Quam tabernaculum solari iubari simile perfecit, ex illa tanquam sponsus processit. Et quid est in Sole, in quo vbi Maria Soli assimilata est, statim Deus tanquam verus, & perfectus sponsus inde exoritur? Rem attigit D. Nazianzen. orat. 43. fatur: *Cum in aliis rebus hanc rationem tenuisset Deus, vt materiam prius conderet, ac deinde eam forma conuestiret, hic, vt maioris cuiusdam miraculi specimen ederet, formam materia priorem protulit, (forma enim Solis lumen est,) ac postea materiam induxit, Solem hunc, nimirum, dei oculum fabricatus.* Formauit equidem Deus cœlum rude, & terram informem, inanem & vacuam, nulla pulchritudine exornatam; & postmodum pulcherrimorum accidentium formis omnia conuestiuit. At in Solis formatione longe aliter se gessit, vtpote maioris miraculi specimen editurus; in primis enim produxit formam solis, nempe lucem, dicens Gen. 1. *Fiat lux;* ne obscuritas corporis solaris anteuerteret pulchritudinem luminis, sed cum crearetur, iam anteriore luce gauderet. Hoc erat specimen maioris miraculi facti in formatione Mariæ; cum enim omnes alij informes nascerentur, prius que in illis vitiata appareret natura, quam gratiæ splendorem induerent: in Maria longè aliter factum est: nam, vt loquitur D. Damasc. orat. 1. de Mariæ natiuitate; *natura gratiæ fœtum anteuertere minimè ausa est; verum tantisper expectauit, dum gratia fructum suum produxisset.* In hoc, & Solis, & Mariæ formationes similes factæ sunt; in neutris anteuertit formæ splendorem vitium naturæ, sed in vtrisque non antea corporea moles fuit, quàm sub splendenti forma luxissent, ne pateretur Mariæ natura aliquid triste, aliquod diabolicæ captiuitatis insigne, in quo instar perfectissimi sponsi se gessit Christus, qui vt veniebat homines eruturus à mortis vmbra, sic non passus est sponsam in talem vmbram venire. Hinc Mariæ præseruatio à diaboli captiuitate fecit, vt Deus ex illa tanquam verus, & perfectus sponsus appareat. Eò spectabat D. Basil. Sel. orat. 3. *Vnigenitus Dei contrariis medicamentis curans vulnera, de homine corpus, in quod se insinuaret, delibauit, & secundum Adamum sibi circumiecit. Paradisi solitudinem obiecit, serpentinæ fraudis trophæum, quod per hominem contra diabolum statuit, Euæ virginem, & innuptam puellam, quæ sponsam generauit immortalem.* Expende illa, *quæ sponsum generauit, &c.*

Euseb. *Psal. 18.* *Nazian.* *Damasc.* *Basil. Sel.*

Vsitatius diceret, quæ filium generauit immortalem, cur relicto vsitatiori filij agnomine sponsum dicere maluit? Commune erat, quod mater filiū generaret, ideo in Maria aliquid magis nouum, & singulare spectauit, nimirum quod ipsa ab omni macula libera liberatorem mundi perfectum suum sponsum faceret. In quo maximè ostenditur Euæ contraria; dum enim Eua Adamum traxit in peccatum, illum simul pessimum ostendit sponsum, vt qui videns vxorem præcipitari in mortem, & seruitutem diaboli, præcipitationi eius consenserit. Quid magis alienum à bono sponso? Sed fecit hoc Euæ persuasio; at Maria dum non permittitur à filio ire in communem hominum calamitatem, rectè dicitur peperisse sponsum immortalem, quando ex eius libertate, & indemnitate præclarus sic sponsus Christus apparuit.

§. XLIV.

Præstantes virtute viri ob errores duriùs à Deo tractari solent.

VT liberaret virum à morte Sephora arrepto gladio filium circumcidit, quippe ait: *Tulit illico Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filij sui, &c.* Quando ergo propter circumcisionem filij liberatur à morte Moyses, clare ostenditur ideo in periculum mortis venisse, quia filium haberet incircumcisum. Sed qui tantus erat, vt mereretur accipere Dei visionem in rubo, & eligi in Israelis liberatorem, & principem, cur statim ad mortem vocatur propter omissam circumcisionem filij? Cur non magis dissimulat Deus errorem in præstantissimo viro? Equidem solent præstantes virtute viri duriorem Dei manum ob errores suos experiri. Id fatetur D. August. in præsenti, quæst. 16. veteris testamenti iam à me explicata. Similiter Act. 4. vbi Ananias, & Saphira parum defraudarunt de ingenti agri pretio, quem vendiderant, & pauperibus distribuerant, vbi res peruenit ad Petrum, & ipse hominem duris verbis exciperet: *Audiens Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit.* Et longè iis nequior Simon Magus, qui Dei dona spiritualia vendere amabat, factus author simoniæ, cui tamē dicit Petrus Actor. 8. *Non est tibi pars, neque sors in sermone isto, cor enim tuum non est rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum.* Itaque pessimus homo Simon Magus liber euadit in Petri tribunali, nulla plaga percussus, sed solum monetur, vt pœnitentiam agat: Ananias autem multis clarus externis virtutibus, qui ingentia bona pauperibus fuerat elargitus propter Christum, is tantus ac talis vir propter aliquale pecuniæ furtum statim plectitur, & occisus decumbit. Cur non magis Simon Magus interficitur? Cur in solum hominem fidelem Ananiam Petrus sic durus existit? Rem attigit Oecumenius ibi fatus: *Considera verò & hoc, quomodo ad familiares vehementer afficiantur. Etenim nolunt eos, qui spiritualem gratiam adepti sunt, ac suam conuersationem, fures, ac sacrilegos esse. In extraneis autem non sunt vsi supplicio, &c.* Hoc proprium solet esse diuini spiritus, quod erga extraneos mirificè patiens sit, etiamsi videat illos multo fœdatos crimine, verùm eos, qui spiritualibus donis fulgent, duriter punit, si quod flagitium committant. Hinc etiam Petrus 2. epist. 2. memorans pristini sæculi supplicia ait: *Nam si Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in iudicium reseruari, &c.* Et vbi tot suppetebant hominum supplicia, cur in primis maluit Angelos præuaricatores castigatos meminisse? Ait Oecumen. ibi: *Non autem temere à præstantioribus aggreditur, sed ostendere volens, quod hi dum peccant, magis obnoxij sunt supplicio.* Hoc timeant in erroribus suis præstantes viri, quod soleant per illos certiori patere supplicio. Matth. 18. qui decem millia talenta debebat, accessit ad regem cœlestem, & veniam petiuit. Quid tunc rex? *Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.* Sed & Luc. 19. qui vnum talentum acceperat, & integrum seruarat, nec minimum illius perdiderat, male apud regem audit, eo quod non afferebat vsuras. *Serue nequam, quare non dedisti pecuniam meam ad mensam?* Hic tanta seueritas percutit eum qui nihil perdiderat, eo quod non negotiatus fuerat, illic tanta miseratio excipit, qui tot dilapidarat talenta. Vnde hoc? Chrysost. hom. 5. de Pœnit. *Debitori decem millium talentorum vniuersa dimisit, à iusto vero & vsuras repetere promittit. Quibusdam quidem multa dimittit peccata quasi inimicis, quibusdam vero & minima exacta de minimis etiam quærit, nihil hic ad perfectionem deficere volens.* Sic in iustos magis solet animaduertere ob leuissima

Actor. 8.

Petrus.

Luc. 19.

Chrysost.

Exod. 4. Dixit autem Dominus ad Aaron: Vade in occursum Moysi in desertum. Qui perrexit obuiam ei in montem Dei, & osculatus est eum. Narrauitque Moyses Aaron omnia verba Domini, pro quibus miserat eum, & signa, quæ mandauerat. Veneruntque simul, & congregauerunt cunctos seniores filiorum Israel.

§. XLV.

Angelorum auxilium tunc nobis euidentius datur, cùm vel mala adsunt, vel pericula imminent.

PRoperanti ad Pharaonis conspectum Moysi frater Aaron mittitur in auxilium: *Dixit autem Dominus ad Aaron. Vade in occursum Moysi in desertū, &c.* Antea promiserat Deus Moysi fratris auxilium, nunc non solum promittit, sed & de facto exhibet. Et cur adeo festinat Deus fratris exhibere auxilium Moysi, nonne sufficeret, quòd staret promissis de illo præstādo in Pharaonis congressu? Cur antequam Pharaonem videat, iam fratris vidit auxilium? Erat Moyses in deserto à suis destitutus, ingentibus periculis vicinus, magno timore perculsus, & ideo placuit Deo, tunc illi ob oculos ponere fratris auxilium vt fortior, & audentior fieret. Sic vbi nos mala circunstant, vbi magis instant pericula, euidentiùs sentimus fraternum auxilium per Angelos nobis à Deo exhibitum. Ait in præsenti D. Nissen. de vita Moysis. *Diuinum patrocinium tunc apertissimè apparet, cùm nos molestiori vitæ tradiderimus, ac pro zelo fidei, & virtutis certamina suscepimus grauiora. Tunc hominis manifestius fratris adminicula vndique apparent, secum aduersus hostes armati, frater enim quodam modo hominis animo Angelus est, qui tunc maximè nobis assistere videtur, cum Pharaoni appropinquamus.* Nullus equidem homo est, cui fraternum Angelorum auxilium desit, at illi, qui pro Deo, & virtute mala sustinent, multaque in pericula decidunt, hi euidentissimè tale auxilium, & patrocinium experiuntur. Erat Petrus vinctus in carcere Herodis Actor. cap. 12. & quadam nocte dum inter vincula dormiret, *Ecce Angelus Domini astitit, & lumen refulsit in habitaculo: percussoque latere Petri, excitauit eum dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius. Dixit autem Angelus ad eum, Præcingere, & calcea te caligas tuas. Et fecit sic Et dixit illi: Circūda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et exiens sequebatur eum; Et exeuntes processerunt vicum vnum, & continuo discessit ab eo.* Et quando dicitur Angelus discessisse, non credendus est, quod localiter discesserit: cum enim is custos est Petri, ei à primo natiuitatis puncto addictus, vt putat Gerson relatus à nostro Lorino in præsenti, non deseruit Petrum, sed illi etiam tunc inuisibiliter affuit, ab illo tantum externo habitu, & lumine, sub quo apparuerat primò, separatus. Sed quando Angelus modò inuisibiliter Petro aderat, illumque in omnibus comitabatur, & cur antea non etiam inuisibiliter affuit, & catenas sustulit, & hominem impulit, vt exiret? Cur maluit in carcere cum tanto lumine visibilis apparere, vt vinctum solueret, & solutum duceret, & postea hæc externa despiciens, in solis inuisibilibus auxiliis præstandis durare? Post egressionem è carcere cum iam Petrus esset suis vicinus, inter quos latere posset, & sic defendi, vt tam grauia pericula non instarent, merito Angelus ab exhibendis externis, & visibilibus auxiliis discessit: cum autem erat in carcere duabus catenis constrictus inter quatuor milites positus, vt possit certius ad mortem reseruari: tunc sub multo lumine Angelus apparuit, vt euidentissimè, & apertissimè posset Petrus experiri fraternum auxilium sui Angeli. Quò spectans D. Chrysost. hom. 26. in Acta fatur: *En sanè, quæ in carcere gesta erant, magis mirabilia erant, hoc autem iam humanius: recedit enim Angelus cum nihil prohiberet.* Cum carcer, cum milites, cum catenæ prohibebant exitum Petri, & auxiliatoris aditum, accessit visibilis, & refulgens Angelus: sæpe enim in magnis periculis apertissimè Angelorum auxilium adest, vbi autem non carcer, nec catenæ, nec milites prohibentes erant, sed res humaniùs agebatur, recessit Angelus non à custodia Petri, sed à tam visibili apparatu. Multus Syrorum exercitus cingebat Dothain, vt Elisæum caperet, qui seruulo timenti ait. 4. Reg. 6. *Noli timere. Plures enim nobiscum sunt quàm cum illis. Cumque orasset Elisæus ait, Domine aperi oculos huius, vt videat.*

Nissen.

Actor. 12.

Chrysost.

4. Reg. 6.

Et

Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisæi. Antequam Elisæus oraſſet, iam ſciebat tantum Angelorum exercitum ſibi tunc temporis adeſſe, pro quibus puero ſuo oſtendendis orabat. Sed vnde ſanctus ſcire poterat tantum ſibi Angelorum exercitum aſſiſtere? Videbat clariſſimè illum; tam patenter enim & clarè adeſt Angelorum auxilium tribulationis tempore, quaſi quod oculis cernitur, manibus attingitur. Ex quo ait *Ambr.* D.Ambroſ.ſerm. 1. de Eliſæo, *Eliſæo aſſiſtebant Angeli, quod videbat, & ideo agmina hoſtium non timebat, ſed timebat puer eius, qui Angelos non videbat.* Equidem ſanctum virum hoſtibus cinctum tam aperte confirmabant, & protegebant Angeli, quaſi ſub eius oculis exiſterent; non enim certius adeſt res, quæ videtur, vt adeſt Angelorum auxilium iis, qui pro Deo, & virtute pericula ſubeunt. Vnde Daniel cap. 6. inter leones *Daniel.6.* liber aiebat: *Deus meus miſit Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, & non nocuerūt mihi.* Poterat hoc miraculum fieri à Deo, non per Angelum; vnde innotuit Danieli non aliter quàm per Angelum factum fuiſſe, niſi quia Angelorum auxilium iuſtis tribulatis tam clarè adſit, quaſi qui cerni poſſit ab illis. *Ioſue 5.* Ioſue cap. 5. dicitur: *Cum eſſet Ioſue in agro vrbis Iericho, leuauit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe, euaginatum tenentem gladium, perrexitque ad eum, & ait: Noſter es, an aduerſariorum? Qui reſpondit. Nequaquam, ſed ſum princeps exercitus Domini, & nunc venio.* Cum primum ad hoſtilem vrbem accedit Ioſue, ſeſe illi manifeſtat Angelus Dei, & manifeſte ſuum auxilium prætendit, ſic enim apud Carthuſianum fatur: *Carthuſ.* *Sum princeps exercitus Domini, Angelica virtus ſum, præſidens toti populo Hebræorum. Et nunc venio, id eſt præſto iam ſum ad dandum tibi conſilium, & auxilium.* Non amplius moratur, ſed cum primum vidit certamen inſtare Hebræis ſuis, ad clariſſimum, & apertiſſimum auxilium præſtandum feſtinat.

§. XLVI.

Properantes in Dei obſequium vix, & ægre ſe impedimentis expediunt in populorum frequentia.

Mittitur Aaron obuius fratri in deſertum: *Dixit autem Dominus ad Aaron. Vade in occurſum Moyſi in deſertum.* Cur non magis expectaret fratrem in populi frequentia? Quid in cauſa fuit, quod exiret in deſertum? Crediderim hunc fratrum occurſum in loco deſerto fuiſſe, vt citius ſe ad viam peragendam expedirent; vt nulla impedimenta orirentur, quo Moyſis iter in Dei obſequium retardaretur. Quando enim quis in populorum frequentia ſeſe expedit, vt vocantis Dei ductum ſequatur? Quando ibi tibi impeditamenta deſunt, ne currere poſſis in Dei præceptis? Meritò mandatur deſertum illis, à quibus citò erant omnia obſequij diuini ſuperanda impedimenta. Poſt Ioannis baptiſma ſuſceptum. *Matth.4.* Matth. cap. 4. *Ieſus ductus eſt in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à diabolo.* Poſſet equidem in mediis ciuitatibus, & media hominum frequentia diaboli tentationes ſuſtinere; cur maluit ire in deſertum, vt tentatori locum præberet? Pulchrè *D.Ambr.* D. Ambroſ. lib. 3. de Spiritu ſancto cap. 18. rem tetigit, fatus: *Ieiunaturus à ſpiritu ducitur in deſertum, vt euacuaret diaboli tentamenta. Nam etſi in abundantia copiarum continenter vixiſſe laudabile eſt, tamen in diuitiis, & amœnitatibus frequentior tentationis illecebra eſt.* Sanè in frequentia diuitum, & amœnitatum adeò frequentes ſunt tentationum laquei, vt vix euacuari poſſint. Vnde Dominus in deſertum abiit, locum præbens tentanti, vt ſic tentationes citò euacuaret, & omnia impedimenta ablegaret. Nunquam niſi longe à ciuitatibus abſumuntur omnia impedimenta. Exod. cap. 14. aquæ maris hinc inde diuiſæ iter expeditum, & ſolitarium Iudæis præbuerunt. *Ingreſſi ſunt filij Iſrael per medium ſicci maris.* Sed non ibi hoſtibus caruerunt; namque & Ægyptij ſimul poſt illos introierunt, at reductæ aquę vniuerſos hoſtes abſorbuerunt, ne vel vnus remaneret. Ex quo monebat D. Ambroſ. in exhortat. ad virg. *Ambr.* *Calcate mundi huius profundum, vt quicumque voluerit perſequens comprehendere vos, demergatur.* Vbi in medio mundi ſumus affluentibus vndique bonis, fallar, ſi poſſent effugi omnia hoſtilia tela, omnia vulnera deuitari. Cum autem à mundo fugimus, omnia illius calcantes ingreſſi per medium ſicci maris, tunc omnia impedimenta poſſunt ſuffocari, ne vel vnum remaneat. Nec miror, quod vt impedimenta proficiendi in Dei obſequio euacuentur, in via, & deſerta loca quærantur, quando vel ex vnius hominis occurſu mille ſoleant oriri impedimenta. Vnde mittens Eliſæus ſeruum ad ſuſcitandum filium Sunamitidis, ait illi *4.Reg.4.* 4. Reg. c. 4. *Si occurrerit tibi homo, non ſalutes eum, & ſi ſalutauerit te quiſpiam, non reſpondeas illi.* Et cur properanti in virtutis obſequium, vel ſalutationem admittere vetet, niſi ex hominum conuictu, & frequentia oriri ſoleat, quod virtutis viam impediat? Ait D. Ambroſ. in cap. 10. D. Lucæ: *Ambr.* *Eliſæus ſeruo mandauit, ne per viam aliquem ſalutaret. Feſtinato enim volebat contendere, ne confabulatione alicuius obuij mandato deflecteretur à munere. Ergo non ſalutationis officium aufertur, ſed obſtaculum impediendæ deuotionis abolετur.* Sic ibi.

§. XLVII.

Fidelium vnitas, & concordia fraterna clariſſimum auſpicium præbet pro hoſtibus, & tyrannis debellandis.

Ecce tibi quæ armabantur manus ad Pharaonem debellandum; hinc Moyſes veniebat Dei imperium ſecutus, illinc obuius erat Aaron frater, & ambo in oſcula, & amplexus eunt. Sic ait textus de Aarone: *Qui perrexit obuiam ei in montem Dei, & oſculatus eſt eum.* Quid facitis ô boni, vocamini aduerſus truculentiſſimum Ægypti tyrannum, & vos fraternis oſculis, & amplexibus vacatis? Qualia hæc arma aduerſus Pharaonem? Quæ hæc meditamenta militaria? Fallar, ſi quæ ſint alia fortiora arma fidelibus principibus ad deuaſtandos tyrannos, quàm ſi fidelium populorum vnitatem, & concordiam fraternam cogitauerint. Poſt multos tyrannos numeratos, quorum contritio nota erat omnibus, Paulus *Paul.Oroſ.* Oroſius lib. 7. cap. 42. ſic tandem fatur: *Hunc omnem catalogum, vt dixi, vel manifeſtorum tyrannorum, vel inobedientium ducum, optima Honorius Imperator religione, & felicitate meruit, magna Conſtantium comes induſtria, & celeritate confecit, merito ſane, quia in iis diebus præcipiente Honorio, & adiuuante Conſtantio, pax, & vnitas per vniuerſam Africam Eccleſiæ Catholicæ reddita eſt; & corpus Chriſti, quod nos ſumus, redintegrata reſciſſione ſanatum eſt.* Quid pulchrius? Confirmabatur Honorius Imperator aduerſus omnes tyrannos, & rebelles duces, quod penitus confregit, diſſipauit; eò quod pacem, & vnitatem Africanorum fidelium procurauit; ſimulque diuiſiones fidelium in Africa excuſſit, concordiam redintegrauit, & timorem incuſſit ſuis hoſtibus, & tyrannis. Non aliter cogitabat D. Cy- *Cyr.Alex.* rill. Alexand. homil. habita tom. 6. Concilij Epheſini cap. 6. vbi de aduentu Epiſcoporum ad tollendam diuiſionem à Neſtorio factam in populo Chriſtiano locutus ait: *Ecce igitur omnia gaudent; mare conſeruos ſuos agnoſcens illorum voluntati ſeſe ſubdidit; ſanctorúmque tranſitus feroces, inſultantéſque procellas in tranquillitatem conuertit. Terram denique, quam latrones quondam infeſtabant, iſta ſanctorum profectio pacificatam reddidit. Sunt enim admodū ſpecioſi pedes euangelizantium pacem.* Fuit hoc hominum fideles adunãdum ingenium, quod terram latronum tyrannide liberarent. Nunquam enim fidelium regna non purgantur tyrannis, dum valent vnitatem, & concordiam ſeruare. Caue homo, ne ſciſſio aliqua, vel diuiſio in populo fideli appareat, nil inde non detrimentoſum regnis conſtabit. Accipite rem delineatam 1. Reg. c. 15. *1.Reg.15.* *Et conuerſus eſt Samuel, vt abiret; Saul autem apprehendit ſummitatem pallij eius, qua exciſa eſt. Et ait ad eum Samuel: Scidit Dominus regnum Iſrael à te hodie.* Vide rei conſequentiam, ex parua ſciſſione pallij Eliſæi, & conciſionem, & ablationem regni Sauli auguratur. Ex quo ſapienter Petrus Damianus monet Henri- *Petr.Dam.* cum Imperatorem, ne diuiſiones in populo fideli patiatur. Ait enim lib. 7. epiſt. 3. *Pallium igitur Samuelis Saul abrupit, & regnum perdidit; Chriſti ſcinditur veſtimentum, & ſcindere permittentis ſtabit imperium? Inconſutilem veſtem Ieſu miles Gentilis metuit ſcindere, & Chriſtiani non verentur Eccleſiam per errorem ſchiſmaticum ſeparare? Cum ergo veſtis Chriſti ſancta dicatur Eccleſia, ſciſſio veſtis diuiſionem minatur regiæ poteſtatis. Hinc forte, quod vrbes, oppida, ſiue prouinciæ huius regni ab externis quotidie terminus nationibus vſurpari.* Sic quotidie imperium permittens diuiſiones fidelibus, patet hoſtibus, patet tyrannis; vt quod retinet fidelium vnitatem fortiſſimum ſtat aduerſus omnes incurſus malos.

Exod. 4. Locutuſque eſt Aaron omnia verba, quæ dixerat Dominus ad Moyſem, & fecit ſigna coram populo, & credidit populus. Audieruntque quod viſitaſſet Dominus

 filios

filios Israel, & quod respexit afflictionem illorum: & proni adorauerunt.

§. XLVIII.

Gratus animus difficillima quæque perficit.

Vla Israelitæ audiunt, quod Dominus respexerit afflictionem eorum, & misetit liberatorem, & iam proni adorant. Quippè: *Audierunt, quod visitasset Dominus filios Israel, & quod respexit afflictionem eorum, & proni adorauerunt.* Caietanus ibi: *Incuruauerunt se, & adorauerunt Deum gratiam agentes.* Quid festinatius? De liberatore tantum audiunt, & iam gratias agunt, quasi libertatem consequantur. Cur non magis expectant aliquem successum? Cur sic de incerto properant gratias agere? Non id frustra factum est, gratus enim animus nequit frustrari, sed difficillima quæque in effectum trahit. Suscitaturus Dominus Lazarum è monumento, Ioann. cap. 11. ait: *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me; ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi, vt credant, quia tu me misisti. Hæc cum dixisset, voce magna clamauit, Lazare veni foras. Et statim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus institis.* Quot ibi miracula perfecta sunt? Quot impossibilia superata? Mortuus quatriduanus, & fœtidus subito ad Christi vocem resurgit, & ligatus pedes institis ambulabat. Sed illud notandum, quod ante hæc omnia ostensa, gratias egit Dominus patri, nimirum, vt ostenderet nobis viam superandæ cuiuslibet maximæ difficultatis, nimirum per actionem gratiarum. Huc spectans Euthymius in præsenti, fatur: *O maximum, ac duplum miraculum! Non solum, qui iã olebat, resurrexit, sed etiam, qui obuinctus erat, exiuit à monumento. Itaque gratiarũ actio, dispensationis erat iussio, ac opus authoritatis.* Præmissa gratiarum actio perficiebat miracula, ne sepulchrum, nec fœtor, nec ligamina impedirent, quominus Lazarus, & fœtidus in sepulchro resurgeret, & ligatus institis ambularet. Nihil adeò difficile est, quod gratus animus ea Dei manu non capiat. Hinc Dominus in difficillimi morbi curatione, nihil citius amauit ostendi in infirmo sanando, quàm gratitudinem, vel inanimatis benefactoribus exhibitam. Ait enim Ioan. cap. 5. *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabatum suum, & ambulabat.* Ecce de Domini præcepto hoc vnum præstat, qui de triginta & octo annorum infirmitate liberabatur, nimirum grabatum sustollẽs ambulabat. Et ad quid grabatum sustollere iubebatur? Vt par pari referret; & eandem ipse præstaret grabato gratiam, quam ab illo acceperat tot annis sustentatus. Ait Sedulius lib. 3. Paschali, cap. 9. *Tollens lectum, quo iacebat immobilis, grata mutua redhibitione mercedis vectorem suum proprium humeris famulantibus mox reuexit.* Sic Deus difficillimæ redditæ sanitatis testem vocat gratitudinem, qua sanatus mutua redhibitione vectorem suum humeris ipse vectabat. Et quas difficultates superatas non testatur animus gratus? Genes. c. 24. Eliezer seruus Abrahami dum Mesopotamiam peruenit quæsiturus sponsam Isaaco filio Domini sui, nondum primam vrbem ingressus fuerat, adhuc iuxta fontem illius erat, preces fundens pro bono euentu. *Nec dum intra se verba compleuerat, & ecce Rebecca egrediebatur, &c.* Quid fœlicius? Quam primam vidit puellam post preces, eam æstimat sponsam destinatam domino suo. Et qua virtute tam cito deuenit in cognitionem dignæ sponsæ, in quam alij via post longa examina deueniunt? Ait Theodor. ser. 8. de Prouid. *Quod vero is, qua petiit, potitus est, Dei amicum fuisse demonstrat. Nec enim tam facile ea potiri potuisset, nisi in largitorem fuisset gratissimus. Gratitudinem verò hanc animi virtus elaborauit.* Sic ibi.

(*Ioan. 11.* — *Euthym.* — *Ioan. 5.* — *Sedul.* — *Gen. 24.* — *Theod.*)

CAPVT IV.

Primus cum Pharaone congressus.

Textus Historia.

LÆTANTIBVS Israelitis de sibi misso saluatore, Moyses, & Aaron, quos forsan alij seniores comitabantur, Ægyptiam intrant Regiam. Et viri imperio in elementa potentes, non accendunt in arma captiuos; sed imperterriti adstant tyranno, cui notam faciunt legationem diuinam. Vt Omnipotens orbis Dominus vocabat in desertum Hebræos, accepturus post tres dies de eorum manibus placabiles victimas. Nescio an sancta apud barbarissimos quosque legatorum religio cohiberet ferocientem Pharaonem, ne Moysem, & Aaronem opprimeret, cohibitus tamen fuit à cœlesti numine, quod suis iam ferebat apud tyrannos auxilium. Verum qui flagris parcebat rex, verba iactare cœpit superbissima; Dei ignoto sibi numini irridet, eius legatos otiosorum factionarios minatur, nisi cito ad operum pensa adimplenda festinent. Quibus eiectis Præfectos omnes conuocat, & Exactores, penes quos erat arbitrium laboris populi captiui, mandat rem seueriùs administrari, nullum leuamen permittit, & quod miseri, & præscriptorum laterum impleant numerum, & paleas, vel ad furnos, vel ad latericium opus ipsi perquirant. Itaque afflicti vndique Hebræi, partim luteo labori insudant; partim paleis, & quisquiliis extrahendis per totam regionem inuigilant, omnes cœlum, & Regiam gemitibus implent. Nec lenitur animus tyranni, sed vocalissimis lachrymis miseriam repræsentantes suam, ad lethales labores non semel remittit. Egredientes miseros à facie principis Moyses, & Aaron excipiunt, & ecce tibi ingens querelarum pondus ab afflictis erumpens tantum non opprimit viros, quasi pro oblata salute, duplicata ipsi incommoda fecerint scaturire.

His & talibus frangebant primum aduersus Pharaonem Moysis, & Aaronis impetum, qui à popularibus suis remoti, Deo se sistunt, eiusque oculis, qua reuerentia possunt, obiciunt euentum omninò respondentem diuinis promissis. Hæccine, inquiunt, erat salus per nos danda captiuis? Si duriora illis parabantur, cur nos bonorum sponsores misisti? Tantum locutus sum ad tyrannum, & pluit plagis super afflictos; quid mali non meterent, si mandassem fugam? Ita loquentem Dominus præoccupat, & ad nouos cum Pharaone congressus parari iubet. Is enim est Deus, cuius fortitudini quisque tyrannus sit impar, & qui solus nouit stare promissis, nec afflictorum gemitum inanem sinit.

PARS VNICA.

Moralia circa textus literam.

NOn patiar amplius stagnari moralem succum, quo instructi possimus alacriter alia percurrere.

Exod. 5. Post hæc ingressi sunt Moyses, & Aaron, & dixerunt Pharaoni: Hæc dicit Dominus Deus Israel: Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto. At ille respondit: Quis est Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Israel? Nescio Dominum, & Israel non dimittam.

§. I.

Diuinus halitus non excitat, sed sopit factiones, & rebelliones aduersus legitimos principes.

COnueniant huc Nouatores, qui rebellium bellis, & factionibus turbant Respublicas, & videant Moysem, & Aaronem constitutos à Deo in salutem populi sui, vt inermes Regiam Pharaonis intrant, vt reuerenter legationem, & munus suum referunt principi. Equidem: *Ingressi sunt Moyses, & Aaron, & dixerunt Pharaoni: Hæc dicit Dominus Deus Israel, Dimitte populum meum, &c.* Cur sic blande ad durissimum regem loqueris? Cur non magis popularibus instas, & eorum animos erigis, vt arma corripiant, & te illorum ex Deo promittis ducem? Cur promissa Dei ope non populum seruilem solicitas, vt audeant iugum excutere, & vel occisis rege, & principibus in libertatem prosilite? Non id permittit Dei spiritus in suis, qui nouit non excitare, sed sopire rebelliones, & factiones in legitimos magistratus, & principes. Rem in præsenti ponderat Lippomanus, inquiens: *Hi tametsi habebant mandatum liberandi Israelitas à tyrannide Pharaonis, &*

(*Lippom.*)

Pharao

Pharao erat rex longè omnium impiissimus, atque à Domino manifestis verbis condemnatus, non tamen armant Israelitas suos adversus regem, legitimum magistratum in Ægypto, nec trucidant tyrannum gladio, Dominus enim non dixit. Ingredere ad Pharaonem, & trucida eum: sed ait, Ingredieris tu, & seniores Israel ad regem Ægypti, & dices: Dominus Deus Hebræorum vocauit nos, &c. Quid si non licuit Moysi, & Aaron trucidare Pharaonem, vt liberarent Israelitas suos à tyrannide eius, cui obsecro nunc licerat gladium adversus legitimum magistratum suum accipere, & sese violenter in libertatem vindicare? Huc semper tendit Dei spiritus, vt factiones, & rebelliones excitentur nullæ aduersus legitimos principes. Hinc Dauid ille, vir iuxta cor Dei effectus, nactus Saulem infensissimum hostem, cuius rabiem euadere posset internecione illius. 1. Reg. cap. 24. ait: *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo, Christo Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est.* Ecce tibi quem noscit hostem infensissimum, non percutit, dum illum legitimum nouit Regem, & Dei Christum. Vbi Carthus. ait: *Quia Christus Domini est, ideò reseruandus fuit diuino iudicio, nec interficiendus authoritate priuata, præsertim à subdito. Et quamuis fuit tyrannus, non tamen tantus, quod fuit occidendus ab aliquo de populo suo, qui aliter potuit manus illius euadere.* Hunc hominibus præstat animum Dei spiritus, ne quis subditus manum inferat legitimo principi, sed magis eius sustineat iniurias. Nunquam enim cum Dei spiritu non venit, & factionum, & rebellionum in principes leuamen. Quò spectans Isaias cap. 52. aiebat *Quàm pulchri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem.* Procop. & Euseb. apud Castrum legunt, *prædicantis Iesum.* Quæ verba communiter referuntur ad Apostolorum peregrinationes: quocumque enim perueniebant annuntiantes Iesum, summam pacem, & tranquillitatem afferebant, nequis mutire auderet contra suum principem. Quod notans Paulus Orosius lib. 7. cap. 6. in Petri accessu ad vrbem hoc cantatissimum miraculum narrat contigisse: *Accidit etiam eodem tempore præsentis gratia Dei grande miraculum: siquidem Turius Camillus Scribonianus Dalmatia legatus bellum ciuile molitus, regiones multas, fortissimasque ad Sacramenti mutationem pellexerat. Itaque die dicto, vt in vnum vndique ad nouum Imperatorem conueniretur, neque aquila ornari, neque conuelli quoquo modo signa mouerive potuerunt. Exercitus tanti, & tam insuetæ miraculi fide motus, & conuersus in pœnitentiam, Scribonianum interfecit, seseque sacramento priori militia continuit.* Miraculum agnoscunt omnes, at quod id ortum fuerit ex D. Petri ingressu in vrbem, vnde constat? Ait ipse: *Itaque propter aduentum Apostoli Petri hanc exorientem tyrannidem, & consurgens istud ciuile bellum neget quisquam diuinitus esse compressum, quo præteritis temporibus de compressione bellorum ciuilium simile probatis exemplum.* Et quando ex innumeris factionibus, & rebellionibus excitatis in vrbe, ea solum inuenitur sopita diuinitus, quæ excitabatur, dum Petrus ingrediebatur vrbem, sine iniuria fatebimur, tale quid contigisse propter aduentum hominis prædicantis Iesum, de cuius halitu venit, quod sopiantur factiones, & rebelliones ciuium in principes suos.

1.Reg.24.

Carth.

Isai.52.

Paul. Oros.

§. II.

Qui Deo mancipatur, caueat aliis præter Deum seruire.

POpulum suum vocat Dominus, & in desertū abire iubet, vt offerat sacrificia, ait namque: *Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto.* Et cur necessum est, quod sacrificaturus Deo in deserto sit? Cur non sacrificet in vrbibus? Bene in desertum mittitur populus sacrificaturus, ne quid præter Deum in obsequio suo possit aspicere. Nequit enim quis, vt oportet, Deo seruire, vbi alium præter Deum habet, cui præbeat cultum. Ait Origen. homil. 3. in præsenti: *Non vult Moyses, vt populus in Ægypto positus seruiat Domino, sed vt exeat in desertum, ibique seruiat Domino. Hoc est sine dubio, quod ostendit, quia donec quis in tenebris sæcularibus manet, & in negotiorum obscuritate versatur, non potest seruire Domino. Non enim potest duobus Dominis seruire.* Vbi tibi aliquid aliud præter Deum ob oculos versatur, cui velis cultum præbere; non prorsus aptus es, vt Deo sacrificium offeras, qui nihil vult habere commune cum aliis. Dum Israelitæ vrbem Iericho expugnant, ait Iosue cap. 6. *Vrbem, & omnia, quæ sunt in ea, succenderunt*, nihil reliquerunt in vrbe, quod possit humanis seruire vsibus, sed vniuersa in cineres, & fauillas redegerunt. Et cur voluerunt sic perdere, & pulchram, & populosam vrbem? Causa insinuabatur ibidem, dicente Domino: *Sit ciuitas hæc anathema, & omnia, quæ in ea sunt, Domino.* Vbi ergo ciuitas consecranda erat Domino, prudenter euertitur à Iosue, ne possit seruire homini, quando Deus in suis amat esse solus. Ait Theodoretus quæst. 8. in Iosue: *Quoniam hæc ciuitas erat dicata Deo, meritò euersa erat. Absurdum enim esse Iosue putabat, fieri commune, quod Deo donatum est.* Prudentissime cauet, ne alteri seruiat, quod Deo dicatum est; vt inde discamus vniuersi, qui Deo mancipamur, alij nos tradere, quàm Deo non debere. Abrahamus ductum sequens diuinum, nihil terrenum voluit habere, cui curam impenderet, vbi autem vxorem vidit defunctam Genes. cap. 23. iuit ad filios Heth dicens: *Aduena sum, & peregrinus apud vos; date mihi ius sepulchri vobiscum.* Non domum, non ius ciuitatis, sed ius sepulchri quærit; & cur non ius ciuitatis simul petit? D. Hieronym. de vera Circumcision. ait: *Abraham post verbum Domini, locum sibi, non vbi viueret, sed vbi moreretur, acquirit.* Vbi sese dederat Deo, nihil mundiale voluit, quod sibi non esse mortuum; nulli enim vitam suam esse communem volebat, sed vni Domino. Componite modo Iobum cum populo Iudaico; ille semel omnia bona sua amisit; hic etiam spoliatus omnibus bonis suis, & miserè captiuus adducitur. Sed illi in breui restituta sunt omnia duplicia, sic enim habes cap. 42. *Et addidit Dominus omnia quæcunque fuerant Iob duplicia.* Iudæis autem semel spoliatis nunquam in integrum omnia restituta fuere, posterioris templi gloria longe inferior fuit gloria prioris, & denique funditus interierunt. Cur hæc tam diuersa, & Iobo, & Iudæis acciderunt? Sanè Iob, ex quo omnia propter Deum amisit, nihil illorū repetiit, & in tantā egestatem redactus, vt corporis saniem raderet testa; nihil tamen perditorum requirebat. At Iudæus ab Ægypto eductus, vel cœlestibus cibis impletus, semper ad relicta bona inhiabat, & pro illis ardentissima suspiria emittebat. Ait D. Hieronym. de vera Circumcis. ad perditos Iudæos: *Denique spoliatus Iob omnibus bonis nihil requirit. Tu Ægyptum in eremo post manna deliciosa suspiras.* Cur non pereat, qui habens Deum, vel iam dimissa velit etiam habere?

Origen.

Iosue 6.

Theod.

Gen.23.

Hieron.

Hieron.

§. III.

Hoc in primis Deus à Regibus exposcit, quod conducit subditis in his, quæ ad Deum sunt.

MVltus erat Pharao in opprimendis Israelitis, quorum causam suscipiens Dominus, ait illi per Moysem: *Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto.* Cur clarius non petit populum dimitti, ne pereat sub durissimo seruituris iniustæ iugo? Vel ne succumbat oneri operis lateritij? Cur iis dimissis, solum petit dimitti populum, vt sacrificet? Equidem illud meminit Deus, quod in primis à Regibus exquirit, quod nimirum nullius sit impedimenti subditis circa diuina omnia obeunda, sed illos ad ea, quæ ad Deum pertinent, habeant expeditissimos. Hinc Isaias cap. 45. ait: *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subiiciam ante faciem eius gentes, & dorsa regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & porta non claudentur. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. Et dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum; vt scias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum Deus Israel. Propter seruum meum Iacob, & electum meum Israel.* Non est animus clarissimam Cyri Monarchiam describere, nec eius ingentes opes, & diuitias, ad quas peruenit, vbi Babyloniorum imperium expugnauit, & tenuit, ad id afflante prouidentia diuina. Teste enim Paulo Orosio tanta erat Babylonia, vt non videretur fieri ab homine potuisse, nec ab homine dirui. Hanc tamen in omni suo flore, & fortitudine expugnatam tradidit Dominus Cyro. Sed illud maximè notandum, propter quid dedit Deus tam ingentem gloriam Cyro? Quid tanto imperio daro repetiit à rege pro illo? Ait textus: *Propter seruum meum Iacob, &c.* Erat Iacob Babylone captiuus, nec licebat illi Ierosolymitarum templum visere, nec vllum ibi offerre sacrificium; hoc ergo vnum spectabat Dominus in promouendo imperio Cyri, hoc expectabat solum à Rege sibi obligatissimo, ne amplius Iacob impediretur, quominus in templo offerret sacrificia. Sic ipse Cyrus 1. Esdræ cap. 1. *Hæc dicit Cyrus rex Persarum; Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipse præcepit mihi, vt ædificarem ei domum in Ierusalem, quæ est in Iudæa. Quis est in vobis de vniuerso populo eius? Sit Deus illius cum ipso. Ascendat in Ierusalem, quæ est in Iudæa, & ædificet domum Domini Dei sui.* Expende, & quid dederit Deus, & quid

Isai.45.

1.Esdr.1.

& quid pro donis præceperit Regi, dedit illi vniuersa regna terræ, pro quibus vnum in primis repetiit, nimirum, quod liceret populo Israelitico ædificare templum, in quo Deo sacrificia offerret. Pulchrè D. Cyrill. Alexand. lib. 4. in Isaiam orat. 6. *Vocaui enim te, inquit Deus, ad hoc, ego Deus solus, & hac tam illustri te honoraui gloria, vt sis tu seruo meo Israeli benefi-cus, &c.* Non aliud pro tanto regno dato petiit Deus, nisi quod rex beneficus esset in permittendis populo Israelitico templi adytis, & sacrificiorum oblationibus in templis. Qui enim rex in iis, quæ ad Deum pertinent, multus est in populo, non miror, quod amplissimum regnum ex Deo teneat. Rex Niniuæ, Ionæ c. 3. videns imperium suum ruiturum, sacco ipse indutus vniuersos ad saccum, & ieiunia Deo offerenda vocabat: *Et surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere. Et clamauit, & dixit in Niniue ex ore regis, & principum eius, dicens: Homines & iumenta, boues, & pecora non gustent quicquam.* Quid hoc ad Regem? Ad regni conseruationem Reges ad arma currunt, exercitum conuocant, munitiones instituunt, arces telis muniũt, & omnia milite implent. Nihil horum meminit rex iste in imminenti periculo, sed populum coegit ad sacrificia, quo regni securitatem acquisiuit. Ait D. Ambros. serm. 40. *Non perdedit imperium, quia sine ferro, sine militia pro ciuium salute primus inuigilat. Primus planè inuigilat, quia vt tota ciuitas ieiunaret, famem sibi rex primus induxit, & solus omnium causa prior cœpit esurire, quàm miles. Exemplo igitur suo præparat religionis exercitum, non armis, sed sola deuotione munitum.* Itaque bonus rex dum viam populi religioni aperit, viam regni confirmandi facillimam inuenit; cum hoc in primis à Regibus Dominus exquirat. Necnon, & Adrianus Imperator maximè suas glorias ampliauit, eo solum quod Christianis liberam sacrificandi Deo libertatem permisit. Ait enim Paulus Orosius lib. 7. cap. 13. *Adrianus consobrinæ Traiani filius principatum adeptus, vno & viginti annis imperauit. Hic per Quadratum discipulum Apostolorum, & Aristidem Atheniensem virum fide, sapientiaque plenum, & per Serenum Granium legatum, libris de Christiana religione compositis instructus, atque eruditus, præcepit per epistolam ad Minutium Fundanum datam, vt nemini liceret Christianos sine obiecto criminis, aut probatione damnare. Idem quoque continuò pater patriæ in senatu vltra morem maiorum appellatur, & vxor eius Augusta.* Quod duodecim Imperatores antecedentes minimè adepti fuerant, id obtinuit Adrianus libertate Christianis data; quasi Deus hoc solum spectaret in Imperatoribus, quòd nimirum permitterent Christianis sacrificare Deo, vt imperatorias glorias ampliaret.

Cyr. Alex.

Ambr.

Paul. Oros.

§. IV.

Carnales homines non esse putant, quidquid oculis non vident.

OMnipotentis Domini mandatum ideo contempsit Pharao, quia non noscit Dominum, ait enim: *Non noui Dominum, Israel non dimittam.* Quid stultius? Si ille Dominus est potens sibi rebelles punire, quid interest, quòd tu minimè noscas illum? Ad hoc, vt illum non timeas, non satis, quod minimè noscas, si verum est, quod sit. Dic ergo potius, Non est Dominus, & Israelem nõ dimittam. At carnali homini idẽ est, non esse, & nõ nosci, & quidquid nõ esse putat. Magdalena nũtiauit Simoni Petro, & Ioanni vacuũ esse sepulchrũ Domini Ioan. 20. *Exiit ergo Petrus, & ille alius discipulus, & venerũt ad monumentũ. Currebant aut duo simul: & ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum. Et cum se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamẽ introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium, quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum. Tunc ergo, & introiuit ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum, & vidit, & credidit, nondum enim sciebant scripturam, quia oportet eum à mortuis resurgere. Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos. Maria autem stabat ad monumentum foris plorans.* Ecce tibi & discipuli, & Magdalena visis linteaminibus, & vacuato sepulchro viso non vident corpus Christi magistri sui. At illi non videntes corpus, Iesum minimè plangunt, quin potius læti redeunt ad semetipsos, Magdalena autem tota in riuos lacrymarum effunditur, quia corpus Iesu non videt. Et cur illi non plorant, cum hæc tot lacrymas fundat Iesu non viso? Illi vt spirituaIiores vbi non vident Iesum in sepulchro, credunt eum viuere: hæc autem vt carnalior, quod non videt, putat funditus periisse. Ait D. Ambros. lib. 3. de Virgin. *Quæ foris est, plorat; nam quæ intus est, plorare non nouit. Plorat autem, quia corpus non videt Christi, & periisse putat, quia ipsa non cernit.* Sic qui externis incubant, qui carnalia solùm sapiunt, nihil credunt esse, quod non paret oculis suis. Hæc enim erat horum vox Sapient. c. 2. *Dixerunt enim cogitantes apud se non rectè. Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est, qui agnitus sit reuersus ab inferis, quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus, tanquam non fuerimus.* Ecce tibi, qua ratione miseri adducantur, ne credant aliquid esse post vitam, nimirum, *non est, qui agnitus sit reuersus ab inferis*, inscienter putant funditus periisse, quæ oculis non parent. Quorum stultitiam sic arguit Minutius Felix in Octauio: *Tu periro, & Deo credis, si quid oculis nostris hebetibus subtrahitur? Corpus omne siue arescit in puluerem, siue in humorem soluitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subtrahitur nobis, sed Deo seruatur.* Et verum est, quod etiam dum subducimur oculis creatis, Deo seruamur; sed hoc non satis percipiunt carnales, quæ ab oculis desierunt, abesse deficere putantes.

Ioan. 20.

Ambr.

Sap. 2.

§. V.

Non omnium est in Dei cognitionem venire.

HÆc principis, hæc potentissimi regis vox; *Nescio Dominum*, qui enim in magnorum venerat potestatem, in Dei veri cognitionem non venerat. Nec miror, non enim est omnium in Dei cognitionem venire, quando cuncta creata lumina vmbræ sunt, & tenebræ respectu illius. Hinc Isaias c. 45. de potentissimo rege Cyro, ait: *Assimilaui te, & non cognouisti me*: quippè Deus dedit Cyro clarissimam Monarchiam, cantatissimos triumphos, ingẽtes diuitiarum cumulos. Quid tunc? Per tot bonorum lumina venit Cyrus in Dei cognitionem? Nullo modo, imo, qui sic bonis mundialibus splendescebat, non meruit inter eos numerari, qui Dei cognitione vigent. Diuus Cyrillus Alexandrinus lib. 5. in Genes. inquit: *Et non cognouisti me. Vidistisne, vt apertè, non cognouisti me, diceret? Inter eos enim, qui Deum cognouerint, tam præclarum hominem nominare noluit, quem & regibus excellentiorem, & innumerarum gentium principem fecit.* Proh miser homo! Accepit ex Deo mundiales omnes glorias, accepit imperium, quo se extolleret super mortales cunctos, sed cognitionem Dei non accepit, sed illa priuatus euanuit in omnibus bonis suis. Merito enim ait Sapiens cap. 13. *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, nec operibus attendentes agnouerunt quis esset artifex.* Ex quo Arnob. lib. 1. aduersus Gentes inter immensas diuitias mundo allatas per Christum, hoc eius infinitæ benignitatis opus notat, quo Dei cognitionem docti fuerimus. Ait enim: *Honoribus quantis afficiendus est nobis Christus, qui quod frugiferum primo, ac humano generi salutare Deus monstrauit, quid sit, quis, quantus, & qualis, qui profundas eius, atque enarrabiles altitudines, (quantum nostra quiuit mediocritas) capere, & intelligere permisit, & docuit. Qui, quo auctore, quo patre mundus iste sit constitutus, & conditus, fecit benignissimo sciri?* Non equidem tantum esset Christianæ benignitatis opus, quod mundialibus gloriis impleremur, quam quod efformamur in eos, qui Dei cognitionem percipiunt. Vt dicat Hierem. cap. 9. *Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur diues in diuitiis suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire, & nosse me.* Sic ibi.

Isai. 45.

Cyril.

Sap. 13.

Hier. 9.

Exod. 5. Dixeruntque: Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro: ne forte accidat nobis pestis, aut gladius. Ait ad eos rex Ægypti. Quare Moyses, & Aaron solicitatis populum ab operibus suis? Ite ad onera vestra.

§. VI.

Impij homines seditiones, & tumultus metuunt in diuinarum virtutum studio.

QVam nota est in impiis hominibus hæc Pharaonis vox aduersus Dei sanctos, aduersus virtutum diuinarum a[...]

a[...]ctores,

assertores, nimirum, *sollicitatis populum*, inquietatis Rempublicam! Dum vero Dei subest obliuio, omnesque in vitiorum barathra ruunt, nullumque non viget flagitium, sed innocentes affliguntur, immerentes vapulant, tacent principes huius mundi, rectores tenebrarum harum. Verum vbi Deus verè quæritur, virtus nudè requiritur, & ad veritatem, & virtutem itur. Tunc ab impiis prætexitur seditio timetur tumultus; & læsæ maiestatis criminis prætenditur suspicio. Ait in præsenti Origen. homil... *Donec secum est populus, & lutum operatur, ac laterem, donec in paleis occupatus est, non putant eum esse peruersum, sed recto itinere incedere. Si verò dicas, volo ire viam trium dierum, & seruire Domino, peruertit populum dicit per Moysem, & Aaronem.* En quam sæpe id apparet in Christianis Rebuspublicis: in iis & veritatis proferendæ, & virtutis persuadendæ studium pessime audit apud magistratus impios. Dum enim contra tyrannidē, contra sacrilegia, contra facinora siles, prudentię nomē acquiris; si quid dicas, quod pro virtute stet, quod veritatem tinniat, iā temerarij & factionarij nomen incurristi. Iam diceris quietis turbator, & populorū subuersor scriberis. Cum Iesus pullo vectus asinorū Ierosolymā veniret, clamabant turbæ, clamabant discipuli, *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Tunc Iudæi proceres iis vocibus cōmoti dicūt ad Iesum: *Magister, increpa discipulos tuos.* Et quale crimen erat, ob quod deberent increpari Iesu discipuli? Sanè nihil illi aliud faciebant, quam palliis dimissis ornare viam Iesu, illiusque maiestatem, & gloriam celebrare hymnis; at Iesu laus, & acceptio nunquam non rea maiestatis læsæ apparet apud magistratus impios. Ex quo D. Ambr. lib. 5. epist. 32. orat. in Auxentium sic sui temporis rem definit: *Audistis legi, quod cum Christus super pullum asinæ sederet, clamabant pueruli, & moleste ferebant Iudæi. Semper ergo Christi laudes verbera perfidorum sunt. Et nūc cùm laudatur Christus, dicunt hæretici, quia seditio commouetur, dicūt hæretici, quia iis mors paratur; & vere mortē habent in laudibus Christi.* Semper impij sunt iidem in figmētis suis; semper seditioni tribuunt, quod laudetur Christus. Vide in Anglia innocentes Christi Sacerdotes accusari, imò damnari crimine læsæ maiestatis; crebris accersiri iudiciis de proditione regni, de seditione excitata inter turbas. Ex quo hi homines venerabiles, omni fulgentes virtute, seditiosi, aut proditores fuerunt? Extollunt Ecclesiam vetustissimam Christi, prædicant sacramenta Christi, & semper hæretici dicunt, cum laudatur Christus; quia seditio est. Vide etiam in regnis sincera religione imbutis, multos sapientes viros inscitiæ, & temeritatis accusari, damnari; non aliam ob rem, quam quia nudam veritatem dixerunt; quia percusserunt notissima populis facinora, & inde temerarij, inde seditiosi? Equidem cum res agitur virtutis, semper dicunt impij, quod fit seditio. Id quod ex aliis multis, & epistola Schismaticorum Orientalium ad populum Constantinopolitanum data patet, quæ habetur tom. 3. Concilij Ephes. cap. 7. vbi sic de sanctissimo Cyrillo, & socio eius Memnone loquuntur: *Operæ pretium duximus vos certiores facere, nos Ephesum aduenisse, ibidémque ciuitatem quidem omni tumultuationis genere plenam; vniuersam verò Synodum non vulgaribus turbis agitatam, Ecclesiam autem velut mare sæua quadam tempestate concitatam reperisse; Cyrillo Alexandrio quondam Episcopo, & Memnone Ephesino instar ventorum terram hanc procellam excitantibus.* Quid impiorum ingenio accommodatius? Duæ erant fidei columnæ Cyrillus, & Memnon; duo capita, quæ pro veritate stabant: duo erant lumina, quæ portum salutis ostendebant: & eo ipso tumultuum authores, & seditionum vocabantur. Sic parens meus Sanctus Ignatius, quia Parisiis scholasticos iuuenes in Christi sequelam trahebat, vt seditionis reus verberibus addicitur. Et quam virtutem non æstiment seditionem magistratus impij? Actor. cap. 10. aperiens Petrus os suum aiebat. *Verbum misit Deus filiis Israel, annuntians pacem per Iesum Christum: (hic est omnium Deus.) Vos scitis, quod factum est verbum per omnem Iudæam, incipiens enim à Galilæa, &c.* Sic Petrus in Christi laudem promit eius doctrinam à Galilæa incipientem, at Principes Ierosolymitani accusantes Iesum apud Pilatum, Luc. cap. 23. *Inualescebant, dicentes: Commouet populum docens per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa huc vsque.* Hoc erat vnum, quod faciebat Iesus, in quo amici conueniunt, & inimici, nimirum quod docebat per vniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa. Hoc autem Petrus laudi tribuit; Iudæi autem illud tribuunt seditioni, tumultui. Sed vnde quod laudabile erat Petro, seditiosum erat Ierosolymitanis principibus? Ille amator pius Iesu, isti hostes erant; & impij qui rem virtutis æstimant seditiones, & tumultus. Ait Beda ibi: *Hic accusantium sermo magis, & eum, qui accusatur, innoxium, & eos qui accusant, docet esse peruersos. Potuit namque aliquis amator Domini, sicut etiam fecit, eandem sententiam laudis loco ponere, dicendo ad discipulos bonis: Vos scitis, quod factum est verbum per vniuersam Iudæam. Incipiens enim à Galilæa, &c.* Sic pij laudem æstimant, quod impij, & peruersi seditionem æstimant.

Origen.

Ambr.

Conc. Eph.

Actor. 10.

Luc. 23.

Beda.

§. VII.

Mundiales Principes seditionis crimen æstimant, quidquid illorum quæstus temporales imminuit.

PEtebat Moyses Israelitas ad hoc, vt irent ad sacrificandum Deo via trium dierum, propter quod apud Pharaonem seditionis crimen incurrit. Quippe ait: *Quare Moyses, & Aaron sollicitatis populum ab operibus?* Vbi noster posuit verbum *sollicitatis*, est in Hebræo verbum: quod iuxta multorum opinionem apud Oleastrum deficere, & rebellare, significat: quasi arguat Pharao Moysem, quòd in eo sollicitaret populum ad rebellionem, & defectionem, quod seditiosorum proprium est. Sed vnde rex suspicatur vel vmbram rebellionis, aut seditionis, quando solum expetebatur profectio ad sacrificandum Deo? Vnde sacrificiorum studium potuit præbere regi seditionis suspicionem? Id insinuat verbum textus, *sollicitatis ab operibus, &c.* Vbi sacrificia impediebant opera, per quæ regalis fiscus adaugebatur; non mirum, quod vel ipsa Dei adoratio æstimaretur à Rege quasi seditio, & rebellio aduersus regnum. Notissima est historia ea Actor. cap. 16. vbi Paulus puellam liberauit à spiritu Pythonico, quo imbuta multas res prædicebat, & non paruum quæstum Dominis suis acquirebat. Quid tunc? *Videntes autem domini eius, quia exiuit spes quæstus eorum, apprehendentes Paulum, & Silam perduxerunt in forum ad principes, & offerentes eos magistratibus dixerunt: Hi homines conturbant ciuitatem nostram.* Expende, qui dicantur perturbatores ciuitatis, qui seditiosi dicantur: nimirum Paulus, & Silas veri Dei prædicatores, dæmonum expulsores. Hoc vnum faciunt, vt Dæmon à puella abscedat, & quia ad eorum voces Dæmon pellebatur, seditionis accusantur. Vnde ô boni putatis seditiosos illos, qui dæmones conturbabant? Ait textus: *Videntes, quia exiuit spes quæstus eorum*, quippe excluso dæmone lucrum minuebatur, & dum lucrum minuitur, ipsam diaboli contritionem æstimabant proditionem ciuitatum. Ad hæc D. Chrysostom. hom. 35. ibi: *Vbique malorum causa pecunia. O paganorum inhumanitatem, vt augeant pecuniam, puellam à dæmonio vexari volunt. Arrepto Paulo, & Sila dixerunt: Hi homines turbant ciuitatem nostram. Et maiestatis læsæ crimen dicunt.* Proh genius Politicorum hominum Deo inuisum! Malunt hi à dæmonibus vexari, quam lucrum amittere; quidquid spem temporalis lucri minuit, & seditiosum, & tumultuarium, & regno exitiale putant. Et quid non faciat lucri amor apud Politicos? Ex sepulchri custodibus audientes Pharisæi resurrectionem Christi Matth. cap. 28. *Copiosam pecuniam dederunt militibus dicentes, Dicite; Quia discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus.* Christi gloriam in proditionis, & furti suspicionem retorquere conabantur; quod vt facerent, copiosam pecuniam ponunt in medium, accipiendam à militibus, qui confingerent diuini cadaueris furtum, & Apostolorum proditionem. Nec mirum, quod metus perdendæ pecuniæ clamaret Apostolos proditores, & latrones. Ex quo D. Hilar. canone 33. *Emitur vero à custodibus, qui omnia hæc viderant, argento resurrectionis silentium, & mendacium furti, honore scilicet sæculi, & cupiditate, quia in pecunia honor sæculi est. Christi gloria denegatur.* Et quidem vbi inter Politicos intercesserit spes acquirendi lucrum, vel metus perdendi, haud dubium, quin Christi gloria negetur, & sanctissimi quique, vel furti, vel proditionis accusentur.

Actor. 16.

Chrysost.

Matt. 28.

Hilar.

§. VIII.

Fides resurrectionis maximè homines promouet.

LIs erat inter Pharaonem, & Moysem de itinere trium dierum necessario ad hoc, vt populus sacrificaret Deo; quippe ait Moyses: *Deus vocauit nos, vt eamus viam trium dierum, &c.* Et cur diabolus in Pharaone sic cauebat trium dierum profectionem, quam adeo Deus in Moyse requirebat? Erat ibi Dominicæ resurrectionis sacramentum, in cuius fide maximè cōsistit ingens hominum promotio, & accretio.

August. Ex quo D. August. ser. 90. de tempore ait: *Videamus, quid sit illud quod dixit Moyses: viam trium dierum ibimus in desertũ, vt sacrificemus Domino Deo nostro. Hæc quidem volebat Moyses, sed contradicebat Pharao nolens filios Israel à se longè discedere. Non enim volebat princeps huius mundi trium dierum sacramenta cognoscere. Illa vtique sacramenta, de quibus Oseas dixit: Viuificauit nos post duos dies, & in die tertia suscitabit nos.* Tridui sacramẽta exitialia erant dæmoni, vt quæ resurrectionis continebãt mysteria, in cuius fide hominum consistebat suscitatio, & erectio. Ex quo enim homo sub resurrectionis initiatur mysterio, maxima sibi bonorum acquirit augmenta. Hinc Matth. c. 1. attexens Saluatoris nostri genealogiam, inter fœlicissimos, & auctissimos eius proauos, ait: *Booz autem genuit Obed ex Ruth*, nõ fuit contentus Boozum percensere inter Christi parentes, sed insuper notauit ex qua vxore habuit, quod Christi pater diceretus. Sed illud inquirendum est, cur Boozus in tantam gloriam venire meruit, non ex alia vxore, sed ex Ruth? Boozus ideo Ruth in coniugem accepit, vt suscitaret semen fratris sui defuncti, iuxta legem Deut. 25. in quo dominica exprimebatur resurrectio. Quapropter cum coniugium celebrat sub resurrectionis typo, ad tantã gloriam deuenit, quod numeretur inter Christi Domini parentes. Ait Procopius in Glossa ad dictum c. 25. Deut. *Nondum manifestata resurrectione, ipsa posteritas, ac memoria per ipsam generis conseruata solatio veteribus fuit. Interim vero resurrectionis figuram obtinuit Enim vero cum ob eruasset Booz, & duxisset Ruth, prodigij quiddam simile adeptus est, vt pronimus esset Christi, futuram promissionem resurrectione mortali imitatus Nam oportebat eum, qui nobis resurrectionẽ donauerat, genus ducere per eos, qui typum eius secundum carnem conseruauerant.* Quia in materiali seminis suscitatione Boozus resurrectionem dominicam adumbrabat, inde in tãtam gloriam Christiferæ prosapiæ fuit exaltatus. Hinc Dominus per Ionam c. 3. Niniuitis dicebat iuxta Septuag. lectionem: *Adhuc tres dies sunt, & Niniue subuertetur.* Et mirabar, quod triduum præfigeret subuersioni Niniuitarum, quando triduum consecratum resurrectioni Dominicæ erat. Quippe ait Ioan. 2. *Soluite templum hoc, & in triduo suscitabo illud.* Et quando triduum sacratur resurrectioni, cur etiam præfigitur Niniuitarum subuersioni, nisi vt in ipsis minarum verbis per resurrectionis typum, nouæ salutis, nouæque vitæ reciperent auspicium? Ait D. Ephrem. ser. de Pœnit. *Oppone sermonem sermoni. Ille suscitare promittebat, hic euersionem comminabatur. Christus resuscitat ad pœnitentiam inuitans, & à propria resurrectione ostendit pœnitentiam, cuius hominis causam ad resurrectionem existere in pietate.* Ecce tibi vt triduum in vtrisque resurrectionem adumbrabat, sic sub huius typo incrementi salutaria auspicium dabatur.

Matt. 1.

Procop.

Ionæ 3.

Ioan. 2.

Ephrem.

§. IX.

Vt tridui abstinentia inauspicatam quid timet in sacrificio Eucharistico.

VOcantur Israelitæ ad sacrificium per viam trium dierũ, nisi velint peste, aut gladio perire; inauspicatum enim quis vereri debet, si in trium dierum itinere nullo sacrificio munitur. Ecce textus: *Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in solitudinem & sacrificemus Domino Deo nostro, ne forte accidat nobis pestis, aut gladius* Et cur pestis, aut gladius non immineat iis, qui in trium dierum via nullum participant diuinissimi altaris sacrificium? Quod vno, aut alto die ad sacrificium Eucharisticum vocatus abstineas, parco infirmitati tuę. At vbi trium dierum fit concursus, & per omnes tres dies continuos & Dei vocibus, & multitudinis exẽplo voceris ad sacrificandum Deo in Eucharistia, & nihilominus abstineas, fallas, nisi pestifer aliquis exitus immineat. Matt. 14 quadam die concurrerant ad Iesum in desertum, vt curationem morborum acciperent. *Vespere autem facto accesserunt ad eum discipuli eius dicentes: Desertus est locus, & hora iam præterit, dimitte turbas, vt euntes in castella, emant sibi escas* Curãt ibi Apostoli de turbarum cibo, at Iesus nulla eius ostendi- tur occupari solitudine. Sed Matt. 15. dum similis concursus fieret ad Iesum, conuocatis discipulis ait Iesus: *Misereor turbæ, quia triduo iam perseuerant mecum, & non habent, quod manducent. & dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via* Non solum attendit Dominus, sed & prouidet cibos, timens iis, ne deficiant in via. Et cur id & primis non timebat Dominus? Cur magis ad hos afficitur, & magis cauet, & timet, ne ij sine cibo deficiant? Ait ipse *Quia triduo perseuerant mecum, &c.* Illi per spatium vnius diei solum abstinuerãt à cibo, nec miror, quod nihil illis Deus timeat: at ij, qui toto triduo iuxta panem viuum extiterant, nec vllam panis buccellam applicuerant ori suo, meritò iis solis Deus timet, ne in via salutis deficiant. Vt enim ad hæc ait Euseb. Emissenus: *In hac via deficiunt ieiuni, per hanc viam currere non possunt, qui Christi pane non sunt refecti.* Sic ibi.

Matt. 14.

Matt. 15.

Eusib.

Exod. 5. Dixitque Pharao: Multus est populus terræ: videris, quod turba succreuerit: quanto magis si dederitis eis requiem ab operibus? Præcepit ergo in die illo præfectis operum, & exactoribus populi dicens: Nequaquam vltra dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, sicut priùs, sed ipsi vadant, & colligant stipulas. Et mensuram laterum, quam prius faciebant, imponetis super eos, nec minuetis quicquam, vacant enim, & idcirco vociferantur dicentes: Eamus, & sacrificemus Deo nostro. Opprimantur operibus, & expleant ea: vt non acquiescant verbis mendacibus.

§. X.

Nimia oppressio subditorum in temporalibus extremum exitium parat regna terreno, & maximum augmentum cœlesti.

QVid Pharaone crudelius? Vocabantur Israelitæ, vt se Deo subiicerent, eique cultum præberent: metuens autem Pharao & sibi, & regno suo damnum ab Israelitarũ profectione, eam miseris captiuis parat oppressionem, qua funditus in eis pereat Dei memoria. *Præcepit ergo in die illo Præfectis operum, & exactoribus populi dicens: Nequaquam vltra dabitis paleas: &, Opprimantur operibus, & expleant ea, &c.* Proh Deus immortalis! Hæc est illa Israelitarũ liberatio à te promissa? Siccine captiuitatis pœnas exuunt, etiam contrito Ægyptio per manum tuam fortem, vt promittebas? Estne idem opprimi populum feralissimis exactionibus, & liberari prorsus contrita tyrannide? Estne idem seuerioribus edictis in laboriosa opera teneri, & in libertatem filiorum Dei auolare? Equidem hæc duo solent à nimia oppressione subditorum nasci, & quod cœleste regnum assurgat, & quod terrenum imperium prorsus cadat. Nullo fortius prouidentia diuina promissionem suam ad effectum perduceret in conterendo Pharaonis regno, & in promouẽdo suo, quàm dum permisit Pharaonem tanta sæuire tyrannide. Ad hæc sapienter, & pulchrè loquebatur Lippom. in cat. satus: *Tyrannorum profectò hic mores describuntur, & feracitatis exẽpla, qui dum Dei populum è seruitute, & captiuitate vocat, induratis grauius premũt. Sed sic regere debent, qui iudicio propediem regno pellendi sunt. Talia sunt opera prouidentiæ diuinæ, ita initia sancta grauia sunt, ac difficilia Nemo ad summam requiem sine summo labore vnquam contendit. Sic libertati viam aperit, atque parat nimia crudelitas exactionum.* Ecce tibi ea seuerissimis edictis Pharaonis duo iam monstrantur inuicentia, alterum scilicet est, quod Pharao cito erat à regno depellendus, quando qui tam duriter, & immaniter regnũt, citissimè currũt in perditionem regni: quippe ait *Sic regere debent, qui propediem regno pellendi sunt.* Alterum autem est, quod populus inde quamprimum sit in requiem Dei, & libertatem filiorum eius promouendus; talia enim sunt opera prouidentiæ diuinæ, quæ ex maioribus afflictionibus magis augeant cœleste regnum in cœlo, & in terris. Sic quæ nocent terreno regno, maximè prosunt cœlesti. Nota est historia Roboami filij Salomonis, à quo cum populares peterent aliqualem diminutionem exactionum 3 Reg. 12. *Respondit rex populo dura: & locutus est eis secundum consilium iuuenum dicens: Pater meus aggrauauit iugum vestrum, ego autem addam iugo vestro: Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus. Et non acquieuit rex populo, quoniam auersatus fuerat eum Dominus, vt suscitaret verbum suum, quod locutus fuerat in manu Ahia Silonitis ad Ieroboam.* Itaque vt Deus suum consilium perficeret in tollendo regno Roboami, permisit Roboamum in eam seueritatem, & crudelitatem venire, qua duplicaret patris sui exactiones populo molestissimas. Sed & Iesus verus Dei filius Patris sui seueritates,

Lippom.

3. Reg. 12.

exactiones

Matth. 5.

exactiones multiplicat, sic enim Matth. 5. *Audistis, quia dictum est antiquis, non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo : : : Iterum scitis, quia dictum est antiquis. Non peierabis ; reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis non iurare omnino : : : Audistis, quia dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, &c.* Compone modo Iesum cum Roboamo ; vterque regis filius ; vterque regnum hæreditabat ex patre ; vterque paternas superabat seueritates, addens plures rigores, supra eos, quos pater posuerat aduersus subditos. Sed Roboam in illam cogitationem permittitur ire, vt regnum amittat ; Iesus autem sic regit, vt regnum stabiliat, vt regni cœlestis vacuatas sedes impleat. Quis agis ô bone? Cur seueritatis leges, & exactiones multiplicas? Nonne inde Roboam regnum amisit? Nonne inde regna temporalia perduntur? Cur tu magis ea non caues, vt regnum tuum stabilias? Imo inde magis ea intendit Christus, per quæ terrena regna perduntur, quæ enim terrena subditis vacuant, cœlestia implent. Ad hæc Rupert. de Trinit. lib. 1 in Euang. cap. 19. *Itaque quod nunc ait rex iste, rex nouus. Ego autem dico vobis, & in omnibus angustiam ostendit esse viam regni sui, magis quam hactenus fuerit, pene idem est, ac si dicat : Pater meus posuit super vos iugum graue, ego autem addam super iugum vestrum. Quid igitur hoc sibi vult, nisi quia rex iste Deus est, & quod regno terreno solet obesse, hoc cœlesti prodest regno eius?* Per eadem equidem & perduntur terrena regna, & cœlestia stabiliuntur. Exactorum seueritas nimia, & crudelitas in affligendis subditis terrenum regnum ad extremum impellit exitium, sed cœleste regnum valde confirmat.

Rupert.

Exod. 5. Igitur egressi Præfecti operum, & exactores ad populum, dixerunt: Sic dicit Pharao, Non do vobis paleas. Ite, & colligite sicubi inuenire poteritis, nec minuetur quicquam de opere vestro. Dispersusque est populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas. Præfecti quoque operum instabant, dicentes: Complete opus vestrum quotidie; vt prius facere solebatis, quando dabantur vobis paleæ.

§. XI.

Non est rex, qui subditos supra modum premit.

NOn possum non mirari sacri Scriptoris differentiam in nominando Pharaone, namque supra vbi introducitur Pharao locutus cum Moyse, & Aaron, ait textus : *Ait ad eos rex Ægypti ; Quare Moyses, & Aaron sollicitatis populum ab operibus suis? Ite ad onera vestra.* Verum vbi agitur de eodem aggrauante supra modum populum sibi subiectum, statim relicta regis appellatione incipit text. *Dixitque Pharao, &c.* imò ipsissimi illius præfecti, vt eius crudelissimum edictum notum faciant Israelitis, aiunt: *Sic dicit Pharao. Non do vobis paleas.* Et cur vocatus primò rex Aegypti, modò solum Pharao vocatur? Nonne efficacius edictum proponerent sub expresso nomine regis, dicentes: *Sic dixit rex: Non do vobis, &c.* Cur modò nomen supprimitur regis, quod primò exprimebatur? Equidem, in primo dicitur rex, vt qui à subditis consueta, & moderata opera exquirebat, sub quibus non nimis opprimebantur. In secundo autem quando nimiam eorum tractat oppressionem, quando vult eos supra modum, & supra vires grauari, tunc ablato nomine regis, solum nominatur Pharao. Et meritò, non enim rex est, qui subditos supra modum grauat. Vnde Paul. Oros. lib. 7. c. 4. de Tiberio Imperatore aiebat: *Tiberius quibusdam præsidibus augenda prouinciis tributa suadentibus scripsit, Boni pastoris esse, tondere pecus, non deglubere.* Non pastor, non rex, non princeps, sed carnifex est, qui pecus subditum mactat. Exod. 3. vbi Moyses dux populi inaugurabatur ad rubi ardentis miraculum, sic audit ex Dei voce : *Solue calceamenta de pedibus tuis.* Nunquam antea auditum fuit, quod in signum reuerentiæ calceamenta soluantur, frequentior ad hoc erat apud nationes capitis nudatio. Cur Deus à suo principe petit calceorum ablationem, non nudationem capitis? Caput laneis operiebatur, quę de pecudū tonsione sumebantur : calcei autem ex pellibus fiunt, quæ supponunt iugulationem, & mortem animalis. Sic innuebatur principi, ne de pellibus occisorum, sed de tonsione vitam agat. Non enim rex est, qui mactat subditos, sed qui illis vitā affert. Hinc Dauidi puerulo regnum statuens Deus, illum vocat in certamē cum Goliath, per quem totus Israel periclitabatur. Ait enim text. 1. Reg. 17. *Audiens autem Saul, & omnes Israelitæ sermones Philisthæi huiuscemodi stupebant, & metuebant nimis.* Cum hoc Philisthæo pugnaturus mittitur a Deo Dauid ; quando fortissimi omnes Israelitarum pugnatores cadebant animo, & mortem, aut seruitutem expectabant. Et cur Deus maluit omnium Israelitarum spem in vnius puerulli Dauidis constituere manu? Meritò, vt inde iā rex designaretur, ex quo nullus subditorum non deberet ei vitam, & libertatem. Pulchrè ad hæc D. Basil. Sel. orat. 15. *Iam Saul à dæmoniaca seruitute liberatus erat, & lyra pulsu Dauid impurati spiritus dominationem fregerat : conflictus cum Goliath dæmonum pugna successit, ne solius regis sospitator esset Dauid, verum etiam palam de vniuerso Israele bene mereretur, & subditis allata salute rex stabiliretur, ac promulgaretur.* Quippe inde quis rex stabilitur, & designatur, si subditis suis, & vitam, & incolumitatem præbeat. Sanè nullus est, qui illum regem credat, qui in danda salute subditis non perseuerat. Vnde cum Christus Dominus suffixus cruci subditorum suorum salutem sanguine proprio emebat, stultissime clamabant Pharisæi Matth. 27. *Si rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei.* Contra quos sapienter ait D. Leo serm. 4. de Pass. *De quo erroris fonte Iudæe, de quo inuidiæ lacu talium blasphemiarum venena potasti? Quis vobis magister tradidit, qua doctrina persuasit, quòd illū regem Israel, illum Dei filium credere deberetis, qui se crucifigi non fineret?* Nullus magister, nulla ratio, nulla doctrina ostendere potest eum regem esse, qui pro subditorum salute sibi parcit.

Paul. Oros.

Exod. 3.

1. Reg. 17.

Basil. Sel.

D. Leo.

§. XII.

De malitia diaboli venit, quod homo ad leuiora, & minuta solum respiciat.

VIde & tyrannicum, & diabolicum decretum aduersus homines, nimirum : *Ipsi vadant, & colligant stipulas*, non permitteris aliud respicere, aliud cogitare, quam stipulas, quam res nullius ponderis, & momenti. Sic semper tenentur, qui diabolica tyrannide, & malitia reguntur, vt nesciant attendere nisi ad stipulas, ad res leuissimas. De Iesu locutus Ioann. cap. 7. inquit : *Iam die festo mediante, ascendit Iesus in templum, & docebat. Et mirabantur Iudæi dicentes. Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?* Sanè multa dicebat Iesus mirabilia, quæ sapientissimos quosque in admirationem raperent, & maximè illos instruerent. Sed Iudæi, quid mirabantur in hoc doctore cœlesti? An altitudinem doctrinæ? An vtilitatem? An præstantiam? Minimè, sed altitudine, & præstantia, & vtilitate doctrinæ posthabita, illud mirabantur, quod ad illos erat momenti nullius, nimirum quomodo sciret literas. Sic enim erant imbuti diabolica malitia, vt solū ad id quod leuius erat, & nullius pōderis respicerēt. Ait D. Chrysost. hom. 48. in præsenti, inquiens: *Vides eorum plenam malitiæ admirationem? Non enim doctrinam admirabantur, neque capiebant. Sed alia eos mouebat admiratio, vnde id sciret.* Quæ dicebantur a Iesu ea erant, quæ ex se maximè conducebant ad hominum vitam, ad hæc tamen non attendebant Iudæi, sed iis magnis relictis, quod leuius, & nullius vtilitatis erat, id mirabantur, id exquirebant, clamantes. Quomodo hic literas scit? O plenam admiratione malitiam! Vt enim pleni erant malitia diabolica, sic relictis solidis, & pretiosis, solas respiciebant stipulas nullius fructus, nec momenti. Nescit equidem malitia ad pretiosa, & solida respicere : Hinc Lucas cap. 7. *Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti, & stans retro secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius : : & vnguento vngebat.* Sed & Matth. cap. 26. de hac eadem fœmina dicitur : *Accessit ad eum mulier habens alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius, &c.* Expende, vt primò dicatur mulier attulisse vnguentum, non tamen exprimitur, quod vnguentum fuerit pretiosum : in secundo autem, non solum vnguentum, sed & pretiosum explicatur. Et cur in primo non dicitur vnguentum etiam pretiosum? Tunc introducebatur mulier peccatrix in ciuitate, adhuc diabolicæ malitiæ seruiens reatui, ex quo habebat nondum pretiosa, & solida tractare. Ait Origen. homil. 35. in Matth. *Considera, quam caute apud hos, qui peccatricem non retulerunt, vnguentum eius quasi*

Ioan. 7.

Chrysost.

Luc. 7.

Origen.

pretiosum laudatur. Apud Lucam autem, qui exposuit peccatricem, vnguentum simpliciter nominatur, nec pretiosum, nec nardi pistici. Adhuc enim habere non poterat vnguenta huiusmodi. Minime pretiosa, & solida tractantur ab illis, qui constringuntur diabolicæ malitiæ reatibus. Hæc enim non sinit suos ad alta aspicere, quam ad leuidensia, & parui, aut nullius momenti. Nouit hoc sanctissimus ille Ioseph, qui vt dominæ suæ furentem libidinem repelleret, hæc illi referebat. Gen. 39. *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo sua, nec quicquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi præter te, quæ vxor eius es, quomodo ergo possum hoc malum facere?* Quantula hæc ratio pro peccato depellendo, quæ desumitur ab homine? Nonne fortior longe esset, quæ ex Deo desumeretur, & ex æternis pœnis peccatori imminentibus? Cur nec Deum, nec infernum meminit Ioseph, sed tantum heri sui offensam prætendit, quæ in peccato minimum malum est, adeò vt Dauid solum dixerit Psal. 50. *Tibi soli peccaui*, quasi nihili æstimaret hominũ offensas, præ Dei offensa? Cur ergo hoc, quod Dauid in peccato suo paruipendit, id solum prætendit Ioseph, vt peccatricem auertat? Cur non ad maiora, & præstantiora recurrit? Sanè res erat cum fœmina malitiæ diabolicæ plena, quæ minime perciperet magna, & præstantia, & ideò sapiens iuuenis illi leuiora, & viliora prætendit, vt ad quæ mulier peccatrix magis attenderet. Pulchrè D. Chrysost. hom. 32. in 1. ad Corinth. inquit: *Cur autem heri erga se beneficia commendat? Diuinarum rerum merita barbaram impellere mulierem non putasset, ab humanis igitur impellere tentat.* Diuina, & solidiora dimittit, vt quæ minime attendantur ab iis, qui sunt diaboli malitia infecti, humana, & leuia prætendit, vt quæ sola respici soleant à vitiorum seruis.

Gen. 39. Psal. 50. Chrysost.

§. XIII.

Lucelli temporalis ambitio in seruis Dei grauiores factiones parit.

DAbat antea Ægyptius paleas Israelitis ad conficiendos lateres; & cum Ægyptius paleas dabat, minime dicuntur Ægyptij per terram dispersi, vt illas colligerent. Vbi autem coacti sunt Israelitæ paleas quærere, ecce ait textus: *Dispersúsque est populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas.* Itaque Israel totus dispergitur per terram Aegypti, vbi intendit colligere paleas: sed Aegyptius in eadem collectione palearum dum occupabatur, non dispergebatur. Et cur palearum inquisitio non in Aegyptiis, sed in Israelitis tantam dispersionem parit? Adumbrabatur iam tunc, quid in religiosorum hominum natione, vel parui lucelli temporalis inquisitio, & ambitio parit: lucelli enim parui ambitio, quæ non commouet homines mũdiales; hæc in religiosorũ adytis perniciosas dispersiones, & diuisiones facit. Caueat religiosa natio affectum ad quæstus licet parua lucella temporalia; vbi enim hic affectus intrauerit religiosa claustra, fallar, nisi ibi mille animorum dispersiones, & diuisiones & factiones gignantur. Numer. cap. 11. Israelitæ fastidientes cœlestem panem plorabant pro cæpis, & peponibus: *Audiuit ergo Moyses populum flentem per familias, singulos per ostia tentorij sui.* Vbi Lyra in addition. 4. ad 4. audiens, quod flebant per familias, colligit, *quod erant diuisi ab inuicem, & non congregati.* Sed Oseas cap. 9 de illis ait: *Reuersus est Ephraim in Ægyptum, & in Assyriis pollutum comedit :: Ægyptus congregauit eos.* Ecce ibi egressi ab Aegypto, cœlesti pane pasti, & recreati diuisi ab inuicem, & non congregati fletibus vacabant pro cæpis Aegyptiorum. Verum reuersi in Aegyptum prophanis ibi pabulis dediti congregabantur, ait enim: *Ægyptus congregauit eos.* Cur ergo cæpæ Aegyptiæ Hebræos in Aegyptum reuersos minime diuidebant, sed prorsus congregabant; at illæ ipsæ, vel concupitæ ab eisdem in deserto carentibus, illos diuisos, & dispersos tenebant fletibus vacantes? Equidem in deserto sancti, & religiosi erãt Israelitæ, cœlestibus alti pabulis, in religiosa autem natione temporalis lucri affectus diuisiones, & discissiones parit; quas minime pariebat in eisdem, quando à religione discedentes ad Aegyptum reuertebantur, ibique mundialiter, & prophanè victitabant. Non enim vilis lucelli affectus adeò factionarius est in mundialibus, vt in religiosis claustris. Hinc Matth. cap. 20. ad Iesum *accessit mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans, & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi. Dic vt sedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram, in regno tuo.* Et quidem dextera æterni regis non solum duos capiebat fratres, sed & ibi vniuersa sanctorum multitudo erat collocanda; sic enim habes Matth. 25. *Statuet oues à dextris.* Vna ergo Iesu dextera vniuersos cœli principes capiet. Cur mulier hæc non petebat, vt ambo filij collocarentur in dextera? Cur maluit, vt diuisi, & separati à dextris, & sinistris extarent? Cur non potius illis & sedis, & honoris requirebat vnitatem? Rationem attigit D. Chrysost. homil. 66. in Matth. fatus: *Quoniam prope Ierusalem erant, credebantque regnum Dei iam iam euenturum, quod huius vita, ac seculare opinabantur, hoc postulabant.* Et merito, vbi sæculare regnum capturum opinabantur, rem postulabant, qua diuisi, & separati à se inuicem extarent, non potest enim temporalis affectus in natione sanctorum longas diuisiones non causare.

Osea 9. Matth. 20. Chrysost.

Exod. 5. Flagellatique sunt, qui præerant operibus filiorum Israel ab exactoribus Pharaonis, dicentibus. Quare non impletis mensuram laterum sicut prius, nec heri, nec hodie? Veneruntque præpositi filiorum Israel, & vociferati sunt ad Pharaonem, dicentes. Cur ita agis contra seruos tuos? Paleæ non dantur nobis, & lateres similiter imperantur. En famuli tui flagellis cædimur, & iniustè agitur contra populum tuum.

§. XIV.

Non omnium est, sed præstantissimorum, quod vel mediis ærumnis nihil Deo perficiant contrarium.

VIde quo ferat flagellorum acerbitas præpositos populi Israel, nimirum, *vociferati sunt ad Pharaonem dicentes. Cur ita agis contra seruos tuos? En famuli tui flagellis cædimur, & iniustè agitur contra populum tuum.* Nulla in illis memoria Dei, sed sese totos fatétur Pharaonis famulos. Quid turpius? Equidem non omnium est tormentis non vinci. Ait hom. 3. in præsenti Orig. *Superati verberibus nonnulli à fide decidunt, & confitentur se esse populum Pharaonis. Non enim omnes, qui ex Israel, hi sunt Israelitæ. nec quia sunt semen, sunt omnes filij.* Non equidem omnium, sed præstantissimorum est illa fortitudo, qua veri Israelitæ, veri Dei filij nullis adducantur ærumnis, vt præstent Pharaoni famulitium, sed vni Deo se sistant. Martha illa Ioann. 11. fratris vnici morte afflicta, amarissimisque luctibus, & doloribus cincta, *vt audiuit, quia Iesus venit, occurrit illi.* Id quod meditatus D. Basil. Sel. orat. 40 ait: *Occurrit Christo luctu adhuc adolescente. Vides amorem viuacem.* Et quidẽ non parui amoris res erat, quod cum tãti luctus, tanti doloris adolescerent causæ, non tamen pigritaret Iesu venienti sese in primis præsentare. Quin præstantissimæ amatricis fuit, quod adolescente luctu, & ærumna, adhuc nec ad modicum sustinuerit à Iesu superari. Compone modo Marthæ Moysem, qui Num. 2. iussus educere aquam de petra, assumpta virga ait: *Num de petra hac vobis aquam poterimus educere?* Multa indubitanter fecerat mirabilia Moyses cum virga, cur modo dubitat, aquam de petra præstare? Theod. q. 38. *Ipsis de morte sororis dolentibus, instabant Israelitæ murmurantes ob aquæ penuriam. Quapropter moleste ferentes eorum petulantiam, ambiguis vsi sunt verbis, dum educerent aquam.* Erant Moyses, & Aaron dolentes de recenti obitu sororis, & adolescente adhuc luctu vocabantur ad educendam aquam, & inde in errorem sunt delapsi. Non enim omnium, sed optimorum est, quid in mediis luctibus, & calamitatibus nesciant deuiare. Vnde commendans Gorgoniam sororem suam Nazianzen. ait: *Modestiam, & verecundiam in doloribus quoque retinuit.* Hinc ipse Iesus dum in cruce erat immensis pene doloribus occupatus Ioann. 19. *Cum vidisset matrem, & discipulum, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier ecce filius tuus.* Et quantum hoc fuit ad matris solatium, quod amisso filio Deo, reciperet hominem Ioannem? Quando ergo hoc parum, aut nihil conducebat ad matris solatium; cur Iesus inter tot dolores voluit id matri procurare? Fateor, paruum erat hoc matris solamium, at maximum argumentum fuit Christi præstantiæ; quem tot genera pœnarum non adduxerunt, vt à debito matris officio deuiaret. Ex quo pulchrè ait D. Cyril. Alexand. lib. 12. in Ioann. c. 34. *Cum igitur eum per legem ipse præceperit, cumque omnia*

Origen. Basil. Sel. Theod. Nazian. Ioan. 19. D. Cyril.

omnis virtutis ipse fons sit, quomodo non oportebat ab ipso, & per ipsum primum nos discere, nec quando intolerabiles immineant ærumnæ, negligendos esse parentes? Optimus enim ille certe est, non qui magna in tranquillitate, ac copia rerum, sed qui in tempestate, & egestate mandatorum non obliuiscitur. Expende ab illis: *Optimus enim ille certo est, &c.* Inde enim quis ostenditur inter præstantissimos annumerari, quod mediis calamitatibus, mediis ærumnis, mediis tormentis nesciat, quid debiti Dei obsequij detrahere. Bonum enim est, & præstans, quod in tranquillitate Deo obsequium præstes, at quod id neque inter verbera, & tormenta obliuiscaris, optimum est, & superat quamcumque aliam præstantiam. Forsan Apostoli Iesu non clarius prædicarunt veram diuinitatem, quàm illam Nabuchodonosor prædicauit. Ecce tibi Daniel. cap. 3. Babylonium regem post visos pueros in fornace ardenti incolumes dicentem: *Nabuchodonosor rex, omnibus populis, gentibus, & linguis, qui habitant in vniuersa terra, pax vobis multiplicetur. Signa & mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi prædicare signa eius, quia magna sunt, & mirabilia eius, quia fortia, & regnum eius regnum sempiternum, & potestas eius in generatione, & generationem.* Quæ clarior, & illustrior de vero Deo prædicatio? Sanè & Apostoli Dei mirabilia, & magnalia, & potestatem, & eius regni æternitatem mundo annunciabant, eadem & Nabuchodonosor annunciauit. Apostoli ad remotissimas vsque terras prædicationem suam extenderunt: in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed & Nabuchodonosor omnibus populis, & linguis, & gentibus, quæ habitant in vniuersa terra prædicauit. In quo ergo Apostolica prædicatio fuit clarior, & illustrior prædicatione per Nabuchodonosor facta? Hic prædicabat Deum, sed in regno, & bonorum affluentia constitutus; illi in mediis ærumnis, mediis calamitatibus, mediis persecutionibus, & tormentis non potuerunt impediri, quominus Deum verum prædicarent. D. Chrysost. epist. 8. ad Olympiam, fatur: *Vide Nabuchodonosoris doctrinam, vides excelsam prædicationem, & extensas literas vbique terrarum? Quid itaque dic mihi, parem num Apostolis accipiet iste mercedem? quoniam locutus est De non impari prædicatione virtutem, quoniam tanto studio tam bonum sparsit vbique sermonem? Non plane, nec quasi aliqua ex parte; sed supra modum prorsus minorem. At qui id ipsum opus fecit, quod illi. Sed quoniam non huic, vel afflictiones, vel passiones videntur adiunctæ, ideo intercissa sunt iura mercedis. Hic namque cum potestate agebat hoc totum, illi verò prohibitionem, & expulsiones sustineates, pœnas omnes ferentes, ac verbera, in miseriis constituti, &c.* Sic optimum est, & super omnia præstantissimum, quod vel inter acerbissima tormenta, non te à Deo separari sinas.

Exod. 5. Qui ait: Vacatis otio, idcirco dicitis: Eamus, & sacrificemus Domino. Ite ergo, & operamini. Paleæ non dabuntur vobis; & reddetis consuetum numerum laterum. Videbantque se præpositi filiorum Israel in malum, eo quod diceretur eis: Non minuetur quicquam operis de lateribus per singulos dies.

§. XV.

Fidelium tribulationes vix sciunt exhauriri, aut laxari, dum in hac vita sunt.

HÆc est vox aduersariarum potestatum ad Dei fideles; *Non minuetur quicquam operis de lateribus per singulos dies.* Dum enim fideles in hac sunt captiuitate, nesciunt aduersariæ potestates suas finire tribulationes, sua exhaurire iacula, quibus affligant fidelium animas. Iam Iesus suffixus cruci erat, iam pene agebat animam Ioann. c. 19. *Postea sciens Iesus, quia iam omnia consummata sunt, vt consummaretur scriptura, dicit: Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes obtulerunt ori eius.* Quis tantam crederet feritatem in Christi hostibus, vt & iam pene enecto pro frigida acetum præberent? Cur non magis comprimimini, ô miseri? Mille tormentis Dominum in crucem egistis, & ibi ille pene exanimem, doloribúsque confectum habetis. Cur iam non miseremini, & dulcem aquam sitibundo præbetis? Cur non seua cordis vestri rigor, vel paulisper lenitescit, sed & animam eius egredientem, & quasi in labiis manentem acerbatis aceto? Nesciunt Christi hostes lenescere, nesciunt aliquid Christiani laboris minuere, sed noua illum acerbitatibus, dum in viuis manet, acerbant. Ex quo aiebat D. Cyrill. Alexand. lib. 12. in Ioan. cap. 35. *Inter cætera igitur, quæ crudeliter in Christum facta sunt, hoc quoque peculiare indicamus. Ex quo non parum vtilitatis consequi possumus. Discimus enim hinc non posse satiare aduersariorum animos in persequendis amicis Christi, sed vsque ad vltimum spiritum, ubique undique tentationum commouent æstum.* En inextinguibilem in fidelium hostibus odiorum flammam! Nesciunt manus cessare fidelium aduersarij, sed in persequendis Dei amicis omni semper meditantur, nec iis iam animam agentibus parcunt, imò nec mortuis seruis Dei moritur inimicorum rabies. Quod stupens Psalm. 78. ait: *Posuerunt morticina seruorum tuorum escas volatilibus cæli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.* Circa quæ pulchrè, & eleganter Eusebius Gallicanus homil. de sancta Blandina, fatur: *Id elaborabant inimiquitates, vt se ipsum scelerum nouitate superaret. Sacra corpora funeris honore priuantes ignibus dabant, & post hominum mortem contra ipsam pugnabat humanitatem. Et cum iam causa periisset furoris, finem non ponebant crudelitati.* Nesciunt equidem restingui rabies eorum, qui seruos Dei persequuntur; vel ablata furoris materia, adhoc nouis incenditur crudelitas flammis. Abstulerat Cainus fratrem, & fratre occiso non mitior factus, sic Deo respondit interroganti Genes. c. 4. *Numquid custos fratris mei sum ego?* Cur scelesta non mitioribus verbis memoras defunctum fratrem? Cur in tantæ innocentiæ sanguine non magis emolliuntur pectora adamantina? Ea est rabies impiorum aduersus sanctos, quæ nunquam sciat cicurari, quæ minime vllam diminutionem patiatur. Ait D. Basil. Seleuc. orat. 4. *O vocem ipsa cæde magis execrabilem! O sententiam impiam, & linguam impietate tetriorem! Nec vero cædis ipsius conscientia inuidentiam, odiaque iam nullo renouat, cumque excisum Abelum non videat, contra fratris animum stomachatur, forte timeret, quod emeritus iugulum repetere nequeat.* Sic nescit minui furor aduersus sanctos.

Exod. 5. Occurreruntque Moysi, & Aaron, qui stabant ex aduerso egredientes à Pharaone, & dixerunt ad eos: Videat Dominus, & iudicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, & seruis eius, & præbuistis ei gladium, vt occideret nos. Reuersusque est Moyses ad Dominum, & ait: Domine, cur afflixisti populum istum? Quare misisti me? Ex eo enim, quo ingressus sum ad Pharaonem, vt loquerer ex nomine tuo, afflixisti populum tuum, & non liberasti eos.

§. XVI.

Grauis, & insueta afflictio, & calamitas fideli populo est, quod malorum remediis mala crescant.

NOn possum non mirari, cum videam Israelitas aduersus Pharaonem tam humiles, aduersus Moysem tam acres. Pharaonis non sustinentes tyrannidem aiebant: *En famuli tui flagellis cædimur, & iniuste agitur contra populum tuum.* Verum eiecti à Pharaone, & inuenientes Moysem, sic modo aduersus illum insurgunt. *Videat Dominus, & iudicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone.* Hos in iudicium Dei vocant, Pharaonem minime. Pharaoni solum ostendunt afflictionem suam, Moysi, & Aaroni obiciunt terribile Dei iudicium. Cur non magis illud Pharaoni obiciunt? Cur acriores sese ostendunt in Moysem? Ipsi aiunt. *Quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone.* Videbant in Moyse remedia omnia, quibus sperabant se à tyrannide Pharaonis liberandos; versa esse in maioris tyrannidis incitamentum: & vitam, quam mediatore Moyse odorabantur, conuersam esse in fœtorem, quo citius perirent. Quod malum & durum, & insuetum, & peregrinum erat fidelis populi iudicio. Et quantum malū est, quod in ipso mali remedio duriores homines timeant? Sanè hoc atrocissimi mali genus semel in Ethnicis agnitum à fidelium supplicio alienum reputat Paul. Oros. lib. 5. c. 11. dum hanc in Africa

calamitatem definit. Cùm per totam Africam immensæ locustarum multitudines coaluissent, & non modo iam spem cunctam fructuum abrasissent, herbásque omnes cum parte radicum, & folis arborum cum teneritudine ramorum consumpsissent, verum etiam amaras cortices, atque arida ligna perrosissent, repentino arreptæ vento, atque in globos coactæ, portatæque diu per aerem Africano pelago immersæ sunt. Harum cum immensos aceruos longe vndis vrgentibus fluctus per extenta late littora propulisset, [illegible]eterum nimis, atque vltra opinionem pestiferum odorem, tabida, & putrefacta congeries exhalauit. Vndè omnium pariter animantium tanta pestilentia consecuta est, vt auium, pecudum, ac bestiarum corruptione aëris dissolutarum, putrefacta passim cadauera vitium corruptionis augerent. At vero quanta fuerit hominum lues, ipse ego dum refero perhorresco. Quid horribilius? Ablatio mali locustarum, versa est in funestiorem prouinciæ perniciem. Quis videns, locustas vento rapi, & in mare demergi, non crederet præsentissimi mali remedium existere? At receptæ in mare viuæ locustæ, & euomitæ mortuæ fœtore sub extremum Africæ ethnicæ attulerunt exitium. Quid tunc? Hoc malum fidelibus ignotum sic dixit. *Veruntamen, pace & gratia omnipotentis Dei dixerim, de cuius misericordia hæc loquor; nunquam temporibus Christianis tanta vis inextricabilis mali accidit, vt perniciem locustarum, quæ nullo modo ferri viua potuisset, mortua plus noceret: & quæ diu viuentes peritura erant omnia, ea perdita, pereuntibus magis omnibus optandum fuerit, ne periret.* Et quidem ex malorum remediis orta pernicies, vt maxima, sic cum populo fideli erat, & insueta peregrina. Quid enim durius, quam quod mali remedium eo peruenit, vt optandum sit, quod magis prius malum existeret? Tanta calamitas non inuenta est, nisi vt impios, & infideles puniat. De reprobo Pharisæo ait Luc. cap. 18. *Pharisæus stans hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum: ieiuno bis in Sabbatho, decimas do, &c.* Adducitur hic Pharisæus in perditorum exemplum, & adducitur ieiunans, orans, decimas dans. Et qualis pernicies esse potest in ieiunatore, in scelerum persecutore? Maxima, dum illa ipsa peccatorum remedia inficiebantur, & in pestiferum fœtorem iactantiæ conuertebantur. Sic de illo ait Eoseb. Gallican. serm. 6. de orat. *De domo Dei Pharisæus nimiæ sibi securus præsumptionis reportauit offensam: odibile enim fecerat sacrificium orationis suæ fœtore iactantia.* Ecce tibi vt Pharisæus peccatorum remedia, & salutis fontes, nimirum orationes, ieiunia, solutiones decimarum in pestiferum fœtorem commutauit, qui hominem reprobum statuat. Sed cui accideret tantum malum nisi Pharisæo? Perfido, & deplorato homini illud Dauid imprecabatur Psalm. 108. *Oratio eius fiat in peccatum.* quando enim oratio fidelium remedium solet esse peccatorum, magni, & insueti supplicij est argumentum, quod inde eructent peccata, & miseriæ, vnde sperabatur remedium. Vt dicat Diuus Ambrosius lib. 1. de Abel cap. 9. *An nescis, quam graue sit in oratione contrahere peccatum, vbi speras remedium? Certè Dominus per prophetam docuit hoc graue esse maledictum, dicens: Et oratio eius fiat in peccatum.* Quæ calamitas proditorem Christi tenuit, & vexauit, vt Diuus Hieronymus ibi, & Diuus Leo sermone 5. de Pass. testantur.

Luc. 18.

Eoseb.

Ambr.

§. XVII.

Ex tunc vera Dei virtus in nobis apparet, ex quo tentationibus paramur.

VIx in Dei nomine cum Pharaone actum est de Israelis salute, & Israelitarum tentationes, & afflictiones incipiunt. Sic enim ait Moyses: *Ex eo enim, quo ingressus sum ad Pharaonem, vt loquerer ex nomine tuo, afflixisti populum tuum.* Simul Moyses cœpit agere cum Pharaone in Dei nomine, & Israelitarum afflictionibus aditus aperitur. Hoc enim indicium est veræ assistentis virtutis, quod & occurrat tentationibus, & probetur periculis. Ex quo aiebat Eusebius Gallicanus homilia de sancto Honorato: *Teneamus verum humilitatem. Veram dixit, id est, quæ neueris prouocata vincit, irritata non lædi; quæ parata sit ad omnem colluctationem.* Expende ab illis, *verum dixit, &c.* inde enim censet veritatem virtutis, si prouocata vincat, si parata sit ad omnem colluctationem quasi dum non est in lucta, vera virtus non sit. Et ex tunc apparcat vera esse virtus, ex quo illi præponitur probatio in tentationum periculis. Hinc Dominus ad tentatorem Diabolum de Iob cap. 1. *Num considerasti seruum meum Iob, quod non sit ei similis in terra, simplex, & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo?* In catena Græca legitur: *Non est secundum ipsum aliquis eorum, qui sunt super terram, homo irreprehensibilis, iustus, verus, pius, &c.* Expende, quod prius vocat irreprehensibilem, & iustum, deinde verum, cum in re prius sit esse verum quàm irreprehensibilem. Et cur prius dixit irreprehensibilem quam verum? Dum irreprehensibilem dicebat, diabolus tentator excitabatur ad tentationes parandas, quæ semper præmitti debent, vt clare veritas virtutum appareat. Ait ibi Diuus Chrysostom. *Primum omnis homo verus est, idque ex ipsius ratione, deinde sine reprehensione est, & sine querela ex vita consuetudine. Sed hoc loco propter conflictum cum diabolo irreprehensibilem vero præponit.* Illud in homine quouis præponendum est, quod conflictibus, & tentationibus est iunctum diabolicis, vt deinde eius virtutum veritas possit euidentius exponi. Sic ipse diabolus irridebat Iobi virtutes, quas minimè veras credebat, dum nulla probabantur tentatione. Ait enim cap. 1. *Nunquid Iob frustra timet Deum? Nonne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamque substantiam per circuitum, operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra? Sed extende manum tuam, & tange, &c.* Ecce dum Iob tentationi non concedebatur, eius virtutem veram minime diabolus credidit. Vnde cum hæc à diabolo dicta audit Dydimus in catena Græca ait: *Proprium eorum est, qui virtuti sunt inimiciores, cæterorum bona minime vera esse omnimo[illegible].* Sed illud flagitat dæmon, vt vera credat, nimirum quod Iob tangatur manu Dei, hoc est, quod tentationibus, & periculis detur. Et quidem ex tentationum conflictibus vera virtus censetur. Vnde Numerorum cap. 1. ait Dominus: *Tollite summam vniuersæ congregationis filiorum Israel per cognationes: & domos suas, & nomina singulorum, quicquid sexus est masculini à vigesimo anno, & supra, omnium virorum fortium ex Israel.* Et qui numerabantur? ait infra: *Omnes, qui poterant ad bella procedere.* Vbi eleganter Theodoretus in catena Græca fatur: *Tu velim ex hoc etiam mihi consideres, in censum Dei, & in librum vitæ nullum ætatem referri, nisi quæ virilis, & idonea sit bellis tentationum perferendis.* Itaque ex quo quis Dei esse incipit, hoc habere debet, quod idoneus sit, vt sese exponat tentationum periculis.

Iob 1.

Chrysost.

Iob 1.

Dydimus.

Num. 1.

Exod. 6. Dixitque Dominus ad Moysem: Nunc videbis, quæ facturus sum Pharaoni: per manum enim fortem dimittet eos, & in manu robusta eiiciet illos de terra sua. Locutusque est Dominus ad Moysem, dicens: Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai, non indicaui eis. Pepigique fœdus cum eis, vt darem eis terram Chanaam, terram peregrinationis eorum, in qua fuerunt aduenæ.

§. XVIII.

Tunc solet Deus seruis suis accurrere, quando in illos rabies creata non habet, quid amplius agat.

EXpende illud, *Nunc videbis, &c.* Nunc nimirum, quando afflictiones Israelis creuerunt, quando Pharao aggrauauit eorum oppressionem, vt iam eis vel viuere non liceret. Nunc, inquam, affuturus est Deus, qui tunc solet suis accurrere, quando rabies humanæ omne suum virus exhauserunt. Et quidem Dan. 3. tres Hebræi pueri Nabuchodonosori furenti sistuntur, quibus ipse dira minatur, imo eos ligari iubet, & in ardentissimam fornacē immitti. *Angelus autem Domini descendit cum Azaria, & socijs eius in fornacem, & excussit flammam ignis, &c.* Non antea, sed cum iam in medijs flammis pueri essent, Angelus Domini accurrit. Et cur non ante venit? Cur cum regi adstarent, sine cum ligarentur,

Dan 3.

rentur,

rentus, non affuit, & illos eripuit? Cur maluit expectare, vt coniicerentur in ignem? Expectabat equidem, quod regis furor omne virus exhauriret, & nihil haberet iam, quod aduersus illos efficeret, vt sic clarior pateret puerorum triumphus. Ait D. Chrysostom. homil. 6. ad Popul. *Propterea & Deus permisit omnia fieri, quacumque tyrannus voluit, vt demonstraret, quod à se custoditos offendere posset nemo. Voluit rex ipsorum vrbem euertere, & Dominus non prohibuit: voluit captiuos ducere, & non impediuit; voluit ligare, concessit, in fornacem iniicere permisit: flammam vltra modum succendere, & hoc dimisit. Et quando nihil reliquum fuerat, sed omnem vim tyrannus exhauserat, tunc suam Deus virtutem monstrauit, & puerorum patientiam.* Is est Deus, qui in seruis suis gaudeat confligere cum omnibus aduersarum potestatum viribus; adeo, vt nisi prius ex omne suum virus promat, vix amet Deus in arenā prosilire. Quis nesciat diaboli prælia aduersus Iobi innocentiam? Chaldæorū exercitus armat, qui eios rapiat greges; ignē cœlestem immittit, qui oues cōsumat; vētos trahit, qui domum quatiant, & filios opprimāt. Addit insuper omnia morborū genera, vxoris insultus, amicorum morsus, & tunc c. 42. *Postquam autem locutus est Dominus verba hæc ad Iob, dixit ad Eliphaz Themanitem: Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, &c.* Cur non antea respondit Dominus pro Iobo? Cur vel inter morbos non apparuit, vel amicorum non frænauit linguam? Expectabat bonus, vt diabolus omnes suas machinas in medium produceret, vt nihil haberet, in quo non maneret victus. Ait D. Chrysost. hom. ad Popul. *Permisit diabolum omnem suam potentiam ostentare: & postquam omnes hausit sagittas, & nullus insidiarum modus derelictus est, tunc à stadio pugilem eduxit, vt clara, & indubitata fieret victoria.* Non adeo claræ esset victoria, si hostis omnium suarum virium non fecisset periculum; si adhuc haberet telum, in quo gloriaretur non fuisse victus; ideo expectare solet Deus, vt omnia sua tela aduersarij exhauriant, & tunc virtutem suam suis asseclis ostendit.

Chrysost. *Chrysost.*

§. XIX.

Vbi regnandi cupido viget, non leuibus frænatur, sed maximis.

NOn immeritò de dimittendo à Pharaone populo Israelitico locutus textus ait, *per manum fortem dimittet eos, & in manu robusta eiiciet illos:* hoc est, non nisi manus fortis, & robustæ plagam expertus populum sibi subiectum dimittet. Et quis à populorum regimine abstrahetur, aliis, quam robustis, fortibusque plagis percussus? Ecce tibi Numer. cap. 12. *Locuta est Maria, & Aaron contra Moysem propter vxorem eius Æthiopissam, & dixerunt: Num per solum Moysem locutus est Dominus? Nonne & nobis similiter est locutus?:: Iratusque contra eos Dominus abiit. nubes quoque recessit, quæ erat supra tabernaculum: & ecce Maria apparuit candens lepra quasi nix.* Sic rebellio in Moysem castigata à Deo est; sed & infra cap. 16. *Core filius Isaar, filij Caath, filij Leui, & Dathan, atque Abiron filij Eliab, Hon quoque filius Pheleth de filiis Ruben, surrexerunt contra Moysem, &c.* Vix Maria sanata erat à lepra, qua inficiebatur, propterea quod aduersus Moysem locuta fuerat, & Core insurgit etiam in Moysem. Cur non magis cauet sibi in Mariæ supplicio? Cur non magis timet lepræ plagam? Sane, non tantum erat lepræ supplicium, quod posset hominem ambitiosum frænare, qui vbi agitur cupidine regnandi, minime curatur leuibus plagis. Procopius ibi fatur: *Conspirarunt autem Core & cæteri, quantumuis recens infœlicis conspirationis Mariæ, & Aaronis haberent exemplum. Sed huiusmodi turbines, & fluctus in rebus humanis immoderata regnandi libido, inuidiaque commouet.* Non equidem Mariæ supplicium præ oculis positum cohibuit Corebum, in quo regnandi libido eos fluctus excitabat, qui minime possent leuibus componi. Huc refero illud 3. Reg. 1. vbi sic: *Adonias autem filius Haggith eleuabatur, dicens: Ego regnabo. Fecitque sibi currus, & equites, & quinquaginta viros, qui currerent ante eum:: Erat autem & ipse pulcher valde, secundus natu post Absalon.* Circa quæ verba celebrem quæstionem agitat Abulensis, 14. cur necessum in præsenti fuerit, notari, quod Adonias fuerit pulcher, & secundo natus post Absalon? Id notatum crediderim, vt effrænē eius regnandi cupiditatem exaggerarent, quando habens sibi immediatum fratrem Absalonem à quercu suspensum ob ambitionem, nihilominus ipse etiam regnum præripere affectauerit. Et quis regnandi ambitionem in homine frænaret, quam ob id suspensus ab arbore frater minime frænauit? Creauerat Deus Adoniam pene immediatum Absaloni, vt

Num. 12. *Procop.* *3. Reg. 1.*

in huius exitu caueret sibi præripere regnum; at principatus amor nihil nouit timere, nihil nouit vereri. Imo ipsa mors placida apparet, si accidat inter regnandum. Aiebat enim Iob cap. 3. *Nunc dormiens silerem, & somno meo requiescerem, cum regibus, & consulibus terræ, &c.* De morte, ac de somno, & quiete philosophatur: & vnde mors, somnus, aut quies, vel cum quibus res adeo amara in dulcedinem somni cōmutatur? Ipse aiebat: *Cum regibus, & consulibus terræ,* vbi rex cum regibus, & princeps inter principes caderet, & moreretur, non timet mortem, sed illam lucrum æstimat. Hinc Paul. Oros. lib. 7. c. 42. nonnullos regni ambitores memorans ait; *Iouinus vir Galliarum nobilissimus in tyrannidem assurrexit, cecidit. Sebastianus frater eiusdem, hoc solum vt tyrannus moreretur, elegit. Nam continuò vt est creatus, occisus est. Quid de infelicissimo Attalo loquar, cui occidi inter tyrannos honor, & mori lucrum fuit?* Sic regnandi cupidi, vel mortes, vel crudelissimas interfectiones vorabant, dum in illis nil amitterent regium. Et cur affectus regnandi non contemneret mortem, quam posset manus creata inferre? At quando non creata manus, sed validissima Dei manus accedit, vt malum inferat, fallar, nisi vel lapidens Pharao flectatur, & à se prorsus abiiciat regnū. Ait enim textus: *In manu robusta eiiciet eos de terra sua.* Nollet equidem habere regnum, cuius cupiditate, Dei robustissimā manum experietur. Sæpēs ille antiquus expugnaturus Adamum Gen. 3. ait: *Eritis sicut dij scientes bonum, & malum.* scientiæ Dei æmulationem proposuit, & non dominij: Et cur non magis proposuit dominij æmulationem? Cur non dixit potius, Eritis sicut dij dominantes omnium creaturarum? Nonne ipse prius hunc appetierat dominatum? Plane appetierat, sed tam terribiliter fuerat à Deo in mortem præcipitatus, vt à se abiiceret omnem memoriam dominatus, nec vellet illius recordari. Ait D. Bern. ser. 4. de Ascens. *Quam pauci euadunt, quibus non dominandi libido dominetur? Nonne iste est mons, in quem ascendit Angelus, & diabolus factus est? Vel illud aduertite, quod post casum inuidia cruciante malo solicitus de supplantando homine, illius tamen montis ascensum nullatenus ausus est suadere ei, in quo nimirum inani ascensu tam immane præcipitium cognosceretur expertus.* Et quidem tanta Dei manus opprimens Angelum propter regnandi cupidinem, vbi appareret, non esset, qui regnum meminisse vellet.

Paul. Oros. *Gen. 3.* *D. Bern.*

§. XX.

Christi vicinitas maiora semper afferebat gratiarum augmenta. Vbi quòd Iesus transformatur, iuxta propinquorum indigentiam.

OMnipotens sese Deus ostendit Abrahamo, Isaaco, & Iacobo, sed tamen illis Adonai nomen non manifestauit, quod manifestauit Moysi: siue quod Moysi promissorum adimpletionem, siue suam essentiam clarius ostendit. Et cur tanta Moysi dedit, quæ minime patribus antea data fuerint? Vicinabatur Moyses magis Christi aduentui, & inde plura percipiebat, quo enim quis Christo vicinior, eò & plura, & præstantiora percipit. Ait Rabanus apud Lippomanum in caten. *Si secundum veritatem scripturam inspicimus, agnoscemus aliquid Moysi reuelatum esse, quod anterioribus patribus non est intimatum. Quanto enim ipsius veritatis appropinquauit aduentus in carne, tanto manifestius reuelata sunt sacramenta patribus. Inde nunc ad Moysem dicitur, Ego Dominus, qui apparui Abraham, & Isaac, & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicaui eis. Vade & Dauid dicit: Super omnes docentes me intellexi. Et Dominus ad Apostolos ait. Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. Multi prophetæ, & iusti voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt.* Ecce tibi cum Christi vicinitate maiora semper gratiarum veniebant augmenta. Nunquam, qui Christo vicinior fuit, aliquod magnum bonorum incrementum non percepit. Dominicæ natiuitatis historiam attexens D. Lucas cap. 2. sic notat: *Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio primò facta est à præside Syriæ Cyrino: Ascendit autem Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam, in ciuitatem Dauid quæ vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante. Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies, vt pareret. Et peperit filium suum primogenitum, &c.* Ecce tibi vt Lucas describens ortum Iesu, simul notat omnia, quæ tunc fiebant, vt edictum promulgabatur de toto orbe describendo sub Cæsare; vt hæc descriptio tunc primo facta est: nullus enim anteriorum Cæsarum tale quid cogitauit, quia nullus

Lippom. *Iob 1.* *Luc. 2.*

habuit tam latum imperium. Quid diuinius? Cum Iesus in mundo nascitur, & Romanis libellis inscribitur, tunc primo omnis terrarum orbis inscribitur sub Cæsare, nunquam enim Iesu vicinitas sine ingenti bonorum incremento venit. Ad hæc Paul. Oros. lib. 6. c. 22. ait: *Hæc est prima illa clarissimaque professio, qua Cæsarem omnium principem, Romanósque rerum dominos singillatim cunctorum hominũ edita adscriptione signauit, in qua se & ipse, qui cunctos homines fecit, inueniri hominẽ, adscribique inter homines voluit. Quod nunquam penitus ab orbe condito, atque ab exordio generis humani in hunc modum, nec Babylonio quidẽ nec Macedonio regno concessum est. Nec dubium, quin omnium cognitioni pateat, quod Dominus noster Iesus Christus hanc vrbem nutu suo auctam, defensamque in hunc rerum apicem prouexerit, cuius potissimum voluit esse, cum venit, dicendus ciuis Romanus, censu professione Romani.* Expende ab illis verbis, *Nec dubium, &c.* quibus manifestum esse putat, quod simul Romanis tabulis Iesus scribendus accessit, & per totum terrarum orbem imperij Romani augmentum. Nulli enim Iesus appropiat, cui ingentia bonorũ incrementa non præstet. Hinc illud Ioan. 12. *Amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Sanè, omnes eramus mortui, omnes terrenæ corruptioni traditi, quod si diuinissimum Christi granum in suis maneret, nos semper maneremus sub mortis potestate. Quid tũc? In terram cecidit diuinum granum, morti appropinquauit, & statim mortui receperunt auspicia vitæ immortalis. D. Macar. Episcop. Hierosl. lib. 2. Concilij Nicæni fatur ad quemdam philosophum: *Ipse Iesus erat spiritualiter granum frumenti, quod pro nobis cadens in terram, & carne moriens per suæ diuinitatis potentiam corporale suum templum suscitauit secundum scripturas, fructum afferens totius humani generis resurrectionem.* Ecce quantum vitæ augmentum mortui recipiunt de Iesu ad mortuos appropinquante. Similiter Num. c. 24. Balaam Israelis glorias præcinẽs ait: *Quam pulchra tabernacula Iacob, & tentoria tua Israel, vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula, quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas.* Expende illa, *vt horti iuxta fluuios*, & insuper, *quasi cedri prope aquas*, non enim sic plantæ crescunt ex vicinitate aquarum, vt Israel ex vicinitate Christi, qui velut fluuius pacis implet suos propinquos. Ait ibi Procop. in Glossa: *Eadẽ propheta, quid postremis temporibus per Christum gerendum esset, prædicit. Item mox fore, vt Israelis populus in hoc tenore amplietur, & in cœlesti rege ex ipsis oriundo tanquam irrigatus surgat.* In propinquo rege cœlesti populus Israeliticus tanquam irrigatus surgit. Sed quid commune rigationi, & cœlesti regi? Vnde fit Iesus fluuius, aut fons, qui rigare posset? Ex quo Israelitæ proponuntur vt horti, & velut cedri, necessum iam erat, vt Iesus fluuius fieret, is enim est Iesus, qui iuxta appropinquãtium sibi indigentiam se transformat, vt maiora illis beneficia diffundat. Assumptis aliquando tribus discipulis ingressus est Iesus hortum, vt Patrem oraret. Quid tunc? Ait Luc. c. 22. *Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Cur ad terram vsque sanguineus sudor decurrit de Saluatoris fontibus? Equidem vbi inter horti plantas proximos sibi discipulos vidit, se iuxta eorum indigentiam in eam rigationem effudit, qua ipsi pene immensum reciperent incrementum virtutum. D. Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto c. 18. *Consummaturus Iesus susceptæ carnis officia, cum perfectionem in discipulis iam videret, quos verborum suorum radice fundauerat, hortum ingreditur, vt olearum nouellas in domo Domini plantaret, & iusti palmam florentem mundo, vitemque fœcũdam riuo sui sanguinis irrigaret.* Et quidem vbi discipuli aderant inter horti plantas, statim Iesus in se eorum rigationem transmutauit, vt de tanti sanguinis riuo, ingens virtutum incrementum caperent.

Paul. Oros. — *Ioan. 12.* — *D. Mac.* — *Procop.* — *Luc. 22.* — *Ambr.*

§. XXI.

Id primum est in diuina potestate, quod benefaciat suis, sine alicuius damno, imò cum aliorum bono.

APparuit Deus Abrahamo, Isaaco, & Iacobo, antiquisque Patribus in Deo omnipotente, & non apparuit illis in nomine Adonai, in quo eorũ posteris apparuit. Ait enim: *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicaui eis.* Vt autem author est Oleaster, pro Deo omnipotente est in Hebræo *Saddai*, quod significat Deum, quatenus præbet vbertatem, & bona sua in nos diffundit: pro illo *Adonai* est in Hebræo, *Iehoua*; quod propriè significat Deum, quatenus est conterens & mactans, & destruens. Antiquis ergo patribus ostensus est Deus vt beneficus, & beneficiorum largissimus distributor, non solum ditans suos, sed & propter illos in extraneos bona diffundens. Vt propter Iacob ditatus est Labanus, & propter Abraham Etheni, & propter Isaac Palæstini. Verum illorum posteris apparuit Deus, vt fortissimus deuastator, conterens Ægyptios, & Chananæos, vt Hebræi ditarentur. Et quando antiquis non apparuit Deus in hac potestate destruendi contrarios, quomodo dicitur apparuisse illis in Deo omnipotenti? An ad omnipotentiam pertinet sola pars benefica? Nonne & omnipotentis est, quod aduersantes sibi conterat? Quare vbi nullum contriuit aduersarium, sed totus melleus apparuit Deus, ditans propter suos etiam homines infideles, ibi dicitur apparuisse in Deo omnipotenti? Sane hoc primum, & præstantissimum est in diuina omnipotentia, quod propter benefaciendum suis conterat neminem, sed ditet etiam exteros. Balaam maleficus ibat maledicturus populo Dei Num. 23. *Cui cum occurrisset Dominus, posuissetque verbum in ore eius, ait, Reuertere ad Balac, & hæc loqueris ei, &c.* Mirabar, quod Dominus pessimo malefico dignaretur occurrere, & vel illum propriis manibus conterere; sed non solum non conterit Dominus hominem pessimum, sed potius eius ora impler diuino verbo. Quid beneficentius? Accipe aliud non dissimile ex Isai. c. 45. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehẽdi dexteram, vt subiiciam ante faciem eius gentes, & dorsa regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo: & gloriosos terræ humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. Et dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum, vt scias, quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israel. Propter seruum meum Iacob, &c.* Nihil erat in terra Cyro crudelius, & tamen Deus illi applaudit, ingentemque præbet cumulum diuitiarum. Sed cur magis Deus non perdis, non terres homines nefarios? Nonne in deterrendis iis tua omnipotentia clareret? Sed placuit Deo, suo populo gratificari, nullum conterere, sed etiam pessimos propter illum ditare, quod est primum, & præstantius in diuina potestate. Quippe ait Procopius in Glossa ad c. 23. Num. *Atque Deus propter Israelem nihil non facit, etiam cum per Magum loquatur. Propter quem Cyrus etiam quantumuis indignus imperium ter maximum adipiscitur, quo Israelem liberet ad quem dixit: propter Israelem seruum meum te nomine tuo vocabo.* Mauult Deus & impio Mago, & nefario regi benefacere propter Israelem, ne in beneficiis populo dilecto exhibitis clades aliorum appareat, sed incrementum maximum. Quis enim æstimet incrementum de damno alterius? Merito enim cauebat lex Deut. 22. *Cum ædificaueris domum nouam, facies murum tecti per circuitum, ne effundatur sanguis in domo tua, & sis reus labente alio, & in præceps ruente.* Quæ sic apud Philonem leguntur: *Si domum nouam ædificaueris, & feceris in tecto coronulam, caue habearis author necis in domo tua, si quis inde prolapsus deciderit.* Expende, vt in ædificanda domo, & imponenda domui corona cauere quis iubetur, ne author necis alterius existat; eo nimirum, quod scelestum putet, quod quis dum sibi quietem, & coronam acquirit, aliorum intendat ruinis. Ait Philo lib. de Agricultura, circa finem: *Si domum, inquit, nouam ædificaueris & feceris in tecto coronulam, caue habearis author necis in domo tua, si quis inde prolapsus deciderit. Grauissimum est enim ab honore Dei prolapsum decidere sibimet coronam vsurpando, & eiusdem necem patrando.* Eccere tibi indignum qoid, & nefas viro bono, quod ipse coronari velit de ruina alterius. Quò spectans D. Ambr. lib. 5. Exam. c. 8. ait: *Sunt ergo homines qui cauerẽ vsu in alieno vsum circumscriptionis irrepant, & infirmitatem propria virtutis astu quodam suffulciant, fratri dolum nectant, & alterius pascantur ærumna. Tu autem propriis esto contentus, aliena te damna non pascant.* Ferale est de alienis damnis impleri; ille fœlix, qui nouit crescere decrescente nemine, sed cunctis proximis crescentibus. Vt de præstantissimo causidico dicat Cassiod. 10. var. 7. *Alienam causam faciebat suam gloriam. Nam sic cognitus est vincere, vt probaretur contrarium non læsisse.* Quid præstantius de homine?

Num. 23. — *Isaie 45.* — *Procop.* — *Deut. 22.* — *Philo.* — *Ambr.* — *Cassiod.*

Exod. 6. Ego audiui gemitum filiorum Israel, quo Ægyptij oppresserunt eos, & recordatus sum pacti mei. Ideo dic filiis Israel; Ego Dominus, qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum, & eruam de seruitute: ac redimam in brachio excelso, ac in iudiciis magnis. Et assumam

assumam vos mihi in populum, & ero vester Deus; & scietis, quod ego sum Dominus Deus vester, qui eduxerim vos de ergastulo Ægyptiorum & induxerim vos in terram, super quam leuaui manum meam, vt darem eam Abraham, &c.

§. XXII.

Afflictio subditorum efficacissima est, vt afficiat & bonum Deum & bonum dominum.

VT Deus audiuit gemitum Israëlitarum ab Ægyptiis afflictorum, recordatus est pacti de eorum liberatione. Sic enim ait: *Ego audiui gemitum filiorum Israel, quo Ægyptij oppresserunt eos, & recordatus sum pacti mei, &c.* Et quando gemitus afflictorum non tangit Deum? Pulchrè Lippomanus in cat. (Lippom.) aiebat: *Gemitus piorum sunt efficacissima orationes apud Deum, maximè autem pauperum, & oppressorum.* Vix enim quid efficacius iouenietur ad Deum, quam afflictio oppressorum. Id quod rectè nouerat rex Niniuitarum, qui ad prædicationem Ionæ perterritus carnis macerationem vniuersis mandauit. Sic Ionæ cap. 3. (Ionæ 3.) *Et clamauit, & dixit in Niniue ex ore regis, & principum eius dicens: Homines, & iumenta, & boues, & pecora non gustent quicquam, nec pascantur, & aquam non bibant.* Et sanctum, & prudens coosilium erat, quod homines sese affligerent, & fame laborareot, vt efficacius Deum tangerent. At brutorum fames, & afflictio ad quid mandatur. Estne Deo cura specialis de bobus? Negat Paul. sed tanti æstimabat rex bonus subditorum afflictionis efficaciam, vt etiam in brutis crederet per illam posse Deum tangi. Euseb. Gallicanus hom. de Pœnit. Niniuitarum ait: (Euseb.) *Tam manifestum indicarunt afflictionis remedium, vt sibi etiam animalium crederent profuturum esse ieiunium.* Tanti æstimabant afflictionum remedium apud Deum, vt vel ex brutis afflictis sibi sperarent salutem obuenturam. Et quid efficacius, quàm afflictio, vt Deum protectorem sibi acquirat? Dum Israelitæ in deserto vitam agerent, ad eleuationem arcæ aiebat Moyses Numer. 10. (Num. 10.) *Surge Domine, & dissipentur inimici tui.* Quid simplicius? Vnum verbum *surge* proferebat, & indubitanter sperabat auxilium? Vnde adeo indubitanter auxiliũ sperabat, vel ad vnum, & simplicissimũ verbum? Cur non voces, & orationes, & diligentias alias multiplicat? Erant omoes in deserto, solitudinis afflictionibus macerati: ad horum autẽ auxilium præstandum non dubito quin Deus statim sorgeret. Vnde ibi dicebat Procopius: (Procop.) *Ad frenendas nobis suppetias surrexit Christus, qui iã olim per Dauidem dixit: E mendicantium calamitatibus & è singultu pauperum, nunc exsurgam, dicit Dominus.* Vbi pauperum calamitas est, & singultus, fere non potest non exsurgere Christus, & illis afferre salutem. Est hoc optimi domini signum, quod tangatur suorum gemitibus. Dicebat enim rex Theodoricus apud Cassiodor. (Cassiod.) 2. var. 25. quo se maxime iactabat: *Detestamur miseros premi; commouemur & nos querentium malis; velociusque ad nos peruenit, quod dissimulatio patientis abscondit. Merito, quando nos respiciunt cunctorum auido ore læsiones.* Sic bonum dominum afficiunt subditorum læsiones, oppressiones.

§. XXIII.

Illud magnum, quod non solum verbis, sed & miris operibus hominum salutem tractes.

NOn vtcumque eruendos Israelitas à seruitute Dominus protestatur, sed *in brachio excelso, & in iudiciis magnis.* Quid est, in iudiciis magnis? Hoc est, io iudiciis, in quibus non sola vox valeat, sed & opera adeo præstantia, adeo mirabilia, quæ euidenter fortunent liberandorum causas, illosque in salutẽ trahant. Et quid iis operibus maius? Ait Matth. 12. (Matt. 12.) *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce plusquam Ionas hic.* In quo Christi prædicatio erat maior Ionæ prædicatione, nisi quia Ionas solis vocibus egit, nullum opus monstrauit, totus in minis proferendis, in euersione denuntianda; Iesus autem, & vocem emittebat, & minas intentabat, & mirabilia opera adhibebat, quæ in salutem traherent. Quantum hoc? Equidem magnum, & quod in immensum Ionam superaret. Aiebat Diu. Cyril. Alex. in Ioam cap. 1. (Cyr. Alex.) *Quomodo autem plus in Christo, quam in Iona? Quoniam hic tantummodo comminatus, est Niniuitis euersionem, Christus propter miraculorum efficientiam ineffabilem homines obstupefaciens in admiratione erat. Semper autem currentia prodigia, quasi machina quadam ad fidem trahunt.* Ecce magnũ iudicium, ecce machina, quæ expugnet aduersariarum potestatum imperia: quæ triumphet de malis, nimirum si voci mirabilia opera coniungantur. Si minitantibus verbis miracula addideris salutaria, magnæ efficaciæ iudicium habes, quo vel rebellissimorum animos in tuum obsequium trahas. Hinc apud Iob cap. 37. dicitur: (Iob 37.) *Tonabit Deus voce magnitudinis suæ, & non inuestigabitur, cum audita fuerit vox eius. Tonabit in voce sua mirabiliter, qui facit magna, & scrutabilia.* Dixerat, quod Deus tonabit voce magnitudinis suæ, & quæ est vox magnitudinis Dei? Aquila posuit, *in voce superlationis, & celsitudinis,* quam Nicetas interpretatur vocem *præstantiæ, & comminationis.* Et vnde vox comminationis potuit esse vox præstantiæ, & magnitudinis diuinæ? Id explicant illa: *Tonabit Deus mirabiliter, qui facit magna, & inscrutabilia.* Tunc enim intelligitur Deus toaare in voce magnitudinis suæ, minas perfidis intentans, cum (Hilar.) tonat mirabiliter, vocibus præclara adiungens opera, & facinora. Qui ergo magna facit, qui multa operatur mirabilia, quibus & homines perterreat, & alliciat, is proculdubio tonat in voce magnitudinis diuinæ.

§. XXIV.

Sub iustorum fide etiam sensus expertia bene apud Deum audient.

QVam credenti Abrahamo promiserat Deus terram, hanc incredulo populo in præsenti asserit: quippè ait: *Qui eduxerim vos de ergastulo Ægyptiorum, & induxerim in terram, super quam leuaui manum meam, vt darem eam Abraham.* Miraris quod iocredulis Israelitis dentur promissiones factæ credenti Abrahamo? Sed accipe, quod mirere magis ex Matth. (Matt. 3.) cap. 3. vbi sic: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Non solum increduli homines, sed & prorsus lapidei apud Deum Abrahami gratias hæreditabunt. Sed vnde fieri potest, quod homo incredulus, vel lapideus sic Deo placeat, vt Abrahami capiat hæreditatem? Id fiet, si sub Abrahami fide militauerit, quicumque enim militant fidei Abrahami, non mirer, si quamuis lapides sint, magna ex Deo capiant. Ait enim in præsenti Lippoman. (Lippom.) *Suscepit verè Israelitas Deus sibi in populum ad Patriarcharum magis fidem ardentem attendens, quam ad istorum merita. Fuerunt enim in plurimis horum opera mala. Assumpturus alioquin ex lapidibus filios Abrahæ, ea parte qua Domino placuit Abraham, quo & iustificatus est, per fidem scilicet vnam.* Non equidem attendebantur Israelitæ merita, sed fides Abrahæ, cui militantes, ne dicam Israelitas, sed ipsissimi lapides bene apud Deum audient. Quid plura? Habes ex Ionæ cap. 3. (Ionæ 3.) *Et clamauit, & dixit in Niniue ex ore regis, & principum eius dicens: Homines, & iumenta, & boues, & pecora non gustent quicquam, nec pascantur.* Ad Deum placandum non solum hominibus, sed & brutis indicitur ieiunium. Sed quid ad Deum brutorum afflictio? Sanè ea per se considerata nihil apud Deum obtinerent, at dum vel brutorum abstinentia regis militabat fidei, dum sub hac fide est, etiam tangit aures diuinas. Ait Euseb. Gallicao. hom. de Pœnit. Niniuitarum: (Euseb.) *Ecce ad aurem Domini gemitus etiam brutorum animalium peruenerunt, qui quidem dum fidei hominum militant, cœlum cum supplicatione hominum militarunt.* Tanta est in iustis hominibus fidei vis, vt sub ea militantes etiam bruta permulceant aures diuinas.

(Exod. 6.) Narrauit ergo Moyses omnia filiis Israel, qui non acquieuerunt ei propter angustiam spiritus, & opus durissimum. Locutusque est Dominus ad Moysem, dicens: Ingredere, & loquere ad Pharaonem regem Ægypti, vt dimittat Israel de terra sua. Respondit Moyses coram Domino: Ecce filij Israel non audiunt me, & quomodo audiet Pharao, præsertim cum sim incircumcisis labiis? Locutusque est Dominus, &c.

§. XXV.

Illa citius puniuntur peccata, quæ magis consulto peraguntur.

VErbis Moysis non acquiescunt Israelitæ, & nihilominus Deus de eorum agit liberatione: *Ingredere, & loquere ad Pharaonem, vt dimittat Israel.* Deus bone, cum illi non acquiescant legationi tuæ, tu magis instas eorum procurandæ saluti? Cur non magis eos seruituti addicis? Cur non magis mulctas? Ait textus: *Non acquieuerunt ei propter angustiam spiritus, & opus durissimum.* Vbi sapienter ait Lippom. [Lippom.] *Excusatur tamen aliquantisper rebellio, & perfidia, quia angusta spiritus ex oneribus remorabantur.* Non equidem consulto, & prorsus deliberatè rebellabant isti in Moysem, sed obtusis doloribus, & afflictionibus durissimi operis possessi non paruam excusationem habebant peccati sui. Non enim quæ inconsultè, & vi affectionum, sed quę promptè, & liberè, & deliberatè peccata aguntur, citius à Deo puniuntur. Hinc Oseas 7. [Oseæ 7.] *Nunc circumdederunt eos adinuentiones suæ, coram facie mea factæ sunt.* Ecce tibi à quibus circumdentur, & ad pœnam teneantur impij, nimirum ab adinuentionibus suis. Adinuentiones enim hominis dicuntur, quæ multo studio, & consultatione admittuntur. Ex quo Theophylactus ibi: [Theoph.] *Fortasse autem, quia Deus peccata illa vehementius punit, quæ à consultatione fiunt, propterea dixit: Circumdederunt eos adinuentiones. Non enim simpliciter, aut operabantur mala, neque raptim, sed ex consilio, & consideratione.* Et meritò ea deputantur peccata ad ineuitabile supplicium, quæ clarissima mentis consideratione, & electione fiunt. Multa equidem fuerunt Dauidis peccata, vt nudam fœminam intuitu concupiuit, vt illam sibi vsurpauit, vt virum eius fecit occidi, vt post occisum virum illam duxit. Ait enim 1. Reg. 11. [1. Reg. 11.] *Transactoque luctu misit Dauid, & introduxit eam in domum suam, & facta est ei vxor, peperitque ei filium, & displicuit verbum hoc, quod fecerat Dauid coram Domino. Misit ergo Dominus Nathan ad Dauidem, &c.* Itaque cum Dauid aspicit, cum mœchatur, cum virum occidit, Deus tacet, nihilque de Deo dicitur respectu Dauidis: vbi autem adulteram in vxorem duxit, statim additur: *Displicuit verbum hoc coram Domino. Misit ergo Dominus, &c.* Et cur antea non misit? Cur antea non manifestauit displicentiam suam? Nonne reus iam erat Dauid, & adulterij, & homicidij? Cur ad hæc tacet Dominus, & irritatur ad coniugium? In adulterio, & homicidio considerabatur ratio perturbata vi affectionum; at coniugium ea se maiorem, & euidentiorem considerationem, & consultationem referebat. Ira ergo Dei tunc citius pergit ad supplicium, quando maior deliberatio apparet in delictis. Ait Theodor. [Theod.] quæst. 35. *Tacite significat oratio, quod Deus magis succensuit ob matrimonium, quam ob prius admissum adulterium. Nam illud quidem erat vehementissimæ cupiditatis, quæ rationi torporem induxerat: hoc habet autem etiam assensum rationis.* Quis neget in regali coniugio considerationem, & consultationem multam? Hinc ergo coniugium nefarium Dauidis magis solicitauit Dei iram, quam adulterium, quam homicidium. Hæc enim perturbatam rationem, illud considerationem referebat multam.

§. XXVI.

Non Angelicæ, sed virtutis est diuinæ linguarum dirigere virtutem.

SÆpe cum Domino locutus Moyses linguæ suæ ineptitudinem proponebat, quam iterum in præsenti proponit, dicens: *præsertim cum sim incircumcisus labijs.* Et cur in tot diuinis colloquijs toties linguæ suæ ineptitudinem refert? Mihi vel inde euidentissima est sententia Patris Pererij disput. 6. in cap. 3. Exod. ex D. Dionysio desumpta, asserens non Deum, sed Angelum apparuisse Moysi, & quidem non Deus, sed Angelus erat, qui cum Moyse loquebatur, quando in tot colloquijs non eius aptauit linguam, sed intactam reliquit. Non enim angelicæ, sed diuinæ virtutis est opus, quod fit circa hominum linguas. Hinc Genes. 11. ait Dominus: *Venite igitur, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Nec parua erat antiquitus quæstio, cum quibus loquebatur Dominus, quando aiebat, *venite, descendamus.* Quam ea munere ad quod descendebatur, sapienter dissoluere poteris; descendebatur namque ad linguas confundendas, diuidendas, moderandas, ad quod munus non Angeli, sed personæ diuinæ conuocandæ erant. Ait ibi Procopius: [Procop.] *Hæc verba ad Filium, & Spiritum Sanctum, non ad Angelos referuntur. Non enim Angeli creare possunt quicquam, sed creaturæ sunt. Creatoris est, nouas formare linguas. Spiritus Sancti opus est linguas mutare, vt didicimus Apostolorum exemplo, quibus donum linguarum obtulit sub specie ignis.* Vbi aliquod bonum, & splendidum circa linguas hominum efformandum est, non id opus pertinet ad Angelicas virtutes, sed requirit præsentiam personæ diuinæ, à qua venit quodlibet splendidum donum linguæ. Vt meritò dicat Prouerb. cap. 16. [Prou. 16.] *Hominis est animam præparare, & Domini gubernare linguam;* quasi nulli creaturarum, sed vni Deo committatur linguæ gubernaculum. Hinc dum Isaias labia immunda haberet, ait cap. 6. *Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua.* Alia litera habet: *Et abstulit iniquitates tuas.* Non ait Angelus, ecce attingo ego labia tua, sed ecce tetigit hoc, nimirum ardens, & ignitus calculus tua tetigit labia. Et cur cauit sibi attribuere labiorum attactum? In re linguæ mundandæ, & efformandæ non Angelus valebat, sed Spiritus Sanctus in calculo significatus. Ait D. Amb. lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 9. [D. Amb.] *Abstulit, inquit, & circum purgauit. Non ego abstuli, sed ignis ille de altari Dei, hoc est, gratia Spiritus Sancti.* Negant Angeli suam operam, in re linguarum purgandarum; quando id munus diuiniorem, & excellentiorem requirit potestatem. Sic Exod. 4. [Exod. 4.] dicebat Dominus ad Moysem: *Ero in ore tuo, doceboque te, quid loquaris.* Septuag. legunt: *Aperiam os tuum, & instruam te, &c.* Sibi vni committit Deus munus oris aperiendi, non creaturæ alij, non Angelo. Ex quo D. August. quæst. 9. ibi satis: [August.] *Non dicit: Tu aperi os tuum, & ego instruam te, sed vtrumque promisit. Aperiam os tuum, & instruam te, vt appareat non tantum instructionem oris, sed ipsam apertionem ad Dei voluntatem, & gratiam pertinere.* Equidem vnius Dei est, linguas hominis regere, vt fœliciter possint eloqui.

CAPVT V.

Prima plaga Ægypti de aqua in sanguinem versa.

Textus Historia.

MOrsas ergo diuino imbutus Numine iterum Pharaoni adstat secum non aliter, quam cum Deo pugnaturo. Nescires, vtra maior existeret, an Moysis obedientia, an Pharaonis indurata perfidia; quam vt ille confringeret, non dubitat Dei expetita magnalia in medium producere. Aaroni imperat, à quo proiecta coram rege virga horrendum draconem exhibuit; qui de Ægyptiorum Maleficorum virgis, superba æmulatione factos dracones facilè deglutit, & propriam virgulti speciem rigida rursus mutatione suscipit. Potuit Aaronis virga mutari in draconem, qui Maleficorum dracones deglutiret, sed non, qui virus absorberet, quod in Pharaonis pectore posuerat serpens antiquus.

Tanti prodigij curis vacuus Pharao, duriora tractabat matutinis auris iuxta ripas fluminis delinitus. Ibi ex Moyse audit quantum rebelli genti immineret supplicium. Vt sanguine manaturæ fluminum scaturigines, vt pisces morituri, vt vndæ putredinem halaturæ, ex quarum potu, quid non patientur Ægyptij? Nec mora, ad ictum Aaronicæ virgæ, mirantibus purpuratis cum rege suo, non aqua, sed sanguis influxit Nili ripis. Ibant in sanguinem vniuersi, & riui, & fontes, & putei, & Pharao ad prodigij conspectum totus obriguit. Dubius hæret, an malum premat, an augeat malitiam? Illud humanius erat, sed supra regias vires. Et ratus facilius augeri morbum posse, quàm expelli medicina; ad Maleficos suos confugit, qui quas adhuc aquas vident, maleficiis in sanguinem mutare festinant. Crederes animatam terram, cuius è venis vnus venit humor sanguineus. Fiant fossæ profundæ iuxta flumina; in quas non aqua, sed sanguis defæcatior, & subtilior stillet, ex quo bibentes Ægyptij possint viuere. Nonne, & Sarmatæ sanguinem

Epigr. 3.

sanguinem bibebant? Ait Martialis Epigram. 3. Amphitheatri:

Venit, & epoto Sarmata pastus equo.

Et Virg. in Georg.

Et lac concretum cum sanguine potat equino.

Qui sanguis erat Sarmatis continuus potus; fuit potus Ægyptiis per septem integros dies; non tamen sine ingenti salutis discrimine; testante enim Philone, hic potus, vel sitis quamplurimos Ægyptios absumpsit.

PARS VNICA.

Moralia circa textus literam.

QVI potus sanguis erat Ægyptiis, pura, & prædulcis erat aqua Israelitis; vtinam, & nobis aliquid etiam purum stillet, quod moribus componendis proficiat.

Exod. 7. Dixitque Dominus ad Moysem: Ecce constitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus, erit propheta tuus. Tu loqueris ei omnia, quæ mando tibi, & ille loquetur ad Pharaonem, vt dimittat Israel de terra sua. Sed ego indurabo cor eius, & multiplicabo signa, & ostenta mea in terra Ægypti, & non audiet vos.

§. I.

Illi securius Regum, Principúmque tractant salutem, qui instar Dei, nulla illorum re indigent.

PHaraoni dicitur Moyses dari in Deum, non cæteris Ægyptiis, ait enim textus: *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Quando Pharao in Dei obedientiam trahi debebat, Moyses constituitur Deus Pharaonis. Sufficisset, quod constitueretur Moyses, siue Dominus, siue rex Pharaonis; Abraham enim Gen. 23. vt Hethæos sibi deuinciret, quasi rex eorum efformabatur. Sic ipsi aiunt petenti locũ sepulturæ: *Princeps Dei es apud nos, in electis sepulchris nostris sepeli mortuum.* Glossa Græca legit: *Rex tu à Deo es in nobis.* Cum ergo Abraham solum proponatur vt rex, vel Dominus cæteris hominibus, cur Moyses, nec vt rex, nec vt Dominus, sed vt Deus proponitur Pharaoni? Quid in Moyse erat, quod magis deberet apparere Pharaoni, vt Deus, quàm, vt Dominus? Erat Moysi mandatum, quod Pharaonem regem, vel miraculis, & prodigiis curaret adducere in Dei obedientiam, quod munus exercere secure non posset, nisi summam independentiam à Pharaone haberet, cuius nullis se ostenderet egere bonis. Hoc autem, neque in regis, neque in Domini, sed in vna ostenditur Dei forma: sic enim ait Psal. 15. *Deus meus es tu, quia bonorum meorum non eges.* Hæc est proprissima Dei notio, quod nullius egeat. Quando ergo proponitur Moyses adducturus Pharaonem in Dei obedientiam, merito vt Deus illius proponitur, nullo illius egens, à nemine enim trahuntur reges securius, quam ab eis, qui bonis regalibus minime egent. Huc adduco Elisæum diuino numine plenum, cui popularis homo attulit panes 4. Reg. 4. *Vir autem quidam venit de Baalsalisa deferens viro Dei panes primitiarum, & viginti panes hordeaceos, & frumentum nouum in pera sua.* At ille dixit, da populo, vt comedat, acceptauit enim bonus homuncionis panes. Verum statim cap. 5. cum Princeps militiæ regis Syriæ Naaman lepra mundatus curatori suo aliqua offerret donaria. *Ille respondit: Viuit Dominus, in cuius conspectu sto, quia non accipiam. Cumque vim faceret, penitus non acquieuit.* Et cur, qui de manu popularis paucos panes accepit, de tanti principis manu, nec per vim adductus est, vt acceptaret donaria? Ait Caietanus ibi: *Iurauit se non accepturum munus etiam pro gratiarum actione, vt arctius afficeretur Naaman cultui summi Dei.* Equidem nullo magis perficeret, quod Princeps arctius sese Deo vero obstringeret, in eiusque veniret obsequium, quam dum penitus abstineret ab eius muneribus, quasi nullius egens. Similiter Gen. 14. post Abrahami victoriam, cum iam triumphator rediret, dicitur: *At vero Melchisedech rex Salem, proferens panem, & vinum, (erat enim sacerdos Dei altissimi,) benedixit ei, &c.* Quid tunc? Pergit textus: *Dixit autem rex Sodomorum ad Abram. Da mihi animas, cætera tolle tibi. Qui respondit ei, Leuo manum meam ad dominum Deum excelsum, possessorem cœli, & terræ, quod à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt.* Quæ verba sic pulchra paraphrasi expendit Chrys. ex Abrahami ore: *Diuina gratia innitor; non opus mihi diuitiis tuis, non indigeo humanis facultatibus, contentus sum Dei in me beneficentia.* Quid independentius? Quid humanis facultatibus sublimius? Sed cur Abraham sic se eximit à Regis Sodomorum muneribus? Cur nullius rei indigum sese ostendit tanto regi, præcipue cum paulo ante ea rege Melchisedecho panem, & vinum accepisset? Cur magis placuit Melchisedech, vt eius reciperentur dona, quam regis Sodomorum? Sanè, curabat Abrahamus regem Sodomorum in fide, & religione, & cultu veri Dei instruere, ad quod sese instar Dei repræsentabat tam in eo, quod de manu Sacerdotis acciperet oblata, erat enim Melchisedech sacerdos Dei altissimi, quam in eo, quod regis Sodomorum bonis egeret nullis. Et nemo, mihi crede, aptior, & securior regiæ vitæ instructor, quam qui instar Dei, nullis apud reges temporalibus indiget. Aiebat Chrysost. hom. 35. in Gen. *Duo simul docere vult regem Sodomorum. Nam & vita honesta formam indicauit, & pietatis doctor ei fieri studet, quasi docens eum. Illum tibi testem adhibeo, quod nihil tuarum rerum accipiam? illum, qui omnium est conditor, & ne credas esse Deos, qui ab hominum manibus fabricantur. Ille cœli, & terra conditor, ille & nobis in hoc bello victoriæ author. Ne igitur expectes me permissurum, vt mihi des quicquam.* Ecce tibi, vt Abrahamus doctor fieri regi pietatis studuit, illumque in veri Dei cultu instruere, nil magis cauit, quam aliquid ab illo percipere, nihil magis egit, quàm nulla humana facultate se ostendere indigum. Nec miror, dona enim regalia certius ostendunt prophetas transiisse in regum vitia; quam reges venisse in prophetarum virtutes. Sic in Giezi accipiente munera ex Naaman principe aiebat Elisæus 4. Reg. 5. *Accepisti argentum, accepisti vestes: sed & lepra Naaman adhærebit tibi.* Ecce qui accepit munera ex principibus, vt & illorum contagionem incurrit. Nouerat hoc homo ille Dei, qui 3. Reg. 13. missus fuerat ad regem Ieroboam, cui rex dicebat: *Veni mecum domum, vt prandeas, & dabo tibi munera. Respondit vir Dei ad regem; Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam, &c.* Esto, quod nollet comedere in Bethel, quando præceptum habebat non comedendi; cur non acceptat munera regia? Solum erat præceptum de non comedendo, neque bibendo; nullum erat præceptum homini Dei de non acceptandis muneribus, ipse tamen, & cauet comedere, & renuit acceptare munera. Cur ea non acceptauit? Rem conficit Abulensis ibi quæst. 9. inquiens: *Poterat propheta accipere munera, quia tamen accipiendo illa aliquo modo approbaret ipsum dantem; & hoc reputaretur in peccatum, noluit accipere.* Fieri nequit, quod munera regis accipias, & in eius non transeas approbationem vitiosæ vitæ, quod qui fugit, & magis amat regem ad Dei obsequium adducere, fugiat eius munera, & instar Dei, se nullius apud eum ostendat indigum.

Psal. 15. — 4. Reg. 4. — Caietan. — Gen. 14. — Chrysost. — Chrysost. — 4. Reg. 5. — 3. Reg. 13.

§. II.

Vbi diuinitatis, vel vmbra, ibi & creaturarum obsequium.

ADeo diuinitatis proprium est creaturarum omnium imperium; vt non immerito habeatur Deus, vel Dei vicarius, cui creaturæ seruiunt. Posset equidem Moyses, aut dominus, aut rex constitui Pharaoni, sed constitutus fuit illi Deus. *Ecce constitui te Deum Pharaonis?* Cur non magis Rex? Cur debuit constitui Deus? Imperaturus erat elementis, & imperanti Moysi elementa erant paritura, quod regis vires excedit, & ad diuinitatem pertinet. Vt dicat ibi Rupert. *Ita imperando elementis, Deus eris Pharaonis.* Nesciunt equidem creaturæ sua præstare obsequia, nisi illi, qui supra reges est, qui propius ad diuinitatem accedit. Hinc Dan. 3. vbi pueri Hebræi in ardentẽ fornacem immissi, obsequium sibi à flammis exhibitum ostendebant, adstupens Babylonius rex clamabat ad illos. *Sidrach, Missach, & Abdenago serui Dei excelsi, egredimini, & venite.* Vnde barbarus nouit tres istos pueros ad summi Dei pertinere familiam? Quos sibi ipse captiuarat, & suos effecerat seruos, cur modo vocat seruos Dei altissimi? Videt elementa illis seruire, & merito inde putat non posse, non pertinere illos ad Dei familiam; nescirent enim

Rupert.

Chrysost. enim creaturæ alij, quàm Deo seruire. Ait D. Chrysost. hom. 6. ad Pop. *Quid actum est, quod ipsos Dei altissimi seruos vocat? Nonne tui erant serui? Verum per opera suum demonstrauere Dominum: si hominum fuissent serui, non ipsos ignis expauisset, non cessisset flamma: hominum enim seruos creatura venereri, & honorare non nouit.* Sanè vbi cernuntur creaturarum obsequia, ibi necessum est numus aliquod diuinum conspici. Nonquam enim de diuino halitu non venit, quod obsequia sua exhibeant elementa. Hinc Paul. ad Rom. 9. de filijs Israel filiorum Dei adoptione fungentibus: *Quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa.* *Ad Rom. 9.* Expende, quot bona consequuntur diuinam illorum adoptionem, nimirum vbi Dei filij dicebantur, à Deóque tanquam filij tenelli in vlnis baiulabantur, eorum erat gloria, & obsequium, quando & gloriosi vbique ostendebantur, per obsequium elementorum. Ait S. Proclus lib. de fide ad Armen. in fine: *In quos Deus tanquam nutrix gestabat.* Simul erat filiorum Dei adoptio, & elementorum omnium obedientia, qua sese filij Dei in immensum extollebant. Vel Deus sis, vel in manibus Dei tanquam filius nutriaris, vel aliquo modo pertineas ad Deum, & tibi seruiunt elementa, circa quæ supremum habes imperium. *S. Procl.*

§. III.

Qui Dei est, nullum infert malum, cui non possit afferre medelam.

DEus Pharaonis constituitur Moyses, *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* Cur non potius iudex illius sit, quam Deus? Iudex potest inferre malum reo, quod non potest auferre; solus autem Deus est, qui nullum potest malum inferre, quod auferre non posset. Ideò Moyses non iudex, sed Deus constituitur, vt ea inferat mala rebelli, quæ prorsus auferat pœnitenti. Ait D. Hilar. lib. 7. de Trinit. *Ad Moysem dictum est. Dedi te Deum Pharaonis: cum cynomiam, quam immiserat abegit; cum grandinem potestate, qua euocauerat, auertit; cùm locustas in virtute, quas inuexerat, repulit; cum in operationibus eius Magi confitentur digitum Dei esse. Sit Moyses Pharaoni Deus datus est, dum timetur, dum oratur, dum punit, dum medetur.* *D. Hilar.* Expende notionem Dei, *dum punit, dum medetur:* is enim Dei spiritu agitur, imò Deus est, qui nescit inferre malum, cui non possit medelam afferre. Vel dæmonum, vel dirarum naturarum est in malis inferendis non meminisse remedij, imò remedijs omnibus aditum intercludere vniuersum. At qui Dei spiritu agitur, nil magis cogitat, quam de remedio apponendo, vbi teneatur malum aliquod inferre. Dicebat enim Deus Deuter. 32. *Videte, quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me; ego occidam, & ego viuere faciam, percutiam, & ego sanabo.* *Deut. 32.* Hinc suam merito diuinitatem discernit Dominus, quod non sit penes illum vulnus infligere, cui non possit apponere remedium. Simul & mortem mittit, & vitam præparat ad illam recurrere volentibus; & plagarum permittit ire procellas, & sanitatum portum ostendit. Habes Actor. 5. vt Petrus sententiam mortis vibrat contra Saphiram, de qua dicitur: *Confestim cecidit ante pedes eius, & expirauit.* *Actor. 5.* Hoc mirãdum, quod mulier adeò peccatrix, & mortis sentẽtia percussa permittatur à Petro ante suos pedes cadere? Cur non magis Petre ab illa abscedis? Cur tam te exhibes illi proximum, vt possit cadere iuxta pedes tuos? Erat ad pedes Petri, peccatoris remedium, si velit sua peccata confiteri: ideò Petrus vt Deo plenus non intulit mortis sententiam peccatori, quin simul præpararet remedium, si vellet. Pulchrè Oecumenius: *Quomodo ad pedes eius? Quia iuxta eum stabat: Petrus verò stetit iuxta eum, vt si resipiscere vellet, ac confiteri, non vereretur alios, qui audirent.* *Oecum.* O verè Dei Vicarium Petrum, qui vt malum infert merenti, simul & præparat, & apponit confessionis remedium. Hinc tu etiam poteris approximare Deo, si nullum malum cogites, cuius non habeas paratum remedium. Nescit enim à Deo non multum deuiare, cuius in voluntate est malum inferre, nec in potestate habet remedium. Quò adducenda sunt dicta supra tom. 1. in Vetus testam. lib. 3. cap. 3. §. 10.

Exod. 7. Immittámque manum meam super Ægyptum, & educam exercitum, & populum meum filios Israel de terra Ægypti per iudicia maxima. Et scient Ægyptij, quia ego sum Dominus, qui extenderim manum meam super Ægyptum, & eduxerim filios Israel de medio eorum. Fecitque Moyses, & Aaron sicut præceperat Dominus, ita egerunt. Erat autem Moyses octoginta annorum, & Aaron non octoginta trium, quando locuti sunt ad Pharaonem.

§. IV.

Bonus gubernator magnos rigores solum exercere debet circa ea delicta, quæ sunt noxia aliis.

IVdicia magna minatur Dominus Ægypto, & Pharaoni, dicens: *Extendam manum meam super Ægyptum, & educam populum meum filios Israel de Ægypto per iudicia magna.* Cum ait, iudicia magna, summos vindictæ rigores etiam in mundo ostendit, qui solos eos peccatores premunt, qui manifeste impij sunt, & noxij alijs, vt erant Ægyptij. Nunquam enim bonus gubernator in hoc mundo laqueus plueret, & rigores magnos in eos, qui occulte, & sibi ipsis tantum peccassent. Hinc Deuter. 27. *Accesserunt filiæ Salphaad: : steteruntque coram Moyse, & Eleazaro Sacerdote, & cunctis principibus populi ad ostium tabernaculi fœderis, atque dixerunt: Pater noster mortuus est in deserto, nec fuit in seditione, quæ concitata est contra Dominum in deserto sub Core, sed in peccato suo mortuus est. Hic non habuit mares filios. Cur tollitur nomen illius de familia sua, quia non habet filium? Date nobis possessionem inter cognatos patris nostri. Retulitque Moyses causam earum ad iudicium Domini. Qui dixit ad eum: iustam rem postulant filiæ Salphaad.* *Deut. 17.* Fatentur istæ fœminæ patrem suum mortuum esse in peccato, & mortuum esse in eodem loco, vbi & impietatis publicæ rei, & seditiosi fuerant mortui, nempe in deserto. Et nihilominus petunt; ne vlla supplicij publici afficiatur nota, exhæredatione familiæ suæ. Et permittunt, quod causa hæc deferatur ad Dominum. Quid agitis fœminæ, patrem supplicio eripere tentatis coram Domino, & fatemini illum in peccato mortuum? Et quomodo fieri potest, quod qui in peccato mortuus est, absoluatur à supplicio coram Domino? Sane, fatentur patrem mortuum in peccato, sed in peccato nulli alij, quam sibi soli pernicioso, hoc autem peccatum in mundiali iudicio, nec per bonum gubernatorem, imo neque per Deum suppliciorum laqueis inuoluitur. Ait ad hæc Procopius ibi: *Iustam causam sortem paternam petendo proponunt, cum impietatis pater commisisset nihil. Verum peccati proprij iusta persoluisset, & ad longiorem vitam peruenire non posset.* *Procop.* Itaque iustam causam apud Deum habuerunt fœminæ istæ, dum patrem peccatorem mundiali supplicio eripere volunt; quia etsi peccator fuit, & in peccato discessit, discessit in peccato solum sibi noxio. In mundiali autem foro, & boni gubernatoris, & ipsius Dei proprium est suppliciorum rigores exercere solum circa ea delicta, quæ alijs sunt noxia. Notabile est in hanc rem cap. 31. Iobi, vbi multa genera delictorum recensens solis illis apponit pœnam, quæ noxam aliquam inferunt proximis. *Iob 31.* *Si ambulaui in vanitate, & festinauit in dolo pes meus. Appendat me in statera iusta, & sciat Deus simplicitatem meam. Si declinauit gressus meus de via, & si secutum est oculos meos cor meum, & si in manibus meis adhæsit macula. Seram, & alius comedat, & progenies mea eradicetur. Si deceptum est cor meum super muliere, & si ad ostium amici mei insidiatus sum, scortum alterius sit vxor mea. Si leuaui super pupillum manum meam, etiam cum viderem me in porta superiorem, humerus meus à iunctura sua cadat, & brachium meum cum ossibus suis confringatur.* Ecce tibi quot peccata memorat, tot pœnarum maximarum illis apponit genera. Sed ecce pergit alia memorans nullis appositis pœnis. *Si putaui aurum robur meum, & obrizo dixi, fiducia mea. Si lætatus sum super multis diuitiis, & quia plurima reperit manus mea. Si vidi solem, cum fulgeret, & lunam incedentem clare. Et lætatum est in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo. Quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum: : Si abscondi quasi homo peccatum meum: celaui in sinu meo iniquitatem meam, &c.* Compone modo hæc cum illis, & videbis illic ad singula peccata appositam pœnam; hic multa, & maxima peccata percenseri, & nihil de supplicio illorum dici. Et cur non similiter iis peccatorum generibus pœnam apponit? Nonne & de iis ponderat, quod maximam iniquitatem habeant? Ait equidem in iis. *Quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum.*

Vnde

Vnde ergo in quibus iniquitatem maximam inuenit, nullum adiungit supplicium; quod maximum adiungebat in primis? Sane Vatablus vltima capitis verba expeodens putat in illis clausulam includi *forensem*: quo ostenditur iuxta muodiale forum, totum capot processisse, vbi grauissima etiam peccata, si aliis noxia non sunt, nullis deputantur suppliciis, illa maxime plectuntur, quæ aliis perniciosa inueniontur. Huiusmodi erant peccata primi ordinis, quæ consistebant in dolis, in adulteriis, in oppressiooe pupillorum, quæ uec recenseri debent in magno iudicio muodialis fori sine supplicij memoria. At reliqua peccata, quæ non aliis, sed solum committenti erant noxia, non miror, quod pœna careant, iuxta mondiale forum.

§. V.

Improborum reproborum est non nisi per afflictiones, & res timoris in Dei agnitionem venire.

IN manu forti, & plagis multis educturus erat Domious Israelem in Ægypto. Et cur in tot plagis voluit educere populum? Quippe ait: *Extendam manum meam super Ægyptum, &c.* At vbi ab Assyria educturus erat populum, nullis plagis vsus est, quin potius multis bonis cumulauit regem Babylonium. Ait enim Isaias cap. 45. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subiiciam ante faciem eius gentes, & dorsa regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & porta non claudentur. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. Et dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum, vt scias, quia ego Dominus, qui voco nomen tuum Deus Israel. Propter seruum meum Iacob, & Israel electum meum, & vocaui te nomine tuo: assimilaui te, & non cognouisti me.* Itaque vt Israelem liberaret a captiuitate Babylonis, ecce quantis impleuit Cyrum regem; vt autem eundem ab Ægypto educeret, non beneficiis, sed plagis multis, & calamitatibus affecit Pharaonem. Cur ergo ab Ægypti captiuitate eduxit Dominus populum suom per plagas multas Pharaoni illatas, è Babylonis autem captiuitate eundem eduxit per beneficia ingentia collata Cyro regi? Ait Moyses in præsenti: *Et scient Ægyptij, quia ego sum Dominus, qui extenderim manum meam super Ægyptum.* Noo equidem homioes reprobi, & nefarij aliter in Dei cognitionem deuenissent, oisi multis plagis, & calamitatibus affecti. Vnde qui plagis erudiendos asserebat Aegyptios, asseueranter dicens, *sciant Ægyptij*: de Babylonio ait, *Non cognouisti me.* Nesciunt improbi sapere beneficiis, fauoribusque acceptis, sed multo verbere, & plagis multis ad Dei cognitionem accedunt. Adhæc Lippoman. in præsenti: *Sic igitur impij, vel tandem coguntur agnoscere iustitiam Dei, atque potentiam, & afflicti admittere coguntur, quos fani recusabant.* Non nisi metueoda, & horrenda inferat animis reprobis, qui illos in Dei agnitionem trahere velit. Mar. 1. *Erat in Synagoga eorum homo in spiritu immundo, & exclamauit dicens: Quid nobis, & tibi Iesu Nazarene? Venisti perdere nos. Scio, qui sis sanctus Dei.* Expende, vt prius afflictionem suam proponat, & perditionem suam manifestet, deinde fateatur, *scio, qui sis.* Et cur non antea id fatetur? Cur antea quam meminerit propriam perditionem, non ait se nosse aduentum veri Dei? Equidem hoc est prius in dæmoniacis mentibus, in animis impiorum, quod flagra percutientis sentiant, & per timoris res ad Dei cognitionem deueniant. Ait Diuus Augustinos, apud Diuum Thom. in cat. *Innotuit Dæmoni Deus non sicut Angelis sanctis, qui eius secundum id, quod est Dei verbum, participata æternitate perfruuntur; sed sicut eis terrendis innotescendus fuit, ex quorum potestate tyrannica fuerat liberaturus prædestinatos.* Aliter bonis, aliter malis, & reprobis Angelis apparet Deus, & innotescit: bonis enim innotescit per ea, quibus non parua bonorum fruitione lætantur; malis autem, & reprobis, non nisi per ea, quæ terrori possuot esse. Hinc Geo. 22. vbi Abrahamus filium iugulandum deduxit, & sub gladio paterno amaotissimi pignoris apparuit ceruix ferienda; appellauit nomen loci illius, Dominus videt. *Vnde vsque hodie dicitur, in monte Dominus videbit.* Hebraice autem per verbum passiuum explicatur, nimirum; *In monte Dominus videbitur*: itavt noo referantur verba hæc ad id, quod Abrahæ accidit in sacrificio filij sui, sed ad id, qood Abrahæ, & mondo in Christi aduentu obuenire debebat. Sed cur oon magis loquitur Abrahamus de præsenti fauore sibi filium immolanti oblato, vt dicat in monte, Dominus videtur? Cur de futura Dei apparitione in carne loqui maluit? Cur potius dixit, videbitur Deus, quam videtur? Non erat conueniens viro iusto, & sancto manifestationem Dei sibi factam ostendere per rem adeo horribilem, & metuendam, qualis erat filij dilectissimi iugulatio. Per hanc enim non tam assolet Deus iustis innotescere, quam rebellibus. Ideo confugit vir pius ad illam Dei manifestationem, quam & ipsi, & omnes veri Abrahamides in Christo accepturi erant per ingentem profusionem benignitatis eius. Quod vt maximum, sic Christo Domino acceptum Arnobius refert: locutus enim de Iesu ait lib. 1. aduersus Gentes: *Quo, quo authore, quo patre mundus iste sit constitutus, & conditus, fecit benignissime sciri.* Expende hæc, *Fecit benignissime sciri*; vt enim Iesus non pro vexandis, torquendisue malis, & reprobis, sed pro saluaodis veniebat electus: sic non plagis, sed beneficiis Deus & author mundi nobis innotescebat. Beneficia enim faciunt Deum apertissimè innotescere bonis, malis autem, & pessimis non beneficia, sed flagella. Compone modo id, quod dicitur in præsenti: *Scient Ægyptij, quia ego sum Dominus, qui extenderim manus meas super Ægyptum, &c.* & id quod dicitur ad Romanos, cap. 10. *Ad Israel autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi.* Extensio manus diuinæ super Aegyptios, illos facit in cognitiooem Dei venire; & expansio diuinarum manuum super Israel, Israelitas non credentes, & contradicentes experiebatur. Cur hæc? Extensio manuum super illos, erat plagarum immissio, quibus reprobi in Dei agnitionem etiam solent venire: expansio autem manuum ad Israelitas, erat beneficiorum exhibitio, quorum occasione magis excæcabaotur miseri. Sic Diuus Anselmus ibi: *Ad Israel carnalem dicit. Tota die, id est, toto tempore, quo cum eis in terra conuersatus sum, illuminans mundum, expandi manus meas, id est, amplians operum meorum beneficia ad populum Iudaicum, non credentem mihi, & quod peius est contradicentem.* Ecce tibi, vt apud impios sola vexatio dat intellectum, beneficia excæcant.

Isaia 45. — *Lippom.* — *Mar. 1.* — *August.* — *Arnob.* — *Ad Rom. 10.* — *Anselm.*

§. VI.

Turpe est, quod quis in cursura virtutis minor sit illo, cui in vocatione, & instituto par est.

NOn otiose: sed notanter ponit ætatem Moysis, & Aaron, quando eorum obedientiam in exequendis Dei mandatis præscribit. Sic enim ait: *Fecit itaque Moyses, & Aaron sicut præceperat Dominus, ita egerunt. Erat autem Moyses octoginta annorum, & Aaron octoginta trium, quando locuti sunt ad Pharaonem.* Ecce tibi vbi fratres, & octogenarios coram Pharaone Moysem, & Araonem notabat, illud simul præfixit: *Fecit itaque Moyses, & Aaron sicut præceperat Dominus, ita egerunt.* Non contentus dicere, quod fecit Moyses, & Aaron, sed insuper replicat, quod ita egerunt. Et cur necessum fuit, id semel, & bis replicare, & inculcare, quod ita ambo egerint omnia iuxta præceptum Domini? Curabat diuinus scriptor, vt qui pares erant in munere, pares è parentibus, è morum grauitate, è Dei electione, ex fortitudine ex Deo accepta, ne timerent Pharaonem, sic pares ostenderentur in muneris executione, ne alter altero videretur inferior in virtute, licet esset in ætate inferior. Nec miror, valde enim turpe est, vt qui in cæteris ex Deo acceptis pares sumus, in executione virtutum, patiamur inferiores videri. D. Paul. 1. ad Corinth. 11. late probat, vt in rebus naturæ mulier censeri debeat viro inferior; vt vir debeat longe abesse ab infirmitate mulieris, primasque in omnibus ferre. Quibus late explicatis sic pergit: *Verumtamen neque vir sine muliere, nec mulier sine viro in domino.* In dignitate, & præcellentia naturæ sit vir sine muliere: at in iis, quæ domini suot, minime vir mulierem præcedat, nec mulier patiatur, quod vir appareat superior. Et quando in naturæ dignitate est æquum, vt mulier primas viro cedat, cur non erit etiam æquum, vt similiter maneat mulier inferior, in iis etiam quæ ad Deum pertinent? Natura in multis virum prætulit fœminis, nimirum in fortitudine, in animi magnitudine, in sapientia, in dexteritate; vnde non est mirum, quod in naturæ dignitate cogatur mulier esse inferior. At Deus in gratiæ suæ ordine in nullo virus prætulit fœminis, sed æque pro omnibus mortuus est, æqualem regenerationem omnibus dedit. Et valde turpe esset, quod quæ æqualiter formata, & reformata est à Deo, in re virtutis, & gratiæ minor appareret. Rem conficit D. Basil. Sel. orat. 2. aiens: *Natura differentiam virtutis cursus nescrat. Sit in fidei certamine fœmineum genus viriliter agere, sexi in pietatis certamine coronam rapere. quorum enim parem molitus est Deus formationem, ij se in cursura*

1. Cor. 11. — *Basil. Sel.*

cursura relinqui turpe ducunt. Et sane turpissimum est, quod qui pariter in Christo regenerati sumus, paribus Sacramentorum alimoniis nutrimur, pari sanguinis lauacro mundamur, ad parem gloriam inuitamur, patiamur inferiores videri in cursura virtutum. Merito Euseb. Gallican. hom. 6. de orat. hunc vnum stimulum proponit, quo se quis ad virtutem vrgeat, ait enim: *Cum in Ecclesia positi sumus, ita se vnusquisque arguat dicens: Quare in cultu Dei & tempore orationis alius plusquam ego dedisse silentio? Cur ille attentior lectioni? Cur maiorem exhibet disciplinam? Ego qui in actu saculi in cupiditatis parte, in ordine dignitatis nulli velim deterior inueniri, cur minor in spe salutis appareo?* Equidem turpitudinis non paruæ est, quod qui non patimur ab æqualibus vinci in actibus sæculi, patiamur in re salutis vinci, & longe superari ab iis, qui pari nobiscum Dei vocatione vigent. [*Euseb.*]

Exod. 7. Ingressi itaque Moyses, & Aaron ad Pharaonem, fecerunt, sicut præceperat dominus. Tulitque Aaron virgam coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in colubrum. Vocauit autem Pharao sapientes, & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptias, & arcana quædam similiter Proieceruntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones. Sed deuorauit virga Aaron virgas eorum. Induratumque est cor Pharaonis, &c.

§. VII.

Seueritas, & rigoris executio longe absit à Principe.

NOn Moyses, sed Aaron tulit virgam, quæ verteretur in colubrum. Sic textus: *Tulitque Aaron virgam coram Pharaone, quæ versa est in colubrum.* Supra cap. 3. Moyses tulerat virgam, cur modo non Moyses, sed Aaron? Ait D. Aug. quæst. 39. in Exod. *His certe non ministerio vocis erat opus, cum videbatur velut ex necessitate datus Aaron Moysi propter gracilitatem vocis, sed virga erat proiicienda, vt draco fieret. Cur ergo Moyses ipse non fecit?* Incipiebat modo seueritatis exercitium aduersus Pharaonem, quod minime per se debebat præstare Moyses, vt qui optimi principis gerebat formam, cuius est alienum esse à seueritate, & rigore. Quo spectans Diu. Chrysostom. homil. 43. in Acta, fatur. *Nihil humanam ostendit characterem, vt misereri, & humanum esse. Propter hoc, & leges lictoribus totam permittunt, volentes iudicem vsque ad pronuntiationem sententiæ puniri, educunt autem illos ad opus. Ita, etiam si iuste fiat, non est animæ virtutum studiosæ punire, sed aliquo alio hoc habet opus. Quia & Deus non per se ipsum punit, sed per Angelos.* Hoc cauet bonus princeps, hoc cauet virtutis studiosus, qui diuino spiritu agitur, vt non ipse per se exerceat seueritatis, & punitionis munus. Seruile est, non regium munus etiam merentes punire. Ex Gen. 18. vt tres peregrini apparuerunt Abrahamo, vt ille in tribus vnum adorauit, dominum Deum ibi recognoscens. Quid tunc? Ait textus: *Abiitque dominus postquam cessauit loqui ad Abraham, & ille reuersus est in locum suum. Veneruntque duo Angeli Sodomam.* Ecce tibi è tribus, qui dominus erat abiit; duo autem, qui erant Angeli ad perdendam Sodomam pergunt. Et cur dominus qui cum illis venerat ad Abrahamum, cum illis etiam non pergit ad Sodomam? Non regium est, neque dominicum per se ipsum punitionibus adesse. Rem multis ponderat Diuus Chrysostomus dicta hom. 43. in Acta: *Quando Sodoma subuersa sunt, per Angelos facta sunt omnia. Quando seruare oportet, per ipsum hic facit: ita filium misit in salutem generis. Et iterum. Tunc, inquit, dicam Angelis: Congregate facientes iniquitatem, & proiicite in caminum. Et iterum: Ligate illum pedes, & manus, & mittite in tenebras exteriores. Vide illic seruos, qui ministrant: Quando autem beneficiis opus est, se ipsum benefactorem vocat. Quando loquendum cum Abraham, ipse adest, quando in Sodoma abeundum, seruos mittit. Et iterum. Euge serue bone, & fidelis, super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. Et hunc quidem ipse benedicit, illum autem malum non ipse, sed serui ligant.* Quidquid ad bene faciendum attinet, id suum putat bonus princeps, quod pertinet ad pœnam infligendam, id seruile putat, & ingenuo domino indignum. [*August.* — *Chrysost.* — *Gen. 18.* — *Chrysost.* — *Matt. 25.* — *Luca 9.* — *Matt. 25.*]

§. VIII.

Dei præco parum proficit apud mundiales principes.

ECce tibi Exod. cap. 4. virga Moysis in terram proiicitur, *& versa est in colubrum, ita vt fugeret Moyses,* modo etiam dicitur, quod eadem virga coram Pharaone, & seruis eius, *versa est in colubrum,* nec tamen additur, quod Pharao, aut alius timuit monstrum. Parum equidem cœlestis doctrina, concionatorum minæ apud principes mundiales proficere solent. Sapientes ex hoc monebat D. Petrus Dam. sui sæculi religiosos opuscul. 12. de contemptu sæculi cap. 30. *Nolite, quæso Monachi, nolite sub Ecclesiastica compassionis specie regum aulas irrumpere, nolite aures principum velut salutaria suggerendo, fastidiosa importunitate pulsare. Credite experto, credite in huius gratia studio non leuiter fatigato. Imperatoria namque maiestati, sæpe quæ suggerenda videbantur, expressimus; à summis Pontificibus inuitati, Synodalibus Conciliis interfuimus; sed qui hoc tempore ista prosequitur, tanquam si semina crederet arenosis littoribus videatur.* Et vtinam hoc malum non serperet vsque ad sæcula nostra, sed proh dolor: nemo non videt etiam hodie, quam infructuosi fiant apud mundiales principes diuini verbi satores. Licet totus abeas in serpentum prudentiam, illáque plenus fias euangelicus coluber dira sibilans principibus, potentibus, vane fatigaris, vix aliquid illis emolumenti confers. Quo aptarim illud Hierem. 8. *Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos, ait Dominus.* Regulus serpentum princeps est, iuxta D. Greg. PP. cui soli nulla est incantatio, nullus adeo sapiens, & prudens incantator est, qui principem hunc serpentum sopire possit. Hoc sibi dictum putent euangelici ministri, qui Curias, qui Aulas colunt, credant inquam, sibi dictum à Deo, *immittam vobis serpentes regulos,* hoc est, proponam vobis principes mundiales, qui ad bona terrena reptant, *quibus nulla est incantatio,* qui nullis vocibus, nullis carminibus auertentur à vitiosis moribus. Dauidem excipio, qui peccati accusatus, 2. Reg. 12. statim clamauit: *Peccaui Domino.* De quo, vt de re insolita regibus, & principibus præclare philosophatur D. Amb. Apol. 2. cap. 3. *Peccauit Dauid, quod solent reges, sed pœnitentiam gessit, & fleuit, quod non solent reges. Quem mihi huiusmodi reperias virum, qui in potestate constitutus non magis peccata sua diligat, culpam prædicet, crimina defendat? Qui putet sibi, quod non decet non licere?* Sane ij sunt pene vniuersi principes, qui nullis clamoribus norint obedire prudentum. [*Exod. 4.* — *Petr. Dam.* — *Hierem.* — *Gregor.* — *2. Reg. 12.* — *Amb.*]

§. IX.

Principum familiaritates, & conuictum fugiat, qui velit illos continere in virtute.

MOysis virga cap. 4. proiecta in terram, conuersa in colubrum fuit, & metum incussit Moysi ipsi; eadem in præsenti in colubrum versa, nec Pharaoni, nec vlli alij metum incutit. Et cur in primis coluber ex virga factus efficacior apparuit ad perterrefaciendum Moysem, quam modo ad perterrefaciendos Pharaonem, & eius principes? De illo ait textus: *Dixit dominus: Proiice eam in terram. Proiecit eam, & versa est in colubrum, ita vt fugeret Moyses.* De hoc autem ait: *Tulit Aaron virgam coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in colubrum.* Itaque primo virga proiecta est in nudam terram, in terram, inquam, deserti, indeque sumit faciem, quæ perterrefaciat omnes. At secundo eadem virga, non in nudam terram proiicitur, sed in Aulæa Pharaonis, inter Regiæ tapeta preciosa, inter aureas principum vestes, & quidem qui principibus aduiuit, qui regiis stratis adrepit, quantumuis acer, & validus appareat, nullo timore frænabit principum mores. Vilis vermicolus sis, vel abiecta lacerta, si nuda in terra versaris, ab omni re aulica alienus, ab omni mundiali alienus splendore, fallar, nisi potentissimos quosque valeas continere in bonis moribus. At si Aulis adrepas, inter principum delicias agas vel breues morulas, nihil proficis. Rem explico in paruo pisciculo, qui Remora dicitur, de quo ait Plinius lib. 32. cap. 1. *Ruant venti licet & sæuiant procellæ, imperat furori vnus, ac paruus admodum pisciculus, Echineis appellatus, viresque tantas compescit, & cogit stare nauigia. Infrænat impetus, & domat mundi rabiem, nullo suo labore, non retinendo, aut alio modo quam adhærendo. Hæc tantilla res, contra tot impetus, satis est, vt vetet ire nauigia.* Ecce [*Plin.*]

paruus

parui pisciculi vires. Quid tunc? Accipe, quod mirere magis. Proponit illico historiam fatus: *Cum è tota Caij Principis classe quinqueremis sola non proficeret, exilierunt protenus qui id quærerent: circa nauim inuenerunt adhærentem gubernaculo, ostenderuntque Caio indignanti, hoc fuisse, quod se reuocaret, quadringentorumque remigum obsequio contra se intercederet. Constabat peculiariter miratum, quomodo adhærens tenuisset, nec idem polleret in nauigium receptus.* Ecce tibi magnum pisciculi miraculum, qui enim extrinsecus adhærescens nauigio imperat furori ventorum, domat rabiem procellarum, & sistit ingentem nauem ne progrediatur, ipse intrinsecus in nauigio receptus nihil tale præstare valet. Quid pulchrius? Quoties euangelicus minister extra res aulicas est, extraneus fit principum aulis, ô quam frænat impetus illorum, & potentissimos quosque ipse vilis, & infirmus in virtute consistere facit. At si intrinsecus pergat, & sese insinuet Aularum penetralibus, adrepens thronis, aduoens rebus aulicis, nihil prorsus est ad motes principum frænandos. Ionæ cap. 3. *Cœpit Ionas introire ciuitatem itinere vnius diei, & clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiori vsque ad minorem. Et peruenit verbum ad Regem Niniue, & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum, &c.* Et qui fieri potuit, vt vna vilissimi hominis vox sic Niniuitas, & Regem, & principes compesceret? Vilis erat Ionas, sed prorsus extraneus, & peregrinus omnibus Niniuitis, ab illorumque alienus cupiditatibus, vnde tantam vim habuit ad eorum commouendos animos? Sic Rex Niniue fatur apud Diuum Ephrem orat. in Ionam: *Sola nostra vox reges exterruit, & miserandi istius vox omnes nos perturbat? Nos frequenter quocunque tempore ciuitates depopulati sumus: & in nostra ciuitate nos modo peregrinus superat. Vilissimi hominis voce deterrita est ciuitas nostra Niniue mater gigantum, &c.* Non domesticus, non familiaris, sed peregrinus, sed alienus Ionas apparuit, & quamuis vilis homuncio à mari euomitus tot compescuit principes, & in pœnitentiam traxit. Sunt equidem potentissimi ad trahendos principes illi, qui minime eorum bonis communicant. Similiter 4. Reg. 5. Naaman Syrus lepra mundatus per Elisæi consilium & virtutem, stetit ad ostium Elisæi, inquiens: *Vere scio, quod non sit Deus alius in vniuersa terra, nisi tantum in Israel. Obsecro itaque vt accipias benedictionem à seruo tuo. At ille respondit: Viuit dominus, ante quem sto, quia non accipiam. Cumque vim faceret, non acquieuit. Dixitque Naaman: Sed obsecro, concede mihi seruo tuo, vt tollam onus duorum burdonum de terra. Non enim faciet seruus tuus vltra holocaustum, aut victimam diis alienis, nisi domino, &c.* Expende ordinem; recepta sanitate Deum confitetur verum, & prophetam multis cogit, vt de Aulæ bonis aliquod munus accipiat. Quod postquam efficere non potest, statim petit sibi permitti terram ferre, in qua vero Deo sacrificet, cui soli se sacrificaturum pollicetur, & negaturum falsos Deos. Et quare hæc non promisit in primis? Quare vbi recepit sanitatem, & Deum verum testatus est, non simul dixit se renuntiare diis falsis, & Deo vero seruire; sed ante has promissiones de donis dandis Elisæo disputat? Sane prophetæ signum non tantam efficaciam habuit ad trahendum principem, antequam propheta ostenderetur alienus ab omni accipiendo principis munere. Vnde merito Theodor. quæst. 29. cum prophetæ paupertate Principis integram conuersionem coniunxit. Quippe ait. *Propheta valde expetendam paupertatem prætulit omnibus diuitiis, & legem euangelicam adimpleuit, priusquam ferretur. Vir autem ille admirabilis credens, vel ipsam terram Israelis esse sanctificatam, rogauit, vt duo onera mulorum ex ea acciperet, vt super eam domino Deo soli offerret sacrificia.* Sic pari passu currunt, & prophetæ paupertas voluntaria, & conuersio principis. In tantum enim vales principes trahere ad Deum, in quantum magis te ab eorum bonis alienum putas. Nota est historia impiissimi regis Ieroboam 3. Reg. 13. vt ad eum missus est vir Dei, cuius voce & altare scissum est, & manus regis aruit, & restitura sanitati fuit. Ait tunc rex: *Veni mecum domum, vt prandeas, & dabo tibi munera. Responditque vir Dei ad regem, si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, &c.* Sane vir nequam vidit altare scissum, vidit manum suam aridam, & sanitati restitutam; & tantis iis prodigiis, nec Deum testatur, nec ostendit pœnitentiæ signum; sed solum offert prophetæ munera. Cur non antea Deum confiteris, & idololatriæ renuntias? Non miraculorum visio sic trahit ad Deum principes, vt visio bonorum omnium abnegationis in Dei ministris. Ait Iosephus lib. 8. de Antiq. cap. 3. *Excusauit propheta, negans se in ea vrbe panem, aut vinum sumpturum. Rex autem miratus viri continentiam, eo magis de se cœpit esse solicitus, ex iis, quæ viderat, & audierat, parum fœlicem rerum suarum euentum augurans.* Ecce tibi vt prima miracula ad reddendum regem solicitum de sua salute efficaciam sumunt ex prophetæ bonorum renuntiatione. Non antea sic mouebat regem propheta, quam vbi sese alienum ab eius conuictu, & bonis prorsus exhibuit. Ex tunc enim iam timebat sibi, & male sperabat de rebus suis.

Ionæ 3.

Ephrem.

4. Reg. 5.

Theod.

3. Reg. 13.

Ioseph.

§. X.

Veritatem euidentissime testatur, qui sola dira, & horrenda proponit principibus.

Aronis in manu virga coram Pharaone versa est in colubrum, ait enim. *Tulitque Aaron virgam coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in colubrum.* Sed libet illud memorare, quod pro Aarone accidit Numer. 17. vbi vniuersi principes Israel dederunt virgas suas Moysi: *Quas cum posuisset Moyses coram domino in tabernaculo testimonij, sequenti die regressus inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt. Protulit ergo Moyses omnes virgas de conspectu Domini ad cunctos filios Israel.* Ecce tibi hic Aaronis virga in flores, & in dulcissimos fructus abit: ibi autem in manu Aaronis virga versa est in colubrum. Cur non magis in vtrisque & flores, & fructus protulit? Cur in vno magis exhibuit flores, & in altero exhibuit draconem? Sane in Numeris testabatur veritatem populo vniuerso, ait enim: *Protulit Moyses omnes virgas ad cunctos filios Israel*, in Exodo autem res erat cum Pharaone rege, vnde meritò non flores, sed colubrum exhibuit: nullo apertius veritatem quis testatur, quam dum regibus, & principibus non blanditias, sed dira, & horrenda profert. Hinc Ionæ cap. 3. *Peruenit verbum ad Regem Niniue. & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum, & indutus est sacco, &c.* Miraris, quod ignoti, & vilis hominis verbum tantam fidem haberet apud Regem. Et vnde verbum hominis abiecti, sibi Regis, principumque fidem conciliare potuit? Erat verbum asperum; verbum iram & euersionem testificans, quod minime ab homine vllo exiret ad Regem, nisi vis veritatis id cogeret. Ex quo prudentissime Rex Niniue philosophatur apud Diuum Ephremum orat. in Ionam fatus: *Si aduentans, pacem prædixisset, suspicari potuissemus, ipsum velut aliquem turpis lucri cupidum, præclaris, felicibus, ac faustis, quæ nobis vaticinaretur, munera à nobis captare. Medicus veritatis ad ægrotantem ingrediens, veritatem prædicat. Non pertimescit ad Regem properare, & ei suos morbos aperire. Non veretur, vel ipsi austeritates pharmacum propinare. Quis ergo mendacem eum appellet, qui iram prædicat? Si enim mendax esset, etiam verbis adulatorem agere deberet.* Quod homo non vtatur verbis lenocinantibus apud principes, sed horrenda, & dira illis prætendat, id euidentissimæ veritatis est argumentum. Quis putet mendacem, qui iram potentibus prædicat? Mar. cap. 1. *Iesus ingressus in Synagogam, docebat eos. Et stupebant super doctrinam eius.* Itaque Christi doctrina in stuporem, & admirationem rapiebat vniuersos. Sed scire cupis, vnde doctrina tantum sibi conciliabat respectum, & creditum? Inde putarim, quod nullis lenocinijs vteretur, sed nude, & acriter principes, & Pharisæos carpebat, extremum illis exterminium repræsentans. Ait Victor Antiochenus ibi: *Cur stupebant? Quia non loquebatur ad gratiam, neque illis prorsus adulabatur, neque auditorum laudes captabat, sed erat sermo eius in potestate. Hortabatur enim non ad quæuis promiscue, sed ad cœlestia, & animæ salutaria; perfidisque & obstinatis peccatoribus imperterrite supplicia comminabatur.* Hinc summum sibi creditum in doctrina Dominus conciliabat, quod loquens cum Principibus populi, nulli adularetur, sed imperterrite, & scelera eorum, & supplicia imminentia in medium dabat.

Num. 17.

Ionæ 3.

D. Ephr.

Marc. 1.

Vict. Ant.

§. XI.

Nil copiosius sub principum aulis, quam serpentina venena ad accedentium perniciem.

PRo vno ex virga Aaronis facto colubro, cœpit tota Pharaonis aula mille dracones parturire. Ait enim: *Vocauitque autem*

Pharao

Pharao sapientes, & maleficos, & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptias, & arcana quædam, similiter: proieceruntque singuli virgas suas, quæ conuersæ sunt in dracones. Nec miror, quod in Pharaonis aula tot dracones scaturiant, quando nil copiosius inuenitur in aulis principum, quam venena serpentina, quibus pereant, qui accedunt illò. Accipite Æneam Siluium, qui postea creatus Pontifex, vocatus est Pius Secundus. Is libro primo de Gestis Alphonsi, relatus à nostro Cornelio in capite sexto Danielis, inquit: *Est apud Indos iuxta Plinium herba quædam præcipui odoris, referta minutis serpentibus, quorum ictu protinus moriendum sit. Ita habent principum aulæ, quod allectant, sed occultant lethale venenum in tantas.* Sunt equidem aulæ principum odoriferi, & gratiosi herbarum manipuli, qui virore, & odore suo omnes inuitant. Sed latent angues in herbis illis, serpentibus venenosis scatent, quorum ictu omnibus accedentibus moriendum sit. Vndè Roboam Salomonis filius aiebat ad suos: *Ego autem cædam vos scorpionibus.* 3. Reg. 12. licet autem à Glossa, & alijs per scorpiones, intelligatur genus flagelli, non est, cur non intelligi possit lethalissimus serpens, quando aulæ nihil aliud copiosius soneant? Et merito pessimus rex suis minatur ictum scorpij, cuius & ingentes, & multiplices sunt segetes venenorum. Ait enim Tertullianus in Scorpiaco contra Gnosticos: *Magnum de modico malum terra scorpium suppurat: tot venena, quot ingenia: tot pernicies, quot species, tot dolores, quot colores Nicander scribit, & pingit; tamen vnus omnium violentiæ gestus de cauda nocere.* Ecce tibi in scorpionibus tot venena, quot ingenia, tot dolores, quot colores, tot pernicies, quot species, & licet multi sint scorpiones specie, venenis, nocumentis, tamen hoc est omni scorpioni commune, quod cauda noceat. Quid in aulis notius? Ibi quot ingenia, tot venena; quot colores, tot dolores, & licet varias mortes Aulæ promant; omnibus hoc commune est, quod caudâ, hoc est, in fine noceant. Ex quo illud monebat Æneas Siluius vbi supra: *Illi aulicis plurimum sapiunt, qui incepto aliquo beneficio, vel mediocri, Aulæ valedicunt. Ostendunt enim animum suum expletum esse, & periculo se subducunt, in quod curiales frequenter incidunt; qui veluti sues, vbi saginati sunt, in cœnam Domini mactantur.* Sic denique pereunt curiales venenis scorpiacis, quibus abundant Aulæ principum. Pro omnibus proferam vnum Caium Caligulam, de quo ait Paulus Orosius lib. 7. cap. 5. *Ipse à suis protectoribus occisus est. Duo libelli in secretis eius reperti sunt, quorum alteri pugio, alteri gladius pro signo nominis ascriptum erat, ambo lectissimorum virorum vtriusque ordinis senatorij, & equestris nomina; & notis continebant morti destinatorum. Inuenta est, & arca ingens variorum venenorum, quibus mox Claudio Cæsare iubente demersis, infecta maria traduntur non sine magno piscium exitio, quos enecatos per proxima littora passim æstus eiecit. Quibus notesceret omnibus, quod tanta veneni moles arte aucta, agere in misera ciuitate potuisset, quæ negligenter effusa etiam maria corrupit.* Fallar, si vel in Scythiæ cauernis, vel in arenis Lybiæ tot venenorum genera, tot segetes nutriantur, quot inuentæ sunt in aula huius principis.

Æn. Sil. — 3. Reg. 12. — Tertul. — Æn. Sil. — Paul. Oros.

§. XII.

Imperium temporale, quo plura alia ad se trahit, & vorat, gracilius ipsum fit.

Conueniant huc vniuersi mundi Principes, qui eò tendunt, vt voratis aliorum regnis suum imperium augeant. Videant, vt draco ex virga Aaronis factus cæteros vorat, ait enim textus: *Sed vorauit virga Aaron virgas eorum*: Serpens ex virga Aaronis factus vorat serpentes ex virgis Magorum factos; nec inde maior fit, nec pinguior, sed in virgæ marcorem transit. Antea dixit de virga Aaron, quod *versa est in colubrum*: modo cum eius meminit voracitatem, non meminit colubrum, sed virgam solam nominat, dicens, *vorauit virga Aaron, &c.* Cur non magis dixit, vorauit coluber, seu vorauit draco ex virga factus? Cur maluit obliuisci draconis in explicatione voracitatis, & solum virgæ meminisse? Vt ostenderet ex tanta voracitate nullum augmentum traxisse, sed ad virgæ venisse marcorem, & siccitatem. Hoc est enim proprium omnibus sceptris humanis, quò plura vorant, & sibi acquirunt, eo infirmiora, & graciliora apparent in propria substantia. Rem firmat imperium Romanum, de quo, tempore Pompeij, ait Paulus Orosius libr. 5. cap. 18. *Namque eodem tempore cum penitus exhaustum esset ærarium, & ad stipendium frumenti deesset expensa, loca publica, quæ in circuitu Capitolij pontificibus, auguribus, decemuiris, & flaminibus in possessionem tradita erant, cogente inopia, vendita sunt, & sufficiens pecuniæ modus, qui ad tempus inopiæ subsidio esset, acceptus est. Et quidem tunc in sinus ipsius ciuitatis euersarum omnium vrbium, nudatarumque terrarum abrasa vndique opes congerebantur, cum ipsa Roma turpi adigente inopia, præcipuas sui partes auctionabatur. Quamobrem consideret tunc tempora sua, cum quasi inexplebilis venter cuncta consumens, & semper esuriens, cunctis vrbibus, quas ipsa miseras faciebat, ipsa miserior, nihil relinquens, nihil habebat.* Ecce tibi, vt Roma quasi venter facta consumit cuncta, & semper esurit, & cum nihil in cæteris regnis relinquit, nihil ipsa habet; imò cum ad se trahit omnium regnorum opes, quidquid suum est vendebat; aurum, argentum, gemmæ omnium prouinciarum raptæ in vnam Romam confluebant, & Roma pauperior præcipuas sui partes auctionabatur. Fallar, nisi in se ploret regnum Castellæ, quod ex quo plura regna acquisiuit, & Americæ sibi adiunxit opes, apparet egentius. Oriens, & Occidens suas diuitias in Castellam mittunt, & ipsa, cogente inopia, præcipuas suas partes auctionatur, adeò vt annuorum tributorum capitalia, & omnia, & loca, & munera publica iam vendita fuerint. Id equidem commune erit omnibus mundi sceptris, quo plura vorarint, eo semper egentiora erunt. Huc retulerim illud Pharaonis somnium, ait enim Rex Genes. 41. *Putabam me stare supra ripam fluminis, & septem boues de amne conscendere, pulchras nimis, & obesis carnibus, quæ in pastu paludis virecta carpebant. Et ecce has sequebantur aliæ septem boues, in tantum deformes, & macilentæ, vt nunquam tales in terra Ægypti viderim. Quæ deuoratis, & consumptis prioribus, nullum saturitatis dedere vestigium, sed simili macie, & squalore torpebant.* De macilentis alias vorantibus expressiua quid ponunt Septuag. Interpretes: *Etsi deformes, & macilentæ vaccæ, quas nemo dignaretur alere, pingues tamen, & pulchras boues deuorauerunt, adeoque vt omnes in viscera earum intrauerint, non tamen inde signum aliquod apparuit saturitatis, sed eadem macie, & tenuitate laborabant, perinde ac si illas non comedissent, nec enim impinguabantur aliquatenus, sed perditum erat, quidquid edissent.* Meritò his dictis adiecit Diuus Ambrosius lib. de Ioseph cap. 7. *Vetus somnium, res recentes.* Equidem somnium illud vetustissimum est, at somnij res multùm sunt recentes: quo enim regna plures prouincias vorant, plures regiones acquirunt, & plura spolia metunt; eo citius in maciem eunt, nec ex tot voratis aliquam ostendunt pinguedinem.

Paul. Oros. — Genes. 41. — Ambros.

Exod. 7. Dixitque Dominus ad Moysem: Ingrauatum est cor Pharaonis, non vult dimittere populum. Vade ad eum mane: ecce egredietur ad aquas, & stabis in occursum eius super ripa fluminis: & virgam, quæ conuersa est in draconem, tolles in manu tua. Dicesque ad eum, Dominus Deus Hebræorum misit me ad te, dicens: Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto, & noluisti. Hæc igitur dicit Dominus: In hoc scietis, quod sim Dominus: ecce percutiam virga, quæ in manu mea est, aquam fluminis, quæ vertetur in sanguinem. Pisces quoque, qui sunt in flumine, morientur, & computrescent aquæ, & affligentur Ægyptij bibentes aquam fluminis. Dixit quoque Dominus ad Moysem: Dic ad Aaron: Tolle virgam, &c.

§. XIII.

Tunc maximè dilationem suppliciorum non patitur Deus esse, cum diuinæ prouidentiæ fides periclitatur.

Non possum, non mirari festinationem Dei, vt supplicium aquæ versæ in sanguinem Pharaoni inserat; ait enim ad Moysem: *Vade ad eum mane, &c.* Vt morte primogenitorum Pharao mulctetur, prouectæ iam noctis tempus expectatur, sic enim ait Sap. 18. *Cum quietum silentium contineret omnia.*

Sap. 18.

omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus Domine exiliens de cœlo à regalibus sedibus durus debellator in mediam exterminij terram prosiliuit, gladius acutus insimulatum imperium tuum portans, & stans repleuit omnia morte. Ibi prouectæ noctis expectatur spatium, hic autem primo mane vrgetur Moyses, vt denuntiet, & inferat supplicium. Cur hic maximè mali inferendi dilationem Dominus non patitur? Ipse ait: *In hoc scietis, quod sim Dominus, &c.* Laborabat Pharao, laborabat Ægyptus circa cognitionem diuinæ prouidentiæ, nihil per supremum dominum putabant gubernari; quod malum ne serperet, iubet Deus, quamprimum aliquale supplicium accelerari, vt qui minime soleat dilationem supplicij pati, vbi notitia, & fides diuinæ prouidentiæ periclitatur. Nemo nescit impiissimi tyranni Iuliani apostatæ festinatam mortem, cuius festinationis causam proponens Diuus Nazianzenus orat. 4. ait: *Ac proinde finem quoque amentia sua dignum tulit: Deo hic solum consueta sua patientia vti non sustinente, vbi multis perniciosa futura erat benignitas, atque & iis, qui honesto viuunt, mœrorem multum, & peccantibus contemptum non paruum allatura: tanquam videlicet, nemo esset, qui res nostras inspiceret, præmiaque & pœnam cuique pro merito rependeret, sed temere, ac fortuito mundus ferretur.* Expende verba illa, nimirum: *Deo hic solum consueta sua patientia vti non sustinente, &c.* Quippè qui pene incredibili patientia impiissimos homines sustinet, & in largissima tempora differt eorum pœnas; vbi puniendus fuit Iulianus, non diu sustinuit; quin potius quasi pro tunc suæ patientiæ oblitus accelerauit supplicium, cuius dilatio benigna peccantibus contemptum non paruum esset allatura, tanquam videlicet nemo esset, qui res nostras inspiceret. Periclitabatur ibi notitia diuinissimi vindicis, & ideò non sustinuit Deus sua consueta patientia vti in inferendo supplicio. *Nazian.*

Genes. 3. Post peccatum primorum parentum Genes. 3. *Aperti sunt oculi amborum; cumque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Et cum audissent vocem Dei ambulantis in paradiso ad auram, post meridiem, abscondit se Adam, & vxor eius à facie Domini, in medio ligni paradisi. Vocauitque Dominus Deus, &c.* Ecce tibi quot spatia intercesserunt post peccatum Adæ; oculi aperiuntur, perizomata ex foliis consuuntur, gressus Dei post meridiem audiuntur, fuga arripitur, & inter ligna delitescere curant. Tunc denique Deus reos perquirit, clamans: *Adam vbi es?* Longe citius Cain comprehenditur in peccato suo, quippè Genes. 4. dicit: *Consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum. Et ait Dominus ad Cain, &c.* Cum primum homicidium peragitur, iam vox Dei intonat, & maledictiones vibrat in Cain. Et cur, qui post tanta spatia plectit Adamum, Cainum nulla admissa mora, & in iudicium vocat, & ferit maledictis? Periclitabatur in Caino diuinæ prouidentiæ notitia, & ideò nec momento differtur eius supplicium. Ait Saluian. lib. 1. de Guber. *Puto, quod hac Caino tam fuerit opinio, quæ nunc in multis est: Deum terrestria non respicere, & actus sceleratorum hominum non videre. At aliter expertus est, quàm putabat. Nam Deum, à quo non existimauit videri scelera, cum occideret, sensit videre, cum damnaretur.* Sic festinato præoccupantur diuino supplicio illi, in quibus diuinæ prouidentiæ periclitatur fides. *Genes. 4.* *Saluian.*

§. XIV.

Mundialium splendorum summitates cauendæ à religioso viro.

VRgetur Moyses à Deo, vt matutino tempore ad Pharaonem accedat; ait enim; *Vade ad eum mane, &c.* Cur mane? Vt qui Principes conueniunt religiosi viri, discant eos ita conuenire, vt minima splendorum mundialium fruantur luce, caueant plenas illorum summitates experiri, ne periclitentur in salute. Rem pulchro exemplo expendit Æneas Siluius, qui Pontifex fuit Pius Secundus libro primo de gestis Alphonsi, relatus à nostro Cornelio ad caput sextum Danielis: *Indica testudines meridiano tempore blandientes, gaudent toto dorso per tranquilla fluitare, donec oblitis sui, Solis vapore siccetur cortex, vt mergi nequeant, iamque inanita natent opportuna venantium prædæ. Ita qui spe rerum magnarum allecti in principum aulas sese coniiciunt, & adeo deliniuntur aulæ deliciis, donec imprudentes eo redigantur, vt nec possint etiamsi velint, in suum otium sese recipere.* Quid pulchrius? Testudinum rem habes apud Plinium libr. 9. cap. 10. quæ enim intra maris aquas sub leni cortice viuunt, vbi meridiano tempore supra aquarum tranquilla ascendunt, vt pleniore fruantur Solis lumine, sub eius ardentioribus radiis sic earum siccatur cortex, vt fluitare cogantur, nec possint se intra aquas recipere, sed venatorum prædis maneant relictæ. Siccine sunt religiosi viri, qui à recessibus suis ad mundiales Principes accedunt, sub horumque plenioribus splendoribus non verentur viuere: heu quam sæpe de ardentibus mundialium bonorum radiis sic siccantur, vt nequeant ad mentis tranquilla se recipere, sed expositi maneant mille ruinis! Rea erat, & religiosus ille Psalm. 55. dicens: *Conculcauerunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes aduersum me. Ab altitudine diei timebo.* Ecce tibi à quo sibi timeat religiosus animus expertus inimicorum tela, imo & plagas. Timet equidem sibi *ab altitudine diei*, hoc est, vt ait Hugo, *à fortitudine prosperitatis*, ne dum plenissimis prosperitatis regiæ radiis fruitur, sic siccetur, vt fluitans per mundiale pelagus, minime se posset recipere in securitatem. *Æn. Sil.* *Psal. 55.*

§. XV.

Pœna certò imminens plus torquet expectantem.

TOtum plagæ ordinem prius denontiare Pharaoni, quam infligere monetur Moyses, dum ex præcepto Domini dicendum sibi putat ad Regem: *Ecce percutiam virga, quæ in manu mea est, aquã fluminis, & vertetur in sanguinem, pisces quoque, &c.* Et cur antequã infligatur plaga, ob oculos proponitur Pharaoni, nisi vt exacerbetur amplius supplicium, quando certissima pœna imminens expectantem magis affligit? Ait enim Diuus Nazianzenus oratione 4. *Satis enim magna pœna censeri debet, cum ij, qui molestiam intulerunt, metu concutiuntur, meritásque pœnas expectant, propterque conscientia cruciatu afficiuntur. Nam quæ quisque, vt eum eam perpessurus timet, hoc passus est, etiãsi non patiatur, grauiusque à se ipse fortasse, quam ab iis, qui supplicium illaturi sunt, torquetur.* Itaque non parua pœna, sed grauissima est, qua quis se torquet sub expectatione pœnæ imminentis. Ex quo lucem accipit locus Sapientiæ cap. 17. ait enim de Ægyptiis tenebrarum plaga affectis: *Solis autem illis superposita erat grauis nox, imago tenebrarum, quæ superuentura illis erat. Ipsi ergo sibi erant grauiores tenebris.* Iam homines tenebræ opprimebant, quæ illorum animis repræsentabant alias superventuras in futuro tenebras. Quid inde? *Ipsi ergo sibi erant grauiores tenebris*; ex quo enim non solum præsentibus affligebãtur tenebris, sed & expectatione aliarum iam iam venientium, occupabantur, grauius à se ipsis, quàm à venturis tenebris ferebant tormentum. Nunquam enim homo non torquetur grauius sub expectatione venientis mali, quam sub ipso malo. Hinc Dominus tentare volens Abrahamũ, ingens illi tormentum incutiens, ait Genes. 22. *Tolle filium tuum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum super vnum montium, quem monstrauero tibi.* Vnici filij iugulationem præscribit, sed longam viam prius terendam definit. Cur Deus quando acerbissimã patri rem mandat, non magis accelerat rei executionem? Vel cur non antea viã præscribit, & post confectam viam, post montis ascensum, tunc explicat Isaaci ruinam? Sane Isaacum secum pater adducit, in montem pergit, ligna portare mãdat, altare ædificat, & nihil illi dicit, sed post omnia peracta rem explicat. Cur non similiter Deus cũ Abrahamo agit? Equidem volebat Deus Abrahamo maius inferre tormẽtum, quàm quod oritur ex morte filij in parente dulcissimo, & ideò filij imperat occisionem, & ante illam iter longum peragendum definit, vt ingentis doloris expectatio, plus vrgeat virum, quam si ipse dolor veniret. Ait Orig. in præsenti: *Poterat duci prius Abraham cũ puero ad illam terram excelsam, & imponi prius in montem, quemcumque delegerat Dominus, & ibi ad eum dici, vt offerret filium. Sed prius ei dicitur, quod offerre debeat filium suum; & tunc iubetur ire in terram excelsam, & ascẽdere in montem. Quò hoc spectat? Vt dum ambulat, dũ iter agit, per totam viam cogitationibus discerpatur, vt hinc perurgente præcepto, & vnici affectu obluctante crucietur. Propterea ergo etiam via iniungitur, etiã montis ascensio, vt in iis omnibus spatium certaminis accipiat affectus, & expectatio futurorum.* Nec dubium, quin expectatio futurorum malorum, plusquam ipsa mala animum passuri diuerberet. *Naziãz.* *Sap. 17.* *Gen. 22.* *Origen.*

Exod. 7. Feceruntque Moyses, & Aaron sicut præceperat Dominus; & eleuans virgam percussit aquam fluminis coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in sanguinem. Et

pisces, qui erant in flumine, mortui sunt: computruitque fluuius, & non poterant Ægyptij bibere aquam fluminis, & fuit sanguis in tota terra Ægypti.

§. XVI.

Vbi sacri baptismi aqua desunt, ibi crebra à Deo veniunt & pugnæ, & ruinæ.

CONflicturus Deus cum Pharaone ecce quale plagarum imminentium dedit initium. Ait textus: *Eleuans virgam percussit aquam fluminis, qua versa est in sanguinem.* Dei mandato percutitur virga aqua fluminis, & iam aqua non est, nec inuenitur aqua viris Ægyptiis, sed pro aqua fluit sanguinis liquor. Quid plura? Non iam mirer, si Deus Aegyptios multis percutiat; vbi enim aqua sacri tollitur baptismi, quid aliud potest venire, quàm creber conflictus, crebræ ruinæ? Crede mihi, ablatio sacri baptismatis initium est omnis discriminis. Dum ad patriam rediret Iacob Genes. 32. peruenit ad ripam fluminis, ibique fecit vt filij, & vxores, & serui vadum transirent, ipseque mansit solus ante ipsum flumen. Quid tunc? Ait textus: *Traductisque omnibus, quæ ad se pertinebant, mansit solus. Et ecce vir luctabatur cum eo vsque mane.* Multi erant vltra flumen, & filij, & serui Iacob, quos omnes dimittit quieros nobilis luctator, & ad solum Iacob opprimendum festinat, qui solus manebat, antequam transiret flumen. Et cur lucta paratur Iacob potius quam filiis, aut seruis eius? Cur Iacob solus à luctatore petitur, quando alij erant, cum quibus posset etiam confligere? Solus Iacob erat, qui vadum fluminis non tetigerat, qui non expertus fuerat aquam fluminis; vnde merito solus petitur ad luctas, vt discant illi, quibus sacri baptismatis aqua ignota est, quantis luctis debeant à Deo affligi. Procop. Pulcbre ad hæc Procopius ibi: *Cum iis, qui traiecerant fluuium non luctatur Christus, suorum in numero ipsos reputans, & vt mundi victores ipsos coronans. Præsagia autem hæc erant, qui ex Iacob repudiarent baptismi gratiam, hostem fore habituri Christum.* Monstrabantur in Iacob filiis qui traiecerant vadum fluminis, illi qui baptismi aquam erant suscepturi, cum quibus non pugnat Christus, sed illos coronat. In ipso autem Iacob illi ostendebantur, qui non traicientes vadum fluminis minimè erant suscepturi baptismum. Ij autem quid sperent nisi hostiles ex Deo impetus? Nunquam non infensum, & durum sibi inuenient Christum. Cum Israelitæ educerentur ex Aegypto, peruenerunt ad ripas maris rubri, quod de medio abstulit Dominus, vt transirent non per aquam, sed per siccum. Ait enim Exod. 14. Exod. 14. *Cum extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus, flante vento vehementi, & vrenti tota nocte, & vertit in siccum: diuisaque est aqua. Et ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris, &c.* Sic aufertur de medio mare, & paratur via sicca, vt Israelitæ transirent. Non sic cum Christianis factum est, imò illis dicitur Ioan. 3. Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Et quando Israelitis aufertur maris aqua, vt per siccum transeat, cur Christianis ita paratur aqua, vt sine illa non debeant gradum facere? Sanè huius differentiæ qualitatem euentus ipse monstrauit, quando Israelitas eremus excepit, in qua & prælia, & serpentes igniti, & ignis, & gladius à Deo in illos immittebantur: Christianos autem, & pax, & regnum expectabat. Ex quo eleganter D. Zeno lib. 3. ser. 37. fatur: D. Zeno. *Illorum profugus populus per mare rubrum dextra, læuaque vndarum stupentibus, pede sicco transiuit: at nostrum mare quos voluntarios suscipit, fœliciter naufragos facit; interimensque vniuersa peccata, genitali vnda submergit, vt cœlestes effecti terram desiderare non norint. Denique illi post mare ad eremum peruenere; nos per baptismum ad paradisum peruenimus.* Ecce tibi, quos mare fugit, & aqua non aspersit, eremus suscepit plena Dei iris, plena illorum necibus; quos autem baptismi vnda submergit, hos paradisus pacifice expectat.

§. XVII.

Vbi diuinæ iustitiæ virga apparet, vel illa creaturæ homini infensæ redduntur, quas magis sibi obligauerat homo.

ECce tibi ad virgæ ictum primæ aquę vertuntur in sanguinem, vt Aegyptios affligant. Quippè ait: *Eleuans virgam percussit aquam fluminis, coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in sanguinem, & pisces qui erant in flumine mortui sunt; computruitque fluuius, & non poterant Ægyptij bibere, &c.* Et cur ad ictum virgæ prima aqua lethalis fit Aegyptiis, nisi quia Aegyptij maximis, & diuinis honoribus sibi fluminis sui aquas deuinxerant? Ait Procop. ibi: Procop. *Pœnæ quæ primo irrogantur, petuntur ab elemento aqueo. Siquidem Ægyptij maximis, & diuinis honoribus coluerunt aquam, statuentes ipsam esse principium vniuersi. Proinde aqua primo affliguntur.* Et quidem, vbi diuinę iustitię virga instat, illæ creaturæ in primis aduersus nos insurgunt, quas obsequiis nostris putamus magis nobis deuinctas. Id quod minabatur Dominus Israelitis Num. cap. 34. Num. 34. *Sin autẽ nolueritis interficere habitatores terræ, qui remanserint, erunt vobis quasi claui in oculis, & lanceæ in lateribus, & aduersabuntur vobis, &c.* Sed qui remanserint, minime remanserint nisi ex Israelitarum beneficio; quibus Israelitæ parcerent, & parcendo maxime sibi deuinxissent. Quomodo ergo fieri poterat, vt homines adeò obligati sic infensi redderentur Israelitis? Hic est effectus diuinæ iustitię, vt nullos prius experiamur infensos, quam eos, quos maioribus obsequiis contra Dei placitum nobis obstrinximus. Ibi Procopius ait: Procop. *Porro, quibus aliquis applaudit contra Dei voluntatem, iisdem quoque in manus traditur. Quemadmodum Cæsari Iudæi, cum eum regem præ Christo seruatore elegissent, Sub Romanis enim captiui perierunt.* Non dubito, quin in causa Christi, multum sibi Iudæi Cæsarem obstrinxerint, eius honori, & regno maxime consuluerint; at dum cœpit excitari in illos diuina iustitia, nullus prior, quam Cęsar percussit miseros. Id nouerant Iudæi ipsi, qui traditi à diuina iustitia Babyloniorum gladiis, in summa angustia constituti, ait Oseas cap. 10. Oseæ 10. *Dicent montibus, cadite super nos, & collibus, operite nos.* Et cur expectantes hostiles gladios, ad montes confugiunt, volentes in primis opprimi ab illis? Erant montes, quos honoribus diuinis coluerant, quos multa religione sibi obstrinxerant; quibus merito primas supplicij sui deferunt, vbi instat diuina iustitia. Ait D. Cyril. Alex. ibi apud Delrium in Adagiis. Cyril. *Dicent montibus illis, & collibus, in quibus idola colebant, Cadite super nos, anticipate crudelitatem Babyloniorum.* Non enim esset fas, quod alij prius percuterent miseros, quam ij montes, quos magis ipsi sibi sacrificiis funestis deuinxerant. Equidem nulli prius, quam quos magis habemus in charis, nos affligent, vbi apparuerit iustitiæ diuinæ virga. In primos peccatores exardescebat diuinissimus iudex, & vocans eos ad pœnam, quid inquit Adamus? Ait iste Gen. 3. Genes. 3. *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Vix iudex apparuit, & primus Adam opponit Euam discrimini. cur primus Adam sic in Euam crudelis, nisi quia ille erat maxime Euæ in deliciis? Rem pulchre tractans D. Ber. ser. 1. in festo omnium sanctorum, inquit: Bern. *Ecce scimus ô Adam, quia os de ossibus tuis est, & caro de carne tua. Videamus nũc quantum diligas eam. Venit Dominus igneum tenens gladium in vltione præuaricationis, oppone te discriminis propter illam, & dic, Domine, mulier infirmior est, mea est iniquitas, in me solum vindicta procedat. Sed non loquitur sic. Mulier, inquit, quam dedisti mihi, dedit de ligno, &c.* Vbi iudex apparuit, nihil promit Adamus, quod Euam excuset, sed quod condemnet, ipse primus obiicit miseram rigori sententię. Sic semper qui nobis in deliciis sunt, qui maiora nobis debeant, in carnifices conuertentur, vbi iudex apparuerit.

§. XVIII.

Vel ad primum diuinæ iustitiæ virgæ ictum quæcumque scelera abscondita prosiliunt in medium.

VIrga tangit fluuium, & totus fluuius in sanguinem conuertitur. *Eleuans virgam percussit aquam fluminis quæ versa est in sanguinem.* Et cur necessum fuit, quod fluuius in sanguine tangenti virgæ responderet? Latebat intra fluminis alueum puerorum Hebræorum sanguis, quos recens natos præcepit Pharao suffocari in flumine: quod nefas non potuit moraliter non prodire in publicum, vel ad primum tactum diuinæ virgæ. Ait Procopius ibi: *Cum in flumen mandauerint præcipitandos Hebræorum infantes, & tandem diuina virtute versum sit in cruorem, satis redarguit, & in mentem illis reuocat crudele, & immane edictum.* Eò sane spectat sanguis fluminis, vt repręsentet, & redarguat immane delictum infanticidij, quod propriissimũ facinus est diuinę virgę. Cum primũ enim diuinæ iustitiæ virga hominem tangit, quæuis occulta scelera in medium producit. Sic Gen. 4. Genes. 4. *Dixitque Lamech vxoribus suis Ada, & Sellæ: Audite vocem meam vxores Lamech, auscultate sermonem*

sermonem meum: quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum. Septuplum vltio dabitur de Cain, de Lamech vero septuagies septies. Et quidem, vt sapientes notat D. Chrysostomus, hoc homicidium a Lamech perpetratum, occultissimum erat, nullus tale facinus patrari viderat, nec de illo audierat. Vnde ergo Lamech cogitur occultum facinus suum in medium proferre, illudque manifestare mulieribus? Sane pulsauerat hominis animum diuinus iudex; & ad diuinæ virgæ ictum, penitius occultissima quæque scelera prodidit. Ait D. Chrys. hom. 20. in Gen. *Quis enim, dic obsecro, talem ad confessionem adegit? Nullus alius quam conscientia, & incorruptus ille iudex.* Vnus diuinus iudex virum tetigit, & ad ictum virgæ eius protulit omne scelus in medium. Huc spectans *Chrysost.* Ezech. cap. 7. ait Dominus: *Nunc de propinquo effundam iram meam super te, & replebo furorem meum in te, & iudicabo te iuxta vias tuas. Et imponam tibi omnes abominationes tuas. Et non parcet oculus meus, neque miserebor, sed vias tuas imponam tibi, & abominationes tuæ in medio tui erunt, & scietis, quia ego sum Dominus percutiens.* Expende sequelam, *& abominationes tuæ in medio tui erunt, & scietis, quia ego sum Dominus percutiens.* Inde equidem scitur Dominus percussisse, & tetigisse, quod abominationes in medio nostri sint, hoc est, iuxta D. Hieron. quod videamus abominationes nostras in conspectu omnium positas. Vt *Ezech. 7.* primum enim diuini iudicis virga percutit, statim occultissima quæque scelera sunt in manifesto. Hinc ipse Ezechiel cap. 7. clamat: *Floruit virga, germinauit superbia.* Ex quo enim *Ezech. 7.* supremi iudicis virga flores suos edidit, nimirum percussionem aliquam fecit, statim erupit superbia, quæ latebat. Ibi D. Hieron. *Ideo dominus visitat, & percutit, vt eruatur, & pateat omnis superbia, quæ diu latebat inclusa.* Non enim possunt ad diuinissimi iudicis virgæ ictum secretissima quæque scelera non prodire in medium. *Hieron.*

Exod. 7. Feceruntque similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis: & induratum est cor Pharaonis, nec audiuit eos, sicut præceperat dominus. Auertitque se, & ingressus est domum suam, nec apposuit cor etiam hac vice. Foderunt autem omnes Ægyptij per circuitum fluminis aquam, vt biberent: non enim poterant bibere de aqua fluminis. Impletique sunt septem dies, postquam percussit Dominus fluuium.

§. XIX.

Non locus, sed propria cuiusque affectio sibi, aut bona trahit, aut mala.

Vide Ægyptios facientes foueas per circuitum fluminis, vt stillatum sanguinem, velut aquam potarent. *Foderunt autem Ægyptij per circuitum fluminis aquam, vt biberent: non enim poterant bibere de aqua fluminis.* Ægyptij foueas faciunt, Ægyptij affliguntur potu sanguinis; nil dicitur de Israelitis in eadem terra commorantibus. Cur similiter Israelitæ, ac Ægyptij non experiebantur eiusdem loci mala? Non miror, quod soli Ægyptij affligantur sanguine fluminis, quando soli Deo rebelles inueniebantur; mala autem, vel bona non propter locum, sed propter hominum affectiones dantur. Vt dicat D. Nyssenus ibi: *Eodem tempore, eodem loco Iudæi ab officio non recedentes nihil mali sentiebant. Ægyptij vero perperam sentientes, & cogitantes acriter plectebantur. Nam aqua per vniuersam Ægyptum in sanguinem iubente Moyse conuersa est, vt vel ipsi pisces crassitudine aquarum carentia morerentur. Iudæis solis sanguis aqua erat limpidior.* Non equidem loci malũ erat, sed affectionis humanæ, qui praue afficiebantur, sanguinis plagam sibi conciliabant; qui autem boni, & fideles erant, etiã in eodem loco existentes limpidissima aqua fruebantur. Huc refero illud Daniel. 3. vbi tres pueri Hebræi fidelissimi Dei serui in fornacem flammantem coniecti sunt. Pueri erãt in medio ardentis fornacis: Babylonij infideles iuxta erant videntes flammas. Quid tunc? *Erupit flãma, & incendit, quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis. Angelus autẽ Domini descẽdit cũ Azaria, & sociis eius in fornacem, & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis.* Ecce tibi, qui iuxta fornacem erant, cremabãtur, qui vero intra ipsam erant perfusi rore nil recipiebant dãni. Et cur qui intus erant secu- *Nyssen.*

riores apparebant in mediis flammis? Ne putaretur res loci esse, sed affectionis; vt qui bene affecti sunt, quocumque loco inueniãtur, possunt à malis liberari, & mali vbicumque sint, debent supplicia pati. Ait D. Chrysost. hom. 6. ad Popul. *Recordare igitur illorum trium puerorum, qui erant intra fornacem, & nihil graue patiebantur; & eorum, qui ipsos iniecerant, & extra fornacem manebant, quomodo, qui circumstabant, omnes consumpti sunt. Quid hoc mirabilius? Quos continebat ignis, exoluit; quos non continebat, rapuit. Vt sic discas, quod non locus, sed morum qualitas salutẽ, & pœnam affert.* *Chrysost.* Qualitas morum trahit salutem & pœnã hominibus, quando in paradiso homo acquisiuit sua malitia flammeum gladium versatilem; & in sterquilinio, in media malorum sartagine Iob bona recepit duplicata. Sic Ioann. 13. *Sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat de hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, in finem dilexit eos. Et cœna facta, cum diabolus misisset in cor, vt traderet eum Iudas.* *Ioan. 13.* Duodecim erant discipuli congregati iuxta Iesum, eum eo comedentes panem: in vndecim eorum corda diuini amoris mittebantur pabula, in Iudæ cor proditionem mittebat diabolus. Et cur in simili mensa, in simili conuiuio, & consortio, dissimilem hospitem Iudas trahit? Res erat non loci; sed qualitatis morum, & quisque prout affectus erat, recipiebat in animo, boni benefactorem, & saluatorem Deum, malus carnificem diabolum. Ait D. Leo serm. 5. de Pass. *Illius spiritu inflammatus Iudas exarsit, cui ministerium sponte præbuit, & qualem habuit mentem, talem inuenit, & præsidem.* *Leo.* Non aliunde, sed ex se ipso traxit Iudas in eadem mensa, in eodem conuiuio tam atrocem hospitem animæ; eius morum qualitas carnificem conciliabat, quando cæteri saluatore fruebantur. Nequis multum deferat locis, sed morum qualitatibus, quando malus vel in Dei mensa vorat inferni flammas, & boni vel in carnificinis, vel in fornacibus cœlesti rore perfusi de salute comparata gaudent.

§. XX.

Maxime attendenda sunt salutis viæ his, qui nolint in illis implicari.

Fecit Moyses ex aqua sanguinem, similiter fecerunt & Magi, vnde Pharao non acquieuit Dei placito. Sed quando Magi eadem faciebant, cur peccaret Pharao, si eis eamdem fidem præstaret? Rationem peccati Pharaonis assignat textus, aiens: *Feceruntque similiter malefici Ægyptiorum incantationibus suis. Et induratum est cor Pharaonis, nec audiuit eos, sicut præceperat Dominus. Auertitque se, & ingressus est domum suam, nec apposuit cor etiam hac vice.* Expende ab illis: *Auertitque se, &c.* quippe vbi Pharao vidit maleficos similia facientes, non amplius attendit, nec apposuit cor suum ad discernẽdum inter maleficos, & Moysem, sed statim re leuiter perspecta auertit se, & domi se recepit. Cur ergo nõ parcat Pharao, & culpabiliter implicetur falsitatibus, quando in rei adeo ancipitis examinatione noluit immorari, nec apposuit cor suum, vt veritatem indagaret? Non sufficit equidem in re salutis leuis quædam perfectio, sed maxima attentione sunt viæ salutis dignoscẽdæ, examinandæ. Monebat Ecclesiasticus cap. 9. *Scito, quod in medio laqueorum ingrederis.* *Eccles. 9.* Quæ sic leguntur à D. Chrysost. *Agnosce, quod in medio laqueorum transis.* *Chrysost.* Sunt equidem salutis viæ multis permixtæ laqueis; & sunt laquei eumdem colorem referentes exterius, quem viæ salutis habent. Quid faciam, vt me expediam laqueis? Iam disce ex consilio monentis, *Agnosce*; hoc est, non leui prospectu, sed multa attentione, multo meditationis labore satage, ne capiaris falsitate. D. Chrysost. hom. 13. ad Popul. *Non enim dixit, Aspice, quod in medio laqueorum pertransis, sed, Agnosce. Et quare dixit, Agnosce? Obumbratus est, inquit, laqueus, non manifesta clades, sed vndique obtecta adiacet. Propterea dixit, Agnosce. Multa tibi opus est agnitione, & diligenti scrutatione.* *Chrysost.* Non qui leui oculorum intuitu, sed qui multo studio, integroque cordis, & mentis conatu res humanas attẽdit, distinguit veras à falsis. Ex quo Ecclesiastes cap. 2. *Cogitaui in corde meo abstrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad sapiẽtiam, deuitaremque stultitiam, donec viderem, quid esset vtile filiis hominum.* *Eccl. 2.* Vide quanta faciebat Ecclesiastes, sese ad internas cordis meditationes recipiebat; ibique in primis se alienabat ab omni re, quæ mentis perspicaciam fallere posset, & prorsus vel suspicionem stultitiæ fugiebat, neque in iis cessabat, aut remittebat animũ, donec veritatẽ prorsus calleret. Et credat mihi, non recedat à diligẽti scrutatione, cui totũ se impẽdat, qui velit ad veritatẽ accedere. Pulchrè Hug. Vict. hom. 8. in Eccles. ait: *Bene in hoc fecisti, quod abstrahere proposuisti à vino carnem tuam, vt melius inebriares sapientia animam tuam* *Hug. Vict.*

& eam ad se ipsam interrsum colligere; & totam animi intentionem, omnesque cordis conatus sub rationis moderatione cohibendo veritati conformare. Hoc ergo bene fecisti, sed vsquequo? Donec inquit, viderem quod est vtile filiis hominum. Vide ergo vt perseueres, vt in veritate quaras, quia non inuenitur veritas, nisi ab iis, qui eam in veritate quarunt. Qui toto corde ad eam accedunt. Qui non dimidij accedunt, sed toti veniunt, & ea tota veniunt. Quid pulchrius? Totum hominem, totam cordis attentionem requirit veritatis inuentio; non dimidius, sed totus intende veritati percipiendæ, nisi & falsis implicari velis.

§. XXI.

Commune est principibus, quod in veritate indaganda non morentur.

VBi malefici similia fecerunt, non amplius indagauit Pharao, sed statim ad sua recessit. *Auertitque se, & ingressus est domum suam, nec apposuit cor etiam hac vice.* Pro hac vice, dicitur Hebraice *ad hoc.* Vidit itaque Pharao similia à suis maleficis facta, & statim auertit se, nec apposuit cor ad hoc. Cur non magis rem attendis, & veritatem indagas, vt pereat qui te talibus prodigiis fallere tentat? Cur rem adeo grauem sic in ancipiti relinquis, & non magis curas, vt veritas proferatur in medium? Hoc sane omnibus principibus commune est, quod in proferenda veritate minime immorentur. Veritatis magistrum nactus Pilatus, de veritate quærit, sed responsum non expectat. Ait enim Ioan. cap. 18. *Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exiuit, &c.* Ecce tibi quæstionem de veritate propositam relinquit, & abit ad aliam. Cur non magis expectas, vt scias, quid sit veritas? Euthymius ibi. *Discere cupiens interrogat Quid est veritas? Sciens autem quod mora opus esset ad quæstionem, subsistit ab interrogatione confestim egressus.* Ex eo solum, quod mora opus esset ad veritatem percipiendam deterritus est, & confestim recessit, vt qui nesciat, pro veritate vel minimum terere tempus. Sed & quod mireris magis, Dauid religiosissimus rex, vbi à Siba interrogauit de domino suo Miphiboseth, & ex illo audit, quod Miphiboseth non bono animo esset erga regem, statim inauditum reum omnibus bonis priuat, illaque Sibæ accusatori largitur. Et non multum post accedit ipse Miphiboseth, & habitu & verbis suam innocentiam testificans, ait enim 2. Reg. 19. *Insuper, & accusauit me seruum tuum ad te dominum meum regem, tu autem Domine mi Rex, sicut Angelus Dei es, fac quod placitum est tibi. Tu autem posuisti me seruum tuum inter conuiuas mensæ tuæ, quid ergo habeo iustæ querelæ? Aut quid possum vltra vociferari ad regem? Ait ergo ei Rex: Quid vltra loqueris? Fixum est, quod locutus sum, tu & Siba diuidite possessiones.* Expende illa: *Quid vltra loqueris?* quibus Dauid non permisit plus temporis consumi à Miphiboseth in ostendenda innocentia sua, & Sibæ proditione. Et quidem res erat grauissima, in qua agebatur de fama, & bonis Miphiboseth, & de proditione Sibæ; & facile poterat ostendi vter esset in regem fidelior, an Siba, an Miphiboseth? Cur ergo rex non magis finis rem ostendi? Cur non permittis, vt tantus vir Miphiboseth filius amicissimi principis pro se loquatur; & satagis vt tibi rei veritas euidenter constet? Equidem nō solent principes immorari in dignoscenda veritate, etsi id præstare facile possint. Ex quo merito Caietan. Dauidem accusat aiens: *Prius Dauid fuerat praceps dando totum Sibæ inaudita parte, modo audita parte, sed indiscussa veritate manifestè iniustus inuenitur, &c.* Dupliciter errauit Dauid prima vice, dum inauditum hominem damnat, & illum damnat ex simplici Sibæ accusatione, sine vlla veritatis discussione, quam facile præstare posset. At secunda vice correxit alterum errorem, audiens partem accusatam, sed minime sustinuit, vt corrigeretur alter error de veritate discutienda, quasi in hoc immorari sit omnibus aliis molestius regi.

Ioan. 18.

2. Reg. 19.

Caietan.

CAPVT VI.

Ranæ, cyniphes, muscæ excitantur in Pharaonem.

INTERARA dies plagam visura secundam illuxit, & quæ draco fuerat, virga in altum erecta per Aaronem, ranarum perstrepentium multitudinem ingentem connocans è lacubus, è fontibus, è fluuiis fæculentissimum tormentum immisit Ægyptus. Cogebant exulare miseros omnia plena spurcissimis hospitibus, & domorum penetralia, & lecti, & mensæ, & vasa cuncta; nec licebat ad panem manum porrigere, quam non præoccupasset & fœtidus, & importunus ranarum assultus. Videres Pharaonia pectus adamantinum nulli sanguini cedens, ranis persultantibus emollitum: qui ad maleficos ierat, pro augenda pœna; ad Moysem castigatus venit pro minuenda illa. Crastinus statuitur dies ab ipso rege, quo preces fiant; nunquam enim non procrastinare nouit humana infirmitas in re salutis.

Igitur orante Moyse fœdâ ranarum plagâ mundatur Ægyptus, & lapideus Pharao ad tantæ diuinæ benignitatis radios magis obduruit. Rursus ad culpam Pharao, rursus Aaron ad virgam, cuius ictu è puluere cyniphum phalanges exurgunt, qui coadunatim vibrādo densati, cum vrente morsu homines impetunt. Minime valuit similes exercitus instruere Magorum maleficium; sed inter horum aculeos, infirmitatem prædicant suam, & digitos agnoscunt diuinos. At rex nec tot stimulis ad remedium ducitur, vt necessum fuerit cyniphum instaurari certamen adiunctis caninis muscis. Harum tanta increuit multitudo tam pestilens, tam importuna, ne licuerit misero amplius omnipotenti manui resistere. Dat abeundi facultatem Hebræis, dum ita liberetur bestiolis: quam tamen facultatem dedit oppressus muscis, confestim recreatus sustulit.

PARS MORALIS
circa textus literam.

AB aqua & terra plagas trahit virga Moysis, vtinam noster stylus trahat à cœlo auxilium, quo de tantis plagis possit motibus nostris offerre medicinam.

Exod. cap. 8. Et extendit Aaron manum super aquas Ægypti, & ascenderunt ranæ, operueruntque terram Ægypti. Fecerunt autem malefici per incantationes suas similiter, eduxeruntque ranas super terram Ægypti. Vocauit autem Pharao Moysem & Aaron, & dixit eis. Orate dominum, vt auferat ranas à me, & à populo meo, & dimittam populum, vt sacrificet Domino.

§. I.

Plaga exitialis regnis est, quæ venit à poëtarum vanorum libris.

QVanta hęc fuit Ægypti plaga? inquit enim: *Ascenderunt ranæ, operueruntque terram Ægypti.* Nullus locus sacer, nullus recessus puellarum, nullum secretum cubile, non plenum fuit perstrepentibus iis ranis. Sic paulò ante minatus fuerat: *Ebulliet & flumen ranas, quæ ascendent, & ingredientur domū tuam, & cubiculum lecti tui, & super stratum tuum, & in domos seruorum tuorum, & in populum tuum, & in furnos tuos, & in reliquias ciborum tuorum, & ad te, & ad populum tuum, & ad omnes seruos tuos intrabunt ranæ.* En misera Ægypti conditio, cuius nullus recessus adeo immunis est, quin immundissimæ, & vocalissimæ ranæ non peruadant! Sed longe miserabilior est populus Christianus, cui non fluuius Ægyptius, sed fons Parnassi, & Tempe, & Helicon, & Castalia ebulliunt tot immundas ranas, quot vanos poetas, quorum scripta ingenti Reipublicæ damno vniuersas domos replent, & cubilia secretioria lectuli, & virginum recessus, & matronarum strata; & in ipsis culinis, & furnis inueniuntur, ne sit locus, qui non putrescat hac plaga. Da mihi vel sacrum locum, in quo vel poemata fabularum, vel amorum carmina, vel libri profanissimarum comœdiarum non legantur. Nullum dabis. En plaga populi Christiani, & in extensione, & in damno Ægyptiis ranis prorsus comparanda! Accinit meritò Ruper. lib. 1. in Exod. cap. 32. tractans ranarum plagam, sic fatur: *Qui iustius comparantur fœditati ranarū, quam poetæ perstrepentes in theatra ridicula figmenta fabularū? Hi planè assumunt Dei nomē in vanū, verbi gratia, cū adultero Ioui, & meretriculæ veneri nomē diuinitatis adscribunt.*

Rupert.

bunt. Et illa quidem ranæ permoleſtæ fuerunt, aſcendentes, & ingredientes domum regis, & cubiculum lectuli eius, & ſuper ſtratum eius, & in domos ſeruorum eius, & in populū eius, & in furnos eius, & in reliquias ciborum eius, iſtæ autem ranæ, id eſt, fabuloſi poetæ animis exitiales extiterunt. Corporalia loca vniuerſa peruadentes fœdabant ranæ illæ, ſed iſtæ, nimirum poetæ ſimul animis vniuerſis inferūt venena lethalia. Et neſcio, an plaga exitialior inueniatur in populo Chriſtiano, quàm quæ venit de ſcriptis iſtis poetarum, quæ vniuerſas domos peruadunt. [Iosue 7.] Nota eſt hiſtoria ex Ioſue cap. 7. quando Iſraeliticus populus plagam mortis accepit ab hoſtibus ſuis. *Cuius plagæ cauſam aperiens Athan fatur: Vidi enim inter ſpolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulamque auream quinquaginta ſiclorum & concupiſcens abſtuli, &c.* Vbi noſter *regulam* poſuit, poſuere Græci *linguam auream*: quippe in vnius tabernaculo lingua aurea introducta eſt, & totus periclitatur populus. Et quæ lingua aurea adeo exitialis, niſi lingua vanorum poetarum? [Origen.] Inde aiebat Origen. homil. 6. *Si poetam legeris modulatis verſibus, & præfulgido carmine Deos, Deaſque texentem, ne delecteris eloquentiæ ſuauitate. Lingua aurea eſt, ſi eam ſuſtuleris, & poſueris in tabernaculo tuo, ſi introduxeris in cor tuum, ea quæ ab illis aſſeruntur, polluet omnem Eccleſiam Domini.* Ad totius Eccleſiæ pollutionem putat ſufficere, quod vel in vnius tabernaculo vanus, & laſciuus poeta legatur. Quid ſi in omni loco, in omni receſſu perſtrepant hæ ranæ? Nullus erit, qui ad earum numerum non ſaltet, & in perniciem abeat. [Ierem. 51.] Ierem. cap. 51. *Calix aureus Babylon in manu Domini inebrians omnem terram. de vino eius biberunt omnes gentes, & ideo commota ſunt. Subito cecidit Babylon, & contrita eſt.* Calicem hūc ad Parnaſſi poculum refert Origen. [Origen.] ex quo poetæ multa propinant toxica ciuitatibus. Quippe ait homil. 2. in Ierem. *Cognoſces, quomodo vnuſquiſque poetarum, qui putantur diſertiſſimi, calicem aureum temperauerit, & in calicem aureum venenum miſcuerit idololatriæ, & venenum turpiloquij. venenum eorum, quæ animam hominis interimunt dogmatum.* Ecce in aureis poetarum vanorum verſibus tot venena, quot ſunt lethiferæ potiones. ſed illud expendendum eſt in verbis prophetæ, nimirum: *De vino eius biberunt omnes gentes, & ideo commota ſunt. Subito cecidit, &c.* Pro quibus vertit Arabicus. *De vino eius biberunt omnes populi, & babyloniazati ſunt. Subito cecidit Babylon, &c.* Itaque cum potu, & mores hauſerunt, & perierunt. De babylonio calice à poetis temperato biberunt omnes populi, & quotquot biberunt, babylonizati ſunt. Quotquot de laſciuis poetis biberint, ſimiliter, & laſciuient, & ibunt in interitum.

§. II.

Principibus fatalis eſt poeticus ſpiritus.

CVrat diligenter Pharao, vt à Regia ſua tollantur ranæ, ait enim: *Vocauit autem Pharao Moyſem, & Aaron, & dixit eis: Orate Dominum, vt auferat ranas à me.* Cum aquæ verſæ ſunt in ſanguinem, non dicitur Pharao petiiſſe, vt tolleretur à fluuiis ſanguis; nunc petit anxius, vt tollantur ranæ. Et cur Pharao magis inſtat pro depellendis ranis, quàm pro depellendo ſanguine? [Auguſt.] Vbi iuxta D. Auguſt. ſer. 87. de tempore, & Rupert. ſupra, per ranas poetarum ſpiritus exprimebantur, non miror, quod principi Pharaoni acerbiores eſſent voces ranarum, quam riui ſanguinis. Vt enim principes animi ad ſanguinis viſum excitantur, roborantur, ſic poetarum ſpiritibus infirmantur. Accipe, vt ingenui animi excitentur viſo ſanguine ex 4. Reg. cap. 3. [4.Reg.3.] *Viderunt Moabitæ aquas rubras, quaſi ſanguinem, dixeruntque, Sanguis gladij eſt, pugnauerunt reges contra ſe, & cæſi ſunt mutuo, nunc perge ad prædam Moab.* Vident ſtrenui homines fluminis ſui aquas, quaſi verſas in ſanguinem, & nihil ſibi præſagiunt mali, quo animo cadant, quin potius inde ad prædam excitantur. Non equidem in regiis animis, quid ominoſum eſt, vel ſi fluuij ſanguinis videantur. Illud principibus ominoſum, & fatale, ſi poetarum ſpiritibus afflantur. [1.Reg.19.] De Saule dicitur 1. Reg. c. 19. *Abiit in Naioth in Ramatha, & factus eſt etiam ſuper eum ſpiritus Domini, & ambulabat ingrediens, & prophetabat vſque dum veniret in Naioth in Ramatha. Et exſpoliauit ipſe ſe veſtimentis ſuis, & prophetabat cum cæteris coram Samuele, & cecidit nudus tota die illa, & nocte.* Tota hæc prophetatio eò ſolum tendebat, quod hymni, & carmina funderentur in Dei laudes, vnde à Caietano dicitur [Caiet.] Samuel ibi ſtetiſſe *dirigendo, proponendoque diuinarum laudum materiam, aut carminis metrum.* Quod enim genus carminis incipiebat Samuel, illud ſtatim afflati cæteri proſequebantur. Igitur ad hos eum pergeret Saul, ſtatim & ipſe afflari cœpit ad carmina, hymnoſque fundendos, & illud accidit maxime notandum, quod *expoliauit ipſe ſe veſtimentis ſuis, & prophetabat, & cecidit nudus tota die.* Nullus alius ſe veſtibus ſpoliauit, nullus alius nudus cecidit, vt ſapienter notat Abulenſis quæſtione 39. in præſenti; ſolus Saul vbi afflari cœpit hoc ſpiritu fundendi hymnos, & carmina, ſimul ſeſe cœpit nudare veſtibus regalibus, vt oſtenderetur, quam eſſet ominoſum, & contrarium regio ſpiritui, quod inter carminum conditores tandiu ageret. *Sic cecidit nudus tota die, & nocte:* ne miremur, quod regio nudetur, & exſpolietur ſtemmate princeps, qui integros dies, noctéſque conſumit condendis carminibus, vel cum conditoribus carminum. Nunquam enim ad principes non ſpectauit illud Eccleſiaſtæ cap. 12. [Eccleſ. 12.] *Obſurdeſcent omnes filiæ carminis.* Septuagint. *Humiliabuntur omnes filiæ carminis.* Et fallar, ſi principes illi fugiant humiliationem, qui toti ſeruiunt carminibus condendis. Quo adduco Egeſippum lib. 3. cap. poſt rebellionem Galuæ in imperium ſaltem: [Egeſip.] *Ea Neroni nuntiata ſunt in Achaia partibus ſito, qui tragicorum carminum meditatione contenderat, vt de pluribus ſcenicam coronam referret; incertum, quo magis turpe, vtrum quod in ſcenam Imperator prodiret, an quod ſcenam ſuis flagitiis impleret, qui turparet Oreſtem canendo, & parricidio repræſentaret. Grauis eum inuaſit metus: non illa ludorum ſimilia, ſed bellorum ſupeena pertimeſcentem, vt aliquando à theatralium voluptatum obſcœnitate reſipiſceret, atque ad eum Republica conuerſus intra ſe fremeret, & deſæuiret, quod incuria ducis potius, quàm aduerſariorum virtute tantam cladem Reſpublica Romana acceperit.* Quid aliud audiat princeps totus deditus carminibus recitandis, conficiendis?

Exod. 8. Dixitque Moyſes Pharaoni: Conſtitue mihi, quando deprecer pro te, & pro ſeruis tuis, & pro populo tuo, vt abigantur ranæ à te, & à domo tua, & à ſeruis tuis, & à populo tuo, & tātùm in flumine remaneant. Qui reſpondit: Cras. At ille: Iuxta verbum tuum, inquit, faciam, vt ſcias, quoniam non eſt ſicut Dominus Deus noſter, & recedent ranæ à te, & à domo tua, & à ſeruis tuis, & à populo tuo, & tantum in flumine remanebunt.

§. III.

Principes mundiales plus gloriæ ex ſanctorum virorum precibus, quam ex ducum facinoribus acquirunt.

PHaraonis arbitrio relinquit Moyſes tempus, quando pro illo precaturus eſſet. Ait namque: *Conſtitue mihi tempus, quando deprecer pro te.* Quæ verba ſic Hebraicè ſonant apud Lippoman. *Glориare de me, quando orem pro te,* non ſolum mandans, quod tempus conſtituat orandi Pharao, ſed & inſuper petit, vt iam glorietur tanto habito oratore apud Deum. Et crede mihi, non ſic apparent glorioſi principes mundiales ex facinoribus ducum ſuorum, vt ex ſanctorum virorum precibus ad Deum. Hinc 4. Reg. 13. [Ioſeph.] *Eliſæus ægrotabat infirmitate, qua & mortuus eſt. Deſcenditque ad eum Ioas rex Iſrael, & flebat coram eo, dicebatque: Pater mi, pater mi, currus Iſrael.* Et quidem multi currus erant potentiſſimo regi, multi armati duces, qui eius gloriam æternarent apud hoſtiles gentes. Et tamen in vno Eliſæo moriente, ſic deflet, quaſi nullus iam triumphalis currus ei ſupereſſet, in quo poſſet, ſe ſuper hoſtes efferre. Et meritò, quando à ſancto viro plus gloriæ habebat rex apud hoſtes, quàm à cæteris ducibus ſui exercitus. Ait Ioſephus lib. 9. Antiq. cap. 8. [4.Reg.13.] *Cum Eliſæus ægritudinem incurriſſet, venit Iſraelitarum rex viſitare eum. Et dum eum in nouiſſimis inueniſſet, flere cœpit eo vidente, & ingemiſcens, patremque, & ſcutum ſui regni vocare; præter eum ſe docens, nunquam contra hoſtes armis egiſſe, ſed illius prophetiis, ſine dimicatione vociſſeque, dum à vita deſcederet, Hebræos inimicis captiuandos relinqueret.* Sic bonus rex non ducibus fortiſſimis, ſed vnius ſancti viri Eliſæi precibus, omnes regni fortunas, & victorias, & glorias acceptas referebat. Qui ſi maneret in viuis; etiam ſine armis, & ducibus ſperaret rex glorificanda ſua imperia. Huc refero hiſtoriam à Paulo Oroſio conſcriptam libro ſeptimo, [Paul. Oroſ.]

cap. 36. cum aduersus truculentissimum tyranoum Gildum expeditionem Mascezil pararet. De hoc enim dicitur ibi: *Igitur Mascezil iam inde à Theodosio sciens, quantum in rebus desperatissimis oratio hominis per fidem Christi, à clementia Dei impetraret, Caprariam insulam adiit, vndè secum sanctos seruos Dei aliquot permotos precibus suis sumpsit: cum iis orationibus, & psalmis dies, & noctes continuans sine bello victoriam meruit, ac sine cade vindictam.* Vide, regalissimum principem, qui in exercitu parando, nihil prius curauit, quam vel à remotis insulis sibi Dei seruos adiungere, quibus victoriam sine bello potitus maxime exaltauit gloriam suam. Sed accipe victoriæ modum gloriosissimum: *Tertio demum die post noctem orationibus, hymnisque peruigilem ab ipsis cœlestium sacramentorum mysteriis circumfusum in hostem processit: & cum ad eos, qui primi occurrerant, pia pacis verba iactaret, signiferum quendam insolenter obsistentem, & iam, iamque pugnam excitantem gladio percussit in brachio; eumque manu debilem ipso vulnere coegit pronum inclinare vexillum. Quo viso, reliquæ cohortes deditionem iam fieri priorum existimantes certatim sese ad Mascezilem signa tradidere conuersis. Barbari, quorum magnam multitudinem Gildo ad bellum deduxerat, defectu militum destituti in diuersa fugerunt. Gildo, & ipse fugam molitus, arrepta naui, & in altum prouectus, ac deinde reuocatus in Africam est, post aliquot dies strangulatus interiit.* Sic ibi, nec vnquam tam gloriosam victoriam principes habuerunt de hostibus suis, vt Mascezil habuit per seruos Dei sibi adiunctos.

§. IV.

Oratio, quam præparatio præcedit, & gratior, & efficacior.

PEtit Pharao Moysis orationem, sed quæ non statim fiat, sed in crastinum differatur facienda. Sic textus: *Qui respondit: Cras.* Et cur non magis petit, vt statim oret ad Deum? Cur magis orationi fidit in crastino faciendæ? Prudens in hoc rex non multum fidit orationi repentinæ, & subitaneæ, quæ nulla fit præparatione antecedenti. Ideo mauult, vt in crastinum differatur, vt habeant tempus Moyses, & Aaron sese præparandi ad eam. Nunquam enim non & efficacior, & pinguior accedit ad Deum, quæ ex præparatione oratio venit. Bonus ille paterfamilias sacrificaturus pro rediuiuo filio aiebat ad seruos Luc. c. 15. *Adducite vitulum saginatum.* [*Luc. 15.*] Non cōtentus est petere vitulum ad offerēdum pro filio, sed insuper vitulū saginatū petit. Et cur saginatum? Per saginatū intelligit sacrificiū illud, quod multis ante tēporibus, multis ante diebus præparatū fuerit: vt enim vituli per multos dies ante curantur, saginantur, vt possint in conuiuio placere: sic sacrificia, & orationes ex anteacta præparatione eam saginam comparant, qua efficaciter placeant Deo. Quo spectans Anastas. Sinaita lib. 8. Exam. ait: [*Anast. Sin.*] *Saginatus vitulus nominatur Christus, quoniam multis temporibus ante nuptias, & eius vnionem cum Ecclesia parabatur à suo patre in esum gentium, & quodammodo saginabatur Sacramentum.* Quot præparationes fiebant ab initio pro Christo venturo, tot erant saginæ, quibus eius oblatio pro nobis pinguior fiebat, vt magis nobis proficeret in gratiæ, & gloriæ augmentum. Sic ipsum Christi sacrificium, vt magis proficeret, præparari multis ante temporibus debuit, sic & quæuis oratio ex antecedenti præparatione plus placebit. Exod. cap. 19. monebat ipse Dominus: [*Exod. 19.*] *Vade ad populum, & sanctifica illos hodie, & cras, lauéntque vestimenta sua, & sint parati in diem tertium. In die enim tertio descendet Dominus, &c.* Vbi descendenti Deo occursuri erant, per tres dies antecedentes præparari, & præmundari debebant, vt sic fructuosius Deo possint assistere. Id quod D. Cyril. Alexand. lib. 4. in Ioanem cap. 51. meditabatur, dicens: [*Cyr. Alex.*] *Præparari igitur, præmundarique omnes oportet, qui Deo coniungi student. Cuius rei habes imaginem, quod à Deo Moysi dicitur. Vade ad populum, & sanctifica illos hodie, & cras. In die enim tertio descendet Dominus.* Itaque inde erit fructuosior, & securior accessus tuus ad Deum, si non subito, sed multa antea præparatione præmissa fueris illum oraturus. Pro quo aiebat Ecclesiasticus cap. 18. [*Eccl. 10.*] *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum.* Præparanda est anima ante orationem, & disponenda multis virtutum exercitiis. Ait D. Nyssen. lib. de Orat. 2. [*Nyssen.*] *Docet igitur nos Dei sermo, ne prius aliquid petamus à Deo, quam aliquod ei munus acceptum, & gratum obtulerimus. Vouere enim prius oportet, deinde orare perinde, ac si quis dicat sementem prius fieri, quam fructus percipi oportere. Ergo voti semina prius deiicere, atque ita ex diuersis seminibus adultas iam, atque maturas fruges percipere oportet per orationem.* Quid pulchrius? In re orationis ponit totum rusticationis officium, in quo vt ante messem multo labore præparatur terra, cui paratæ semina credentur, sic quando orationis hora tempus est metendi fructus, necessum est, vt ante illam aliarum deiiciamus semina virtutum. Quæ enim messis orationis erat, si nulla sementis præparatio fuit præmissa? Merito ergo dicit: *Ante orationem præpara animam tuam.* Id quod euidentius etiam apparet necessarium, si oratio sit animæ cum Deo conflictus, & lucta, vt volunt multi Patres explicantes Iacobi luctam Genes. cap. 32. Ille namque victoriæ securior descendit in certamen, qui multis sese ante probauerit. Ex quo Titus Romanos milites aduersus Iudæos maxime confirmabat, aiens apud Egesipp. lib. 3. de Excid. Ierosolym. cap. 24. [*Egesip.*] *Illi nesciunt arma, nisi bello, nos in pace armis exercemur: vt in bello casus belli dubios non sentiamus. Insuetis enim euentus dubij: veteranis solemnes triumphus. Quid enim agimus quotidie, nisi vt nobis vana nunquam prælia sint? Vnusquisque domi quasi in prælio exercetur, vt in prælio meditatio quadam certaminis fit.* Hoc est ingenium triumphantium, quod nunquam descendant in certamen, ad quod non se multo ante parauerint.

§. V.

Semper à malo venit procrastinatio in re virtutis, à bono autem acceleratio.

VIde mali spiritus ingenium, cognoscit se precibus ad Deum egere, vt ab intolerabili plaga liberetur; & requisitus, quando fundēdæ preces sint, ait: *Cras.* Cur non magis statim amas liberari? Equidem vt bonus in re virtutis amat accelerare, sic malus nescit non procrastinare. Ex quo Philo lib. de sacrificio Abel, & Cain, fatur: [*Philo.*] *Faciunt igitur suum officium Dei filij, qui naturam patris imitando, incunctanter cum omni festinatione quod bonum est, agunt, qui nihil pulchrius facere possunt, quam quod honerant Deum sine dilatione. At dissipator Pharao, dicente Moyse, constitue tempus, quo pro te tuisque famulis preces, vt rana tollantur è medio, cum deberet in tanta necessitate constitutus dicere. Iam nunc precare, maluit differre, dicens Cras, vt per omnia retineret impietatis tenetitudinem.* Sic semper impietas tenera adeò est, & delicata ad virtutem, vt nesciat in illa non pigritare, & procrastinare; vt iam ex acceleratione, seu procrastinatione euidentissime boni, aut mali discernantur. Hinc de iusto illo Abrahamo dicitur Genes. cap. 18. [*Gen. 18.*] *Apparuit autem ei Dominus in conualle Mambre, sedenti ad ostium tabernaculi sui in ipso feruore diei.* Expende illud, *sedenti ad ostium,* quando magis Sol feruebat, Abrahamus ad ostium domus sedebat, totum æstum solis patiens. Et cur non magis ad vmbras confugiebat? Cur malebat esse sub solis radiis? Ait Procopius in Glossa: [*Procop.*] *Diligenter attendenda est Abrahami hospitalitas. Eo tempore, quo plerique deficere solent, iter facientes æstu fatigati, ipse pro tabernaculo consedit, cum Sol foret feruidissimus. Sed quare hunc laborem subibat? Quia grauem iacturam se facere putabat, si se oscitante præteriisset viator aliquis.* Sic bonus in re virtutis cauebat oscitationem, vel minimæ pigritiæ signum aliquod. Nihil enim pulchrius faciunt iusti, quàm quod honorant Deum sine dilatione. Dum ad præsentiam arcæ detinerentur aquæ Iordanis, vt per siccum Israelitæ pertransirent Iosue 4. ait textus: [*Iosue 4.*] *Festinauitque populus, & transiit.* Quæ verba exponens Origen. ibi ait: [*Origen.*] *Quod vero scriptum est, & festinauit populus: non puto esse otiosum. Nobis enim venientibus ad baptismum, & suscipientibus verbi Dei Sacramentum, non segniter agendum est, sed festinandum, vt peruenire ad promissam beatitudinem mereamur:* Semper enim bonis adiuncta est festinatio, & acceleratio in re virtutis, vt dicat Exod cap. 16. de iis, qui vtiliter colligebant manna: [*Exod. 16.*] *Colligebant autem mane singuli, quantum sufficere poterat ad vescendum.* Ex quo monebat Procopius relatus in Glossa Numer. cap. 24. [*Procop.*] *Noli negligere, aggredere iter, nec etiam solitudinem perhorrescas: habitanti enim in huiusmodi tabernaculis occurret manna cœleste, & Angelorum panem manducabis. Incipe tantum citò, in consortium veniant Angeli.* Expende illud, *Incipe tantum citò,* quasi id maxime in iustis viris requiratur, ne pigritent, ne dilationem faciant, sed sese accingant ad opera Dei quam primum operanda.

Exod. 8. Egressique sunt Moyses, & Aaron à Pharaone, & clamauit Moyses ad Dominum pro sponsione ranarum, quam condixerat

xerat Pharaoni. Fecitque Dominus iuxta verbum Moyſi, & mortuæ ſunt ranæ de domibus, & de villis, & de agris. Congregaueruntque eas in immenſos aggeres, & computruit terra. Videns autem Pharao, quod data eſſet requies, ingrauauit cor ſuum, & non audiuit eos, &c.

§. VI.

Vox orantis pro inimicis validiſſima eſt ad quodvis præſtandum facinus.

CLamat Moyſes ad Dominum pro ſponſione ranarum, & confeſtim ranæ pereunt vniuerſæ. Ait namque textus: *Clamauit Moyſes ad Dominum pro ſponſione ranarum, quam condixerat Pharaoni. Fecitque Dominus iuxta verbum Moyſi, & mortuæ ſunt ranæ, &c.* Et vnde clamor Moyſis tantam habuit efficaciam, quod operante Deo expelleret ranas? Id textus explicat, dum ait, quod clamauit Moyſes *pro ſponſione ranarum, quam condixerat Pharaoni*, quippe Pharaoni infenſiſſimo hoſti ſuo, vt notat Oleaſter, condixerat Moyſes expulſionem ranarum, ſub quibus affligebatur. Clamor ergo, & vox, quæ erat pro inimicis iuuandis, non miror, quod valentiam nanciſcatur, qua poſſit perficere omne facinus. Nota eſt hiſtoria Dauidis, quando nactus infenſiſſimum hoſtem Saulem dormientem, illi pepercit, abſtulit tamen lanceam, quæ ad caput eius ſtabat, & lanceam ablatam oſtendens ducibus Saulis, multis vocibus ſuam manſuetudinem in hoſtem prædicabat. Quid tunc? Ait textus 1. Reg. cap. 26. *Cognouit autem Saul vocem Dauid, & dixit: Nunquid hæc vox tua, fili mi Dauid?* Quam Dauidis vocem cognouit Saul, & de qua voce interrogat, dicens: *Nunquid hæc vox tua?* Nouerat antiquitus Saul Dauidis vocem præmiſſam ingentibus facinoribus, vbi enim Dauid in certamen deſcendit cum Philiſthæo has præmiſit voces 1. Reg. cap. 17. Tu venis ad me cum gladio, & haſta; ego venio ad te in nomine Domini exercituum, &c quas inter paruulus virum bellatorem proſtrauit, & ingenti diſcrimine populum Iſraeliticum liberauit. Has ergo voces tantorum facinorum effectrices cognoſcit Saul in Dauide, vbi illum audit infenſiſſimo ſibi hoſti parcere: vox enim pro inimicis iuuandis, non miror, quod cognoſcatur eſſe vox ingentia facinora patrans. Ait D. Chryſoſt. homil. de Dauide, & Saule 3. *Agnoſcens vocem Dauidis Saul, ait: Vox tua iſta fili Dauid? Quænam iſta? Quæ Goliath deiecit, quæ ciuitatem periculo eripuit. Siquidem hæc barbarum illum proſtrauit, eo quod priuſquam mitteret lapidem, prius dixerat. Tu venis ad me in diis tuis, ego autē venio ad te in nomine Domini. Atque hæc locutus miſit lapidē, atque hæc vox lapidē direxit, hæc pauorem incuſſit barbaro, hæc hoſtis confidentiam fregit.* Quid pulchrius? Merito vox parcentis, & benefacientis inimico agnoſcitur eſſe vox quæcumque ingētia facinora patrans. Illa ipſa vox, quæ in Dauide facinoribus præmittebatur, agnoſcitur in illo inimicis parcens. Nūquam enim tantæ charitatis vox non valida eſt ad quæuis patranda. Hinc Act. cap. 7. de Stephano dicitur: *Clamauit voce magna, dicens: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Cuius vocis valentiæ tribuit D. Fulgentius conuerſionem miraculoſam Pauli, nam dicit: *Per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur. Charitatis virtute ſubnixus vicit Saulum crudeliter ſæuientem, & quem in terra habuit perſecutorem, in cælo meruit habere conſortem. Ipſa ſcimus charitas deſiderando & orando acquirere, quos nequiuit monendo conuertere.* Quò aliæ virtutes, & operationes peruenire non poterant, vt lapideos homines conuerterent, eò valor orationis pro inimicis factæ peruenit. Accinit D. Auguſt. ſerm. 94. de diuerſis: *Patas verba iſta audiuit Saulus? Audiuit ſubſannans, ſed irriſit, & tamen ad orationem Stephani pertinebat. Adhuc graſſabatur, & iam pro illo Stephanus exaudiebatur.* Sanè hæc vox vel lapideam hominum frangeret confidentiam.

1. Reg. 26. — *Chryſoſt.* — *Act. 7.* — *D. Fulg.* — *D. Aug.*

§. VII.

Confidentius agit, qui inimicis eſt ſalutaris.

NOn ſummiſſe orat Moyſes pro ſibi, ſuiſque infenſiſſimo Pharaone, ſed cū clamore. Ait enim text. *Clamauit Moyſes ad Dominum pro ſponſione ranarum, &c.* Et cur non magis ſummiſſe orat? Conſulebat Tertul. de orat. cap. 13. *Sonos Tertull: etiam vocis ſubiectos eſſe oportet.* Et Cyprianus, & Macarius homil. 6. *Qui accedunt ad dominum debent in ſilentio, pace, & tranquillitate multa preces fundere, nec vti clamoribus.* Et ſanè vox ipſa ſummiſſa oſtendit animi demiſſionem neceſſariam illis, qui Deum precantur. Quæ laudabatur in publicano orante, nec audente leuare ad cœlum oculos, Lucæ cap. 18. Cur ergo Moyſes maluit cum clamore orare pro Pharaone? In clamore oſtenditur quædam animoſa confidentia clamantis, quam quidem habeat, neceſſe eſt, qui pro inimicis orat. Ea enim eſt charitas vſque ad inimicos extenſa, quæ in tantum faciat confidentes ſuos, vt non vereantur, vel ad cœlum leuare clamores. Dauid 1. Reg. 24. nactus fuerat Saulem inimicum in ſpelunca, vbi eum facile perimere poſſet, abſtinuit tamen ab inimici cæde, & multis perſuaſit, ne illi milites ſocij inferrent mortem. Egreditur autem Saul nihil horum ſciens, ſed & Dauid poſt illum egreditur; *& egreſſus de ſpelunca clamauit poſt tergum Saulis, &c.* Cur Dauid clamare nunc audes? Antea in ſpelunca latebas, nec cœlum videre audebas, nec cœli lumen, ſed nec audebas mutire, nunc totus abis in clamorem. Cur ſic clamas? Egrediebatur loquens ſuis pro vita, & ſalute acerrimi hoſtis, ex quo tam confidenter agebat, vt nihil vereri iam poſſet. Pulchrè D. Chryſoſt. homil. 2. de Dauide, & Saule, fatur: *Egreſſus eſt autem poſt Saulem, & Dauid liberis deinceps oculis cælum intuens, ac tunc temporis magis exultans, quam cum Goliath deieciſſet.* Expende illam maximæ confidentiæ notam, nimirum, *liberis deinceps oculis cælum intuens*, nihil inde ſummiſſum meditabatur, non iam vt publicanus ſummiſſe agebat, non audens ad cœlum leuare oculos, ſed vel liberis oculis rimabatur cœleſtia omnia. Miraris, quod Dauid confidentius agat apud Deum, dum pro ſaluando inimico loquitur. Sed accipe, quod mirere magis, dum ipſe Dauid parcens hoſti, confidentius agit medius inter conſertiſſimos exercitus hoſtium. Dum Saul cinctus ingenti exercitu dormiret, ingreſſus eſt Dauid vſque ad lectulum acerrimi hoſtis, videnſque lanceam ad caput eius, non permiſit ſociis, vt aliquam iniuriam inferrēt dormienti hoſti. Quin potius ait 1. Reg. 26. *Nunc igitur tolle haſtam, quæ eſt ad caput eius, & ſcyphum aquæ, & abeamus.* Hebraice legitur, *& ibimus nobis.* quaſi diceret; interpretante Caietano, *& ibimus ad noſtrum bonum.* Sanè, redeundum erat ei per medios exercitus hoſtiles, qui nihil aliud ſpectabant, quam vt Dauidem comprehenderent. Et vnde Dauid viuo hoſte, circumſtante exercitu hoſtili potuit perſuadere ſociis, quod per medios illos ituri eſſent in bonum? Ait Chryſoſt. ſupra. *Ipſis factis docuit, nihil eſſe tutius, quam parcere inimico. Contra nihil periculoſius, quam velle vlciſci, ac vindictam ſumere.* Inde omnimodam confidentiam perſuadebat, quia nihil non auderent, nihil timerent, ſi ſcirent parcere hoſti, & dare operam, vt viuat hoſtis.

Cyprian. — *1. Reg. 24.* — *Chryſoſt.* — *1. Reg. 26* — *Chryſoſt.*

§. VIII.

Solet Deus omnia illius hominis verba adimplere, qui ſcit etiam adimplere verba Domini.

COnfidenter petit Moyſes adimpletionem ſponſionis ſuæ factæ Pharaoni, de tollendis ranis. Quò ſpectant illa: *Clamauit Moyſes ad Dominum pro ſponſione ranarum, quam condixerat Pharaoni.* Dicitur clamaſſe Moyſes pro hac ſponſione ſua, ne tam videatur vox iſta orantis, quam exactoris ſibi aliquo modo debitum exigentis: merito enim Iob cap. 39. clamorem adaptat exactori. Sed cur Moyſes vbi pro ſponſione ſua Pharaoni facta ſtat, non ſubmiſſe agit, vt bonus orator, ſed mauult clamoroſe agere, vt exactor? In re Pharaonis nil iuſſerat dominus, quod ad amuſſim non perfeciſſet Moyſes, vt dicitur ſæpe cap. præcedenti. *Fecit itaque Moyſes, & Aaron, ſicut præceperat Dominus; ita egerunt.* Nec miror, quod ſua verba à Deo impleri exigat, qui adeò perfecta omnia Dei verba apud ipſum regem implebat. Solet enim Deus curare, vt impleantur verba illius, qui implet Dei verba. Hinc Geneſ. 22. dum Abrahamus filij holocauſtum à Deo expetitum tractaret, & iam ad holocauſti locum accederet, dixit ad ſeruos ſuos: *Expectate hic cum aſino, ego & puer illuc vſque properantes poſtquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Hæc dixit bonus ſenex, cum putabat filium mactare iuxta domini præceptum, & poſtea, ſolus redire ad ſeruos. Sed vbi montem conſcendit, altare conſtruit, filium aptat holocauſto, ignem parat, gladium ſtringit. Tunc Deus virum cohibens liberat puerum, & ſatagit, vt pater, & filius redeant ſimul ad ſeruos,

Gen. 22

seruos, vt promiserat ante senex. Et merito, quando senex curabat omnia Dei verba perfectissimè adimplere, æquum erat, quod Deus etiam impleret omnia verba senis. Ait Dominus apud Diuum Chrysostomum. Illi, quem teneriter, tamque germaniter amas, non pepercisti propter me, propter mandatū meum, propterea quia ego præcepi, prætulisti iussionem meam filio tuo, proinde, & filium tuum accipe. *Propter hoc enim præcepi tibi, vt semel eum extenderetur, redimetur ergo obedientia tua corona, abi. Opere implere congruit, quæ à te dicta sunt, & pueris eum, & Isaac, illis enim promisisti, cum adorauerimus. Ecce hoc nunc erit.* Non potuerunt promptissimi Dei serui verba cassa esse; vt Abraham sese Deo promptum exhibuit, ne vllum Dei verbum caderet in terram: sic Deus curauit, ne irrita essent Abrahami verba. Hinc Elias 3. Reg. cap. 17. *Viuit Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros, & pluuia nisi per os meum.* Vni ori suo cœlestia omnia famulatura credit; & vnde tantam confidentiam concepit, vt ori suo obstringat Dei potentiam? Ad id præmittebat illud: *Viuit Dominus, in cuius conspectu sto*, quibus sese promptum seruum, & Deo in procinctu adstantem ostendebat. Vbi autem quis sit promptè Deo seruit, quasi nescit Deus irrita facere eius verba. Quo spectans D. Basilius Sel. orat. 11. ait: *Etsi vero sine Propheta assensu Deo perfacile erat imbrium datio, noluit tamen serui amantis edictionem soluere.* Sic se adstrinxit Deus firmandis iis, quæ edicunt eius prompti ad obediendum serui.

Chrysost. — 3. Reg. 17. — Basil. Sel.

Exod. 8. Extendit Aaron manum virgam tenens, percussitque puluerem terræ, & facti sunt cyniphes in hominibus, & iumentis. Omnis puluis terræ versus est in cyniphes per totam terrā Ægypti. Feceruntque similiter malefici incantationibus suis, vt educerent cyniphes, & non potuerunt. Erant autem cyniphes, tam in hominibus, quam in iumentis. Et dixerunt malefici ad Pharaonem: Digitus Dei est hic. Induratumque, &c.

§. IX.

Vndique oriuntur calamitates diuexandis impiis.

VNde non veniet calamitas impiis? Sanè vel de terræ puluere exurgent, quæ premant illos. Sic in præsenti: *Omnis puluis terræ versus est in cyniphes per totam terram Ægypti.* Miserā Ægyptum vndique calamitates opprimūt, e mari, è fluuiis, è cœlo, ex ipso terræ puluere mille exurgūt pestes, quæ Dei rebellem diuexent. Pulchrè aiebat Amos c. 5. *Quomodo si fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrsus, & ingrediatur domum, & innitatur manu sua super parietem, & mordeat eum coluber?* Nusquam liber erit Dei rebellis à calamitate, dum ab vna fugiat, eum comprehendet altera; & vel domesticus paries in bestias producet, sub quarum veneno cadat. Rebelles, & impios homines castigabat Moyses Numer. c. 16. vbi sic: *Confestim ergo vt cessauit Moyses loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis, &c.* Expende vnde exurgat plaga impiorum, nimirum, *disrupta est terra sub pedibus eorum*, de terræ puluere, de sub pedibus eorum ruina exurgit, sub qua pereant, qui rebelles sunt vero Domino. Vnde Procopius in Glossa ait: *Commouet enim sese fabrica contra eos, qui contra Deum fabrum exurgunt, mortesque acerbissima, ac propemodum dæmoniaca viri ad infernum descendunt.* Et quidem vbi in authorem mundi impius es, non mirari debes, quod se aduersus te commoueat tota fabrica mundi, & quod vel de sub pedibus tuis calamitates oriantur, quibus feraris in extremam perniciem. Id quod impio minabatur Sophar Nahamites Iob c. 20. *Reuelabunt cæli iniquitatem eius, & terra consurget aduersus eum.* Vbi author cat. Græcæ ait: *Omnis natura cum eo, qui Deo inuisus est, inimicitias geret, & partem quidem malorum à cælo accipiet, partem vero à terra: cælum quidem ipsum eius reteget iniquitates, ipsaque terra instructa, armatisque copiis decertabit.* En impiorum miserandam fortunam? Vel ipsa terra armatos exercitus producet aduersus illos. Isaias cap. 5. *Iratus est furor Domini in populum suum, & extendit manum suam super eum, & percussit eum, & conturbati sunt montes, &c.* Alij legunt, *& exacerbati sunt montes.*

Amos 5. — Num. 16. — Procop. — Iob 20. — Isai. 5.

Vbi enim quis in se Dei iram mouet, nulla est creatura, quæ in illum non exacerbetur. Ait D. Basilius ibi: *Quando manum suam populo immiserit, & montes exacerbabuntur, quia creatura omnis cooritur, simulque irruet ad vltionem expetendam.* Sic ibi.

D. Basil.

§. X.

Quod in Deo non fundatur, citissime finitur.

VT Moyses, sic & malefici in primo, & secundo signo fecerunt: at vbi ad tertium de producendis cyniphibus ventum est, ibi penitus potestas maleficorum defecit. *Fecerunt*, ait, *similiter malefici, vt educerent cyniphes, & non potuerunt.* Quid miraris? Euanescant citissime necessum est, quæ à Deo non veniunt; & permanent sola, quæ fundantur in Deo. De Amorrhæis, & Chananæis locutus Iosue ad Israelitas aiebat Numer. cap. 14. *Recessit ab illis omne præsidium, Dominus nobiscum est.* Septuag. posuere: *Abscessit tempus ab eis, Dominus nobiscum est.* Habent equidem etiam impij tempus sibi a Deo permissum, quo floreant, & præualeant in sua potentia. Piis autem non tempus conceditur, sed Deus illis adstat, eorum promouens successus. Et quid inde? Sanè quibus tempus datur solum, necessum est, vt omnia illorum euolent rapidissimo motu temporis, & in citissimum finem deueniant. Fœliciores illi, quorum pars Deus est, in quo quæ fundantur non abscedunt, sed crescunt in immensum. Pulchrè D. August. quæst. 23. in Numer. fatur: *Satis diligenter non dixissent, Abscessit ab eis Dominus, impij enim fuerunt. Sed quoniam etiam impiis occulta dispensatione datur tempus florendi, & regnandi, inquiunt: Tempus ab eis discessit, Dominus autem in nobis. Non dixerunt, Tempus ab eis abscessit, & nostrum successit; sed, Dominus autem in nobis, in eis tempus. Illi enim tēpus habuerunt, isti Dominum tēporum.* Et quidem qui solum tempus habent, & non Deum, proculdubio rapidissimè abibunt cum motu temporis. Nescit tempus non citissimè abscedere, relinquens temporales suos omni spoliatos decore: vt omnes hæ potestates prudentissime debeant à viris sapientibus timeri. Timebat illas Dauid Psalm. 55. *Ab altitudine diei timebo, ego vero in te sperabo.* Et quando in Deo speras, à qua times altitudine, ô Dauid? Vel quam expaues altitudinem tu qui speras in Deo? Ait ipse: *ab altitudine diei*, illa altitudo, & potestas, quæ diei est, nimirum, quæ tempus habet, illa merito timenda, vt quæ intra vnum diem possit abscedere. Ait Hugo Card. in: *Ab altitudine diei timebo, ab altitudine eorum, quæ tantum diei est, & parum durat, timebo.* Nec miror, quod vir prudens caueat esse in potestatibus diariis, & temporaneis, quæ cum rapidissimo tempore abscedunt, cum possit esse in Deo, qui solus permanet, cuius potestas regni nunquam potest finiri. Crede mihi, quidquid in Deo non est, vel illi aduersatur, tempus habet florendi, & tempus valde curtum, & limitatum, quod citissime pertranseat; solum Dei regnum firmum semper manet, & stabile. Vide Pilatum Iudæorum Præsidem, vt potestate sibi in Iesum data gaudet, vt illum flagellis percutit, vt morti tradit, & iubet duci in mortem, vt ibi suffigatur ligno, in quo titulus appareat, qui morientis referat causam, aiens: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*, Ioann. cap. 19. Sed Iudæi, qui Pilatum adduxerant in tot nefaria, iterum hominem conueniunt, vt illum in tituli abolitionem trahant. At qui adductus fuit, vt Iesum verberaret, vt ei vitam eriperet, non potuit adduci, vt vel literam tituli abraderet. Et cur, qui vitam sustulit, titulum non abradit? In titulo Christi regnum ostendebatur, quod semper firmum manet; in Pilato potestas erat, quæ habebat tempus, quod necessario erat claudendum finibus, ne quid vlterius ageret. Ait D. Cyrill. Alexand. lib. 12. in Ioann. c. 31. *Non vult autem Pilatus mutare titulum, quia non fuit in omnibus sibi diuinitus permissum aduersus Saluatoris gloriam furere. Stabile namque, & citra calumniam Christi regnum est.* Ecce tibi vt Pilato permissum fuit a Deo tempus florendi, & furendi aduersus Iesum, quod in Christi crucifixione abscessit, nec inde amplius efficere valuit, regnum autem Christi & tunc & semper immutabile apparuit.

Num. 14. — August. — Psal. 55. — Hug. Card. — Ioan. 19 — D. Cyril.

§. XI.

Quæ à Dei manu plaga venit, solet & defensionem ab aliis, & aliqualem remissionem afferre.

VBi non permittuntur malefici productis cyniphibus plagam augere, statim ibi agnoscunt Dei manum manifestam

festam. Ait textus: *Feceruntque similiter malefici incantationibus suis, vt educerent cyniphes, & non potuerunt. Et dixerunt malefici ad Pharaonem; Digitus Dei est hic.* Sane qui conuerterant virgam in serpentes, aquam in sanguinem, & ranas effecerant, optimè norant & cyniphes posse dæmoniaca virtute etiam fieri. Vnde ergo norunt cyniphum plagam minime à Dæmone venire, sed à solo Deo? Cur nun magis illam fortissimo alij attribuunt Dæmoni? Satis hæc plaga ostendebatur, vel ipsis cæcis à Deo venire, quæ minime permittebatur aggrauari per maleficorum potentiam, quin potius defensionem ab illorum incantationibus afferebat, sola enim quæ à Deo plaga venit, solet ab alijs defensionem inferre, & aliquam remissionem concedere. Petrus videns armatas cohortes in Iesum venire, volens magistrum defendere gladium exerit, & Malchi auriculam præcidit Ioann. cap. 18. Cui Dominus eius defensionem contemnens, ait: *Mitte gladium tuum in vaginam. calicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?* Cur Domine non magis acceptas discipuli amatoris defensionem, qua nitatur amarissimum calicem à te depellere? Cur eius non magis laudas affectum pro te tuendo? Satius tunc erat ostendendum, quam non sint necessariæ defensiones in plagis, quæ a Deo veniunt, vt quæ per seipsas inexpugnabilem defensionem soleant afferre. Id quod ostendit Dominus verbis illis datis, *Calicem, quem dedit mihi Pater, &c.* vbi enim manus Dei propinantis amaritudines ostendebatur, simul & ibi defensio veniebat, quæ omnes alios aduersarios tideret. Accipite D. Augustin. tract. 112. in Ioann. fantem: *In suo quippe facto ille discipulus, magistrum defendere voluit, non quod faciendum est, cogitauit. Et ille igitur ad patientiam commonendus fuit, & hoc ad intelligentiam conscribendum. Quod autem à Patre sibi dicit datum calicem passionis, profecto illud est, quod ait Apostolus. Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Ecce tibi vbi Deus introducitur porrigens calicem passionis, simul & illud Apostoli adimpletur, quod Deus stet pro nobis, & depellat omnes inuentes alios hostes. Ad Satanam aiebat Dominus de Iob cap. 12. *Ecce in manu tua est, veruntamen animam illius serua.* At ipse Iob iam in ærumnis constitutus dixit cap. 19. *Manus Domini tetigit me.* Dominus tradebat Iobum manibus diaboli affligendum, Iob autem afflictiones suas non à dæmone, sed à Dei manu esse profectas existimat. Et quando Deus de manu diaboli loquebatur, vnde suspicio venit, quod tot ærumnæ a manu Dei orirentur? Id ostendebat aperté executio sensibilis illius verbi, *animam illius serua:* quando enim Iob sese inter tot mala adhuc seruari, & aduersus hostem crudelissimũ defendi sensit, ne crescerent hostiles fluctus, sed vel ad sui corporis arenã confringerentur, manifestè cognouit, iacula illa non posse nisi a Dei manu deuti, quando sola Dei manus est, quæ cum pœnis defensionem ab alijs solet inferre. Ex quo merito aiebat D. Ambros. in Psalm. 36. *Misit ergo Dominus manum suam in seruum suum, & atamum peccatoris, quam in eum acceptis miserat potestate, bruchumque contriuit.* Ecce tibi manus Dei afflictiones multas Iobo immittens, sed & simul hostiles dæmonum manus coercens, ne nimis iustũ affligant. Ea quippe est manus diuina, quæ pœnis ipsis, imo & supplicus custodiam, & defensionem admisceat. Cum Iesus esset in terra Gerasenorum Luc. cap. 8. *Occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium iam temporibus multis, & vestimento non induebatur, nec in domo manebat, sed in monumentis.* Miraris, quod homo traditus dæmoni in interitum carnis: & adeo ab illo possessus, vt teneretur nudus in fœtidis monumentis, sic valeret, vt ipse per se Saluatori occurrerit. Cur dæmon, qui tuum mancipium ab alijs hominibus separabas, non magis illum separas à Christo? Cur hominem non magis claudis in tumulis, vt potius pereat ibi, quam vadat ad Iesum? Erat equidem virtus diuina, quæ hominem illum tortori tradiderat, ideo simul illum permittit affligi à dæmone, & simul illum custodit, & defendit vel in ipsis supplicijs. Ait alio datus D. Basil. Seleuc. orat. 23. *Occultiore virtute fiebat homo, resistitque contra excitatam à dæmonibus procellas in ipsis etiam supplicijs custoditus.* Id præstat occultissima deitatis virtus, vt & supplicium, & defensionem & custodiam inferat. Vt dicat Iob cap. 30. *Scio, quia morti trades me, vbi constituta est domus omni viuenti. Veruntamen non ad consumptionem meam emittis manum tuam, & si corruerint, ipse saluabis.* Securus Iob de Deo videns se ad mortem impelli, cum hoc de manu Dei putet venire, simul cum pœna sperat etiam salutem, quam solus ille funditus perdit, qui Dei manum fugit. Vnde de Deo aduersus impium locutus Iob cap. 27. ait: *Et mittet super eum, & non parcet, de manu eius fugiens fugiet.* Ecce tibi, vt Deus iratus mittet manum suam super impium, manum, inquam, quæ nullo modo parcat, nullam spem relinquat salutis. At quomodo fieri potest, quod Dei manus adeo dura impio, vt illi nullum salutis effugium relinquat? Ait textus: *De manu eius fugiens fugiet.* Non patietur impius teneri manu Dei ad pœnam, sed potius ab illa effugiet, inde deueniet in extremam ruinam. Philippus ibi ait: *De manu eius fugiet, non tenebitur manu Dei, vt saluetur, sed veloci lapsu in ruinam decidet.* Fœlix qui manu Dei comprehendatur, in cuius etiam verberibus poterit sperare, & defensionem, & salutem. Hinc Paulus Actor. 13. ad Elimam magum, ait: *Ecce nunc manus domini super te, & eris cæcus.* Vbi Chrysost. apud Lorinum. *Minime vlcio erat, sed sanatio: etenim tamen non dicebat, non ego facio, sed Dei manus.* Vbi Dei manus percutiens ostendebatur, & simul ostendebatur curatio.

Ioan. 18.

Augu.

Iob 18.

Ambr.

Luc. 8.

Basil. Sel.

Iob 30.

Iob 27.

Actor. 14.

Exod. 8. Dixit Dominus ad Moysem: Consurge diluculo, & sta coram Pharaone, egredietur enim ad aquas, & dices ad eum. Hæc dicit Dominus; Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi. Quod si non dimiseris eum, ecce ego immittam in te, & in seruos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas omne genus muscarum, & implebuntur omnes domus Ægyptiorum muscis diuersi generis, & vniuersa terra, in qua fuerint.

§. XII.

Plaga regnorum est, quod ministri iustitiæ laute viuant.

ECce immittitur à Deo musca ad perdendum Ægyptum. Et quid habet musca cum regni perditione? Ait Olympiodorus in cap. 10. Ecclesiastæ: *Musca impurum animal putredinis, & vlcera insidendo exugit: appetitque lucera cutis scissuram.* Vbi autem musca de vulneribus animalium exugere debet, quo satura, & stridula, & splendens viuat, non miror, quod ad regnum perdendum fiat instrumentum diuinæ iustitiæ. Dic mihi homo, quid magis perdit regna, quàm quod ministri iustitiæ vitæ lautitiem, & splendorem, & fœlicitatem quærant ex vulneribus hominum, ea concertationibus, ex litibus? O quam citò finirentur lites, quàm propere raptores, sacrilegi, percussores, homicidæ, impij exhaurirentur, nisi ministri iustitiæ horum appeterent crimina, vt vitæ lautitias & splendores sibi acquirerent! Accipite pulchrum rei exemplum apud Ezechiel. cap. 9. decernebatur enim ibi interfectio & extirpatio impiorum: *Et ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonem, & vniuscuiusque vas interitus in manu eius: vir quoque vnus in medio eorum vestitus erat lineis, & atramentarium scriptoris ad renes eius.* Sed virorum manus dabantur ad interficiendos Iudæos, propter exuberãtiam, & copiam impiorum interficiendorum, vt ait Theodoretus ibi. Sed illud notandum maxime, quod vbi tot rei interficiuntur, totque ostenduntur tanti supplicij executores, vnus tantum notarius dicatur esse, qui tot causas scriptas promat. *Vir quoque vnus in medio eorum vestitus lineis, & atramentarium scriptoris ad renes eius.* Et cur tot funestarum causarum executionibus, quibus vix sufficiunt sex viri validissimi vnus tantum scriba, vnus tantum notarius apponitur? Ait textus: *vestitus erat lineis*, contentus erat lineis vestibus: vbi autem & notarij, & alij iustitiæ ministri contenti essent lineis vestiri, honestaque mediocritate in cibo, & vestibus, & supellectili; fallar, nisi vnus suffecisset, vt vniuersi fraudatores, raptores, criminatores, litigatores penitus extirparentur. At quia ministrorum atramentarium non super lineas tunicas, sed super pretiosas sericeas vestes ponitur, inde tot ministri potius fouent, quam tollant Reipublicæ pestes. De aduocatis forensibus aiebat D. Bern. serm. 78. *Fidelis aduocatus, qui quoniam non quærit quæ sua sunt, facile obtinet omne, quod quærit.* Expende illud: *facile obtinet, &c.* quasi ostenderet sanctus, vnde fœlices causarum fines facile possent ab aduocatis forensibus obtineri; si nimirum se propria cupiditate exuerent, siue nõ quærerent quæ sua sunt, sed quæ iustitiæ, & veritatis. At quia nec aduocati, nec notarij, nec innumeri alij ministri iustitiæ desinunt in primis quærere sua, & hæc splendoris, & preciositatis plena, ideò nullus finis causarum, nullus fraudum, & criminum interitus. Hæc plaga est, hæc musca grauissima, quæ de criminibus, & vulneribus

Ezech. 9.

D. Bern.

splendide

splendide viuens, illa fouet, & regna perdit. Quo spectat illud Isaiæ cap. 7. vbi Deus populo suo plagam minitatus, inquit. *Sibilabit Dominus musca, quæ est in extremo fluminis Ægypti, & api quæ est in terra Assur, & venient, & requiescent omnes in torrentibus vallium, &c.* Dicuntur Ægyptij, & Assyrij dominaturi Israelitarum, eosque gubernaturi. Et cur in hoc comparantur muscæ, & api? Exprimuntur per hæc animalia duæ nocentissimæ conditiones ministrorum iustitiæ: in muscis enim est, quod de aliorũ vulneribus viuant, & pretiosa quæque inuadant, in apibus autem, teste D. Cyril. ornatus, & externi cultus affectus exprimitur. Et quanta plaga est populi, quibus dantur iustitiæ ministri, qui sub pictis vestibus fulgeant, & de vulneribus aliorum quærant vitæ lautitiam?

Isai. 7. *D. Cyril.*

§. XIII.

Regum maxima plaga est, quod eorum consilia multi peruadant, & prodant.

QVid melleum potest à musca abscondi? Sapienter ille apud Plautum dicebat hoc muscarum ingenium attendens: *Musca est meus pater, nihil potest clam illum haberi. Nec sacrum, nec tam prophanum quicquam est, quin ibi illico assit.* Vnde non miror, quod Regem Pharaonem perterrefaciat Dominus, dum aduersus illum muscas immittendas minetur. Quippe ait: *Immittam in te omne genus muscarum.* Cur non magis tygridum, aut leonum, aut serpentum agmina immittenda minetur? Quid in muscis potest rex timere? Equidem maximo debet esse regibus timori muscarum ingenium, quod omnia peruadit & prodit secreta. Crede mihi non sic regibus damnosi sunt tygrides, aut leones, vt muscæ istæ, quæ omnia rimantur, & nihil clam illas potest detegi. Hæ sunt potentissimi, & fœlicissimi regis plagæ, quæ omnem illius fœlicitatem perdunt. Ait Ecclesiastes cap. 9. & 10. *Melior est sapientia, quam arma bellica. & qui in vno peccauerit, multa bona perdet. Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti.* Hebraice legitur: *Muscæ mortis*, nimirum, quæ mortem & cladem afferunt extremam. Et sto à sententia Feri, & Rabb. Achados, qui putant iis verbis instrui à Salomone fœlicissimum Imperatorem, cuius fœlicitatem non tam firmant arma bellica, quàm sapientia, adeo vt si vel in vno errauerit consilio, nihil ei prosint vniuersa militaria instrumenta, sed cum omnibus perdatur. Duo ergo sunt, quæ validissimum armis Imperatorem perdunt, & error in sapientia, & muscæ. Quæ muscæ? Nimirum maligni rimatores, & exploratores consiliorum, imo & proditores secretorum, quibus dum diuina seueritas permittit aditum in penetralibus Imperatorum, Regumque, nihil ibi non perditur. Et militaris gloria, & præclari nominis fama, quæ suauissimo odore afflabat regnum, in perditionem eunt. Ecce tibi muscæ fatales, & regibus, & regnis. Sciebat hoc Dauid, qui omni militari manu destitutus, vt potentissimum tyrannum Absalonem debellaret, vnam hanc muscam illi iniecit dicens ad Chusai Arachites: *Si veneris mecum, eris mihi oneri, si autem in ciuitatem reuertaris, & dixeris Absalon. Seruus tuus sum rex, patere me viuere, sicut fui seruus patris tui, sic ero seruus tuus; dissipabis consilium Achitophel. Habes autem tecum Sadoc; & Abiathar sacerdotes, & omne verbum, quodcumque audieris de domo Regis, indicabis, &c.* Chusai erat homo nigri coloris, vt putat Abul. insuper erat ineptus bello, vt mauult Lyra, ne à colore, & infirmitate eius abesset muscæ ingenium, quo penetraret Absalonis Regiam, & omnia eius exploraret secreta, quæ nota faceret Dauidi fugienti. Sed illud valde mirandum est, quod iste Chusai notissimus, & charissimus Dauidis amicus tam facile admittatur in Absalonis Regiam, & fiat ipsi Absaloni à secretis. Cur non magis tyrannus cauet hostis sui amicum? Cur tam facilem aditum illi præbet in Regiam, imo & militaria secreta credit? Non equidem vt ait Abul. qu. 18. hoc veniebat ab Absalone, sed à Deo, immittente vnum hunc hominem & nigrum, & imbellem in Regiam, vt funditus Absalonem, eiusque regnum perderet. Nullo enim citius Deus perdit imperia mundi, quam dum permittit in Regiis Imperatorum facilem aditum haberi ab iis muscis, quæ peruadunt omnia, & abditissima quæque prodant secreta. Ex quo cauebat Veget. lib. 3. c. 6. *Tutissimum in expeditionibus creditur, facienda ab hostibus nesciri. Ob hoc veteres Minotauri signum in legionibus habuerant, vt quemadmodum ille in intimo, & secretissimo labyrintho abditus perhibetur, ita ducis consilium semper occultum esset.* Quid plura? Quam in aula nigricare has muscas videas, quæ cum nihil roboris habeant, permittuntur omnia rimari secreta, puta ibi plagam muscarum esse, quæ omne perdet imperium.

Eccles. 9. & 10. *Vegetius.*

Exod. 8. Faciamque mirabilem in die illa terram Gessen, in qua populus meus est, vt non sint ibi muscæ, vt scias, quia ego Dominus in medio terræ, ponamque diuisionem inter populũ meum, & populum tuum. Cras erit signũ istud. Fecitque Dominus ita, & venit musca grauissima in domos Pharaonis, & seruorum eius, & in omnem terram Ægypti, corruptaque est terra ab eiusmodi muscis.

§. XIV.

Plus torquet plaga propria ad conspectum fœlicitatis aliorum.

VT plus torqueat Dominus Ægyptios, dum illis muscarum proponit plagam, simul & immunitatem Israelitarum à muscis proponit. Dicit enim: *Faciamque mirabilem in die illa terram Gessen, in qua populus meus est, vt non sint ibi muscæ, &c.* Et illis plagam muscarum, & Israelis immunitatem simul ostẽdit, vt hinc Ægyptij sub muscis cadẽtes acrius mordeãtur, vehementioremque dolorem sentiant videntes Israelem in pacifica securitate esse. Quis dolor non crescat de pœna propria in conspectu fœlicitatis, qua alij potiuntur? Vbi Herodis fala sanctos puerulos Bethlehemi natos metebat, dicitur Rachel inconsolabile fecisse lamentum. Sic Matth. c. 2. *Rachel plorat filios suos, & noluit consolari, &c.* Fuerant Rachelis filij multo ante tempore occisi in Gabaa Beniamin, & nullus tunc expressus fuit Rachelis luctus Iud. c. 20. Modo Bethlehemi non Rachelis, sed filij Liæ occidebantur ab Herode, quando Bethlehem pertinebat ad Iudam, qui fuit filius Liæ. Cur ergo Rachel filios suos plorat, non quando illi occidebantur, sed quando occidebantur filij sororis suæ? Plane Liæ filij occidebantur gloriosissime, siquidem illis mors obueniebat ob Christum. Quam gloriosam mortem videns Rachel in sororis filiis, tunc acrius cœpit sentire miseram suorum vicem, qui occubuerant in vindictam stupri. Pulchre D. August. qu. 11. ex vtroque: *Ideo filiis Liæ passis, & occisis in Dei causa, planctum adimpletum Rachelis Euangelista testatur, quia tunc plus plangere filios suos cœpit, quando filios sororis suæ in tali causa vidit occisos, vt ad vitam pertineant, quia cum aduersum aliquid euenit, ex fœlicitate alterius infausta sua miseriùs luget.* Nunquam non miseros acrius mordet ob oculos posita aliorum fœlicitas. Non sic cruciantur miseri cum sunt in pœnis, vt crucientur cum simul aliorum fœlicitates vident. Vnde Isai. c. 65. ingrati populi recensens facinora, ait: *Propter hoc, hæc dicit Dominus Deus: Ecce serui mei comedent, vos esurietis; ecce serui mei bibent, & vos sitietis; ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini, &c.* Cum rebellibus & ingratis agit, & illis non solum debitum supplicium, sed & bonorum glorias proponit; non solum famem, sed & iustorum saturitatem obiicit. Et ad quid pessimis, & reprobis hominibus cum meritis suppliciis proponuntur fœlicitates iustorum? Plane, vt acerbaretur pœna malorum ea comparatione gloriæ iustorum. Ait Theodoretus apud Leonem a Castro: *Apposito contrario pœnam amplificat: & Iudæos cruciandos sempiternis pœnis Ecclesiæ fœlicitas torquet vehementissime.* Sic semper fœlicitas aliena ob oculos posita tormentum auget eorum qui in pœnis sunt constituti. Vnde de damnatis gloriam Iustorum in iudicij die videntibus dicit Sapiens cap. 5. *Videntes turbabuntur timore horribili in subitatione insperatæ salutis.* Expende illud, *timore horribili*, mirum est enim, quod nouus horror possit esse homini in æternis tormentis constituto. Et vnde tam nouum horrorem concipient, nisi ex salute iustorum visa? Ait enim Carthusianus ibi: *Turbabuntur tam horribiliter ex magnifica apparitione, & inspectione iustorum.* Quot in bonis fœlicitates visentur, tot in reprobos venient noui horrores. Ex quo dicebat D. Chrysost. epist. 5. ad Theodor. locutus de extremo iudicio: *Si enim fluuius igneus non volueret, neque Angeli assisterent formidabiles: soli autem conuocati homines, quorum pars laudata est, & in admiratione habita, pars ablegata inglorie, ne gloriam Dei videat, num istud per se pœna foret tota gehenna acerbior?* Sanè acerbissimum est, quod miser inueniaris in conspectu fœlicis.

Matth. 2. *Isai. 65.* *Theod.* *Sap. 5.* *Chrysost.*

§. XV.

Verus Dominus ab omni prorsus tyrannide alienus agnosci qui velit, beneficentiam suam in aliquo testatam faciat. Ubi de Mariæ puritate originali.

VT sese Dominum verum præbeat agnoscendum Deus, non id præstat tam in Aegyptiorum plagis, quam in Israelitarum indemnitate. Quippe ait: *Faciam mirabilem in die illa terram Gessen, in qua populus meus est, ut non sint ibi muscæ, et sciatis, quia ego Dominus in medio terræ, &c.* Ecce tibi quid ic facturum pollicetur Deus in Aegypto, ut ibi verus Dominus cognoscatur. Quid ad hoc faciet? *Faciam mirabilem in die illa terram Gessen, ut non sint ibi muscæ.* In die quando desæuiet muscarum plaga, ne quis Ægyptius possit illarum fœditate liberari, tunc Deus ostendet seruatam terram Gessen ab omni muscarum contagio, ut sic sese verum Dominum ab omni asserat alienum tyrannide. Et cur necessum fuit ostendi Gessen immunem, & liberam à contagio muscarum, ut Deus agnosceretur verus Dominus alienus ab omni tyrannide? Equidem dum vniuersi Aegyptij tot plagis vapulabant, non tam dominicam beneficentiam, quam seuerissimam tyrannidem in Deo sic feriente suspicarentur, ideo in Gessen liberata, & præseruata à plagis cõmunibus, ostendit Deus se prorsus alienum a plagarum crudelitate, qui suis magnificentissime incolumitatem, & salutem præstabat. Rem explico historia ex D. Nazianzeno petita. Cum Constantini magni imperium ad Constantium esset deuolutum, Constantinopolitani Principes, qui de Cæsarum familia erant, tumultus in Imperatorem cœperunt agere. Tunc prætoriani milites in noui Imperatoris obsequium insurgunt, ut Principes vniuersos è genere regio mactent. Erant inter hos Principes morti destinatos Gallus, & Iulianus fratres; quos Constantius morti eripuit, & dum alij iugulabantur, in Regia domo absconditos magnificentissime seruauit. Et cur hos voluit Constantius seruare? Ut in seruatis duobus iis Principibus testatam faceret omnibus imperatoriam beneficẽtiam in suoa, & animum prorsus alienum ab illa strage, qua per milites suos vniuersi Principes metebantur. Rem pulchrè conficit Nazian. orat. 1. in Iulianum, fatus: *Splendidissime quidem victu, cultuque, in Imperatoria quadam domo Gallus, & Iulianus ab humanissimo Imperatori digni habebantur, ac veluti generis reliquiæ ad imperium seruabantur. Id autem ea mente faciebat, primum, ut se de iis rebus, quæ in imperij sui auspiciis designata fuerant, purgaret tanquam de ipsius consilio, ac voluntate haudquaquã perpetratis. Deinde ut eos ad imperij societatẽ asciscerent. &c.* Quid pulchrius? Eo consilio bonus Imperator Galli, & Iuliani præseruationem, & liberationem à crudeli illa strage curauit, ut sese prorsus alienum ab illa ostenderet, qui iam beneficè suos mallet tutari. Hæc eo gratius pondero, quo magis adducar in fidem Marianæ puritatis, indemnitatis ab omni originalis labis cõtagio. Vbi enim Deus suum in terris imperium firmabat, duo diuini generis homines cœperunt in Regia paradisi tumultus agere. Et ecce tibi imperatoriæ maiestatis milites principea tenebrarum vniuersos illius generis viros, fœminasve sub mortiferi peccati iugo trahunt. Nullus ex fœmina, & viro natus non gemit sub hoc vulnere, non sustinet hãc atrocissimam plagam. Quid tunc Dominus creaturarũ, & hominum factor? Mirabilem fecit terrã Gessen Mariam Virginem, in qua Iesus Dei filius erat habitaturus, ut illam non attingeret plaga. Imo hanc splendidissimis donis cumulatam, veluti generis reliquias ad imperium iussit seruari. Id quod eo consilio faciebat, ut de iis, quæ in imperij sui auspiciis dira hominibus euenerunt, se purgaret, tanquam de ipsius consilio, ac voluntate, haudquaquam perpetratis, cuius dominatus, non seueritatis, sed beneficentiæ in suos, & gratiæ. Est equidem benefici, gratiosique dominaturis, ita in suis beneficentiam testari, ne illos vel musca tangat. Hinc 1. Reg. c. 17. cum Philisthæus Saulem Regem, & exercitum eius ad certamen prouocaret, antequam in arenam descenderent Israelitæ, antequam hostis vllum contorqueret iaculum, Dauid adest, *& tulit vnum lapidem; & funda iecit, & circumducens percussit Philisthæum. &c.* Cur Dauid prostraturus Philisthæum, non expectas, ut alij prius Israelitæ descendant in arenam, & ab illo feriãtur, ut sic tua sit victoria clarior? Agebatur Dauid à gratiosissimo, & beneficentissimo dominatore creaturarum, cuius est sic percurere hostes, ut in suis beneficentiam suam ostendat per omnimodam præseruationem à communibus malis. Ait D. Basil. Sel. orat. 16. *Vicerat pridem alienigenam inermis Dauid cum in acie terram Goliath constitisset, & victoria gratia erat. Metu Regem liberauit, priusquam seruitij iugum cum tribulis experirentur.* Expende illud, *& victoria gratia erat*, ut erat victoria, & interfectio Goliath opus supernæ gratiæ, supremi dominatoris omnium, hoc debuit habere proprium, quod suos liberaret, antequam seruitij iugum experirentur. Et credam, quod gratiosissimus Dominus in communi duello peccati originalis, matrem suam, & Angelorum Reginam non liberauit, antequam sub tali iugo esset? Absit hoc à gratiæ dominatore Deo.

Nazianz.

1. Reg. 17.

Basil. Sel.

Exod. 7. Vocauitque Pharao Moysem, & Aaron, & ait eis: Ite, & sacrificate Deo vestro in terra hac. Et ait Moyses: Non potest ita fieri. Abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo nostro. Quod si mactauerimus ea, quæ colunt Ægyptij coram eis, lapidibus nos obruẽt. Viam triũ dierum pergemus in solitudinem, & sacrificabimus Domino Deo nostro, sicut præcepit nobis.

§. XVI.

Vt supplicia desunt, sic desunt, qui conuertantur ad Deum.

QVem supplicia non doment? Ecce durissimus Pharao ut suppliciis emollitus Moysem vocat, & agit de sacrificiis peragendis Domino. *Vocauit Pharao Moysem, & Aaron, & ait eis: Ite, & sacrificate Deo vestro.* O quot duri flagellis molliuntur, ut credant Deo. Ait Origen. hom. 3. in præsenti: *Nemo ita ineruditus diuina sit disciplina, ut flagella perniciem putet, ut verbera Domini pœnalem credat interitum. Ecce Pharao durissimus, tamen proficit verberatus.* Fallar, si raritatẽ cõuersorum, & Deum quærentium nõ faciat impunitas peccatorũ. Vbi malitia humana sæuiebat impunè aduersus Dominũ, fugerunt vel eius discipuli, adeo ut destitutus à suis actus in crucem clamaret ad patrem, quasi durissime ferret tantam solitudinem, & desolationem. Ait enim apud Matth. c. 27. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Itaque quod ab omnibus hominibus se derelictum videat, quod nullus, aut rarus compatiens cruci approximet, sed omnes crucifixum fugiant, & abominentur, illumque in pœnis relinquãt solum, id Deo attribuit Iesus bonus. Sed cur Deo attribuis Domine, quod solus sis, quod nemo, aut rarus tibi adsit? Quid fecit Deus, ut illi aliquo modo hæc filij sui solitudo attribuatur? Fecit Deus pro tunc impunitatem peccatoribus, quod non haberet punitorem, nec correctorem; & pro impunitatis modo crescebat solitudo Domini. Ait Orig. hom. 35. in Matth. *Videns peccata hominum, pro quibus patiebatur, dicebat: Quare me dereliquisti? Ut fierem quasi qui colligit stipulam in messe; & sicut, qui colligit racemos in vindemia, cũ non sit botrus ad mãducandũ primitiua. Et hæc dico, quia periit timoratus à terra, & qui corrigat inter homines non est.* Et quidẽ vbi in terris non est, qui puniat, & corrigat errãtes, sed impune scelera fiant, nõ miror, quod occlusa sit penitus via, ne quis aut rarus accedat ad Deum. Sit qui puniat, & ostium patebit, quo se innumeri iũgant Deo. Oseæ c. 2. obduratæ, & obcæcatæ animæ dicitur: *Dabo ei vallem Achor ad aperiendam spem.* Symmach. posuit, *ad ostium spei.* Cyrill. addit, *ad aperiendam intelligentiam eius.* Chaldæus autem, *ad delicias animæ.* Ecce tibi ad quãta datur vallis Achor, nempe vallis illa, in qua Iosue c. 7. Acham seuerissimo supplicio furti damnauit, est. Sanè seuera hæc punitio, & homines fecit intelligentes, & ostium euidentissimum aperuit, quo innumeri ad Deum accederẽt. Sed illud valde notandũ, quod vallis huius pœna non solũ paret hominibus ostiũ, & ingressus ad Deũ; sed & delicias paret animæ ingredie̅ti. Sic enim dicit Chald. *ad delicias animæ.* Mirabilia etiam hæc solent venire à flagellis, quod qui pœnis trahitur, super alios proficiat in Dei Ecclesia. Qua in re multus est D. August. epist. 57. aiens: *Cum Petrum, & alios Apostolos solo verbo vocasset Iesus, Paulum prius Saulum, Ecclesiæ suæ postea magnũ ædificatorem non sola voce compescuit, verum etiam potestate prostrauit, & ad desiderandum lumẽ cordis, ut surgeret corporis cæcitate percussit. Vbi est, quod isti clamare consueuerũt, liberũ est credere, vel credere. Cui vim Christus intulit? Quẽ coegit? Ecce habent Paulũ, agnoscant in eo prius cogentem Christum, & postea docentem; prius ferientem, & postea consolantem. Mirum est autem quomodo ille, qui pœnam corporis conditus intrauit, plus illis omnibus, qui solo verbo vocati sunt, in Euangelio laborauit.*

Origen.

Matth. 27.

Origen.

Oseæ 2.

Cyril.

August.

exorauit. Tractus Petrus verbo, tractus Paulus flagello, nec ideò Paulus Petro inferior; sed ad delicias paradisi subuectus inde ad ampliores pro Ecclesia Dei labores descendit.

§. XVII.

Commendatio est non parua rei, quod veniat in abominationem impiis.

ABominationes vocat Ægyptiorum Moyses, quos greges parat sacrificandos Deo summo. Ait enim: *Abominationes Ægyptiorũ immolabimus Deo nostro.* Sic bone abominabilia eligis, vt Deo sacrifices? Cur abominabilia paras, quæ deberent esse præstãtissima? An Caino similis, qui potioribus demissis peiora, & abominabilia elegit, vt Deo litaret? Absit, sed vocat abominationes Ægyptiorum sacrificandos greges, vt asserat præstantissimos. Non enim despectio, sed commendatio est maxima rei, quod dicatur abominabilis Ægyptiis, nesciunt equidem impij abominari, nisi præstantissimum. Pulchrè ad hæc D. Ambr. lib. 1. epist. 4 ex Ægyptiorum odio colligit præstantiam victimæ: *Oderant ergo Ægyptij immolata sacrificia, id est, perfecta studia virtutum, & plena disciplina. quod ergo vitiosi oderũt, hoc apud bonos sincerum, ac pium est.* Nemo bonus, non reputat pium, & commendabile, quod nouit odiosum, & abominabile esse impiis. Hinc D. Synes. dum se peti iniuriis nequissimi Iuliani audit, sic ait epistol. 94. *Quid enim non ad gloriam nobis, atque existimationem confert? Quicquid laudare nos nititur, cum inuenero, quod dicas, aliud nihil potest, hoc primum, & vnum, & maximum profert; Iulianum de illo detrahere, hoc autem vno verbo, qua non bonorum copia continetur? Siquidem nequitia generi omni aduersari nihil aliud est, quam esse genere omnis virtutis affinem. Per sacrum tuum caput, & liberorum salutem iuro, nihil esse in quo melius de me Iulianus, quam iniuriis, & probris lacessendo mereatur. Nam & apud Deum, & apud homines praclarum mihi erit, & amplissimum.* Merito vir sapiens suas laudes, suas virtutes mensurat ex impij hominis probris, & iniuriis. Tunc se præclarum, & amplissimum æstimat, & in summa bonorum cõstitutum, cum impio, & odiosus, & abominabilis inuenitur. Ne miremur, quod pastoris optimi signa ostendens Nazianz. orat. 32. vbi inquit: *Videbit sibi Dominus pastorem ad præfecturam, quemadmodum ouem vidit ad holocaustum. Hoc vnum requiro, vt ex eorum numero sit, qui aliis inuidia sunt, non miserationi, qui non in omnibus rebus cunctis obsequuntur, sed qui in quibusdam etiam ob recti studium offensionem hominum incurrant.* Ecce tibi & ouis, & pastor designatur præstantissimus, qui odiosus est, & inuisus Ægyptiis, nimirum hominibus mundialium tenebrarum malo sepultis.

Ambros. *D. Synes.* *Nazianz.*

Exod. 8. Dixitque Pharao: Ego dimittam vos, vt sacrificetis Domino Deo vestro in deserto, verumtamen longius ne abeatis. Rogate pro me. Et ait Moyses, egressus à te orabo Dominũ, & recedet musca à Pharaone, & à seruis suis, & à populo eius cras. Verumtamen noli vltra fallere, vt non dimittas populum sacrificare Domino. Egressusque Moyses à Pharaone exorauit.

§. XVIII.

Reincidentia in peccatum cauenda.

ORaturus pro Pharaone Moyses, hoc vnum ab illo petit: *Noli vltra fallere.* Et quidem post omnimodam innocentiam, hoc secundum locum habet, vt post peccati castigationem non iterum ad illud reuertamur. Ex quo monebat Nazianz. orat. 4. *Illud magnum, ac præclarum, ne omnino quidem peccasse, aut certe non grauissime: quandoquidem eum vita statum, qui omnis prorsus peccato vacat, Deus supra humanæ naturæ modum constituit. Proximum autem, vt mihi videtur, illud est, vt cum admisso peccato castigati fuerimus, ac postea soluti, & indulgentiam habiti, in disciplina saltem sensu permaneamus, ac secunda ob secundum peccatum verbera fugiamus.* Itaque innocentiæ proximũ est, quod Dei supplicia reuereamur, & quod in nobis fuerit castigatũ peccatum, iterum non admittamus, sed magis caueamus secũda verbera ob secundum peccatum. Nunquam enim quæ ob secundũ secunda veniunt, non sunt grauiora primis. Quo spectans Oseas c. 5. ait: *Facti sunt Principes Iuda quasi assumẽtes terminum, super eos effundam quasi aquam iram meam.* Septuag. *Facti sunt principes Iuda transponentes terminos.* Ecce tibi horum crimen, nimirum quod terminos transponerent, sæpe enim suis iniquitatibus terminos põnebant, decernentes se in Dei permansuros obsequio; ac quacumque occasione data illos terminos auferebant, & aliò transponebant ad peccata reuertentes. Et quid iis minatur Dominus? *Super eos effundam, quasi aquam iram meam.* Rem pulchrè tractat Theophyl. aiens: *Quando quisquam princeps Iuda existens confessus fuerit, ac promiserit se non eisdem prauis studiis admoturum mentem, idque secum decreuerit, & interim transmouerit tales fines, atque decretũ suum fecerit irritum, ac reuersus fuerit ad proprium vomitum, ira Dei super talem prorsus effunditur: perinde ac rubri maris aqua super Pharaonem, qui sæpius mentitus erat.* Habẽt iam designatam in Pharaone suam pœnam, qui castigati ad vomitum redeunt: vt illum aqua maris fundiens perdidit, sic ipsi metuãt sub Dei ira perdi. Imo vt Pharao ibi cum suis omnibus perditionem incurrit, metuendum est, ne cum istis, & sui etiam pereant. Planè 2 Reg. 15. *Venit nuntius ad Dauid dicens: Toto corde vniuersus Israel sequitur Absalon. Et ait Dauid seruis suis, qui erãt cum eo in Ierusalẽ: Surgite, & fugiamus.* Mirabar, quod cautissimus dux sic festinaret, vt Absalonem fugeret. Cur non magis fortissimam vrbem claudis, munis, ibique stas aduersus tyronem, & indisciplinatum ducem? Quid expaues in adolescente Absalone, quod fugias? Peccauerat antea Absalon in fratrem Ammõ, cuius sceleris passus fuerat exilium, & veniam obtinnerat à patre. Vbi autem iterum venit ad parricidium, stupens Dauid hominis audaciam, ab illo fugit, ne pereat cũ illo. Ait Ioseph. in Glos. *Ad Absalonem multus populus eo instante confluxit, & Rex ab omnibus ordinatus est. Dauid metuens impietatem eius, & præsumptionem miratus, quia nec peccati veniam recordatus est, sed scelera peiora cõmitteret, deliberauit fugere, &c.* Hominem oblitum veniæ acceptæ, & iterum implicatum eisdem sceleribus fugiat quisquis nolit perire cum illo. Vnde peccatores cõmonefaciens Tertul. lib. de Monogam. inquit: *Redi in Adã, vel priorem, si in nouissimum non potes. Semel gustauit ille de arbore, semel concupiit, semel pudẽda protexit, semel Deo erubuit, semel ruborem suum abscondit, semel de paradiso sanctitatis exulauit. Si in illo fuisti, habeas tuam formam: si in Christum transisti, melior esse debebis.* Sanè qui peccatũ inuexit in mundũ Adamus, nũquam bis dicitur eadem facinora attigisse, quidquid ruboris fuit, quidquid malitiæ semel tantũ effecit; possemus nos in Christo ab omni abstinere delicto, at saltẽ in Adamo minime nobis contingat iterum ad eadem redire. Vide infra c. 25. §. 54.

Nazianz. *Oseas 5.* *Theoph.* *2. Reg. 15.* *Ioseph.* *Tertul.*

CAPVT VII.

Pestis, vesicæ, & fulguris plaga.

Textus Historia.

MVcrs leuatum Regem non finit dio quiescere propria malitia, quæ repetitis offensis in noua prælia traxit iras diuinas. Ægyptiorũ pecorum plurimum absumitur perniciosa lue, dum Israelis greges incolumes lætæ Gessen arua pascuntur. Morbi indem succedunt, qui rebelles homines maxime affligunt, cũ iacto per aera cinereo puluere, supra miserorum carnes tument vesicæ, quæ ingenti gemitu plena desinunt in vlcera. Insuper horrendum, quod cœlum intonat nigris sub nubilis, de quibus non visæ magnitudinis grandines, & ardentia fulmina iaciuntur, in multorum hominum & iumentorũ damnum, & omnium segetum extremam ruinam. Quem nõ frangerent tormenta ista? Mollitus quidem est vel ipse Pharao paulisper dum plaga cessat, à qua orante Moyse recreatus iterum sese præstat incudem nouis excipiendis ictibus.

PARS MORALIS VNICA.

AMARVS plagarum cortex nostri amat punctionem styli, vt dulces moribus succos scaturiant, quibus in virtutum vitam saporetur humanus gustus.

Exod.

Exod. 9. Ecce manus mea erit super agros tuos, super equos, & asinos, & camelos, & oues, & boues, pestis valde grauis. Et faciet Dominus mirabile inter possessiones Israel, & possessiones Ægyptiorum, vt nihil omnino pereat ex iis, quæ pertinent ad filios Israel. Constituitque Dominus tempus, dicens: Cras faciet Dominus verbum istud in terra. Fecit ergo Dominus, &c.

§. I.

Idola hominum etiam innocua male habent apud Deum propter arcendos homines.

QVid oues, & boues peccant Domine, vt eas peste absumas propter Ægyptios peccatores? Ait enim: *Ecce manus mea super agros tuos, super equos, & asinos, & camelos, & oues, & boues.* Nonne omnia hæc animalia, & mansueta sunt, & innoxia? Cur in iis innoxiis ira tua desæuit? Erant hæc Ægyptiis pro diis, sub quorum formis fingebantur idola; ne miremur quod male habeant apud Deum illa, quæ sunt hominū idola, vt sic ab eorum cultu arceantur homines. Ait Orig. hom. 4. in præsenti: *Animalium nece Ægyptius verberatur, vt in quibus cultum credebant inesse diuinum, in iis viderent diuina supplicia.* Proh quanta hæc est Dei misericordia, quæ diuina supplicia faciat videri in ipsis hominum idolis! Solet hæc Deus facere amator nostri, iræ suæ rigorem immittit in ea, quæ nobis pro idolis sunt, vt magis inde arceantur affectus nostri. Et patitur sæpe Deus quod creaturæ etiam innoxiæ aliquam luem, aut fœditatem incurrant, ne ad se rapiant, sed magis abiiciant humana corda. Post omnium animalium conditionem Gen. 1. dicitur Deus respexisse omnia, *& erant valde bona.* Sed & Gen. 7. ait: *Ex omnibus animantibus mundis tolle septena, & septena, masculum, & fœminam: de animantibus vero immundis duo, & duo.* Ecce tibi in primo dixerat omnia animalia esse valde bona, modo iam multa plectit immunditiæ nomine. Et cur Domine, quæ valde bona erant, plectuntur nomine immundorum? Cur apud te turpi, & fœda inuruntur nota, quæ ea se nihil habebant fœdum, vel noxium? Erant hæc colenda ab hominibus pro idolis, quos vt arceat à tam nefario ausu sustinet Deus, vel pulcherrima opera sua immunditiæ nota ferire. Ait D. Basil. Sel. orat. 6 inquiens: *Quædam appellauit immunda, vt superstitione abstinerent, euaderetque legis edictum animæ medicamentum. Fertque Deus creaturarum iniuriam nominetenus, vt hominum morbum sanet, vt impediat idololatriam, quæ vsque ad animalia procedit. Et immundorū nomenclaturam fert in creaturis, vt purum ab impietate custodiat hominum propositum.* Certus equidem est Deus in turpandis creaturis, quæ ab hominibus solicitant cultum; & quæ pro idolis haberi humana fecit stultitia, ea sæpe solent multis ignominiæ notis vtilitatem prodere suam. Sic Genes. 1. *In principio creauit Deus cœlum, & terram. Terra autem erat inanis, & vacua.* Vna terra cum cœlo fit, & statim terra de inanitate, & deformitate infamatur. Cur de cœlo taces, & properas terræ ostendere inanitatem? Ea erat terra, quæ posset coli ab hominibus ob beneficia impertienda illis, & ideò in primis infamanda fuit. Chrysostom. homil. 2. in Genes. *Ne homines ob vsus necessitatem, plusquam dignum est, terram venerarentur, ostendit primum rudem, & absque forma, & inexpolitam.* Ecce tibi vt properauit Deus ignominia afficere eam, quæ posset pro idolo haberi ab hominibus. Vt iam inde sibi à Deo timeant, quæ fœminæ eò ambitionis tendunt, vt gaudeant adorationem hominum sibi acquirere.

Origen. — *Genes. 1.* — *Basil. Sel.* — *Gen. 1.* — *Chrysost.*

§. II.

Vbi Diuinitas, non potest carnis lasciuia non perire.

IAm non virga Moyses operatur, sed nunc primum incipit per se apparere in plagis manus diuina, quæ dum ipsa applicatur, nil prius quam pecora in mortem ruit. Sic habes: *Ecce manus mea super agros tuos, super equos, asinos, & camelos, &c.* In iis pecoribus intelligit D. August. & Glossa, pecuinas libidines, quæ non possunt non cadere, cum primum Dei manus mentibus humanis affulget. Quo respiciens D. Ambros. in cap. 1. epist. ad Rom. inquit: *Non ergo hoc vitium, & contaminatio de honestate vita ab eo admittitur, qui in animo cogitat Deum.* Et simul Deus, vel in mentem venit, & occidunt affectus pecuinæ libidinis. Mirabar ego sæpe Iesum Simonis leprosi mensæ assidentem, cui ipse Simon erat proximus, & rursus Maria Magdalena *stabat retro secus pedes eius*, Luc. cap. 7. Et Simon & mulier Iesu appropinquabant, Simon à fronte, mulier tergo; sed Simon vel in illo conuiuio non remittit malitiam suam, quando & Iesum capit, & mulierem contemnit in corde suo. At mulier nihil pristinæ conuersationis in se habens tota mutata hærebat Iesu pedibus. Et cur ad eiusdem Iesu præsentiam in Simone nihil perit malitiæ; in Magdalena vniuersi occidunt affectus pecuini? Causam ipsa insinuat apud D. Ephrem sermone in Peccatricem, inquiens: *Ecce iam cerno oculis veritatis Deum magnum, & sanctum in carne nostra apparuisse, vt saluet nos. Non te video, Domine, sicut videt Pharisæus, qui ad te prandium inuitauit, at video Deum magnum, opificem, ac creatorem; qui verbo vniuersa constituit. Pessimum fœtorem iniquitatum mearum expuli, &c.* In Iesu non illuxerat Deus Pharisæo, sed illuxerat Mariæ, vbi autem huic Deus illucescebat, non potuerunt in illa non occidi mores pecuini. Habent hoc maximè brutæ libidines, quod diuinitati aduersentur, nec vel ad illius vmbram propinquæ possint esse. Hinc prodigus ille in se reuersus clamabat Luc. cap. 16. *Pater, peccaui in cælum, & coram te, non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum ex mercenariis.* Cur non magis audes miser? Cur non magis appropias, & manuum, vel pedes niteris osculari parentis? Viuebant adhuc in illo porcini affectus, insanæ libidines, quæ non sinebant miserum appropinquare Deo, nisi prius occiderentur. Titus Bostrensis ibi: *Peccaui in cælum, & coram te. Propter quod diuinitatis tuæ lucem intueri vereor: nam & animi, & corporis oculos immundos habeo. Præ omnibus autem malis, plurimum me accusant insanæ libidines.* Inter omnia alia mala nullum est, quod si contrarietur diuinitatis lumini, vt carnalis, & pecuina voluptas. Hæc prorsus occidat, necessum est, vbi affulserit Deus, dum illa viuit; fallat, si quid possit diuinum percipi. Dum enim Ioseph depingitur multa dicens mulieri lasciuæ, quæ Dei timorem inferrent, statim subdit D. Ephrem ibi: *At nihil diuinum admittebat auris, ac cor mulieris.* Vix enim vel minima Dei vmbra admittitur, vbi non occidunt carnales illecebræ.

D. Amb. — *D. Ephr.* — *Luc. 16.* — *Tit. Bostr.* — *D. Ephr.*

§. III.

Turpe est principibus, quod propter solas exactiones sciantur à subditis.

QVinque præterierant plagæ, inter quas, percussis Aegyptiis, Israelitæ incolumes perseuerabant, & non dicitur Pharao misisse, qui viderent Israelitarum incolumitatem. Nunc in iumentorum ruina dicitur. *Et misit Pharao ad videndum, nec erat quicquam mortuum de iis, quæ possidebat Israel.* Cur ante non dicitur misisse, & modo id asseritur à texto sacro? Conducebat maximè ad Pharaonis turpitudinem monstrandam, vt notaretur, quando miserit ad Israelitas in Iessen visitandos, nimirum cum ex eorum iumentis posset sibi sumere aliqua. Cum enim mortuis suis, audiret seruata iumēta Israelitarum, statim misit, qui viderēt, vnde aliqua posset trahere. Quod turpe est in principibus mundialibus, solū mittere, qui subditos spolient, & solum à suis sciri propter vim exactionum crebrarum. Id quod ponderat D. Synes. epist. 147. dum villæ montanæ fœlicitatem narrans, ait: *Cæterum Imperator, & Imperatoris amici, atque omnis illa fortis, casusque veluti saltatio, de iis, vnquam, omnibus altum apud nos silentium, & ab eo genere acroamatum aures nostræ feriantur. Quandoquidem Imperatorem semper aliquem viuere, probè hoc fortassis nouimus: reuocatur enim nobis in memoriam annis singulis à tributorum exactoribus.* Quid turpius de rege dici potuit? Non aliunde illum norant subditi, quàm ex tributorum exactoribus, quā ex iis, qui mittebantur, vt reculas eorum scrutarentur, & principi caperēt. Quid aliud de principe nuntiaret, non inueniebatur in tota illa prouincia, nec princeps alios vnquam mittebat nuntios ad suos, nisi qui bona eorum caperent. Quam maculam principibus Niniuitis inurebat Dominus, Nahum c. 2. fatus: *Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum & succendam vsque ad fumum quadrigas tuas, & leunculos tuos comedet gladius, & exterminabo de terra prædam tuam; & non audietur vltra vox nuntiorum tuorum.* Expende, quæ erant à principibus Niniue tollenda per Deum vltorē iniquitatum, nimirum, & prædæ, & voces nūtiorum. Sed quid habent commune nuntij regij cum prædis, vt cum illis ad perditionem iungantur? Nonne prædæ tyrannorum dignæ supplicio sunt? At nuntij

Synes. — *Nahum 2.*

iure gentium habent apud omnes immunitatem? Cur ergo in Niniuitis principibus, & ipsi nuntij damnantur, & cum prædis exterminantur? Erat hoc in iis principibus singulare malum, quod nulli alij illis nuntij fuerint, nisi qui mittebantur ad prædas, vt subditos spoliarent. Hoc, inquam, erat magis turpe, & maxime Deo odiosum, quod de nullo alio nuntium mittebant, nisi de exactione facienda, de munienda vniuscuiusque substantia, & ideò merito à Deo ij nuntij cum prædatoribus à Deo castigantur.

Exod. 9. Et dixit Dominus ad Moysem, & Aaron: Tollite plenas manus cineris de camino::: Tuleruntque cinerem de camino, & steterunt coram Pharaone, & sparsit illum Moyses in cœlum; factaque sunt vlcera vesicarum turgentium in hominibus, & iumentis: nec poterant malefici stare coram Moyse propter vlcera, quæ in illis erant, & in omni terra Ægypti. Indurauitque Dominus cor Pharaonis, &c.

§. IV.

Vbi vel umbra Dei est, non terrena, sed cœlestia petuntur.

QVam aliter Aaron, quam aliter Moyses signa faciebant! Aaron terram, & aquas percutiebat, vt signa faceret; vbi autem Moyses incipit operari, non ad terram, sed versus cœlum manum extendit. Ait text. *Sparsit illum Moyses in cœlum, &c.* Cur cū Aaron circa terram operabatur, vbi res ad Moysem deducitur, statim operatio incipit esse versus cœlum? Habemus ex c. 7. vt Moyses datus erat in Deum Pharaoni, in quo autem vel vmbra Dei erat, non debebat esse operatio circa terrena, sed circa cœlestia. Ait D. August. quæst. 31. in Exod. *Signa superiora virga fiebant, quam non Moyses, sed Aaron, vel extendebat super aquam, vel ad terram percutiebat; nunc vero dicitur, vt Moyses fauillam spargat in cœlum de fornace, tanquam Aaron, qui datus erat ad populum, terram percutere deberet, Moyses vero, de quo dictum est, erit tibi in his, quæ ad Deum; in cœlum iubetur fauillam spargere.* Sic Deus de illis amat fulgere, qui nihil habeant cum terra, sed ad cœlestia spectent. Hinc Exod. cap. 3. *Apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Cur in igne apparuit? Ait D. Augustin. quæst. 7. ex veteri Testamento: *Ideò Dominus in igne apparuit, cuius natura semper ad superiora tendit, vbi Christus est.* Non se credit Deus illis, qui terrenis immiscentur, qui oculos demissos habent, vt terrena spectent, nec norunt, vel odorari cœlestia. Indè censebitur quisquam Deum in se habere, & ad Dei partes pertinere, si inferioribus iis, terrenisque despectis, ad cœlestia totis viribus tendat. Reuocandum in memoriam miraculum illud, quo Israelitæ sub Moyse in nube, & mari baptizati sunt, teste Paulo, nimirum ait Exod. 14. *Ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris.* Vt sic mari baptizarentur Israelitæ, prius aquæ maris diuisæ sunt ostendentes illis in profundo siccam terræ semitam, per quam gradientur. Itaque nullum fecerunt gradum, anteaquam sicca terra in medio maris eis pateret. Longe aliud baptisma paratur Christianis, de quo Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Christiani non per siccam terram transeunt diuisis vndique aquis, sed toti sese aquis immergunt. Illi diuisionem aquarum expectant, vt appareat terra, per quam gradiantur, ij minime expectant aquarum diuisionem, nec quod appareat terra. Et quare in Christiano baptismo non diuiduntur aquæ, vt terrā ostendant, nisi quia in eo diuinitatis virtus incubat, quæ suos ad superiora impellit? Hinc pulchre D. Zeno lib. 3. serm. 38. *Nostrum mare, quos voluntarios suscipit, fœliciter naufragos facit, interimensque vniuersa peccata genitali vnda submergit, vt cœlestes effecti terram desiderare non norint.* Non sane Aaronis virga, sed Spiritus sanctus nostrum mare, nostrum baptisma præparat: nostrisque aquis insider, ne ipsæ terram ostendant, sed magis nos à terra seducant, & faciant cœlestes, vt terrenis iis prorsus despectis, ad sola spectemus cœlestia.

D. August. — *Exod. 3.* — *August.* — *Exod. 14.* — *Ioan. 3.* — *D. Zeno.*

§. V.

Quā verus, & naturalis Dominus, & iudex per se facit, nullum timorem incutiant bonis, & iustis.

HOc singulare fuit in hac plaga, quod nullo instrumento sumitur cinis, sed propriis Aaronis, & Moysis manibus, & tollitur ex camino, & spargitur. Sic enim dicitur illis: *Tollite plenas manus cineris de camino, &c.* Cum autem cæteræ plagæ fierent mediante virga Aaronis, non vacat mysterio, vt vult D. August. quæst. 31. in præsenti, quod hæc nullo instrumento, sed propria ipsius Moysis manu fiat. Et cur hæc non instrumento, sed Moysis manu fit. Vt quod in præcedentibus Dominus dixerat de non tangendis Israelitis, nunc ipso opere asseratur, quandoquidem ipsi veri iudices, & Domini per suas ipsas manu faciunt, non solent periculum, aut formidinem incutere viris iustis. Caue instrumenta, caue ministros, caue eos, qui non ex se veram potestatem habent, ij non semel & iustos, & iniustos, & merentes, & immerentes sub eisdem plagis inuoluunt. At veri Domini manus oculatissima est, vix potest aliquem iustum affligere. Isaiæ cap. 6. vt purgarentur prophetæ labia, ignitoque affligerentur calculo, venit Seraphin, qui forcipe calculum de altari tulerat. *Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari.* Non immediata manu, sed forcipe tulit prunam de altari Seraphin, at Ezechiel c. 10. *Extendit Cherub manum de medio Cherubim ad ignem, qui erat in medio Cherubim, & sumpsit, & dedit in manus eius, qui indutus fuerat lineis, &c.* Ecce tibi, ibi mediante forcipe sumitur pruna, hic nullo mediante instrumento, sed immediata Cherubini manu sumitur, & porrigitur. Et quare hic non forcipe, sed manu ignem assumunt potestates cœlestes? Sumebatur in Ezechiele ignis ad comburendos impios Ierosolymitanos, ita vt nullum timorem, aut periculum conciperent iusti viri, & ideò non fuit permittendus ignis instrumento, sed soli manui potestatis, quæ nullum scit bonis periculum incutere. Quò potuit respicere D. Hieron. epist. ad Damas. 2. dum inquit: *Verè manus apparuit, vt dum manus cernitur porrigentis, propheta non timeat.* Metum eripit iustis manus dominantis per se supplicium impiis inferentis. Vbi enim immediata cernitur naturalis principis manus, vix aliqua exurgit immerentium oppressio, quæ tunc apparet in terris, quando per instrumenta, & ministros res geritur. Huc spectans Ecclesiastes fatus cap. 5. *Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia, & subuerti iustitiam in prouincia: non mireris super hoc negotio; quia excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij. Et insuper vniuersæ terræ rex imperat.* Expende, cur non debeamus de iustorum oppressionibus mirari, nimirum, quia multi sunt ministrorum inferiorum ordines prætereundi, antequam res ad naturalem regem, & dominum deuoluatur. Vbi rex est solum imperans, & rursus alij sunt celsiores aliis, & infra hos alij, qui res executioni mandent, non mirandum, quod mille iustorum oppressiones appareant. Sola naturalis Domini manus cauet illas, de ministris autem raro non prosilit iniustitia, & rapina. Hinc 3. Reg. 10. *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis. Qui habebat sex gradus, & summitas throni rotunda erat in parte posteriori, & duæ manus hinc, atque inde tenentes sedile; & duo leones stabant iuxta manus singulas. Et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc, atque inde: non est factum tale opus in vniuersis regnis.* Et quid in hoc opere eximium erat, quod in nullis aliis regnis inuentum est? Sanè, & aurum, & ebur familiare erat multis aliis regnis, & in magna copia, insuper, & artifices cautissimi, qui & maiora possent operari. Quid ergo erat in hoc opere adeò singulare, quod in nullis regnis inueniebatur? Sto à sententia sapientissimi Patris Pinedæ rem ad throni significationem moralem deducentis, nimirum, quod & in sedili regis, & in sex inferioribus gradibus eadem semper species, & in nitore eboris, & in fulgore auri, & in leoninis vultibus seruabatur. Nullus vel de infimo gradu minister à leonina vigilantia, & incorruptibilitate auri desciscēs, in lupum, aut vulpem abiit. Quinimo præterquam quod iuxta solij supremi manus duo aurei stabant leones; similiter *& duodecim leunculi stabant super sex gradus.* Hoc magnum, hoc nouum, hoc non est factum in vniuersis regnis. Vide alia regna splendidissima, quorum throni splendeant sub leonibus aureis; & respice ad ministrorum gradus, & fallar, nisi pro leunculis, & vulpes, & lupi appareant prædæ inhiantes.

Ezech. 10. — *Hieron.* — *Eccl. 5.* — *3. Reg. 10.*

§. VI.

§. VI.

Iracundi, & homicidæ, & hic, & in futuro sæculo flammis aduruntur.

SVb ardentibus vlceribus gemunt Ægyptij, quippe ait: *Facta sunt vlcera vesicarum turgentium in hominibus*, sic adurebantur miseri, qui postmodum adurendi erant æternis ignibus. Et cur maluit Deus hanc in præsenti ardentium vlcerum plagam illis immittere? Respondebat plaga eorum animo, & iracundo, & homicidæ erga Israelitas, iracundi enim, & homicidæ, & simul hic, & in futuro flammis aduruntur. Quippe ait Glossa. *Sexta plaga pustula in corpore: vesica bullientes & scatentes, incendia vulneru, & fauilla fornacis. Ardent enim homicida ira, & insania.* Par pœna iracũdis, & homicidis animis, vt sub flammis viuant, ne illis flammarum tormenta & hic, & in futuro deficiant. Sæuorum, & homicidarum erat vox querentium de immaturis tormẽtis apud Iesum. Ait enim Matt. 8. *Occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, saui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam. Et ecce clamauerunt dicentes: Quid nobis & tibi Iesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos?* Sic homicidæ, & sæui dæmones immaturis tormentis affligebantur apud Christum, quasi vix darent pœnas suæ sæuitiæ & ante tempus, & in tempore. Quibus prorsus similes sunt vniuersi iracundi, nunquam non anguntur flammarum stimulis, & dum morem gerunt suæ iracundiæ, & cum in inferno plectuntur. Ex quo sapienter aiebat D. Isid. Pelus. lib. 2. epist. 16. inquiens: *Enim qui pugnis gaudet, atque id studet, vt omnibus odio sit, quonã eum nomine aptius quisquam appellet, quam si ipsum nequam dæmonẽ vocet? Quoniam igitur Christus, & hic, & ante tempus dæmones torquet, & in altero æuo sempiternum ipsis ignem premisit aut tumultuariam vitam consectari desine, aut illud scito te & hic flagris obnoxiũ esse, & illic vindictam minime vitaturum.* Expende, quibus dæmonibus comparentur in pœnis homines iracundi, nimirum illis, qui bis plectuntur, qui in tempore, & ante tempus flammas experiuntur. In hoc ab illis peccatoribus iracundi dissimiles; illos enim flammæ expectant cum diabolo in futuro sæculo; at hos, & in hoc sæculo flãmæ ardentes impetunt, vt affligantur cũ dæmonibus, qui in tempore, & ante tempus plectuntur.

Matt. 8.

Isidor.

Exod. 9. Dimitte populũ meum, vt sacrificet mihi, quia in hac vice mittam omnes plagas super cor tuum, & super seruos tuos, & super populum tuum, vt scias, quod non sit similis mei in omni terra. Nunc enim extendens manum percutiam te, & populum tuum peste, peribisque de terra. Idcirco autem posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.

§. VII.

Vt prius in corde hominis præsignantur, quæ in corpore fiunt.

IMmissurus Dominus plagas grandinis ait ad obduratissimum Pharaonem, *in hac vice mittam omnes plagas meas super cor tuum, & super seruos tuos, & super populum tuum.* Non ait, vt notat Caietanus, *mittam super te, sed super cor tuum.* Et quando plaga tota super seruos & populum mittenda est, cur dicitur, quod mittetur non super Pharaonem, sed super cor Pharaonis? Vt ostendatur cor Pharaonis & designasse inde, & traxisse plagam imminentem; vt enim cor miseri regis obdurabatur aduersus Deum, lapidescebatque: sic lapidescentibus nimbis per totam venturam plagam peretietur. Est enim in corde hominis præsignatio quædam eorum, quæ immediate corporibus euenient. Accipite ex Matth. cap. 2. vt futura hominum renouatio exprimebatur in creaturis Iesu moriente. *Et terra mota est, & petra scissa sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum quæ dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatẽ, & apparuerũt multis.* Ecce tibi quantis præfigurabatur renouatio hominis in futuro sæculo, vt terrena substantia in spiritualem virtutem conuertenda, vt durities mollienda, vt monumentis apertis surrecturus est homo in ciuitatem sanctam Hierusalem cœlestem introducendus.

Matth. 5.

Sed cur necessum fuit hæc in iis creaturis præsignari, & ostẽdi, nisi vt homo in corde suo similia præsignet, quæ postea possit in corpore tenere? sequuntur enim ea, quæ corpori obuenient, ad ea, quæ quis in corde suo habuerit. Ex quo sapientissime D. Leo monebat ser. 13. de Passion. *Contremiscat in redemptoris sui supplicio terrena substantia, rumpantur infidelium mentium petra: & qui mortalitatis grauantur sepulchris, discussa obstaculorũ mole prosiliant. Appareant nunc quoque in ciuitate sancta, in Ecclesia Dei futura resurrectionis indicia, fiat in cordibus, quod gerẽdum est in corporibus.* Expendite illa, *fiat in cordibus, &c.* quippe quæ in corde hominis præmonstrãtur, ea postea sequentur in corpore. Ad cordis tui normam vel pœnæ, vel fœlicitates externæ de sententia Dei venient. Qui nihil aliud corde voluis quam flammas libidinum, sulphureas Sodomorum flammas expecta; qui lucida virtutum tractas mente, ad lumen inaccessum Dei merito accedes. Sequentur sanè in cordis præsignationem externi euentus. Id quod vel in Nabuchodonosore manet perspectum, de quo dicitur Dan. 4. *Alligetur vinculo ferreo, & ereo in herbis, quæ foris sunt, & rore cœli tingatur, & cum feris pars eius in herba terræ. Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei.* Vt cor ferale gerebat inter homines agens, sic iuxta eius cordis normam venit pœna. Quid tunc? Ait ipse Dan. c. 7. *Quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuersæ inter se. Prima quasi leæna, & alas habebat Aquilæ: aspiciebam, donec euulsæ sunt alæ eius, & sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei.* Quibus verbis putat D. Hieron. intelligi ipsum Nabuchodonosorem, vt post feralem pœnam, iterum ad politiam, & monarchiam humanam restitueretur. Sed illud notandum, quod vt feris, & bestiis annumeraretur, nihil prius attendebatur, quã ferale cor eius, ait enim; *cor feræ datur ei*, & statim ad cordis normam venit extrinsecus feralis & pœna, & species. Vt autem feram exueret, & pristinã monarchiæ humanæ gloriam obtineret, hoc peractum est, vt cor eius ad humanitatem flecteretur, *cor hominis datum est ei*: & statim ad cordis humanitatem omnia humana decora prosilierunt. Sic bona, vel mala aduenientia sequebantur cordis speciem Sic Psal. 96. *Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia* Iustus, & rectus corde idẽ prorsus est, cum autem dictus sit iustus percepisse orientem sibi lucẽ, cur addidit, quod & rectus corde lætitiam perceperit? An aliquid magis explicatur per rectum corde, quam per iustum? Sane ideo post iustum, explicatius dixit rectum corde, vt ostenderet perceptionem gloriosi luminis, non solũ venire homini propter iustitiam vtcunque, sed insuper venire respondentem cordis illius præsignationi. Id quod apud Genebrardum aiebat Rabbi Kimhi, fatus: *Lucẽ, & lætitiam futuræ beatitudinis, hic seminatam, in cordibus nostris, & conceptam colligeat, in cælo iusti beato Dei conspectu.* Quæ præseminata & præsignata in corde cuiusque fuerint, ea in effectu venient. Vnde Dei filius vulnerum in cruce susceptorum causas referẽs ad spõsam, fatur. Cant. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa.* Vbi Chaldæus explicat: *Infixus est in tabula cordis nostri amor tuus soror mea.* Et quãdo Iesus meus cor suum rescrebat vt tabulam nostri amore trãsfixam; non miror, quod in corpore suo lignum susceperit crucis in quod ascẽderit, vt posit ipse suffigi. Sic ad cordis normã formantur effectus extrinseci. Num. etiam 14. murmurabant Israelitæ, dicentes: *Vtinam mortui fuissemus in Ægypto, & non in hac vasta solitudine: Nonne melius est reuerti in Ægyptum?* Quibus Deus iratus respondit: *Omnes homines, qui viderunt maiestatem meam, & signa, non videbunt terram pro qua iurauit patribus eorum, nec quisquam eorum, qui detraxit mihi, intuebitur eam: ::: Cras mouete castra, & reuertimini in solitudinem per viam maris rubri.* Hæc sane reuersio a Deo mandata versus Ægyptũ erat, vt enim illi corde & animo suo reuersi in Ægyptum fuerant, sic iubet Deus, vt morituri in deserto reuertãtur versus eandem Ægypti terram Ait Procop. in Glossa: *Reuersionem pro supplicio illis erogat, ratione habita delicti, quo animos suos in Ægyptum reflexerant. Non enim vota sui ita fiunt compotes, sed in supplicium & promotionem promouentur. Viam enim eorum, inquit, in caput ipsorum dedi. At quo nos cogitationes nostra deducant, vide.* In mente, & corde nostro constantur, quæ nobis eueniunt.

D. Leo.

Dan. 4.

Dan. 7.

Hieron.

Psal. 96.

Cant. 4.

Num. 14.

Procop.

§. VIII.

Non parua Dei gloria ostenditur, & pulchritudo, dum impij puniuntur.

VT sibi faciat nomen gloriosum in terra Dominus, accingitur aduersus Pharaonem. Sic enim: *Posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.* Et quanta species, & gloria diuini nominis, quod

cognoscatur interficiens vnum homuncionem? est ne pulchrum,& speciosum omnipotenti Deo,quod possit tradere morti hominem? Equidem vbi homo impius est, & peccator,non parua inde & laus, & pulchritudo acquiritur Deo, qui puniat impios, & peccatores. Ioel cap.2. *A facie eius contremuit terra,moti sunt cœli,Sol,& Luna,obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum. Et Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui, quia multa sunt nimis castra eius; quia fortia & facientia verbum eius. Magnus enim dies Domini,& terribilis valde.* Græcè legitur: *Magna dies Domini,& illustris valde.* Esto quod tantæ vindictæ dies magna, & horribilis diceretur iuxta vulgatam lectionem, at illustris vnde potuit dici? Vnde inter tot luctus,tot strages, aliquid illustre potuit attribui Domino, qui indignum à se putat facere mortem hominis? Non parum equidem luminis affert diuino nomini,quod sic puniat rebelles peccatores. Quippe ait D.Cyril. Alexand. ibi: *Subindicat per hæc,non temere,ac fortuito mala accidere,sed à Deo potissimum infligi, laso videlicet,& iusto pœnas reposcente. Magna igitur, & illustris dies, inquit,propter famam vagantem de malis in homines inuehendis.* Itaque vbi mala à Deo peccatoribus illata annuntiantur, illustre nomen, ingens decor & species attribuitur vbique Deo. Aiebat Isaias cap. 53. de Deo sustinente peccatorum opprobria: *Vidimus eum, & non erat aspectus, desiderauimus eum,despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus eius,& despectus.* At si audiamus Dauidem Psal. 44. longe aliter nobis depingit ipsum Dominum. Quippe ait: *Speciosus forma præ filiis hominum diffusa est gratia in labiis tuis:propterea benedixit te Deus in æternum.* Isaias vocat eum deformem, despectum: Dauid vocat speciosum, & illustrem forma præ filiis hominum. Et quomodo simul potuit esse despectus, & speciosus, inspectabilis & illustris? Equidem dum suffigebatur in cruce,dum tacens patiebatur, dum impias sustinebat & voces, & manus furentium, & quasi inaspectabilis, & deformis erat; vbi autem à facie eius terra mouebatur, & Sol obtenebrabatur & tenebræ peccatores opprimebant, inde non parum decoris, & speciei Deo patienti obueniebat. Sic D.Hieronym. in Isaiam, fatur: *Despectus erat, & ignobilis, quando pendebat in cruce factus pro nobis maledictum. Inclytus autem erat, & decorus aspectu,quando ad passionem eius terra tremuit, saxa dirupta sunt,& fugiente sole æternam noctem elementa timuerunt.* Dum sub tenebrarum, & terræmotus verbere rebelles erant, magnum sibi decorem, & speciem Dominus adscribebat. Similiter & Isaias cap. 53. dicebat: *Ascendet sicut virgultum coram eo, radix de terra sitienti; non est species ei,neque decor.* Et Dauid Psalm. 44. clamabat: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.Specie tua & pulchritudine tua intende prospere, &c.* Et quando ei species, nec decor erat,iuxta Isaia; vnde ille potuit venire decor,& species, qua iuxta Dauidem procedat prospere? Iam ipse signabat aieus: *Accingere gladio tuo potentissime.Specie tua,&c.* Gladius,quo perimit rebelles, ipse est,& pulchritudo, & decor maximus Domini. Ait Tertul. lib. 3. in Marcion. *Non est species eius, neque gloria, sed species eius inhonorata, deficiens citra omnes homines. Nam & si tempestiuus decore apud Dauidem citra filios hominum, sed statu gratiæ spiritualis, cum accingitur ense,qui vere species,& decor,& gloria ipsius est.* Negarit licet natura Saluatori suo iuxta Tertullianum decorem & speciem, tamen gladius eius interimens peccatores magnam illi acquirit gloriam & decorem. Non potest enim non illustris, & gloriosus apparere apud omnes, quando plectit sontes; qui apud plurimos ignoratur, dum illos tolerat. Ait enim Tertul. lib. de Patient. *Domina dispositio delegat Deum ipsum ostendens patientiæ exemplum,sustinens ingratissimas nationes,ludibria artium, opera manuum suarum adorantes,nomen,familiam ipsius persequentes,luxuriam,auaritiam quotidie insolescentem,vt sibi sua patientia detrahat: plures enim hominum idcirco non credunt,quia sæculo iratum tandiu nesciunt.* Sanè patientia Dei,& tolerantia in impiis non perdendis per tot sæcula faciebat, ne à pluribus crederetur Deus esse. Non credebatur Deus qui non irascebatur inter tot scelera,credendus,& adorandus vbique iratus in rebelles cernitur.

Ioel 2. — *D.Cyril.* — *Isai 53.* — *Psal. 44.* — *Hieron.* — *Isai. 53.* — *Psal. 44.* — *Tertul.* — *Tertul.*

Exod. 9. Adhuc retines populum meum,& non vis dimittere? En pluam cras hac ipsa hora grandinem multam nimis,qualis non fuit in Ægypto,à die qua fundata est vsque ad præsens tempus. Mitte ergo iam nunc, & congrega iumenta tua, & omnia quæ habes in agro. Homines enim & iumenta,& vniuersa quæ inuenta fuerunt foris, nec congregata de agris, cecideritque super ea grando,morientur. Qui timuit verbũ Domini de seruis Pharaonis, fecit confugere seruos suos, &c.

§. IX.

Vbi ira Dei desæuit, etiam promptissima, & facillima effugia non cernuntur, nisi Deo monstrante.

NOua & inusitata grandinis tempestas denunciatur,& simul admonentur Ægyptij, vt domi custodiant pecora, ne pereant foris lapideo nimbo. Ait enim: *En pluam cras grandinem multam nimis: Mitte ergo iam nunc,& congrega iumenta, &c.* Proh Dei bonitatem profusissimam! & plaga minatur,& ostendit effugium; & iratus misericordiæ non obliuiscitur. Sed illud maximè notandũ,quod de effugio admonens illud proponit, quod cuique erat euidentissimum, & promptissimum,nimirum quod pecora homo congreget sua, & domi retineat. Et cui non promptum,& facile id erat,vt tempestati furenti pecora eriperet? Quis audiens tempestatem grandinibus lethalibus plenam imminere,non sciret in domibus esse tempestatis effugia & prompta,& facilia? Cur necessum fuit illos admonere de adeo prompto,& facili,& noto effugio? Cantatissimus est Absalonis casus,de quo 2.Reg. 18. dicitur: *Accidit autem vt occurreret Absalon seruis Dauid sedens mulo:cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum,& magnam,adhæsit caput eius quercui,& illo suspenso inter cœlum & terram,mulus,cui insidebat,pertransiit. Vidit autem hoc quispiam qui annuntiauit Ioab,&c.* Ibi habes, vt res nuntiata fuerit Ioab; vt Ioab colloquia inierit cum nuntio,cui mortem Absalonis mandabat; à qua ille multis se excusat; & tunc Ioab ipse pergens ad suspensum, tribus illum transfodit lanceis. Vidisti longum temporis spatium fuisse suspenso Absaloni, & prompta effugia, vt posset liberari? Sane licet penderet coma, solutas habebat manus, quibus & mulum detinere potuisset; vel assumpto gladio secare ramum,aut comam resecare; gladius ad latus pugnatoris necessario erat, manus promptæ,& in percussionem hostium paratæ; cur ergo in tã longo spatio tẽporis, non attẽdit ad tam prompta,& facilia remedia,quibus se morti posset subtrahere? Prõpta,& facilia erant remedia,sed vbi Dei ira incipit,nec prõptissima attendũtur effugia,Deo nõ monstrante. Rem pulchre notat Abul. qu. 12. in præsenti,fatus: *Absaloni multa acciderunt,à quibus posset liberari,nisi Deus voluisset eum perdere. Nam poterat ipse tenens mulũ,soluere capillos,& fugere.* Etiã dato,quod mãsisset pendẽs, poterat capillos amputare; vel si non habebat gladium, poterat manibus tenens arborem, illos soluere, vel rumpere, sed nihil horum fecit, eo quod Deus habebat eum exosum. Vnde tanto eum timore concussit, quod mulum tenere nequiuit, & cum fuit sub arbore, habenas remisit, & mulus ex impetu fugit. *Ipse autem Absalon iam moriturus, non attendebat quid ad liberationem suam faceret, sed sententiam Dei pauefactus expectabat, quia voluntas Dei fuit,&c.* Expende illud, *non attendebat*; quippe dum currit ira Dei,& promptissima, & facillima non attenduntur effugia, Deo illa minime monstrante. Vnde Psalm. 59. *Dedisti metuentibus te significationem,vt fugiant à facie arcus.* Ecce tibi & facies arcus imminentis iam conspicua proponitur,& tamen dicitur Deus dedisse suis significationem,vt fugiant. Quid promptius,quam fugere ad conspectum percussoris? Dicebat Prouerb. 1. *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum:* cum primum enim laqueus apparet, promptissima est fuga, vel rudi passerculo,vt dicat Ouidius: *Quæ nimis apparent retia,vitat auis.* Quid ergo necessum est præmonere de fuga eos,ante cuius oculos facies arcus est? Equidem vbi arcus Dei extenditur,iam iam,& vltio facienda est, nulla effugia, etsi alioquin promptissima & facillima attendũtur,nisi Deus illa mõstrauerit. Idque ostendebat Dominus per Amos c. 2. aiens: *Ecce ego stridebo super vos,sicut stridet plaustrum onustum fœno. Et peribit fuga à veloci,& fortis non obtinebit virtutẽ suã. Et robustus corde inter fortes nudus effugiet.* Græcè legitur: *& nudus persequetur in diebus illis.* Quid mirabilius? Ad percutiẽtis Dei stridorẽ,& fuga,quę familiaris est veloci homini, & prompta, prorsus deficiet, minimeque parebit. Et quod magis est, & coram nudis persecutoribus nullũ inuenient effugium. Quid tũc? Dat Deus metuẽtibus se significationẽ,vt fugiant,& nisi Deus dederit, promptissima quæque

2.Reg. 18. — *Abul.* — *Psal. 59.* — *Prou. 1.* — *Amos 2.*

euanescunt

euaneſcunt effugia. Sane primi parentes immediate poſt peccatum ſentientes corruptionis iam imminentis ſpicula ad folia ficus confugiunt. Ait enim Geneſ. 3. *Aperti ſunt oculi amborum, cumque cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus.* Mirabar, quod cum eorum oculi aperti fuerint, vt viderent ſibi mala obuentura, pœnam mortis imminentem, irati Dei pene contorta ſpicula, ad folia ficus recurrerint. Numquid non æque liberum erat illis currere ad fructus arboris vitæ? Sanè ait Chryſoſt. *Potuiſſet ipſe, ſi voluiſſet, cum alias etiam de vitæ arbore edere, quod perpetuam illi conſuluiſſet vitam.* Et tam prompta erat illi hæc arbor, quam ficus? Cur ergo mortis reo in mentem potius venit ficus, quam vitæ arbor, quæ erat infirmitatis conceptæ facilis medicina? Vbi Dei ira incipit, non cernuntur facillima effugia, niſi Deus dederit videri illa.

Geneſ. 3. — *Chryſoſt.*

§. X.

Summa Dei bonitas eſt periclitantibus prompta proponere effugia.

SEueriſſimæ plagæ ſimul proponit diſcrimen, & promptiſſimum effugium offert aiens: *En pluam cras hac ipſa hora grandinem: : Mitte ergo iam nunc, & congrega iumenta.* Quæ ſeuerior plaga, quàm plaga immaniſſimæ grandinis? Et quod promptius, & facilius effugium, quam quod iumenta trahantur in ſtabula? Eſt in agro plaga mortis, ſed eſt ſalus in ſtabulis, vt bonitas Dei euidentiſſime clareat promptum effugium permittens immiſſis plagis. Primi parentes poſt peccatum patratum, ſimul iram Dei imminentem ſenſerunt, & in paradiſo adhuc manebant. Ait enim Gen. 3. *Vocem tuam audiui in paradiſo, & timui, eo quod nudus eſſem, & abſcondi me.* Itaque & ira Dei erat excitata aduerſus Adamum, & ipſe adhuc & reus & peccator in paradiſo erat. Cur Deus permittit reum in paradiſo, vel tantiſper eſſe? Cur antequam perficeres foliorum amictum, illum non expulis? Cur ſic moras nectis in expellendo? Pulchram huius rei rationem reddit Tertul. lib. 2. in Mar. fatus: *Certamini enim dedit ſpatium, vt & homo eadem arbitrij libertate elideret inimicum, qua ſucciderat illi, probans ſuam non Dei culpam, & ita ſalutem dignè per victoriam recuperaret; & diabolus amarius puniretur, ab eo quem deuicerat ante, deuictus; & Deus tanto magis bonus inueniretur ſuſtinens hominem in glorioſiorem paradiſum, ad licentiam decerpendæ arboris vitæ iam de vita egreſſurum.* Expende illa, per quæ Dei bonitas oſtenditur ſumma, nimirum *ſuſtinens hominem in paradiſum ad licentiam decerpendæ arboris vitæ, &c.* quippe erant in paradiſo tot vitæ conciliatrices, quot arbores vitæ. Deus autem vt ſumme bonus ſimul reum mortis agnoſcit hominem, & ſuſtinet eſſe in loco paradiſi, vbi & vitæ arbor, & nulla eius interdictio, ſed & licentia erat edendi, & eſus facillimus. Quid dici poteſt conuenientius bonitati ſummæ? Medias inter iras locum permittit, quo homo & facile reſipiſcere poſſet, & promptam haberet arborem, ex qua fructus decerperet vitæ. Huc etiam ſpectat illa irati Dei vox Iſaiæ cap. 2. *Ingredere in petram, abſcondere in foſſa humo à facie timoris Domini, & à gloria maieſtatis eius.* Et ſimul ſeſe Deus oſtendit iratum, & locum refugij oſtendit. Sed qualem locum refugij oſtendit? Ad quem non opus ſit maria tranare, non aëra penetrare volatu, ſed qui præ manibus appareat. Quæ magis opportuna, & prompta res, quam petra, quam humus? Eſt equidem Deus iratus peccatoribus, ſed dum ſcandit ira, opportuniſſimum illis parat, vel in petra refugium. Quo ſpectans Diuus Baſilius in præſenti, inquit: *Ait Pſaltes. Petra refugium herinaceis, ei, inquam, qui purus eſt, opportunum ſuffugium.* Eò enim peruenit bonitas Dei, vt & cum iras prætendit, ſuffugia paret non qualiacumque, ſed quæ opportuna ſint, & prompta, & quaſi præ manibus, vel de ſub pedibus appareant.

Gen. 3. — *Tertul.* — *Iſaia 2.* — *D. Baſil.*

§. XI.

Palatinorum virtus eo tendit, vt ſibi proſpiciat.

INuenio apud aulam Pharaonis viros timentes Deum, ſed qui nihil aliud feciſſe dicuntur, quam ſua pecora in ſtabulis retinere tempeſtatis tempore. Sic textus: *Qui timuit verbum Domini de ſeruis Pharaonis, fecit confugere ſeruos ſuos, & iumenta in domos, &c.* Et quando iſti timebant Deum, cur pro afflictis Iudæis non loquebantur apud Regem, vt ab illo iram Dei auerterent? Cur ſolum de pecoribus ſuis cuſtodiédis curarunt; & non potius de totius regni repellenda ruina commonefacientes Pharaonem? Timebant Deum, ſed erant de ſeruis Pharaonis, ſed erant Palatini, quorum virtus eo ſolum tendit, vt ſibi prouideant. Pulchre rem attigit Lippoman. *In ſeruis Pharaonis erant timentes Deum qui abominabantur Regis atrociſſima imperia, aulicorum tamen more muti ad patrocinium pro afflictis.* Ita fortaſſis in aulicis inuenietur virtus, quæ abominetur & tyrannides, & principum imperia iniqua: ſed quæ ſtent pro afflictis, eorumque ſumant patrocinium, ea non eſt virtus Palatinorum, quorum eſt ſibi proſpicere. De Moyſe electo à Deo ad defenſionem Iſraelitarum, & ea ratione, prouidente Deo in aulam Pharaonis adducto, ibique regaliter nutrito dicit Actor. 7. *Cum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, aſcendit in cor eius, vt viſitaret fratres ſuos filios Iſrael. Et cum vidiſſet quendam iniuriam patientem vindicauit illum, & fecit vltionem ei, qui iniuriam ſuſtinebat, percuſſo Ægyptio.* Fuit Moyſes in Regia vſque ad quadrageſimum ætatis annum; & per totos integros quadraginta annos, quibus in Regia erat, non dicitur curaſſe de afflictione fratrum ſuorum, nec vllius afflicti patrocinium ſumpſiſſe. Iis autem annis tranſactis, exiuit à Regia, contendit ad fratres viſitandos, quos ab iniuriatoribus maximè vindicabat, imo pro illis Ægyptios morti dabat. Ait text. *Fecit vltionem, percuſſo Ægyptio.* Vnde tam repentinus zelus in Moyſe, qui per tot annos, nec verbum pro ſuis fuerat fatus? Erat ab aula egreſſus, & animo ſuo totá vitam aulicam abdicauerat, vt notabat Paulus ad Hebræos 11. & ideò iam aſſumit patrocinium fratrum, quod minime aſſumpſerat, dum erat in aula. Ait Diuus Ambroſius libro ſecundo de Cain, capite quarto. *Interfecit Moyſes Ægyptium, & fugax factus eſt de terra Ægypti, vt declinaret eius terræ tyrannum. Sed non ante illum interfeciſſet Ægyptium, niſi prius in ſe abdicaſſet regalium luxum honorum, maius patrimonium æſtimans theſauris Ægypti improperium Chriſti.* Equidem dũ aulicus erat Moyſes, licet audiret, imo & videret Pharaonis barbaram tyrannidem in Iſraelitas, quam abominabatur; tacebat tamen ſibi ſoli proſpiciens, neceſſum fuit, vt tantiſper recederet ab aula, & animo ſuo honores contemneret aulicos, vt poſſet pro ſuis aduerſus tyrannos ſtare. Nunquam enim pro afflictis loqueretur, niſi prius in ſe abdicaſſet regalium luxum honorum. Id quod aperte monſtrabatur in ſanctiſſima Eſther, quæ dum in aula eſſet, audiuit iniquiſſimam ſententiam ab Aſſuero coniuge ſuo aduerſus Iudæos omnes latam, & nihilominus tacebat ipſa, imo & perſuaſa à Mardochæo, vt ſtaret pro Iudæis, cunctabatur, excuſationeſque prætendebat non paucas. Sic capite quarto ad aulicorum mores reſpondit ei Mardochæus: *Ne putes, quod animam tuam tantùm liberes, &c.* Eſt enim hæc communis aulicorum excogitatio vt ſibi attendant tantum. Huc refer dicta ſupra 1. tom. in Vet. teſt. libro quarto, capite primo, parte ſecunda, §. vndecimo.

Lippom. — *Actor. 7.* — *D. Amb.*

Exod. 9. Extenditque Moyſes virgam in cœlum, & Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac diſcurrentia fulgura ſuper terram. Pluitque Dominus grandinem ſuper terram Ægypti, & grando, & ignis mixta pariter ferebantur. Tantæque fuit magnitudinis, quanta ante nunquam apparuit in vniuerſa terra Ægypti, ex quo gens illa condita eſt. Et percuſſit grando in omni terra Ægypti cuncta, &c.

§. XII.

Propria reproborum plaga, quod neque inter pœnas emolliantur.

ECce vobis reproborum hominum plaga. *Grando & ignis mixta pariter ferebantur.* Inter ignis flammas grando duritiam ſuam ſeruabat, ſic enim obduratæ malitiæ homines & pœnis exuruntur, & adhuc integri ſunt in peccatis. Quò ſpectabat Sapiens capite 16. fatus: *Nix, & glacies ſuſtinebant vim ignis, & non tabeſcebant: vt ſcirent, quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine.* Plane non amicos, ſed inimicos, non iuſtos, ſed reprobos tangit ignis pœnarum, qui integrum ſeruat malitiæ grandinis lapidem. Vbi ſub ipſis flammis pœnarum adhuc obduraris, adhuc rigeſcis

Sap. 16.

frigore vitiorum, & peccati inimicus ex, reprobus appares: propria enim reproborum est hæc plaga. Pulchre Hierem. cap. 6. *Defecit sufflatorium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflauit conflator: malitia enim eorum non sunt consumptæ. Argentum reprobum vocate eos.* Multus equidem erat plagarum ignis à Deo conflatore immissus, & tantus, qui plurimorum pectora liquefacere potuisset; tamen inter hos ignes malitia cordis, & frigus vitiorum vigebat. Quid inde? *Argentum reprobum vocate eos.* Sanè vbi vitiorum frigus cum pœnarum ignibus, non minuitur, id iam pertinet ad reproborum supplicium. Ab Angelis reprobis parum, aut nihil abest, qui in se simul retinet & flammas pœnarum, & frigus peccati. De iis aiebat Psal. 34. *Dissipati sunt, & non sunt compuncti.* Vbi Sapienter Hugo Card. fatur: *Dissipati sunt, id est, diuisi sunt dæmones, & mali homines afflicti. Nec tamen compuncti ad pœnitentiam, quia diabolus pro superbia pœnitere non potest; & reprobi homines pro duritia, & frigiditate cordis.* Quibus frigus, & duritia peccati est inter flammas pœnarum, ne dubites, quod diaboli sint, vel diabolorū pœnis deputati. Solus reprobus, & flammas pœnarum sustinet, & vitiorū frigiditatem. Quod signum in reprobo populo agnoscebat Hierem. capite 5. fatus: *Percussisti eos, & non doluerunt, attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam: indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti.* Nil grauius de misero, & iam deplorato dici potest, quam quod vel in fornace supplicij frigidus maneat. Quod ponderans Nazianzen. orat. de plaga grandinis fatur: *Non graue est plagis affligi, sed plaga meliorem non fieri grauissimum, & acerbissimum est. Atque eo nomine Propheta de duro illo, atque corde intractabili Israele verba faciens, ait: Percussisti eos, & non doluerunt, corripuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam.* Et fallar, si quod signum euidentius est animi reprobati, quam hoc, quod vel suppliciis addicti integrum peccandi affectum conseruent. De reprobis sub iudicis sententia positis ait dominus Matth. 7. *Et tunc confitebor illis: Quia nunquam noui vos: Discedite à me, qui operamini iniquitatem.* Expende illud, *operamini*, quippè & cum sententiæ flammis subsunt, malum operantur. Sic D. Chrysost. hom. 19. in Matth. *Non dicit illis: Discedite à me, qui operati estis iniquitatem, sed qui operamini. Quia iniqui, etiam post mortem non desinunt esse iniqui, quia etsi peccare non possunt, tamen peccandi propositum tenent.* Nulla flamma, nulla mors, homines reprobos à vitiorum affectu deterret, & flamma suppliciorum, & frigus vitiorum semper est illis circa pectus. Vere de illis dicere potest Philo, quod dixit de plaga præsenti: *Grando intermixta, nec ipsa liquescebat, nec extinguebat fulmina, sed vtraque vno eodemque ferebantur impetu.* Non liquescit frigiditas reprobi inter ignes, nec illos extinguit, sed auget, vt simul & vitiorum affectus, & flammæ suppliciorum facto impetu miserum diuexent.

Hier. 6.
Psal. 34.
Hier. 5.
Nazian.
Matth. 7.
Chrysost.
Philo.

§. XIII.

Contraria quæque copulantur in defensionem eius, qui scit benefacere suis contrariis.

ECce tibi & grando, & ignis adunantur pro Moyse aduersus Pharaonem, dicit enim; *grando, & ignis pariter mixta ferebantur.* Ex Hebræo sic habes: *Et fuit grando, & ignis assumptus in medio grandinis.* Quæ enim contraria erant, sic inter se adunabantur, quasi omnem exuissent contrarietatem. Et cur necessum fuit tantum fieri miraculum, vt adunarentur simul frigus, & ardor? Sto à sententia Patris Lorini, qui in cap. 16. Sapientiæ, hoc tribuit Moysi charitati, qua infensissimum sibi, & populo suo hostem Pharaonem complectebantur. Vbi Moyses aduersarium Pharaonem totis animi visceribus sustinebat, & quanta poterat bona illi præstabat, non miror, quod contrariissimæ naturæ vnirentur, vt pro illo starent. Videbis, homo contraria vniri in tui tutelam, si contrariis parcis, vt videbis vnita diuidi in tui pœnam, si benefactori malefacis. Accipe, quid factum est iuxta crucem Domini, quando cum adhuc inimici essemus, nostra salus operabatur. Matth. 27. *Iesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritū. Et ecce velum templi scissum est; & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, &c.* Nulla creatura non adunatur, vt suum præstet obsequium Iesu morienti pro hostibus suis, & Sol, & Luna, & cœlum, & terra, & mors, & vita. Et cum sic diuersæ, imò & contrariæ creaturæ adunantur, pro Iesu, simul quæ vnita erant, scinduntur, velum enim, & petræ scissæ sunt. Vnde hoc? Equidem vbi crux pro hostibus eleuabatur, totum orbem in se adunatum trahebat, at Iudæi vbi Iesum ostendebant, vel petras diuidi faciebant ne deficerent, quæ eorum duritiem premerent. Pulchrè aiebat D. Chrysost. hom. 2. de cruce, & latrone: *Hodie crux vicit, & mors victa est. Hodie apud Iudæos terra contremuit, & apud nos firmata est. Hodie apud Iudæos, quia mente audaci contra Deum vadunt, petræ scissæ sunt. Hodie amabilis Deo pietas vniuersum consuit orbem. Decebat enim, quæ pietatis erant coniungi.* Sane Iesu pietas, qua vel hostes amplectebatur, pro se vniuersum consuit orbem: vbi enim tantæ pietatis causa agenda erat, vniuersi orbis creaturæ, etsi dissitæ, etsi contrariæ sese consuerunt, & adunarunt, vt starent pro Iesu. Quæ autem Iudæorum duritiem puniebant, ea diuisa, & scissa sunt, vt pœnam eorum ostenderent. Trahit consutum, & adunatum orbem pro se Iesu pietas in suorum hostiles animos, traxerunt Iudæi, vel scissas petras, vbi ipsi sese à tanto benefactore abscindebant. Nunquam, mihi crede, creaturæ non æmulantur affectus eorum, qui proximos suos odio, vel amore prosequuntur.

Matth. 27.
Chrysost.

§. XIV.

Strenui viri proprias oppositiones, & simultates obliuiscuntur, vbi exequendum est munus à suo principe commissum.

NOn possum non mirari denuo nouum hoc prodigium apparens in grandinis plaga; nimirum quod *grando, & ignis pariter ferebantur.* Siue vt Hebræus habet: *Fuit grando, & ignis assumptus in medio grandinis.* Fuerit grando à Deo veniens ad deuastandam terram; fuerit insuper ignis, qui omnia incenderet. Cur tam contrariæ naturæ ignis, & aqua gelida simul conueniunt, vt Ægyptios feriant? Cur aqua non nocet igni, sed illum sibi socium adiungit, & quæ ea natura sua mutuo se expellunt, simul modo gradiuntur, in Ægyptiorum damnum tam inusitatam, & prodigiosam societatem ostendentes? Sanè omnium creaturarum munus est stare pro Dei seruis, vbi autem tanti muneris adimplendi instabat tempus, promptè creaturæ conuenientes proprias simultates, & contrarietates nō meminerunt. Quid pulchrius? Quid moralius, vt strenui viri sciant proprias contrarietates obliuisci, vbi muneris à principe demandati videntur instare tempus? Ait Sapiens cap. 16. *Quod enim mirabile erat, in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat; vindex est enim orbis iustorum.* Expende noui, & inusitati prodigij rationem, nimirum, *vindex est enim orbis iustorum*, hoc est, orbis militat Deo pro iustis, & ideò vbi instabat iustorum defensio, sic conueniunt, & concurrunt vniuersæ creaturæ, & ignitæ, & gelidæ quasi inter se nullam contrarietatem, nullam oppositionem haberent. Ait D. Basil. Sel. orat. 9. *ibi grando cum igne conserta ruebat, & quæ ab ingenio discordant, ita præter naturam concordabant, vt naturalem discordiam contra Ægyptios verterent.* Sic sciunt coniungi contraria in sui principis rebelles. Huc tendit Isaiæ cap. 11. *Iudicabit in iustitia pauperem, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ & percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit iustitia cingulum lumborum eius: & fides cinctorium renum eius. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit.* Expende ordinem, dicit enim, vt Deus stabit pro iustis, & mansuetis, vt arguet impios, vt sibi assumet iudicij vestimentum, quo malos plectat, & bonos defendat. Quid tunc? *Habitabit lupus cum agno, &c.* Vbi enim Deus pro iustis steterit, & lupi, & agni, & pardi, & hœdi & contraria quæque simul accurrent suæ contrarietatis immemores. Accedite huc nobiles principum duces, præstantes Dei serui, & lugete, vel Dei, vel regum, vel patriæ contempta à vobis obsequia, dum occupabamini in propriis simultatibus, & contrarietatibus acuendis. Hæc est pestis boni communis, hæc est pestis diuini obsequij, hæc est pestis regalis seruitij quod strenui viri, vt se propter proprias simultates mordeant, regalia munera, obsequia Dei, communia bona contemnant. Hanc maculam à viris religiosis sui temporis nititur expellere Nazianzenus. Accusabantur enim Catholici ab Hæreticis Arianis, quod inter se maximè dissiderent, & magnas nutrirent contradictiones, & simultates. Fatetur hoc in Catholicis malum Nazianzenus, quod discordes essent, & maxime contrarij inter se; verum illud addit ad maximam discordantium laudem, quod vbi fidei, virtutis, religionisve causa instabat, ibi vniuersi conuenirent nullarum memores simultatum. Sic enim ait orat. 2. de Pace: *Nos ob pulchram quoque concordiam colimus, vt vnanimes, vnoque ore Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctū glorificemus, idque de nobis prædicetur, quod verè in nobis sit Deus, eos, à quibus vnitur, vnit. Verum aliis de rebus contentio inter nos fuit, male etiam id quidem.*

Chrysost.
Sap. 16.
Basil. Sel.
Isai. 11.

Non

Non negat sanctus suorum contrarietates, simultates, & oppositiones, quibus sese mutuo impetebant; at acerrime negat illas simultates in causa fuisse, quod circa virtutis, fideique defensionem minus acres, & magis conniuentes essent. Quin potius, quantuncumque contrarij fuerint, cum res virtutis, aut fidei instabant, sic proprias contrarietates obliuiscebantur, sic vnanimes accurrebant, vt in summa concordia esse viderentur.

Exod. 9. Misitque Pharao, & vocauit Moysem, & Aaron, dicens ad eos: Peccaui etiam nunc. Dominus iustus, & ego, & populus meus impij. Orate Dominum, vt desinant tonitrua Dei, & grando, vt dimittam vos, & nequaquam hic vltra maneatis. Ait Moyses: Cùm egressus fuero de vrbe, extendam palmas meas ad Dominum, & cessabunt tonitrua, & grando non erit, vt scias, quia Domini est terra. Noui autem quod & tu, & serui tui nec dum timeatis Deum, &c.

§. XV.

Humilis confessio propriæ infirmitatis, & malitiæ plurimum apud Deum valet.

SAnè vt bene notat D. August. requirebat Moyses in Pharaone timorem Dei filialem, sed vir nequam seruiliter timebat pœnam suam, & flagelli acerbitatem. Cur ergo ei acquiescit Moyses, imò & Deus, & tollit ab eo plagam? Hæc erant verba humiliati regis: *Peccaui etiam nunc. Dominus iustus, & ego, & populus meus impij. Orate dominum, &c.* Vbi sic se deiicit rex, sic suam malitiam, & impietatem humiliter protestatur, non miror, quod à Moyse, imò à Deo obtineat abolitionem pœnarum. De peruersissimo Achab dicitur 3. Reg. 21. *Dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite. Et factus est sermo Domini ad Eliam dicens: Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum, &c.* Et quidem sciebat Deus peruersissimum Achabi animum, & eius seruilem timorem; tamen vbi se humiliauit, & humiliatus coram Deo incessit protestans suam malignitatem, liber euasit à malo denuntiato. Ex quo merito D. Basil. Sel. orat. 28. extollit potentiam humilitatis: *Etsi plures saluti congruant modi, tamen omnibus humilitatis ornamentum conuenit. Eâ comite continentia in admiratione est, & fides fit amabilior, & iustitia purgatior, & verior misericordiæ fructus, & pœnitentia tunc creditur, quando cum humilitate coniuncta est. Idèo primates sanctorum dignitatem aliquam supra naturam consecuti, tunc vel maximè humilitatem respiciunt.* Sic de humilitatis professione venit, quod & omnia pulchra, & omnia acquirãtur, vel conseruentur sublimia. Vbi humiliantem se hominem vides, quidquid magnum, quidquid splendidum, & diuinum, puta ostendendum in illo. Notum est colloquiũ illud inter Deum, & Abrahamum Gen. 18. vbi Abrahamus petebat à Deo, vt furorem suum temperaret aduersum Sodomitas, & Deus Abrahamo acquiescebat in multis. Eò tandem deducta res est, vt Abrahamus dixerit: *Quia semel incepi, loquar ad Dominum, cum sim puluis & cinis. Quid si minus quinquaginta quinque iusti fuerint? Delebis propter quadraginta quinque vniuersam vrbem? Et ait: Non delebo, &c.* Quid maius dici potuit de homine iusto? In Dei familiare colloquium admittitur, cum Deo quasi cum amico, & familiari loquitur, eius temperat iram, vnde hoc? Id faciebant verba illa, *cum sim puluis, & cinis.* Accipite pulcherrima, & elegantissima Diui Basilij Sel. verba, qui ad hæc dicit orat. 28. *Congressa est aliquando cum Deo creatura, colloquebatur, & oratio vicissim ab vtrisque sine honoris discrimine ferebatur, at cernere erat rem insitatam linguam è luto ausam cœlestia loqui, & Deum impigre respondentem homini terreno. Hæc enim parta ab humilitate lucra homines in altum euehunt, & Deo perfundent, vt cum hominibus verba faciat. Quando igitur Abraham suo illi sermoni prætexuit: Sum puluis, & cinis, tunc naturæ agnitione naturæ terminos est merito supergressus.* Quid pulchrius? Non parua expectes ab eo, qui se paruum putat, & suam infirmitatem publicat. Contemptis maioribus Isai filius quærebat Samuel à patre, an reliquus esset alius filius, qui possit designari in regios triumphos. Cui pater quasi per despectum respondit 1. Reg 12. *Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oues.* Videte quæ coniungantur: *est paruulus & pascit;* de quo ait sapienter D. Greg. PP. lib. 6. in præcenti: *Merito ergo non solum paruulus, sed pastor asseritur, quia qui vere humiles sunt, serui se deiiciant, sed per internam societatem in summis & æternis pascuis immorantur. Nam scriptum est, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Qua autem gratia, nisi vt summa videant, & cognoscant, cognoscant, & diligant, atque ad ipsa dilecta quasi pingues, & fortes currant?* Nunquam humilitas non valet apud Deum, vt ex illo aliquid magnum acquirat.

3. Reg. 21. — Basil. Sel. — Gen. 18. — Bas. Sel. — 1. Reg. 12. — D. Greg.

§. XVI.

Potestatis diuinæ agnitio efficacissima est ad impetrandum.

AD parua Pharaonis verba, statim ei tempestatis cessatio promittitur, & quæ fuerunt verba, quæ à Deo obtinuerunt immunitatem tam citam? Ait: *Peccaui etiam nunc. Dominus iustus, ego, & populus meus impij. Orate Dominum, &c.* Tunc petit sanctorum patrocinium, cùm ipse diuinæ iustitiæ cognitionem præmittit: facit enim agnitio potestatis diuinæ orationem esse efficacissimam. Dum mater Iesu in nuptiis orabat filium pro supplendo defectu vini, Ioann. 2. respondit Iesus: *Quid mihi, & tibi mulier? Nondum venit hora mea.* Sed quæ hora aptior erat Deo ad præstandum, quam ea, in qua mater postulabat? Quæ circunstantia temporis promptiorem Deum redderet, vt matri in hac valle lachrymarum supplicanti pro miseris annueret? Pulchrè illam indigitat Euthym. aiens: *Nondum adest tempus meum: tunc autem aderit, cum ij, quibus opus est miraculo, cognouerint, quod talia possim operari, & ipsi me fuerint deprecati.* Ecce tibi tempus aptissimum ad hoc, vt efficacissime Deus moueatur ad præstãdum, nimirum quando qui suscepturi sunt, cognouerint Dei potestatem, tunc eius cognitionis protestatio, & sanctorum patrocinium, & orationem efficacem facit. Et quid non possit in Deo hæc diuinæ potestatis cognitionis protestatio? Ait Psal. 86 *Memor ero Raab, & Babylonis scientium me.* Raab muliercula erat gentilis tota innutrita peccatis, quibus nõ obstantibus multa à Deo accepit. Et quæ virtutes dicuntur de hac fœmina, ob quas tanta à Deo impetrauerit? Vnam hanc scientiam diuinæ potestatis proponit Psaltes, aiens, *scientium me.* Pro quo ait D. Cyril. Ierosol. Catech. 2. *O magnam Dei benignitatem! Etiam inhonestæ mulieris meminit, in peccatis: sed non simpliciter meminit, verum scientium me.* Itaque & mulier, & peccatrix, vt in eam Dei cognitionem deuenit, vt diuinam potestatem sibi cognitam protestaretur, iam habuit, vnde sui memorem Deum faceret, multaque ab illo beneficia reciperet.

Ioan. 2. — Euthym. — Psal. 86. — D. Cyril.

CAPVT VIII.

Locustarum, & tenebrarum plagæ.

Textus Historia.

SEPTIES furentem tyrannum octauus traxit verber in mansuetudinem; videres namque vorante tenera quæque locusta rigere totam Ægyptum, sed mollescere regem illius adeò, vt persuasus à suis facultatem faceret abeundi Israelitis. Parari viam mandat viris, nec adducitur, vt fœminas, paruulosque abire simul permittat. Vrgebat interea rebellem durissimus nouæ plagæ stimulus, is fuit tenebrarum, sub quibus densatus aer, nihil à tartaro faciebat differre Ægyptum. Tenebantur miseri tenebrarum spissitudine constricti, inter quas horrendum quid singulorum auribus intonat, & subitis fulguribus oculos spectra perstringunt horribilia. Libenter iam impiissimus Pharao permitteret Israelitis, vt simul cum paruulis, & vxoribus proficiscerentur ex Ægypto, dummodo ibi greges ouium, armentaque relinquerent. Præclarus autem Moyses, nec agni vngulam tyranno permittit, quo ille excandescens ira mortem Moysi denuntiat, nisi regium conspectum fugiat.

PARS MORALIS VNICA.

Moralia circa textus literam.

MEREANT Ægypti tenebræ, quæ nostras mentes candido illustrene lumine, dum quod tunc passa est caro, modo spiritus gustet.

Exod. 10. Dixit Dominus ad Moysem: Ingredere ad Pharaonem, ego enim indurauicor eius, & seruorum illius, vt faciam signa mea hæc in eo, & narres in auribus filij tui, & nepotum tuorum, quoties contriuerim Ægyptios, & signa mea fecerim in eis, & sciatis, quia ego Dominus.

§. I.

Quidquid filiis virtutis instillauerit pater, sibi fructuosum inueniet.

EXpende ordinem, nimirum: *Narres in auribus filij tui: & sciatis, quia ego Dominus:* quasi non sufficeret, quod Moyses signa Dei videret, vt in Dei cognitionem veniret, nisi & illa filiis suis narrasset, & illius filios instituisset. Nunquam enim non parentum commodum est, quod in aliqua virtute instituant filios. Pro quo monebat parentes Eusebius Gallicanus homil. de Machabæis. *Duplex vobis commodum erit, cum salus ad filios vestros de vestra salute transierit: vt cum per vos ad illos peruenerit, ex illis ad vos multipliciter reuertatur. Hoc enim bonum laudando non consumitur, sed dilatatur: & magis dum transfertur, acquiritur; at miro modo & transmittitur, & retinetur.* Solent patres, dum bona sua temporalia ad filios transmittunt, egere ipsis, multaque penuria affligi dũ filij locupletes existunt. Quod minime accidit in bonis virtutum; imò quæ à parentibus in filios transmittuntur, ad ipsos parentes redeunt duplicato, imò multiplicato fructu. Quò respiciens Nazianz. orat. 10. de parentibus suis locutus, ait: *Ambo filiorum simul, Christi amantes imo Christi amantiores, quam liberorum; quippe, qui vnum hunc ex liberis fructum caperent, vt à Christo agnoscerentur, nomenque ducerent.* Sanè multa erant fortunæ bona, imò & multæ dotes naturæ iis filiis, at ex nullis bonis veniebat ad parentes fructus, nisi ex eo, quod ex parentum educatione pro Iesu starent filij. Vnum hunc ex liberis fructum capiunt boni parentes. Quo spectat illud 1. Paralipomen. 7. vbi gloriosissimorum parentum dum nominantur filij, dicit textus: *De stirpe Thola viri fortissimi numerati sunt.* Septuaginta autem parenti gloriam, & decus filiorum assignantes legunt: *Ipsi Thola fortes Virtute numerati sunt.* quasi filiorum ille fructus parenti solum adscribatur, qui non à virium venit fortitudine, sed à fortitudine virtutum. Qui virtutibus pollent filij, ij parentibus merito adscribuntur, vt qui non paruum commodum inde recipiant. Quo forsan spectans Elisæus 4. Reg. 2. dicebat ad Eliam: *Fiat in me duplex spiritus tuus.* Optabat bonus spiritum Eliæ duplicatis viribus adolescere, & quale medium proponit, vt sic duplicetur spiritus Elianus? Vnde dicit, *fiat in me*, quasi per hoc solum, quod patris spiritus ad filios transeat, non possit, non ipsi parentibus duplicari. Id quod notans D. Ambr. serm. 2. de Elisæo, fatur: *Pretiosa planè hæreditas, quæ dum à patre transfertur ad filiũ, meritorum quodam fœnore duplicatur.* Veniant huc parentes, & videant, quali modo possint in se augere dona gratiarum, si nimirum illa filiis communicauerint. Tunc nequeunt bona gratiæ in parentibus non apparere duplo maiora, cum ea filiis suis communicata proponunt.

Euseb. — *Nazian.* — *1. Par. 7.* — *4. Reg. 2.* — *D. Amb.*

§. II.

Publici scelerum patratores æterna infamia castigandi sunt.

NOn solùm Dominus supplicium infert Aegypto, sed hoc satagit, vt memoriæ insculpatur æternæ, ait enim, *& narres in auribus filij tui, & nepotum tuorum, quoties contriuerim Ægyptios.* Sic pœnam, & supplicium Aegyptiorum æternari Dominus procurat, & merito, quando isti apertum, & manifestum bellum Deo indixerant. Debent enim publici patratores scelerum æterna supplicij infamia puniri. Nouissima fuit diluuij pœna hominibus primi sæculi inflicta, sub qua vniuersa terra submersa fuit, & aquis suffocata per annũ, quo peracto Genes. 8. *Mense secundo, septimo, & vigesimo die mensis arefacta est terra. Locutus est autẽ Deus ad Noe, dicens. Egredere de arca, &c.* Aquæ exsiccantur, & terra iterum reuiuiscit, iterum hominibus, animalibusque impletur, iterum frondibus, floribusque vestitur, & ditatur fructibus. Non sic Genes. 19. vbi sub cœlesti igne puniuntur Sodomitæ, imò ibi ignis de cœlo *subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terra virentia.* Mansitque ibi perpetuus cinis, & fauilla, vt aiunt communiter, neque vnquam habitabilis facta est terra ista. Sed cur Deus in punitione prima vsus est aquis, quæ penitus effluerent, & nouis terræ fructibus locum permitterent; in secunda autem punitione venit in igne, sic regiones Sodomitarum deuastans, vt nihil inde iam posset sperari vtile? Hi carnales erant, & illis omnis quippe caro corruperat viam suam: sed de Sodomitarum peccato hoc additur, quod fuerit publicatum, & prædicatum ab illis. Ait enim Isaias cap. 3. *Peccatum suum quasi Sodoma prædicauerant.* Merito ergo Deus impudentissimis hominibus, qui aperte peccare non erubescebant, æternæ infamiæ pœnam decernit. Ait Diuus Augustinus lib. 1. de Mirabilibus, cap. 10. *Hoc namque modo conueniebat, vt qui peccatum suum non solum faciendo, sed etiam prædicando palam fecerant, infamem vitam famosa pœna consummarent. Quo vindicta, & hactenus eorundem terram non deserens, dum quali pœna, qui talia agunt, subiacebant, ostendit. Inter istas vero duas primarias in sæculo pœnas, diluuij scilicet, & Sodomitarum, talis differentia deprehenditur, quod vna aqua terra, altera igni punita sit. Nam vna circulo, vnius permanente terra retegitur, per alteram terra adhuc sine cessatione maceratur.* Sequi semper oportet peccandi impudentiã æternæ infamiæ pœna, ne oblitteretur infame insigne supplicij in eis, qui peccatum suum facere palam non erubuerunt. Quo spectans Isai. 3. de Iudæorum excidio loquens, ait: *Ruit Ierusalem, & Iudas concidit: quia lingua eorũ, & adinuentiones eorum contra Dominum, vt prouocarent oculos maiestatis eius. Agnitio vultus eorum respondit eis, & peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt.* Possent Iudæi de extremo suo excidio dolere; & apud Deum interrogare causam eius, dicentes: Quare nos repulisti in finem? Quid tunc Deus? *Agnitio vultus eorum respondebit eis*, nimirum hæc vniuersalis infamia, qua per omnes generationes sunt noti, clarissime manifestauit eorum scelera, quæ vt similia fuerunt Sodomitis in impudentia, sic non potuerunt euadere æternæ infamiæ pœnam. Ait D. Nazian. in Athan. *Vt Sodomitæ quorum scelera vulgatissima fuerunt toto orbe, pœna tamen multo nobilitatior, & vulgatior est, igne & sulphure consumpti sunt. ita Iudæi, quorum facinus illud immane crucis toto orbe nobilitatum est, & pœna incendij tota vrbe vulgatissima est, ferro, & fame, & incendio sunt consumpti, & Sodomitis similes effecti.* Sic supplicij infamia perpetua respondet illis delictis, quæ impudentia summa trahebantur in lucem.

Gen. 8. — *Gen. 19.* — *Isai. 3.* — *August.* — *Isai. 3.* — *Nazian.*

Exod. 10. Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Vsquequo non vis subiici mihi? Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi. Sin autem resistis, & non vis dimittere eum, ecce ego inducam cras locustam in fines tuos, quę operiet superficiem terræ, ne quicquam eius appareat, sed comedatur, quod residuum fuerit grandini, corrodet enim omnia ligna, quæ germinant in agris. Et implebunt domos tuas, & seruorum tuorum. Auertitque se Moyses, & egressus est à Pharaone.

§. III.

§. III.

Charissima salutis via est, quod te subdas, & obedias Deo.

OBedientiæ, & subiectionis defectus ineuitabilia trahit Dei flagella,quæ tunc solum cessant, dantque saluti locum,vbi extorquetur obedientia,& subiectio. Hinc ait Dominus in præsenti homini rebelli: *Vsquequo non vis subiici mihi? Dimitte populum meum. Sin autem resistis,&c.* Ecce tibi tota ratio imminentis periculi, nimirum, quod resistamus Deo: ecce totum quod à nobis requirit Deus, vt terminum punamus inobedientiæ nostræ, quod flagellum auertet, & dabit locum saluti. Manifestè res patet Numer.capite 22. vbi dum pergeret Balaam maledicturus populum Dei,asina vidit Angelum auersum in via cum gladio stricto, & vt vidit minimè restitit,sed statim declinauit à via. Declinantem asinam percutiebat semel, & ter Balaam diuinus. Tunc Angelus: *Cur tertio verberas asinam tuam? Ego veni vt aduersarer tibi, quia peruersa est via tua,mihique contraria, & nisi asina declinasset de via dans locum resistenti,te occidissem.* Ecce tibi in quo fuit salus Balaam sita, nimirum, quod asina eius daret locum Angelo, eiusque se subderet nutui declinans à via. Pulchrè ibi Procopius ait: *Obedientia asinæ Balaamo salus fuit. Ita perit quidquid Deo est aduersum,quemadmodum tenebræ à luce.* Equidem quod Deo resistit,funditus perit; obedientia, & subiectio Deo exhibita potest viam salutis ostendere, imò & ostium prorsus occludere,ne abeamus in interitum. Aiebat Dominus Ioann. 6. *Eum, qui venit ad me, non eiiciam foras, quia de cælo descendi, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Expende rationem, qua non eiiciendi sumus à Deo,nimirum,quia Iesus non facit voluntatem suam, sed in omnibus se subdit paréti,eique obedit. Et cur,quia Christus obediens est,non sumus nos eiiciendi à Deo? Nimirum,vbi Iesus patri obedit, nos similiter docet obedire Deo, qua ratione consequitur,vt qui obedientes sumus,à via salutis non declinemus. Ait D.Greg.PP. lib. 35. in Iob cap. 10. *Cum igitur non suam, sed voluntatem patris facit, eos qui ad se veniunt, foras non eiicit: quia dum exemplo suo nos obedientiæ subiicit, viam nobis egressionis claudit.* Nihil est pene, quod timeas, vbi te Deo subdis; vt nihil est, quod ad virtutem, vitamque conducat, vbi Deo non te præbes subditum. Hinc 1. Reg. 18. *Ædificauit Saul altare Domino. Tuncque primo cœpit ædificare altare Domino.* Sanè & supra capite 13. obtulerat Saul holocausta, & sacrificia,cur modo primùm dicitur litasse? Ait Glossa: *Quia obedienter,& rectè. Superius vero cum increpatus est à Samuele, non dicitur ædificasse Domino,quia inobedienter ædificauit.* Obedientia est, quæ nobis facit bona salutaria,& à ruinæ extremæ periculo nos tutatur. Inobedientia mors est, vnde Ioan. 6. *Murmurabant Iudæi de Iesu*, quorum murmurationem componens D. Cyril. Alex. cum murmuratione eorum, qui in deserto erant Exod. 16. ait lib. 4. in Ioan. cap. 3. *Murmurabant illi aduersus Deum ex ingratitudine in deserto: murmurant, & isti de Christo, & saluatorem suum inobedientia sua vituperant: sed draco venenosus eos mordebit: semper enim in perniciem inobedientia solet exire.* Sic ibi.

Num. 22.

Procop.

Ioan. 6.

Iob 10.

1. Reg. 18.

D. Cyril.

§. IV.

Tunc se Deo excipiendo quis parat, cum impiorum consortium fugit.

DEnuntiat Moyses Pharaoni imminentem plagam locustæ,& protinus ab illo sese auertit: ait enim: *Auertitque se Moyses, & egressus est à Pharaone.* Cur non magis cunctaris? Cur non magis apud regem quiescis? Erat tunc Moysi cura, Dei colloquia excipere, & ideo quamprimùm consortium impij hominis fugit. Tunc enim se quis aptat Deo, cum se auertit ab impiis. Ioann. capite 9. de cæco à Iesu sanato locutus ait: *Eiecerunt eum foras. Audiuit Iesus, quia eiecerunt eum foras: & cum inuenisset eum,dixit ei: Tu credis in filium Dei? Respondit ille, & dixit, Quis est Domine, vt credam in eum? Et dixit ei Iesus; Et vidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est.* Ecce tibi, quanta reuelatio diuinitatis homuncioni fiat, & quidem non vidit hæc quando ad fontem Siloe lutum a[illegible] u positum abstersit, & oculorum recepit lumina, se[illegible] [illegible]c hæc vidit, quando à Pharisæorum communione eiectus fuit. Parat enim hominem Deo excipiendo fuga, quæ de impiorum consortio fit. Ait D. Cyril. Alex. lib. 6. in Ioan. cap. 10. *Pharisæi quidem illum prius cæcum eiiciebant, sed Christus eum suscipiebat. Tunc magis meruit cognoscere Christum, cum eiectus est de consortio inimicorum Christi.* Hic primus gradus est, quo quis se Deo excipiendo aptat, nimirum cum impiorum fugit consuetudinem. Quod animaduertens Dei sponsa Cant. 3. ait: *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni. Surgam,&c.* Vt dilectum inueniat, hoc proponit in primis, nempe, *surgam.* A quo surges ô bona, vt possis Deum reperire? Philo Carpat. ibi: *A prioribus vitæ meæ actionibus surgam; & malorum consuetudine discedam.* Et quidem hoc in primis faciat, qui Deo inueniendo sese aptare procurat, totis viribus malorum consortia fugiat. Hinc Psal. 6. *Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem; quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.* Quæ verba expendens Esychius, ait: *Cernis, quemadmodum Deus tunc preces, ac supplicationes nostras illico exaudiuit, cum ab operantibus iniquitatem, siue hominibus, siue cogitationibus abscesserimus?* Coniuncta hæc solent esse, vt malorum consortia fugiamus, & Deo proximi fiamus, à quo facile exaudiamur.

Ioan. 9.

Cant. 3.

Philo.

Psal. 6.

Exod. 10. Dixerunt autem serui Pharaonis ad eum: Vsquequo patiemur hoc scandalum? Dimitte homines, vt sacrificent Domino Deo suo. Nonne vides, quod perierit Ægyptus? Reuocaueruntque Moysem,& Aaron ad Pharaonem. Qui dixit eis: Ite, sacrificate Domino Deo vestro. Quinam sunt, qui ituri sunt? Ait Moyses: Cum paruulis nostris, & senioribus pergemus, cum filiis, & filiabus, cum ouibus, & armentis. Est enim solemnitas Domini, &c.

§. V.

Nullum est aulicorum patrocinium nisi extortum vi terroris alicuius.

ECce serui Pharaonis Israelitis patrocinantur apud regem,sed tunc patrocinantur,quando miris vexantur plagis. Quippe aiunt: *Quousque tandem patiemur hoc scandalum? Dimitte homines, vt sacrificent Domino Deo suo. Nonne vides, quod perierit Ægyptus?* Non antea suscipiunt patrocinium miserorum, quam videant plagas, & ruinam suam. Sic omnium Palatinorum fert vsus, à quibus nisi vi extorqueas patrocinium,habebis nullum. Nouerat hoc sciolus ille Absalon, qui egens patrocinio Ioab apud Dauidem, cùm semel & bis Ioab ad se non posset adducere,iubet seruis suis,vt segetes Ioab incenderent. Quid tunc? An iratus Ioab segetum suarum ruina factus est hostis Absalonis? Minime, quin potius ea tunc eius suscipit patrocinium, sic enim dicit 2. Reg. 14. *Surrexitque Ioab,& venit ad Absalon in domum eius,& dixit; Quare succenderunt serui tui segetem meam igni? Et respondit Absalon ad Ioab; Misi ad te obsecrans, vt venires ad me,& mitterem te ad regem,& diceres ei: Quare veni de Gessur? Melius mihi erat ibi esse, obsecro ergo vt videam faciem regis:: Ingressus itaque Ioab ad regem nuntiauit ei omnia, vocatusque est Absalon, &c.* Cum obsecrabatur Ioab, despiciebat preces Absalonis, vbi sensit segetis ruinam venit ad Absalonem;& quod magis mirere,eius suscipit apud regem patrocinium. Quis tale speraret de homine affecto iniuria? Sed est hoc ingenium aulicorum, quorum patrocinium tum solum securius habetur, cum vi extorquetur ab illis. Accipite modo duas castissimas fœminas, quæ Israelit suceperunt patrocinium; Iudith vt audiuit afflictionem populi sui, ipsa ea se vocat presbyteros, & principes populi, quibus persuadet fiduciam in Deo ponere,deinde cap. 8. *Dixit illis Iudith, sicut quod potui loqui Dei esse cognoscitis: ita quod facere disposui,probate,si ex Deo est: & orate,vt firmum fiat, &c.* Sic mirantibus principibus ipsa sese offert in populi defensionem; vnum requirit, vt populi iuuetur orationibus supplicibus. At Esther simul audiens populi periculum,& cunctatur, & recusat illius subire patrocinium. Tunc Mardochæus sic illam vrget capite 4. *Ne putes,quod animam tuam tantum liberes, quia in domo regis es,præ cunctis Iudæis: si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Iudæi; & tu & domus patris tui peribitis.:: Rursum Esther hæc*

2. Reg. 14.

Esther. 4.

Mardocheo

Mardochæo verba mandauit. Vade, congrega omnes Iudæos, & orate pro me. Vtraque orationes populi petit, vtraque meditatur populi patrocinium; sed Iudith ipsa vocat, & vrget principes, à nullo stimulatur, à nullo vrgetur. At Esther, non prius loqui pro populo satagit, quam Mardochæi verbis feriatur, dum dicit illi, *tu & domus patris tui peribitis.* Vbi Caietan. ait: *Mina sunt diuini iudicij imminentis, si tacueris.* Et cur necessum fuit, quod Mardochæus tantæ cladis timorem Estheri inferret, quando Iudith sine hoc stimulo libens sumebat populi patrocinium? Ipse rationem ostendit, dum dicit illi: *in domo regis es,* erat enim Iudith priuata fœmina, & in priuata domo sua erat, & inde non dubitat in populi defensionem ire; Esther regina erat in domo regis consistens, ne miremur, quod nisi terrore immisso non extorqueatur eius patrocinium, tale enim est ingenium palatiuis. Hinc Iesus meus aliquale patrocinium parans sibi in Regia Pilati, & terrores, & tormenta immittit, ait enim Matthæus capite 27. *Misit ad Pilatum vxor eius dicens: Nihil tibi, & iusto illi. Multa enim passa sum hodie per visum propter illum.* Vbi Euthymius ait: *Non vidit solum, sed & patitur, hoc est, tormento afficitur.* Et quidem Dominus Iesus suauitate, & benignitate sua genus fœmineum excipiebat, ex illoque non parua commoda ad vitam temporalem sustentandam capiebat. Cur cum vxore Pilati non suauitate, sed terroribus, sed tormentis agit, nisi quia nullis aliis palatinorum patrocinium extorqueatur? Qui ergo miser aliquid certum ab iis sperat, oret Deum, vt illis aliquem inferat terrorem, tunc enim solum sapiunt miseris patrocinari.

Caietan.

Matth. 27.

§. VI.

Vtinam agrè feras te sine tuis sistere Deo.

ECce præstantiam virtutis in Moyse, ait enim, *Cum paruulis nostris, & senioribus pergemus, cum filiis, & filiabus, cum ouibus, & armentis. Est enim solemnitas Domini.* Et quidem, vbi solemnitas Domini est, præclare agit, qui non fert ibi sine suis omnibus esse. Cum Nazianzeni mater infideli viro esset copulata, id magnum de illa dicebat Nazian. orat. 19. *Nec propter incredibilem quamdam fidei magnitudinem, cum diuersa religionis homine iugum ducere sustinebat, verùm hoc vnum æquo animo ferre non poterat, se dimidia tantum ex parte, ob segmenti sui auersionem, Deo copulari.* Expende, quod sibi intolerabile putabat fœmina religiosa, nimirum quod non cum marito suo, cum consorte adstabat sacrificatura Deo, sed quod maritus in vitiis permaneret, dum ipsa curreret ad Dominum. Et sanctè, & piè hoc vnum ferre non poterat. Vtinam vniuersi patresfamilias, aut matres simili afficerentur dolore, nec ferrent esse auersos à Deo, aut consortes, aut filios, aut famulos, dum ipsi se sistūt Domino. Nec dimidia tantum ex parte, sed cum omni domo sua sese Deo copulent. Hinc parentes suos inducit ipse Nazian. lætantes in morte Cæsarij iunioris filij. Et cur moriente filio patres ad lætitiam currunt? Ait Nazian. orat. 10. *Vt præmisso filio, cui propter ætatis lubricum magis timebant, ita etiam ipsi securo animo vitam claudant, & cum vniuersa domo ad superna transferantur.* Hic erat vnus piorum parentum timor, ne ipsi ex parte dimidia ad Deum irent, manente aliquo filio in incerto vitæ curriculo. Timebant, nedum ipsi Deo apparerent, aliquis filius esset in vitiis; ideo cum iuniorem vident in tuto, lætantur, quod iam cum omni domo sua ad Deum ibunt. Et vtinam nullus parens sustineat coram Deo esse sine liberis. De filiis Iob dicitur capite primo, quod septem essent, & tres [illegible], quod inter se celebrarent conuiuia. Quid tunc? *Cumque in orbem transissent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocausta.* Expende ordinem, non prius surgebat sacrificaturus bonus pater, quin filios conuiuantes admoneret, sanctificaret. Turpe enim esset, quod pater esset multus in offerendo sacrificio, & filios relinqueret immundis vacare conuiuiis. Ait Orig. lib. 1. in Iob: *Mittebat Iob, & mundabat illos, mittebat ad eos, qui in pietatem admonerent, qui iustitiam instruerent, qui Dei timorem docerent, qui testificarentur Dei iudicium terribile. Sic & Iob primum mundabat eos, & ita demum, pro eis hostiam offerebat.* Non sinebat bonus paterfamilias filios vacantes conuiuiis, vacantes luxui, & ipse solus ibat ad sacrificium, sed sacrificaturus, prius curabat, vt mundi, & sancti essent filij. Et quidem per hoc maximè apparet parens ea munditie pollere, qua dignè accedat ad sacrificium, si curet antea, vt & sint mundi filij. Paulus 1. ad Corinthios 11. monebat sacrificaturos: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* De Iobo autem dicitur: *Mittebat ad eos, & sanctificabat illos; consurgensque diluculo offerebat holocausta, &c.* Apostolus iubet, quod sacrificaturus se ipsū probet ante sacrificium, Iob autem non dicitur se sanctificare, sed filios: cur non magis se mundat, se sanctificat? Sane per hoc homo se intelligitur mundare ad sacrificium, quod nec filios relinquit in immunditie. Ait Orig. lib. 1. in Iob. *Primo mundabat, purificabat, sanctificabat filios, & ita demum pro eis hostiam offerebat, vt cunctis in perpetuum ostenderet, quia mundi, & casti, & sancti conderent sacrificia, vt sanctè, & dignè immolata, sanctè atque dignè à sancto accipiantur. Sic namque & Apostolus post hæc dicit: Probet seipsum homo, hoc est, mundet semetipsum, & ita de sanctissimis sacrificiis fruatur.* Et merito tunc intelligitur homo se mundare, & probare dignè ad sacrificia diuina, cum ante illa, nititur mundare, & sanctificare filios, ne sacrificāte patre illi maneant immundi. Nunquam enim filiorum immunditiæ non inuoluet parentes suos. Res patet in Heli filiis; Heli bonus Dei sacerdos, filij pessimi erant. Heli domi erat solicitus pro Dei cultu; filij eius erant in prælio, Dei hostes, & inimici. Venit nuntius ad patrem, qui diceret, in quam ruinam impulissent filios scelera sua, vt mortui concidissent. Quid tunc pater? Ait textus, 1. Reg. c. 5. *Cecidit de sella retrorsum, iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est.* Vbi pulchrè D. Proclus epist. ad Ioann. Antiochenum, fatur: *Senex in amentum tempestate naufragium passus est, pro quibus affectum non gubernauit increpatione.* Sanè dū tēpestas excitatur in naui, propter transeuntes, nequit nauclerus etiam sapientissimus, & vigilantissimus non inuolui illa. Ita paterfamilias licet ipse per se bonus sit, & optimus, in naufragio filiorum vix potest non perire. Vnde qui se in tuto asserere cupiat, dum ipse virtuti incumbit, non relinquat filios in vitiis.

Nazian.

Nazian.

Iob 1.

Origen.

1 Cor. 11.

Origen.

1 Reg. 5.

§. VII.

Paterfamilias tunc Deo festum agit, cum totius familia gerit curam in Eucharistico cibo, in pauperum alimentis.

QVi Deo festum agere cupit, hoc efficiat, vt nec minimus familiæ suæ maneat festi expers. Sic enim cauet Moyses: *Cum paruulis nostris, & senioribus pergemus, cum filiis, & filiabus, cum ouibus, & armentis. Est enim solemnitas Domini, &c.* Quasi hoc pertineat ad festum, & solemnitatem gratam Domino, quod nullus familiæ, nec pusio filius, nec filia, nec languidus senex, nec vilis seruus abstineat à festo. Huc spectabat lex Deuter. cap. 16. dicens: *Septem diebus Domino Deo tuo festa celebrabis, in loco quem elegerit Dominus.* Quæ verba sic Græcus apud Origenem constat: *Septem diebus celebrabis diem festum Domino Deo tuo, & epulaberis tu, & filius tuus, & filia tua, & seruus tuus, & ancilla tua, & aduena, qui est in te, & egenus generis tui.* Itaque nullus relinquitur, nullus excluditur ex iis, qui triuerint limina boni patrisfamilias, qui festum non participet, vbi gratus Deo agitur festus dies. Ex quo monet Orig. lib. 1. in Iob: *Ita debemus etiam nos, ô amici, in diebus festis nostris, atque iucunditatibus non solum hoc respicere, quomodo nos soli epulemur, atque iucundemur: sed hoc præsertim debemus intendere, vt epulentur nobiscum, & celebrent diem festum nostrum serui nostri, & ancillæ, & clientes nostri, & egeni, & pauperes vniuersi, & celebremus diem festum Domino Deo nostro. Si enim celebraueris tecum diem festum, & epulatus fueris tecum seruus tuus, & ancilla tua, & pauperes, & egeni, pro certo scito, quod Domino Deo tuo diem festum celebras.* Illa est profectò solemnitas Deo grata, ille dies festus gratissimus, quo paterfamilias non patitur abstinere filios, nec seruos, nec ancillas ab epulis diuinis. Quando enim paterfamilias facit, vt filij, & ancillæ, & serui cœlestibus gaudeant epulis; insuper & aduenas, & pauperes adhibet mensæ suæ, tunc festum, & solemnitatem agit Deo gratissimam. Non enim est Dei solemnitas in familia, in qua vel filius, vel seruus, vel quilibet alius abstinet à festiuis epulis. Vnde Paulus ad Corinth. 1. cap. 11. ait: *Conuenientibus vobis in vnum iam non est Dominicam cœnam manducare. Vnusquisque suam cœnam præsumit ad manducandum, & alius quidem esurit, &c.* Ecce tibi Corinthios conuenientes in Ecclesiam, vt festos dies agerent, tam in Eucharisticis, quam in temporalibus epulis ad Dominicæ cœnæ exemplum; & eos pungit Apostolus, quod longe absint à festo Dominicæ cœnæ. *Non enim, ait, est Dominicam cœnam manducare.* In quo isti deficiebant à tanto Dominicæ cœnæ festo? Sanè in cœna dominica & Dominus, & omnes pariter discipuli accumbebant mensæ; nullus ibi ieiunus relinquebatur, nec filius, nec seruus, nec Iudas ipse. Corinthiorum autem mensa, longe aliter fiebat, vnusquisque seorsum relictis pluribus aliis ibi faciebat epulum: quo nihil habebant de dominica mensa,

Deut. 16.

Origen.

1 Cor. 11.

nihil

Chrysost. nihil de Dei festo. Ait D. Chrysost. hom. 27. *Non est dominicam cœnã manducare, ad illã nos nostrô relegant, in qua admirãda mysteria Christus tradidit: etenim illa cœna communiter omnes habuit inclusos. Atqui non tanta differẽtia est diuitum, & pauperum, quanta magistri, & discipulorum. Et quid dico magistri, & discipulorum? Cogita differentiam magistri, & proditoris. Veruntamen magister cũ discipulis accumbit, neque proditor eiectus, sed ciborum factus est particeps. Inde interpretatur, quomodo non est dominicam cœnam manducare* Ex eo quod aliquis relinquitur, vel non relinquitur, coniectare licet, quis celebret cœnam Domini. Vide in cœna Domini, in Paschæ festo, vt Dominus cum omni familia sua, cum omnibus familiaribus suis, nullo excepto, nullo relicto facit pascha, facit cœleste cõuiuium. Et inde coniice, si tu facias pascha Domini; si dum tu cœlesti mensæ assides, facis, vt nullus sit in domo tua, in familia tua, qui non assideat simul, dominicam cœnam manducans, vere facis Pascha Domino. Verum si dum tu accumbis, tui absunt; & te saturo esuriunt famuli, esuriunt egeni, proculdubio id est, iam non manducare dominicam cœnam.

Exod. 10. Et mane facto ventus vrens leuauit locustas. Quæ ascenderunt super omnem terram Ægypti, & sederunt in cunctis finibus Ægyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerunt, nec postea futuræ sunt. Operueruntque vniuersam superficiem terræ vastantes omnia. Deuorata est igitur herba terræ, & quidquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiserat. Nihilque omnino virens relictum est in lignis, & in herbis terræ in cuncta Ægypto.

§. VIII.

Nil pulchrum non destruit adulatio.

Ecce sub vento vrente locustæ exurgunt, quæ vniuersam Ægyptum fructibus, floribus, herbis nudant. Ait enim: *Operueruntque vniuersam superficiem terræ, vastantes omnia. Deuorata est igitur herba terræ, & quidquid pomorum in arboribus fuit,* &c. Et quæ locustæ hæ, sic ore potentes vastare omnia? Pulchrè D. Greg lib. 31. moral. c. 12. ait, *Locustarum nomine adulantium lingua signatur.* (Greg.) Et fallar, si quæ lingua pestilentior ad vastandum, ad perdendum, quam lingua adulantium De Holopherne dicitur Iudith c. 2. *Profectus est ipse & omnis exercitus, cum quadriga, & equitibus, & sagittariis, qui operuerunt faciẽ terræ, sicut locustæ.* Ecce sagittarij isti, vt operiunt terram, sicut locustæ; quos miratus Tilmannus in Allegoriis, ait: *Sagittarij Holofernis,* id est, *diaboli, sunt adulatores. Lingua enim adulatoris ad modum locustæ totum virorem gratiæ depascit.* Nulla herba viret, nullus flos candet, nullus fructus relinquitur, vbi apparet adulatoris lingua. Quo spectat Prouerb. 27. aiens: (Prou. 27.) *Qui benedicit proximo suo voce grandi de nocte consurgens, maledicenti similis erit.* Quæ sic expressius redduntur apud Tigurinam: (Tigur.) *Laudans proximum suum magna voce, mane surgentè, reputabitur, ac si execratus eum fuisset.* Sanè vt quæ sub execratione, & maledictione sunt, solent arere, marcescere, sic quæ adulatoribus sermonibus tanguntur, in maciem, & extremam ariditatem ibunt. Cui maxime consonat Hierem. cap. 11. inquiens: (Hier. 11.) *Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocauit Dominus nomẽ tuum; ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea, & combusta sunt fruteta eius.* Et quæ loquela grandis sic vberem oliuam depasta est, & redegit in cinerem, nisi adulatoris sermo? Ait D. Greg. (D. Greg.) PP. hom. 21. in Ezechiel. *Vox grandis loquelæ est fauor adulantis. Ad vocem ergo loquelæ grandis exarsit ignis in ea, quia in magnitudine fauoris, flamma in corde accenditur de amore laudis. Sed omnia oliuæ fruteta comburũtur, quia ante omnipotentis Dei oculos, vel quæ bene gesta, vel quæ scienter sunt dicta depereunt, cum iam non amore Domini, sed intentione transitoria laudis fiunt.* Sic sermo adulatorius omnem virtutum virorem destruit, nihilque vigere sinit. Et fallar, si qua lues pestilentior, & plaga acerbior inueniatur ad pulchra quæque, & optima deuastanda. Apud Ezechielem cap. 34. querebatur Dominus de pastoribus, qui pinguiora occidebant, aiens: (Ezech. 34.) *Quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis.* Et quando pastor Ecclesiæ occidet crassiora, nisi quando diuites, & potentes laudando prædicat, quos, & securius, & vtilius caperet? Ait D. Hier. (Hieron.) *Quod dicit, quod crassum est, occidebatis, de diuitibus loquitur, quos mali pastores in Ecclesiis singulare narrantur, dum eos prædicant, & vitia eorum increpare non audent.* Equidem præsentissimum malum est adulatorum laudatio, quæ possit celsissima quæque in ruinã trahere. Id optime callebat vafer ille tentator, de quo ait Matt. cap. 4. (Matth. 4.) *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum supra pinnaculũ templi, & dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum, scriptum est enim, quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te.* Non vtcumque præcipitium suadebat, sed illud præcipitium, à quo liberaretur Angelorum manibus. Petebat namque tentator, quod Iesus spectante populo sese daret Angelorum manibus sustentandum, vt sic descenderet à templi pinnaculo. Et quid hoc interesset Sathanæ? Quod diaboli lucrum esset, quod Iesus Angelorũ manibus sustentatus videretur à populo? Non enim tũc populus magis Iesu virtutem laudaret. Nonne totus quantus erat populus magnis illum prosequeretur laudibus? Quid hoc lucri afferret diabolo, quod Iesus exponeretur clamoribus laudantium? Equidem multum inde lucrum sperabat diabolus, sciens laudum humanarũ venena, quæ floridissima quæque aut perire, aut marcescere faciunt. Ait D. Cypr. sermone de ieiunio, & tentatione Saluatoris, fatus: (Cypr.) *Experientia diabolus didicerat, & in multis probauerat vitiorum victores sæpe nugis laudantium corruptos, & cognatum, propinquumque esse malum virtutibus adulationem, nec facile quemquam posse euadere, quin libenter assentatorum canticis porrigat aures, & laudatorũ modulationibus delectetur. Hoc generale malum in humano genere Sathan putabat suggerere saluatori, vt popularibus laudibus vellet attolli, si vectoribus Angelis sustentatus se filium Dei comprobaret. Huiusmodi consiliis filios hominum corrumpere consueuerat.* Nec miror, quod Sathan adulationis telum potissimum æstimet ad corrumpendum, quando Iesus nullum tanta violentia repellit. Ioan. cap. 8. (Ioann. 8.) *Dixerunt Iudæi, Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es, & dæmonium habes? Respondit Iesus. Ego dæmonium non habeo.* Quis mitior in respondendo ad contumelias? Sed Matth. 21. accedunt Pharisæi (Mat. 21) dicentes: *Magister volumus à te signum videre. Qui respondens, ait illis: Generatio mala, & adultera, &c.* Quid seuerius? Cum dæmoniacus vocatur, mitis respondet; cum magister & prædicatur, & habetur, tunc durus, tunc seuerus? Et quæ huius ratio? Chrysost. homil. 44. in Matth. ait: (Chrysost.) *Cum illi aspere, atque contumeliose interrogant, iucundius, atque humilius respondet: cum vero assentantur, tunc non mediocri vtitur acrimonia. Volebat enim nulla ira concitatur, eodem autem modo adulationibus non delinitur.* Acris sit, & acerbus in adulatores, quisquis velit non deliniri adulationibus.

Exod. 10. Quamobrem festinus Pharao, vocauit Moysem, & Aaron, & dixit eis: Peccaui in Dominum Deum vestrum, & in vos. Sed nunc dimittite peccatum mihi, etiam hac vice, & rogate Dominum Deum vestrum, vt auferat à me mortem istam. Egressusque est Moyses de conspectu Pharaonis, & orauit Dominum. Qui flare fecit ventum ab occidente vehementissimum, & arreptam locustam proiecit, &c.

§. IX.

Prius peccatis tollendis incumbat, qui mala temporalia pellere nititur.

Sapit in hoc tyrannus barbarissimus, qui dum optat mortem molestissimam tollere, nihil priùs curat, quam se peccatis eximere. Quippe ait: *Peccaui in Dominum vestrum. Sed nũc dimittite peccatum mihi, & rogate Dominum vestrum, vt auferat à me mortem istam.* Non antea agit de auferenda plaga, quam de peccatis auferendis. Quid sapientius? Vtinam ab hoc barbaro discerent vniuersi ægri, atque afflicti, & prius cogitarent de tollendis peccatis, quam de tollenda ægritudine. Ecce tibi Ioann. 11. Lazarum, & ægrum & defunctum, quem vt liberaret à morte, venit Iesus, inuenitque sorores eius flentes. (Ioan. 11.) *Iesus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos, qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, & turbauit se ipsum, & dixit: Vbi posuistis eum? Dicunt ei, Domine veni, & vide. Et lacrymatus est Iesus.* Ad quid tot lacrymæ, tot gemitus, tot turbationes

Ieſu? Venis Domine vt Lazarũ mortis plaga eripias, cur antea lacrymaris? Cur non magis feſtinas, vt amicum ſuſcites? Cur cunctaris in lacrymis effundendis prius quam morti, & ægritudini imperes? Sapienter *D. Amb.* D. Ambroſ. lib. de Ioſeph, cap. 10. inquit: *Turbatus eſt nunc, ſicut habes in Euangelio, quia turbauit ſe ſpiritu cum Lazarum reſuſcitaret, & ibi fleuit, vt prius lacrymis ſuis mortui delicta lauaret.* Exſuſſitaturus Dominus mortem, & ægritudinem ab amico, hoc in primis curat, vt eius caſuffiet culpas, nos inde docens diligentiam primam, & efficaciſſimam pro malis temporalibus abigẽdis in eo eſſe ſitam, quod curemus ablui à culpis, & delictis. *Matt. 8.* Matth. 8. dicit: *Veſpere autem facto obtulerunt ei multos dæmonia habentes & eiiciebat ſpiritus verbo, & omnes male habentes curauit, vt adimpleretur, quod dictum eſt per Iſaiam prophetam dicentem: Ipſe infirmitates noſtras accepit, & ægrotationes noſtras portauit.* Chryſoſt. Theoph. Euth. & communiter Patres putant Iſaiam ibi locutũ fuiſſe de infirmitatibus, & ægritudinibus animæ, nimirum, de peccatis. Quomodo ergo Matthæus dicit verba Iſaiæ impleta in curatione corporalium infirmitatum? Erat quidem hoc in Chriſti curationibus commune, vt primus Chriſti conatus, & principalis eſſet circa tollenda peccata; nec vnquam ad mala corporis abigenda proceſſit, quin antea ſpectaret ablationem peccati. Vnde quod de peccatis auferendis dixerat Iſaias, præclarè adimplebatur in depulſione corporalium infirmitatum. Quò ſpectans *D. Baſil.* D. Baſil. in regula breuior. 177. ait: *Scriptum eſt. languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. quod eos, in quibus hæc erant, curauerit etiã hoc in loco pœnitentia modus, & ratio conuenit.* Expende, quo loco putet ſanctus Doctor explicari pœnitentiæ rationem, nimirum loco, quo explicãtur corporales curationes, quæ vt certius fiant, prius per pœnitentiam fiat abolitio peccatorum. *Luc. 5.* Hinc Luc. cap. 5. paralytici hominis ſanitatem procurabant nonnulli extorquere à Domino; *Quorum fidem vt vidit, dixit: Homo remittuntur tibi peccata tua.* Quid ais Domine? Illi non meminerunt hominis ſcelera, ſed paralyſis morbum. Cur tu nihil locutus de morbo, ante omnia ſcelerum illius facis remiſſionem? Cur non magis dicis, eripitur tibi morbus, quam remittuntur peccata? Vt vera, & firma ſit morbi curatio, ſapientiſſimus medicus nil prius facit, quam ab eius anima *Ambroſ.* tollere peccata. Ita D. Ambr. lib. 5. in Luc. fatur: *Vt vere paralytici iſtius corpus credamus eſſe ſanatum, cognoſca tamen interioris hominis ſanitatem, cui peccata donantur.* Hæc peccatorum abolitio, animæque ſalus præcedens oſtendit veram, & firmam futuram corporis ſanitatem.

§. X.

Vel imperfectus Dei timor diſponit hominem ad diuina beneficia excipienda.

SVb ſupplicio tremens Pharao verbis peccati ſui dolorem publicat, & Moyſes ſtatim illi miſericordiam impertitur. *Egreſſus eſt Moyſes de conſpectu Pharaonis, & orauit Dominũ. Qui ſtare fecit, &c.* Sanè non perfectè pœnituerat hominem impium, ſed ſolo pœnæ horrore coactus parua illa verba pœnitudinis dixerat, cur ergo tam promptus Deus illi accurrit, & plagam tollit locuſtæ? Tantumne apud Deum valet, vel imperfectus, vel ſeruilis timor in homine peccatore exiſtens? Equidem peccator licet ſis, dum aliqualem Dei timorem etſi imperfectum exhibeas, iam inde diſponeris, vt multa ex Deo conſequaris beneficia. Veneficus, & peſſimus erat Balaam, qui mercede conductus dum iret maledicturus Iſraelitas, aperuit Dominus oculos eius, & vidit ex aduerſo Angelum Dei cum euaginato gladio minitantẽ duriſſima. Sub quo periculo attonitus peruenit ad Regem Balac, iubet aras ſtrui, quę regę placeant, quantum eſt ex ſe, locuturus. Sed dum hęc *Num. 23.* aguntur Num. 23. ait textus: *Dominus autem poſuit verbum in ore eius, & ait, &c.* Quantum hoc? In ore malefici hominis, in ore impij, & peruerſiſſimi Dominus ſuũ verbum ponit? Cur non magis cauet Deus fœtidum, & ſpurcum os maledicentia plenum? Pulchrè ad hæc ait *Procop.* Procop. in Gloſſa: *Animus ille apparatus eſt: metu enim apparitionum adornatus fuerat.* Nec miror, quod vbi timoris etſi imperfectiſſimi præceſſerat ornatus, diuinorum beneficiorum capax fieret. Qui enim Dei timor in homine exiſtens eum capacem non reddit beneficij diuini excipiendi? Hinc *Geneſ. 7.* Geneſ. 7. *Factum eſt diluuium quadraginta diebus ſuper terram.* Cur non breuiori tempore tantum malum claudebatur? Nõne poſſet Deus, vel vnico diluuij terram ſubmergere? Cur rem per quadraginta dies amat differre? Ait *Chryſoſt.* D. Chryſoſt. homil. 24. ibi: *Quid? Non erat ei poſſibile, vt vno die totam pluuiam induceret? Quid, inquam, vno die? Vno momento poſſet: ſed hoc dedita opera fecit, volens ſimul, & timorem incutere, & occaſionem præſtare, qua poſſent pœnam, quæ in foribus eſt, effugere.* Expende illud, *& timorem incutere, & occaſionẽ præſtare, &c.* Namque in quo timor Dei incuſſus eſſet, nõ puterat, non eſſe occaſio, qua aliquod Dei beneficium reciperetur. Sic Iudæi multo flagello contriti dicunt Iſaiæ cap. 26. *Iſai. 26.* *Sic facti ſumus à facie tua Domine. Concepimus, & quaſi parturiuimus, & peperimus ſpiritum.* Vbi Septuag. in rem noſtram. *Propter timorem tuum Domine in vtero concepimus, & parturiuimus, & peperimus ſpiritum ſalutis tuæ.* Ex quo Theodorus in cat. Græc. in Pentateuchum, ait. *Theod.* *Oſtendit vtilitatem, quæ ex metu Dei percipitur. Accipientes enim timorem tuum, velut bonum ſemen, & hunc in vtero geſtantes, opportuno tempore ſalutem reportabimus.* Eſt ſemper timor Dei in animis noſtris bonum ſemẽ, cui ſi adoleſcere liceat, non dubito, quin nos approximet Deo. Hinc Matth. 8. *Matt. 8.* dum coorta tempeſtate nauicula Apoſtolorum operiretur fluctibus, *Acceſſerunt ad Ieſum, & ſuſcitauerunt eum dicentes: Domine ſalua nos, perimus.* Vbi ait D. Baſil. Sel. orat. 22. *Baſil. Sel.* *O timorẽ naturæ magiſtrum! O periculum, quo docetur, vbi ſalutis ſit anchora! O mare exanimatos metu diſcipulos præceptori reconcilians!* Sic ſanctus vir extollit pericula, quæ Dei incutiunt metum, ex quo habemus ad Deum acceſſum, & ſecuritatem in Deo. Vndè monet Nazianzen. oratione quadrageſima. *Nazian.* *Dum ſecundo vento nauigas, naufragium time, & tutior à naufragio eris, adiutorem, & ſocium tibi timorem aſciſcens.* Sic ibi.

Exod. 10. Dixit autem Dominus ad Moyſem: Extende manum tuam in cœlum, & ſint tenebræ ſuper terram Ægypti, tam denſæ, vt palpari queant. Extenditque Moyſes manum in cœlum, & factæ ſunt tenebrę horribiles in vniuerſa terra Ægypti. Tribus diebus nemo vidit fratrem ſuum, nec mouit ſe de loco in quo erat, &c.

§. XI.

Repentina calamitas intolerabilior.

INter vniuerſas Ægypti calamitates hæc tenebrarum calamitas non denunciatur Pharaoni, ait enim textus. *Dixit Dominus ad Moyſem Extende manum tuam ad cœlum, & ſint tenebræ.* Non iubet, vt in alijs, quod antea dicat Pharaoni de tenebris immittendis, ſed iubet, vt ſine admonitione illas quam primum adducat. Non iam Deus remiſſionem parabat in pœnis, ſed augmẽtum, quod maximum fit ex eo, quod calamitas veniat improuiſa, & repentina. Sic 1. Reg. 31. dicitur de Dauide: *1. Reg. 31.* *Cum ergo veniſſet Dauid, & viri eius in ciuitatem, & inueniſſent eam ſuccenſam igni, & vxores ſuas, & filios ſuos, & filias ductas eſſe captiuas. Leuauerunt Dauid, & populus, qui erat cum eo, voces ſuas, & planxerunt donec deficerent.* Mirabar, quod virum bellatorem malis aſſuetum ſic opprimeret calamitas iſta. Quem nec vrſi, nec leones, nec Philiſthæus, nec crebræ Saulis iniuriæ minimè inflexerunt, quomodo potuit modò in lacrymas inflecti, & ſuſpiria? Vnde calamitas iſta ſic molleſecit lapideum aduerſum calamitates virum? Venit hæc illi prorſus inopinata, & repentina, vnde non miror, quod omnibus eſſet intolerabilior. Ait D. Chryſoſt. libr. 3. de Prouid. in Gloſſa: *Chryſoſt.* *Dauid percuſſus verbis Satraparum receſſit mærens, ac domum rediens tãta mala, tot clades offendit, vt pene mærore ſuffocaretur. Ex inſperata enim ſuperuenientia, duplo, quam erant grauiora videbantur, neque iam tolerabilia. Iuerat enim ille quaſi quieturus domi, mæroris prætendit conſolationem inuenturus vxores, ſcilicet, ac liberos; cum repẽte audiuit illos in ſeruitiũ ab hoſtibus abductos, hauſitque oculis, ignẽ, fumum, ſanguinem, cadauera. Tunc triſtitia, & metu iuſti huius perturbantibus animum, tempeſtas maxima, tumultuſque harum paſſionum inerat.* Vides, vt inopinata, & repentina calamitas valuit robuſtiſſimum Dauidis pectus infringere? Equidem intolerabilis ſunt mala, quæ repente ingruunt. Hinc Ieſus noſcẽs Iudæorum rabiem in diſcipulos ſuos, & cupiens ire, vt Lazarum ſuſcitaret in vitam, ait Ioann. 11. *Ioan. 11.* *Eamus in Iudæam.* Non alibi monuit Dominus diſcipulos de profectione ſua in aliquod oppidum, aut prouinciam. Cur modo non arripit iter, quin præmoneat diſcipulos? Erat prouincia illis dura, & periculorum plena, ideò voluit illos præmonere de profectione, ne ſi ſubito ſe viderent ire in pericula, animo caderent, & affligerentur nimis. Ait Diuus Baſilius Sel. orat. 40. *Baſil. Sel.* *Cur tum vnquam profectionem prædicat,*

nunc

nunc prædicit? Nonrepente totos exterminaret. Dicunt enim;cum ibi paulò antea ageres,quærebant te lapidare. Cauit Dominus ne repentina, & inopinata afflictio suos opprimeret;cũ enim eorum ob oculos esset Iudæorum durities,& rabies,si nõ præmoniti inter illos se viderent, non dubito, quin consternationem paterentur nimiam,quod cauens bonus magister, illis prædicit difficultatem suscipiendi itineris. Adeò enim potens est subita,& inopinata calamitas ad consternandos animos,vt hinc maximè extollatur Iobi sanctissimi robur,quod non opprimeretur subitis,& filiorum,& rerum omnium casibus. Dum enim ipse in domo sua floreret,venit, qui renunciaret ruinam ouium, & qui ruinam armentorum renunciaret,& qui filios,filiasque subita tempestate sublatas ediceret. [*Iob 1.*] Tunc Iob cap. 1. *Corruens in terram adorauit, & dixit: Nudus egressus sum,&c.* Quanta hæc fortitudo in subitis casibus? Ait [*Didym.*] Didymus in cat. Græca: *Prorsus animaduertendum est,quemadmodum quæ repente contigerunt, vel ex ipsa renunciatione pondus, atque ad summam animi molestiam vim habeant. Verum etsi propter subitum casum perturbare Iobi mentem hæc poterant, nequaquam tamen in ipsum permouerunt.* Hæc ibi,vt videas,quantum ad infringenda corda valeat subita calamitas.

§. XII.

Splendores mundiales obscurissimis immergunt tenebris suos cultores.

QVid aliud metetent Ægyptij splendentium mundi bonorum amatores,quàm tenebras? Sic ait: *Sunt tenebræ super omnem terram Ægypti tam densæ, vt palpari queant.* Sic mundi amatoribus, sic splendentium mundi bonorum cultoribus [*Act.7.41.*] tenebræ gignuntur palpabiles. Ex Amos cap. 5. ait Actorum cap. 7. *Nunquid victimas, & hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto domus Israel? Et suscepistis tabernaculum Moloch,& Sydus Dei vestri Rempham.* Colebant miseri Molochi statuam regia corona illustrem,pellucidis lapillis instar Luciferi pellucentem, in quo monstrabantur splendidissimum colere Luciferi astrum. Sed illud notandum, quod Sydus istud ab Israelitis cultum,vocatur *Rempham*,siue *Rapham*,quod nomẽ idem est,ac obtenebratio. Et quid tenebræ cum fulgenti,& pellucido Sydere? Cur non magis illud vocant illuminationem,quam obtenebrationem? Non possunt cultores splendorum mundialium negare qualem fructum ab illis capiant, qui semper est obtenebratio, & obscuratio. Quippe ait D. [*Cyr. Alex.*] Cyrill. Alex. in cap. 5. Amos: *Portarunt igitur tabernaculum Moloch,hoc est,regis nostri Rapham,id est,obtenebratio,& excæcatio. Porro Luciferum adorabant;veruntamen adorantibus factum est Raphã, id est,obtenebratio,& obcæcatio. Non quasi astrum in illis operatũ sit tenebras;sed quod illis cultus illius obtenebrationis causa existeret.* Et quando cultus splendorum mundialium tenebras obscurissimas nõ pariat alumnis suis? Proh miser homo, quò magis inhias splendoribus terrenis, eo in obscuriores, densioresque tenebras te præcipitas. Id experiebantur qui dicebant Isaiæ [*Isai. 59.*] cap. 59. *Expectauimus lucem,& ecce tenebræ,splendorem,& in tenebris ambulauimus. Palpauimus sicut cæci, & quasi absque oculis attrectauimus.* Ecce tibi lucis expectatores,nihil aliud metunt, nisi tenebras, & caliginem, & cæcitatem. Et quam lucem expectabant? Ait Hugo Card. [*Hug. Card.*] *Expectauimus lucem,id est, nobis promissimus longam prosperitatem in terra* ne miremur, quòd terrenis splendoribus inhiantes tenebras metant,& obscurissimã cæcitatem,quã frequentissime mũdiales splendores pariunt.

§. XIII.

Non parum castigatur peccator,si quæ animo habet, in corpore patiatur.

QVi omni veritatis luce carebant Ægyptij, ad tenebras adducuntur palpabiles, ait enim: *Factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti. Tribus diebus nemo vidit fratrem suum.* Et quæ hæc pœna? Sanè nihil nouum effectum est, sed quæ erat in eorum animis obtenebratio, qua nec virtutem videbant,nec agnoscebant Israelitas fratres; ea extrinsecus in corpore posita est,qua vehementer castigabantur. Ait Orig. [*Lippom.*] apud Lippoman. *Nona plaga tenebræ sunt,vt mentis eorum cæcitas arguatur.* Et crede mihi in eo vehementissime peccator castigatur,si quæ mente gerit ipse,extrinsecus patiatur: si & tenebræ, & cæcitates animi,dum incumbit peccatis, in corpore appareant. Quod & sæpe facit Deus in impiorum plagis. Sic [*Actor.13.*] Actor. 13. cum Magus Elymas resisteret prędicationi D. Pauli, in illum Apostolus iratus ait: *Et nunc,ecce manus Domini super te,& eris cæcus,non videns solem vsque ad tempus. Et cecidit in eum caligo,& tenebræ.* Vndè in hunc miserum caligo,& tenebrę ceciderunt, nisi quod ex eius animo in corpus deuenit extrinsecus,quæ intrinsecus caligo erat? Sic pulchrè cecinit Arator lib. 2. in Acta.

——Tunc nubila vultum
Cæruleis fixere notis, & pallidus atro
Venit in ora color.

Hæc fuit miseri Magi pœna,quod obscuritas mentis eius,sub qua viuebat, & sese opponebat veritati lucidissimæ, extrinsecus prodiit,& eius apparuit in vultu. Nec dubium,quin durissime castigarentur peccatores,si interni animæ morbi sentirentur extrinsecus in corpora venire. Sic dum cruci Dominus adhæret, dicit Matth. 27. *A sexta autem hora tenebræ factæ* [*Matt.27.*] *sunt super vniuersã terram.* Meritò vniuersa terra quas ignorantiæ tenebras in mẽte habebat,exterius perpessa est. Ait enim Simon de Cassia apud Palacios: *Dantur tenebræ mũdo ignorãti,* [*Sim. Cas.*] *quia mundus eum non cognouit.* Ecce de obscurato mundi corde procedunt tenebræ,quibus suffunditur in morte Saluatoris.

§. XIV.

Vehementer tenebrescit ille,qui in fratres, & proximos crudelis est.

QVæ maior caligo,& obscuritas,quàm quæ tenet hominem crudelem in fratres? de Ægyptiis dicitur in pręsenti: *Factæ sunt tenebræ horribiles in Ægypto. Tribus diebus nemo vidit fratrem.* Ecce vnde expendatur terribilitas tenebrarum Ægyptiarũ,nimirũ,quod *tribus diebus nemo vidit fratrem.* Quid tenebrosius? Equidẽ illi in summis tenebris ambulant,qui malè affecti sunt ad proximos,& fratres. Quò spectans Rup. apud [*Rupert.*] Lippom. ait: *Hæc tenebrarum horribilium densitas rectè Ægyptiis illata est. Ægyptij namque nomine dicuntur,& re,scilicet odio filiorũ Israel,oculi eorum fuerãt obtenebrati.* Quibus erat odiũ tam crudele aduersus proximos Israelitas,non miror,quod & in densissimis tenebris essent. Sic Psal. 135. clamabat immanissimus [*Ps.135.*] tyrannus: *Collocauit me in obscuris sicut mortuos sæculi.* Obscuritatem tenebrosam in se sentiebat, qua immobilis velut mortuus apparebat. Et quæ hæc obscuritas tenebrosa erat nisi eius in fratres crudelitas? Ait D. Chrysost. ibi: *Non vides pauperes quotidie clamantes, & eiulantes,à nemine tamen audiri? Quare* [*Chrysost.*] *non audiuntur? Quoniam collocauit eos diabolus in obscuris sicut mortuos sæculi. Quod enim sunt aliæ tenebræ,& mortis affectio,hoc est eis inhumanitas.* Et meritò inhumanitas in proximos tenebrosa hominis affectio vocatur. Quid enim aliud potest esse in homine sine affectione,& charitate, quàm tenebræ densissimæ, quam caligo magna? Hinc Iudæi clamabant Isaiæ cap. [*Isaie 59.*] 59. *Expectauimus lucem, & ecce tenebræ; splendorem, & in tenebris ambulauimus.* Et quidem in tenebris ambulant, qui exuunt animo fraternam affectionem, & nihil meditantur, nisi crudelitatem. Ex quo D. Cyril. Alex. in Nahum cap. 1 ait: *Facti sunt* [*Cyr. Alex.*] *etiam in tenebris Iudæi,& diuini luminis omnino expertes, fatui,& cæci permanent insolentes. Et quoniam sine affectione, & indomiti erant,idcirco ait propheta; expectantibus illis lucem, factæ sunt illis tenebræ,præstolantes lucem in tenebris ambulauerunt* Expende illud, *Quoniam sine affectione,&c.* Quippè dum affectionis, & charitatis fraternæ expertes erant, non poterant, non in tenebris esse. Res enim est tenebrosa,& caligine plena, quod nõ mansuetudinem,sed duritiem,sed rigores ostentes. Ait Dominus Exod. 19. *Veniam ad te in caligine nubis,vt audiat me populus,&c.* [*Exod.19.*] Sed Matth. 17. vbi Iesus in Thabor erat cum discipulis suis, ait: *Ecce nubes lucida obumbrauit eos.* Illic caliginosa, hic lucida nubes obumbrat, quia illic rigores & seueritates in Dei hostes ostendebantur, hic omnia erant suauia,& mansueta. Ait D. Chrysost. Hom. 57. in Matth. *Quando minatur,tenebrosam ostẽdit,quemadmodum in Sina;intrauit enim in nubẽ,& caliginem Moyses. Et propheta de inimicis eius disserens ait: Tenebrosa aqua in nubibus aeris. Hic verò quia non terrere,sed docere volebat,lucida nebula videtur.* [*Chrysost.*] vbi mansuetudo, ibi lux: vbi rigoris duritiés, ibi caligo,& tenebræ. Quo spectant dicta tom. 3. in Euang. lib. 14. cap. 18. §. 8. à medio.

Exod. 10. Vocauitque Pharao Moysem, & Aaron,& dixit eis: Ite,sacrificate Domino. Oues autem vestræ,& armenta remaneant,paruuli vestri eant vobiscum. Ait Moyses: Hostias quoque, & holocausta dabis nobis, quæ offeramus Domino Deo nostro. Cuncti gre-

ges pergent nobiscum, non remanebit ex eis vngula, quæ necessaria sunt in cultum Domini Dei nostri, præsertim cum ignoremus, quid debeat immolari, donec ad ipsum locum perueniamus. Indurauit Dominus, &c.

§. XV.

Durissima hominis afflictio est, quòd bonis vacuetur, & impleatur filiis.

VIde crudelissimam Pharaonis in Israelitas condescendentiam, quippè ait: *Ite, sacrificate Domino. Oues autem vestræ, & armenta remaneant. paruuli vestri eant vobiscum.* Permittit illos filiorum examinibus plenos abire, sed sine ouibus, sine armentis, in quibus tota illorum substantia consistebat. Quid crudelius? Fallar, si sceristimus hostis aliud durius excogitarit aduersus Hebræos, quam cum illos cum filiis esse iubet, & sine armentis, sine vlla substantia rerum. Hanc duritiem nouit diabolus, qui expugnaturus Iobum cap. 1. primum oues, armenta, & vniuersam eius substantiam consumit, postremo filios eius perdit. *Domus corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt.* Hæc postrema scena tragœdiæ, in qua filij vniuersi mactantur. Prius oues, & boues, & asini, & cameli, & segetes, postremò filij ruinæ dantur. Cur prius armenta, & bonorum omnium substantia tollitur, nisi ad summam afflictionem patris dum se bonis omnibus vacuatum, & filiis adhuc plenum consideraret? Hinc Iobi certamina extollit D. Hieronymus supra præstantissimi viri Iuliani certamina. Sic enim ait epist. ad Iulian. *Audio te in breui tempore duas virgunculas filias tandu pene extulisse funeribus, & pudicissimam, ac fidissimam coniugem tuã Faustinã, in qua post amissos liberos quiescebas, subita tibi dormitione subtractam. Consecuta res familiaris damna: vastationem totius à barbaro hoste prouinciæ, & in communi depopulatione priuatam possessionum tuarum ruinas, abactos armentorum, pecorumque greges, vinctos, occisosque seruos. Hic est catalogus tentationum tuarum, hac cum Iuliano tyrunculo Christi pugna hostis antiqui. Quasi ad te respicias, grandia sunt. Si ad bellatorem fortissimum, ludus, & vmbra certaminum. Beato Iob, &c.* Expende quæso, quàm paria proponantur Iuliani, & Iobi certamina, & quàm superior exprimatur Iob supra Iulianum. Vterque oues, boues, rem familiarem, seruos, & filios amisit: & in tanta ruina, tamque pari certamine, Iulianus tyrunculus vocatur, & Iob fortissimus habetur præliator. An non Iulianus oues, & boues, & omnẽ substantiam, & filios dicitur amisisse velut Iob? Cur ergo certamen Iuliani dicitur, non certamen, sed certaminis vmbra, & ludus? Amisit equidem Iulianus eadem, quæ Iob amisit, sed diuerso ordine, nam Iob prius amisit bona quàm liberos, vt se sine bonis, & cum liberis decem posset prospicere, quod ad summam afflictionem maxime conduceret: at Iulianus prius amisit filias, & vxorem, & postmodum bona amisit, nec ad momentum se vidit cum filiis, & sine bonis, ex quo adeò eius imminuebatur afflictio, vt comparata ad Iobi afflictionem, dici posset, & vmbra, & ludus. Tantum equidem crescit in homine afflictio, vbi se videt vacuatum bonis, & plenum liberis. Merito de diaboli astu in Iob dicebat Diuus Chrysost. hom. 1. *Quæ enim per liberos totaliter plecteret, primum cæpit substantiam perdere. primum cæpit hæreditaria bona viuis hæredibus arripere, quo filiis, filiabusque existentibus, per iumentorum amissionem lethale accipiat iustus mæstitia vulnus.* Nescio, an sit vulnus magis lethale homini ingenuo, quàm bonorum defectus, vbi filij abundant. Sic Gen. 21. dimisit Abraham ancillam vnà cum Ismaele filio, & ait textus: *Quæ cum abiisset, errabat in Bersabee. Cumque consumpta esset aqua in vtre, abiecit puerũ subter vnam arborem, quæ ibi erat. Et abiit, &c.* Dum aqua durauit, non passa est à se filium disiungere; vbi aqua defecit, statim filium abiecit, & ipsa longe ab illo fit. Cur mulier in aquę penuria sic abiicis filium? Cur non magis illum tibi adiungis, vt saltim soletur in matre, qui non habebat, vnde extingueret sitim? Sanè disrumpebatur doloribus, videns, & vtrem vacuum, & maternum sinum occupatum in sustinendo filio. Quippe ait Chrysost. ibi: *Cum aqua consumpta nullam vsquam inueniret consolationem, abiecit puerum subter vnam abietem. Disrumpebantur eius viscera, & dolebat multum ob immodicam erga puerum affectionem.* Quo magis filium amabat, eo vehementius dolebat, ita vt disrumperetur habens secum illum cum omnimoda alimenti penuria. Hinc Ierem. Threo. 2. ponderat ingentem Iudæorum calamitatem, cum qua nulla alia comparari potest. Ait enim: *Matribus suis dixerunt filij, vbi est triticum, & vinum? Cum deficerent, quasi vulnerati in plateis ciuitatis, cum exhalarent animas suas, in sinu matrum suarum. Cui comparabo te? Vel cui assimilabo te filia Ierusalem?* Non equidem est comparabilis cum aliis calamitatibus, vt quæ omnes alias longe superet vna hæc calamitas, quod patribus bona, & alimenta desint, & abundent filiorum examina clamantia pro panibus. Hinc Psal. 127. non antea filios optat iustos, quàm & copiosam mensam panis: *Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* Et simul filij, & mensa farta pro benedictionibus datur. Nec Iob cap. 29. aliter amat filios exoptare, sic enim ait: *Quis mihi tribuat, vt sim iuxta menses pristinos, quando erat omnipotens mecum, & in circuitu meo pueri mei?* Nicetas explicat, *Cum mihi maiorem diuitiarum suppetebat.* Tunc enim solum filij sunt grati in circuitu patris; vbi enim bona deficiunt, potius augent calamitatem.

Chrysost.

Gen. 21.

Chrysost.

Ierem. 2.

Psal. 127.

Iob 29.

§. XVI.

Nil prætermittas ex iis, quæ ad Deum spectant, qui sibi diuinas promissiones amat certas habere.

BOnus diuinarum promissionum assertor, nihil vel minimum prætermittendum putat ex iis, quæ ad Deum pertinent; ait enim. *Cuncti greges pergent nobiscum, non remanebit ex eis vngula, quæ necessaria sunt in cultum Domini, &c.* O vocem exactissimi Dei serui, omnia officia implentis, & omnes promissiones recipientis! Conueniant huc quicumque magna ex Deo excipere contendunt, & sciant tunc sibi omnia euentura certo, cum nihil omiserint ex iis, quæ ad Deum pertinent. Non remaneat, vel vngula ex eis, quæ necessaria sunt ad cultum Domini, & nihil tibi non veniet ex iis quæ promissa à Deo fuerint. Quæ omnia tunc integra obtinebis, cum omnia tua officia impleueris. Abrahamo promissa fuerat in Isaac longissima nepotum clarissimorum posteritas: sed & requisitum ab illo fuerat, quod Isaac in holocaustum Domino offerret. Quid tunc senex? De nocte consurgit Gen. 22. filium excitat, & cum filio pergit in montem, ligna parat, arã struit, ignem apponit, filium ligat, gladium exerit, & iam iam percussurus voce Angeli cohibetur, dicentis: *Quia fecisti hãc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas.* Ecce firmantur Abrahamo promissiones diuinæ: ecce vt illi datur filius ex quo lucidissimi nepotes suo fiant. Sed cur mirer? Omnia ad holocaustum pertinẽtia fuerat in filio executus, nihil prætermiserat, vndè sibi meruit impleri promissiones diuinas. Pulchrè aiebat D. August. apud Lippom. *Parce Abraham, inquit Angelus, parricida sine crimine parce. Ego, quod iusseram, vt obtulisses accepi. In isto probaui, quod in facto tenui. Acceptaui votum, nec repeto sacrificium. Perfecta sunt omnia, & salua sunt vniuersa.* Quid pulchrius? Pondera semel, & ter illam auream sententiam, nimirum: *Perfecta sunt omnia, & salua sunt vniuersa:* vbi nullo relicto omnia holocausta perfecit, saluas sibi omnes diuinas promissiones asseruit. Sic amat Deus à suis omnia officia virtutis compleri, vt nullum prætermittant. Hinc Iudic. c. 2. ait: *Abierunt filij Israel vnusquisque in possessionem suam, vt obtinerent eam, seruieruntque Domino cunctis diebus eius.* Orig. legit: *seruieruntque Domino cunctis diebus Iesu* Expende illud: *Cunctis diebus Iesu,* nullus enim Iesu dies, nulla Iesu virtus prætermittenda est illi, qui gratum amat Deo præbere officium. Ait Orig. hom. 1. in Iudic. *In his omnibus diebus Iesu Domino seruies. Non vult scriptura sancta, vt aliquas virtutes habeam, & alias negligas, sed vt omnibus his virtutibus adornatus, & in earum actibus positus Deo seruiens.* Nihil prorsus remittendum est ex his, quæ ad Dei possunt spectare seruitium. Nec minimus actus virtutum contemnendus est, sed vel minima omnia perficiat, qui ad Deum festinat. Hinc tibi persuade, quod nihil tuum reserues, ex quo non mereris, aliquod seruitium Deo præbere. Habes Luc. 7. Magdalenam, quæ afferens alabastrum vnguenti, & stans retro Iesum *lacrymis cæpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Sed & Matth. 26. dicitur de illa: *Accessit ad Iesum mulier habens alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis.* Quid tunc? Ait ibi Iesus: *Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur, quòd hæc fecit in memoriam eius.* Apud Lucam vnguento vngebat Magdalena, & non audit, quod facinus suum prædicabitur in toto mundo; quod audit apud Matthæum. Et cur potius à Matthæo dicitur, quod Magdalenæ facinus prædicabitur? Nonne, & vtrobique vnguentum pretiosum offerebat? Cur, & vtrobique non ei ad æqualem commendationem cedit? In primo dicitur, quod afferens alabastrum, de eius vnguento vngebat Domini pedes, non

Gen. 22.

D. Aug.

Iudic. 2.

Orig.

Luc. 7.

Origen.

non explicatur ibi, quod non remaneret in vase aliquid vnguenti: at in secundo plena totius vnguenti effusio notatur, *effudit* enim, quidquid in vase erat, nihil ibi relinquens, nihil; nec guttam reseruans, quæ in Dei obsequium non effunderetur. Quod facinus præ illis maiorem commendationem, & prædicationem meruit. Vndè Origen. hom. 35. in Matth. *De muliere secundum Lucam non est dictum, Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit Euangelium hoc in toto mundo, dicetur, quod fecit hæc in memoriam eius. De muliere autẽ secundum Matthæum hoc scriptum est. Iustum enim erat, non de illa quæ vnxerat pedes, sed de hac, quæ vnguentum effuderat super caput eius, dici: Vbicumque prædicatum fuerit Euangelium hoc in toto mundo, dicetur, quod fecit hæc in memoriam eius.* Insignis enim commendatio illud facinus spectare debebat, quo sic totum vnguenti vas effunderet in Dei obsequium, vt nec minima pars illius in vase remaneret. Huc trahe dicta supra tom. 1. lib. 1. cap. 1. §. 29.

Matt. 26.

Exod. 10. Dixit Pharao ad Moysem. Recede à me, & caue, ne vltra videas faciem meam. Quocumque die apparueris mihi, morieris. Respondit Moyses: Ita fiat, vt locutus es: non videbo vltra faciem tuam.

Exod. 11. Et exiuit à Pharaone iratus nimis.

§. XVII.

Quæ à sanctis in peccatores veniunt execrationes, timendæ sunt, vt quæ impleri soleant.

NOn ait Moyses ad Pharaonem, *ita faciã, vt locutus es*, sed, *ita fiat*, quod quasi imprecans tyranno malum, quod ipse sibi volebat ne amplius placabilis in Regiam propheta veniret. Et vt Moyses imprecatur, sic prorsus euenit: non amplius Pharao vidit Moysem ad salutem, sed iam iam periturus illum vidit. Tremendæ equidem sunt imprecationes, & execrationes, quæ à sanctis veniunt, vt peccatores percutiant. Sic 4. Reg. 1. ait Elias ad quinquagenarium: *Descendat ignis de cælo, & deuoret te. Descendit itaque ignis, &c.* Et ibi cap. 4. vidit Elisæus pueros irridentes, *& maledixit eis in nomine Domini: egressique sunt duo vrsi, &c.* Sic Petrus Actor. 5. ad Saphiram: *Ecce pedes eorum qui sepelierunt virum tuum ad ostium, & efferent te:* & ita factum est. Paul. Actor. 13. ad Magum, *Eris cæcus, non vidẽs solem vsque ad tempus. Et confestim cecidit super eum caligo.* Quid plura? Ait ad hæc D. Athanasius apud Anastasium Nissenum, quæst. 75. *Vides quemadmodum Deus suos honorans famulos, exaudit famulos, exaudit preces eorum, & execrationem. Facit enim eorum voluntatem, & exaudit eorum orationem.* Execrationes à iustis prolatæ in malos, à Deo statim solent executioni mandari. Nec raro quidquid iustus imprecatur, Deus operatur. Ex quo aiebat Ecclesiasticus cap. 4. *Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio illius, exaudiet autem eum qui fecit illum.* Miratur forsan Theologus hoc assertum, quod dicatur Deus gratas præbere aures maledicentibus, execrantibus. Et qualiter Deo potest esse grata maledictio & execratio? Sanè, si maledictio à iusto virtutis zelo extorta sit, ea grata est Deo, & quam primum executioni mandatur. Huc Carthus. in præsenti: *Oratio pauperis imprecantis tibi ex zelo iustitiæ mala pœnalia, per quæ corrigaris in hac vita, exaudietur à Domino.* Sic efficax est iustorum execratio, exequente Domino, quidquid petunt sancti aduersus eos, qui nolunt recedere à peccatis. Vt merito dicat D. Athan. vbi supra: *Sic ergo sancti, bonis quidem hominibus, & pii sunt luminaria, & salutares, vt Dominus dicit ad eos, Vos estis lux mundi, & sal terræ. Sceleratis autem, & iniquis, exitiosi, & conciliantes supplicium. Sicut Sol sanos quidẽ oculos illuminat, imbecillos autem obscurat, & facit caligare.* Sic ibi.

4. Reg. 1.
Actor. 5.
Actor. 13.
Athan.
Eccl. 4.
Carthus.
Athan.

§. XVIII.

Diuinorum contemptus à mansuetissimis quibusque iram trahit.

QVis Moyse mansuetior? De illo tamen dicitur: *Exiuit à Pharaone iratus nimis.* Solet enim contemptus diuinorum mansuetissimos quosque ad iram prouocare. Petrus Actor. 5. post percussum Ananiam ait etiam ad eius vxorem: *Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum ad ostium, & efferent te.* Quid seuerius? Vt sceleratos videt Petrus alioquin mansuetus, statim illos internecioni tradidit. Vnde tanta seueritas in Petro? Oecumenius ait: *Nouit contemptus diuinorum eum quoque in iram incendere, qui ab ira alienus.* Non nouum est, quod vel mansuetissimos & ab omni ira alienos in iram trahat diuinorũ contemptus. Puer erat Dauid pastoritiis curis innutritus, nullam arenam, nullam pugnam viderat; verum vbi audit blasphemum Philisthæum, totus arma, bella, mortesque aspirat, aitque 1. Reg. 17. *Nunc vadam, & auferam opprobrium populi, &c.* Nunc vadam, ait pastor, qui nil nouerat nisi pastorales cantilenas; qui nil viderat nisi instrumenta pacis; qui adhuc puer erat, quietus, & mansuetus ex corde. Quid puero cum bellis, cum rixis? Pulchrè D. Basil. Seleuc. ait orat. 15. *Deo contumelia dicitur, ecquis in pugnam non armetur?* Et quidem vel pacis studiosissimum diuinorum contemptus trahit in rixas. Phinees sacerdos erat, & sacerdotis filius, & vt sacerdos, sic sola meditabatur pacifica, solam spectabat populi salutem. Dum tamen nefandum stuprum committitur à Zambri, arrepto pugione scortatores occidit. Numer. 25. *Arrepto pugione ingressus est post virum Israelitem in lupanar, & perfodit ambos.* Quid pugio cum sacerdote? Quid cum Leuita homicidium? Sacerdotium mansuetudinis, & placabilitatis est index; sed Dei contemptus etiam pacatissimos trahit in rixas. D. Basil. Magnus ser. de Ira, fatur. *Phinees mitis, ac mansuetus existens postquam stuprum Zambri, & scorto Madianitidis vidit, adeoque impudenter admissum, vt nec tam turpe spectaculum occultari vellent, minime tam indignum spectaculum passus, ira, vt oportebat, vsus, protinus vtrumque trucidauit.* Sic iusta ira rapiuntur etiam mansuetissimi, vbi in Deum appaget iniuria.

Actor. 5.
Oecum.
1. Reg. 17.
Basil. Sel.
Num. 25.
D. Basil.

CAPVT IX.

Primogenitorum Ægyptiorum mors.

Textus Historia.

EXTREMAM Ægyptiorum plagam, diuinitus inspirata sacra antecedunt, quæ vt Ægyptiis exitiũ, sic Israelitis monstrant incolumitatem. Dies decima quarta mẽsis Nisan, vergente Sole ad occasum, constituta sacris erat hostia, siue agnus, siue hœdus à decima eiusdem mensis die comparatus, omni carens labe, ab omni spurcitia mundus, vnius nõ excedens ætatis annum. Cum lucebat decimus dies, à singulis familiis singuli agnelli quærebantur, si familia numerosa erat, ipsa absumebat sacrum; sin minus ex commodissima æde euocabantur, qui sufficerent edendis agninis carnibus. Lectas victimas excipit decimæquartæ diei vesper, qui Solem habet sese in occasum præcipitantem: & superueniens paterfamilias qua decet sacerdotem munditie Deo facit. Confestim iugulato agno pellis detrahitur, intestina dantur aquis, vt post lotionem torreri possint: nam sanctas carnes vel lixari, vel non perfecte assas esse, nefas habebatur. Tunc manu hyssopi ramum tenẽt, qui victimæ cruore aspersus lustralibus vndis fores irrorat, acceperant enim efficacis esse tutelæ, si agni cruor supremis domus liminibus esset impositus. Postquam ritè paratis agnis cum capite, & pedibus, & intestinis prunæ ardentes subiectæ erant, mensa adornatur succis lactucarum agrestium amaris, panibus azymis, qui per septem dies appositi, & festinatũ discessum, & captiuitatis ærumnas repræsentarent. Adsunt conuiuæ nitentes baculis, apte præcincti, similes profecturis; qui sic festinato vorant carnes agni, vt ossibus omnino parcant. Nullus de Israelitica plebe excluditur; alienigenas omnes conuiuium arcet, pluresque libertas vicina, quàm Agni esus acciebat ad sacrum.

Interea procedens nox Israelitarum spes fouet, Ægyptios in somnum relaxat, cum subito discurrentium hominũ fremitus tota vrbe percrebuit. Horrẽdis insomniis excitati sentire incipiunt Aegyptij spicula insolentissimæ cladis; & eo terribilior erat, quod inter ipsas tenebras clarius per omnes domos grassabatur. Ob oculos parentũ primogeniti filij neci dantur; nulla domus, nec Regis aula vitat percussoris telum, nisi cuius limina sacri pecoris sanguine purpurascunt. Videres tẽ mirã, qui apud Aegyptios sic sitit sanguinẽ, vt omnes primogenitos mactet; apud Israelitas vnius agniculi cruore exsatiatus, nulli infert damnum. Sic iam ediscebat diuinæ Iustitiæ rigor exsatiari immaculato sanguine. Nec mora, astiterunt à Pharaone serui ad Moysis fores, qui eum à Rege vocari admonerent. Consurgit alacer, & vt erat præcinctus, tot ictibus emollito occurrit tyranno. Nec diu substitit; iubebat rex, iubebant tumultuarie purpurati, quamprimum Israelitarum profectionem parari, omnia

illorum asportari, nihil relinqui, quod posset tantam sustentare cladem. Accedebant Ægyptij omnes, qui multis rogabant, imò extorquebant profectionis celeritatem, adeò vt postulantibus confestim commodarent pretiosa quæque vasa argenti, & auri, pretiosas etiam vestes, & ornatus, quibus festos Domino dies Israelitæ celebrarent.

PARS VNICA.

Moralia circa textus literam.

VT sumus in Dei paschate, siue transitu; sic necessum est, vt nos transeamus, si tantæ cladis, & salutis exemplo possimus & carnis primogenita iugulare, & animæ salutem comparare.

Exod. 12. Decima die mensis huius tollat vnusquisque agnum per familias, & domos suas. Sin autem minor est numerus, vt sufficere possit ad vescendum agnum, assumat vicinum suum, qui coniunctus est domui eius, iuxta numerum animarum, quæ sufficere possunt ad esum agni.

§. I.

Quæ à Deo In nos veniunt in hac vita, micæ sunt, & guttæ respectu eorum, qui in cælo manent.

VT totus quantus erat Christus nobis datus exprimeretur, agnum proponi lex iubet: sic enim inquit: *Tollat vnusquisque agnū per domos, & familias suas.* Adumbrabatur in agno Christus, vt concors est omnium sanctorum sententia. Et cur in agno Christus? Quando Christi bona, & præcellentiæ adeò magnæ sunt, & diuinæ, & super omnē creaturarum captum, cur in paruo agnello præsignatur? Sanè, qui infinitæ magnitudinis est, vt paruus agnellus nobis in præsenti proponitur, vt sciamus parua esse omnia, quæ in lachrymarum valle ad nos e Iesu venisit, respectu eorum, quæ nos in cœlo manent. Huc spectat illa sponsi diuini vox Cant. 5. *Aperi mihi soror mea, amica mea, colūba mea, immaculata mea, quia caput meū plenū est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Expende, quæ prætendat Dominus, vt ab sponsa suscipiatur, nimirum ait *caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis.* Solas guttulas roris prætendis, & vis, vt tibi ostium aperiatur? Cur solas guttulas memoras? Abundantius Psalm. 35. vbi ait: *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Hic torrens, ibi gutta datur, cur non magis semper torrens inundat? Cur, qui torrentes habet, guttas porrigit? Torrentes sunt in patria, verum in hoc sæculo gutta est, mica est parua, quam ex Deo percipere possunt sancti. Sic Nissen. homil. 11. in Cant. *Non potest enim fieri, vt ingressus fuerit adyta eorum, quæ vires humanas superant, nec cudāt sub contemplationem, deueniat ad umbram aliquam, aut torrentem cognitionis: sed præclarè cum eo cogetur, si quibusdam exilibus cognitionibus irrorat eum veritas. Quarum vnusquisque, quantum capere potest, hauriens ex occultis thesauris, nobis quidem fiunt flumen plenū aquis. Si res autem spectetur veritas, sunt guttæ roris.* Planè gutta est, quæ de cœlesti thesauro huc ad nos venit. In cœlo potabimur voluptatum torrente; in hac valle miseriæ magnum est, si paruis guttulis implemur.

Cant. 5.

Psal. 35.

Nissen.

§. II.

Maxima creaturarum vix vni homini sufficiunt: Iesus autem omnibus sufficit.

SIngulæ familiæ singulos agnos tollere iubētur, cum dicit: *Tollat vnusquisque agnū per familias, &c.* Vt enim plures erāt liberādi, sic plures agni apponebantur pro illis, quando pro vniuerso mūdo vnus erat agnus apponendus, nēpe Christus. Et cur similiter non solus vnus agnus apponebatur pro toto populo Israelitico? Posset, & vnius agniculi esse hostia, & vnius agniculi sanguine omnia Israelitarū limina possent intingi, quādo, vel minima quæque tinctura sufficeret Angelis pro indemnitatis signo. Cur ergo tot agni quæruntur, ad quid tanta agnorū multitudo, vt singuli agni respondeant singulis familiis? Sumebantur ij agni de creaturarum pascuis, quarum maxima nec vni sufficiunt, verum ille agnus à montibus æternis descendens, & vnus, & simplex infinitis licet hominibus sufficit. Ait Diuus Gaudent. tract. 2. in Exod. *In vmbra illius legalis pascha non vnus agnus occidebatur, sed plures. Singuli enim occidebantur per domos, nam sufficere vnus non poterat vniuersis. In hac veritate, quā sumus, vnus pro omnibus mortuus est: & idem per singulas Ecclesiarum domos in mysterio panis, ac vini reficit immolatus, viuificat credentes, cōsecratus sanctificat consecrantes. Hæc agni caro, hic sanguis est.* Non equidem quæ à creaturis veniunt, etsi plura, etsi maxima, & præstantissima sint, sufficiunt vel vni. Ille, qui à Deo venit, & Deus est, agnus vnus cum sit, & omnes implet, & pro omnibus liberandis, ditandisque sufficit. Hæc agni caro est, quæ pro toto exposita mundo, pro toto abundat. Vt Isaac à morte liberaretur Genes. 22. *Leuauit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem assumēs obtulit holocaustum pro filio.* Itaque nō agnus, sed aries ostenditur Abrahamo offerendus pro filio; & aries oblatus vnum Isaacum liberat. Sed Ioann. 1. de Iesu ait: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatū mundi.* Pro vno Isaac aries proponitur, & vnus agnus pro toto mundo. Et quidem quæ à creaturis sunt, etsi magna, vix vni sufficiunt; cum diuinus agnellus & vnus, & paruus totum orbem referat in salutem. Quo spectans Diuus Ephrem. serm. de Abrah. fatur: *Aries in virgulto Sabec suspensus mysticè solum liberauit Isaac. at agnus Dei in cruce suspensus mundum à morte, & inferno liberauit.* Caue homo creaturas, quæ etsi videantur bonis affluere, via vni sufficiunt, & si alius venerit, vacuus apud illas remanebit. In hoc diuinissimo agno Iesu non vnus, aut alius, sed vniuersi, qui venerint, omnia integra habebunt. Celebris est apud Ioannē cap. 5. probatica piscina, quæ iuxta probaticæ etymologiam ouis dicebatur: huius aquam mouebat quandoque Angelus, & sanatiua virtute implebat. Quid tunc? *Qui prior descendebat in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat.* Ecce tota illa aquarum lauatiuarum cōmotio per Angelum facta in vno stagnabatur, si post hunc alius accedebat, & infirmus manebat, & miserabilis. Ex quo sapienter D. Thom. in cat. ait: *Nunc autem vnusquisque accedere potest, nō enim Angelus est, qui turbat aquam, sed Angelorum Dominus, qui omnia operatur: sed etsi orbis terrarum vniuersus veniat, gratia non consumitur, sed similiter manet.* Vbi diuinissimus agnus est, qui operatur, nescit in vno stagnari, sed ita abundat, vt licet orbis vniuersus accedat, non rediturus sit vacuus, potens est enim noster agnus vniuersos satiare.

Gaud.

Gen. 22.

Ephrem.

D. Thom.

§. III.

Primæua nuditas, & infirmitas tollitur sub sacris epulis.

NOn de lignis, vt in paradiso, sed de gregibus vitales escas Deus parari præcipit. Quippe ait: *Tollat vnusquisque agnū.* Cur non magis pomum de vitali arbore iubet decerpi? Cur vt in paradiso viuidas arbores non proponit, sed magis amat agnum de grege? Sanè in nullo aptius, quàm in agno nuditas, & infirmitas sub arbore contracta ostenditur tollenda. Ex quo Nazianzenus orat. 2. in Pas. ait: *Quocirca agnus quidem accipitur, propter innocentiam veterisque nuditatis indumentum: talis enim est victima pro nobis cæsa, quæ incorruptionis indumentum, vt re vera est, appellatur.* Forte inuenire possemus in aliis, vnde infirmitati nostræ consuleremus per esum, in aliis vnde consuleremus nuditati per indumētum; qui simul esum, & indumentum præbeat, solus agnus est. Merito ergo sub figura agni monstratur nobis in ferculo, qui & esum cōtra infirmitatem, & contra nuditatem immortale præbeat indumentum. Quod forsan respiciens Psal. 64. ait: *Induti sunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento.* Prima legit Diuus Hieronymus: *Vestientur greges agnis;* & consequenter ex Hebræo ponitur: *Et valles vestientur frumento.* Ecce tibi, & frumentum, & agnus, qui vestiant nos, qui aduersus nuditatem offerant vestimenta. Nec amplius desinit nos dubitare Arnobius, de quo agno, siue de quo frumento gloriosè homo vestietur, quippe ibi ait: *Et conualles abundabunt frumēto corporis Christi. Quod quando acceperint, clamabunt arietes, & oues, simul hymnum dicentes Christo filio Dei.* Felix Ecclesia, in qua & agnus est, & frumentum est, nempe Christus filius Dei, de cuius mensa & humana infirmitas excludetur, & nuditas vestietur. Hinc traho verba Baruch, cap. 5. *Exue te Ierusalem stola luctus, & vexationis tuæ, & indue te decore, & honore eius, quæ à Deo tibi est sempiterna gloria. Circumdabit te diploide à Deo iustitiæ, & imponet mitrā capiti tuo honoris æterni. Deus enim ostēdet splēdorē suū in te, qui sub cælo est.* Sanè ostendit

Nazian.

Psal. 64.

Hier.

Baruch

propheta Ierusalem renouatam, multoque splendore, multaque gloria vestitam, ne amplius vlla appareat nuditas in ea. Quam ornatus pompam a Deo venisse asserit, qui glorioso splendore suos alumnos vestit. Sed qui Deus tam splendentia vestimenta dedit? Accipite argutissimam notionem Dei suos vestientis, nimirum, *qui sub cælo est*, quippe Deus, qui sub cœlo est, est Deus sub panis & vini speciebus, iuxta quam speciem minime in cœlo est. Proh fœlix homo, qui ad hunc Deum accedit, qui sub frumenti speciebus est, sub quibus non est in cœlo, sed sub cœlo est, sed apud nos est! fallar, nisi inde fœdam nuditatem abieceris, candidissimaque stola vestieris, qua inter gloriosos cœli ciues possis apparere. Ad hæc sunt trahenda dicta tom. 3. in Euang. lib. 4. c. 10. §. 30.

§. IV.

Misericordia in pauperes maxima dispositio est ad carnem Christi sumendam.

IN tanti agni epulo, id Deus satagit, vt nos faciat pauperum recordari. Quippe ait: *Assumat vicinum, &c.* Totum que agni epulum plenum est excitatiuis misericordiæ in pauperes. Id quod notans Theodoretus fatur: *Iussit tot ad esum agni conuenire, quantum satis esset, vt fraternum amorem, atque erga pauperes misericordiam illos doceret. Ob id hortatur, vt quæ superfuerint, comburantur, neque in crastinum diem conseruentur, vt hac ratione cogeret Iudæos, vt ad festi diei communionem egentes conuocarent.* Sic tota agni mensa plena erat ceremoniis, quæ agni conuiuas impellerent in misericordiam pauperum. Nec miror, quando ad diuinissimi agni epulum, nulla virtute morali magis aptatur homo, quam si pauperum impleatur charitate. Cantatissima est Abrahami historia ex Genes. cap. 18. vbi tribus peregrinis occurrit, & vt notat Ianius, tres videns vnum adorauit. Vnum equidem è tribus filium Dei agnouit, quem vt susciperet, & conuiuium, & hospitium peregrinis parat. Saram monet de aptandis panibus, de mensa instruenda: *Ipse vero ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, &c.* Agnitum filium Dei ad tabernaculi ostium relinquit, & ipse per se vadit, vt vitulum afferat peregrinis cibandis. Cur non magis filio Dei excipiendo adstat? Cur à tanto Domino se ellirur, rem faciat, quam poterant famuli præstare? Equidem sciebat bonus Abrahamus tunc perfecte parari, vt diuinissimum exciperet agnum, si per se escas peregrinis aptaret. Pulchrè D. Chrysostom. hom. de Ioannis decollat. ait: *Abraham in aduentu Angelorum festinauit ad boues, & tulit vitulum, vt acciperet agnum.* Quid pulchrius? Erat, qui excipiebatur, Agnus Dei, qui tollit mundi peccatum, erat agnus Dei pro mundo sacrificandus, erat agnus ab origine mundi occisus, penes quem erat solutio signaculorum, scripturarum. Vt autem tantum agnum intra suam domum susciperet Abrahamus, nihil diligentius curauit, quàm adducto vitulo mensam peregrinis parare; *Tulit vitulum, vt acciperet agnum.* Sic de apposito cibo pauperibus, optime præparamur, vt agnum diuinissimum intra mentis nostræ domum excipiamus. Apud Lucam cap. 19. Zachæus publicanus excepit in domo sua Iesum. Quid tunc? *Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes: quod ad hominem peccatorem diuertisset. Stans autem Zachæus dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, &c.* Murmurant Pharisæi de eo, quod Iesus apud notissimum peccatorem maneret, & tantæ murmurationi quid respondet Euangelista? Vnum illis obiicit Zachæum ipsum dicentem: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus*; dum enim quis ostenditur pauperibus benignus; iniuriose censetur indignus ad suscipiendum Christum. Pro quo D. Laurent. Nouariensis homil. de Pœnit. fatur: *Indignantur quidem, & imputare conantur, quod Dominus ad peccatorem diuerterit. Sed quid Dominus ad eos? Amen dico vobis, quod hodie salus facta est domus Zachæi, eo quod sit filius Abrahæ. Non audistis, quid dixit? Dimidium substantiæ meæ do pauperibus. Non vidistis, quia publicanus est factus indigentium præsul, & homo forensis meruit esse filius Abrahæ?* Equidem vbi pauperum curator Zachæus ostenditur, immerito non censetur dignus diuinissimi agni recipiendi; quem ille indignè recipit, qui à pauperum compassione est alienus. Vt illi aptem illud Amos cap. 6. *Væ, qui separati estis in diem malum: & appropinquatis solio iniquitatis: Qui comeditis agnum de grege. Qui canitis ad vocem psalterij, sicut Dauid putauerunt se habere vasa cantici. Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, & nihil patiebantur super contritionem Ioseph.* Ecce malum hominum reproborum; cum multi sint in psalmis, in

Theod. — *Chrysost.* — *Luc. 19.* — *Laurent.* — *Amos 6.*

esu diuinissimi agni, in pauperum, & afflictorum compassione? & amore prorsus nulli sunt. Quò spectabat Dominus apud Matth. cap. 23. *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentam, & anethum, & cyminum, & reliquistis, quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, &c.* D. Gaudent. tract. 2. in Exod. legit: *Et reliquistis, quæ fortiora sunt, &c.* Itaque miseri Pharisæi relictis misericordiæ operibus, quæ sunt inter fortiora legis, multi erant in aliis adimplendis, quo æterno væ digni erant.

Matth. 23.

Exod. 12. Erit autem agnus absque macula, masculus anniculus. Iuxta quem ritum tolletis, & hœdum, & seruabitis eum vsque ad quartam decimam diem mensis huius, immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam.

§. V.

Iesus immolatus nobis suæ matris patrocinium acquisiuit, vt saluari possimus.

IMmaculatus agnus, & *masculus, & anniculus* immolandus proponitur, anniculus, inquam, nimirum qui ad aliquos dies primi anni pertineat. Sed non in omnibus diebus primi anni aptus est agnus, vt immoletur, ait enim Exod. cap. 22. *Septem diebus sit cum matre sua, die octaua reddes illum mihi.* Et Leuitic. cap. 22. *Septem diebus erunt sub vberibus matris suæ; die autem octauo, & deinceps offerri poterunt Domino.* Itaque tunc solùm licebat agnum Deo litari, cum prius per septem saltem dies vberibus matris esset inhians, nec nisi de septiduo matris conuictu agnus aliquis fiebat victima. Et cur nisi de vberibus matris per septiduum haustis agnus permittebatur ad aras venire? Exprimebatur ibi diuinissimus agnus Iesus, qui in oblatione sua nobis matris suæ lac, matris suæ acquisiuit patrocinium, quo possemus viuere. Ex quo aiebat D. Zeno lib. 3. serm. 30. *Primus vos non aries, sed agnus excepit, qui vestram nuditatem velleris sui niueo candore vestiuit; qui suum lac beatum hiantibus vestris labiis indulgenter infudit.* Ecce tibi cur agnus, cur ab vberibus matris veniat in sacrificium? Vt dum nos excipit agnus, suum lac beatum, quod ipse de matre hausit, nostris labris instillet. Non nisi lacte materno potus diuinissimus agnus aras subit, vt & nos de seruitute accipiat, & quod de matre hausit, nobis tribuat. Perge, diuine Agne, ad victimá, qua homines de morte eripias in vitam; & perge materno lacte potus, vt idipsum maternum lac, nempe maternum amorem, maternum patrocinium nobis acquiras, nobis præbeas tua vescentibus pretiosa carne. Hinc Ioann. cap. 19. vbi iam agnus diuinus erat in cruce immolatus, dicitur: *Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua.* Cur non magis fœminam fœminis commendat? Cur relictis mulieribus placuit matrem commendare Ioanni? Sanè vt non fœminæ, sed Ioannes vnà cum Iesu mysticum absumpserat agnum, ibique immaculati agni præsumpserat sanguinem, sic & diuinissimus agnus Ioanni applicuit singulariter fauorem, & patrocinium matris. Ait Arnoldus Carnotens. tractatu in hæc verba: *Discipulus, qui in cœna Domini in ceruical sibi in pectore magistri aptauit, ecce iterum alio priuilegio honoratur, & illud reclinatorium, in quo viderat: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, officina illa, in qua Verbum caro factum est, diligenter à filio ei commendatur. Vices filij naturalis filius accipit adoptiuus.* Ecce tibi à cœna agni veniens Ioannes vt maternum fauorem ex agno accipit; cui amato discipulo vbera, id est, matris patrocinium pandit. Nesciuit diuinissimus agnus de matris vberibus lac haurire, quin simul illos cæteros homines sibi adhærentes alat. Quò spectat illud Cant. 4. ad Mariam dictum, *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis.* Duo vbera habebat Dei mater, vt cæteræ matres habent: sed hoc mirum, quod illorum lacte duo dicantur hinnuli, duo filij ali. Nonne Mariæ vnicus filius erat? Nonne vnicus agnus pependit ab vberibus tantæ matris? Vnde ergo duo agni dicuntur illius lacte potari? Equidem vnicus erat agnus Mariæ matri, sed qui eo ipso, quod eius sugebat vbera, cæteros omnes sibi adhæren-

Exod. 22. — *Leuit. 22.* — *D. Zeno.* — *Ioann. 19.* — *Arnold.* — *Cant. 4.*

Guillel.

res faciebat virgineis fauoribus abundare. Ait Guilliel. Abbas apud Delrium. *Sicut matris viscera sibi Iesus sanctificauerat, quibus vnicus portaretur, sic etiam materna sibi sanctificauit vbera, quibus vnicus aleretur. Porrò eo ipso, quod Maria sibi magnum illum hinnulum corporaliter genuit: duos sibi hinnulos spiritualiter adoptauit. Siquidem per hoc, quod facta est Verbi mater corporalis, facta est membrorum eius mater spiritualis: per hoc quod caput nostrum secundùm carnem concepit, membra eius lacte alenda suscepit.* Ecce tibi vt diuinissimus agnus in matre fecit & sibi & nobis lac pietatis abundare. Fœlix, qui huic agno concorporalis fit, & per fidem, & per Eucharistiæ cibum: fallar, nisi inde habeat materno pietatis lacte, & patrocinio in vitam sustentari.

§. VI.

Temporis prærogatiua parui momenti est apud Deum, & cordatos viros.

QVi in aliis præstantiarum generibus summa requirebat ab agno suo, in genere temporis, & antiquitatis minima requisiuit. Quippe ait: *Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus.* In præstantia puritatis summum est, quod omni, vel minima labe careat; in vigore naturæ illud etiam est præstantissimum, quod in sexu masculo intelligitur. Verum in genere antiquitatis, & temporis, quidquid claudi potest intra vnius anni curriculum, non dubito, quin sit è minimis. Cur ergo, qui in re puritatis, & vigoris summa requisiuit in immolando agniculo; in re antiquitatis, & temporis contentus est minimis? Sanè vbi suppetunt præstantiæ virtutum, & fortitudinum, parui momenti est temporis, & antiquitatis prærogatiua apud cordatos viros. Hinc notandus est astus sanctissimi Iacobi, qui cum amaret Iosephum supra omnes filios, vt cæterorum inuidiam falleret, causam sui amoris in Iosepho præmonstrabat, quæ nullius ponderis ostenderet prærogatiuam, nimisum quod esset senis filius.

Gen. 37.

Sic Genes. cap. 37. *Israel autem diligebat Ioseph super omnes filios, eo quod in senectute genuisset eum.* Et sanè quod non ea esset causa præcipua paternæ prælationis, vel inde patet, quod cum magis senex esset, genuerit Beniaminum, & nihilominus super hunc diligebat Iosephum. Quando ergo hæc non erat causa prælationis, cur, vt causa proponebatur à parente? Quærebat prudens pater causam minus inuidiosam fratribus aliis, & quæ minoris reputaretur ab illis, & ideò ad id recurrit, quod esset senectutis filius antiquitatis alumnus.

Chrysost.

Ait D. Chrysostom. epist. 8. ad Olympiam: *Amabat, inquit, eum propterea, quoniam filius senectutis erat ei. Hoc autem legislator scripsit, sicut ego arbitror, non quod verè erat, sed ipsam patris cogitationem, & occasionem exponens. Nam cum videret infantem inuidiam sustinere: curare hunc affectum in fratribus volens, finxit causam dilectionis, qua non magnam eis inuidiam generaret.* Aeueretur inuidia fratrum, si Ioseph præferretur illis, ob suauiores mores, ob præstantiores virtutes: at quod præferatur ob prærogatiuam auitæ antiquitatis; quod inuideant illi, nihil manet, quando hæc præstantia nullius momenti est apud viros cordatos. Hinc damnata est illorum operariorum præsumptio, qui ob temporis prærogatiuam maiori æstimatione apud prudentem Patremfamilias haberi optabant. Ait enim

Matt. 20.

Matth. cap. 20. *Dicit Dominus vineæ procuratori suo. Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis vsque ad primos. Cum venissent ergo, qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. Venientes autem & primi, arbitrati sunt, quod plus essent accepturi, acceperunt autem & ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabant, &c.* Quasi murmuratores repelluntur, qui querebantur, quòd eorum antiquitas non attendebatur, nec vlla temporis aduentus sui ratio habebatur. Et cur non magis hoc in iis attendit nobilis paterfamilias, vt illis antiquioris laboris plus honoris habeat? Erat tunc distributio mercedis laborantium, quam vt bonus paterfamilias distribuat, quidquid virtutis est, verique laboris maximè attendit; parum autem curat, aut, vt melius dicam, nihili æstimat temporis prærogatiuam, quæ minimè est in nostra potestate.

Imperf.

Imperfectus homil. 34. in Matth. fatur: *Si in hominis esset potentia quando nasceretur prius, aut postea: iusta ratione primum habebit mercedem, qui prius nasci voluit; secundum autem, qui postea venit ad vitam: nunc autem cum in Dei sit potestate quando hominem producat in mundum, nec illi sibi priorem honorem defendere debent, qui prius nati sunt, nec illi contemptibiliter, qui postea.* Non equidem est voluntatis humanæ facinus, quod prius in vitam venerit, nec quod antiquitatis gaudeat stemmate; ideò apud iustum, prudentemque censorem nequiter sibi plus laudis, plus honoris quis ob antiquitatem sibi defendit, quando honor & laus res est veræ virtutis, verique laboris, non temporis, quod minimè consistit in facultate hominis viuentis.

§. VII.

Quod à primis incunabulis bonum ebibisti, firmiter vsque in finem solet durare.

QVando immolandus agnus figurabat Christum, non miror, quod petatur, quod sit *absque macula, & masculus*; prorsus enim immaculatum, & fortissimum repræsentabat. At id valde mirandum, quod *anniculus* petatur. Cur anniculus? Cur verò non magis antiquus dierum? De diuinissimo agno locutus Daniel cap. 7. ait: *Antiquus dierum sedit*: sed & eius maturitatem expendens Ioann. Apocal. cap. 1. notat, quod *capilli eius erant candidi.* Et quando verus agnus longissimæ ætatis refert maturitatem, cur in agno mystico requiritur, quod anniculus sit, & in primis vitæ diebus appareat in aris? Eadem prorsus est in agno sacro, & senectus, & infantia; quæ enim infantia immaculatæ vitæ datur, nihil ipsa in se excludit senilis maturitatis; nec in senili maturitate non eadem apparet sancta infantia. Quò refero illud ex Psalm. 2. sumptum à D. Paul. ad Hebr. cap. 5. de Christo Domino, ei resurgenti à sepulchro, vt concors est patrum sententia cum Paulo, ait Pater: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et sanè cùm mortuus erat Iesus, in matura erat cõstituens ætate, in qua ætatis maturitate resurgebat à mortuis; cur ergo de illo sic pater tunc loquitur, quasi de infante, qui tunc primùm nascebatur? Sic tunc erat infans, vt posset recens natus reputari? Equidem ea erat Christi Domini non parua commendatio, quam à primo conceptionis instanti ebiberat sanctitatem, ea sic conseruata est, vt vel in ætate maturiori, adhuc recens videretur tota illa infantilis sanctitas. Quidquid in primo ingressu mũdi tenuit, id ipsũ in vltimo egressu habuit; ne quid infantilis virtutis in ætate maturiori deficeret, nec maturæ ætatis in infantili. Quò respiciens D. Leo aiebat serm. 7. in Epiphan. inquit: *Dispositos dies sub persecutione inchoauit, & sub persecutione finiuit, nec puero tolerantia passionis, nec passuro defuit mansuetudo puerilis.* Ecce tibi, vt nihil puerilis virtutis defuit Iesu, vbi in plenitudine temporis ad mortem ibat. Inter ipsos maturitatis annos adhuc recens visebatur mansuetudo illa infantilis, quam à primis vnguiculis ebiberat. Sic firmatur in agnis Christi, quæ ab initio ætatis virtus sugitur. In tribus illis credentium patribus Abraham, Isaac, & Iacob, illud notandum inuenio, quod Abraham, & Iacob natiuitatis suæ nomina mutarint, vt qui Abram vocabatur, diceretur Abraham, & qui Iacob, fuerit Israel dictus. Solius Isaac nomen immutabile permansit. sic Genes. cap. 17. *Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram, & benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum: : : vocabis nomen eius Isaac.* Ecce & nomen Isaac maturat apparere, vel ante conceptionem illius, & nihilominus perseuerat cum illo vsque in finem vitæ. Et cur nomen Isaac sic perseuerat, quando Abram, & Iacobi nomina habent finem? Nomen Isaac maturanit apparere inter paternas benedictiones, & virtutes: quod autem in virtute apparere maturat, in ea solet apparere vsque in finem. Ait Procop. in Glos. ibi: *Vt autem Isaacus sit sanctior, vna cum patre, & matre benedicitur. Vt legitimè, & sanctius nascatur, nascitur ex vtroque parente benedicto. Nec id silentio prætereundum, quod inde in vtero id nomen Isaacus gestit. Hinc eius nomen non mutatur, vt accidit Abrahã, & Iacob.* Ex maturata benedictione, & sanctitate, cum primo vitæ halitu suscepta, habet Isaac quod nec benedictionis signum, quod erat in nomine, amittat, perseuerat enim quodcumque virtutis insigne à prima ætate suscipitur. Vide plura tom. 4. in Euang. lib. 16. c. 19. §. 2.

Psalm. 2.

D. Leo.

Gen. 17.

Procop.

§. VIII.

Nostri à mundo exitus tempus non repentinum accidat, nec inopinatum.

ANtequam paschalis transitus accidisset, & exeundum esset Hebræis ab Ægypto, per quatuor dierum spatium iubetur agnus domi asseruari. Sic qui monuit agnum tollẽdum decima die mensis, nunc ait, *& seruabitis eum vsque ad*

quartam

quartam decimam diem mensis huius, &c. Et cur tandiu ante discessum iubetur agnus, qui in ipso exitu absumendus erat, domi asseruari? Erat agnus quasi ipsius exitus viaticum, qui domi asseruatus, crebro exeundi tempus ob oculos poneret, nec sineret nos tantæ profectionis non recordari, ad illamque non parari. Ad hæc pulchrè Rupert. lib. 2. in Exod. cap. 3. inquit: [*Rupert.*] *Vt quid tandiu ante tolletis, tanto tempore seruatur? Videlicet, vt dum ille præsto est, causa quoque eius corda vestra solicitet, ne sitis immemores, nec imparati, quia transeundum est, dum ille tot ante diebus de profectione paranda vos admonet. Quoties enim ille balatum emittit, toties quasi tuba sonitus exiturum castrorum acies excitet.* Ne tanti exitus dies, vel hora repentina, aut inopinata accidat, datur agnus excitatiuus, qui tandiu domi asseruatus, vel balatibus suis faciat homines instantis profectionis recordari, nec illam obliuisci patiatur? Quid plura? Hoc Deus solicitè in nobis satagit, ne simus immemores, quia transeundum nobis est, quia discedendum ab hac lachrymarum valle; quin potius domi habeamus plura illius diei excitatiua, quæ nos in memoriam instantis profectionis trahant. Cum Dominus amicum Lazarum in vitam vocabat, dicit Ioann. cap. 11. [*Ioan. 11.*] *quod exiit ligatus manibus, & pedibus institis.* Mortem ipsam tulerat Dominus ab amico & patitur in illo manere mortis ligamina. An qui mortem expulit, non potuisset, & offerre funereas fascias? Cur permittis adhuc in mortis ligaminibus esse illum, quem à morte rapis? Dei erat mortem ab amico tollere: sed non erat Dei illa auferre, quæ facerent eum mortis perpetuo recordari. Ait D. Basil. Sel. orat. [*Basil. Sel.*] 35. *Christi virtute exiliebat quatriduanus mortuus lethi signa circumferens, & exuta morte sepulchralem ornatum non exuerat.* Non tollit ea Deus, per quæ nobis mors ob oculos obuersatur; tollit mortem; sed patitur esse in amicis signa mortis, quæ corda solicitent, quæ non sinant nos esse immemores; nec imparatos, quia exeundum est ab hac vita mortali. Hinc Iesus non domi solùm, sed in seipsis habere mortis excitatiua docet suos alumnos Matth. 6. [*Matth. 6.*] inquiens: *Si quis vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me.* Sed qualem crucem habet homo, quæ illi tollenda sit, ne sine illa gradum faciat ad Deum? Hæc est cuiusque mors, & vitæ exitus, qui præ oculis habendus, & quasi frequenti manu attrectandus est illis, qui velint ad Deum pergere. Ait enim D. Chrysost. orat. [*Chrysost.*] sanctæ crucis, in media Quadrag. habita apud Patrem Grethserum tom. 2. de cruce. *Quid vero sibi vult dictum illud. Tollat crucem suam, & sequatur me? Nam vt quiduis portemus lignum? Nequaquam. Sed vt ad pericula simus prompti, sanguinem nostrum in animis nostris circumferentes, parati in singulos dies ad mortem, ita omnia agentes, quasi nunquam vitam nostram vsque ad vesperam duraturam, sed certissime nos morituros arbitremur.* Hæc est nobis crux tollenda; nimirum, quod nostram mortem, nostrum sanguinem ob oculos circumferamus, & in breui nos morituros arbitremur. Quid inde? Id ipse Chrysostomus docet [*Chrysost.*] adhuc præfata verba luculentius premens: *Quid vero est, tollat? Adeò sit promptus ad cædem, vt qui eam portat. Tam paratus vt ille, qui crucem iam fert humeris, tam vicinum mortis sese æstimet. Talem omnes obstupescunt. In hoc vera libertas posita est. Nihil enim mortem tam fugat, quam mortis contemptus.* Itaque vel quasi in humeris habeat mortis signa, mortis sindones funereas, qui ad Deum pergit, & velit perterrefacere potestates rebelles. Nec miror, quod à Deo veniat, quod & domi, & humeris mortis excitatiua portemus, quando nec orationem patitur à suis fundi, quin mortis recordentur. Vnde Matth. 6. [*Matth. 6.*] in oratione Dominica illud petimus: *Adueniat regnum tuum.* Vbi D. Cyrill. [*D. Cyril.*] in caten. D. Thom. in cap. 9. Lucæ, ait: *Mandauit autem, & in oratione petere illud tempus re vera terribile, vt sciant, quod viuere docet eos non remisse.* Sic in omnibus vult Deus nos esse memores terribilis horæ exitus.

§. IX.

Quod semel opere completurus es, id sæpe animo perfice, quo multum apud Deum crescis.

A Die decima vsque ad decimam quartam agnus immolandus domi manebat iuxta legem, quæ canit: *Seruabitis vsque in quartam decimam, &c.* Et cur tandiu ante immolationem domi seruabatur, nisi vt sæpe illum videntes sæpe animo offerrent, quem semel erant opere oblaturi Deo? Est hoc magni apud Deum quæstus, quod pluries perficias animo rem, quam opere semel perficis. Hinc Genes. c. 4. [*Genes. 4.*] dum Abel Deo agnum præstantissimum offerebat, non prius Deus agnum vidit, quam Abelem videret, quippe ait: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Et quid erat in Abele, quod respiceretur à Domino, antequam eius munera respicerentur? Sanè erant in Abelis animo frequentia vota de offerendis muneribus, offerebat enim & bis, & ter, & septies mente sua agnum, quem postea opere obtulit Deo. Huc spectans D. Basil. Seleuc. orat. 14. ait: [*Basil. Sel.*] *Res Abelis deliciis depraedicans semper, quandam iustitiæ characterem posteritati delineans, quod mentem Deo dono dedisset ante donum, quod Deum, qui prospicit in prospectus ante visa dona inuisibilibus donariis oblectasset.* Proh verum iustitiæ characterem! Non miror, quod Abel sapere ad se Deum, & magni apud Deum æstimaretur, quippe ante dona opere exhibita, multa inuisibiliter in animo offerebat. Singulis horis, singulisque momentis per tempus antecedens mente sua mactabat Deo agnum, quem tandem manibus super aram peremit. Huc veniat Christianus, & discat non quiescere in opere exterius exhibendo; sed quod exhibiturus est corporaliter semel, mente & animo frequenter prius exhibeat Deo. Hoc sanè magni apud Deum quæstus est, imò hoc ingens beneficium à Deo in nos descendit, quod repetitis votis vnius operis possimus immensè augere mercedem. Hoc faciebat Paul. 1. ad Corinthios cap. 15. inquiens: [*1. Cor. 15*] *Quotidie morior.* Et sane vno solum die mortem de facto oppetiit; sed quam semel laturus erat mortem, sæpe in dies animo perferebat, se crebro mente sua Deo deuouens, & vitam offerens; quo pene in immensum eius merita crescebant. Ex quo D. Chrysostom. [*Chrysost.*] homil. de Festo crucis, in media Quadrag. apud Grethserum tom. 2. sic monet nostrorum quemquam: *Nónne tibi à natura mors decreta est? Licet tibi, si velis, milies pro Domino mori. Hic enim gratiæ mos est, egestatem amicorum ad magnas euehere diuitias, propter liberalitatem Domini, qui non modo rerum euentu, sed voluntate, propositóque certantium coronas metitur.* Hic equidem gratiæ mos est, hæc est Dei nostri liberalitas in nos profecta, quæ in exiguis, & paucis operibus facit abundare coronarũ segetes, si quæ semel opere exhibentur, crebris votis, & propositis repetitis antea offerantur in mente. Sic Iesus ante crucis exhibitionem mysticam crucem agebat Matth. 26. [*Matt. 26*] aiens: *Hic est calix sanguinis mei, &c.* De quo Nyssen. [*Nyssen.*] homil. 5. de Resurr. *Per ineffabilem sacrificij modum præoccupat impetum violentorum, ac sese in oblationem, & victimam offert sacerdos simul, & agnus.* Incruento animo, incruentis signis præoccupabat priùs agere, quę postea cruentissimè erant operanda. Sic in horto mente tractans negotia crucis, sanguinem sudabat, ait enim Lucas cap. 22. [*Luc. 22*] *Factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis.* De quo Hildebertus Turonen. [*Hildeb.*] in versibus de Missa, ait:

Sanguineus sudor, Crux fuit ante crucem.

Antequam humeris crucem sustentaret, mille modis eam animo, menteque tractabat, & offerebat patri. Vt discamus, & nos sæpius mente offerre, quæ semel operi dabimus.

Exod. 12. Et sument de sanguine eius, ac ponent super vtrumque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum. Et edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantum igni. Caput cum pedibus eius, & intestinis vorabitis, nec remanebit ex eo quicquam vsque mane. Si quid residuum fuerit, igni comburetis.

§. X.

Diuina epula sub memoria passionis, & crucis, vt valeant.

IN postibus ostiorum sanguis agni ponitur, dum comeditur agnus, quippè ait: *Sument de sanguine eius, ac ponent super vtrumque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum. Et edent carnes, &c.* Ecce tibi vt simul sanguis in postibus rubet, & sacri agni caro in ferculo comedentes satiat. Et id quidem merito, quando de sanguinolento crucis ligno habent diuinæ epulæ, quod nunquam desinant fideles suos saturare. Mihi crede, non experietur defectum in sacro conuiuio, qui sub crucis Dominicæ recordatione illud reuerenter capit. Huc spectat historia mulieris Sareptanæ, quæ famelicenti

3. Reg. 17. famescenti Eliæ ait 3. Reg. cap. 17. *Non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho: en colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illud mihi, & filio meo.* Sic mulier suam paupertatem prædicabat, & ostendebat farinam adeò paruam sibi esse, quæ sub duobus lignis enqui posset. Quid tunc Propheta? *Ad quam Elias ait: Noli timere, sed vade, & fac, sicut dixisti: veruntamen mihi primum fac de ipsa farinula subcinericium panem paruulum, & affer ad me: tibi autem, & filio tuo facies postea. Hæc autem dicit Dominus Deus Israel: Hydria farinæ non deficiet, &c.* Expende hæc, nimirum: *Hydria farinæ non deficiet*: non equidem deficiet hydria farinæ, quæ sub duobus lignis facienda erat Deo: vt hinc intelligas, quam nullum experieris defectum in cœlesti epulo, quod sub recordatione tenera viuifici ligni crucis comederis. De quo dicebat D. Cyrill. Alexand. lib. 8. in Ioann. cap. 19. *Duo ligna colligens mulier Sareptana Prophetam domo suscepit, atque sine olei, farinæque sua diminutione aliquandiu victitauit. Cruce insignita mens cœlestis alimonia, & Spiritus sancti gratia affatim pascitur.* *Cyr. Alex.* Abundat semper in sacris epulis pastio, vbi abundat Dominicæ crucis recordatio. Vis homo, ne quid tibi deficiat salutare in epulo diuino? collige duo ligna, recole, quid transuersis crucis lignis affixus sustinuit Dominus, & sub hac memoria tibi conuiuium para: & fallar, nisi tibi abundent gratiæ salutares. *Ioann. 6.* Ioann. cap. 6. post multitudinem ingentem quinque panibus saturatam, Apostoli collegerunt reliquias, *& impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum, &c.* *Psal. 80.* Sanè de Iudaico populo dicebat Psalm. 80. *Manus eius in cophino seruierunt.* Quando ergo sub Moyse in cophino seruiebant Israelitæ, cur sub Apostolis in cophino recipiunt alimoniam? Vt ostenderetur quantum crucis prædicatio possit ad præstandam cœlestem alimoniam. Ait enim D. Ambros. lib. 9. in Luc. *D. Ambr.* *Populus, qui ante lutum in cophinis colligebat, hic iam per crucem Christi vitæ cœlestis operatur alimoniam.* Facit crux Christi, vt vbi erat lutum seruitutis, abundet cœlestis alimonia. Hinc Sacerdos mensam sibi sacram paraturus in Missæ canone, sic incipit: *Te igitur clementissime Pater per Iesum Christum filium tuum Dominum nostrum supplices rogamus, ac petimus: Vti accepta habeas, & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta.* Quo ter signo crucis super oblata repetito sese ad mysterium peragendũ parat. Et cur necessum est ter signum crucis super oblata repetere? Salutiferæ crucis recordatio in conuiuium diuinum merito trahitur, quæ indeficientes tanti epuli gratias faciat. Quò spectans Hildebertus Turonensis carmine de officio Missæ, fatur:

Quippe velut quidam cruor est, meminisse crucis,
Huius nos memores crux iterata facit.
Mentio mortis adest, vbicumque perennibus escis
Imprimis vncta manus mystica signa crucis.

Expēde ab illis, *vbicumque perennibus escis, &c.* Sapienter enim, quæ sub crucis recordatione paratur, perennis esca vocatur. Via vnde deficiat habet escæ gratia, quæ crucis recordatione accipitur à manducante. Quis neget crucem Dominicam multum Eucharistico cibo inseruire? *Ezech. 41.* Ezech. cap. 41. *Altaris lignei trium cubitorum altitudo, & longitudo eius duorum cubitorum: 22: Et locutus est ad me. Hæc est mensa coram Domino.* Altaris lignei mensuram meminit, & de illo ait: *Hæc est mensa coram Domino*, vt ostendat, quantum faciat lignum crucis ad mensam hanc Eucharistiæ, quæ ex cruce habet, quo placeat Domino. *Rupert.* Rupertus in Ezechiele cap. 57. *Totum altaris Sacramentum de ligno, constat viuifica crucis, quia totius sacrificij summa est passio eius, qui pro omni mundo semetipsum super lignum crucis sacrificauit. Et hæc est mensa coram Domino sola, & vnica.* Sic ibi: quippè crux fecit Eucharistiam esse mensam vnicam Domino. *Hesych.* Et Hesychius in 5. Leuitic. ait: *Crux carnem crucifixi, quæ ante passionem esus videbatur inepta, post aptam fecit; si enim non fuisset crucifixus, sacrificium corporis eius non comederetur.* Huc trahe dicta tom. 1. in Euang. lib. 3. cap. 8. §. 25.

§. XI.

Crux Christi libertatis signum.

COmedebatur agnus à profecturis ex Ægypto, & comedebatur igne assus, & cum panibus azymis, quæ abruptam profectionem ostendebant. Et dum sic profectio in ferculis exprimebatur, postes domus exteriores sanguine liniebātur. Et cur postes sanguine rubebant? Ait: *Sument de sanguine eius, ac ponent super vtrumque postem*, nullo enim melius, quam cruento crucis ligno occurrens iam libertas exprimebatur. Huc spectans Macarius Philadelphiensis Archiep. orat. de Exaltat. Crucis, ait: *Etenim concessam nobis, crucis merito, & munere plenam admirationis libertatem tota hæc historia præmonstrat.* Quidquid de ligno sanguinolento dicitur, eo tendit, vt Dominicæ crucis virtus dicatur, sub qua maxima orbi libertas plaudit. Nunquam enim crux non indicat libertatem. *Isai. 46.* Ex quo Isaiæ cap. 46. de Deo dicitur: *Vocans ab Oriente auem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ.* Quæ Chaldæus refert ad Iudæos ex seruitute ad libertatem vocatos, ait enim: *Iudæos quasi auem ex captiuitate Babylonica reducam, &c.* Sed cur vocatus in libertatem comparat aui, viroque aiens, *vocans ab Oriente auem, virum voluntatis meæ?* Merito, & auem, & virum in libertatem vocat, quando inter omnia viuentia, & auis extensis pennis, & homo extensis brachiis crucem repræsentant, vt videas quam sit cruci annexa nostra libertas. *D. Method.* Ex quo ait D. Methodius orat. in sanctam crucem, quam habes apud Grethser. tom. 2. *Vniuersa creatura libertatis causa hoc signo crucis insignita est. Nam & volatilia in altum subuolantia crucis figuram expansione alarum adumbrant; itemque homo expansis manibus eandem repræsentat.* Itaque vt homo, & auis expansis brachiis crucem repræsentant, sic in libertatem vocantur, nequit enim vbi est crucis signum, non esse insigne libertatis. *1. Cor. 7.* Hinc Paulus 1. ad Corinth. 7. clamat: *Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum.* Prius ob oculos ponit pretium sanguinis, quo sub hasta crucis empti sumus, & inde infert absurditatem seruitutis humanæ, quasi de cruce nil citius, quàm libertas veniat. *Chrysost.* Vndè D. Chrysost. orat. in sanctam crucem apud Grethserum tom. 2. ait: *Liquido autem exploratum vobis est, quænam sint illa, quæ libertatem nobis præbent; quippè qui beatum Paulum clamantem, & ad competentem nobis libertatem nos inducentem audieritis. At qua ratione id facit? Dominicæ crucis, & sanguinis nos commonefaciendo his verbis. Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum.* Et quidem infœlicissimus est, qui sub tantis signis militat, si veram iam occurrentem libertatem non spectat, omnique se seruitute capedit.

§. XII.

Tunc Dominicæ carnis cibus, nobis maximè salutaris, cum sic accipitur, quasi non amplius nobis manendum sit in mundo.

SIc edendus erat agnus, vt nihil eius posset in crastinum reseruari; quippè sic lex cauet: *Nec remanebit ex eo quicquam vsque mane.* Merito enim cauebat lex, ne comedentes tantum agnum cogitarent de crastino, sed magis crederent, quod nullo iam die amplius deberent in Ægypto morari. Sic sic comedat agni diuini carnes, qui velit eas salubriter manducare; nimirum credat non sibi superesse crastinum, sed quam primum sibi esse à mundo euolandum. *Ioan. 7.* Hinc Ioannes 7. ait: *In nouissimo autem die magno festiuitatis stabat Iesus, & clamabat, dicens. Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Ecce tibi vt Iesus sese in salutare poculum offerat; sed illud notandum, quod non se offert in poculum sitientibus primo die festiuitatis, nec mediis festi diebus, sed nouissimo iam currente die. Ait enim textus: *Nouissimo autem die magno, &c.* Cur Domine adeò serò poculum propinas salutarem? Cur non magis eum ostendebas in primo die, vel in die aliquo mediante? Cur in nouissimo tantæ salutis fontem aperit? Aperit in nouissimo, ne bibentes salutem cogitarent de festo crastino, sed prorsus de profectione, de reditu in patriam cogitarent. Hic est potus salutaris, qui sic sumitur, vt non cogitemus superesse crastinum, sed immediate nobis esse ab hac vita migrandum. *Cyr. Alex.* Pulchrè D. Cyrill. Alexand. lib. 5. in Ioann. cap. 10. fatur: *Medij dies festi voluptatibus, & mundi negotiis potius, quam Dei cultus adhibebantur. Nouissimus autem dies, delitiis finem imposuerat, cum iam de reditu esset cogitandum. Itaque eo die tanquam cæteris commodiore ipse fons vitæ exuberantissimus omnes veram Dei cognitionem habere desiderantes, dulciter inuitat, vt ad se veniant, & bibant potum illum salutarem.* Expende, qui dies commodior ad potum salutarem præstandũ, nimirum, dies nouissimus, *cum iam de reditu cogitarent.* Vbi finitis omnibus nullus veniebat in mentem dies crastinus ad manendum, sed de reditu, & profectione iam instanti cogitabant, tunc opportunitas erat sumendi potus salutaris. Et quidem proficit cœlestic conuiuium, cum sic sumitur, vt non cogitemus de crastino, sed de profectione iam iam instanti. Elias excitatus, 3. Reg. cap. 19. *Respexit, & ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ, comedit ergo, & bibit, & rursus obdormiuit.* Quid tunc? Rursus eum excitat Angelus, & excitatum alloquitur,

dicens:

dicens: *Surge, comede, grandis enim tibi restat via. Qui cum surrexisset, comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vsque ad montem Dei Horeb.* Bis excitatur Elias, & bis comedit, sed in primo cibo nihil proficit, iterum somno traditur. & quasi sui oblitus manet. At in secundo cibo, adeò roboratur, vt prorsus excusso somno possit vsque ad montem Dei penetrare. Cur ergo in primo cibo sic defecit, & in secundo sic roboratur? Sanè in primo illo cibo nihil de profectione cogitat, nec audit, sed quasi diu acturus esset in illo loco, de pane comedit, & relinquit adhuc panem comedendum in crastinum. In secundo autem cibo, vt audit de via statim arripienda, sic accedit ad panem, quasi sciat inde statim abeundum sibi esse ad montem Dei, nec amplius vllum ibi sibi sumendum panem, quo maxime in cibo roboratur. Ait Abulensis quæst. 6. *In primo non comedit totum panem, nec bibit totam aquam, sed sumpto modico de illo rediit ad soporem, Deus autem volens, quod Elias recederet inde, iussit quod Angelus excitaret eum, & quod comederet, & biberet fortiter, & non speraret, quod de eodem pane sæpe comesturus esset, sed quod nunc totum comederet, quia ambulaturus erat per magnam viam, & tunc Elias surgens comedit ad saturitatem, & ambulauit.* Dum cogitat Elias de crastino. & in crastinum, non modicam reseruat cibi partem, putans ibi sibi adhuc manendum, tam parum cibo sic sumpto proficit, vt nec gradum faciat, sed somno sepultus maneat. Vt autem excitante Deo per Angelum audit de via facienda, & profectionem meditatur adeo citam, vt non liceat ibi vlterius vesci illo pane, tunc sic edit, vt eius cibi fortitudine posset ad Deum euolare. Espendenda enim sunt maximè illa: *Non speraret; quod de eodem pane sæpe comesturus esset:* quippe multum ad profectum facit, si sic cibum diuinum accipiamus, quasi non speremus iterum nobis illum in hac vita accipiendum. Quò spectans Dominus Matth. cap. 26. dum primum hoc cœleste conuiuium parat. *Accepit panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite; Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens. Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus noui Testamenti; qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, &c.* Espende, vt sumens, & porrigens hunc diuinum panem, & calicem, nil citius afferat, quam quod amplius in hac vita de illo non sit bibiturus, quippè ait: *Non bibam amodo, &c.* Cur Domine hæc asseris tantum habens calicem in manu? Crediderim voluisse ostendere, qua mente nos debeamus accipere Dominicum calicem, nimirum, vt qui eum non iterum accepturi simus in hac vita, sed statim euolaturi simus ad Deum.

3. Reg. 19.

Abulens.

Matt. 26.

§. XIII.

Illa apud Deum virtus valet, quæ vel in aduersis roboratur.

NOn semel cauet Deus, quod agnus non aqua coquatur, sed igne assetur, inquit enim: *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantum igne.* Et cur mauult Deus igne assum? Quæ igne assantur carnes, vel ipso igne obdurantur, roborantur, quo exprimunt virtutem, quæ valde Deo placet, nimirum, quæ vel in aduersis ipsis roboratur. Ait D. Gregorius Papa apud Lippom. *Quæ carnes agni assandæ sunt, quia nimirum dissoluit igne carnes, quas aqua coxerit, quas verò ignis sine aqua excoquit, roborat. Carnes itaque agni nostri ignis excoxit, quia eum ipsum vis passionis illius ad resurrectionem valentiorem reddidit, atque incorruptionem roborauit.* Hoc habent carnes, quod igni traditæ obdurentur, roborentur, quod habeant virtutes, quæ apud Deum magni volunt æstimari. Similiter cauebat lex Leuit. cap. 2. *Cum autem obtuleris sacrificium coctum in clibano, de simila panes scilicet, &c.* Ecce non vult Deus panes, nisi qui in clibano ardenti coquantur, vt ostendat, quam amet eos, qui ex aduersis virtutem, & robur capiant. Ex quo dicebat Hildebertus Turonens. carmine de officio Missæ.

D. Greg.

Leuit. 2.

In clibano coctos panes altaribus offers,
Si robur mentis nulla flagella mouent.

Tunc sane gratum te Deo offers, cum inter flagella stas inconcussus, nec aliquid roboris inde perdis, sed magis ostenderis inuictus. Hinc placent, hinc censentur virtutes apud Deum, si aduersitatibus cedant nullis. Hinc Ioann. cap. 7. *Nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Quod non paruam quæstionem facit Diuo Cyrillo Alexandrino: verum enim erat, quod prophetæ locuti fuerant in Spiritu sancto, & quod Ioannes Baptista repletus esset Spiritu sancto ab vtero matris suæ, vt Lucas cap. 1. testatur. Quomodo ergo verum est, quod non esset spiritus datus, antequam Iesus esset glorificatus? Equidem post Iesu glorificationem descendens Spiritus sanctus sub specie ignearum linguarum super Apostolos, eos reddit tentationibus, & aduersitatibus insuperabiles, quod maximè Deo placet. Ait Diuus Cyrillus Alexand. libro quinto in Ioann. cap. 10. *Fuit quidem antequam glorificatus esset Christus, plerisque datus Spiritus sanctus. Sed non ea apparitione, qua post glorificationem datus est. Nunquam enim antea in specie linguarum ignearum apparuit Spiritus sanctus; neque eos in quos descendit, reddidit omnium linguarum peritos, & contra improborum persecutiones impauidos, & fortes, vt post Christi Ascensionem reddit Spiritus sanctus Apostolos.* Merito tunc diuini Spiritus effectus apud Deum censeri incipiunt, cum diuino sub igne contra persecutores sæuissimos homines carni impauidi redduntur, & roborati. Sane debet esse Dei seruus superior omnibus aduersis. Hinc Leuitic. cap. 10. *Locutus est Moyses ad Aaron, & Eleazar, & Ithamar filios eius: Capita vestra nolite nudare, & vestimenta nolite scindere, ne forte moriamini.* Et quidem sub eorum oculis Aaronis filij, & fratres Eleazari cœlestibus flammis fuerant absumpti; & in tanta clade monentur, ne dolorem insinuent. Et cur non doleat pater in tam acerba filiorum calamitate? Ait Procopius in Glossa: *Non permittit, vt habeat pontificem moueri in luctu, etiam si mortui fuerint homines tibi coniunctissimi. Nam amor Dei firmius nos obligat, & arctius tenet, quàm amor, qui coniunctis personis est impertiendus.* Sic Deus non sustinet in suis alumnis, quod flagellis infirmentur, & appareant imbecilles, sed qui sint superiores omnibus illis. Tunc mihi crede Deum tibi maximè deuincies, cum imperterrito animo multa aduersantia sustines. Cæcus ille Ioann. cap. 9. beneficium oculorum a Iesu acceperat, sed non acceperat diuinitatis notitiam. Vt autem adductus ad Pharisæos cum ignominia eiicitur, nec frangitur eius affectus ad benefactorem suum, ait text. *Audiuit Iesus, quia eiecerunt eum foras, & cum inuenisset eum, dixit ei. Tu credis in filium Dei? &c.* Vbi sapienter D. Cyrill. Alexand. lib. 6. in Ioann. cap. 10. *Quamdiu inter Pharisæos fuit iste. & ignominias ab eis non est passus, non se illi denuò exhibuit, sed cum primum extra illorum est contubernium expulsus, & ignominia nota pro Christo affectus protinus se illi Christus præsentem ostendit.* Sic valet apud Deum, qui imperterrite patitur aduersitates pro Deo, & ignominias.

D. Cyril.

Leuit. 10.

Procop.

Ioann. 9.

D. Cyril.

Exod. 12. Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis, in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter. Est enim Phase, id est, transitus Domini. Et transibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum in terra Ægypti ab homine vsque ad pecus, & in cunctis diis Ægypti faciam iudicia, ego Dominus. Erit autem sanguis vobis in signum, in ædibus, in quibus eritis, & videbo sanguinem, & transibo, nec erit in vobis plaga disperdens, &c.

§. XIV.

Nihil contemnendum est de iis, quæ transituro tibi iam ab hoc mundo mandantur.

QVod præcinctus, quod calceatus, quod tenens baculum manibus agnum comedas, mandabatur Iudæis. Ait enim: *Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus vestris, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter.* Sed quo adducerentur Iudæi. vt tam prolixa mandata curarent? Ait textus: *Est enim Phase, id est, transitus, & cætera.* Vbi Glossa: *Est transitus, quia à filiis Israel ex Ægypto migrantibus primò celebratum est, nobis quoque migrandum est de transitoriis ad æterna.* Vbi autem aliquid transituris mandatur, id minimè contemnendum, sed summa diligentia, & exactione procurandum. Ait Numer. cap. 31. *Locutusque est Dominus ad Moysem dicens: Vlciscere prius filios Israel de Madianitis, & sic colligeris ad populum tuum. Statimque Moyses: Armate, inquit, ex vobis*

Num. 31.

viros

viros ad pugnam, &c. Duo ex Deo audit Moyses, & quod moriturus iam sit, & quod vindicet Israelitas de Madianitis, quod, vt audit, sic statim curat executioni mandare. Duces vocat, arma parat, bellum indicit, nihilque festinatæ pugnæ præterire patitur. Cur bone sic iam senex, & moriturus ferues in arma? Quid morituro cum bellis? Cur non magis curas de exitu tuo, quam de pugna paranda? Sanè mandata est illi pugnæ tractatio, vt inde ex hoc mundo transeat; quæ autem pro vitæ exitu mandantur, omni diligentia, & festinatione debent curari. Ait Procopius in Glossa: *Vltimum hoc negotium iniugit Dominus Moysi. Iram enim Dei Madianitæ sibi conciliarent. Non aspernandum vero mandatum est, quod magnum aliquid ante obitum gerere, viaticumque, seu ad vitæ exitum comparare suadet.* Et quidem sapienter putat non aspernandum esse mandatum, quo ante exitum aliquid gerere, vel comparare monemur. Quis enim vel mediocriter sapiens contemnat ea, quæ pro vitæ exitu parando faciunt? Hinc de Iesu ait Ioann. cap. 13. *Sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos qui erant in hoc mundo, in finem dilexit eos.* Itaque qui semper dilexerat suos, vbi transitus de hoc mundo instabat, eos in finem dilexit, hoc est, nihil prætermisit, nihil contempsit eorum, quæ ad dilectionem erga eos ostendendam faciebant. Decet enim transiturum de hoc mundo, nihil non facere ea iis, quæ ad Christiani officium, obligationemque spectant. Ex quo dicebat ibi Theophylact. *Cum autem mortis hora instaret, rem facit misericordia, & condescensionis plenam, mirumque erga discipulos præsefert dilectionem. Nam cum dilexisset eos, vsque in finem dilexit, hoc vult, quod nihil omiserit eorum, quæ facere decet eum, qui multum diligit.* Semper erga suos dilectionem impleuerat, vbi autem transitus appropinquauit, sic curauit dilectionem implere, vt nec minimam exhibitionem eius præterierit. Et merito, nihil enim non magnum est, quod discessuris mandatur. Exod. 16. *Manè quoque ros iacuit per circuitum castrorum. Cumque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, &c.* Sed apud Luc. cap. 14. dicitur: *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Vtrobique cœleste pabulum adumbratur, sed in primo dicitur minutum apparuisse, in secũdo non minutum, sed quod magnum ostendebatur. Et cur quod in primo apparebat minutum, in secũdo cœna magna dicebatur? In cœna intelligũt sancti extremum vitæ tempus. Beda in præsenti, Theophylact. & alij: quod ergo ad finem vitæ proponitur, non potest esse non magnum. Parui forsan erit momenti, quod in manè sumitur, hoc est in integra valetudine, at quod deficienti iam, & in extremis constituto datur, non pro minimo, sed pro magno erit, si relinquatur.

Procop. — *Ioan. 13.* — *Theoph.* — *Exod. 16.* — *Luc. 14.*

§. XV.

Fœminarum cupiditas hominem liberum non patitur.

AD libertatem properantibus nil prius de habitu præcipitur, quam quod præcincti sint. Sic enim ait: *Renes vestros accingetis, &c.* Nec miror, quod lasciui affectus constringantur in homine, qui seruitutem exuebat, & in libertatem properabat, vt enim libertas est in castitate, sic in lasciuia est seruitus. Quo spectans Hildebertus Cœnom. epist. 56. dicebat statum hominis ante lapsum considerans: *Omnia subiecta homini, quandiu mulieri subiectus non fuit: sed postquam male morigeratus est, cœpit suus non esse, & tot dominis seruire, quot vitiis.* Vide hominem ante quàm mulieris seruiret cupeditis, quam alte dominabatur; quam omnia sibi habebat subiecta! Vere liber tunc erat, vere rex, qui suo omnia subiugabat imperio, at vbi mulieris voluntati morem gerit, statim fit seruus, & regnum, & libertatem perdidit. Accipe duo, & seruitutis, & imperatoriæ libertatis exempla. Achab rex erat, sed dum Iezabelis amoribus tenetur, dicit de illo text. 3. Reg. 21. *Igitur non fuit alter talis sicut Achab, qui venundatus est, vt faceret malum in conspectu Domini, concitauit enim eum Iezabel vxor sua.* Itaque vbi Iezabel præualebat, concitabat miserum regem, vt venundaretur, & fieret seruus; nihil enim non seruile poterat esse in homine, quem fœminea voluntas tenebat. Sed Phinees homo priuatus erat, vt autem vidit Israelitem luxuriæ vacantem Numer. cap. 25. *Arrepto pugione ingressus est post virum Israelitem in lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet, & mulierem.* Vnde viro priuato tanta libertas, & confidentia, vt sic perimeret reos? Sanè vt castus erat, sic liber, sic Rex, qui possit tales punire reos. Quò spectabat D. Isidor. Pel. lib. 3. epist. 159. aiens: *Sacerdotij ergo honore affectus est, qui huiusmodi abiectionem excidérat, vt qui imperatoriæ honestatis experimentum præbuisset.* Expẽde illud, *imperatoriæ honestatis, &c.* quippe dum punit reos, imperium quoddam in se ab honestate profectum ostendebat. Est enim, & libertas, & imperium honestati annexum, vt seruitus misera homines voluptarios, & mulierosos premit. Ecclesiastic. cap. 47. *Inclinasti femora tua mulieribus. Potestatem habuisti in corpore tuo.* Vaticana lectio ponit: *Subiugatus es in corpore tuo.* Alia lectio: *Victus in corpore tuo passus es.* Nequit enim homo ab amoribus mulierum non venire in miseram seruitutem. Quod in Salomone indigitans D. Chrysostom. epist. 6. ad Theodorum ait: *Salomon iisdem, quibus pater vitiis inuolutus ob mulierum gratiam à paterno recedere ausus est Deo. Hinc aduerte, quam leue sit, non vincere voluptatem cupiditatis: sed peruertere ordinem naturæ, & virum genitum subiacere seruitio fœminarum.* Est semper ex indigna homine seruitus, qui ad regnum, & libertatem contendit. Verum à fœmina trahitur in vilissimam seruitutem, & vtinam in solam seruitutem traheret, sed quod peius est, non quiescit, donec trahat in æternum supplicium. Aiebat fœmina Iobo cap. 2. *Benedic Deo & morere.* Circa quæ ait D. Chrysostomus homil. in Decollat. Ioann. Baptistæ: *Non sufficiebat ei, quæ erat ad tempus disciplina: sed etiam, & æternum conciliabat supplicium.*

Hildeb. — *3. Reg. 21.* — *Num. 25.* — *Isidor.* — *Eccl. 47.* — *Chrysost.* — *Chrysost.*

§. XVI.

Transitoriis bonis non nimium adhærescendum iis, qui ad exitum contendunt.

NOn miror præceptum de assando agno, de non frangendo osse, de panibus azymis, vbi omnes ad transeundum præcinctos contemplor; cauet enim lex: *Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinantes.* Ecce tibi, vt præcincti, & parati ad festinatissimum iter mouentur agnum comedere, quid mirum, quod non permittantur ossa eius confringere, & exsugere, nec panes sapore è fermento? Qui enim sic in transitu est, nimis curare res transitorias minimè debet. Pulchrè ad hæc aiebat Procopius in Glossa: *Quia festinato eijciebantur Ægypto, & festinantes faciebant iter, non ubi in vestitu more viatorum cuniculum ediderunt tostam igne, ob temporis breuitatem; nec inter manducandum fregerunt ossa scrutantes medullas, quod faciunt otiosi. Nec tam sanum causa impulsi expectarunt, donec tota massa fermentata fermentaretur.* Et meritò vbi in transitu sunt, & festinatò coguntur Ægypto exire, non vacat nimis adhærescere rebus, vel eruendis medullis de ossibus, vel saporibus condiendis instare. Quis non amens dum multis impellitur, vt transeat, pertinaciter adhæret ossi, vt infringat, & medullam capiat, vel longa condimentorum expectet spatia? Equidem quando ipsa nostra conditione festinatò cogimur exire de mundo, & festinatissimum sentimus vitæ nostræ transitum, amentes sumus, si nimis inhærescimus rebus temporalibus, si vel saxa summo labore, & studio rumpimus, vt terræ medullas eruamus, si toti in saporando palato incumbamus. Sanè apud Sapientes idem est viator, & qui non adhærescit rebus, per quas transit. Iob cap. 21. dicebat: *Interrogate quemlibet de viatoribus.* Quæ verba premens D. Gregorius lib. 15. Moral. cap. 35. ait: *Viator quippe dicitur, qui in prætereuntibus sæculi cor figere despicit.* Monstrum est, si viator qui in festinatissimo transitu est, ad quem etiam vi potentis impellitur, & nihilominus cor figeret in prætereuntibus rebus. Id vel in amente nequit expectari. Vnde Paulus 1. ad Corint. cap. 7. vel hoc argumento conficit, quam leuiter mundalibus rebus vti debemus. *Hoc itaque dico fratres, tempus breue est: reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes; & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui emunt, tanquam non possidentes.* Ecce vt perfunctoriè, & leuiter administrari velint humana omnia, ea eo solum, quod tempus breue est, quod veloxtransitus nobis decernitur. Ait Tertul. lib. de cultu fœmin. *Qui emunt, inquit, sic agant, quasi non possidentes. Cur istud? Quoniam præmiserat, dicens: Tempus in collecto est.* Quando vel ipsum tempus vrget, & ostendit nos festinatissimos ad exitum, sic solum quasi in transitu rebus humanis vacare debemus. Hinc de Iesu filio Dei locutus Petrus Actor. cap. 10. ait: *Vnxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute, qui pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo.* At de eodem ait Ioan. cap. 4. dum Samaritanæ conuersionem spectat, *Fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.* Hic sedet, ibi pertransiit, & quando propter vnam Samaritanam sedet, cur dicitur propter tot sanandos non sedere, sed pertransisse? In Samaritana bona spiritualia quærebantur, quibus Deus studiose attendit.

Procop. — *D. Greg.* — *1. Cor. 7.* — *Tertul.* — *Act. 10.*

attendere dignatur, & ideo pro illis sedet, & operã adhibet, & studium maximũ. In alijs autem solum spectabantur corporales sanitates, quibus vt ostendatur Deus non multũ intendens, in illis ostenditur trãsiens. Ex quo D. Synes. epist. 57. aiebat: *Cum licebit, me ad infernitra dimittam. Hoc est leui cura & animaduersione ingens aliquod bonum efficiam, ita vt Deus ipse sese gerere solet. affici autẽ & adhærescere potentis, hoc demum malũ est, quod neque natura Dei sustinet, neque quisquam se ad Dei exẽplar componit.* Vt Dei est, non penitus adhærescere tẽporalibus rebus, sed illas leuiter tractare, sic in illis tractãdis pertransiens ostenditur. Nequit enim, qui in transitu est, rebus per quas transit adhærescere. Hinc Moyses vt securũ redderet Regem Edon, quod Israelitæ sui regni bonis parcerent, hoc ad illum mitti mandatum Num. 20. *Non ibimus per agros, neque per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis. Tantum velociter transeamus.* Ea propter vt promittit Moyses in transitu se Edonis bona minime tacturos. Et qui fieri potest, vt tot milites in regno florẽtissimo ad nihil afficiantur, nulli rei percipiendæ incũbant? Id promittũt verba illa, *velociter transeamus.* vbi enim in trãsitu veloci se promittunt futuros, prorsus credibile est, quod nihil studiose attingant. Sic aiebat Paul. 1. Cor. 9. *Qui in stadio currunt, ab omnibus se abstinent.* Facile parcunt obiectis bonis, qui sunt in stadij cursu. Quam promissionẽ miratus Philo in lib. *Quod Deus sit immutabilis,* tot in illã exagitat causas admirationis suæ, quot se offerunt homini volenti mũdialia quæque despicere. Sic enim ait: *O promissionem generosam, & magnificam! Itane obsecro superare, trãsire, quidquid in terra bonũ censetur, poteritis? Nihilne vestram properationem remorari poteris? Conspectum diuitiarũ auersabimini? Maiorũ dignitates despicietis? Gloriam prætercurretis tamquam rem vilissimã! Sanitatem corporis, integritatẽ sensuum, pulchritudinem optabilem & cætera, quibus anima domus honestatur, transcurretis obiter, vt nihil horũ referatis in bonorum ordinem? Olympica cœlestisque animæ sunt hæc insignia.* Cũ dicit *Olympico*, totũ Olympij stadij nobis cum Paulo proponit ludum, in quo currentes nullis detinebantur bonis conspectis in cursu, quin potius vel leuiter visis, quæ se opponebant, ocyssimè prætereibant. Sic sanè qui rapido cursu fertur, qui festinatò cogitur ire ad mortis metam præfixam, de Olympiæ mẽtis ductu fallar, si velit tẽporarijs hærere vllis.

Synes.

Num. 20.

1. Cor. 9.

§. XVII.

Per Eucharisticum Agnum sumptum in deos transimus.

AGnus, qui comeditur, merito dicitur Domini transitus, quando ait: *Est enim Phase, id est, transitus Domini,* vt pote, qui adumbrabat illum agnum, cuius cibus in Eucharistia sumptus nos in sortem diuinam transire facit. Quippe ait Macarius orat. de Exaltat. Crucis apud Gretherum. *Tota hæc historia diuinum agnum pro nobis immolatum, & mysticum illud pascha, & totius mundi salutem euidenter præfigurat. Neque enim corporalis illa perceptio vitam custodiebat, & in libertatem traducebat, at huius vera sumptio, & communio immortalitatem, & filiorum adoptionem donat, & ex terrestribus cœlestes, Deosque ex hominibus, eos, qui accipiunt, reddunt.* Sanè diuinissimus Agnus Eucharisticus, minimè nos in natiua vilitate permanere sinit; sed de eius epulis sic extollimur, vt proximi ad sortem accedamus diuinam. Deus redditur, qui tanti agni carnes participat; vt quantum ab illis distes, tantum à diuinitate alienus existas. Hinc textus locutus de Heli seruis, sacras carnes vi eripiebant offerentibus, inquit, 1. Reg. 2. *Erat ergo peccatũ puerorum grande nimis coram Domino, quia detrahebant homines sacrificio* Expende quos detrahebant, nimirum *detrahebãt homines*, ideo homines dicuntur, quia à tanto detrahebantur sacrificio, si enim non detraherentur, sed sacrificio vacarent, carnisque sanctæ epulis assisterent, non homines dicerẽtur, sed dij. Ait D. Greg. Papa lib. 2. expositionis c. 2. *Et notandum, quia qui detrahuntur à sacrificio, homines dicuntur, quia nimirum, si in fidei nostra vera confessione persisterent, hos diuinus sermo filiorum Dei appellatione signaret.* Si non detraherentur à tanto mysterio fidei, sed magis diuinissimi agni epulis insisterent, haud dubium quin in sortem transirent diuinam.

Macar.

1. Reg. 2.

D. Greg.

§. XVIII.

Bruta lasciuia opponitur Eucharisticis epulis.

REdeo ad id, quod nisi renibus præcinctis ad sacri agni epulum admittuntur. Sic enim cauet: *Renes vestros accingetis.* In quo singulariter ostendebatur castigatio, & compressio brutæ lasciuiæ, quæ maxime opponitur epulis agni diuini. Præclare ait Algerus lib. 1. de sacramento, cap. 22. *Ad edendum agnum lex dedit, in calceamentis cautelam, in baculo disciplinam; in lactucis compunctionem, in festinatione desiderij ardorem, in accinctis renibus abstinentiam libidinis expressius indixit: Quia Agnum Dei sine macula, quia virginis est filius, luxuriosi, & incesti sumunt periculosius: quia cum in sacramento Christi ei vniri debeamus, nihil sic aduersatur passioni crucis, vt voluptas, nihil sic eius vnitioni, vt fornicaria societatis vnitas.* Sane multum debet ab immaculati agni aris distare pecuina voluptas; quem ille solus dignè manducat, & Deo pro se offert, qui luxuriantes habet compressos, imò enectos appetitus. Vnde Psalm. 109. dicitur Christo: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Elegit enim Dominus sibi sacerdotium Melchisedech, cuius sacrificia constabant ex pane, & vino; abiecit Aaronis sacrificia, quæ carnibus constabant & pecudum, & altilium. Sed cur amauit plus donum ex pane, & vino, quam ex pecude, quàm ex altili? Nonne Abel in pecude placuit? Nonne & Aaron in pecude, & altilibus? Nõne & passeris caro, & aquæ potus possent etiam diuina virtute in corpus, & sanguinem Christi transire? Cur ergo horum sacrificia cauit, & sola accepta habet, quæ in pane, & vino Eucharistico sacrificia fiunt? Amabat verus Dei filius sacrificia, quæ minime essent communia pabula brutæ vitæ, sed prorsus ab animalibus brutis aliena, rationalem naturam nutrirent. Caro autem quæuis & aqua, cum & brutum simul nutriant, merito repelluntur, & assumuntur panis, & vinum, quæ solius sunt esca rationalis naturæ. Ratio enim mundissimam amat pudicitiam. Ait author Græc. Cabasila in Liturg. cap. 3. qui post numerata carnium diuersarum alimenta sic finit: *Nihil illorum est proprie nutrimentum humanum: commune est enim aliorum animalium, hæc quidem volucrum, & eorum, quæ herba vescuntur: illa vero ferarum, quæ carnem deuorant. Humanum enim illud dicimus, quod ad solum hominem pertinet; confectione autem panis opus habere, vt comedat, & vinum conficere, vt bibat, est solius hominis proprium. Et hæc quidem est forma donorum oblationis.* Et merito ad formam cibi Eucharistici illa quæruntur, quæ minimè pascant brutum, sed quæ sint solum cibi rationalis naturæ, quando ratio amica est pudicitiæ, & inimica luxuriæ. Vnde eleganti ratione D. Theodotus orat. de Christi Domini natiuitate, habita in appendice Concilij Ephesini, c. 2. probat Christum nascentem non potuisse officere puritati matris virgineæ. Quippè ait: *Vide quomodo factum est inopinabile sacramentum transcendens naturæ rationem. Quia enim est Verbum Dei, palam est, & ideò virginitatem non soluit. Quæ parit carnem puram, virginitate cessat. Sed quoniam natus est carnaliter Verbum Deus, custodit virginitatem, seipsum rationem ostendens:* inde enim ratio cuiusque euidentissime claret, cum virgineam puritatem seruat. Hinc Deus in Eucharistico cibo illas quæsiuit materias, quæ solius ad naturæ rationalis sustentationem deseruiunt, vt à castis tractentur. Quidquid enim brutæ lasciuiæ est, longe abesse debet ab eo sacrificio, in quo virgineus Iesus est præsens. Vnde Luc. 2. dũ puerulus Iesus Deo sistitur, pro eo redimendo offerunt parentes iuxta legem *par turturum, aut duos pullos columbarum.* Non sicut turtures, sic columbas offerunt, quin potius abiectis columbis earum pullos exhibent. Cur pullos & non columbas? Ait D. Bern. serm. 59. in Cant. *Licet aliàs per columbam Spiritus sanctus soleat designari, quia libidinosa auis est, non decuit offerri eam in sacrificium Domini, nisi ea ætate, qua nescit libidinem.* Sic puerulus Iesus cauet sibi proximum habere, quidquid oleat brutam concupiscentiam carnis.

Algerus.

Psal. 109.

Cabasila.

Theodot.

Luc. 2.

D. Bern.

§. XIX.

Eucharistia expellit comessationes, & gulæ festa.

ASsus agnus cum lactucis agrestibus sumendus proponitur, qui Phase dicitur, hoc est, transitus Domini, quippè ait: *Est enim Phase, id est, transitus Domini.* Et cur agnus amaricantibus succis datur in transitum, nisi vt ostendatur, quam nos abstrahit diuinissimus agnus à comessationum delicijs, & facit gulam abiurare? Equidem non transit cum diuinissimo agno in regnum patris, qui mauult sedere super ollas carnium Aegyptiarum, deditus comessationibus, & ebrietatibus. Vt dicat Algerus lib. 1. de Sacrament. capite vltimo: *Comedamus agnum cum lactucis agrestibus, cum desiderij feruore festinantes ad patriam. Est enim Phase, id est, transitus Domini, quo ex hoc mundo transiuit ad patrem: cum quo desidia tardus, & super ollas carnium in famulis Ægypte remoratus, transire non præualet,*

Algerus.

vt illuc perueniat, vbi Christus in dextera Dei sedet. Expende illud, *& super ollas carnium remoratur*; male quippe credit se cũ agno diuinissimo ad cœlestem patriam transire, qui comessationibus, & ebrietatibus simul vacat. Non equidem mensa mundi diuinæ mensæ bene copulatur. Exod. 16. cum Israelitæ iam essent in deserto, clamare cœperunt ad Aaron, & Moysem dicentes: *Vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate::: Dixit autem Dominus ad Moysem: Ecce ego pluã vobis panes de cœlo, &c.* Cupientibus vacare Ægypti carnibus, & ollis, datur à Deo cœlestis panis, habens omnium saporum suauitatem. Sed & Num. 11. similiter clamãt, similiter afficiuntur ad Ægypti carnes, & amant illis saturari; quin & Deus illos carnibus implet, tot illis adduxit coturnices, quot possent vel plures alios exsaturare. At quanto in damno? Ait text. *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiusmodi cibus, & ecce furor Domini cõcitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis.* Cur similiter antea non puniuntur? Cur modo subiacẽt supplicio tãto? Nonne & antea clamauerãt pro carnibus? Nonne & antea etiã ollas Ægypti exoptauerant? Cur tũc impune petunt carnes, & modo cum tanto vitæ damno? Antea nondum illis datus fuerat cœlestis panis, nondũ manna gustauerant, & ideò parcitur illis, quod gulæ vacẽt. At postquã cœlestem panẽ receperant, post viuificũ epulũ, post mensam Angelorũ, imo ante ipsam Angelorũ mensam non potuerunt impune Ægyptiis comessationibus, & ollis vacare. Ait D. Cyril. Alex. lib. 3. in Ioan. c. 34. *Quoniam panẽ cœlestem, qui cor hominis corroberat, adhuc nõ receperãt, facilem poterãt in cupiditates carnis incidere, propterea, & venia digni visi sunt. Postea verò quàm Domino fruebãtur, vt scribitur, tũc iure, quoniam corporalia spiritualibus præposuerunt, acerba dederũt supplicia, & ad supplicia insignem calamitatis memoriam reliquerunt.* Merito dure plectuntur, qui post mannæ cibum, post cœleste conuiuium; imò inter ipsas dapes Angelorum, sese Ægyptiis carnibus, & ollis ingurgitant. Qui cum mãnæ dulcedine adhuc student gulæ, vel contempto cœlesti pabulo, mundialibus comessationibus inhiant, ni fallar, nisi & amaritudo accidat supplicij, vt sint prorsus in gula, & in supplicio Iudæis similes, de quibus ait D. Zeno lib. 3. ser. 44. *Nihil, vt arbitror, restitit Iudæis proprium, nisi quod agno salutari neglecto ingrate viles agnos cum amaritudine manducant.* Ecce tibi Christiane, ecce tibi proprium Iudæorũ facinus, quod veri agni salutaris pabula negligant, & pabulis mundialibus inhient, quibus mereantur suppliciorum amaritudines. Caue tu ne illis similis agni diuinissimi mensam fugias, & comessationibus mundialibus incumbas; quo tibi acquires immane supplicium.

Exod. 16. — *Num. 11.* — *D. Cyril.* — *D. Zeno.*

§. XX.

Agni immaculati cibus nos magnificè transfert in patriam, Ipse enim & commeatus, & currus est.

PRo transferendis Israelitis in terram promissionis vnus paratur comedendus agniculus, in quo totus vel regalis transitus apparatus constituitur. Dicit enim: *Est enim Phase, id est, transitus Domini.* At in dominorũ transitu multa solent requiri, quę ad commoditatem, & pompam vię pertineant. Ibi & iumẽta multa pro commeatu asportando, & equi pro familia, & currus, & lecticæ pro dominis ipsis. Qui equi, qui currus, qui lecticæ in hoc dominico transitu? Sanè & agnus diuinus nobis in conuiuio oblatus pro omnibus sufficit, ipse commeatus, ipse lectica, & currus, vt magnificè, & cõmodè nos transferat in patriam promissam. Cum Ioseph ageret de transferendo patre ad Regiam Aegypti Gen. 45. præmisit fratres suos, *quibus dedit plaustra secundùm Pharaonis imperium, & cibaria in itinere. Singulis quoque proferri iussit stolas binas::: addens eis asinos decem, &c.* Itaque dum magnificum patris transitum ad Aegyptum parat, & cibaria mittit, & vestes, & iumẽta, & currus. At Deus pro transferẽdis suis vnum exhibet agni diuini cibum; cur & non currus, & equos, & aurigas simul mittit? Equidem omnia hæc sunt in agni diuini conuiuio. Ait Guarric. Abb. ser. 1. de Resurr. *Caro Christi est viaticũ: Spiritus vehiculum. Ipse est cibus, ipse currus Israel, & auriga eius.* Nihil magnifici apparatus ad viam requiritur, quod non inueniatur in epulo agni diuini. Quando ibi Deus est, & commeatus est, & viaticum, & currus, & auriga, qui nos magnificè faciat ad patriam transire. Apoc. 2. dicit Dominus: *Vincenti dabo manna absconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum scriptum.* Quocirca D. Aug. apud Viegas, ait: *In quo calculo nomen nouum scriptum est, id est, notitia filij Dei.* At vbi manna cœleste victori promittitur, vbi suauissimæ Eucharistiæ epulæ parantur nobis, in quibus, & cibus datur, & pretiosi calculi pro viatico offeruntur, quid necessum est ibi præfigi nomen diuinum, id est, imprimi notitiam Dei filij? Crediderim, ibi præfigi filij Dei notitiam, vt insinuentur quanta nobis veniunt in cibo diuino, vt veniunt & annona, & ornatus, & currus, & auriga, qui nos ad patriam deducat per omnes virtutes. Accipe simile Exod. c. 28. vbi post designatum ornatum Sacerdotis summi dicit: *Facies & laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere cælatoris, sanctum Domino.* Itaque post omnem Sacerdotis ornatum iubet, vt lamina aurea ponatur in fronte sacerdotis, quæ habeat insculptum nomen diuinum. Ad quid hæc lamina cum nomine diuino? Pulchrè in rem præsentem D. Hieron. epist. 128. inquit: *Lamina aurea rutilat in fronte? nihil enim nobis prodest omnium rerum eruditio, nisi Dei scientia coronemur. Lineis induimur, ornamur hyacinthinis, sacro balthea cingimur, imperfecta sunt vniuersa nisi iam decoro currui dignus auriga quæratur, & super creaturas creator insistens, regat ipse, quos condidit.* Quid pulchrius? Datur in lamina diuino nomine inscripta diuinitatis notitia, quæ & currum exhibeat virtutum, & auriga sit, qui suos, & portet, & regat alumnos. Datur etiam nobis cum manna cœlesti, cum epulo diuino & calculus inscriptus nomine Dei, diuinitatis notitia, vt ostendantur, quam ibi abundent omnia, & cibus, & vestitus, & currus, & auriga ad triumphalem profectionem in patriam ex Aegypto.

Gen. 45. — *Guarric.* — *Apoc. 2.* — *Exod. 28.* — *Hieron.*

§. XXI.

Dolores, & tormenta in Christo festinatissimum transitum ad gloriam operantur.

MIrum est, quod agnus occisus, & igne tostus dicatur Domini transitus. Sic enim ait: *Est enim Phase, id est, trãsitus Domini.* Qui occiditur, qui torretur, qui editur, is est transitus? Hoc sanè non inuenitur in pecude creata, at inuenitur in diuinissimo Iesu agno, qui dum percutitur, dum transfoditur, dum veru crucis assatur, ad regni gloriam festinissimus transit. Simile habes in 1. Regum cap. 18. vbi dum Dauid citharam pulsabat, Saul arripiens lanceam, *misit eam putans, quod configere posset Dauid cum pariete, & declinauit Dauid à facie eius, lancea autem casso vulnere perlata est in parietem.* Non sic apud Ioann. cap. 19. quinimò cum penderet in cruce Iesus, *vnus militum lancea latus eius aperuit.* Et aduersus Dauidem, & aduersus Iesum lancea iacitur; sed Dauid inuulneratus aufugit, Iesus autem transuerberatur lancea. Quid tunc? Qui ferrum vitat, dio fugiens peregrinatur in mundo; at qui sub ferri vulnere, & doloribus cadit, in euidentissimum regnum transit. Ait ibi Rupert. lib. 2. c. 7. *Dauid quidem in figura patiens, non confixus euasit fugiendo. ille autem, cuius passiones præfigurantur, etiam lancea, clauisque confixus euasit in regnum.* Non quidem in Dauide, quem vitauit; sed in Iesu quem ferrum transfodit, regnum parturit. Sic vulnera, dolores, & tormenta in Christo proficiunt, vt regnum, & gloriam citius inde capiat. Ionas, vt à Niniuitis fugeret, ascendit nauim, tempestatem patitur, mittitur in mare, à ceto absorbetur, tandem vorax piscis c. 2. *Euomuit Ionam in aridam*, nimirum Niniuitis proximiorem, vt notat noster Ribera. Itaque, qui à Niniuitis valde agebat remotus, vbi absorptus à cete fuit, illis apparuit proximior. Quantum portenti hoc? Equidem & dolores, qui nos premunt, qui nos deuorant, in Christo proficiunt, vt simus regno propinquiores. Ait Euseb. Gallic. hom. 2. de Pasch. notans Iesum absorptum à morte, & in regnum velociorem: *Quis est iste, qui intra auidos rictus assumi potest, consumi non potest? Cibus est, corruptio non est; traditur perditionis profunde, & seruatur ipsius mortis obsequio.* Expende illud, *mortis obsequio*, quando vel ipsa mors vorax in Christo saluti obsequitur, & liberationi, & gloriæ. Eam exhibunt dolores, & tormenta in Christo efficaciam, qua potiùs videantur ad festinatissimam gloriam spectare. Ex quo D. Chrysost. orat. in adorat. crucis allata à Gethsero nostro tom. 2. ait: *Hodie Christi Ecclesia alius paradisus efficitur, cum sanctissimum venerandæ crucis lignum in medium proponit, tamque passionis Christi velut pompam præambulam, & resurrectionis eius, tanquam præresuscitationem statuit.* Expende illud, *præresuscitationem*: quasi dicerent Christi resuscitatio fiat, vbi crux apparet, quæ in Christo didicit præresurrectionem, hoc est, festinatissimam resurrectionem importare.

1. Reg. 18. — *Rupert.* — *Ionas 2.* — *Euseb.* — *Chrysost.*

§. XXII.

§. XXII.

Durissimum est parentibus, quod filios pœna afficiat.

VT postrema, sic omnium durissima hæc plaga fuit Ægyptiis; ait enim Deus: *Percutiam omne primogenitum in terra Ægypti.* Et fallar, si quid acerbius parentibus accidat, quam quod videant filios perire. Nota fuit irrisio, quã iacenti Noemo fecit Cham Gen. 9. hanc vt plecteret Noe seuerissime ait:

Gen. 9.

Maledictus Chanaan puer, seruus seruorum erit, &c. At non Chanaam, sed pater eius Cham irriserat, cur non magis in Cham procedit vindicta? Equidem sic vehementius Cham percutitur, cum videt culpa sua maledictioné transferri ad filium. Ait Procop. *Cham punitus est in filio, qui maledictionis expertus est ultor. Et maior dolor cruciabat patrem, cum videret filium maledictione deuorari. Grauius enim affligimur calamitate liberorum, quam si nobis aliqua miseria obijceretur.* Hic est summus dolor parentum, quod videant filios torqueri; qui dolor, & crescit, si filius patiens fuerit primogenitus. Quo spectans Zachar. c. 12. vt vehementiam doloris crucifigentium Iesum exprimeret, ait: *Et plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti.* Vbi D. Cyril. Alex. ait: *Profusissimis namque lachrymis parẽtes primogenitos, & dilectis mortem semper prosequuntur, nec plangendi modum sustinent, estque dolor longinquus plane, & quasi perennis, acriter, & intolerabiliter vellicando animos maceratis.* Sic intolerabilis est dolor parentibus in morte primogenitii. Qui enim filiorum mortem non doleat, is non homo est, sed dæmon. Quippè Deut. c. 16. de Chananæis dicitur: *Omnes abominationes, quas auersatur Dominus, fecerunt dijs suis, efferentes filios, & filias, & comburentes igne.* At Psal. 105. non dixit, quod immolarent filios dijs, sed dæmonijs; ait enim: *immolauerunt filios suos, & filias suas dæmoniis.* Non enim nisi à dæmoniaca sæuitia posset venire, quod patres non immense dolerent, dum vexarentur filij. Ait Procop. ad c. 12. Deuter. *Dæmoniacum est naturalem affectionem erga affectam sobolem conculcare.* Soli qui exuerunt hominem, & dæmonium induerunt, possunt non summè dolere in morte filiorum.

Procop.

Zach. 12.

Cyr. Alex.

Deut. 16.

Psal. 105.

Procop.

§. XXIII.

Sanguis Christi in altari omnia absorbet peccata.

SAnguis agni impressus superliminaribus domus solis Israelitis afferebat incolumitatem. Ait enim: *Erat sanguis vobis in signum in ædibus:: Videbo sanguinem, & transibo vos.* Ecce tibi vt vindex iniquitatum transit Israelitas, ad conspectum sanguinis positi in superliminaribus. Et cur etiam sub hoc sanguine non etiam Ægyptij saluantur? Erat sanguis in postibus, nondum apparuerat immacolati agni sanguis positus in altari, qui omnium hominũ absorbet peccata, & vniuersos saluos facit. Hinc Moyses Exod. 24. de oblatis victimis accepit sanguinem, & dimidiam partem sanguinis, *misit in crateras, partem autem residuam fudit super altare.* Iam non in domus postibus, sed in altari ponitur sacer sanguis: cur in altari? Ait D. Ambros. epist. ad Simplicianum: *Quod verò ad altare effundit sanguinem, intelligere licet ablutionem mundi, remissionem omnium peccatorum. Etenim sanguinem illum ad altare, quasi hostiam effundit ad multorum exhauriendu peccata: agnus enim hostia est, sed agnus non irrationabilis natura, sed diuina potentia, de quo dictum est: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Non solum enim mundauit peccata vniuersorum, sed etiam diuina potestate donauit.* Ecce tibi vbi diuinissimus sanguis cœpit rubere ex altari, mundum vniuersum emundat, nullam præterit maculam, quam non lauet, quantum est ex se; cuiuscunque gentis, & conditionis fuerit homo, habet vnde munditié capiat, & indemnitatem, ex quo Christi sanguis in altari purpurascit. Noemus post diluuium Gen. 7. *Ædificauit altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit holocausta super altare.* Quibus verbis non tam intelligendum Noemi facinus, quàm Christi Domini; post cuius passionem apparuerunt in Ecclesia Dei ædificata altaria, in quibus corpus Christi à Sacerdotibus quotidie immolatur, & simul cum illo omnes homines immolamur. At cum dicit de cũctis pecoribus mundis fuisse holocausta oblata; quis peccator non se exclusum putet a sacrificio tanto? An mundus dicar, qui sum inmũdo conceptus semine? Ergo qui immundi sumus, prorsus debemus exulare ab aris? Verum cum dicit, *de cũctis pecoribus mundis,* non id dicit, vt excludat immundos, sed vt ostendat nullum esse, qui non sit ab huius altaris sanguine

Exod. 24.

D. Ambr.

Gen. 7.

mundatus, & seruatus. Ait Rupert. lib. 4. in Gen. c. 27. *Amplius, & in hoc mysterium Domini nostri Iesu Christi præfulsit; qui nouum altare, nouumque sacrificium instituit, & quod seruatum est in passione, in holocaustum Deo patri tam per semetipsum, quam per manus sacerdotum offerre non desinit. Ipsum denique corpus, ipsum sanguinem, qui illis effusus est, ei offerimus, qui eum à morte saluauit. Præterea de cunctis animantibus mundis, munda autem sunt omnia, quæcumque autem hactenus fuerant immunda, illa suo sanguine mundauit.* Proh efficaciam diuinissimi sanguinis, qui in altari Eucharistico apparuit: nullum excludit, nullam ex se differentiam facit, sed omnes ex æquo mundat, omnes sanat. Etiam quæ immunda repellebantur, sub hoc sacro sanguine in altari propinato noua munditie candent. Hinc Petr. Act. 10. *Vidit cælum apertum, & descendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initiis submitti de cælo in terram: in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cæli.* Quę omnia mandantur comedi Petro, vt munda, & pura. Sed vnde serpentia terræ potuerunt dici munda, & munda haberi, nisi ex eo, quod in linteo submittebantur? Equidem linteum mensam diuinam ob oculos mihi proponit, in qua sub vini specie sanguis diuinus propinabatur. A qua mensa illud oritur, quod nullum animal sit reiectaneum, sed serpentia etiam sub salutari munditie candent.

Rupert.

Act. 10.

Exod. 12. Habebitis hunc diem in monimentũ, & celebrabitis eum solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno. Septem dies azyma comedetis. In primo die non erit fermentum in domibus vestris. Quicunque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel. Dies prima erit sancta, atque solemnis, & dies septima eadem solemnitate venerabilis. Nihil operis facietis in eis, &c.

§. XXIV.

Ingratitudo in vindictam armat etiam mansuetos.

QVi sub agni figura se comedendum offerebat, memoriamque sui beneficij Israelitis præstiti in panibus azymis collocabat, sic hanc memoriã repetit, vt si hæc deficiat, quã modo arcet, tunc mortem minetur. Ait enim: *Quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa, &c.* Et cur pereat homo, eo solũ quod fermentatum, & non azymum comederit? Quantũ hoc malum, quod adeo seuerè pœna mortis Deus plectit? Sanè, in cibo fermentato nulla erat memoria diuinæ beneficentiæ Israelites præstitæ, quam perdere ingratissimi animi est, & acerbissima morte, vel à mansuetissimo Deo plectendi. Ad hæc Oleaster ait: *Audis hic quale malũ sit ingratitudo, qua mortis pœna mulctatur.* Et fallar, si qua culpa sic armet in vindictam mansueros, vt ingratitudo. Nota est historia Dauidis, quando misit nuntios ad Nabal, vt peterent refrigerium cibi ab eo, cuius greges sæpe à malo custodierat. Iuerunt nuntij, domini sui proponũt indigentiam, & quam honeste, & reuerẽter possunt, aliqualem alimoniam petunt. Negat ille, vel frustum panis se daturũ homini sibi ignoto: quod vbi Dauid resciuit, ira exardescens iubet suos in vindictam armari. Ait enim text. 1. Reg. 25. *Tunc ait Dauid pueris suis: Accingatur vnusquisque gladio suo, &c.* Mirabar in viro mãsuetissimo tantũ vindictæ ardorem, quod statim stringat ferrũ aduersus Nabalem, qui & aliorum iniurias mansuetissime tulit. Ecce, qui sæpe in iniurijs patiẽs fuit, modo sic ad arma festinat pro Nabale percutiendo? Multa bona receperat Nabal à Dauide, quorum immemor se prorsus ingratum ostendit, vndè non miror, quod in se armet virum adeo mansuetum. Ait Theod. ibi: *Quamobrem is, qui in Saulem tantam ostendit lenitatem, & patientiam, Nabalem tentat occidere? Iste multis beneficiis sæpe fuerat affectus. Nam cũ pastoribus Dauid versans in solitudine, non solum prohibuit suos aliquid auferre ex iis, quæ ad ipsum pertinebãt, sed etiam repulit damna, quæ aliunde ei afferebantur. Recordatus ergo Dauid horum beneficiorum, & audiens conuitia, & contumelias magno impetu venit armatus.* Et quẽ nõ armet in vindictã obliuio beneficiorum, quæ ab illo venerant? Sanè nihil non meretur ingratus homo, nullaque illi magna potest esse pœna. Vndè Oseas cap. 11. Israelitarum perditionem, reiectionem

Oleaster.

1. Reg. 25.

Theod.

eorum meritis respondere, vnum hoc dicit ex parte Dei. *Ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis, & nescierũt, quod curarem eos.* Vide criminis exaggerationem, *& nescierunt, quod curarem eos:* quippè salutem accipiebant, & saluatorem nesciebant. Quantum hoc crimen ad tãtam pœnam electionis? Ait D. Cyril. Alex. ibi: *Grauissimum autem esse crimen ingratæ voluntatis, & quasi omnis improbitatis conuictum merito puniri, qui hoc morbo tenetur, & hinc facile est videre. Ingratus enim est similis blasphemo.* Quodcumque crimen excogitaueris, de illo cõuictum puta hominem, qui est ingratus. Qui ingratus est, nihil horrendum non audebit, nullum facinus execrabile recusabit, vt hinc pateat, quãtis debeat, vel à mansuetissimis castigari. Et merito D. Nazianz. orat. 3. hoc ingratitudinis vitium statuit caput omnium facinorum, & abominationum, quæ perpetratæ sunt à Iuliano. Sic enim ait: *Vnum igitur, & princeps illius facinus, hoc est, quod à magno Constantio, qui patri nuper in imperio successerat, salutem consecutus, & quidem salutem inopinatam, & incredibilem cum fratre consecutus, nec Deo ob salutem, nec Imperatori, per quem salutem acceperat, gratiam habuit, verum vtrique nequam, & improbum se præbuit.* Hoc in flagitiosissimo homine ponitur pro omnium flagitiorum capite, quod minime habuerit benefactoribus suis debitas gratias. Et merito in hoc crimen reiiciuntur, tanquam in fontem vniuersa mala tanti Apostatæ: quando ingratus animus nihil non audet, quo possit in se mala conglomerare.

Cyr. Alex. — *Nazian.*

§. XXV.

Sub crucifixi Domini memoria nequis admitti cupiditatum solatium.

ET redemptionis per agnum immolatum peractę festũ, & memoriam agni, & azymis vesci simul lex cauet. Quippè ait: *Habebitis hunc diem in monumẽtum, & celebrabitis eum solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno. Septem diebus azyma comedetis, &c.* Ecce in commemoratione salutis factæ per agni sanguinem, fermentatum excluditur, & insipidus panis azymus infertur. Non enim bene conueniunt, & gulę solatium, & cõmemoratio agni diuini, qui sanguine fuso nobis salutem emit. Similiter cauetur Leuit. 2. vbi ait lex: *Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermẽto fiet, nec quicquã fermenti, ac mellis adolebitur in sacrificio Domini.* Non admittit dominicum altare fermẽtum, nec suauitatem mellis, immolati enim agni memoria, quæ in altari fit, prorsus excludit, quidquid ad suauitatẽ, & solatium pertinet. Ea quo ait German. Patriarcha Constantinop orat. in adorat. crucis, tẽpore medij ieiunij apud Grethserum tom. 2. *Obtemperate præuaci per asperum viam, & cedite, & honorate eius altare, nihilque afferte, quod sensum exhilaret, & oblectet, & ad voluptatẽ resoluat. Cruci enim dolor cõpetit, non voluptas, fellis hic gustandi, tẽpus, non mellis, altare Christi respuit fermentum Ægyptium, post resurrectionem erit esus mellis, & sincera voluptatis fruitio.* Quid pulchrius? Quid sapiẽtius? Dum in hac vita mortali sumus; memoriamque pro nobis immolati agni celebramus, fallimur, si suauitatibus excipiendis operam damus. Tẽpus est fellis, nõ mellis, tempus insipidi, & azymi panis: quidquid suaue est, quiequid dulce, absit ab illo, qui accedit crucifixi aris. Diuinissimũ agnum sub pallore mortis mirabatur Ier. Thren. 4. dicẽs: *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?* Sanè, cuius caput aurũ optimum erat Cant. 4. nimirum, aurũ splẽdens, aurum rutilãs, decoloratum est, & versum in pallorem exanimis. Quid tunc? Ait Dauid Psal. 67. *Erunt pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri.* Non solum aureus Iesus paller, & decoloratus apparet, sed & colũba eius, nimirum sponsa eius sub eodem pallore ostenditur. Et cur colũba Dei, sponsa Dei non rutilans, sed pallidũ refert suum aurum? Vidit pallere Iesum, vidit eum sub mortis pallorem cadere, & statim ipse similiter pallere elegit, & quidquid lucidum, & rutilum est, longe abiecit. Accipite D. Bern. ser. 61. in Cant. fantem: *Aurum Verbum, aurum sapientia est. Hoc aurum semetipsum decolorauit abscondens formam Dei; & formam serui prætendens. Decolorauit & Ecclesiam, quæ ait: Decolorauit me sol. Ergo & posteriora illius in pallore auri, quæ fuscum non erubuit crucis, vstionem passionis non horruit, liuorem vulnerum non refugit. Et iam complacet sibi in illis, & optat nouissima sua fore horum similia.* Prudens anima, quæ vt crucifixum Deum meminit, quidquid de crucifixi forma non venit, constanter abiicit, & illi in doloribus, in amaritudinibus, in infirmitate assimilari amat. Nequit in se admitti aliud, quam id quod videt in agno ad aras crucis immolato.

Leuit. 2. — *German.* — *Ierem. 4.* — *Psal. 67.* — *D. Bern.*

Exod. 12. Ite tollentes animal per familias vestras, & immolate Phase. Fasciculumque hyssopi tingite sanguine, qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare, & vtrumque postem. Nullus vestrum egrediatur ostium domus suę vsque mane. Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios: cumque viderit sanguinem in superliminari, & in vtroque poste, transcendet ostium domus, & non sinet percussorem ingredi domos vestras, & lædere, &c.

§. XXVI.

Nullus est adeo ferus, & brutus, qui non saporetur, & suauietur in Christi passione.

DVm agni sacrificium Moyses mandat, non otiose abstinuit ab agni, siue hœdi vocabulo, & commune omnibus, vel ferissimis nomen posuit, ait enim: *Tollentes animal per familias vestras, & immolate Phase.* Cur non magis vsus est noto agni nomine? Cur placuit dicere animal, quod ferissimis etiam commune est? Sanè vbi diuini transitus memoria fundabatur, quo Iesus transiturus erat de mundo ad Patrem, non offendebat, vel ferissimis commune vocabulum; nullus enim adeò ferus, aut brutus affectus in passionis Dominicæ memoria non suauiatur. Petrus Actor. 10. *Vidi cælum apertum, & descendens vas quoddam velut linteum magnum quatuor initiis submitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cæli. Et facta est vox ad eum: Surge Petre, occide, & manduca.* Ecce ibi, Petro ostenduntur in linteo omnia quadrupedia animalia, & serpentia, sic præparata, vt possint edi, vt suauissimæ edũtur epulæ. Sed vnde suauiantur serpẽtia terræ, vt possint vorari à Principe Ecclesiæ? Vide in quo linteo veniebant, erat enim linteum, quo Iesus pro nobis immolatus, inuolutus ad sepulturam fuerat, & in quo necessario stigmata dolorũ eius erãt impressa. Quid plura? Dominicæ passionis sub linteo nullũ animal adeo ferum, adeò brutũ est, quod non suauietur, & recipiatur intra mẽbra Ecclesiæ. Ait D. Hilar. in Matth. can. 33. *Ioseph munda sindone corpus Iesu inuoluit, & quidem in hoc eodem linteo reperimus de cælo ad Petrum vniuersorum animantium genera submissa.* Vide vt in linteo crucifixi Domini posita feralissima quæque, & maxime brutescentia animalia, in eam suauitatẽ deuenerunt, quã possẽt suscipi a Petro. Similiter Gen. 7. tẽpore diluuij: *Ingressus est Noe, & filij eius, uxor eius, & vxores filiorũ illius cũ eo in arcã propter aquas diluuij. De animãtibus quoque mundis, & immundis, & de volucribus, & ex omni quod mouetur super terram, duo, & duo ingressa sunt ad Noe in arcam.* Mirabar, vt tot animalia, & feralissima, & carniuora, & rapacia potuerunt simul conuenire in arca, nec eius mansuetissimæ conuentionis vllam aliam rationem aptiorem inueni, quam ipsam arcam vndique mysteria crucifixi aspirantem, vt communiter prædicant sancti Patres. Vbi autem crucifixi Domini mysterium radiat, feralissima quæque, & summè brutescentia suauiantur. Sed accipite nobilissimum huius rei commentatorem D. Basilium Seleuc. qui orat. 6. & quæstionem proponit, & solutionem pandit. Ait enim: *Verum age, quomodo arca capi poterant tot animalium genera? Quomodo quæ ab ingenio inter se discordant, in noua secum fœdera concordabant? Quomodo reptilium natura poterat esse pacata? Quibus frenis reprimebantur ferarum genera? Quomodo carniuora cum herbilegis stabulabantur? : : O arca virtutum schola! O scapha admirabilis, ligni salutaris vmbra, & imago! O quæ crucis gratiam præoccupasti!* Quid pulchrius? Erat equidem in arca crucis imago; visebatur iam ibi crucis Dominicæ mysterium, & gratia, sub qua non est adeò ferus, & brutus animus, qui in suauitatem, & facilitatem non abeat. Huc etiam spectat illud Abacuc cap. 3. ad filium Dei dictum: *In medio annorum notum facies:* vbi Septuag. posuere. *In medio duorum animalium cognosceris:* quod D. Aug. 18. de ciuit. c. 32. refert ad tempus crucis, quando crucifixus Dominus inter duos latrones, alteri eorum, & feralissimo, & rapacissimo suæ passionis gratiam impertiit, & eum in salutem traxit. Quis feralior, & magis brutus quàm latro? Is ad crucifixi latus mollior cera facta humanissimam induit suauitatem. Ex quo D. Chrysost. orat. de cruce, & latrone apud Grethserum

Act. 10. — *D. Hilar.* — *Gen. 7.* — *Basil. Sel.* — *Abac. 3.* — *Chrysost.*

com.

tom. 5. ait: *Non enim mortuum excitans, non mari imperans, non dæmones increpans, sed crucifixus, clauis affixus, iniuriis affectus, sputis oblitus, conuitiis impetitus potuit ad se malam latronis mentem attrahere. Vide vtrinque potentiam illius effulgescentem. Creaturam concussit, petras disrupit, animam latronis petra duriorem, cera molliorem effecit.* Quid plura? Sic feralissimi, brutissimique animi sub Crucifixi aspectu mollescunt, suauiantur.

§. XXVII.

Præstantior fœlicitas est, quæ in domo tua inter tuos frueris.

POsset equidem Deus Israelitas etiam à domibus exeūtes saluare, & liberare ab exterminatore, sed maluit, vt hac salute fruerentur singuli clausi intra proprias domos. Sic enim cauet: *Nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ vsque mane.* Et quidem pertinet ad præstantiorem hominis fœlicitatem, quod propria in domo, inter suos fœlicitate gaudeat. Ex quo sapientissime Nazianz. extollebat suæ patriæ præsulatum sibi oblatū orat. 8. fatus. *Paternis laboribus succedere dulce est, ac noto, & familiari gregi præesse iucundius, quam externo, & alieno, addā etiam, & Deo charius.* Sapientissime vir Theologus ad maiorem iucūditatem, & dulcedinem, imò ad rem magis ipsi Deo probatam refert, quod quis paterna in domo inter suos dignitate clareat. Quod vt maximum fœlicitatis culmē est, sicut impiis hominibus sæpe inuenitur negatum. De impio ait Iob c. 20. *Lux obtenebrescet in tabernaculo eius.* Erit enim quandoque impius in luce, in dignitatum, & fœlicitatum splendore, sed hæc lux non illum in domo sua comitabatur: id quod Septuag. magis expresserunt, dicentes: *Lux eius tenebra in domo.* Multum lucis habebat apud exteros, sed in propriis tenebrosus, & obscurus erat. Pro quo eleganter mordet Iudæos D. Zeno ser. 4. de Iudæis fatus. *Quid tumet Pharisæus inanis, quem momentis præteritis delectat umbra? Exaltat, quod in Ægypto creuerit, at in originali decreuit solo.* Tota quidem lux externa obnubilatur, & obtenebrescit; quando quis apud alienos fœlix est, & in suis infœlix. Quo refero dicta 1. tom. de Christo figurato, lib. 5. cap. 5. §. 23.

Nazian.

Iob 20.

D. Zeno.

§. XXVIII.

Efficacius, & præstantius sacrificium exhibes, in quo rationis partem subiicis Domino.

TOtus agni immolati effectus Israelitas protegebat manentes intra domum. Sic enim habet: *Nullus vestrū egrediatur ostium domus.* Sic intra domum quisque seruabatur sub sacrificio agni. Lōgè aliter monebat Paulus Christianos post Iesum in cruce immolatum aiens 1. ad Tim. 2. *In omni loco leuantes puras manus sine ira, &c.* Ibi in sola propria domo licebat sperare salutem per agni immolationē, hic in omni loco iubet, vt speremus, & petamus per Iesum saluari. Et cur in omni loco? Chrys. orat. de cruce, & latrone, apud Grethserū, tom. 2. ait: *Iudæis præcepit Deus, vt uno loco immolarēt, & preces in vno loco funderent. Cum Christus venit & extra ciuitatem mortem obiit, vniuersam terram mundauit, omnemque locum orationi idoneum effecit. Omnis enim terra de cætero sanctificata est. Et sanctior est Iudæorum illis sanctis. Qua ratione? Quia ibi quidē rationis expers, hic vero ratione prodita ouis oblata est. Quanto igitur præstantius id, quod rationem habet, eo, quod ratione caret, tanto amplior, & hæc sanctificatio est.* Pecuina mactabantur in lege, ideo minor eorū efficacia ad sanctificandū; vbi autem in Christo nō pecuinum quid, sed ratio Deo litabatur, efficacius sacrificium apparuit, quo posset omnis terra, omnisque locus mundari. Ne dubites quisquis Deo rationem submittis, rationem immolas, quod illi offeras præstantissimū omnium sacrificium, sub cuius efficacia vbicūque fueris, possis viuere. Non enim immerito aiebat Samuel 1. Reg. 15. *Melior est obedientia, quam victimæ, & auscultare magis, quā offerre adipē.* Licet enim quidquid pecuinum est in te, & animale, Deo mactes, non sic places, vt per obedientiam places, in qua pars rationalis mactatur, & litatur. Ait D. Greg. PP. lib. 6. ibi: *Longe altioris meriti est, propriam voluntatem alienæ semper voluntati subiacere, quam magnis ieiuniis corpus atterere, aut per compunctionem se in secretiori sacrificio mactare.* Vbi illa pars, quæ ad rationem pertinet Deo litatur, maius, gratiusve sacrificium exhibetur, quā si omnia mactarentur animalia. Ex quo D. Ignat. meus parens in aurea illa epist. quam de obedientia dedit suis, ait: *Vos ergo per Christum Dominum nostrum obtestor, qui sese nobis non modo præceptorem, sed etiam exemplar præbuit obedientiæ, vt ad eam virtutem toto pectore incumbatis, & gloriosæ victoriæ appetentes, atque auidi, vosmetipsos superare, id est, excellentiorem, & difficiliorem animi partem, volūtatem dico, atque iudicium expugnare, & subiicere studeatis; quo Dei Domini nostri solida, veraque cognitio, atque amor vestros ad se animos penitus trahat.* Ea est victima, quæ nos sub Dei protectione maxime facit; nēpe qua pars rationalis, scilicet voluntas, & iudicium ei perfecte litatur. Quo crediderim spectasse Paul. ad Rom. c. 12. *Obsecro itaque vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra Deo hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* In margine legitur: *Rationale obsequium*; & Chrys. *Rationalem cultum.* Et quod est rationale obsequium nisi quod fit in excellentiori hominis parte, nēpe in ratione, quando non solum pecuinæ affectiones, sed & rationales discursus & affectus in captiuitatem adducuntur Deo? De iis dicebat Nazian. orat. 25. ostendens quibus vinceret Arrianos: *Hi, nempe Arriani, domos habent, nos hospitem; hi templa, nos Deum; idque præterea, quam viua viuentis Dei templa sumus, victimæ viuæ, holocausta ratione prædita, sacrificia perfecta, dii denique Trinitatis adoratæ beneficio.* Et merito Catholicorum perfecta sacrificia, quibus dii fimus, rationalia putantur, vt qui rationem captiuemus in Dei obsequium.

1. Tim. 2.

Chrysost.

1. Reg. 15.

Gregor.

D. Ignat.

Rom. 12.

Chrysost.

Nazian.

§ XXIX.

Vt diaboli ingenium est percutere, sic Dei ingenium est benefacere. In quo perfecta eius imitatio consistit.

IN Israelitarum salute, & Ægyptiorum morte diuisum est munus inter Deum, & diabolū iuxta cuiusque ingenium; vt Deus suos protegeret, & diabolus suos percuteret. Sic enim in textu de Deo: *Non sinet percussorem ingredi domos vestras, & lædere.* Percussor, secundùm Hieronymum, erat diabolus, defensor Deus, & quid aliud faceret Diabolus, quam percutere, & quid aliud faceret quam defendere, & saluare Deus? De vtriusque ingenio pulchre ait Euseb. Gall. serm. de Epiph. & Machabæis: *Quos per cruentissimum persecutorem humiliauerat diabolus, exaltauit Deus; quos ille damnauit, iste glorificauit; ille opprobriis adimpleuit, hic præconiis: ille affecit flammis, refrigerius hic refecit; ille induxit in mortem, hic ad vitam de morte perduxit; ille interfecit gladiis, hic dignos fecit coronis.* Ecce tibi quæ sint Dei, & quæ sint Diaboli; Dei est, quidquid ad salutem, ad vitam, ad incolumitatem facit; diaboli est, quidquid ærumnam, mortem, perditionē halat. Id quod clarissime patet Iob c. 2. vbi dicit: *Egressus igitur Sathā à facie Domini percussit Iob vlcere pessimo.* Recedit nequam à Deo, vt percutiat, nunquā enim Diabolus non distat à Deo in affectu, & opere percutiendi, quando ad Deum pertinet salutem dare, ad diabolum exitium inferre. Ex quo & grauiter, & sapienter D. Nazian. orat. 17. monebat vrbis præfectum: *Ad Deum te adiunge, nō ad mundi principem: ad benignū Dominum, non ad acerbum tyrannum. Ille homicida erat ab initio. Tibi vero, homo Dei, in mentem veniat, quis te finxerit. Quocirca Dei humanitatem, & misericordiam æmulare. Nihil tam diuinum homo habet, quā benignitatem, ac beneficentiam. Licet tibi nullo labore Deum fieri, noli diuinitatis consequendæ occasionem abiicere. Alii opes suas effundant, alii exhaustum carnē spiritui mancipant, ac propter Christum emoriuntur, atque omnino à mundo se remouent. Alii charissima sibi pignera Deo consecrant. Horum nihil à te postulamus: pro omnibus hoc vnum offer, nempe benignitatem, (qua Deus magis, quam cunctis aliis rebus, in vnum collatis, delectatur) donum proprium, donum omni labe vacuum, donum Dei liberalitatem, & munificentiam imitans.* Quid sapientius? Quid diuinius? Piaculum fuisset, vel verbulum prætermisisse: quibus ostenditur, vt diabolum exuas, & Deum induas. Diabolum quidem exuis, si te ab omni acerbitate, ab omni duritie, ab omni nocendi affectu alienum exhibeas. Deum induis in beneficentiæ, & benignitatis studiis, quibus Deum refers plusquā in omnibus aliis virtutibus. Quò spectans etiam D. Synes. epist. 31. inquit: *Bene aliis facere hoc solum habent homines cum Deo commune; imitatio porro conciliatio quædam est, idque quod imitatur cum eo coniungit, quod imitādum proponitur. Quamobrem sic habeto, affinem te Deo esse factum, eiusdem beneficā communione voluntatis.* Habes homo vt te per beneficentiam, plusquā per alias virtutes, Deum statuas. Et quis non amet, sibi hac virtute promereri Deum? Et quis non metuat à Deo in hoc multum distare? Sanè vbi Luc. cap. 3. Genealogiam deducit Saluatoris vsque ad primum parentem ait: *Qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Sed Adami primogenitus filius non Seth, sed Cain fuit. Cur ergo excluso

Iob 2.

Nazian.

Luc. 3.

primogenito Seth eligitur in auum Christi? Cur non magis Caio ponitur? Fateor Cain malum, sed & aliæ personæ, quæ in illa genealogia sunt, pessimæ fuerunt. Cur ergo Cain excluditur, nisi ob crudelitatem in fratrem, quem percussit? Ait D. Ambros. lib. 3. in Luc. *Siletur planè parricida fratris. Neque enim rationabile erat, vt is, qui percusserat fratrem, inter Domini numeraretur authores; cum seruulos iste seruauerit.* Meritò homo crudelis in fratrem, vt alienus excluditur ab eius genealogia, qui seruulos etiam suos summa amplectebatur benignitate. Solet enim Dei filius, vt à se prorsus alienos damnare eos, qui fratrum carnificinam audent spectare. Accipite ex Paulo Orosio lib. 7. rem ad præsens intentum & singularem, & præclaram. Ait enim ibi c. 4. *Tiberij Imperij anno duodecimo noua, & incredibilis clades apud Fidenatium vrbem accidit. Amphitheatri cauea populo gladiatorium munus spectante collapsa est, & plusquam viginti millia hominum occidit. Dignum sanè posteris tantæ correptionis exemplum, tunc ad spectandas hominum mortes auidos homines conuenisse, quando pro salute hominum prodenda Deus homo esse voluisset.* Fallat, si quid pulchrius in rem præscotem dici potuerit: quo ostenduntur perijsse, qui spectabant hominum interfectiones, quando Deus homo factus erat, vt salutem hominibus afferret.

D. Ambr.

Paul. Oros.

Exod. 12. Et cum dixerint vobis filij vestri, quæ est ista religio? Dicetis eis: Victima transitus Domini est, quando transiuit super domos filiorum Israel in Ægypto, percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans. Incuruatusque populus adorauit, &c.

§. XXX.

Ad conspectum sacrorum multa exhibenda est reuerentia.

PRoponit Moyses populo, vt sacrificaturus est agnum, & vt recordaturus est redemptionis per agnum obtentæ: ad cuius vocem incuruat se populus & adorat. Ait enim: *Incuruatus populus adorauit.* Et quid in illis verbis, incuruatus adorauit? Iam ibi diuinissimi agni immolatio figurabatur, insuper & commemoratio redemptionis humanæ, quæ in Eucharistiæ epulis celebratur. Quod vel adumbrate populus percipiens, non miror, quod summa reuerentia correptus adorationem exhibeat humi prostratus. Quis vel ad vmbram tantæ redemptionis, ad conspectum tanti agni, non prostratus adoret tanti beneficij largitorem? Magdalena dum ad ostium excubat monumenti Ioann. 20. *Vidit duos Angelos in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu.* Aderant Angeli sepulchro vbi corpus Iesu positum fuerat, aderant, inquam, summa reuerentia locum venerantes. Ex quo sic nos monebat Chrysost. hom. 10 Parasceuen apud Grethserum tom. 5. *Cum igitur eum, qui in cruce affixus est, visuri simus tanquam agnum mactatum, & immolatum, moneo, vt cum tremore, veneratione, ac reuerentia multa accedamus. An nescitis, quomodo Angeli adstiterint sepulchro corporis experti, sepulchro vacuo? Attamē quia semel totum corpus Domini recepisset, multum honoris ipsi quoque loco exhibent. Angeli, qui naturam nostram excellentia sua longè superant, tanta verecundia, & obseruantia sepulchro assistunt; nos non ad sepulchrum inane, sed ad ipsam mensam, in qua agnus positus est, adstare cum tumultu, & turbatione accedimus. Et qua nobis de reliquo venia speranda erit?* Res sanè tremoris plena est, sanctissimus, & exercitatissimus pater vix credit superesse spem veniæ iis, qui irreuerenter adstãt mensæ diuini agni immolati in Eucharistia. Nec miror, quod sic deploratos putet homines, qui coram Dei mensa audent, & irreuerenter stare, & alios ad peccandum prouocare, quando hos Caino peiores putat idem pater. De Caino autē parricidium meditante ait Gen. 4. *Dixitque Cain ad Abel fratrem suum: Egrediamur foras. Cumque essent in agro, consurrexit Cain aduersus fratrem.* Id quod meditatus Chrysost. hom. 15. ad Popul. ait: *Quid facis homo? Super mensam adstas sacram, & vbi Christus positus est immolatus; illic fratrem tuum immolas? Et latrones quidem in vijs mactant, tu verò coram matre filium immolas, sceleratius, quàm Cain patrans homicidium? Ille nempe fratrē suum in deserto, & præsenti morte mactauit, tu verò fratrem tuum immolas in medio Ecclesiæ, & morte futura immortali.* Sic qui coram diuina mensa Deum offendit, aliosque impellit in peccatum, meritò Caino peior habetur, vt qui non in agro, nec in deserto, sed in frequentissima Ecclesia non veretur operari nefaria. Felix ille, qui vel ad vmbram immaculati agni incuruatus adorat, & maximam sui ostendit reuerentiam erga sacra. Petrus Act. 10. linteum videt à cœlo missum plenum animalibus, quæ mandabantur ab illo māducari. Et ad vocem perterritus ait: *Absit Domine, quia nunquam manducaui omne commune.* Expende illud: *Absit Domine*, vocabatur ad conuiuium immundorum animalium, & nihilominus vocat dominum eum, a quo ad talia vocabatur. Quid tunc? Ait D. Ambr. lib. 2. de Spiritu sancto, c. 11. *Quoniam vocatus Petrus respondet, Domine, ideò secundum euidentius meruit oraculum.* Quid non mereretur, qui vocatus ad prandium immundorum, sic reuerenter tractat vocantem, vt illum vocet dominum, & quasi in Domini conspectu paueat? Sanè magni meriti res est, quod in conspectu diuini pabuli Dominum reuereamur.

Ioan. 20.

Chrysost.

Genes. 4.

Chrysost.

D. Ambr.

Exod. 12. Factum est autem, in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui sedebat in solio eius, vsque ad primogenitum iumentorum.

§. XXXI.

Perfecta apparet iustitia, quando præcessit clementia.

POst prænunciatum primogenitorum exitium, post agni mandatum esum, sub cuius sanguine asylum esset aduersus interfectorem, iam gladius iustitiæ exeritur. Dicit enim: *Factum est autem, in noctis medio percussit Dominus omne primogenitum, &c.* Et quando in noctis silentio tantam hanc iustitiam exercere Dominus decreuit; cur toties illam antea publicauit, & prædixit, & præordinauit ea, quæ protectioni essent? Si executioni quæritur nocturnum silentium, cur tot antea præconia, vt malum caueretur? Debuit sanè præcedere multa exhibitio clementiæ, vt ostenderetur perfectissimè rigor iustitiæ procedere. Aurea est illa sentētia Euseb. Gallic. hom. de sancto Epipodio asserentis: *Non est perfecta iustitia damnantis, nisi clementia præcedens arguentis.* Dicitur equidem futurus Iudex quasi fur, qui media nocte, quādo altior sopor increscit, veniat, vt subito rapiat; & nihilominus id multis nobis notificant prophetæ, & euangelia ad quid hę voces prophetarum? Ad quid hæ voces prædicatorum? Si furis aduentus decernitur, vt imparatos premat, cur tot præmonitiones antecedentes, nisi quia necessum est vt antea misericordia testificetur, vt postea iustitia appareat perfecta? Non equidē perfecta iustitia appareret, quam misericordia non antecederet. De natione diluuio absorbenda dicitur Gen. 6. *Cum cœpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent, &c.* Itaque homines illi, qui protinus erant de terra eradendi, mirum in modum multiplicabantur, & fœcunditate penè incredibili replebant terram. Et cur Deus iis tantam fœcunditatem tribuebat? Cur agebat, vt multiplicarentur illi, quos tam citò erat deleturus? Quòd fœcundi essent, ea Dei beneficentia prouemebat; quòd miserè obruerētur aquis, opus erat diuinæ iustitiæ. Quando autem tanta iustitia exhibenda erat, meritò præmittebātur opera clementiæ. Ait pulchrè D. Ambr. ibi: *Non debuit æstimari defuisse gratiam fœcunditatis illi generationi, quā diluuia absorbuerant, vt quod fuit humani generis abundantia, diuinæ deputaretur gratiæ, quod diluuium secutum est, nostris adscribatur iniquitatibus. Sic & in posterioribus inuenies, quod sterilitatem Ægypti similitatem præcessit totidem annorum fœcunditas. Principale est enim virtutis inchoare à beneficiis, & præseminare gratiam. Vnde & Dauid ait, Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine. Præcedit beneficij gratia, sequitur censura sobriæ disciplinæ.* Ecce tibi ordinem minimè suspectæ iustitiæ, quod omnium antea præseminentur gratiæ; præseminentur beneficentiæ opera, post hæc enim minimè suspecta orietur iustitia. Quis sub iustitiæ splendore gloriabitur, cum nullum vnquam gratiæ opus præmiserit? Conueniant huc seuerissimi iniquorū vltores & cum multa, quæ misericordiam haleot, præseminauerint, tunc gloriosè exerceant iustitiam.

Euseb.

Gen. 6.

D. Ambr.

§. XXXII.

Reuerentia erga Reges in solo Deo illis assistente fundatur.

TOlle signum Dei assistentis à Regibus, & nihil in eis, quod reuerearis, inuenies, sed æque ac miseri serui priuatis calamitatibus subiacebunt. Ecce enim tibi vbi agni

sacrati

sacrati sanguis limina Pharaonis non linierat, ait textus, transiens percussor. *Percussit omnem primogenitum in terra Ægypti, à Primogenito Pharaonis, qui sedebat in solio eius vsque ad primogenitum captiuæ, &c.* Et cur non magis reueritus est primogenitum regis sedentem in solio eius, quam primogenitum captiuæ? Cur æque inuoluit regem cum vilibus seruis? Non erat in Regis postibus sanguis immaculati agni, non erat vllum vestigium Dei assistentis, quo non magis fuit reuerenda percussori persona regis, quam persona serui. Non enim in regio cultu, sed in Deo assistente fundatur præcipua regibus exhibita reuerentia. Hinc Dauid nactus Regem Saulem in spelunca inermem, & qui à militibus petebatur ad necem, hoc vnum proposuit, quo militari furori eriperet regem, 1. Reg. 23. *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo Christo Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est.* Expende, quò confugiat Dauid, vt Regi Sauli conciliaret militarem reuerentiam, ne illum confoderent vt vilem seruum, nimirum; *Quia Christus Domini est.* Quæ ponderans D. Chrys. ait hom. de Dauid & Saule, *Neque tamen dixit, rex est, sed Christus Domini est, non ab humano honore cæleste iudicio sumpto honorifico testimonio. Contemnis, inquit, conseruū suum, reuerere ad Dominum. Aspernaris electum, metue eum, qui elegit.* In toto regali fastu nihil firmum, nihil securum inuenit, quo regem tutaretur, nisi ad diuinitatis munus faceret intentus. Aspernarentur homines hominem, contemnerent conseruū; nisi in Rege diuinitatis, quid præsentirent assistentis. Hinc magnus Theodosius ab Arbitro duce rebelli cum sub insidiis in Alpium angustiis expectaretur ad necem, religiosus princeps à suis destitutus ad Deum confugit, & insidias non videns in apertos hostis exercitus sese dedit. Cum autem ad hostes curreret, in insidias deuenit: quid tunc? Rebellis dux vbi tenuit circumuentum regem, ad eius præsentiæ reuerentiam mutatus, cui mortem pararat, auxilium dependit, quo victoria clarus Theodosius ad suos reuertit. Et quid vidit homo nequam in Theodosio, quod nunc reuereretur, ne noceret, quod antea minime reueritus est, cum rebellaret in eum? Sanè veniebat Theodosius Dei signaculo tectus, quod solum nobis reddit reges reuerendos. Rem ponderat Paul. Orosius lib. 7. *Theodosium in summis Alpibus constitutus, sciens, quod destitutus à suis, nesciens, quod clausum alienis, dominum Christum solus solum, qui posset omnia, corpore humi fusum, mente cælo fixus orabat. Dehinc sciens se esse non solum signo crucis tuendum, sed & victoriam adepturum, signo crucis se muniens signum prælio dedit, ac se in bellum etiamsi nemo sequeretur, victor futurus immisit. Prima salutis via extitit Arbitrus hostilium partium comes, qui cum ignarum imperatorem circumpositis excepisset insidiis, conuersus ad reuerentiam præsentis Augusti, non solum periculo liberauit, verum etiam instruxit auxilio.* Expende illud, *conuersus ad reuerentiam, &c.* Expectabat solum, vt occideret; excepit solum, & reueritus est; & quid te ad reuerentiam traxit eius, quem despiciebas, quem ad mortem petebas? Non sanè regius aspectus, quem sæpe videras, & oderas, sed regius aspectus sub agni diuini signaculo conspicuus, *sciebat enim illo se esse signo crucis tuendum.* Id quod vniuersi reges sciant, quod non sub alio, nisi sub Dei assistentis signo possunt esse reuerendi hominibus.

1. Reg. 23.

Chrysost.

Theodos.

§. XXXIII.

Quales nos erga Deum exhibuerimus, tales se exhibebunt erga nos creaturæ.

IN primogenitos Ægypti Angelus percussor deseuit, nulloque agni sanguine ab aliis filiis abstractus, solos percutit primogenitos. Sic text. *Percussit Dominus omnem primogenitum, &c.* Et quando necessum fuit Israelitarum limina sanguine rubricari, vt dignoscerentur, & non percuterentur minores Ægyptiorum filij sine signo saluti dantur, & occiduntur soli primogeniti. Et cur Angelus, qui necessarium habuit signum sanguinis, vt parceret Israelitis, nullum signum requisiuit, vt parceret minoribus Ægyptiorum filiis, & percuteret primogenitos? Sanè hoc iam multis didicerat Angelus, cum videbat ab Ægyptiis percuti populū Israelitam Dei primogenitum. Promptum est enim creaturis se tales hominibus exhibere, quales se homines Deo exhibent. Quò respiciens Theodor. quæst. 22. in Exod. ait: *Primogenita Ægyptiorum occidi voluit, propterea quod Israelem populum, qui primogenitus Dei erat, omnes dure tractarunt.* Ecce tibi qui Dei populum primogenitum percutiebant, vident ab Angelis sua percuti primogenita. Quid aliud expectarent à creaturis, qui idem illud exhibebant Deo? Quam cæci Iudæi in Deum? Quanta caligine obtenebrati fuerint, nemo est, qui nesciat. Hæc illorum cæcitas, & caligo fecit, vt eum cruci affigerent. Sed vix in cruce apparuit, & ait Luc. cap. 23. *Erat autem fere hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram vsque in horam nonam. Et obscuratus est sol.* Et Sol, & lumina cœli caliginem tenebrosam induunt, qua respondeant Iudæorum cæcæ caligini in crucifigendo Christo. Ait D. Leo ser. 10. de Pass. *His vocibus vestris stultis reddunt vniuersa elementa responsum, & vnam in vos sententiam ferunt. Cælum, terra, Sol, syderaque indignos vos suo ministerio protestantur terribili motu, insolitoque defectu tenebras mundo vestra cæcitates ostendunt.* Sic Iudæi & defectum suum, & cæcitatem tenebrosam in Deum in sole, & luminaribus cœli erga se inueniunt. Quid plura? De ipsis Iudæis ait Dominus Psal. 21. *Dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi vero considerauerunt me, & inspexerunt me.* Rabidi ipsi humanitatis Christi velum ruperunt, vt vel ossa occultissima cum irrisione, & opprobrio inspicerent. Quæ dum peragunt, ait D. Matth. cap. 27. *Velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum.* Vt enim illi rumpebant Christi carnem, & interuis eius irridebant; sic velum templi scinditur eis, omniaque eorum sacra exponit conculcanda, & irridenda. Ait D. Chrysost. orat. in Parasceu. apud Grethserum tom. 2. *Quare scissum est velum? Quia templum per ea, quo velo suo viderunt, tantum non exhortationis modo ipsa protulit. De cætero Sancta Sanctorum conculcet, quisque volet. Propterea scissum est velum significans solitudinem, & vastationem posthac in perpetuum futuram.* Reuelabat scissum velum Iudæorum sacra conculcanda, & irridenda; vt ipsi per scissuras in Christi corpore factas, intima eius ossa cum irrisione inspiciebant. Sic semper eadem inuenimus in creaturis erga nos quæ fecerimus Deo.

Luc. 23.

Leo PP.

Psal. 21.

Matt. 27.

Chrysost.

§. XXXIV.

Irrationabilium pœna ostendunt maiores alias hominibus imminere.

NOn contentus est Angelus percutere primogenitos hominum Aegyptiorum, sed & primogenita percussit pecorum. Ait enim: *Et omne primogenitum iumentorum.* Et cur non solum filij, sed & percutiuntur iumenta, nisi vt in irrationabilibus istis ostendatur, quam maiores pœnæ maneant, & immineant rebellibus? Post Christi domini mortem a Iudæis illatam, quid non sustinuere creaturæ? Luc. 23. *Obscuratus est Sol.* Matth. 27. *Velum templi scissum est: terra mota est, petræ scissæ sunt.* Et quando Iudæi scelera in Iesum patrarunt, cur Sol & terra, & petræ insensibiles pœnas dederunt? Quid hæc insensibilium rupturæ portendebant? Sanè hæc apertissime monstrabant, quanto maiora, & acerbiora Iudæis imminebant. Ad hæc pulchre D. Zen. lib. 3 serm. 39. ait: *Cælum medio die perdidit diem, terra tremore nimio fluctuauit. Hinc æstimare licet, quid eis sit reseruatum, quorum in anima funeris luctus persoluit natura supplicium.* Et quidem quando criminis alicuius supplicium ad inanimes etiā creaturas extenditur, non dubito quin hominibus aliquid terribilius immineat. Non enim insensibilia puniuntur, vt rei immunes maneant pœnæ, sed vt eis maioris alicuius supplicij iam iam imminentis terrorem incutiant. Hinc Iesus Matth. 21. *Videns fici arborem vnam secus viam, venit ad eam: & nihil inuenit in ea nisi folia tantum, & ait illi: Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea.* Cur sic seuerus Dominus in ficulneam? Cur qui tot facinora Iudæorum sustinebat mansuetus, sic rigidus percutit ficulneam? Ait D. Isidor. Pelus. apud Lippom. Gen. 3. *Ab inanimata igitur substantia populum ingratum docet, ac persuadet, quod & vlcisci potest. Exsiccata est igitur arbor, vt terreret homines.* Inferuntur inanimatis mala, quæ hominibus terrorem incutiant maioris mali. Nil enim damnatur in irrationabilibus, quod magis non sit damnandum in homine. Id quod spectans lex multa bruta animalia execrabatur, & immunditiei percutiebat horrore, vt inde eadem vitia grauius damnanda ostenderentur in homine. Sic Tertul. lib. aduers. Psychicos: *Proficere autem poterās intellectu plus in hominibus vitia fugienda, quæ lex damnasset etiam in pecoribus. Nam quando irrationale animal ob aliquod vitium, magis illud ipsum in eo, qui rationalis est, homine damnatum. Ergo vt homines mundarentur pecora culpata sunt, scilicet, vt & homines qui eadem vitia haberent, æquales pecoribus æstimarentur.* Sic quæcumque animalium pœna eandem imminere indicat homini.

Luc. 23.

D. Zen.

Matt. 21.

D. Isidor.

Tertul.

§. XXXV.

Solus diuinissimi agni sanguis potens est armatas in homines diras impedire.

NOn eripitur à sæuiente Angelo mortis filius regis, nec filius captiuæ molentis, nihil illis prodest potentia regalis, vt vulnus effugiat, nec huic prodest vilitas seruitutis, vt despiciatur. Ait enim: *Percussit omne primogenitum in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis qui sedebat in solio eius, vsque ad primogenitum captiuæ.* Non equidem personæ vilitas, nec potentia valebat ad impediendum mortis Angelum, sed solus valebat agni sanguis impressus superliminaribus. Vbi hic non erat, etsi esset quæuis alia, præualebat percussor: vbi hic erat, quælibet potentia nociua frenabatur. Sic aiebat supra textus: *Transibit Dominus percutiens Ægyptios, cumque viderit sanguinem in superliminari, transcendet ostium, & non sinet percussorem ingredi domos vestras & lædere.* Ecce tibi, vt non regius fastus, nec vilitas, sed solus diuini agni sanguis cohibebat percussorem Angelum. Similiter in Christi Domini morte videres orbem terrarum armarum contra insensatos. Ait Lucas cap. 23. *obscuratus est Sol,* insuper & ait Matth. cap. 27. *Velum templi scissum est in duas partes à summo vsque ad deorsum; & terra mota est, & petræ scissæ sunt & monumenta aperta sunt, &c.* Nihil pene est in orbe, quod non commoueatur in tanti sceleris patratores. Sed in tanta creaturarum commotione, in qua petiæ petras percutiebant, & scindebant, & monumentorum marmora rumpebantur, non inuenitur homo fuisse periclitatus. Cur petræ, quæ vos adinuicem percutitis, non magis scelestos illos quatitis? Cur terra, quæ violento motu sepulcra aperis, & mortuos sanctos vomis, non magis glutis Iudæos sceleratos? Pendebat inter illos diuinissimus agnus, cuius sanguis ligni crucis tingens diras creaturarum frænabat, ne cui homini vel scelerato inferrent damnum. Ait Author Græcus in orat. Exaltat. crucis apud Gretherum tom. 2. *Omnis sub cælo creatura, ipso horrore instructa, & ad vltionem pro eo, qui in cruce pendebat, sumendam erat preparata, ab ipso tamen, qui in cruce pendebat, prohibita.* Et quis alius posset prohibere petras, ne Iudæos percuterent, terram, ne scelestos voraret, cœlum, ne igne absumeret nefarie clamantes, nisi agni diuinissimi sanguis, qui in crucis postibus monstrabatur? Equidem vnus hic sanguis valebat imminenti exterminio eripere homines adeò sceleratos. Quid plura? Armata erat lex in peccatores, tot amaritudinũ fluctus in illos conglomerabat, quot minas, quot pœnas decernebat. Apparuit lignum sanguine agni rubricatum, & tota legis seueritas mitigatur. Sic Exod. 15. *Nec poterant bibere aquas de Mara, eo quod essent amaræ: Et murmurauit populus contra Moysem dicens, quid bibemus? At ille clamauit ad Dominum, qui ostendit ei lignum, quod cum misisset in aquam, in dulcedinem versæ sunt.* Ecce tibi tota legis amaritudo armata in peccatores, vt ad aspectum ligni sanguine Iesu rubricati in dulcedinem iuit. Ait D. Ambr. serm. 23. *Aquam amaram legem esse arbitror veteris testamenti, quo lex erat immitis. Iubebat enim oculum pro oculo, dentem pro dente, & velut austera nullum misericordiæ refrigerium porrigebat. At vero vbi ligno passionis est temperata, statim amaritudinem suam suauitate commutans, dulcem se cunctis præstitit.* Non valuit amplius ferire legis aculeos, vbi lignum sanguine Christi rubricatum vidit. Quid times homo leges armatas pœnis in tuas culpas? Adhibe tibi sanguinem agni diuini, & nullas austeritates, nullas seueritates inimicas timeas. Hinc Act. 2. Iudæi prædicatione Petri scelus suum in Iesum agnouerunt, insuper & mala propter illud iam iam imminentia, quibus territi clamabant ad Apostolos: *Quid faciemus?* Et merito ipsi per se nihil inueniebant, quod tanta mala posset auertere, & pene desperabant de remedio. Quid tunc? Ait D. Aug. tract. 31. in Ioan. *Viderunt Christum suo scelere morientem, & quousque biberent sanguinem, quem fuderant, de sua salute desperauerunt.* Vnus Christi sanguis inter tot mala imminentia illis ostium spei aperuit.

Lucæ 23. — Gretherus. — Exod. 15. — D. Amb. — Act. 2. — D. Aug.

Exod. 12. Surrexitque Pharao nocte, & omnes serui eius, cunctaque Ægyptus, & ortus est clamor magnus in Ægypto, neque enim erat domus, in qua non iaceret mortuus. Vocatisque Pharao Moyse, & Aaron nocte, ait: Surgite & egredimini à populo meo, & vos & filij Israel ite, & immolate Domino sicut dicitis. Oues vestras, & armenta assumite, vt petieratis, & abeuntes benedicite mihi. Vrgebant ergo Ægyptij populum, &c.

§. XXXVI.

Regium est mediis calamitatibus non perturbari. Vbi de Maria iuxta crucem.

IN summa Ægyptiorum perturbatione suis immistus, & exæquatus ostenditur Pharao popularibus, dicit namque: *Surrexit Pharao nocte, cunctaque Ægyptus, & ortus est clamor magnus, &c.* Sic calamitas Pharaonem subiiciebat communi perturbationi, & clamoribus, vt in nullo videretur distinctus à popularibus. Componite modo hunc regem cum rege Angliæ, cuius primogenitum filium absorbuere maris fluctus. Vterque rex erat, vterque filium primogenitum amisit, sed Pharao calamitate perturbatus, regem oblitus, clamoribus popularium admiscetur, in nullo à popularibus distinctus. Rex autem Angliæ nec in amissione filij, minimum regis amisit. De illo pulchre fatur Hildebertus Episcop. Cænomanen. epist. 56. *O bene munitum pectus, quo se fortuna minorem erubescit! O animum custodem sui, & ignarum vel sapientem extorqueri sibi, vel Regem! Neuter tibi ablatus est, neuter imminutus: alter libertatem mentis, alter statum regni seruat incolumem. Dubium est, quis integrius suum apud te expleat officium. Quippe nulla verba rumpuntur suspiriis, nullo vultum tenebræ operiunt: in ore sua est seueritas, & animi serenitatem risus indicat moderatus. Non pendent regni negotia, nec subsidium frustra præstolantur oppressi. Magnum hoc regni, magnum sapientiæ indicium.* Sic merito extollit vir sapiens Regem, qui nec in perditione filij primogeniti regem perdidit, sed qualem regia maiestas postulat serenitatem, & imperturbatum animum ostendit. Calamitatibus enim non perturbari, hoc præstantissimum est, & prorsus regium. Vnde superbissimus ille Assyriorum Monarcha hoc sibi nomen dedit, quod Nabuchodonosor diceretur. Dicit enim Richard. Victor. lib. 1. de erud. par. 1. cap. 1. *Nabuchodonosor interpretatur sessio in agnitione angustiæ.* Quasi inde velit superbissimus totum attribuere splendorem regium, quod nulla angustiâ, nulla calamitate, à quiete sua discedat. Hinc Ioan. cap. 19. Angelorum extollens reginam, ait: *Stabat autem iuxta crucem Iesu mater eius.* Nec longe à Ioanne Dauid Psalm. 44. forte hunc actum miratus aiebat: *Adstitit regina à dextris tuis.* Itaque iuxta crucem filij stabat Maria, & stabat regina, nihil regalis dignitatis in se non ostendens. Imò vt ait D. Amedeus hom. 5. de martyrio virginis; *Ipsa coronata corona tribulationum post Iesum incedebat. Stabat autem iuxta crucem, vt illud dulcissimum caput nati spinis coronatum tristi spectaculo videret.* Et D. Ambros. lib. de instit. Vir. cap. 7. *Stabat non degeneri mater spectaculo.* Itaque cœli regina corona tribulationum coronata stabat non degeneri spectaculo videns Iesum filium vnigenitum in durissima cruce spirantem. Et quale erat hoc spectaculum Reginæ non degener? Ait Sanctus Amedeus dict. homil. de martyrio virginis: *Propterea in tanta posita aduersitate, nec resoluit pudorem verecundia, nec amisit vigorem constantiæ. Ad cuius rei probationem ait de ea Ambrosius: Lego stantem iuxta crucem, non lego plorantem. Stare namque in illa cordis amaritudine magna adscribitur constantia, abstinere à lacrymis summa verecundia annotabatur. Cohibebat illa lacrymas pro pudore, stabat sublimissima quadam magnanimitate.* Quid regalius, quàm in tanta calamitate, nec obliuisci pudoris, nec constantiæ. Notanter enim dixit: *Non resoluit pudorem verecundia:* quando dolor soleat in plebeiis animis modestiæ obliuionem facere. Mulier illa Sunamitis videns defunctum filium currit ad Elisæum 4 Reg. 4. *& apprehendit pedes eius;* post autem rediuiuo filio lætior facta, *irruit ad pedes eius, & adorauit.* Modo cauet pedes viri tangere, quos antea apprehendebat ambabus manibus. Cur hoc? Sapienter Caietan. *Mœrore affecta ob mortem filij tenuit pedes Elisæi: læta autem ob resuscitatum filium non tangit pedes Elisæi, sed iuxta pedes super terram se prosternit solitam seruans modestiam, quam maternus dolor obliuioni tradiderat.* Hoc in plebeio Sunamitidis animo potuit dolor, non in regio spiritu Mariano; vt enim regina cruci adstabat, sic nullum affectum degenerem referebat, nec amisit vigorem constantiæ, nec resoluit pudorem verecundiæ. Id quod in sorore sua Gorgonia maxime extollebat Nazianzen. fatus; *Modestiam, & verecundiam in ipsis doloribus retinuit.* Quid regalius?

Hildeb. — Rich. — Ioan. 19. — Psal. 44. — D. Amed. — Amed. — 4. Reg. 4. — Caiet. — Nazian.

§. XXXII.

§. XXXVII.

Nullo efficacius trahitur homo, quàm iis, quæ circa se sunt.

MActatur Pharaonis filius, & iam non durus pater, sed humillimus vocat Moysem, liberam facultatem facit abeundi. Dicit namque: *Vocatisque Pharao Moyse, & Aarone nocte ait: Surgite, & egredimini à populo meo & vos, & filij, &c.* Multi Ægyptij aliis plagis fuerant absumpti, nec tamen eorum perditione potuit Pharao adduci, vt liberè cum omnibus Israelitas dimitteret. Cur modò eos sic anxie dimittit? Cadebant antea Ægyptij, & patres, & filij, sed nullus cadebat Pharaonis filius. Vbi autem cœpit in suis spiculum præsentire, non amplius distulit, sed confestim, vel cogebat Israelitas abire. Proh quàm efficaciter trahitur homo illis quæ sunt circa ipsum! Ionas, vt non credebat debere Niniuitas molliri prædicatione sua, sic fugiebat à facie Dei iubentis, vt illis indiceret extremam ruinam. Sed procurante Deo marinis fluctibus traditur, voratur à pisce, cuius in visceribus orat ad Deum, & exauditur, & voracissimum ventrem piscis conuertit in eunam salutis, à qua nascitur denuo viuus. Imò iam fidelis intrat Niniuem clamans c. 3. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Cur modo prædicas Iona? Cur speras proficere hominibus adeò perditis? Didicerat in se ipso, & perdito, & vorato à pisce, vt salus sperari posset à perditione ipsa, & nullius contemnendam esse salutem. Ait D. Ephrem ibi: *Ionam Deus intra continentem conseruat. & à se ipso didicit propheta Ionas aequum esse vt viuant, qui pœnitentiam agunt.* Dum in se non expertus fuerat periculum, despiciebat aliorum pericula, nec multum dolebat quod perirent. Vbi autem in sese periculum experitur, Deus bone, nihil non facit, vt alij pericula fugiant, & possint viuere. Equidem efficaciter Deus trahit homines, dum mortis horrorem immittit in iis, quæ sunt circa ipsos. At quando is horror in ipsis miscetur, quæ sunt magis in deliciis; tunc vel reges mundi efficacissime trahuntur. Zacharias prophetás de reductione omnium gentiū ad Deum, ait c. 14. *In die illa erit, quod super frænum est, sanctum Domino.* Quam prophetiam ex multorum sententia refert D. Cyril. Alex. ad Constantinum Imperatorem, qui à matre acceptum clauum Dominicæ passionis in equi speciosioris fræno locauit. Sed quid, quod clauus Dominicæ passionis in fræno regalis equi poneretur, vt hoc debeat decantari propheticis vocibus? Sunt sanè principibus maxime in deliciis equi, vbi autem mortis Dominicæ horror immistus est rebus adeò deliciosis Imperatorum, iam imperia mundi cœperunt trahi ad Dominum. Rem sic ponderat D. Ambrosius orat. in obitu Theodosij fatus: *Misit itaque Helena filio suo Constantino diadema gemmis insignitum, quas pretiosiori ferro innexas crucis redemptionis diuina gemma connecteret. Misit & frænum, vtroque vsus est Constantinus, & fidem transmisit ad posteros reges. Principium itaque credentium Imperatorum, sanctum est, quod super frænum.* Innexus fuit cruentus Christi clauus fronti regalium equorum, & inde cœpere ad Deum trahi Imperatores. Putabantur olim Imperatores minime posse ad Christum venire: nec vllis miraculis posse trahi ad Christianam religionem. Quid tunc? Clauus durissimus plenus Dominicæ mortis horrore cœpit tangere ea, quæ maxime esse in deliciis solent Imperatoribus, & inde Imperatores cum omni imperio suo conuertuntur ad Dominum.

D. Ephrem. — Zach. 14. — Cyr. Alex. — D. Amb.

§. XXXVIII.

Tunc debes pro hostibus tuis ardentius orare, cum eorum effugis rabiem, si quid Dei in te habes.

ECce quid petat rabidissimus tyrānus Pharao à suis captiuis: *Abeuntes benedicite mihi.* Audet nefarissimus homo sperare de Israelitis, quod tunc magis benedicturi sunt suis tyrannis, quando de illorum rabie liberi euadunt. Et de quo posset talia sperare hostis, & tyrannus? De quo à te vexato, & oppresso, multisque afflicto speres, quod cum liber euadat, tibi bona, & non mala imprecabitur? Cur ergo crudelissimus iste de Israelitis à se vexatis, & tyrannicè afflictis speret, quod abeuntes è tanta angustia pro adeò hostili homine orabunt? Equidem Israelitæ erant veri Dei cultores, veri Deum videntes, quorum est, quod liberati pro inimicis, & persecutoribus suis velint orare. Qui enim videat Deum, & non oret etiam pro hostibus? Actor. 7. Stephanus ait: *Ecce video cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei.* Quid tunc? Ductus ad mortem, inter lapidantium furias orat: *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Quantum hoc? Nyssenus in præsenti: *Sic is qui Christum cernit aduersus hostes, sese gerere nouit.* Hæc est notio eorum qui aspiciunt Deum, quod pro hostibus orent, etiam cum ab eorum iniuriis euolant. Et vix inuenietur, qui aliquid Dei in se habeat, qui talem erga hostes suos non referat animum. Samuel repulsus à populo & abiectus in ipso abeundi consilio, sic populo sibi infenso ait: *Absit autem à me hoc peccatum in Domino, vt cessem orare pro vobis.* Bonus Samuel sibi fore in peccatum, & perditionem putabat, si in recessu suo, pro illis non orabat à quibus reiiciebatur. Ex quo ait D. Chrysost. orat. in Parasceuen apud Grethserum tom. 2. *Peccatum arbitratus est non orare pro inimicis. Absit à me, inquit, vt ita peccem, vt desinam pro vobis orare. Quam igitur veniam nos consequemur in posterum, cum qui de nouo sunt, & qui de veteri Testamento, omnes nos impellant ad hoc, vt preces pro inimicis fundamus, si non omni studio, & diligentia hoc præstare conemur?* Sanè hæc est salutis via Dei fidelibus, vt pro inimicis, & persecutoribus longas fundant ad Deum preces. Filij Iacob videntes Iosephum à seruitute liberum, in solio regio sedentem, vehementer sibi timere cœperunt. Quibus ille vt timorem adimat, sic ait cap. 50. *Quibus ille respondit. Nolite timere. Num Dei possumus resistere voluntati?* Alia litera habet: *Ne timeatis, Dei enim sum ego.* Quippe qui Dei est, semper bona pro malis paratus est rependere. Ibi Chrys. *Beneficia rependere studeo his, qui irreparabilia contra me fecerunt, Dei enim sum ego.* Hoc est studium eius qui Dei est, vt in recessu suo, in libertate sua, bona suis persecutoribus largiatur, impetret. Hinc dum Christi crucifixores Iudæi Matth. 27. clamarent illudentes: *Salua te ipsum, si filius Dei es.* Iesus autem Luc. 23. clamās dicebat. *Pater ignosce illis.* Ad ostensionem diuinæ filiationis petebant illi, vt se ipsum saluaret, at Iesus pro illis orare elegit, in quo magis ostendebat & euidentius se ad Deum pertinere. Chrysost. orat. in Parasceuen apud Greths. tom. 2. *Illi quidem dicebant, si filius Dei es, salua te ipsum. Ipse vero elaborabat, quomodo illos saluaret, illos, inquam, à quibus opprobria perpetiebatur, illudebatur, & opprobriis proscindebatur.* Ecce tibi vbi diuina ostendenda erat progenies, in eo patentissime ostendebat Dominus illum, quòd pro inimicis, pro conuitiatoribus oraret.

Actor. 7. — Chrysost. — Chrysost. — Matt. 27. — Luc. 23. — Chrysost.

§. XXXIX.

Miseri hominis à te consoti benedictio maximè tibi salutaris est.

NOn otiosè abeuntium à captiuitate Israelitarum benedictionem expetit Pharao, dicens: *Abeuntes benedicite mihi.* Nunquam enim non est liberatori salutaris liberati, & consoti benedictio. De qua gloriatus Iob aiebat cap. 29. *Benedictio perituri super me veniebat:* id est, benedictio perituri à me liberati, & consoti me implebat, quando nunquam vacua manet benedictio eius, qui liberatur à miseria. Ex quo sapienter monet D. Amb. lib. de bono mortis, cap. 8. *Si quem viderimus pauperem moriturum, sumptus inuenmus, & dicat vnusquisque nostrum, benedictio morituri veniat super me. Si quem viderimus debilem, non deseramus; si quem in extremis positum, non relinquamus, occurrat, & nobis dicere: Benedictio morituri in me veniat. Laudes te vnusquisque moriturus, vnusquisque depositus ano, vnusquisque confectus vulnere graui, vnusquisque morbo absumptus, & morti proximus. Resonent te postrema verba morituri, & benedictionem tui egrediens corpore anima secum vehat.* Quis te felicior, si animæ miserorum è terra abeuntes tui benedictiones resonent? Fallar, nisi te ab omni malo, ab omni pressura liberent. Pro quo monebat Prouerb. 24. *Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare non cesses.* Nunquam enim liberatorum plausus non sunt salubres liberatori suo. Vnde D. Amb. serm. 8. in Psal. 118. inquit: *Opera manus tuo erega pauperibus, debiles eleuato, redime captiuos, & soluisti vincula tua. Eripe eum qui ducitur ad mortem; hoc est, eripe eum intercessione, eripe gratia tu sacerdos, aut tu Imperator eripe subscriptione indulgentia, & soluisti peccata tua, eruisti te à vinculis.* Hæc in te efficiunt liberatorum benedictiones, quæ vt te resonant, sic te ab omni vinculo exsoluunt. Quis vidit vnquam liberatorum benedictiones vacuas esse? Actor. cap. 9. Tabitha fœmina caritatissima propter eleemosynas defuncta iacebat, eam circumfusæ vndique viduæ resonabant, quarum vocibus infertus Petrus iubet fœminam rursus in vitam venire. Quid tunc? *Illa aperuit oculos suos, & viso Petro resedit.* De qua pulchrè D. Cyprian. lib.

Iob 29. — D. Amb. — Prou. 24 — D. Amb. — D. Cypr.

de

de opere, & eleemosyn. ait: *Quæ laborantibus viduis largita fuerat subsidia viuendi, meruit ad vitam viduarum petitione reuocari.* Sic petitiones, & benedictiones liberatorum efficaces sunt, vt vitam impetrent iis, per quos liberati fuerunt. Vt merito dicat Hildebertus epist. 61. *In cœlo nulli melius pro reis agunt, quam pauperes aduocati: pauperes ante supremum tribunal in propulsandis dilationibus obtinent principatum.* O te fœlicem, quem pauperes cantant; qui benedictionibus plenus per ora volitas pauperum afflictorum, quos ab ærumnis liberasti, ne timeas diu torqueri malis; qui enim à te liberati sunt, te liberabunt.

[*Hildeb.*]

§. XL.

Abeuntes à vita nil amarum voluant, vel aduersus sibi infensissimos hostes.

HOc ab Israelitis petit infensissimus illorum hostis Pharao, nimirum, *abeuntes benedicite mihi*, quod ex singulis nostrorum crediderim repeti ab hostibus, vt abeuntes è vita nullam illis non velimus benedictionem. Vnam pro suis hostibus benedictionis vocem egrediens anima è corpore secum vehat. Nullus ita desipiat, vt mundo egrediens aliud, quam benedictionem etiam ad hostes resonet. Stephanus iam iam rapiendus ad mortem Actor. 7. acriter increpat Iudæos, aiens: *Dura ceruice, & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut & patres vestri. Quem prophetarum non sunt persecuti patres vestri?* Sic mordebat impios sanctus vir festinans ad mortem; sed iam in mortis articulo constitutus aliter orat dicens, *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Compone modo acorem illum reprehendentis cum hac lenitate orantis. An cum reprehendebat, minus amabat hostes, quàm cum pro eis orabat? An erat in prima reprehensione aliquod odium aduersus nefarijssimos hostes? Absit, imò & tunc illos amabat: qui enim adeò sanctè morti appropinquabat, nihil in ore voluere debebat, quod charitatem erga hostes non halaret. Ex quo Diuus Fulgentius sermone de eius festo, ait: *Neque enim fratres, existimandus est Stephanus tunc inimicos dilexisse cum pro eis oraret; & non dilexisse cum eorum incredulitatem arguendo corriperet. Absit hoc ab anima martyris ad cœli palatium festinantis.* Quid pulchrius? Sanè ab anima festinantis ad cœlum, quam longe abest, quod vel in hostium amore tepescat aliquantulum. Non stat cum eo, qui festinat egredi è mundi carcere, & viuentium terræ appropinquare; quod oderit sibi aduersantes. Hoc tibi cordi sit, quicumque abis è mundo, quicumque festinas ad cœlum, & iam iam exitum præ oculis habes, vt nullum velis hostibus malum. Nec hoc mirum videri debet, quando ad exitus conspectum, vel impiissimi homines inimicitiis, & odiis valere mandant. De Lazari defuncti sororibus locutus text. Ioann. 11. addidit: *Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham, & Mariam, vt consolarentur eas de fratre suo.* Mirabar, quod Iudæi venerint consolaturi Lazari mortui sorores, cum & Lazarus amicus esset Iesu, & sorores summa ipsum pietate colerens. Decretum erat enim iam per Iudæos, vt vniuersi Iesu asseclæ extra Synagogam fierent, & ab omnibus cauerentur. Cur ergo tam deuotas Iesu fœminas conueniunt Iudæi, & eas consolantur? Cur non magis expuunt, & auersantur eas, fratrisque Iesu amici memoriam penitus eradere contendunt? Erat illis præ oculis mors, & sepulchrum, ad quod sese festinare cernebant, ex quo illum animum ebiberant, quo nemini male precari valeant. Ait D. Basil. Sel. orat. 40. *Vnde consolabantur Iudæi dilectas à Christo, cum inter eos conuenisset, si quis eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret? An ob mali communis necessitatem?* Equidem vt sibi communem mortem videbant; vel rabidissimum in Iesu asseclas odium ponebant.

[*Act. 7.*] [*D. Fulg.*] [*Ioan 11.*] [*Basil. Sel.*]

Exod. 12. Tulit igitur populus conspersam farinam, antequam fermentaretur: & ligans in palliis posuit super humeros suos. Feceruntque filij Israel sicut præceperat Dominus Moysi: & petierunt ab Ægyptiis vasa argentea, & aurea, vestemque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis, vt commodarent eis: & spoliauerunt Ægyptios.

§. XLI.

Aurea fit anima Deo appropinquans, Deumque excipiens.

NOn sine aureis argenteisque vasis Israelitę incipiunt exire de Ægypto, ait enim: *Petierunt ab Ægyptiis vasa aurea, &c.* Et cur non sine aureis vasis egrediuntur, nisi vt ostēdantur Deo appropinquantes, & à mundo egredientes, quam aurei fiant? Ait D. Macar. hom. 47. *Mutuari præcipit Deus ab Ægyptiis vasa aurea, & argentea; & cum acceperint egredi: quia dum exit à tenebris anima, argentea, & aurea vasa accipit, nempe suas probas cogitationes septuplo ardentiores, quibus inseruitur Deo, & Deus conquiescit in illis.* Hæc sunt aurea vasa, nimirum cogitationes Deo appropinquantes, & in quibus Deus conquiescit. Qui citius mundo exutus cogitas Deo seruire, & vel cogitatione Deum excipis; iam luteus non es, iam luteis operibus minime incumbis, sed totus aureus splendes, & effulges. Sic monebat Aaron Moyses Exod. 16 *Sume vas vnum, & mitte ibi Man, quantum potest capere Gomor, & repone coram Domino.* Diuus Cyril. Alex. legit: *Sume aureum vas vnum, &c.* Et cur maluit explicare, quod vas aureum esset, nisi vt ostendatur, quid conferat Christus menti illi, in qua recipitur? Vt enim Manna in aureo vase est, sic Christus in Manna figuratus auream efficit animam, in qua vel mente recipitur. Ait D. Cyril. Alex. lib. 3. in Ioann. cap. 34. *Quoniam verum Manna illo sensibili figuratus est Christus, necessario nunc docet, qua gloria, & virtute plenus est, qui Christum in se ipso recondit, qui Iesum in corde firmiter gerit. Audis enim quomodo vas aureum per Aaron impletur Manna, & coram Deo ad perpetuam conseruationem reponitur: pia enim sanctaque anima, quæ Christi fidem concepit, quæ totum in se ipsa cœlestem thesaurum condidit, pretiosum atque aureum vas est.* Ex quo mens nostra Christo accedit, Christum suscipit, super omne aurum, & topazium splendet. Non enim potest ab aureo Iesu aurea non effici. Quo adduc dicta tom. 3. in Euang. lib. 4. cap. 19. §. 6.

[*D. Mac.*] [*Exod. 16.*] [*Cyr. Alex.*] [*Cyr. Alex.*]

§. XLII.

Ingenuorum hominum est tyrannorum spoliis victitare.

ET pedem à seruitutis neruo exerunt Israelitæ, & de præcepto Dei Ægyptios spoliant, auro, argento, vestibus. Quippè dicit textus: *Et spoliauerunt Ægyptios.* Et quidem hoc iam signum erat excussæ seruitutis, & ingenuæ libertatis orientis, quando proprium est ingenuorum spoliis victitare, quæ de tyrannorum potestate eripuerint. Huc spectabat Philo ibi adductus à Lippomano dicens: *Post primogenitorum internecionem, Hebræis expulsis generosi, ac nobilis generis sui in mentem venit, atque ob id præclarum facinus quale liberos decet, ausi sunt. Multam prædam asportarunt.* Ecce tibi liberorum, ingenuorum, nobilium hominū facinus, nimirum quod deprædentur, & spolient tyrannos. Dum sub seruitute erant, omnem suam operam Hebræi impendebant tyrannis; vbi erecti à neruo sunt, memores nobilitatis, & ingenuitatis suæ, quale decet liberos, & ingenuos homines, aggrediuntur facinus, vt sese de spoliis tyrannorum augeant. Quid nobilius? Extollunt hinc homines suam nobilitatem, si tyrannorum spoliis, si prædis multis splendeat eorum prosapia. Quo spectat illud Prou. 31. de cantatissima fœmina dictum: *De nocte surrexit, deditque prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis.* Expende, vt nobilis fœmina distinguit inter domesticos, & ancillas: illis prædam sumendam proponit, his cibaria. In ancillis enim illi intelliguntur, qui seruiles habent animos, quorum est, vtcumque cibum capere; in domesticis autem notantur ingenui, & liberi, ad quorum nobilitatem pertinet, non nisi spoliis, & præda multa tyrannis erepta victitare. Vt dicat Psal. 67. *Speciei domus diuidere spolia.* Nullo enim magis splendet nobilitas familiæ, quam si tota effulgeat tyrannorum spoliis. Idquod in diuina progenie extollebat Isaias cap. 8. fatus: *Dixit Dominus ad me: Voca nomen eius, Accelera spolia detrahere: Festina prædari. Quia antequam sciat puer vocare patrem, & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ.* Sic ingenuæ proles non amant viuere, nisi in prædis, nisi inter spolia, quæ de tyrannis acquirunt. Vt de Anthemio Augusto dixerit Sidonius Apol. in Panegyrico:

Ludus erat puero raptas ex hoste sagittas
Festina tractare manu.

Non aliter nouit nobilem cantare progeniem, nisi eius incunabula,

[*Philo.*] [*Prou. 31.*] [*Psal. 67.*] [*Isai. 8.*] [*Sid. Ap.*]

cunabula,& prædiis,& spoliis rutilent. Ille nobilis, ille ingenuus nascitur, qui vel in primo libertatis gradu nil amat prendere manu, quod non sit ex tyrannis raptum.

Exod. 12. Profectique sunt filij Israel de Ramesse in Sochoth, sexcenta fere millia peditum virorum absque paruulis,& mulieribus. Sed & vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis, oues, & armenta, & animantia diuersi generis multa nimis, &c.

§. XLIII.

In mundi renuntiatione ingentia sunt lucra.

CVm populus erat in Ægypto, & luctus erat, & gemitus, & opera importabilia, *& paleæ non dabantur eis.* Modo cum Ægyptum relinquit,& abit; Aegyptus dat illi argentum, & aurum, & vestes plurimas; insuper dimittit illum cum ouibus, & armentis multis; ait enim in præsenti: *Et oues, & armenta, & animantia diuersi generis multa nimis.* Quid ratius? Ciuibus non dat Aegyptus paleas, abeuntibus exteris dat diuitias. Et quidem licet in mundo pauper sis, vbi mundum relinquis,& sæculum abnegas, ingentia recipis lucra. Huc respiciens Ps. 104. ait: *Eduxit eos in argento, & auro.* Erant apud Aegyptios Israelitæ in luto, in vilibus paleis colligendis, in opere lateritio, accessit manus diuina, tetigit eos, vt exirent de Aegypto,& educti sunt inde in argento, & auro, & diuitiis multis. Pulchrè Euseb. Gallican in serm. castigatorio: *Ecce filios Israel inimica Ægyptus mundi speciem proferens dum incolitur, afflixit, dum relinquitur, locupletauit. Sic est charissimi, magnam sæculo rapit prædam, qui se abstrahere contendit à sæculo.* Cæcus est, qui nō videt diuitias, quas sibi acquirit, qui contendit abnegare mundum, ab illoque exire. Huc attende homo, & mundum pessunda, mundum relinque, & te in ipsa abnegatione sui locupletabit mundus;& fallar, si Deo possis aliquid ditius, aut locupletius exhibere, quam si fugisti mundum. Dicitur 3. Reg. 9. *Pharao rex Ægypti ascendit, & cepit Gazer, succenditque eam igne, & Chananæum, qui habitabat in ciuitate, interfecit, & dedit eam in dotem filiæ suæ vxori Salomonis.* Vt Salomonis vxori dotem faceret Pharao, amplissimam ciuitatem succendit,& populatus est. Et qualis dos esse potuit in ciuitate succensa? Qui dotem facit, diuitias congerit, thesauros auget, non enim potest dos parari Regi, nisi ex multis diuitiis congestis. At nos in conspectu veri Salomonis ditissimam dotem paramus, cum sæculum perdimus, cum patriam, domumque paternam fugimus, eamque obliuionis flammis tradimus. Ex quo virgunculæ sæculo renuntianti ait Hildebertus Cenomanensis epist. 57. *Ignorm reuisero vanitates, & insanias falsas, à quibus elongasti fugiens, & mansisti in solitudine. Sanum hoc prouidi pectoris consilium: auerte enim & fugere ab illis, omni triumpho celebrius. Huiusmodi fuga sponsæ tuo nulla dos est acceptior.* Ecce tibi Sponsa Christi licet paupercula sis, vnde possis ingentem dotem lucrari sponso tuo. Si à mundo fugis, si obliuisceris populum tuum, eumque tradis igni, nihilque tibi reseruas ex illo, sed omnia calcas, fallar nisi mundus despectus, calcatus, datus igni non tibi eam dotem accumulet, qua trahas oculos diuinos.

Psal. 104.

Euseb.

3. Reg. 9.

Hildeb.

§. XLIV.

Magna felicitas domus est, in qua nullus inuenitur, qui Deo seruiendo non attendat.

ERant apud Israelitas multi alij homines diuersarum nationum, diuersisque innutriti religionibus, qui pro Israelitarum seruitio, intra eorum morabantur domos: vbi autem Dei religio instabat, vt Israel de Aegypto egrederetur sacrificaturus Domino, nullus adeò extraneus inuentus est in eorum domibus, qui diuinum nutum non sequeretur. Ait enim textus: *Vulgusque promiscuum innumerabile ascendit cum eis.* Chaldæus legit: *Extraneique plurimi ascenderunt cū eis.* Quos merito Caietanus putat famulos diuersarum nationum, qui seruiebant Israelitis. Hi omnes simul cum Dominis sequuntur nutum Domini. Quid fœlicius? Sanè ad magnam facit domus fœlicitatem, quod vniuersi illius siue patresfamilias, siue filij, siue serui, siue famuli operam eandem nauent seruiendo Domino. Accipe ex Gen. 18. pro excipiendis Angelis sub peregrinorum figura, quam sedula fit tota Abrahami familia. *Festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcinericios panes. Ipse vero ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, deditque puero, qui festinauit, & coxit illum, &c.* Ecce tibi vt Abraham,& Sara,& puer similem alacritatem præbent cibandis peregrinis; nullusque in illa inuenitur famulus, qui eidem non studeat virtuti? Rem exprimit Hildebertus Cenomanensis epist. 60. inquiens. *Considera patremfamilias, attende pueros, in Domino deuotionem inuenies, in familia disciplinam. Quippe in domo patriarchæ nemo repertus est sacris indeuotus obsequiis. Et tres viros videt, nec expectauit quasi efficacem, ne si precibus impetrarent, agere postulatum videretur. Occurrit venientibus, rogantur vt intrent. Deinde vero iubente tria sata similæ commixta accelerat, ipse ad armentum currit, vrget apparatum pater, tota domus festinat, tota feruet obsequio, nihil negligenter fit in domo iusti, omnes eius contubernales, tanquam si ab eo didicissent maledictum esse hominem, qui opus Dei negligenter facit.* Expende illud, *in domo patriarchæ nemo repertus est sacris indeuotus obsequiis,* quippe faciebat hoc ad felicitatem, & commendationem domus Abrahæ, vt nemo in illa, nec minimus famulus inueniretur, qui diuinis obsequiis indeuotus esset. Quam commendationem merebatur Esther, quæ nupta infideli Regi, ancillulas etiam infideles nacta, vbi pro patria religione standum erat, ait cap. 4. *Ego cum ancillis meis similiter ieiunabo.* Gentiles erant ancillæ,& nihilominus earum ieiunia promittit secura, quod in sua domo nulla inueniri posset ancillula pigra diuinis obsequiis. Quò respiciens Iob cap. 5. de viro iusto, & [illegible] lici, ait. *Et scies, quod pacem habeat tabernaculum tuum, &c.* Vbi Græcus in cat. legit: *Cognosces, quod pace fruetur domus tua. Conuersatio autem tabernaculi tui non peccet.* Quid fœlicius? Cognoscet equidem felix homo iustus, conuersationem suorum famulorum, totiusque familiæ suæ non esse ad peccatum, sed omnes virtuti operam dare. Quod consulere volens Psal. 28. ait: *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum.* Circa quæ ait Chrysol. serm. 19. *Seruum interhumanum, si habent, Dominus adducat, vt habeat eum fidelem; filium pater offerat, non recedet. Quomodo se Christianum credit, qui non Christo annosa, & veterna ducit? aut quomodo domum suam iudicat ouile Dei, vbi non pascuale germen Dei pecus dat balatum? Obsecro, vt in hoc vigiletis omnes, quatenus in diebus nullus à Dei gratia relinquatur extorris.* Sic persuadetur homo ne quid suum patiatur à gratia Dei esse immune.

Gen. 18.

Hildeb.

Iob 3.

Psal. 28.

Chrysol.

CAPVT X.

Exitus Israëlitarum de Ægypto.

Textus Historia.

EST Ramasse ciuitas in finibus Ægypti sita, quam Hebræi in sua seruitute vel condiderunt, vel mirum in modum auxerunt. Ad hanc vndique confluunt Israelitæ cum vniuersis familiis suis, sub tentoriis,& tabernaculis expectantes profectionis signum. Nec diu in statione perseuerant, subobscura enim lux decimæquintæ diei mensis Nisan aduentantis homines vocat ad iter. Ac ne timida videretur, aut furtiua discessio; militari ordine sexcentorum millium pugnatorum acies constructa immensam aliam multitudinem imbecillium prætermittens, geminatis clamoribus potentissimum Deum compellat, & lætam, sed morosam capessit viam. Nullus in tanto populo erat infirmus, nullus, qui vellet remanere in Aegypto, sed & ossa sanctissimi Ioseph quietem Aegyptiam abiurant,& cum suis laboriosam peregrinationem suscipiunt.

Sic gradientibus Israelitis adest dux Moyses, adest & Deus; ille beneficiorum diuinorum memoriam renouans, vt æternari possit, ostendit in paschalibus ceremoniis, in primogenitorum consecratione, hic præmissa ingentis virtutis nube, diei ardores temperans,& noctis tenebras illuminans populi siue gressum, siue stationem designat. Nullo clarius extolleret Deus beneficentiam suam erga Israelitas, quam hac recta columna nubis. Hæc ostentabat Dei triumphalem amorem, vt non permittit suos alumnos vel errare in via, vel torreri calore, vel obscuris noctis tenebris suffundi.

PARS

PARS VNICA.

Moralia circa textus literam.

EXAVNTIBVS Hebræis de Ægypto, fatius erit, quod nos exeamus de cortice litteræ, & spirituales curramus ad fructus, quibus in ætatem perfectam alatur humana virtus.

Exod. 13. Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vuluam in filiis Israel, tam de hominibus, quàm de iumentis. Mea enim sunt omnia.

§. I.

Quæ Deo sacrantur, non in perditionem, sed in augmentum ibunt.

PEtit Deus sibi primogenita tam hominum, quàm iumentorum in Israele sacrari, cum inquit: *Sanctifica mihi omne primogenitum, &c.* An vt fœtus pereant datis Deo primis? Absit, imò ideò prima petuntur à Deo, vt multipliciora fiant genimina; magno enim augmento crescunt ea, ex quibus fit aliquod Deo seruitium. Ex quo Lippoman. ait: (*Lippom.*) *Qui offerebat primogenita ex fide, ei reddebatur, non pauperior, sed multo ditior.* Hinc Gen. 7. locutus Deus de animalibus mundis seruandis in arca non paruum illorum numerum prouidit, ait enim: *Ex omnibus animalibus mundis tolles septena, & septena.* De aliis duo, & duo sumuntur, & quidem duo sufficiunt; de mundis non duo, sed septena prouidentur. Et cur in tam multiplici numero munda animantia custodiuntur? Pulchram rationem reddit D. Basil. Seleu. orat. 6. inquiens: (*Bas. Sel.*) *Cur non æquabilem numerum seruat in vtrisque? Est profectò summa sapientia. Quorum enim frequentior apud homines vsus absumente sacrificio, esu destruente, eorum benignior à natura copia esse debuit.* Expende illud, *quorum frequentior vsus absumente sacrificio*, quippe, quæ sacrificio seruiebant, & diuino mancipabantur cultui, ea multiplicatiorem à Deo prouidebantur in numerum. Nullis enim augmentis non crescunt ea, ex quibus sibi Deus aliquid sumit. In Numeror. cap. 1. vbi bellatores viri recensebantur, (*Num. 1.*) inuenti sunt de tribu Ruben quadraginta sex millia quingenti: de Simeone quinquaginta nouem millia trecenti: de Gad quadraginta quinque millia sexcenti quinquaginta. Verum, *De filiis Iuda per generationes & familias, ac domos cognationum suarum per nomina singulorum:: recensiti sunt septuaginta quatuor millia sexcenti.* Nulla tribus in tantum creuit filiorum numerum, omnes alias longe excessit vna Iudæ tribus numero filiorum bellatorum. Et cur hæc sola sic filiorum numero sese extulit super omnes alias tribus? Ait Theodoret. quæst. 3. in Numer. (*Theodor.*) *Quo pacto tribus regia numero vincebat alias tribus? Decebat tribum regiam numero antecedere ob benedictionem Christi Domini, qui carnem ex ea tribu sumpturus erat.* Vbi tribus Iuda carnem purissimam ministratura erat Dei filio, non miror quod alias omnes tribus excederet filiorū numero. Nunquam enim quæ Deo dantur, non faciunt ad augmentū summum. Quapropter Isaac benedicēs filiū Iacob Gen. 27. inquit: (*Gen. 27.*) *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni.* Vnum Iacob videbat, & in vno Iacob ingentem sibi bonorū olfaciebat aduētare plenitudinem. Et cur tantam plenitudinem bonorum sibi olfaceret in vno Iacob, nisi in illo sentiret iam carnem suam sumendam à Dei filio? Ait Diuus Bernardus sermone in Cant. (*D. Bern.*) *Iacob tangens, & Christum sentiens, ecce, inquit, odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus; cum hoc dicebat, habebat delicias suas sibi.* Vbi sentiebat carnem suam exhibendam Deo in Christo, nihil non acquirebat sibi, & magnum, & plenissimum.

Felix qui in suis habet quod Deo exhibeat, nihil, mihi credat, perdet inde, sed maxima bonorum incrementa recipiet.

§. II.

Nulla magis à nobis tenentur, quàm quæ pro Deo damus.

PEtuntur primogenita ex Israelitis, dum ait: *Sanctifica mihi omne primogenitum, &c.* An vt Israelitæ instar Aegyptiorum orbentur primogenitis? Sanè ab Aegyptiis Deus primogenita abstulit, sed nunc petit ab Israelitis primogenita. An quia vult Israelitas pariter sine primogenitis esse, vt Aegyptij fuerunt? Absit; ab Aegyptiis enim sic periuit primogenita, vt perirent; ab Israelitis autem sic petit eadem, vt magis à parentibus habeantur; nulla enim res magis habetur, quàm, quę pro Deo vel Deo datur. Ex quo sapienter monebat Euseb. (*Euseb.*) Gallican. ser. de Sancto Faustino, fatus: *Propter beatitudinem tuam offer Deo salutem tuam. O quale præmium est! O quale pretium! Quod tum dederis, tecum remanebit. O pretium, quod à te expenditur, sed magis dum prærogatur, augetur.* Habent hoc singulare omnia, quæ pro Deo expenduntur, nil tibi adimis ex his, quæ donas; quæcumque das, tibi integra manent. Hinc Numerorum cap. 27. ait Dominus Moysi: (*Num. 27.*) *Tolle Iosue filium Nun, virum in quo est spiritus Dei, & pones manum tuam super eum. Qui stabit coram Eleazaro sacerdote, & omni multitudine, & dabis ei partem gloriæ tuæ.* Iubet Moysi, vt partem gloriæ suæ elargiatur, an vt sic maneat Moyses minus gloriosus, quam antea? Qui partem dat rei, quam habet, necessum est, vt vacuus maneat illa parte. Vult ergo Deus quod Moyses det partem gloriæ suæ, an ne integer in gloria maneat? Absit, ea est enim gloria, quæ pro Deo datur, quæ minime deserat dantem. Ait Procopius ibi: (*Procop.*) *Non enim dantem, ad quod datur, deserit: Non enim res huiusmodi quasi pariliter diuisa minuuntur, sed tota sunt omnibus, tota singulis, qui earum habent societatem.* Tibi integrum habes, quidquid pro Deo, & virtute impertiris. Quod vt manifestius constaret, Iesus Dominus postquam acceptis quinque discipulorum panibus famem ingentis expulit turbæ, singulisque iussit dari, prout quisque egebat, ait discipulis, *Colligite quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus.* Quid pulchrius? Non minuitur panis, qui datur, sed mirum in modum auctus colligitur. Vt dicat D. Amb. lib. 6. in Lucam: (*D. Amb.*) *Visibiliter quoque panis iste, incredibili ratione dum frangitur, dum diuiditur, dum editur, sine vlla dispendij comprehensione cumulatur.* Diuiditur, datur panis pro Deo, & tantum abest, vt minuatur, quod datorem implet mirum in modum auctus.

Exod. 13. Et ait Moyses ad populum: Mementote diei huius, in qua egressi estis de Ægypto, & de domo seruitutis, quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco isto, vt non comedatis fermentatum panem. Hodie egredimini mense nouarum frugum, &c.

§. III.

Quidquid ad nouitatem vitæ spectat, opus agnoscatur esse Dei.

NOn otiose iubet Moyses, vt Israelitæ præ oculis habeant circunstantiam temporis, qua de Aegypto egrediebantur. Ait enim: *Mementote diei huius, in qua egressi estis:* & insuper magis in particulari tempus notans ait: *Hodie egredimini mense nouarum frugum:* nimirum iuxta Interlinealem, *vt nouos cibos edatis.* Et cur tam particulariter meminit nouitatis frugum apparentium in terra, sub qua nouitatis circunstantia Israelitæ egrediebantur? Ipse ait: *Quoniam in manu forti eduxit vos de loco isto, &c.* Ideò nouitas fructuum sumendorum proponitur ob oculos, vt euidentius pateat, qua fuerint manu ab Aegypto liberati; nequit enim non esse potentissimi Dei opus, quidquid pertinet ad vitæ nouitatem. Apoc. 3. (*Apoc. 3.*) *Angelo Laodiceæ Ecclesiæ scribe. Hæc dicit, Amen, testis fidelis, & verus, qui est principium creaturæ Dei.* Expende, quale sibi cognomen assumat filius Dei, nimirum *principium creaturæ Dei*, vt quidquid ad generationem nostram, & vitæ nouitatem pertineat, vni diuinissimæ illius potestati attribuamus. Rupertus lib. 2. ibi: *Quid est principium creaturæ Dei? Quid*

Quid est hoc loco creatura Dei? Vtique nouus homo, siue generatio, & recreatur hominum bene operando in nouitate vitæ ambulantium. Ergo pertinuit, vt diceretur Angelo huic de isto teste fideli, quod ipse sit principium creaturæ Dei? vt sciret totam recreationem suis, & quidquid sanctæ nouitatis habeat, vel habere sibi videbatur, non sibi attribuere, sed illi. Nemo sit, qui nouitatem sanctæ vitæ sibi attribuat, sed Deo, cuius est nouam inferere vitam hominibus. Quippe ait Paul. 2. ad Corinth. 5. *Si qua ergo in Christo noua creatura: vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua. Omnia autem ex Deo.* Vbi D. Remigius; *omnia autem, subaudi, genera innouationis ex Deo patre nobis procedunt.* Ne quis putet se posse in nouitatem aliquam sanctæ vitæ venire, quæ à Deo non sit, quando ab illa omnia eius innouationis genera procedunt. Ex quo monebat D. Nazianzen. orat. 43. *At nunc nouus appare, sic nempe, vt totus immutere. Vetera enim transierunt, ecce facta sunt omnia noua. Huic festo muneris loco præclaram mutationem offer, ac nec sit quidem magnifice de te sentias, verum dic cum Dauide: Hæc mutatio dexteræ Excelsi, à qua promanat, quicquid ab hominibus recte, & cum laude geritur.* Quidquid in te nouæ vitæ appareat; hoc in primis efficiat, vt agnoscas à diuina dextera in te fuisse profectum. Dei enim solius est ad vitæ nouitatem homines impellere, expulso veteri malitiæ fermento.

2. Cor. 5.

Nazian.

§. IV.

Munificentissimo Deo sese vniuersa creatura conformat.

NOn prætereundum est tempus, quo Deus Ægyptios primogenitis spoliat, suaque primogenita cum libertate Israelitis donat. Hoc est tempus nouarum frugum, quippe ait: *Hodie egredimini mense nouarum frugum.* Hic est iuxta Lippoman. *Mense primitiuorum*; quando enim tunc prima germina frugum in terra visebantur, & vt ait Lyra, fiebat oblatio de primitiis. Itaque diuina beneficentia dies liberanti Israelitas, illisque sua primogenita permittenti applaudebat, & sese conformabat tempus ipsum frugum suarum prætendens offerensque primitias. Quo spectans D. Nazianzen. orat. 43. inquit: *Princeps anni pars principi dierum pompam peragit, quidquid pulcherrimum & suauissimum habet, dono dat. Nunc cælum splendidius, nunc Sol sublimior, magisque aureus, nunc Luna orbis clarior, & syderum chorus purior. Nunc & fluctus cum littoribus, & nubes cum Sole, & venti cum aere, & terra cum stirpibus, & stirpes cum oculis in gratiam redeunt. Nunc & partum suauiter oleo, & planta viret, & herba detondetur, & in virentibus aruis agni saltitant, &c.* Sic prima anni pars, nempe ver, pompam peragit primitiuo germine Dominicæ illi diei, qua Dominus tanta largitus est Israelitis. Quid mirum, quod Deo munificentissimo sese tempora in munificentia conforment? Fallar, nisi vniuersa creatura sese Deo conformet vt augeat homines. Vidisti Cherub in paradisi ostio positum, vt flammeo gladio sese accedentibus hominibus opponeret. Quippe ait Gen. 3. *Collocauit ante paradisum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Quis hominum audebit aduersus tam validum custodem ire? Quis de ostio paradisi tantum contrarium auertet, vt liberum habeat ingressum? Sanè ipse, ipse Cherubin tam validus custos paradisi, vbi vidit Deum terga dantem flagellis pro hominibus liberandis, & ipse statim terga dedit, & liberum reliquit ingressum. Huc respiciens Germanus Constantinopol. orat. de Festo crucis in media Quadragesima, sic fatur: *Terga autem vertet flammea romphæa conspectu nobis, pro quibus Dominus dorso suo flagella excepit.* Quid pulchrius? Nesciet creatura non sese conformare Deo pro hominibus extollendis, & quando Deus terga dedit flagellis pro hominibus, & flammans Angelus visis nobis terga etiam dabit cœlestem paradisum relinquens apertum.

Lippom.

Genes. 3.

German.

Exod. 13. Separabis omne, quod aperit vuluam Domino ::: Cumque interrogauerit te filius tuus cras dicens: Quid est hoc? Respondebis: In manu forti eduxit nos Dominus de terra Ægypti. Nam cum induratus esset Pharao, & nollet nos dimittere, occidit Dominus omne primogenitum, &c.

§. V.

Facinoris virtuosi præmium temporale minimè requirendum.

PRo interfectis Ægyptiorum primogenitis petit Deus sibi dari omne, quod vuluam aperit. Ait enim: *Separabis omne, quod aperit vuluam, Domino.* Quale hoc, quòd pro tanto facinore expectentur primogenita temporalia? An is est Deus, qui pro operibus virtutis peteret primogenitum hominis? Absit, non temporale est, quod petitur, sed æternum: lex enim hæc non tam respiciebat primogenita hominum, quam primogenitum Dei Iesum, qui solus inueniens clausam matris vuluam, per illam sic clausam, quasi per apertam ad nos penetrauit. Sic Origenes, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, Nyssenus, Amphilochius, & alij relati à Card. Toleto in c. 2. Luc. annot. 36. Non ergo temporalia primogenita, sed maximè æternus primogenitus Iesus expectatur à Deo pro facinore, quo Aegyptios trucidauit. Nunquam enim nõ dedecet in præclaro facinore temporalia tantum requirere, & expectare. Vnde turbas sequentes duriusculè Iesus tractat Ioan. 6. aiens: *Quæritis me, non quia vidistis signum, sed quia manducastis ex panibus.* Cur bone Iesu sic verecundiam ingeris hominibus te quærẽtibus? Cur non magis accipis eorum sedulam sequelam? Spectabant illi in Christi sequela nihil æternum, sed tantum temporalia, ideò duriter tractantur. Ait Diuus Cyrill. Alex. libr. 3. in Ioann. cap. 27. *Saluator noster ardentius illos arguit. Non enim quomodo probi viri fierent, quæritabant: sed corporali, ac tenuissima mercede persuasi Christum sequebantur. Religionem ergo Christi amplectamur, non vt aliquid temporalium rerum assequamur, sed vt æternam inueniamus salutem: nec bonis verbis erga Dominum vtamur, vt caducarum rerum nobis aliquid concedatur. Nam qui hac re sic abutitur, eius occultam malitiam acerbè Dominus arguit.* Nunquam enim non damnosum homini est, quod in facinoribus præstitis, temporalia tantum spectet. Quod vt à Christianorum animis Paulus auerteret, nobis remuneratorem Iesum proponit omnis temporalis splendoris expertem. Ait enim ad Gal. 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere.* Cur non dixit factum ex Regibus, factum ex ducibus, vel patriarchis, aut prophetis? Cur non dixit factum ex virgine splendenti? Cur assumpsit vocabulum, & communius, & abiectius, nisi vt pro virtute nihil temporale respicere doceremur? Ait D. Aug. epist. 120. cap. 5. *Itaque Christus homo, quoniam non ad temporalem, sed ad æternam vitam pertinet, non vtique terrena felicitate erat commendandus. Inde subiectio, inde passio, & tanquam superata mors ipsa, vt fideles eius discerent, quale pietatis premium ab illo petere, & sperare deberent, ne ad hoc pro magno seruirent Deo, vt terrenam felicitatem adipisci quærerent, abijcientes, & conculcantes fidem suam æstimando eam mercede vilissima.* Expende, vt fides abijcitur, & conculcatur ab illis, qui pro virtuosis laboribus temporalia sperant. Vilissima enim virtutis merces est, quæ tẽporis mensurã non excedit.

Ioann. 6

D. Cyril.

Ad Gal. 4.

D. Aug.

Exod. 13. Cum introduxerit te Dominus in terram Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Heuæi, & Iebuzæi, quam iurauit patribus tuis, vt daret tibi terram fluentem lacte, & melle, celebrabis hunc morem sacrorum mense isto, &c.

§. VI.

Terreni, & pessimi homines nunquam patiuntur ablactari.

EX lactis fontibus commendat terram Israelitis dandam aiens: *Vt daret tibi terram fluentẽ lacte.* Cur à lactis copia commendat terram? Erant Israelitæ isti homines & terreni, qui vt infantes terræ mamillis adhærescentes, minimè ablactari paterentur. De sanctissimo Isaaco ait Gen. 21. *creuit igitur puer, & ablactatus est.* Nec otiose notatur Isaac ablactatio, sed vt eius virtus insinuetur, & præstantia, qui potuit viuere sine lacte. Quod minimè impij, terrenique homines faciunt. Ait enim ibi Procopius: *Notandum nullibi dici de impiis, ablactati sũt.* Nullus impius à mamillis auellitur, nullus terrenus homo ablactatur: eo ipso, quod quis mamillis renuntiet, iam virtutibus induendis aptatur. Vt dicat Isaias cap. 11. *In cauernam reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.* Eo enim quod quis mamillis renuntiet, tanta

Gen. 21.

Isai. 11.

virtute pollere intelligitur, vt vel cum regulis venenatis cõfligat, & vincat. Ibi D. Hieron. *Qui ablactatus est, ne lacte nutriatur infantiæ, sed iam solido vescitur cibo, iste in regulæ cauernã mittet manum, hoc est, in ipsũ Satanæ habitaculũ vt inde eum extrahat.* Nec mora, vt quis renuntiasse mammillis intelligitur, iam simul intelligitur talis, qui cum Satana confligat, eumque vel à proprio habitacolo eliminet. Consistit enim in hac ablactatione multum roboris, vt dicat Psal. 130. *Sicut ablactatus super matre sua, ita retributio in anima mea.* Vbi Chaldæus: *Sicut ablactatus super mammam matris suo, sic roboratus sum in lege.* Pertinet robur virtutis ad ablactatos, vt infirmitas, & imbecillitas propria est illorum, qui auelli nequeunt à terrenorum bonorum mammis. Quod malum in Hebræis sui temporis carpebat D. Paul. epistol. ad Hebræos cap. 5. aiens: *Facti estis opus habētes lacte, non solido cibo. Omnis enim qui particeps est lactis, rudis est sermonis iustitiæ.* Nihil habet iustitia, & virtus, cum lactentibus hominibus, nũquam enim non detrimentosum est virtutis studioso, quod velit terrenorum bonorum mamillis immorari. Ait enim D. Chrysost. *Lac vocat, quia rudioribus congruit: hoc autem perfectioribus contrarium est, & noxium, vt in istis immorentur.* Quid noxium, & virtuti contrarium non fugat, qui mamillis amat semper inhærescere, ab vberibusque terrenorum bonorum nunquam discedit? Hic quo magis noxia tractat, eo magis mãmis hærebit, nullosque ad perfectionem viri faciet progressus. Quò spectans lex Deut. 21. cauet: *Si habuerit homo vxores duas, vnam dilectam, alteram odiosam, genuerintque ex eo liberos::: non poterit filium dilectæ facere primogenitum.* Ecce tibi vt cauetur ne filius dilectæ habeatur primogenitus, etsi prius nasceretur. Et cur iste non haberi debet primogenitus? Sane in filio dilectæ intelligit hominem nequam iis terrenis bonis penitus adhærescentem, qui vt bonis adhærescit, sic nunquam ad eam ætatem peruenit, qua alios excedat, sed crescentibus aliis ipse pusio est minimè abstractus ab vberibus. Ex quo ait Philo lib. de verbis, Resipuit Noe, fatus: *Obseruasti eam quod dilecto filium nunquam seniorem vocat, aut primogenitum, odiosæ verò filium sæpius. Atque prior q̃le natus, odiosæ verò filius posterior, apparet in ædibus principio. Si pepererint, inquit, dilecta, odiosaque. Attamen priorũ partus quanquã antiquior, à velle iudicãte iunior deteritur.* Sẽper istius mũdi filius paruus, & lactans habetur, minime volens discedere ab vberibus.

Hieron. · *Psal. 130.* · *D. Paul.* · *Chrysost.* · *Deut. 21.* · *Philo.*

Exod. 13. Et erit quasi signum in manu tua, & quasi monumentum ante oculos tuos, & vt lex Domini semper sit in ore tuo. In manu enim forti eduxit te, &c.

§. VII.

Quod manuum opera non conueniant cum verbis, non à bono, sed à diabolico spiritu venit.

ECce vt spiritus diuinos, & manus, & os coniungit semper, curans ne discrepent à verbis opera. Quippe ait: *Erit quasi signum in manu tua, & vt lex Domini semper sit in ore tuo.* Dum enim manus non ostendunt operibus id ipsum, quod ora sonant, non Dei spiritus ibi, sed spiritus diabolicus, spiritus nequam. Apud Marcum cap. 1. *Erat in Synagoga eorum homo in spiritu immundo, & exclamauit dicens: Quid nobis & tibi Iesu Nazarene? Venisti perdere nos. Scio, qui sis, sanctus Dei.* Quid sanctius iis verbis? Fallar si honorificentius, si sanctius de Iesu aliquis loqui possit. Verum Iesus coegit spiritum illum adeò sancte loquentem ab homine exire. Quid tunc? *Et discerpens eum spiritus immundus exiit ab eo.* Poterat equidem Iesus facere, vt spiritus ille nequam exiret nullo damno hominis, cur ergo maluit permittere, vt exiret hominem discerpens? Vt ostenderetur omnibus diabolicus esse spiritus, qui tam sobria verba habens, tam nefaria opera exhiberet. Pulchre ait Victor Antiochenus: *Dominus ob id illum hominem iactari discerpique passus est, vt omnibus palam fieret Dæmonem esse illum qui dicebat, Scio, qui sis, sanctus Dei, non hominem, tametsi eius sobrietatem verba essent.* Et quidem euidentissimè apparet diabolicus spiritus esse, in quo adeò discrepent opera à verbis, vt cum sobriis, & placidis, & sanctis verbis opera plena sint malignitatis, & nocumenti. De Iuda dicebat Dominus Ioann. 6. *Ex vobis vnus diabolus est.* Sed scire cupis, in quo iste in se euidentissimè ostendit spiritum diaboli? Quò spectãs Psal. 54. ait: *Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula.* Expende genium nefarium, simul blanda, & dulcia verba promebat, & dura manibus torquebat spicula. Ex quo eleganter personans educens D. Hieron. ait: *Ergo intellige diabolum nuncupatũ, & Iudam, qui leniores oleo fecit sermones suos, cum ait, Aue Rabbi.* Pondera illud, *Ergo intellige diabolum, &c.* quippe vbi qui ostendebatur, qui ore mella volueret, & manu tractaret venabula, nõ poterat ibi intelligi nisi diabolus. Nunquam equidem nisi à diabolico spiritu venit, quod bona dentur verba, & opera mala. Matth. 22. ait: *Tunc abeuntes Pharisæi consilium inierunt, vt caperent Iesum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes, Magister, scimus, quia verax es, &c.* Mittunt Pharisæi discipulos ad Iesum, qui bona illi, & laudis plena verba dicentes aliquam inferendæ mortis causam venarentur. Sed illud notandum, quod ad hoc facinus non mittunt Pharisæi discipulos suos solos, sed simul cum Herodianis. Et cur cum Herodianis? Erant Herodiani homines Idololatræ, diabolico spiritu pleni; vbi autem consilium de inferendo malo cum dulcibus, & placidis verbis capessunt, nequeunt sine diabolico spiritu socio procedere. Ait imperfect. hom. 42. in Matt. *Abierunt ergo, & consilium inierunt, vt caperent eũ in sermone. Quo abierunt? Ad Herodianos. Qui in diaboli iniquitatibus ambulat, diaboli adiutorium necessariũ habet. Sic & isti conuenienter, non ad seruos Dei, viros religiosos, sed ad gentiles, id est, Herodianos se consulerunt. Quis enim poterat dare consilium contra Christum, nisi diabolus, &c.* Ecce tibi, vt cum blandis verbis damnum amant inferre Saluatori, solius diaboli requirunt, & habent adiutorium. Non potuit non esse diabolicus afflatus, vbi cum bonis verbis cruentissima opera ordiebantur.

Marc. 7. · *Ioann. 6.* · *Psal. 54.* · *D. Hier.* · *Matt. 22.* · *Imperf.*

Exod. 13. Igitur cum emisisset Pharao populum, non eos duxit Dominus per viam terræ Philisthiim, quę vicina est, reputans ne forte pœniteret eum, si vidisset aduersum se bella consurgere, & reuerteretur in Ægyptum, sed circumduxit eum per viam deserti, quæ est iuxta mare rubrum. Et armati ascenderunt filij Israel de terra Ægypti.

§. VIII.

Non imperfectorum est, sed perfectissimorum hominum confligere cum inuidia, & triumphare de illa.

IN educendo populo de Ægypto maximè cauit Dominus Philisthinorum congressus, ait enim textus: *Non eos duxit Dominus per viam terræ Philisthiim, quæ vicina est, &c.* Sanè, & per aliam viam Amalechitarum prælia instabãt, cur ergo Dominus magis timuit populo suo a Philisthinis, quam ab Amalechitis? Cur non cauit illos ducere per Amalechitarũ hostilẽ regionẽ, & cauit illos ducere per Philisthinos? Vel, vt clarius ad textum loquar, cur metuit, vt præliis Philisthinorum perterrefacti redirent in Ægyptum, & id minimè metuit in præliis Amalechitarum? Fuit Philisthinis nõ solum odium, sed & singularissima inuidia de bonis Israelitarum, vnde Deus, qui infirmitatẽ nouerat populi recenter egressi de Ægypto, ideò prouidẽtissimè cauit, ne infirmus, & imbecillus cum inuidia luctaret, cuius certamen fortissimis solum, & præstantissimis paratur. Ait Rupert lib. 5. in Exod. cap. 16. *Igitur maxime habitatores Philisthiim erant vitandi non frustra, quia aliis timentibus sola contra Israel iam hostilem coquebant inuidiam.* Sapientissimè non permittit Deus populum infirmũ, & imbecillem adhuc pugnare cum inuidia, cui non infirmos, sed fortissimos validissimosque solet permittere. Matth. 17. Post transfigurationis gloriam ostensam Petro, Iacobo, & Ioanni, sic Dominus cauet: *Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat.* Et cur cauet, ne & cęteris discipulis dicant visionem tantam? Erat ibi Iudas, qui posset accendi inuidiæ rabie, & ideò bonus pater imperfectos adhuc discipulos maximè cauit tradere inuidiæ certamini. Ait D. Damascen. orat. de transfigurat. *Quid est, quam ob rem si e monte descendant, ne mini quicquam ex his, quæ viderant dicentes: Cum imperfectos discipulos esse compertum haberet, hoc idcirco ab eo factum est, ne proditorem inuidiæ rabies in furorem ageret.* Merito cauet suos imperfectos, ne veniant in inuidię certamina, quæ solis validissimis, & perfectissimis solent permitti à diuino patre. Quis non sciat Saulis inuidentiam erga Dauidem? Ait 1. Reg. 18. *Iratus est autem Saul nimis, & displicuit in oculis eius sermo iste, dixitque: Dederunt Dauid decem millia, & mihi mille dederunt, quid ei superest nisi solum regnum? Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat Dauid à die illa.* Sic Saul exarsit inuidia in Dauidem, quem in multa coniecit pericula, & sæpe ad mortem quæsiuit. Et tamen

Rupert. · *Matt. 17.* · *Damasc.* · *1. Reg. 18.*

Deus,

Deus, qui Nabalem statim percussit, vbi in Dauidem durus fuit, & Absalonem non passus est viuere, Saulem Dauidis hostem diu permisit, nec illum abstulit, cum posset, sed magis voluit, vt sub eius Dauid affligeretur inuidia. Et cur sub inuidia Saulis Dauidem tandiu reliquit, qui eum, & Nabalis, & Absalomis tyrannidi tam citò eripuit? Erat Dauid validissimus vir, cuius fortitudinem, & præstantiam inde commēdare volebat Deus, quod possit de inuidia ipsa triumphare. Ait D. Basil. Sel. orat. 15. *Ne tibi paradoxum videatur, si Dauid tanta ob esset gratia, Deoque in deliciis, inuidiæ iaculis fuerit expositus. Nam cum inuidiam perimere Deus potuisset, inuidente perempto, sententiam ut est nullam iusti rationem, nullam Dauidis curam Deum habuisse. Sic enim & Nabal sustulit Deus Dauidi gratificaturus, dum eius iniurias morte vindicauit. Sic ab Absalone commota mentis in patrem pœnas exegit Deus. Dauidem tamen Saulis motibus obludari permittit Deus, vt athleta ope diuina inuidentia victor euadat.* Vt infirmos Deus non permittit inuidiæ, sic fortes, & strenuos vocat in stadium, quo possint de inuidia ipsa triumphare. Aufert infirmum ab inuidorum rabie, at fortissimos eò deducit, vbi inuidentiæ victores euadant. Hinc Iacob extollit præstantiam Iosephi cap. 49. *Filius accrescens, Ioseph filius accrescēs, & decorus aspectu. Filiæ discurrerunt super murum, sed exasperauerunt eum, & iurgati sunt, inuideruntque illi habentes iacula. Sedit in forti arcus eius, &c.* Nota fuit Iosephi gloria, vbi in Ægyptio solio consedit secundus à rege. Sed quid in hac gloria præstantius inuenit Iacob decantandum? Illud nimirum, *inuiderunque illi, &c.* quod per inuidorum certamina, ipsius inuidiæ victor regnum occuparet. Ad hæc D. Basil. Sel. orat. 8. fatur. *Hoc Iosephi certaminum caput est. Perferens autem adolescens lato animo prima periculorum rudimenta, mansuarum honorat. Enauigatis autem inuidiæ fluctibus Ægyptum occupat.* Quid præstantius? Non aliter, quam post superatos inuidiæ fluctus decebat tantum virum corona.

Basil. Sel.

Ioseph.

Basil. Sel.

Exod. 13. Tulitque Moyses ossa Ioseph secum, eo quod adiurasset filios Israel, dicens: Visitabit vos Deus, auferte ossa mea hinc vobiscum. Profectique de Socoth castrametati sunt in Etham in extremis finibus solitudinis. Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux esset itineris vtroque tempore, &c.

§. IX.

Inde præstantia principis, si temporalia lucra postponit religioni, & virtuti.

SVpra de popularibus locutus textus dicit, quod petierunt ab Ægyptiis vasa aurea, & argentea, quæ asportarunt, modo de Moyse dicit: *Tulit Moyses ossa Ioseph secum.* Id quod ponderans Græcus in caten. ait: *Iudæi vtpote infantibus similes, aurum, atque argentum secum detulerunt. Moyses verò intemerati animi vir, Ioseph ossa deportauit.* Illi ad aurum, hic ad religionem spectauit; illi quasi infantes, hic quasi vir, quasi princeps populi, & præstantissimus gubernator, cuius præstantia in eo sita est, quod religioni aurum, cæteraque lucra temporalia postponat. Et quid in principe præstantius, & Deo coniunctius? Accipite duos reges inde commendatissimos; alterum in veteri, alterum in nouo testamento; ille est Dauid Hebræorum rex, hic est Recharedus Hispaniarum rex, qui primus in Hispania religionem ab Arianismo purgatā libauit Christo. Sitibundo illi aquam de cisterna Bethlehemi suorum periculo partam obtulerunt milites, in qua vt bonus rex suorum sanguinem vidit, maluit illam Deo sacrare, quàm bibere. Ait enim 1. Paralip. 11. *Libauit eam Domino.* Verum huic egēti ingentem auri copiam obtulerunt Iudæi, vt liceret in Hispania illis Iudaicè viuere. At bonus maluit aurum perdere, quam Hispanæ religioni maculam inurere. Vtrumque miratus D. Greg. PP. lib. 7. epist. 126. quam ad Recharedum dedit, pulchrè dicit: *Excellentia vestra omnipotentis Dei placere iudicio requirens auro innocentiam prætulit. Qua in re mihi Dauidis factum ad memoriam venit, cui dum concupita aqua ab obsequentibus militibus fuisset allata. Libauit eam Domino. Si igitur ab armato rege in sacrificium Dei versa est aqua contempta, pensemus quale sacrificium omnipotenti Deo rex obtulit, qui pro amore illius non aquam, sed aurum accipere contempsit? Itaque fili excellentissime fidenter dicam, quia libasti aurum Domino, quod contra eum habere noluisti. Magna sunt hæc.* Componite modo duos reges religiosissimos, & Hebræum, & Hispanum: vterque in religionis causa par fuit, & in regio spiritu, nisi quod Dauid, vel ab aqua abstinuit, vt se religiosum exhiberet, Recharedus, vel de auro triumphauit, quando illud cōtempsit, ne maculosos in Christiana Republica permitteret. Vterque magna præstitit, & digna rege præstantissimo, quando contemptus auri pro virtute nunquam nō ostendit reges regalissimos. Quò spectans Theodoricus rex Trasimundo regi mittenti aurea munera pro pace obtenta sic respondit, munera minimè acceptans apud Cassiodor. variar. 5. epist. 44. *Auri transmissi munera non tenemus, & vt ipsi intelligatis causam per iustitiam fuisse motam, quam nulla potuit finire venalitas. Fecimus vtrique regalia. Sic nos superauimus tyrannicam cupiditatem, sicut & vos vicisse constat errorem. Redeant ad cubiculum vestrum munera, quorum tātum oblatio videtur esse gratissima. Negligatur aurum, vbi electam est conscientiæ præmium, patiatur aliquando repulsam, quod semper auaris Regibus imperabat. Ita quod per bella solebat quæri, amoris studio declaratum est potuisse contemni.* Hoc sit præclaris regibus insitum, vt in eorum animis temporalia lucra, aurumque ipsum postponatur virtuti, vt nunquam non cernatur aurum contemni, vbi ostendenda venit res virtutis.

1. Par. 11.

D. Greg.

Cassiod.

§. X.

Nulla gratior sedes, aut patria homini quàm vbi sunt charissimorum cineres.

ÆGypto egressus Moyses, vt promissam suis sedem acquirat, nil prius secum defert, quam Iosephi cineres, ait enim: *Tulit quoque Moyses ossa Ioseph secum.* Et merito, nullam enim gratiorem sedem, gratiorem patriam sibi homo effingit, quam eam, in qua charissimorum suorum requiescunt cineres. Quo spectans Ruricius Lemouicenus Episcop. lib. 2. epist. 3. de morte consobrinæ, inquit *Solam tamen patriam, quæ mihi per ipsum acquisita fuerat, non amittam, qui hanc mihi potissimum terram, quam illa corpore suo occupauit, patriam iudicabo.* Ecce tibi, vt bonus antistes illam sibi solam veram patriam gratamque sedem iudicat, in qua tumulatur dilectæ sibi consobrinæ cinis. Hinc Dauidi prima decreta à Deo est sedes regni in Hebron, ait enim 2. Reg. 2. *Ascendit ergo Dauid, & duæ vxores eius, Achinoam Iezraelites, & Abigail vxor Nabal Carmeli, sed & viros, qui erant cum eo, duxit Dauid singulos cum domo sua, & manserunt in oppidis Hebron. Veneruntque viri Iuda & vnxerunt ibi Dauid, vt regnaret, &c.* Sed cur Hebron præ omnibus aliis ciuitatibus Iudæ in sedem, & patriam regis eligitur? Ait Theod. quæst. 8. *Ego opinor, propterea quod Patriarchæ in illa ciuitate, & viui habitarant, & mortui fuerint sepulti.* Non equidē potuisset gratior Regi parari sedes, & patria, quàm ciuitas illa, in qua erant charissimorum maiorū cineres. Ossa illa auorum toties amata à Dauide, toties culta, & patriam regio semini, & sedem faciebant gratissimam. Id quod monstrabat Respha Saulis concubina, quæ vt filiorum cadauera crucibus in mōte à Gabaonitis suffixa vidit, eò currens 2. Reg. 21. *Tollens cilicium substrauit sibi supra petram.* Ecce tibi, vbi bona mulier sibi & sedem, & lectum parat, nimirum in petra, iuxta quam erāt filiorum cineres. Quod meditatus Caietan. ait: *Maternus amor describitur tantus, vt quæ fuerat vxor regis in rupe habitauerit, ad curam habendam affixorum corporum, &c.* Crede mihi, nulla gratior habitatio, & sedes amanti, quàm vbi charissimorum ossa cubant. Ioan. 20. vbi sepulchrum Domini vacuum apparuit, *Abierunt discipuli ad semetipsos. Maria stabat ad monumentum foris plorans.* Illi abeunt, hæc stat ad monumentum, vt enim ista plus amabat, sic illi gratior erat locus, vbi amatus iacuerat tumulatus. Vt dicat Origen. *O Maria, quid spei, quid cordis, aut quid consilij erat tibi, vt sola stares ad monumentū discipulis abeuntibus? Tu ante illos venisti, & post illos remansisti. Cur hoc fecisti? Sapiebas plus illis, aut diligebas plus illis?* Amabat Maria Magdalena, & vt amabat, nullum gratiorem sibi locum requirebat, quàm illum in quo dilecti sui sepulchrum visebatur, à quo minimè patiebatur separari. Ait enim ipsa ibi apud Origen. *Melius est mihi sepulchrum Domini mei custodire, quàm ab eo longius ire. Stabo igitur, & hic moriar, vt saltem iuxta sepulchrum Domini mei sepeliar. O quam beatum corpus meum, si fuerit sepultum prope magistrum meum! O quam fœlix anima mea, quæ egrediens de vaso fragili corporis mei, mox poterit ingredi in gloriosum sepulchrum Domini mei. Corpus meū semper fuit anima mea, dolor, & labor, sepulchrum Domini mei erit mihi requies.*

Ruricius.

2. Reg. 2.

Theod.

2. Reg. 21.

Caietan.

Ioan. 20.

Origen.

Origen.

& hmer. Viuens iuxta illud manebo, mortuus illi adharebo, nec viua, nec mortua ab illo separabor. Sic bona nullam aliam sedem sibi gratam, in qua quiesceret, cogitabat, nisi illam, in qua quieuerat dilecti sui sanctum cadauer. Sic Abraham, qui peregrinum esse in mundo elegit, vbi vidit mortuam Saram dilectam coniugem in ciuitate Arbee, quæ est Hebrom, statim empto agro inquilinum amauit esse. Genes. 23. Inquens ad filios Heth, ait: *Aduena, & peregrinus sum apud vos, date mihi ius sepulchri vobiscum, vt sepeliam mortuũ meum.* Hebraice dicit: *Date mihi possessionem sepulchri*, de omni terra illam solam suam propriam amabat esse, in qua dilectę coniugis cineres essent. Et qui peregrinus, & extraneus alibi erat, ibi & ciuis, & inquilinus esse volebat.

Gen. 23.

§. XI.

Qui in iustitia præsidet, nulli grauis est.

NOn otiose elegit Dominus nubis columnam, vt inde quasi è solio populum duceret suum. Quippè ait: *Dominus autem præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, &c.* Et cur Dominus in hoc ministerium assumpsit nubem, ex qua fieret columna? Vt in columna principis iosta, & recta administratio notatur, iuxta sententiam patris Ioannis Fernandij iu thesauro, sic eam ex nube fieri decuit, vt pateret, quam nulli possit esse vera iustitia grauis. Isaias cap. 19. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur simulacra, &c.* Dum percutit Ægyptum, dum pluit super eam plagis, dicitur ille super nubem leuem ascendisse. Et quidem Zachar. cap. 5. ait: *Ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier vna sedens in medio amphoræ. Et dixit, hæc est impietas. Et proiecit eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in os eius.* Zacharias solium mulieris describens nihil in illo non plumbeum meditatur, & ferculum, & sedile mulieris erat plumbeum, & plumbum erat in ore eius. Compone modo sedile Dei, cum sedili mulieris; Dei sedile ingredientis Ægyptum è nube leui factum dicitur, mulieris sedile è plumbo. Cur hæc? Pulchrè D. Ambr. serm. 5. in Psalm. 118. *Venit in nube leui quasi iustitia, iniquitas enim in talento plumbeo sedet.* Quidquid de iniquitate procedit, plumbeum est, graue est, sub quo vel gigantes oppressi gemant, à iustitia autem nihil graue potest procedere. Huc spectat illud Genes. 2. vbi à paradiso egredientia quatuor flumina describuntur, in quibus designari consueuerunt quatuor cardinales virtutes. De quorum duobus dicitur: *Nomen verò fluminis tertij Tigris; ipse vadit contra Assyrios. Fluuius autem quartus, ipse est Euphrates.* De Tigri fluuio dicit, quod vadit contra Assyrios, de Euphrate autem non dicit, quod vadit contra aliquem. Et quando de Tigri fluuio dicit, quod contra Assyrios pergat, cur de Euphrate cauet dicere, quod contra aliquem erat? In Tigri fluuio ostendebatur temperantiæ virtus, cuius est voluptuosæ aduersari vitæ, in Euphrate autem iustitia designatur, quæ nulli aduersatur, nulli grauis est, sed cuique sua suum tribuit. Ait Philo libr. 1. Allegor. legis: *Contra Assyrios vadit Tigris fluuius, id est, contra voluptates temperantia. Porro iustitia, quam nobis refert Euphrates flumen, nec oppugnat quemquam, nec circumuallat, nec habet aduersarium. Quare? Quia bonum est suum cuique reddere, & est loco, non accusatoris, sed iudicis. Quemadmodum igitur iudex, nec vincere vult quemquam, nec habere aduersarium, sed lata sententia pondus addit parti iustiori, ad eum modum iustitia quoque, cum nemini aduersetur, cuique rei quod suum est tribuit.* Quando suum cuique tribuit iustitia, nulli aduersatur, nulli grauis videri debet, sed omnibus leuis, & suauis. Vt dicat Cassiod. 11. variar. 10. *Nullum lædit obseruata iustitia.*

Isaias 19.

D. Amb.

Gen. 2.

Philo.

§. XII.

Te multis præparare, & excolere debes, qui nutum Dei velis sequi.

AD sui sequelam inuitabat Dominus populum ex nubis columna, *Dominus autem, ait, præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, &c.* Et cur in columna nubis præcedebat, vt illi sequerentur? Ostendebat inde quam te excolere debeas, ad Dei nutum sequendum: vt enim agricola terram arat, & multis excolit, vt nubium rorem excipiat vtiliter, sic qui Dei nutum vtiliter vult sequi, multis se primum excolat. Aiebat Moyses Deut. 32. *Expectetur sicut pluuia eloquium meum.* Et cur volebat, quod eloquium expectaretur sicut pluuia? Non expectat agricola otiosus, quod nubes intonent, & pluuiam mittant super terram; sed summo conatu terram præparat, vepres eradicat, sulcos componit, semina mittit, & iterato aratro operit, & sic nubium expectat benedictionem. Sic tu qui nutũ Dei expectas, caue otium, te multis excole, partim vitia eradica, partim affectus compone, vt sic vtiliter possis excipere diuinos afflatus. Ait D. Cyril. Alex. in Cat. Græca. *Expectetur sicut pluuia eloquium meum, facite receptacula in vobis ipsis in eorum, quæ dicuntur perceptionem: nam hoc faciunt prudentes agricolæ. Etenim pluuia imminente arant terram, & studiosè colunt ea, quæ circa arbores sunt, ne quid aqua effugiat, sic etiam volo, ne quid eorũ, quæ dicuntur vos lateat.* Quid pulchrius? Sanè prorsus desipit, qui nullo labore, nulla cultura præmissa nubibus fidit, vt ingentem metat segetem fructuum. Nunquam enim nubes nimbis suis fructiferam reddunt terram incultam, sed eam, quæ multis aptatur, & excolitur excipientibus cœlestibus imbribus. Quò spectans Psal. 98. ait: *Inuocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos, in columna nubis loquebatur ad eos.* Ecce tibi verbum Domini è nube factum non prius percipitur, quàm antecederet inuocatio ex eius gratia profecta, & ea inuocatio quæ aures Domini caperet. Debes enim prius multis te præparare, & Deum pulsare, quam verbi eius nutum & copiosos fructus possis spectare. Crede mihi, non fructuosè ad verbi diuini nutum attendis, nisi te multis prius excolas virtutibus. Luc. 3. dicitur: *Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, & Iesu baptizato, & orante apertum est cælum, descendit Spiritus Sanctus corporali specie, sicut columba, in ipsum, & vox de cælo facta est: Tu es filius meus dilectus, in te complacuit mihi.* Ecce intonat vox Patris ostendẽs mundo filium suum sequendum in vita, & nulla inde turbatio, nullus metus audientibus incutitur. Sed Matth. 17. visa Christi Domini transfigurati gloria, ait Petrus: *Domine bonum est nos hic esse: si vis, faciamus tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce vox de nube dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam.* Duo in præsenti sunt maximè ponderanda, quæ ad rem faciunt. Primum est, cur in Iordane vox de cœlo exiuit, in Thabor autem de nube intonuit? In Iordane sola filiatio diuina annuntiabatur, nihil de audiendo, aut sequendo illo dicebatur; in Thabor autem præterquam quod filius dicitur, insuper & Doctor sequendus ostenditur illis verbis: *Ipsum audite.* Et meritò quando sequendus, & audiendus acclamatur, de nube intonat vox, vt innuat, quam debeat ad hoc terra cordis humani excoli, & præparari, & quàm inutiliter adest Christo sequendo, & audiendo, qui incultus, & plenus vitiis adest. Secundum autem, quod ponderandum venit illud est, quod audiens populus vocem de cœlo, non cadit; Apostoli autem audientes vocẽ de nube cadunt in faciem. Et cur populus in Iordanè non cecidit ad vocem, & discipuli in Thabor cadunt? Populus in Iordane baptizabatur, ait enim Lucas: *Factum est cum baptizaretur omnis populus*, ne miremur, quod populus qui virtuti operam tunc dabat, in cœlesti voce excipienda nullum acciperet damnum. At Apostoli in Thabor dormiebant, sic enim Lucas cap. 9. *Petrus vero, & qui cum illo erant, grauati erant somno:* qui autem somno indulget, non mirror, quod in voce Christi audiendi, & sequendi male afficiatur, imò, & cadat. Ait Theophylactus ad c. 17. Matt. *Discipuli non ferentes fulgorem lucis, nec vocem, ceciderunt in terram, & oculi eorum erant quasi somno grauati.* Hinc cadunt, quia somno indulgent inter voces, & nutus Deum sequendum, audiendumve monstrantes. Et cur non cadunt, qui sic imparati Deo sequẽdo adsunt? Apud Matthęum cap. 8. aiebat quidam Iesu: *Magister, sequar te, quocumque ieris.* Quem attendens Iesus, ait illi. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* Sic Domine ad diuinam sequelam currentem detines? Sic te sequendi repellis animum? Cur homo vias tuas secuturus veniens non magis placet? Veniebat secuturus, sed veniebat prorsus imparatus, nõdum spinas curarum temporalium à corde euulserat, nõdum virtutum exercitio excoluerat animum; quapropter docetur, vt sese excolere debet; & male audit, dum est imparatus. Quippè ait Diuus Chrysostomus homil. 28. *Christi verba non erant repellentis, sed eius, qui prauam hominis opinionem carperet, & potestatem daret, si cum spe eiusmodi sequi vellet. Tu vero vide hominis improbos mores, cum hæc audisset, nec referre saltem valuit, paratum se esse Christo auscultare.* Monstratur sequela Christi illorum solum esse, qui terram cordis sui, sine fimeto, sine cauernosis petris, sine spinis habent; qui sic se excolit, vt illa colat, illa sequatur, prorsus reiiciendus, qui minime studet se ad sequendum parare.

Deut. 32. *Cyr. Alex.* *Psal. 98.* *Luc. 3.* *Matt. 17.* *Luc. 9.* *Theoph.* *Matt. 8.* *Chrysost.*

§. XIII.

§. XIII.

Princeps leniter, & suauiter subditos tractet etiam hostes, etiam rebelles.

NOn sub marmoris, sed sub nubis columna Israelis ductor apparet. Ait enim: *Dominus autem præcedebat eos in columna nubis.* Et cur in nubis columna? Cur non magis in columna siue æris, siue marmoris? Vt ductoris, & principis commendaretur lenitas, & suauitas. Ait Ecclesiasticus cap. 24. *Ego in altissimis habitaui, & thronus meus in columna nubis.* Vbi Hugo Card. *Nubis autem non lapidis columnæ dicitur, qui non debent esse duri, sed mansueti.* Sic qui in humana Republica sunt columnæ, sunt ductores, & principes, populi duritiem, & lapidum rigorem dissimulent, ostendant crebrius humanitatem, suauitatem, etiam erga rebelles, & aduersarios. Docebat enim Dominus Matth. 6. exemplo nubium, vt erant aduersarij mollitet tractandi, dum ait: *Ego autem dico vobis. Diligite inimicos vestros: : : vt sitis filij patris vestri, qui in cælis est, qui pluit super iustos, & iniustos.* Itaque vt nubes in effundenda pluuia, vel iniustos, & pessimos beneficio afficit, sic princeps, & doctor populi sciat, vel aduersarios, & rebelles cum amore tractare. Ex quo suam asserebat apud Deum potentiam Dauid Psalm. 114. *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.* Expende, quanta meminerit, quibus Dei aures occupet, nimirum vnum hoc proponit. hoc est, *Dilexi,* & cum probet se vel rebelles amore prosecutum fuisse, id, quod maxime valet apud Deum, probat. Quod verbum vt in Theodosio recognoscit D. Ambr. sic inde eius in diuino tribunali securitatē agnoscit. Quippè ait orat. in Theodosij obitu. *Dilexi, inquit Theodosius, Agnosco vocem piam, huius testimonium vocis agnosco. Et vere dilexit, qui officia diligentis impleuit, qui seruauit hostes, qui dilexit inimicos, qui iis, à quibus est appetitus ignouit, qui regni affectatores perire non passus est. Ergo decedens è terris pia anima, quasi interrogantibus iis, qui sibi occurrerent, cum sese ad sublimia subrigeret, dicebat, dilexi. Interrogabant Angeli, Quid egisti in terris? Dicebat, dilexi. Hoc est dicere: Legem impleui; Euangelium non prætermisi. Hoc est dicere. Morte me obtuli, & tota die reputatus sum sicut ouis occisionis.* Nihil nō dicit princeps apud Deum, qui humanitatem suam, qui suauitatem suam, qui amorem suum vsque ad hostes, & aduersarios extendit, qui velut nubes, nec iniustis suæ gratiæ rorem voluit auferre. Hoc vnico suauitatis verbo satisfacit potestatibus cœlestibus. Vtinam hunc edi scerent vniuersi populorum rectores affectum, Matt. 17. vbi Iesus in Thabor gloriosus apparuit, *Ecce apparuerunt illis Moyses, & Elias cum eo loquentes.* Imò vt ait Lucas cap. 9. *Erant autem Moyses, & Elias visi in maiestate, & dicebant excessum eius, quē completurus erat in Ierusalem.* Vt nimirum pro iniustis, & peccatoribus moriturus erat, & oraturus, & veniam impetraturus se persequentibus. Ij erant excessus diuinæ bonitatis implendi Ierosolymis. Sed cur Moyses, & Elias adducuntur, vt memorent hos excessus? Meritò ij adducuntur, vt seueritatem, & rigorem legis obliuiscerentur, & à Iesu discerent suauitatem, & mansuetudinem etiam erga rebelles. Ait D. Damasc. orat. de Transfig. *Moyses, & Elias in gloria adstant, itque vnacum eo colloquentes ū conserui conspiciuntur. Oportebat siquidem ipsis conseruorum suorum gloria, animique fiducia conspecta, Domini benignitatem, & indulgentiam admirari.* Et maxime oportebat, quod Elias, & alij populorum ductores admirarentur, & imitarentur, Iesu suauitatem, & indulgentiam, qua prosequitur etiam rebelles.

Eccl. 24. — Matth. 6. — Psal. 114. — D. Ambr. — Matt. 17. — Damasc.

§. XIV.

In omni munere Deo potiùs, quàm hominibus cura placere.

IN columna nubis ibat doctor Israelis iuxta textum: *Dominus præcedebat eos in columna nubis,* vt ex ipsa nubis natura ostenderet, quid cuiusque muneris administratorem deceret, nimirum quod potius curet Deo, quam hominibus placere. Quid enim magis addictum hominibus iuuandis, quàm nubes, quæ exinaniuntur, vt arua hominum fœcundentur? Et quid magis ab hominum placitis alienum, quàm nubes? Ait Baruch cap. 3. *Et nubes, quibus cum imperatum fuerit à Deo perambulare in vniuersum orbem, perficiunt, quod imperatum est eis.* Et Iob cap. 37. *Et nubes spargunt lumen suum. Quæ lustrant per circuitum, quocumque eas voluntas gubernantis duxerit, & ad omne, quod præceperit illis super faciem orbis terrarum.* Vnum solum spectant nubes Dei nutum, cui in primis se conformare festināt, non homini, non terræ. Ad nubium ergo naturā te compone, quisquis aliquo fungeris munere, & potius Deo, quam hominibus placere procura. Isaias cap. 19. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum.* Non paucorum est sententia putantium iis verbis explicari ingressum filij Dei in mundum in vtero Mariæ. Sed quid Mariæ, & nubi? Sane in hoc maxime Maria cum nubibus leuibus conueniebat, quod ad tam sublime munus assumpta, vt perficeretur hominibus, non tam illis, quam Deo placere procurat. Ait Diuus Ambr. serm. 5. in Psalm. 118. *Significabat Dominum Iesum in nube venturum leui, sicut dixit Isaias, hoc est, in Virgine Maria, quæ nubes erat secundum hæreditatem Euæ. Leuis erat, quia non hominis quærebat placere, sed Domino.* Regina Angelorum, & hominum Maria, etsi totam sese impendit hominibus saluandis, fouendis, tamen vel in hoc non quærit placere hominibus, sed Domino. Quid diuinius? Quid regalius? Vtinam vniuersi in muneribus suis hoc prospicerent, vt potiùs placeant Deo, quàm hominibus. Hæc nos docent nubes. Matth. cap. 17. *Ecce nubes lucida obumbrauit eos. & vox de nube dicens. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Et cur necessum fuit, quod nubes veniret, & quod vox de nube veniret? In Iordane eadem vox intonuit Lucæ cap. 3. sed nec fuit nubes, nec vox processit de nube. Cur in præsenti, & nubes, & vox de nube? Aderat Petrus Ecclesiæ princeps, sic affectus ad Moysen, & Eliam, vt æque illorum, & Iesu commoditati prospiceret, dicens: *Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnū, Moysi vnum, & Eliæ vnum.* Ideò nubes obiecta est, & vox de nube, quæ doceret Ecclesiæ Principes, vt deberent potius curare vni Deo placere, quàm hominibus. Ait Origenes homil. 3. in Matth. *Nubes lucida obumbrat iustos, ex qua venit vox patris dans testimonium filio, quasi dilecto, & exhortans eos, qui obumbrantur ab eo, ipsi non alij obedire.* Hoc continue clamant nubes, ne hominibus, sed Deo magis audientes simus.

Baruch 3. — Iob 37. — Isai. 19. — D. Amb. — Matth. 17. — Luc. 3. — Origen.

§. XV.

Maria proprium est locum facere humanæ saluti.

BEne dicitur: *Dominus procedebat eos in columna nubis,* cuius officium erat, & locum quietis opportunum stando ostendere, & tempus etiam ostendere ambulandi præeundo. Sic enim notabat Ambrosius serm. 5. in Psalm. 118. *Vbi volebat exercitum quiescere à laboribus, non mouebatur columna, &c.* Itaque columna nubis quiete sua ostendebat populo locum opportunum, & commodum & quieti, & saluti. Quid plura? Hæc columna nubis nobis est Maria, quæ & protegit nos, & ab æstu defendit, & locum opportunum ostendit humanæ saluti. Ecclesiastici cap. 24 aiebat ipsa: *Ego in altissimis habitaui, & thronus meus in columna nubis.* Quid est in columna nubis? Ibi ait Hugo Card. *Hæc est columna nubis, quæ præcessit, & protexit filios Israel per desertum, ita scilicet, vt nec ab ipsis persecutoribus recesserit. Sic beata Maria multos in peccato protegit. Ipsa enim est aduocata peccatorum. Item columna illa mobilis statione sua loca castrorum monstrabat. Scit Beata Virgo. vbi locus est aptus quieti exercitus Christiani, vbi scilicet non sunt leones, neque serpentes, neque vermes, sed fontes, & prata, & arbores.* Equidem de Mariæ munere venit, quod nobis clareat locus saluti obtinendæ aptus; in quo absint vniuersa mala, & non deficiant cœlestis annonæ commeatus. Ipsa locum salutarem prætendit properantibus ad cœlestem patriam, quod munus adeò proprium Mariæ est, vt pro illo parando non detrectet cum hominibus agere. Sanè Iacobo dormienti Genes. 28. visa est scala plena descendentibus, & ascendentibus Angelis, inter quos sic lætus agit, vt nollet à somno excitari. Eliæ in deserto agenti 3. Reg. 19. adest Angelus, qui epulum præbet, quo refectus hominum consortium fugere satagit. Sed & Petrus Matth. 17. vt vidit Iesu gloriam, clamat: *Bonum est nos hic esse,* quasi nullā aliorū curam ageret. At Maria cū fœliciori somno contemplationis frueretur, in quo licebat cœlestia omnia rimari, Deum ipsum videre, Angelorum vti famulatu, & à filij gloriosi latere non separari, quomodo adduci poterat, vt homines non obliuisceretur, vt vellet cum hominibus conuersari? Rem ipsa exprimit Cant. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulsantis. Aperi mihi soror mea, &c.* Dormiebat equidem Maria, & in somno contemplationis suæ & cœlestia, & diuina lustrabat. Interea vox intonuit pulsantis Dei, qui sibi sedem, & locum ostendi cupiebat, vt salutem hominibus communicaret. A quo negotio

D. Amb. — Eccl. 24. — Gen. 28. — 3. Reg. 19. — Matt. 17. — Cantic. 5.

Rupert.

noluit Maria suum otium excusare. Ait Rupert. lib. 5. in Cantic. *Tu ô cœlum Dei cunctis mortalibus longè eminentior extitisti, longè studiosior ad contemplandum eum, in quo desiderant Angeli prospicere. Quid ergo tu cum hominibus, quamuis sanctis? Quid tu loquis cum mortalibus, quamuis Apostolis? Cur non potius solitudinem expetisti secretior, quam Elias, vt soli te serrent, tibique famularentur Angeli? Hac nobis percontantibus ita respondeas dicis. Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi soror mea. Aperi ignem, & facito, vt in quibuscumque locum habeam, vbi reclinem caput meum.* Expende illud, *in quibuscumque locum habeam*: quippe Mariæ est, in quibuscunque locum ostendere, imò locum facere, in quo saluator hominum inueniatur. Vt hunc ostendat locum Maria, vt nubis columna præcedit eos, qui festinant ad patriam.

Exod. 13. Nunquam defuit columna nubis per diem, neque columna ignis per noctem coram omni populo.

§. XVI.

Sola Dominica crucis protectio nunquam nobis deficit.

PLacet sententia Richardi Victorini, Abulensis, & Patris Pereira putantium vnam, eamdemque fuisse columnam nubis, & columnam ignis, quæ vt interdiu obumbrabat, sic nocturno tempore splendescens claram, & lucidam noctem efficiebat. Sed hoc singulare in hac columna fuit, quod nunquam defuit. Habes enim: *Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo.* Equidem cœlestia astra omnia habent suos defectus, quibus sese eripiunt ab oculis viuentium. Occidit Sol, occidunt stellæ, & Luna; ideo Deus suo populo præuidit ducem, qui non occideret, qui semper cadentibus aliis staret coram oculis sequentium. Quid gloriaris Iudæe? Habemus verius hanc columnā Christiani in cruce Domini, quæ sola cadentibus aliis nunquam deficit, sed ob oculos asseclarum suorum semper est. Quo spectans Nazianzenus agens de hominis vilitate, postquam omnium humanorum bonorum dixerat defectus, tandem ait: *Ego relictis omnibus Crucem vnam habeo, quæ tanquam clarissima columna vitæ meæ praluceat.* Deficiet tibi Sol, deficient tibi astra, clarissimaque mundi lumina tibi deficient, nec aderit necessitatis tempus, auxiliator vllus, qui æternitatis demonstret viam. Vna crucis columna tibi præsto erit, & indefectibiliter te proteget, te deducet, te excipiet. De extremo iudicij tempore, quo omnes homines stare debemus ad diuinum tribunal, ait Matt. 24. *Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commouebuntur, & tunc parebit signum filij hominis in cœlo.* Quid præstantius dici potuit de signo crucis? Vbi Sol, Luna, stellæ sese homini subtrahunt; vbi & virtutes cœlorum mobilitatem prætendunt, sola Crux, vt vera, & stabilis columna apparet, ne vel tunc eius tibi ducatus, aut lux deficiat. Ait Diuus Chrysostomus hom. in Parasceue apud Grethserum tom. 1. *Vides, quanta sit excellentia huius signi, quanta claritas, quantus fulgor? Sol obtenebratur, & Luna non splendet, astra cadunt, illud verò solum apparet.* Cadentibus, deficientibus, imò & fugientibus cunctis mundi luminibus creaturis cunctis; vna crucis columna apparet, vt protegat, & excipiat suos.

Nazian.

Mat. 24.

Chrysost.

CAPVT XI.

Maris transitus.

Textus Historia.

SOLITVDINEM Etham iam Israëlita terebat, qua parte sinus maris Arabici suum caput immittit, facileque, & expeditum pergentibus patebat iter; cum iubente Deo totus, quantus erat exercitus ad Phihahiroth reducitur versus maris littus. Integro ergo die in statione hac perseuerant. Sub vesperam, cum paruulis solent matres præbere cibum, primum audiri, deinde videri cœpit à tergo ingens exercitus regis Ægyptij. Sexcēti armatorum currus, cum pene innumera pugnatorum manu ducentem Pharaonem sequebantur, geminatisque clamoribus, & tubis, tympanis ex composito pluribus, quam pro vsu auctis, quidquid ad horrorem valebat, impigrè cumulabant. Nihil eo aspectu horribilius potuit obijci fugitiuis Israelitis, qui vel hostium clamoribus attoniti hærebant exanimes. A tergo quot hostes, tot pennatæ mortes in miseros iam volabant; à fronte fugæ aditus tumēti fluctu maris intercludebatur. Tandem Dominus in arctissimo angustiarum positis duplici signo latissimos salutis aperuit campos. Primò enim Angelus, qui præcedebat populum in nubis columna, stationem mutauit, & se à tergo populi cum nube constituit, eripiens hostium oculis prædam, quam iam putabant prendere manibus. Deinde ad virgæ Moysis eleuationem subito scinditur mare, & aquæ dextra, læuaque gelido stupore frænatæ vitreos diriguntur in muros, ea conditione, vt persequentibus mare sint. Via erat, per patentes facilis maris campos, qua parte Arabici sinus aduersæ ripæ vix nouem milliaribus distabant. Hanc iniit Moyses cum parte copiarum ex Iudæ tribu, quæ cunctantibus paulisper aliis impigre sequebatur. Eandem, & cæteri arripiunt ea festinatione, qua fugitiui, & timidi solent à dominorum excedere tyrannide. Proh quam insperatas salutis vias solet Deus prouidere suis asseclis!

Apertum maris iter Ægyptij mirati, vt fugitiuos prędārēt, nō dubitant se credere hinc inde stupētibus fluctibus; qui ignotos sibi hospites experti, notos resumunt mores fluctuandi. Videres eodem temporis articulo fluctus effingere mundo specula pietatis, Israelitis expeditos salutis calles, Aegyptiis procellas, rabidas tempestates, extrema naufragia. Simul Dei fideles securum littus scandunt, & rapidi maris fluctus Aegyptiorum cadauera voluentes ad nota littora currunt, & placido murmure sanctorum vestigia lambunt. Lætitiæ impetu exsurgunt populares in cantum, qua hilaritate Moyses compulsus in carmen est. Non vt inepti solent poetæ verbose Heroum victorias cruciantes; sed vt diuino spiritu imbutus triumphatoris Dei nomen exaltat. Nec defuerunt fœminæ communi lætitię, quas in choreas omni plenas suauitate Maria soror Moysis tympano pulsato ductabat.

PARS VNICA.

Moralia circa textus literam.

PRANANDVM nobis venit hoc ipsum mare, cuius fluctus vtinam & nobis apertos ostendant calles, per quos, quæ ad salutem ducit, semitam ineamus.

Exod. 14. Loquere filiis Israël Reuersi castra metentur è regione Phihahiroth, quæ est inter Magdalum, & mare, &c.

§. I.

Vel vmbra remissionis à virtute incepta maximè nobis est cauenda.

VT Israelitæ reuerterentur versus Aegyptum non solum nubis columna præcedens fecit, sed & addita est vox Dei. Quippe ait textus: *Locutus est autem Dominus ad Moysem dicens: Loquere filiis Israel. Reuersi castra metentur, &c.* Vt pergerent Israelitæ, sufficiebat, quod nubis columna moueretur ante eos, ad cuius motum statim omnis multitudo exurgens sequebatur ductum eius. Quid ergo opus erat hac voce denuo Moysem monente, cum nubes ad iter ostendendum sufficeret? Cur præter nubem regredientem maluit Deus, & voce sua Moysem magis monere de regressu? Noui acutam dubitationem Patris Saliani in præsenti, cui satisfacio ex mente Caietani dicentis: *Non erat directa reuersio, sed species quadam reuersionis ad locum Ægypto propinquiorem.* Erat equidem, etsi non vera, species tamen reuersionis in Aegyptum, & remissionis ab itinere cœpto, quam sic debent fideles cauere, vt nequeant illò adduci communibus signis, nisi signa multiplicentur. Genes. 22. *Tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abraham.*

Caiet.

Gen. 22.

Abraham. At ille respondit, adsum. Ait illi: Tolle filium tuum, &c. Nec mora, Abraham dicto parens, filium excitat, in montem proficiscitur, ligna componit, aram struit, & cum supra iam haberet ligatum iuuenem, gladium stringit, vt mactet Deo. Quid tunc? *Ecce Angelus Domini de cælo clamauit, dicens. Abraham, Abraham . : : Ne extendas manum tuam super puerum.* Cum iubet percutere, non clamat, sed simpliciter loquitur, & senex promptissime obedit, vel simplici loquelæ, cum autem iubet à sacrificio incepto desistere, non contentus est simplici loquela, sed clamorem ingeminat. Cur modo clamor fit homini adeo obedienti? Cur ei suffecit vox simplex, vt filium mactare vellet Deo; modo clamor congeminatur, vt cohibeat dexteram? Imperabatur modo cessatio à sacrificio incepto, remissio tanti facinoris, quæ viro fideli communibus vocibus non posset persuaderi. Ait D. August. serm. 72. de tempore: *Qui iusserat, vt feriret, modo vociferatur, vt parceret. Sciebat enim probatum patrem, & in deuotione feruentem.* Equidem vbi agnitus est bonus feruere in deuotione, non persuadendus erat, vt remitteret communibus vocibus, sed maiora, & efficaciora incitamenta congeminanda erant. Nunquam enim non resistunt sancti ad remissionem ferri. Nec miror, quando vel minima remissio ab incepto virtutis opere potens est totum hominem perdere. Nota est statua illa Nabuchodonosori visa Daniel. cap. 2. cuius caput aureum erat, argenteum pectus, venter æreus, &c. Cuius significationem aggressus Daniel ait: *Tu es ergo caput aureum, & post te consurget regnum aliud minus te, & regnum tertium aliud, &c.* Ecce tibi vnius hominis figuram explebat caput aureum habentis. Nihilominùs vbi Daniel ab aureo capite ad argenteum pectus descendit, iam non eundem hominem, sed alium longe diuersum recognoscit. Ait enim ibi, *consurget aliud.* Cur non idem perseueret? Quando statua vnius erat figura, & iam in capite aureo Nabuchodonosorem animaduerteras; cur non eumdem agnoscis in cæteris aliis membris? Cur in pectore iam cogeris alium agnoscere diuersum? Erat iam in pectore aliqualis remissio à primo illo aurei capitis splendore, quando pectus non aureum, sed argenteum apparebat; & vbi quæuis remissio agnoscebatur, non poterat totus primus homo non euanescere. Ait Richard Victor. de Erudit. interior. par. 1. cap. 31. *Nonne statua vnius hominis personam repræsentat? Si vnius est, qui eiusmodi est, habens caput aureum, pectus argenteum, ventrem æreum, cur, quæso, si ipse, cui hoc dicimus, est caput aureum, cur non ipse est pectus argenteum, & cætera in hunc modum? An forte in ea parte, qua aureus est, ipse est, & ipse non est in ea parte, qua aureus non est? Quisquis ergo es cum post caput aureum, iam cœperis pectus habere argenteum, vide, quæso, ne forte ipse iam non sis ipse.* Et quidem qui à primo virtutis fulgore descendit, vt minor appareat, sic totum hominem primum perdidit, vt ipse prorsus non sit. Ea quo monebat suos Dominus Matth. cap. 24. *Tunc, qui in Iudæa sunt, fugiant in montes. Qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam.* Et quidem, vt sapienter monebat D. Hilarius, dixerat prius Dominus, quod fugerent in montes, qui erant in Iudæa, modo iubet, quod non descendat in domum, qui est in tecto. Si ergo à tecto non erat descendendum, quomodo ad montes fugerent? Qualis ergo descensus vetatur, qui non conducat ad fugam, sed illam tollat? Non equidem corporalem descẽsum vetat, sed descensum affectionum, in quo non mirum est, si pereat fuga à perditione. Vnde ait D. Cæsar. Nazianzeni frater, dialog. 3. *Qui vero in tecto est, non descendat ad tollendum aliquid de domo sua; qui præsenti contempta vmbratili vita superior euasit relegatis internis affectibus, ne quid eorum secum trahat, non vanum timorem, non vanam gloriam, non opum amorem, quæ sunt ab alto descensus.* Ecce tibi descensus, qui obsunt perditionis fugæ; nimirum descensus à perfectione virtutum, quam assumpserat. Qui ab hoc alto descenderit, non mirabor, si non posset perditionem fugere. Sit ergo hoc tibi cordi, vt minimè adducaris, vt velis aliquid in virtutis curriculo arrepto dimittere. Iesu concionanti ad turbas dictum est, quod mater foris staret, quærens illum; quibus ipse Matth. cap. 12. *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Cur Domine non magis matri, fratribusque adblandiris? Ait D. Cæsar. dialog. 3. *Neque enim Christus, cum à matre, & fratribus quæreretur, vocationem admisit, cum apud auditores salutiferam doctrinam exorsus esset.* Non enim est Christianum, ab incepta virtute desciscere. Quam qui primo in splendore conseruat, nec vllam remissionem admittit, patentissimum ostium in se facit venienti Christo. Clamabat sponsus Cant. 5. *Aperi mihi soror mea, columba mea, immaculata mea.* Cur ipsa respondit: *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Ipse adeò illam immaculatam nouerat, vt vellet sibi ad manendum aperiri: illa verò proponit se minimè inquinari rursus velle, nec ad veterem tunicam recurrere. Qualis hæc responsio ad verba sponsi petentis sibi aperiri? Præclara sanè responsio, & prorsus petitioni sponsi correspondens, nonquã enim anima illi patentius ostium aperit, quam vbi exhorret aliquid de reiecta vita resumere. Ait Nissen. homil. 11. in Cant. *Hæc sunt per quæ à sponsa Verbo ostium aperitur. Etenim ipsa illa confessio, qua pollicetur non amplius resumpturam se tunicam illam reiectam, neque incedendo in hac vita terrenam inquinationem admissuram; aditus est animo comparata ad sanctificationem.* Sic ibi: vt caueat remissionem in virtute, quisquis Deo in se patentem locum procurat.

August. — *Richard.* — *Matth. 24.* — *Hilar.* — *D. Cæsar.* — *Matth. 12.* — *D. Cæsar.* — *Cant. 5.* — *Nyssen.*

Exod. 14. Et nuntiatum est regi Ægyptiorum, quod fugisset populus, immutatumque est cor Pharaonis, & seruorum eius super populum, & dixerunt. Quid voluimus facere, vt dimitteremus Israel, ne seruiret nobis? Iunxit ergo currum, & omnem populum suum assumpsit secum. Tulitque sexcentos currus electos, &c.

§. II.

Principibus citissime renuntiatur id, quod illos in perditionem trahit.

QVàm velox venit ad regem fama de Israelitarum fuga, ait enim textus: *Et nuntiatum est regi Ægyptiorum, quod fugisset populus.* Nuntiatum, inquam, est quarto die post egressionem de Ægypto, vt ait Genebrardus lib. 1. Chron. in 4. ætate. Petiuerant enim facultatem abeundi itinere trium dierum, & cum primum tertia dies finita fuit, & cœpit quartæ diei iter, statim eorum fuga fuit regi annuntiata. Quid velocius? Hac equidem velocitate solent ad reges peruenire, non quæ vtiliter, sed quæ damnose ab illis sciuntur. Et defectiones, & regnorum calamitates, & penuriæ ciuium, & mala multa, quæ cognita à regibus curationem inuenirent, aut tardè, aut nunquã sciuntur. Nullus est, qui ea audeat renuntiare principi, at ea, quæ principẽ trahãt in perniciem, summa velocitate a pluribus ad eum referũtur. Dicebat Ferrand. Diaconus in Paræn. ad Reginum regul. 3. de regnum latronibus: *Licet sciant omnia deperisse, quorum tamen aliquanta loca fatis rara, quæ misericordia Domini protegente, meruerunt vel illæsa seruari, vel forsitan parum lædi. Quorum nomina commendata memoria frequentius recitantes magnitudinem calamitatis generalis extenuant. Nihil vident, vnde pietas indigetur, & hoc luminibus sollicitis notant, vnde inuidia generetur.* Ecce tibi notissimum ingenium omnium aularum, nullum ibi aditum habent expeditum, nisi quæ regibus cedant ad malum. Quæ eorum possint excitare virtutes, vel tacentur, vel dissimulantur, vel nimis sero ad illos perueniunt, quæ inuidiam conflent, vel alios nociuos affectus acuant, vt in perditionem trahant, ea dicto citius eorum penetrãt aures. Ioabo duce processerant in bellum Israelitæ 2. Reg. cap. 11. *& vastauerunt filios Ammon, & obsederunt Rabba,* nec dicitur hæc prosperitas fuisse Regi nuntiata; at cum ciuitatis obsidio arctaretur: *Ioab posuit Vriam in loco vbi sciebat viros esse fortissimos. Egressique viri de ciuitate, bellabant aduersus Ioab, & ceciderunt de populo seruorum Dauid, & mortuus est etiam Vrias Hethæus. Misit itaque Ioab, & nuntiauit Dauid omnia verba prælij, &c.* Ecce tibi in vastatione filiorum Ammon, in obsidione tantæ vrbis non mittitur nũtius ad Dauidem; in primo autem belli infortunio, in quo nonnulli Israelitæ cadunt, statim res tristis regi nuntiatur. Mirabar ego hoc sæpe in prudentissimo duce, & palatino, quod sic festinaret primum infortunium exercitus regi renuntiare. Cur non magis expectat finem belli, vt subingentis victoriæ gloria, & infortunium illud nuntiaretur? Cur adeò paruæ cladis famam non premit, nuntiaturus statim captam ciuitatem? Sanè nuntiabatur in illa clade mors Vriæ, quæ regem in nefarium matrimonium traheret, & in gentem regni totius ruinam sollicitaret; ea autem, quæ sic noxia sunt regibus, festinatissimè illis renuntiantur. Fuisset clades, cuius notitia regias virtutes posset sollicitare, & nullus inueniretur, qui illam regi nuntiaret: at quando res illa regem non ad virtutem, sed ad perditionem impulsura erat, vel ipse exercitus dux curat, vt festinatissimè regias impleat aures.

Genebr. — *Ferran.* — *2. Reg. 11.*

Gen. 12. Chrysost. Esther.

Sic Genes. 12. *Cum ingressus esset Abraham Ægyptum, viderunt Ægyptij mulierem, quod pulchra esset nimis. Et nuntiauerunt principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum.* Chrysostom. ibi: *Vt viderunt eam principes, laudauerunt eam coram Pharaone.* quasi in ictu oculi perlata sit ad regem fama peregrinæ pulchritudinis. Cum quo coniungo Esthenis morositatem in denuntianda regi Amanis proditione. Iam enim cap. 5. intrare Esther ad regem decreuerat, vt populi sic referret iniustam damnationem, imò & iam intrauerat, & cum rege locuta solum petit, vt rex cum Amane in conuiuium veniat. id quod semel & ter postulauit ex rege. Et cap. 7. *Dixit ei rex secunda die postquam vino incaluerat. Quæ est petitio tua Esther?. Ad quem illa respondit: Si inueni gratiam in oculis tuis, ô rex, & si tibi placet, dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum pro quo obsecro. Traditi enim sumus ego & populus meus, vt conteramur, &c.* Ecce tibi vt nobilis palatina morosè explicat regi iniustam populi sui necem. Et compone hanc cum illis; illi vt viderunt pulcherrimam Saram, statim in ictu oculi de illa agunt cum rege, hæc & vidit iniustam perditionem ingentis populi, & nihilominus moratur, & cunctatur, multaque comminiscitur antequam rem deferat regi. Et cur illic tanta festinatio, & hic tanta mora intercedit? Hic materia erat regi vtilissima, & quæ forsan magnam veniret vtilitatem regni, illic erat noxia regi, quæ totam Regiam multis malis impletura erat. Quæ autem huiusmodi sunt, festinatissimè occupant aures regias.

§. III.

Noxia quæque cum primum hominibus nota sunt.

Vix tertios dies concessionis finitus erat, vt diximus, & iam, *Nuntiatum est regi Ægyptiorum, quod fugisset populus.* Et adeò festinanter hæc fuga patuit regi, nisi quia illi noxia futura erat, & perditionis occasio? Solent equidem noxia quæque, quam citò mentes, & aures hominum præoccupare. Prius, & audiuntur, & sciuntur vel ab ipsis infantulis, quæcumque futura sunt labendi causa. Id quod maximè deplorabat Cicero Tusc. 3. aiens: *Nunc autem simul atque editi in lucem sumus, in omni continuò prauitate, & in summa opinionum peruersitate versamur; vt penè cum lacte nutricis errorem suxisse videamur. Cum verò magistris traditi sumus, tum ita varijs imbuimur erroribus, vt vanitati veritas, opinioni confirmatæ natura ipsa cedat. Accedunt etiam poetæ, qui cum magnam speciem doctrinæ præ se tulerint, audiuntur, leguntur, ediscuntur, & inhærescunt penitus in mentibus. Cum verò accedit eodem quasi maximus quidam magister populus, & omnis ad vitia consentiens multitudo, tunc planè inficimur.* Vide, quàm properent ad nos noxia quæque, cum nutricis lacte venit simul ad nos turpium vocabulorum vox; cum primorum rudimentorum magistris errores adsunt, & poetarum spurcitiæ audiuntur, percipiuntur, cantantur. Quis puer, aut adolescens prius non gustet spurca carmina, quàm solidos cibos capiat? Quis non prius audit ea, quæ noxia sunt, quam quæ salutaria? Pulchrè Genes. cap. 43. *Audiens autem Iacob, quod alimenta venderentur in Ægypto, dixit filiis suis: Audiui, quod triticum venundetur in Ægypto.* Et fames erat, & Iacob filij adolescentes omnia penetrabant, & tamen ad illos non peruenit tritici fama. Sed hanc prius senex pater accipit. Et cur prius rumor tritici non venit ad iuuenum filiorum aures? Sanè vtilia, aut necessaria non festinant venire ad aures iuuenum, sed noxia quæque illas properant occupare. Ait Ambrosius lib. de Ioseph, cap. 8. *Citius, vtique iuniores, quam seniores consueuerunt audire, dum foris positi multa circumeunt. Sed hanc negotiationem prius senex audit, sed ille senex, in quo est fidei longæua canities. Prior senex intelligit, sed ille senex in quo est venerabilis senectus, & ætas senectutis vita immaculata.* Et quidem ad iuniorum aures citissimè solent res peruenire, sed quæ noxiæ sint, & prorsus ad bonum inutiles; quæ autem vtilia sunt, & necessaria ad animæ sustentationem, hæc minimè à iuuenibus percipiuntur, sed ab illis, quorum ætas senectutis est immaculata vita.

Cicero. Gen. 43. Ioseph.

§. IV.

Relictæ occasiones vitiorum, nec memorandæ.

Ecce tibi vnde sese Ægyptij in perditionem præcipitent, nimirum memorantes Israelitarum seruitia, quæ abiecerant. *Immutatum est cor Pharaonis, & seruorum eius super populum, & dixerunt. Quid voluimus facere, vt dimitteremus Israel, ne seruiret nobis?* Seruitia iam à se reiecta iterum memorant, ex quo miserè labuntur in perditionem. En quam periculosè tibi veniunt in mentem, quæ tibi præstiterant seruitia ea, quæ semel abiecisti ob Dei timorem! De cãtatissima in hanc rem vxore Lothi ait pulchrè Sedulius lib. 1. Pas. cap. 5. *Loth peritura fugiebat ex Sodoma, cuius vxor, dum respicit, quæ euasit, mutatio salis remansit in statua.* Expende totam occasionem mali, nimirum, *Respicit, quæ euasit,* non respicit ea, sub quibus, & semel, & ter perierat; si enim hæc respexisset, non mirarer, quod iterum periret. Sed respicit ea, quæ constanter abiecerat, quæ sequens Dei nutum contempserat, quæ pro Dei timore incolumis euaserat, & quia etiam ad hæc respicit, miserè cadit. Caue homo vel ad memoriam trahere quas iam semel necessum fuit dimittere occasiones peccati, si has reiectas iterum aspicias, non mirabor, si in perditionem abeas. Hinc Ioseph dum carcere esset detentus; dum pro se orat, Genes. cap. 40. ait: *Tantum memento mei, cum tibi bene fuerit, & facias mecum misericordiam, vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere, quia furtim sublatus sum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum missus sum.* Memorat fratrum sibi illatam iniuriam, quam furtum vocat, sed non memorat obsequia Ægyptiæ fœminæ, quibus inuitabatur ad adulterium, & ob quorum repudium in carcerẽ venerat. Sanè meretricia obsequia fœminæ reiecta iuuenem in carcerem miserant, cur hæc non magis meminit? Absit hoc à viro, qui nollet perire; imò nil magis curabat, quam reiecta illa meretricis obsequia penitus obliuisci. Ait D. Chrysostom. homil. 33. in 1. ad Corinth. *Ioseph ne tunc quidem, cum in ea necessitate constitutus esset, vt vinculorum, & vitæ superioris rationem reddere cogeretur, fabulam patefecit. Sed quid inquit? Nihil ego commisi, furto ex Hebræorum terra abreptus sum, adulteræ ne meminit quidem.* Quid sapientius? Et proprior causa vinculorum fuerat adultera contempta, sed quam tanti periculi rem semel victor euaserat, semel victor dimiserat, prudentissimè cauit, vel illam meminisse. Vtinam sic saperent omnes, & penitus obliuiscerentur, quidquid fuerat illis occasio vitiorum. De Enoch dicitur Genes. cap. 5. *Ambulauit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Dominus.* Alij legunt: *Et non est inuentus, quia transtulit eum Dominus.* Vbi Philo Iudæus lib de Abrahamo dicit: *Rectè verò, & illud dicitur: Non est inuentus de translato; eo quod prior vita culpabilis euanuerat, vt non inueniretur amplius, ac si nec fuisset quidem vnquam antea.* Fœlix cui sic euanent præteritæ occasiones peccati. Sic euanuerant illi, quæ ait Cantic. 5. *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* quasi prorsus ignoret pristinæ inquinationis vias. Ait D. Ambros. in Psalm. 118. serm. 22. *Veteris hominis vestimentum vitijs errorum intextum in lauacro depositum nescit, quomodo possit induere. Studio enim correctionis inoleuerat obliuio peccatorum. Tanta vis consummatæ emendationis est, vt in quandam pueritiæ redeat spiritualis ætatem, quæ vias erroris ignoret, crimen, etsi velit, non possit admittere, quia desueuerit vsum nosse peccandi.* Sic ibi. Huc trahe dicta tom. 4. in Euang. lib. 16. cap. 1. §. 9.

Sedulius. Chrysost. Gen. 5. Philo. Cant. 5.

§. V.

Quæ nobis occasiones fuere malorum, non memoranda sunt vt res commoda, sed vt maximè contraria, & aduersa.

Periculosè meminerunt Ægyptij seruitia sibi præstita ab Israelitis, dicentes: *Quid voluimus facere, vt dimitteremus Israel, ne seruiret nobis?* Ad seruitia, & commoda sibi ab Israelitis impensa respiciunt, ne miremur, quod redeant ad vomitum, & abeant in perditionem. Qui enim saluti suæ prospicit, nullo modo memoret commoda, & seruitia illarum rerum, quæ fuerunt sibi malorum occasiones, quin potius has vt maximè aduersarias sibi cogitet. Matth. cap. 5. monebat Dominus: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te.* At oculus quantumuis scandalum generet, non potest in aliis multis vtilis, & bonus videri? Cur ergo vt attendendum est eius scandalum, vt eruatur, non attendantur innumerabiles eius vtilitates, vt magis conseruetur? Nonne & vtilis, imo & necessarius est ad multa hominis commoda? Esto, quod vtilis alioquin sit, at vbi scandalum præbet, nihil in illo commodum est attendendum, sed quasi contrarius prorsus & aduersarius repellendus. Ait D. Cyril. Alexand. lib. 12. in Ioann. cap. 28. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum. Quod enim à fœlicitate nostra nos semouet, etiam si amicitia lege nobis coniungitur, etiamsi natura ipsa, & sanguinis*

Matth. 5. Cyr. Alex.

propinquitate

propinquitate copulatur, non nostrum, sed alienum, & hostile putandum est. Expende illa pulchra verba, *Non nostrum, sed alienum & hostile putandum est*; equidem quidquid animæ saluti vtcumque nocet, siue vt causa, siue vt occasio, non putandum est inter bona, & commoditates, & vtilitates nostras, quin potius sic habendum, quasi acerrimus sit aduersarius, & hostis, & ita repellendus à nobis. Sic Petrus maximus Iesu amator intolerabilem putans eius passionem, ait Matth. cap. 16. *Propitius esto tibi Domine, ne fiat tibi hoc.* Cui statim Dominus: *Vade retro Satana; scandalum mihi es.* Et amicum, & salutis suæ procuratorem proiicit, & Satanam vocat, hoc est, aduersarium, & hostem. Cur sic Domine in amicum inuehis? Esto, quòd ignorans aliquem fecerit, aut dixerit errorem; tamen hoc faciebat ob tui amorem, ob maximam tuæ dignitatis æstimationem, cui vt suus constaret honor, mallet ipse perire. Cur hunc affectum in amico non prospicis? Cur hoc contempto illum, vt Satanam proiicis? Equidem vt Petrus prohibebat Dominum à crucis victoria; sic in illo non aduertitur, quod amicus sit, & commodus, sed prorsus reiicitur, vt aduersarius, & hostis. Ex quo D. Cyril. Alexand. lib. 12. in Ioann. cap. 18. *Discimus inde quando tempus ad certamina vocat, ne si ipsi etiam qui charissimi nobis sunt, prohibeant, turpe forsan putantes, mentē vllo modo illis adhibeamus. Non enim à Satana differt, qui scandala ponit.* Non equidem mentem adhibere debemus ad aliquam necessitudinem, aut commodum temporale in iis, qui nos à recto prohibent, sed nobis sunt vt aduersarij & acerrimi hostes reputandi.

Matth. 16. *Cyr. Alex.*

§. VI.

Prophanorum amicitia prorsus deficiunt, vbi cœperis ad virtutem iter facere.

QVi colebant Israelitas, illosque multis ornabant, vbi vident ab Ægypto proficiscentes, imò fugientes, currus armant, vt illos persequantur. Ait enim: *Iunxit ergo currum, & omnem populum suum assumpsit secum. Tulitque sexcentos currus electos, &c.* Inconstans est amicitia, & gratia impiorum erga bonos; vt cœperunt fugere Israelitæ ab Ægypto, non amplius in Ægyptiis gratia erga eos, sed odium, sed persecutio, sed bellum. Matth. cap. 24. de tempore iudicij dicit: *Tunc duo erunt in agro, vnus assumetur, &c.* Ex quibus verbis id nouum, & inauditum sibi & Sulpicio accidisse ponderat D. Paulinus epist. 5. quod cum duo fuerint amici, & vnanimes, & alter eorum sese ad perfectionis viam receperit, nihilominus in eadem amicitia, & vnanimitate cum altero fuerit. Quippè ait: *Eramus enim & singillatim duo cum in nobis caro rebellis à spiritu dissideret, nunc vero propitio illo, qui fecit vtraque vnum, & duo vnum sumus, quia vnus spiritus in duobus, & nulla distractio, quoniam corpus vnum. Sed hoc commune nobis, cum omnibus in Christo fratribus. Vnum in te peculiariter gratum, atque gratandum est, in cuius amicitia beatissimum Dei munus accepimus, vt nec itinere mutato dissolueremur à nobis, quod damnum de multis dulcissimis aliquando nostris pariter experimur.* Expende illud, & peculiare, & nouum in Sulpicio inuentum, quod nimirum, *nec itinere mutato* ab eius amicitia caderet Paulinus. Pari amicitia prosequebatur Sulpicius Paulinum suum, etiam fugientem à mundo, etiam sese recipientem ad Deum, quod vnus Sulpicius faciebat, cæteri namque & amici, & charissimi, statim vt hominem à mundo fugientem viderunt, ab amicitia resilierunt. Et quæ amicitia potest in profanis esse erga eos, qui sequuntur Dei vias? Genes. cap. 4. *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Ecce tibi Abel cœpit placere Deo officiis suis. Quid tunc amici, imò & fratres eius? Ait textus: *Iratusque est Cain vehementer,* & fratrem interfecit. De quo eleganter Tertull. aduersus Gnosticos, ait. *Vbi Deum coli cœpit, mundum religio sortitu est. Qui Deo placuerat, occiditur & quidem à fratre.* Frater erat Cain naturali beneuolentia in Abelem constrictus, quam prorsus exuit, & hostilem spiritum resumit, cum primum Abelem Dei habendi studiosum videt. Ne sperent viri religiosi aliud in sæcularibus amicitiis. Quod experiebatur ille Psalm. 68. *Quoniam propter te sustinui opprobrium: operuit confusio faciem meam. Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.* Ex quo enim eo accedit bonus, vt propter Deum iniurias, & opprobria contemneret, continuo illum, vt extraneum, & peregrinum cœperunt odisse charissimi quique. Vt commune putem, quod Iob de se dicebat cap. 19. *Abominati sunt me quondam consiliarij mei, & quem maximè diligebam, auersatus est me:* siue vt ex Hebræo habes, *insurrexit in me.* Vbi author cat. Græcæ. *Ij quibuscum erat mihi consuetudo, nunc meum vitant aspectum, & hostes habeo.* Et sane vt ij mutarentur in hostes, nulla alia causa ex parte Iob fuit, nisi quod propter Deum summas exciperet iniurias, & calamitates.

Matth. 24. *D. Paul.* *Gen. 4.* *Tertul.* *Psal. 68.* *Iob 19.*

Exod. 14. Cumque appropinquasset Pharao, leuantes filij Israel oculos, viderunt Ægyptios post se, & timuerunt valde. Clamaueruntque ad Dominum, & dixerunt ad Moysem, forsitan non erant sepulchra in Ægypto, ideò tulisti nos, vt moreremur in solitudine. Quid hoc facere voluisti, vt educeres nos ex Ægypto? Nonne iste est sermo, quem loquebamur ad te in Ægypto dicentes, recede à nobis, vt seruiamus Ægyptiis! Multo enim melius erat seruire eis, quàm mori in solitudine.

§. VII.

Mens humana quasi præsago instinctu ex Dei prouidentia, quam cito mala imminentia præsentire solet.

NVllum acceperant Hebræi, qui moneret de mutatione Aegyptiorum, quos amicos, & beneuolos sibi reliquerant; & nihilominus, vbi illos venientes vident, statim omnia sibi tremenda præsumunt. Ait textus: *Leuantes filij Israel oculos, viderunt Ægyptios post se, & timuerunt, &c.* Vt vident, statim timore implentur, & sibi iam mortem præsagiunt, & sepulchrum. Vndè hæc? Nonne amicos reliquerant? Nonne rogantibus illis discesserant? Nonne munera ab illis acceperant in beneuolentiæ signum? Quare ad solum conspectum timent, & meditantur sepulchra? Quis mutationem narrauit? Quis dixit Aegyptiorum animos conuersos ad iram? Omnia hæc simplici hauriunt intuitu, mens enim humana quasi præsago instinctu imminentia mala, vel in ictu oculi solet præsentire. Nota est historia Flacci Aegypti Præsidis, de huius supplicijs mandatum fuerat Romæ Basso cuidam, qui perueniens Alexandriam cum militibus intrat simulate Regiam, vbi Flaccus magnifico erat in conuiuio. Conuiuium erat, & inter pocula Flaccus lætabundus forte oculos leuat, & Bassum videt. Quid tunc? Accipite Philonem de homine dicentem: *Pars militum discumbentem Flaccum ex improuiso circumsistit, propinantem cuidam, & cum conuiuis agentem comiter. Sed postquam Bassus in medium prodiit, ad primum eius conspectum attonitus obmutuit: cumque vellet surgere, vbi se circumuentum animaduertit, intellexit, priusquam audiret, Caij voluntatem, quid mandatum sit militibus, quid ipsi mox euenturum. Sagax enim est mens ad momento percipienda, etiam quæ non percipiuntur longioris temporis spatio.* Expende ab illis, *priusquam audiret, &c.* Nihil audierat de Caij aduersus se mutatione, de mandato & Basso, & militibus dato, at in simplici angustiarum suarum intuitu, omnia sibi imminentia, & iam iam aduentantia mala percalluit. Sic equidem mens humana quodam quasi præsago spiritu in momento percipit mala, quæ longum peterent tempus vt possint explicari. Non absimile dicitur de Achitophel 2. Reg. 17. vbi exercitum Absalonis in patrem ire vidit, & consilium à se datum haberi pro nihilo. *Porro Achitophel videns, quod non fuisset factum consilium suum, strauit asinum suum, surrexitque & abiit in domum suam, & in ciuitatem suam: & disposita domo sua suspendio interiit.* Cur sic præcipitatus est homo consultissimus, vt se interficeret? Cur non magis expectauit, vt exercitus Absalonis conflaretur, constitueretur, & saltem primum faceret impetum aduersus Dauidem? Cur non fuit saltem poni in ancipiti res Absalonis, & tunc fugeret? Sanè sagax mens in primo mali aspectu, omnia ventura mala præsentissima sibi vidit, vt perdendus Absalon, vt victurus Dauid, & regno potiturus, & rebellibus pœnas illaturus, quas maluit fugere. Ait Iosephus lib. 7. Antiquit. cap. 9. *Porrò Achitophel, vbi suum alteri consilium posthabitum vidit, conscenso iumento Gelmonem patriam petiit. Ibi conuocatis omnibus domesticis, exposuit eis, quæ Absalomo consuluerat, addens quoniam non persuasisset, certo se breui periturum. Dauidem*

Philon. *2. Reg. 17.* *Ioseph.*

enim omnino superiorem hoc bello fore, & amissum regnum receptu-rum esse, &c. Ecce quanta in solius contempti consilij sui intuitu percalluit iste, atque periimus. Saga enim est mens humana ad subito excipienda mala imminentia sibi.

§. VIII.

Vanissimus est apud Deum clamor, cumque æstimatio perseuerat bonorum corruptibilium.

PRoh Israelitarum vanissimus clamor! Et clamabant miseri, & simul ipsas Ægyptias mortes æstimabant. Ait namque textus: *Clamauerunt ad Dominum, & dixerunt ad Moysem, Forsitan non erant sepulchra in Ægypto, ideò tulisti nos, vt moreremur in solitudine::: Multo enim melius erat seruire eis.* Quam seruitutem, & mortem nouerant, simul æstimabant meliorem, & interea clamabant ad Dominum. Et quantus hic clamor? Equidem non verus clamor, sed vanus oris sonus, non enim potest esse non vanus sonus oris clamor ille, quem comitabatur tanta æstimatio, & seruitutis, & Aegyptiorum sepulchrorum. Merito ait Caietan. *Quàtum subiuncta innuunt, fuit clamor vocis potius quam cordis.* Subiuncta erat vox, qua ipsam seruitutem, & sepulchra Aegyptia æstimabant bona, & meliora: qui ergo clamor inde exiret qui apud Deum non censeretur euanidus oris sonus? Apoc. 18. post Babylonis ciuitatis magnæ casum, dicit: *& omnis gubernator, & omnis, qui in locum nauigat, & nautæ, & qui maria operãtur, longe steterũt, & clamauerunt videntes locum incendij eius, dicẽtes: Quæ similis ciuitati huic magnæ?* In Babylonis casu, & ruina compuncti nautæ clamabant, sed dum in clamoris voce adhuc magnitudinem, & speciositatem ciuitatis mirantur, quàm sit vanus, & irrationabilis eorum clamor, ostendunt. Ait enim pulchrè Rupert. lib. 10. *Sciendum est, quia in ipsis pœnitentibus clamantibus ratio, aut sapientia nulla est. Qualis enim, vel quam rationabilis est modus pœnitentiæ, vbi flentes, & lugentes clamant, & dicunt: Quæ similis ciuitati huic magnæ? Etiam nunc phantasiam gloriæ transitoriæ, quam viderant, arbitrantur magnam ciuitatem fuisse.* Et lugent cadentem, & clamant, quia in cinerem eam vident conuersam, & simul eius magnitudinem, & speciositatem æstimant, in quo manifestè patet, quam irrationabilis, & vanus sit clamor huius pœnitentiæ. Quid irrationabilius, & quid vanius, quam æstimare magnum, & præstans id, quod in cinerem redigi confiteris? Quam clamare in ruina, & æstimare adhuc præstantiam esse in ruente? Sane clamor iste non potest non euanidus, & irrationalis putari apud Deum. De Esau post amissam benedictionem dicitur Genes. cap. 27. *Irrugiit clamore magno.* Chrysostom. legit: *Clamauit voce magna valde.* Sed & de illo ait Paul ad Hebr. cap. 12. *Non inuenit pœnitentiæ locum, quanquàm cum lachrymis inquisiisset eam.* Et cur tantus clamor in eo vanus fuit, nisi quia simul, & corruptibilia, & carnalia adhuc æstimabat? D. Ephrem homil. de Pœnit. *Lachrymatus est, non quia peccauit, sed quod Deum non illuserit; plangebat, verum vt carnalibus frueretur; satum erat radix amaritudinis, at folia, id est, verba in ore, occupabat mentem malitia, & per solam linguam voluit benedictionem lucrari.* Ecce tibi vt inter clamandum, carnalia solum æstimabat, quibus frui optabat, clamor eius adeo euanidus fuit, vt in ore esset velut folium, quod vento rapitur.

Caiet. *Apoc. 18.* *Rupert.* *Gen. 27.* *D. Ephr.*

§. IX.

Reproborum est facile ad eadem vitia redire.

QVi toties Deum adorauerant, toties eius experti beneficia in exeundo de Aegyptia seruitute, ad primum hostium aspectum in suam conuertuntur malitiam. Sic textus: *Leuantes filij Israel oculos, viderunt Ægyptios post se, & timuerunt valde, clamaueruntque ad Dominum, & dixerunt ad Moysem: Forsitan non erant sepulchra in Ægypto, &c.* Cur non magis sperant in Domino toties eius beneficia experti in suis tribulationibus? Cur tam cito, ad primum aspectum hostium sese pristinæ seruituti deuouent? Ita est mens reproborum, & pessimorum hominum, quæ nesciat, nec progredi, nec durare in bono, sed facile reuertitur ad vomitum. Ait ibi Lippoman. *Quantumlibet igitur excelsa manu Israelitæ exissent alacres, & animosi, laudarentque Deum videntes beneficium, statim tamen visis Ægyptiis sequentibus, toti concidunt, immemores diuini auxilij toties experti. Fragilis enim est hypocritarum fides, & seruilis timor, si inordinatus fuerit, subitò vertitur in odium. Ficta dilectio non durat in aduersis.* Nesciunt equidem durare ficti homines in Dei amore, ad primam scandali occasionem, omnia obliuiscũtur diuina, & ad pessimos recurrunt mores. Quæ reproborum nequitia præclare exprimitur Apocal. cap. 18. vbi dicit: *Et sustulit vnus Angelus fortis lapidem quasi molarem magnum, & misit in mare, dicens. Hoc impetu mittetur Babylon magna illa ciuitas, & vltra non inuenietur.* Quibus Babylonis casus comparatur eiecto lapidi molari; & cur necessum fuit, quod lapis molaris adduceretur in exemplum cadentis Babylonis in perditionem? Quid commune habuit Babylonis perditio cum lapide molari? Equidem lapis molaris, etsi ab vno loco videatur moueri, & separari, per accessum ad alium, tamen nunquam progreditur, sed semper in eundem locum, à quo exierat, reflectit, perpetuos circulos agens. In quo perditio cuiusque animæ apprimè adumbratur, cuius est sic à vitiis separari, & ad Deum accedere, vt nunquam ibi sistat, aut progrediatur, sed continuè in eadem vitia, a quibus exierat, reflectat perpetuo motu hoc circulari. Ait ibi Rupert. lib. 10. *Et congruè non qualemcumque lapidem, sed quasi molarem, pro exprimenda similitudine dixit: quia videlicet Babylon ista sicut peccatis pondere grauis, ita & erroris agitatione instabilis est. Hoc vtrumque lapis molaris conuenienter insinuat, qui & pondere grauis est, & pro molendi officio semper circuit.* Quid pulchrius? Meritò lapis molaris assumitur in similitudinem deplorati peccatoris, cuius est perpetuo agi circulo, vt nunquam progrediatur, sed in idem frequenter recedat vitium. Quò trahenda sunt dicta tom. 2. in Euang. lib. 9. c. 2. §. 31.

Lippom. *Apoc. 18.* *Rupert.*

§ X

Seruitutis nomen Iudæis vt imperfectis apparuit faustum.

NOn parum vtilitatis inueniebant Iudæi in seruitute, qua redimebant alia incommoda vitæ. Planè modo fatentur faustam sibi seruitutem, dum dicunt: *Multo melius erat seruire eis, quam mori in solitudine.* Erat equidem illis seruitus non adeò ominosa, vt imperfectis; ex quo Iudæos detrectantes Romanis seruire, conueniebat Iosephus apud Egesippum lib. 5. cap. 15. inquiens. *Sed refertis, mori præstare, quam libertatem amittere. Quando vobis ista Iudæi successit sententia? Aut quando apud Hebræos vtilis fuit seruitus libertati inutili non prælata? Iacob ipse in Aegyptum deduxit Hebræos, ne perirent fame. Descenderunt patriarchæ simul, duodecim filij eius præclara illa generis nostri exordia. Ibi Iudas ille nobilis Iudæorum prosapia, qui nomen populo dedit. Ipse Ioseph curru sublimis, & equis, subiicere se in potestatem maluit, vt aleret suos, quam ad originis propria libertatem redire. Sic patribus vestris etiam dura seruitus non displicebat, vt periculis anteferretur.* Sic apud Iudæos, vbi alia incommoda lethalia imminebant, seruitutis nomen apparebat faustum. Imò non semel in seruitute constituit illis Dominus cunctam populi fœlicitatem. Hinc pro fundamento ingentis fœlicitatis posuit Psalm. 104. *In seruum venundatus est Ioseph.* Et dum Assyrij Ierusalem expugnabant, hoc vnum effugium Israelitis Deus portendebat, vt sese Babylonis in seruitutem traderent. Sic Ierem. cap. 27. *Nolite audire verba prophetarum vestrorum, qui prophetant vobis dicentes: Ecce vasa Domini reuertentur de Babylone nunc cito, mendacium enim prophetant vobis. Nolite ergo audire eos, sed seruite regi Babylonis, vt viuatis.* Hoc monitum diuinum erat a Deo Iudæis datum, nimirum, *seruite regi Babylonis, vt viuatis.* Salutem ergo amplectendam, & fœlicitatem Israelitis seruitutis nomen sonabat; sed tanquam imperfectis, quibus semper beatius est seruire, quam imperare. Vndè Isaac cap. 27. coactus benedicere Esau, sic precabatur: *In pinguedine terræ & in rore cæli desuper, erit benedictio tua. Viues in gladio, & fratri tuo seruies.* Ecce qualem benedictionem filio suo bonus pater parat, nimirum, *fratri tuo seruies.* Nonne seruitus potius ad maledictionem spectat? Sanè Genes. cap. 9. Noe sic in filium nequam exardet: *Maledictus Chanaan seruus seruorum erit fratribus suis.* Hic pro maledictione seruitutem Chanaano imprecatur, ille pro benedictione Esau seruire fratri suo facit. Cur, quod in cæteris maledictio est, in Esau erat, & benedictio, & ingentis fœlicitatis caput? Erat Esau imperfectus homo, multum à virtutibus alienatus, iis autem faustissima est semper seruitus, & quod aliorum imperiis subiaceant. Præclarè ait D. Ambrus. lib. 5. epist. 10. fatus: *Quia bonus pater erat, seruauit semper filio benedictionem, vt eum seruum faceret fratris sui, non quod familiam suam degeneri vellet seruitute addicere, sed quia is, qui regere se non potest, & gubernare, seruire debet, & subditus esse prudentiori*

Egesip. *Psal. 104.* *Ierem. 27.* *Gen. 27.* *Gen. 9.* *D. Amb.*

prudentiori, vt eius regatur consilio, ne sua stultitia præcipitetur, & labatur temeritate. Pro benedictione igitur huiusmodi confertur seruitus. Sic imperfectis hominibus, & qui adhuc terrenis passionibus agitantur, faustissima benedictio est, quòd ignorent imperium, quòd nesciant libertatem, quòd in seruitute sint, & sapientiorum imperiis subiaceant.

§. XI.

Seruitus voluntaria propter Deum præstantissima homini.

PRæclarum illud esset assertum, nimirum; *Multo melius erat seruire eis:* præclarum, inquam, esset, si de seruitute præstita voluntarie propter Deum loqueretur. De hac seruitute dicebat Psalm. 61. *Nonne Deo subiecta erit anima mea?* Vbi D. Bern. serm. 42. in Cantic. *Parum est esse subiectum Deo, nisi sis, & omni humanæ creaturæ propter Deum: siue Abbati tanquam præcellenti, siue Prioribus tanquam ab eo constitutis. Ego plus dico, subdere paribus, subdere & minoribus. Sic enim decet nos, inquit, implere omnem iustitiam.* Pertinet ad perfectionem iustitiæ obtinendam, quod propter Deum, vel vilissimo cuique seruias. Et quid præstantius ea re, quæ facit, vt ad culmen iustitiæ peruenias? In hac vna ostendebat Isaac filio suo dilecto Esau, vt posset damna ereptæ sibi benedictionis resarcire. Quippè Genes. cap. 27. ait illi: *Viues in gladio, & fratri tuo seruies.* Et potestatem gladij illi attribuit, & monet, vt fratri seruiat. Si gladio potens futurus erat, ad quid seruiret? Nonne imperium conuenientius est gladio potentibus? Ad quid ibi seruitutis commendatio ponitur, nisi vt intelligas, quam super omnia se extollat seruitus pro Deo voluntarie accepta? Ait D. Ambros. lib. 5. epist. 10. *Quia dixeras, super gladium tuum viues; ne ei fortitudinis, aut potestatis noceret præsumptio, addidit; seruies fratri tuo, vt earum fructus vberes, & diuinæ verè adipiscaris gratiæ, & eum sequaris, qui te suo gubernaculo regat. Sed tūc erit istud quādo deposueris iugum eius à collo tuo, vt voluntariæ seruitutis mercedem habeas, non iniuriam subeas necessitatis. Inhonora huiuscemodi seruitus, quæ necessitate cogitur. Honorata autem quæ pietate defertur.* Itaque vt diuini roris adipiscaris gratiam, ingentesque cœli, & terræ fructus percipias, seruiendum est tibi, sed non ita vt sub iugo potestatis necessitate coactus gemas; sed quasi excusso iugo voluntariam tibi propter Deum assumas seruitutem. Hæc seruitus honora est, & super omne imperium clarissima. Hinc Petrus 1. canon. 2. ait: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, &c.* At Paul. ad Ephesios 6. *Vt serui Christi facientes voluntatem Dei ex animo.* Ille regio nomine Christianos extollit, hic eos deprimit seruitutis nota. Cur Paule seruitutem obiicis eis, qui regij habentur à Petro? Cur non magis illos regales habes, quam seruos? Ait D. Ambros. lib. 5. epist. 10. *Est seruitus libera, quæ est voluntaria, de qua Apostolus ait: Qui liber vocatus est, seruus est Christi. Hæc est seruitus ex animo, non ex necessitate.* Nec mitor, quod Paulus regnum non meminerit, vbi offendit seruitutem voluntariam, qua homines sese supra reges exaltant.

Psal. 61. — Gen. 27. — Ambros. — D. Ambr.

Exod. 14. Et ait Moyses ad populum: Nolite timere. State, & videte magnalia Domini, quę facturus est hodie. Ægyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam vltra videbitis, vsque in sempiternum. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Dixitque Dominus ad Moysem: Quid clamas ad me? Loquere filiis Israel, vt proficiscantur, &c.

§. XII.

Firma in Deo fiducia ingentem & efficacem clamorem habet apud Deum.

AD Moysem dicebat Dominus: *Quid clamas ad me?* Sed Moyses nullum ostenditur ad Deum verbum fecisse, ad populum tantum dicebat: *Nolite timere. State, & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie. Ægyptios enim quos nunc videtis, nequaquam vltra videbitis vsque in sempiternum. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Moyses ad populum loquitur verba ingentis fiduciæ, qua ingens Dei auxilium spondebat; & Dominus dicit: *Quid clamas ad me?* Non ad te Domine clamat, sed ad populum loquitur, vt te expectent, qui pro eis pugnabis, & vinces. An quia populo fidenter tua magnalia, non tam promittebat, quàm ostendebat, ideo ad te dicitur clamasse? Siquidem in quo tanta fiducia, tam certa spes erat in Deo, non poterat eo ipso non esse, & clamor maximè intentus, & efficax apud Deum. Ait D. Ambros. in cat. Lippuman. Moysi dictum est. *Quid clamas ad me? hoc est. Tu solus ad me clamas, qui de me speras.* In eo enim est clamor intensissimus, & efficacissimus ad Deum, in quo est spes, & fiducia magna de Deo. De Susanna illa castissima, quæ maluit se Deo committere, quàm à morte eripi, cum iam iam duceretur in supplicium, dicit Daniel. cap. 13. *Exclamauit autem voce magna Susanna, & dixit: Deus æterne, &c.* Vbi D. Hieronym. *Magna erat exclamatio eius Deo, quæ ab hominibus non exaudiebatur.* Nulla proferebatur vox, quæ ab hominibus exaudiretur, & tamen dicitur voce magna clamasse. Cuius erat hæc vox magna? Vel quis hanc vocem minime ab hominibus perceptam, sic eleuabat, vt apud Deum magna videretur? Ait D. Augustinus serm. 242. de tempore. *Quam sententia praua deiecerat, illustris conscientiæ integritas erigebat, metusque Dei, & imminentis sacri iudicij indubitata credulitas.* Itaque quæ vox ad durissimæ sententiæ tonitruum faucibus hærebat, & tota intercludebatur, ne ab hominibus perciperetur, ea per indubitatam credulitatem aduentantis Dei iudicij, sic erigebatur, & eleuabatur, vt magna apud Deum, & efficacissima esset. Non ad vocem, sed ad fiduciam contendat, quisquis amat ingenti clamore suo Deum attentissimum fieri. Vnum enim hoc habet sancta, & prudens fiducia, quod repulsam apud Deum nesciat. Vndè Ezech. cap. 40. dum agitur de templi porta, quæ respicit ad austrum, ait, *Et calata palmæ erant, vna hinc, & altera inde in frōte eius.* Itaque erant palmæ a dextris, & à sinistris; nec mitor, quod in dextris palmæ inuenirentur, illud magis mirandum, quod in sinistris, vbi aduersitates, vbi pugnæ, vbi malorum exercitus, ibi & palmæ essent. Et quis fecit palmas inter tot aduersa? Fiducia hominis in Deū, quæ repulsam pati nescit. Ait enim D. Gregor. PP. hom. 20. in Ezechielem: *Vt ergo hinc inde palma gestetur in fronte, adesse semper nostris mentibus debet, & in aduersis fiducia, & in prosperis timor: ne aut aduersa in desperationem pertrahant, aut prospera animam in sui fiduciam extollant.* Expende, quæ duo fiducia sanctus doctor apponat, vt hinc inde palmæ sustententur; nimirum in dextris, & prosperis timor est adhibendus, in sinistris autem vbi aduersa omnia, & malorum exercitus, ibi fiducia prudens in Deo, vt quæ efficacissima sit ad palmam ferendam.

D. Ambr. — Dan. 13. — D. Hier. — D. Aug. — Ezec. 40. — Gregor.

§. XIII.

Carnalibus oculis fides superior est.

VIdentibus Israelitis hostium exercitus ait Moyses *Nolite timere, state, & videte magnalia Dei, quæ facturus est hodie, &c.* Iuxta Hebræum *videte salutem Domini, quam allaturus est vobis hodie:* quibus nō oculorum, sed fidei visionem requirit. Sed quando hostes de præsenti visebantur, cur videnda proponit ea, quæ nondum erant, sed futura erant in proximo? Quomodo visio futurorum talis potest esse, quæ tollat præsentium horrores? Sanè visio illa salutis futuræ, erat visio fidei; in quibus autem hæc fidei visio firma est, prorsus euanet, quidquid cernitur oculis. Ingens etiam exercitus cingebat Elisæum, illumque ad mortem petebat 4. Reg. cap. 6. cuius multitudinem videns seruulus voces edebat plenas timoris. Ad quem ait Elisæus: *Noli timere: plures enim nobiscum sunt, quàm cum illis.* Vt timorem abiiciat apparentium hostium, plures obiiciebat pro se esse auxiliatores. Sed ij non videbantur, sed solum credebantur adesse, & tanta erat fidei vis, vt ad eius præsentiam qui hostes cernebantur oculis, quasi nihil reputarentur prorsus. Ait D. Ambros. serm. 86. *O fides sancti Prophetæ! non timet aduersarios, quos conspicit, quoniam scit Angelos secum esse, quos credidit. Videte beatissimus meritum prophetæ nuntiat etiam de multitudine, cum puer adhuc incertus sit de salute. Spirituales oculi carnalibus quanto plus cernunt.* Expende illa: *Non timet, quos conspicit, quoniam scit Angelos secum esse, quos credidit:* vbi fidei oculi auxiliatores prospiciunt, euanent prorsus, qui hostes cernuntur carnalibus oculis. Et quando fidei visio non superat oculos carnales? Nomen Epiphaniæ impositum est mysterio illi, quando puer Iesus Magis adorandus apparuit. Est enim Epiphania idem, quod apparitio. Sed cur dicitur Iesus tunc apparuisse, & non prius cum

4 Reg. 6 — D. Ambr.

prius

D. Ambr. natus visus fuit in stabulo? Ait D. Ambros. serm. 19. *Tunc primam signa, atque miracula credentium cordibus Deus Christus illuxit, & in tenebrosas conscientias hominum fidei splendor aduenit. Cum igitur Deus vbique sit, & vniuersa possideat, tanquam non visus antea, apparuisse dicitur. Nam etsi primo natus ex virgine oculis carnalibus videbatur, tamen non apparebat, quoniam virtutem eius adhuc fidei acies ignorabat.* Semper fides oculorum visionis efficaciam superat. Aiebat Luc. cap. 16. dicens: *Si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.* Cur responsum diuinum datum est? *Si Moysem, & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Non enim visio oculorum sic potens est confirmare hominem, vt visio fidei. Hæc enim quando nihil efficit, nec id efficient carnales oculi. Nunquam est vera hominis confirmatio in oculis carnalibus, sed in fide. Quo spectans D. Zeno serm. de Resurrect. fatur: *Habeant, inquit, Moysem, & Prophetas: quibus si non credunt, neque illi, qui hinc missus fuerit, credituri sunt, euidenter ostendens, non in oculis esse carnalibus verum, sed in fide credentium constitutum.* Euanet, quod oculis carnis conspicitur, vbi non est fides, cui soli stabiliter verum subest.

Luc. 16.

D. Zeno.

§. XIV.

Timenda omnia superat, qui in Deo firmiter sperat.

VT irruentis exercitus euaneat metus, illud cõsulit Moyses *State, & videte magnalia Domini.* Expende illud, *state*, quod solum requiritur, vt metus abeat, vt insolita appareat ex Deo salus. Nimirum sic state in ea spe Domini, in qua egressi estis de Ægypto, vt ab illa non excidatis, & nihil est, quod noceat, nihil, quod timeatis. Solus erat Ionathas cum armigero, & videns ingentem Philisthinorum exercitum, ait: *Transeamus ad stationem Philisthinorum incircumcisorum horum, si forte faciat Dominus pro nobis, quia non est Domino difficile saluare, vel in multis, vel in paucis.* Cur vnus homo non magis pauet ad conspectum hostilis exercitus? Cur vnus videns tot hostes aggressionem meditatur? Ait Theodor. quæst. 31. *Hæc verba sunt animæ, quæ in Deo confidit. Cum autem sic confidisset, non fuit spe frustrata. Nam fudit castra hostium.* Fœlix, qui confidenter nouit in Deo stare. Nullum, mihi credite, malum potest præualere aduersus eos, qui firmiter in Deo stant. Aiebat Dauid, Psalm. 10. *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, Transmigra in montes sicut passer? Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde.* Erant equidem mille exercitus peccatorum aduersus Dauidem parati, & iamiam intendentes arcum. Et in tali conflictu ille maximè despicit consilium fugæ, & transmigrationem ad montes consulentium. Sed quare non potius fugiat, & ad inaccessos montes transmigret, qui a tanto malorum exercitu quærebatur? Ipse ait: *In Domino confido*; quando autem in Domino fidebat, non illi fugiendum erat, sed aduersus omnes in ea fide, & spe standum. Ait Diuus Hieronymus lib. 3. in epist. ad Ephes. cap. 7. *Cum confidam in Domino; quæ mihi datis rationis consilium, vt non stem aduersus inimicos impetus, & iacula, quæ contra me in pharetris prœpararunt? Ecce enim sto super petram, & non transmigro super montes caliginosos, & omnia tela hostium repulsa in ipsos, qui dirigunt, conuertuntur.* Hoc vnum fecit bonus, nimirum non transmigrare, non fugere, sed supra petram stare, nimirum in Deo confidere, & sperare, ad cuius spei obiectum non præualuerunt mala. Quæ maiora mala, quam ea quæ pueros Hebræos tenebant in furnace, & Danielem in leonum lacu? Sanè pueri Hebræi ab ingenti exercitu ligati Daniel. 3. in flammantissimam fornacem sunt iactati: & ipse Daniel cap. 6. leonibus famelicis datus. Sed nec fornax, nec lacus obfuit sanctis. Vnde sic, & flammarum, & ferarum rabiem incolumes euadunt? Pulchrè ait D. Chrysostom. in Psalm. 10. *Elementa propriam ignorantia naturam, ad id quod erat sanctis vtile, mutata sunt, & feræ, non erant amplius feræ, nec fornax. Omnia enim componit spes in Deum. Dentes erant acuti, & arctus carcer, natura immanitas, & fames naturam irritans, nusquam autem erat, quod eas arceret, septum, & ora prophetæ corpori proxima, sed spes in Deum, quæ est quouis fræno potentior, in ora earum irruens eas retrotrahebat.* Quid pulchrius? Sane spes in Deo pro fræno est potentissimo ad coercenda feralissima quæque. Nullum enim malum est, quod possit aliquid aduersus eos, qui firmiter in Deo sperant.

Theodor.

Psal. 10.

D. Hieron.

Chrysost.

§. XV.

Duces populi non solum Deo vacent, sed & populum stimulent ad profectum.

QVasi exasperatus Deus Moysem ab oratione repellit, vt populum proficisci faciat. Quippè ait: *Quid clamas ad me? Loquere filiis Israel, vt proficiscantur, &c.* Ecce vt depellit ad se clamantem, & iubet populi profectioni instare. Et cur Domine non magis ad te clamet, qui tantam multitudinem ducendam habet? Cur non potius eleuatis manibus multoque clamore ad te indesinenter oret? Equidem si solum hoc fit in ducibus populi, non placet Deo, vt qui debeant populis vrgendis ad profectum etiam instare. Quo spectans Nazian. orat. 1. de Prælatorũ munere aduersus occurrentia mala locutus, ait: *Ergo adu vsus ista, tã magna, perfectaque fide opus est, tam maiori Dei auxilio, nec parua, vt mihi quidẽ persuadeo, contentione nostra, quæ partim sermone, partim opere spectetur, atque etiã adhibeatur: siquidem id nobis propositum est, vt anima probe purgentur. Iam quod ad vtriusque medicina, corporalis, & spiritualis fines attinet; illa nil aliud spectat, quam vt sanitatem conseruet, absentem reuocet. Huic contra scopus est, animæ pennas addere, ac mundo eam eripere, Deoque dare.* Ecce tibi quò tendere debet contentio regentium, nimirum, vt stimulet per se alios ad Deum, illosque à mundo fugere doceat, & opere, & verbo. Erant duæ filiæ Saulis, nempe Merob, & Michol, in quibus, & vita actiua, & contemplatiua significabatur, vt in Lia, & Rachele filiabus Labani. Quarum coniugium si spectetur, Iacob accipit Liam, & Rachelem in vxores, quarum in vna ostenditur in totum contemplationi datus. Verum Dauid, qui primam Saulis filiam optauerat, vt in Merob contemplationi, & orationi vacaret, non hanc accipit, sed Micholem, in qua actiua vita exprimebatur. Ait 1. Reg. cap. 18. *Dedit itaque Saul Dauidi Michol filiam suam vxorem.* Promissa fuerat Dauidi Merob, & tantum ei fuit Michol tradita, sed & Iacobo promissa fuerat Rachel, quam non solam, sed cum altera sorore accipit. Cur similiter Dauidi, & cum Michole non datur simul Merob, quæ ei promissa fuerat? Iacob homo priuatus erat, cui licebat indesinenter vitæ contemplatiuæ operam dare, non sic Dauidi, qui vt rex populi erat, magis debebat populo ad meliora ducendo instare. Ait D. Gregor. lib. 5. in 1. Reg. cap. 1. *Quid est, quod Iacob vtramque sororem habere licuit, Dauid autem ad maioris thalamum non peruenit? nisi quia Dauid rex fuit. Iacob verò rex non fuit? Qui ergo regimen animarum suscipit, hunc censura Ecclesiastica gregem deserere, & remota vita otiis vacare non sinit.* Equidem qui dux est, & animarum rector, non debet per orationem, & contemplationem sic Deo esse continuus, vt non populo instet, illumque ducat, imò impellat in salutis viam. Hinc Heli sacerdos vitæ eripitur, quod filios suos non efficaciter ad Deum traxerit à peccatis. 1. Reg. cap. 2. Ea quo monebat Petrus Damian. lib. 7. epist. 11. *Eat ergo inde, causas atque negotia iurgantium deinceps negligat: maximam diei partem Missarum solemniis, & orationibus insistendo consumat. Sed ecce illi dicitur, quia neque ipsius sacerdotis iniquitas expiari poterit victimis, & muneribus, eo quod Heli vitia non coercuerit filiorum.* Non equidem princeps euadet supplicium neglecti muneris, si orationibus instans, non curauerit subditos promouere in vitam. Hinc Ieremiæ cap. 1. dicit Dominus: *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna: vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Nil de meditatione, de orationis occulto iniungitur in præsenti, sed omnia iniuncta spectant ad operationes, vt euellat, & exstirpet mala, & planter, & ædificet bona manibus operantibus. Sed de Isaaco dicitur Genes. cap. 24. *Egressus fuerat ad meditandum in agro.* In agro erat Isaac, vbi & euulsionis, & plantationis solet esse occasio, & tamen nihil dicitur ibi egisse operis, sed tantum fuisse meditatus; orationi, meditationique vacasse. Et cur in Isaaco sola meditatio placet, in Ieremia autem magis requiritur dissipatio malorum, ædificatio, & bonorum plantatio? Isaac adhuc priuatus erat, & filiusfamilias, vxorem ducendam adhuc expectabat, hunc autem maximè decebat meditatio, & recessus agrorum vbi Deo, & sibi vacaret. At Ieremiæ, qui super alios constituebatur, qui super gentes, & regna ponebatur, illud cordi futurum erat, vt operationi instaret, extirpans quidquid in subditis malitiæ videretur, & impellens omnes ad nouas virtutum vias peragrandas. Ea quo sapienter monet D. Bernard. Pontificem maximum Eugenium lib. 2. de consid. fatus: *In agrum Isaac exierat, cum primum Rebecca occurrit ei; & vt scriptura*

Nazian.

1. Reg. 18.

D. Greg.

Petr. Dam.

Ierem. 1.

Genes. 24.

D. Bern.

scriptura ait, exierat ad meditandum. Isaac ad meditandum exierat, tu ad extirpandum egrediaris necessum est. Tibi iam præcessisse meditatio debet tempus faciendi pro manibus. Equidem in priuata vita tempus est meditandi; at in folio regnantium, iam tempus faciendi instat, & non orandi solum, vocatque duces, vt verbo, & opere promoueant suos populares.

§. XVI.

Non ponenda hominis salus in sola aliorum prece.

NOo amat Deus, quod Moyses totus vacet orationi; sed vt etiam curet, quod Israelitæ aliquid per se faciant. Ait enim: *Quid clamas ad me? Loquere filiis Israel, vt proficiscantur.* Quasi minime essent tuti Israelitæ solo Moyse clamante, nisi & ipsi diligentiam præstarent. Nequit enim Deus regulariter auxilium suum, quo cum effectu transmittitur pelagus, præstare nisi iis, qui precibus auxiliis aliquid operantur. Pro quo ait Elias Creteosis apud Nazianzen. orat. 1. *Eius, qui curatur, fides, atque animi promptitudo antecedat, supernum autem auxilium subsequatur. Deus enim eos demum adiuuare solet, qui ea quæ partium suarum sunt, præstant, non autem, qui consternato animo sunt, ac desidia torpent.* Quid si sancti viri pro te orent, & tu desidia torpeas? Si illi pro te clament, & tu somno stertas? Non equidem valde saluti tuæ studes, dum te aliorum orationibus commendas, & nihil saluti vtile per te peragis. Et simul viri sancti oratio, & tua cooperatio accedat, si Dei auxilium impetrare velis. Iob cap. 42. dicit Dominus eius amicis, *Sumite ergo vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis: Iob autem seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam. &c.* Si Iobi preces suscipiendæ erant pro illorum salute, cur necessum est, vt simul ipsi cum victimis accedant? Ad quid illorum victimæ, quando Iobi oratio Deum tenebat? Ait Carthus. ibi: *Suscepit Dominus faciem Iob, id est, precem ipsius pro suis amicis, ad quod etiam cooperabatur eorum obedientia, & humiliatio.* Itaque Iobi preces tenebant Deum, vt saluti amicorum eius prouideret, sed vbi illorum cooperatio cernebatur. Orabat ille, sacrificabant hi, & Dominus suum auxilium præstabat. Male enim poneretur hominis salua in sola prece alterius, cum interea ipse nihil faceret. Post repulsum Saulem Samuel incessanter pro illo orauit, & cum lachrymis orabat die, ac nocte, vt Dei misericordiam impetraret. At Deus 1. Reg. 16. ait ad Samuelem: *Quousque tu luges Saulem?* Orabat Samuel, & eius oratio à Deo repellebatur. Sed cur Samuelis oratio non magis valebat apud Deum? Orante Samuele, nihil pro se faciebat Saul: vbi autem egens nihil cooperatur, non miror, quod oratio pro eo repellatur. Chrysost. hom. 5. de Pœnit. *Multum exhausit tēpus Samuel pro Saule deprecans: noctesque maltas transegit insomnes pro delinquentis salute. Deus autem tempus repudians, dicit ad Prophetam: Vsquequo tu ploras? Non enim cum propheta orationi peccatoris conuenit pœnitentia.* Quid quod sanctus vigilet, si tu stertas? Quod sanctus cum lachrymis oret, si tu etsui, & deliciis vaces? Hoc cura, vt pro te orantibus sanctis, aliquid tu saluti cooperreris consentaneum, & omnia tibi erunt salua. Ioan. 2. oranti Mariæ pro vini defectu supplendo in nuptiis respondit Dominus. *Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea.* Quod si hora non erat subueniendi, quando Maria orat, quando putas talis hora erit? Pulchrè Euthym. *Nondum adest tempus meum, ad edendum, quod quæris, miraculum: tunc autem aderit, cum ij, quibus opus est miraculo, cognouerint, quod talia possim operari, & ipsi me fuerint deprecati.* Itaque tunc certius tempus est, vt Deus subueniat, quando non totus es in prece aliorum, sed & tu etiam qui eges deprecaris.

Nazianz. — *Iob 42.* — *Carthus.* — *1. Reg. 16.* — *Chrysost.* — *Ioan. 2.*

Exod. 14. Tu autem eleua virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & diuide illud: vt gradiantur filij Israel in medio mari per siccum. Ego autem indurabo cor Ægyptiorum, vt persequantur vos, & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, &c.

§. XVII.

Sub Dei præcepto nihil non potest humana fragilitas.

VNo virgæ ictu iubetur Moyses sic diuidere mare, vt per medios fluctus siccum iter Israelitis pateat. Sic enim ait: *Extende manum tuam super mare, & diuide illud, vt gradiantur filij Israel.* Poterat Moyses manum extendere, & mare percutere, at quod mare percussum diuideretur, non erat humanæ virtutis. Cur ergo Domine præcipis Moysi, quod diuidat mare, quando id non est eius potestatis? Sed habet hoc præceptum diuinum, quod & potestatem ad ardua quæque communicet. Ait Lippoman. in cat. *Iubetur Moyses scindere baculo mare, quid magis inexpectatum, & admirabilius? & tamen credente impenditur. Nihil ergo tam arduum à Domino mandari potest, etiam introitus in mare pedestris, quod fidelis detrectet, Domini bonitatem cum omnipotentia perpendens.* Vt præcipientis omnipotentia perpenditur, ad nullum præceptum cunctatur humana infirmitas; venit enim & cum Dei præcepto vis perficiendi quæcumque difficillima. Iacebat sponsa amore languens, & sic iacebat, vt vel ad iacendum egeret amatoriis fulcris Cant. 2. interea clamat sponsus: *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.* Quomodo surgat, quomodo veniat, quomodo properet, quæ via iacendo potest consistere? Si ad iacendum fulcris indiget, qui fieri potest, vt surgat, & properet ad dilectū suum? Cur ergo Domine præcipis amatæ rem impossibilem? Sed ea est præcepti dominici vis, quod ipsa peragit, quodcumque iubet. Pulchre D. Nyssen. hom. 5. in Cant. *Surge, inquit, & veni. O vis iussus, & imperij! est reuera vox virtutis. Ipse dixit, & facta sunt, mandauit, & creata sunt. Ecce nunc quoque dixit iacenti. Surge, & veni, & statim ad opus deducitur, quod iubetur. Nam simul atque accepit vim verbi, stat, & assistit, & ad lumen prope accedit.* Clarum est diuinæ iussionis argumentum, quod vim perficiendi inferat, quidquid per illam iubetur. Ne deficias homo ad sonum diuini præcepti, quot diuini verbi literas excipis, tot fulcra, tot auxilia habes, ne difficile censeas quod præcipit. Iussum est Noemo Genes. 7. *Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam: Ex omnibus animantibus mundis tolles septena & septena, masculum, & fœminam, de animantibus vero immūdis duo, & duo. &c.* Quid difficilius? Cum immundis, & feralissimis animalibus iubetur homo intra arcæ angustias concludi, nigroque in carcere detineri, vt aduiuat feris. Et qualiter homo carneus arctissimum carcerem, bestiarum proprium habitaculum patiatur? Ait D. Chrysost. hom. 25. in Gen. *Egregius Noe magna facilitate ferarum ferebat conuictum, & neque loci angustia, neque temporis productio, neque quod sic inclusus erat, & aerem respirare non posset, morosum, & difficilem reddebant; sed ob fidem in Deum omnia ipsi facilia videbantur. Et sic versabatur in graui illo carcere, sicut nos in pratis, & lucis. Præceptum enim Domini difficilia, facilia sibi videri faciebat.* Sic de præcepti Dominici virtute veniebat, quod difficultatibus cunctis euanescentibus omnia facile perficerentur.

Lippom. — *Cant. 2.* — *Nyssen.* — *Gen. 7.* — *Chrysost.*

§. XVIII.

Cœlitum gloria & splendor à cruce Dominica.

VIrgam per Moysem eleuari petit Deus, vt scisso mari, & submerso Ægyptio, gloriosa appareat in Pharaone potestas diuina. Ecce primo inquit Dominus; *Tu autē eleua virgā tuam, & extende manū tuam super mare, & diuide illud, &c.* Et quid per virgæ eleuationē, & maris scissionem? Ait iterum: *Ego autem indurabo cor Ægyptiorum, & persequētur vos, & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, &c.* At vt Deus glorificaretur in Pharaone, cur necessum fuit præmitti eleuationē Mosaicæ virgæ? Poterant equidem omnia illa fieri, & Deus glorificari in Pharaone, quin prius Moyses eleuaret virgam. Cur ergo ad hanc glorificationem non accedit Deus, quin prius ostendatur eleuata virga? Erat in virga crucis figura, & cœlitum omnis exterior gloria venire debebat post crucem. Quo spectans Isaias c. 60. ait: *Illuminare, illuminare Hierusalem, venit enim lumen tuum, & gloria Domini super te orta est.* Ecce primos ortus & quasi cunabula Dominicæ gloriæ super Hierusalem constituit. Et cur gloria Domini non magis est orta super cœlos quā super Hierusalem, nisi quia in Hierusalem fuit crux, ex qua cœlitum gloria construitur? Ait D. German. Constant. orat. in adorat. crucis apud Gretserum

Isaias 60. — *German.*

PP tom.

tom. 2. *Gloria Domini ſuper nouam Hieruſalem orta eſt. Gloria vero Domini, omnium conceſſu, diuina crux eſt, quæ vt aurora iam rutilat.* Et quidem vane deſipere videtur, qui gloriam cœlitum, & ornatum quærit ante crucem. Vbi Deus aquas à terra ſeparauit Gen. 1. & ſeſe ad mundi ornatum accinxit, hæc prima illius vox fuit: *Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum, &c.* Circa quæ non contemnéda eſt quæſtio Theodoreti in cat. Græca, vbi quærit, cur Deus maluit antè & herbis, & lignis ornare terram, quàm ſtellis, & aſtris cœlum? Adhuc cœlum erat inornatum, nulla ibi ſtella lucebat, nullus planeta videbatur, & iam terræ dabantur medicæ herbæ, fructifera ligna. Cur lignis terra veſtitur antequàm ſplendoribus ſtellæ? Rationem indagat Anaſtaſ. Sinaita in Hexamer. 4. aiens: *Quando audis quod iubetur colore lignum fructiferum, nihil aliud intelliges quam paſſionem crucis. Et ideò dicit Eccleſia, quod germinet lignum crucis faciens fructum, & aſpectu pulchrum, & bonum ad veſcendum, nempe Chriſtum crucifixum.* Erat equidem in lignis adumbratio Dominicæ crucis, quæ merito antecedere debebat omnem gloriam, & ornatum cœlitum. Ante enim Deus meditabatur crucem quàm faceret, vt in cœlis vel minima ſtellula fulgeret. Crede mihi: nullus cœleſti gloria radiauit, niſi id de crucis virtute veniat. Cum Ieſus in Thabor cœleſtis gloriæ imaginem præferebat, ait text. Luc. 9. *Erant autem Moyſes, & Elias viſi in maieſtate, & dicebant exceſſum eius, &c.* Origen. legit: *Erant autem Moyſes & Elias viſi in gloria, &c.* At qui fieri potuit, vt in Thabor Moyſes & Elias in maieſtatis gloria viderentur? Rei cauſam exponès textus addidit, *& dicebant exceſſum eius*, nimirum exceſſum in cruce complendum, ne niſi præmeditata cruce aliqui glorificati apparerent. Quò ſpectans Timoth. Antiochen. orat. de Cruce, & Transfigurat. apud Gretſerum tom. 2. ait: *Præmiſit Dominus in Thabor Moyſem, & Eliam clariores, quàm in viuis fuiſſent futura crucis ſigna commemorantes.* Inde Moyſes, & Elias clariores, & glorioſiores apparebant, quod crucis ſigna, & myſteria & mente & ore voluebant.

Gen. 1.

Anaſt. Sin.

Luc. 9.

Tim. Ant.

Exod. 14. Tolléſque ſe Angelus Dei, qui præcedebat caſtra Iſrael, abiit poſt eos, & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, poſt tergum ſtetit inter caſtra Ægyptiorum, & caſtra Iſrael. Et erat nubes tenebroſa, & illuminans noctem, ita vt ad ſe inuicem toto noctis tempore accedere non valerent.

§. XIX.

Egregius ille Præſul, qui ſcit primas cedere aſſeclarum saluti.

QVis non cantet præclariſſimum Angeli ducatum præſtitum Iſraelitis, qui vbi nouit aſſeclarum periculum, primas ceſſit, & poſt tergum ſtetit, vt poſſent Iſraelitæ viuere? De illo dicitur: *Tollenſque ſe Angelus Dei, qui præcedebat caſtra Iſrael, abiit poſt eos, & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, poſt tergum ſtetit, &c.* Expende ab illis, nimirum *priora dimittens*, & nota ingenium optimi præſulis, optimi ducis, in eo eſſe, quod ſciat primas cedere ſubditorũ ſaluti, propriamque habere in loco vltimo. Ea quo monebat D. Chryſoſtom. hom 8. in Epiſt. ad Epheſ. inquiens, *Non enim propterea te Deus hominibus præfecit, vt maius acquiras obſequium, aut famulitium, ſed vt neglectis rebus tuis, quidquid illorum eſt, rite diſpenſetur, & ædificetur. Talis erat Beatus Paulus, qui quidem omni faſtu liber, non aliter erat affectus, quam vulgaris quiſpiam, imo & minimus etiam iſtorum. Propterea & ſeruum eorum ſe ipſum vocat.* Huc veniant vniuerſi præſules, cuncti hominum duces, & diſcant, ad quid principatum accipiant. Non equidem ideò creantur duces, vt in omnibus ferant primas, vt potiora, & ſelectiora ſibi aſſumant, vt poſt ſe ingens trahant ſequentium famulitium. Sed magis vt ſua poſtponant ſubditorum commodis; quorum ſaluti, & incolumitati in omnibus cedant primas. Erat Ieſus cum diſcipulis ſuis in Synagoga Iudæorum, & docens, & ſanans multos infirmos. De illis ait Marc. cap. 1. *Et protinus egredientes de Synagoga venerunt in domum Simonis & Andreæ cum Iacobo, & Ioanne. Diſcumbebat autem ſocrus Simonis febricitans, & ſtatim dicunt ei de illa. Et accedens eleuauit eam, &c.* Expende, quando ſiue diſcipuli, ſiue Petrus dicit Ieſu de ſocrus ſuæ infirmitate; nimirum cum ipſe poſt finitum ſermonem in Synagoga, poſt curatos multos, ſponte ſua in Petri domum intraret. Sed Romanus ille Centurio ardentior erat in procuranda pueri ſalute; qui Matth. cap. 8. è domo ſua egreditur, Ieſum foras agentem conuenit, ibique illum monet de pueri periculo inquiens: *Puer meus iacet in domo paralyticus.* Cur ſimiliter Petrus comitans Ieſum in Synagoga docentem, & ſanantem plurimos, non illum præmonet de ſocrus ſuæ infirmitate? Cur, quod fecit Centurio pro puero, non facit Petrus pro ſocru ſua? Inſtituebatur Petrus, & orbis, & Eccleſiæ princeps, ideò cedens ſalutis primas aliis, tunc ſolum egit de ſuis, cum poſt curatos alios, iam ſeſe Dominus in domum recepiſſet. Pulchrè D. Chryſoſtom. hom. 28. in Matth. *Tu autem etiam ſummã Petri reuerentiam in Chriſtum conſidera. nam cum ſocrus ſua domi iaceret, caloréque febris arderet, non traxit eum, neque cogere cogitauit: ſed expectauit quouſque prædicationem abſolueret, cæteroſque omnes, qui tunc ad eum confugerant, curaſſet, & tunc demum eum intraſſet, pro ipſam iacentem rogauit. ſic enim ſtatim ab ipſis initiis, aliorum commoda ſuis vt præponeret, inſtitutus erat.* Expende illud, *aliorum commoda ſuis vt præponeret*; quippe vt magnus orbis princeps inſtituebatur, nil prius docebatur, quàm quod aliorum commodis poſtponeret ſua. Hoc enim eſt præſtantiſſimorum præſulum inſigne. Vnde poſt expugnatam terram promiſſionis à duce maximo Ioſue, ait textus cap. 19. *Cumque compleſſet ſorte diuidere terram ſingulis, per tribus ſuas dederunt filij Iſrael poſſeſſionem Ioſue.* Primas in accipiendo cedit omnibus bonus dux; & cum ſingulis tribubus vniuerſa diuiſiſſet, poſtremus accipit ipſe, quæ populus obtulit illi. Et cur poſtremus? In hoc equidem oſtendebat ſplendidiſſimum primatum ſuum, qui aliorum commodis poſtponebat ſua. Ait Origen. homil. 24. ibi: *Ipſe eſt, qui dedit hæreditatem omnibus filiis Iuda, qui dedit Ephrem, & dimidia tribui Manaſſe: ipſe dedit & magnifice illi Caleph filio Ieſſone hæreditatem: ipſe miſit omnibus ſortes, & ſe in nouiſſimis reſeruauit. Quare putas, voluit eſſe omnium nouiſſimus? Sine dubio, vt eſſet omnium primus.* Nullo magis oſtendiſſet ſe deberi præſtantiſſimo primatui, quam dum ſcit primas bonorum aliis dare, ſibique vltimas accipere partes.

Chryſoſt.

Matth. 8.

Chryſoſt.

Ioſue 19.

Origen.

Exod. 14. Cumque extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus flante vento vehementi, & vrènte tota nocte, & vertit in ſiccum. Diuiſaque eſt aqua, & ingreſſi ſunt filij Iſrael per medium ſicci maris. Erat enim aqua quaſi murus à dextera eorum, & læua.

§. XX.

Principum ingenium facilè ſequuntur ſubditi.

NOn ſemel aquas nouimus in beneficium hominis obduratas, modo in duas partes diuiſæ lapidei muri retulerunt faciem. Quippe ait: *Erat enim aqua quaſi murus à dextera eorum, & læua.* Sed muri forma, & duritiea terræ conuenit, non aquæ. Cur ergo quod terræ erat ſibi præſumpſit aqua? Cur vt iter præberet Iſraelitis mare non potius imitatum eſt refluxus Iordanis, quam terræ ſoliditatem? Iam diu mare imperium terræ agnoſcebat, cuius imas fimbrias ſæpe exoſculatur; vt autem regnum terræ agnoſcebat, ſic vbi occaſio tulerit, ſe ad eius ſoliditatem maluit conformare. Quis enim multoties in ſui principis indolem non abeat? Matth. cap. 8. dum Ieſus in nauicula dormiret, vehemens tempeſtas excitata eſt, ita vt tumentes fluctus nauim in ruinam traherent. Scitatus autem Dominus: *Imperauit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas magna.* Nimirum adeo erant tranquilli, & quieti fluctus, vt viderentur induiſſe terræ ſoliditatem. Et vnde fluctus ad Ieſu vocem venerunt in tantam tranquillitatem, qua viderentur terram æmulari? Ait D. Baſil. Seleuc. orat. 22. *Medica Ieſu voce ingens elementum refrenabatur. Recognoſcebat enim veterem vocem, recordabantur antiqui præcepti, nimirum. Congregentur aquæ in vnum locum, & appareat arida. Geneſ. 1. Tunc conceſſit terræ imperium, nunc terram imitatur conſolidationis natura.* Quid pulchrius? Vt mare tunc, nimirum in primordio terræ imperium ceſſit, ſic nunc in ſoliditate terrã æmulatur; raro enim inuenitur, qui ad imperatoris ſui genium non componatur. Quem regem ſuſcipis, fallar niſi ames eundem imitari. Cũ Pilatus optionem daret Iudæis, vt

Matth. 8.

Baſil. Sel.

Ieſum

Matth. 27.

Iesum in vitam eligerent, vel Barrabam hominem seditiosum Matt. 27. *Principes sacerdotũ & seniores persuaserunt populo, vt peterent Barrabam, Iesum vero perderent.* Sed qualiter persuaderi populus potuit, vt homicidam, & seditiosum hominẽ in vitam eligeret? Id erat principum ingenium, iuxta quod necessum erat pene, quod populus componeretur. Ait Christian. Druthmarus ibi: *Tales sunt populi. Qui habet potestatem, facile cõuertit inferiores ad voluntatem suam. Non recogitant, quis iustior sit, sed quod principem suum intelligunt velle, ad hoc conuertuntur.* Nil magis commune quam quod subditi sese componãt ad formam principum; rarò inuenitur, qui principibus morem nõ gerat, eorumque in se non effingat vultus. Nota est historia Magorum clamantium ortum expectatissimi regis Iudæorum, quorum clamoribus excitatus Herodes conuocat Scribas, & Sapientes Hierosolymitanos, diligenterque didicit ab eis, vbi Christus nasceretur? Nec mora, locũ natiuitatis Dominicæ notant illi, adducta prophetia dicente: *Et tu Bethlehem terra Iuda, &c.* Quid tunc rex? Matth. 2. remittit homines Bethlehem, vt inquirant de puero, ipse autem mansit Hierosolymis expectans reditum, nec adductus est, vt cum Magis aliquem ex suis mitteret seruum. Magnum hoc? Accipe maius, nimirum Hierosolymitani Scribæ, & sapientes, natiuitatis locum signantes ea scripturis, & insigne Magorum per stellam adductorum miraculum videntes non adducuntur, vt vel ipsi eant, vel saltem mittant, qui pueri ortum viderent. Vnde sic tepidi Scribæ in quærendo optatissimo, & spectatissimo sibi puero? Nonne huius regis natiuitatem ardentissimè præstolabantur? Cur ergo non ad illum videndum mittunt? Non miserat Herodes, & valuit magis apud Hierosolymitanos sapientes ambitio se conformandi cum Herode rege, quam desiderium videndi Desideratum cunctis gentibus. Ait D. Leo ser. 4. de Epiphan. *Prolato diuino oraculo per responsa pontificum, & declarata spiritus voce, quæ dicit, Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel: quàm facile, & quàm consequens fuit, vt Hebræorum proceres crederent, quod docebant? Sed apparet illos carnaliter cum Herode sapuisse, vt & temporalem sperarent ducem.* Rapuit sapientes Hierosolymitanos regis præsentis æmulatio, suamque scientiam, suamque doctrinam ad Herodis imperantis genium conformarunt. Vetusta enim est hominum temporalium ambitio, qua vel in sapientia, vel in fide regios vultus malunt spectare.

Matth. 2.

D. Leo.

§. XXI.

Quæ terrori hominibus sunt, si à Deo ducantur, in salutem conformantur.

Caiet.

Origen.

FVgientibus Israelitis Ægyptios non paruum terrorem incutiebant oppositi fluctus maris; sed extensa Moysis manu, diuisis fluctibus, fit *aqua quasi murus à dextra eorum & læua.* Ecce tibi, quæ mortem minabatur aqua, facta est quasi murus ad tutamen. Sed vnde horrendum mare versum est in speciem tutaminis? Ait text. *Abstulit illud Dominus:* ex Hebræo autem ponit Caiet. *Et duxit Deus mare,* non equidem intelligitur, quod Deus aquas maris consumpserit, sed quod eas duxerit; vbi autem aquæ horribiles à Deo ducebantur, non poterant non mutari in hominum salutem & tutamen. Ait Orig. in cat. Lippom. *Iubetur Moyses virga percutere mare, vt voluntati diuinæ elementorum famulentur obsequia: & aquæ, quæ timebantur, dextera, læuaque famulis Dei murus effecta, non solum perniciem nesciant, sed & munimen exhibeant.* Minauit Moyses baculo aquas, vt diuinissimi pastoris sequerentur ducatum; vt post Deum irent. Quid tunc? Vbi non natura, sed Deus cœpit ducere aquas maris, illæ ipsæ, quæ timebantur, murus effectæ, salutem & defensionem repræsentabant. Et quæ lucra hominibus non propinent creaturæ, quæ Dei sequuntur ducatum? Nota est maris tempestas, quæ dormiente Iesu in nauicula tantum incussit metum discipulis, vt ad Iesum clamarent Matth. 8. *Domine salua nos, perimus.* Excitatur Iesus, imperat ventis & mari, fit magna tranquillitas fluctuum, cuius occasione in potestatis diuinæ admirationem vniuersi clamant, *Qualis est hic? Quia venti, & mare obediunt ei.* Compone clamorem, & clamorẽ, antea clamant, *perimus*, nunc clamant, *quia venti, & mare obediunt* Iesu, eiusque potestatem mirantur. Vnde tam diuersus clamor? Sane aquæ, quæ prius timebantur, vbi Dei nutui obtemperarunt, conuersæ sunt illis in disciplinam, & cognitionem diuinitatis, qua saluabãtur. Ait D. Basil. Sel. orat. 22. *O Domini sapientiam! O magistri edoctum! Excruit mare, fides scholam facit mari. Et quod discipulis ab ista trepidatione lucrum? Et mirabantur, inquit, discipuli dicentes: Qualis est hic? Quia venti, & mare obediunt ei. Quibus ex rebus conterriti fuerunt, docti euaserunt.* Quæ metum antea incutiebant, vt adeò clamarent, *perimus*, nunc ad Dei nutum mansuefactæ sapientiam afferunt, & salutis viam pandunt. Sic semper quæ ea natura sua nobis videntur horribilia, ex Dei nutu habent, quòd nos ad veram sapientiam veramque salutem deducãt. Nequit enim creatura aliqua sub speciali Dei ductu esse, qui hominibus non appareat salutaris. De nubibus dictum est Iob cap. 37. *Quæ lustrant per circuitum, quocumque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne quod præceperit illis super faciem orbis terrarum. Siue in vna tribu, siue in terra sua, siue in quocumque loco misericordiæ suæ eas iusserit inueniri.* Græcè legitur: *Siue ad disciplinam, siue ad terram, siue ad misericordiam.* Vltimo loco posuit misericordiam, vt ostendat, quò tendunt omnes Dei ducatus, vbi se ducem ostendit nubium, tendunt nimirum ad misericordiam præstandam. Quò spectans author catenæ, fatur: *Hæ sunt siue ad errantes corrigẽdos, siue ad terræ fertilitatem, fructuumque vbertatem, siue aliam ob causam. Illud certum est, vt misericordiam mortalibus tribuat, istis hac administrari.* Frementes liceat videas creaturas nubium, dum tamen Deus illas ducit, hoc tecum reputa, indè hominibus misericordiam diuinam præparari.

Matth. 8.

Basil. Sel.

Iob 37.

§. XXII.

Nulla adeò ineuitabilis tentatio impedit hominem, per quam non possit patere aditus incolumitati.

ECce tibi vbi tumentes maris fluctus magis Israelitas arctabant, illosque hostilibus gladiis expositos tenebãt inclusos, subitò scinditur mare, & per medios fluctus via salutis apparet. Sic text. *Cum extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus, & vertit in siccum. Diuisaque est aqua, & ingressi sunt filij Israel.* Quid mirabilius? In tentationis deuenerat arctum, vt hinc fluctibus cingentibus, illinc hostibus clamantibus nil certiùs quam mortem liceret spectare. Quid tunc? Scisso mari subita salutis via apparuit, quæ nunquam non patuit iustorum incolumitati. Rem sic exprimit D. Zeno lib. 2. ser. 12. de Exod. *Et inter duo discrimina perueniens populus, ibidem præsentaria exitium mortis expauit, hinc enim persequentium Ægyptiorũ infestis mucronibus premebatur, illinc maris magne clausus obice premebatur. Cum subito diuina prouidentia scinditur mare; aqua gelido stupore franata vitreos dirigitur in muros, præstaturi transitum Dei populi.* Et quidem nunquam sic hominem Dei fluctus tentationum arctant, quin clarissima euasionis via, vel inter fluctus pateat. Quò respiciens ipse Dominus ait Iob 38 *Quis conclusit ostiis mare?* Ex Græco legit Aug. affirmatiuè: *Conclusit portis mare.* Quibus illud maximè expẽdendum est, quod dicat Deus mare à se portis cõclusum, & non muris. Cur nõ potius Deus rabidissimos fluctus maris æneis vndequaque conclusit? Cur maluit illos portis cõcludere? Vbi porta cernitur, iam ibi speratur posse aperiri, vnde quis ab arcto periculorum queat exire. Conclusit ergo Deus mare portis, vt ostẽdat nullam futuram adeò cæcam tentationum tempestatem, media qua non possit patere via salutis. Ait D. Aug. ibi: *Conclusit portis mare. Quare portis? Vt non solum modum haberet exercendi iustos persecutionibus, sed etiam vt liceret iustis inde egredi.* Crede mihi rabidissimi quique fluctus tentationum habent portas, quæ aperiri possunt, vt inde euadas incolumis. Aiebat Ionas c. 2. à ceto voratus: *Circumdederunt me aquæ vsque ad animam, abyssus vallauit me, pelagus operuit caput meum. Ad extrema montium descendi, terræ vectes concluserunt me in æternum, & subleuabis de corruptione vitam meam.* Fatur se abysso, & pelago vallatum, imò sub vectibus terræ conclusum, & tamen orat inde erigi, & subleuari. Si abyssus te vallat, si pelagus cingit, si vectes concludunt, qua eripieris ô bone? Equidem in arctissimo illo tentationum vallo, non otiosè memorati sunt vectes, sed vt ostendatur non omnino interclusus aditus esse, sed ita vt aperiri queat, & viam euasionis ostendere. Ex quo dicebat Rupert. *Circundatus aquis, vallatus abysso, coopertus pelago, conclusus vectibus terræ, certum habet penes se, quia Deum nihil latere potest, orat fideliter, vt oratione Deum tantùm, tanquam profundis angustiis ad se venire gestiens viam ipsa faciat, venientem ipse suscipiat.* Itaque dum abyssi vallum confitetur, & pelagi impedimenta, & vectes terræ experitur, tamen certus est de via saluatori suo aperienda, qua inde possit eruì. Et multiplicatis orationibus inter illa omnia afflictionum repagula, & impedimenta strenuè nititur viam parare saluti.

D. Zeno.

Iob 38.

D. Aug.

Ionas 2.

Rupert.

Exod. 14. Persequentesque Ægyptij ingressi sunt post eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus eius, & equites per medium maris. Iamque aduenerat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnã ignis, & nubis, interfecit exercitũ eorum, & subuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Dixerunt ergo Ægyptij: Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos.

§. XXIII.

Deus non diu patitur iniquos esse iuxta pios.

IN siccum maris alueum intrauerant Ægyptij, antequam inde egressi essent Israelitæ. Vtrumque agmen simul tenebat siccus maris venter, vnus Angelus in columna nubis, & ignis medius erat, qui hos & illos diuideret. Quid tunc? Ait text. *Ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam nubis, & ignis interfecit exercitum eorum, &c.* Septuagint. cum Chaldæo reddiderunt: *Conturbauit exercitus eorum*; vbi enim Aegyptij sic propinqui erant Israelitis, vt communi liberatoris intuitu cerni possent, non passus est Dominus illos amplius consistere, sed illos conturbare, imò & cõcutere, & quassatis rotis plurimos excutere cœpit. Vt ex multis Hebræis dicat Lippom. *Currus implicati sunt, & qui super illos erãt, excutiebantur, & membra eorum discerpebantur.* *Lippom.* Nondum aquæ reducendæ erant, ne nocerent Israelitis adhuc vergentibus intra mare. Sed non sustinebat Deus impios pijs appropinquare, talemque illis conturbationem dedit, vt concussis rotis curruum, sessores excuterentur, discerperentur. Sic solet Deus impios excutere à piorum societate. Quò respiciens Iob 38. ait: *Et tenuisti concutiens extrema terræ, & excussisti impios ex ea?* *Iob 38.* Id solius Dei proprium est, quod non diu feret impios pijs appropinquare, interdum concutit terram, vt impij inde excutiantur, perdantur. Ait pulchrè ibi Philipp. *Pro magnitudine virtutis suæ Deus vtraque manu tenens margines terræ quasi cribrum huc atque illuc concutit, siue excutit, vt impios velut paleas, & lolium excutiat à frumento iustorum.* Quid elegantius? Non equidem patitur Deus pios, & iustos homines diu propinquitate impiorum fœdari; sed certis, statisque temporibus magnitudine virtutis suæ terram, quasi cribrum concutit, qua concussione impij excutiuntur à terra, exsufflantur. Id quod promittebat Dominus per Amos cap. 9. *Ecce mandabo ego, & concutiam in omnibus gentibus domum Israel, sicut concutitur in cribro.* *Amos 9.* Promittit, inquam, cribrationem sui populi, ne diu sint impij intermixti sanctis, sed vt in concussione cribri frumenta seruantur, & excutiuntur paleæ; sic immissa à Deo turbatione, & concussione in terram seruatis in diuina horrea iustis, iniqui excutientur in flammas. Sic D. Hieronym. fatur: *Deus, qui mensus est aquas manu, & cælum palmo, & omnem terram concludit pugillo, ipse pro magnitudine sua, vtraque manu tenens margines terræ, quasi cribrum huc, illucque concutiet, vt paleis, ac sordibus peccatorum in terram cadentibus purum frumentum remaneat, quod in horrea condatur.* *D. Hieron.* Ea est cura Dei, vt cribretur terra, crebrisque permutationibus concutiatur, quo excussis paleis impiorum, necessum est, vt frumentum purius maneat. Dei enim est indigne ferentis impiorum cum iustis commixtionem, illa Hieremiæ vox cap. 23. *Quid paleis ad triticum?* *Ierem. 23.* Vbi Chaldæus vertit. *Sicut paleam à tritico, sic separo iustos ab impiis, dicit Dominus.* Quasi esset id Dei munus, vt concussionibus factis intendat semper à tritico excutere paleas, hoc est, impios à iustorum propinquitate.

§. XXIV.

Quàm facilè homo sequitur mortis, exitiique ductum.

SCissum mare apparuit, & Israelitæ gradientes per medium sicci maris. Nec mora, vbi hoc viderunt gradientes per medium sicci maris Aegyptij *ingressi sunt post eos, & omnis equitatus Pharaonis, &c.* Et cur Aegyptij adeò intrepidè audent Israelitas sequi per viam adeò nouam, & inusitatam? Cur non magis suspectam habent viam vsque tunc maris fluctibus clausam, & solis Israelitis apertam? Cur non magis ad ingressum cunctantur? Ait Euseb. Emiss. in Glossa. *Sanguis, atque immissa infantium cædes illos agitabat.* *Euseb. Emiss.* Qui interfecti erant ab illis infantes, & aquis sepulti iacebant, mouebant ad lethalem ingressum eorum animos. Imò vt ait Philo in præsenti: *Hoc accessit impetus hostium inuehentium, & in suam perniciem ruentium.* *Philo.* Ad nihil enim facilior, & impigrior homo paratur, quam ad hoc vt ad mortem, & exitium abeat. Audita Iesu præsentia Maria, quæ domi iacebat lugens mortuum fratrem, surrexit, vt obuiam iret Saluatori. Quid tunc Iudæi videntes surrexisse Mariam, & domo exisse? Ait Ioan. cap. 11. *Iudæi ergo, qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cum vidissent Mariam, quia citò surrexit & exiit, secuti sunt eam dicentes, quia vadit ad monumentum, vt ploret ibi.* *Ioan. 11.* Ibat illa ad vitæ authorem, vt suscitationem fratris impetraret; at Iudæi nihil de authore vitæ cogitantes putabant illam ire in sepulchrum, vt ibi amplius ploraret. Et cur de sola sepulchri via permittuntur cogitare Iudæi? Cur non magis illis in mentem venit vitæ author? Sane agebat Deus, vt Iudæi sequerentur Mariam, & sic testes fierent tanti miraculi, ideo non facit illos cogitare de vitæ authore, sed de via sepulchri, & lachrymarum; facilius enim, & efficacius mouerentur ad mortem, quàm ad vitam sectandam. Ait Diuus Cyrillus Alexandrinus lib. 7. in Ioannem, cap. 19. *Si audissent Iudæi Mariam vocatam fuisse à Iesu, non ipsam illico sequerentur, & ita non viderent miraculum. Sed quia putauerunt eam ad sepulchrum fratris ituram, pone secuti sunt.* *Cyr. Alex.* Non equidem miseri viam ad vitæ authorem arriperent, sed magis cunctarentur, & pigritarent illo ire. Ideò permissi sunt cogitare de solius sepulchri via, vt qui ad mortis, & sepulchri vel nomen faciliùs, & velociùs aduolarent. Ea est enim humana conditio, quæ secreto quodam impulsu ad mortis, exitiique sequelam rapiatur. De Iuda ait etiam D. Ioan. c. 13. *Cum ergo accepisset ille buccellam, exiuit continuò. Erat autem nox.* *Ioan. 13.* Non moratur, non cunctatur, vbi à Iesu manu buccellam accepit, continuo exiit ad peragendos tractatus de magistri venditione. Quæ est miser ista tua festinatio? Non est, expecta saltem vt elucescat crastinum, requiesce paulisper, vt cum luce negotium agas. Cur non magis, vel nocturnis tenebris impediris? Ibat miser ad mortem, ibat ad exitium suum, ideò nullas moras patiebatur, nulla impedimẽta sentiebat, nec noctis tenebras aduertebat, vt properaret. Ait D. Cyril. Alex. lib. 9. in Ioan. c. 19. *Nec quod noctu quidem ruit, considerat. Tenebrosa enim nox quadam impio cupiditatis in profundũ inferni eum pellebat, idèq; quasi ceruus, vt in Prouerbiis dicitur, ad sagittam properabat, vel quasi canis ad vincula.* *Cyr. Alex.* Agilior, & velocior ceruis est homo, vt viam mortis, exitiique sui arripiat, nec vllis impedimentis moratur. Quò spectans Prouerb. cap. 7. de homine audiente lethalem voluptatem, ait: *Statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam.* *Prou. 7.* Ex Hebræo: *Vadit post eam subito.* Vbi ad perniciem via aperitur, nulla permittitur mora consulendi, sed subitò ad illam omnes aduolant.

§. XXV.

Mundialis potentia, vt apud creaturas valet, sic in Dei conspectu corruit.

DIxerat paulò ante, quod *Tollens se Angelus Dei, qui præcedebat castra Israel, abiit post eos, & cum eo pariter columna nubis.* Modo autem de eodẽ columnæ motore agens: ait: *Ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis, & nubis interfecit exercitum eorum, &c.* Modò Angelũ, modo Dominum vocat eum, qui columnæ præsidebat, & quare non semper Angelum, vel non semper Dominum vocat? Quare, qui de Angelo dixit, quod abiit post Israelitas in colũna nubis, modò de eodem Angelo non dixit, quod respexit super castra Aegyptiorũ, & interfecit eos? Quare hoc maluit Domino attribuere, quàm Angelo? Rationem indigitant verba illa, *respiciens Dominus super castra Aegyptiorum*, quippe res erat cum potentia, & valentia Aegypti, cuius despectio, & cõtritio non creaturarum, sed Dei opus est. Vt enim potentia mundialis apud creaturas valet, sic in conspectu Dei prorsus dissipatur. Quò spectans Amos c. 9. ait: *Ecce oculi Domini super regnum peccans, & conterã illud à facie terræ.* *Amos 8.* Expende quid conteratur, & pereat sub oculis Domini, nimirum *regnum peccans*, potestas, & valentia regalis, quæ creaturarum oculos rapit, & apud omnes creaturas bene audit, sub diuinis

oculis

oculis prorsus conteritur. Ambi potestatem, qui apud creaturas vis valere; fuge potestatem, qui vis promoueri in oculis Dei. Triginta & octo annis iacuerat iuxta Probaticam piscinam homo languidus, & nunquam obtinuerat sanitatem, *Ioan. 5.* Ioan. 5. *Hunc illi vidisset Iesus iacentē, & cognouisset, quia iam multum tempus haberet, dixit ei: Vis sanus fieri? Respondit ei languidus. Domine hominem nō habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam; dum venio enim ego, alius ante me descendit. Dicit ei Iesus: Surge, &c.* Defectus virium, & auxiliatoris impedimento erat homini ne salutem consequeretur ex aquis, consecutus tamen est eam ex Iesu. Et cur virium defectus, qui impediebat salutis consecutionem ex aquis, non similiter impediuit, ne ex Iesu obtineretur salus? Mouebat Angelus aquas, & apud creaturas potentes viribus valent, erat Iesus Deus, in cuius oculis non potestas mundialis, sed infirmitas obtinet principatum. Ex quo D. Cyril. Alex. lib. 6. in Ioan ponderabat *Cyr. Alex.* Christiani baptismi virtutem supra virtutē probaticæ aiens: *Tempore huius piscinæ infirmitas impedimentum volenti curari fiebat: nam impediebat, ne quis prius alius in aquam descenderet, & curaretur. Nunc autem ad lauacrum baptismi vnusquisque accedere potest, non enim Angelus est, qui turbat aquam, sed Angelorū Dominus, qui omnia operatur.* Quando Angelus, quando creatura turbabat aquas, tunc valentes viribus, pollentes auxiliatoribus obtinebant sanitatem; iacebant, & peribant viribus, & auxiliis destituti; infirmitas enim impedimēto est quibusque in cōsessu creaturarum. Vbi autem vox Domini in aquis turbatur, non languor, non infirmitas impedit sanitatē, sed quicumque infirmus accedit, is promouetur; & solæ conteruntur potestates mundiales. Quo eleganter respiciens Psal. 28. *Psal. 28.* ait: *Vox domini super aquas, Deus maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas. Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia. Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani.* Ecce tibi inter Dei magnificas voces, vbi inter aquas intonat, qui pereant, qui confringantur, nimirum cedri Libani, hoc est, mundiales, & euanidæ potestates. Vt dicat D. Basil. in præsenti: *Sicut in magnifica anima fit vox Domini, sic* *D. Basil.* *etiam temere inflatos superbia, tumidosque ob ea, quæ in hac vita sublimia, altave existimantur, vt sunt gloria, imperium, elegans corporis forma, vires, ac robur, confringere Deus dicitur.* Nihil in mundo sublime, potensque apparet, quod in conspectu Dei non pateat ruinæ.

§. XXVI.

Quod suorum amantissimus Deus illos malis permittat, facinus est diuinæ potestatis quasi miraculosum.

SEro licet, fatentur Aegyptij commune diuinitatis opus, quod star pro amicis; dicunt enim, *Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Quid enim magis commune amanti Deo, quam stare pro amicis suis, pugnare pro illis, eorum repellere contrarios, ne malum inferant? Quod si quando Deus amicos suos malis permittit; id extra congenitam diuinitatis operationem est, & opus quasi miraculosum. *Ioan. 11.* Ioan. 11. Lazarus in lethalem incidit languorem, de quo certior fit Iesus à sororibus. Quid tunc? Ait text. *Audiens autem Iesus dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam. Diligebat autem Iesus Martham, & sororē eius Mariam, & Lazarum.* Dicit Lazari infirmitatē esse pro gloria Dei, & statim addidit illud: *Diligebat autem Iesus Lazarum, &c.* Quid quod Iesus diligeret Lazarum cum eo, quod eius infirmitas erat pro gloria Dei? Imò quia diligebat hominē, eius infirmitas nō pro gloria Dei, sed pro humiliatione, & tristitia videretur esse. Quādo enim infirmitas alicuius non magis spectat ad tristitiam, quam ad gloriam amantium? Cur ergo summisit Lazarum dilectum à Deo, vt eius infirmitatem ostenderet esse pro magna gloria Dei? Equidem vt Lazarus dilectus erat à Deo, infirmitas eius non poterat non spectare ad magnam Dei gloriam, quando quod Deus permittat amicos suos in malis esse, inter multa diuinitatis opera præstantissimum facinus est. *Cyr. Alex.* Ait Diuus Cyrillus Alexandrinus libr. 7. in Ioannem, cap. 24. *Inter omnia miracula, quæ Dei filius vt suam panderet diuinitatem operatus est, supereminet hoc, & quasi quendam obtinet principatum, quod circa Lazarum fecit. Equidem singula opera eius admiratione dignissima sunt. Quis enim non magnopere admiretur, quod Christi iussu, & virtute claudi rectis gressibus incesserunt, quòd mutis linguarum claustra soluta sunt, quòd cæcorum diu clausa lumina tactu sacræ manus eius reserata sunt? Sed hæc omnia parua ad ingentem Christi potentiam, & maiestatem videbantur, nisi amicus eius Lazarus moreretur.* Quid pulchrius? In paruis numerat cæcorum lumina restituta, claudorum, mutorum curationes respectu diuinæ maiestatis ostensæ in eo, quod Lazarus amicus Dei morti permitteretur. Et quando ad ingena diuinitatis opus non pertinebit, quod dilecti morbis, *Ad Heb. 2.* doloribus permittantur? Paul. ad Hebr. c. 2. ait: *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quē omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem cōsummare.* Quidquid in creaturis mirabile, & gloriosum est, & fuit, iam Deus effecerat; vltra quæ decebat illum aliquid aliud facere. Et quid hoc erat, quod supra omnia mirabilia creata adhuc amplius decebat Deum? Ait Paul. *Authorem salutis eorum per passionem consummare.* Quid ait Paule? Cur post omnia mirabilia facta adhuc requiris, vt filius Dei per passionem, & mortem crucis consummaretur? Est ne passio crucis ad consummationem perfectionis, & potestatis diuinæ efficacior, quàm omnia mundi miracula? Hinc D. Chrysost. hom. 3. in *Chrysost.* præsenti fatur: *Ergo passiones perfectio sunt, & causa salutis. Si vero in hoc primum honorauit filium Deus, vt per passiones eum induceret, re vera multo melius est carnem suscipere, & pati, quæ passus est, quàm hunc mundum facere, & ex nullis præexistentibus proferre.* Cōsule Philosophos, & dicent tibi, infinitæ virtutis esse, quod aliqua res ex nihilo fiat; Chrysost. autem adhuc melioris virtutis putat fuisse dilectum filium Dei mortalitati, & cruci tradi. Infinitudinem virtutis ostendit Deus in educendis creaturis ex nihilo, in miris aliis operibus patrandis: sed ibi consummationem suæ virtutis effecit, ibi melius aliquid addidit, vbi dilectissimum filium in cruce reliquit consummari. Miraris hoc? Accipe aliud, in quo mirere magis. Vt permissus est Iesus mori: sic mori permissus fuit Lazarus. In quo ergo magis diuinitatis virtus claruit? Sane non erit absurdū, si putes vtrumque intra idem admirādæ virtutis genus claudi? Ait D. Cyril. Alex. lib. 7. in Ioan. c. 21. *Itaque virtuti quæ bonū,* *Cyr. Alex.* *& quod Lazarus mori sit passus, & ipse in cruce permanserit, admiranda eius prouidentia, & diuina dispensationi est attribuendum.* Coniungit vir sanctus sub eadem admiranda Dei prouidentia, & quod Christus in cruce, & Lazarus in morte permittuntur, quasi hæc iunctim Deo meliora sint, quam mundū facere, & ex nullis præexistētibus procreare. Mirum enim est, *Matth. 15.* quod suos in angustiis esse diutius patiatur. Matth. 15. Chananeæ fœminæ diuinitatem eius credenti, & prædicanti, vel non respondet Dominus, vel cum responso maiorem dolorem causat, aiens: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Qualis hæc asperitas in Iesu respectu humiliter de- *Origen.* precantis? Orig. putat illam esse miraculum, quippe hom. 7. de diuersis, ait: *Latronem liberasti, meretricem virginibus praetulisti, & solam miseram hanc mulierem Chananæam despicis deprecantem. Quid est hoc verbum, inauditum miraculum?* Sane mirum est in Deo verbum, quod fidelem animam permittat angi.

Exod. 14. Ait Dominus ad Moysem: Extende manum tuam super mare, vt reuertantur aquæ ad Ægyptios, super currus & equites eorum. Cumque extēdisset Moyses manum contra mare, reuersum est primo diluculo ad priorem locum. Fugiētibusque Ægyptiis occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus. Reuersæque sunt aquæ, & operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare, nec vnus quidem superfuit ex iis. Filij autem Israel perrexerunt per medium sicci maris, &c.

§. XXVII.

Tentationes impiis (ipsorum culpa) aditum occludunt ad vitam, quem iustis relinquunt apertum.

QVæ à dextris, & sinistris stabant aquæ apertam viam facientes Israelitis, vt in littora pergerēt, reuersæ & viam occludebant, & Ægyptios operiebant, ne viuerent. Sic enim ait textus: *Reuersæ aquæ operuerunt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis: nec vnus quidem superfuit ex eis. Filij Israel autem perrexerunt per medium sicci maris.* Erant aquæ Aegyptiis impedimento,

impedimento, quo inuoluebantur, ne progrederentur, sed submersi perirent, Israelitis autem erant clarissimæ viæ ad pergendum indices. Sic tentationum tempestas impiis claudit, iustis autem aperit viam ad salutem. De frementi, & procelloso mari, ait Dominus Iobi c. 38. *Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia.* Ex Græco legitur. *Et posui illi terminos, & imponens claustra, & portas.* Itaque frementibus maris fluctibus, præterquam quod Deus posuit terminos, hoc est, furendi mensuram, insuper addidit claustra, & portas. Sed ad quid claustra ponuntur, vbi simul, & portæ sunt? Portæ sic claudunt, vt simul aperiant, & dent locum euasioni; claustra autem solum claudendis, obstruendisque exitibus deseruiunt. Ad quid ergo ponuntur fluctibus claustra, quæ semper claudant; si simul ponuntur portæ, quæ aperiri possunt? Id habent proprium fluctus tentationum, & claustra habent impiis, & iustis portas; claustris sic implicant nefarios, vt vodis inuoluti maneant internecioni; portis locum præbent iustis, vt in salutem pergant. Ait D. Aug. ibi: *Terminos posuit, quibus sæuitia cohibeatur, non vt nihil affligat, sed quousque exerceat: claustra, vt iniusti non progrediantur: portas, vt ab eis iusti egrediantur.* Habent equidem tentationes claustra, & portas, vt egrediantur iusti per portas, vt per claustra occludantur in pœnam proterui peccatores. Aiebat per Amos Dominus c. 9. *Ponam oculos meos super eos in malum, non in bonum. Et Dominus Deus exercituum, qui tangit terram, & tabescet: & lugebunt omnes habitantes in ea, & ascendet sicut riuus omnis, & defluet, sicut fluuius Ægypti.* Ecce tibi vt Deus in malum pœnæ respicit habitatores terræ; dolores, & conturbationes multiplicans super terram, quibus vniuersi affligantur, & in planctus lachrymasque eant. Sed quo tot malorum fluctus spectabunt? Ipse ait: *Ascendet sicut riuus omnis, & defluet sicut fluuius Ægypti.* Sanè omnis riuus, omnis aqua, quæ Israelitas videbat, in altum ascendebat, vt progrederetur populus, sic maris fluctus, sic Iordanis vndæ: at vbi Ægyptios nacta fuit aqua maris, tota defluxit, & illos submersit. Sic omnis tentatio, omnis calamitas, & asperitas veniens super terram, respectu iustorum ascendet sicut riuus omnis, dans viam ad salutem illis, vt omnis riuus dedit Israeliticis populis; respectu autem impiorum, defluet sicut aqua super Ægyptios tradens illos internecioni. Quam differentiam in omni tentatione, & asperitate agnouit D. Chrysost. hom. 31. in Matth. fatus: *Sicut ergo omnis tentatio fideles quidem ædificat magis, infideles autem destruit amplius: sic & omnis increpatio, disciplina religiosum hominem meliorem facit; irreligiosum autem, & malum conturbat, & ad deterius ire compellit.* Sic tribulatio, & tentatio viam salutis aperiens, illam quasi obstruit reprobis. Sed præstat adhuc eumdem locum Amos premere iuxta Septuaginta lectionem atentium: *Obfirmabo oculos meos super illos in mala, & non in bona. Dominus Deus omnipotens, qui tangit terram, & commouet eam, & lugebunt omnes habitatores eius, & ascendet sicut fluuius consummatio eorum, & descendet sicut flumen Ægypti.* Loquitur de Deo immittente pœnas, & afflictiones, de quo ait: *Et ascendet sicut fluuius consummatio eorum, & descendet sicut flumen Ægypti.* Dupliciter enim se habet Dominus vexans homines, vel ascendens sicut fluuius per tribulationum fluctus consummans, & perficiens, & purificans iustos, vel descendit sicut flumen Ægyptios rebelles perimens. Ait D. Hieron. ibi: *Cum Deus omnipotens tetigerit terram, intelligentes scelera sua vertentur in luctum, & ipse Dominus dupliciter ascendet, atque descendet. Ascendet super sanctos, quasi fluuius consummationis eius: id est, terra, vt opera eorum terrena consumat. Descendet super peccatores sicut flumen Ægypti, vt in tormentorum amaritudinem impetu Domini detrudantur.* Huc tendunt rapidissimi calamitatum fluctus currentes per terram, vt iustis viam pateant mundam in cœlum, impiis autem, & claustra impenetrabilia opponant, & præcipitia effingant æterna. Vt meritò dicat Tertull. lib. de Fug. in persecut. *Hoc nomen, iudicium, est persecutio, per quam quis, aut probatus, aut reprobatus iudicatur. Hæc palea illa, quæ & nunc dominicam aream purgat, confusum fidelium aceruum euentilans, & discernens frumentum martyrum, & paleas negatorum. Hæc etiam scala, quam somniat Iacob, aliis ascensum in superiora, aliis descensum ad inferiora demonstrantes.* Et quidem pulchris exemplis ventilabri, & scalæ Iacob tam tentationis tribulationisque monstrauit, vt alios saluti, alios, & ruinæ, & fornaci tradat. Quò etiam spectat Nahum: dum enim calamitates Niniuitis denuntiaturus accingitur, sic incipit cap. 1. *Onus Niniue liber visionis Nahum.* Quid visio cum onere? Ait Rupert. ibi: *Perfectio prophetia hac aliis onus est damnationis, aliis liber est consolatoria visionis.* Nunquam enim calamitas non infert onus damnationis reprobis, & iustis libertatis visionem.

Iob 38. *D. Aug.* *Amos 9.* *Chrysost.* *Amos.* *Hieron.* *Tertul.* *Rupert.*

Exod. 14. Liberauitque Dominus in die illa Israel de manu Ægyptiorum, & viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, & manum magnam, quam exercuerat Dominus contra eos. Timuitque populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moysi seruo eius.

Cap. 15. Tunc cecinit Moyses, & filij Israel carmen hoc Domino. Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum, & ascensorem deiecit in mare, &c.

§. XXVIII.

Beneficia diuina superant hominum petitiones, imò & cognitiones.

CLamauerat populus, & Moyses ad Deum, vt ab Aegyptiis insequentibus liberarentur, at Deus, & mare diuisit, & viam mari fecit, & Aegyptios submersit, & submersos, & mortuos, fecit in maris littore apparere, vt inde, & plurima spolia, aurei ornatus, & validissima arma acciperent Israelitæ, quibus & se ornarent, & protegerent. Ait textus: *Liberauitque Dominus in die illa Israel de manu Ægyptiorũ, & viderunt Ægyptios mortuos super littus maris.* Et quidem corpora suffocatorum non poterant tam citò apparere in littore, nisi Deus illa miraculosè traxerit, vt & ornatus eorum, & arma Israelitas implerent. Quod notat Lyra, & Iosephus, & Sap. 10. dicitur: *Ideo iusti tulerunt spolia impiorum, &c.* Quid magnificentius? Pro vna liberatione clamabant Israelitæ? Et Deus etiam dedit illis multa quæ nec petebant, nec cogitabant, nimirum quod cadauera hostium adnatarent littoribus ante tempus, ferentia aureos ornatus, & arma multa, quibus in aliis discriminibus protegerentur. Is equidem est Deus qui plura tribuat, quàm vel excogitamus, vel petimus. Apud Isaiam cap. 38. Ezechias Rex moribundus orabat, & flebat pro salute corporis obtinenda, & ait illi propheta ex Dei nomine: *Ecce ego adiiciam super dies tuos quindecim annos, & de manu regis Assyriorum eruam te, & ciuitatem istam.* Quid ais Domine? Ezechias solum petit ab inferis reuocari in vitam, cur tu, & hæc præstas, & insuper addis illius victorias aduersus Assyrios, & ciuitatis liberationem? Is est Deus, qui nesciat dare, nisi & det supra id quod nos postulamus. Ait Hieron. ibi: *Adiiciuntur quindecim anni ad vitam, quos non postulauit, & insuper viuente eo, regni securitas repromittitur.* Vincunt beneficia diuina hominum postulationes. Sic dum Zacharias oblitus sterilitatis suæ orabat pro Messiæ aduentu, Luc. cap. 1. responsum est illi ab Angelo: *Ecce oratio tua audita est: & vxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem: & erit gaudium tibi, & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt.* Quid diuinius? Vnum petebat ille populorum salutare, & præter hoc datur ei filius, & talis filius, cum quo & parentum, & aliorum multorum gaudia nascantur. Pulchrè ibi D. Ambr. *Plena semper, & redundantia sunt diuina beneficia, non exiguo constricta numero, sed vberi bonorum coaceruata congestu, vt hic primo precationis fructus, deinde sterilis partus vxoris, cum lætitia plurimorum, & magnitudo virtutis, Altissimi quoque propheta promittitur.* Multis excedunt beneficia diuina vel petentium cogitationes. Quantumuis enim quis largus sit in petendo, profusior est semper Deus in tribuendis donis, qui nunquam non supra petitum multa largiatur. Apud Gen. c. 2. *Formauit igitur Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* Vbi autem dicitur Deus inspirasse in faciem hominis spiraculum vitæ, concors est, & Patrum, & Theologorum sententia, ibi debere intelligi creationem animæ rationalis multis supernaturalibus virtutibus & donis adornatæ; iam enim tunc fulgebat aureo peplo iustitiæ originalis. Sed corpus humanum ex se, & iuxta suam naturã non hæc postulabat, solum enim petebat formã, & animã in sua substantia naturali. Cur ergo supra corporis petitũ tot supernaturalia dona iustitiæ originalis dantur, præcipue ei, qui omnia illa pessundabit? Et quæstionem, & solutionem proponit Philo lib. 1. de Allegor. fatus: *Quærat aliquis, cur Deus terrigenã, & corpori additã mentẽ spiritu diuino dignatus sit?*

Sap. 10. *Isa.* 38. *Hieron.* *Luc.* 1. *Ambr.* *Gen.* 2. *Philo.*

Respondendum,

Respondendum, quod benignus cum sit Deus, largitur bona omnibus etiam non perfectis, ostentans immensas suas diuitias, quod sufficiant etiam his, qui non magnam vtilitatem inde capiunt. Quoties enim pluit in mare, fontes producit in locis desertissimis, vacuam, & asperam, sterilemque terram rigat inundans fluminibus, quid aliud exhibet, quam nimietatem diuitiarum benignitatisque suæ? Nescit Deus beneficia sua circinare iuxta pretium, & exigentiam creaturarum, imò etiam plura largitur, & super omne petitum multa spargit siue in naturalibus, siue in supernaturalibus.

§. XXIX.

In aliorum supplicio peccatorum, sic homo iudicem cælestem in suis timeat peccatis tanquam in re iudicata.

VIdent Israelitæ mortuos Ægyptios infestissimos hostes suos, & tunc Dominum timent. Ait textus: *Viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, & manum magnam, quam exercuerat Dominus contra eos. Timuitque populus Dominum.* Vides Deum animaduertentem in hostes tuos, & times? Cur non magis amas tantum liberatorem? Cur in tuorum hostium ruina non magis timorem expellis? Quæ ibi res timoris apparet? Equidem supplicium Ægyptiorum res erat maximi timoris Israelitis toties aduersus Deum rebellantibus; quãdo in supplicio Ægyptiorum, & simul apparebat causa eorum iudicata. Crede mihi, cum videas peccatorem punitum, time & tibi tanquam à re iudicata, si fueris in similibus peccatis. De Spiritu sancto locutus Iesus Ioan. 16. ait: *Cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia non credunt in me. De iustitia verò, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me. De iudicio autẽ, quia princeps huius mundi iam iudicatus est.* Expende hanc vltimã damnationem mundi à Deo faciendam, & rationem eius; nimirum arguet Deus mundũ de iudicio, *quia princeps huius mũdi iam iudicatus est.* Et quid interest, quod diabolus dãnatus, & iudicatus sit, ad hoc, vt debeat etiam mundus damnari, & iudicari? Planè quæuis sententia lata aduersus vnum peccatorem, non solum illum, sed & vniuersos illi similes comprehendit; in qua omnium posterorum causæ apparent iudicatæ & damnatæ, vt merito debeat eadem timeri ab eis calamitas. Ait Rupert. libr. 1. in Nahom: *Quomodo ergo in iudicio mundum arguebat, nisi quia mundo vidente, & admirante singula draconis capita ita condemnabat, vt in quandam similitudinem iudicandi principis mundi Pharaonem obrueret mare, canes comederent Iezabel, Nabuchodonosor quasi bos fieret, Aman in patibulo, quod alteri parauerat, ipse penderet, Antiochus Epiphanes sua manu interitus periret? Ita nimirum de iudicio mundus iam tũc arguebatur, quia videns prodigiosas vindictas impiorum ab impietate non recedebat.* Itaque vbi principem mundi, vbi Pharaonem, Iezabel, Nabuchodonosorem, Amanem, Antiochum spectante mundo puniebat; iam tunc in illis omnem mundum in impietate manentem damnabat, qui sub illorum sententia cõprehendebatur. Quisquis enim videre iudicium suum cupit, non expectet venturum iudicem, non finale tribunal, non sententiam proferendam in vltimo examine. Vertat oculos ad iudicia exercita antiquitus in mundo; videat Sodomam sulphureis ardentem flammis, & suæ luxuriæ easdem decretas pœnas audiat; videat voratos Abyronis factionarios, & caueat ambitionem, tanquam rem iudicatam, & similiter damnatam. Quidquid pœnarum in alios peccatores venerit, easdem tuis flagitiis time, nisi caueas. Et quando quæ semel in aliquo damnata crimina sunt, non similem damnationem ostendunt in sequentibus? De Iuda dixit Petrus Actor. 1. *Suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius.* Sub qua pœna postea Arrium notat D. Ambros. vt eiusdem criminis reum. Dicit enim libr. 1. de Fide cap. 9. *Crepuit Arrius, sicut de Iuda Petrus Apostolus dixit, quia in faciem prostratus crepuit medius, & effusa sunt omnia viscera eius. Non est fortuita mors vbi in sacrilegio pari pœna parile processit exemplum, vt idem subirent supplicium, qui eundem Dominum negarunt, & qui eundem Dominum prodiderunt.* Expende illud, *Non est fortuita mors, &c.* quippe quod Arrius creparet medius, non fuit mors fortuita, quando iam in similis criminis reo Iuda illa fuerat ostensa & decreta. Quæ enim vni impio pœna decernitur, eadem manet similes sequentes. Huc refer dicta *tom. 4. in Euang. lib. 16. cap. 22. §. 18.*

Ioan. 16. — *Rupert.* — *Actor. 1.* — *D. Amb.*

§. XXX.

Nullo magis claret Dei minister, quam in puniendis proteruis.

VIsis Ægyptiis submersis, & timent sibi, & credunt Deo, & Moysi, quippe ait: *Viderunt Ægyptios mortuos &c. Timuitque populus Dominũ, & crediderũt Domino, & Moysi seruo eius.* Expẽde illud, *& Moysi seruo eius*, ex tunc enim indubitanter putarunt Moysem verũ Dei seruũ, & ministrũ. Caiet. *Moysem Dei famulũ admirãtur, & colunt, & prophetam omnipotentis Dei esse persuasissimũ habent.* Et quidem sapienter sibi indubitanter persuadent Moysem Dei famulum, & ministrum esse, cum vident per illum tot rebelles, & proteruos peccatores extremæ ruinæ datos. In nullo enim magis claret minister Dei, quàm in proteruis peccatoribus exterminandis. De eo, qui vice Dei dominatum exercet, locutus Dominus Gen. 1. ait. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis terræ, omnique reptili, &c.* Ecce tibi, qui vices Dei agit in creaturis gubernandis, vt iubetur præesse piscibus, animantibus, volucribus, reptilibus. At in piscibus, in animantibus, in volucribus multa sunt præstantissima, & ad humanos vsus apta, & quæ clarissimè referant virtutes humanas. In reptilibus autem nihil non venenosum, & in viuentium malum inclinatum. Qualiter ergo Dei vices homo aget in regno? An omnia simul, & etiam venenosa reptilia ducendo ad pascuam? Absit; imo nullo magis se Dei vices agere ostendet quam venenosa, & mala exterminando. Ait Anastas. Sinait. lib. 7. Exam. *Qui dominatur animalibus, & piscibus, & volucribus iussu Dei, dicit leoni, veni, & venit; aquilæ, ingredere, & ingreditur; & pisci, appropinqua, & obedit; & draconi, peream, & statim expirat.* Expende, quid dicat Draconi verus Dei minister, & vicarius, nimirum, *Draconi dicit, pereas.* Qui cum aliis animantibus blandè egit, blanda, & suauia illis verba faciens, Draconi nullum suaue verbum, sed lethale, sed prorsus exterminans facit. Sic verus Dei minister inde claret, quod proteruis peccatoribus ruinam pariat. Quò tendebat Psal. 2. de filio Dei peccatores proteruos conterente aiens: *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Et nunc reges intelligite; erudimini, qui iudicatis terram, Seruite Domino in timore.* Præmittit Deum conterentem peccatores, & vocat illuc reges, & iudices terræ, vt inde capiant doctrinam, & intellectum, quibus Deo seruiant. Ait enim: *Seruite Domino in timore.* Sed cur reges, & iudices præcipuè monet, vt Deo seruiant? Nonne hoc commune debet esse omnibus hominibus? Sanè omnes homines Deo seruire debent in timore. Cur ergo maluit id nunc petere ex Regibus? Præmiserat Dei filium pœnas sumentem de peccatoribus, in quo non homines alij, sed reges, & iudices debent se Dei seruos ostendere. Ideo hos præcipuè nunc vocat, vt Domino seruiant. Ex quo aiebat Diuus Augustinus epistola 50. *Quomodo reges Deo seruiunt in timore, nisi ea quæ contra Domini iussa fiunt, religiosa seueritate prohibendo, atque plectendo? Aliter enim seruit, qui homo est, aliter, qui etiam rex est. Quia homo est, ei seruit viuendo fideliter; quia verò etiam rex est, seruit leges iusta præcipientes, & contraria prohibentes conuenienti vigore sanciendo. Sic seruiuit Ezechias lucos, & templa Deorum destruendo. Sic seruiuit Darius, idolum frangendum in potestatem Danielis dando, & inimicos eius leonibus ingerendo.* In hoc se maximè Dei seruos ostendunt reges, & iudices, si impios, & nefarios homines viuere non consentiunt. Hinc Salomonis sanguinolenta regnandi initia eius virtutem commendant. Quippe vix solium paternum occuparat. 3. Reg. 2. & ait: *Viuit Dominus, qui firmauit me, & collocauit me super solium Dauid patris mei, & qui fecit mihi domum, sicut locutus est; quia hodie occidetur Adonias, &c.* Cur non magis parcit fratri rex, qui tunc in deliciis erat Deo? Ait Theodor. quæst. 7. *Quidam reprehendunt Salomonem, quod fratrem suum occiderit. Diuersa est hominum vita. Nam alij quidem summam exercent philosophiam; alij virtutem politicam ac ciuilem, alij regiam, aut imperatoriam. Oportet ergo vnumquemque examinare ex vita, quam sequitur ratione. Non est itaque à Salomone exigenda prophetica, neque Apostolica perfectio, sed ea quæ regi conuenit.* Vt enim Apostolicum est omnibus parcere, sic est regium impios internecioni dare.

Caiet. — *Gen. 1.* — *Anast. Sin.* — *Psal. 2.* — *D. Aug.* — *3. Reg. 2.* — *Theodor.*

§. XXXI.

A passione, & cruce Dominica morum concinnitas in homine apparet.

POst maris rubri transitum Moyses cum Israelitis in cantica abiit, & carmina. Dicit enim textus: *Tunc cecinit Moyses, & filij Israel carmen hoc Domino.* Itaque Moyses post superatum mare carmen Deo condidit, at Noa Gen. 8. post diluuiũ superatum condidit altare. Sic enim habes ibi: *Ædificauit autem Noe altare Domino, &c.* Et cur similiter Moyses non magis de altari ædificando, quam de carmine condendo tractauit? Cur non magis amauit altaria, & holocausta de more patrũ, Deo facere, quam sine exemplo & carmina, & cantica litare? Forsan rationem indigitans D. Prosper. de Promission. par. 1. cap. 38. inquit: *Vindex aqua sacrata verba, rubrata sanguine, ligno crucis in mysterio virga percussa, salutem ad saluatorem venientis ministrauit.* Et quidem de tot passionis, crucisque Dominicæ figuris non miror, quod Moyses magis impellatur in carmina, vt ostendat, quam consonos mores, quantamque in modo viuendi trahat homo ex crucis mysterijs concinnitatem. Quo spectans D. Method. hom. in sanctam cruc. apud Gretherum tom. 2. fatur. *Homo expansis manibus crucem repræsentat. Vnde ad ipsa figura, qua ab origine eum condiderat, ornaueratque, conformatum Dominus Deitati copulauit, vt organum deinceps esset Deo sacrum, omnis dissonantiæ, & inconcinnitatis expers. Neque enim homo, postquam ad Dei cultum informatus est, veritatis incorruptum velvti cantum concinnauit, ac per illum Deitatis factus est capax, ligno vitæ fidium, neruorumque instar applicitus ad dissonantiam, & corruptionem potest redire.* Expende illa; *Ligno vitæ fidium, neruorumque instar applicitus, &c.* quippe homo crucis ligno applicatus fit veluti fides, neruique, quæ citharæ applicantur, ex quibus nil non numerosum, & concinnum audias. Vt ex ligno, & fidibus instrumentum fit, quod dissonantiam ablegat, & consonam, & concinnam melodiam pariat: sic ex cruce, & homine non nisi numerosa morum concinnitas halatur. Vnde Cant. 7. aiebat ille: *Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum?* Sunamitidem vocat Synagogam, quæ post passionem & crucem ad Christum conuersa est. In hac ergo, in qua antea tot erant dissonantiæ, post Christi crucem, nil in illa apparet nisi chorus, nisi perfecta morum concinnitas. Id quod pulchre ponderat Guilhelmus Abbas apud Delrium ibi: *Ecce in dies ad te conuertitur Sunamitis. Multum antea à te auersa, cum super te clamaret: Crucifige, crucifige. Ecce qui sanguinem tuum tum impiè fuderunt, ipsum nunc piè lambunt. Quid ergo videbis in Sunamitide conuersa, atque reuersa, nisi choros castrorum? In Sunamitide auersa tam grande piaculum, in Sunamitide vero conuersa chori, & chori castrorum, chori armati in voce exultationis & confessionis. Suauis quidem & nihilominus terribilis virtutum concentus. In crucifixoribus tuis, qui tam viri se pietate fidei euacuauerunt scandalum crucis, non inuenies in die vltionis reatum illum magnum, sed concentum quemdam virtutum.* Quid pulchrius? Illi ipsi, qui distonas & peruersas dabant voces dicentes, *Crucifige,* modo fide percepta, & cruce, passionisque saluatoris fideliter applicari nil sciunt resonare nisi suauem virtutum concentum, & concinnitatem. Neque in iis inuenies aliud, quam perfectam morum melodiam, etiamsi velis illos vltimi examinis lucernis scrutari.

Gen. 8.

D. Prosp.

D. Meth.

Cant. 7.

Guilliel.

§. XXXII.

Absurdum & turpe est, quòd multus sis in carminibus concinnandis, & nullus in concinnandis moribus.

PRo gratiis Deo exhibendis solebant antiqui Patres, & altaria & holocausta facere; vt patet in Abele Gen. 3. in Noe Gen. 8. in Abrahamo, Iacobo, & aliis. At qui non holocausta, sed carmina Deo faceret, primus sanctorum omnium inuentus est Moyses in præsenti. Dicit enim textus: *Tunc cecinit Moyses, &c.* Cur & primi maluerunt holocausta, quam carmina Deo facere, & hic maluit carmina, quam holocausta? Sanè nunc in maris mysterio abolitio vitiorum omnium ostendebatur, virtutumque triumphus, & ouatio. Nunquam autem tempus aptius fuit condendis carminibus, quam vbi vitiorum dissonantia abolita ad virtutum concentum currebatur. Turpissimum namque semper esset, quod studium impenderetur concinnandis carminibus, cum in vitium esset distracta tota vita mortalium. Quo spectans Euseb. Cæsariensis in cat. Græc. fatur: *Hoc primum cecinerunt canticum filij Israelis, cum sicco pede rubrum mare transiuissent, cumque insequentes Ægyptios vndis obrutos, & demersos factos simul cum curribus, & equis spectassent.* Nihil Ægyptium, nihil sordidum non demersum, & abolitum videntes, tunc primum cecinere carmen. Absurdum enim fuisset, dum dissoni Ægyptiorum mores in se vigerent, in carminibus condendis, concionandisque occupari. Ex quo sapienter D. August. epist. 39. monebat Licentium nobilem iuuenem Musis deditum: *Si versus tuus momento inordinatis peruersus esset, si suis legibus non staret, si mensuris imparibus aures audientis offenderet, puderet te certe, nec differres, nec desisteres, donec ordinares, corrigeres, statueres, æquares versum tuum, discendo, & agendo artem metricam acerrimo studio, & labore quolibet. Quod cum inordinatus ipse peruerteris, cum legibus Dei tui ipse non stas, neque in agenda vita honestis tuorum votis, & huic ipsi eruditioni tua concinis, abiiciendum post tergum putas, & negligendum, quasi præ sono lingua tua sis tibi & voce vilior; & incompositis moribus quod offendis aures Dei, leuius sit, quam si incompositis syllabis tuis grammatica succenseret authoritas.* Quid pulchrius? Sanè turpissimum est, quod multo studio procures, ne in carmine tuo, vel syllaba dissonet, & post tergum mittas, negligasque morum apertissimam dissonantiam in vita tua. An minus timendus est syllabarum trutinator rigidus, quàm seuerus operum iudex? An maior gloria in benè ordinatis syllabis, quam in concentu virtutum? Quæ est nostra desidia, & stultitia? Sanè ille veram gloriam attingit, cuius concinnitas in carmine index est concinnitatis in vita. Hinc maximè extollit amicum Drepanius epistol. ad Vulfinum, inquiens:

Gen. 3. 8.

Euseb.

August.

Annuus excurrit reuolutis mensibus orbis,
Quod tua vox nostris auribus insonuit.
Tam nitidis chartis, tam claris culta figuris,
Vt specimen cordis pagina pulchra daret.
Sic liquidas puteus profundis largiter vndas,
Et rapidus rapido feruor ab igne salit.
Sic rutilus rutilum vomit & carbunculus ignem,
Puraque fert purus vina venusta calix.
Sed mihi mellifluum rapuit fera inuida carmen, &c.

Sic pulchris similitudinibus extollit hominẽ, cuius in carminis concinnitate, & elegantia ostendebatur, & personæ concinnitas, & vitæ claritas. Vt purus calix, qui pura vina ostentat, vt rutilus carbunculus, qui radios rutilantes iaculat. De pueris Hebræis negantibus adorationem aureæ imagini, & propterea in fornacem eiectis, ait Daniel c. 3. *Laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace dicentes: Benedictus es Domine Deus, &c.* Cum sic se componunt, vt Deo vero soli seruiant etiam in mediis tormentis; tunc metricam orationem fundunt ipsi Deo. Vt dicat Theodor. ibi: *Optimam symphoniam suam, & admirabilem cantum ei concentui, qui statuæ adhibebatur, opponentes; simulque ostendentes, quando non adorasse præstantius esset.* Erant Babyloniis symphoniæ, & cantus, quibus adiungebant adorationem imagini aureæ præstitam. Quid dissonantius? Quid turpius? Huic turpitudini sese opponunt tres pueri & metricæ cantioni suæ, quam fundunt Deo, adhibent symphoniam suam optimam, nimirum vitam immaculatam, quæ imagini adorationem neget. Et id præstantissimum est, vt vitæ concinnitas respondeat cantici versibus.

Daniel 3.

§. XXXIII.

Concors multorum laudatio in Deum efficacior, & præstantior cunctis veteris legis holocaustis.

ADhuc mirandum est, quod Moyses post maris rubri trãsitum non holocaustis arietum, vt Noe, sed cantu & voce Deum honorauit. Quippe ait: *Tunc cecinit Moyses, & filij Israel carmen hoc Domino.* Et cur non magis obtulit arietes in holocausta, quam cecinit carmen? Ait textus: *Cecinit Moyses, & filij Israel;* vbi autem concors est multorum in Deum laudatio, longe præstantior est, & efficacior cunctis arietum holocaustis. Hinc lætabundus sponsus ait Cant. 7. *Quid videbis in Sunamite nisi choros castrorum?* Et quidem Sunamitis hæc, nimirum Synagoga, antiquitus habebat holocaustorum, hostiarumque ingentem multitudinem, qua singulis diebus Deum honorabat. Quorum omnium quasi immemor sponsus, dum illam ad se conuersam videt, vnum hoc proponit in ea omnibus mirandum, nimirum quod choris castrorum scateat. Et cur in illa non videantur agnorum millia, & turturum, & columbarum, & arietum, & vitulorum, & suffituum pretiosissimorum? Cur, iis prætermissis, chori magis proponantur

Cant. 7.

nantur mirandi? In choro est multorum concors laudatio, qua Dei magnalia celebrantur, quæ longe superat vniuersa animalium holocausta. Pulchre in præsenti Rup. ait: *Quid videbis aliud in Sunamite? Numquid sanguinem victimarum? Numquid circumcisionis cauterium? Nihil omnino nisi laudes, nisi cantiones psallentium, psalla laudantium, quod suauissimum, quod vere est pulcherrimum. Igitur hoc solum in Euangelio videndum, ac prouidendum est secundum fidem Patrum, vt sint chori castrorum, chori in vna fide dicendo idipsum.* Vbi chorus est conuenientium in diuina laude, non ibi requiras amplius victimas animalium. Nunquam non efficacissima est apud Deum multorum concordia in eius laude. Dicebat namque Dominus Ionæ cap. 4. *Ego non parcam Niniue ciuitati mea magna, in qua habitant plures, quam centum millia hominum?* Et templa, & sacrificia multa erant quotidie in illa ciuitate, quæ minime respexit Deus, sed solum numerum hominum notauit, qui excederet centum myriades. Et quid quod essent tot homines ibi, vt inde Deus illis deberet veniam præstare? Ait D. Chrysost. hom. 3. de incomprehensibili Dei natura: *Non fine re amplum populi numerum proponit, sed vt intelligas plurium cum pollere orationem, qua cum consensu agitur, & iugi concordia plurium hominum.* Vbi concors est plurium oratio, & adoratio, nil fere est, quod non impetretur ex Domino. Sic Danielis capite 3. de pueris missis in fornacem ardentem ait: *Tunc hi tres quasi ex vno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deo in fornace, dicentes: Benedictus, &c.* Circa quæ ait D. Cyprian. de orat. Dom. *Loquebantur quasi ex vno ore, & idcirco orantibus fuit impetrabilis & efficax sermo.* Sic efficacia comitatur plurimorum concordiam in Deo laudando, & in exhibenda oratione.

Rupert.

Ionæ 4.

Chrysost.

Daniel 3.

Cyprian.

CAPVT XII.

Amaræ aquæ, & Manna.

Textus Historia.

POST superatum mare Israelitæ læti de triumpho reportato ex Ægyptiis, eorum muniti armis, & spoliis diuites viam adhuc per desertum Etham arripiunt. Ea erat, non quæ facilis se ostendebat versus Occasum, sed quam præmonstrabat nubis columna. Inhospitalis planè regio propter aquarum penuriam, quæ vt gradientium augebat sitim, acuebat & bilem, vt male precarentur duci, a quo trahebantur in eas angustias. Cum tertia luce apparuit fons optatissimus, sed qui, vt argentei fluctus splendore ad se pelliciebat aspicientes, amarissimo gustu offendebat potantes. Non defuit diuina munificentia angustiatis, cuius beneficio lignum ostensum est, quod naturali virtute posset malitiam curare aquarum, si credimus Caietano, & nostro Cornelio, & addita Dei virtute temporis momento totum illud scaturiginis fel in nectara commutauit. Hæc crisis, hoc iudicium fuit Dei, per quæ monstrauit, vt morbi depellerentur, & veniret hominibus salus. Non multum inde progressos vberior tenuit situs; Elim erat nomen loco, qui duodecim rigatus fontibus, & nemorum vmbras, & spontaneos fructus ministrat. Illic æstiua hybernis mixta simul aspicias, & gelidos latices currere, & dactylos in septuaginta palmis, nisi locis feruentioribus generari nescios. Vtinam palmæ ibi plures extitissent, quarum fructibus peregrinantium commeatus cresceret, ne citius esurirent. Iam enim trigesima egressionis dies homines deduxerat in desertum Sin, vbi annonæ asportatæ penuria extremam pene desperationem intulerat. Famis acerbitatem auget memoria saturitatis Ægyptiæ, & parum abfuit, quin prorsus desperarent, potestate diuina posse in deserto impleri mensas vacuatas Aegyptiorum cibis.

Largior Dei bonitas Israelitarum fide, quas negabat dapes, soli sterilitas fecit, vt cœlorum vbertas ministret. Videres cadente sole ingentem cadere intra castra coturnicum multitudinem, quæ famelicos exercitus impleat. Et quod mirere magis, oriente luce ætheræ maiestatis dilabebatur imber, irrorans populo dapes, & copiosas, & mellifluas escas effundens. Splendebant diuinis ferculis omnia vicina, quæ pigros deludebant; post solis feruorem inuenientes nihil. Impigris autem, & mature colligentibus ante solem voluntati hominum Dei obsecuta natura, in quos amabant vsus, opimi pabuli gratiam deflectebat. Hoc fuit manna illud cantatissimum, quod colligebatur in diem, ne asseruatum vermes parturiret. In quo tanta erat religio, vt Sabbathis diebus nullam sui copiam faceret, totus in cœlestibus occlusus; adeò vt sexta die accipienda esset duplicata mensura, quæ duobus diebus sufficeret. In vnum enim Sabbathum asseruaci sustinebat panis diuinus.

PARS VNICA.

Moralia circa textus literam.

AD huius textus literam accedentibus non metuendus labor, quando tot diuinæ magnificentiæ exundant scaturigines, quæ & sitibundos impleant, & famelicos cœlesti pane reficiant.

Exod. 15. Egressi sunt in desertum Sur: ambulaueruntque tribus diebus per solitudinem, & non inueniebant aquam. Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eo quod essent amaræ, vnde & congruum loco nomen imposuit, vocans illum Mara, id est, amaritudinem.

§. I.

In mundi abnegatione præstantissima hominis fortitudo.

QVod in præsenti vocatur desertum Sur, in Numer. cap 33. vocatur desertum Etham, quippe ait: *Transierunt per medium mare in solitudinem, & ambulantes tribus diebus per desertum Etham castrametati sunt in Mara.* Est ergo desertum Sur idem quod Etham, & merito Etham, quod interpretatur fortitudo, egressos ab Aegypto excipit: magna enim hominis est fortitudo, quod se mundo eximat. Ait Diuus Hieronymus epistola ad Fabiolam de mansionibus Israelitarum: *Etham nobis sonat fortitudo, atque perfectio, de qua & Dauid canit. Tu dirupisti flumina Etham, id est, fortes. Grandis est fortitudo Ægyptum dimittere, & in extrema solitudine commorari.* Ecce tibi filiorum Dei fortitudo, in quo maximè apparet, nimirum in eo, quod quis Aegyptum dimittat, mundiales tenebras fugiat, & in remotiori loco, à curis sæculi libero mansionem faciat. Sunt equidem multi, qui renuant hanc mansionem solitudinis, magis amantes peregrinari in mundo, & longas vias arripere, vt sanctuarium osculentur limina. Sunt qui multa peragant virtutum opera, dum liceat mundanis bonis & penitus hærere, & incumbere. Iis non multa est fortitudo, sed infirmitas, & cadendi periculum. Multi fuerunt Abel, & Cain in religione; vterque obtulit Deo munera. Sed Cain in muneribus concidit. Sic ait illi Dominus Genes. 4. iuxta cantatissimam apud Patres lectionem Septuag. *Si rectè offeras, & non rectè diuidas, peccasti.* In quo non rectè diuisit? Equidem in muneribus oblatis adhuc de mundo potiora retinebat sibi. Inde cecidit, inde periculum æterni casus incurrit. Hoc amabat princeps fœmina, quæ vocata à Deo, & metuens mundiales principatus exuere, eligebat militare Christo, dum eius passionis loca inuiseret. Sed repente mutato consilio dimittens mundum monasticam disciplinam fuit secuta. Huic scribens Hildebertus Cenom. epist. 63. inquit: *Et quidem ego credidi alia via filiam Abrahæ de Ægypto egressuram: sed filia Abrahæ compendiosiorem viam elegit. Credidi enim te desiderio desiderare sepulchrum Saluatoris inuisere, & nostræ redemptionis officinas obsequio venerari Christianè. Sciebam, quod in eo rectè offerres, sed ne rectè diuideres, dubitabam. Tu autem & rectè obtulisti: quia pro Christo omnia reliquisti: rectè etiam diuisisti, quia Christum sepultum, quam Christi sepulchrum sequi maluisti. Porrò salutis hæc, & plena consilij diuisio; vt enim efficiamur discipuli Christi, baiulare monemur ipsius crucem, non quærere sepulturam.* Nil dici potuit pulchrius, vt ostenderetur, quam omnem peregrinationem superet mansio in solitudine, in religiosa disciplina, in qua mundialia omnia perfectè abiiciuntur. Sanè magnum est, quod quis sepulchrum Christi inuisat, sed longè maius, ac præstantius,

Hieron.

Gen. 4.

Hildeb.

præstantius, quod relicto sæculo instar Iesu sepulti intra religionis septa se contineat. In muliis virtutum operibus bona est oblatio, sed si adhuc mundialibus bonis inhias, forte non est bona diuisio: saltem est ad cadendum infirmitas. Huc tendit perfectio, & fortitudo eius, qui amat fieri Christi discipulus, nimirum vt magis abnegationem mundi instar crucis sustineat, quam curat adorare loca sepulturæ. Cum huc peruenio, me rapit memoria primorum patrum Societatis Iesu. Ij vno cum Ignatio animo decreuerunt Parisiis peregrinationem Ierosolymitanam, vt redemptionis officinas obsequio venerarentur Christiano: Iam omnes peruenerant Venetiam, sed integro anno ibi manentibus, & expeditionem expectantibus nunquam licuit per tempora, per maria, per Turcas, per innumera alia impedimenta sese committere peregrinationi tantæ. Quid agis ô Deus, cur cupientibus tuæ passionis loca venerari tot obices ponis, imò penitus intercludis aditus? Cur non magis viam paras ad te festinantibus? Maius quid ab illis cupiebat Deus, vt nimirū desperati à Ierosolymitana peregrinatione, ad maiora conuersi mundialia omnia relinquerent, & sub religiosis votis Deo se traderent. Vt magis Christum sepultum, quàm eius sepulchrum sequi mallent. Vt crucem magis baiularent, mundum abnegantes, quàm sepulturam eius tractarent. Quod si discipulis Christi, nec vacat quærere officinas redemptionis humanæ, quomodo vacabit adhuc quærere has resculas mundiales? Si vetaris ire ad sepulchrum, vt magis in solitudine vaces mundo abnegando, quomodo permitteris ire, vt ambias honores mundi, & eius vanitates? Hoc equidem peruersissimum esset, & dæmoniacum in religioso Dei famulo. Matth. 4. diabolus duxit Iesum in montem excelsum, & ostendit ei omnia regna mundi, quibus ostensis, & propositis ob oculos Saluatoris, ait: *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraueris me.* Quid magis peruersum, & diabolicum? Ait pulchrè Sedulius libro 2. Paschali.

Matt. 4.

Sedul.

Quantum peruersus, tantum peruersa locutus.
Scilicet, vt fragilis regni affectaret honores,
Qui populis æterna parat.

Equidem hoc vnum suppar est diabolicæ peruersitati, quod qui & sibi, & populi æterna parat, in eaque est mansione, vbi vni deseruitur æternitati, adhuc fragilis regni affectet honores, & micas procuret indagare. Conueniant huc religiosi viri, quorum est & sibi, & populis parare æternitatem, & noscant, quam peruersum, quam diabolicum sit, vt ij fragilis regni affectent honores, & lucris inhient temporalibus.

§. II.

Qui à creaturis venit fauor, quàm citò mutatur.

QVæ aquæ in mari rubro sic propitiæ, sic fauorabiles fuerunt Israelitis, vt illis vitā seruarent, & offerrēt incolumitatē, paruo tēporis tractu non nisi amaritudines, & mortē eisdē propinabant. Dicit textus: *Ambulauerunt tribus diebus per solitudinem. & non inueniebant aquam. Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eo quod essent amaræ.* Vix à mari rubro discedunt, & in angustiis conniciuntur, & propter penuriam, & propter amaritudinem aquarum. Et cur primum malum, quod experiuntur post transitum maris rubri fuit in natura aquarum? Cur voluit Deus, vt primas sentirent sibi malas aquas post mare superatum? Vt ostenderetur, quàm citò mutatur fauor, qui in creaturarum naturis fundatur; quæ enim aquæ in mari propitiæ fuerunt, statim in doloris, & occasionem anxietatis apparuerūt mutatæ. Heu miserum, cuius fortuna consistit in affectibus, & fauoribus creaturarum! quamprimum enim in exitium vadet. Carissimus ille Macron fuit, qui Caium euexit ad Imperium Romanum, tam sua ipsius in Caium indole, quàm vxoris solicitudine, quæ secreto vehementer amabatur à Caio. Viderunt ergo & Macron, & vxor suum Caium in regno, eiusque fauoribus maxime efferebantur, sed quantum durauit Imperatoris deuinctissimi fauor? Ait Philo in legat. ad Caium: *Certè Macro, qui sedulò ambitione magna, parique conatu dedit operam, primum vt seruaret Caium, deinde vt imperium soli adstrueret, talem mercedem retulit. Fertur enim miser coactus seipsum interficere, vxor quoque habuisse eundem exitum, quamuis putaretur à Cæsare constuprata. Sed negant in amore firmum præsidium.* Expende hoc & certissimè, & sapientissimè pronuntiatum, nimirum: *Negant in amore firmum præsidium*; quippè stultus est, qui aliquid firmum sperat in amore, & fauore creaturarum. Balaam desperans se posse nocere Israelitis dixit ad Regem Balaacum Num. 24. *Pergens ad populum meum dabo tibi consilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore.* Et licet in præsenti non exprimat nefarius homo consilium suum, tamen illud notissimum fuit ex regis facto, nimirum, quod præmitteret pulchras puellas, quæ animos Israelitarum expugnarent, eorumque tenerent voluntates, & gratiam. Sed præstat totū hoc referre Iosephi verbis aientis lib. 4. antiquit. cap. 7. *Quapropter, ait Balaam, si breuem victoriam de illis consequi quæritis, hoc consilio vestri compotes efficiam. Filiarum formosissimas, quæ pulchritudine sua mentes eorum expugnare possint, cultas, ac ornatas mittite.* Itaque præmittendæ erant pulchræ puellæ, quæ voluntates Hebræorum caperent, & gratiam raperent, dumque sic captos haberent, de illis victoriam reportarent. At expende, quam hoc astu illis victoriam repromittat, nimirum ait: *si vultis breuem victoriam consequi.* Non ausus est nequam homo diuturnam, longamque victoriam promittere, sed breuem, sed horariam. Et cur solam breuem, & horariam proposuit? Consistebat hęc in eo, quod fauor, & gratia, & voluntas Israelitarum à puellis caperetur: quod autem in creaturarum gratia, & fauore, & affectu fundatur, nec mendacissimus homo potuit asserere non esse breue, & horarium. Inde enim aliquid non creatum, sed diuinum certius creditur, quod sciatur in beneficentia, & fauore durare. Hinc Iesus post resurrectionē suam ostendens discipulis suam diuinitatem, *Insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum.* Et quid habet hæc insufflatio cum ostensione diuinitatis? Vbi enim in principio Deus hominem creans Gen. 2. *Inspirauit in eum spiraculum vitæ:* nullo clarius ostenderetur Iesus Deus idem, quam si post tot casus, post tot discrimina rerum adhuc homines ab illo, eodem modo in vitam afflabantur. Ait Diuus Cyrillus Alex. lib. 12. in Ioann. cap. 56. *Deus pater per proprium verbum de limo terra hominem formauit, anima decorauit, & sui spiritus participatione muniuit, insufflauit enim in faciem eius spiraculum vitæ. Vt ergo Iesum ipsum esse dicamus, qui ab initio naturam nostram creauit, & Spiritu Sancto signauit, rursus in ipso initio renouationis naturæ sufflatione spiritum discipulis largitur.* Et quomodo non credatur ille Deus hominis creator esse, in quo tandiu eadem fauoris, & gratiæ aspiratio in homines perseuerabat? Proh quam nunquam post primam aspiraret homines aura fauorabilis, si ea in creaturis, non in Deo fuisset fundata. Vide Exod. 3. rubum spinosum, à quo fauor in miseros captiuos promittebatur. Ait enim: *Apparuitque Dominus in flamma ignis de medio rubi, &c.* Sed & post multa sæcula cum generis humani redemptio à diabolica captiuitate agebatur, iterum spinosa planta assumitur à Seruatore generis humani. Sic Matth. 27. *Plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius.* Ecce tibi captiuorū redemptio semper à spinosa planta tractatur. Et vnde spina non semel, sed & iterum post tot sæcula adest redemptori hominum? Non equidem id spina ex se habuit, vt tamdiu in hominum bono duraret; sed ex Deo, cuius solius potentiæ erat, quod salus generis humani agebatur. Ait Clemens Alex. lib. 2. Pædag. cap. 8. *Cum Dominus vniuersorum cœpit per verbum legem ferre, & Moysi suam omnipotentiam voluit manifestare, diuina illi visio ostenditur formata luce in rubo ardenti. Spinosa autem planta est rubus. Hinc illuc vbi descenderat abiens, veteris descensus principium instaurans, ac de integro veluti caput redigens, vt quod primum per rubum visum fuerat verbum, per spinam rursus assumptam ostenderet omnia esse vnius potentia, cum sit vnus patris filius.* Vbi antiquitus rubus interfuit Israelitarum liberationi, & iterum spinosa planta in fine super redemptoris nostri caput visebatur, clarius ostendebatur vnius semper diuinæ potentiæ fuisse opus, quod redemptio hominis per spinas constaret. Vndè sapienter Psal. 36. dicit: *Salus autem iustorum à Domino.* Siue ex Græco: *Salus autem iustorum apud Dominum.* Circa quæ ait Orig. hom. 1. in Psal. *Non dixit, in cœlo salus iustorum, & hoc etiam præterit, non apud aliquam creaturam, quia nihil immobile, vel immutabile: sed apud Dominum salus est iustorum, qui semper manet, semper idem est.* Sic ibi.

Philo.

Num. 24.

Ioseph. 4.

Cyr. Alex.

Exod. 3.

Matth. 27.

Clem. Alex.

Psal. 36.

Origen.

§. III.

Id solet homini promptius esse, quod magis conuenit cum eius affectibus prauis.

POst mare rubrum superatum nil illis sitientibus prius ad manus venit, quam amarissima aqua. Dicit namque textus: *Non inueniebant aquam. Et venerunt in Marath, nec poterant bibere aquas de Marath, eo quod essent amaræ.* Ab Angelo per columnam ducti illò trahebantur, vbi amarissimæ, & prorsus reuciendæ erant aquæ. Cum primum enim ad os applica-

bant

bant aquas, earum amarorem non ferentes, illas repellebant. Sed cur Angelicus ductor eos per illam viam ducebat, vt quà nihil prius inuenirent, quàm amaras aquas, vel à sitientibus reiiciendas? Sanè hæc est conditio miserorum hominum, quod nihil illis prius occurrat, quàm id, quod eorum magis conuenit prauitati. Vt enim ij amaritudine pleni reiiciendi erant, sic illis in primis obueniunt amaræ, & reiiciendæ aquæ. Sic supra Exod. 12. dum paschalis mensa illis paratur, dicit: *Et edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus.* Chaldæus ponit: *Cum amaris herbis.* Ex Hebræo alij: *Cum amaritudinibus.* Sed cur profecturis vbi ex incomposito cœna festinata paratur, amarissimæ herbæ dantur? Ait D. Zeno lib. 3. ser. 44. *Viles agnos cum amaritudine homines amari manducant.* Obueniunt equidem hominibus promptius ea, quæ eorum correspondeant affectibus iniquis. Dum hominum Saluator Iesus cruci esset suffixus, vehementissimamque sitim ostenderet, ait Matth. cap. 27. *Et continuo currens vnus ex eis acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere.* Quid crudelius? Cur homo non magis misereris sitientis moribundi? Cur magis tibi fuit acetum promptum, quàm aqua, vt Dominum maiestatis reficeres? Respondebat acetum Iudaicæ malitiæ, ideò promptius illis, quàm alius liquor tali in discrimine occurrit. Pulchrè aiebat Sedulius lib. 5. Pasch. cap. 18. *Vnus de plebe saeuissima spongiam calamo nexuit, & acetum eius ori porrexit. O quàm Iudæorum menti nequissima liquor fuit ille conueniens! Sicut vitis suauis cum fuerat in acetum triste conuersa cunctis à mensa, atque poculis repulsa iactantur: ita gens ista feralis, & impia, quæ priscis temporibus Deo placuerat, nunc odibilis, & nimis est execranda.* Congruebat acetum Iudæorum malitiæ, ideò sitienti Saluatori nil prius inuenit, quod offerret; quàm id, quod sibi Iudæa iudicabat conueniens.

Exod. 12. — Matt. 27. — Sedulius.

Exod. 15. Et murmurauit populus contra Moysem, dicens: Quid bibemus? At ille clamauit ad Dominum, qui ostendit ei lignum. Quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt. Ibi constituit ei præcepta, atque iudicia, & ibi tentauit eum dicens: Si audieris vocem Domini, &c.

§. IV.

Vbi Christi passionis medicamentum apponitur, nec vestigium linquitur pristinæ infirmitatis.

Lignum immissum aquis eas in dulcedinem conuertit; ait enim: *Quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versa sunt.* Expende in quod aquæ amaræ conuertantur, nimirum, *in dulcedinem*, communius dici possent aquæ amaræ conuersæ fuisse in dulces, cur ergo non in dulces, sed in dulcedinem conuersæ notantur? Maluit ostendere textus perfectam sic fuisse istam conuersionem aquarum, vt nec subiectum amaroris pristini, nec vestigium remaneret, sed appareret ipsissima dulcedo factæ. Ait Philo in præsenti: *Ostendit lignum, quod sublatum iussit in fontes immitti. Quod vbi factum est, fontes dulcedinem acceperunt, vt essent potabiles, ac si nunquam antea amari quicquam habuissent, adeò nullum relictum fuerat vestigium vitij pristini.* Quanta hæc medicamenti efficacia? Merito ibi sancti omnes agnoscunt salutem à Christi cruce mundo inuectam: ex quo enim Christi lignum in terris apparuit, sic natura humana sanata est, vt in multis quasi nunquam esset infirma, & sauciata appareat. Id quod alio etiam exemplo celebrauerat Psalm. 106. *Eduxit eos de tenebris, & vmbra mortis, & vincula eorum disrupit. Confiteantur Domino misericordiæ eius: & mirabilia eius filijs hominum. Quia contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit.* Expende illa, nimirum: *Disrupit vincula, contriuit portas, confregit vectes.* non enim opus erat tanta confractione vinculorum, vt captiui educeremur. Posset sine confractione, & vincula, & vectes, & portas aperire, & sic nullus esset, qui constrictus remaneret, sed omnes libertatem accepissemus. Cur non aperire maluit, sed prorsus conterere, & vincula, & portas, & vectes? Erat aliquando Iosephus Iudæus & vinctus, & catenatus apud Romanos, quem Vespasianus Imperator iussit vinculis omnibus absolui. Afferebantur claues, vt vinculorum vectes aperirentur. Tunc Titus iussit claues remoueri, adhiberi securim, qua vincula confringerentur. Qua ratione curabat bonus princeps non solum hominem vinculis liberare, sed ita liberare, vt nec vestigium pristinæ seruitutis manere posset. Ait Egesippus lib. 4. de Excid. Ierosol. cap. 28. *Hic Iosephus solus praeceptis vinculis iussu Imperatoris, adiunxit Titus, vt frangerentur potius, quam soluerentur catenæ, Quod si frangerentur, ita esset, quasi non fuisset ligatus.* Fractione itaque catenarum non solum liberatio ostenditur, sed & seruitutis pristinæ memoria abraditur, & sic manet homo liber, quasi nunquam fuerit aliter habitus. Bene ergo Saluator noster abrupit vincula, non soluit, contriuit vectes, portasque non aperuit, vt intelligatur sic nostra seruitus abrasa, quasi nulla fuerit antea. Et quidem nullum vestigium mansit in nobis seruitutis pristinæ, vbi accessimus ad Christum. Sic 3. Reg. 10. dicitur: *Sed & Regina Saba, audita fama Salomonis in nomine Domini venit tentare eum, &c.* Intelligitur sub huius reginæ typo Ecclesia gentium. Sed quando gentium Ecclesia erat non regina, sed ancilla Satanæ, quomodo vocatur modo regina? Eo ipso quod accessit ad Christum, & Christus accessit ad illam, sic exuit pristinam seruitutem, vt nihil non regium in illa rutilet. Ait Rup. lib. 4. in lib. Reg. *Actum est, vt veniret ad regē istum regina Saba, id est, diues, & insignis de gentibus Ecclesia, non quia prius regina erat, quippe quæ dæmonum potius erat ancilla, sed quia veniendo ad Christum regina facta est, credendo in Christum regis diademate coronata est, ornata bonorum operum vestibus aurata, cunctarumque virtutum lapidibus pretiosis, quemadmodum de illa in Psalmo Spiritus Sanctus dicit: Adstitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, &c.* Sic vbi iuncta est Christo, à latereque eius lancea aperto stetit, omnem seruitutis memoriam abiecit, & sic apparuit, quasi nunquam ancilla fuisset, sed ab ipso ortu regium splendorem seruauisset.

Philo. — Psal. 106. — Egesippus. — 3 Reg. 10. — Rupert.

§. V.

Passio Christi festinatissimum remedium salutis.

Vt primum immissum est lignum in aquas, ipsæ in dulcedinem versæ sunt, sic enim dicit: *Quod cum immisisset in aquas, in dulcedinem versa sunt.* Tam properè dulces factæ sunt aquæ immisso ligno, vt merito neget Abulensis posse hanc conuersionem naturali virtuti attribui. Quippè ait quæst. 8. in fine: *Hoc repente factum est, scilicet, immediatè vt lignum fuit missum, sed naturali actioni conueniens non est repente fieri.* Quando ergo ex vi naturæ non habuit lignum, vt tam properè aquis sanitatem tribueret, vnde id valuit efficere? Vnde lignum habuit, quod tam citò amaritudinem in dulcedinem commutaret? Ait Theodor. in cat. Græca: *Hoc factum nostram salutem prædicit. Nam, & saluberrimo ligno crucis amarum gentium pelagus dulcedinem cum tristitia commutauit.* Ex eo quod sumebatur lignum illud ad ostendendam hominum salutem ligno crucis causandam, in eam virtutem diuinitus efferebatur, qua festinatissimè amarorem aquæ in dulcedinem commutaret. Hoc enim crucis passionisque dominicæ proprissimum est, quod festinatissimè sanet. Cum primum Iesus passurus, limen prophani iudicis ingressus est, statim ante omnia quæstio cœpit agitari, vter liber euaderet, Iesus an latro insignis nomine Barabbas. Ait namque Matth. cap. 27. *Congregatis autem illis dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Iesum, qui dicitur Christus?* Hæc erat quæstio apud Iudicem in primo Iesu passuri ingressu; nec diu hæsit anceps, nam solicitata turba à principibus petiit Barabbæ salutem, & illis petentibus Barabbas soluebatur. Et cur Deus cum filius innocentissimus tuus morti tradendus adstat, sic factum est, vt perniciosus latro in vitam petatur? Cur non magis, & cum Iesu manet in vinculis latro? Debebatur iam hoc passuro Domino, ne perditorum hominum deti[n]eretur salus, sed cum primum Iesus prætorium iudicis terit, statim homo liberatus appareat. Quo spectans D. Athan. orat. in Parasceue apud Grethserum tom. 2. fatur: *Opus mira, præterque omnem opinionem! Subit mortis sententiam Christus; & statim Barabbas absoluitur. In ipso protinus initio condemnationis crux liberationem largitur. Non enim mihi in Iudæorum crudelitatem respice, nec quod benefactorem suum condemnarunt, morem homicida rationem habentes: sed id potius intuere, quod condemnationis ingressus, liberationis condemnatorum quidam ingressus fuit.* Non moras facit Christus patiens in saluandis hominibus, vbi passionis limina attigit, statim sine mora peccator accipit, & solutionem vinculorum, & salutem. In ipso initio crux liberationem largitur. Vix crucem ascenderat Dominus Luc. 23. & ait latroni: *Hodie mecum eris in paradiso.* Quid festinatius? In cruce apparet, & iam donat paradisum. Ait Chrysost. hom. de diuites

Theod. — Matth. 27. — D. Athan. — Luc. 23.

diuite: *Et crux, & statim paradisus.* Non dilationem nouit Christi crux, sed statim largitur liberationem. Mirabar Magdalenam paulò ante peccatricem tã citò ad eam peruenisse puritatem, vt auderet Saluatoris caput vnguentis pretiosis rigare, Matth. 26 *Habens alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius.* Quæ præ mole peccatorum vix antea ad pedes iacebat, iam audet in Saluatoris caput. Vnde tam citò ad tantam puritatem conualuit? Ait ipse Dominus: *Mittens hæc vnguentum in corpus meum ad sepeliendum me fecit.* Erat iam præ oculis Christi passio, iam in corde Iudæ eius venditio tractabatur, ante hæc omnia non miror, quod vel instantaneam acciperet mulier sanctitatem. Ait Chrysost. hom. de Iudæ prodit. *Ante proditionis tempus, ante traditionis horam, accessit meretrix vna alabastri manibus portans, & vnguentum Domini supra caput effudit. Mirandam correctionem ostendit. Paulo ante meretrix subito pudica processit.* Accessit ante instantem passionem, quando iam coram erat totum proditionis negotium, ex quo accepit, quod subito sancta, & pudica fieret. Sic festinanti nouit Christi passio suos salutis thesauros ostendere. Huc trahe dict. 1. *tom. in Euang. lib. 4. c. 4. §. 25.*

Matt. 26.

Chrysost.

§. VI.

Vnus Deus nouit ingratis hominibus bona tribuere

Erat Moysi virga, qua multa signa patrarat, & aquas maris diuiserat, vbi autem aquarum amaritudo tollenda erat, non committitur id negotiũ virgæ Moysis, sed aliũde ostensum à Deo lignum profertur. Acciperem totam: *Murmurauit populus contra Moysen, dicens: Quid bibemus? Qui clamauit ad Dominum, qui ostendit ei lignum, &c.* Et cur non magis virgæ Moysis committitur munus istud? Quando Moyses virgam habebat ligneam, qua tanta patrabat, cur necessum fuit vt aliud lignum ostenderetur à Deo, quod aquas verteret in dulcedinem? Rationem inuenies, dum ponderes illa verba, omitum: *Murmurauit populus, &c.* quibus iuxta Caietanum peruersissimæ nationis ingratitudo ostenditur, toties diuinam beneficentiam expertæ, & toties diuinam beneficentiam obliuiscentis. Vbi autem tã ingratæ nationi parabatur refrigerium; non Moysi, non virgæ eius committitur res, sed Deus per se prouidet, & ostendit lignum, quo aquę curentur; solius enim Dei est ingratis hominibus beneficia impendere. De Isaaci conceptione agens Gen. 33. ait: *Visitauit Dominus Saram sicut promiserat, & impleuit quæ locutus est, concepitque, &c.* Ecce tibi quam attentus, & immediatus ostenditur Deus fuisse in hoc Isaaci conceptu. Sanè & Abrahamo natus fuerat alius filius, nempe Ismael, cuius conceptus relictus fuerat ordini naturæ, & causis secundis, nec de aliqua peculiari Dei assistentia mentio fit. Cur in præsenti Isaaci conceptum maluit sibi Deus totum attribuere? figurabatur in Isaaco Dei filius & datus & natus hominibus ingratissimis; vbi autem beneficium dandum ingratis exprimitur, non permittendum erat naturæ, sed immediatè tractandum erat per potentiam diuinam. Ait Eucherius lib. 2. in Gen. cap. 21. *Ismael & Isaac vterque quidem de semine Abraha, sed illum genuit consuetudo naturæ, hunc vero dedit promissio significans gratiam. Ibi humanus vsus ostenditur, hic diuinum beneficium commendatur. Sed vbi significandum fuerat Dei donum, quod ingratis hominibus gratis gratia largiretur, sic oportuit filium dari, quemadmodum natura non debeatur excursus.* Nullum sperent beneficium ingrati per consuetos calles naturæ, solus est Deus qui per se ipsum norit agere, & tractare ingratorum salutem. Vbi peculiaris & extraordinaria Dei prouidentia, & virtus per se non assistit, vix fieri poterit, vt ingratus viuat. Et quis non Deus ingratos sustineat, illisque largiatur beneficia? De filio Dei ait Paul. 1. ad Cor. 11. *Accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit, &c.* Itaque inter frangendum panem gratias agebat. Et cur inter frangendum gratias agit? Ait Theophyl. in cap. 26. Matth. *Gratias quoque agit fracturus panem, vt ostendat se cum gratitudine fractionem sui corporis, hoc est, occisionem suscipere.* Quid diuinius? Gratias refert iis, qui ingratissimi illi mortem parabant. Non equidem hoc natura, sed Deus faceret.

Gen. 33.

1. Cor. 11.

Theophyl.

§. VII.

In cultu Dominicæ Crucis minori diligentia, & dispendio salutem obtinemus.

De solo immisso ligno in aquas amaras, tota illarum amaritudo expuncta est, & versæ sunt in dulcedinem. Sic enim dicit: *Quod cum immisisset in aquas, in dulcedinem versa sunt.* Charius Elisæus amaritudinem sanauit aquarum, qui vbi pessimas aquas, & steriles nouit apud Iericho, ait 4. Reg. 2. *Afferte mihi vas nouum, & mittite in illud sal. Quod cum attulissent, egressus ad fontem aquarum misit in illum sal, & ait, Hæc dicit Dominus: Sanaui aquas has, & non erit vltra in eis mors, neque sterilitas. Sanatæ sunt ergo aquæ, &c.* Compone modo vtrasque has sanationes aquarum inter se. Vtrobique sanantur aquæ, & sub Moyse, & sub Elisæo; at sub Moyse sine vllis verbis, sine vlla benedictione, sine vlla diligentia, hoc solum, quod lignum immittitur aquis, ibi integrum manet, & aquæ sanantur, & populi refrigerium capiunt. At sub Elisæo plura fiunt, nec populus capit aquas sanas, antequam vas nouum apponat, insuper & sal addat; rursus Elisæus loquitur, & mittit sal in aquas, in aquas sal dispergitur, & sic aquæ sanãtur. Et cur cum sub Elisæo post tanta, & post dispendium salis curantur aquæ, sub Moyse nihil aliud fit, præterquam quod lignum mittitur in aquas? Cur ibi nisi tot præmissis, & dispendio salis nõ indulcantur aquæ, in præsenti autem, absque vllo dispẽdio, de solo ligni tactu habent populi aquas salutares? Equidem in ligni tactu ostendebatur Dominicæ passionis, & crucis virtus, & efficacia, vt concors est sententia Patrum, in passionis autẽ, & crucis cultu facilius, & pene absque vllo dispendio pretij obtinentur salutes, & gratiæ. Habes clarissimum rei exemplũ Luc cap. 23. vbi crucifixus latro, vbi vidit Iesum etiam crucifixum, vnum verbum facit aiens: *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum.* Hoc solũ dixit latro, & statim Dominus: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Ecce tibi vno verbulo latro comparat æternam felicitatem, quam alij longis orationibus, & ieiuniis, & virtutibus in illis ęgre, & difficulter possunt comparare. Et cur latro tam vili pretio comparat, quæ alij emunt caro? Accipe D. Chrysost. pulcherrime in rem præsentẽ loquentem hom. de cruce, & latrone: *Introiuit latro de cruce mercans salutem. Iste latro de ligno meretur salutem, furatur cœleste imperium.* Quid pulchrius. Expende illud, *de cruce mercatur.* Sunt equidem in mundiali foro artifices rerum venalium, à quibus alij mercatores emunt, & ab istis alij; quo fit, vt qui emit à secundis, aut tertiis mercatoribus, cariori pretio sibi necessaria comparet, quam si illa à primis artificibus compararet. Vnde, qui velit non caro pretio, sed vili rem mercari, non ad alios mercatores, sed ad primos artifices vadit, a quibus sæpe adeò vili pretio rem obtinet, vt illam surripuisse videatur. Sic in re spirituali crux, & passio Dominica sunt primi artifices omnium gratiarum, quidquid & Angeli, & sancti, & omnia alia virtutum media habent, inde habẽt. Quare si ad alia media refugis pro obtinenda gratia, iam refugis ad secũdos emptores, ne mireris, quod cariùs rem habeas. Felix latro non ad alios, sed ad primos artifices, nimirum ad crucem cõfugit, & de cruce adeò paruo pretio salutẽ mercatus est, vt illam surripuisse videatur. Vt dicat Chrysost. *Iste latro de cruce mercatur salutem, furatur cœleste imperium.* Fœlix qui de passione, de cruce Domini, hoc est, in horum cultu, & sequela salutem sibi comparat, fallar, nisi paruo illam habeat. Si de abstinẽtia, si de psalmodia, si de similibus aliis salutem comparare volueris, sanè multis ieiuniis, multis macerationum exercitiis eges, at de vnius passionis Dominicæ cultu plura hauris. Dicitur nãque in Roseto Spiritualiũ exercitiorũ tit. 22. cap. 1. ex Alberto Magno, quod simplex passionis meditatio plura bona obtineat, quam ieiunia, psalmodiæ, & corporales aliæ macerationes per integrum annum peractæ. Quò crediderim respexisse Isaiam fantem cap. 12. *Haurietis aquas cum gaudio de fontibus saluatoris.* Proponit enim nobis Christi vulnera, & passiones quasi quosdam patentissimos fontes, vt ab illius vulneribus sic salutem habeamus, vt aqua haberi solet à patenti fonte. Quid vilius aqua? Quis liquor stat minori? De vulnerum ergo Iesu cultu, & religiosa deuotione, non multis laboribus, sed vel simplici meditatione salutem acquirimus. Vnde dicebat Psal. 37. *Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem.* Alij legunt: *Miserus afflictus, & curuatus sum vsque in finem.* Sane multas miserias, & afflictiones, & dolores, & sudores pro salute emenda sustinebat, vsque dum veniret in finem. Et quis finis inuentus est, in quem perueniens non multis eget afflictionibus, & doloribus, vt in salutem eat? Is finis Christus est mortuus, & passus pro nobis, de cuius mortis affectuosa, & iugi meditatione habent homines, quod sicut aquam bibant salutem, etiam sine multo impedio corporalium afflictionum. Ait Diuus Ambros. ibi: *Curuatus sum vsque in finem? Vsque in quem finem? Vsque ad Christum, qui finis legis est, qui se passus est verberari, passus est corpus suum mortuum vulnerari. Denique non tabes mortis de vulnere eius, sed fons vitæ scaturiuit æternæ, vt scriptura nos docet, dicens: Et fulset aqua cum delectatione* de

4. Reg. 2.

Chrysost.

Chrysost.

Isa. 12.

Psal. 37.

D. Amb.

de fontibus Saluatoris. Exiliuit ergo de vulnere aqua, vt nos biberemus. O quanto compendio salutem obtinet, qui Dominicæ passionis cultui operam impendit! Fallar nisi de Christi vulneribus, salutem, vt aquam metat.

§. VIII.

Post Crucem Dominicam vel mortis amaritudo fugatur.

Immittitur lignum in fluctus amaros, & aquæ *in dulcedinem versæ sunt.* Quid miraris? Lignum crucis, vel amaritudinem mortis effugauit. Videant e crucem Iesum pauentem, & clamantem Matth. 26. *Transeat à me calix iste.* Sed post crucem, & eius mysteria peracta ait Paul. 1. ad Cor. 15. *Christum mortuus est:: & surrexit tertia die, & visus est Iacobo, deinde plusquam quinquies mille fratribus simul, ex quibus multi manēt vsque adhuc, quidam autem dormierunt.* De morte illorum, qui statim post passionem Christi defuncti sunt, locutus, quasi de quodam dulci somno loquitur, ait enim, *quidam dormierunt.* Sed vnde mors somnus est dulcis? Nonne Iesus timebat mortem? Nonne adeò illi amara erat, vt eam deprecaretur? Quæ terribilis Iesu, vt dulcis Apostolis erat? Rem attigit D. Basil. Sel. orat. 35. *Cur Christum cum animi angustia crucem admittit, & timor passionum antecedit? Quia Christus in mortem ... expeditionem suscipit, congrediturque nondum dissecta tyroni ... Adhuc enim tum inde ab Adamo in homines dominata in ... iactabat mors. Christum morte contundendam post futuros iam velut ... tradidit ad certamen. Ideo ipse velut in ... parans impressionem pro rei veritate fugit. Apostoli autem morte deuicta, & velut iugulata multum animati eam inuadunt. Vt Paulus prædicat Quidam autem dormierunt. Non enim Mortui sunt. De palla namque crucis somnus mors est: ante crucem formidabilis, & post crucem despicabilis.* Ecce tibi vt mortis poculum, quod amarescebat, & horrorem, pauoremque Iesu inferebat, post crucis mysterium sic attemperabatur, vt tamquam dulcissimus somnus posset capi. Quid plura? Similiter aiebat Paul. 1. ad Thessal. *Quod Iesus passus, & mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt, per Iesum adducet.* Iesu & mortem, & passionem agnoscit, in aliis non mortem, sed somnum putat. Quæ enim fuit mors Iesu, post huius crucem cæteris erat quasi somnus dulcis. D. Basil. Sel. orat. 32. inquit, *Christi finem mortem appellauit: bellum siquidem ille fuit contra mortem viuentem; aliorum, qui post Christum, somnum agnoscit, non mortem. Inde factum vt ... præ religione concertare videamus, pueros mortem visus ludere, puellas eam adire ludibundas.* Sic Christi crux fecit mortem esse tractabilem, & suauem. Et quid de passione Christi non saporetur, & condiatur? Dicit Lucas c. 13. *Simile est regnum cælorum grano sinapis.* Vt enim de grani sinapis confusione fit, quòd insipidæ alioquin carnes, & reiiciendæ saporentur, vt possint mandi: sic de Christi contusione, & passione venit, quòd pœnalia mala & saporem accipiant, & suauitatem. Sic ait D. Chrysostom. serm. 98. *Christus est regnum cælorum, qui velut granum sinapis in hortum virginis corporis missum, orbe toto crucis in arborem creuit, ac tantum dedit fructum suo saporem, cum teritur passione, vt quidquid est vitale, suo saporaret, & conderet attactu.* Nihil est adeò insipidum, adeo amarum, & reiicendum, quod de Christi attactu in Passione contritum suauissimum saporem non capiat.

Matt. 26. *1. Cor. 15.* *1. Thes. 4.* *Basil. Sel.* *Lucas 13.* *Chrysost.*

Exod. 15. Venerunt autem in Elim filij Israel, vbi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ, & castrametati sunt iuxta aquas.

§. IX.

Id fit quisque, quod amat, quod adorat.

Gradientes Israelitas duodecim excipiunt fontes & septuaginta palmæ: ait enim; *Vbi erant duodecim fontes, & septuaginta palmæ.* Et tam fontibus, quam palmis Euangelij prædicatores exprimebantur, vt Orig. Hieron. Prosp. Rup. malunt. Sed cur Euangelij prædicatores dicuntur palmæ? Cum prædicatio Euangelij, crucis Dominicæ maxime sit prædicatio, quæ toties in scriptura palma nominatur; non miror, quod ex affectu ad crucis palmam eius prædicatores palmæ dicantur. Sic enim id quisque est, quod amat, & veneratur. Ex quo dicebat Petrus Dam. ser. de inuent. Crucis satus: *Nec immerito plane prædicatores crucis palmarum videntur nomine figurari, dum & ipsa crux iure dicenda sit palma, quia in ea stilus et facta est de prostrato mundi hoste victoria, sicut de ipsa cruce sponsus ad sponsam. Dixi, inquit, ascendam in palmam, &c.* Vbi & mente, & ore palmam crucis voluunt, merito ipsi effecti apparent palmæ. Nequit enim fieri, vt quis non abeat in id, quod amat. Oseas c. 10. vocabat populum Israelitam, vitulam, ait enim. *Ephraim vitula edocta diligere triturum.* Et cur Ephraim vitula? Pulchrè in rem præsentem Rup. lib. 4. ibi: *Quia vitulos colebat Ephraim, siue Israel scissus à domo Dauid, imò & coluit ab initio vitulum, quando egressus est de terra Ægypti, pulchre nimis eadem gens vitula dicta est.* Ex vitulis, quos colebat, quos adorabat, in eandem formam transmutabatur, semper enim homo formam subit eorum, quæ habet in deliciis. Aiebat Iob de maligno spiritu c. 39. *Circumspicit montes pascua sua, & virentia quæque perquirit.* Equidem malignus quærens quem deuoret, virentia hominum corda magis exquirit. Sed quæ sunt corda virentia? Ait D. Gregor. lib. 30. Moral. cap. 18. *Arentia deserit, & virentia quæque perquirit. Arentia namque corda sunt hominum, quæ in huius sæculi spe peritura plantata, æternitatis fiduciam non habent. Virent autem, quæ illi hæreditati inhærent, de qua Petrus dicit. In hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem. Tanto enim virent quique virentes sunt, quanto in hæreditatis immarcessibilis forte cogitationis radicem figunt.* Ecce tibi vt transformantur humana corda iuxta ea, quæ diligunt. Si caduca, & arentia mundi bona spectant, & arida redduntur ipsa, virentia autem sunt, dum affiguntur hæreditati semper virenti, & immarcessibili. Quo etiã refero illud Ecclesiastæ cap. 3 nimirum: *Tempus spargendi lapides, & tempus colligendi.* Quod si quæras, quale sit tempus spargendi lapides, & quale colligendi illos? Est qui referat ad tempus idolorum, & ad tempus aduentus Christi. Vbi enim multa erant idola lapidea sparsa per totum orbem, tunc erat tempus, quo & homines & lapides fierent, & spargerentur similiter ita a se diuisi, ac separati, quasi hostes essent ad inuicem. Vt autem venit Christus vnus angularis lapis, statim eius cultores cœperunt conuenire in vnum, amare vnitatem, & sese ad inuicem fouere quasi membra corporis vnius. Aiebat Salonius ibi. *Tempus fuit spargendi lapides ante aduentum Domini, quia gentiles non permanserunt in vnitate fidei, sed recedentes à Deo dispersi sunt, quia vnum Deũ adorabant, & diuersa idola colebant. Tempus autem colligendi lapides post aduentum Domini, &c.* Vt erant numina, quæ homines colebant; sic efficiebantur homines, quando lapidea, & multiplicia erant idola plurimum inter se differentia, similiter disconueniebant homines, & dispersi erant. Tunc solum vnanimes inuenti sunt homines, quando vnus angularis lapis Christus sese illis amandum obiecit. Rem pulchre describit Paul. Oros. lib. 5. cap. 2. *Solutas, & barbaras gentes, quis tandem ad societatem adduceret, quas diuersis sacrorum ritibus institutas etiam religio separabat? Si quis igitur tunc acerbitate malorum victus, patriam cum hoste deseruit, quam tandem ignotum locum ignotus adiit? Quam gentem generaliter hostem hostis orauit? Cui se congressu primo credidit, non societate nominis inuitatus, non communione iuris adductus, non religionis vnitate securus? An parum exempli dederunt Busiris in Ægypto peregrinorum infeliciter incurrentium impiissimus immolator, crudelissimis etiam aduenæ Dianæ Tauricæ litatura, seu magis crudelia sacra. Thracia cum Polymnestore suo vsque ad propinquos hospites scelerata? Et ne antiquitatibus videar immorari, testis est Roma de Pompeio interfecto, testis Ægyptus de interfectore Ptolomæo. Mihi autem fugienti, quia de confugiendi statione securo, vbique patria, vbique lex, & religio est mea; nunc me Africa tam libenter excipit, &c.* Sic bonus author hostilitatem nationum inter se componit cum Christianorum vnanimitate. Hanc tribuit vnitati fidei, & religionis vnum Iesum colentis, adorantis, illam putat ortam ex diuersitate idolorum, quæ colebantur: vt enim hæc diuersa erant, & contraria, sic vniuersas gentes faciebant & diuersas, & contrarias.

P. Dam. *Iob 39.* *Greg.* *Eccles. 3.* *Salon.* *Paul. Oros.*

Exod. 16. Venit omnis multitudo filiorum Israel in desertum Sin, quod est inter Elim, & Sinai, quarto decimo die mensis secundi postquam egressi sunt de terra Ægypti. Et murmurauit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysem & Aaron in solitudine. Dixeruntque filij Israel ad eos: Vtinam mortui essemus per manum Do-

mini in terra Ægypti quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate. Cur induxistis nos in desertum istud, vt occideretis omnem multitudinem fame?

§. X.

Detrimentosum est eo tempore peccare, quo maximè remedia peccatorum parantur.

NOn vanè notatur dies, quo populus aduersus Moysem murmurat; quippe ait: *Venit vniuersa multitudo Israel in desertum Sin:: quinto decimo die mensis secundi postquam egressi sunt de terra Ægypti: Et murmurauit, &c.* Et cur vt dicatur murmuratio populi, & peccatum, notatur & mensis, & dies in quo peractum fuerit? Ex temporis notatione agnoscebantur reproborum hominum mores: erat enim decimus quintus dies mensis secundi designatus ad paschale sacrificium pro iis, qui vel negotiis occupati, vel peccatis constricti non poterant primi mensis pascha celebrare cum populo. Et quidem tunc nouis se sceleribus implicant reprobi homines, cū aliis paratur remedium peccatorum. Accipite Orig. hom. 7. in Exod. fantem: *Quid etiam dies describitur, in quo murmurauerit populus? Secundo, inquit, mense, quintadecima die mensis. Quod vtique non absque vlla ratione scriptum est. Recordare de legibus paschæ, quæ scripta sunt, & inuenies ibi hoc esse tempus, quod statuitur ad secundum pascha faciendum his, qui immundi in anima fuerint, vel occupati in negotiis peregrinis. Qui ergo non fuerant immundi in anima, vel non longe peregrinabantur, quartadecima die primi mensis pascha fecerunt. Qui autem immundi erant, secundum pascha in hoc tempore faciunt.* Itaque quando murmurationis tempus notatur esse illud, quod mundatos, & puros ab omni animæ labe referebat eos, qui in primo paschate immundi fuerant, absque dubio reprobi populi ingenium monstrabatur. Quid enim magis reprobum, quam tunc se nouis sceleribus infici, cum aliis remedium pro eluendis peccatis datur? Pro mundi sceleribus tollēdis Iesus tradebatur ex sententia Pilati. Quid tunc? Ait Matth. cap. 27. *Tunc videns Iudas, qui eū tradidit, quod damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, & senioribus, dicens. Peccaui, tradens sanguinem iustum:: Et proiectis argenteis in templo recessit, & abiens laqueo se suspendit.* Expende hominis reprobi gressus, vt vidit diuinissimum agnum pro mundi salute iam iam immolandum, laqueum assumit, vt sese strangulet. Sapienter hinc eius extremam reprobationem prædicat Græcus author Nicolaus Cabassila lib. 6. de vita in Christo, fatus: *Abiit Iudas vincula portans, quando omnibus libertas conciliabatur.* Quid funestius? Quid magis hominibus reprobis singulare? Sese nouis vinculis peccatorum implicant eo præcipuè tempore, quo libertas, & remissio omnibus conciliantur. Hos sane respiciens Dominus per Sophoniam cap. 3. ait: *Quapropter expecta me, dicit Dominus, in die resurrectionis meæ in futurum, quia iudicium meum vt congregem gentes, & colligam regna. Et effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei. In igne enim zeli mei deuorabitur omnis terra. Quia tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes nomen Domini.* Expende hanc causalem; dicit enim quod collecturus est gentes, & regna, vt desuper omnem suum furorem effundat, & perdat eos omnes, igneque zeli absumat. Tantique rigoris causam exprimens ait: *Quia tunc reddam populis labium electum, &c.* Quia tunc aderit tempus, quo Deus dabit populis eam gratiam, qua vniuersi inuocent Dominum, eiusque nomen extollant, adeo ait, quod tūc gentes, & regna terrena perdet, flāmis absumet. Et quæ erunt regna hæc sic perdenda, vbi Deus sic effūditur in linguas omnium populorum? Ait Glossa Interlinealis: *Principes peruersorum dogmatum.* Et meritò ineuitabilis Dei exponitur furori ille, qui peruersa loquitur eo ipso tempore, quo Deus suam infundit gratiam linguis omnium populorum, vt laudēt Dominum. Huc accedant, qui diebus solemnibus, in quibus populi frequentes sunt in templis, ibique in voce laudis & confessionis diuinam gloriam extollunt, ipsi etiam templa adeūt, & turmatim per sacrosancti templi angulos praua loquuntur, peruersisque susurris lasciuiam voluunt. Fallar, nisi iis conueniat Sophoniæ dictum, nimirum: *Quia iudicium meum vt congregem gentes, & colligam regna. Et effundam super eos indignationem meam. Quia tūc reddam populis labium electum.* Quippe seuerissimo iudicio Dei venit, quod ij congregentur, & sub prætextu nobilitatis audeant linguas vibrare in Deum lasciuis susurris templa inficientes, quando Deus linguas populorum euehit, vt laudent Dominum. En quam olent extremum exterminium reproborum. Huc reuoca dicta 1. tom. *in Euang. lib. 2. c. 10. §. 1.*

Orig. — *Matt. 27.* — *Nic. Cab.* — *Sophon.* — *Glossa.* — *Sophonias.*

§. XI.

Summa est malitia hominis, qui nec fame emollitur, vt Deum quærat.

COnsumpto commeatu, quem de Ægypto asportauerant Israelitæ, penuriam passi panū cœperunt murmurare aduersus Moysem, imò aduersus ipsum Deum. Ait enim text. *Et murmurauit vniuersa congregatio filiorum Israel, &c.* Quantum hoc nefas est, quod vel famelici Deum non requirant, sed multiplicato murmure eum offendant? Sanè quasi de magno scelere Iudæorū, sic de hoc querebatur Dominus per Amos cap. 4. *Et ego dedi vobis stuporem dentium in cunctis vrbibus vestris, & indigentiā panū in omnibus locis vestris, & nō estis reuersi ad me, dicit Dominus.* Hoc magnum, hoc inauditum, & non nisi deploratorum hominum piaculū est, quod vel fame stimulante non currant ad Deum notissimū omnium patrem. Vt Israelitas etiam traheret ad se Dominus, famis hunc efficacissimum stimulum applicuit 4. Reg. 6. *Factaque est fames magna in Samaria. Et tamdiu obsessa est, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, & quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis.* Quid interea? Clamauit rex ad Deum in hac penuria? Requisiuit sanctos qui pro cibo rogarent? Imo ait: *Et ait rex, Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, si steterit caput Elisæi, &c.* Quem vnum habebat rex, qui posset orare Deum, hunc decernit iugulare, inter rabidam famem in nullo melior factus. Quo respiciens D. Aug. ser. 111. de Tempore ait: *Proh nefas! Horrenda cadauera, & columbarum stercora populus mandit, nec Dei cultum quærit. Inquinatam carnes, & horrendas escas fames, & necessitas poscit, & adhuc figmentum duritia colit.* Sane nefarissimi hominis argumentum erat, quod eo adductus ciborum penuria, vt stercora multo conquisita pretio ederet, ad Deum tamen minime tenderet, sed in eisdem sceleribus permaneret. Nullum enim adeò brutum est animal, quod vel necessitate alimenti Dominum non agnoscat suum. Quod si homo neque hac alimenti necessitate ad Deum ducitur, peior brutis est, & deplorata malitia infectus. Id quod notans Isaias cap. 1. ait: *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequā, filiis sceleratis.* Ecce tibi quot turpitudinum agnomina congerit vates in populum suum; vocans eum gentem peccatricem, populum iniquitate grauem, & nequam, & sceleratum, & cui væ reseruatur. Sed vnde tam atrociter sentit de populo? Præmiserat ante, *cognouit asinus præsepe Domini sui; Israel autem me non cognouit.* Quando autem vel asinus necessitate alimoniæ dominum noscit suum; homo qui simili necessitate alimoniæ ad Deum non vadit, & nequam est, & sceleratus, & iniquitate grauatus, & æterno exitio reseruatus. Id quod euidentius patet consideranti famem efficacissimam esse, vt homines ad Deum trahat. Sic Elias 3. Reg. 18. inuexit famem, vt populares suos ad Deum impelleret. Dicit enim textus: *Erat autem fames vehemens in Samaria.* Inuexit Elias famem, & ipse abiit. Quo abis Elia? cur non magis prædicationi instas, vt conuertatur populus ad Deum? Cur totum id negotium commendas fami? Ea quidem est, quæ posset sola homines ad Deum trahere. Ait D. Basil. Sel. orat. 11. *Vtantur fame religionis magistra.* Efficacissimū est magisterium famis, vt diuinas veritates persuadeat. Sic Luc. 15. prodigus filius postquam fame opprimebatur, *in se reuersus dixit. Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo! Surgam, & ibo ad patrem meum.* Vbi eleganter Chrysol. ser. 2. fatur. *Fames reuocat, quē saturitas exularat: fames illi patrem dedit sapere.* Quid efficacius hoc magisterio famis? Hęc vel perditissimo dedit sapere piētissimum patrem Deum, & ad eū clamare. Ex quo videns populum conuersum ait Ioel cap. 2. *Reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca, fortitudo mea magna, quam misi in vos.* Est equidem locusta, & bruchus fortitudo Dei magna, quando omnes hominum escas vastat, & famem ingentem causat. Dum enim Deus locustam præmittit, vt frumenta hominum rapiat, fortitudinem suam magnā confert, vt homines ad se trahat. Qui ergo nec in hanc escarum necessitatem redactus ad Deum confugit, merito habetur possessus iniquitate, & sceleratus, & nequam, & prorsus deploratus.

Amos 4. — *4. Reg. 6.* — *D. Aug.* — *Isaiæ 1.* — *3. Reg. 18.* — *Basil. Sel.* — *Luc. 15.* — *Ioel 2.*

§. XII

§. XII.

Criminosè non speras vbertatem à Deo, à quo te vides in penuriam agi.

SE uoneraut Israelitæ adductos in solitudinem à Deo per columnam nubis, & tamen certo putant ibi se periendos fame. Aiunt enim: *Cur induxistis nos in desertum istud, vt occideretis omnem multitudinem fame?* Et quidem non Moyses, nec Aaron, sed Deus per nubis columnam illos in desertum illud sterile ducebat. Vnde eorum murmuratio nõ tam ad Moysem, quàm ad Deum spectabat. Sicque Psalm. 77. expresse fatetur: *Et tentauerunt Deum in cordibus suis, vt peterent escas animabus suis. Et malè locuti sunt de Deo: Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?* Magnum equidem hoc fuit nefarissimorum hominum piaculum, & atroci morte expiandum. Videntes enim se à Deo tractos in desertum, in solum sterile, in regionem omni alimento vacuam, nihilominus desperant posse ibi à Deo venire alimentorum abundantiam, quæ illos sufficiat exsatiare. Similiter 4. Reg. 6. iusto Dei iudicio Samaria in summam famis angustiam fuit redacta, adeò vt vel stercora columbarum summo pretio ad escas emerentur, & matres proprios filios vorarent. Interea Elisæus ex Dei nomine præproperam alimentorum promittebat regi abundantiam. At cap. 7. audita abundantia panis promissa à propheta. *Respondens vnus de ducibus, super cuius manum rex incumbebat, homini Dei ait: Si Dominus fecerit etiam cataractas in cœlo, nunquid poterit esse quod loqueris? Qui ait, videbis oculis tuis, & inde non comedes.* Diffidit dux fieri posse promissam à Deo abundantiam; sed statim diffidentiæ pœnas reportauit, morti adiudicatur. Et cur statim reportauit pœnas? Sanè qui sciebat populum in eam penuriam à Deo redactum, non debebat dubitare, quod posset Deus eidem præstare abundantiam. Sapienter D. Aug. serm. 81. de Tempore, ait: *Tunc homo, qui missus fuerat à Rege ait: Nec si cataractæ cœli aperiantur, possunt fieri, quæ narrantur. O perfidia hominis! non credit promissam vbertatem, qui horrendam senserat egestatem. Nec considerat Deum promisisse abundantiam, qui populo irrogauerat penuriam.* Non absque perfidia, non absque ingenti piaculo non speratur à Deo vbertas, & abundantia, à quo videmus nos in penuriam tractos. Qui experiris te à Deo angustiari, perfidus es, nisi & speres te ab eodem posse leuari. Is enim est Deus, de quo Samuelis mater canebat 1. Reg. 2. *Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit. Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat, & sublevat, Suscitat de puluere egenum, & de stercore leuat pauperem, vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat.* Nec vnquam in eam angustiam adducit, cui subleuandæ non habeat promptissimos thesauros. Vt sit patentissima illa sententia Tertulliani, Marcionis perfidiam damnantis lib. 4. *Si à creatore aufertur, ab eo & dabitur.* Nefariè enim quis sentiens se à Deo spoliatum, non credit ab eo posse quamprimùm ditari. Eiusdem enim Dei est ad Marcionis confusionem dare, cuius fuit, & auferre. Sic Iesus Matth. 10 mittens discipulos ad prædicandum, illos ad summam redigit paupertatem, rerumque penuriam fatus: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non perã in via.* At cum sic discipuli à Iesu spoliabantur, vt nec frustum panis in pera, nec nummulum in zona permitterentur habere; ideo id putabant fieri, quia Iesus illis commeatum non poterat præstare? Absit hoc à discipulorum mentibus; id enim Marcionis erat nefarissimum cogitatum; boni autem discipuli cum se experiuntur ad eam penuriam à Iesu trahi, tunc magis credunt illius esse posse, omnium abundantiam suppeditari. Ex quo nefariam mentem Marcionis confundit Tertull. lib. 4. aiens: *Dimittit discipulos ad prædicandum Dei regnum. Et edidit, cuius prohibet eos victui, aut vestitui, quid in viam ferre. Quis hoc mandasset, nisi qui & coruos alit, & flores agri vestit?* Equidem nefarium esset credere extremam penuriam mandari, & inferri ab illo Deo, cuius non esset tanta rerum copia, quæ vel coruis desolatis, vel deserti herbulis superesset. Ex quo sentio penuriam à Deo mihi impositam, & certò teneo eiusdem esse & vbertatem, & copiam posse offerre.

Psal. 77. — 4. Reg. 6. — D. Aug. — 1. Reg. 2. — Tertul. — Matth. 10. — Tertul.

Exod. 16. Dixit autem Dominus ad Moysem. Ecce ego pluam panes vobis de cœlo. Egrediatur populus, & colligat, quæ sufficiunt per singulos dies, vt tentem eum, vtrùm ambulet in lege mea, an non, &c.

§. XIII.

In gula, & escarum re manifestè apparet qualis quisque sit.

PRæmittit Deus pluuiam panis populo suo, vt tentet eum: sic enim ait: *Egrediatur populus, & colligat, quæ sufficiunt per singulos dies, vt tentem eum.* Et merito in ciborum collectione tentatur homo à Deo, manifestissime enim patet in re escarum, qualis homo sit, vel compos diuinitatis, si vẽtrem coerceat, vel brutorum consors, si rapitur ventris ingluuie. Post quadraginta dierum ieiunia accedit tentator ad Iesum fatus Matth. 4. *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Et vnde malus suspicionem habuit diuinitatis in Iesu existentis, quando hominem vilem, & abiectum exulantem videbat in solitudine? Templa, & aræ Deum designant, & sacerdotum turbæ, desertum ferarum, conuictus, solitudinis exilium quid habant cum Deo cõmune? Vnde ergo nequam suspicatur diuinitatem in Iesu? Videbat hominem famis domitorem, videbat hominem immemorem escarum, & non potuit non putare Deum, quem ventris seruitutis videbat immunem. Ait D. Chrysolog. sermone 13. *Audistis, quid de ieiuniis ipse senserit inimicus? Si filius Dei es, Videtis, quia iam non hominem, sed Dei filium credidit, quem liberum à ventris conspexerat seruitute.* Non poterat equidem meus Iesus per exercitam gulam non apparere diuinus; vt enim gula ostendit, qualis quisque sit, sic gula deuicta diuinum esse ostendit triumphatorem suum. E contra vero si ipsa triumphet, statim ostendit nihil diuinũ, imò nec humanum esse in alumnis suis, sed totum brutum. Ioel cap. 1. *Quid ingemuit animal, mugierunt greges armenti? Quia non est pascua eis.* Mirabar quod Dei propheta curaret de mugitibus boum, & armentorum. Quid tibi Ioel cum bobus? Cur eorum mugituum causas anxius perquiris? Nunquid de bobus cura specialis prouidentiæ est Deo? Non de brutis curat Propheta, sed de hominibus, quos ve videt pro cibis ingemiscere, & nihil dolere nisi defectum cibi, pro hoc murmurare, pro hoc hoc grunnire, merito sibi monstrata asserit non homines, sed bruta. Pulchre ad hæc Rupert. ibi. *Bruta animalibus, & gregibus armenti similes eos vult haberi, quamuis homines sunt, qui ingemiscere nesciunt nisi pro penuria cibi, nullum habentes dolorem de peccatis suis; & hoc solum esse miserum, sive dolendum reputantes, si ventri quippiam desit. Huiusmodi animalia sive greges non solum ingemiscunt, quando non est pascua eis, sed & disperierunt, id est, in tempore tentationis recedunt murmurantes, si non fuerint saturati, & blasphemantes Deum.* Sic in re cibi & gulæ ostenditur patentissime qualis homo sit, vel diuinus, vel brutus. Si liber à ventris seruitute, procul dubio diuinus creditur. Si autem ventris mancipium est, pro cibis vbique murmurans, multaque gemens, si ventri aliquid desit, hic & brutus est, & tempore tentationis properauit in exitium.

Matth. 4. — Chrysol. — Ioel 1. — Rupert.

§. XIV.

Dei magnificentia nullis obicibus impeditur.

MVrmuratoribus Israelitis panis pluuiam Dominus promittit, non fulgura mittit, quippe ait: *Ecce ego pluam panes vobis de cœlo.* Non terræ credidit parturitionem panum pro sustentandis Israelitis, sed magis illud opus commendauit cœlestibus nimbis. Quod miratus Sedulius lib. 1. Pasch. cap. 9. inquit: *Nectareus ætherea maiestatis nimbus irrorat populo dapes in pluuiis, & copiosus ex imbribus escas effudit.* Et cur id non terræ, sed imbribus committit? Agebat cũ murmuratoribus, & rebellibus, & obiicientibus deserti sterilitatem munificentiæ diuinæ, quorum diffidentiam vt superet, pluuiam escarum promittit, de ratione enim pluuiæ est, nullum obicem, nullum impedimentum sentire, sed & ad perditissimos quosque suas diuitias effundere. Ex quo Tertull. confundebat Marcionem lib. 4. fatus de Deo: *Vtique optimus est Deus, qui pluit super iustos, & iniustos, sustinens, & alens, & iuuans etiam Marcionitas.* Proh munificentiam æthereæ pluuiæ! Equidem à Deo veniens pluuia, nullum sentit impedimentum, nullum obicem non superat, pessimos quosque ditat inundantibus beneficiorum fluctibus. Huc spectans Cant. 4. ait de Sponsa Ecclesia Christi. *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano* Videre enim est in Christi Ecclesia viuentes aquas, quæ fluunt impetu de Libano, siue vt alius diceret, de fontibus saluatoris, de æthereæ maiestatis nimbis. Est equidem Iesus Libanus, qui cum impetu

Sedul. — Tertul. — Cant. 4

ex imbribus donationes gratiarum effundit. Et cur cum impetu? Vt instar impetuosi nimborum torrentis omnia impedimenta superet, nihilque non roret resistens. Ait pulchrè Gillibertus Abb. serm. 37. in Cant. *Ipse Christus noster est Libanus delectationes vinas effundens, cum impetu in sinum dilecta. Bonus ergo Libanus, in quem nihil inquinatum incurrit, & magnus impetus, qui nullo compesci obice potest. Tot credentibus populis obiecti sunt obices scandalorum, tot opposita moles tormentorum, & tamen semper fluunt aquæ de Libano. Magni obices, sed maior impetus. Si conoris tempescere, plus increscit, & perrumpit obstantia. Repulsus exsurgit in cumulum, & impedimento lucra conquirens, se diffundet vbertas. Puto etiam ipsi obices cooperantur in bonum, & incrementa capit vexata virtus in iniuria.* Quid pulchrius? Piaculum duxi vel verbulum prætermittere. Ij veniunt a filio Dei in Ecclesiam suam beneficiorum imbres, qui nullum obicem non superent. Et tyrannorum rabies, & rebellium iniuriæ, & bonorum excarnificationes, si se opponant, omnia vorantur fluentis impetu, & obstantia rumpuntur. Imo quo maiora impedimenta obsistunt, eo videntur sese vberius, & cumulatius diuinæ munificentiæ fluenta diffundi. Crederes ab obicibus torrentis beneficiorum cumulari vires, vt abundantius fluat. Quò refero illud Isaiæ cap. 48. *Facta fuisset sicut flumen pax tua.* Cur sicut flumen? D. Cyrill. in Isaiam lib. 4. orat. 3. *Aiunt torrentes pluuia rapida in montes delapsa, ferri violenter, & intolerabiliter, ita vt impetuoso eorum cursui nihil omnino possit resistere.* Et merito pax, & beneficia, quę a Deo in suos proficiscuntur, comparantur fluminum exundationibus, quæ accidunt ex rapidis pluuiis cadentibus super terram, quando hæc sic omnia obsistentia solent absorbere, vt nihil maneat, quod possit resistere.

Gil. Abb.

Isaia 48.
D. Cyril.

§. XV.

Nostra scelera faciunt, quod non continuis beneficiis ex Deo impleamur.

MVrmurantibus Israelitis promittit Dominus alimentum instar pluuię, dicit namque. *Ego pluam vobis panes.* At Isaię cap. 66. longe magnificentius ait: *Ego declinabo super eam quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem.* Et cur hic non pluuiam, sed fluuium bonorum promittit, illic autem solam pluuiam offert panis? In flumine exprimitur continua, & perennis irrigatio, quæ sola inuenitur, vbi nullum inuenitur peccatum. At in pluuiis non continua est rigatio, sed magis rara, & quæ sæpe non sine ingenti suspirio, & gemitu extorqueatur. Bene ergo murmurantibus populis non fluuius, sed pluuia datur, quæ sic defecit, vt eius defectus ingentes luctus generaret. Vtinam peccata tollerentur, & beneficiorum diuinorum exundationes instar fluuiorum perenniter currentium nos ditarent. Sic Dominus Isaiæ cap. 48. *Vtinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua.* Per pacem omnium bonorum exuberantiam intelligit scriptura, vt habet sententia Patrum. Nec miror, quod diuina mandata attendentibus, & adimplentibus bonorum detur exuberantia, sed illud notandum, quod hæc exuberantia datur illis ad instar fluminis, quippe ait: *facta fuisset sicut flumen pax tua.* Quid est sicut flumen? Vt flumen nunquam deficit, sed quæ percurrit arua, continuis, perennibusque fluctibus irrigat, sic benefica Dei manus nunquam non impleret eos, qui eius præcepta seruarent. Ait D. Cyrill. Alex. lib. 4. in Isaiam orat. 3. *Si enim fuisses meis præceptis audiens, fuisset tanquam flumen pax tua, & iustitia tua tanquam fluctus maris. Vt pacis vbertatem, & perpetuitatem ostenderet, fluminis comparat, & fluctibus: flumina quidem semper, & vbertim fluentis, & præterlabentis, fluctibus autem semper illidentibus, & volut perpetuo terram incursantibus.* Est equidem Deus præceptorum obseruatoribus fluuius indeficiens nouis quotidie vndis beneficiorum illos rigans, imò continuis fluctibus gratiarum eorum expugnans voluntates. Crede mihi, beneficiorum diuinorum affluentiæ nunquam cessarent, nisi per nos staret: a nostris culpis iram Dei merentibus prouenit, quod diuinorum beneficiorum largitio interrumpatur; quod non perennis sit, vt fluuius, sed interrupta, vt pluuia aliquando terram inebrians, aliquando sinens illam torreri ariditate. Huc pulchrè spectans Ecclesiasticus cap. 39. ait: *Benedictio illius quasi fluuius inundauit. Et quomodo cataclysmus aridam inebriauit, sic ira illius gentes, quæ non exquisierunt eum, hæreditauit. Quomodo conuertit aquas in siccitatem, & siccata est terra ... Bona bonis creata sunt ab initio, sic nequissimis bona, & mala.* Quid pulchrius? Equidem diuina benedictio, & bonorum affluentia, est iustis fluuius, hoc est, iuxta Paulum de Palacios, perennis, & perpetua bonorum nouorum communicatio. At merentibus iram propter peccata sua; iam non fluuius, sed cataclysmus, nimirum quadraginta dierum pluuia, quæ & terram inebriet fluens, & cessans eandem arere faciat. Sunt itaque bona iustis non interrupta, sed continuata, & perpetua ab initio, iniustis autem sunt bona, & mala, hoc est, bona, quæ interrumpantur malis. Vides, vt ex nostris culpis oritur, quod perpetuis beneficiorum vadis ex Deo non impleamur.

Isaia 66.

Isaia 48.

Cyr. Alex.

Eccl. 39.

§. XVI.

Panis Eucharisticus per se non ad abluenda peccata, sed ad ditandam animam, & innumeris bonis cumulandam datur.

NOn aliter, quam instar pluuiæ dat Dominus cœlestem panem, dum ait: *Ego pluam vobis panem de cælo.* Sed Ioan. 4. dicit Iesus Samaritanæ fœminæ de homine credenti: *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Expende modo, aqua promittitur instar fontis, at panis solum instar pluuiæ venit, non similiter venit cœlestis aqua? Discriminis rationem indigitat Rupert. lib. 4. in Ioan. fatus: *Quæ est enim hæc aqua, nisi ea, quæ in Baptismo Christi percipitur Spiritus Sancti gratia?* Vt in exhibitione cœlestis panis Eucharisticus cibus exprimebatur; sic in hac oblatione cœlestis viuæque aquæ, baptismus adumbrabatur Christianus. Merito ergo baptismus fonti comparatur, vt qui institutus sit per se ad mundandos lauandosque homines à peccatis, fontis enim munus est, & tergere, & lauare maculas. At cœlestis panis non per se intendit lauare. Sacramentum enim viuorum est, & non debet sumi nisi a puris & immaculatis, ideò pluuiæ comparatur, quæ non lauat terram, sed rigat, sed fœcundat, sed illam florere, & fructificare facit. Huc respiciens sponsus Cant. 4. quia diuinam mensam non pluuiam, sed fontem vocare placuit, vide qualē fontem vocauit, ait enim: *Fons hortorum, puteus aquarum viuentium.* Cur non contentus est vocare fontem, sed maluit addere fontem hortorum? Equidem qui in hortos est deductus fons, non eo deducitur, vt lauet, sed vt riget, vt in flores, & fructus terram alat. Ex quo pulchre Gillibert. Abbas, serm. 37. in Cantic. *Vide quæ in loco eius aquæ fluunt, vbi nisi in hortis? Fons enim est hortorum, qui non lauat, sed rigat. Cuius in hoc omnis vsus est, non vt auferat fœditatem, sed vt fœcunditatem afferat. Bonus fontis vsus mundare, sed melior fœcundare. Ille abluit inquinamenta, iste gratiarum importat augmenta. Ille germina lota reddit, hic læta. Ille patens est in ablutionem peccatoris & menstruatæ, hic signatus delitiis sponsæ. Ideo non nisi fons hortorum dicitur fons deliciarum.* Quidquid ad delicias, & diuitias pertinet animarum, in hoc fluento inuenitur cœlestis panis: non speres ibi mundari, sed fœcundari, sed ornari, sed ditari, sed ingenti impleri cumulo gratiarum. Hinc aiebat Ioel cap. 2. ex Septuag. lectione: *Filij Sion gaudete, atque lætamini in Domino Deo vestro: quoniam dedit vobis escas iustitiæ, & pluet vobis imbrem temporaneum, & serotinum, sicut à principio, & replebuntur areæ tritico, & redundabunt torcularia vino, & oleo.* Expende, quibus hæc diuinarum escarum annuntientur gaudia, nimirum filiis Sion. Et qui sunt isti filij Sion? Nimirum ij, qui non indigent lauari, sed per pœnitentiam loti sunt à peccatorum fœditatibus; iis ergo dantur diuinissimæ epulæ, & pluuiæ, non lauantes, sed rigantes, sed fœcundantes, sed nouis virtutum bonis facientes abundare. Ait D. Hier. ibi: *Vos quoque quos iustè post pœnitentiam voco filios Sion, & Ecclesiæ; lætamini, quia dedit vobis Deus alimenta iustitiæ, & descendere fecit ad vos pluuias temporaneas, & serotinas. Et non solum hoc dedit, sed fecit vos nouis virtutum frugibus abundare, & saturari, atque inebriari frumento, vino, & oleo.* Sic vbi Deus escarum diuinarum pluuias flauit, quos lotos inuenit, & fœcundat, & ditat; & omni bono facit abundare. Id quod aliter exprimebat Isaias cap. 66. fatus: *Ecce ego declinabo super eam quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam gentium ... Videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra, quasi herba germinabunt.* Septuag. *& ossa vestra florebunt.* Quod Deus in Eucharistia maxime se inclinet, & exinaniat, docent Dionysius Alexand. Method. Cyril. Aug. Hier. & multi alij relati, & expensi à nostro Turriano tract. 1. de Euch. c. 11. ast vbi sic se inclinat, vt fluuius pacis, & torrens inundans, nulla ibi mentio lotionis, sed ostenditur, vt crescant nostra gaudia, vt vel ossa arida floribus ornentur, multisque appareamus locupletari. Ait D. Cyrill. Alexand. lib.

Ioan. 4.

Rupert.

Cant. 4.

Gillibert.

Ioel 2.

Hieron.

Isaia 66.

Cyr. Alex.

lib.5.tom.6. *Sic nutriti,sic omni misericordia,& charitate tractati videbitis tempore supremam etiam ciuitatem cælestem Ierusalem,& complebimini voluptate,& quasi herba vestra ossa reflorescent. Excitabuntur enim mortui,& resurgent,qui in monumentis sunt, locupletate per Christum rore,id est,spiritu viuifico.* Ecce ex Dei nutritione quot bona,quot exoriantur diuitiæ.

§. XVII.

Dei epulum nihil mundialium macularum secum admittit.

NEc prætereundum est, quando Dominus dicat: *Ecce ego pluam panes vobis de cælo;* nimirum,quando Israelitę murmurauerant se omni Ægyptio alimento esse vacuatos.Et cur maluit expectare Ægyptij alimenti vacuitatem, vt plueret cœlestes dapes?Ait D.Nyssen.in cat.Græca datus: *Animaduertendum est,quod cum nihil amplius edulij populo superesset ex Ægypto,tunc cælestis panis influxit,vt moneamur,animum nostrum refici cælesti alimento,cum quod est huius sæculi vitiosum in itinere huius vitæ per vestigia Christi consumpsimus.* Tunc adest cœlestis nutritio panis,cum vitiosum Ægypti alimentum abest. Non admittit secum Ægyptias maculas panis ille, qui de cœlo cadit.Hinc Matth.5.sic docemur orare: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, & dimitte nobis debita nostra.* Expende coniunctionem,vt panem de cœlo petimus nobis dari,simul noxarum ablutionem postolamus, vt nihil in nobis remaneat temporalis peccati. Id quod notans Fortunatus aiebat: *Bene post istam quæsitam postulatur venia peccatorum, vt qui Dei cibo pascitur, Deo viuat.* Crede mihi,nec ad punctum amat Deus stare cum vita vitiosa,cum vita sæculari. Cum primum Deus nobis adest, nostróque in pectore cubat,necessū est,vt terrenæ omnes maculæ cadāt. Nota est historia Balaami,quādo cōductus à Rege Moabitarū ibat,vt malediceret Israelitis; cupiebat Magus maledicam linguam vibrare,sed pro maledictione benedictiones promebat.Cuius facti nouitatē miratus rex hominem increpabat. Ille autem sic se excusat Num. 22. *Nunquid loqui potero aliud, nisi quod Deus posuerit in ore meo?* Equidem vbi Deus in ore eius, nulla ibi malitia poterat durare.Sed accipite rem ex Iosephi verbis libr.4. de Ant.cap.6. fantis: *Ea causa veni, vt voluntati tuę morem gererem. Sed potentior est Deus, quam mea voluntas, qui contra Dei voluntatem ad gratiam hominum loqui proposueram. Quamprimum enim nostrum pectus subinerat,nihil amplius nostrum ibi remanet.* Quid sapienter ista dictum? *Cum primum Deus nostrum pectus subinerat, nihil amplius nostrum ibi remanet.* Cadunt vniuersa malitiæ nutrimenta, vbi nostrum pectus ingreditur. Et quod opus magis proprium beneficentissimi Dei,quam non permittere secum in nobis esse aliquid vitiosum,& terrenum? Sanè Gen.38.de primogenito Iudæ dicitur: *Fuit quoque Her primogenitus Iuda, nequam in conspectu Domini, & ab eo occisus est.* Philo legit: *Et à Deo occisus est.* Notanter enim dicitur Deus occidisse pessimū; quando enim Dei nomen beneficentissimam, suauissimamque naturam exprimit,rectè ostenditur, vt proprium sit beneficentissimi Dei in nobis non permittere aliquid vitiosum, & terrenum. Ait Philo libr.2.Allegor. *Vides, vt hunc interficit non Dominus,sed Deus! Non enim quatenus imperat,& regnat,liberam exercens potentiam interficit corpus; sed quatenus bonitate, humanitateque vtitur.* Tunc cum suauissimus, dulcissimusque a nobis gustatur Deus,quando magis apparet melleus,corporalia omnia vitiorum nutrimenta in nobis non sinit esse.

Nyssen. — Matth.5. — Num.22. — Gen.38. — Philo.

Exod. 16. Dixerunt Moyses, & Aaron ad vniuersos filios Israel: Vespere scietis, quòd eduxerit Dominus vos de terra Ægypti, & mane videbitis gloriam Domini. Audiui enim murmur vestrum contra Dominum: nos verò,quid sumus,quia mussitastis contra nos? Et ait Moyses: Dabit Dominus vobis vespere carnes edere, & mane panes in saturitate, eo quod audierit murmurationes vestras, quibus murmurati estis contra eum, &c.

§. XVIII.

Nihil non gloriosum in beneficentissimo largitore.

QVam sint omnia in Deo gloriosa, nihilque non in illo decorum, ea vna eius largitate maximè patet. Quippè ait: *Mane videbitis gloriam eius.* Et cur Dei gloria non statim vespere, sed mane erat reuelanda? Subditur rei explicatio: *Dabit Dominus vobis vespere carnes edere, & mane panes in saturitate.* Erat mane benefica Dei largitas demonstranda, dum plueret è cœlo panibus in saturitate. Vbi autem tot beneficiorum venæ aperiebantur, omnia ibi Dei gloriosa, & decora apertissimè visebantur. Quid non gloriosum est, & decorum, vbi beneficentissima apparet beneficiorum largitas? Erat Dominus Iesus cruci suffixus, iniquis deputatus, adeo despectus,vt dicat Isaias cap.53. *Non est species ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aspectus, & desiderauimus eum. Despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & & scientem infirmitatem,& quasi absconditus vultus eius,& despectus, vnde nec reputauimus eum.* Inter hæc autem latroni petenti sui memoriam, respondit Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiso.* Quid eis Domine sub tot ignominiis crucis sic absconderis,vt nec à videntibus reputeris,& vili homuncioni totam paradisi offers amœnitatem? Cur cum tot ignominias tibi assumis, tam immensam in alios effundis largitatem? Vt decorem, & gloriam addat, sub quibus nihil in toto illo crucis despectu non decorum, & gloriosum appareat. Ait Diuus Chrysostomus hom. de cruce, & latrone: *Volo, inquit Iesus, vt in cruce possint omnes meam inuenire virtutem, vt in cruce mea largitas demonstretur. Et quoniam crux dedecoris fuerat signum, & apud omnes ignominia putabatur, crucis infamiam mirandis beneficiis decorauit.* Ecce tibi vt in cruce se Dominus conuertit ad largitatem, qua omnes ignominias decoraret, nihilque inde ignominiosum, nihilque indecorum appareret, vbi tanta hominis dabantur. Sed omnia ibi in gloriam viderentur transfigurata. Hinc Luc. 9. cum Iesus transfiguratus esset: *Ecce duo viri loquebantur cum eo. Erant autem Moyses, & Elias visi in maiestate, & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem.* Vbi noster posuit excessum, habet Græcus *Gloriam*, loquebantur equidem Moyses, & Elias cum Iesu de gloria, quam Ierosolymis completurus erat traditus morti. Sed cur & mors, & passio dicitur gloria, & non potius ignominia? Erant in passione quot vulnera,tot signa beneficentissimi amoris,quo donabantur homines: ideo ibi nil spectari poterat non gloriosum. Vt dicat Euthym. cap. 34. in Matth. *Gloria quoque appellatur crux ipsa. Aliis siquidem probrum erat, vtpote magnorum pœna criminum: soli verò Christo gloria facta est, magni videlicet,erga nos amoris premium.* Vbi beneficentissimi amoris munera in homines proficiscebantur, quidquid crucis erat, ad gloriam, & decus spectabat. Nunquam enim largitas non scit ignominias in gloriam transformare. Hinc præsepis vilitatem occupante Dei filio clamabant Angeli Luc. 2. *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus, &c.* Esto quod iacente Deo in stabulo pax oriretur mortalibus, at quæ inde gloria Deo poterat esse, & non magis exinanitio, & humiliatio? Rem attigit German. Patriarch. Constantinop. orat. in ador. crucis apud Gretherum tom. 2. *Gloria in excelsis, & in terra pax resultabat. Bonitas enim Dei diffusa fuerat in nobis.* Non possunt ignominiæ præualere, vbi accedit benefica largitas, quæ potens est quamcumque vilitatem in gloriam commutare. Non vilitas videtur, sed gloria Dei, quando eius bonitas diffunditur, vt nos diuites faciat. Quo respiciens Ioel cap. 2. ait: *Comedetis vescentes, & saturabimini, & laudabitis nomen Dei vestri, qui fecit mirabilia vobiscum.* Necessum enim est, vt simul sint, & gloria, & laus Dei, & diuinæ largitatis manifestatio. De quo Diuus Cyrillus Alexandrinus ibi: *Tunc comedentes repleti sumus, & vt Dominum glorificamus Christum Saluatorem nostrum, eundem vt mirabilium effectorem, & maiora quam dici, aut sperari possint, diligentibus se donantem prædicantes.* Tunc, inquam, Deum glorificamus, & ipse gloriosus prorsus apparet, cum vere de eo prædicamus, quod plura largitus est, & maiora, quam nos possemus expectare. Nil crede mihi, cum largitate donatoris potest esse, quod non gloriosum, & splendidum appareat. Vnde D. Chrys. orat. in Parasceue, de sexta feria locutus sic ait: *Laudetur dies læte genitrix, per quam cætera dies ad lætitiam vocata sunt. Audi quomodo. Hodie Adam formatus est sexta die, hodie fœminaque gestauit diuinam, hodie paruus mūdus in mūdo cōditus est, hodie primus homo tanquā gubernator*

Isaia 53. — Chrys. — Euthym. — Luc.2. — Ioel 2. — Cyr. Alex. — Chrys.

nator præclara totius naturæ humanæ obtinuit gubernacula, animantibus cunctis præpoſitus: hodie mandata accepit liberi arbitrij. Et merito dies hæc genitrix lucis vocatur, in qua tot tantaque ſunt homini data, nihil enim non ſplendidum, & glorioſum à diuina largitate.

§. XIX.

Chriſti epulum nos ducit in Dei viſionem.

DIuinæ gloriæ viſionem promittit Moyſes, non in veſperum, ſed in mane aiens *Manè videbitis gloriam Dei.* Sed & veſperi carnes præbendæ erant, & mane dandi erant panes. Cur ergo non dicit, quod videbunt gloriã Dei in veſpertinis carnibus, ſed in matutinis panibus? Ratio indigitatur à Ruperi. dicente: *Per carnes vetera ſacrificia, per manna nouum ſacrificium accipimus. Illa Dominus ſacrificia permiſit fieri, hoc autem nouum corporis, & ſanguinis ſui ſacrificium per ſemetipſum tradidit.*

Rupert.

Merito igitur nõ illis veteribus, ſed in hoc nouo diuinæ gloriæ viſio communicatur; cœleſtis enim panis ſumptus in altari maxime facit, ad diuinam gloriam ſpectandam. De fructu arboris ſcientiæ aiebat ſerpens Gen. 3. *In quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri.* Sic vaſer in cibo apertionem oculorum ponebat; ſed falſitas hæc in veritatem à Deo fuit mutata, vbi filium ſuum vnigenitum permiſit pendere ab arbore. Cur Domine non magis arborem execraris? Cur non magis arborem fugis, in qua mendaciorum tela cõtexta ſunt, imò in qua fuit venenum generis humani? Placuit Deo ab arbore pendere, venitque ad crucis arborem, vt mortifero cibo cibum opponeret vitalem, quo ſic in veritate oculi hominũ aperirentur, vt poſſint Deum contemplari. Ait Rupert. lib. 6. in Ioann. ad cap. eius 6. *Vt cibo per quem homo periit, oppoſitum cibum daret, præcepto patris aduerſus lignum ſcientiæ ipſe fructus vitæ æternæ in ligno crucis pendere voluit, & per paſſionem mortis, mortuorum ſimul, & viuorum cibus fieri, vt ſuo quiſque modo comederent eum, tã mortui, quàm viui. Decerptum quippe illum de arbore crucis comederunt animæ ſanctorum, eo videlicet modo, quo & Angeli eundem comedunt; comederunt, inquam, veram diuinitatem, & vere aperti ſunt oculi eorum, & exinde viderunt Deum, quem antehac nemo vidit vnquam.* Expende illud, *& verè aperti ſunt oculi eorum, &c.* quippè in diuiniſſimi fructus decerptione, & eſu conſiſtit apertio vera oculorum, qua homo Dei gaudeat viſione. Etenim vſque dum ſancti de crucis arbore viuificum Ieſu fructum ſumpſerunt, in tenebris erant, nec Deum videre poterant, quem de beneficio diuini fructus cœperunt videre, & agnoſcere. Vt enim Ionathæ oculi de mellis cibo fuerunt illuminati 1. Reg. 14. ſic ſumpto diuino cibo, & noſtri oculi illuminantur, vt diuina capiant. Quo ſpectans Pſalm. 33. clamat: *Guſtate, & videte.* Guſtum enim in primis petit, vt appliceinus diuinis dapibus, deinde, vt videamus. Nequit enim fieri, vt qui diuinum epulum guſtauit, illuminatos oculos ad percipienda diuina non habeat. Ex quo aiebat Diuus Dionyſius Areopagit. de Eccleſiaſtic. Hierarch. cap. 3 de communione, in fine. *Guſtate, inquit, & videte. Profectò qui ſacroſanctæ diuinarum rerum diſciplinæ initiantur, permagnificas ipſarum recognoſcent gratias, & excellentiſſimam illarum celſitudinem, ac magnitudinem participationis ſpeculantes, cœleſtia diuinitatis beneficia grato laudabunt.* Et ſimul cum eſu, & guſtu cœleſtis pabuli, ibi latentes diuinitatis gratiæ, & celſitudines oculis patent, vt illas facile poſſimus ſpeculari. Hinc clamabat illa Cantic. 5. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Non miror, quod petat, vt diuiniſſimis epulis veſcamur. Sed illud mirandum, quod petat, vt inebriemur. An ebrij Deo placent? Equidem ebrij placent Deo, ſed illa ebrietate, quæ mentis exceſſum afferat ad diuina rimanda. Facit hoc diuina menſa, facit hoc diuinus calix, vt homo tanquã ebrietate ſuperatus mundo obdormiat, ſed mente excedens lynceis oculis diuina omnia valeat penetrare. Ait Nyſſenus homil. 10. in verba data: *Quod hic adhortatur, hoc totum factum eſt per diuinum illum cibum, & potum, & ſemper fit, conueniente cum cibo, & potu, mutatione, & exceſſu à deterioribus ad ea, quæ ſunt meliora. Quo inebriatus aliquando fuit diuinus Dauid, vt qui cum à ſe exceſſiſſet, vidit pulchritudinem, quæ non cadit ſub aſpectum, inſignemque illam exclamauit vocem, Omnis homo mendax.* Et qui guſtant cœleſtem panem, & bibunt calicem, & Dauid in eadem fuerunt ebrietate, qua à deterioribus excedentes ad ſuperiora contendunt, ibique vident pulchritudinem illam, quæ ſub aſpectum non cadit. Quapropter forſan Deus ad hoc epulum, & paruulos inuitabat aiens Mar. cap. 15. *Sinite paruulos venire ad me;* ex quo in primitiua Eccleſia, & paruulis Euchariſtia dabatur. Sed cur paruulis tam ſolidum epulũ offerebãt? Ait D. Dionyſ. Areop. de Eccleſiaſt. Hierar. cap. 7. par. 3. prope finem: *Tradit autem puero ſancta myſteria pontifex, vt nutriatur in ipſis, neque vitam aliam habeat, niſi hanc, quæ diuina inſpiciat ſemper.* Itaque vt à pueritia oculos ad diuina percipienda habuerint clariſſimos, ideò & alebantur pueri cœleſti cibo.

Gen. 3.

Rupert.

Pſal. 33.

Dionyſ. Areop.

Cant. 5.

Nyſſen.

Mar. 15.

Dionyſ. Areop.

§. XX.

Quod maioris virtutis eſt, id primum fit ei, qui glorioſiorem oſtendit virtutem.

ET carnes, & panes erant à Deo populo ſuo dandi; ſed carnes veſpere, panes autem mane. Sic ait: *Dabit vobis Dominus veſpere carnes edere, & mane panes in ſaturitate.* Et præmiſerat: *Mane videbitis gloriam Dei,* quaſi in eo quod mane daret panes, fieret Dei gloria magis conſpicua. Et cur Dei gloria clarior in panum datione matutina? Maioris virtutis opus erat mannæ communicatio, quam coturnicum adductio; coturnices enim non denuo creabantur, ſed à Deo excitato vento aliunde trahebantur: in mannæ autẽ effectione totum opus nouum erat, & inauditum, & multa ibi fiebant, in quibus Dei virtus maximè extollebatur. Vt ergo maioris virtutis opus erat, ſic Deus, vt glorioſior appareret, ad illud prius accingebatur. Sic Paulus 1. ad Theſſalonicen. cap. 4. de corporum reſurrectione locutus, ait: *Nos, qui viuimus, qui reſidui ſumus, in aduentu Domini non præueniemus eos, qui dormierunt. Quoniam ipſe Dominus in iuſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cælo. Et mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis, &c.* Itaque ſi credimus Chryſoſtomo, Hieronymo, Theodoreto, Theophylacto, Oecumenio, Origeni, Tertulliano, Caietano, Fabro, quorum ſententiam probabilem affirmant Suarez, Valentia, Acoſta, & nouiſſime Granad. tom. 5. controuerſ. 13. tractat. 2. diſputat. 3. num. 12. ſi his, inquam, fides habenda eſt, in puncto reſurrectionis faciendæ erunt adhuc multi ſancti viri, qui in ſtatum perfectiorem mutandi ſunt, erũt & cæteri omnes defuncti. Sed qui defuncti erunt, ij prius ad incorruptionis gloriam vocabuntur, quam qui tunc viuent. Et cur illi prius? Quia maioris virtutis opus eſt, quod defuncti, & diſperſi per elementa colligantur ad vitam, & vitam incorruptam, quam quod viui incorruptionem acquirant. Ait Imperfectus homil. 34. in Matth. *Magis ſecundum rem erat, vt primi viuentes immutarentur, poſtea mortui reſurgerent incorrupti. Sed quia in conuertendis viuentibus vna eſt virtus, hoc ſolum quod ad immortalitatem mutantur. quod autem mortui incorrupti ſurgant, duo ſunt opera, primò, quia reſurgunt; ſecundò, quia incorrupti reſurgunt. Ergo, vt oſtendat Deus inæſtimabilem potentiam ſuam, quod difficillimum eſt, mortuos ſuſcitat incorruptos, poſtea viuentes immutat.* Ecce, vt ad maioris virtutis opus Deus ſeſe prius accingat. Id ſemper præ oculis habet, vt in primis maiora, & præſtantiora fiant. Quo clarior oſtenditur inæſtimabilis gloria ſua. Ex quo vbi Matth. cap. 20. operarios vineæ ſuæ remunerat, dicit diſpenſatori: *Voca operarios, & redde mercedem incipiens à nouiſſimis.* Qui nouiſſimi venerunt, prius remunerationem capiunt, quam qui venerunt mane ſummo. Qualis hic ordo rei? Sanè ordo eſt poteſtatis indulgentiſſimæ, quæ maiora aggreditur prius, indignioribus largiendo ſua. Ait Imperfectus hom. 34. in Matth. *Secundum rem quidem erat, vt primi priores acciperent ſuam mercedem, ſed vt oſtendat Deus ineffabilem miſericordiam ſuam, primum nouiſſimis, & indignioribus reddit mercedem, poſtea primis.* Sanè ineffabilis, & diuiniſſimæ virtutis eſt, quod prius aggrediatur opus difficilius.

1. Theſ. 4.

Imperf.

Imperf.

§. XXI.

Tunc Deus magis oſtenditur cum pro hominibus magis exinanitus eſt.

DEitatis educentis illos de Ægypto reuelatio notanter dicitur oſtendenda veſpere. Quippe ait: *Veſpere ſcietis, quod Dominus eduxerit vos de terra Ægypti.* In quo autem veſpere agnitus ſit Dominus redemptor, in dubium verti poteſt. Non equidem in exhibitione coturnicũ tantus oſtendebatur Deus; qui ergo veſper ſic Deum exhibebat redẽptorem? Sane in Euangelio lego, cum Ieſus hora tertia poſt meridiem clamans expiraſſet, tunc Deum agnitũ à præſentibus. Et crede mihi, tunc Deus maxime oſtenditur, cum pro hominibus magis exinanitus eſt. Rem attigit Origen. homil. 7. in

Origen.

in Exod. aiens: *De hoc mihi, velim, respondeant Iudæi, quomodo ad vesperam agnoscitur Dominus. Vbi Dominum agnitum est ad vesperum? Sed si vis ista intelligere, non potes nisi per Euangelium. Ibi audies terræmotum factum, monumenta disrupta, centurionem, & milites qui ad custodiam positi erant, dicentes: Vere filius Dei erat iste. Agnitus ergo est per hæc in vespera Dominus.* Et quidem nunquam Deus magis exinanitus est, quam in illo vespere, in quo suspensus in cruce animam pro nobis efflabat. In illa tamen exinanitione, & Deus agnoscebatur, & prædicabatur. Sed & in ipso prætorio Pilati supra modum exinanitus erat, adeò vt non semel Pilatus irrideret putantibus in illo posse esse, vel regni suspicionem vel hominis. Primò namque dicit textus Ioan. cap. 19. *Exiuit ergo Iesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum. Et dicit ei Pilatus; Ecce homo.* Et rursus cum vellet acquiescere furori Iudæorum: *Adduxit foras Iesum, & sedit pro tribunali: & dixit Iudæis: Ecce Rex vester.* Non equidem serio vocabat hominem, aut regem, quem videbat quasi vilissimum vermem conculcatum, sed illis vocibus irridebat accusationi Iudæorum. At Iudæi non solum accusabant Iesum, quia regnum affectabat, sed etiam, & maximè, quia sibi asserebat diuinitatē, vocans se filium Dei. Quando ergo perfidus irridet, vel hominis, vel regis appellationi, in eo, qui adeò miserabiliter tractabatur, cur non simul, imò & magis irridet appellationi filij Dei? Non ausus est irridere eius diuinitatē, quando in eo, sic pro nobis exinanito, & despecto, non videretur irrisio, sed vera, & certa diuinitatis ostensio. Pulchrè notabat Rupert. lib. 13. in Ioan. *Dixerat hic derisor: Ecce homo, nunc adhuc irridens: Ecce, inquit, Rex vester. Nescivit dicere, quod tertium accusationis nomen est. Ecce filius Dei vester.* Plane ad id non potuit peruenire Pilati derisio, potuit prudenter ridere & irridere, quod vocaretur homo, qui vt vilissimus vermis tractabatur: & potuit etiam irridere, quod timeretur rex, qui sceleratissimorū iudicio suberat. At quod in tantam exinanitionem pro nobis sine culpa propria veniens haberetur filius Dei, id deridere non potuit, vtpote quod euidentissimum videretur. Hinc disces differentiam conceptionis, & natiuitatis Christi, & eiusdē baptismi. Equidem & conceptio secretissima fuit, & à summo patre obumbrata, ait enim Angelus Mariæ Luc. cap. 1. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Et in natiuitate nulla sonuit vox Patris, qui illum filium annuntiaret. At dum Iesus baptizatur Matth. cap. 3. *Confestim ascendit de aqua: & ecce aperti sunt ei cæli, & vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se. Et ecce vox de cælo, dicens: Hic est filius meus dilectus.* Et cur in baptismo tot lumina, tot clarissima præconia diuinitatis? Sunt qui dicant in baptismo summam professum fuisse Iesum abiectionem, & humilitatem, maiorem quam in natiuitate, quando baptizatus inter alios reos, & ipse apparebat quasi esset sub reatu, & indigens lauacro. Quo nihil abiectius potest excogitari. Rursus alij, cum Salmerone nostro tom. 4. part. 1. tract. 7. affirmant, quod in baptismo candidatus fuerit Iesus factus passioni, conculcationi, cruci, & sepulturæ. Ex quibus non immerito patentius eius diuinitas in baptismo claruit, quando in summa abiectione, & humiliatione repræsentabatur. Vt dicat D. August. homil. 7. de Epiphan. quæ est 36. de Tempore: *Denique Spiritus sanctus, qui illi tunc in vtero affuit, modo eum in gurgite circumfulsit. Pater, qui tunc obumbrauit in virtute, nunc clamat in voce, & quasi maturiori consilio, qui tunc vmbram præstitit natiuitati, modo testimonium perhibet veritati. Ait enim: Hic est filius meus dilectus. Præclarior plane est secunda, quàm prima natiuitas. Illa enim sine teste silentio Christum genuit, ista cum diuinitatis professione Dominum baptizauit. Ab illa se Ioseph, qui pater putabatur, excusat, in hac se pater, qui non credebatur, insinuat. Ibi laborat suspicionibus mater, quia professioni deerat Pater, hic honoratur genitrix, quia diuinitus filium protestatur. Honoratior, inquam, secunda, quàm prima natiuitas.* Sic vbi abiectio maior, diuinitas Iesu enituit clariùs.

Ioan. 19. — Rupert. — Luc. 2. — August.

Exod. 16. Dixitque Moyses ad Aaron, Dic vniuersæ congregationi filiorum Israel: Accedite coram Domino, audiuit enim murmur vestrum. Cumque loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorum Israel, respexerunt ad solitudinem, & ecce gloria Domini apparuit in nube. Locutusque est Dominus ad Moysem, dicens: Audiui murmurationem filiorum Israel. Vespere comedetis carnes, & mane saturabimini panibus: scietisque quòd ego sim Dominus Deus vester.

§. XXII.

Temporalia bona excæcant, ne Deus videatur.

EXpende illam mirificam propositionem, nimirum: *Respexerunt ad solitudinem, & ecce gloria Domini apparuit in nube.* Non equidem apparuit Dei gloria, antequam ipsi ad solitudinem respexerint; quamdiu enim ob oculos nobis est turba mundialium bonorum, fallar, si innotescat Dei gloria. Barbarissimi, & impiissimi Pharaonis erat illa vox Exod. cap. 5. *Quis est Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Israel? Nescio Dominum.* Quis tantam cæcitatem crederet in homine? Vnde homo in tot rebus à Deo dependens in eam cæcitatem potest venire, vt prorsus ablegent à se omnem Dei cognitionem? Rationem attigit Philo Iudæus lib. de vita Moysis, fatus: *Rex ab incunabulis innutritus maiorum suorum fastui, nec credens vllum Deum præter ista visibilia respondit: Non noui istum, quem prædicatis, nouum Dominum.* Expende illud fundamentum atheistici, nimirum, *ab incunabulis innutritus fastui, &c.* quippe cui temporalis splendor præ oculis semper erat, sic præoccupabatur à temporalitate, vt non haberet, vnde ad Dei cognitionem accederet. Mirabar aliquando sapientes Hierosolymitanos, qui iussi ab Herode, vt Messiæ locum natiuitatis Magis ostenderent, locum quidem ostenderunt dicentes Matth. cap. 2. *In Bethlehem Iudæ. Sic enim scriptum est per prophetam. Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet dux, &c.* Ostenderunt, inquam, locum Dominicæ natiuitatis, sed Dominum natum etiam illuminante stella, minimè viderunt, nec requisierunt. Et cur locum videntes, non vident Dei ortum ab stella ostensum? Erant illis præ oculis temporalia decora, sub quibus credebant venturum regem, & inde obcæcati nō videbant Deum, qui vel cæcis patebat. Ait D. Leo serm. 4. de Epiphan. *Prolato diuino calculo per responsa pontificū, & declarata spiritus voce, quæ dicit, Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel, quam facile, & quam consequens fuit, vt Hebræorum proceres crederent, quod docebant. Sed apparet illos carnaliter cum Herode sapuisse, & regnum Christi communi, cum huius mundi potestatibus æstimasse.* Ecce tibi vbi nihil in Christo non temporale autumant, cumque censent in turba temporalium principem, etiam radiante stella desuper Dei ortum minime vident. Non equidem apparet Deus in bonorum tēporalium turba. Vnde Paterfamilias ille Matth. cap. 20. *Egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos.* Erant equidem otiosi isti in foro, ideò nihil cœleste odorantur, nec dum videre possunt: Vt dicat Paschasius lib. 9. in Matth. *In foro quotiescumque erant, & ideò extra vineam, id est, quia lucra mundi sectabantur. Idcirco dum in foro sunt tales, neque ad nuptias sponsi, neque in vineam Christi, temporalia tantum sectantes, venire, & operari in ea possunt.* Non equidem temporalia lucra suos sectatores permittunt percipere ea, quæ Dei sunt; siue Deus fiat vt sponsus, siue vt vinea, minime ab illis percipietur.

Exod. 5. — Philo. — Matth. 2. — D. Leo. — Matth. 20.

§. XXIII.

Vbi Dei gloria apparet, temporalia omnia disparent.

NVnquam non est mundialium solitudo, vbi gloria visitur Domini, ait enim: *Respexerunt ad solitudinem, & ecce gloria Domini apparuit.* Solitudo semper est vniuersus mundus, vbi cœperit apparere gloria Domini. Proponas licet tibi ob oculos mundi decora, mundi splendores, omnia hæc euanent, disparent, & vastam solitudinem repræsentant, dum tantum gloria Domini sese exhibeat oculis. Ait Matth. cap. 24. *Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur, & tunc parebit signum filij hominis in cælo.* Hæc ait Matth. de extremo tempore; sed Isaias cap. 30. de eodem locutus ait: *Erit lux lunæ sicut lux Solis, & lux Solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum in die, qua alligauerit Dominus vulnus populi sui.* Ecce tibi iuxta Isaiæ vaticinium Sol in tempore vltimo septempliciter radiabit, iuxta Matthæum obscuratus erit tam Sol, quam Luna. Et quomodo

Matth. 24.

si septemplicitet crescet horum splendor, simul erunt obscura? Isaias loquitur de splendore, quem astra secundùm se tunc habebunt, qui procul dubio erit septemplicitet maior, quam est nunc. At Matth. loquitur respectu gloriæ, & splendoris tunc micantis, vel in signo crucis, vel in ipso Iesu hominis filio, respectu cuius lucidissima quæque astra in maiori suo splendore apparebunt obscura, & velut illunes noctes, ac dies deserti Solis lumine. Ait ad hæc D. Paschas. lib. 11. in Matth. *In comparatione vera lucis omnia cælorum luminaria sic futura prophetantur à Domino, ac si tenebrosa. Non in sua natura, sed ad fulgorem æterna lucis comparata valde obscura erit.* Equidem vbi radiat dominicæ gloriæ lumen, sub eius aspectu omnia creata decora, & lumina prorsus dispereunt. Crede mihi, nihil creatū potest non euanescere, si cum diuinis componi debet. Vnde Elias 3. Reg. 17. prouidēs escas mulieris viduæ inquit: *Hydria farina non deficiet, nec lecythus olei minuetur, vsque ad diem, in qua Dominus daturus est pluuiam in Israel.* Vbi Deus inceperit ipse suam ostendere magnificentiam in pluuia, non vult Elias, vt sua dona perseuerent, & quidem merito, in conspectu enim diuinæ abundantiæ nihil non debet euanescere. Chrysostom. orat. in decollat. Ioann. Baptist. habita apud Metaphrastem, ait: *Quare eo vsque? Oportebat enim cum noua gratia venisset tanquam pluuia, veterem legem finem accipere.* Nihil enim quod certis legibus metitur, non disparet ad conspectum & bonitatis, & largitatis immensæ. Ex quo Psalm. 36. *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non erat.* Quò transiuit Dauid, vt tam cito tot altitudines in nihilum redigi viderentur? Transiuit mente, vt Dei glorias specularetur, quas vt mente vel à longe percepit, nil mundiale magnum non euanuit, & in earum conspectu recessit. Ait Elias Cretens. in orat. 3. Nazianz. *Quid illud est, quod transit iustus, vt ista cesset elatio? Cum videmus extolli impios, & in nimiam superbiam crescere, transeamus, & nos mente, & intellectu ab iis, quæ videntur, & temporalia sunt, & transferamus intellectum nostrum ad æterna.* Ecce tibi vt altitudines mundiales vniuersæ cessant, & solo æquantur, quasi nihil sint, vbi mentem leuauerimus ad æterna.

Paschas. — *3. Reg. 17.* — *Chrysost.* — *Psal. 36* — *Nazian.*

§. XXIV.

Ea sunt Dei dona, quæ murmurantium os occludant.

QVerulis, & murmuratoribus hominibus iubet Moyses, vt accedant ad Dominum accepturi alimoniam ea Deo sciente eorum murmurationes. Dicit enim: *Accedite coram Domino, audiuit enim murmur vestrum.* Et quando notum scis Deo murmur eorum, & querimonias pro habendo cibo, cur non magis satagis, vt caueant Dominum? Periclitantur semper, vel apud beneficos illi, qui nimis queruli sunt, nimisque propensi ad ingratissimas murmurationes. Cuius vitij reos Israelitas fateris illos notos Domino, cur ergo non magis illorum murmurationi notæ times, aut Dei nomini non magis prospicis contra linguas murmuratorū? Merito non timet Moyses Israelitis murmuratoribus à Deo, nec Deo timet à lingua murmuratorum, cum sciat esse Dei dona, quæ murmurantium ora prorsus obtrudere possint. Matth. cap. 20. proponitur Deus, vt paterfamilias, qui tandem vndecima diei hora in forum exiit, ibique quam plurimos otiosos, vagosque inuenit, quibus ait: *Ite, & vos in vineam meam.* Sic illos mittit in vineam suam nullo cum illis pacto laboris pretio. Et cur non antea pacificitur de mercede? Nouit equidem genus hominum querulum, qui soleant sæpe magna de laboribus proprijs præsumere, & non acquiescere cuiuis illorum pretio. Cur ergo non magis vel suspiciones querelarum tollit, & ante laborem pacificitur de pretio? Non timet bonus sibi à laborantium querelis, sciens semper illa dare dona, quæ nullum aditum murmuribus relinquant. Pulchrè ait Imperfect. homil. 34. in Matth. *Iste autem non facit pactum. Benignus enim paterfamilias sciebat largitatem suam, quomodo paratus est retribuere, quantum mercenarij accipere non sperabant. De facie enim eius nemo iuste murmurat, quia amplius dat, quam omnis homo desiderat.* Murmurationem omnem absumunt dona diuina: neque vnquam se excedant hominum seruitia. De Iona fugiente Deum ait textus cap. 1. *Inuenit nauem euntem in Tharsis: & dedit naulum eius, & descendit in eam, &c.* Nec dum dicitur ingressus in nauem, & iam notatur, quod naulum soluerit. De Iesu autem ait Matth. cap. 9. *Ascendens in nauiculam transfretauit, & venit in ciuitatem suam.* Nulla mentio de naulo vel dato, vel dando in præsens &c. Et quando hæc, & nulla idem dictabat spiritus, vt ibi notauit, quod Ionas naulū dederit, cur simili modo in præsenti non animaduertit, qualiter se exhibuerit Iesus circa exhibendum pretium nauiculæ? Nouerat Iesu patientissimam largitatem, quæ nullis terminis circumscribitur, nec ligni obsequium admittit, quin illud supra expectationem remuneret. Vt dicat D. Chrysostom. orat. in Parasceue apud Grethserum tom. 2. *Nauigauit Iesus mare, Deus nauigio vsus est: breuem ac temporariam vtilitatem præbuit lignum, ego vero accepi lignum æternum bonum, quo pro remo vsus spiritualos nequitia fluctus despello.* Sic remuneratio in ligno crucis in immensum excessit obsequium præstitum à ligno nauigij. Planè quodcumque obsequium Deo exhibetur, adeò fructiferum est, vt possit vel expectationem supergredi. Elias Propheta Dei à pauperculà vidua petebat frustum subcinericij panis 3. Reg. c. 17. *Quæ abiit, & fecit iuxta verbum Eliæ, & comedit ipse, & illa, & domus eius.* Ecce de pugillo farinæ quot comederunt, & cibus non defecit. Quo spectans D. Chrysost. hom. de decollat. Baptist. apud Metaphrastem ait: *Ipsa quidem festinanter fecit, quæ iussa fuerat. Ille autem cum illum diuitem accepisset panem subcinericium, & gustauit, & eius domum repleuit bonis.* Expende verba, nimirum, *illum diuitem panem*: ex pugillo farinæ subcinericius panis factus diues habetur. Vnde diues panis & paruus, & vilis? Equidem paruus panis exhibitus Deo in propheta tam ingentem remunerationem prætendebat ex Deo, vt merito & diues, imo & fons diuitiarum posset haberi.

Matth. 20. — *Imperf.* — *Ionas 1.* — *Matth. 9.* — *Chrysost.* — *3. Reg. 17.* — *Chrysost.*

§. XXV.

Regis congressus nulli inuidiosus in sola Dei aula potest inueniri.

NOuam, & inauditam in aulicis ministris libertatem ostendit Moyses, dum summi regis adeundi facultatem liberam facit omnibus, dicens: *Accedite coram Domino.* Sic liberum permittis Moyses Domini congressum? Quid magis familiare aulicis ministris, quam sui regis congressum inuidere alijs, imò, & sibi timere ab illo? Cur tu non inuides? Cur non times, quod alij accedant, forsan placituri? Erat res cum Deo, non cum mundiali rege, in sola autem Dei aula inuenitur, & congressus Domini, & fauor sine inuidia. Numer. cap. 24. vaticinatur Balaam plurima de populo Israelitico, fatus tandem: *Accubans dormiuit vt leo, & quasi leæna, quam suscitare nullus audebit. Qui benedixerit te, erit & ipse benedictus.* Aliter idem: *Qui benedicunt te, benedicentur.* Quæ verba minime posse quadrare regno temporali multis contendit Theophylactus. Et quid est in illis, quod à regno temporali abhorreat? Illa sunt, nimirum: *Qui benedicunt te, benedicentur*: qui enim apud regem temporalem bona, & grata regi promit, nequit fieri, quod ipse bene audiat apud alios, sed magis inuidiæ, & odijs erit expositus. Hinc sapienter Theophyl. in c. 2. Matth. dicit: *Qui benedicunt te, benedicentur, ecce deitatem. Sola enim Dei natura hanc benedictionis virtutem habet.* Quod benedicens regi, & tu benedicaris ab alijs, & non magis fit inuidiosus, & infensus, non id inuenies in regum temporalium domibus. Id euidentissime ostendit regis diuinitatem, cuius solius est, quod se colētes non inuidiam incurrant, sed & ipsi implicantur benedictionibus. Quo crediderim spectare Psalm. 47. dicentem: *Ciuitas regis magni Deus in domibus eius cognoscetur, cum suscipiet eam.* Legit D. Chrysost. *Deus in Regiis eius, siue in Palatiis eius cognoscetur ad munimentum.* Alij ex Hebr. *Ad eleuandum, & protegendum.* In magni supremique regis ciuitate, is cognoscitur Deus in Regijs eius, & in Palatijs eius. & cur Deus cognoscitur in Regijs, vel Regiæ ostendunt regem suum Deum esse? Iam explicat dicens, *ad eleuandum & protegendum*; quippe qui ibi eleuantur, & fauoris aura potiuntur, simul apparent protecti, nullo vel inuidiæ, vel odij expositi telo. Commune est in Regijs tam Dei, quam mundialium principum, quod multi ad fauorem regis eleuentur; at quod qui eleuantur, & ad fauorem accedunt, nulli sint expositi inuidiæ telo, sed vndique inueniantur protecti, id solius Regiæ, in qua Deus se manifestat, proprium est. Vnde monebat Æneas Siluius (qui fuit Pius II. Pont. Max.) amicum, *Fugienda nobis sunt atria regum, & aulici tumultus, in quibus nec requies, nec bonorum studium exercitatio, nec virtutis aliquis amor regnat, sed auaritia tantum, libido, crudelitas, inuidia, & ambitio dominantur.* Quid plura? Et Sidonius Apoll. lib. 2. epist. 3. dicit amico: *Si quid nostratium precatibus acquiescas, actutum in patriam receptui canere festina, & assiduitatem tuam periculosa regum familiaritati citius eximas: quorum consuetudinem spectatissimus quisque*

Num. 24. — *Theoph.* — *Psal. 47.* — *Æn. Silu.* — *Si Sidon. Apol.*

flammarum

flammarum natura bene comparat, quæ sicut paalulum à se remota illuminant, ita satu admota sibi comburunt. Sic periclitatur fauor apud mundiales principes; quot enim ministri in aula sunt, tot iacula petunt quemcumque principi appropiuquare videat. Sola in Dei Regia gratus accidis sine inuidia.

§. XXVI.

Diuinum epulum benefacere docet inimicis.

QVos nouit Dominus murmuratores cœlesti pane pascit, dum ait: *Audiui murmurationem filiorum Israel. Vespere comedetis carnes, & mane saturabimini panibus.* Si murmurantes agnoscis Domine, cur conuiuium illis paras? Cur non magis famē, pestem, gladium paras murmuratoribus, quam dapes? Non miror, quod dum cœlestem panem dare cogitat, murmuratores etiam bene accipiat; est enim proprium diuinarum epularum, quod vel aduersarius benefacere faciant. Monet Prouerb. cap. 23. *Quando sederis, vt comedas cum principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam; & statue cultrum in gutture tuo.* [Prou.23.] Septuag. legerunt: *Immitte manum tuam, sciens, quia talia te oportet præparare.* Sto à sententia Diui Augustini tract. 47. & 48. in Ioann. & Isychij lib. 6. in Leuit. [D.Aug.] cap. 25. putantium hanc principis mensam esse, in qua Eucharisticus cibus porrigitur. Sed quando mensa principis Eucharistia est, cur mandamur sic manus ad dapes porrigere, vt talia sciamus à nobis paranda? Quomodo nos talia parabimus ex nostris? Equidem non talia parare tenemur in exhibitione substantiæ, sed in imitatione virtutis. Quando enim siue agnus assabatur, siue panis ad hanc mensam in cruce terebatur, hæc vox ibi audiebatur: *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Nil prius sapiebat diuinissimus panis quam benefacere inimicis, hoc ipse faciebat, hūc imprimebat suum saporem gustantibus. Accipite D. August. serm. 1. [D.Aug.] de sanctis ponderantem, vt Actor. cap. 7. Stephanus pro inimicis orauerit. Ait enim: *Magna pietas, fratres, magna clementia! prorsus qualia in mensa Domini sui comedit, talia & ipse in suo conuiuio præparauit. Scriptum est in lege: Ad magnam mensam sedisti? Scito, quoniam talia te oportet præparare. Talia ergo in ore tenue exhibuit, qualia in sui Domini mensa comedit. Dominus Christus dixit: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt: Stephanus dixit, Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Ecce tibi, quam similia verba sint in Stephano, & in Iesu; nec mireris, quod Stephanus tam similia pararet, vt enim ex magna Dei mensa comedit, statim adductus est, vt in benefaciendo inimicis similia pararet. Huc spectans Isaias cap. 65. ait: *Lupus, & agnus pascentur simul, & leo, & bos comedent paleas.* [Isai.65.] Quibus illud notat D. Hieron. ad cap. 11. Isaiæ, & in præsenti D. Cyrill. quod bos, & agnus non abeant in escas leonum, luporumque, sed magis in suis mēsis admittant agni lupos, boues leones; quando proprius cibus agnorum, & boum est herba, aut palea. Sed cur agni, & boues adeò fera, & sibi inimica animalia secum admittunt? Cur non magis illa fugiunt, imò execrantur? Id sanè habent ex diuino pabulo gustato, cuius est vel ad inimicos, & contrarios extendere charitatem. Ait D. Cyrill. ibi ex [D.Cyril.] translatione Patris Turriani tract. 5. de Eucharist. cap. 30. *Comedunt enim immansueta, & fera simul cum mansuetis: est autem eorum cibus Christus panis viuus, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo. Alit autem carne propria.* Et quidem vbi cibus Christus est, vbi alitur homines pane viuifico, nempe carne Christi, non miror, quod agnelli Christiani sic afficiantur ad inimicos, & persecutores suos, vt vel efferos, & immansuetos lupos in epularum societatem admittant. Quid enim magis proprium eorum, qui cœlestibus dapibus saturantur? Ait sponsa Christi Cant. 2. *Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* [Cant.2.] In cella vinaria agnoscunt Eucharisticum conuiuium Nyssenus, Psellus, & Paschas. lib. de Euchar. cap. 11. ad illam vt introducta spōsa fuit, nil prius in se experta est, quam ordinem charitatis, quæ extenderetur vsque ad hostes amandos. Quo refero Guillelmum Abb. [Guillel.] apud Delrium sic fantem: *Hoc vino potatam sponsus adhuc alio cumulauit beneficio, ne non vt oportet, amaret, docuit eam, quomodo in primis Deum diligere debeat: proximum vt seipsam: denique & hostem catenus, vt malum malo non rependatur, sed cum iniuria beneficium commutetur.* Hic ordo charitatis, quæ ad hostes extendatur, de cœlesti conuiuio nascitur, adeò vt mensa hæc minime dissidentes admittat. Dicit enim Matth. cap. 5. [Matth.5.] *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari, &c.* Expēde, vt relicto ante altare munere iubetur abire, vt dissidentem fratrem, & aduersarium acquirat. Cur non magis expectet, vt peragatur sacrificium, in eo, quod ametur etiam hostis, nec dissidentes secum admittat. Ait D. Chrysostom. homil. 16. in Matth. *Interrumpatur, inquit, ministerium meum, vt tua charitas integretur. Sacrificium mihi est fratrum reconciliatio::: Vade primum, & tunc veni, & offer munus tuum: per omnia ista significans, quia per aliquas inimicitias dissidentes, nequaquam mensa illa suscipiat. Audiant ij, qui sacris mysteriis initiati cum inimicitiis ad communionem altaris accedunt.* [Chrysost.] Sic ibi.

§. XXVII.

Cœlestis cibus diuinitatis latentis ingenerat notitiam.

QVidquid sequatur post escarum exhibitionem, Dominus explicat, dicens: *Mane saturabimini panibus, scietisque quod ego sim Dominus Deus vester.* A cœlestis panis esu hoc asserit euenturum, quod saturi Deum suum sciant. Et quidem facit hoc per diuinas manus porrectus cibus salutis; quod in diuinitatis latentis veniamus notitiam. Hinc Luc. cap. 8. defunctam puellam in vitam trahens *iussit illi dari manducare.* [Luc.8.] Non id iussit in aliis, non in suscitatione Lazari, non in suscitatione adolescentis. Nam, cur solummodo iubet cibum puellæ dare? Vt per cibum à Deo puellæ exhibitum magis innotesceret eius diuina virtus. Quippe ait D. Chrysostom. homil. 33. in Matth. *Puellam cum à morte excitasset, per cibum, quem afferri iussit, à quo esset suscitata, instruxit.* [Chrysost.] Sanè exhibitus cibus à Iesu puellam instruebat de diuina suscitatoris virtute. Ne miremur, quod cœleste epulum nos in diuinitatis cognitionem deducat. Paul. 1. ad Corinth. cap. 10. [1.Cor.10.] dicebat: *Nolo vos participes dæmonum fieri, non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participari, & mensæ dæmoniorum.* Quibus verbis Theophilus Alex. epist. 2. Paschali, confundit errorem Origenis asserentis eundem Iesu agnum in cruce, æque fuisse rostum pro dæmonibus, ac pro hominibus. Quod erroneum esse probat datis verbis Apostoli assignantibus, & duplicem mensam, & duplicem calicem, alteram Dei, alteram dæmoniorum. Et meritò asserit impossibile, quod eadem mensa Dei possit esse communis, & hominibus, & dæmonibus. Sed cur eadem Dei mensa, & idem calix, qui communis fuit etiam reprobis hominibus, destinatis in ignem æternum, non potuit esse dæmonibus communis? Rationem pulchram reddit Theophilus: *Impossibile est dæmones de calice Domini bibere, & de mensa eius participari. Cibus diaboli negatores Dei sunt.* [Theoph.] Expende totam rationem impossibilitatis, nimirum, *cibus diaboli negatores Dei sunt.* Quando enim diaboli cibus est abnegatio diuinitatis, nequit illi esse communis mensa Dei, quæ tota diuinitatem halat. Ecce repugnantiam mensæ diaboli, cum mensa Dei, in illius ferculis nullus cibus est, qui ad diuinitatem negandam non faciat, quod nihil magis repugnans diuinę mēsæ inueniri potest, in qua, & diuinitas patet adorāda. Adeò, vt ille perfectus sit in sacrificio altaris, qui mentē eleuat ad percipiendam diuinitatem. Habes Genes. cap. 46. *Profectusque Israel cum omnibus, quæ habebat, venit ad puteum iuramenti; & mactatis ibi victimis Deo, &c.* [Gen.46.] Quæ verba sic ex Græco reddunt alij: *Eleuans se Israel, & omnia sua, venit ad puteum iuramenti, immolauitque hostiam Deo.* Expende præmissum illud, ante hostiam immolatam, nimirum, *eleuans se Israel*, non ante hostiam facere aggreditur, quàm sese eleuet. Et quo tendebat hæc Israelis eleuatio, nisi vt inter immolandum auspicaretur diuinitatem? Ait D. Ambros. lib. de Ioseph. cap. 14. *Prius se eleuauit, postea immolauit. Ille enim bene immolat, qui cognitionem diuinitatis inuestigauerit.* [D.Amb.] Sic cum perfecto sacrificio stat semper cognitio diuinitatis, nec est separabile, quod ritè, & perfectè accedas ad altare, & quod non experiaris ibi latentem diuinitatem.

§. XXVIII.

Solus est Deus, qui etiam erroneis affectibus suorum soleat satisfacere, vt eos saluet.

AVditis Israelitarum murmurationibus pro cibo, sic illos Dominus pascit, vt suam manifestet deitatem. Ea enim sunt verba: *Audiui murmurationem filiorum Israel. Vespere comedetis carnes, & mane saturabimini panibus, scietisque quod ego sim*

Dominus

Dominus Deus vester. Et cur in exhibitione ciborũ in deserto sciatur Dominus Deus esse, qui cibos parat? Id innotescit per illa verba: *Audiui murmurationem filiorum Israel. Vespere comedetis, &c.* quippe murmurationem Israelitarum audiens, illisque nihilominus satisfaciens Deus est, solus enim scitur Deus, qui etiam erroneis suorum affectibus satisfacit, vt eos saluet. Audita Christi resurrectione aiebat Thomas, Ioann. cap. 20. *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius non credam.* Quid tunc? Despexitne Deus discipuli sui affectum adeò erroneum? Audierat vinum, & signa petit attrectare mortui, quid magis erroneum? Sed accipite euentum: *Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus.* Expende Thomæ vocem ex vulnerum contrectatione ortam, nimirum, *Dominus meus, & Deus meus.* Cur ex vulnerum contrectatione diuinitas Iesu innotuit Thomæ, cui antea resurrectio non innotuit sub tot, tantisque testimoniis? Equidem tunc non potuit non ostendi Dominus Deus, cum vt discipulum saluaret, permisit illi male optatam vulnerum visionem. Pulchre ait D. August. serm. 159. de Tempore *Modo est Dominus, & Deus tuus, quia voluit, vt videres, ne incredulitate animam perderes.* Tunc maxime innotescit, & ostenditur Dominus Deus noster, cum vel nostris affectibus erroneis satisfacit, vt præstandæ salutis habeat occasionem. Quo refero illud Isaiæ cap. 43. *Verumtamen seruire me fecisti peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas, &c.* Expende, per quæ Deus testetur se, & suam patentissimè miserationem, & magnificentiam ostendat: nimirum per illa præmissa: *Seruire me fecisti peccatis tuis.* Quando enim sic fit, vt homines male aliqua petant, quæ Deus illis præstat, vt inde eos ad salutem vehatur, tunc merito dicitur Deus seruire prauis illorum affectibus, quibus satisfacit præstans ea, quæ male concupierunt. Sed tunc euidentissime etiam ostenditur Deus esse, nullus enim nisi Deus sciret peccatorum erroneis affectibus satisfaciens illos saluti reddere.

Ioan. 20. — *August.* — *Isaia 43.*

Exod. 16. Factum est ergo vespere, & ascendens coturnix cooperuit castra: mane quoque ros iacuit per circuitum castrorum. Cumque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ super terram. Quod cum vidissent filij Israel, dixerunt adinuicem, Manhu? (quod significat, quid est hoc?) ignorabant enim quid esset. Quibus ait Moyses: Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum.

§. XXIX.

Quò altiora de Deo præsumis, eò minus distraheris, vt illum inuenias.

ECce tibi Deus Israelitis accedit, & in coturnicum munere, & in cœlestis mannæ mensa. Sed coturnix ipsa castra intrabat, & præ manibus desiderantium erat. Mannæ autem ros extra castra iacebat, vt exeuntes per deserti campos illum colligere deberent. Sic ait textus: *Ascendens coturnix cooperuit castra, mane quoque ros iacuit per circuitum castrorum, &c.* Et cur cum intra ipsa castra inueniretur coturnix, cœlestis panis erat foris colligendus, & quærendus? Sanè, qui pennata Dei, & magnalia decora per aues significata attendit, is non longa inquisitione per creaturas eget, sed prompta, & ad manum, & in se ipso bona sentiet cœlestia. Exeat ille, & vagetur, & distrahatur, qui minuta Dei in mannæ minuto expressa & in rore iacente spectat. O quàm prompta Dei magnalia quærenti! Altilia sunt, & pennata diuina decora, ad te euolabunt, intra te erunt, si illa fideliter spectes. Iacet extra, quod minutum apparet, & via multis passibus ad illud peruenies. Quid magis minutum, quàm granum frumenti iam ad terram decisum, & in sepulchro detentum? Hoc multis lachrymis quærebat Magdalena, & non inueniebat. Ait enim Matth. c. 28. *Angelus enim Domini descendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum: Respondens autem Angelus, dixit mulieribus: Scio enim, quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis. Non est hic: surrexit, &c.* Hoc vnum asserit Angelus quærenti fœminæ, nimirum, quod Iesus non erat ibi, quod iam inde abierat; sed non explicat, vbi sit, non dicit, quò abierit. Cur Angele sic desinis piam fœminam dubiam de loco, vbi Iesus sit? Cur solum dicis, quod ibi non est, vt magis laboret de illo quærendo? Ipse Angelus rationem explicat dicens: *Scio, quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis:* quippè minutum quærebat, & deiectum solum, ne miremur, quod multis passibus, multisque laboribus sit quærẽdum. Quæsisset & resurgentem, & euolantem ad cœlestia, & fallar, si egeret longa inquisitione, sed in se ipsa illum experiretur. Pulchrè ait D. Chrysostom. homil. de Ioann. Baptist. *Audi quid dicit Angelus ad mulieres. Quid quæritis viuentem cum mortuis? Quid quæritis Dominum in sepulchro? Certe si sciretis illum esse viuentem, audiretis Medius inter vos est, quem vos ignoratis. Regnum Dei intra vos est. Iesum quæritis in sepulchro. Credite eum resurrexisse, & putate in vobis quem quæritis.* Quid pulchrius? Sanè per hoc quod non minutum, & frigescens in morte tantum quærerent; sed magis ad resurgentem spectarent, & ad euolantem è mortis tenebris, non ampliùs vagarentur, sed in se ipsis illum experirentur, vt vel manibus ipsum contrectare valerent. Dauid Psalm. 18. ad nos currentem Deum, & in nobis habitantem meditatus, ait: *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Exultauit vt gigas ad currendam viam suam, à summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius.* Quam facile inuenit tabernaculum Dei, imò sole clarius percepit Dei præsentiam in hominibus, quæ nomine tabernaculi significabatur, vt putat Incognitus iuxta illud Apocal. cap. 21. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* Quam primum ergo Dauid Deum inter homines habitantem sentit. Non sic illa, quæ Cant. 1. clamabat: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* Iam vagabatur ipsa, & quærebat, & non inueniebat, & timebat ad illam vagationem peruenire, qua prorsus à semita iustitiæ exorbitaret. Sed cur ista in tanta vagatione, & anxietate est pro inueniendo cœlesti sponso, cum Dauid sine vllo labore sole clarius eius inuenit tabernaculum, & in se, & in hominibus noscit Deum inhabitantem? Planè sponsa quærebat cubantem, hoc est, quærebat deiectum, & prostratum in passione, & in crucis, vel sepulchri lecto inclinatum, vt mauult Philo Carpathius ibi, ideò non miror, quod multis sudoribus, & cursibus opus habeat. Verum Dauid non cubantem, sed surgentem è thalamo spectabat, ait enim, *& ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo*, nihil terrenum, nihil deiectum, sed sublime, sed eleuatum cogitabat, hinc facile inter homines, & apud se ipsum Dei tabernaculum experiebatur. Quo enim altiora de Deo præsumimus, eo propinquius eius præsentiam tangimus.

Matth. 28. — *Chrysost.* — *Psal. 18.* — *Incogn.*

§. XXX.

Cœlestis panis non solum saturitatem offert, sed & æternæ quietis confert discubitum.

HAbes in mannæ pluuia non solas escas, sed & accubitum, dicit enim textus: *Mane quoque ros iacuit per circuitum, &c.* Ex Hebræo, Caiet. legit. *Et in mane fuit lectisternium roris in circuitu castrorum.* Sumitur lectisternium de ritu sacrorum conuiuiorum, quæ in templis à nationibus celebrabantur. Ibi enim non solum erant mensæ dapibus fartæ, sed & in circuitu lectisternia multa, vt simul haberent conuiuæ cibos aduersus famem, & molles accubitus aduersus lassitudinem. Igitur & sacratissima mensa, quæ à Deo paratur suis, cum cibis lectisternia offert, hoc est, cum saturitate æternæ quietis accubitus. Quò spectans clamat Sponsa Cant. 1. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Expende quam sapienter, & pastum quærit, & accubitum; primo petit sibi pastum monstrari, deinde accubitum, quasi certa sit, quod hæc duo non possint disiungi. Sed si semel à Deo pastum habeat, indè se putat venturam ad æternæ quietis discubitum. Ait D. Nyssenus homil. 2. in Cantic. *Doce me, inquit, vbi pastas, vt salutari suscepta pastione, æterno implear nutrimento, quod qui non comedit, non potest ingredi in vitam æternam. Si enim tu tu me pascas, me omnino facias cubare in meridie, quando in pace simul dormiens, requiescam in luce, quo caret vmbra.* Et quidem ab hoc pastu mensæ diuinæ in splendidissimum accubitum æternæ quietis recipimur. Habes homo cœlesti

Cant. 1. — *Nyssen.*

cœlesti mensæ vicinum lectisternium, hoc est, accubitum plenum delitijs, quo æternùm requiescas medius inter lucidissima cœli lumina. Ex quo iuxta Isaiæ cap. 56. Septuaginta lectionem, ait: *Omnes feræ syluestres, venite, comedite omnes feræ syluæ. Omnes canes muti, non valentes latrare, somniantes in lecto, amantes dormitationem, &c.* Notat propheta homines, qui sic viuebant, ac si feræ syluestres essent, solum de pastu cogitantes, de accubitu, de requie lectuli. Hos tamen vocat ad diuinam mensam clamans: *Venite, comedite*, quasi diceret, si cibos more bestiarum cogitatis, ecce vobis suauissimas dapes propono. Sed fateris illos bestiarum more non solum de cibis, sed & de accubitu, de requie lectuli cogitare: cur ergo solam illis mensam proponis? Cur & mensæ non addis accubitus, quibus requiescant? Equidem & mensam & accubitum dicit, dum enim cœlestes corporis Christi dapes proponit, simul cum illis venit & accubitus, & æternæ quietis locus. Ait D. Cyrill. Alexand. lib. 5. tom. 3. in Isaiam: *Venite, comedite, ait: quo omnium sacrorum charismatum affluentiam significat; & mensam esse appositum qua viuificat. Ederunt enim & ipsi panem vitæ, & panis Christi participes facti sunt, adeo vt gaudentes, dicant: Dominus pascit me, nihil mihi deerit, in loco herbido me collocauit. Ad aquam requietis enutriuit me.* Expende, quid dicant diuino pane saturati, nimirum, *in loco herbido me collocauit. Ad aquam requietis enutriuit me.* Quid locus herbidus edentibus panem vitæ? Saturaturus Dominus ingentem multitudinem panibus, simul illis herbidum accubitum præparauit Ioann. cap. 6. *Facite homines discumbere. Erat autem multum fœnum in loco.* Nec otiose meminit fœni ibi existentis, sed vt gratum, suauemque ostenderit discubitum hominum. Vt enim sapienter notat Caietanus: *Locum congruum ad sedendum describit*: quippe semper cum cœlesti pane venit quieti sumendæ præparatus locus. Crede mihi, qui pascit nos carne corporis sui, & accubitum offert omni plenum quiete, æterna ornatum suauitate. Id testantur diuinis epulis farti, qui post cibum clamant, *Dominus pascit me, & in loco herbido me collocauit. Ad aquam requietis enutriuit me.* Quo spectans illa Cantic. 1. ait: *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. lectulus noster floridus.* Vbi Septuag. legunt: *Ecce es bonus frater meus, & quidem speciosus, ad cubile nostrum vmbrosus.* Non equidem solum in se ostendit Deus dulcedinem ad gustum sed & vmbrosum refert cubile ad requiem. Quippe ait D. Ambros. lib. de Isaac & anima cap. 5. *Lectus sanctorum Christus est, in quo vniuersorum fessa sæcularibus præliis corda requiescunt. In hoc loco requieuit Isaac, & benedixit filium iuniorem. In hoc lectulo recubans Iacob benedixit duodecim Patriarchas. In hoc lecto iacens filius viduæ defunctus mortis vincula Christi voce vocatus resoluit.* Sic ibi.

Isaiæ 56. *D. Cyril.* *Ioan. 6.* *Cant. 1.* *D. Ambr.*

§. XXXI.

Qui Dei est, vel de minimis agnoscit ea, quæ Dei sunt.

MInutum apparuit in solitudine, quod videns totus Israelitarum exercitus ignorabat, quid esset, & quærebat de illo. Solus Moyses agnouit esse panem à Deo missum: ita loquitur textus: *Apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ super terram. Quod cum vidissent filij Israel dixerunt ad inuicem, Manhu? (quod significat quid est hoc?) ignorabant enim quid esset. Quibus ait Moyses: Iste est panis, quem Dominus dedit vobis, &c.* Omnes audierant, quod mane visuri erant gloriam Dei, à qua præberetur panis in saturitate, venit mane & minutum quid apparet, nec inuenitur in toto exercitu, qui agnoscat illum nisi vnus Moyses. Cæteri ignorantes motuis interrogationibus quærunt, quid sit illud minutum, vnus Moyses, in illo agnoscit manum diuinam, clamans: *Iste est panis, quem Dominus dedit.* Et vnde è tot millibus hominum vnus Moyses à tam minuta re venit in cognitionem latentis ibi magnificentiæ diuinæ? Plane inter tot illos vnus Moyses erat è præcipuis familiaribus Dei: qui autem Dei erat, statim diuina præsensit vel ex minimo. Quò respiciens Oleaster aiebat: *Hoc interest inter pios & impios, quod impij ignorant dona Dei sibi concessa: pij verò optimè norunt, quæ à Deo donata sunt.* Quæ præ manibus habent Dei dona impij, non norunt: at pij viri, vt ipsi Dei sunt, sic agnoscunt Dei dona vel in minimis. Matth. cap. 2. Viri Chaldæi Ierosolymam ingredientes, clamabant: *Vbi est, qui natus est rex Iudæorum? Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Non solùm stellam, sed & stellas innumeras videbant cæteræ nationes, videbant Iudæi, imò & ipsas cœlorum voces audiebant narrantes Dei gloriam apertè, iuxta id quod docet Psalm. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei, &c.* & nihilominus stellarum authorem Deum non cognoscebant. Hi autem viri solam vnam stellulam videntes, statim natum Dominum, & Deum stellarum præsenserunt. Cur ij in vna stella excitantur, vt Deum præsentiant, quando reliquus mundus in tot stellarum millibus Deum non sentit? Erant ij fide sua ad stelliferum genus Abrahæ pertinentes, iuxta illud Genes. cap. 22. *Multiplicabo genus tuum sicut stellas cœli.* Vt autem in fide Abrahæ ad stelliferum, cœlestéque genus pertinebant, vel in minima stellula omnia percallebant cœlestia. Ait pulchrè D. Leo serm. 3. de Epiphan. *Hæredes in syderibus designati, ortu noui syderis excitantur.* Non multis indigebant Magi, vt ad cognitionem diuini Regis excitarentur: vt enim stelliferæ nationis hæredes erant, sic vel visa stellula cœlestia consilia rimantur. Sic Canticor. 5. Sponsa ait: *Ego dormio, & cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulsantis.* Ipsa dormiebat, & sponsus pulsabat ad ianuam; non strepebat, quin potius strepentibus alijs, ipse leniter pulsabat, & tamen eius pulsus agnoscebatur. Et vnde fiebat, quod lenis pulsus dignosceretur inter tot strepitus? Sponsa erat, quæ agnoscebat, & ad familiam Dei maximè pertinens; & non mirum est, quod vel è minimo pulsu possit dilecti sui percipere præsentiam. Ad hæc Gillib. Abbas in Cant. *Vox, inquit, dilecti pulsantis. Hæc mihi vox nota est, hæc mihi grata, ad hanc expergefacta sum, statim vt insonuit in auribus meis, exultaui præ gaudio. Multæ voces obstrepere solent, sed non sicut vox dilecti. Magna prudentia sponsæ.* Prudentia equidem est magna, quæ vel in leni pulsu inter magnos aliorum strepitus distinguat, & agnoscat Dei vocem. Sed hæc prudentia inuenitur in sponsa, hoc est, in ea anima, quæ pertinet ad familiam Domini. Proprium est enim eius, qui Dei est, vt Deum vel in paruis agnoscat.

Oleaster. *Matth. 2.* *Psal. 18.* *Genes. 22.* *D. Leo.* *Cant. 5.* *Gill. Abb.*

§. XXXII.

Cœlestis panis nihil carnalium, mundialiúmque bonorum secum admittit animæ fixum.

NOn otiosè posuit textus, quod manna apparuit in solitudine, nempe ait, *Apparuit in solitudine minutum, &c.* Dixerat, quod vespere ascenderat coturnix, & mane iacuerat ros, & solitudinis ibi non meminit, cum iam ea scirentur accidisse in deserto. Nihilominus ad manna accedens malum ibi speciatim meminisse solitudinis, aiens: *Apparuit in solitudine minutum.* Et cur in præsenti necessum fuit meminisse solitudinis, nisi vt ostendatur, quam fugiat panis cœlestis consortium omnium bonorum istius mundi? Matth. cap. 26. vbi Iesus cœnans cum suis viuificum conuiuium instituit, dicitur: *Accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens. Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus, noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, &c.* Ecce tibi, vt tradens Eucharisticum potum, simul asserit se non vltra bibiturum de mundialis vitis succo, ait enim: *Non bibam amodo, &c.* Et cur Domine inter tradendum diuinum poculum, asseris abstinentiam à mundiali vino? Ea est virtus diuinissimi poculi, quæ nil mundiale patitur sociari sibi, sed mundialibus omnibus abrenunciat. Ait Theophyl. ibi: *Sumpto poculo renuntiat corporali potioni.* Non bene conueniunt æterna, & transitoria, mundialia, & diuina; necessum alia per alia expelli. Vbi enim præualet cœlestis conuiuij virtus, statim ibi abrenuntiantur mundialia, dum autem hæc principatum tenent, hominisque pectus præoccupant, non valet ibi cœleste conuiuium. Genes. cap. 4. *Egressus Cain à facie Domini, habitauit profugus in terra ad Orientalem plagam Eden.* Septuag. autem legunt: *Habitauit in terra Naid contra Eden.* Est Naid idem quod commotio, vt exprimantur ibi carnalia, & temporalia bona, quæ in perpetua motione sunt, & passim aguntur sub rota fortunæ. Sed vide horum regionem, vbi sit, nimirum, *contra Eden*, contra regionem vitalis cibi, quo scies, quam nequeant simul esse carnalia bona cum cœlesti, & vitalissimo cibo. Quippe ait D. Isidor. Hispal. in Genes. cap. 8. *Habitauit profugus in terra commotionis, id est, in perturbatione carnali contra iucunditatem Dei, hoc est, contra Eden, quod interpretatur epulatio, vbi est plantatus paradisus.* Vbi commotio, & perturbatio bonorum temporalium implent hominem, puta hunc habitare contra Eden, & tenere regionem cœlestibus epulis, vitalique fructui prorsus aduersariam. Absit à temporalium, carnaliumque bonorum commotione, qui velit non contra, sed iuxta cœlestem mensam inhabitare. Quò spectat illud Isaiæ

Matth. 26. *Theoph.* *Gen. 4.* *D. Isid.*

cap.

Isaia 55.

cap. 55. dicentis: *Omnes sitientes venite ad aquas: qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac.* Si gratis vult concedere, cur ad emptionem vocat? Si ad emptionem vocat, cur prohibet afferri argentum, vel commutationem aliquam? Crediderim non omnino gratis concedere velle, ideoque vocare ad emendum, sed nouum pretium designare ad commercium tanti panis, nimirum spoliationem, & renuntiationem omnium bonorum temporalium, cum quibus nunquam nouit esse cœlestis hic, & viuus panis. Rem pulchre attigit D. Ambr. lib. 3. de Spiritu sancto c. 8. fatus: *Isaias dixit: Quicunque non habetis argentum, venite, emite, & bibite, manducate sine argento, vt eum acquireret, qui non habebat argentum.* Expende, cur sine argento iubetur homo ad cœleste venire conuiuium; nimirum, *vt eum acquireret, qui non habebat argentum*: quippe tanta est incompossibilitas Dei, & argenti in corde dominantis, vt nequiret Deus acquiri nisi ab eo, qui istiusmodi argenti appareret vacuus, & nudus. Hinc Paul. ad Hebræos c. 11. ait: *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longe eas aspicientes, & salutantes, & confitentes, quia peregrini sunt, & hospites super terram.* Loquitur de Abraham, Isaac, & Iacob, quibus ingens Chananæi soli terræ promissio facta fuerat, sed minime in eis adimpleta; imò eo deducti fuerunt, vt nihil terræ viuentes haberent, sed hospites, & peregrinos vbique se putarent. Et cur quibus tantum terræ promissum erat, nihil eis habendum datur? Cur non permittuntur isti accipere, vel minimam partem terræ sibi promissæ, sed magis relinquuntur, vt hospites, & peregrini habeantur? Rationem apponit Paul. fatus: *Ideò non confunditur Deus vocari Deus eorum*: quippe sic amat Deus bonis terrenis vacuos, sic erubescit inter bona terrena annumerari, vt prius vacuandus omnibus iis bonis sit ille, cuius dici Deus malit. Ait D. Chrysost. in Psal. 113. *Et hi omnes mortui sunt non acceptis promissionibus, sed has procul visis, cum & salutassent, & confessi essent, quod peregrini sunt, & hospites. Propter hanc causam nõ erubescit Deus vocari Deus eorum. Propter quamnam? Quoniam confessi sunt, esse hospites, & peregrinos, & nihil habere commune cum præsentibus. Sed secundùm ab eis, quæ ad hanc vitam pertinent, ita degebant in aliena.* Conueniebat illos vacuos esse omni temporali bono, vt Deus illorum Deus sine rubore diceretur. Ægrè enim & difficulter diuinitas accedit ad illos, qui sub mundialibus obsequiis tenentur. Ioan. 11. suscitaturus Lazarum Iesus iubet prius tolli sepulchri operculum. Ait enim: *Tollite lapidem.* Et cur necessum erat lapidem tollere? Quando ipse clauso sepulchro exiit, nonne & posset Lazarum educere clauso monumento? Cur ergo mauult hic tolli lapidem? Sepulchrorum opercula ponuntur a creaturis in defunctorum obsequium. Humana ergo obsequia non impediunt, imò conducunt, vt Deus inde exeat, at impedimento sunt, vt Deus eò accedat. Quippe ait Chrysol. serm. 65. *Tollite misera humanitatis obsequium, vt diuinitatis beata opera nunc clarescant.* Ecce tibi, vt cum creatis obsequiis diuinitas non conueniat. Tollenda sunt humana obsequia, vt in nobis clarescat diuinitas.

Hebr. 11.

Chrysost.

Chrysol.

§. XXXIII.

Nihili, aut parui æstimat Deus temporalia dona. Magnitudo enim in solo cælesti pabulo est.

Vide in quid desinat totum cantatissimum opus diuinæ beneficentiæ exhibitæ Iudæis, nimirum: *Apparuit in solitudine minutum, &c.* Ex minutissimis granis cõstans veniebat pluuia panis cœlestis, & cur in minutis? Cur non maluit Deus, quod tantum donum in magnis potius, quam in minutis appareret? Sane Luc. 14. dicit: *Homo quidam fecit cœnam magnam.* Ibi minutum dicitur, hic magnum. Et cur non in vtroque magnum? In primo nihil spirituale, nihil ad æternitatem per se spectans dabatur, quod in paruitate rei demonstrabatur, quando temporalia omnia dona, quasi res nihili à Deo manant. In secundo iam epulum corporis Christi erat, in quo & vera magnitudo, & magnificentia Deo digna manifestissime apparet. Ait D. Thom. in cat. ex Cyrillo: *Hac ergo condicer omnium, atque gloria pater parauit cœnam magnam in Christo peractam. In nouissimis enim temporibus illuxit nobis Dei filius, & mortem pro nobis sustinens dedit nobis proprium corpus comedere.* Sed & Theophylact. ibi ait: *Cœnam magnam vocauit dispositionem hanc. Cœnam quidem, eo quod in nouissimis temporibus, etenim ad vesperam sæculi venit Dominus. Magna autem cœna hæc, quoniam ex confesso magnum est salutis nostræ mysterium.* Vbi

D. Thom.

Theophyl.

Christus Dominus datur, & æternæ salutis mysterium dispensatur, ibi magnitudo est, & præstantia supremæ digna Deitatis: adeò vt vel ab specie temporalitatis, vel æternitatis doni magnitudo, aut paruitas sciatur. Hinc Ioan. 6. gloriantibus Iudæis de manna, quasi de cœlesti pane ait Dominus: *Non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis enim Dei est, qui dat vitam mundo, &c.* Expende vnde probet manna non esse cœlestem panem, illum autem esse cœlestem, & magnum cui à patre datur, nimirum ea eo quod hic conducit ad vitam æternam consequendam, ait enim: *Panis Dei est, qui dat vitam mundo.* In quo est æterna vita, & perennis mundi salus, ille est panis excellens, & præstans, & tantæ magnitudinis, qui verè possit haberi Dei panis. Et multum errarent, qui hanc præstantiam cœlestis panis in minutissimis mannæ granis sperarent. Ex quo premebat Iudæos D. Cyril. Alex. lib. 3. in Ioann. c. 36. fatus: *O sola imperitia excellentes homines, eam de cœlo daturum se vobis Deus panem dixerit, & tantam hanc rem pollicitus sit, non erubescitis de sensibili mãna ita hoc intelligere, vt vlterius progredi nolitis? Non sentitis, quia breue illud, & paruum est iis vobis erat, quam Deo, qui largitus est? Nolite igitur credere illum fuisse panem de cælo.* Sane imperitia erat egregia Iudæorum, cum magni, præstantisque muneris pollicitationem habebant ex Deo, illam putarẽ impletam in mannæ sola exhibitione. Et cur imperitia erat, magni doni pollicitationem in manna impletam esse? Iam ait: *Nonne sentitis, quia breue illud, &c.* Equidem in temporali cibo non poterant non sentire, & percipere exiguitatem, & paruitatem, quæ longe abest à Dei donis, & a cœlestibus epulis promissis ad æternum duraturam vitam. Manna illud & paruum erat, & minutum tam respectu accipientium, quam respectu Dei largitoris, vt qui parui æstimet res temporarias, & solam agnoscat magnitudinem in eis, quæ per se spectant ad animarum salutem. Vnde venit, quod cætera prætermittens illa sola velit commendari, quæ in nobis salutem æternam per se causant. Sic 1. ad Corinth. 11. porrigens discipulis diuinum epulum, ait: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Multa fecerat Dominus pro nobis mira opera, oculos cæcis dederat, pedes claudis, vitam defunctis & similia alia patrarat, quorum nullam mentionem in mysteriis mandat; hæc solum autem, quæ ad passionem pertinẽt, inibi iubet annumerari. Et cur solæ res passionis annuntiabuntur, cæterorum autem miraculorum nulla mentio agitur? Res passionis erãt per se causæ nostræ salutis spiritualis, & æternæ; cætera miracula non hanc efficiebant, sine passione, sed temporalem, cuius mentio apud Deum parui, aut nihili æstimatur. Quo spectans Græcus auctor Nicol. Cabasila in liturgiæ exposit. c. 8. ait: *Cum dixisset, Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus, non adiecit eis miracula, diceus, quod mortuos suscitauit, quod leprosos mundauit. Sed quid? Passionem solum, & mortem. Quod pro vobis traderetur. Quod pro vobis effunderetur. Et quanam est ratio, quod non miraculorum, sed passionum meminit? Quoniam ha sunt illis tanto magis necessaria, quod hæ quidem sunt nostræ salutis efficientes, & sine his minime possit homo resurgere.* Ecce tibi passiones suas pro nobis exantlatas iubet Dominus annuntiari, recoli, & celebrari, vt quæ nostram salutem spiritualem gloriamque æternam causabant. Miraculorum autem consistentium in sanatione corporalium infirmitatum nulla mentio apud Deum in mysteriis agitur. Sic parui æstimat Deus temporalia dona, & magni æstimat spiritualia, & æterna. Quod enim temporale est, & res parui momenti, & nullius mentionis habetur; quod autem spirituale, & æternum, id omnem æstimationem superat, & laudem. Hinc Ioann. c. 6. distributurus Dominus panes turbis Iudæorum proponitur, & statim additur: *Accepit ergo Iesus panes, & cum gratias egisset, &c.* Perpendite vocem illam nunc primum auditam in scriptura, nimirum, *gratias egisset*: quippe nunquam antea expresse dictæ sunt gratiæ actæ, nec Moyses dicitur gratias egisse, nec Dauid, nec Elias, nec vllus ante pater, etsi multa ex Deo beneficia reportassent. Et cur antea diuinus spiritus non mouebat linguas antiquorum, vt expresse gratias agerent pro beneficiis habitis? Erant omnia antiqua dona temporalia, quæ parui, aut nihili à Deo æstimabantur, & pro minimo habebat, quod à se proficiscerentur. Vbi autem fons gloriæ humanæ Iesus, verum lignum vitæ, verus cœlestis panis datus est nobis, iam ibi quasi de re summa, & perfecta permissæ sunt audiri voces expressæ de actione gratiarum. Accipite Ruper. lib. 8. de Trin. c. 10. fantem: *Iste seruus Domini Iesus primus est, qui Deo gratias egit, ante quẽ non facile quempiam inuenies, siue in lege, siue in prophetis, de quo manifeste scriptum sit, quod Deo gratias egerit. Needum quippe impleta fuerant beneficia Dei.*

Cyr. Alex.

1. Cor. 11.

Nic. Cab.

Rupert.

Dei, quorum omnium hoc summum est, quod ipsum seruum suum Christum Iesum fecit secundum formam serui, pro quo facto nimirum gratiarum actio debetur illi. Denique quicumque Deo gratias agit, causam istam in ipsa gratiarum actione non habens pra oculis, quia Dominus ipsum suum seruum fecerit, nondum intellexit, quomodo aut propter qua gratia agenda sunt. Quid pulchrius? Tunc solum magnum quid nobis datur cum Iesus datur, cum per Iesum salus æterna datur: in quibus autem donis, nec eius respicitur, nec est, vix manet materies, de qua Deus æstimet sibi haberi gratias. An profusissimus largitor ratione materiæ æstimat sibi gratias haberi de rebus nihili, aut momenti parui?

§. XXXIV.

Quod diuinus cibus multùm in nobis proficiat, in causa soles esse humilitas accipientis.

SOlet nunc manna quæri in arborum foliis, à quibus pueruli quandam elãbunt dulcedinem, at manna illud datum Israelitis à Deo nõ in foliis arborũ, sed in nuda terra apparebat, ait enim: *Apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tunsum, in similitudinem pruina super terrã.* Cur super terram? Cur non magis in herbis, & arboribus? Iam ibi Deus ostendebat, vnde cresceret diuini pabuli profectus, nimirum ex terræ conspectu, vt terrenam originem suam præ oculis haberent accipientes. Crede mihi Christiane, si curas profectum capere de diuinis epulis, iunge cœlestem panem cum memoria originis tuæ terrenæ, huic namque inhærens, ó quam multiplex de cœlesti cibo capies augmentum! Daturus Iesus panes Ioann. c. 6. ait; *Facite homines discumbere, Erat autem fœnum multum in loco.* Verum Matth. 15. dum similis discubitus mandatur ad prandium, nulla ibi fit mentio fœni, sed nuda proponitur terra. Dicit enim: *Et præcepit turba, vt discumberet super terram.* Cur non in fœno, sed super terram? Ait D. Hilar. canon. 15. *Peccatorum, corporumque suorum originis heredes ad donũ Spiritus septiformis vocantur.* In primis donum per quinque panes significabatur, nunc per septem; vbi autem septempliciter crescebat doni gratia, qui vocabantur ad tam auctam gratiam percipiendam, hoc debebant attendere, vt origini vilitatis suæ, & miseriæ maxime adhærescerent. De cognitione enim terrenæ vilitatis, fallar nisi in diuinis epulis gratiæ tuæ profectus septempliciter crescat. Hinc Matt. 15. Chananæa illa toties repulsa à Deo, quia canis esset, perseueranter clamat; *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mẽsa dominorum suorum.* Admitiit opprobrium, quo canis vocabatur, & canis vilitati adhærescens contendit admitti iuxta diuinam mensam. Nunquamque certius sperat se inter conuiuas fœlicissimos admittendam esse, quam vbi canis vilitatem sibi competere æstimat, & sub illa accedit. Ait Origen. hom. 7 ex diuersis: *O prudentia fœmina! Canis sum Domine, sum etenim. Itaque nutri me velut canem, quia non possum relinquere mensam Domini mei. Sed quia canẽ me appellas, saltem porrige mihi micas. Dixisti causam meam, manifestasti conditionem meam.* Expende illa verba: *Dixisti causam meam, manifestasti cõditionem meam;* quasi totus punctus humanæ causæ ad obtinendam diuinam mensam in eo consistat, quod conditionis natiuæ vilitas sit pro manifesto. Vbi vilitas conditionis tuæ tibi fit manifesta, illamque intueris, ibi est tota causa tua, vt largè cum Deo epuleris. Quando enim humilitas non præparat hominem ad largissimas Dei epulas? Ad hæc addit D. Hieron. in præsenti: *Scio me, inquit Chananaa, filiorum panẽ non mereri, nec integros posse capere cibos, nec sedere ad mensam cum patre, sed contenta sum reliquiis catulorum, vt per humilitatem micarum, ad panis integri veniam magnitudinem.* Quid sapientius? In humilitate accedentium ponit Hieron. quod ad magnitudinem integri panis cœlestis deueniamus. Nunquam enim non prærequiritur humilitas, vt magna capiantur. Ezech. c. 41. dicitur: *Fili hominis vide oculis tuis, & auribus tuis audi, & pone cor tuum in omnia, quæ ego ostendã tibi, quia vt ostendãtur tibi, adductus es huc.* Adducebatur quidẽ vates, vt magna Dei sacramenta videret, ad quæ vt accedat nomine filij hominis vocatur, dicit enim: *Fili hominis vide.* Non sic vocabatur Daniel, sed suo proprio nomine cap. 10. *Dixit ad me, Daniel vir desideriorũ, intellige verba, &c.* Cur non similiter vocatur Ezechiel nomine suo proprio? Cur Angelus maluit hunc vocare filium hominis? Vocabatur Ezechiel ad percipienda magnarum rerum sacramenta, ideò filius hominis nunc vocatur, vt præ oculis habeat propriæ originis vilitatem; illique inhærens aptetur ad excipiẽda magna. Rupert. lib. 2. in Ezech. c. 4. *Fili hominis, inquit. Opportuna commemoratio infirmitatis. Tanquam diceret; O videns magnitudine reuelationum ne extollaris, vbi visiones Dei vides, quia filius hominis vermis es. Hoc non te prætereat, istud tene memoriter. Ita humiliato cupito vide oculis tuis, &c.* Debet semper firmiter inhærere originis propriæ vilitati, qui amat percipere Dei magnalia. Fallar enim, nisi per humilitatem peruenias ad integrum diuinitatis ferculum percipiendum. Apoc. 21. *Ostendit mihi ciuitatem sanctam Hierusalem descendentem de cœlo à Deo, habentem claritatem Dei.* Miraberis quod dicatur ciuitas habere claritatem Dei, cum alioquin de cœlo descendat? Qualis descensus est, qui claritatem tenet? Ait Rupert. lib. 12. in Apoc. *Descendẽtem, inquam, non cadentem, vt cecidit iste Angelus, & factus est diabolus, & Satanas. Cadere namque superbia, descendere humilitatis est. Talis descensus gloriosus est, & in magna claritate sublimis. Cum ergo dixisset, descendentem de cœlo, rectè subiunxit: Habentem claritatem Dei.* Ecce humilitas hominis vt valet in se retinere claritatem Dei.

Ioan. 6. — Matt. 15. — Origen. — Hieron. — Ezec. 41. — Dan. 10. — Rupert. — Apoc. 21. — Rupert

§. XXXV.

Cibus cœlestis secum affert firmamentum permanentis spei.

NOn possum non amplius ponderare, quod manna Israelitis datum non in foliis arborum, sed super terram apparuerit. Apparuit enim *in similitudinem pruina super terram.* Et cur non in foliis, sed super terram, nisi vt ostenderet firmum nostræ spei fundamen? Equidem is est cœlestis cibus, qui fundamentum firmum exhibeat, in quo possimus securè sperare. Habes ea Ioann. 6. vt Iesus cibum præbiturus dicebat: *Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco,* prouidit enim famelicis, & cibum, & herbosum discubitũ. Non sic Matt. 15. sed *Præcepit turbæ, vt discumberet super terram.* Cur in præsenti non prouidit turbis herbosum discubitũ? Cur sinuntur sedere in nuda terra? In hoc secundo miraculo ostendebantur cœlestis prandij conuiuæ, vt spei permanentis inde solidum fundamentũ haberent & firmum. Sic Beda in Marc. c. 7. *Ibi turba super fœnum, hic super terram reficitur. Ibi enim celsitudo Christi propter carnales homines carnali spe, & desiderio tegitur: hic autem remota omni cupiditate carnali, conuiuas noui Testamenti spei permanentis firmamentũ tanquam ipsius montis soliditas nullo fœno interposito continebat.* Ecce tibi vbi conuiuæ admittuntur noui Testamenti, illos excipit & permanentis spei firmamentum, & vera Christi soliditas. Non enim nisi in rupe, & in firmo, & solido nouerunt, niti, qui ad epulas accedũt Christi. Quo spectans Isaias c. 32. ait de Christo veniente ad saturandos suos: *Sicut riui aquarum in siti, & vmbra petra prominentis in terra deserta. Non caligabunt oculi videntium.* Hæc vltima verba reddunt Septuag. *Nequaquã erunt confidentes in hominibus, &c.* Et quidem est Christus Dominus sitientibus riuus aquarum dulcissimus, qui nos impleat, est item petra, rupesque firmissima, in loco, vbi nulla arbor, nullum arboris folium inuenitur. Quid tunc? *Nequaquam erunt confidentes in hominibus.* Ex quo post sumus Christianis votis, petramque Christi ad refrigerium tenuimus, non volubili hominum auxilio, & fauore nitimur, sed permanentis spei firmamentum acquirimus. Vt merito consulat Psal. 4. *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino.* Vbi sapienter Chrys. notat consequentiam, qua peracto sacrificio iustitiæ iubemur sperare in Domino. Si quod autem sacrificium confirmat spes nostras; id est sacrificium corporis, & sanguinis Domini. Quo refero dicta 1. tom. in vetus Testam. lib. 2. cap. 5. §. 27. præcipue in fine.

Ioan. 6. — Matth. 15. — Beda. — Isaias 32. — Psal. 4.

§. XXXVI.

Singularis gloriæ nomen non ex parentibus, aut amicis, sed ex tota hominum communitate acquirendum.

ECce primum vocabulum, quo designabatur cœlestis panis, à tota Israelitarũ communitate prolatum fuit. Nimirum ait: *Quod cum vidissent filij Israel, dixerunt ad inuicem, Manhu?* Quod mansit pro nomine pabuli à Deo missi. Ait Theod. *Itaque factũ est, vt interrogatio vicem nominis haberet.* Et merito nomen nouæ, & admirandæ naturæ significatiuum ab omni Israelitarum natione conflari Deus maluit, quam ab vno Moyse. Debent enim gloriosa nomina, & singularia laudis non peti ex familiaribus; sed ex omnibus vniuersaliter. Accipe rei exemplum omni excogitatione maius. Apud Luc. c. 1, venit Angelus ad Mariam, illique dixit: *Ecce concipies*

Theod. — Luc. 1.

in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, & filius Altissimi vocabitur. Expende, vt quando recens natus puer vocandus Iesus erat, Mariæ permittitur: vt Iesum vocet suum infantem, imò & idem conceditur Ioseph Matt. 1. Vbi autem vocandus erat puer filius Dei, non Mariæ, nec alicui alij familiari dicitur, quod eum taliter vocent, sed sic communiter ostenditur vocandus. De primo dicitur Mariæ: *Vocabis nomen eius Iesum*, de secũdo dicitur, *Filius Altissimi vocabitur.* Vt enim filij Altissimi vocabulum singularis erat gloriæ, & præstantiæ, sic cauit Angelus, ne id vocaretur ab aliquo familiari, sed expectauit, vt communiter diceretur ab vniuersa hominum communitate. Ait Rupert. lib. 1. de Operibus Spiritus sancti, c. 10. fatus: *Paulò ante, Vocabis nomen eius Iesum, hic autem, vocabitur filius Dei. Illic vocabis, hic autem vocabitur, dixit. Et ad Beatum Ioseph, vocabis, ait, nomen eius Iesum. Etenim nomine Iesu, quo plures æquiuocabantur, libere ab ipsa, vel à Ioseph vocari potuit; filius autem Dei, siue filius Altissimi vt vocaretur, reseruatum erat Euangelica prædicationi. Vocabitur ergo, id est, innotabitur ab omni sæculo hoc nomine, quod est filius Dei.* Sic nomen Iesu, quod commune erat cum pluribus alijs à matre, & à nutritio accipit diuinus puer, nomẽ autem filij Dei, vt nomen erat gloriæ singularis, sic nec à matre, nec à familiari aliquo priuato accipit, sed ab omnibus generaliter. Vniuersi enim siue audientes, siue videntes eius opera, illum filium Dei mirabundi clamant. Similiter Isaias c. 7. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel.* Septuag. *Vocabunt nomen eius Emanuel.* non particulariter exprimit aliquam personam, quæ illud vocet nomen Emanuelis; sed communiter de omnibus asserit, quod vocabunt. Verum vbi ad alia nomina eidem puero imponenda descendit; statim designat personã, quæ illa imponat. Ait enim Isaias c. 8. *Et dixit Dominus ad me. Voca nomen eius, Accelera spolia, &c.* Ecce tibi in præsenti conceditur Isaiæ, quod vocet puerum recens natum, *Accelera spolia, &c.* Supra autem nulli in particulari datur, quod vocet Emanuelem, sed de omnibus dicit, quod vocabunt. Cur non magis designatur aliquis vates, aliquis Dei amicus, qui Emanuelem vocet, vt designatur Isaias, qui vocet, Accelera spolia prædari? An quia istud præstantius nomen est illo? Absit, imò Emanuel, quod sonat idem, ac Nobiscum Deus, nomen est præstãtissimum, gloriosissimum; ideo non debuit à familiari aliquo, sed ab omnibus communiter appellari. Ait D. Cyrill. Alex. lib. 1. in Isaiam orat. 5. *Cum superius dixisset: Ecce virgo grauida erit, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emanuel; nunc iubet vocare nomen eius: Velociter spoliate, Citò prædator. An vero illud primum nomen inane est, & irritum numerum, Emanuel? Et hoc maxime decebit: Velociter spoliate, Citò prædator? Nequaquam istud dicimus, sed illud dicimus potius.* Et quidem vt Emanuelis nomen erat potius, & præstantius, sic non debuit a familiari aliquo, sed ab omnibus communiter nominari.

Matth. 1. — Rupert. — Isaias 7. — Isaias 8. — D. Cyril.

Exod. 16. Hic est sermo, quem præcepit Dominus: Colligat vnusquisque ex eo, quantum sufficit ad vescendum, gomor per singula capita. Iuxta numerum animarum vestrarum, quæ habitãt in tabernaculo, sic tolletis. Feceruntque ita filij Israel, & collegerunt, alius plus, alius minus, & mensi sunt ad mensuram gomor. Nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus, sed singuli iuxta id, quod edere poterant, congregauerant.

§. XXXVII.

Copiarum temporalium vsus suauissimus, sicum obseruatione præceptorum diuinorum iungatur.

ET coturnices, & manna dederat Dominus Israelitis, de coturnicibus autem nihil præcipit; vbi autem mãna apparet, statim Dei præcepta implent populi aures. Ait enim Moyses: *Hic est sermo, quem præcepit Dominus: Colligat vnusquisque ex eo quantum sufficit.* Et cur non in coturnicibus, sed in manna præceptum dabatur? Equidem non in coturnicibus, sed in manna parabatur earum rerum copia, quæ maximè suauaret vitam humanam. Copiarum autem temporalium vsus nullus suauior, & gratior eo, qui coniungitur cum præceptorum diuinorum nota obseruantia. Huc spectans ille Cantic. 5. ait: *Comedi fauum cum melle meo.* Septuag. *Manducaui panem meum cum melle meo.* Scio in pane intelligi abundantiam, & copiam bonorum temporalium, at quale est mel, quo hæc copia, & abundantia sic temperatur, vt dulcis, & suauis appareat? Non fallar, si pro melle accipiam præceptorum obseruantiam, de adiuncta enim hac bonorum temporalium vsus dulcis sit, & maximè suauis. Vt merito dicat D. Greg. Nyssen. hom. 10. in Cantic. *Panis lætitia est beneficentia, conditus melle præcepti.* Equidem quoties ad beneficum vsum temporalium adiungis præceptorum obseruantiam, mel addis, quo mirificè suauiatur, indulcatur. Sic creato Adamo & in exsuperanti bonorũ Paradisi copia cõstituto præceptum datur, iubet enim Dominus Genes. 2. *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas.* Et cur Domine tantam bonorum segetem præcepti onere grauas? Cur non magis omni præcepto liberum permittis hominem Paradisi vbertati? Addidit præceptum, vt bonorum vbertas in Paradisi suauitate, & gloria seruaretur. Ait enim ibi Hugo Victorinus: *Ecce dat præceptum, per quod si seruaret homo, paradisum custodiret. Præceptum datum est, vt per meritum obedientiæ gloriosius obtineret bonum.* Expende, in quo custodiretur tota suauitas paradisi, nimirũ in obseruãtia præcepti; si in illa vbertate rerũ præceptum obseruaretur, tota paradisi dulcedo integra homini maneret: imo & suauior, & gloriosior esset illa possessio. Crede mihi homo, in paradiso es, tibi paradisi suauitatẽ excitas, si in bonorũ temporalium vsu adiungis obseruata præcepta. Et panis, & vniuersa rerum copia tibi mellea erunt. Quo respiciebat Moyses Deuter. 6. *Vt custodias mandata, & præcepta eius, quæ ego præcipio tibi, & filiis, ac nepotibus tuis cunctis diebus vitæ tuæ, vt prolongentur dies tui. Audi Israel, & obserua vt facias, & bene sit tibi, & multipliceris amplius, sicut pollicitus est Dominus Deus patrum tuorum tibi terram lacte, & melle manantem.* Expende illud, *sicut pollicitus est tibi*, equidem promissio expressa de terra lactea, & mellea nulli fuit facta nisi obseruatori diuini mandati. Vocabatur terra illa fertilis, fœcũda, dum ab Ethnicis incolebatur; sic enim ait Rabsaces Isaiæ c. 36. *Tollam vos ad terram, quæ est vt terra vestra, terram frumenti & vini, terram panum, & vinearum.* Nec vllus inuenietur prophanus, qui vocet terram illam, terram manantem melle, & lacte. Solus Deus suis obseruatoribus promittit illam terram, non solum vberem, & abundantem, sed & melleam fore. Cur ergo solis mandatorum obseruatoribus abundantia bonorum promittitur sub nomine lactis, & mellis, nisi vt ostendatur abundantia temporalis, quæ aliàs est plena solicitudinum, & amaritudinum plena, vbi cum obseruantia præceptorum iungitur, reddi suauis, & mellea? Obseruantia præceptorum est, quæ spinas, & vrticas diuitiarum facit esse suaues, & melleas. Quò expressius respiciebat Deut. 27. monens: *Eriges ingentes lapides, & calce leuigabis eos, vt possis in eis scribere omnia verba legis huius Iordane transmisso, vt intrares terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, terram lacte, & melle manantem.* Ecce tibi vt mandata iubeantur inscribi lapidi, hoc est, obseruari tenaciter, vt sic terræ diuitiæ inueniantur melleæ, & suaues. Quod minimè inuenit mandatorum confractor. De illo enim ait Iob c. 20. *Non videat riuulos fluminis, torrentes mellis, ac butyri.* Multus quidem erat in congerendis diuitijs, multasque congesserat, sed nec guttam mellis in illis inuenit, quin potius felleæ, & amaroris plenæ illi exstiterunt. Vt dicat Author caten. Græcæ. *Ea, quorum causa stulte laborauit, quasi striphus illi erant. Est autem striphus caro boum neruosa; est item herba, quæ mandere conantis linguam reddit asperiorem: quæ mandi nequit.* Vel si mauis audire nostrum Pinedam, in præsenti, striphus est quilibet sapor acerbus, & austerus: vt videas vnde nascatur vel acerbitas; vel dulcedo temporariis rebus, nimirum ex diuinis præceptis. Si enim præceptorum obseruatio addatur copiæ rerum, tota ipsa dulcescit, & suauiatur; si autem non obseruentur præcepta, ipsa rerum temporalium voluptas acescit, & amaritudinibus impletur. Vt merito responderit tentatori Iesus Matth. cap. 4. *Non in solo pane viuit homo:* etsi enim habeat temporalium abundantiam summam, non est in eo dulcedo vitæ, nisi cum abundantia panis addat mel obseruantiæ mandatorum. Ex quo Imperfectus ibi: *Non in vsu rerum solo viuit homo perfectè, & si viuit, secundum corpus viuit, non secundum animam. Plenissimè autem viuit in obseruantia mandatorum Dei.*

Sic ibi.

Cant. 5. — Greg. Nyss. — Gen. 2. — Hug. Vict. — Deut. 6. — Isaia 36. — Deut. 27. — Iob 20. — Matth. 4.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Ibi salus, vbi cum mensura bona temporalia percipiuntur.

Num. 11. — Nazianz. — Actor. 5. — D. Petr. — Act. 4. — Oecum. — Apoc. 18. — Rupert. — Nahum 2. — Theophyl.

NOn otiosè Deus mannæ certam mensuram prouidebat inis Israelitis, quæ ipsorum necessitati correspondebat. Dicit enim, *Colligat vnusquisque ex eo, quantum sufficit ad vescendum, gomor per singula capita*. Est enim salus in bonis temporalibus, si cũ mensura sumantur, iuxta indigentiam vniuscuiusque. Vnde notabis, quod in mãna per quadraginta annos exhibito, nullum vnquã damnum lethale Israelitæ sustinuerint. At in coturnicibus, quæ bis tantum concessæ sunt, & in præsenti, & Num. 11. statim lethalis plaga inuenta est. Ait enim Psal. 77. *Et pluit super eos sicut puluerem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata::: Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* In perenni exhibitione mannæ nunquam Dei ira illos percussit; in secunda autem exhibitione coturnicũ, statim ira, statim percussio. Et cur cũ coturnicibus percussio, & cum mannæ salus? Id ostendit illud; *Colligat vnusquisque ex eo quantum sufficit*; in manna erat mensura accommodata necessitati, quę non erat in carnibus, ideo cum iis percussio, cum illo veniebat salus. Id quod volebat Naziana. fatus orat. 3. *Panis in deserto pluuia instar fusus, obsonium è cælo missum, ille necessitati correspondens, hoc etiam suprà necessitatem impertitum.* Ne miremur, quod cœlestis panis, vt necessitati correspondebat, sic salutaris esset; & quod cum obsonio, cum coturnicibus, inquam, veniret Israelitarum interitus, quando istæ vltra necessitatem sine vlla mensura veniebant. Quando enim non nociuus sumptus superfluus? Actor. 5. dicitur de Anania, quod agrum vendiderit, & quod pretium agri adducens ad pedes posuerit Apostolorum, reseruans tamen partem pretij sibi, & vxori. Quod animaduertens D. Petr. vehemẽter excanduit, seuerissimisque verbis accepit hominẽm. *Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit.* Ecce tibi propter reseruatam pretij partem Ananias morte mulctatus est. Et quale hoc crimen erat, quod offerens multa, aliquid reseruaret, vt sibi prouideret necessaria? Non equidem reseruabat ad necessaria. Apostoli namque Act. 4. *Diuidebant singulis prout cuique opus erat*, sed reseruabat ad ea, quę vltra necessitatem, imò superflua erant, ideo non mirandum, quod per superflua in mortem caderet. Ait Oecumen. *Hic autem sacrilegium apparuit, siquidem quæ Deo ad egentium alimentum reposita erant, ipsi ad superfluos vsus insumebant.* Crede mihi, nunquam superfluitas aliud pariet quàm mortem, quam lachrymas. Apoc. 18. post ruinam Babyloniæ meretricis enarratam, pergit scriptor sacer: *Et flebunt, & plangent se super illam Reges terræ::: Et negotiatores terræ flebunt, & lugebunt super illam::: Et omnis gubernator, & omnis, qui in lacum nauigat, & nautæ, & qui in mari operantur, &c.* Sic in Babyloniæ ruina quasi participes erunt, & luctus ponũtur principes terræ, & mercatores, & negotiatores, & nautæ, solos inuenies ab hoc luctu, & ruina abesse agricolas, & pastores. Et cur soli agricolæ, & pastores non recensentur in luctu huius ruinæ? Crediderim, quod soli pastores, & agricolæ liberantur à luctu, quia soli student rebus seruandis, quæ correspondent hominũ necessitati, non superfluitati. Ait Rupert. lib. 10. *Notandum interea, quia pastores, aut rusticola fletum hunc, & luctum habituri non scribuntur: quia videlicet simplicis vitæ officia sunt, magisque necessario vsui, quam superfluæ cupiditati famulantur.* Illi liberãtur à luctu, qui necessitati potius, quam superfluitati student. Intolerabilis semper est, & multis mortibus mulctanda cupiditas superfluitatis. Vnde Nahum c. 2. *Diripite argentum, diripite aurum, & non est finis diuitiarum ex omnibus vasis desiderabilibus. Dissipata est, & scissa, & dilacerata.* Ex Græco legitur: *Diripiebant argentum, diripiebant aurum, neque finis erat mundi eius, &c.* Expende illa, *neque finis erat mundi eius*; nullus finis, nullus certus terminus ponebatur in habendo ornatu, sed vltra omnes indigentiæ, & necessitatis terminos, quærebatur: ne miremur excidium, quo tanta ciuitas periit. Ait Theophyl. ibi: *Neque potest quisquam eorum dicere, quod propter penuriam, vel egestatem ea diripuerint; tolerabilius enim hoc fuisset malum, sed per iniuriam, & quia voluerint habere diuersos, eosque pretiosos ornatus. Non erat enim, inquit, finis ornatus eius. Adeo erat ornatus exuberans, & sumptuosus super omnia vasa pretiosa eorum, quæ & ipsa desiderabilia erant, id est, superfluo luxu ad delicias parata.* Inde inexcusabilis malitia appatet, quod non seruiebat indigentiæ, sed superfluitati, quod illi attulit tanta mala.

§. XXXIX.

Quæ à Deo sunt, ea sola præualent.

Matth. 26. — Origen. — Basil. Sel.

QVam vana sunt omnia, vel impedimenta, vel auxilia creata, vbi Deus aliquid statuit, id enim quod à Deo est, solum præualet, & solum manet. Quod patet in pręsenti mannæ collectione, quippe statutũ erat à Deo, vt gomor per capita singula colligeretur, & alij vel propter teneritudinem ætatis, vel propter virium defectũ non perueniebant ad mẽsuram; alij autem fortiores, & alacriores supra mensurã escas congregabant. Vbi autem ad rei euentum veniebatur, ait text. *Nec, qui plus collegerat, habuit amplius; nec qui minus parauerat, reperit minus.* Ecce tibi, nec imbecillitas, nec potẽtia creata valuit, sed quod ex Deo erat, id solum præualuit, idque tandem integrum apparuit. Vanus est, qui aliud spectat quàm Deum, ex quo solo venit, quidquid apud homines præualet, quidquid manet. Matt. 26. proposuit Dominus discipulis suis scãdalum, quod erant illa nocte passuri. Tunc Petrus ait: *Etsi oportuerit me mori tecum, non te negabo::: Tunc venit Iesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani, & dicit discipulis suis: Sedete hic, donec vadam illuc, & orem. Et assumpto Petro, &c.* Nominatim de omnibus assumit Petrum orationis suæ testem, cum à Patre petebat, vt faceret transire à se passionis calicem. Et cur nominatim adducit Petrum in testem orationis suæ? Ait ibi Orig. *Ad hoc autem adduxit eos, maxime Petrum magna de se præsumentem, & confidentem, vt videant, & audiant, vbi est posse hominis.* Itaque tẽpore passionis fecit Petrum testẽ suæ orationis, & congressus cum voluntate paterna, vt qui viribus suis præsumebat, & videret, & disceret, *vbi est posse hominis*, non equidem in humanis viribus, nec in humana potestate, sed in Dei voluntate, à qua venit, quidquid tandem manet, & præualet. Erat regnũ Israelis oblatũ Isai senioris 1. Reg. 16. Quod noscens pater, præmittit vngendos filios maiores natu, qui vel militari spiritu, vel corporis proceritate, vel magnitudine animi regnũ sibi pręripere sperarent. Erat is minimus frater nullis militaribus deditus curis, sed pastorali officio occupatus annorũ teneritudinem ouium pascebat lacte. Is cũ de regno ageretur, prorsus à parente ignorabatur, adeo, vt vel interrogatus paruũ despiciẽs dicat *Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oues.* Cõponite modò duo filiorũ agmina; hinc maiores natu & naturæ cõmendatione, & corporis vultu, & patris suffragio, & militari exercitio, iam iam sibi regnũ asserentes; illinc paruulũ, ætate imbecillum, officio abiectum, & ab ipso parente ignoratum, & inde vel a regni cogitatione remotum. Quid tunc? Vtrum agmen pręualuit? Sane nec potentia maiorum plus accepit, nec infirmitas paruuli minus recepit, sed quod à Deo fuit decretum, id solum præualuit. Itẽm ponderabat D. Basil. Sel. orat. 14. fatus: *Vocandi ordo nascendi sequebatur ordinem, & proprium gratia non reperiebat. Quid opus verbis? Consumpta erat vteri vbertas, nec gratia fructus metebatur. Adhuc, inquit pater, reliquus est paruulus & pascit oues. Quid eum, qui nec ad gregem pascendum sufficit, ad regnum flagitas? Sed Deo suffragante nõ præualuit generatoris ignoratio.* Sic nec potentia, nec infirmitas humana præualuit; sed despectis hominum conatibus, & impedimentis excussis, id quod ex Deo veniebat, illud permansit.

Exod. 16. Dixitque Moyses ad eos: Nullus relinquat ex eo in mane. Qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eis vsque mane, & scatere cœpit vermibus, atque computruit. Et iratus est cõtra eos Moyses. Colligebant autem mane singuli, quantum sufficere poterat ad vescendum. Cumque incaluisset Sol, liquefiebat. In die autem sexta collegerunt cibos duplices, id est, duo gomor per singulos homines.

§. XL.

Quàm reuerenda debet esse diuina mensa, ne quis Deum offendat.

ECce tibi vt dapes diuinæ in vermes conuertũtur, & mansuetissimus Moyses excandescit ira in Israelitas, ait enim: *Qui nõ audierunt eum, sed dimiserunt quidã ex eis vsque mane, &*

scatere cœpit vermibus, atque computruit. Et iratus est contra eos Moyses. Nunquam antea talis ira Moyses, nec tale supplicium Dei percussit Israelitas, etiam magnis criminibus obstrictos. Quippe deficiente viatico murmurauerāt in Deum, & Moysem, multasque querimoniæ voces protulerant, quibus auditis ait Moyses: *Mane videbitis gloriā Domini. Audiuit enim murmur vestrum cōtra Dominum. Nos verò quid sumus, quia mussitastis contra nos?* Et murmur, & iniustas querelas in se, & in Deū Moyses audit iactatas, nec dicitur iratus fuisse, nec à Deo vllum venit supplicium in murmuratores, & querulos. Cur ergo qui tunc dissimulabant populi facinora, modo illa non dissimulant, sed magis puniunt? Cur qui adeo mansuetus erat in suos Moyses, modò sic irascitur in illos? Cur qui murmurātes conuiuio excepit Deus, modo seruantes māna vermibus mulctat? Equidem merito nunc ira, nunc vermes ebulliunt in miseros, qui nec inter ipsos cœlestes cibos colligendos verentur offendere altores suos. Quamuis enim alias essent solutissimi aduersus Deum; tamen nunc revereri debebant mensam diuinam, qua illos Deus alebat. Iacob Gen. 37. *Gen. 37.* mittens Iosephum puerum aiebat: *Vade, & vide, si cuncta prospera sint erga fratres tuos;* ibat ergo puer inuisurus fratres, sed nec vacuus ibat, verum teste Chrysostomo, afferebat illis cibos. *Chrysost.* Quid tunc? *Qui cum vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitauerunt illum occidere.* Vident cibos afferentem, & de eius cogitant iniuria. Proh crudele nefas! Proh ausus homine prorsus indignus! Proh facinus omni lanādum supplicio! Sane ait D. Chrysost. hom. 5. de Lazaro habita in Bibliothec. homiliarum: *Chrysost.* *Cum vidissent illum procul venientem, ipsi, que cibum afferentem, inter se dicebant: Interficiamus eum. Vt fratrem non reuereatur, neque naturam agnoscat, certe mensam ipsam conueniebat vereri, ipsumque ministerij officium, quandoquidem alturus te veniebat.* Quis altorem suum offendat? Quis vel mensæ conspectu audeat aliquid in eum, qui parauit illam? Hinc Esther Regina cap. 14. vt diuinam iram in perniciem Aman negotiabatur, sic Deo dicebat: *Esther 4.* *Tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis, & transfer cor illius in odium hostis nostri: Tu scis, quod non comederim in mensa Aman.* Amanis mortem petit, & dum hanc petit, simul hoc protestatur coram Deo, quod non comederit in mensa Aman. *Tu scis, quod non comederim in mensa Aman.* Græcè legitur, *quod non comederim mensam Aman.* Et cur necessarium duxit bona regina se hoc coram Deo protestari, quod ieiuna sit ab Aman mensa? Nitebatur Aman perdere, & ideò curat omnibus innotescat, quod nunquam ad eius mensam sederit, fœdissimum enim, & grauissimum coram Deo putabat, si cuius in mensa comederit, offensionem appeteret. Non equidem est bonæ mentis mensam conuiuatoris sui non vereri, Matth. 26. *Matt. 26.* post cœnā rite peractam, post cœlestem panem hominibus porrectum: *Hymno dicto exierunt in montem Oliueti: Tunc venit Iesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani, &c.* Cur non magis moratur in domo cœnæ? Cur vbi se dedit comedendum, imò & ipse comedit, non expectat, vt ministri conueniant, & manus inferant? Cauit Deus nefarium facinus comprehensionis suæ admitti in loco vbi cibus dominicus apparuerat, reueritus sacram mensam. Ait Orig. ibi: *Origen.* *Iesus cum discipulis venit ad prædium hoc, quod dicitur Gethsemani, accipiens eos ex loco illo, in quo pascha cum eis manducauit. Nec enim conueniebat, cum proderetur, ab illo capi loco, vbi cum discipulis manducauerat pascha.* Non conueniebat nefario facinore pollui locum, in quo tantum conuiuium fuerat pro hominum salute paratum. Sed magis conueniens erat, vt sua seruaretur immunitas loco, religioque ibi integra esset, ne quis auderet offendere Iesum in loco, in quo ab illo sibi strueras paratas cœlestes dapes.

§. XLI.

Qui cœleste pabulum in abundantia offendit, tempore necessitatis illud inuenict sibi durum.

DVm ad asseruatum mannæ cibum recurrunt Israelitæ: non cibum, sed bullientes vermes inueniunt. Ait enim: *Qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eis vsque mane, & scatere cœpit vermibus.* Non cibus, sed vermis iam erat cœlestis panis illis qui pridie illum male seruauerunt, male collegerant. Nec miror; qui enim in abundantia male se habuerunt circa cibum cœlestem, non mirum, quod tempore necessitatis illum requirentes, nō cibum inueniant, sed vermes, qui perdant. D. Ambr. ser. de Psal. 21. *D. Ambr.* *Manna illis contra diuina præcepta tractantibus vermes effecti sunt, id est, contumatia vltores, & indices. Qua similitudo Christum indicat, quem qui suauem cibum, & dulcem potum haurire neglexerit, iudicem patietur.* Crede mihi, nullus contempsit Deum cibantē, qui non tremuerit postea sub eo iudice. Nota est historia filiorum Iacob, quando descenderunt in Ægyptum, vt triticum sibi emerēt, adstabant coram frumēti venditore Ioseph, qui ait illis Gen. 42. *Gen. 42.* *Hoc est, quod loquutus sum, exploratores estis. Iam nunc experimētum vestri capiam: per salutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus. Mittite ex vobis vnum, & adducat eum, vos autem eritis in vinculis, donec probentur, quæ dixistis.* Ecce tibi, vt quærunt panē egentes, & vincula inueniunt: & à quo omnis Ægyptus alimenta vitæ accipiebat; isti fratres responsum mortis accipiunt, & in periculum veniunt. Et cur tam dira sors piissimi hominis filiis euenit? Cur petentibus panem datur scorpio? Cur cibo egentibus offerunt vincula, & carceres, & tormenta? Sane & ipsi supra cum viderent Iosephum sibi cibos afferentem, & cibos contempserunt, & altorem suum male tractauerunt, & illum Madianitis vendiderunt. Merito ergo qui male habuerunt, & cibum, & cibatorem suum, cum egētes cibum requirunt, non cibū, sed vincula inueniunt, & tormenta. Pulchrè ad hæc D. Chrysost. hom. 5. de Lazaro, habita in Bibliot. hom. ait: *Chrysost.* *Volebāt emere frumentum, hic autem ait ad eos. Exploratores estis. Illi verò quidnam hoc esset apud se reputantes, inquiunt: Frumentum empturi venimus, & de vita periclitamur. Merito: quandoquidem & ille vobis alimoniam afferebat, & de vita periclitatus est.* Hoc expectandum in altore diuino necessitatis tēpore, quod cum illo fecimus, dum abundamus in sæculo. Si dum tibi Deus mensam instruit, cibos proponit, tu & cibos, & Deum cōtemnis, imò maximè offendis; ne mireris, si necessitatis tempore requirens cibum cœlestem, mortem inuenias. Si afferens tibi alimoniam Iesus periclitatur apud te de vita; non mirum erit, quod quærens ex eo cibos, de vita etiam pericliteris. Quò traho illud Iobi c. 28. dicentis: *Iob 28.* *Terra de qua oriebatur panis in loco suo, igne subuersa est.* Græcè legitur: *Terra ex ipsa egreditur panis, subtus autem eam versa est sicut ignis.* Ecce tibi in vna eademque terra, & panis, & ignis. Et vbi panis, & ignis simul inueniuntur? In naturali ordine non facile hæc inuenies; in mysticis autem quoties à te contemnitur panis diuinus, iam nō panis, sed ignis est, qui flamas in te fulguret. Vt dicat merito Paschas. lib. 4. in Threnos: *Pasch.* *Rectè plangitur, quod de terra, de qua oriebatur panis, qui de cœlo descendit, quo hauriri debueras, in loco suo ignis subuersa est. In loco autem suo ignis subuertitur, quando mens infidelium sacramenta conculcans, vitiorum facibus concrematur.* Ecce tibi, quid nascatur de viuifici sacramenti conculcatione; fallar, si inde aliud tibi nascatur quam multiplex & peccatorum, & suppliciorum flamma. Væ qui male tractas panem, qui de cœlo descendit, qui cum illum accipere debeas, & negligis, imò & despicis, ex tunc vix odor panis, sed flāma, sed perditio, sed ruina apparet. Nō omnino secretè quærit hunc panē tempore necessitatis, qui illū male tractauit, & vitiuse illo alebatur. Ait Ier. Thr. 2. *Ierem.* *Matribus suis dixerunt, vbi est triticū, & vinum? Cū deficerent, quasi vulnerati in plateis ciuitatis, cū exhalarent animas suas in sinu matrū suarum.* Famescentes, & penè mortui viuificū panem requirunt, cœleste conuiuium petunt, & non eis datur, sed mors, & perditio illos rapit. Et cur miseri in tēpore angustiæ quærentes non inueniunt diuini panis solatium? Oberat illis sinus matrum, hoc est, consuetudo male habendi cœlestes dapes. Ait Pasch. lib. 2. in Threnos. *Pasch.* *Non alio panis libertas nostra vtitur, nisi qui de grano frumēti, quod in terrā cecidit, & mortuum fuit, conficitur, qui profectò panis de cœlo venisse creditur. Neque alio vino, nisi quod de vinea Sorech, & vite, quæ Christus est, vindemiatur. Hoc quippè vinum paruuli, & lactens à matribus requirunt, sed quia in plateis non inuenitur, neque vulnerati eum dignè accipiunt, exhalant animas suas in sinu matrum suarum, quæ eos male aluerant.* Quæ miseros fecerunt male ali, male suscipere, & habere alimentum immortalitatis, faciunt vt tempore necessitatis, in extremis constituti, etiam quærentes cœlestem panem nihil in eo percipiant vitale. Mirum enim erit, si assuetis male, & irreuerenter tractare diuinissimum cibum, non eis in fine lethalis appareat.

§. XLII.

Quo diutius quis sui curam vni Deo permittit, efficaciores nanciscitur apud Deum aduocatos.

DVm in collectione mānæ præceptū de non seruando in crastinū transgrediuntur Israelitæ, non miror, quod eis cibus in vermes conuertatur. Sed illud maxime mirandum,

quod

quod pro illis Moyses nullum verbum faciat, sed potius valde & ipse in illis irascatur. Dixit namque: *Et iratus est contra eos Moyses.* Infra autem Exod. 32. vbi atrociter peccauit populus, vitulumque adorauit, quo Dei iram sibi meruit, statim Moyses pro illis stat, ait enim text. *Moyses autem orabat Dominum Deum suum dicẽs: Cur Domine irascitur furor tuus, &c.* Cum atrociter peccant, non irascitur Moyses, sed pro illis stat, & suis precibus nititur Deum placare; modo verò cum leuiùs peccãt, & irascitur Moyses in illos, & nullum pro illis verbũ facit. Cur nõ magis nunc pro illis orat? Aut quid fuit in hoc peccato, quod familiarissimam orationem Moysis magis siccauit, & irã excitauit? Peccatum illud idololatriæ præcesserat longa populi expectatio: *Videns autẽ populus, quòd moram faceret descendendi de mõte Moyses, congregatus aduersus Aaron dixit, &c.* Itaque ibi longam expectationem sustinuit populus intentus Moysis aduentui; in præsenti autẽ nec vnũ diem sustinuit expectare Dei prouidẽtiam, sed iussus non colligere in crastinum, sed magis idem futurum expectare, nec vnius diei expectationẽ habuit. Quippè ait: *Nullus relinquat ex eo in mane. Qui non audierũt eum, sed dimiserunt quidam ex eis vsque mane.* Ne mireris, quod nec Moysem aduocatum habeant, sed percussorem iratũ. Quo enim largior est nostra expectatio, & fiducia, eo efficaciores facimus aduocatos. Matth. 14. multæ hominum turbæ accedunt ad Iesum: *Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes: Desertus est locus, & hora iam præterijt, dimitte turbas, vt euntes in castella emãt sibi escas.* A mane vsque ad vesperã expectauerant turbæ nullam cibi curam habẽtes, sed omnia Deo committentes, & finita die expectationis, Apostolorum chorus pro illis orat, vt ad escas quærendas dimittãtur. Fœliciores extiterũt turbæ aliæ, quæ non Apostolos, sed ipsum Iesum patronum habent. Etenim Marc. c. 8. *Conuocatis discipulis, ait illis Iesus: Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent.* Non Apostoli, sed Iesus modo turbarum patrocinium suscipit, tacentibus namque discipulis, Iesus ait: *Misereor super turbam.* Et cur qui vnius diei expectatione, & ieiunio loquebãtur pro turbis, modo toto tacent triduo, nec verbum ipsi faciunt, sed tota res deuoluitur ad solum Christum? Non hoc desidia Apostolorũ fuit, sed mysterium & virtus tridui. Triduana enim lõganimis expectatio, & fiducia efficacius petebat patrocinium, quã quod ab Apostolis fieret, ipsum Iesum patronum requirit. Chrysost. hom. 8. in Marc. ait: *Ibi Apostoli dicũt: Ecce die tota expectant te, hic verò ipse Saluator loquitur Ecce iam triduo sustinent me. Vide, quæ sit differentia inter vnũ diem, & tres. Ibi ab Apostolis Dominus rogatur, vt pascat. hic Apostolos commonet Dominus, vt pascant. Digni erãt solicitudine Domini, qui tribus diebus expectauerant Dominũ.* Longanimis fiducia turbarũ, quæ se totas commiserunt per triduum, nullam sui curã habentes, sed vnũ spectantes Christum, hæc, inquã longanimis fiducia maiori solicitudine, & patrocinio digna erat, quàm quæ præstaretur à discipulis. Discipuli fauent vnius diei expectationi, quæ triduana erat, exigebat ipsius Dei solicitudinem. Hinc Matt. 15. dum mulier Chananæa Iesum adit, ab illoque non semel filiæ sanitatẽ quærit: *Accedentes discipuli eius rogabant eum, dicentes: dimitte illam, quia clamat post nos.* Qui etsi non obtinuerunt, tacuerunt tamen, nec amplius pro illa loquuntur, & si vident illam adhuc clamantem, & adorantem, imò, & vident illam nullo despectu deuictam, sed vt magis despiciebatur, magis instabat, & ex ipsis opprobrijs rationẽ faciebat, qua toties repulsa impetrare sperabat. In iis omnibus tacẽt Apostoli, & qui ob primos clamores patrocinium eius susceperant, in tam inaudita perseuerantia, & fiducia, & instantia orationis prorsus tacẽt. Cur ò Apostoli, qui primo loquebamini pro illa; nunc tacetis, cũ adeò instat, & fidit, vt Deus ipse miratus eius fiduciam laudet, dicens: *O mulier, magna est fides tua!* Cur vel tunc eius non suscipitis causam? Ait Chrysost. ibi: *Nam quamuis maiori Apostoli ad Christum potiebantur libertate, magnam tamen mulier patientiam ostendit.* Non erat Apostolorum defectus, sed fœminæ virtutis magnitudo, quæ inter tot aduersa confidens, non Apostolorum, sed Dei ipsius merebatur suffragium.

[*Exod. 32.*] [*Matth. 14.*] [*Marc. 8.*] [*Chrysost.*] [*Matt. 15.*] [*Chrysost.*]

§. XLIII.

In cuius corde creatura dominatur, vix potest Dei gratia durare.

HOc valde mirandum in manna, quod igne torrebatur, & non liquefiebat: ad solis autem radios, statim euanescebat liquefactum. Ait enim text. *Cumque incaluisset Sol liquefiebat.* Et cur sustinens fornacis calorem, non sustinebat Solis radios? Rẽ miratus Caiet. aiebat: *Mirum est autem, quod non sustineret calorem Solis excellẽtem, & sustineret tum calorem ignis, tum molã.* Vndè hoc, quod qui euanescebat ad Solis radios, inter fornacis flammas perseuerabat? An quia Sol ardentior, quã fornax? Absit, sed rationẽ inuenio in illis verbis Caietani, nimirũ: *Non sustineret calorem Solis excellentem:* non vis, sed excellentia solaris caloris faciebat, quod euanesceret manna. Dominatur enim Sol dierum omnium iuxta illud Genes. 1. *Luminare maius, vt præesset diei:* vbi autẽ creatura aliqua prædominatur, Dei gratia per manna significata nequit diu conseruari. Falleris enim, si diu sit Dei gratia in corde, in quo prædominans creatura sibi sedẽ facit. Defunctus Dominus sepulchro traditur Matt. 28. in quo tres dies egit, tertia autem resurgens inde abiit. Quid tunc? *Angelus Domini descendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Respondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: scio enim quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis. Non est hic, resurrexit enim.* Hæc pauca dicturus verba Angelus in sepulchro sedens ostenditur: nec vnquam alibi sedẽs Angelus apparet. Cur modo dicturus nõ esse ibi Deum sedens ostenditur? Si multa loquuturus esset de morte, de resurrectione, non miraer, quod in sepulchro sederet, quasi in cathedra. At cũ solum dicat: *Non est hic, surrexit,* cur necessum fuit sedere, vt hæc pauca verba daret? Sanè, quod ore docebat, voluit, & habitu corporis cõfirmare, vt enim ore dicebat Deum non iã esse in sepulchro, id etiam euidentius in sepulchro sedens cõfirmabat, in quo namque creatura sedem habebat, & dominabatur, certũ erat, quod non poterat diu durare. Ait D. Chrysost. hom. de Ioan. Bapt. fatus: *Errore arguit Angelus ille, qui sedebat super lapidem, dicens: Et quid ostendebat lapis iste, cui ego insideo, qui seruus sum istius? Qui seruus sum, quod non potest includere Dominum meum, cũ prematur à seruo suo.* Quid sapientius? Rectè putatur Dominus nõ posse diu claudi in loco, qui premitur sub prædominatione creaturæ. Insidet cordi tuo creatura aliqua; insidet temporalis affectus, teque premit dominatione sua, & prorsus subiicit nutui suo? Falleris ergo, si credas ibi posse diu retineri gratiam diuinã. Adolescẽti cuidam dicebat Dominus Matt. 19. quod seruaret mandata omnia Dei, & respõdit ipse: *Omnia hæc custodiui à iuuẽtute mea.* Sic ausus est asserere à se ita omnia præcepta diuina custodita, vt nũquam gratiam amitteret. Rem tamen examinans D. Iren. lib. 4. c. 26. ait: *Cum dixisset, omnia feci, forte non fecerat.* Adhuc apertius D. Ambr. in Psal. 1. ait: *Nec ad illa ascenderat.* Sed nimium clarissime D. Basil. hom. 7. asserit *Mentitus est hic adolescens.* Mirabar, quod sanctissimi, pijssimique Patres sic indubitanter adolescentem hunc mendacẽ esse conuincant. Et cur sancti mendaciũ putent esse in asserente à se fuisse mandata omnia custodita, & nunquã gratiam amissam? Quo fundamento sic damnãt hominem iustum? Videbant in eius corde temporalia bona sic prædominari, vt iussus illa relinquere, abierit à Iesu tristis. Ait enim text. *Cum audisset adolescens verbum, abiit tristis; erat enim habens multas possessiones.* Sapientissimè ergo, & sanctissimè patres mẽdacium putabant, quod nunquã mandata fuissent facta, nec gratia amissa in illo, in quo dominiũ, & principatum tenebant diuitiæ. Quippè fieri nequit, vt prædominante in animo nostro creatura, diu ibi Dei gratia assistat, quin abeat indè. Quis nesciat Saulis à Deo electi tragœdiã? Vt Deus erat cum illo, vt eligeretur, vt illum comitata est Dei gratia primis annis duobus regni. Vt ab illo fugit Deus, illũque reiecit. Sed cur à se amato fugit Deus? Ait 1. Reg. 15. *Apprehendit Agag regem Amalech viuum; omne autem vulgus interfecit in ore gladij. Et pepercit Saul, & populus Agag: : Factum est verbũ Domini ad Samuel, dicens. Pœnitet me, quod cõstituerim Saul regem.* Quod Saul abstinuerit à morte vnius regis Amalecitæ, fuit totius suæ ruinæ causa. Sed quãdo omnes peremit Amalecitas, cur in vnius cõseruatione sic peccauit? Rex erat, qui seruatus est, & nõ miror, quod Deus offendatur seruato rege eorum, quorũ vel minimos odio habet. Ait Ioseph. lib. 6. c. 6. *Deus ita Amalecitis oderat, vt ne infantibus quidẽ parceret. Saulus autẽ regẽ ipsum hostium, & malorũ omnium Hebræis authorem seruauit.* Quãdo ergo, vel minimi affectus praui Deo odiosi sũt, quomodo permanebit Deus cũ eo, qui regem, & prædominantem temporalitatis affectum secum habet, illique parcit?

[*Caiet.*] [*Caiet.*] [*Gen. 1.*] [*Matt. 28.*] [*Chrysost.*] [*D. Iren.*] [*D. Ambr.*] [*D. Basil.*] [*1. Reg. 15.*] [*Ioseph.*]

§. XLIV.

Duplicat, imò & multiplicat mercedem, qui non solùm sibi, sed & aliis procurat salutem.

IN sexta die duplex mensura retinetur cœlestis edulij, ait enim: *In die autẽ sexta collegerunt cibos duplices.* Accidit enim

tis, qui non solùm sibi, sed & aliis prouident salutem, vt in vltima die duplicatam mercedem recipiant. Quo spectans dicebat ille Matth. 25. qui iam deuenerat in operationis finem: *Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.* Sic duplicata omnia tempore rationis reddendæ in se inuenit. Sed vnde sic mercedem duplicat? Ait Paschas. lib. 11. in Matth. *Hoc est de quinque talentis alia quinque lucrari, cum in eisdem temporaliter operamur, vt per eosdem nosmetipsos exercitantes, & alios instruentes ad maiorum virtutum culmina erigamur. Sicque duplicata omnia reportemus, tam in nobis, quam in proximis, vt de temporalibus æterna, & de caducis semper manentia acquiramus.* Duplicantur equidem omnia in illis, qui se, & alios ducunt ad salutem. Vt enim acutè, & sapienter notat noster Pineda, tunc vel maximè decernuntur Iobo duplicia, cum ipse precibus suis mercatur amicorum suorum salutem. Sic ait cap. 42. *Dominus quoque conuersus est ad pænitentiam Iob cum oraret ille pro amicis suis. Et addidit Dominus omnia, quæ fuerant Iob, duplicia.* Ecce tibi non otiose iunguntur hæc duo, quòd oret Iob pro amicis, & quod addat Deus illi duplicia, sed vt ostendatur, quam duplicentur omnia illis, qui suam & aliorum negotiantur salutem, nec solum duplicantur, sed & multiplicantur. Vnde Gen. 43. dum Ioseph fratres suos excipit conuiuio, iubet multo maiorem aliis apponi portionem Beniamino. Sic enim ait: *Maiorque pars venit Beniamin, ita vt quinque partibus excederet.* Et cur Beniamini pars sic super omnes creuit? Erat Beniamino Paulus, per quem multis innotuit Christus, & æterna vita; vbi autem est, qui sibi & aliis acquirat salutem, nunquam non multiplicatur pars mercedis illius. Ait enim D. Ambros. lib. de Ioseph cap. 10. *Lauit faciem suam Christus, vbi baptizatus est Saulus, per quem à pluribus videretur. Ideo in conuiuio pars eius quadrupliciter maior effecta est.* Et cur non crescat quadrupliciter merces, vbi Paulus inuenitur, qui adeò studiosus fuit proximorum salutis?

Matt. 25.
Pasch.
Iob 42.
Gen. 43.
D. Amb.

§. XLV.

Eleemosyna duplum metit pro præsenti sæculo, & pro futuro.

IN sexta die collegerunt duplices cibos pro præsenti, & pro sequenti die. Dicit enim: *In die autem sexta collegerunt cibos duplices:* factum enim fuit à Deo per miraculum, vt quod colligebatur sexta die, impleret duas mensuras, vt testatur Hugo Victor. & Caietan. & Lippoman. Quale miraculum fit per eleemosynam quotidie, quisquis enim eleemosynam præbet, duos sibi parat cibos, alterum pro præsenti, alterum pro futura vita. Vnde Ecclesiastes c. 5. *Et omni homini, cui dedit Deus diuitias atque substantiam, potestatemque ei tribuit, vt comedat ex eis, & fruatur parte sua.* At scire cupis, quę sit pars hominis, qua homo ex Deo fruitur? Olympiodor. ait partem hanc sitam esse, non tam in eo, quod homo comedat, quam in eo quod distribuat, & largiatur eleemosynas. Nunquam enim magis fruitur homo parte sua, quam vbi indigentibus sua distribuit, eo enim ipso, & in præsenti, & in futurum sibi cibos congregat. Ad hæc Chald. fatur: *Etiam omnis homo, cui dederit Dominus diuitias, & facultates, & præposuerit Dominus eum, vt comedat ex eis in sæculo hoc, & vt faciat ex eis eleemosynam, & vt accipiat mercedem partis suæ perfectam in sæculum futurum.* Ecce tibi eleemosynarij hominis pars, vt habeat integram, & perfectam mercedē suam in duplicibus, nimirū, vt comedat in præsenti, & accipiat in futurum. Nec alio spectat Ecclesiastes c. 11. monens hominem: *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa inuenies illum.* Vbi etiam Chaldæus in Regia habet: *Porrige alimentum tuum pauperibus, qui ambulant in nauibus super facies aquarum; quoniam post tempus dierum multorū inuenies mercedem eius in sæculo hoc, & in sæculo venturo.* Non vna, sed duplex præsentis, & futuri sæculi mēsura capit mercedem debitam illi, qui panem suum pauperibus distribuit. Sed illud maxime notandū, quod in distributione panis meminerit aquarum, siue fluminum, siue marinarum, quippe Chaldæus Costi rem ad aquas marinas deducit, inquiens: *Protende panem demēsi tui pauperibus, qui mane innocte oram maris legunt.* Et quid aquarum fluenta, quid mare ad distributionem panis? Fallar si in alio eleemosynæ augmentum clarius eluceat quam in aquis marinis. Accipite quæstionem, & agitatam, & solutam à Cæsario Nazianzeni fratre dialogo 1. Ait enim *Quomodo cum tam multis annis exhauriantur per eleuationem pluuiarum, & omnium participatione, non deficit aqua, vel fontana, vel marina?* Hæc est quæstio Philosophi disertissimi, sed & hæc est eius solutio, nimirum: *Aqua fontana non deficit ex mari reddita; Marina rursus non attenuatur propter retributionem, quæ fit è supernis, quæ id quod euaporauit per sole in auctum destillat cælitus, & exundat per rorem exhalationum quotidie sursum tendentium excrescens.* Quid pulchrius? Certum est, quod aqua marina sese per terræ meatus effundit, vt satiet omnium viuentium sites: sed cum sic se effundit ad terras, simul crebras exhalationes, & vapores ad cœlestia mittit, quæ indè instillantes cum augmento faciunt excrescere aquas marinas. Non equidem tot flumina mittit mare, quot habet in supernis thesauros exhalationum, vndè se perpetuo reficiat. Maris ergo ductum sequatur panis tuus, qui dū pauperibus distribuitur, simul in cœlestia mittit tot meritorum thesauros, è quibus, & in præsenti crescas, & in æternum viuas. Et quis nesciat multiplices meritorum thesauros in pane distributo? Abraham sedens in ostio tabernaculi sui Gen. 18. *Cum eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum, quos cum vidisset, cucurrit in occursum, &c.* Tres peregrinos vidit, & statim cucurrit ad illos. Quid necessum fuit sic currere? Ait Chrysost. hom. in dictum Pauli, oportet hæreses esse: *Accurrebat enim, ministrabat, dominos appellabat, thesaurum innumerorum bonorum se inuenisse putabat, si quando hospitem videret prætereuntem.* Expende illud, *thesaurum innumerorum bonorum;* quippè vt mare nō tot flumina mittit ad sitientes, quot aquarum thesauros in supernis facit, vt nūc, & in perpetuum alatur: sic qui pauperes satiat, nō tot perdit panes, quot acquirit in supernis gratias. Quare monebat Dominus Deuter. 24. *Quando messueris segetem in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, non reuerteris, vt tollas illum; sed aduenam, & pupillum, & viduam auferre patieris.* Ecce vt curat Deus pro segetū horreis parari ventres pauperum; vt qui non solum è terra, sed è cœlo trahunt abundantiam. Ait Ioseph. lib. 4. c. 8. *Metentes & demessa colligentes ne spicilegium faciant, quin & de manipulis nonnihil egenis relinquant. De vindemia quoque racemuli relinquantur pauperibus: similiter de oliuetorū fructu nonnihil, vt sit egenis, quod colligant, quandoquidem de suo non possunt. Non enim tantum ex negligentiore collectione decedit, quantum accedit è pauperum gratia. Deus etiam ad enutriendos fructus terram alacriorem faciet, si non quisque suis tantum commodis prouideat, sed inopum quoque rationem habeat.* Superant semper, quæ de pauperū gratia in supernis acquiris, quæcumque in terris pauperibus largiaris.

Eccl. 5.
Eccl. 11.
Nazian.
Gen. 18.
Chrysost.
Deut. 24.
Ioseph.

§. XLVI.

Mandatorum obseruatia alimenta parat pro æterna vita.

IN sexta die duplum collectum est, pro illa, & pro sequenti septima die, quæ Sabbathum erat æternam quietem significans. Quippè ait textus: *In sexta die collegerunt cibos duplices.* Non ipsi duplices cibos colligere intenderunt, sed dum iuxta Dei præceptum colligunt consuetam mensuram, sexta die inuenitur duplex collecta mensura, quæ etiam pro sequentis diei annona sufficiat. Sic Hugo Vict. sic Caietan. sic Lippom. Nec casu tantum miraculum factum est, sed vt ostendatur, quid pariat præceptorum obseruatio; eo enim ipso quod præceptis seruandis incumbas, tibi paras annonā pro æterna vita. Habes Gen. 2. vt plantauit Dominus paradisum, vt in medio eius posuit lignū vitæ, cuius fructus mortalium posset æternare vitam. Quid tunc? Ait textus: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso, vt operaretur, & custodiret illum.* Et est celebris quæstio apud Patres, qualis esset ista operatio Adami, & custodia paradisi? Qualiter homo operaretur circa fructus illos æternantes vitā, vt custodirentur integri, & securi? An ligone? An falce? An aratro? Absit hæc operatio à statu illo; sanè per hoc solum, quod homo obseruaret præceptum diuinum, totus ille æternitatis fructus apparabatur, & seruabatur illi. Pulchrè Theodoretus in cat. Græca: *Operaretur, inquam, præceptum Dei, & crederet, & tueretur, vt scilicet illum sibi haberet, atque seruaret, ne quid ipso committens amitteret.* Hæc vna operatio in homine requiritur, quod diuina obseruet præcepta, & eo solum totum sibi parat, & custodit æternitatis cibum. Da operam seruandis præceptis diuinis, & tibi nascuntur, & parantur cibi pro æterna vita. Quod docens Iesus Ioann. 6. ait: *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Quem filius hominis dabit vobis.* Duo cibi proponuntur nobis, pro quibus acquirendis debemus operari; & cibus corruptibilis corporis, & cibus animæ potens illam in gloria æternare. Petimur autem, ne solum cibū corporis operemur, sed & magis

Gen. 2.
Theodor.
Ioan. 6

operemur

operemur cibum pro anima æternanda. At corporalem cibum, & periturum operamur arantes, metentes, negotiantes secularia; cibum autem permanentis vitæ quomodo operabimur? Illis ipsis negotiis temporalibus, si vna addatur præceptorum obseruatio, & cibus nostris animabus pro vita permanenti stabit. Ex quo D. Ber. serm. contra ingratitudinem, ait: *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Nec cessamus ab operando hoc cibo etiam cum terrenis forte occupamur operibus, aut obedientia dictante, aut fraterna charitate imtuitu* Ecce tibi vt dum sub obedientia, hoc est, sub præceptorum obseruantia operam nauas temporalibus etiam cibis acquirendis, ea operaris, per quæ cibus animam in æternitate aliturus paratur. Cui excogitationi accinit D. Paul. ad Gal. cap. 6 aiens: *Qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem; qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitã æternam.* Sed scire cupis, quæ sit ista seminatio in spiritu, de qua vita æterna paratur? Ait D. Cyril. Alex. lib. 3. in Ioann. cap. 28. *In spiritu autem seminant, qui à Spiritus Sancti præceptis toto animo pendent.* Nullus ligo, nullum aratrum tibi opus est, ad cibi æternum duraturi seminationem; hoc facias, vt Dei præcepta adimpleas, vt sub eorum obseruantia viuas, & pro æternitate animę habeas cibos repositos. Hinc illa Cãt. 7. quæ cœlestium nuptiarum appetebat conuiuium, vnam hanc diligentiam promit: *Noua, & vetera, dilecte mi, seruaui tibi*: siue vt Septuag. *Noua ac veteres fraterne mi seruaui tibi.* quibus noui, & veteris testamenti præcepta obseruata innuuntur. Sic D. Amb. serm 22. in Ps. 118. Hieron. in procemio lib. 5. Isai. Theod. & alij: ex quibus ait Philo Carpat. in præsenti: *Hæc sunt, quæ fidelis sponsa sponso vetera ac noua, & noua cum veteribus sanctissime seruauit; & seruare debet quæque fidelis anima, vt per vtriusque testamenti diligentem obseruationem, ac functam audire mereatur: Veni electa mea, ponam in te thronum meum, quoniam concupiuit rex speciem tuam.* Sic per solam obseruationem præceptorum cœlestis regis acquirit in se anima, & thronum, & mensam, vt viuat in æternum.

D. Bern. — *Ad Gal. 6.* — *Cyril. Al.* — *Cant. 7.* — *Ambr.*

Exod. 16. Venerunt autem omnes principes multitudinis, & narrauerunt Moysi, qui ait eis: Hoc est, quod locutus est Dominus: Requies Sabbathi sanctificata est Domino cras, quodcumque operandum est, facite, & quæ coquenda sunt, coquite. Quidquid autem reliquum fuerit, reponite vsque mane. Feceruntque ita vt locutus est Moyses, & non computruit, neque vermis inuentus est in eo. Dixit Moyses, Comedite illud hodie, quia Sabbathum est Domino, non inuenietur hodie in agro, &c.

§. XLVII.

Quæ pro Deo, & vita æterna fiunt, nullam agnoscunt ruinam.

ECce tibi idem manna asseruatum in alterum diem putrescebat, & in vermes conuertebatur, & nihilominus idem asseruatum in diem Sabbathi nullum sentiebat damnum. Ait enim textus: *Fecerunt ita, vt locutus est Moyses, & non computruit, neque vermis inuentus est in eo.* Et quid voluit Deus nobis ostendere in eo, quod manna asseruatum in diem alterum putresceret; asseruatum autem in Sabbathum sine vllo damno, & incommodo perseueraret? In Sabbatho typus erat æternæ quietis à Deo suis asseclis præparatæ; quod autem fit pro æternitate, & Deo, id nullo subest damno, sed integrum tibi manet. Vt moneat Dominus Matth. 6. *Thesaurizate vobis thesauros in cælo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures, neque effodiunt, nec furantur.* Salua sunt omnia, quæ pro Deo, & virtute facimus. Nec vix est damnum illi, qui pro cœlestibus nouit omnia sua thesaurizare. Ierem. 41. viri Sichimitæ ducebantur dolose ad Godoliam: *Qui cum venissent ad medium ciuitatis interfecit eos Ismael filius Nathaniæ circa medium laci, ipse & viri, qui erant cum eo. Decem autem viri reperti sunt inter eos, qui dixerunt ad Ismael: Noli occidere nos, quia habemus thesauros in agro frumenti, & hordei, & olei, & mellis. Et cessauit, & non interfecit eos.* Vbi Ismael audit de thesauris horum, non interfecit eos, quando & pro eripiendis thesauris magis possent interfici. Nonne quotidie, & bella, & mortes inferuntur pro thesauris habendis? Cur ergo in præsenti ad thesaurorum nomen latronum manus cohibentur? Erant homines ij pij valde, qui in domum Domini venerant, vt munera offerrẽt Deo, cui omnia sua sacra fecerant, vt illa reponerent in thesauris cœlestibus, quare nec fur, nec latro aliquid potuit aduersus eos. Ait Simon de Cassia lib. 10. in Matth. cap. 36. *Decem viri isti occisi fuissent, nisi thesaurum reconditum (scilicet in cælo) se habere ostendissent.* Felix, qui pro Deo, & virtute operatur, non habet cur timeat bonis suis à latronibus. Hinc de primis Christianis dicit Actor. 4. *Quotquot possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.* Sanè nullus thesaurus securior à latronibus inueniri potuit pro asseruandis bonis, quam si omnia impenderentur in gratiam Apostolorum. De quo ait Chrysost. hom. in dictum Pauli: Oportet hæreses esse: vbi sic: *Est extrema stultitia relinquere aliquid rerum nostrarum in hoc loco, nobis paulo post etiam hinc emigraturis. Quidquid enim relinquitur, in damnum cedit. Quapropter illò præmittantur omnia, vbi & nos semper posthac sumus conuersaturi. Hæc quoque quia & illi secum reputarunt, omnem simul deposuerunt substantiam, fiebatque illis duplex pietatis opus, subleuabant enim indigorum inopiam & thesauris suis in cælo repositis, plures, & securiores suas facultates faciebant.* Expende illud, *& securiores*: quidquid enim pro Deo, & virtute impendis, securissime seruatur tibi liberum à damno, liberum ab hoste. Quo spectans illa Cantic. 1. aiebat: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Duo simul notat in dilecto suo coniuncta, quæ mirum erit, si in bono aliquo pastore simul inueniuntur, nimirum quod pascat, & simul cubet. Nõ equidem accubitus, sed stationes, sed vigiliæ sunt familiares bonis pastoribus pro pascendis ouibus suis. Asserebat de se bonus pastor Gen. 31. *Die, noctuque æstu vrgebar, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.* Sic sunt vigiliæ familiares bonis pastoribus, ne dum oues pascuntur, ipsæ luporum, aut latronum pascuæ fiant. Cur ergo sponsa non magis quærit à dilecto, vbi pascat, & vigilet? Cur præsumit illum solum esse, qui pascat, & cubet, & somno indulgeat? Nouerat illa æternitatis pascua, ad quæ, quæ spectant oues, illò substantiam transmittentes suam, dum pro Deo, & virtute operantur, sic habent omnia in tuto, à latronibus libera, vt possit ipse pastor dormire. Pulchrè D. Bern. serm. 33. in Cant. inquit: *Nec illud prætereat te, quod is potissimum exploratur locus, in quo qui pascit, cubat simul, quod est magnæ securitatis indicium. Arbitror enim ob hoc additum, cubat, quod eo loci minime necesse sit stare, & vigilare super custodiam gregis, quando grex etiam cubante pastore, & pausante sub vmbra, liberè nihilominus discurrat in pascuis* O securitas eorum quæ pro æternis pascuis reponuntur! O felicitas eius, qui illò transmittit bona sua, nullam non pro Deo, & virtute impendens curam! Hæc quæ ad æternitatem spectant, à nullo sibi aduersario timent, etiam sub dormitante pastore inueniuntur securissima.

Mat. 6. — *Ierem. 41.* — *Sim. Cas.* — *Chrysost.* — *Cant. 1.* — *Gen. 31.* — *D. Bern.*

§. XLVIII.

Verum hominis lucrum fiet, si quæ pro caducis rebus peragit, eadem faceret pro æternis.

BIs asseruari manna in alterum diem audio, primò cum ij, qui Moysem audire noluerunt, asseruauerunt illud, quod computruit, & cœpit vermibus scatere. Sed & secundò asseruatum fuit, cum moniti à Moyse, asseruauerunt illud pro sequenti Sabbathi die, & tunc integrum mansit, nullus in eo vermis, nulla putredo fuit. Quippe ait: *Fecerunt ita vt locutus est Moyses, & non computruit, neque vermis inuentus in eo est.* Et quando seruatum putrescebat, quid secundò factum est ab Israelitis, vt non putresceret? Crede mihi nihil operis additum est, vt seruaretur in Sabbathum; sed eadem asseruandi cura, quæ exhibita pro cupiditate cuiusuis detrimentosa fuit in vermibus, & putredine; eadem pro religione Sabbathi exhibita nullum sensit damnum, sed lucrum. Vtinam sic vniuersi mentes nostras conuerteremus ad honestatem virtutum; eadem prorsus quæ cupiditatibus præstita nos crebris implent ruinis, facta pro Deo, & virtute magnum nobis lucrum inuenirent. Mat. 2. Herodes perterritus Magorum prædicatione de ortu Domini Christi, conuocat Scribas, & sapientes populi; *& diligenter didicit ab eis, vbi Christus nasceretur?* Quanta hæc regis diligentia in peruestigando loco natiuitatis Christi? Non equidem maius quid præstare debebat, vt in summum bonum veniret. Sed ex illa diligentia proam-

Mat. 2.

bitione exhibita natum eſt, quod ſe perderet tyrannus, & ſuos, ex qua, ſi pro Deo exhiberetur, ſummum bonum acquireret. Vnde ait D. Leo ſerm. 1. de Epiph. *Quam felix foret Herodes, ſi Magorum imitaretur fidem, & conuerteret ad religionem, quod diſponebat ad fraudem.* Nullum nouum opus requirebatur, vt Herodes numerari poſſet inter feliciſſimos, illa eadem ſapientum conuocatio, illa eadem inquiſitio natiuitatis diuinæ, quæ fiebat pro perdendo puero, & incredibiles Herodi attulit ruinas, ſi pro religione, pro Deo colendo fieret, faceret hominem feliciſſimum. Hinc Matth. 4. in ſui ſequelam trahens diſcipulos ad duos fratres piſcatores acceſſit, & ait illis: *Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum.* Cur non ait: faciam vos doctores, faciam vos principes, faciam vos Eccleſiæ fundamenta? Sic Matth. 16. dicebat ad Petrum; *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Cur ſimili modo non dicit, linque retia, linque fluctuantes maris vndas, ſequere me, faciam te firmiſſimam in regno petram? piſcatori piſcium, non aliud quàm hominum piſcationem propoſuit? Vt oſtenderet in Dei, & virtutis ſequela non nouum requiri opus, ſed nouum, & ſecurum lucrum dari eiſdem operibus. Habes in Chriſti ſequela, non quod peregrinos labores ſumas, ſed quod notos labores non perdas, ſed tibi lucro cedant. Ait D. Chryſol. ſerm. 28. *Captores piſcium fiunt hominum piſcatores: de labore tranſeunt ad laborem: & quia fructus proueniit ex labore, voluit illos labores non perdere, ſed mutare.* Heu quot, quantique labores perduntur in captura temporalitatum, in captura voluptatum, honorum, & diuitiarum! Quot indefeſſe laborant pro iis, vnde ſibi extremam perditionem trahunt! Quid tunc Deus? Vult, ne labores perdantur, ſed illi ipſi mutentur ad earum rerum capturam, quæ vitam afferant. Quam felix fuiſſes, ſi quæ toleras pro temporalibus, eadẽ pro æternis tolerares; innumeris ſane lucris abundares. Sæpe, mihi crede, maiora non ſunt, quæ pro virtute fiunt, quàm quæ pro vitiis, ſed fœliciora, & ſecuriora illa dum pro virtute fiunt. Hinc Numer. 35. decretæ à Deo ſunt vrbes in populo ſuo pro homicidarum, & aliorum peccatorum refugio, & hæ vrbes erant de Leuitarum vrbibus. Ait enim; *De ipſis autem oppidis, quæ Leuitis dabitis, ſex erunt in fugitiuorum auxilia ſeparata, vt fugiat ad ea, qui fuderit ſanguinem.* Erant Leuitæ viri ſanctiſſimi, vni Deo vacantes, ab omni temporalium ſeparati tumultu: cur ergo Domine inter hos vis, vt homicidæ, & ſceleſti homines viuant? Vt appareat, quam ſint iidem peccatorum, ſanctorumque labores: niſi quod labores ſanctorum ſunt pro virtute, & inde fœliciſſimi, & ſecuriſſimi; labores autem peccatorum ſunt pro vitiis & inde perditiſſimi. Nec labor additur virtuoſis, ſed ſcopus mutatur laborum, & finis, vt addatur lucrum. Ait D. Amb. lib. 2. de Abel & Cain cap. 4. *Nec abſurdum putes, quod facinoroſi cohabitant piis, maculoſi ſacratis. Quodam modo diuerſo genere eadem cauſa concurrit. Sicut enim Leuites mundanis voluptatibus abdicatus exul eſt culpæ, ita ſanguinis reus, fugitiuus eſt patriæ. Sed hoc intereſt, quod iſte neceſſitate ſuos deſerit propter metum legis, miniſter autem Dei humanarum conſortia renuntiat paſſionum propter ſtudia virtutum.* Expende, vnde ille facinoroſus ſit, hic autem pius; ille omni ex ſe careat auxilio, hic & ſibi, & aliis præſtet refugia. Non equidem ex laborum, operumve diuerſitate, ſed ex fine. Exulat ſanctus à ſuis, conſortiis hominum renuntiat, & auarus, & ambitioſus, & homicida exulat, fugit hominum conſortia, patitur multa, niſi quod ille vel ſuſtinet, vel facit hæc propter virtutem, hic propter vitia. Vtinam conuerterent ad religionem, quæ diſponunt ad vitia, magnum inde, & ſecurum lucrum reciperent.

§. XLIX.

Stultiſſimum eſt, nihil in præſenti pro vita æterna parare.

PRæmonebantur Iudæi in die ſexta & colligere, & parare quæcumque erant in die Sabbathi manducanda, nihil enim tunc inueniretur, niſi quod fuerat de anteacta die ſeruatum. Ait enim: *Requies Sabbathi ſanctificata eſt Domino cras, quodcumque operandum eſt, facite, & quæ coquenda ſunt coquite. Quidquid autem reliquum fuerit, reponite vſque mane. Feceruntque ita vt præceperat Moyſes, & non computruit, neque vermis inuentus eſt in eo. Dixit Moyſes: Comedite illud hodie, quia Sabbathum eſt Domino, non inuenietur hodie in agro.* Ecce quàm aptè præmonentur, vt in die veneris colligant, & præparent cibos pro Sabbatho, quia nimirum in Sabbatho nihil erat cibi inueniendum in agro. Sed quando manna ſingulis diebus dabatur, cur etiam non datum eſt die Sabbathi; ſed illo die ſolum edebatur, quod fuerat collectum die anteacta? Ad quid hoc fiebat, niſi vt omnes inſtrueremur, qualiter in præſenti pro vita æterna ducenda debeamus operari. Viuere equidem in cœlo, non de iis, quæ illic agere, aut parare poſſis, ſed de anteactis virtutum operibus, modo dum in hac vita es, debes parare, & colligere, quibus in cœlis vitam æternam agas. Sic ait Nyſſenus in vita Moyſis exprimens hanc dationem mannæ: *Præparationis dies hæc vita eſt, in qua præparamus, quæ ad futuram vitam nobis præſto erunt. Nam in illa non agricultura, non mercatura, non militia, non quicquam horum, quæ hic facimus, nobis concedetur. Sed in quiete omnium, quæ hic agimus, ac ceſſatione verſabimur, fructum dumtaxat operum, quæ hic ſeminauimus colligentes.* Nil inuenies in cœleſti regione vnde viuas, niſi de iis, quæ in hac vita collegeris, quæ nunc paras pro illa vita, tunc tibi proderunt. Vt hinc pateat, quam ſtultè totus ad præſentanea affectus, non colligas, quæ pro æternitate tranſponas. Ideò monebat Dominus Ioan. 6. *Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam.* Sunt equidem alimenta, quæ in præſenti conſumuntur, ſunt quæ aſſeruantur pro vita æterna. Iubemur autem operationem adhibere non perituris, ſed in æternum manſuris. Sed cum vtraque pro diuerſis temporibus neceſſaria ſint, cur prohibemur curare de caducis, dum ait. *Operamini non cibum, qui perit?* Sanè non abſolute vetamur hunc cibum operari, vt notat D. Chryſoſt. Theophyl. & alij, ſed damnatur ſtultitia noſtra, quæ cum multa ſit in conquirendis temporalibus, fere nulla eſt in acquirendis æternitatis alimentis. Quod prorſus ſtultum eſt. Ait enim D. Cyril. Alex. lib. 3. Ioan. c. 28. *Stultiſſimum igitur eſt carnem, & carni iocunda ſic amplecti, vt nullam, aut vix æqualem de anima, quæ multò corpori præſtat, habere videamur. Cui tanto ſtudere quiſquam magis iubetur, quanto cæteris præſtantior eſt. ſic enim ſapienter, & iudicabimus, & operabimur.* Hæc ſanè eſt vera hominis ſapientia, qua nunc ſolicitus eſt de æterna vita, & toto mentis conatu ea colligit, ea præparat, non quæ in præſenti abſumantur, ſed quæ ſibi ſuppetant ad vitam æternam. Non abſimile dicebat Dominus Matth. 6. aiens: *Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo, & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur.* Non vetatur aliqualis in terra theſaurizatio pro filiis, pro familia, pro vita temporali ſuſtentanda, ſed exigitur, ne in iis tota cura impendatur, verum vt magis attendamus iis, quæ & longioris, & felicioris vitę ſunt pabula. Ex quo monebat Imperfectus hom. 15. in Matth. *Quid ergo? Melius eſt ſuper terram reponere, vbi incertus eſt conſeruationis euentus, an in cœlo, vbi eſt certa cuſtodia? Hic ſi non cuſtodieris, perdes: ſi cuſtodieris, timore, & ſolicitudine cruciaris. Illic autem etſi dormis, à Deo ſeruantur; cum recordatus fueris, ſpe gratularis. Quæ eſt autem ſtultitia illic relinquere, vnde exiturus es, & illuc non præmittere, quo iturus es?* Proh ſtultitia omnium ſtultiſſima! Cum multus ſis in congerendis cibis pro vnius diei hoſpitio; nullus es in cibis parandis pro regione, in qua æternum durabis. Horres ſine commodis vitam agere temporalem, & non horres ſine illis vitam æternam agere. Equidem ſi ſapis, modo bona para, quibus exiſtere diues, & ſatur poſſis in die æternitatis.

Exod. 16. Videte quod Dominus dederit vobis Sabbathum, & propter hoc die ſexta tribuit vobis cibos duplices. Maneat vnuſquiſque apud ſemetipſum, & nullus egrediatur de loco ſuo die ſeptimo. Et Sabbathizauit populus die ſeptimo. Appellauitque domus Iſrael nomen eius Man, quod erat quaſi ſemen coriandri album, guſtuſque eius quaſi ſimilæ cum melle, &c.

§. L.

In æterna patria non viuitur niſi de anteactis laboribus.

NOn permittitur Iſraelita domo exire Sabbathi die, vt colligat cibos, qui minime datur illo die, ſed de aſſeruatis tàrum licet viuere. Dicit enim: *Videte quod Dominus dederit vobis Sabbathum, & propter hoc die ſexta tribuit vobis cibos duplices. Maneat vnuſquiſque apud ſemetipſum, & nullus egrediatur de*

loco suo die septimo. Et cur sic cauet Deus, ne in Sabbatho quæratur cibos, sed quod solum de asseruato viuant? Exprimebatur ibi tota cœlestis vitæ œconomia, in qua solum de anteactis operibus potest quis viuere. Ait D. Cyril. Alex. de Adorat. in Spirit. lib. 7. circa medium: *Non tibi posthac obscurum esse poterit, quin hoc ipsum nihil agere in Sabbatho, sed quodcam suppeditatum sit, tanquam in cellam condere, neque cælestem manna ipsum dari, sed iam comportato ad voluptatem, & escam vti, quasi præparatio quadam, ac informatio sit illius vitæ, quæ in sæculo venturo futura est.* Equidem habes in Sabbathi, & mannæ religione manifestam rationem cœlestis œconomiæ. Vt enim in Sabbatho nullum manna quærebatur, nullum colligebatur, imò nullum dabatur, sed viuebant solum de asseruato ex præcedenti die. Sic in cœlestibus non viuent homines de aliquo, quod tunc denuo negotientur, & acquirant; solum enim in sempiterna requie de anteactis laboribus viuitur. Nec tunc viuere speret, qui tunc parare sibi necessaria confidit. Hinc Num. 15. dicit: *Factum est autem cum essent filij Israel in solitudine, & inuenissent hominem colligentem ligna in die Sabbathi, obtulerunt eum Moysi, & Aaron, & vniuersæ multitudini. Qui recluserunt eum in carcerem, nescientes quid super eum facere deberent. Dixitque Dominus ad Moysem: morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra.* Et cur tam atrociter homini vita eripitur, & solum, quod in die Sabbathi colligeret ligna? An tantum nefas erat, quod in Sabbatho ligna colligeret? Nonne passim maiora delicta cōdonabat Dominus? cur adeò seuerus fuit in perdenda huius hominis vita? Exprimebatur in Sabbatho cœlestis vitæ œconomia, in qua solum viuitur de comportatis, & anteacti laboris fructibus, quare meritò priuatur vita, qui vel in vmbra cœlestē turbat œconomiam, tunc volens sibi necessaria conquirere. Pulchre D. Cyril. Alexan. lib. 4. in Ioan. cap. 51. inquit. *Illam igitur vitam Sabbathismus significat, in qua omnibus bonis, cum Christo viuentes fruentur, peccato radicitus extirpato. Omnia enim bona in visione Dei mens sanctorum adipiscetur: ideò qui ligna in Sabbatho colligebat, lapidibus obruebatur: quoniam veritatem in figura violauit.* Veritas est, quod in æterna requie non viuitur nisi de anteactis, & collectis virtutibus, vt in Sabbatho non viuebatur, nisi de ante asseruatis, & collectis cibis. Qui in Sabbatho non ad asseruata recurrit, sed alia tunc quærit, quibus suæ indigentiæ succurrat, in figura cœlestis œconomiæ veritatem violat. Nec mirum, quod obruatur lapidibus, ne viuat, qui vel in vmbra, vel in somno fingit, quod in æterna requie possit quis sibi necessaria perquirere, & non de anteactis viuere. In qua culpa fuere illæ fatuæ virgines, quæ Matth. 25. euntes ad cœlestes nuptias, *non sumpserunt oleum secum,* sed tempore resurrectionis illud perquirentes dicebant prudentibus virginibus: *Date nobis de oleo vestro.* Meritò illas extremæ stultitiæ damnat propter hoc Euthymius inquiens: *Et hoc stultitiæ fuit, sperasse se ibi oleum ad ornatum accepturas.* Sanè in resurrectionis articulo in ingressu æternæ vitæ, stultum imò carnale est, quod quæras oleum, quod hinc tecum non sumpsisti. Non enim ibi viuitur nisi de comportatis ex hac mortali via.

D. Cyril.

Num. 15.

D. Cyril.

Matt. 25.

§. LI.

Eucharistia epulum nos reficit, & armat contra aduersarios.

NOn otiose manna exprimitur esse tanquam *semen coriandri;* etenim pro coriandro Hebraice ponitur Gad, quod vt notat Oleaster, deriuatur à Gadad, & est exercitum ponere, quia grana coriandri nascuntur in magna copia, & sic ordinata vt homines in exercitu. Ergo & manna vt coriandrū, sic exercitum referebat muniens nos aduersus hostes. Quò spectans Psal. 22. ait: *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.* Non tam videas in mensa Dominica dapes, quàm armorum speciem, quàm exercitus, qui contundant aduersarios nostros. Quo spectans Alepusius Archiepiscopus Valentinus in orat. de Euchar. habita in Actis Concilij Trident. sessione 13. quæ est 3. sub Iulio, inquit: *Eia Christi milites isto pane corpus vnum effecti animum spiritualia reparate. Descendit arca Dei in castra; collata sunt signa, nefas est ignauiter agere.* Meritò eucharistico pane saturos, milites vocat, & petit, vt vnum exercitus corpus effecti fulgeant sub diuinis armis. Vt enim arca Dei in castra descendente alacres vniuersi fiebant milites, vexilla explicabantur, nihilque apparebat, quod non referret pugnam & certamen: sic sumpto viuifico pane, quidquid belli, & exercitus est, reparatur aduersus Dei aduersarios. Vnde vt ait D. Paul. 1. ad Corinth. 12. *Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit: Accipite, & manducate, &c.* Et cur instante morte sua anxius præbet discipulis suis cœlestem panem? Erat tunc potestas tenebrarum in arena, multaque aduersus Christi scholam meditabatur, ait enim ipse Dominus Luc. 22. *Ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum.* Quando ergo sic accinctus erat Satanæ exercitus, necessum fuit Apostolos armari, roborari in certamen, & ideò illis datur cœlestis panis. Ait D. Bernard. serm. 3. de Ramis Palmarum: *Cæterum ante passionem affectuosius Dominus refectionem suis curauit exhibere domesticis, & in hoc quoque apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris. Cum enim dilexisset suos, in finem dilexit eos, & dicebat: Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum antequam patiar. Oportebat enim. Expetierat eos Satanas, vt cribraret sicut triticum: opus erat præuenire refectionem.* Vbi tanta Satanæ manus ascenderat, vt Apostolos ventilaret, necessum fuit illis cœlestis panis refectionem parari, quo refecti, imò armati bella Dei conficerent aduersus Satanam. Nequit enim esse diuinissimus panis, quin statim & arma & vexilla, & totus militaris tumultus aduersus dæmonem appareat. Vt dicat Isaias cap. 19. *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & erit in signum Domino exercituum.* Et simul erunt altare Eucharistiæ, & signum Domino exercituum, quando enim minimè aliàs, saltim in hoc altari non poterit Deus non Dominus exercituum æstimari. Ibi namque validissimus instruitur exercitus, qui concutiat regnum Satanæ. Quò respiciens idem Isaias c. 30. aiebat: *In tympanis, & citharis, & bellis præcipuis expugnabit eos.* Et quæ sunt bella præcipua ad aduersarios expugnandos? Aiunt alij ex Hebræo, *in bellis oblationis,* quippe oblatio hæc eucharistiæ bella præcipua excitat, quibus aduersarij cadant.

Psal. 22.

1. Cor. 11.

Luc. 22.

D. Ber.

Isaias 19.

Isaias 30.

§. LII.

Dei verbum omnia fit animæ fideli.

DVm ad mannæ gustum explicandum accedit textus, ait: *Gustus eius quasi simila cum melle.* Hic erat communis omnibus gustus mannæ, fidelibus autem, & piis omnium suauitatum sapores referebat, prout ipsi volebant. Id quod dicit Sap. 16. *Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Substantiam enim tuam, & dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebas, & deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat, conuertebatur.* Sanè ad quod quisque iustorum volebat, conuertebatur mānæ sapor, non ad quod quisque impiorum amabat; vt est receptior, & communior sententia Patrum. Sic D. Augustin. D. Greg. Mag. Carth. Abul. Lyran. Barradas, Salmeron, Viegas, Conimbricens. Lippom. quos citat, & sequitur Salian. In quo expressius diuini Verbi ostenditur efficacia, quod fit fidelibus, & piis hominibus, quidquid fideles amant. Hinc est, quod Dei Verbum sub variis exprimatur figuris. De illo ait D. Petrus 1. epist. 2. *Quasi modo geniti infantes lac concupiscite.* Sed & panis frequentissime appellatur in scriptura, & multis aliis nutrimentorum generibus exprimitur, vt cum aqua dicitur Ioan. 4. *Aqua quam ego dabo ei, fiet, &c.* Et cur vnum cum sit diuinum verbum, transmutatur in tam diuersas figuras, nisi vt morem gerat credentium fidelium affectibus? Ita ait Clemens Alex. 1. Pædagog. cap. 6. *Ita verbum multis modis allegorice dicitur, & cibus, & caro, & nutrimentum, & panis, & sanguis, & lac. Omnia est Dominus, vt nos eo fruamur, qui in ipsum credimus.* Felix, qui viuaci hac fide nititur, quidquid volet, fiet ei Verbum diuinum. Eius voluntati seruiet potentissima Verbi diuini efficacia, vt nihil desideratum non possideat. Cæcis cupientibus lumen ait Iesus Matth. 9. *Secundum fidem vestram fiat vobis.* Non expressit, quid fieret, sed potentissimam Verbi sui potentiam illorum apposuit fidei, ostendens quod credentibus verbum Dei fiat id quod ipsi cupiunt. Ex quo Orig. hom. 7. in Exod. ait. *Audi enim & Dominum dicentem iis, qui accedunt ad se: Fiat tibi secundum fidem tuam. Et tu ergo, si verbum Dei, quod in Ecclesia prædicatur, tota fide, tota deuotione susceptum, fiet tibi ipsum verbum, quodcumque desideras. Verbi gratia, si tribulatus, consolatur te dicens, Cor contritum, & humiliatum Deus non spernit: si lætaris pro spe futuris, cumulat tibi gaudia, dicens: Lætamini in Domino, & exultate iusti. Si iracundus es, mitigat te, dicens: Desine ab ira, & derelinque indignationem. Si in doloribus, sanat te. Si paupertate consumeris, consolatur te, dicens: Dominus alleuat de terra inopem, & de stercore erigit pauperem. Sic ergo manna verbi Dei, reddit in ore tuo saporem, quemcumque volueris.* Transmutatur equidem verbum Dei in omnia, quæ fideles desiderant

Sap. 16.

1. Petr. 2.

Ioan. 4.

Clem. Al.

Origen.

desiderant; nihilque tibi erit in optatis, quod verbum Dei mirifice non suppleat. Vnde suggerenti Satanæ lapides conuertendos in panes, præclare Dominus opposuit verbum Dei, cuius proprium erat conuerti viro iusto vel in cibum concupitum. Ait enim Matt. 4. *Non in solo pane viuit homo, sed de omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Circa quæ ait D. Amb. lib. 3. in Lucam. *Non quasi Deus vtitur potestate, sed quasi homo commune sibi accersit auxilium, vt diuinæ lectionis pabulo intentus, alimentum verbi cœlestis acquirat.* Expende, quod commune auxilium vocet, quod verbum Dei conuertatur in cibum, vel vices suppleat cibi; at quòd lapides panes fierent, id non esset commune, sed rarum opus, & solius omnipotentiæ diuinæ. Cur ergo conuersionem lapidum in panes opus reputat rarum potestatis absolutæ; & quod verbum Dei esurienti, & cupienti pro cibo fiat, id auxilium vocat commune? Nonne maioris est virtutis, quòd verbum cibus fiat, quàm quòd lapides panes fiant? Cur ergo istud potestatis absolutæ opus censetur, illud autem vocatur commune auxilium? Equidem ordinarie fit, & si maioris virtutis sit opus, tamen habetur inter communia, & sic quod verbū Dei fiat panis, & fiat quidquid homo fidelis cupit ad salutem, vt ordinarium est, sic intra communia numeratur cœlestis mannæ auxilia. Ea quo aiebat Euthymius: *Omne siquidem verbum ab ore Dei egrediens ad eum, qui fame premitur, loco cibi vitam eius sustinet, & sufficit ei. Nam & Hebræi manna comederunt, quod cum non esset panis, omnem tamen eorum supplebat indigentiam mutatum in omnia, quæ optabat quisque edere.* Ecce tibi, vt & mannæ, & verbo Dei est commune voluntati, indigentiæ fidelium seruire, & præbere cuique, quod cupit.

Matth. 4. *Euthym.*

§. LIII.

Cœlestis cibus iuxta suscipientis palatum fit.

NOn in solo veteri manna erat, quod fidelium cupiditati seruiret iuxta id Sap. 16. *Deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat, conuertebatur.* Id etiam in viuifico Christianorum pane Iesu maxime inuenitur, qui quotidie iuxta suscipientis palati exigentiam disponit gratiam suam. Hinc Christi sponsa ad nuptias Agni vocata, quibus innumeri filij regenerarētur in Christo, sine vberibus eligitur. Cant. 8. *Soror nostra parua, & vbera non habet, quid faciemus sorori nostræ in die, quando alloquenda est?* Erant plures infantes in Christo regenerandi, & mater eligitur, quæ non habeat vbera. Cur sine vberibus proponitur mater, quando magnum filiorum examen requiritur? Nonne infantes peribunt, si eis desit lac? Aut vnde eis lac dabitur, si mater non habet vbera? Non necesse est, vt mater Ecclesia habeat vbera, quando habet Christum, qui omnibus omnia fit, & lac infantibus, & panis adultis. Si præ infantili virtute adhuc lac concupiscis, ecce Iesus cupiditati tuæ obtemperabit, & lac fiet, & etiam fiet panis, aut caro, cum adultus iam cibos solidiores concupiscas. Ait Clemens Alex. 1. Pædag. cap. 6. *Ideò autem lac non habuit, quod lac esset hic infantulus pulcher, & appositum, scilicet, corpus Christi nutriens cœtū verbo nutriens. O partum sanctum! Verbum omnia est infanti, & pater, & mater, & pædagogus, & altor. Comedite, inquit, meam carnem, & bibite meum sanguinem. Hæc apposita, & conuenientia nobis alimenta suppeditat Dominus, & carnem præbet, & effundit sanguinem, & ad incrementum nihil deest infantulis. O admirabile mysterium.* Sanè admirabile mysterium est, quod vnū cum sit diuinum ferculum, sic exigentiæ suscipientis deseruiat, vt vitis sit & panis, & caro, & fiat lac infantibus, lac appetentibus. Sic sese attemperat diuinissimus cibus palatis suscipientium. Isaias cap. 33. describens hominem ab omni scelere purum, & immaculatum, tandem ait: *Panis ei datus est, aquæ eius fideles sunt.* Non solum sub nomine panis, sed & sub nomine aquarum cibum eucharisticum intelligit, vt ex D. Cyril. Alex. notat Torrianus noster tractat. 2. de Eucharistia cap. 32. Sed cur eucharisticus cibus sub aquarum nomine ostenditur, nisi ex hac proprietate, quod sit conuertibilis facile iuxta exigentiam suscipientium? Sic enim aqua facillime conuertitur in earum plantarum naturam à quibus bibitur. Accipite D. August. quæst. 18. de Mirab. scripturæ differentem: *Cuncti liquoris materia quotidie per ipsarum rerum ministrationes in diuersa mutatur, dum in vniuscuiusque naturæ pastum, & refectionem indesinenter, & naturaliter contribuitur. Cum enim per vitis arborem infunditur, in vini saporem, & colorem mutatur, & cum oliuæ ligni ad excelsas summitates ascendit, eadem aqua olei pinguedinem facit; & cum ab apibus in fauo congeritur, mellis dulcedinem operatur; & cum per palmarum robora digeritur, dactylos gignit, & ad fictra suauitatem expressa peruenit.* Quid elegantius? Planè ea natura aquæ est, vt facile conuertatur in fructus earum à quibus bibitur plantis. In ore apis mel fit, in palmæ radice fit palma, vinum in vite, & in oliua ad olei pinguedinem trahitur. Bene ergo vel hinc eucharisticus cibus ab Isaia vocatur aqua, dum ait, *aquæ eius fideles*, vt qui facile iuxta suscipientium affectus conuertatur, & in eorum, quæ a fidelibus appetuntur, similitudinem transeat.

Sap. 16. *Cant. 8.* *Clem. Al.* *Isaias 33.* *Cyr. Al.* *August.*

§. LIV.

Cœlestis cibus longe mannâ præstantior, vt qui ad meliorem frugem trahat suscipientes.

HInc ad summum extollebatur mannæ beneficium, quod seruiebat voluntati suscipientium. Sicut de eo Sap. 16. *Deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat, conuertebatur.* Longe præstantius est, quod fit in cœlesti mensa tam à Dei verbo, quàm ab eucharistico epulo; nimirū quod ad se diuinæ epulæ trahunt suscipientes, & in præstantiorem naturam illos faciant conuerti. Hoc non inuentum est in manna, nec in toto voluptatis paradiso fuit inuentum, solum inuenitur in diuina siue doctrinæ, siue Eucharistiæ mensa. Accipite D. Chrysostomum hom. 13. de Regressu, vel hinc præferentem Christi Ecclesiam paradiso voluptatis, cum totis suis vitæ epulis: *Paradisum recepi ille paradiso meliorem. & ibi quidem serpens erat insidians, hic autem Christus mysteria celebrās: in illo paradiso vnamquodque genus fomentis in suo perseuerat statu, in isto vero paradiso, si inuenero labruscam, vitem vberē efficiam: si inuenero oleastrum, veram oliuam efficiam, talis enim est terra istius natura.* Quid pulchrius? Inter mysteria, quæ à Christo Domino celebrantur, illud augustissimum est, quod etiam corruptę naturę ad excellentius trahantur, & viuendi, & fructificandi genus. Non arctatur diuina esca limitibus imperfectorum suscipientium, sed eos ad præstantiora erigit. Huc spectans Isaias cap. 65. *Lupus, & agnus pascentur simul, & leo, & bos comedent paleas.* Sanè bouis est paleas pascere, & agnus etiam herbas pascit, leo autem & lupus, non herbas, nec paleas, sed carnes solent pascere. Dum autem ad Christi pascuā venitur, & rapacissimæ feræ suæ obliuiscuntur naturæ, & ad præstantissimorum animalium naturam transeunt. Ibi ait D. Cyril. Alex. lib. 5. tom. 6. *Neque enim dixit: comedent carnes, sed lupi, & leones mansueta vtentur cibo, non indomitis, qui palearum nomine significantur. Neque sequentur immundos mundi, neque aliorum institutum, ac vitam æmulabuntur, sed probant potius mitium, & puerorum probitatem imitabuntur.* Ecce tibi in Christi pascuis vt ferales naturæ ad meliorem frugem, & probitatem transeant. Post Christi Domini resurrectionem primo sermone Petri audito non pauci Iudæi rabidissimi Iesu persecutores cōuertuntur. Ait enim Actor. 2. *Apposita sunt illa die animæ circiter tria millia. Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Fiebat autem omni animæ timor. &c.* Ecce tibi, qui paulò ante fremebant, & clamabant, Crucifige, crucifige: nunc timentes, & trementes sub scapulis se recipiunt Crucifixi. Vndè tanta mutatio facta est? Ait textus: *Erant in cōmunicatione fractionis panis:* vbi viuificum cibum cœperunt gustare, & suę feritati renūciant, & in summitatem transeunt virtutis Christianæ. Ad hæc D. Aug. serm. 4. de Sancto Stephano, ait: *Attendite fratres. Magna pietas Crucifixi. Pendebat, & tamen petebat. Et non descendebat, quia de sanguine suo medicamentum phreneticis faciebat. Denique post resurrectionem sanauit, quos pendens insanissimos tolerauit, & sanguinem, quem fuderunt sæuientes, biberunt credentes, & facti sunt sequentes, qui erant persequentes.* Sic vnius Domini sanguinis poculo à persequentium feritate transeunt ad assectarum perfectionem. Vt tetigit labia eorum diuinum poculum, non permisit eos amplius efferari, sed ad sortem sanctorum transire fecit. Ait Oseas cap. 11. *Ero eis, quasi exaltans iugum super maxillas eorum, & declinaui ad eum, vt vesceretur.* D. Hieronym. legit: *Et dedi ei esum corporis mei.* Compone modo cibum corporis Christi cum maxillarum iugo. Maxillarum iugum frænum est, quod ferreis lupatis constringens equorum ora, eos ad imperium trahit regentis. Hoc itaque facit Christi cibus in ore fidelium, sic eos constringit ad sua, vt non liceat circa Dei imperium mouere pedem. Ait D. Cyril. Alex. lib. 3. in Ioan. cap. 34. *Ipse igitur est manna verum, ipse est panis de cœlo, qui omni rationali creaturæ à Deo patre præbetur. Ita gratia & misericordia Dei, vel à cupiditate caducarum rerum, variis, multisque modis humanam solet reuocare naturam. Nam cum vi magni ponderis lupi ad has instabilia carnis premat appetitus, & tyrannicè*

Sap. 16. *Chrysost.* *Isaias 65.* *Cyril. Al.* *Actor. 2.* *August.* *Oseas 11.* *Cyril. Al.*

ad

ad imperium suum redigat, quasi fræno ad desiderium rerum meliorum Christus nos circumducis, & sanitate mentis donatos in habitu virtutis confirmas. Non aliter fræno iniecto ad suum nutum trahit eques belluam ferissimam; vt Dominus præcipitem in voluptates naturam hominis esu corporis diuini trahit ad cœlestium appetitum. Planè Eucharisticus cibus frænum est, quod belluinos mores constringit & facit stare diuino nutui. Væ qui magis gaudent cœlestem cibum ad suum nutum trahere. Ioan. 6. *Non sicut patres vestri manducauerunt manna, & mortui sunt, qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Hoc caueas, ne manduces hunc panem vitalem, vt antiqui manducauerunt manna, & mortui sunt. Et qualiter manducabant illi manna, ex quo in mortem irent? Planè ait Sapient. cap. 16. *Manna deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat, conuertebatur.* Seruiebat eorum affectibus manna, & ideò moriebantur; ille enim ad vitam transit, qui non trahit ad suum nutum cœlestem panem, sed potius illius nutui se ipse curat attemperare. Ait D. Dion. Areop. cap. de communione: *Oportet enim si communionem, participationemque eius cupimus, in vitam eius, quam in carne vixit, intueri, & imitatione, atque similitudine sanctitatis ad habitum diuina, & incorrupta virtutis recurrere.* Ecce tibi, vt qui velit vitæ incorruptionem obtinere ex isto diuino pabulo, debet non illum ad suum nutum trahere, sed eius virtutes intueri, illisque penitus sese attemperare.

Ioan. 6. — *Sap. 16.* — *Dion. Ar.*

Exod. 16. Dixit autem Moyses: Iste est sermo, quem præcepit Dominus: Imple gomor ex eo, & custodiatur in futuras retro generationes, vt nouerint panem, quo alui vos in solitudine, quando educti estis de terra Ægypti. Dixitque Moyses ad Aaron: Sume vas vnum, & mitte ibi Man, quantum potest capere gomor, & repone coram Domino ad seruandum in generationes vestras, sicut præceperat Dominus. Posuitque illud Aaron in tabernaculo, &c.

§. LV.

Cœlestis cibus festinatam gratitudinem petit.

CVm primum iuxta præcepta Domini data per Moysem manna colligi cœpit, statim iussio data est de implendo gomor, & reponendo in conspectu Domini ad memoriam beneficij, & gratitudinem extorquendam. Sic ait Dominus: *Imple gomor ex eo, & custodiatur in futuras retro generationes, &c.* Etsi multi dubitent in quo loco repositum fuit tunc istud manna, cum nec arca, nec tabernaculum constructum fuerit, in quo postea repositum fuit: tamen non dubitandum est, quod tunc statim, vt primo colligi cœpit, fuerit collectum, & repositum coram Domino, siue in paruo aliquo tabernaculo, quo etiam vtebatur Moyses ad accipienda Dei oracula, vt ait Comestor, & patet ex cap. 33. Exodi, siue in alio quouis loco deputato ad idem ministerium. Illud verum ex hoc maximè notandum venit, quod nimirum tam citò, ad beneficij testationem manna fuerit reponendum. Restabant equidem quadraginta anni, quorum singulis diebus manna dandum erat. Cur ergo necessum fuit tam cito colligere ad reponendum? Cur non magis id factum fuit vltimis diebus pluuiæ cœlestis? Quippè cum per tot annos manna ipsum quotidie ob oculos, & præ manibus erat necessarium, cur aliquod in beneficij memoriam reponeretur, cum vniuersorum mensæ ipso manna essent plenæ? Cur ergo tam cito iubetur reponi? Reponebatur in memoriam beneficij, ad gratitudinem ab Israelitis extorquendam; res autem gratitudinis minimè differenda, sed quam citissime referenda. Sic cauet lex Leuitici cap. 7. *Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerent panes absque fermento conspersos oleo; : : panes quoque fermentatos cum hostia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis: ex quibus vnus pro primitiis offeretur Domino, & erit sacerdotis, qui fundet hostiæ sanguinem; cuius carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quicquam vsque mane.* Ecce vt ex hostia gratiarum actionis non permittatur quid in mane reseruari. Et cur nil reseruaretur in mane, nisi quod res gratitudinis non debet dilatari, sed cum primum executioni mandari? Ait Philo lib. de sacrificiis apud Turrianum tract. 2. de Euchar. cap. 14. *Hæc laudis victimam ipsa prima die lex iubet absumi; vt qui experti sunt propensum paratumque fauorem cœlestis numinis, incunctanter de hoc sacrificio impertiantur aliis.* Sanè, qui fauorem diuinitatis experitur, non debet cunctari in exhibitione gratiarum, sed statim in ipsa prima die perfici debet, quidquid spectat ad gratitudinem ostentandam. Id quod specialiter sibi postulat fauor cœlestis panis, qui vt primum suscipientis ora tangit, incunctanter ea mouet, vt peragat, quidquid est actionis gratiarum. Hinc Psal. 44. *Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi.* Notat, quod Dauidis corda solum verbum nouerant tunc eructare. Quid plura? Psal. 118. *Eructabunt labia mea hymnum.* Non iam simplicia verba eructat Dauid, sed hymnos, sed cantica. Et vnde qui simpliciter loquebatur, sic impulsus fuit in hymnos decantandos? Ait D. Ambros. serm. 22. in Psal. 118. *Eructat hymnum, qui eructauerat verbum. Denique & Dauid ante eructauit verbum bonum, hic eructat hymnum. Bonum panem gustauit, qui de cælo descendit. Bonum panem, quem si quis manducauerit, non morietur in æternum.* Equidem vt gustauit cœlestem panem, non cunctatus est, sed incunctanter in hymnos, & cantica prorupit, quibus tantum altorem celebraret. Non permittit cibus diuinus tem laudis, & gratitudinis dilatari. Sic Paul. 1. ad Cor. 11. ait: *Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit: Accipite, &c.* Nondum perfecta erant mysteria, sed cum primum accipit panem in manus, statim nihil cunctatus prorumpit in actionem gratiarum. Ex quo monet D. Chrysost. ibi hom. 27. *Si igitur, & tu cum gratiarum actione accesseris, nihil in indignum facias. Accedas gratias agens, pro iis, quibus frueris.* Moris erat in acceptione beneficiorum, quod prius accepturus accederet, & post acceptum gratias ageret. Sed non faciendæ sunt hæ moræ cum Deo, simul accede gratias agens, ne prius tendas manum ad accipiendum, quam os aperias in actionem gratiarum. Non aliter Iesus Ioan. 11. suscitaturus Lazarum, cùm primum iubet aperiri sepulchrum, statim ait: *Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me.* Nihil adhuc extrinsecus postularat, nihil dixerat ad defunctum, sed tantum iusserat tolli sepulchri lapidem, & iam de exaudito agit gratias. Et meritò, in re enim gratitudinis ostendendæ nullas moras vult pati. Theophyl. ibi: *Quis autem orauit sic vnquam? Prius enim quam dixisset aliquid, inquit: Audisti me. Hæc faciens omnibus modis ostendebat suam erga patrem gratitudinem.* Et nullo magis gratitudo ostenditur, quam vbi non differtur.

Leuit. 7. — *Philo.* — *Psal. 44.* — *Psal. 118.* — *D. Amb.* — *1. Cor. 11.* — *Chrysost.* — *Ioan. 11.* — *Theoph.*

CAPVT XIIII.

Aqua de petra Horeb.

Textus Historia.

RAPHIDIM arua violentis arentia feruoribus sitiens occupabat exercitus, & diu negatis fontibus, vt siti languebat, sic malitia obfirmabatur in Moysem, & Deum. Nesciunt carnalia corda nihil parturire non felleum; quando vel saxa, vel rupes effundunt mella, quæ vel murmurantium linguas faciant exundare dulcedine. Videres rem miram. Per medios querulorum cuneos ducitur Moyses vsque ad prominentem rupem Horeb, quam coram proceribus non paucis virga percutiens, subitò fluctuanti cautæ largissimi redundarunt latices, siccæque ieiuni marmoris venæ potum cunctis vomuere multiplicem. Currebant aquarum flumina, quæ gradientes in deserto populos comitarentur, & crystallinis vndis originis suæ petram, & Christum referrent, à quo nunquam non exundant gratiarum fluenta.

PARS

PARS MORALIS in textus literam.

IAM venit nobis petra sugenda, quæ deserta cordis dum rigat, non parui inde orientur fructus virtutum.

Exod. 17. Igitur profecta omnis multitudo filiorum Israel de deserto Sin per mansiones suas iuxta sermonem Domini, castrametati sunt in Raphidim, vbi non erat aqua ad bibendum populo. Qui iurgatus contra Moysem ait: Da nobis aquam ad bibendum: Quibus respondit Moyses: Quid iurgatis contra me, & tentatis Dominum?

§. I.

In vita huius deserto etiam exactissimis Dei cultoribus non deest ærumna.

Minime declinantes à Dei viis veniunt Israelitæ in Raphidim, vbi extrema illos aquarum penuria excipit. Ait enim: *Profecta omnis multitudo filiorum Israel de deserto Sin per mansiones suas iuxta sermonem Domini castrametati sunt in Raphidim, vbi non erat aqua, &c.* Expende illud, *iuxta sermonem Domini.* quippè nec pedem mouerant, nisi iuxta Dei præcepta, eius obsecuti directionibus: & tamen sic deueniunt ad locum, in quo nullus erat potus, quo viuere possent. Crede mihi, dum in hoc vitæ deserto sumus, non est, qui se ab omni ærumna eximat, nec ille qui exactissimè Dei sese subdit directionibus. Felicitatem seruorum Dei extollēs Paul. 1. ad Cor. 3. ait: *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.* Fallar, si quid præstantius dici possit de homine in hoc sæculo cōstituto, quam quod sit agricultura Dei, & ædificatio Dei, quibus ostenditur, quam sit purus ab omni vitiorum radice, & quā sit plenus virtutum. Sic enim putat D. Bruno ibi: *Vos estis agricultura Dei, à quibus iā eradicata sunt spinæ peccatorum. Estis, inquam, agricultura per ablationem malorum: estis ædificatio per positionem virtutum.* Quid fœlicius hac agricultura, vbi & Deus non permittit vitia, & virtutes ponit? Potest in illa esse aliquid timoris? Equidem vel in ipso nomine, & re agriculturæ discitur quam adhuc maneant expositi temporalium euentuum rigoribus. Accipite Platonem in Axioco, qui perstringens omnes vitæ humanæ miserias in omni statu, in omni munere, tādem perueniens ad agriculturā, ait: *Verum dulcis est agricultura, est sanè. Nonne tota tamen est (quod aiunt) vlcus, semper paratam doloris habens causam, nunc quidem siccitatem, nunc pluuias, nunc vredinem, nunc rubiginem, nunc vel æstum intempestiuum, vel frigus conquerens?* Equidem tota dulcedo agriculturæ non eo peruenit, vt careat omni contrario euentu, siue in pluuiarum superfluentia, siue in siccitatis extremo, vel in alio incommodo temporali. Similiter, & quando quis eo peruenit dulcedinis, vt excussis vitiorum radicibus, virtutibus acceptis sic appareat, vt Dei ipsius omnipotentis digna agricultura videretur, adhuc credat se temporalibus incommodis obnoxium esse. Quis spectans Iob cap. 10. ait: *Et si impius fuero, væ mihi est: & si iustus, non leuabo caput, saturatus afflictione, & miseria.* Merito non inuenit vir sanctus viam, qua se in hac vita liberet à laboribus. Duæ enim sunt viæ tantum per quas graditur omnis homo. Altera est impietatis via; altera est iustitiæ: si te impietati dedas, quid laboriosius, & ærumnosius? Sanè post multas tribulationes, væ vltimū te manet damnationis æternæ. Dimissa ergo impietate iustitiæ te dedis, non ideò damna omnia temporalia effugies, etsi enim *iustus fuero*, ait Iob, *non leuabo caput, saturatus afflictione, & miseria.* Semper Dei agricultura in suspirio est, ob temporales molestias. Matth. 27. ventum ad locum Dominicæ crucifixionis est, ibique Dominus Iesus crucifigitur. Quid tunc? *Tunc crucifixerunt eum et duos latrones, vnum à dextris, & vnum à sinistris.* Cruces erant, & labores à dextris, & sinistris Dei, vt ait D. Hil. canon. 23. *Omnem humani generis vniuersitatem vocans ad sacramentum passionis Domini ostendentes.* Et quod ad passionem, & laborem vocentur ij, qui à sinistris sunt, non mirarer: at qui nihil habent sinistrum, sed omnia dextra habent, cur crucem etiam, cur passionem, & ærumnam inueniant? Ea est mundi huius miseria, & natura, vt nullus vacet ab ærumnis. Accipite Orig. hom. 35. in Matth. dicentem: *Est videre discipulos Christi testimonium dantes cultura Dei, cum iniquis reputari, & cum eis crucifigi, & passiones reliquas sustinere, sicut & illi. Mundus enim summos semper persequitur viros, & punit; malitia quidem summos propter vtilitatem multorum; summos autem virtutis, quia non est mundus dignus eis.* Ecce tibi vt & mundus ærumnis suis æque tractet semper & iustos, & impios. Sed & illa expendenda, nimirum: *testimonium dātes cultura Dei, cum iniquis reputari:* prorsus in eo ostendunt, vt sunt culeuta, & agricultura Dei, quod eisdem, quibus iniqui, temporalibus ærumnis teneantur. Hinc patet stultitia Iudæorum, qui videntes Iesum crucifixum Matth. 27. dicebant: *Confidit in Deo, liberet eum, si vult, dixit enim: Quia filius Dei sum.* Vel dicebant iuxta Chrysostomi lectionem: *Si filius Dei est, & si vult Deus eum, saluet nunc eum.* Pro signo diuinæ filiationis ponebant, quod à cruce liberaretur. Et quidem stultissimum est non credere filium Dei, qui à cruce non liberatur, quando commune est, & iustis hominibus, & filiis Dei, sub eisdem ærumnis premi. Hinc D. Chrysost. hom. 88. in Matth. fatur: *O insani, scelestique homines, an prophetæ, non erant prophetæ, & iusti, quos occidistis, non erant iusti, quoniam eos Deus à periculis non eripuit? Imò verò erant.* Planè insania est non putare iustum, qui à malis non liberatur, quando & iusti expositi sunt omnibus iniuriis temporalibus.

1. Cor. 3.

D. Brun.

Iob 10.

Matth. 27.

D. Hilar.

Origen.

Chrysost.

Chrysost.

§. II.

Vix ærumna temporalis sentitur, vbi apparet iudicium Dei.

Mirabar, quod ductor populi Angelus è columna Israelitas manere fecerit in Raphidim, vbi nulla erat aqua ad bibendum. Ait enim: *Castrametati sunt in Raphidim, vbi non erat aqua.* Et cur in Raphidim maluit sistere eos, vt intolerabili siti crucientur? Est *Raphidim* D. Ambrosio *laus iudicij*. D. autem Hieronymo, *sanitas iudicij*; nullo ergo satius quam in Raphidim seruatur, vt siti excrucientur, quando ad iudicij sonum, quæuis ærumna mollescit. Multæ clades nuntiabantur Iobo, valentes constantissimum virum frangere, & inter alias dicitur ei cap. 1. *Ignis Dei cecidit de cœlo, & tactas oues, puerosque consumpsit.* Et ad tantum substantiæ suæ incendium Iob tacet, nullumque doloris sensum monstrauit. Audis boues, camelos, & asinos raptos, imò & oues cœlesti igne absumptas audis, & non doles? Cur tot ignes non tibi eripuerunt aliquas lacrymas? Cur non turbaris in incendio tanto? Ait D. Chrys. hom. de Iob, & Abr. *Vndè ignis missus? E cœlo. Inde scilicet venit, vnde & iudicium.* Et quando temporalia incendia à iudicij loco veniebant, non miror, quod Iob memor iudicij, ad illorum aspectum non moueretur. Crede mihi, nullum temporale damnum æstimatur, vbi oculi tremendum Dei iudicium spectant. De illo iudicij tempore locutus Ecclesiastes cap. 12. ait: *Consurgent ad vocem volucris.* Volucris vocem appellat illam, quam Archangelus in tuba faciet conuocans omnes ad tribunal Christi, vt ait Paulus, *canet enim tuba.* Sed illa vox erit horrenda, maximeque omnibus timenda, qua dicit 4. Esdras 6. *Et tuba canet cum sono, quam cum omnes audierint, subito expauescent.* Quid passer cum tuba? Quid volucris cum tremendo sono, qui pauorem incutiet omnibus? Equidem tota illa Archangeli vox, & totus ille terror profectus ab hac voce, si comparetur cum iudicij articulo, in quo tonabit iudex viuorum, & mortuorum, sic attenuatur, vt videatur paruæ cuiusdam esse volucris. Ait D. Hieron. ibi: *Nec mirandum, si Angeli tubam passeri comparemus, cum omnis vox ad Christum comparata sit tenuis.* Adeò equidem diuini iudicis vox tremenda est, adeò horrendus sonus sententiæ ferendæ in illo iudicio extremo, vt ad illam comparatæ voces terribilium omnium, voces hostilium tubarum videantur non excessisse passerculi alicuius vocem. Nihil enim durum est, quod non disparet in comparatione diuini iudicij timoris. Hinc Luc. 21. de illo tempore dicitur: *Erunt signa in Sole, & Luna, & stellis, & in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris, & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi.* Expende, vt stellarum casus, & terræ pressura, & sonitus maris nihil dicantur facere in hominibus, sed solus timor venturi iudicij in hominibus causat arefactionem, ait enim, *arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superuenient.*

Iob. 1.

Chrysost.

Eccl. 12.

Hieron.

Luc. 21.

tiunt. Cur non magis arescunt præ dolore præsentium? Cur non magis arescunt in casu stellarum, in pressura gentium, in insueto sonitu maris? Nonne hæc sufficiebant ad maximam afflictionem inuehendam? Cur prætermissis istis arescunt præ timore imminentium? Ait ibi Beda. *Credo ipsum iudicis aduentum hac sententia designari*, vbi autem iudicis proponebatur aduentus, non miror, quod præ timore illius cætera non sentiant. Imò nec pressura terrarum, nec stellarum casus, nec maris sonitus horrendus censetur esse. Apocalypsis cap. 20. ait: *Et vidi thronum magnum, candidum, & sedentem super eum, à cuius conspectu fugit terra, & cœlum, & locus non est inuentus eis.* Imò cap. 21. ait: *Prima terra abiit, & mare iam non est.* Haud dubium, quin loquatur de comitantibus iudicium Dei, cuius thronus vbi apparebat, nec cœlum, nec terra, nec mare dicuntur ibi esse, nec inueniri vestigia, aut loca eorum. Sed Lucas dicebat tunc esse signa in stellis, & in terris pressuras, & horrendissimos maris, fluctuumque sonitus. Quomodo ergo si mare horrendum quid sonat, si terra pressuras ostendit, si cœlum tristia signa exhibet, verum est, quod nec cœlum, nec terra, nec mare, sed nec eorum locus erat? Erant equidem è terra pressuræ, è mari horrendi gemitus, è cœlis tristissimæ tenebræ; sed hæc si cum exhibitione districtissimi tribunalis comparentur, nihil erunt, minime inter calamitates poterunt percenseri. Quò forsan spectabat Aymon in 1. Dom. Aduent. fatus: *Circa finem sæculi mare, flumina, riuuli voces, & mugitus emittent, interitum suum quibusdam luctuosis vocibus deplorantes, & per hoc non paruum timorem hominibus audientibus incutient. Hinc per Ioannem in Apocalypsi dicitur: Et mare non erit.* Expende illationem; inde enim putat dictum quod mare non erit, quia horribili sonitu in fine sæculi timorem incutiet hominibus. Et quomodo non erit, si tunc edet sonitus horribiles timorem incutientes? Timor incussus erit de imminenti iudicio, respectu cuius totius malitia maris erit nulla.

Beda. — *Apoc. 20.* — *Aymon.*

§. III.

Homini gratitudinem habenti nulla sterilitas, aut penuria officit.

NOta erat loci siccitas, & aquarum defectus omnibus erat æqualis tam Moysi, & Aaroni, quam popularibus; non tamen Moyses, nec Aaron sentiebant siccitatis damna, pro quibus nec verba faciunt, nec Deum precantur. Sed populares primi loci siccitatem non sustinentes maximè in Moysem alterantur. Quippè ait: *Iurgatus populus contra Moysem ait: Da nobis aquam, &c.* Et cur sterilitas terræ, & ariditas non prius mouit Moysem ad Deum solicitandum pro aqua, quam populares ad iurgandum? Cur Moyses non prius sensit inconueniens siccitatis, vt oraret pro remedio, quàm populus, vt iniuriose clamaret? Rationem indigitat Lippom. in præsenti, aiens: *Quanto plura beneficia capiunt inertes, tanto magis murmurant ingrati. Exemplar perpetuum ingratitudinis præbent Iudæorum patres.* Non mireris, quod prius sentiant ariditatis spicula ad murmurandum, & iurgandum populares Iudæi, erant enim ingrati, nunquam non ingratitudinis suæ signa dabant. Sóli autem sterilitas non officit, sicut nec proficit abundantia, sed gratitudo, vel ingratitudo habitantium. In fœcundissimo solo penuria consumitur ingratus, & in arenti, & sicco, bonorum fluentis innatat homo gratus. Nota est historia ex Gen. 13. vbi Lotho data est facultas terram sibi eligendi. Erat autem circa Iordanem regio amœnissima, Iordanis aquis irrigata, quæ tanquam Dei paradisus habebatur. Erat etiam altera Chanaam regio ieiuna aquis, nisi enim multo labore fossis puteis, vix aqua inueniebatur. Tunc textus: *Elegit sibi Loth regionem circa Iordanem, & recessit ab oriente. Abraham habitauit in terra Chanaam.* Et quid profuit irrigua terra Lotho, & quid obfuit sicca terra, & arens Abrahamo? Ille quia cum ingratis Deo hominibus habitabat, nullas non miserias passus est; hic quia gratitudinis in Deum exemplar erat, in arenti solo fluenta experiebatur gratiarum. Ex quo sapienter Diuus Chrysostomus hom. 33. in Genesim fatur: *Qua vtilitas, dic, oro, si terra sit fructuosa, & ferax, homines autem adeò mali? Quid damni è solitudine, & infrugifera terra, si homines sint humaniores? Caput enim, & summa bonorum est inhabitantium gratitudo.* Sit hominibus gratitudo erga Deum, & licet ponantur in terra inuia, & inaquosa, & prorsus sterili, nullam ibi sentient penuriam, sed omnibus abundabunt. Vna hæc gratitudinis virtus sufficiens est, vt nullæ penuriæ sentiantur; vt in summa bonorum spoliatione homo diues appareat. Hinc Dominus tam liberaliter permittit amicum suum Iobum omnibus bonis spoliari. Ait enim c. 1. *Dixit Dominus ad Satanam: Ecce vniuersa quæ habet, in manu tua sunt.* Nil excipit, nil reseruat amico, sed omnia illius tradit hosti. Et cur Domine sic nudas amicum? Cur pateris iustum virum manere spoliatum, & depauperatum omnibus bonis suis? Erat Iobo in animo summa gratitudo erga Deum, adeò vt etiam in hac spoliatione illi gratias refundat; qui autem gratitudine abundat, etiam in summa penuria diues est, & nullius indigens. Ex quo Diuus Chrysostomus ait homilia de Iobo, & Abrahamo: *Ecce omnia quæcumque habet, do in manum tuam: tollantur ab eo, quæ existimantur gratiarum actionis causa, diues gratiarum actione apparet.* Omnia ab eo tolluntur, vt nihilominus diues appareat, diues gratitudine, diues gratiarum actione. Cuius enim in ore est frequens gratiarum actio, & diues erit, & in summa etiam rerum penuria abundabit. Vt dicat idem Chrysostomus homil. 1. ad Populum Antiochenum. *Magnus thesaurus, gratiarum actio, magna diuitia, consumptum bonum, armatura fortis.* Nulla penuria potest, vel attingi homo gratus.

Lippom. — *Gen. 13.* — *Chrysost.* — *Chrysost.* — *Chrysost.*

Exod. 17. Sitiuit ergo ibi populus pro aquæ penuria, & murmurauit contra Moysem, dicens: Cur fecisti nos exire de Ægypto, vt occideres nos, & liberos nostros, & iumenta nostra siti? Clamauit autem Moyses ad Dominum, dicens: Quid faciam populo huic? Adhuc paululum, & lapidabit me.

§. III.

Brutis ventris affectibus seruientes nulla non excitant aduersus Deum, & proximos dissidia.

EXpende notissimam illam connexionem, nimirum: *Sitiuit ergo ibi populus, & murmurauit contra Moysem.* Sitis adduxit homines, vt in Moysem insurgerent: nulla non dissidia excitant, qui ventris cupediis nimis sunt addicti. Ait Paulus ad Romanos cap. 16. *Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones, & offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt: & declinate ab illis. Huiuscemodi enim Christo Domino nostro non seruiunt, sed suo ventri.* Connouctum semper est, vt qui ventri seruiunt, dissidia faciant, & aduersus veritatem rebelliones. Vt merito dicat homil. 32. in præsenti Chrysostomus: *Vndè dissidia? Ab eo quod ventri aliisque affectibus seruitur.* Quasi ventrem agnoscat vnicam esse causam dissidiorum, quæ excitantur aduersum veritatem & Deum. Hinc Gen. 3. vbi prima aduersus Deum agitatur defectio; *Dixit serpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii.* Multa fuerant animalia condita à Deo, & solus serpens inuentus est, cuius lingua hostis vteretur aduersus Deum; sanè quia solus serpens super ventrem graditur, reptatque ad ea, quæ sunt ventris, linguam dedit Satanæ, qua exurgeret aduersus veritatem, & Deum. Ad hæc ait Diuus Basilius Seleuciensis orat. 2. *Serpens hominis erat subiectus arbitrio; sic enim factum est, vt linguam diabolo commodarit, ad inuehendam confusionem.* Vbi inter hominis subditos fuit serpens, qui solus supra ventrem graditur, qui brutescentium, terrenorumque hominum præferebat exemplar, & fuit qui linguam diabolo commodarit, ad rebellionem aduersus Deum moliendam. Crede mihi non sic aduersus Deum præsto est leonina feritas, vt brutescens cura ventris; hæc vbi adest, & dissidia, & contentiones aduersus Deum expectes. Proh miseri homines, qui ventri seruitis, qui brutescentibus cupiditatibus indulgetis, qui toti inhiatis terrenis; fallar, nisi cito insurgatis aduersus Deum. Ex Exodo 32. ait Paulus 1. ad Corinthios cap. 10. *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* Siue vt Caietanus legit in Exodum: *Surrexerunt ad illudendum.* Clemens autem Alexandrinus legit: *Saturati surrexerunt ludere*, & notat, quod pro verbo, *saturati*,

Ad Rom. 16. — *Chrysost.* — *Gen. 3.* — *Basil. Sel.* — *Exod. 32.*

est verbum Græcum, quod idem sonat, ac *fœno repleti*. Nec miremur, quod aduersus Deum caurgant, qui sic bestialiter ventri indulgebant, vt nihil supra bestias in cibo meditarentur. Ait ille lib. 1. Pædag. cap. 11. *Saturati ergo surrexerunt ludere. Saturati autem Græce est, quasi dicas, fœno repleti, nempe qui à ratione alienam alimente plenitudinem, hoc est fœnis repletionem, non autem cibum dixeris. Quoniam autem absque ratione saturati, absque ratione ludebant.* Nihil rationale, nihil menti humanæ consonum in appetendis cibis, sumendisque cogitabant, sed quod bestiarum est, id solum sumebant, de irrationali, & bruto appetitu, quid aliud facerent, quàm aduersus Deum, & rationem bella?

§. V.

Inter homines prorsus carnales non potest esse vnitas, & concordia.

ADuersus Moysem benefactorem suum exurgit populus, qui sitiebat aquam. Sic enim habes: *Sitiuit ergo ibi populus pro aqua penuria, & murmurauit contra Moysem, &c.* August. apud Lippoman. legit: *Sitiuit ibi populus aquam.* & addit: *Populus sitiuit aquam, qui Deum sitire debuit, qui debuit sitire iustitiam.* Hominis sane esset rationalis, & spiritum habentis, quod sitiret aliquid spiritui consentaneum, nempe Deum, & iustitiam. Sed homo carnalis nihil nouit sitire nisi aquam, quæ ad carnis sustentationem facit, ne miremur, quando rixas aduersus Moysem meditatur. Carnales enim etiam tot beneficiis obligati, quot erant hi in Moysem nesciunt seruare vnanimitatem. De carnalibus tollat affectibus necessum est, qui velit ad vnitatem cum suis aptari. Post perfectum Adamum, vt fœminam illi in vxorem vnanimem efficeret Dominus Gen. 2. de Adamo dormiente costam extraxit. *Et ædificauit Dominus costam, quam tulerat de Adam in mulierem.* Cur necessum fuit Adamo costam extrahi, vt mulier ædificaretur? Vt mulierem faceret Dominus, non supperebat materia alia? Non erat idem limus, ex quo ipse Adam formatus est? Quid necessum fuit Adami perfectum corpus mouere, & illi costã eripere? Curabat Deus facere Adamo sponsam, cum qua vnanimiter viueret, ideò necessum fuit Adami minuere carnem, nisi enim de diminutis, & circicisis carnalibus vnanimitas non conseruatur. Pulchrè ait D. Basil. Sel. orat. 2. *Neque vero ex terra, sed ex latere membrum mutuatur; partitur corpus, vt mentem coaptet, & natura vna dissipatur arte formantis, vt vna mens construatur.* Qui corpus Adami perfecerat ante, vbi illud ad vnanimitatem seruandam aptat, quasi dissipat factum, & tollit partem, dissipans, & minorãs carnem in Adamo, vt vna mens inter illum, & vxorem construatur. Quando enim in sua valentia est caro, affectusque carnalis, nescit vnanimitatem etiam cum suis seruare. Vnde D. Paul. ad Rom. cap. 1. locutus de perditis hominibus, illos dicit esse *Parentibus non obedientes, sine affectione, absque fœdere, sine misericordia.* Sed vnde oriri potest, quod homines nec cum parentibus affectionem habeant, nec fœdus seruent? Ait D. Amb. ibi: *Quanta autem insolentia arrepti sunt, vt nec parentes suos, quos authores in natiuitate habent, agnoscerent; & qui se natos gaudebant, illos tamen per quos esse cœperant, contemnebant: Hoc est esse sine intellectu, sine charitate, nempe Dei. Nam erat inter illos charitas carnis.* Expende vnde tot illa mala orirentur, quod aduersus parentes rebellarent, quod nullum fœdus seruarent, nullam amicitiam vererentur; *erat*, nimirum, *inter illos charitas carnis.* Vbi in illis tota erat carnis valentia, non miror quod nec noscerent fœdus cum parentibus. Ait 1. Reg. 9. *Erat vir de Beniamin nomine Cis: fortis robore, &c.* Cis idem est, ac durus, nec vacat mysterio, quod qui durus dicitur, forti etiam robore assimilatur, sed vt intelligamus, quam sit iuncta fortitudo carnis cum duritie cordis, ne vllam affectionem conseruet. Id quod notabat D. Greg. PP. in præsenti lib. 4. cap. 3. aiens. *Cis pater Saul ideò fortis robore dicitur, vt vires corporis magnas habuisse sentiatur. Fortis ergo robore durus est: quia qui magna carnaliter exhibet, cor molle per compassionem in fraterna charitate non habet. Valenter agit, qua non imitans homines forte pessime: sed intus coniungi fraternis mentibus nescit per affectum dilectionis.* Ecce tibi vt in valentia carnis vnanimitas esse via possit. Vnde Cant. 1. *Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum, egredere, & abi post vestigia gregum, &c.* Et D. Amb. petit, vt egrediatur, & abeat pedibus nudis. Et cur nudis pedibus ibit? Ait ipse lib. de Isaac cap. 4. *Exi quasi exutis vinculis pedem, & nudo exerto vestigio, vt carnalia integumenta non sentias, vestigiamentis tua corporalia vincula non implicent. Tales enim sunt, qui ad regnum cælorum annuntiandum eliguntur à Deo, de quibus dicit: Quam speciosi pedes euangelizantium pacem.* Quasi nequeat pax nuntiari ab iis, qui carnalia non fugiant.

Lippom. — *Gen. 2.* — *Basil. Sel.* — *Ad Rom. 1.* — *D. Amb.* — *1. Reg. 9.* — *D. Greg.* — *Cant. 1.* — *D. Amb.*

§. VI.

Contumeliæ illatæ viro ingenuo acerbissimæ sunt super mortem.

NOn possum non mirari Moysis clamorem in præsenti, ait enim textus: *Clamauit autem Moyses ad Dominum, &c.* Quærebatur Moyses ad mortem Exod. 2. & fugit, nullumque edidit fugiens clamorem, nec querelam vllam protulit apud Deum. Nunc autem querulos clamores mittit ad Dominum. Et quando mors decreta, iurataque viro non illum incitauit ad clamorem, quæ res adeò atrox illi modo euenit, quæ faciat clamare tantum hominem? Ait Lippom. *Conuitiis lacessitus iurgiis impetitus, blasphemiis deturpatus, quid in tanta afflictione facit? Ad Dominum suum supplex festinat. Vnde sequitur: Clamauit ad Dominum.* Quippè audiuit se vocari fraudulentum, & dolosum; qui fraude tantum populum eduxerat ad mortem, quibus conuitiis impetitus clamauit, præ dolore, qui tacens sustinuit quæri ad interfectionem. Et quid non faciant in ingenuo viro contumeliarum voces? Sustinuerat Iesus verbera, spinas, innumerosque dolores; è quibus omnibus duo solum quasi æque acerba ponderantur, nimirum mors in cruce, & contumeliæ illatæ ab exercitu Herodis. Isaias 53. *Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet.* Ecce tibi vt hæc duo quasi paria coniungit, nimirum & agni tonsionem, & iugulationem. Sed quis æquet tonsionem agni eiusdem iugulationi? In iugulatione cum ingenti dolore perditur vita, in tonsione lamentabile vulnus fit nullum in corpore, sed solum lanæ externum operimentum tollitur. Quæ ergo tonsio potest æquiparari tormento iugulationis? Non loquitur vates de qualicumque diuinissimi agni tonsione, sed de illa, quam passus est apud Herodem conuitiis, & opprobriis appetitus ab exercitu regio toto, quod quidem ingenuo viro par fuit durissimæ internecioni. Ait Tertul. lib. de carnis Resur. *Tanquam ouis ad iugulationem adductus est, & tanquam agnus ante tondentem, scilicet Herodem sine voce, sic non aperuit os suum.* Magnum sanè, quod sic se permitteret carnificibus trucidandum, vt ibi seruaret mansuetudinem ouis. Sed accipite aliud æquè mirandum, quod traditus Herodi detractori, & exercitui opprobrantium hominum, sic inter tot opprobria, & contumelias se habuit, vt se habet agnus coram tonsore. Vel morti par, vel sane supra mortem est viro ingenuo conuitiis, & opprobriis peti. Samson ille inuictissimus tandem comprehensus, & obcæcatus adducitur in medium Philisthinorum, vbi amplexatus columnas, quibus domus tota nitebatur, ait Iud. 16. *Moriatur anima mea cum Philisthiim, concussisque fortiter columnis cecidit domus super omnes, &c.* Sic cum Philisthinis voluit ipse perire vir fortis. Et cur elegit ipse tam atrociter mori? Cur non magis mortis genus exhorruit? Causam indigitans ait D. Ambr. epist. 70. *Producitur de carcere Samson, ac statuitur in populi conspectu. Erant tria millia ferme hominum virilis, ac muliebris sexus, & grauibus eum exultabant conuitiis, circumagebant ludibriis, quod durius, & vlteà ipsam captiuitatis speciem viro ingenua virtutis conscio tolerabatur. Nam viuere, & mori naturæ functio; ludibrio esse probro ducitur. Cupiens igitur tantam contumeliam morte in reliquum præuertere, poposcit à puero, vt admoueret eum ad columnas, &c.* Sic imperterriti animi vir ad sustinendam mortem, inualidus fuit ad sufferenda conuitia; quæ vt fugeret, mortem ambiuit. Hoc trahenda sunt dicta 1. *tom. in Euang. lib. 4. cap. 2. §. 10. & tom. 2. lib. 11. cap. 9. §. 7. & tom. 3. lib. 16. cap. 15. §. 7. & alibi.*

Exod. 4. — *Lippom.* — *Tertul.* — *Iud. 16.* — *D. Amb.*

Exod. 17. Et ait Dominus ad Moysem: Antecede populum, & sume tecum de senioribus Israel, & virgam qua percussisti fluuium, tolle in manu tua, & vade. En ego stabo coram te ibi super petram Horeb, percutiesque petram, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus. Fecitque Moyses ita coram senioribus Israel. Et vocauit nomen loci illius Tentatio,

propter

propter iurgium filiorum Israel, & quia tentauerunt Dominum, dicentes: Estne Dominus in nobis, an non?

§. VII.

Oratio pro inimicis fouendis & efficax, & maximi lucri est.

VIx Moyses verba orationis finierat, & statim Dominus in manu eius ponit virgam potentem vel aquas educere de sicca petra. Sic enim ait: *Antecede populum, & sume tecum virgam, &c.* Et vnde tam citò datur Moysi imperium cum virga ad extrahendam aquam de petra? Orabat Moyses pro hominibus sibi iniuriis, & rebellibus, & ideò tam citò obtinuit imperium in ipsas creaturas. Efficacissima equidem est oratio pro inimicis, vt multa acquiras ex Deo. Ierem. cap. 8. dicebat Dominus: *Non assumas laudem, & orationem pro eis. Si Moyses, & Samuel steterint coram me, non est anima mea ad populum istum.* *Ierem. 8.* Volebat Dominus se prorsus inexorabilem ostendere populo nequam, & ideò adducit in medium duos, quorum orationes efficacissimæ omnium solebant esse, nimirum, & Moysem, & Samuelem. Et cur inter efficacissimas omnium orationes, solas meminit orationes Moysis, & Samuelis? Elucebant in iis præcipuè orationes factæ pro hostibus, quæ in emolumentis & efficacia sunt super omnes. Ait D. Greg. PP. hom. 27. in Euang. *D. Greg.* *Quid ergo est, quod Moyses, & Samuel ceteris patribus in postulatione praeferuntur, nisi quod hi duo tantummodo in cuncta testamenti veteris serie etiam pro inimicis suis leguntur exorasse? Unus à populo lapidibus impetitur, & tamen pro lapidatoribus suis deprecatur. Alter ex principatu eiicitur, & tamen petitus vt exoraret, fatetur, dicens: Absit à me hoc peccatum, quatenus cessem orare pro vobis.* Vt in orando pro inimicis erant celeberrimi Moyses, & Samuel, sic adducuntur, vbi fit mentio de oratoribus efficacissimis; quando oratio, quæ pro inimicis fit, nunquam sine magna efficacia, & emolumento inuenitur. Hinc Iob 42. *Iob 42.* *Dominus quoque conuersus est ad pœnitentiam Iob, cum oraret ille pro amicis suis Et addidit Dominus omnia, quæ fuerant Iob, duplicia.* Orauit equidem Iob pro amicis sibi infensissimis, qui plura in illum congesserant conuitia. Et quid hac oratione efficacius, & fœcundius? Amicis protinus veniam obtinuit, & sibi omnia bona duplicia. Ex quo sapienter D. Greg. lib. Moral. 35. cap. 7. *D. Greg.* *Plus pro se preces suas valere efficit, qui has, & aliis impendit. Libentius quippe sacrificium orationis accipitur, quod in conspectu misericordis iudicis proximi dilectione conditur. Quod tunc veraciter quisque cumulat, si hoc etiam pro aduersariis impendat.* Expende illud, *veraciter cumulat*, numquam enim ingens bonorum cumulus non correspondit precibus pro aduersariis orantibus. Et cur oratio pro inimicis non cumulos bonorum faciat? quando & fœcunda est ipsa patienter auditio contumeliarum? Nota est audacia, & temeritas Philisthæi, qui Israelitas exprobrabat, aduersus quem exiens Dauid ait 1. Reg. 17. *1. Reg. 17.* *Vadam, & percutiã eum, & auferam opprobrium de populo. Quoniam quis est hic incircumcisus, qui ausus est maledicere exercitus Dei viuentis?* Sic inermis adolescens agebat de hominis armati nece, quasi de re indubitata. Et vnde adeò sibi facilem promittebat victoriam de tam potenti aduersario? Ipse ait illis verbis: *Ausus est maledicere, &c.* Ille maledicta congerebat, & conuitia in populum Dei, quæ patientissime sustinebantur, nec vnus inuentus est, qui referret paria: id quod notans Dauid sibi asserit victoriam indubitatam. Ait D. Basil. Sel. orat. 15. *Basil. Sel.* *Maledictam illam inimici linguam victoriæ pignus teneo.* Nunquam non est pignus bonorum in populo, qui nescit maledicenti referre paria. Vbi enim videris conuicia iactari, nihilque simile retorqueri, puta ibi ingentes bonorum cumulos aggregari.

§. VIII.

Dei spiritus est, quod in acceptis bonis par pari referas.

NOn otiose dictum Moysi, quod ad extrahendam aquam de petra tolleret virgam, qua mare percussit. Ait enim: *Sume tecum virgam, qua percussisti fluuium.* Dubitat Augustinus, si nomine fluminis intelligatur mare à Moysis virga percussum, & requirit exemplum similis locutionis. Do ego exemplum in Iona cap. 2. vbi ait: *Proiecisti me in profundum in corde maris, flumen circumdedit me.* *Ionas 2.* Nec ibi licet intelligere per flumen,

aliud quam mare, quando totum Ionæ naufragium in mari peractum est. Et vt erat & vicinius, & celebrius Moysis facinus, quod virga percusserit mare, & fecerit viam siccam peregrinantibus, sic non dubito ad hoc respexisse Dominum, quando dixit; *Sume virgam, qua percussisti fluuium*, id est, fluentes aquas maris. Sed cur præcipue meminit Dominus percussionis, qua mare scissum fuit, & ostendit aridam viantibus, quando volebat, vt simili percussione petra stillaret aquas? Vt ostendat quàm à Deo veniat, quod mutuis officiis par pari referant vniuersa creata. Sanè ad virgæ percussionem aquæ maris diuisæ reddiderunt aridam, qua Israelitæ siccis pedibus ambularent. Modo autem ad eandem virgæ percussionem aridi lapides euomunt aquas, quæ possint Israelitas satiare. Sic arida dedit aquas, quia aquæ dederant aridam; sic Dei est, quod mutuis officiis nobis referamus paria. Sic ipse Iesus Ioan. 13. surgens à mensa, & linteo se præcingens *cœpit lauare pedes discipulorum.* *Ioan. 13.* Et cur voluit suorum discipulorum pedes lauare? Erant discipuli filij Abrahæ, cuius hospitium ingressus Dominus Gen. 18. simile quid accepit ab Abrahamo, cui modo in filios parem exhibet gratiam. *Gen. 18.* Ait enim Tertul. lib. de Trinit. *Quod enim erat futurus, meditabatur in sacramenta Abrahæ factus hospes, apud Abrahæ filios futurus: cuius filiorum pedes, ad probationem, quod ipse esset, abluit: reddens in filiis tunc hospitalitatis, quod aliquando illi fœnerauerat pater.* Ablutus aliquando pedibus ab Abrahamo, simile modo præstat filiis Abrahæ. Et ad quid simile refert? Ait; *Ad probationem, quod ipse esset*; nullo euidentius monstraret se Deum esse, quam si parem referret gratiam. De Iuda tribu ait Num. 24. *Num. 24.* *Qui benedixerit tibi, erit & ipse benedictus* Et ex hoc mutuo officio benedictionum colligit Theophylact. inibi adhærentem diuinitatem, de cuius solius assistentia venit, quod beneficiis par referatur. Ait enim in cap. 5. Matth. *Qui benedicunt te, benedicentur ecce deitatem. Sola enim Dei natura hanc benedictionis virtutem habet.* Quippe in solo Deo inuenies, quod benedictionibus acceptis paria referantur. Nec aliter fieri potest, vbi Dei spiritus habitat. Vnde Gen. 22. dicebat Dominus Abrahæ: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, ibique offeres eum in holocaustum.* *Gen. 22.* Quam nouum hoc & inusitatum holocaustum Deo? Ex quo tibi Domine victima humana placuit? Vnde potuit venire, vt tibi vnici filij holocaustum placeat? Cur ergo requirebas oblationem adeò inusitatam? Sanè volebat firmare Deus decretum suum de dando filio suo, ideò petit sibi filium hominis dari, ne posset tanto obsequio non reddere parem gratiam. Ait D. Macarius orat. de Exalt. Crucis: *Macar.* *Abraham filium vnigenitum ex promissione susceptum ad cædem ducebat, & immolare festinabat, iussus à Deo, volente, opinor, vt & sacrificium illud pro totius mundi salute peragendum firmaretur.* Vt firmum est, quod Deus obsequentibus sibi parem gratiam referat, sic firmabatur, quod filium suum in holocaustum daret, eo ipso quod filium Abrahæ in holocaustum acceperat. Dei enim est quasi non posse parem gratiam non referre.

§. IX.

Deus velocior est omni creatura in iis, quæ sunt profutura homini.

DIcitur Moysi, quod vadat ad petram, in qua iam Deus est. Sic enim ait: *Virgã, qua percussisti fluuium tolle in manu tua, & vade. En ego stabo coram te ibi supra petram* Ex Hebræo ait: *En ego sto ibi, &c.* Moysi adhuc dicitur, quod vadat, ipse Deus iam ibi stat. Quantumuis enim creatura currat & volet, citius quam illa accedat, stat Deus in loco, vbi est hominum negotianda salus. Quo spectat illud Luc. 1. *Luc. 1.* *Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, & nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum.* Expende illud: *Dominus tecum*, etsi enim Angelus festinauit, vt ad Virginem perueniret, Dominus, qui miserat Angelum, ante eius accessum iam inuenitur in Maria. Sanè vt Dominus hominum curam suscipiat, præteruolat creaturas omnes, præteruolat Angelicos spiritus. Id pulchrè expendens D. Ber. serm. 54. in Cant. ait: *D. Bernard.* *Denique transiliit Gabrielem, & peruenit ad Virginem, eodem Archangelo testante, cum ait: Aue gratia plena, Dominus tecũ. Quid? Quem modo reliquisti in cœlo, nunc in vtero reperis. Quonũ modo? Volauit, & præuolauit supra pennas ventorũ. Victus es ò Archangele, transiliit te, qui premisit te.* Non sic creatura aliqua, non sic Angeli currunt in hominum auxilium, quin Dominus præcurrat, adeò vt cum velocissimu

velocissimi sint in via, iam ipse Dominus in termino possit sentiri. Eadem recinens ait Chrysol. serm. 143. *Missus est Angelus à Deo, & quid dicit? Dominus tecum. Ergo erat cum Virgine, qui ad Virginem miserat. Præcessit nuntium suum Deus.* Tarda est omnis creatura in negotio humanæ salutis; vnus Deus transilit omnes, & ante quam alij accedant, iam ipse in negotio inuenitur. Cupiebat aliquando sponsa vrgere dilectum, vt ad homines saluandos veniret, & ait Cant. 1. *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Et loca prandij, & accubitus requirebat, vt inueniens quiescentem ad iter vrgeat. Et quid interea? Ipsa ait: *Ecce iste venit saliens in montibus.* Accubantem, aut prandentem quærebat, & non potuit videre nisi iam venientem, & prosilientem in montium cacuminibus. Sic eius festinatio superat, & excedit vel cogitationem, & desideria sponsæ suæ. Ad hæc Pulchrè Ber. serm. 1. de Aduentu: *Venientem vides, ô pulchra, sed cubantem videre ante non poteras. Dixisti enim: Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes. Veruntamen ecce egressus est de loco suo. & qui cubans pascit Angelos, ipse cœpit. & sanabit nos, & videbitur veniens, & pastus, qui cubans, & pascens ante videri non poterat.* Expende illud: *Videbitur veniens, & pastus* adeò enim festinat, ex quo negotiatur humanam salutem, vt quantumuis properes, vt illum cubantem inuenias, vel saltem prandentem ad iter, nunquam inueniatur à te, nisi iam pransus, & veniens, & superans montium cacumina. Qui properantem viatorem conuenire desiderant, accubitus, & prandij loca operiuntur, vt ibi conueniant illum. Sic sponsa aduentum Saluatoris sui expectans, cogitabat de accubitus, prandijve locis, vt ibi eum conueniret. At festinatio Saluatoris in iuuandis suis omnes creatas cogitatus superat, nec aliter potest inueniri, quam iam pransus, & vel montium prærupta tenens velocitate sua. Sed expende adhuc illud: *Et videbitur veniens & pastus, qui cubans, & pascens antea videri non poterat.* Et quidem Gen. 18. tres viri, quorum vnus erat Dominus, dum peregrini veniunt, intrant Abrahæ domum, ibi cubant, ibi prandent, & ibi Abraham, & omnis eius familia eos videt cubantes & prandentes. Cur ergo hic cubans, & prandens cernitur Dominus, & ibi cubans, nec prandent, sed veniens, & pransus ostenditur? Ait tex. ibi: *Cum surrexissent inde viri, direxerunt oculos suos contra Sodomam* Vbi Chrysost. *In tabernaculo Abrahæ & Angeli, & eorum Dominus visi sunt. Abituri autem illinc erant ad subuertenda Sodoma.* Et hæc est tota rei explicatio, vbi enim Dominus pergit ad perdendos homines, adeò cunctanter pergit, vt in accubitu, & prandij loco videri possit: at vbi ad saluandum venit, sic properat, vt minime accumbent, aut prandent, sed veniēs & pransus videri semper possit. Felix, qui in salute sua procuranda huius Dei sequitur ductum, fallar, nisi velocissimos superet. Magi illi primi Iesu adoratores à remotissimis regionibus Orientis venerunt, & decimotertio die natiuitatis adorarunt Dominum. Aiunt ipsi Matth. 2. *Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Et qualiter tam cito venire potuerunt? An dromedarij pernicitate? An Angelorum opera? Non creaturis, sed ipsi Paruulo credit tantam velocitatem D. Thomas in catena, vbi sic ex Remigij sententia loquitur. *Sed quærendum est, si Chaldæi, vel Persæ de vltimis finibus terræ fuerunt, quomodo in tam breui spatio Hierosolymam venire potuerunt? Sed sciendum est, quod aliqui solent dicere, quod puer, qui tunc natus est, in tam breui spatio temporis de vltimis finibus terræ ad se perducere potuit.* Non Dromedariorum, imò nec Angelorū, nec vllius creaturæ fuit opus, quod à finibus terræ tam breui spatio venirent in locum vbi parabatur salus hominum. Id vnus Deus potest efficere, qui vt ipse superat omnem creatam velocitatem, vt medeatur hominibus, sic allectat suos fecit venire ante omnes ad medelæ locum.

Chrysol. — *Cant. 1.* — *Bern.* — *Gen. 18.* — *Matt. 2.*

§. X.

In Christi passione fidelium leuamen, & vita.

EXpende remedium ex Deo datum, vt bibant, & viuant homines, nimirum ait: *Percuties petram, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus.* Et quando petra erat Christus iuxta Pauli assertum, quid de Christo percusso non exiat in leuamen hominum? Crede mihi, ex quo Christus fuit percussus in sua passione, nullum ibi non apparuit refrigerium, quo & quiescant & viuant homines. Nullus vnquam homo maiori siti, & fame, & lassitudine confectus fuit, quam erat illa fugitiua, & per sua ouis, quæ à Dei caulis exiliens in vijs errabat difficilibus, & laboriosis. Illam tandem inuenit pastor, inuentam nec pascit, nec adaquat, sed in humeris ponit. Ait D. Luc. cap. 15. *Et cum inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens, &c.* Cur non magis famescentem cibat, & sitientem adaquat? Cur pro omnibus solos humeros exponit, quibus medeatur oui? Erant in humeris signa passionis, in illis crucis virga percussit saluatorem, & inde non poterant non prodire hominibus omnia salutis commoda. Ex quo ait D. Ambr. serm. 22. in Psal. 118. *Denique tuus ita pastor ouem humeris imposuit suis. Agnoscis vtique mysterium, quomodo ouis lassa reficiatur: quia non potest aliter humana conditio lassa recreari, nisi sacramento Dominicæ passionis, & sanguinis Iesu Christi, cuius principium super humeros eius.* Nisi de percusso Christo non poterat recreari tam deplorata ouis, at vbi percussus est, nil inde boni requiritur, vt emēdentur humanæ perditiones. Post Domini resurrectionem ait Angelus mulieribus Matth. 28. *Scio, quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis. Surrexit, non est hic. Venite, & videte locum.* Resurgentem, & gloriosum annuntiat, & nihilominus mulieres conuocat, vt videant dominicæ sepulturæ locum. Et quando Dominus à sepulchro exiit, cur mauis, quod fœminæ adhuc intreant sepulchri locum? Cur non magis hortaris, vt mortem obliuiscantur, attentæ, & intentæ gloriæ resurrectionis? Quid vitæ asseclas adhuc retines in mortis cōsideratione? Sapienter Angelus salutis spem geniturus in fœminis, eas trahit ad spectandum theatrum Dominicæ passionis, de quo solo haberent, vt vitam recipere possent. Ait D. Chrysol. ser. 77. *Mulieres vocat Angelus ad videndum, vt sacri corporis lotus mundaret oculos, quos diabolo claudente, vetito arboris maculaerat aspectus. Ingrediuntur sepulchrum, vt consepulta Domino totam fidei resurgerent in salutem.* Quod bonum, aut quæ vita posset sperari à mulieribus nisi de passione Christi? Sanè, quæ reformari debebant, & in vitam erigi immortalem, nullò aptius trahuntur, quàm ad Christi passionem meditandam. Huc spectent omnes, qui diuinis fluentis amant ditari. Hinc Matth. 3. *Baptizatus Iesus confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cœli: & vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se.* Et cur Spiritus diuinus venit super Iesum in specie columbæ? Cum venit super Apostolos Act. 2. venit in specie linguarum ignearum. Cur similiter non venit super Iesum, sed maluit venire in specie columbæ? Venit equidem ad Iesum in specie columbæ, vt doceret, quid vniuersi debemus in Iesu spectare; vt enim columba in petra quærit foramina, vt sibi faciat habitaculum: sic etiam nos ad passionis Dominicæ semper spectemus foramina, vt inde nobis æterna paremus habitacula. Ait Paschas. lib. 2. in Matth. *In columba meritò apparuit, vt per eum nos doceret ipsi tales esse debeamus. Solet itaque nidificare in foraminibus petræ, seu in cauerna maceriæ: petra autem est Christus, in cuius lateris foramine omnis Ecclesia nidificat.* Ecce tibi venit Spiritus sanctus ad Christum ea specie, qua & ad illum similiter veniamus, nimirum vt columbæ foramina plagarum meditantes, ibique nidificantes, vt de earum refugio æternum viuamus.

Luc. 15. — *D. Amb.* — *Matt. 28.* — *Chrysol.* — *Matt. 3.* — *Paschas.*

§. XI.

Quæ à passione Christi veniunt bona, firmiora sunt, & durabiliora.

NOn vacat mysterio quod in hac petræ percussione iuxta omnes Patres, passio Christi exprimatur. Ait enim: *Percuties petram, & exibit aqua.* Et cur petra Christi percussiones repræsentabit, nisi vt ostendantur quàm firmiora, & securiora sunt, quæ per Christi passionem dantur, vt quæ in petra fundantur? Ait D. Bern. serm. 61. in Cant. *Quid non boni in petra hac? In petra exaltatus, in petra securus, in petra firmiter sto. Et vere, vbi tuta, firmaque securitas infirmis, & requies, nisi in vulneribus saluatoris?* Discurre homo per omnium creaturarum habitacula, nullibi inuenies firmum fundamentum bonorum, nisi hoc veniat de Christi plagis. Christi passio est, quæ nobis peperit vitam nullis casibus amittendam. Quò spectans aiebat Dominus apud Chrysost. hom. in Parasceue apud Grethserum tom. 2. *Surrexit mortuus in Galilæa, at rursus mortuus est. Ego verò postquam per crucem resurrexi; non possum amplius mortem incurrere.* Expende, vnde fundet, quod amplius non morietur, nimirum, *postquam per crucem resurrexi*, quæ enim per crucem, passionemque Saluatoris data sunt, ea ex se firmitudinem habent, qua nulli incommodo cedant. Quid in passione Domini fundatur, quod non firmiter perseueret? Ioannes cap. 19. notabat titulum cruci appositum Saluatoris, quod *erat scriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè.*

D. Bern. — *Chrysost.* — *Ioan. 19.*

Ex

Ex quo illud singulare accidit, quod etiam deletis, & exterminatis à terra populis Hebræis, Græcis, & Latinis, hæ linguæ adhuc perseuerant, & resonant Christum in Ecclesia. Quod vt incredibile in alus videretur, sic in iis linguis, quæ cruci Saluatoris affixæ fuere, minorem admirationem generat. Ve dicat D. Hieron. in Nepotiani Epitaph. *Nunc passionem Christi, & resurrectionem eius, cunctarum gentium, & voces, & litera sonat. Taceo de Hebræis, Græcis, & Latinis, quas nationes sua crucis titulo Dominus dedicauit.* Ecce vt quando miratur Hieronymus de omnium gentium vocibus resonantibus Christum, in re tantæ admirationis tacet, & præterit Hebræas, Græcas, & Latinas voces. Et cur hæ voces prætermittendæ sunt, & tacendæ? Ipse rationem reddit aiens: *Quas nationes sua crucis titulo dedicauit.* Quæ enim litteræ affixæ fuere titulo crucis, non adeò mirandum est, quod resonantes Christum æternum perseuerent. Commune namque est Dominicæ passionis suis firmitatem, & securitatem præbere. Vnde ait verus nostrarum animarum amator Cant. 2. *Veni columba mea in foraminibus petra, in cauerna maceria.* Septuag. legunt: *Veni columba mea in tegimento petra, iuxta promurale*; alij ponunt: *iuxta munitionem.* Et vniuersi firmitatem, & securitatem insinuant, quę venit de vulneribus Saluatoris. Vt dicat D. Amb. lib. de Isaac c. 4. *Surgo secura in tegimento petra, id est, tuta passionis mea, & fidei munimento. Suxerunt enim mel de petra, & oleum de firmissima petra. Hoc integumento anima piorum induta, nuda non sunt, & hæc illis est præmunitio.* Sanè ex quo Christus petra percussa, & excauata apparuit, iam habent animę, vnde fortitudinem, & firmitatem induat aduersus hostiles incursus, ne facile corruãt, sed perseuerent æternum in bono duraturæ. Hinc Dominus Matth. 27. calicem discipulis porrigens aiebat: *Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur.* Additur in canone Missæ: *Noui & æterni testamenti.* Quando enim vetus testamentum considerat sanguine animalium rubricatum, quod & penitus deletum & immutatum est, nunc ad aliud testamentum accedens, ne de eius duratione, & firmitate dubitaretur, præmisit sanguinis sui pretiosi effusionem. Nec iam dubitandum erat de secura, & æterna hæreditate, cuius testamentum firmatum erat Dominica passione. Quò respiciens Orig. ibi aiebat: *Si sanguis testamenti infusus est in corda nostra in remissionem peccatorum nostrorum, effuso eo potabili sanguine in corda nostra, remittuntur, & delentur omnia quæ gessimus ante peccata. Ipse autem, qui accepto calice dicit: Bibite ex hoc omnes, nobis bibentibus, non descedit à nobis.* Expende illa verba: *Nobis bibentibus, non descedit à nobis*, quibus notatur discrimen sanguinis veteris testamenti, & sanguinis noui. In veteri enim testamento sanguis ponebatur in postibus ostiorum, quem vidês Dominus pręteribat. Sic ait Exod. 12. *Transibit Dominus percutiens Ægyptios, cumque viderit sanguinem in superliminari, & in vtroque poste, transcendet ostium, &c.* Ecce tibi vt viso sanguine transibat aliò Dominus, quod longè aliter fit in nouo testamẽto, in quo sanguis, & mors ipsius testatoris intercedit, & non ponitur sanguis in postibus, sed intra viscera conditur, dumque bibitur sanguis, non aliò transit Dominus, sed ibi manet. Quando autem Dominus cũ sãguine pro nobis effuso intrat in corda nostra, haud dubiũ, quod non penitus abscedat à nobis, vt abscessit à priori populo. Sed in nobis fundabit tabernaculum, quod iuxta Isaiæ vaticinium auferri non poterit. Quando enim ab Ecclesia sua funditus abiicietur Dominus?

Hieron. — Cant. 2. — D. Amb. — Matt. 27. — Origen. — Exod. 12.

§. XII.

In percutiendis peccatoribus vnus Deus spectandus est ab eo, qui fructuosè vult percutere.

MVlta fieri signa per viam Dominus iusserat, siue enim Nilus in sanguinem conuertendus erat; siue mare diuidendum, id virga fiebat, vt supra vidimus. Sic enim dicebat Exod. 7. *Tolle virgam tuam, & extende manum tuam super aquas Ægypti: vt vertantur in sanguinem.* Sed & Exod. 14. dicit: *Eleua virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & diuide illud.* Ecce vt iubetur virga eleuari super mare, vel super fluuium, vt signa ibi fiant; sed non additur, quod Deus erit, vel super flumen, vel super mare in illa virgæ eleuatione, aut patratione miraculi. In præsenti autem, nil prius dicit Dominus, quam: *En ego stabo coram te ibi super petram Horeb, percutiesque petram, &c.* Non finitur virga tangi lapis, antequam super illud Deus coram Moyse adstaret. Et cur cum & fluuius, & mare virga tangantur absque eo, quod dicatur Deus super ea coram Moyse stare, petra tunc solum permittitur tangi virga, cum Deus super illam coram Moyse staret? Erat percussione petra emollienda in largissimos, & dulcissimos fontes aquarum; & tunc vel lapideus peccator emollitur, & fructuose à corripiente tangitur, quando percutiens vnum Deum coram se habet. Nil aliud præter Deum spectet, qui peccatores percutit, & fallat, nisi vel è lapidibus dulcissimos fructus valeat extrahere. Huc traho Moysem Exod. 32. se in peccatores armantem, dum ait: *Si quis est Domini, iungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes filij Leui.* Expende, qui eliganter pro vindicta peccatorum, nimirum filij Leui, quorum portio solus Deus erat, nihilque aliud sibi in terra expectabant. O quàm fructuose! O quàm sine iniuria isti percuterent fratres! Ait D. Amb. ep. 56. *Neque verò aliquid durum factum videtur pro vindicta iniuria cælestis. Denique sanctiora cæteris ad hoc munus eliguntur ministeria Leuitarum, quorum portio Deus.* Quorsi erat nihil aliud habere, nihil aliud spectare quàm Deum, ij meritò eliguntur, vt sine iniuria, & fructuosè possent, & peccatores percutere, & castigare. Crede mihi, vbi Deus præualet, non potest non fructuosa esse percussio, & castigatio. Pro quo Michæas cap. 5. aduersus Israelitas fatur: *Nunc vastaberis filia latronis, in virga percutient maxillam iudicis Israel. Et tu Bethleem Ephrata, paruulus es in millibus Iuda; ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel.* Et Israelitarum ponit pœnam, & redemptionem; dicit enim, vt propter peccata regio vastãda est, & principes virga percutiendi. Et addit, vt interea cœlestis dominator, Christus Dominus appariturus est. Et qui locus dominicæ apparitionis? Ait. *Bethleem Ephrata.* Dum Israel vastatur, dum virga percutitur, Bethlehem Ephrata Dominũ exhibet, & in se natum ostendit. Bethlehem autem est domus panis, Ephrata domus videntis furorem. Et quid furor ad panem? Multum per omnem modum; vbi enim Deus apparet, furor percutientis peccata cœlestes fructificat dapes. Ait D. Amb. lib. 5. epist. 18. *Itaque qui virga maxillam percutit Israelitica animæ, erudit eam ad disciplinam patientia Dominica correctione. Ecce tibi vbi domus furorem videntis erat, ibi domus panis est: vbi crudelitas, ibi pietas: vbi pœna innocentiam, ibi vniuersorum redemptio, sicut scriptum est. Et tu Bethleem domus Ephrata non es minima inter principes Iuda. Ex te enim exibit princeps in Israel. Bethleem domus panis est, Ephrata domus furorem videntis. In domo igitur furoris generatus est Christus, & ideò iam non domus furoris, sed domus panis.* Et quidem vbi inter ictus virgæ, inter furores corripientis vnus Christus apparet; totus ille furor desinit in panes, tota crudelitas in pietatem, tota pœna in salutem. Nunquam enim non fructifera est castigatio, in qua præ oculis est vnus Christus saluator. Vbi Deus est solus, qui mouet ad percutiendum, ad ipsum pertinet, quod percussionem vertat in sanitatem. Ait Iob cap. 5. *Increpationem ergo Domini ne reprobes. Quia ipse vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabunt.* Ex quo D. August. super Psal. 50. ait: *Illa est vox Domini: Ego percutiam, & ego sanabo. Percutit putredinem facinoris, sanat dolorem vulneris. Faciunt hoc medici, secant, percutiunt, & sanant: armant se, vt feriant; ferrum gestant, & curare veniunt.* Nec aliud quàm salutis fructum parit percussio, in qua solus Deus spectatur.

Exod. 7. — Exod. 32. — D. Amb. — Mich. 5. — Ambr. — Iob 5.

§. XIII.

His Deus gratissimè adest, à quibus doctrinæ exiliunt fluenta.

NEc sum satis miratus, quod Deus super petram adstet, quando ait: *En ego stabo coram te ibi super petram; & exibit ex ea aqua, &c.* Qui non stetit supra mare, vbi scissum viam Israelitis parabat, nec super Nilum, vbi vndas mutabat in sanguinem, cur maluit super petram stare, quæ conuertenda erat in fontes aquarum? Semper equidem Deo placet inhabitare in iis, à quibus scaturiunt fluẽta doctrinarum. Ait eius sponsa Cant. 2. *Ecce iste venit saliens in montibus.* Prima venientis Dei vestigia in montibus apparent. Et cur in montibus? An quia inde præcipites aquarum fluuij in planta contendunt, vt ea valeant fœcundare? Planè nullus mons detinet æque Deum, ac ille, qui salientibus in vitam æternam exundat doctrinæ aquis. Ait Orig. hom. 3. ex quatuor: *In iis scilicet, in quibus verbum Dei, crebris sensibus & copiosis velut perennibus ebullit fluentibus, in iis vita, ac scientia, & doctrina merito montibus, dignissime salire verbum Dei dicitur, & exilire, factus in eis per affluentiam doctrinæ fons aquæ viuæ salientis in vitam æternam.* Ecce tibi verbum Dei in quibus salit, nimirum, in iis, qui doctrinæ, vitæque mõtes effecti, vndique scaturiunt plenissimis sapientiæ amnibus, crebris, & copiosis sensibus, & studiis

Cant. 2. — Origen.

Ecclesiæ arua rigantes. In iis verbum Dei moratur, in iis perpetuo salit. Id quod alio exemplo explicat ipsa Dei amatrix aiens Cant. 5. *Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque ceruorum.* Et in quo similis ceruorum hinnulo, nisi quia sicut ceruus contendit ad fluenta aquarum, sic ipse contendit semper ad eos, qui plenis doctrinæ amnibus fœcundant orbem terrarum? Ait D. Amb. lib. de Isaac cap. 4. *Quasi hinnulus ceruorum, qui desiderat ad fontes aquarum, descendit ad Paulum, & circumfulsit eum, & exiliuit super Ecclesiam suam.* Itaque vt ceruus contendit ad aquarum fontes, sic Deus amat eos homines, à quibus doctrinæ fluenta nascantur.

Cant. 5.

D. Amb.

§. XIV.

Vtiliora sunt, quæ nobis infirmitatem potius quàm virtutem recolant.

MVlta in hoc loco apparuerunt grandia, à quibus posset locus denominari. Et fuit Moysis oratio pro rebellibus, & Dei apparitio, & rupes Dei potestate conuersa in fontem aquarum. Quibus prætermissis maluit Moyses à Iudæorum offensa locũ denominare tentationem. Sic ait: *Vocauit nomen loci illius Tentatio propter iurgium filiorum Israel.* Cur non potius à diuinæ virtutis fauore in fonte exhibito locum denominauit? Cur maluit in loci nomine memoriale facere Israelitici criminis, quam cœlestis fauoris ei dati? Sanè nouerat, quam vtiliora erant hominibus ea, quæ eorum prætendunt infirmitatem, iis, quæ virtutem declarant. Aliquando condiderat Dominus hominẽ pulchrum, perfectum, omnibus numeris absolutum, ad imaginem Dei factum, vt vere posset vocari absolutissima Dei imago, & quasi Deus in corporalibus. Hunc tamen conuenit diabolus, & ait: *Eritis sicut dij.* Gen. 3. Nec rem proposuit multo alienam à perfectione humana in illo statu, in quo homo erat perfecta imago. Accessit tandem Deus, & ait homini: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Ecce tibi ob oculos hominis proposita est, & eius præstantia, & eius infirmitas, præstantia fuit à serpente proposita, infirmitas à Deo. Et vter egit cum homine vtilius? Sanè ille longe vtilius egit, qui illi proposuit ob oculos infirmitatem. Pulchrè rem attigit D. Chrysost. hom. de ferendis reprehens. & conuers. Pauli, fatus: *Hic quidem dixit: Eritis sicut Dij. Ille autem: Terra es, & in terram ibis. Vter igitur magis profuit, hicne, qui dixit: Eritis sicut Dij. An ille, qui dixit. Terra es, & in terram abibis? Ille mortem interminatus est, hic immortalitatem promisit. Atqui hic qui immortalitatem pollicitus est, à paradiso eiecit: ille verò, qui mortem comminatus est, in cœlum inuexit.* Ecce tibi vt ostensio infirmitatis vtilior est homini, quam præstantiæ prædicatio. Nec vlli dubium esse potest, quod longe maioris vtilitatis sit, qui nostras infirmitates nobis ob oculos proponit, quàm qui nostras aliquas gratias propalat. Hinc est, quod Matth. 16. Petro mysterium crucis reprobanti dicit Dominus. *Vade post me Satana, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.* Fidelissimo discipulo non dubitat Dominus obiicere diuinorum ignorantiam, & aduersarium vocare. Verum Iudæ proditori cum carnificum phalange accedenti dicit idem Dominus Matth. 26. *Amice, ad quid venisti?* Sanè hæc erat maxima Iudæ gratia, quod inter discipulos, & conuiuas & familiares Christi posset numerari. Quam gratiam illi accedenti ad proditionem ob oculos ponit saluator. Sed cur Petro proponit ea, quæ in illo erant infirmitatis, Iudæ autem ea, quæ erant summi splendoris, & gratiæ? Cur Iudam amicum vocat, & Petrum Satanam? Esto, quod Petrus errauit, tamen non sic errauit vt Iudas; quando ergo Iudam amicum vocat, cur Satanam vocare Petrum maluit? Sanè ostensio gratiarum eius res est homini inutilis ad salutem animæ, & quæ vel dæmonum mancipio Iudæ statim perituro datur. At ostensio infirmitatis, vt vtilior, sic Petro exhibetur, cui salutaria omnia procurantur. Accipite D. Basil. Sel. sanctem orat. 31. *Quæ hæc est asperitas verborum Domine? Quæ formidanda in Petrum increpatio? Vidisti cum militibus, & armis inuadentem Iudam, nec dixisti: Vade post me Satana, non verbis inuectus es, sed ais Amice, ad quid venisti? Et contra Iudam salus, & Petrus amoris præmium fert contumeliam? Feritur, qui parcit, & ex ignoratione effundens verba vapulat? Ita, inquit, perhumanus saluator, vbi enim vlcus est immedicabile, ibi pharmacum inutile, vbi autem curationis spes, sectionem induco curationi.* Expende illud, *ibi pharmacum inutile*; quippe vt medici in deploratis infirmis, vbi remedia omnia nihil prosunt, non omnino abstinent à remediis, sed inuoles quasdam, & leuidenses vnctiones iubent frequentari, vt curatorum anxietates fallant, sic Dominus deploratis hominibus inutilia pharmaca permittit, nimirum laudabilia eorum ob oculos ponit. At vbi salus hominis speratur, tunc quæ vtiliora sunt applicat, tunc infirmitatum, & miseriarum, & peccatorum putredinem, vel asperrimè propalat. Hoc enim semper vtilius est, vt salus habeatur.

Gen. 3.

Chrysost.

Matt. 16.

Matt. 26.

Basil. Sel.

§. XV.

Eleemosyna virtus maxime inter alias elucet morales.

NOn quiesco, dum video Deum super hanc Horeb petram stantem, quando ait: *En ego stabo coram te ibi super petram Horeb, percutiesque petram, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus.* Et qui nec super fluuium, nec super mare dixit se stare, quando ibi fiebant signa ad virgæ tactum, vt vidimus, modo inter petram amat stare. Vndè petra hæc plus placuit, vt Dei fieret sedes, vt Deus super illam staret? An quia hæc sitientes pauperes reficiebat aquis? Sanè hæc virtus, quæ famelicos, sitientesque satiat pauperes, inter omnes alias morales sibi Deum rapit, & sibi Deum habet. Cant. 1. de vberibus sponsæ locutus Dominus, ait: *Meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Indè vbera sponsæ meliora, & gratiora apparent Deo, quia fragrantia sunt vnguentis optimis. Sed scire cupis, quæ sint hæc optima vnguenta, quæ sic rapiant Dominum? Rem explicans D. Bern. serm. 12. in Cant. ait: *Duo me vnguenta vobis tradidisse recordor. Vnum contritionis, alterum deuotionis. Sed vnguentum, quod ambobus longè antecedit, & hoc appellauerim pietatis, eo quod fiat de necessitatibus pauperum, de omnibus quorumlibet miserorum ærumnis, etiamsi fuerint inimici. Despicabiles videntur species ista, sed est super omnia aromata vnguentum, quod ex eis conficitur.* Haud dubium, quin charitas, quæ extẽditur vsque ad subleuationem miserorũ, ea maxime alliciat Deum, illumque super omnia aliarum virtutum aromata recreet. Vndè Matth. 9. ait Dominus: *Euntes discite, quid est. Misericordiam volo, & non sacrificium?* Quibus ostenditur, quàm pluris faciat Deus misericordiam, quam sacrificia reliqua. Quò spectans D. Bern. serm. 12. in Cant. ait: *Bonum contritionis vnguentum, quod de recordatione peccatorum conficitur. Cæterum longe melius esse arbitror id, quod dicitur deuotionis, factum de recordatione beneficiorum Dei. Porro vtrumque vincit vnctio pietatis, quæ de respectu miserorum fit. Optimum reuera vnguentum, in cuius comparatione, cætera nec respicere se ostendit, qui ait: Misericordiam volo, & non sacrificium.* Ecce tibi cætera omnia virtutum aromata non æstimari videntur à Deo in comparatione charitatis illius, quæ egenis, & miseris necessaria prouidere scit. Hæc tenet maximè Deum; dum hanc colis, aliquid te puta facere, sine hac etiam in multis aliis virtutibus, sic appares, quasi vacuus sis. Mirabar diabolum sic insanire, vt Iobo diuitias eriperet, quæ solent esse hominibus præcipua perditionis incentiua. Ecce tibi procurante diabolo Iobus ad eam paupertatem redactus est, vt dicat cap. 1. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc.* Cur ô diabole non magis hominem in diuitiis constituis, vt eum expugnes? Sunt equidem diuitiæ spinæ, quæ suffocant Dei sementem; linque ergo eum magis diuitem, vt citius vincas. Cur non magis tibi times à pauperculi hominis, & afflicti virtutibus? Nonne & sufferentia dolorum, & patientia in tormentis, & spes in ipsa morte te magis mordebunt, quam omnes virtutes, quæ in diuite erant? Cur non magis metuis pauperis virtutes, quam diuitis? Equidem cum Iob diues erat, dispersis inter pauperes bonis ingentes in cœlestibus thesauros recondebat; quam erga pauperes largitatem cum spoliatus non posset ostendere, sine hac virtute, etiam cum aliis omnibus vacuus, & imbecillus videbatur dæmoni. Ait D. Chrysost. hom. 2. in Iob. *Diabolus cum ditescentem vidit diuitiis temporalibus, atque iisdem æternas sibi diuitias thesaurizare putauit. Quoniam quemadmodum eo ditescente ditescebat iustitia, sic ad paupertatem ductus, eadem quoque virtus paupercula apparebat. Tentat autem igitur eum pecuniis nudare, quo duris eum facinoribus nudet.* Expende illud: *Virtus paupercula apparebat*; quasi tota Iobi virtus tot tormenta patiens pro Deo, paupercula, & imbecilla videretur in comparatione virtutis, & charitatis illius, qua bonis suis sustentabat, defendebatque miseros, & egenos.

Cant. 1.

D. Bern.

Matt. 9.

Iob 1.

Chrysost.

§. XVI.

§. XVI.

Quæ egenis dantur, perire aut exhauriri nequeunt.

ADhuc miror Deum sic affectum ad petram illam Horeb, vt dicat: *En stabo coram te ibi super petram Horeb, percutiesque petram, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus.* Et quidẽ dum diuidendum esset mare virga, non dicit Deus, quod illic ipse staret supra mare; nunc autem cum extrahenda esset à petra aqua sitientibus, dicit Deus, quod ibi ipse stabit supra petrã. Et cur non in diuisione aquarum maris, sed in eductione aquarum de petra maluit Deus petræ adesse? Petra erat virga percutienda, vt aquas daret, ait enim, *percuties petram, & exibit aqua*; in percussione autem eius ... qui famelicos, & sitientes replent, præsentissimus adest Dominus, ne quid mali capiant, ne quid deperdant, sed potius augeantur. Quo spectans D.Bern. serm. 15. in Cant. fatur: *O quæcumque es anima sic affecta; sic imbuta rore misericordiæ, sic affluens pietatis visceribus, sic te omnibus omnia faciens; sic facta ipsa tibi tanquam vas perditum, vt ceteris præsto, vbicumque semper occurras, atque succurras, tu plane tertium, optimumque vnguentum fœlix possides; & manus tuæ distillauerunt totius suauitatis liquorẽ. Non exsiccabitur in tẽpore malo, nec feruor persecutionis ebibet illud, sed semper Deus memor erit omnis sacrificij tui, & holocaustum tuum pingue fiet.* *D.Bern.* Quid pulchrius? Nunquam perditur, quod pauperibus exhibetur, nec temporum malitia, nec persecutio valent aduersus ea, quæ transmitti solent ad egenos, sed semper Deus adest, qui protegat, imò qui multiplicet ea. Hinc cap. 1. dictum est Iob: *Ignis Dei cecidit de cælo, & tactas oues puerosque consumpsit.* *Iob 1.* Hæc audit Iob, & tacet, nullumque doloris ostendit sensum. Et cur ô bone, non magis doles in ouium amissione? Cur tantum & carnium, & lanarum emolumentum adustum subito, non tibi eripit, vel doloris verbum? Erant oues illæ quarum lanis vestiebantur egeni, iuxta id, quod ait cap. 29. *Si non benedixerunt mihi latera pauperis, & de velleribus ouium mearum calefactus est*, ideò non sibi persuadebat vir diuinus, quod possint deperdi, sed quod potius duplicandæ essent, vt postea euenit. Ait D.Chrysostom. homil. 3. in Iob: *Si ego solus indutus essem, iuste dolerem. si autem pauperes induebantur, nunquid poterit Deus pauperes despicere? Non, quod in sacrificium suscepit, reddet septuplum.* *Chrysost.* Sic securus erat, quod substantia exhibita pauperibus non poterat despici à Deo, sed quod ab illo esset seruanda, & augenda, quod & fecit. Matth. cap. 26. vbi pretiosum vnguentum effunditur à fœmina super caput Iesu; statim illa discipulorum assurgit querela, nimirum. *Vt quid perditio hæc? Potuit enim venundari multo, & dari pauperibus.* *Matt. 26.* Expende, vt perditionem meruunt vnguento effuso super Iesu caput; & remedium parant, quo nullam perditionem meruerent illi vnguento. Et quale hoc remedium liberans à perditionis metu? Iam explicant, dicentes: *Dari pauperibus*, cui perditionem meruunt exhibito pauperibus. Est enim hæc singularis gratia charitatis in egenos, quod nullam ruinam metuat. Pulchrè D.Bern. serm. 13. in Cantic. ait: *Videsne, quàm sit præferendum cæteris istud pietatis vnguentum, de quo solo permissum est perditionem fieri? In tantum perditio de ipso non fit, vt nec aqua frigida munus irremuneratum sinatur.* *D.Bern.* Nec minimæ reiculæ perditio fiet ex iis, quæ solent diuidi cum egenis.

§. XVII.

Christus Dominus vt amat sibi quasi per vim bona eripi.

NOn nisi ex percussa petra aquam mandat Dominus expectari, dum ait: *Percutiesque petram, & exibit ex ea aqua.* Non sic aiebat Exod. cap. 14. sed: *Eleua virgam, & extende manum tuam super mare*: solam virgæ ostensionem ibi mandat, vt totum mare scindatur. In præsenti non solam ostensionem virgæ, sed & petræ percussionem mandat. Posset equidem petra, vel ad solam ostensionem virgæ aquas dare, vt ad solam huiusmodi ostensionem diuisum est mare. Cur ergo percuti petram maluit? Petra autem erat Christus iuxta Apostoli assertum, qui amat sibi a fidelibus religiosam vim fieri, vt eius bona capiant. Adeo, vt non improperans, sed gratificans dicat sponsæ Cant. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum.* *Cant. 4.* Indè æstimat sororem, & sponsam, quod non nisi de vulnere eius sibi afferuerit fontes gratiarum. Quò spectans Matth. cap. 11. fatur: *A diebus Ioannis Baptistæ vsque nunc, regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* *Matt. 11.* Itaque cœlestia bona à Christo hominibus acquisita, ad illos magis dicuntur pertinere, qui vim ipsi Christo Domino afferant. Tunc ô Christiane magis Iesu places, cum illi adhæres, & abeuntem precibus, quasi cogis tibi auscultare, & repugnanti multis virtutum actibus vim infers, & sic eius gratiam rapis. Pulchrè ad hæc aiebat D. Ambros. serm. 15. *Vim facimus Domino, non compellendo, sed flendo, non prouocando iniuriis, sed lachrymis exorando. O beata violentia, quæ nõ indignatione percutitur, sed misericordia condonatur! Beata, inquam, violentia, quæ vim patientis bonitatem elicit, & vtilitatem tribuit inferenti. Mala res admittitur, & de iniuria nemo causatur, vis admittitur, religio propugnatur. Quisquis enim valentior Christo fuerit, religiosior habebitur à Christo.* *D.Amb.* Sic amat Christus percuti, & superari, vt eius gratiæ copiosius fluant. Sic amat vim pati, vt nisi de eo deuicto benedictiones sibi fideles acquirant. Quò referendum puto illud Genes. cap. 32. *Ecce vir luctabatur cum Iacob vsque mane. Qui cum videret, quod eum superare non posset, tetigit neruũ femoris eius, & statim emarcuit. Dixitque ad eum: Dimitte me, iam enim ascendit aurora. Respondit: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* *Gen. 32.* Strenuus Iacob luctator vim inferebat Angelo, & dimissionem quærenti, ait: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi*, sic tenens reluctantem, vt non liceat abire, & sic benedictionem extorquens. Sed quis Angelus est, qui sibi ab homine vim inferri patitur? Quis est, qui benedictionem detinet, donec vi extorqueatur? Sapienter D.August. quæst. 104. in Genes. ait: *Quod ab Angelo desiderat Iacob benedici, cui luctando præualuit, magna est de Christo prophetia.* *August.* Et quidem non Angelus, non creatura aliqua, sed vnus Christus est, qui amat, per religiosam vim sibi eripi benedictionum magnalia. Vbi quis expectat, imò vult vinci, vt suo victori tribuat gratias, is Christus est, non creatura aliqua.

CAPVT XIV.

Amalech expugnatur.

Textus Historiæ.

POst famem sitimque extinctam aduersa Iudæis voluntas Dei tumultus imminentis belli cœpit excitare, quod facile vniuersos Israelitarum posset ruina inuoluere. Vicina enim proficiscentibus erat iam Idumæorum regio, cuius princeps Amalech, de Esau nepotis nomine sic vocatus, metuens sibi à tanto fugitiuorum exercitu militem armat, qui ab insidiis egressi inuadunt posteriora Israelitici agminis, multosque ibi confuse ruentes obtruncarunt. Expectata (vt reor) murmuratorum enormitas, vt cresceret, ruinæ incremento supremorum adæquabat mensuram flagitiorum. Circumfusi namque latrones, à tergo postremos cædunt, incedentem iaculis exercitum infestant, in confertos missa telorum vis haud facile frustratur. Et iam inclinauerat dies; vnde tenebrarum caligine vallatos Israelitas ferro exsuffocatus Ægyptus collecto Moyses armat, iubetque Iosue cum electa iuuentute procedat in campum, & Amalecitas nitatur debellare. Sequenti die duo apparent Israelitarum agmina; alterum in monte Horeb, vbi Moyses cum duobus cognatis Aaron, & Hur, leuatis in cœlum manibus, cœlestia pro suis auxilia sollicitabat. Alterum in deserti planis, vbi Iosue duce Israelitica iuuentus spe victoriæ accensa, cedentibus Amalecitis imminebat, insultabat desperantibus, & prope omnes hostiles delesset copias, nisi vel parum Moyses manus inclinaret. Inauditum enim quid accidit, totius belli fortuna posita à Deo erat in Moysis manibus, quæ dum extensæ ad cœlum spectarent, iam iam perituri Amalecitæ excidio, se subtrahebant fuga; verum si fessæ Moysis manus, vel paululum ad terram declinarent; erecti hostes resumebant fiduciam, atque à fuga ad insequendum regressi victoriæ expectationem sibi faciunt non paruam. Patuit res Aaroni, & Hur, qui sedentis in petra Moysis manus hinc inde erectas tenentes, tantum ardoris infuderunt pugnantibus, vt finem bello imponerent gloriosum internecione Amalecitarum. Nullo desiderato Israelita, hostium ingens multitudo iacuit, quod & lætiorem fecit victoriam, & vnius Dei virtute ostendit fuisse reportatam.

PARS MORALIS in textus literam.

POST belli puluerem non ingratus veniet succus moralis, qui auide sumptus faciat humanas mentes de inuisibilibus hostibus triumphare.

Exod. 17. Venit autem Amalech, & pugnabat contra Israel in Raphidim. Dixitque Moyses ad Iosue: Elige tibi viros, & egressus pugna contra Amalech cras. Ego stabo in vertice collis habens virgam Dei in manu mea.

§. I.

Quæ semel Deus fecit homini propitia loca, semper propitia solent durare.

IN Raphidim petuntur ab hostibus Israelitæ; *Venit enim Amalech, & pugnabat contra Israel in Raphidim.* Quid insanius? Aduersus Israelitas pugnant, eo in loco, vbi vel rupes scaturiunt, agente Deo, fontes aquarum, vt Israelitis faueant. Non equidem in Raphidim vincentur ab hostibus, qui sic eo in loco propitium Deum habent, vt de syrtum succis suam ardentissimam expugnatiot. Accipite Iosephum simili argumento Romanorum victorias aduersus Ierosolymitanos protestantem. Sic enim ait apud Egesippum lib. 5. cap. 16. *Deum Iudæis aduersari certum est. Siloa, quæ ante bellum sicca fuerunt, & omnes extra vrbem fontium venæ, quæ diu fluere cessarunt, vt aqua nostro deesset vsui, nisi pretio quæsita, nunc in vsus redeunt suos, & Tito se aduenienti refundunt. Scaturiunt vberes venæ, atque ita aquarum redundantium omnia replentur, vt non solum exercitus large ad potum exuberent, sed etiam equis bellatoribus, ac iumentis pecoribusque vniuersis, hortorum quoque irriguus, non desit aquarum abundantia, vt tanquam aduenientibus elementis victoria Romana largiores credas fundi meatus.* Sanè hoc Dei facinus fuit mirabile, quod in arida regione, vbi notissimi fontes iamdiu fuerant exsiccati, ad Romanorum accessum cœperint copiosissimis aquis abundare. Merito inde educitur, quod in locis sic à Deo paratis in Romanorum gratiam, non possint vinci Romani, sed magis debeant ipsi aduersarios superare. Præclarum enim est illud: *Aduenientibus elementis victoria Romana largiores credas fundi meatus.* Situs enim largitas à Deo alicui parata, nunquam non adnititur eius fœlicitatem æternare. Hinc Genes. cap. 7. notanter ponitur tempus diluuij, dicit enim: *Anno sexcentesimo vitæ Noe, mense secundo septimo decimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi* Qui mensis, & dies examinati sunt ab interpretibus sacræ Scripturæ, & de nobiliori eorum sententia assertum est diluuium contigisse verno tempore, quando omnia terrena abeunt in flores, & in fructus, quibus homines impleant. Et cur maluit Deus delere hominem eo tempore, quo de ipsius Dei beneficiis omnia terrena hominem ditant? Vt ostenderet quam violenter ad illam calamitatem inferendam veniret; tempora enim adeò homini propitia non desinerent adniti, vt prosperitas homini adueniret, nisi eius delictorum enormitas violentissimam calamitatem traxisset. Quo spectans D. Ambros. ait lib. de Noe cap. 14. *Obseruare debemus, quod post diluuium verno tempore colendorum cura reparetur agrorum, & placidis, atque vberis soli incipiat fœtura procedere. Quo significatur, nunquam Deum eo tempore satietatum hominis fuisse destructurum, quo fecit exordium, nisi immanibus delictis esset offensus.* Sola delicta immania potuerunt facere quod semel à Deo parata tempora homini adeò propitia, non semper illi propitia fuissent. De ordinario autem cursu rerum hoc est, vt quæ semel promouit Deus in hominum gratiam, ea semper quasi adnitantur illi proficere, & vel nouas fœlicitates præsagire.

* * *

Egesipp. — *Gen. 7.* — *Ambr.*

§. II.

Infaustissimum est inferenti bellum, & dissidium in fratres.

INfaustum bellum iam eo nomine notatur, quod ab Amalecho Israelitis inferebatur, ait enim: *Venit Amalech, & pugnabat contra Israel.* Erat Amalech Esau fratris Iacob nepos, qui aui in fratrem dissidia conseruabat, vt putat noster Cornelius; ne miremur, quod ominosum sit genti, quod insurgat in fratres. Nota est rebellio Absalonis in totum suum genus: Ait 2. Reg. cap. 15. *Facta est coniuratio valida, populusque concurrens augebatur cum Absalon. Venit igitur nuntius ad Dauid, dicens: Toto corde vniuersus Israel sequitur Absalon. Et ait Dauid seruis suis, qui erant cum eo Ierusalem: Surgite fugiamus.* Absalon infert bellum, Dauid fugit, & est qui in Dauidis fuga plus spei collocet, quam in Absalonis validissima manu. Et cur magis sperandum est de Dauidis fuga, quam de Absalonis aggressu? Nonne maior vis in Absalonis exercitu? Equidem maior erat, & longe maior vis in exercitu Absalonis, sed infirmior causa, quando ipse bellum inferebat fratribus, quod Dauid fugiēs declinabat. Quod respiciens Egesip. lib. 5. cap. 16. fatur: *Vicit etiam Dauid prælio ciuile, quod refugiebat illatum, non inferebat. Nihil enim bello ciuili fœdius, nisi solus, qui potuit inferre.* Ecce vnde victoria ad Dauid declinabat, nimirum, quod non ipse inferebat bellum fratribus, conciuibus, domesticis, sed potius illatum refugiebat. Prænuntia ergo erat victoriæ Dauidi fuga, qua bellum, & dissidia inter domesticos, & fratres fugiebat, & ominosa Absaloni erat armata manus, qua fratribus, & domesticis inferebat malum. Crede mihi, nunquam domesticæ, fraternæque discordiæ non fuerunt inferentibus lethales, vt concordia inter domesticos est caput fœlicitatis. Israelitæ à Nabuchodonosore captiuati, & Babylonem asportati, ibi vixerunt incolumes multis annis, & conuersatione sua sancta multos Babylonios traxerunt ad religionis suæ veritatem. Habes enim Daniel. cap. 3. vt Nabuchodonosor Israelitarum Deum proponat populis adorandum, aiens: *Signa, & mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi prædicare signa eius, &c.* Sic captiui Israelitæ religionem suam propagabant. At reducti in patriam, ad florētissimumque accedentes statum, & sacra omnia, & ipsam religionē funditus euerterunt. Et cur quam augent religionem captiui, liberi, & potentes illam penitus dissiparunt? Erant in captiuitate vnanimes, & vel ipsis calamitatibus prementibus magis adunabantur, in florenti autem statu suo erant dissidentes inter se, imò se inuicem impugnabant, atrociter mordebant, mactabant. Ideò adunati sua promouebant, dissidentes omnia dissiparunt. Rem maxime ponderat Iosephus apud Egesippum lib. 5. cap. 16. fatus: *Conferte, si videtur, quid intersit inter captiuitatem nostram, & seditionem nostram. Captiuitas nostra gentibus infudit nostræ religionis consortium. Seditio nostra etiam Iudæis ademit religionis gratiam.* Ecce quid lucrentur adunati fratres etiam mediis calamitatibus, sese multiplicant in nationes, & populos, faciuntque sibi similes vniuersos in fide, & religione. At qui seditiosi sunt, qui fratres suos mordent, extremam in omnibus sibi acquirunt perditionem. Caue tibi homo ab hoc vitio, nec fratres, nec domesticos mordeas, illa te arma virtute, qua omnes tibi strictissimo adiungas vinculo dilectionis, & nullum timebis hostem, nec etiamsi aduersus te insurgat infernalis hostis. Cum à Mariæ visceribus natus fuit Christus Dominus, ventum est ad eius circumcisionem, & nominis impositionem. Atque Luc. cap. 1. *Vocatum est nomen eius. Iesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur.* Igitur, vt fert communis Expositorum sententia, Maria, & Ioseph nomen Iesu infantulo Deo imponunt. Sed quando iam nomen Iesu fuerat ab Angelo impositum, quid necessum fuit, quod Euangelista animaduerteret, quod sacri parentes Maria, & Ioseph imposuerint nomen Saluatori? Nonne iam Angelo puer diuinus Iesus fuerat? quid inde quod etiam Mariæ, & Iosepho fuerit Iesus idem puer? Multum sanè iderat ad gloriam pueruli, vt qui non externos solos, qualis erat Angelus, sed & domesticos, quales erant Maria, & Ioseph, sibi adiungeret, illisque gratus foret. Eò enim nititor maxima fœlicitas hominis, quod & exteris, & domesticis sua se dulcedine copulet. Ex quo ait D. Bern. serm. 1. de Circumcis. *Et ab iis, qui foris sunt, & ab eo, qui intus est, habere oportet testimonium bonum. Cuius enim omnibus grata, nemini onerosa conuersatio, huius sine dubio, propria de salute vniuersa fratrum congregatio*

2. Reg. 15. — *Egesip.* — *Dan. 3.* — *Egesip.* — *Luc. 1.* — *D. Bern.*

congregatio attestatur. Frustra plane super eis, qui in manifesto sunt, nequissimus ille fratrum accusator trahit in causam, quem excusat vniuersitas fratrum. Quid pulchrius? Qui erga domesticos suos, erga fratres suos sic affectus est, vt omnes sibi habeat copulatos beneficiis in Domino, is nec sibi aduersarium timeat dæmonium. Quantumcumque namque Satanas accuset, frustra accusat eum, quem vniuersitas fratrum excuset. Sic valet vnanimitas cum fratribus omnibus.

§. III.

Non parui momenti est ad victorias reportandas de hostibus iustitia, & sanctitas pugnantium.

CVm primum parat exercitum Moyses aduersus Amalecitas, illi præficit Iosue. *Dixit namque Moyses ad Iosue: Elige tibi viros, & egressus contra Amalech.* Et quare Iosue pugna mandatur, nisi quia ipse in pietate, & sanctitate cæteros superabat? Ait enim Iosephus lib. 3. cap. 2. *Selectu è reliqua multitudine ad pugnam idoneis Iesum præficit Nauei filium è tribu Ephramitide, virum manu, & consilio iuxta promptum, & pietate insignem, & à Moyse præceptore, hac parte non degenerantem.* Et merito ad pugnam præ aliis eligitur vir, & pietate insignis, & omnibus virtutibus innutritus sub præceptore sanctissimo. Facit enim plurimum ad rem belli vita immaculata militum. Quod pugnacissimus homo Dauid in se expertus ait Psalm. 17. *Deus, qui præcinxit me virtute, & posuit immaculatam vitam meam. Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum. & super excelsa statuēs me. Qui docet manus meas ad prælium, &c.* Expēde quibus ad prælium disponebatur; nimirum, *posuit immaculatam vitam meam.* Quem militem, & præstantissimum ducem creabat Deus, vt barbaros debellaret, victoriasque ingentes reportaret, hunc prius fecit esse vitæ immaculatæ, vt quæ ad bella gloriose conficienda est momenti non parui. Vnde apud Egesipp. lib. 3. cap. 5. monebat præstantissimus dux; *Vt miles cibum sibi & arma portaret, valle & fossa sese muniret; castrisque ponendis præueniret hostem. obtemperaret præceptis. furto, ac rapinis abstinere assuesceret. Plurimum valere in bello bonam conscientiam, eoque amplius de diuino auxilio præsumeret, qui se nulli affinem criminis recognosceret.* Et si in aliis rebus bona conscientia, & vita immaculata plurimum valet, haud dubium, quin in bello maximè valeat, in quo de morte contemnenda agitur, & de diuino auxilio sollicitando. Vt merito dicat D. Paul. ad Hebræos cap. 11; *Deficiet me tempus narrantem de Gedeon, Barac, Samson, Iephte, Dauid, Samuel, & prophetis. qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones. Obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugauerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate; fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum, &c.* Et quidem velocissimo oratori antea tempus defuisset quàm victoriæ per viros pietate & fide insignes partæ, quàm hostiles exercitus à pugnantium iustitia superati. Et mihi credite, nunquam virtutum religionisque sacra non magni momenti fuerunt, vt prælia gloriose agantur. Accipite rem à D. Synesio narratam. Is epist. 122. ait: *Plurima Auxiditarum bona curniant, qui cum milites in montium se latebras abdidissent, suumque ipsi sanguinem custodire vellent, rusticam plebem conuocantes, statim ab sacris ipsi rectam ad hostes duxerunt, fusisque ad Deum precibus trophæum erexerunt in Mirsinitide. Barbari autem quod nulla sibi hostilia arma occurrerent, etiam aspera, ac confragosa audacter erant ingressi. Sed offensuri vtique erant animosum, ac strenuum Faustinum, qui in sacris diaconi munere fungitur. Hic ille est, qui princeps armatum militem inermis sustinuit, quem cominus lapide temporibus percussit, non iaciens, sed pugnis infestis insiliens. Quo cum cecidisset, armis spoliates plurimos super illos prostrauit.* Hæccine sont facinora hominum, qui sacris instituuntur? sic pugnant, qui religionis pietatisque præseferunt insignia. Quando armati timent, ipsi inermes non metiunt hostes aggredi, & sperare triumphū. Sic ab aris in victorias itur. Vt sapientes duces non metuant, si muri concidāt, sed si Deum adeundi aditus intercludatur. Quare ad perdendos Iudæos vnum excogitabat Alexandra regina, si intercluderetur eorum ad Deum recursus. De illa enim ait Iosephus lib. 15. cap. 11. *Alexandra habitans tunc Ierosolymis conata est vrbis arces in suam potestatem redigere, alteram templo contiguam, alteram in ipsa vrbe sitam; nam qui has obtinent, totam gentem habent obnoxiam, quia nec sine iis sacrificia quotidiana possunt peragi, neque Iudæi sine sacrificiis degere, quibus vita citius contemnatur, quàm religio.* Vbi enim sacrificia non possent quotidie peragi, eo ipso Iudæi perditum irent, licet armis multis, bellatoribusque essent muniti.

Ioseph. — *Psal. 17.* — *Egesip.* — *Ad Hebr. 11.* — *D. Synes.* — *Ioseph.*

§. IV.

Iesu nomen auspicatissimum.

VBi exercitus Israelitici Imperator constituendus erat, statim præ omnibus aliis eligendus Iosue, siue Iesus filius Naue visitur. Ait textus: *Dixitque Moyses ad Iosue. Elige viros, & egressus pugna contra Amalech.* Est autem Iosue, idem quod Iesus. sic Iosephus ait lib. 3. cap. 2. *Iesum præficit Nauei filium*; sic Origen. in præsenti, & Patres communiter. Nec dissimulabo, quod ait Philo in lib. 1. de Moysis vita: *Imperatorem his Iesum præficiens vnum ex minoribus ducibus, ipse properauit, &c.* Ex minoribus ducibus Iesum selegit Moyses, quem exercitus Imperatorem constituit, nec dubito quin alij essent dignitate sublimiores in populo illo, vel propter ætatis, aut nobilitatis, aut experientiæ prærogatiuam. Quibus omnibus prætermissis, è minoribus ducibus Iesus eligitur in Imperatorem ad periculosissimam pugnam. Et cur Iesus præ aliis sublimioribus in re tāti discriminis eligitur, & Imperator fit? Inuenio in illo augustissimum Iesu nomen, nec miror, quod etsi alia deficerent, propter solam spem nominis Imperator fieret ab eo qui venturum sub illo nomine diuinissimum Imperatorem cœperat præsagire. Habeo rem non multum absimilem apud Paulum Orosium lib. 7. cap. 40. Is post Gratiani cuiusdam tyranni Britanniarum occisionem, statim subdit: *Huius loco Constantinus ex infima militia propter solam spem nominis, sine merito virtutis eligitur.* Respexerant electores ad faustissimum Constantini Magni nomen, & vbi vel in infimo milite idem nomen coruscare vident, nil non sibi faustum putant, si Constantinus Imperator fiat. Sic traxit hominem ad imperium vna spes nominis auspicatissimi. Quid plura? Si Iosue omnibus careret imperatoriis virtutibus, dum Iesus dicitur, propter solam spem nominis debebat fieri Imperator in difficili pugna, ab eo, qui iam odorabatur auspicatissimam tanti nominis in venturo Christo nomenclaturam. Et quo in discrimine Iesu nomen non fuit fœlicissimum salutis auspicium? Ierichuntini ciues erant omnes internecioni destinati, funditus erat euertenda vrbs; sed vilis quædam meretrix dicta Raab sola inuenit salutem. Et vnde meretrix fœmina in certo perditionis periculo aditum inuenit saluti suæ? Ait textus Iosue cap. 2. *Misit igitur Iosue filius Nun de Setim duos viros exploratores in abscondito & dixit eis: Ite & considerate terram, vrbemque Iericho. Qui pergentes ingressi sunt domum mulieris meretricis, nomine Raab.* Ecce tibi exploratores missi à Iesu Naue filio intrant domum meretricis, cuius in limine vbi cœpit radiare nomen Iesu Imperatoris maximi, non potuit non eò etiam salus peruenire. Ait D. Chrysostom. serm in Peccatricem, qui habetur inter D. Ephremi opera, tom. 3. *Nihil mihi desperandum est. Noui Raab meretricem in porta ciuitatis misericordiam sui peccati obtinuisse. Quæ enim seruauit illam Iesus filius Naue, figuram veri Iesu referebat, bona meretrici pro opere bono donans, & retribuens. Sic igitur tunc nomen Iesu salutem, & remissionem præbuit.* Et quis iam desperet in periculis videns nomen Iesu, quando & meretrix euasit libera in communi vrbis suæ excidio propter solum diuinissimi nominis auspicium? Sanè vbi hoc nomen effulget, etsi alia desint, nemo non sibi speret omnia auspicatissima. Aduersus Imperatorem sub hoc nomine insignem nil possunt inimicorum insidiæ; omnia penetrat, qui diuinissimum nomen Iesu ore fundit. Quo spectant illa Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum.* Cur oleum effusum? Ait D. Ambros. lib. 1. Exam. cap. 9. *Si quis inter aquas mersus oleum ore emiserit, clariora facit ea, quæ profundi tegebantur occultu.* O diuini nominis auspicatissima Imperatoribus virtus! Voluat Imperator hoc nomen in ore, sub illius insignibus viuat, & rideat inimicorum technas, rideat insidias, occultissima quæque hostium consilia penetrabit, & ponet in luce, vt sui securissime viuant.

Ioseph. — *Origen.* — *Orosius.* — *Iosue 2.* — *Chrysost.* — *Cant. 1.* — *D. Amb.*

§. V.

Non multitudo vilis, sed vel pauci præstantes viri faciunt Imperium illustre.

NOn quiuis è vulgo assignantur Imperatori Iosue, sed illi, qui sunt validissimi. Sic ait: *Elige viros.* Septuag. posuere: *Elige viros potentes.* Non enim Imperatorem extollit multitudo, sed præstantia militum. Ex quo sapienter dicebat

D. Synes.

D. Synes. D. Synes. Episcopus, & dux præstantissimus epist. 131. *Paucos autem veros desidero, qui veros non mentiantur. Ac si aliquos eiusmodi nactus ero, quod cum Deo à me dictum sit, bono animo sum.* Non equidem bonus vir multitudinem spectabat, sed præstantiam, sciens, quod vel pauci viri præstantes fortunatissimum, & inexpugnabile imperium faciunt. Tres solos vidit Nabuchodonosor Dei seruos, qui ne Dei mandata soluerent, sese tradiderunt flammis, & quod forsan maius est, nihili potentissimi tyranni æstimarunt gratiam. Et solis iis visis sic de Dei imperio loquitur stupefactus Daniel. c. 3. Dan. 3. *Regnum eius regnum sempiternum, & potestas eius in generatione, & generationem.* Multorum exercituum imperator solos tres Dei seruos videt, & Dei regnum admiratur, putatque illud sempiternum esse, à nullo vnquam hoste turbandum. Et cur rex sic admiraris Dei regnum, visis solis tribus eius militibus, quando tu ingentes militum copias habes? Quid tres soli pueri, & captiui comparari eum prope infinitis ducibus tui exercitus? Sanè, quando ij tres inuenti sunt, qui vel flammis imperent; qui non metuant sibi à tyrannis, sufficiens fundamentum est, quod vel illis solis putetur Dei imperium fore supra omnes mundiales. Ait D. Chrysostom. homil. de tribus pueris. Chrys. *Mundi Dominum ex tribus pueris vocat, non ipsius imperium fine illo concludens, sed quoniam mundo opponendi tres pueri essent, propterea tot tyrannos, reges, principes, prætermittens, quos sibi parauerant, tres captiuos, & seruos admiratus est.* Equidem tres viri tales mundo vniuerso opponendi, & præponendi erant, vt sui regis ostenderent imperium sempiternum, & immortale. Crede mihi, non si rex habeat ingentes militum copias, ministrorum turbas innumerabiles, sed si habet vel duos, aut tres viros, qui viros non mentiantur; qui sciant vel regiis erroribus repugnare, & pro veritate intrepidi stare, regnum inexpugnabile, & immortale habet. Non equidem regni fœlicitas in multitudine consistit, sed in præstantia. Hinc Ioann. cap. 9. homuncio quidam cæcus natus vbi lumina per Iesum recepit, non veretur principum Ierosolymitanorum tribunalia, mediis iis intrepidus pro veritate stat, medicique sui non dubitat virtutes prædicare, propter quod a communione populi eiectus est. Quid tunc? Ait Ioann. *Audiuit Iesus, quia eiecerunt eum foras; & cum inuenisset eum, dicit ei: Tu credis in filium Dei?* Ecce tibi quanta Iesu cura fuit pro colligendo hoc eiecto homine, cum primum illum nouit eiectum, ad illum venit, suamque illi prodit diuinitatem. Cur Domine tanti æstimas vnum vilem, & eiectum hominem? Cur non magis satagis, vt tot Hierosolymitanos principes tibi adiungas? Ait D. Cyrill. Alexand. lib. 6. in Ioan. cap. 20. D. Cyril. *Ostendit, quoniam plurimi fecit eius fidem, quasi dicat. Iudæorum multitudo contristata est mihi in te signo, quod operatus in te sum: sed nulla est mihi cura illorum. Vnius tui cura est, vt tu credas melior enim est vnus faciens voluntatem Dei, quàm decies mille iniqui.* Nec enim in regno Dei, nec in regno hominum æstimatur multitudo, sed præstantia virtutis, vt vnus sit pro mille ad extollendum regem, cui militat.

Exod. 17. Fecit Iosue vt locutus fuerat Moyses, & pugnauit contra Amalech. Moyses autem & Aaron, & Hur ascenderunt super verticem collis. Cumque leuaret Moyses manus, vincebat Israel: sin autem paululum remisisset, superabat Amalech. Manus autem Moysi erant graues. Sumentes igitur lapidem posuerunt subter eum, in quo sedit. Aaron autem, & Hur sustentabant manus eius ex vtraque parte. Et factum est, vt manus ipsius non lassarentur vsque ad occasum Solis.

§. VI.

Etiam sub patentissimo Dei auxilio, non prætermittenda humana diligentia.

VT iussa est Iosue circa electionem virorum, & pugnæ instructionem, sic omnia ad amussim perfecit, vt dicat textus: *Fecit Iosue, vt locutus fuerat Moyses, &c.* Et quidem hoc singulare fuit in hoc viro, quod cum potentissimi nominis insigniretur vocabulo, nulli diligentiæ pepercit humanæ, sed vniuersas executioni mandauit. Quod miratus Theodor. Theod. in cat. Lippom. ait: *In illo quidem bello, dux ille eiusdem nominis cum Saluatore nostro trophæum hoc statuit, huiusce modi nuncupationem adeptus, delectorum ad id virorum auxilio vsus, quemadmodum & Christus Dominus sanctis Apostolis cooperatoribus vti non recusauit.* Expende illa: *Huiusce modi nuncupationem adeptus, delectorum ad id virorum auxilio vsus:* quippè non illum à cura, & diligentia seligendi validissimos socios reuocauit, quod sub diuinissimi Iesu nomine pugnaret. Quin tantæ nuncupationis virtutem adeptus adhuc curat de valore iuuenum sibi associando in hoc ipsum Iesum æmulatus, qui cum esset potentia, & fortitudo patris, vt mundum debellet, non detrectauit socios colligere, agmen agere, & omnia extrinseca procurare, quæ ad exoptatum finem videbantur spectare. Hæc est propria sapientia maximorum virorum, quæ in Dei scholis traditur, vt sub diuini adiutorij securitate, non ipsi à diligentia faciendis vacent. Quò spectans Psalm. 17 Psal. 17. *Qui docet manus meas ad prælium, & posuisti, vt arcum æreum brachia mea. Et dedisti mihi protectionem salutis:* hoc est, *protectionem Christi*, sic Hieronym. *Vox Ecclesiæ ad Christum salutis, quia ipse est salus nostra.* Et D. Athanas. in caten. Græca: *Salutari tuo me protexisti. Salutare autem, & salus Christus est.* Ecce tibi & tota Iesu protectio, & defensio exhibetur, & simul manus ad bella docetur, ne propter diuinum auxilium securum, prætermittatur aliquid necessarium militaris prudentiæ. Sic Exod. cap. 13. ait: Exod. 13. *Cum emisisset Pharao populum, non eos duxit Dominus per viam terræ Philisthiim, quæ vicina est; reputans, ne fortè pœniteret eum, si vidisset aduersum se bella consurgere, & reuerteretur in Ægyptum.* Sed quando is, qui ducebat, omnipotens erat, auxiliumque suum efficacissimum habebat paratum ad omnes difficultates superandas, cur necessum fuit cauere Philisthinorum incursus? Quid necessum fuit nouam viam meditari, vt securi graderentur ij, qui ab omnipotente ducebantur? Voluit Deus nos docere, vt prætextu diuini auxilij sibi afferti non debeat homo prætermittere vllam diligentiam humanam, quæ conducere posset ad finem optatum. Ait D. August. lib. 2. in Exod. quæst. 49. D. Aug. *Hic ostenditur, omnia fieri debere, quæ consilio rectè fieri possunt, ad euitanda, quæ aduersa sunt, etiam cum Deus apertissime adiutor est.* Habeas manifestissimum adiutorem Deum; sub eiusque auxilio præsentissimo viuas; non ideo abstinebis ab iis præstandis, quæ ad rem tibi necessariam obtinendam conducunt. Huc trahe dicta tom. 2. in Euang. lib. 6. cap. 7. §. 14.

§. VII.

Quò oratio remotior ab oculis hominum, eò efficacior.

IN montis recessu orabat Moyses cum duobus solis cognatis, & in arena hostes Amalecitæ necabantur. Sic ait text. *Moyses autem & Aaron, & Hur ascenderunt super verticem collis. Cumque leuaret Moyses manus, vincebat Israel.* Manuum leuatio in recessu montis fiebat, Israelitarum autem victoria medio in campo conspiciebatur. Sic semper oratio, quo ab oculis mortalium remotior est, manifestiora trophæa parit. Rem pulchre ponderat Chrysostom. apud Lippom. aiens: Chrysost. *Pugnabat cum hoste Moyses absens, cum externis sine bello decertabat, vt quem loci diuersitas ab inimicis seiunxerat, oratione effectus bellatorem præsentem hostibus exhiberet. Fit Moyse orante pugna occulta, sed manifesta victoria. Latenter dimicat, vt euidenter deuincat.* Expende pulcherrima hæc verba, nimirum: *Latenter dimicat, vt euidenter deuincat:* quo enim magis latet orationis certamen, eò euidentiores de hostibus triumphos valet reportare. Quis nesciat clarissimum fructum orationis in Anna illa Samuelis matre? Aduersus sterilitatem suam orabat illa, & filium habuit, qui vniuersum populum illuminaret. Et qualis erat oratio tam illustri fructu ditata? Ait text. 1. Reg. cap. 1. 1. Reg. 1. *Illa loquebatur in corde suo, tantumque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur.* Ecce signa efficacissimæ orationis, in intimo recessu, & secreto cordis fiebat ab omni audientium sensu remouebatur; quid mirum, vt sic abscondita oratio tam præclaros fructus crearet? Ex quo Paschas. lib. 4. in Matth. ait: Paschas. *Quid putas, Anna vt videretur orabat? Non vtique, sed clauso ostio, scilicet tacita conscientia, vt exaudiretur in cubiculo, Deum cui præsto sunt omnia, rogabat. Et ideo exaudita est, quia cum eo, qui vbique præsens est, largiter fleuit in sese interius versabatur.* Itaque in cordis secreto fit oratio, quæ nullam repulsam patiatur. Vnde Actor. cap. 9. Petrus ingressus domum defunctæ Thabitæ, vt orare voluit, omnes prius abiecit spectatores,

dicit

dicit enim: *Eiectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua orauit, &c.* Non antea ad orationē accessit, quàm prius eiiceret omnes foras. Sed cur noluit orare coram illis? Meritò ait Lyranus: *Vt Deum secretius, & efficacius oraret.* Expende illud, *secretius, & efficacius*; quasi enim hæc duo coniuncta sint, vt quo secretior oratio, eo efficacior appareat. Hinc de Susanna dicitur Daniel. cap. 13. *Exclamauit autem voce magna Susanna, & dixit: Deus æterne, &c.* Et mirabar, quod diceretur Susanna exclamasse voce magna, cum nulla sit mentio, quod audiretur vox eius à pene innumera plebe, quæ illam circumstabat. Et quando à nemine audiebatur, quomodo exclamabat voce magna? Equidem in eo maxime ostenditur vox exclamantis fuisse apud Deum magna, quod à nemine mortalium fuerit percepta. Ait D. Hieronym. alibi datus: *Magna erat exclamatio eius, Deo, quæ ab hominibus non audiebatur.* Non equidem potest non esse magnæ apud Deum efficaciæ oratio illa, quæ abscondita est oculis mortalium. Huc trahe dicta tom. 3. in Euang. lib. 15. cap. 3. §. 5. & tom. 1. in vetus Testamentum lib. 4. cap. 3. §. 9.

Dan. 13. — *D. Hier.*

§. VIII.

Oratio hominis peccatoris iungatur externa mortificationi.

QVando Moysis mens erat intenta Deo, quid intererat, quod brachia lassarentur, inclinarentur, vt inde esset anceps victoria Israelitarum? Sic enim ait: *Cum leuaret Moyses manus, vincebat Israel, sin autem paululum remisisset, superabat Amalech.* Cur in re victoriæ manuum infirmitas spectatur, & non sola rectitudo animi? Cum animus erectus esset, quid, quod manus demissæ agerent? Cur Deus habens Moysis animum intentum, adhuc requirit eleuationem manuum? Res ibi agebatur hominum peccatorum, hominum murmuratorum, quorum oratio non sic ea se sola, quam ea adiuncta etiam externa mortificatione per manuum eleuationem ostensa Deo placet. De Pastoribus venientibus ad Iesum natum dicit Luc. cap. 2. *Venerunt festinantes, & inuenerunt Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Videntes autem cognouerunt de verbo, &c.* Vident paruulum, agnoscunt ibi latens vitæ Verbum, laudant Deum; sed hac laude exhibita contenti nihil aliud laboriosi obsequij præseferunt. Aliter Magi, de quibus Matth. cap. 2. *Inuenerunt puerum, cum Maria matre eius, & procidentes adorauerunt eum, &c.* Sese ad terram vsque deiiciunt notissimi reges, & humi strati diuinum adorant Puerum. Compone modo pastores cum regibus: illi laudant Deum, sed nec procidisse leguntur, nec externam corporis humiliationem exhibuisse: ij autem internis animorum obsequiis addunt & deiecti corporis reuerentiam. Et quando pastores Deo adsunt laudantes solis vocibus, cur reges laudibus suis adiiciunt humiliationem corporis externam? Ait D. August. homil. 9. de Epiphan. *Fortasse ergo illi pastores minus rei, de salute alacrius exultabant; isti autem Magi multis onerati peccatis, summissius indulgentiam requirebant.* Et quidem vbi de peccatis tollendis res agitur, multum fallitur, qui simplici oratione manet contentus, nec curat adiicere pœnalitates externas. Parum, aut nihil proficit peccatori oratio, quæ non habet secum aliquid in corpore laboriosi obsequij. Dicit namque Dominus Cantic. 4. *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*; vt ostendat, quam sibi placeat thus orationis de adiuncta myrrha corporalis afflictionis. Ait enim D. Gregor. Papa: *Ad montem ergo myrrhæ, & ad collem thuris Sponsus vadit, quia eos familiariter visitat, quos per mortificationem vitiorum ad alta proficere, & per mundum, & humiles orationes suauiter redolere perspicit.* In quo & oratio est & simul afflictio corporis, in illo præsentissimus est Deus, ad quem peccatorum oratio rarò fructuosa peruenit, nisi de adiuncto sibi mortificationis obsequio. Vt hinc pateat orationis inefficacia in iis, qui in nullo student insigne mortificationis, & humiliationis monstrare. Hinc peccatoribus Israelitis dicebat Dominus Exod. cap. 33. *Iam nunc depone ornatum tuum, vt sciam, quid faciam tibi.* Orabant isti peccatores sub nullo humilitatis, afflictionisque habitu, sub splendenti ornatu fulgentes: habebant quidem thura, quę Deo litabant; myrrhæ autem insigne non habebant. Quare Deus sic se ostendit illis, quasi nesciat, qua via ad illos accedat, qua via ad illos misericordiæ suæ dirigat fluenta; & monet orantes, vt adiungant mortificationis insigne, tollant ornatum corporis, & in sacco, & cinere orent, vt aditus inde pateat diuinis fluentis. Ait Rupert. lib. 4. in Oseam: *Quandiu peccator ornatus incedit, quandiu pulchram ceruicem erigit complacendo sibi, lætabundus quod malefecerit, & exultans in rebus pessimis; quodammodo nescit Deus, quid faciat illi; nescit misericordia quali aditu ad illum veniat; idcirco consilium offerens, iam nunc, ait, depone ornatum tuum, vt sciam, quid faciam tibi, id est, humiliare pœnitendo, vt miserear tui.* Dum enim peccator humiliationis, & afflictionis indicia non prætendit, quasi nescit Deus, vnde ad illum immittat beneficiorum suorum fluenta.

Luc. 2. — *Matt. 2.* — *D. Aug.* — *Cant. 4.* — *D. Greg.* — *Exod. 33.* — *Rupert.*

§. IX.

Virtutum opera efficacissimam orationem habent apud Deum.

NIl dicitur Moyses clamasse, imò nihil petiisse à Deo, solum manus eleuatas, & extentas ostendebat; & eo solum victoriam nanciscebatur. Sic enim dicit: *Cum leuaret Moyses manus, vincebat Israel.* Et cur manibus leuatis non addebat orationem, seu petitionem aliquam? Cur contentus sola eleuatione manuum tacuit, nulla oratione vsus est? Solis eleuatis manibus contentus tacet Moyses, vt ostendat, quam sint opera virtutum vocalia, quam efficaciam habeant apud Deum. Mortua Dorcade Actor. 9. mittunt discipuli ad Petrum, vt eum accerserent, si velit ad vitam reuocare sanctissimam, & vtilissimam pauperibus fœminam. Venit igitur Petrus, intrat defunctæ cubiculū: *Et circumsteterunt illum omnes viduæ flentes, & ostendentes ei tunicas, & vestes, quas faciebat illis Dorcas. Eiectis autem omnibus foras, &c.* Ecce tibi viduæ, & pauperes nacti Petrum potentem facere, vt eorum benefactrix ad vitam reuocaretur, nihil ab illo petunt, nec verbum faciunt, sed solum flentes ostendebant vestes sibi à defuncta præstitas. Cur non magis flagitant eius vitam? Cur non contendunt ab Apostolo, vt quam alias resuderat, simul & huic tantæ fœminæ vitam præbeat? Cur de hoc tacentes, solum eius misericordias ostendunt? Sapienter quidem tacent opera sancta defunctæ præ manibus habentes, quæ quidem omnium efficacissime pro se loquerentur. Pulchrè ad hæc ait Arator lib. 1. in Acta.

Act. 9.

> *Non murmure tristi*
> *Affectum pietatis agunt, nec ab ore frequentant*
> *Instrumenta precum; quidquid benefacta mouentur*
> *Officiis voluere loqui, vocisque repulsam*
> *Elegere sua.*
> *Qua lacrymis fecit vitam fecunda gementi*
> *Materia est, dixisse nihil, nimiumque sonoro*
> *Causa petit, quod lingua tacet.*

Quid pulchrius? Repulsam feret orantis lingua, vbi adsunt insignia opera agentis? Hæc ob oculos posita non egent linguæ labore, sed ipsa sunt vocalissima, ingentemque clamoris energiam habent, qua Dei omnipotentiam pro se trahant. Hinc Paul. ad Hebræos cap. 5. de Christo domino locutus, ait: *In diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia.* Quæ verba referunt communiter Patres ad orationem factam à Iesu pro resuscitatione sui corporis. Sic Ambros. Theodor. Oecum. Photius, Ansel. Primasius, D. Thom. Hugo. Sed vt bene notant D. Chrysostom. & Theophyl. nusquam inuenies, quod Iesus petierit à patre resurrectionem sui corporis. Lege Euangelia, & nullam Iesu orationem inuenies pro sui suscitatione. Quomodo ergo sustineri possunt verba Pauli asserentis Iesum clamasse, & orasse, si hoc de clamore pro corporis sui suscitatione intelligatur? Sanè non referenda sunt verba illa ad aliquem clamorem linguæ, qui forsan in Christo domino pro sui corporis suscitatione nullus fuit. Sed referenda sunt ad clamorem operum; dum enim Iesus virtutes operabatur, mala sustinebat, fundebat sanguinē; hæc opera validissimum clamorem, & efficacissimum habebant, vt mouerent patrem ad quæuis bona donanda. Quo respiciens Primasius fatur: *Omnia, quæ Christus egit in carne, preces supplicationesque fuerunt pro peccatis generis humani effusæ, sacra vero sanguinis eius effusio clamor validus fuit, in quo exauditus est.* Ecce cui tribuat clamorem validum Iesu, nimirum eius effusioni sanguinis.

Ad Heb. 5. — *Primas.*

Quippè sanguis Christi, qui effundebatur, nimis sonorum clamorem, & efficacem habebat apud patrem ad exterminandam mortem, & peccatum.

***

§. X.

§. X.

Oratio eius efficacissima est, qui se conformat Deo, quem exorat.

ELeuans Moyses manus virtutem à Deo obtinebat, qua inimicos debellaret, quando dicit textus: *Cum leuaret Moyses manus, vincebat Israel.* Et cur tam efficax virtus in eleuatione manuum monstrabatur, nisi quia sic saluatoris crucifixi referebat imaginem? Cum enim Deus eleuatis in cruce manibus mundum expugnauit, non miror, quod se crucifixo conformans Moyses manifestam orationi suæ indat efficaciam. Sic ait D. Max. apud Lippom. *Eleuatis manibus orare præcipimur, vt ipso quoque membrorum gestu passionem Domini fateamur. Tunc enim citius nostra exauditur oratio, cum Christum, quem mens loquitur, etiam corpus imitatur.* Cum te ad Christi formam compones, non miror, quod apud eum, efficacissimas tuas orationes facias. Nunquam enim non valet apud Deum oratio eius, qui se illi nititur conformare. Visis Ægyptiis persequentibus Exod. c. 14. *Israelitæ timuerunt valde, clamaueruntque ad Dominum, & dixerunt::: Et ait Moyses ad populum. Nolite timere, state & videte magnalia Domini, quæ facturus est hodie:. Dixitque Dominus ad Moysem: Quid clamas ad me? &c.* Vniuersi clamarunt, & vnius Moysis clamorem Deus meminit, aiens: *Quid clamas ad me?* Et cur inter omnium clamores solus Moysis clamor a Deo audiebatur? Quid faciebat Moyses tunc, vt eius clamor pre cæteris valeret apud Dominum? Moyses stabilitatem, & firmitudinem populis clamabat, aiens: *State, & videte*; eo tempore, quo Deus columnæ insidens populum ducebat, & ideò vox clamantis stabilitatem, non potuit non audiri præ cæteris à Deo, quando & ipse in columna stabili versabatur. Ait Rupert. ibi: *Moyses clamabat. Nolite timere, state, & videte magnalia Dei. Rectè igitur solum hunc audit illa columna nubis, illa columna ignis.* Quando Deus sub columnæ ignis, aut nubis aspectu visebatur, nullius vox citius ab eo auditur, quam ea, quæ stabilitatem, & firmitudinem clamat. Nunquam enim nō est efficacissima apud Deum oratio eius, qui se ad Dei formam procurat comparare. Huc veniat, quisquis amat nullam in oratione repulsam pati, & curet sese effingere in petitione ad normam Dei exorandi. Quò spectat Isai. c. 55. fatus: *Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite.* Eos præcipue vocat ad conuiuium, qui argentum non habent. Et quare ij præ cæteris vocantur? Quando is Deus, qui in conuiuio acquirendus erat, eiusque negotianda gratia, qui cum diues esset, pro nobis pauper factus est, argentum minime habens; merito præ cæteris ad eum accipiendum illi vocantur, qui se in abnegatione argenti illi conformantur. Necessum enim est, quod ij apud illum maxime valeant. Ex quo D. Ambr. lib. 3. de Spiritu sancto c. 18. alio datus, ait: *Manducate sine argento: vt eum acquireret, qui non habet argentum.* Hæc diligentia maxima est, vt apud Deum valeas, si in affectu, quo est, te illi nitaris conformare. Hinc D. Chrysost. ser. 1. in quintam feriam Pass. monet accedentes ad sacram mensam: *Agnum comesturus, agni innocentiam præferat, ne immaculata eius membra lupina malignitate transfundat in viscera.* Sic monemur conformes fieri Deo exorando, & suscipiendo.

D. Max.

Exod. 14.

Rupert.

Isai. 55.

D. Ambr.

Chrysost.

§. XI.

Grauissimum est, & laboriosissimum homini in otiosa vita virtutem conseruare.

NVnquam mirari desiui grauedinē Moysis manuum, quas minime ipse solus diutius poterat erectas conseruare, cum Aaron, & Hur suas firmiter sustentarent. Ait enim: *Sin paululum remisisset, superabat Amalech. Manus autem Moysi erant graues. Aaron autem & Hur sustentabant manus eius ex vtraque parte.* Aaron, & Hur manibus suis sustentabant erectas Moysi manus; & non lassabantur eorum manus, cum & leuatæ essent, & præter hoc alias sustentabant. Moysi autem manus, quæ nullas alias sustentabant; & in terram grauitabant, & lassabantur. Vndè ergo prouenit, quod Moysi manus adeò grauitent, & lassentur, cum nihil aliud agant, quam erectas esse, cum Aaronis, & Hur manus, quæ & erectæ sunt, & præterea sustentant ipsas Moysi manus, nec lassentur, nec grauitent? Crediderim ideò horum manus non grauari, quia id faciebant, quo sustentarentur erectæ Moysi manus; has autem ideò grauari, & proprio lassari pondere; quia nihil agūt. Grauissimum enim est, & laboriosissimum, quod velis ex vna parte ad cœlum erectas, & ex alia otiosas seruare manus. Inter Dominicæ vineæ operarios fuerunt aliqui à primo mane conducti, qui aduersus alios murmurabant dicentes Matt. 20. *Hi nouissime vna hora fecerunt, & pares nobis illos fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus.* Et quomodo, qui vna sola hora laborarunt, potuerunt fieri pares eis, qui pondus diei portarunt? Vndè illis potuit tantum pondus accidere, quod esset par ponderi eorum, qui per integrum diem laborarūt? Sanè ij, dum alij laborabant, erant otiosi, quibus dictum fuit illud: *Quid statis tota die otiosi?* Quod otium non poterat non esse operariis super omnem laborem graue, & intolerabile, quando in illo sic cutabant esse, ne discederent à loco, in quo prompti essent Deo ad vineam suam vocanti. Ex quo ait Origen. hom. 10. in Matth. *Nos autem, qui vndecima sumus vocati, sicut illi quidem non portauimus pondus diei, & æstus, portauimus autem pondus, eo quod stetimus otiosi, antequam paterfamilias veniret ad nos, qui dixit nobis. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis. Onus enim erat otiositas ipsa.* Duo genera hominum vocabat Dominus, alterum laborantium, alterum oneratorum. Onerati, & qui sub onere gemebant, erant otiosi illi homines, quibus & otiosos esse, & nihil agere, & onus, & pondus erat incomportabile. Huc spectans Iob c. 7. ait: *Sicut mercenarius præstolatur finem operis sui: sic & ego habui menses vacuos.* Cat. Græca legit: *Sic & ego sustinui menses vacuos.* Sustinui, ait, vt ostendat rem esse maximi ponderis menses vacuos, qui nulla operatione occupantur. Operariorum, mercenariorumque labores suum pondus habent, sed qui maximè leuentur præmij præstolatione, & sic non dicitur mercenarius sustinere labores, sed præstolari mercedem. At in otiosa vita, quæ omni operatione vacua est, pondus habet absque leuamine, quod ægrè, & difficulter potest sustentari. Vt qui tot ærumnas sustinebat, ad commendationem sustinentiæ suæ, & ad eius difficultatem ostendendam, hoc etiam addat, quod sustinuerit menses vacuos. Trahenda huc sunt dicta 1. tom. in Euangelia lib. 2. cap. 1. §. 2. & tom. 1. in vetus Testam. lib. 1. cap. 1. part. 2. §. 11.

Matt. 20.

Origen.

Iob 7.

§. XII.

In Christo passo actionum nostrarum infirmitas roboratur.

LAssatæ Moysis manus, oratioque eius remissa in eo explicata, vt roboraretur, lapis supponitur, dum textus ait: *Manus autem Moysi erant graues. Sumentes igitur lapidem posuerunt subter eum, in quo sedit, &c.* Ad remissam orationem in manibus lassatis, & grauatis ostensam roborandam lapis affertur, & supponitur? Et quis lapis poterit excipere, & sustentare orationem remissam, nisi lapis ille angularis ab ędificantibus reprobatus, nimirum Christus Dominus? Equidem is est lapis hic reprobatus, & percussus, qui suppositus nostris actionibus etiam languidis, illas valeat excitare, roborare. Hinc quem lapidem vocat Moyses in præsenti, lectulum vocat in Canticis Dei amatrix. Dixit enim Cant. 3. *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt.* Quid ais sponsa, Moyses vocat ad lapidem, tu vocas ad lectulum? Equidem vtrumque est Iesus pro nobis passus, & lapis, qui suscipiat sacrificia nostra vt altare, & lectulus qui etiam languidas, & remissas preces faciat in spem vitæ roborari. Ait German. Patriarcha Constantinop. orat. de Cruce in media Quadragesima, apud Gretherum tom. 2. fatus. *Sed ò crux, alloquor enim te, & rursus labia à tuo in te amore abstrahere renuo. Nunc quidem tanquam altare redde mihi placationem, & propitiationem, vt vere lectulus regius, reclina mihi orationem iam fatigatam, & dormiturientem.* Nihil non inuenit bonus doctor in lapide illo reprobato Christo Iesu, eiusque passione, inuenit enim in illo, & altare, & lectulum; altare, quod propitiationem referat, lectulum, qui ægras, dormiturientes, & fatigatas orationes possit in vitam roborare. Quæ enim actionum infirmitas Christi passionibus iuncta non roboratur, & maximam firmitudinem capit? Huc spectans Dauid Psal. 17. ait: *Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & super excelsa statuens me:: Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ, & dextera tua suscepit me:: Dilatasti gressus meos subtus me, & non sunt infirmata vestigia mea.* Ecce tibi quando vt ceruus currebat super excelsam, super prærupta montium, super altissimam petram, nullam lassitudinem, nullam infirmitatem sentiebat. Sed quę petræ erant illę, quæ nullam lassitudinem, aut infirmitatem currenti permittebant? Erat petra Christus, quem qui spectat, etsi infirmus sit,

Cant. 3.

German.

Psal. 17.

non

noo paruũ statim robur sentit. Ex qoo ait Eoseb. io cat. Græca: *Qui Iosum sequitur, dum viam à Iesu tritam transit, vestigia interioris hominis, hoc est, animæ crura solidantur.* Mihi crede, non attinges Christum, quin ab illo & robur, & firmitatem animi capias. Quidquid enim virtutis est, in Christi vulneribus nititur. Dicit Iosue c. 5. *Mortuus est Iosue filius Nun, seruus Domini, centum & decem annorum, sepelierunique eum in finibus possessionis suæ:* & D. Cyr. Alex. addit: *& in sepulchro eius posuerunt cultros lapideos, quibus circumcidit filios Israel.* Et cur cũ Iosue mortuo cultri circumcisionis ponuntur? In Iosue erat typus veri Iesu, cuius morti innititur quæuis hominis virtus. Sic D. Cyril. Alex. lib. 4. in Ioan. c. 51. *Non absque causa cultri eodem eum illo loco positi sunt; verum vt nos discamus circumcisionis spiritualis gratiam saluatoris morti esse affixam.* Sic ibi.

Iosue 5.

Cyr. Alex.

Exod. 17. Fugauitque Iosue Amalech, & populum eius in ore gladij. Dixit autẽ Dominus ad Moysem; Scribe hoc ob monimẽtum in libro, & trade auribus Iosue. Delebo enim memoriam Amalech sub cœlo. Ædificauitque Moyses altare, & vocauit nomen eius, Dominus exaltatio mea, dicens: Quia manus solij Domini, & bellum Dei erat contra Amalech, à generatione in generationem.

§. XIII.

Familiarissimè debent proponi regibus, principibusque mandata Dei.

SEruilem timorem exuat, & familiaritatem eam assumat, qua possit regibus appropinquare, qui illis notificat mandata Dei. Sic enim monet Dominus Moysem in præsenti: *Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade auribus Iosue. Delebo enim memoriam Amalech.* Hoc quod decreuit Deus de Amalech delendo, mandatur scribi in libro, & insuper tradi auribus Iosoe. Et notanter monet illud: *trade auribus Iosue*, non enim contentus est mandare, quod id Moysea diceret, aut narraret Iosue: sed maluit exprimere, *tradi auribus*, vt ostendat quam familiariter illi adhærere debeas, vt notificet hoc Dei mandatum. Sic Lippom. in cat. ait: *Trade in auribus Iosue, hoc est, inculca ipsi Iosue, & familiariter indica, quod procul dubio delebo memoriam Amalech.* Posset enim fieri, vt Moyses Imperatori maximo victis hostibus reuertenti cum triumpho, eam exhiberet reuerentiam, qua procul stans, & à longe illum salutaret; quod præcauens Dominus Moysem præmonet, oe sic afficiatur erga principem in diuinis mandatis annonciandis, quin potius prope accedat, familiariterque cum eo agat de Dei mandatis. Id quod sanctissimè ab antiquis seruabatur. Vndè de Aod dicitur Iudic. cap. 3. *Reuersus de Galgalis, vbi erant idola, dixit ad regem: Verbum secretum habeo ad te ò Rex. Et ille imperauit silentium: Egressisque omnibus, qui circa eum erant, ingressus est Aod ad eam, sedebat autem in æstiuo cœnaculo solus, dixitque: Verbum Dei habeo ad te.* Expende, vt primum dixerit; *verbum secretum habeo.* secundo autem, oon dixerit verbum secretum, sed *verbum Dei habeo ad te.* Et cur mutaoit loquendi formam? Cur secundo non perstitit in eodem verbo dicens rursum, *verbum secretum habeo.* Cur nihil de secreto verbo dicens solum meminit se habere verbum Dei ad regem? Sanè, quando eiiciendi erant ministri, verbum secretum dixit se habere, sic eiectis omnibus obtinuit, qood solus ad præsentiam Regis admitteretur. Sed quia id non sufficiebat, vt facinus excogitatum perficeret, nisi propius, quasi familiaris, accederet, tunc non secretum, sed verbum Dei dixit se habere ad regem, ne resugeret rex familiariter accedentem. Erat enim tunc sanctum, quod verbum Dei familiariter principibus diceretur. Planè 2. Reg. 14. Ioab mulierem Thecuitem direxit ad Dauidem, quæ composito sermone traheret animum regis, de qua ibi dicitur: *Itaque cum ingressa fuisset mulier Thecuitis ad regem, cecidit coram eo super terram, & adorauit, & dixit: Serua me Rex, &c.* Ecce tibi quanto cum tremore, & reuerentia, & adoratione, & genuflexione introducitur mulier nobilis, & sapiens allocutura Regem. Non sic 2. Reg. 12. de Nathano dicitur, quin potius ait text. *Misit ergo Dominus Nathan ad David, qui cum venisset ad eum dixit ei: Duo viri erant in ciuitate, &c.* Non procumbit Nathan, non pronus adorat, sed quasi æqualis, & familiaris adest Regi; suamque proponit narrationem. Et si credimus D. Basil. Seleuc. orat. 17. hic Nathan erat in specie homo vilis, & pauper. Sed quando mulier nobilis, & sapiens non audet adire regem, nisi prius se ad terram vsque demittat, summamque reuerentiam, & venerationem ostendat; vnde pauper iste homuncio sic familiaris accedit, vt nec vlla præhabita adoratione incipiat alloqui regem? Causam rei clarè ex textu designat D. Basil. Seleu. orat. 17. aiens: *Nathanum prophetam mittit Deus Propheta medicum futurum. Mittit hominem vilem in specie ad eum, qui thronum insidet; paupertati innutritum ad eum, quem sceptra decorant.* Equidem mulier missa venerat à Ioab, Nathanus à Deo; illa Regi verba referebat, quæ Ioab posuerat in ore eius; Nathanus verba promit Dei, quæ sanent regem. Inde illa cum tanta reuerentia, & timore, hic tam familiariter alloquitur regem. Et expende pulchrum exemplum illis verbis contentum, nimirum: *Nathanum mittit Deus Propheta medicum futurum:* quippè magnum discrimen est priuatorum hominum accedentium ad Regem, & medici accedentis. Priuatus qui regem conuenit, licet nobilis sit, & diues, multa adoratione, multo tremore accedit, à longeque humi procumbens petitiones suas proponit regi. At medicus, licet natalibus vilis sit homuncio, tamen fiducialiter ingreditur, & familiariter accedit, omniaque iubet, quæ Regi salutaria videntur. Sic qui verbum Dei principibus proponit missus à Deo pro illorum spirituali salute, vt medicus accedat, ea familiaritate, & fiducia proponat, quæ principibus sciat conuenire ad salutem æternam, qua medici corporales proponunt, quæ vitæ temporali conueniunt.

Lippom.

Iudic. 3.

2. Reg. 14.

2. Reg. 12.

Basil. Sel.

§. XIV.

Gratiarum actionis titulus omni alia victima sublimior.

NVnc primò audio ædificatum à Moyse altare, erectum Deo lapidem, ait enim: *Ædificauitque Moyses altare, & vocauit nomen eius, Dominus exaltatio mea.* Nec cum audio altare, ideò puto pro victimis faciendis ædificatum, vt putant aliqui, sed magis puto cum Cornelio nostro altare illud pro trophæo & titulo grati erga Deum animi fuisse erectum. Adducit me in hanc sententiam primum, quod nullam in præsenti inuenio mentionem victimarum; secundum, ipsum nomen, seu titulus affixus altari, qui proprior est lapidi pro trophæis, quam altari pro victimis erecto. Nec desiderantur victimæ animalium, vbi in gratiarum actionem exaltatori Domino marmor erigitur; est enim hoc monimentum gratitudinis omnium victimarum præstantissimum. Sic Luc. c. 17. decem viri leprosi dum de Iesu præcepto irent in templum, vt offerrent statutas lege victimas, in itinere mundati lepra sunt. Quid tunc? *Vnus autem ex illis, vt vidit, quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes Iesu gratias agens, &c.* Et cur non magis hic festinauit ad offerendas victimas? Cur templi, & victimarum oblitus regreditur ad Iesum, illi gratias acturus? Sed & illud notandum quod videns Iesus gratias agentem de salute, non mandat, quod offerat præscriptas victimas; est enim gratiarum actio victima præstantissima. Huc respiciens Tertullianus lib. 4. in Marcum ait: *Vnum illum solutum ex decem memorem diuina gratia Samaritanum miratus Iesus, non mandat offerre munus ex lege, quia satis iam obtulerat, gloriam Deo reddens.* Qui gratus Deo omnia sua referebat accepta, satis victimarum in hoc solo obtulerat, merito ex hoc non petitur alia victima. Sanctissimus ille Iob audita repentina filiorum suorum morte cap. 1. *Corruens in terram adorauit, & dixit: : : Sit nomen Domini benedictum.* Nihil aliud fecit aut dixit pro filiis subito interemptis in conuiuio. Et qui dum filij viuerent, solicitus ne forte in conuiuiis peccarent, pro illis victimas offerebat. Ait enim textus: *Cumque in orbem transissent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis. Dicebat enim: Ne forte peccauerint filij mei.* Ecce tibi dum conuiuia finiebant filij Iob, pater solicitus, ne forte in conuiuiis peccauissent, statim ad holocausta surgebat, & pro singulis singulas offerebat victimas. Nunc autem audit eos morte correptos in conuiuiis, & nullas pro eis dat victimas, nulla offert holocausta, hoc vno contentus dicit: *Sit nomen Domini benedictum.* Cur non magis solicitaris, ne forte in peccatis mortui fuerint filij? Cur hac correptus solicitudine, non paras sacrificia pro singulis mortuis, vt parabas pro singulis viuis? An

Luc. 17.

Tertul.

Iob 1.

casos acerbitate oblitus es sacrificiorum, & victimarum? Absit hoc à viro pijssimo, non equidem obliuiscitur sacrificiorum, sed ad sacrificium currit præstantissimum, quod in actione gratiarum consistit. Ad hæc ait D. Chrysost. hom. 1. in Iob in fine: *Chrysost.* *O beatam, præstoloque generosam, fœlicemque animam, celebrem Angelorum famam superantem! Quare? Quia in omnibus, quæ superuenient ei, non peccat Iob in conspectu Domini, sed pro his omnibus perfectam gratiarum actionem loco sacrificij obtulit, dicens: Sit nomen Domini benedictum.* Pro victimis, pro sacrificiis vnam gratiarum actionem offert Iob, & hac Angelorum superat virtutes. Et quid non faciat hæc sola gratiarum actionum victima? Leproso illi ebitinere reuertenti, & templum, victimasque obliuiscenti, vt ad gratiarum actionem rediret, dicit Dominus Luc. cap. 17. *Luc. 17.* *Surge, vade, quia fides tua te saluum fecit.* Et quæ fides tantam salutem præstitit homini? An qua credidit posse à Iesu sanari? An qua credidit pro gratiarum actione, & victimas alias debere relinqui? Accipite Tertul. lib. 4. in Marc. sic definientem: *Tertul.* *Ideò fides sua te saluum fecit, audiuit, quia intellexerat veram se Deo omnipotenti gratiarum scilicet actionem apud verum templum, & verum pontificem eius facere debere.* Inde fidei meritum salutem obtinuit, quia non sic in templo lapideo, brutorumque victimis confidit, vt in gratiarum actione vero Deo, & liberatori suo Iesu exhibita.

§. XV.

Mundialia tribunalia raro potentissimorum tyrannidem confringunt.

Ecce tibi diuini solij, tribunalisque cœlestis clarissimum insigne, nimirum, ait: *Manus solij Domini, & bellū Dei erat contra Amalech à generatione in generationem.* Et quidem contra potētissimos Amalecitas, cōtra validissimos homines nullius solij creati, sed solius solij diuini manus exercet iustitiā. Sentētia mortis à Deo lata erat aduersus omnes Amalecitas; electus eius sententiæ executor Saul rex; impugnat ipse Amalech, vt omnia illorum perdat. Quid tunc? Ait 1. Reg. 15. *1. Reg. 15.* *Percussitque Saul Amalech ab Heuila, donec venias ad Sur. Apprehendit Agag regem Amalech viuum: omne autem vulgus interfecit in ore gladij. Et pepercit Saul, & populus Agag, & optimis gregibus ouium, &c.* Compone modo modum solij Saulis, cum manu solij Domini. Quippè manus solij Domini, & bellum Dei erat contra Amalech; manus autem Saulis potentissimo Amalecitarum pepercit, spectans prædam de pretiosis eius. Pulchrè de Saule ait Rupert. lib. 3. in Exod. cap. 21. *Rupert.* *Iustitia vindictam imperante Deo, ipse ad prædam se conuertit.* Hoc est discrimen notissimum mundialis tribunalis, & diuini solij. Diuina tribunalia iustitiæ vindictam imperant in omnes, etiam potentes; nec aliud attendunt, quam vt iustitiæ satisfiat; verum tribunalia mundialia præcipuè se conuertunt ad prædam parcendo potentibus. Fuerat iam decretum à Iudæis, quod Christi asseclæ extra Synagogam fierent. Tamen vbi Lazarus defunctus est, Ioann. 11. *Ioan. 11.* *Multi ex Iudæis venerant ad Martham, & Mariam, vt consolarentur eas.* Rem miratus D. Basil. Seleuc. orat. 40. inquit: *Basil. Sel.* *Vnde consolabuntur Iudæi dilectas à Christo, cum inter eos conuenisset, si quis eum confiteatur esse Christum, extra Synagogam fieret? An eas vt nobiliores honorat?* Equidem tribunalia humana ad potentes præcellentesque personas facile conniuent. Mulctant Iudæi cæcum natum, si loquatur Christum; in nobilioribus, & potentibus magis dissimulant. Nunquam, mihi crede, periclitatur nisi imbecillus, vbi mundiales exercentur leges. Qui potens est pecuniis, vel supellectili, rarò, aut nunquam periclitatur in mundiali tribunali. Quando Saul non parcit potenti Agag etiam à Deo damnato? Quando dissimulata iustitiæ vindicta, non spectantur optima spolia? Dum hæc considero, non multum resisto sententiæ D. Valeriani dicentis homil. de bono disciplinæ: *D. Valer.* *Nemo illum homicidij crimen euasisse æstimet: quem excusatum sæcularis iudicij corrupta sententia absoluerit. Ad confusionem magis præsentis vitæ, non ad absolutionem criminis pertinet authoritas sententiæ sæcularis.* Expende quæso ad quid dicat vir sanctus pertinere authoritatem sententiarum mundialium.

An vt sic magis confirmaretur reorum liberatio?
Non ad hoc sed ad confusionem vitæ
humanæ, quæ talis est, vt nul-
lum pene in ea iustum
iudicium exer-
ceatur.

CAPVT XV.

Deus Moysi apparet in Sina.

Textus Historiæ.

Amalecitarum percussione lætos, spolijs ditatos ad iter vocat Israelitas suos ductor ex columna Angelus. Eademque die illis, & profectio obtigit, & statio illa ad Raphidim, hæc ad radices montis Sina, in quo Israeliticæ liberationis prima fuerant cúnabula. Non sustinet Moyses lentos multitudinis gressus, festinans ipse ad notissimum, & faustissimum sibi montem, ad quem diuinis nutibus vocabatur. Vix eius superat iuga, & Deus adest, à se in populum beneficia profecta perstringēs, & expectans, si renontiante Moyse, velint sibi adhærere populares. Nullus in tanta multitudine inuentus est, qui in beneficentissimi Dei seruorum censu non gaudeat numerari. Qui omnium affectus relatus per Moysem Deo, iubet omnes in diem tertium parari, vt nitidiori solito veste, animoque sanctiori effulgentes se intra certos terminos recipiant, lethale sibi putantes, si vel montis gramina calcent.

Impotens lætitiæ populus, tribus diebus inter maximæ spei, omniumque bonorum inquietas imagines ductis, nitidissima in veste significat se ad Deum ire, cuius totus pendebat promissis. Interea densissima nubes mōtem opplet, è nube tonitrua horrendū quid strident, crebra fulgura micant, mons abit in fumum, vndique concutitur. Insuper surgit turbines, procellæ ventorum, ingentes funduntur pluuiæ, quæ portenta tristiora facit productus sonus tubæ, qua Angelus terrorē vniuersis infundit. Hæc inter Moyses securus verba cum Deo miscet, quæ possint à populo audiri; vocatusque à Deo ad remotius montis cacumen obligatur denuo descendere ad suos, illisque grauius obtestari, vt montis accessum caueant tot plenum periculis. Cum descendente Moyse augetur montis horror, & tubæ sonitus vehementius producitur, qui articulata voce præcepta Decalogi personare cœpit, præconio adeò horribili, vt populus timore concussus sese à permissa statione, propiùs ad tabernacula reciperet. Hic Moysem conueniunt omnes, enixeque petunt, vt tacente voce Dominica, loquatur ipse quicquid sciuerit conducturū diuinis nutibus. Non displicuit populi exoratio Deo, qui iterum ad montem recepto Moysi explicat fore, vt aliquando è familia Abrahamidum vates surgat, qui humaniori, placidiorique voce Dei mandata populorum mentibus infigat. Interim nihil eripit terrori, sed inter remugientia tonitrua, clangoremque tubarum, perseuerantibus, igne, fumo, caligine lex populo indicitur.

PARS MORALIS in textus literam.

Qvando de petra aquam dulcissimam habuimus, non erit abs re, quod de tonitruis, de fulminibus, eos etiam spectemus imbres, qui mentis faciant adolescere fructus.

Exod. 19. Mense tertio egressionis Israel de terra Ægypti, in die hac venerunt in solitudinē Sinai. Nā profecti de Raphidim, & peruenientes in desertū Sinai castrametati sunt in eodem loco, ibique Israel fixit tentoria è regione montis. Moyses autem ascēdit ad Deum.

§. I.

Promptissimi obedientis signum est, quod nullum obicem creaturarum experiatur, in accedendo ad Deum.

Castris Israelitarum fixis è regione montis Sina, Moyses ascendit in montem, in quo de redemptione Israelis mandatum

mandatum acceperat, vt Deo peractam mandati executionem referat. Sed illud notandum cum Caietano, quod non dicatur Moyses ascendisse in montem, sed ascendisse ad Deum; ait enim. *Moyses autem ascendit ad Deum.* Et quando mons erat accliuis, & difficilis, in quo ad Deum peruenit, cur non dicitur superauisse montem? Cur montis difficilia non proponuntur, vel superata a Moyse, vt Deo adesset? Faciebat hoc ad Moysis obedientiæ commendationem, quod nullæ aut terrarum, aut montium difficultates memorarentur in eius accessu ad Deum; sed sic dicatur accessisse, quasi nulli montis obices essent. Est equidem hoc perfectissimi obedientis testimonium euidens, si nulla creaturarum impedimenta sentiat, vt Deum conueniat. Hinc astutissimus ille Antipater parricidij accusatus ad patrem euolans probabat suam in patrem obedientiam apud Egesipp lib. 1. cap. 44. Etenim ait: *Ecce me pater, ad te veni post Cæsarem, ad te festinaui à Cæsare. Tu me pater, nesciens periculi obtecisti iubens pergere. Præsto sum pater, nec perfunctorie de leuioribus testibus requirendam pro salute mea veritatem æstimo. Omnis homo mendax, dixit scriptura. Ego defero incorruptibilia elementorum testimonia. Veniens ad te per maria, & per terras, nusquam aliquid passus. Absoluunt me pater apud te, cœlum, quod non fulminauit, mare, quod non demersit, terra, quæ non absorbuit, per hos ad te enim venio pater quæ non solent euadere, etiam qui non sunt patrum genialium parricidæ.* Et merito vocat incorruptibilia elementorum testimonia, à quibus nihil passus post peracti apud Cæsarem patris mandatum, ad patrem peruenit. Quod enim nec cœlum, nec terra, nec mare aliquid difficile sibi opponant ad patrem Deum reuertenti; hoc promptissimâ mandatorum diuinorum executionem, & omnimodam erga patrem obedientiam testatam exhibet. Absalomus dum patriæ obedientiam contemnit, in illumque rebellans bello fractus pernici mulo sese periculis eximit. 2. Reg. 18. *Cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, & magnam, adhæsit caput eius quercui: & illo suspenso inter cœlum, & terrã mulus, cui insidebat, pertransiuit.* Et cur tot mortes fugientem quercus tam miserè detinet? Et quando à tot militum iaculis euaserat in bello, cui permissus est venire in quercetus impedimenta? Forsan miser iuuenis patrique inobediens non solum a prælio fugiebat, sed & in corde suo ad patrem confugiebat, & inde & montes, & quercus fuerunt rebelli impedimento, ne ad patrem accederet. Ait Egesip. lib. 1. cap. 44. *Absalon fugientem arboris sua ramus terra suspendit, ne ad patrem perueniret.* Obsunt creaturæ paternorum præceptorum transgressoribus, ne potiantur paternis accessibus. Quando enim transgressor non fuit creaturarum duritiem expertus in accedendo ad Deum? Acceperat mandatum Dei Ionas, quod minime sustinens c. 1. *Surrexit, vt fugeret in Tharsis à facie Domini.* Sed tempestate præpeditus mittitur in mare, à ceto absorbetur, cuius in ventre ad Dominum cõfugit. Quippè ait c. 2. *Et orauit Ionas ad Dominũ Deum suum de ventre piscis.* Ecce tibi vt contemptor diuinorũ præceptorum, tandem reuertit ad Dominum, & facilem Dei aditum obtinet. Sed notandum est, qualis redeat; redit enim vt captiuus duris creaturarũ vinculis oppressus, & multis præpeditus compedibus. Pulchrè enim ait D. Basil. Sel. orat. 20. *Tribulibus intempestiuè parens Ionas fugit mittentem. Verũ ignorabat à ceto deprehensum se captiuum iterum Domino esse sistendum.* Fugiebat rebellis Ionas, ne Dei obediẽs præceptis præiudicium suæ gentis videret, at ignorabat, quanta habeant inobedientes in creaturis impedimenta, nã vel omnino impediunt, ne ad Deum accedant, vel faciunt, vt tanquam captiui, compedibus præpediti, catenis ligati accedant. Solius enim obedientissimi testimonium est, quod nulla creaturarum impedimenta sentiat, vt ad Deum accedat. Vt dicat Ecclesiastes c. 8. *Qui custodit præceptum, non experietur quicquã mali.* Imo vt de fulminibus ait Iob, facilem habebit ad Deum accessum. Sic enim dicit c. 38. *Nunquid mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent tibi, Adsumus?* Facit equidem prompta obedientia in Dei militibus, vt post perfectum mandatum, nihil vereantur, nullam difficultatem habeant Deo se sistendi imperanti. Quo insigni extollebat suos Dominus per Zachariam c. 9. fatus: *Et circumdabo domum meam ex iis, qui militant mihi, euntes, & reuertentes.* Ecce perfectissimorum Dei seruorum insigne, nimirum, *euntes, & reuertentes*, quò enim ad opus exequendum, & nullum sentientes impedimentum prompti, & alacres inueniuntur in redeundo ad Deum.

Egesipp. — 2. Reg. 18. — Egesip. — Basil. Sel. — Ecclesi. 8. — Zach. 9.

Exod. 19. Vocauitque eum Dominus de monte, & ait: Hæc dices domui Iacob, & annuntiabis filiis Israel: Vos ipsi vidistis, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi. Si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis. Mea est enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta, &c.

§. II.

Ille princeps facilius omnium dominatur, qui nulla rapitur auaritia.

VIde rationem à Deo propositam, vt sibi Israelitarum subiiciat animos, nimirum: *Quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi.* Non enim otiose meminit aquilas in portandis suis filiis. Et quando vniuersæ volucres suos filios portant, illisque maxime indulgent, cur Dominus relictis aliis, se aquilis comparauit? Cur in sua gubernatione voluit potius referri aquilarum erga filios portandos charitatem? Ait Lippoman. *Commemorat se portasse populum ex Ægypto more aquilarum gestantium dorso, & alis pullos suos, præter morem aliarum auium, quæ illos pedibus, quo volunt, portant.* Compone aquilam cum cæteris auibus in portando filios; & auis omnis, & aquila filios portat ad tutiora receptacula, sed aliæ aues pedibus suis pullos capiunt; qui dum portantur, necessum est, vt simul matrum portantium vngues experiantur. Sola aquila sic portat dorso filios suos, vt ipsi prorsus nesciant, an habeat vngues mater. Quare bonus rex in regno suo fundando, vt sibi magis obstringat subditorum animos, aquilam se exhibet, sic suis prospiciens, vt nullos subditi in eo vngues experiantur. Proteguntur equidem homines a principibus, & ad tutissima loca transportantur, sed sic transportantur, vt transportatoris, defensorisque vngues sentiant, in exactionibus, & tributis quotidie multiplicatis. Hinc murmura, hinc querelæ subditorum male ferentium vngulas defensoris. Quod in regno suo cauens Dominus, ad morem recurrit aquilarum, sic se in suis tutandis exhibens, vt nihil ab illis capiat, quo sibi magis eorum obstringat animos. Crede mihi, ille princeps sibi omnium rapit animos, in quo nihil rapacitatis, nihil auaritiæ, nihil prætextæ apparet necessitatis. Verus noster Dominus, & rex Iesus, vbi mundum vniuersum expugnare satagit, sibique adscribere, crucem ascendit. Et ait D. Luc. cap. 23. *Crucifixerunt eum, & latrones, vnum à dextris, & alterum à sinistris: Diuidentes autem vestimenta eius, miserunt sortes.* Ascenderat equidem crucem sine vestibus, prorsus apparens nudus. Et cur bonus Rex, & Dominus eam elegit mortem, in qua sine vestibus nudus occumberet? Moriebatur vt mundum expugnaret, vt ad se omnium traheret animos, & ideò nihil eorum voluit sumere. Ait D. Thom. in cat. ex D. Ambrosio: *Refert considerare, qualis crucem ascendat, nudum enim video; talis ergo ascendat, qui sæculum vincere parat, vt sæculi adiumenta non quærat. Victus est Adam, qui vestimenta quæsiuit, vicit ille, qui tegumenta deposuit.* Compone Christum, & Adamum, vtrumque creaturarum corporalium principem. Christus non habuit manus, quibus vel vestem caperet, qua abiret è mundo; Adamus manus extendit ad fructus, quibus vesceretur, ad folia, quibus indueretur. Quid inde? Verus rex noster, vbi nil tulit de mundo, expugnauit mundum, omnia trahit ad seipsum: Adamus autem, qui & fructus, & folia capiebat prætextu cibi, vestitusque, omnium subiectorum obedientiam amisit. Huc spectans Ecclesiastes cap. 4. ait: *Melior est puer pauper, & sapiens, rege sene, & stulto:* quibus vt sapienter notat noster Pineda, non sit respectus ad corporales ætates pueritiæ, seu senectutis; sed ad virtutes animi, vt puer sit instar Saul, de quo dicitur 1. Reg. cap. 13. *Filius vnius anni erat Saul, cùm regnare cœpisset*, hoc est, sic malitiæ expers, vt puerulus anniculus. Senex autem rex & stultus dicitur instar illius diuitis auarissimi, cui Luc. cap. 12. inquiunt: *Stulte hac nocte repetunt animam tuam.* Compone modo regem puerum malitia, & pauperem cupiditate, vt nihili æstimet diuitias, cum rege sene, & stulto, qui totus fit in trahẽdis sibi diuitiis; vter melior, vter conducibilior, vt imperium fœlicissimũ afferat sibi? Proculdubio pauper ille diuitiarum contemptor, & regno sibi afferendo, & subditis erit vtilior. De Osiride Ægyptio rege ad regum exemplar effirmato aiebat

Lippom. — Luc. 23. — D. Thom. — Ecclesi. 4. — 1. Reg. 13. — Luc. 12.

D.Synes. D.Synes.lib.1. de prouid. *Cæterum diuitias ipse quidem neglectui habebat; alios vero, vt quam amplissima essent omni cura, ac diligentia prouidebat; vir vt in accipiendis muneribus restrictissimus, ita in dandis munificentissimus, liberalissimus. Tributa siquidem ciuitatibus remisit, & in egenos largitione vsus est, cunctaque quæ diruta, ac prostrata erant, refecit; aut iam labentia, atque inclinantia restaurauit; ciuitates quas ampliores, quas venustiores reddidit, nouas aut extruxit penitus, aut desertas ciuibus frequentauit.* Sic in desertis etiam vrbibus frequentiam faciebat ciuium contemptor diuitiarũ, ab omnique rapacitate, & auaritia alienus princeps.

§. III.

Quo beneficentior princeps, eo potentior ad sibi regna asserenda. Vbi de potentissima Christi gratia.

AIt Dominus in præsenti: *Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum; eritis mihi in peculium de cunctis populis. Et eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta.* Prius petit, vt mandata Dei seruent, & pacta omnia custodiant, vt deinde fiant populus Dei, regnum sacerdotale, gens sancta. Et quid mirum quod de legis diuinæ obseruatoribus fiat gens sancta, regnum sacerdotale, Dei populus? Longe maius ait Petrus 1.epist.2. de Christianis temporibus: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, & populus acquisitionis; vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum, &c.* Non quidem de legis obseruatione, sed de tenebris impietatis nos Iesus transtulit in eam claritatem, qua diceremur regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Et cur Deus, qui in Moyse expectauit, & petiuit prius legum obseruationem, & non nisi de obseruatoribus legis fecit regnum sacerdotale, gentem sanctam; in Christo, non de obseruatoribus, sed de contemptoribus, & tenebrosis hominibus fecit esse & gentem sanctam, & sacerdotium regale? Sanè in Moyse, & beneficia Dei in educendis Israelitis, & simul Ægyptiorum supplicia proponebantur, dicit enim in præsenti: *Vidistis, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portauerim vos, &c.* In Christo autem sola beneficentia, eaque largissima absque suppliciis ostendebatur, quæ & potentior est, vt vel de tenebris lucem faciat. Ad hæc D.Basil.Sel.orat. 25. ait: *Moyses Hebræorum doctor Dei cognitionis disciplinam Iudæorum filiis traditurus, discipulorum animos Ægyptiorum suppliciis ante percellit. Verum Dominus noster Iesus Christus restitutionem Apostolorum choro promulgans, non quibus alios punierit, iis ipsos docet, sed miraculorum & humanitatis suæ fontes patefaciens, & commune valetudinarium aperiens miraculorum vi, quasi manu ducit animos ad Dei cognitionem.* Vt Dominus Iesus pura, & larga vtitur beneficentia ad trahendos animos, non suppliciorum rigores statim, sed beneficiorum aperiens thesauros; sic de contemptoribus fecit sanctos; de cæcis, tenebrosisque hominibus & videntes, & splendentes fecit stare. Vt merito dicat Psalm. 17. *Disciplina tua correxit me.* Alij legunt apud Genebrardum: *Mansuetudo tua multiplicauit me.* Non est medium aliud: sit in principe mansuetudo, quæ omnibus benefaciat, & vel de rupibus faciet subditos sibi adstrictissimos. De Osiridis beneficentia locutus D. Synesius lib. 1. de Prouid. ait: *Vt vno verbo dicam, nulla cuiquam res pro merito defuit; nisi si cui malum aliquod debebatur, cum eo vero pro merito ratione non agebat, id enim magno studio efficere nitebatur, vt morum humanitate, & beneficiis etiam impudentissimos homines emendaret, ac sibi demereretur.* Sic humanissimus princeps dissimulato supplicio, & agens beneficiis, etiam de impudentissimis, improbissimisque sibi faciebat amicos. Est enim beneficentia omnium potentissima, vt vel rupes in homines transmutet. Quæ enim iniquitas resistere poterit potestati benefici principis? Dixerat Paul. ad Galat. c. 4. *Vbi venit plenitudo temporis misit Deus filium suum.* In qua temporis plenitudine merito intelligit D. Bern. plenam bonorum temporalium potestatem, quando temporalia omnia magis vigebant, imo magis aduersus Deum vigebant. Et mirabar, quod tunc Christus voluerit venire, quando temporum malitia plenior, & potentior erat. Et cur tanta malitia expectabatur, vt se nobis communicaret filius Dei, nisi vt eius beneficæ virtutis efficacia ostenderetur potens vel de pessimis hominibus sibi sanctissimum, regalissimumque imperium asserere? Aiebat D.Prosp. lib. 2. de vocat. Gentium cap. 15. *Non priora, quasi incapacia declinata sunt tempora, sed ista electa, quæ tales populos ediderunt, quorum ferox, & voluntaria iniquitas, non consulendo affectu, sed intentione saeuiendi persisterat facere, quæ manus Dei, & consilium decreuerunt fieri, vt mirabilior esset gratia, & potentia Dei, quæ de tam duris animis, tam tenebrosis mentibus, tam inimicis cordibus fecit sibi populum fidelem, subditum, sanctum.* Expende miraculum gratiæ filij Dei, quæ nacta homines prorsus exleges, feros, crudeles, Dei hostes, ex illis sibi fecit electum populum, regale sacerdotium, sanctam gentem. Sic potest beneficentia facere de mediis tenebris lucem splendescere. Accinit Paul. ad Titum cap. 3. *Eramus aliquando & nos insipientes, increduli, errantes, seruientes desideriis, & voluptatibus variis, in malitia, & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem. Cum autem benignitas, & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.* Quid malitia, & inuidia, & crudelitas, & perfidia cum salute? Vnde tot repugnantiæ vitiorum constringi potuerunt, vt homines ad perfectionis culmen adducerentur? An quia prius in obseruantia legali floruerunt? Absit, sed apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris, potens feras in Angelos conuertere. Ait D.Prosper. vbi supra: *Fremebant gentes, irascebantur populi, sæuiebant reges, & potestates contradicebant, superstitiones, & totius mundi reluctabantur errores. Sed de resistentibus, furentibus, persequentibus, populum suum Christus augebat, & per vincula, ac supplicia sanctorum fides roborabatur, vincebat veritas, perque omnem mundum Dominici agri segetis multiplicabatur vbertas.* Ecce tibi, quod potuit benignitas, & humanitas Saluatoris manifesta, de exlegibus hominibus fecit viros, qui per cruces, per mortes euolarent, vt suo Saluatori iungerentur. Ex quo Sidon. Apollin. lib. 7. epist. 4. ait de Præsule præstantissimo: *Testis est Vindicius noster, qui segnius domi pro munificentia vestra sæpe remeauit, quoquo loci est constanter affirmans, non esse vos amplius dignitate, quam dignatione laudandos. Prædicat sanctas, mellitas, & floridas, quæ procedunt de temperata communione, blanditias; nec tamen ex hoc quicquam pontificale deperire personæ, quod sacerdotii fastigium non frangitis comitate, sed flectitis. Accipite consitentem; suspicio quidem nimis seueros, & imbecillitatis meæ conscius æquanimiter fero asperos mihi; sed, quod fatendum est, hisce moribus facilius humilitate submittimur, quam familiaritate fruimur. In summa, viderit, quæ conscientiæ dote turgescat, qui se ambientibus rigidum reddit; ego tamen morum illius æmulator esse prælegerim, qui etiam longe positorum iactare in se affectat affectum.* Merito maximi iudicij vir in Præsule pluris æstimat benignam comitatem, & beneficentiam, quam rigidum seueritatis affectum.

Exod. 19. Venit Moyses & conuocatis maioribus natu populi, exposuit omnes sermones, quos mandauerat Dominus. Responditque omnis populus simul, cuncta, quæ locutus est Dominus, faciemus. Cumque retulisset Moyses verba populi ad Dominum, ait ei Dominus: Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum.

§. IV.

Periculosum est, quod à te in futurum faciendis nimis fidas.

NOn dubitat populus in futurum magna promittere: ait enim: *cũcta, quæ locutus est Dominus, faciemus.* In nullo dubitat, & sic fidunt faciendis à se in futurũ, vt nullum vereantur periculũ, nullam infirmitatem timeant, nullum auxilium precibus solicitent. Et quid posset portendere tanta cõfidentia in futuris, nisi imminentẽ iam istius populi ruinã? Simile quid inuenio in Petro Matt. 26. vbi ait ad Iesũ: *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquã scandalizabor.* Sic non metuebat tentationes, sic non æstimabat pericula, vt de faciendis in futurũ indubitanter assereret. Cur Petre non magis caues futuras occasiones? Cur non meministi infirmitates hominum, qui hodie validissimi cum sint, in futurorum euentibus quasi infirmissimi labuntur? Cur cũ audis pericula imminentia, non magis curas solicitare auxilia, & præsentanea prece rogare pro firmitate futura? Sanè iã ibi parabatur Petri ruina, cum sic indubitanter futuris fidit. Ait D.Chrysostom. homil. 83. in Matth. *Cum dicendum esset, opem nobis feras, ne scandalizemur, è contrario nimium sibi arrogans inquit: Non scandalizabor. Ita has res sensim eum ad terrenum, & insolens crimen deuehebat.* Nõ debebat sic fidere futuræ dispositioni suæ inter adhuc ignotas occasiones; vt non tangeretur aliqua præsenti

cura

1.Pet.2. — Basil.Sel. — Psal.17. — D.Synes. — Galat.4. — D.Prosp. — Ad Tit.3. — D.Prosp. — Sid.Apoll. — Matt.26. — Chrysost.

cura, qua precibus auxilium solicitaret. Et dum in præsentiarum nullas fundit preces, non solicitat diuinũ auxilium; sed de futuris certissime statuit, hæc res illum sensim trahebat, vt inuolueretur fluento peccati. Proh communissimum hominum malum! Innumeri sunt, qui cum deberent semper soliciti esse de salute, diuinaque auxilia quotidianis precibus, quotidianis virtutum operibus ad futurum vitæ tempus solicitare, omnia præsentia negligunt, certissime statuentes, & absque omni dubio, quod in futuro facient. Fallar nisi res hæc innumeros homines ad extremam ruinam rapiat. Quis enim non pereat ex iis, qui sic indubitanter fidunt rei ex futuris adhuc euentibus constanti? Petro dicebat Dominus Luc. 22. *Luc. 22.* *Ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticũ; ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Non rogauit Dominus ne Petrus negaret, sed ne penitus euanesceret eius fides, quod sanè fieret, nisi Dominus pro illo rogaret. Sed cur cũ omnes discipuli eodem modo expetiti essent à Satana, & tentationi traditi, Iesus pro vnius fide Petri rogauit? Cur non pro omnibus, sed pro Petro solo? Solius Petri in se perditionis peior erat causa; vt qui de faciendis à se in futurum confidit magis, nullam rationem humanæ infirmitatis, & periculorum habens. D. Chrysost. vbi supra fatur: *Chrysost.* *Curnam, si omnes expetiit, pro omnibus non deprecatus est? Patet bene, quod diximus, quia vehementius eum tangens, & ostendens malis peiorem esse, quam aliorum lapsum esse, ad eum conuertit orationem.* Equidem maior semper ruina venit de nimia confidentia in futuris, quam de aliis. Quodlibet malum aliud vt præsens est, potest etiam præsenti medicina curari; at nimia cõfidentia remedia tollit, sic relinquit malum ineuitabile. Felix ille, qui non sic in futuris cõfidit, sed magis curat præsentibus operibus cum Deo negotiari. Sic Psal. 60. fatur: *Psal. 60.* *Sic psallam nomini tuo Deus in sæculum sæculi; vt reddam vota mea de die in diem.* Expende, quod sibi præscribat tempus faciendi, nimirum, *de die in diem*, non in futurum, sed singulis diebus se Deo vacare testatur, quo nullum timet euentum venturum. Pulchrè ait D. Valerian. hom. 4. in hæc verba: *D. Valer.* *Nunquid dixit de anno in annum, sed dixit de die in diem? Omni ergo die operandum nobis est, dilectissimi, debitum autem Deo, & promissum munus non est tempore prolongandum. Nihil futuræ iudicio debet, qui quotidie vota persoluerit; nec est vnde rationem in posterũ præstet, qui de die in diem Domino bonorũ operum fructus iusto labore dotatus obtulerit.* Sic firmat suas spes, qui non in futuris, sed in præsentibus nititur, & dum nihil reseruat in posterum, futura omnia potius formidat. Quò trahenda sunt plura ex tomis in Euangelia; præcipuè quæ tom. 1. lib. 6. c. 3. §. 37. dicuntur; & tom. 2. lib. 4. c. 4. §. 13. & alibi.

§. V.

Amat Deus laborum nubila, quæ in serenum decidunt.

QVi lucem habitat inaccessibilem Deus, non detrectat Moysi apparere in caligine nubis, sic enim modo fatur: *Veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus, &c.* Et cur Deus lucis amator, & conditor nõ magis horret caliginem? Qui reprobos spiritus, suosque hostes æternæ tradidit caligini, cur modo ipse in caligine venit? Sanè; vt populus Israel à caliginosa Ægypti terra, caliginosa, & tenebrosa eductus apparuit in seruitute; vel ipse Deus non detrectat caliginem, quæ non impedit, quo minus eatur in lucem. Nota est Eliæ historia, quando in montem fugit, ibi erat, vt Deum alloqueretur. 3. Reg. 19. *3. Reg. 19.* *Et ecce Dominus transit, & spiritus grãdis, & fortis, subuertens montes, & conterens petras ante Dominum; non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio, non in commotione Dominus, & post commotionẽ ignis, non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis.* Et in sibilo suaui veniebat Dominus. Sic ibi contigit: verum Iob c. 38. dicit: *Iob 38.* *Respondens autem Dominus Iob de turbine, dixit, &c.* Ecce tibi coram Elia refugit Dominus esse in commotione, refugit esse in igne frementi, refugit esse in turbine, solum amat suauem, & dulcem sibilum auræ tenuis; verum coram Iob, non detrectat Dominus in turbine venire; quin potius approximans in turbine Iobo cum eo loquitur. Et cur in Elia fugit turbinem, quem amat in Iobo? In Elia persecutionum turbo multa mala fecerat, pene vniuersum Israelem separauerat à diuino cultu, vt destructis aris, templisque solus Elias relictus videretur. Sic turbo persecutionis vastauerat vniuersa & omnes in pœnam æternam inuoluebat. Non sic in Iobo, quem malorum turbo Deo coniunctiorem fecit. Vbi autem Deus turbines, procellasque nocẽtes videbat, ab illis abstinuit; vbi autem vidit in Iobo procellas, quæ non in malum, sed in bonum essent, iam amabit ipse vel in procellis videri. Ait D. Method. in cat. Græca: *D. Method.* *Quoniam turbo tempestatis est author, nec Iobi fides in tempestate malorum vllum naufragium fecit, sed multo magis eluxit, idcirco Deus, ad superiorũ ærumnæ procellam significandam, procellam item, dum loquitur, sumit.* Fuit equidẽ Iobo procella, & miseriarum caligo salutaris, adeo vt nihil in ea virtutis periret, sed omnia in melius irent: ideirco coram Iobo Dominus procellam intrat; nec detrectat turbinis caliginem, quam nouit non obesse, sed prodesse. Vt hinc nos discamus, quæ debeamus mala fugere; ea nimirũ mala, quæ à Deo separant, quæ æternam perditionem inferunt, & prorsus sustinentur inutiliter, ea prorsus fugienda nobis sunt; quæ autem vtilia sunt ad salutem, ea nõ fugienda, sed amplectẽda sunt, vt in quibus possit apparere Deus ipse. Crede mihi nihil æquè fugiendũ est, quàm mala inutilia; quod enim malum non trahit in peccatum, sed ab illo liberat; hoc malum vel à Deo ipso potest assumi. Id quod multis probãs D. Theodor. hom. de Nat. Christi habita in appendice 5. Conc. Ephes. c. 1. tandem finit: *D. Theod.* *Noli detrahere abiectioni, quæ tyrannus diabolica est destructio. Noli exprobrare, quia iussus est Deus palmus, per quas à peccatis homines liberauit. Non vincula Deo dicamus indigna, quibus vincula seruorum nequitia soluit. Noli vituperare crucem, quæ destruxit arma. Noli despicere clauos, quibus Christus orbem terrarum ad vnum sensum pietatis infixit.* Nullum puræ pœnalitatis malum censetur Deo indignum, si in triumphum, & non in damnum mutandum sit. Hinc Matt. 20. *Matt. 20* *Ecce ascendimus Hierosolymam, & filius hominis tradetur principibus sacerdotum, & scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget.* Scit Iesus sibi Hierosolymis manere verbera, opprobria, mortes, & intrepidus contendit ad illa. Non sic apud Bethlehem, imo cum Herodes fureret, mortemque puero pararet, statim Angelus ad Ioseph Matth. 2. ait: *Matth. 2.* *Accipe puerum, & Mariam matrem eius, & fuge.* Ad mortis odorem fugæ se dedit Iesus, & à cœlestibus omnibus vocatur ad fugam. Cur modo fugitur mors simplex ab eo Domino, qui supra ad flagella, ad opprobria, ad mortem intrepidus ibat? Sanè ibi finiendæ erant mortis iniuriæ cum clarissimo resurrectionis triumpho, ait enim: *resurget tertia die*, at in præsenti nullus erat decretus triumphus infanti occiso, ne miremur, quod amplectatur Deus iniurias, quibus triumphat; & fugiat illas, quibus nullus triumphus datur. Ait D. Chrysol. ser. 150. *Chrysol.* *Christus fugit, vt cedat tempori, non Herodi. nec enim mortem fugit, qui venerat de hoste reportare victoriam. Christus, si mactatus in illo grege lactentium tunc fuisset, mors ei casus fuerat, non voluntas, non virtus fuerat, sed infirmitas, maiestatis gloria non fuisset.* Vbi reportanda victoria erat, nulla mors, nulla iniuria à Deo fugitur; vbi autem nullus triumphus apparet, sed infirmitas, fugiendæ ibi sunt vel malorum vmbræ. Huc traho Tertull. lib. 2. in Marcion. vbi ait: *Tertul.* *Deus non potuit humanos congressus inire, nisi humanos & sensus, & affectus suscepisset, per quos vim maiestatis suæ intolerabilem vtique humana mediocritate, humilitate temperaret, sibi quidem indigna, homini autem necessaria, & ita iam Deo digna, quia nihil iam Deo dignum, quam salus hominis.* Sic dum abiectio secundum se consideratur, indigna Deo est; vbi autem consideratur, vt necessaria saluti humanæ, iam Deo dignissima iudicatur.

Exod. 19. Vade ad populum, & sanctifica illos hodie, & cras, lauéntque vestimenta sua, & sint parati in diem tertium. In die enim tertio descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai. Constituesque terminos populo per circuitũ, & dices ad eos: Cauete, ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius. Omnis, qui tetigerit montem, morte morietur. Manus non tanget eum, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis, siue iumentum sit, siue homo, &c.

§. VI.

Tunc te diuinis excipiendis maximè aptas, cum Dominicæ passiones in te aliquid exhibes.

TRiduana præparatio requiritur in his, ad quos Deus accedat; ait enim: *Sanctifica illos hodie, & cras, & sint parati*

parati in diem tertium. Cur in diem tertium? Ne Deum expectent sine aliquo passionis Dominicæ opere, quæ fuit in triduo perfecta. Tunc enim satius quis disponitur ad diuina recipienda, cum se in operibus conformat passionis Dominicæ sacramento. Hinc Marc. 8. dicitur: *Cum turba multa esset cũ Iesu, nec haberent, quod manducarent, conuocatis discipulis ait illis: Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me.* Non antea Iesus de misericordia facienda turbis loquitur, quã illas vidit tribus diebus ieiunas. Et cur expectauit ieiunium trium dierum, nisi quia in triduana illa patientia, sese conformabant Dominicæ passionis triduo, per quod ad nos descendit misericordia diuina? Ex quo D. Hilar. canon. 15. in Matth. ait: *Ordo igitur idem in sermone Domini est, qui in consequenda gratia manet. Ad verborum sponsionem, quadam rerum ipsarum veritas consequatur, toto in ieiuniis passionis Dominicæ tempore demorantes, quadam Domino compassionis societate iunguntur. Et huius spei, atque comitatus Dominus misertus ait, triduum secum esse.* Hic est ordo legitimus pro recipienda Dei gratia, ne totus homo hæreat verborum promissionibus, sed opera verbis addat. Et quæ opera? Ea nimirum quibus conformis Iesu passo fit, vt totum passionis illius tempus, nimirum, triduum, & nos in pœnalibus exercitiis agamus, cuius comitatus memoria Deum stimulabit, vt in nos effundat fluenta gratiarum. Quo spectabat illud Ionæ c. 2. de quo dicit: *Et erat Ionas in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus. Et orauit Ionas ad Dominum Deum.* Antequam labia moueat in Dei laudes, dicitur Ionas fuisse in ventre piscis tribus diebus, & tribus noctibus. Triduum sustinet arctissimi carceris, & sic audet animum in oratione ad Deum leuare. Et merito nec ad os trahit Deum, antequam tridui patientia eius in se repræsentet mortem, & sepulturam. Ait enim D. Basil. Seleuciensis orat. 13. *Ionas malorum tolerantia Christum est potius imitatus, quàm verbis prædicarit: nec verbis Domini sepulchrum prædixit, sed in ceto sepultus, & post triduum sine noxa redditus omnes docuit mortales de sepulchro vitam erumpere.* Ecce tibi, vt in triduana malorum tolerantia Iesu mortem imitabatur, & eius resurrectionis triumphum prægustauit. Vbi enim non verbis solum, sed veris operibus tolerantiæ Christum referebat, maximè instruebatur, & vitam in se capere, & aliis annunciare. Validissima est tridui Dominicæ mortis repræsentatio ad hoc, vt vel totus mũdus instruatur, vt ingentia Dei beneficia capiat. Sic Ionas ipse ingressus Niniuen, dum clamat iuxta Septuag. c. 3. *Adhuc tres dies sunt, & Niniue subuertetur,* ad hanc vocem commota ciuitas per totos tres dies pœnitentiam egit, & quid non obtinuit triduum pœnitentiæ? Sane vt in triduo exprimebatur Dominica sepultura, sic per triduam pœnam tota ciuitas se aptauit, vt misericordiam reciperet ex Deo. Ait D. Ephrem serm. de Pœnit. *Tribus diebus Ionas prædicauit. Tres dies saluator in sepulchro egit & tres noctes, vt ostenderet etiam peccatores, qui tenebris obducti sunt, resurrecturos. O pœnitentiæ gratiam, quoniam mundum tribus diebus instruxit.* Ecce tibi quid potest tridui pœnitentia triduanæ Christi respondens sepulturæ; potest mundum ipsum instruere, vt Dei misericordiam recipiat.

Mar. 8.
D. Hilar.
Ion. 2.
Basil. Sel.
Ion. 3.
D. Ephr.

§. VII.

Triduana in virtutibus exercitatio fausta est volenti ex Deo salutem trahere.

VSque in tertium diem iubentur Israelitæ parari per sanctificationem, & vestium ablutionem, vt Dei excipiant magnalia. Sic enim dicit: *Sanctifica illos hodie, & cras, lauentque vestimenta sua, & sint parati in diem tertium.* Et quando trium dierum exercitatio in virtutibus non fit fausta, & auspicata hominibus? Attentem nuptialem mensam apud Cana Galilææ rigauit Dominus Ioan. 2. educto ex aquis vino, conuiuis gratissimo; simul & famelicos homines supra quinque millia satiauit paucis panibus inter illos distributis Ioan. 6. Neque hoc semel, sed iterum Marc. 8. dicit: *Cum turba multa esset cum Iesu, nec haberent quod manducarent, conuocatis discipulis, ait illis: Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, &c.* Ecce tibi vt iam misericordia diuina accingitur ad repetendum miraculum panum, vt tribuat hominibus. Sed nũquam repetiuit miraculum vini: cur ergo noluit secundò facere miraculum vini, cum miraculum panum faciat secundò? Aut quo merito adductus est, vt secundò panes multiplicet? Ipse ait: *Quia ecce iam triduo sustinent me.* Vbi triduana inuenta fuit exercitatio virtutum, non se amplius continuit misericordia diuina, quin in salutem hominum prosiliret. Ait Victor

Marc. 8.

Antioch. ibi: *Verum autem escas multiplicauerat, ita nunc denuo idem signum instaurat vtrobique commoda ratione. Ea erat præsenti loco, multa plebis, quæ eum sequebatur, perseuerantia. Nam triduo, vt hic scribitur, illum iam sustinuerat.* Vbi tridui sustinentia in virtute apparuit, simul & ratio apparuit efficax pro diuina misericordia sollicitanda. An negabit se Deus clamoribus triduanis? Seuerissimus ille vates Ionas c. 3. sic iuxta lectionem Septuag. ad Niniuitas clamabat: *Adhuc tres dies sunt, & Niniue subuertetur.* Et cur subuertendæ tantæ ciuitati solus terminus trium dierũ datur? Sanè triduum subuersioni præfigitur, quia si resipiscerent, in ipso termino tridui spem salutis conciperent. Quò spectans D. Ephrem serm. de Pœnitentia, inquit: *Soluite, inquit Dominus, templum istud, & in tribus diebus suscitabo illud. Et pœnitentia dicit Niniuitis: Adhuc tres dies, & Niniue subuertetur. Oppone sermonem sermoni, ac verbum verbo, & in Christo comperies explicata pœnitentiæ verba. Ille suscitare promittebat, & hic euersionem comminabatur. Non minus terruisset pœnitentia, nisi futurum esset, vt sanaretur. Non excitasset Christus ciuitatem peccantium, nisi resipiscentiæ eorum spes fuisset.* Eo enim ipso, quod peccatrix ciuitas per triduum excitaretur ad pœnitẽtiam, illamque ageret in cinere, & cilicio, iam non ad euersionem pertinebat, sed ad suscitationem per Christum. Visebatur in triduo designato à propheta ad mortem, & triduum designatum à Christo ad vitam. Nequibat ergo fieri, quod triduo pœnitentes non conciperent spem salutis, quæ pertinerent ad Christum. Vnde de iis tribus diebus locutus D. Basil. Sel. orat. 12. inquit: *Angustus dierum terminis comminatio concluditur, lata autem via ad pœnitentiam aperitur.* Latissima enim est via trium dierum, & faustissima pro negotianda salute.

Ionas 3.
D. Ephr.
Basil. Sel.

§. VIII.

Diuinitatis vbi notitia infundebatur, & Trinitatis dabatur signum.

VEnturus Deus in montem Horeb, ibique sese Israelitis manifestaturus triduanam in illis præparationem prærequirit, dicens: *Et sint parati in diem tertium. In die enim tertio descendet Dominus coram omni plebe, &c.* Et cur in die tertio, nisi vt aliquod etiam signũ Trinitatis exhiberet? Solebat equidẽ, Deus vbi se manifestabat, aliqua etiam signa præsentissimæ Trinitatis exhibere. Sic Gen. 18. existens Abrahã in ostio tabernaculi sui, *Cũ eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum. quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, & adorauit in terram.* Proculdubio, quem sic adorat vir sanctus, Deum esse præsentit. Sed quando Deus erat, qui apparebat, cur in tribus viris se ostendebat? Ait D. Ambr. lib. 1. de Abraham c. 5. *Vide primo fidei mysterium. Deus illi apparuit, & tres aspexit. Cui Deus refulget, Trinitatem videt, nec sine filio Patrem suscipit, nec sine Spiritu sancto filium confitetur.* Expende illa: *Cui Deus refulget, Trinitatem videt,* quippè non loquitur de expressa, & clara Trinitatis notitia, sed de aliquibus eius signis, cum quibus semper apparebat Deus, vt simul cum diuinitatis notitia haberentur etiam signa Trinitatis præsentissimæ. Hinc Ioan. c. 2. ait Dominus: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Cur in tribus diebus; nisi vt innueret in sui reuelatione Trinitatis notitiam? Ait D. Ephr. ser. de Pœnit. *Per tres dies mors soluta est, per tres remissio datur: quoniam & per tres dies resurrectio facta est. Poterant in momento, in ictu oculi, omnia fieri, ob mysterium Trinitatis intra triduum, hostem gratia ligauit, non quod impotens esset, citra eos (nimirum tres dies) agere, quæ oportebat; sed vt mysterium ostenderetur diuinitatis.* Ecce tibi vbicũque diuinitatis mysteria ostendebantur, etiam præsentissimæ Trinitatis signa dabantur, vt sic in vero Deo accepto, disponerentur etiam rationes ad distinctionem recipiendam personarum. Sic & Isaiæ c. 6. dum Deus super solium excelsum & eleuatum ostenditur, simul & Seraphini clamabant ter, Sanctus, Sanctus, Sanctus, ne diuinitas innotesceret, sine repræsentatione aliquali Trinitatis.

Gen. 18.
D. Ambr.
Ioan. 2.
D. Ephr.

§. IX.

Ea est castitas Deo grata, & propinqua, quæ vel in vestibus apparet.

DVo requiruntur ex Israelitis, vt Deo approximent, nimirum vt sanctificentur, & lauent vestimenta sua;

dicit

dicit namque: *Sanctifica illos hodie & cras, Lauentque vestimenta sua*; & per sanctificationem intelligunt communiter castitatis munditiem, tantam, vt à licitis etiam vxorum amplexibus abstineant. Id quod ipse Moyses insinuans, dum sanctificationis tradit doctrinam, inquit: *Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris.* In eo ergo populus sanctificatur, quod docebatur castitatis omnimodam munditiem tantam, quæ & abstineret à licitis. Et quando tanta animi corporisque mundities mandabatur, quid necessum fuit addere illud: *Lauentque vestimenta sua?* Quid vestium lotio intererat, vbi tanta mentis, & corporis præcedebat mundities? Et quando internæ sic erat nauanda opera munditiei, cur etiam requiritur de lauandis etiam vestimentis cura? Merito & vestium lotio petitur, vbi castitatis munditiès tanta in anima prærequiritur, quia castitas interna ita est apud Deum æstimationis plurimæ, quæ etiam in externis vestibus, ornatibusque exprimitur. Hinc de Ioanne Baptista, qui in nuptiarum tempore virginitatis coluit munditiem, dicit Mar. cap. 1. *Et erat Ioannes vestitus de pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos eius.* Cur Ioannes tam simplicem, & austerum vestitum de pilis camelorum, animalibusque emortuis confectum sibi habuit? Pulchrè ait Aymon. hom. 1. de communi confessoris: *Non erat de immundus; sed castitatem, quam in mente habebat, in ipso habitu corporis demonstrabat.* Ecce tibi & Christi, & Christianæ virginitatis præcursor, vt internam munditiem castitatis etiam præsefert in habitu, & facit, vt quidquid voluptati aduersum mente voluit, infigit animo, exprimatur etiam externo vestitu. Sic Paul. 1. ad Corinth. 6. dum pudicitiam persuadet, tandem finit: *Glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* Ex eo enim quod longè a lasciuia abscedamus, sic Deo propinqui sumus, vt illum gloriosè in corpore nostro portemus. Sed quæ illa erit lasciuiæ fuga adeò excellens, qua mediante in corpore nostro, quasi in glorioso curru Deus gloriosus appareat, & sublimis? De hoc respondet Tertul. Christianis virginibus lib. de habitu fœminarum, inquiens: *Quomodo ait Apostolus, magnificetur Deus in corpore vestro? Magnificatur autem, si per pudicitiam, vtique & per habitum pudicitia competentem.* Tunc Deo appropinquamus, tunc Deum, quantum in nobis est, extullimus, cum ea splendemus pudicitia, quæ vel ab ipso colluceat vestitu. Huc etiam respiciens D. Paul. 1. ad Timoth. 2. monebat fœminas. *Similiter, & mulieres in habitu ornato, cum verecundia, & sobrietate ornantes se, non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres promittentes pietatem.* D. Cyprianus legit: *Sed quod decet mulieres promittentes castitatem.* Et cur non deceat mulieres castas pretiosa, & aurea vestis? Nihil in iis vestibus apparet, vnde castitas, aut mentis, aut corporis internoscatur. Quippe ait D. Chrysost. hom. 8. in præsenti: *Hic habitus adulter est, atque adeò fœdus, vt meretrices, aut virgines fere discernere nequeamus. Simplicem esse, neque accuratè compositam virginem decet, neglegentiaque potius, quam eiusmodi cura notari. Quippè eiusmodi exterior ornatus ornamenta intima demolitur.* Mihi crede, non integra est pudicitia interna, quæ non internoscitur in vestitu; eo ipso, quod vestitus non habeat castitatem, & nō secernat virgines à meretricibus, vix credas in animo esse castitatis virtutem. Et meritò dicit Tertul. lib. de cultu fœmin. *Quanto blasphemabile est, si quæ sacerdotes pudicitiæ dicimini, impudicarum ritu procedatis culta? Aut quid minus habent infelicissimæ illæ publicarum libidinum victimæ? Quas si quæ leges à matronis, & matronalibus decoramentis coercebant, iam sæculi improbitas quotidie insurgens honestissimis quibusque fœminis vsque ad errorem dignoscendi coæquauit.* Et credas pudicas, quas vestitus non distinguit à meretricibus?

Marc. 1. — *Aymon.* — *1. Cor. 6.* — *Tertul.* — *D. Paul.* — *D. Cypr.* — *Chrysost.* — *Tertul.*

§. X.

Non statim euolandum ad summa.

ETiam post sanctificationem, & lotionem vestitus non admittuntur Israelitæ ad montis cacumen, vbi Deus erat, sed iubentur contineri iuxta montis radices. Sic inquit: *In die tertio descendet Dominus coram omni plebe supra montem Sinai. Constituesque terminos populo per circuitum, & dices ad eos: Cauete, ne ascendatis in montem, &c.* Siccine debet esse sanctorum via, quod non statim euolent ad culmina; sed in planis, & facilioribus amplius consistant? Ille sanè tutius agit, qui in minoribus sese exercens expectat vocari ad culmina. Cum Abraham Gen. 18. eleuasset oculos: *Apparuerunt ei tres viri stantes prope eum, quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, & adorauit in terram.* Adorauit, inquam, vnum, vt ait Apostolus, quem Deum Deique filium nouerat, & domi excepit, & conuiuio honorat. Magna Abrahami pietas; sed maior Dei dignatio, qui voluit in hominis tuguriolo hospitari. Et cur Deus hospes venit ad Abrahamum? Ait pulchre Tertull. lib. de Trinit. *Quod erat futurus, meditabatur in sacramento, Abraha factus hospes apud Abrahæ filios futurus.* Equidem, qui decreuerat Deus inter Abrahæ filios numerari, prius hospes accessit ad domum Abrahæ, prius inter eius hospites voluit & numerari, & commorari. Non subito filium sese Dominus ostendit Abrahæ; sed prius inter hospites agit, & sicut hospes eius limina pulsauit, hospitio vsus est, & tandem eius filius apparuit de virgine nascens. Sic bonus Dei æmulator, non ad suprema filiorum Dei subitò aduolet, sed prius in minoribus maneat, ibique se contineat, vt postea perueniat ad magna. Sic vbi Iesus discipulos suos, & sæculari, & diuino conuiuio excepit, vbi omnes in circuitu mensæ suæ habuit, adimplens illud Psal. 127. *Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* Surgit à cœna Matth. 26. *Et hymno dicto exierunt in montem Oliueti.* Cur Domine in montem Oliueti cum tot oliuis pergis? Cur non magis in domum Dei, in templum sanctum abis, vt ibi oliuæ discipulorum tuorum transplantatæ, & regna mundi prorsus abdicent, & diuini amoris enutriant flammas? Nonne illos spectat Psal. 51. aiens: *Ego quasi oliua fructifera in domo Dei, &c.* Quod si in domo Dei aliquando, cur non modò? Adhuc nouellæ erant nutriendæ, & in monte excolendæ, vt inde ad domum Dei cum ingenti fructu possint transplantari, non enim statim in summu sunt collocandi. Ait Origen. hom. 35. in Matt. *Nondum sunt facti quasi oliua fructifera in domo Dei, sed sunt adhuc quasi nouella oliuarum in circuitu mensæ patris sui, & possunt esse in monte Oliueti.* Ecce tibi, vt discipuli Iesu non statim ad sublimia domus Domini munera rapiuntur, non statim in domo Domini oliuæ fructiferæ apparent, prius tenentur, vt nouellæ in circuitu paternæ mensæ, & quasi in monte plantantur, vt indè in sublimia domus Dei abeant. Quis nesciat, quam magna, quàm diuina, & supra hominis naturam fecit Deus in Abraham? Tamen Gen. 12. solum ait illi: *Egredere de terra tua, & veni in terram, quam monstrauero tibi. Faciamque te in gentem magnam, &c.* Sed non eo solum quod de cognatione sua exiret, reportaturus erat Abraham promissa; prius peregrinaturus erat in terra non sua, longamque vitam ducturus sterilis, & sine liberis, & tandem nactus filium amantissimum, illum erat quoad se Deo mactaturus, quod vt erat supra patris naturam, sic fuit Abrahæ facinus perfectissimum, absolutissimum. Cur ergo Domine illi statim non omnia hæc facinora denuntias? Cur non dicis, vt exeat à patria, vt longam sterilitatem lugeat, vt nactus filium mactet, & sic speret promissa? Absit hoc a vero virtutum magistro, qui non debet statim summa persuadere discipulis, sed facere, vt in minoribus sistant, vndè paulatim perueniant ad summa. Ex hoc dicit D. Chrysost. hom. 3. in 2. ad Corinth. *Primum quidem Abraham egressus est à terra, tunc verò ab ipsa cessit natura.* Minoribus contentus in principio, peruenit ad summa. Huc trahe dicta 1. *tom. in Euang. lib. 1. cap. 10. §. 4. & lib. 5. cap. 1. §. 3. & 19. tom. 2. lib. 6. cap. 1. §. 7. & lib. 7. cap. 1. §. 11. & tom. 3. lib. 15. cap. 10. §. 9. & tom. 4. lib. 16. cap. 3. §. 4.*

Gen. 18. — *Tertul.* — *Psal. 127.* — *Matt. 26.* — *Psal. 51.* — *Origen.* — *Gen. 12.* — *Chrysost.*

§. XI.

Diuina, & cœlestia nunquam non reuerentiam ingenerant.

ECce tibi, vbi Deus in montem descendit, quot leges reuerentiæ præscribit: *Cauete, ne ascendatis in montem, ne tangatis fines illius, &c.* Vbi sapienter Caietanus: *Pro reuerentia diuinæ præsentiæ constituuntur termini, ne quisquam accedat ad locum, in quo præsens est Deus.* Hoc habent semper cœlestia, & diuina, quod reuerentiam flagitent, illamque ingenerent omnibus creaturis. Ideò sustentaturus Dominus populum suum in deserto, non fecit panes de lapidibus, vt fecit aquas de lapidibus scaturire, sed maluit de cœlo panibus pluere. Ait enim Sapiens cap. 16. *Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti illis.* Cur panem de cœlo maluit adducere? Vt cœlum dans panem simul reuerentiam infunderet, quæ non potest non venire à cœlestibus, & diuinis. Ait D. Basil. Sel. orat. 19. *Reuerentia mollire machinatus duritiam tuam, superne cœlum alimentis tibi parandis vacabat.* Itaque factum est, vt cœlum curet de mittendis alimentis, vt sic reuerentia Israelitarum frangat duritiam, quando cœlestia, & diuina non possunt non reuerentiam infundere.

Sap. 16. — *Basil. Sel.*

fundere. Piscantibus discipulis apparuit Iesus rediuiuus Ioann. 21. de cuius præsentia certior factus Petrus, non dubitat se maris fluctibus committere. Ait enim textus: *Simon Petrus cum audisset, quia Dominus est: tunica succinxit se (erat enim nudus,) & misit se in mare.* Mirabar, quod sic properans veniret ad Christum, vt non sustineret nauigium, nec caueret fluctuum pericula, sed meminisset se tunica induere. Vndè illi venit in mentem tunicæ indumentum, quod potius exuendum erat, vt aquis se committeret? Equidem ad Dei præsentiam potuit quodcumque aliud non recordari, at reuerentiæ non potuit obliuisci. Ait D.Amb. lib. 10. in epist. ad Rom. cap. 18. *Impatiens desiderij, negligens captionis, immemor periculi, non tamen immemor reuerentiæ, vbi Dominum vidit in littore, veste se cinxit, ferum æstimans si cum cæteris nauigio perueniret.* Non potuit conspectus diuinus, diuina præsentia obliuionem reuerentiæ in adcò amico homine permittere. Sed quod mirere magis, vel in ipso proditore Iuda inuenta est reuerentia, vbi peruenit ad præsentiā Christi. Hinc miser Matth. 26. accedens ad Iesum, ait: *Aue Rabbi, & osculatus est eum.* Et cur miser oscularis, & magistrum vocas, & salutas hominem, quem perdis ob pretiū vilissimum? Ait Origen. hom. 35. in Matth. *Si causam quærat aliquis, cur osculo Iudas tradidit Iesum, hanc dabimus rationem. Quoniam secundum quosdam, volens reuerentiam quandam ad magistrum seruare, non audens manifestò in eum irruere.* Quasi non potuisset diuina præsentia, vel in perditissimo proditore aliqualem reuerentiam sui generare. Conueniant huc Christiani, & discant vel à Iuda diuinum conspectum vereri, & in sacris reuerenter stare.

D. Amb. — *Matt. 26.* — *Origen.*

§. XII.

Temporalis rigor eo tolerabilior apud cordatos viros, quo pluribus creaturis communior.

NOn solum homines, sed & iumenta premit legis seueritas, vt mortem inferat, siue homini, siue iumento montem attingenti, ait enim: *Manus non tanget eum, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis. Siue iumentum fuerit, siue homo, non viuet.* Et cur non solum hominibus transgressoribus, sed & iumentis horrendam mortis sententiam lex præscribit? Crediderim id positum esse ad leniendam legis seueritatem apud cordatos viros, quibus eo tolerabilior rigor reputatur, quo pluribus creaturis est communior. Quis enim cordatus vir non tolerabile putet, quod homo transgressor pereat eo scelere, quo vel iumentum trahitur in ruinam? Sanè de similitudine rigoris in aliis nunquam non venit aliquale leuamen in hac vita Matth. 13. aiebat Dominus: *Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. Quam, cum impleta esset, educentes, & secus littus sedentes elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.* Sub cuius parabolæ significatione pro comperto omnes expositores habent explicari extremi iudicij calamitates; vt nimirum sub eadem mundialis ruinæ sagena omnes homines ad finem trahentur; vt boni erunt inuoluti malis, imò vt mali tunc periculosiores tumultus agent, & magis bonos oppriment, affligent, vorabunt. Vt magni pisces in sagena conclusi magis fluctus agitant, duriorique verbere vicinos pisciculos mactant. Sed cur Dominus oppressionem parui pisciculi cum magno conclusi in sagena, componit cum oppressione, quam boni patientur ex malis cadente mundiali machina? Crediderim voluisse Deum de similitudine oppressionis leuamen trahere iis, qui opprimentur à tyrannis, qui similia videntes in piscibus maris tolerabile putant, quod ipsi ab impiis opprimantur. Pulchrè ad hæc ait D. Petrus Chrysol. serm. 47. *Quia sæculi vicinus est finis, & ad iudicij littus captura nostra retia iam propinquant, pisces, hoc est, homines fine propinquitate turbati, tota se rerum dispensatione collidunt: videntes impias gentes triumphis succedentibus ampliari; angustiari captiuos toto orbe populos Christianos, pios malorum continuata successione calcari, omnemque naturæ statum, & vitæ ordinem deperiisse. Sed hæc cum ita sint, fortes non turbant, fortes turbare non possunt, qui sumunt vires de similitudine, fortitudinem de figura.* Expende illud: *Sumunt vires de similitudine, &c.* Quippè similitudo calamitatis vel in piscibus visa vires ministrat prudentibus ne cadant animo in sua, sed tolerabilem putēt, quæ est tot, tamque variis creaturis communis. Hinc magnus Basil. orat. 14. de morte putat legem mortalitatis debere suauiari hominibus, quod hæc simul premat omnes creaturas. Ait enim: *Circumspice omnem hanc mundi machinam, nonne omnia, quæ in ea sunt, mortalia, & corruptioni subiecta sunt? Respice cælum, & hoc aliquando, atque pariter resoluetur: intuere solem, & stellas vniuersas, sed nec hæ quantumuis vetusta sint, perpetuo consistent; perlustra denique vniuersa animalia, tam terrestria quam aquatilia, flores, plantas, ipsum etiam terrarum orbem, singula, & vniuersa hæc fluxa, & caduca sunt, & quæ vno temporis momento euanescent. Harum, & similium rerum consideratio, hoc, quidquid aduersi nobis occurrit, merito lenire, ac leuare deberet.* Et quis prudens de similitudine calamitatis prementis vel minutissima animalia, vel minimas plantulas, non capit consolationem, & leuamen? Sapiens fœmina, vt dolorem ex morte filij receptum leniret in Dauide 2. Reg. 14. ait: *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur.* quasi hoc malum cum elementis nobis commune, inde debeat in sensu minorari. Pro quo ipse Diu. Basil. vbi supra, ait: *In huiusmodi vero etiam tristioribus fatalis infirmitatis nostræ casibus, quamnam consolationem adhibebimus? Perpetua, & ineuitabilis constitutio Dei nostri, vt omnis, qui in hanc lucem prodierit, tandem conuenienti tempore etiam decedat. Quod si ab Adamo ad nostra hæc sæcula vsque, talis rerum humanarum status semper fuit, & est, ne, quæso, grauius feramus communes naturæ ærumnas.* Facit equidem non paruum leuamen in nostris calamitatibus similitudo earum, quæ inueniuntur in omnibus aliis. Et vix stimulant hominem, quæ communia visuntur. Vnde pungens Dominus Samaritanam fœminam cap. 4. Ioan. ait: *Voca virum tuum, & veni huc. Et respondit mulier, & dixit: Non habeo virum. Dicit ei Iesus: Bene dixisti, quia non habeo virum, quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir.* Ecce vt Dominus tractat Samaritanam, in quo videtur Chrysostomo duriùs, & asperius tractata, quam Pharisæi, & Scribæ. At hos vocabat sæpe Dominus hypocritas, generationem pessimam, & adulteram, vndè ergo non tractat eos duriùs? An durius est, quod mulierculæ dicat habere virum non suum, quàm quod principibus attribuat hypocrisim, adulteria, & alia crimina? Equidem quæ notabantur in fœmina, erant eius in particulari crimina; quæ carpebantur in principibus, erant mala omnium communia, quæ inde valde dolorem minuunt. Ait D. Chrysost. hom. 31. in Ioannem: *Grauius hanc, quàm illos reprehendit, hoc enim vnius peccatum erat; illud commune pluribus, neque ita communibus, at propriis obiectis tremendius offendimur.* Semper enim de aliorum calamitatibus similitudine leuamen sumimus.

Matt. 13. — *Petr. Chrys.* — *Basil.* — *2. Reg. 14.* — *D. Basil.* — *Ioann. 4.* — *Chrysost.*

§. XIII.

Famæ præconium debetur solis virtutum culminibus.

CVm cœlestis tubæ sonitu vocabantur populi, vt relictis propriis tabernaculis conuenirent, non vt ascenderent in montem Sinai, sed vt ascenderent in partem aliquam prominentiorem iuxta montis radices, quæ incidebat intra fines præscriptos populo. Sic Ruper. Hugo Vict. Abulens. Cornel. explicant illa verba: *Cum cœperit clangere buccina, tunc ascendent in montem.* Sed cum lethaliter lex cauisset ascensum in montem, cur maluit sub nomine ascensus in montem explicare appropinquationem illam, qua sub buccinæ sonitu appropinquabat populus montis radicibus? Cur non explicatius dixit, quod sonante buccina appropinquent monti, sed maluit dicere, ascendant in montem, quod videbatur legi latæ repugnans? Merito progressus faciendos sub sonitu, & clangore buccinæ ascensus vocat, solis enim virtutum ascensibus famæ præconia adiunguntur. Ecce tibi mulier in ciuitate peccatrix Luc cap. 7. *Vt cognouit, quod Iesus accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti; & stans retro secus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Tale erat huius fœminæ obsequium erga Christum, qui illam defendit à Pharisæi murmure, & laudauit fidem illius. Sed & Matth. 26. *Accessit ad Iesum mulier, habens alabastrum vnguenti pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis.* Quid tunc Iesus? Et illam a murmure discipulorum liberat, & insuper addit: *Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur, & quod hæc fecit in memoriam eius.* Sic cantatissimi huius facti famam promittit Dominus insonituram vniuerso mundo. Et cur hic tantus famæ sonitus non etiam promittitur primo illi facinori? In illo primo fuerunt incunabula virtutis, cum se mulier ad Iesu pedes lacrymans deiiceret: in secundo autem iam visebantur virtutum culmina, quando à pedibus ascendens ad saluatoris caput, ibi pretiosa vnguenta diffudit. Et merito, non primo, sed secundo facinori famæ præconia promittuntur, nequit enim famæ tuba resonare, nisi pro ascensibus virtutum. Accipite Orig. fantem hom. 35. in Matth. *Consydera,*

Hug. Vict. — *Luc 7.* — *Matth. 26.* — *Origen.*

yurā

quod de muliere secundum Lucam non est dictum: Amen dico vobis, vbicumque prædicatum fuerit Euangelium in toto mundo dicetur, & quod fecit hæc in memoriam eius. De muliere autem secundum Matth. hoc scriptum est. Iustum enim erat, non de illa, quæ unxerat pedes, sed de hac quæ vnguentum effudit super caput eius dici: Vbicumque prædicatum fuerit Euangelium hoc in toto mundo dicetur, & quod hæc fecit in memoriam eius. Si ergo volumus, vt & de nobis dicatur, quod fecimus in Iesu effundentes pretiosum vnguentū super caput ipsius, proficiamus ab vnctione pedum eius, ad effundendum pretiosum vnguentum super caput eius. Non enim nisi cum virtutum progressibus & ascensibus fit, quod præconia famæ impleant mundum vniuersum. Hinc Herode furente in puerulum Iesum dicitur Iosepho Matth. 2. *Accipe puerum, & Mariam matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Et cur cupienti mori pro hominibus mandatur fuga? Mandatur fuga puero, ne gloriæ præconia deficerent, quæ decreta erant ascendenti in crucem. Pulchrè enim ait Chrysol. ser. 150. *Si mactatus in illo lactentium grege tunc fuisset; innocentiæ fuisset præmium, maiestatis gloria non fuisset.* Equidem non cum virtutum cunabulis, sed cum ascensibus, & culminibus maiestatis gloria intonat. Vbi enim ascensus fit in virtutibus, non potest non notificari mundo. Matt. 5. aiebat: *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita.* Quocirca D. Chrysost. hom. 72. in Matth. inquit: *Non enim grande aliquid, atque præcipuum occultari diutius Deus patitur, sed si tu celabis, ille manifestabit.* Quasi nequeant magnalia virtutum non innotescere mundo.

Matth. 2. — *Matt. 5.* — *Chrysost.*

Exod. 19. Iamque aduenerat dies tertius, & mane inclaruerat, & ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem. Clangorque buccinæ vehementius perstrepebat, & timuit populus, qui erat in castris. Cumque eduxisset eos Moyses in occursum Dei de loco castrorum, steterunt ad radices montis. Totus autem mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo quasi de fornace.

§. XIV.

Timor efficacissimus est, vt nos ducat ad Deum.

VIde ordinem rerum; sonitu buccinæ, & tonitrui, & aliis perterrefactus populus educitur in occursum Dei. Sic enim textus: *Clangorque buccinæ vehementius perstrepebat, & timuit populus, qui erat in castris. Cumque eduxisset eos Moyses in occursum Dei, &c.* Itaque tot horribilibus perterritos educit eos Moyses in occursum Dei; & cur sic metuentes, sic perterritos facit exire obuiam Deo, nisi quia sciebat timorem efficacissimum esse, vt Deo debitum redderent obsequium? Et quis timore ductus non obsequatur Deo? Mar. 1. dæmoniacus ille, vt Iesum sensit, clamabat ad eum: *Venisti ante tempus perdere nos. Scio, qui sis sanctus Dei.* Ecce tibi hostis Dei Deum latentem in carne agnoscit, & confitetur; & vnde potuit nequam spiritus ad tantam Dei confessionem, & cognitionem ascendere? Ait Victor Antioch. ibi: *Metu perculsus omnium Dominum sese agnoscere non dissimulat.* Non potuit spiritus refuga timoris vinculis ad Dei cognitionem; & confessionem non ferri. Est equidem validissimus Dei timor, vt doceat Dei præscientiam. Hinc Matth. 8. cum Dominus in nauicula dormiret, ecce tibi fera exurgit tempestas; & nubes conglomerantur, & furunt venti, & fluctus maris horrendum quid strident, quorum flagris misera nauicula iam iam videbatur obruenda. Quid tūc discipoli? Ait textus: *Et accesserunt ad Iesum, & suscitauerunt eum dicentes: Domine salua nos, perimus.* Et Dominum, & Saluatorem agnoscunt, & compellant, & quid in illis non faceret tempestatis metus? Pulchrè D. Basil. Sel. orat. 22. fatur. *O timorem naturæ magistrum! O periculum, quo docentur, vbi saluta sit anchora! O mare metu discipulos exanimatos præceptori reconcilians!* Præclare sanctissimus vir timoris expendit potentiam, quæ vel cæcos facit videre salutis semitam; & intellectu tardos docet, vt ad Deum perueniant. Quod si hic timor etiam de amore veniat, fallar, si quid est, quod arctius nos coniungat Deo. Vnde Deut. 10. ait: *Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum, & ambules in viis eius, &c.* Ecce quid præmittat tibi, vt in Dei viis ambules, nimirum, quod timeas Deum; vnum hunc timoris spiritum si habeas, omnia tenes, quæ te adiungant Deo. Ait D. Zeno lib. 1. serm. 56. *Videtisne hunc timorem nobis necessarium, qui in Dei amore consistit; qui voluntatem suam se paris, diuinæ legis construit decorem; ad omnia genera virtutum intrepidus corrigit: præceptis omnibus fideliter obtemperat: inchoatis innocenter viuis; iustis imperculsis; sine fine studet timere, ne quid præter Deum, quem diligit, timeat.* Quid pulchrius de sancto Dei timore potuit dici? Is nos ad omnia virturum genera corrigit, & facit obtemperare omnibus præceptis diuinis. Vnde Isaias cap. 26. *Sicut, quæ concepit, cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis; sic facti sumus à facie tua Domine. Concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum.* Græci legunt: *Per quem timorem tuum Domine in vtero concepimus: & parturiuimus spiritum salutis, quem fecimus super terram.* Itaque vt mulier in vtero habens tota versatur in timore, & horrore dolorum instantis partus, & clamat parturiens; sic nos à facie Dei minantis sumus quasi in vtero habentes, nimirum timore pleni, ex quo salutis felicissimi partus nos expectant. Et quam salutem non gignat timor ex Dei minis conceptus? Ait Theodorus Veraclensis in cat. Græca: *Ostendit vtilitatem, quæ ex minis Dei percipitur. Accipientes enim timorem tuum, veluti bonum semen, & in vtero gestantes, opportuno tempore salutem reportabimus.* Parum dixit, quod ex timore Dei nos salutē reportabimus, plus enim dicit vates, quippe ait: *Peperimus spiritum salutis, quem fecimus super terram:* dum enim cœlesti metu impleamur, non solum nos, sed & terrenos alios quosque in salutem ducemus. Ait Theodoretus ibi: *Finis conceptionis tui dilecti, tuique timoris salus fuit nostro spiritus; quem quidem cum peperissemus, notum fecimus omnibus mortalibus, qui super terram sunt, ipsos quoque vtilitatem percepturos, si nos imitati fuerint, & conceperint ex timore Dei, & pepererint spiritum salutis. Qui enim hunc timorem non habuerint, neque pepererint spiritum, sed steriles permanserint, excident à tua spe.* Sic ibi.

Mar. 1. — *Vict. Ant.* — *Basil. Sel.* — *Deut. 10.* — *D. Zeno.* — *Isaias 26.* — *Theodor.* — *Theodor.*

§. XV.

Præceptorum obseruatio humanas mentes illustrat.

INter nebulam, nigrámque caliginem, horrendáque tonitrua, quæ montem occupant, simul & lucidissima emicant fulgura. Ait enim: *Cœperunt audiri tonitrua, & micare fulgura, & nubes densissima operire montem.* Vbi affectabatur obscuritas, & caligo, & tenebrarum horror; ad quid permittitur emicatio fulgurum? Quidquid nubila aperiunt, & obscurant, fulgurum coruscatio manifestat, panditque, cur ergo in tanta caliginum repræsentatione permittitur ibi & esse claritas fulguris? Seruiebant omnia hęc diuinis mandatis ibi dandis, notificandisque; quorum neglectus vt homines obscurat, & in tenebras ducit, sic eorum obseruantia mentes humanas illustrat. Quo spectans aiebat Abias ad acies Ieruboam 2. Paral. 13. *Est apud nos candelabrum aureum, & lucerna eius, vt accendatur semper ad vesperum: nos quippè custodimus præcepta Domini Dei nostri.* Ecce quibus confirmat apud se esse candelabrum, & lucernas, nimirum illis: *Nos quippè custodimus præcepta Domini,* vbi enim quis præcepta Domini seruat, nequit inde non mille illustrari lucernis. Ait Isaias cap. 26. *Anima mea desiderauit te in nocte; sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te, cum feceris iudicia tua in terra.* Græci autem legunt: *De nocte vigilauit ad te spiritus meus Deus, propterea lumen mandata tua sunt super terram.* Expende, vt non vereatur iustus noctis tenebras, quia nimirum sunt ei lumen mandata Dei. Quod notans Theodoret. in præsenti fatur: *A Dei mandatis piorum mentes illustrari patet: sicut enim in omni Dei verbo alitur anima, sic in omni mandato illustratur, illuminatur.* Quò attentiùs mandata obseruantur, eò certius lumina inde coruscant, quæ illustrent, & illuminent animam. Sic Psal. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum Domine, & lux semitis meis.* Quot præceptorum verba ad me veniunt, si obseruantur, in opusque virtutum trahuntur, tot lumina exurgunt, quibus homo illustratur. Ex quo D. Ambr. ibi serm. 14 ait: *Lucernarum modo luceat nostrarum lux clara virtutum. Istæ sunt lucernæ ardentes, quæ die ac nocte in templo Dei lucent. Si templum Dei in corpore tuo seruas, si membra sunt Christi, lucent virtutes tuæ, quas nullus extinguet, nisi eas tuum crimen extinxerit.* Solus tu poteris in animo tuo lumina extinguere, si aliquid contra præceptum effinxeris; si autem omnia integra sint, si opera plena virtutum steterint, luminibus illustraris candidissimis.

2. Par. 13. — *Isaias 26.* — *Theodor.* — *Psal. 118.* — *D. Ambr.*

§. XVI.

§. XVI.

In obseruatione præceptorum nunquam non indicitur homini aduersus carnem & sanguinem bellum.

NOn solum tonitrua, & fulgura & nubila comitantur publicationem diuinæ legis, vt rebelles deterreant, sed insuper additur buccinæ sonitus, quasi tunc bellum indiceretur, ait enim: *Clangorque buccinæ vehementius perstrepebat.* Sed buccinarum clangor ad bellum spectat, cur ergo sonat in præsenti? Quid præceptorum diuinorum promulgatio cum belli strepitu, cum militari tuba? Imo nunquam bellum manifestius sentitur, quã in publicatione præcepti: trahit enim semper præcepti obseruatio aduersus carnem, & sanguinem bellum. Sic D. Thom. in epist. ad Hebræos cap. 12. lectione 4. ait: *Sonitus tubæ significat grauitatem præceptorum, ad quorum adimpletionem indicebat homini quasi bellum contra seipsum.* Idem est moueri hominem ad obseruationem præcepti, & excitari ad bellum contra se; simul enim vt venit præceptum; quæ militant in membris nostris concupiscentiæ sese accingunt in prælium, aut victuræ, aut vincendæ. Hinc Gen. 22. præcipit Dominus Abrahæ: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, & offeres eum in holocaustum.* Iubet Dominus sibi offerri Isaacum, sed cur in hoc præcepto tot teneritudines meminit, quæ retardent parentem? Cur meminit primogenitum, dilectum filium? Cur non potius hæc præterit, & tantum pueri victimam petit? Maluit equidem vna cum præcepto eas circumstantias proponere, quæ bellum naturæ inferrent, & totam naturæ militiam prouocarent in arenam. Ait Orig. in præsenti. *Charis & dulcibus appellationibus iterum, ac sæpe repetitis, paternus suscitantur affectus, vt amoris euigilante memoria, ad immolandum filium paterna dextera retardetur, & vt aduersus fidem animi tota carnis militia repugnaret. Propterea etiam via iniungitur, etiam montis ascensio, vt in its omnibus spatium certaminis accipiat affectus, & fides, & amor Dei, & amor carnis.* Ecce vt cũ præcepto indicebatur homini bellum, & carnis militia prouocabatur, vt quæ necessario erat vincenda, si erat adimplendum præceptum. Quo spectans ait Dominus Isaiæ cap. 55. *Ecce testem populis dedi eum ducem, & præceptorem gentibus.* Septuag. expressius hæc vltima posuere dicentes, *Et præcipientem gentibus.* Et satis in rem præsentem coniungit duo, nimirum ducem, & præcipientem, vt in dandis præceptis ducem agat, ostendens præceptorum obseruationem esse rem periculosissimi belli. Id quod ostendens Dominus aiebat Matt. 10. *Nolite arbitrari, quia veni mittere pacem in terram, non veni mittere pacem, sed gladium.* Vbi D. Chrysost. hom 36. notat, *Non dixit bellum, sed quod atrocius est gladium* quando poterat esse bellum absque eo, quod ventum esset ad gladios euaginandos, vt effunderetur sanguis; præuenit Dominus suos milites, quod vbi vocantur ad Dei exequenda mandata, ad ea bella vocentur, quæ consistunt in occisione gladii, in resecatione voluptatum, in mactatione desideriorum carnalium.

D. Thom. — Gen. 22. — Orig. — Psal. 55. — Matt. 10. — Chrysost.

§. XVII.

Venturi iudicis conspectus vel lapidea corda trahit in preces.

ADueniente Deo media in tempestate totus Sinai mons fumare cœpit, dicit enim textus: *Cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem. Clangorque buccinæ vehementius perstrepebat, & timuit populus, qui erat in castris. Totus autem mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus super eum in igne.* In Dei seuerissimo accessu per tonitrua, per caliginem, per fulgura, per ignem, dicitur mons fumare, cur non magis dicitur ardere? Inter tot fulminum percussiones, inter tot ignes, cur ipse mons non ardet, sed fumat? In ardore, & conflagratione ostenditur vltimum exterminium, in fumo autem ostenditur precum vis; iuxta illud Cant. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, quasi virgula fumi?* Et Apocal. cap. 8. *Data sunt illi incensa multa, vt daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei. Et ascendit fumus, &c.* Merito ergo in seuerissimo Dei aduentu per ignem mons Sinai non ardet, sed fumat, quia ad venturi iudicis odorem vel lapidea corda ad preces, & supplicationes conuertuntur. Rem pulchrè tractat Rup. lib. 3. in Exod. 30. vbi inquit: Illic tonitrua, fulguraque micantia, fumus quoque & ignis, & clangor buccinæ, vt fiat, quod scriptum est Psalm. 103. *Qui respicit terram, & facit eam tremere, tangit montes, & fumigant. Terra quippè contremiscit fundamenta montium conturbantur, & fumigant, exardescente igne à facie Domini, cum audito aduentu tremendi iudicis, hi qui prius terram tantummodo nouerant, semetipsos pœnitendo despiciunt, & montuosa superbia descendente, fumus, id est, lacrymosa oratio ascendit à timore eius Domini.* Sic vel rupes, vel saxea corda mortalium franguntur ad seueri iudicis odorem, & ad preces confugiunt, & orationes lacrymosas Isaias cap. 25. quasi præsens esset loco futuri iudicij, sic omnia illius diei describit: *Præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, & telam, quam orditus est super omnes nationes;* & sic pergit singula tremendi illius temporis edisserens vsque ad finem capitis, post quod in cap. sequenti 26. sese ostendit ad orationem confugere fatus: *Anima mea desiderauit ad te in nocte.* Quibus verbis Theodoret. præfixit titulum, nimirum: *Oratio Isaiæ.* Et mirum est, quod cum tot Isaias tantaque prophetet, nullibi dicatur orasse nisi in præsenti. Prophetat Ierosolymitanorum ruinam, Saluatoris Iesu natiuitatem, mortem, sepulturam, & non ponitur eius oratio nisi in præsenti immediate post repræsentationem iudicij. Et quidem quando in cæteris omnibus posset manere mutus, in repræsentatione iudicij non potuit non ad preces, & orationes ire. Ait Eusebius in cat. Græca ad vers. 16. huius capitis: *Quoniam propheta prænidet locum, vbi generale iudicium futurum est, perinde, ac si iudicio, & tribunali diuino adesset præsens, his rebus, quas videt, merito modo quidem confitetur, modo precatur.* Sic ex iudicij seueri conspectu bonus confugit ad confessionem, & preces. Illud mirabile accidit Ionæ cap. 3. *Clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, &c.* Ad ignoti hominis vocem viri idololatræ, & pessimi sic mutantur, vt supplices statim ad Deum confugiant. Et quæ vox sic valuit homines pessimos mutare? Erat vox maximæ, & extremæ calamitatis iam iam imminentis ad quam vel durissimi fient supplices, & in preces ibunt. Ait Theodoret. ibi. *Cum ignotum, & alienum hominem Niniuitæ rerum horribilium declarationem profitentem viderunt, non modò non interfecerunt, sed neque illi infensi fuerunt, sed & prædictioni eius obtemperauerunt, & sacco induti Deo supplicauerunt.* Expende illud: *Rerum horribilium declarationem*, equidem ad horribilis calamitatis conspectum vel saxea corda ad supplicationes, & preces flectuntur.

Cant. 3. — Apoc. 8. — Rupert. — Psal. 103. — Isaia 25. — Theodor. — Euseb. — Iona 3. — Theodor.

Exod. 19. Eratque omnis mons terribilis, & sonitus buccinæ paulatim crescebat in maius, & prolixius tendebatur. Moyses loquebatur, & Dominus respondebat ei. Descenditque Dominus super montem Sinai, in ipso montis vertice, & vocauit Moysem in cacumen eius Quò cum ascendisset, dixit ad eum: Descende, & contestare populum, ne forte velint transcendere terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo. Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos.

§. XVIII.

Faustum, & salutare homini est, quod prius ipse incipiat loqui ad Deum. Vbi pulchra de confessione.

INter tot procellas, tot fulmina, tot terrores illud salutare, & faustum dicitur de Moyse, nimirum: *Moyses loquebatur, & Dominus respondebat ei.* Multum esset, quod inter tot terrores loquenti Deo valeret vel verbulum respondere homo, at maius quid apparuit in Moyse, qui prius loquens trahebat Deum ad responsum. Nec fuit necesse explicare, quæ fuerint ibi dicta à Moyse, & quæ à Deo responsa. Certum enim est nihil ibi fuisse non salutare, & faustum Moysi eo ipso, quod ipse inciperet prius loqui ad Dominum. Huc traho illud Iob cap. 13. qui sic dicit Deo. *Voca me, & ego respondebo tibi, aut certè loquar, & tu responde mihi. Quantas habeo iniquitates & peccata?* Duo poterat facere Iob, vel vocatus respondere; vel vocans, &

Iob 13.

& loquens ipse Deum ad responsum trahere. Et ex duobus iis, elegit secundum præstare; nimirum elegit prius ipse loqui, & Deum habere respondentem, non interrogantem. Et cur sanctus maluit Deum habere respondentem in re iniquitatis enuntiandæ? Equidem vel ex eo quod ipse incipiat loqui ad Deum, & Deum non interrogantem, sed respondentem habeat, omnia sibi præsumit fausta, & auspicata, præsertim in re absolutionis à peccatis. Ait Ruper. lib. 1. de Sapientia cap. 16. *Hoc ergo quæramus, quo fructu melius sit, vt loquatur homo, & Deus respondeat illi, quam vt vocet hominem Deus, & homo respondeat illi, quanta iniquitates sint. Si vtso perpendimus vtrumque, reprehensibile est, eo vsque differre confessionem peccati, donec dicat iudex Deus, quid fecisti? Etiamsi vocatus respondeat homo & dicat, Peccaui, Patientiam habe in me, quod fecit Dauid, iam tamen reprehensibile est, quod vsque ad talem vocationem Dei differat homo confessionem peccati sui. Cæterum præoccupare faciem Domini Dei, & antequam vocetur vltroneè, confessione loqui; sapiens consilium est, quo nullum melius homo peccator reperire potest.* Ecce tibi omnibus aliis melius consilium homini peccatori, nimirum, quod prius ipse suas iniquitates dicat; quod prius ipse in re sua loquatur, & Deum habeat non interrogatorem, sed responsorem. Hinc volo componas peccatricem, & peccatorem, Magdalenam, & Adamum. De Magdalena ait Lucas cap. 7. *Ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quod Iesus accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti. & stans retro secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius. & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Videns autem Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se dicens: Hic si esset propheta, sciret vtique, quæ & qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est. Respondens Iesus dixit ad illum, &c.* & post pauca dixit ad mulierem: *Fides tua te saluam fecit. Vade in pace.* Sanè benignissimè se habuit Deus cum hac muliere, nihil pœnæ illi iniungens propter notissima scelera, sed omnimodam illi pacem præbens. Longe aliter factum est cum Adamo, qui vbi pomum inobedienter comedit Gen. 3. cum vxore sua sese abscondit tacens à facie Dei. *Vocauitque Dominus Adam, & dixit ei: Vbi es? Qui ait. Vocem tuam audiui in paradiso, & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me.* Quid tunc Deus? *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea, &c.* Ecce tibi quot mala, quot pœnas conglomerat Deus in Adamum iam pœnitentem, & dolentem de scelere. Et cur Dominus adeò seuerus in Adamum, & adeò benignus in Magdalenam? cur huic pacem, illi maledicta congeminat? Recole Magdalenæ historiam, ibi dicitur de Deo: *Respondens Iesus dixit*; in casu autem Adami dicitur: *Vocauit Dominus Adam, &c.* Ibi non dicitur Deus vocasse, aut interrogasse prius, sed respondisse; hic non respondit Deus, sed vocat, sed inquirit. Magdalena præoccupans Deum illum nacta est respondentem; Adamus fugiens passus est Deum inquisitorem; ideò illi fausta omnia, huic acerba. Ait Ruper. lib. 1. de Sapientia cap. 15. *Nempe cum diceret Deus: Vbi es? Vocabat hominem ad cor suum, vt saltem vocanti responderet. Et hoc quidem bonum erat, vt saltem vocanti responderet, melius autem, vt prius ipse inquireretur, Deus antè responderet, quantas haberet iniquitates. Illud non fecit Adamus, non locutus est, sed Deum quasi dormire permisit; nec Deo fecit negotium respondendi, vnde & ingrato silentio, quasi post meridiem somno exsatiatus surrexit Deus & indignans quod non fuisset vocatus, prior ipse hominem vocauit, &c.* Expende indignationis diuinæ causam in Adamum etiam pœnitentem; dicit enim: *indignans, quod non fuisset vocatus*; quippe indignè tulit Deus, quod expectaret Adamus prius interrogari à Deo, & quod non præoccuparet in confessione faciem eius. Quando enim præoccupatur Deus in confessione, & non habet necesse inquirere, aut interrogare, sed solum respondere, tunc multa alia pœnitentiæ opera supplet ipse in pœnitentibus. Vbi mortuus fuit Iacob Gen. 50. metuentes sibi filij eius à Iosepho fratre, mandauerunt ei dicentes: *Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus: Obsecro, vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati, atque malitiæ, quam exercuerunt in te: nos quoque oramus, vt seruo Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis fleuit Ioseph.* Sanè non erat cur fleret Ioseph, satius fuisset, quod petentes veniam ipsi flerent, & cum lacrymis, & gemitibus expostularent. Verum vbi bonus Ioseph se vidit præuentum a fratribus in confessione sceleris, non amplius expectauit, sed suo fletu illorum fletum suppleuit. Proh fœlicitas illorum, qui præoccupant Deum in confessione! fallar nisi Deus in illis, & fletus suppleat, & gemitus. Vt merito dicat Ruper. in Genes. cap. 42. *Sanctissimum, & optimum donationis, siue remissionis genus hoc, vbi illis, qui peccarunt, non flentibus, sed tantummodo confitentibus, solus ille flet, qui peccatis offensus indulget, & adorantibus pro indulgentia pias quoque reddit lacrymas cum venia.* Hoc optimum genus remissionis, quando & cum venia data perfecti doloris lachrymas ipse Deus supplet contentus, quod præueniamus eum in confessione.

Ruper. — *Lucæ 7.* — *Gen. 3.* — *Rupert.* — *Gen. 50.* — *Gen. 42.*

Exod. 19. Dixitque Moyses ad Dominum; Non poterit vulgus ascendere in montem Sinai. Tu enim testificatus es, & iussisti dicens. Pone terminos circa montem, & sanctifica illum. Cui ait Dominus: Vade, descende, ascendesque tu & Aaron tecum: Sacerdotes autem & populus non transeant terminos, nec ascendant ad Dominum, ne forte interficiat illos. Descenditque Moyses ad populum, & omnia narrauit eis.

§. XIX.

Dei dona non ad vnum, sed ad plures debent esse.

NOn diu Deus secum retinet Moysem, sed iubet descendere, & instruere populum, & secum Aaronem assumere, vt iterum iam non vnus, sed duo ascendant ad Dominum. Ait enim: *Vade, descende, ascendesque tu, & Aaron tecum*: sic Dei dona nesciunt stagnari in vno, sed festinant communicari proximis. Forte non est euidentius signum diuinorum donorum, quam si videantur ab vno prosilire ad alios proximos. Hinc Matt. 20. memorans vltimam Iesu cœnam ait: *Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit: deditque discipulis suis, &c.* Expende illa verba: *Accepit Iesus panem*; vnde, vel à quo accepit? Quis tantus fuit, vt Iesus meus de illo panes acciperet? Sanè Origenes attendit, quid Iesus de panibus acceptis, & quando videt illos non in arca recludi, sed inter discipulos distribui, non dubitat illos ex Deo acceptos, cuius dona hoc habent, vt minime in vno stagnentur, sed ad plures alios pergant. Pulchrè Orig. hom. 35. in Matth. inquit: *Quod dicit: Accipiens Iesus panem, qui paruulus quidem est in Christo, intelligat communiter; qui prudentior est, quærat, à quo accipiens Iesus: Deo enim dante accipit, & dat eis qui digni sunt panem.* Expende illa, *accipit & dat*, quæ sunt donorum diuinorum signa præclara, in nullo melius Deum datorem ostendimus, quam in eo, quod vt accipimus, damus, quæ enim à Deo veniunt, vnius angustias metuentia, nimis properant, vt communicentur aliis. Aiebat Ecclesiastes cap. 5. *Hoc itaque visum est mihi bonum, vt comedat quis, & bibat, & fruatur lætitia ex labore suo, quo laborauit ipse sub sole, numero dierum vitæ suæ, quos dedit ei Deus.* Sept. legunt: *Hoc Dei donum est.* Sanè merito reputatur felix ille, qui acceptis ex Deo donis fruitur in hac vita, vt comedat, & bibat, & lætetur in Domino. Sed vnde scire poterit homo bona sua à Deo in se venisse, vt fruatur illis? Nonne & multa temporalia bona ex malo veniunt? Vnde ergo nescit diues sua ex Deo venisse? Euidens est signum doni diuini, nimirum si illud non stagnetur in vno, sed & ad alios iuuandos festinet. Eleganter ibi ait D. Greg. Thaumaturgus: *Non negauerim etiam opes bonas esse, Dei enim donum est, si homo late perfruatur laboribus suis, modo opes illæ à Deo sint concessa. Talis enim benefico in omnes est animo, & in munere diuino exultat, & omnem vitam suam bonis operibus, ac largitionibus adornat.* Expende illa: *Talis enim benefico in omnes est animo*; nimirum qui vt Dei dono concessas habet opes, talis ille non illas vni sibi sepelit, sed beneficus est ad omnes, sed frequentibus largitionibus curat & proximos egentes adornare. Quid diuinius? Hoc manifestissimum signum est doni à Deo dati; quod nesciat contineri in arca, quod nesciat vnius seruire voluntati sed amet pluribus communicari, frequentibusque punctionibus stimulet habentis animum, vt ad doni participationem adhibeat socios alios.

Matt. 20. — *Origen.* — *Eccles.* — *D. Greg.*

§. XX.

Intra sua quisquam humilitatis statum consistens Dei percipiet magnalia.

SOlis Moyse, & Aarone ad cacumen montis admissis, vetantur, & sacerdotes, & populares egredi fines suos, vt montem

montem scandant. Sic canet textus: *Sacerdotes autem, & populus non transeant terminos, nec ascendant ad Dominum, &c.* Ecce tibi vt cauet Deus, ne ad Dominum ascendant populares. David autem monebat omnes Psalm. 33. *Accedite ad Deum, & illuminamini.* [*Psal. 33.*] Hic omnes vocat, vt ad Deum accedant etiam inter lumina, ibi remouet, & cauet ne accedant populares, quidni Dauid est Moysi contrarius? Absit; Dauid enim inuitat omnes ad accessum, Moyses remouet ab accessu populares, qui per hoc, quod non sibi superiora petant, sed in suo humilitatis statu permaneant, & accessum Dei habent, & diuinis illuminantur. Sic Luc. 2. [*Luc. 2.*] *Et pastores erant in regione eadem vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Dei circumfulsit illos.* Quid diuinius? Pauperes homunciones erant, pecora pascentes, & tamen dum in eo munere sunt, nec supremum aliud meditantur, ibi inueniunt cœleste munus, diuinisque illuminantur luminibus. Ait D. Hier. in Epitaphio Paulæ, [*D. Hier.*] *Pastores nocte vigilantes, audire meruerunt: Gloria in excelsis Deo. Dumque seruant oues, inuenerunt agnum Dei puro, & mundissimo vellere.* Non inuideat paruus, & humilis sublimioribus cacumina; sed hoc pro certo habeat, quod intra suæ humilitatis terminos poterit reperire omnia magnalia Dei. Agnum enim illum, quem Seraphicus vates Isaias optabat videre in monte Sion; pastores humiles inuenere, dum suo muneri sunt intenti. Quid dicam agnum? Quod sublime in diuinitate est, quodque à magnis, & sublimibus attingitur, attingitur etiam ab humili, qui se intra suæ paruitatis fines nouit continere. Vide celsissimos Euangelicæ aquilæ volatus, quo perueniat, quippe ait Ioan. 1. [*Ioan. 1.*] *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Huc peruenit, qui supra Iesu pectus recubuit, sic se super omnia creata euexit. Miraris hoc in Ioanne? Sed quod mireris magis, accipe non absimile in popularibus pastoribus, qui erant Bethlehem. Ait Luc. cap. 2. [*Luc. 2.*] *Pastores loquebantur ad inuicem. Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc Verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.* Ecce tibi Verbum, quod Euangelica aquila è sinu Christi volans percepit, in sinu Patris similiter perceperunt pastores, qui vigilias noctis obseruabant. Ait Diuus Hieronymus in Epitaph. Paulæ: [*Hieron.*] *Pastores nocte venientes, vt viderent Verbum, quod factum erat; iam tunc Euangelistæ Ioannis principium dedicabant: in principio erat Verbum, & Verbum caro factum est.* Et pastores, & Ioannes Verbi diuini perceperunt cunabula; Ioannes à Deo vocatus ad fastigium Apostolatus, & in ipso Christi sinu recumbens. Pastores non egressi terminos muneris sui, sed dum dant operam pascendis ouibus, dum se continent intra abiecti muneris carceres. Quo discat vnusquisque manere in suæ paruitatis termino, certus, quod inde poterit habere de Deo, quod alij de sublimioribus euolantes capiunt. Vnde monebat Paulus 1. ad Corinthios 7. [*1. Cor. 7.*] *Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Seruus vocatus es? non sit tibi cura, sed & si potes fieri liber, magis vtere.* Explicant Theodor. & Chrysostom. *Magis vtere seruitute.* Adeò cupit Apostolus, vt quisque in humilitatis suæ statu permaneat, vt quantumuis quis seruus possit ascendere ad liberorum statum, moneat eum, vt magis in seruientis statu permaneat, inquiens: *magis vtere seruitute.* Et cur non potius seruitutem exuere conabitur, vt in libertatem transeat? Quia quoad Deum, non seruitus obest; nec prodest libertas, sed quamuis quis sit in vilissimo seruitutis statu, ad omnia poterit peruenire Dei magnalia, in nullo inferior superioribus aliis. Ait Photius ibi: [*Photius.*] *Seruus vocatus es? Non sit tibi cura, quin etiam, si potes aliquo studio fieri liber, sine hoc, & potius vtere seruitute, & neque ita in vlla eris minor domino.* Equidem in nullo, quod ad Deum pertineat, erit minor præstantibus aliis, qui sciuerit se continere in humilitate sui status.

Exod. 20. Loquutusque est Deus cunctos sermones hos: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis. Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, neque eorum, quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, nec coles. Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, &c.

§. XXI.

In hoc maxima Christianorum est fœlicitas, quod non semel à diaboli eripimur seruitute.

Ecce quid pro summo beneficio Dominus Israelitis obijciat, nimirum: *Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti.* Expende illud, *eduxi te:* quippe semel eduxerat Deus Israelitas de Ægypto, quod semel, & iterum illis inculcat. Feliciores multo Christiani sumus, quos non semel eduxit Dominus de diaboli seruitute, sed vt in illam sæpe recidimus, sic bonus Iesus sæpe, & singulis horis nos ab illa educit, & asserit in tuto. Quo extollit nostram fortunam D. Zeno [*D. Zeno.*] lib. 3. serm. 28. inquiens. *Iudæi maiores suos Pharaonis, cæterisque eius graui seruitutis iugo depressos de Ægypto prædicant liberatos, à diabolo tyrannide, Idolorumque turba violenta non tantum nostri maiores, sed omnis Christiana progenies de vera Ægypto, id est, de isto mundo semper momentis omnibus liberatur.* Periculosior nostra captiuitas est, fateor, qua nos diaboli, mundique tyrannidi nostris culpis summittimus, sed redemptorem habemus, qui non contentus se nos semel de tanta captiuitate eduxisse, quin potius, quoties nos ad eum clamamus, vel singulis horis, vel singulis momentis denuo eripimur. Hinc Matth. 18. [*Matt. 18.*] quærenti Petro, an deberet septies peccatori parcere, respondit Iesus: *Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.* Hoc est, nullum indulgentiæ finem impono, licet singulis horis, singulisque momentis necesse sit aditum ad salutem peccatori præstari. Non sic largus paulò ante Dominus videbatur, ait enim: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & illum solum. Si autem non audierit, adhibe tecum vnum, aut duos, vt in ore duorum, aut trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* Ecce tibi post tria monita cassa incuratum relinquit peccatorem, quem antea non semel, aut ter solum, sed & septies, & septuagies, & millies foueri mandabat. Cur ergo, qui septuagies septies recipiendus dicebatur, modo post duas admonitiones relinquitur? Est ne Dominus in hoc sibi contrarius? Absit; sed modo loquitur de peccatore suis hærente peccatis; supra dixerat de eo, qui veniam pœnitens flagitabat; vbi autem quis pœnitet, & septuagies septies, & singulis horis, & momentis à peccatorum seruitute liberabitur. Ait Diuus Chrysostom. in Psal. 46. [*Chrysost.*] *Hic post duas admonitiones ostendit magnum esse delictum, nec eum cogit rursus expectari. Quid ergo? Sunt hæc contraria? Absit. Sed illud septuagies septies dicit, si eum pœnituerit.* Hoc expectat à nobis Saluator noster, vt nos pœniteat, vt sub iugo miseræ seruitutis ingemiscamus, si enim ingemuerimus, non solum semel, aut ter, sed singulis momentis nos à tyrannide peccatorum liberabit. Hinc Matth. 15. [*Matt. 15.*] *Ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit, dicens ei. Miserere mei Domine fili Dauid.* Vbi Chrysostom. homil. 79. ad populum, inquit: *Miserere mei. Breue verbum, & clementiæ pelagus continet.* Inexhauribile est pelagus. Cum petas ex Deo misericordiam, inuenies non vas, quod te semel, aut ter posset mundare: sed pelagus, quo singulis momentis lauari possumus, & de peccatorum seruitute ad filiorum Dei libertatem transire.

§. XXII.

Memoria beneficiorum ligat hominem, ne exorbitet à placitis benefactoris sui.

Legum suarum obseruantiam maximè firmat Dominus, præfigens præcipientis beneficentiam in suos, dum inquit: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti de domo seruitutis. Non habebis Deos alienos coram me, &c.* Ecce vt leges condens, beneficiorum à se præstitorum memoriam refricat in primis. Solet enim beneficiorum memoria firmare animos in obedientia benefactoris sui. Ait in præsenti Oleaster: [*Oleaster.*] *Vide legislatoris prudentiam. Solent collata beneficia hominem retinere, ne benefactorem offendat: ideò Dominus hæc præmittit ante legem, vt Iudæos inuitaret ad suarum legum obseruantiam.* Et nescio an fortius vinculum inueniri posset ad cötinendos homines in obseruantia præceptorum, quam memoria beneficiorum ad illos manantium ex præcipiente. Hinc Ioseph sanctissimus adulteræ fœminæ sic respondit Gen. 39. [*Gen. 39.*] *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo sua, nec quicquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit*

mihi

mihi præter te, quæ vxor illius es: quomodo ergo possum hoc malũ facere, & peccare in dominũ meum? Bonus seruus, vt accepta a domino beneficia adducit in medium, omnem sibi putat interclusum aditum peccandi in dominum suum. Ex quo reputat sibi beneficum dominum, sic afficitur, quasi liberum sibi non sit offendere illum. Accipite D. Greg. lib. 30. Moralium cap. 9. fantem: *Quia bona, quæ assecutus fuerat, repente memoriæ intulit; & malũ, quod se pulsabat, eiicit, & quia percepta gratiæ meminit, vim culpæ imminentis fregit. Cum ergo voluptas lubrica tentat in prosperis: hæc ipsa sunt beneficiorum prospera aculeo tentationis opposita, vt eò erubescamus praua committere, quo nos à Deo meminimus gratuitò bona percepisse, & illatam gratiam exteriorum munerum vertamus in arma virtutũ, vt sint ante oculos, quia percepimus, & quæ nos alliciunt, subigamus.* Quid pulchrius? Certe dum ante oculos sunt percepta beneficia, via fieri poterit, quod à benefactore per aliqua blandimenta auertamur. Quò spectans Oseas cap. 11. ait: *Et ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis.* Ex Græco legunt D. Cyrill. Alex. & Theophylact. *Et ego colligaui Ephraim, & suscepi eum super brachium.* Et quidem qui nutritius erat, non miror quod simul eos sibi colligaret, sunt enim beneficia, & fauores validissima ligamina, quibus tenētur homines, ne à benefactore suo discedere valeant. Ex quo sapienter Antipater apud Egesippum libr. 1. cap. 44. repellit à se suspicionē parricidij, qua erat suspectus patri: quippe ait: *Si mihi bestiarum immanitas, si atrocium ferarum inesset furor, tamen tantis beneficiis tuis mansuescere potui, vt nullam opem nisi in salutis tuæ subsidio constituerem, vt pro omnibus tibi, vel solam charitatem referrem, te meo corpore protegerem, te animo, si fieri posset, visceribus includerē. Prætuleras nobilioribus filiis materna stirpe minus nobilem, matrem quoque regni exulem in regnum vocaueras, nec iam successorem me imperij, sed quasi consortem habebas.* Et quam belluam hæc beneficia finerent aliquid aduersus benefactorem cogitare? Crede mihi, fortissima sunt beneficiorum ligamina, ne facile à benefactore discedamus. Vnde Paul. ad Roman. 8. clamat: *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia?* Mirari tantam confidentiam in Paulo, quod nullam malorũ potestatem adeò magnam agnoscat, qua timeat à Christo posse separari. Et scire cupis quibus catenis sic se obstrictum videat Domino, vt minime ab illo separari valeat? Sanè beneficiorũ catenis id reddit acceptum, quibus se adeò cernit implicatum, vt sic affectus æstimet quasi non sibi sit liberum separari. Ad hæc D. Ambr. ibi ait: *Quis nos auertere poterit à dilectione Christi, qui nobis tam magna, & innumera præstitit beneficia? Tribulatio? Sed non facit, quia dilectionem firmæ Christi amĩ nulla vincunt tormenta. Amantis enim plus incitatur charitas, si eum, cuius sensit beneficia, prohibeatur amare. Dum enim putant se immerita eius seminare, memorant beneficia.* Quid pulchrius? Non apparet, vnde homo possit à benefactore suo separari, quãdo aduersus omnia impedimẽta memoria beneficiorũ armatur.

D. Greg. — Osee 11. — Egesipp. — Ad Rom. 8. — D. Amb.

§. XXIII.

Vnus zelotypiæ affectus in nobilissimo quoquam pectore inexorabilis est.

Transgressoribus præceptorum seuerissimum se Dominus vindicem ostendens de humanæ indignationis excessu nomen sibi affingit, dum dicit: *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes.* Cur zelotes? Cur non magis se vocat punitorem, quando vt notat Origenes in zelotypia semper apparet excessus humani vitij? Cur relictis aliis nominibus, quæ rigorē, & seueritatem punitionis ostenderent, maluit de zelotyporum excessibus nomen sibi affingere? Absit à Deo omnis excessuum vmbra, sed in puniendis transgressoribus ad zelotis nomen recurrit, quia vnus hic affectus inexorabilis est etiam in pectore nobilissimo. Frangitur aliquando animi bonitate seuerissimus rigor iustitiæ, zelotypiæ affectus nullo eicuratur, nullo infringitur, etiam in pectore nobili seruat suam duritiem. Nemo nescit pertinax Saulis odium in Dauidem, ait enim 1. Reg. 18. *Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat Dauid à die illa, & deinceps:* imò crudelissime illum persequebatur, quin possit vllis obsequiis emolliri. Et quid erat in Dauide, quod in tam implacabile odium trahebat Saulem? An virium robur, & fortitudo, qua pene inermis armatos vincebat? An fauor populorum? An comitas viri, qua valebat apud exercitus suos? Nihil horum odiosum erat Sauli. Quid ergo erat, quod tam implacabile odium in regio animo parturiret? Ait textus ibi: *Cum reuerteretur percusso Philisthæo David, & ferret caput eius in Ierusalem, egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israel cantantes, chorosque ducentes in occursum Saul regis, in tympanis lætitiæ, & sistris. Et præcinebãt mulieres ludentes, atque dicentes: Percussit Saul mille, & Dauid decem millia. Iratus est autem Saul nimis.* Itaque mulierum fauor, & plausus exhibitus Dauidi Saulem mactabat: nullus enim affectus, nisi qui de zelotypia venit, sic implacabiliter sauciaret regiũ animum. Quo respiciens D. Basil. Sel. orat. 15. ait: *Manet ad faustas acclamationes, vel mulieres victoria ipsa Dauidis. Hæ voces Saulem verberabant, & muliebres cantus regem consauciabant.* Qui de mulierum fauoribus Dauidi datis veniebat morsus Saulem implacabiliter alterabat, solus enim zelotypiæ affectus posset sic pertinaciter, & implacabiliter in animo regio perdurare. Quo spectat Prou. 6. vbi dicitur: *Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ. Neque acquiescet cuiusque precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Ex Hebræo: *Non accipiet faciē satisfactionis.* Is est zelotypiæ spiritus, qui nesciat mansuefieri, qui nullam satisfactionem admittat. Id quod in Rege Herode patuit, qui adamabat ardentissimè, & ambitiosissimè Mariamnem; ardentissimè, vt ferret multa in se ab illa congesta passim conuitia; ambitiosissimè, vt pro illa ducenda, quæ filia regum erat, repudiaret adolescentiæ suæ vxorem Dosidem. Vt autem vel leuem adulterij suspicionem admisit, implacabiliter furit. Rem dicit Egesippus lib. 1. cap. 37. *Amens illico rex, vbi audiuit secretum suum proditam Mariamnæ à Iosippo, cogitare cœpit nunquam proditurum fuisse Iosippum, nisi captus amore mulieris mercedē proditionis stupro quæsisset. Itaque indignatione nimia furens, animique impos exsiluit de lectulo fugiens corruptela turpis contagia, nec furenti capiebat aula: iubet occidi vtrumque.* Sic vel in regio animo furit zelotypiæ spiritus, vt nec in amantissima coniuge faciē satisfactionis admittat, sed prorsus desæuiat implacabiliter.

1. Reg. 18. — Basil. Sel. — Prou. 6. — Egesipp.

Exod. 20. Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & sonitum buccinæ, montemque fumantem, & perterriti, ac pauore concussi steterunt procul dicentes Moysi: Loquere tu nobis, & audiemus. Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. Et ait Moyses ad populum: Nolite timere. Vt enim probaret vos venit Deus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis. Stetitque populus de longè. Moyses autem accessit ad caliginem in qua erat Deus.

§. XXIV.

Vbi spiritus Dei adest, nequit non sentiri in multis.

Aderat Deus in mõte, & eius præsentiæ tot sentiuntur indices, quot fulgura, quot tonitrua, quot voces. Sic dicit textus: *Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & sonitum buccinæ, montemque fumantem, &c.* Et quando spiritus Dei aliquò accedens non se facit sentiri? De Christi Ecclesia Deo plena locutus Constant. Imperator in concione, quam habuit ad Patres Concilij Niceni lib. 2. cap. 1. inquit: *Huius autem domicilij verticem vsque ad sydereum splendorem videmus pertingere, fundamenta vero in ipso adhuc operis initio, tam profundas fideliter egisse radices nouimus, vt vniuersus terrarum orbis ad sensũ percipere potuerit.* Ecce tibi fundamina legis Euangelicæ, & legis Mosaycæ, vt à Deo posita sunt, sic tanto splendore coruscant, tãtoque sonitu tonant, vt totus populus hanc, & totus orbis illam sensu percipiat. Habent hoc proprium Dei domicilia, siue personæ quibus Dei spiritus inest, qui nõ potest in multis non statim præsentiri. Hanc diuini spiritus notionem præbebat Ioan. 3. inquiens: *Spiritus vbi vult spirat, & vocem eius audis, &c.* Expende illud, *vocem eius audis*, quippè is est diuinus spiritus, qui se statim faciat audiri, & sentiri. Ait Rupert. lib. 2. de Gloria Trinitatis cap. 17. *Verus sermo, quem dixit, & vocem eius audis. Non enim tacere potest, qui gratiam accepit eiusdem. Vere ergo vocem eius audis, quia tacere non potest, silere non audet. Ibi enim est præceptor, qui tubam vocis largitus est, & dicit ei: Clama, ne cesses, & his similia.* Equidem in quo est Dei spiritus, nequit non sentiri, omnia enim & nouis clamoribus, & nouis implet luminibus. Quod silentium non rumpitur? Quæ quies non turbatur? Qui status non concutitur, vbi accedit illò Dei spiritus? Non solum si in monte descendat Dominus, sed si vel in vilissimo homine sit, in ipso accessus initio tot parturit effectus, vt vniuersus terrarum orbis eum possit sensu percipere. Quis humilior?

Conc. Nic. — Ioan. 3. — Rupert.

Quis abiectior? Quis ignotior, quàm Ionas Niniuitis? Sed factum est verbum Domini ad Ionam, & quid inde? Ait capit. 3. *Et cœpit Ionas introire ciuitatem itinere diei vnius, & clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum; prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiore, vsque ad minorem. Et peruenit verbum ad Regem Niniue, &c.* Proh efficaciam verbi diuini! Verbum Dei ponitur in abiecto, & vili, & ignoto homine, & in ipso prædicationis initio se fecit, vel à dissitis regibus audiri, sicque Niniuitis intonat, vt omnis commoueatur ciuitas. Et quot non commoueat præsentia Dei spiritus etiam in homine abiecto, & humili? Rem pulchre ponderat D. Ephrem orat. in Ionam, inquiens: *Ciuitas gentilium confestim prædicatione Ionæ deterrita est. & velut mare vndique turbabatur eius voce, qui ex profundo reuerterat. Et cum descendisset in mare, conturbauit illud, & reuersus in aridam illam confestim exagitat.* Nullibi adest propheta Dei verbo plenus, vbi se non faciat sentiri: habet enim hoc Dei spiritus, vt in quolibet sit, nesciat non manifestari in commotione multa. Cum huc peruenio, non possum, non meminisse prima Societatis Iesu initia; pauci, & despicabiles viri carnis oculis fuere Ignatij socij, sed ij pauci, & abiecti vt apparent toto intonant mundo. Ad ingressum pauperis Iesuitę cōmouebantur vrbes & prouinciç, accedebat pauperculus Xauier, & cum descendisset in mare, maria turbat, naues implet sonitu Euangelicæ vitæ, & nautas facit suspirare pro gloriæ portu fœlicissimo. Et reuersus in aridam, illam cōfestim exagitat, vt totus Oriens de hac cælesti intonet tuba. Is est equidem Dei spiritus, qui etiam è vili corpore se faciat in multis sentiri. Matth. 17. in Iesu transfiguratione, dicit: *Ecce vox de nube dicens. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit, ipsum audite. Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde.* Miraris discipulorum commotionem tantam fuisse, quod in terram ceciderint. Et quid mirum? Descēderat in nube diuinitas, & non est mirum, quod inde ad cōmouendos homines potentissima vox intonet. Ait D. Ephrem orat. de Transfigur. *Vna est natura pater, filius cum sancto Spiritu, vna potentia, & vna essentia, & vnum regnum, & in vnam clamauit vocem in vili corpore, & in gloria terribili.* Expende illa, *in vili corpore, & in gloria terribili*, quantumvis enim Dei spiritus in vili corpore sit, non poterit non sentiri in mundi commotione eius gloria terribilis. Hinc Matth. 27. vbi Iesus tradidit in cruce spiritum: *Ecce velum templi scissum est in duas partes: & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt.* Et cur hæc? Ait Paulus Emissenus hom. 2. de Natiu. Christi habita in tom. 6. Conc. Ephesini cap. 14. *Tanquam Deus compressit Solis radios, diffudit tenebras, discissit templi velum, disrupit petras, excitauit mortuos. Hæc omnia autem operatus est, vt intelligeres, quod adesset corpori patiēti.* Sic dū diuinitas sancto in illo cadauere manebat, non poterat id non sentiri, vel in cōmotione vniuersi.

Ionæ 3.

D. Ephr.

Matth. 17.

D. Ephr.

Matt. 27.

§. XXV.

Virtutis internæ ardor omnia dura externa deuincit.

MOntis procellam, fulgura, tonitrua, fumum, & sonitum buccinæ, non sustinentes Iudæi à monte in quo Deus erat, seiunguntur; quippè dixit textus: *Populus videbat voces, & lampades, & sonitum buccinæ, montemque fumantem, & perterriti, ac pauore concussi steterunt procul.* Sed non erat tanta mōtis procella, quanta fuit postea fornax Babylonica incensa à Nabuchodonosore, aduersus eos, qui aureæ statuæ adorationē negligerent. Et nihilominus inuenti sunt tres viri Hebræi qui non verentur mitti intra ardentissimam fornacem, cuius in medio ambulantes cernuntur. Ait enim Dan. 3. *Et confestim viri illi vincti cum bracis suis, & tiaris, & calceamentis, & vestibus missi sunt in medium fornacis ignis ardentis.* Ecce tibi pueri isti Hebræi non verentur mitti in medium horrendissimæ fornacis ardentis, & totus ille Hebræorum exercitus, vel ad radices fumantis montis accedere refugiunt. Inermes pueri non timent esse in medio ignis ardentis, armatus exercitus vel ad lampadis visionem, & sonitum buccinæ se procul continet. Cur popule sic refugis à fumo; cum tres pueri à flammante fornace non refugiant? Ait textus de populo: *Perterriti, ac pauore concussi steterunt procul*; tenebat eos timor, non amor; nullus erat in eis ardor virtutum, sed pauoris frigus. Quos autem intimus virtutis ardor depascebat, minimè impedit, nec perterrefacit totus inferni ignis. Pulchrè accinit Sedulius lib. 1. Pasch. inquiens de pueris illis.

Dan. 3.

Medios traduntur in ignes
Nil ardente rogo, tantóque ardore talentes
Cordis, imaginea vincunt incendia pœna

Igne animi.

Sanè qui animis ardebant intrinsecus, prorsus rident extrinsecos ignes; intimus enim virtutum ardor externos constringit tormentorum aculeos. Hinc clamabat ille Psal. 25. *Vre renes meos, & cor meum:* nec expauit petere, quod eius renes vrātur, dum simul cor internis aduratur ignibus; quando enim cor ardet igne virtutum, externos omnes exsibilat ignes. Ait D. August. ser. 30. de Sanctis: *Vre, inquit, renes meos, & cor meum: duplici se postulat igne comburi. Nam si de solo igne mundi loqueretur, sufficeret renes tantum exurendos obtulisse. Cor autem nisi flamma Christi non vrit, atque ideò ad comprobandam deuotionem suam, geminum sibi ignem postulat, vt luctamine habito ostendat in se plus posse amorem Christi, quam pœnam tyranni.* Et quidem qui intimis Christi ignibus aduritur, vix sentit externorum ignium aculeos. Rem firmat exemplum à sæcularibus militibus petitum; ij erant Romani expugnatores Ierosolymorum, de quibus dicit Egesippus lib. 3. cap. 13. *Cum muro Romanus miles succederet; sicut erant conferti, Iosephus oleo feruenti perfundi Romanos iubet, quod facile à vertice ad ima defluebat vestigia. Nec minor incendio flamma candentis, olei feruor omnes artus depascebatur. Et quamuis huiusmodi olei natura sit, vt cito calescat, & sero conceptum deponat calorem, tamen victoriæ studio abscondebant iniuriam. Ardebant animis, vt nullum corporis sentirent incendium, nec tanti æstimabant pœnæ feruentis dolorem, quanti dispendium gloriæ si bello desisterent.* Quid pulchrius? Ecce milites non refugiunt accessum muri, ex quo ardentia olei flumina scatuciebant, feruentisque olei dolores contemnunt acerbissimos. Sed vndè contemnunt ignibus adusti? Ardebant animis, & gloriæ, & victoriæ studio. Sic animi ignes rident extrinsecus flammantes ignes. Quis nesciat durissimas sartagines pœnarum, in quas fuit Iob immissus? De illo tamen ait cap. 2. *In omnibus iis non peccauit Iob.* Sed vndè aduersus tot mala habuit munimen? Ait Diuus Chrysost. hom. 3. in Iob. *Non me mouent exteriores sagittæ interioribus vallatum, confirmant me magis intro Dei sagittæ. De quibus Dauid: Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi. Sagitta pietatis, sagitta iustitia.* Virtutum sagittæ, quæ intima præcordia penetrabant, hæ auferebant externis diaboli sagittis efficaciam. Sit vtinam in nobis virtutum ardor, & fallar, si extrinsecos ignes æstimabimur.

August.

Egesipp.

Iob 2.

Chrysost.

Deuteron. 18. Et ait Dominus Moysi: Bene omnia sunt locuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi, &c.

§. XXVI.

Verba Dei, ore Christi prolata, maximè confirmant & suauiant homines.

COrrepti timore Israelitæ in auditione decalogi colloquium Dei detrectabant, quasi in eo haberent mortem, & hominis cupiebant colloquium, quo viuere possent. Sic enim supra dicebant ad Moysem: *Loquere tu nobis & audiemus. Ne loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Quæ verba vt Moyses retulit Domino non exasperatus Dominus est, quinimò acceptauit sermonem, & diuini hominis Christi fecit promissionem, cuius verba, & præcepta non deterrerent, sed confirmarent homines. Quò spectant illa data Deut. 18. *Bene omnia sunt locuti: Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore eius.* Quid ais Domine? Ponam verba mea in ore eius? Isti verba tua, præcepta tua expauent, & minimè illa sustinere possunt, cur adhuc dicis de tuis verbis ponendis in ore mediatoris? Nonne similiter in eius ore illa expauent? Minime; sed quæ ab ore Dei præcepta, & voces intolerabiles videntur homini, ea à mediatore nostro Iesu prolata & suauiant, & confirmant homines. Pulchrè D. Ambros. rem ostendit in D. Laurentio completam ser. 1. de eo; vbi dum Christi martyrem in craticulæ tormentis describit, sic inquit: *Ardebat itaque extrinsecus Beatus martyr tyranni sæuientis incendio, sed maior illum intrinsecus Christi amoris flamma torquebat. Et quamuis rex improbus ligna subiiceret, incendia maiora supponeret: tamen sanctus Laurentius has flammas fidei calore non sentit, & dum Christi præcepta cogitat, frigidum est illi omne, quod patitur.* Vide vnde non sentiat bonus, nec metuat ignium ardentium horrores, nec dolores, nimirum: *Dum Christi præcepta cogitat.* Et compone Laurentium cum toto Israelitarum exercitu.

Deut. 18.

D. Amb.

exercitu Dum præcepta Dei Israelita audit, inter fulgura, & buccinæ voces, prorsus animo concidit, & fugit, vel fumantem montem; Laurentius autem dum Christi præcepta cogitat, frigidos putat ardentes craticularum rogos. Sic diuina præcepta in Christi ore suauiantur, & consortant aduersus flammas infirmos homines. Aiebat Actor. 6. *Verbum Dei crescebat, & multiplicabatur numerus discipulorum in Hierusalem valde: multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei.* Sed & cap. 13. dicit: *Audientes autem gentes, gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini, & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam. Disseminabatur autem verbum Domini per vniuersam regionem.* Verbum Dei, quod in Sinai perterrefaciebat Israelitas, & illos à vicinio arcebat, modo & Iudæos, & gentes ad se trahit, & asseclas multiplicat mirum in modum, non alia quidē ratione, nisi quia ab ore Christi mundo intonuit. Id quod ponderans Egesippus lib. 2. c. 12. ait: *Plerique Iudæorum, Gentiliū plurimi crediderunt in Iesum, cum præceptis moralibus, operibúsque vltra humanam potestatem inuitarentur.* Expende, quibus inuitabantur homines ad Christi sequelam, nimirum ait: *præceptis moralibus*, quippe vt per Dei præcepta antiquitus arcebantur homines, sic modo inuitantur per Christi præcepta. Quid mirum? Vel vox Christi valet confirmare, & erigere, & trahere homines cadentes. Matt. 17. vbi Christi domini transfiguratio recensetur, dum ad Patris vocem venitur, ait: *Et ecce vox de nube dicens. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Et audientes discipuli ceciderunt in faciē suam, & timuerunt valde. Et accessit Iesus, & tetigit eos dixitque eis, Surgite, & nolite timere, &c.* Ecce tibi Patris voce sic concutiuntur discipuli, vt decidant in terram, voce Iesu sic conualescunt, vt surgant intrepidi. Rem ponderat D. Ephrem orat. in Transfig. aiens: *Pater aperit, & declarat filium. Ad hanc vocem Apostoli proni ceciderunt in terram. Erat enim tonitru terribilis. Quamobrem voce eius terra tremuit, & ij ceciderunt. Ostendit eis patrem appropinquasse. Voce sua etiam eos Iesus excitauit. Quomodo enim vox Patris eos deiecit, sic etiam vox filij in virtute sua dominatus eos facit surgere.* Sic Christi vox facit conualescere infirmos homines, & eos ad se trahit, quando eos vox Patris opprimeret, & fugaret. Meritò hāc Christi vocem suspirabat illa Cant. 8. iuxta Septuag. lectionem, dicens: *Quæ sedes in hortis, amici auscultant, fac me audire vocē tuam.* Tam longè abest, vt dicat: Non loquatur nobis Dominus, quod nihil magis cupiat, quam Domini vocem audire, sed hoc, ex quo Dominus habitat nobiscum in Christo. Ex tunc enim vox diuina non conterit, sed confirmat suos. Cant. 2. *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras prospiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi. Surge, propera amica mea, columba mea.* Ex Græco legitur: *Surge, veni propinqua mea, pulchra columba mea.* Quæ erat procul, nec audebat appropinquare territa perstrepente Dei buccina, iam fit propinqua, & pulchra, & columba. Vnde sic fit propinqua? A voce stantis post parietem nostrum, & dicentis: *Surge*, quæ enim vox Christi dicebat, eadem in nobis effingit, & confirmat. Ad quod ait D. Greg. Niss. hom. 5. in Cant. *Cum sic dixisset Verbum, Surge, veni propinqua mea. Audit iussum, verbo confirmatur, roboratur, excitatur, accedit, appropinquat, pulchra redditur, columba nominatur.* Sic nobis suauiantur verba Dei prolata ab ore Christi.

Act. 9. — Egesipp. — Matt. 17. — D. Ephr. — Cant. 8. — Cant. 2. — D. Greg.

Exod. 20. Dixit præterea Deus ad Moysem: Hæc dices filiis Israel: Vos vidistis, quod de cœlo locutus sim vobis? Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis. Altare de terra facietis mihi, & offeretis super eo holocausta, & pacifica vestra, oues vestras, & boues in omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei, &c.

§. XXVII.

Non res, sed offerentis animus in sacris spectatur.

Mirabar ab omnipotenti Deo peti ex hominibus ouium, boumque hostias, sic enim cauet: *Offeretis oues vestras, & boues.* An quia gratæ sunt Deo taurorum, arietumve carnes? Absit; non equidem Deus æstimat carnes animalium, sed offerentis animum, qui propter Deum reculis suis nescit parcere. Hinc Gen. 8. *Ædificauit Noe altare Domino, & tollens de cūctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit holocausta super altare, Odoratusque est Dominus odorē suauitatis, &c.* Et qualis odor de carnibus adustis potuit esse qui dicatur Deo gratus? Crede mihi, gratus Deo odor non de carnibus ascendebat animalium, sed de offerentis animo, qui sic hostias illas offerebat, vt simul, si occasio postulasset, sese pro Deo impenderet, visceraque sua litaret. Quod notans Tertul. lib. 3. in Mar. aiebat: *Etsi ad oblationes Abel adaertit Dominus, & holocausta Noe odoratus est libenter, qua iocunditate siue viscerum veruecinorum, siue nidoris ardentium victimarum? Sed animus simplex, & Deum metuens offerentium ea, quæ à Deo habebant, & pabuli, & suauis olentiæ gratia apud Deum deputabatur, non quæ fiebant exigentis, sed illud propter quod fiebat, ob honorem scilicet Dei.* Vnus, mihi crede, in omnibus oblationibus attenditur Deo aliquid offerentis animus, qui pro suaui odore est apud Deum. Non equidem. Deus est Deus muscarum, quæ nidoribus delectantur, sed verus, & omnipotens est, & nullius egens, attendens tamen offerentium animos. Vt dicat Diuus Basil. Sel. orat. 4. *Nullius egens est Deus, sed vt offerentium mentes instruat, vt sese honorari fingit, quibus Deo honorem habere se existimant.* Quod tu putas honoris esse Deo, & facis, id quodcumque illud sit, Deo est maxime gratum, quando contendit tuus animus, vt Deum gratum habeas.

Gen. 8. — Tertul. — Basil. Sel.

CAPVT XVI.

Vituli adoratio.

Textus Historia.

NON semel interruptæ sunt diuinæ voces, vt Moyses descenderet ad suos populares, illosque Dei instrueret mandatis. Tandem ad longiorem secessum cū solo ministro Iosue euocatur, in quo non sola voce, sed scriptis tabulis diuina præcepta capiat. Scandendum cacumen montis est, relinquēdi subditi per longum temporis spatium, quare, vt absentiæ damnis medeatur, præficit gēti Aaronem, & Hur, penes quos incidentium causarum determinatio. Post hæc montem conscendūt Moyses, & Iosue pariter, cuius vt peruenerunt ad verticem, tota montis summitas, & igne, & nebulis apparuit occupata. Interea maior Iudæi nominis tractatur ruina, fauilla tetrior, quæ sepeliat & abscondat splendidissimæ maiorē prosapiæ, atque omne decus subruat, quā erubuit Iosephus, & reticuit, & vix alius Iudæus ausus est explicare. Viginti dies præterierant, & nulla erat de aduentu Moysis fama, nullus nuntius, nullum signum venturi hominis visebatur, cuius molesta mora suggessit Israelitis cogitationem prorsus insanam. Conueniunt Aaronē, & in conspectu montis in quem descendentē Deum timuerant; à quo inter fulmina, & tonitrua, buccinæ vocem expauerant, sculptilia fieri vetantem. Cur adhuc & nebula, & ignis præsentissimum Deum in vertice montis ostentarent; sibi conflari idolum contendunt, cuius ductum totis visceribus sequantur. Aaronem abstulit criminis immanitas; nec facile persuadet furentibus aliquot dies adhuc expectare, vt vrgentiori causa & notissimum, & beneficentissimum ductorem Moysem repulisse videantur.

Cum igitur trigesimum iam diem in monte Moyses ageret, & quasi extremum hominis excessum prætenderet ipsa recessus species, aususque eorum qui nec finitimis mōtis miraculis resipiscebant, multò recrudescerent amplius extorquentes ab Aarone Idolum conflatile, ac prope tumultū res essent, consultius existimatum est, illis assentiri, ne in maiorē pestem erumperent. Vocatisque præcipuis è multitudine petit Aaron sibi confestim afferri inaures aureas fœminarum. Et quis infidelis homo non potius Deos, quam fœminas suas vellet auro spoliare? Vicit tamen perfidia prudentis excogitatum. Præsto sunt inaures, fornax parata erat, & typus ex argillosa terra paratus, in quem artifices liquefactum aurū infundunt, & postridie refrigerato metallo, vitulus apparuit. Heu bouinam gentis stupiditatem! Viso vitulo aureo, quasi boues docti ad victimam, sic ad nouam religionē transeunt. Se pridem ex Ægypto erectos prædicant, per illū ipsum vitulum, quē ipsi tunc ex conflatorio extrahebant adorandum. *Hi sunt*, inquiunt, *dij tui, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Et merito, si mores Iudæorum attendantur, non nisi post vitulum egressi videbantur tot lasciuientes vaccæ. Ite miseri post vitulum, qui vos ducet sub nationum iugo, vt conteramini.

Ad recentia vituli altaria euolat Sole nouo populi multitudo.

tudo; præscriptaque solemnia tanto Deo instaurant per dies fœminarum choreæ, virorum tripudia, omnium simul compotationes, & conuiuia. Non potuit latere Moysem atrocitas facinoris, qui edoctus à Deo in montis secessu omnia populi crimina, multis conabatur Dei continere iram, nec destitit, donec in immeritatem populum placatius effecit diuinum numen.

PARS MORALIS in textus literam.

VOCAT Christianos animos Iudaicus vitulus, qui vt adoratus tristia, & lethalia Iudæis parturiuit; sic à nobis exagitatus, & solemnia, & festa faciet Christianis lætissima.

Exod. 24. Dixit autem Dominus ad Moysem. Ascende ad me in montem, & esto ibi: Daboque tibi tabulas lapideas, & legem, ac mandata, quæ scripsi, vt doceas eos. Surrexerunt Moyses, & Iosue minister eius, ascendensque Moyses in montem Dei, senioribus ait: Expectate hic donec reuertamur ad vos; habetis Aaron, & Hur vobiscum, si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos.

§. I.

Principum diutinam conuersationem fugiant, qui Dei familiaritate amant vti.

IAm Moyses se à populari conuersatione separauerat, & in montem ascenderat cum populi principibus Aaron, Nadab, & Abiu, & septuaginta aliis de senioribus, cum quibus erat in monte, vt paulò ante refertur. Sed vix cum iis paulisper visus est, & statim ad eum dicit vox diuina: *Ascende ad me in montem* Nonne ad te iam Moyses ascenderat in montem, ô Domine? Sanè dictũ est immediatè ante: *Ascenderuntque Moyses, & Aaron, Nadab & Abiu, & septuaginta ex senioribus, &c.* Quando iam ascenderat cum principibus, & in monte erat cum illis, cur Domine adhuc vrges hominẽ, vt ascendat? Cur adhuc illum ad ascensum stimulas, & ad te vocas? Equidem dum cum principibus ascendit, non putatur ascendisse eo, vbi possit familiaritate vti diuina, quam qui amat habere, necessum est, vt relinquat diutinam conuersationem principum. Ait in præsenti Lippoman: *Iubetur itaque sequestrare se totum ab aliis omnibus, tam plebeiis, quam principibus, & sese familiarius applicare Deo ad contemplationem rerum diuinarum.* Crede mihi, ægre stabit intima familiaritas cum Deo, & diutina cõuersatio cum mundialibus principibus. Et qui ad magnalia Dei percipienda vocantur, raro non periclitantur in diutina mora cum principibus mundi. Cum comprehensus Iesus in domo Principis teneretur, dicit Matt. cap. 26. *Petrus vero sedebat foris in atrio, & accessit ad eum vna ancilla dicens: Et tu cũ Iesu Galilæo eras. Et ille negauit coram omnibus, &c.* Miraris sic facile concuti fidei columnam Petrum? Vt potuit firmissima Ecclesiæ Christianæ petra sic fœmineo sibilo conteri? Expende illud: *Sedebat foris in atrio*, diutina commoratio in atrio principis virum eneruabat, vt de facili Deum abnegaret. Ait Orig. hom. 35. in Matth. *Considera enim quod Petrus foris sedens ab Iesu segregatus, & in atrio principis constitutus coram omnibus Iesum denegauit; & iterum vice secunda similiter, non extra ianuam foris factus, sed volens exire, nondum autem egressus ianuam denegauit, sed & tertia vice, quando cœpit se deuotare, & iurare, quia nescio hominem, adhuc non erat foris.* Ecce tibi quam lethifera erat Petro vocato ad intimam Iesu familiaritatem commoratio in principis atrio. Nec dicas; Ego cum principibus ago reluctans, & statuens me ab illis quam primum expedire. Si enim tardaueris te expedire, licet id statuas, tamen periclitaberis. Pro quo expende illud: *Volens exire, nondum autem egressus ianuam denegauit* Semper mora cum principibus periculosa erit etiã fugere meditanti, dũ fugere cunctatur. Ille solus noxia principum euadet, qui nullas cum illis moras agit. Aiebat ille Ps. 36. *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani. Et transiui, & ecce non erat.* Quem instar proceræ arboris eleuatũ, & exaltatum videbat, dum transit, nihil in eo videt esse substantiæ, nihil, quod posset amare, & nihil à quo possit damnum pati. Sed apud Danielem similiter Babylonius princeps, vt magna arbor, videbatur eleuatus. Ait enim cap. 4. *Magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cœlum; aspectus illius erat vsque ad terminos vniuersæ terræ. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & esca vniuersorum in ea; subter eam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis eius conuersabantur volucres cœli.* Quid plura? Accedit Dei sententia, & arborem, & bestias, & volucres damnat. Succiditur arbor, bestię & volucres misere fugantur. Compone modo arborem cũ arbore: vtraque exaltata erat, & eleuata super omnes, in arbore Danielis etiam volucres cœli periclitantur, & coguntur exulare; in Dauidis arbore nihil periculi inuẽtum est, nihil damni capit etiam spectator. Et quando volucres cœli exilij fugæque patiuntur dãna in Danielis arbore; cur in Dauidis arbore nihil damni inuentum est? Equidem de Danielis arbore dicit; *in ramis eius volucres cœli conuersabantur.* De Dauidis autem arbore dicit: *Transiui, & ecce non erat.* Vbi autem cœli volucres diutinam conuersationem cum principibus agunt, non mireris, si eorum participent mala. Quæ prorsus euadet, qui non nisi in transitu cum illis agit. Sapienter Nazianz. 1. Apol. in Iulianum ait. *Quo dat, vt impius nunc supra cedros elatus conspiciatur, nunc deiectus atque in nihilum redactus, si quidem eius impietatem cauto pede, ac celeri praterire possimus.* Expende in quo ponat Nazianzenus, vt principũ prosperitates, aut deiectiones nobis innoxiæ appareant; nimirum, *si eius impietatem cauto, ac celeri pede praterire possimus,* vocat impietatem temporalẽ principum gloriam, vt Moyses temporale peccatum vocabat apud Paulum. Si ergo nos qui ad Deum festinamus, non cunctemur inter fauores, & temporales glorias principum, sed cauto, celerique pede eas pertransiuerimus, innoxie eorum altitudines, & depressiones speculabimur. Qui enim diutius cũ principibus agunt, mirum erit, si à Deo non contemnantur. Aiebat Isaias cap. 49. *Hæc dicit Dominus redemptor Israel, sanctus eius, ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad seruum dominorum.* Vbi noster posuit; *seruum dominorum.* legit D. Cyril. Alex. lib. 4. in Isaiam orat. 4. *Qui seruus est principum;* vt videas inter quas gentes ponantur apud Deum diutini principum asseclæ: nimirum inter contemptibiles animas, & gentes abominatas.

Lippom. *Matt. 26.* *Orig.* *Psal. 36.* *Dan. 4.* *Nazianz.* *Isaia 49.*

§. II.

Virtus parui temporis vix censetur apud Deum.

IN montem ascendere iubetur Moyses, & ibi stare, nec exprimitur quantum temporis ibi stare debeat; solum enim dicit: *Ascende ad me in montẽ, & esto ibi.* Cur non exprimit quot dies ibi stet? An paucos vel multos dies ibi consumat? Sanè eo ipso, quod apud Deum iubeatur esse, non id intelligendum est per paruum temporis, sed per plurimum; vix enim apud Deum censetur virtus, quæ & paruo tempore, & semel fit. Quo spectans Rupert. aiebat: *Additum est, & esto ibi, subauditur non vna hora, vel vno die, sed esto ibi, id est, mane ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* Ecce tibi vt ex eo, quod dicat, esto ibi, putet subintelligi debere non vna hora, nec vno die, sed multis diebus manendum ibi. Nec aliter apud Deum putaretur fuisse, qui in eo aut vnam tantum horam, aut vnum tantum diẽ semel consumeret? Hinc Amos c. 5. *Nunquid hostias, & sacrificium obtulistis mihi, in deserto quadraginta annis domus Israel?* Sic Deus obiicit Israelitis, quod per totos quadraginta annos deserti nõ obtulerint hostias, nec sacrificia Deo. Verum Exod. 24. dicit: *Misitque Moyses iuuenes de filiis Israel, & obtulerunt holocausta, immolaueruntque victimas pacificas Domino, vitulos duodecim, &c.* Compone modo Exodum cum Amos: Exodus dicit oblatas victimas & sacrificia ab Israelitis in deserto, & particulariter numerat vitulos occisos duodecim; Amos negat vllas hostias tunc temporis oblatas fuisse. Quid ergo dicemus? Nonne opposita sunt hæc, fuisse, & non fuisse victimas? An Moyses & Amos contrariantur sibi, & quod ait vnus, alter negat? Absit; sed verũ est, quod aliquãdo & raro victimæ oblatæ fuerunt in deserto, vt ostendit Moyses: at quia hæ frequenter, & per multum temporis non offerebantur, ideo Amos sic loquitur, quasi nullæ oblatę essent. Parũ enim pro nihilo reputatur. Ad hæc Caiet. ait in cap. 34. Exod. *Si quæritur, quomodo verificatur hoc cum verbis Amos? Solutio est, quod in deserto fuerunt rara sacrificia, quæ non aduersantur sententiæ Dei apud Amos loquentis de iugi sacrificio, & solito in terra promissionis hostiis, neutrũ enim horũ seruatum est in deserto quadraginta annis.*

Rupert. *Exod. 24.* *Caiet.*

Erat

Erat equidem in templo Dei iuge, continuarumque sacrificium, quotidianæ hostiæ, quæ, & mane, & vesperi offerebantur Deo, quod minimè inueniebatur in deserto; vbi raro aliquod sacrificium oblatum est, nec vllum continuatum fuit per aliquod tempus. Quod autem rarum, & horarium fuit, non contrariatur dicenti, quia nullum fuit; non enim apud Deum censetur rarum virtutis opus, & parui temporis. Conueniant huc, qui semel tantum in anno ad pœnitētiæ, & Eucharistiæ accedunt sacramenta; & post peractum hoc anni pensum in vno die, via ad noctem perueniunt, quin ad consuetas peccatorum tenebras redeant, quibus per integrum annum permanent. Metuo ne hi apud Deum reputētur, quasi qui nunquam sua peccata fuerint cōfessi. Non enim parua, & rara virtutum opera veniunt in salutis censum. Matth. 25. fatuæ virgines expergefactæ dicebant prudentibus: *Date nobis de oleo vestro, quia lāpades nostræ extinguuntur.* Sanè non prorsus habebant extinctas lampades, sed adhuc de paruo oleo lucebant; & iam periclitabantur, & iam extremam ruinam præsentiebant. Quid mirum? Parum olei propinquius cēsebatur æternis tenebris, quam lumini æterno. Ex quo D. Hier. ibi ait: *Quæ lampades suas queruntur extingui, ostendunt eas ex parte lucere. & tamen non habent lumen indeficiens, nec opera perpetua si quis igitur habet animam virginalem, & amator est pudicitiæ, non debet mediocribus esse contentus, quæ cito exolescunt.* Quæ mediocria, quæ parua sunt, quàm primum è memoria euanescunt. Eadē promit Paschas. lib. 11. in Matth. *Quæ lampades queruntur extingui, ostendunt eas accensas habuisse, & illuminasse, & ex parte eas luxisse. Sed quia non habuerūt opera perpetua, id est, opera charitatis æterna, nec indeficiens lumen, propterea extinguuntur.* Is habet lumen indeficiens, qui continuis, crebrisque virtutum operibus nititur lumen gratiæ in se retinere; & non patitur illud esse extinctum, quin cōfestim reaccendat, & illi conseruando multa adhibeat virtutum fomenta. Qui autem non perpetua sic virtutum opera habet, sed rara, & parua; is metuat æternis mandari tenebris.

Matt. 25.

Hieron.

Paschas.

§. III.

Legis medulla, & spiritus sine Iesu nequit percipi.

AD altiorem locū vocatos Moyses, relictis Aarone & aliis, secū defert Iesum Naue; ait enim textus: *Surrexerunt Moyses, & Iosue minister eius, ascendensque Moyses in montem Dei, senioribus ait: Expectate hic, &c.* Ecce, vt aliis relictis in illo loco noluit sine Iesu ad altiorē ascendere. Et merito, vocabatur enim ad altiorem legis intelligentiam, ad spiritum, & medullam legis percipiendam, quæ sine Iesu nequeunt percipi. Ait Seuerus apud Lippomanū in cat. *Postmodum vero assumptis Aarone, & senioribus Israel, eos vsque ad primum montis verticem subduxit, hoc est, ad altitudinem particularis diuinorum oraculorū ascensionis, per quam litera ipsa tantummodo reuelabatur. Cum autem interiorem scripturam, spiritualem dico sensum, & profundū legis accepturus esset, Iesum Naue secum assumpsit, qui figuram Iesu Domini, & seruatoris nostri gerebat, neque enim sine Iesu profunda legis, & Euangelij mysteria intelligi poterant.* Quando enim omnia legis Christum adumbrabant, Christum Iesum præcinebant, in vanum quis sine Iesu vellet percipere mysteria, & spiritum legis. Hinc Matth. 17. vbi Iesus in monte transfiguratus est, cū instar Solis facies eius splēdesceret. *Ecce apparuerunt illis Moyses, & Elias cum eo loquentes.* Expende quando apparent Moyses, & Elias loquentes cum Iesu, nimirum cum antè Iesus in gloriæ suæ splendore cernitur. Nisi enim Iesus prius nostris mentibus illucescat, lex & prophetæ minime intelligentur. Rem tractat D. Chrysost. homil. 10. in Marcū fatus: *Nisi Iesum vidissent transformatum, nisi vestimenta illius candida, Moysem, & Eliam videre non poterant loquentes cum Iesu. Quandiu Iudaicè intelligimus, & literam sequimur occidentem, Moyses, & Elias cū Iesu non loquuntur, euangelium nesciunt. Sin autem Iesum secuti fuerint, & videre Dominum meruerint transformatum, & candida vestimenta eius, & omnia spiritualiter intelligere, quæ scripta sunt, statim Moyses, & Elias veniūt, id est lex, & prophetæ, & colloquuntur euangelio.* Sequaris, necessum est, Iesum, eiusque gloriam videas, & statim medullā legis, prophetarumque capies; & lex, & prophetæ Iesum vndique personabunt, euangelicisque mysteriis applaudent. Nihil enim à Iesu venit, quod non promat legis & spiritum, & substantiam. Sic enim ait Tertul. lib. 4. in Marcionem fatus: *Vtique Iesu eloquium diuinum vim, & gratiam præstabat, magis extruens, quam destruens substantiam legis, & prophetarum.* Nunquam non ea Iesu apparebat legis gratior substantia.

Lippom.

Matt. 17.

Chrysost.

Tertul.

Exod. 24. Cumque ascendisset Moyses, operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini supra Sinai tegens illum nube sex diebus. Septimo autem die vocauit eum de medio caliginis. Erat autem species gloriæ Domini quasi ignis ardens super verticem montis in conspectu filiorum Israel. Ingressusque Moyses medium nebulæ ascendit in montem, & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.

§. IV.

Dei gloria in omnimoda carnis maceratione, & abnegatione.

DVo Moysis ascensus in montem in præsenti capite recensentur; alter cum septuaginta senioribus, alter cum solo Iosue, in vtroque ascensu ostenditur Dominus: sed in primo simpliciter dicitur Deus visus esse, in secundo non simplici vocabulo dicitur visus Deus, sed gloria Dei apparuisse ostēditur. Habes enim: *Cum ascēdisset Moyses, habitauit gloria Domini supra Sinai.* Et rursus ait: *Erat autem species gloriæ Domini quasi ignis ardens super verticem Domini in conspectu filiorum Israel.* Ecce tibi, vt ascendente Moyse solo, ipse ostentat gloria Dei. Verum vbi cum aliis ascendit, dicit textus: *Ascenderuntque Moyses, & Aarō, & Nadab & Abiu, & septuaginta de senioribus Israel, & viderunt Deum Israel. Videruntque Deum, & comederunt, & biberunt.* Non dicuntur vidisse gloriā, sed Deum, quasi illorum visio non multum pertinuisset ad gloriam Dei. Et cur in ita non nominatur Dei gloria, vt nominatur, quādo solus Moyses accedit? Equidem de iis dicitur. *Videruntque Deum, & comederunt, & biberunt,* forsan conuiuiis, & compotationibus licet sobriis celebrantes, & honorificantes festum Dei apparentis. De Moyse autem ascendēte solo dicitur, quod fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus absque vllo potu, aut esu. Quod autem festis conuiuiis, & sæcularibus pompis celebres Dominum, imperfectorum est hic cultus, & religio; illud magis ad gloriam Dei spectat, quod in omnimoda carnis abnegatione, & maceratione adoretur diuinitas. Hinc post Iesu traditum patri spiritum ait Ioan. 19. *Rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathæa, vt tolleret corpus Iesu: Venit autem, & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire.* Mirabar sæpe, cur in tota hac Christi sepeliendi pompa, nullus Apostolorum dicatur interfuisse: nec discipulus ille dilectus, qui cruci adstitit, dicitur adfuisse inferendis aromatibus sepeliendo Christo. Tota hæc pomposa sepulturæ curatio relicta fuit penes nobiles viros Nicodemum, & Iosephum, qui è discipulis imperfecti erant Christi. Et cur hi potius eliguntur ad præstandum hoc pomposum obsequium sepulturæ? Cur non magis Apostoli? cur non magis Ioannes, qui cruci adstitit, dicitur adfuisse huic pompæ? Sanè, imperfectorum est obsequium, quod in pompa sæculari offertur, & non tanti momenti apud Deum, & ideo relinquitur imperfectis adhuc discipulis, qui erant è nobilium, principumque numero. Apostoli autem, & qui perfectiores sunt, non in pompa, sed in ignobilitate, in humiliatione, in fame, & frigore, & nuditate, & in omnimoda carnis abnegatione suum obsequium præstant, quod ad supremum Dei honorem, & gloriam maximè pertinere sciunt. Ait Diuus Chrysostomus homil. 84. in Ioann. *Hæc* (nimirum pompose sepulturæ obsequia) *à non intelligentibus resurrectionis rationem facta sunt. Nec enim ex duodecim hæc fecerant, sed qui non multo Iesum honore prosecuti sunt. Duodecim autem non sic, sed morti, cædibus, & periculis pro eo se exposuerunt, qui honor longè maior.* Sanè sæculares pompæ non multum extollunt Dei gloriam, nō ad magnum pertinent Dei honorem: quod illi in fame, & siti, & periculis seruias, is, si qui alius, magnus Dei honor est, maximeque in eo ostenditur gloria Dei. Ingens erat opus, & præclarissimum in fornace Babylonis, in qua ignis sic frænabatur, vt minimè pueros Hebræos læderet. Ad quod stupens Nabuchodonosor ait Daniel. 3. *Benedictus Deus eorum Sidrach, videlicet, Misach, & Abdenago, qui misit Angelum suū, & eruit seruos suos, qui crediderunt in eum; & verbū regis immutauerunt, & tradiderunt corpora sua ne seruirent, & ne adorarent omnem Deum, excepto Deo suo.* Expende, quā multus est in explicāda puerorū virtute, & quam

Ioan. 19.

Chrysost.

Dan. 3.

paucus in diuinæ potestatis miraculo ponderando. De miraculo solum dicit: *Misit Angelum suum, & eruit seruos suos*, nec ponderauit ignis valantiam fræuatam, ardentes flammas in rorem commutatas, da puerorum virtute nihil non ponderat, & exaggerat. Ait anim: *Qui crediderunt in Deum, & verbum regis immutauerunt, & tradiderunt corpora sua. &c.* Cur bone in conspectu diuini facinoris, & miraculi frænantis flammas, tantus es in explicanda puerorum virtuta, vt contempserint regiam potentiam, regiam gratiam, vt corpora sua periculis, duræque morti tradiderint propter Deum? Cur non es largior in explicando opere diuinæ potestatis? Equidem non sic gloria Dei apparet in potentissimis miraculis, vt in illis apparet, qui in omnimoda rerum abnagationa, in aarnis, mundique contemptu coram illo versantur. Ait D. Chrysostomus homil. 18. in 1. ad Corinth. fatus: *Itaque non propter signum tunc Deus tantum glorificatus est, sed propter eorum, qui in fornacem iniecti sunt, propositum.* Multum ad Dei gloriam faciebat signum, quo valentia ignis coercebatur, & Deo parebat; sed longè magis Dei gloriam ostentabat puerorum propositum, quo omnibus mundi bonis renuntiantes, in extrema necessitate firmi in Dei seruitio perseuerabant. [Chrysost.]

§. V.

Carnis mortificatione diutiùs, perseuerantiùsque Deum habes.

DVm Moyses montem ascendit, statim ibi Dei glorism experitur inhabitantem, dicit enim: *Et habitauit gloria Domini suprà Sinai tegens illum nube sex dies. &c.* Expende illud *habitauit*, non anim in transitu fuit ibi gloria Domini, sed quietè, & placidè illic quasi in propriis sedibus inhabitabat. Paulò ante & Moyses, & magnates vidarant Daum, sed non inhabitantem ibi: dicit enim: *Videruntque Deum, & comederunt, & biberunt.* Sed non cum his dicitur Deus fuisse moratus, nec habitasse. Et cur cum his non moratur Deus, nec inhabitat, & vbi Moyses paulò magis asceodit, statim offendit gloriam Dei ibi inhabitantem? Illi, & viderunt Deum, & comederunt, & biberunt; nec miror, quod qui conuiuiis indulgent, Deum secum non habeant inhabitantem: Moyses autem non manducans, nec bibens, sed in fame, & siti Deo astans merito experieur gloriam Domini ibi habitantem, perseuerantius enim, & diutius Deus moratur, vbi est appetitus, carnisque mortificatio. Ideò ait Paulus 2. ad Corinth. 12. *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.* Præmiserat cap. 11. multa de infirmitatibus suis, vt plus omnibus laborauerat, in fame, in siti, in frigore, & nuditate; vt colaphizabatur ab Angelo Satanæ. Et quid lucri in tot infirmitatibus? Ait statim, *vt inhabitet in me virtus Christi*; vbi enim austeritas vitæ, & carnis macaratio est, non vtcumque est diuina virtus, sed per inhabitationem, & diuturniorem consessum. Ait Diuus Chrysost. ibi hom. 26. *Vt inhabitet in me virtus Christi. Hic aliud quippiam innuit; nimirum, quanto plus ingruat tentationum, tanto magis augeri gratiam, eamque diuturniorem.* Tunc enim diuturnior est Dei commoratio in nobis, quando magis per carnis macerationem cnatctamur. Hinc Iobi post spoliationem à bonis, post ægritudinum ærumnas, post amicorum contumelias, dicit cap. 38. *Respondens autem Dominus Iob de turbine dixit.* Ea Græco legitur: *Dixit Dominus Iob per procellam, & nubes.* Non simpliciter Deus venit ad Iob tot maceratum ærumnis, sed vanit in nubibus. Et cur in nubibus maluit venire? Vt ostenderet ad talem non transitoriè venire, sed ita venise, vt eo transferat, & habitationem, & sedem suam. Ait Diuus Chrysostomus in cat. Græca. *Cum cœli symbolum, ac nota sit nubes, quando cœlum ipsum vult Iobi vertice imminere, ferme solium prope Iobum admouet, quo mentem eius erigat.* Expende illud, *solium prope Iobum admonet*; quippè cum dumo, & solio, & sede sua adest Dominus Iobo, proculdubio apud illum habitaturus. Non equidem venit Dominus viator, sed habitator, non hospes, sed domesticus illis, qui sæcularibus cupediis renuntiant. De Israelitis in eremo existentibus, & in siti, & fame per solitudinem peregrinantibus ait Paul. 1. ad Corinth. 10. *Bibebant autem de spirituali consequente eos petra: Petra autem erat Christus.* Non dicitur Christus fuisse riuus, qui dimanans à petra, sitientes satiabat, sed dicitur fuisse petra. Et cur non potius comparatur Dominus dulcissimo fluento scaturienti à petra, quam ipsi petræ? Merito non comparatur transeunti fluento, sed manenti petræ, iis enim qui in ærumnis, in fama, & siti sunt Deo fideles, firmiter, & perseueranter adast Deus. Ait D. Ambr. in Psal. 39. *Petra autem erat Christus. Petra, eo quod sitientes sequatur, confirmet labentes, ne sitientibus aqua desit, labentibus firmamentum.* Is enim est Deus, qui nesciat separari ab iis, qui in fame, & siti, & in carnis mortificationa eum quærunt; hos enim penè inseparabilitar comitatur, & sequitur, apud illosqua est quasi immobilis petra. [2.Cor.12.] [Chrysost.] [Chrysost.] [1.Cor.10.] [D.Amb.]

§. VI.

Verbum Dei hominem in quauis indigentia sustentat.

SEx diebus fuerat Moyses in vertice montis non manducans, naque bibens, & septimo à Domino vocatur, nec est, qui inter tot dies meminerit epulas, solum enim dicit: *Septima autem die vocauit eum de medio caliginis.* Ad quid Dominum vocas sex dierum inedia aonfectum? Nónna vtilior illi fuisset manus tua panem porrigens, vt viueret, quam voa tua vocans ad mysteria? Absit, voa enim Dei, eiusque verbum potens est reficere, & sustentare hominem in quacumque necessitate existentem. Ait Rupertus lib. 3. in Exod. c. 45. *Quasi quæreret, quomodo tandiu durauit homo sine cibo, & sine potu, cum vltra septem dies natura humana sine omni alimonia durare non possit? Septimo autem die, inquit, vocauit eum de medio caliginis. Vocauit ergo illum de medio caliginis, cuius vox suauis, & super mel, & fauum est dulcis, & vocantem sua sic inopem naturam hominis detauit, vt vsque ad quadragesimum diem non solum cibi, & potus, sed totius humanæ conditionis possit obliuisci.* Quid pulchrius? Ea est vox diuina, quæ omnem indigentiam in homine supplet, & dum humanis auribus intonet, hominem agere minimè sinat. Nulla indigentia, nulla pressura sentitur in eo, in quo sonat efficacia verbi diuini. Dicebat de se Paulus 2. ad Corinthios 12. *Scio huiuscemodi hominem, (siue in corpore, siue extra corpus, nescio; Deus scit) quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba.* Mirabar, quod Paulus nesciret, an raptus esset, cum corpore; sed illud nunc miror, quod post raptum peractum, id non inquirat Paulus, ex aliquibus ipsius signis corporis. Cur Paule id non inquiris ea ipsis corporis indigentiis? Cur non examinas, an corpus interea, quæ sint corporis, habuerit? An esurierit? An sitierit? An aliqua grauedina oppressum fuerit? Poteratne esse corpus, vbi hæc non erant? Equidem sine illis poterat corpus esse, & diutius esse, dum in illo sonarent Dei verba, ideo Paulus cum asserat à se arcana verba audita, prorsus refugit examinare corporis indigentias. Ait Diuus Ambrosius epist. 11 ad Irenæum, fatus: *Audiens verba Dei, quomodo ad corporis infirmitates descenderet, erubescebat. Itaque sciens quid audisset, clamat dicens: Quid adhuc velut viuentes de hoc mundo discernitis? Ne tetigeritis, ne attaminaueritis, ne gustaueritis, quæ sunt omnia ad corruptelam ipso vsu. Volebat nos in figura esse huius mundi, non in possessione.* Sic affectus diuinis verbis, sic satiatus procurat persuadere nihil aliud esse requirendum, quando in verbo Dei tanta est vis, quæ possit nos implere, & facere, vt penitus obliuiscamur omnium, quibus corpus eget. [Rupert.] [2.Cor.12.] [D.Ambr.]

§. VII.

Adumbrata fugientes mala, in vera incidimus.

ECce quibus perterrefacti Israelitæ fugiebant montem in quo erat Deus, nimirum ait. *Erat autem species Domini quasi ignis ardens super verticem montis. &c.* Non ignis asse dicitur, sed quasi ignis, vt enim notat Caietanus, dicendo quasi ignis, *insinuat, quod non erat verus ignis, sed erat similitudo ardentis ignis.* Proh misera hominum conditio. Non vera, sed adumbrata mala sunt, quibus à Deo arcemur, & vt adumbrata hæc fugiamus, non dubitamus nos veris tradere malis. Instar puerorum, qui horrentes laruas flammis se tradunt, sic nos horrentes apparentia tantum mala, in verissima tormenta currere nõ dubitamus. Aiebat Genes. 37. Ioseph fratribus suis: Audite somnium meum, quod vidi: *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum.* Ad hoc somnium exasperati fratres vendiderunt Iosephum Ismaelitis, vt se somnio liberarent; qui deductus est in Ægyptum, ibiqua quasi rex factus, cum in tempore famis frumento abundares, ad eum currunt, illumque adorant pro panibus, & non paruam tribulationem apud illum capiunt. Vndè ad hæc deuenerunt mala? Ea eo solum, quod somnia Iosephi expauescunt, quæ dum fugiunt, incidunt in vera mala. Pulchre enim ait D. Basil. Sel. orat. 8. *Iosephi fratres vsque ad sanguinem contra* [Caiet.] [Gen.37.] [Basil. Sel.]

somnia

somnia pugnantes, nundinatione somnia ad effectum perducunt, & inclementes cognato sanguini nundinatores constituti, post ponto vilius emptores onadunt, & obiectos per somnium manipulos exosi, nō multò post verorum manipulorum supplices rogatores extiterant. Expende ab illis: *Obiectos per somnium manipulos exosi*; quippè fugientes somnia, fugientes humiliationem in somniis repræsentatam, ad veram humiliationem, & tribulationem euolarunt. Id quod sæpissimè omnibus accidit, qui fictas, & adumbratas tribulationes fugimus, vt veras amplectamur. Et quæ tribulatio temporaris non ficta est, non est apparens tantum? Sanè Babylone incensa erat horribilis fornax, cuius flammæ horrorem incutiebant spectatoribus maximum. Has tamen videntes pueri Hebræi non metuunt illis tradi, vt sese ab adoratione liberarent aureæ imaginis. Mittuntur ergo medias in flammas, & quas à foris ardentissimas reputabant, intra illas, rorem inueniebant, non flammas. Ait enim Daniel. cap. 3. *Fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem.* Flammæ apparebant, & ros inueniebatur à pueris; sic temporariæ pœnæ, non tam pœnæ, quam apparentiæ pœnarum, & imagines sunt. Vt dicat Sedul. lib. 1. Paschali.

Dan. 3.

Sedul.

Medios tradnatur in ignes
Nil ardente rogo, tantoque ardore calentes
Corda, imaginea vincunt incendia pœna.

Nota illud *imaginea pœna*; sunt enim, quas horremus pœnæ temporariæ, imagines pœnarum, illasque imaginatas, & apparentes experiuntur strenui fideles. imbecilles autem ad has apparentias stupentes, non dubitant se veris tormentis tradere. Huc teneon dicta supra 1. tom. in vetus Testam. lib. 3. cap. 1. part. 5. §. 24. in fine.

Exod. 32. Videns autem populus quod moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus aduersus Aaron, ait: Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant. Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus, quid acciderit ei.

§. VIII.

Ducis optimi fœlicitas, quod eius absentiam solus Deus possit supplere.

IN summa Israelitarum stultitia, & perfidia, non negauerim illud prudentiæ fuisse, quod post Moysen non requisierint alterius hominis, sed solius Dei ducatum. Dicūt enim stultissimi, & ingratissimi homines: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant. Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus, quid acciderit ei.* Quando desperant de reditu Moysis beneficentissimi ducis, sibi petunt Deos ductores conflari. Cur non potius de alio eligendo homine duce maluerunt cogitare? Cur in defectu Moysis magis Deos, quam hominem alium flagitant? Sanè in tanto flagitio id videntur sapere, quod putent boni ducis, bonique principis absentiam minime suppleri posse nisi per præsentissimam diuinitatem. Ait Abulens. quæst. 8. *Nullus talis, vt Moyses videbatur inueniendus. Visum ergo fuit eis, quod nullum sufficientem directorem habere poterant, nisi Deus esset.* Et quis non Deus optimi ducis absentiam suppleret? Eò spectans Iacob Genes. cap. 49. in benedictione regiæ tribus Iuda dum Dauidis mente euoluit magnalia, fatur: *Ad prædam, fili mi, ascendisti, requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna. quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Loquitur de Dauid, vt regnauit, vt nationes hostiles deprædatus est, vt omnibus ipse metuendus in pace requieuit, & sepultus est. Tunc de eius successoribus cogitans, vt bene sentit Hugo Card. de filiis agens, qui patri succedant, & in quibus pater adhuc viuere, & superesse videatur, ait: *Quis suscitabit eum?* Quis Dauidis successor tantus erit, in quo patris non sentiatur absentia? A quo Dauidis defuncti sceptrum ita tenebitur, quasi ipse superesset? Sanè ad hoc necessum est, vt veniat ad Dauidis sedem ipse Deus, qui mittendus est. Non alius instar Dauidis suscitati erit, nisi Deus. Accinit Ezechiel cap. 34. fatus: *Et suscitabo super eas pastorem vnum, qui pascat eas, seruum meum Dauid.* Mortuus erat Dauid, cum hæc dicebantur, quis ergo ille est, in quo vno videretur Dauid suscitatus? Is vnus est filius Dei, nullus enim alius tanti regis potuit satisfacere desideriis. Ait D. Ambros. epist. 47. *Dauid vtique rex iā defunctus erat, & ideò verus Dauid, verus humilis, verus mansuetus, verus manu fortis Dei filius hoc annuntiatur nomine.* Nec mirum, in solo enim hoc successore, & Dauid suscitaretur, & eius defectus suppleretur. Id quod ostendebat Oseas dum ait cap. 3. *Dies multos sedebunt filij Israel sine rege, & sine principe, & sine sacerdotio: & post hæc reuertentur filij Israel, & quærent Dominum Deum suum, & Dauid regem suum.* Atqui Dauid multis sæculis antea mortuus fuerat, & vix eius semen remanserat in captiuitate illa Babylonica, quomodo ergo dicuntur quæsisse Dauidē regem suum? Sanè idē erat illis quærere Deum, & quærere Dauidem, is enim erat Dauid, qui per solū Deum poterat suppleri. Vndè Theodot. prætermittēs, quod de Dauidis inquisitione dicitur, solū ait: *Et quærent Dominum Deum suum*, quasi innuat, quod post mortem, in nullo alio posset quæri, & inueniri Dauid nisi in Deo. Facit enim hoc ad maximam principis excellentiam, quod solus Deus suppleat eius absentiam. Similiter post mortem maximi ducis Iosue non statim suscitauit Dominus principem, & ducem populi, sed dum aliqua bella committuntur, erant Israelitæ sine duce, & sine iudice vniuersali totius gentis. Interea ait cap. 2. Iudic. *Ascenditque Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium, & ait: Eduxi vos de Ægypto, &c.* Non hic aliquis homo propheta intelligitur, sed Angelus verus Deum repræsentans, & populum ab erroribus commissis auertens, & confortans ad certamina reliqua. Quod antea faciebat Moyses, & Iosue, & postea fecerunt, & iudices, & prophetæ. Sed cur nunc solum id munus nulli homini commisit Dominus? Quando id fuerat munus Moysi demandatum, & post Moysem statim idem traditum Iosue, & cur post Iosue non alteri statim homini mandatur, sed suspendit Deus iudicis electionem per aliquod tempus, malens ipse per Angelum suum populum regere, & corrigere, & ad meliora monere? Sanè conferebat hoc ad magni ducis Iosue excellentiam ostendendam, cuius absentiam non alius homo immediatè, sed vel Angelus, vel ipse Deus supplebat.

Abul.

Gen. 4.

Ezech. 34.

D. Ambros.

Oseas 3.

Theodor.

Iudic. 2.

§. IX.

Summa stultitia & miseria est, quod videns creaturarum defectum, alteri fidat quàm Deo.

PRo Moyse expuncto non alium hominum postulant sibi præfici, sed Deum, dicentes: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant. Moysi enim huic viro, qui nos eduxit, ignoramus, quid acciderit ei.* Et cur malunt sibi præfici Deum, quam hominem? Ipsi rationem reddunt, dicentes: *Moysi enim huic viro ignoramus, quid acciderit.* Ex quo enim Moysem præcelsum virum sibi defuisse experiuntur, in hoc sapienter agunt, quod nolint amplius homini fidere, sed Deo. Ait Abulensis quæst. 8. *Dato, quod aliquis ita perfectus sicut Moyses reperiretur; tamen quilibet homo deficere poterat, aut mori, sicut videbatur eis de Moyse, de quo nesciebant, quid factum fuisset. Et sic magis opinabantur eum mortuum, quam viuentem. Deus ergo ad tale regimen necessarius fuit, vt deficere non posset, neque mori.* Stulti ij in idololatria introducenda, at sapientes multum in eo, quod dum credunt mortuum Moysem, non amplius volunt morituro fidere, sed vni immortali Deo. Vtinam hanc mentem vniuersi imbiberemus, qui defectum temporalium omnium videntes, nulli amplius fideremus nisi Deo. Et quis fidat manifestè deficientibus, & non pereat? De manna Israelitis dato in cibum dicitur Exod. cap. 16 quod à multis contra Dei præceptum asseruabatur in diem crastinum, verum quod sic asseruabatur, *scatere cœpit vermibus, atque computruit.* Duo mala inueniebant miseri in eo, quod sibi asseruabant, & putredinem, & vermes. An non sufficeret putredo ad eorum inanes curas castigandas? cur maluit Deus superaddere malitiam vermium? Pulchrè ait D. Prosper de Promiss. 1. part. cap. 39. *Hæc est putredo, hi vermes eorum qui pereunte mundo cupiunt suas augeri diuitias.* Expende ab illis, *qui pereunte mundo, &c.* Quippè iustum est, vt æternis corrodantur vermibus illi, qui videntes totum mundum perire, non vni Deo fidunt, sed adhuc nituntur diuitiarum incerto. Qui inter ruinas mundi, adhuc bona temporalia expectant, non mirum, si partem suam habeant cum vermibus. Extremam Pharaonis ruinam in mari rubro nemo est, qui ignoret, ibat ille cū magno exercitu, vt fugientes Israelitas sibi retineret, affectus enim illorum seruitus illos secum nitebatur habere. Iungit currus, homines insequitur, mare intrat, vbi funditus perijt, dicente scriptura Exod. 14. *Nec vnus quidem remansit ex eis.* Et vnde miseri in tam horrendum interitū deuenere? Ait D. Macar. hom. 47. *Animaduertens*

Abulen.

Exod. 16.

D. Prosp.

Exod. 14.

D. Macar.

Pharao cum Ægyptiis fugam populi Israelitici, seque seruitio eorum priuatum esse: etiam post primogenitorum cadem persequi ausus est. Post visos primogenitos suos morientes, adhuc seruitia hominum retinere totis viribus cupiebat, vndè in irremediabile exitium deuenit. Hoc perdidit Ægyptios, & hoc innumeros perdit, quod videntes ruentem mundum, adhuc creaturis se credant, & non potius creaturis vale dicentes, vni Deo adhærescant. Pro quo monebat D. Cyprian. epist. 56. *Nemo quicquam de saculo iam moriente desideret, sed sequatur Christum, qui & viuit in æternum, & viuificat suos, &c.*

Cyprian.

§. X.

Virtutis affecla non nouit Deum nisi vnum.

QVod vnus Moyses præstiterat, etiam posset præstare Deus vnus. Iudæi tamen, qui vno ductore Moyse contenti erant, eum de Deo eligendo, loco Moysis, agunt, non cogitant nisi Deos plures. Dicunt enim: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Cur non Deum, sed Deos volunt? Ostendebatur ibi malitiæ facinus, non affectus virtutis, qui enim à virtute venit affectus, nunquam nouit cogitare nisi Deum vnum. Id quod vel nouit satyricus ille ethnicus Iuuenalis, qui auream ætatem describens omni vitio carentem, omni splendentem virtute, inter alia dicit de illa:

Nec turba Deorum
Talis, vt est hodie, contentaque sydera paucis
Numinibus, miserum vrgebant Athlanta minori
Pondere.

Ecce tibi vel ethnicus vbi floridum statum virtutis in aurea ætate depingit, nil prius indè tollit quam Deorum turbam. Sic annexum est virtutis affectui non Deum agnoscere nisi vnum. Tolle vitiosas affectiones ab hominibus, linque in illis naturam omni vitio purificatam, nulla infectam sorde, & fallar, si alium, quàm vnum Deum sonet. Hac ratione torquet gentes Arnobius lib. 2. fatus: *Da verum iudicium; & hæc omnia circumspiciens, quæ videmus, magis an sint dij cæteri dubitabis, quam in Deo cunctabitur, quem esse omnes naturaliter scimus, siue cum exclamamus, ô Deus, siue cum illum testem Deum constituimus improborum, &c.* Hæ sunt voces animæ naturales, animæ, inquam, non seruientis affectibus vitiosis; hæc talis anima nunquam non exclamauit, ô Deus, nunquam non aduersus improbos Deum testé citauit, quin in iis meminerit Deorum pluralitatem. Vt sapienter dicat D. Athanas. orat. aduersus Idola: *Est igitur malitia praua, antambuloque idololatria.* Nunquam mihi crede, mens humana ad Deorum pluralitatem iret, nisi ab affectionibus prauis ducta. Vndè Arnobio elegantius Tertull. in Apolog. cap. 17. ait: *Anima licet carcere corporis pressa, licet libidinibus, & concupiscentiis euigorata, licet falsis diis ancillata, cum tamen resipiscit, vt ex crapula, vt ex somno, vt ex aliqua valetudine, & sanitatem suam patitur, & Deum nominat solum, quia propriè verus hic vnus Deus bonus, & magnus, & quod Deus dederit, omnium vox est. Iudicem quoque contestatur illum, Deus videt, & Deo commendo. O testimonium animæ naturaliter Christianæ.* Expende illud: *Sanitatem patitur, & Deum nominat solum:* quippè vox à sana mente prolata statim exprimit Dei vnitatem. Imò pergit Tertull. *Et viros iustitia, & innocentia dignos Deum nosse, & ostendere, à primordio Deus in sæculum emisit spiritu diuino mundatos, quo prædicarent Deum vnicum esse, &c.* In multis enim à primordio resplenduit iustitia, & sanctitas, à quibus omnibus Dei vnitas est prædicata.

Arnob. *Athanas.* *Arnob.* *Tertul.*

§. XI.

Nulla honoris excellentia non sordet in turba.

DEitati maximè derogat, qui Deos plures sibi effingit, vt isti effingunt, dicentes: *Fac nobis Deos.* Nulla enim excellentia non multum sordescit, & vilescit in turba. Nil enim magnum est, quod sis, id quod multi alij sunt. Id quod notabat D. Hieron. epist. ad Pamach. *Antequam Christo tota mente seruiret, notus erat in senatu, sed multi alij habebant infulas proconsulares. Totus orbis huiusmodi honoribus plenus est. Primus erat, sed inter primos. Quamuis clarus honor, vilescet in turba. Latent in multitudine laurea. At nūc omnes Christi Ecclesia PAmachium loquuntur.* Sic sapientissimus vir præfert communi honorem singularem. In singularitate enim quælibet præstantia est magna; tunc valde minoratur, cum pluribus communis fit.

Hieron.

Hinc malus serpens primis hominibus dicebat Genes. c. 3. *Eritis sicut Dij;* cur sicut Dij, & non sicut Deus. Ipse sibi dicebat Isaiæ cap. 14. *Similis ero Altissimo,* non Altissimis, cur etiam modo non dicit, eritis sicut Deus, & non sicut Dij? Ambitiosus sibi magnum, & sublime aptabat, quod erat in singularitate diuinitatis, subdolus autem hominibus Deorum prætendis pluralitatem, vt nihil magnum in diuinitate esse persuadeat. Pulchrè ait Procopius in Glossa: *Nec intonat, eritis vt Deus: sed vt Dij, volens vt insuescerent nihil magni sentire de Deo, vt existimarent eum non solum esse Deum.* Sanè nihil magni sentit de diuinitate, qui illam pluribus communem facit; nihil magni sentit de Deo, qui non solum & vnicum, sed multos illi pares testatur. Aiebat Dominus Matth. cap. 10. *Multis passeribus meliores estis vos.* Quæ verba premens Tertull. lib. de Resurrect. ait: *Multis passeribus antestare nos Dominus pronuntiauit. Si non & phœnicibus nihil magnum.* Tura enim magnitudo cōsistit in raritate, & singularitate. Quando autem phœnix sola, & rara inter aues inuenitur; qui illi assimilatur in gloriæ singularitate, ille magnus est; qui vero ab illa singularitate cadit, & vnus inter multos est, huic nihil adest magnum. Quò respiciens Nazianzen. orat. 24. monet nos, aiens: *Si quis cor ad Dominum habet, nobiscum iungatur. Atque vnam in tribus personis deitatem adoremus, nullum humilitatis nomen inaccessibili gloria tribuentes, sed vnius Dei in tribus personis exaltationes semper in gutture ferentes.* Et quidem, quod ad vnitatem, & singularitatem diuinitatis facit, id exaltatio est; vt est humile, quidquid Deum cum aliis communem facit. Quare cauenda sunt in Deo illa nomina, quæ cum creaturis communitatem habent, vt dicat Minutius Felix in Octauio: *Nec nomen Deo quæras, Deus nomen est: illic vocabulis opus est, cum pro singulis propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est: Deo, qui solus est, Dei vocabulum totum est, quem si patrem dixero, terrenum opineris; si regem, carnalem suspiceris, si dominum, intelligas vtique mortalem.* Nullum vocabulum est proprium diuinitatis, nisi illud, per quod vnum cognoscitur nomen solum, & singulare.

Isaia 14. *Procop.* *Matth. 10.* *Nazian.* *Min. Felix.*

§. XII.

Summa ingratitudo, quod inter beneficia ipsa obliuiscaris largitorem.

DE petra fluens riuus sequebatur Israelitas, è cœlo singulis diebus manna cadebat in cibum, in montis vertice splendebat species gloriæ Dei, & in columna nubis ductor Angelus stabat coram populo, interea tamen Israelitæ clamant ad Aaronem: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Cur hoc petunt? An quia cœlestis cibus defecerat? An quia Dei Angelus è nubis columna discesserat? An quia diuinæ gloriæ species euanuerat è monte? Absit; sed habentes omnia hæc præ manibus, & coram oculis, sic petunt Deos sibi fieri, quasi non habeant Deum ductorem. Quid turpius? Sanè ingratitudo summa hæc est, quod inter ipsa beneficia, sic obliuiscantur largitorem. Rem ponderat D. Chrysostomus homil. in Iudam, fatus. *Iudæi circa Deum bonorum sibi omnium largitorem fuerunt effrænatæ diffidentiæ contumaces, & eius beneficia obliuione præteribant. Nam post Ægypti profectionem videbant scindi maria, & denuo conuenire, & alia multa mirabilia, & dicunt: Fac nobis Deos, qui nos antecedant. Adhuc inspicis, quod miraris, & oblitus es largitoris?* Sic ingratissimi, & infœlicissimi homines adhuc ob oculos habebant Dei magnalia; adhuc manibus carpebant ex Deo alimoniam, & penitus obliuiscebantur largitorem. Oseas cap. 4. monebat: *Nolite ingredi in Galgala, & ne ascendatis in Bethauen.* Mirabar, quod sic Dominus caueret accessum ad Galgala, in qua multa erant signa diuinorum beneficiorum. Ibi lapides ex Iordane educti erant testantes miraculum, quo illac transiuit populus. Cur ergo non accedant ad tantam ciuitatem, in qua stabant tot diuinorum beneficiorum memoriæ? Cauebat Deus, ne magis excresceret ingratitudo populi, intra tot beneficiorum diuinorum memorias adorantis Idola. Ait Theodor. ibi: *Galgala vrbs multis dedicata, ac deuota Idolis, vbi Iesus filius Naue non circumcisos populos cultris lapideis circumcidit: in hac eadem duodecim lapides reposuit, quos ex medio Iordanis alueo accipiendos iusserat Dominus, vt beneficij accepti essent monumentum; atque per hos lapides posteri noscerent, vt siccato alueo, populus flumen transisset. Maximè ingrati animi signum est vrbem illam, in qua tanta diuinæ benignitatis accepissent monumenta, impietatis esse factam metropolim.* Quanta hæc ingratitudo, quam immanis furor? Inter ipsa beneficiorum monumenta sedem locarunt perfidiæ.

Chrysost. *Oseas 4.* *Theod.*

Oseæ 3. perfidiæ. Hos præclare depingit Oseas cap. 13. *Ego autem Dominus Deus tuus ex terra Ægypti: & Deum absque me nescies, & saluator non est præter me. Ego cognoui te in deserto, in terra solitudinis. Iuxta pascua sua adimpleti sunt, eleuauerunt cor suum, & obliti sunt me.* In ipsa cibi perceptione obliti sunt datorem: vt merito dicat D. Cyril. Alex. ad cap. 6. Amos prope finem: *Cyr. Alex.* *Est igitur infandum crimen ingrati animi. Quem enim magis adhuc benedicendo, & laudando oportebat emollire, & gratiarum actionibus exornare, hunc stulte ad iram concitare, quomodo non perniciem nobis pariet?* Sic ibi.

Exod. 32. Dixitque ad eos Aaron: Tollite inaures aureas, de vxorum, filiorumque & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me. Fecit populus, quæ iusserat, deferens inaures ad Aaron. Quas cum ille accepisset, formauit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem. Dixeruntque. Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.

§. XIII.

Qui malum facit, vt euitet mala, certius in illa cadet.

DVm se Aaron ostendit assentientem nefario populo, petit sibi afferri fœminarum inaures, vt vxorum spoliatione grauati ab Idoli fabricatione vacarent. Sed non id accidit; imo quamprimũ afferuntur inaures, & Aaron fit artifex idololatriæ. Sic enim habes: *Dixitque ad eos Aaron: Tollite inaures de vxorum auribus, & afferte ad me. Fecit populus quæ iusserat, deferens inaures ad Aaron. Quas cum ille accepisset, formauit, &c.* Et cur Aaron permissus est venire in tam miseram conditionem, vt ipse fieret idoli artifex? Quando ipse alienissimus erat ab idololatria, quam vt fugeret, spoliationem vxorum, filiarumque mandabat, vt inde impediretur virorum facinus, cur ad tantam miseriam peruenire permissus est, vt idolum faceret? Sanè meruit satis, qui per malum medium volebat declinare idololatriam, debebat enim sese opponere flagitiosis, & vel cum periculo vitæ illos deterrere, sed maluit consentiendo illis impedire facinus, & sic fuit ad illud miserabiliter tractus. Semper enim, qui malum facit, vt deuitet mala, in illa perdite cadet. Dum Iesus esset trans mare in terra Gerasenorum, dæmoniaci illi occurrerunt, quorum dæmonia, vt ait Luc. cap. 8. *Rogabant illum ne imperaret illis, vt in abyssum irent. Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte, & rogabant eum, vt permitteret eis in illos ingredi. Et permisit illis. Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos & impetu abiit grex per præceps in stagnum.* Ecce tibi ne mitterentur in abyssum, rogabant mitti in porcos, vt sic porcorum dominos male afficerent. Et quid factum? Et cur cum obtinerent, quod in porcos irent, non obtinuerunt, quod non mitterentur in mare? Dum porcorum dominis male cupiunt, ne in abyssum abeant; tracti malo quod elegerunt, citius in abyssum, quam fugiebant, præcipitantur. Ait D. Ambros. lib. 1. Exam. cap. 8. *Porci autem se in stagnum aquarum præcipitârunt, vt quod recusabant dæmonia, non euaderent, sed digne præcipitio demergerentur.* Sic misere deueniunt in malum, quod fugiebant, quia vt illud fugerent, elegerunt porcis inferre damnum. Raro enim effugitur malum per aliud malum factum, quin potius id malum, quod facis, te deducet citius in id, quod fugiebas. Dicebat aliquando Ioseph fratribus suis Genes. cap. 37. *Audite somnium meum, quod vidi: Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum.* Cognouerunt fratres Iosephi somnium, quo significabantur ipsi illum adoraturi; & vt tantam sui abiectionem fugerent, multa meditantur mala. Insurgunt in puerum, & illum in seruum vendunt Ismaelitis, quo longius à regno exularet. Quid plura? Per id ipsum, quod puerum vendunt, accidit, vt quod fugiebant, puerum adorarent. Ait D. Basil. Seleuc. orat. 8. *Iosephi fratres vsque ad sanguinem contra somnia pugnantes, nundinatione somnia ad effectum perduxunt.* Illa ipsa fratris nefarissima nundinatio illos ad eius pedes adorabundos traxit, per quam illi totis viribus se à tali adoratione nitebantur liberare. Conueniant huc Politici vniuersi, qui ne perdant temporalia, non verentur spiritualibus nequitiis manus dare. Videant luctum eorum; qui per nefas aliquod mala à se nitebantur ablegare; & fallat nisi omnes videant in ea ipsa mala dilapsos, pro quibus tollẽdis malum perpetrabant. Id clarissime testatur concilium illud a Iudæorum principibus coactum Ioann. cap. 11. *Collegerunt ergo Pontifices, & Pharisæi concilium, & dicebant: Quid facimus? Quia hic homo multa signa facit. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Et venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem.* Ecce vobis timebant Romanorum arma, timebant suorum excidium per arma Romana; quod vt declinarent, satagunt Iesum morti tradere. Et quid accidit? Illa ipsa nefaria mors Iesu illata ad depellenda arma Romanorũ, illa ipsa traxit Romanos, & Iudæos tradidit exterminio, quod timebatur. Ait pulchrè Euthymius: *Prætextum sumpserunt occidendi Iesum, ne à Romanis internecioni traderentur, quia vero occiderunt, internecioni traditi sunt; & quæ fecerunt, vt effugerent, ea quia fecerunt, non effugerunt.* Sic scelerata effugia faciunt miseros certius deuenire in ea, quæ fugiebant. Et D. August. tract. 49. in Ioannem, sic etiam torquet eos: *Temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitauerunt, ac sic vtrumque amiserunt: nam & Romani post Domini passionem tulerunt eis, & locum, & gentem expugnando, & transferendo, & illud eos sequitur, quod alibi dictum est: Filij autem regni huius ibunt in tenebras exteriores.* Hoc euenit illis, qui non curant de iis, quæ ad vitam æternam spectant, sed per fas, aut nefas nituntur à se mala propellere, ij sanè in illa deuenient.

Basil. Sel. — *Ioan. 11.* — *Euthym.* — *D. Aug.*

§. XIV.

Lucri amor validissimus ad omnes alios affectus expugnandos.

NOn oscitanter Aaron petiit vxorum, filiarumque inaures aureas ad idolum conflandum; ait enim: *Tollite inaures aureas de vxorum filiarumque vestrarum auribus, & afferte ad me.* Cur petiit inaures aureas? an vt augustius idolum fabricaret? Absit; sed vt affectu auri conseruandi superaretur in Israelitis affectus idololatriæ; validissimus enim est auri amor ad reliquos affectus superandos. Ad hæc ait pulchrè Theodoretus: *Mulierum aureas inaures postulauit, vt aurorum ornatus, pecuniarumque maxime amantem, superstitionis insaniæ tanquam militem militi in acie opponeret.* Itaque aciem instruxit Aaron, & armatum militem produxit in campum, nimirum lucri amorem aduersus superstitionis insaniam. Et quis magis bellicosus aduersus omnes affectus alios, quam lucri amor? In hoc vno audio esse ingentis exercitus arma. Genes. cap. 48. dicit Iacob filio suo Ioseph: *Dabo partem extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* Et quidem Iacobum scio sub pera, & baculo Rachelis amoribus militasse, cum gladio, aut arcu nescio quando pugnauit. Et pastori, qui gladius? Quis arcus? Ait Glossa: *Rectè quidem arcum, & gladium dicit pecunias, quibus agrum emerat.* Ecce arcum, ecce gladium validissimi bellatoris, nimirum pecunias, harum enim amor integri exercitus robur habet ad quoslibet affectus expugnãdos. Aiebat Oseas cap. 12. *Diues effectus sum, inueni idolum mihi.* In Hebræo legitur: *inueni vim mihi*, & quidem qui diuitias inuenit, vim inuenit, qua valeat omnes affectus superare. Accipe D. Chrysostom. homil. 17. in Timoth. epist. philosophantem: *Non aspicis ferre accinctũ prodire Titanas! Sunt illa figmenta vesaniæ. Si nudam auari animam inspicere liceat, sic instructam inuenies, non vno, aut duobus, sed mille præmunitam gladiis.* Is est lucri amor, qui instructam aciem, hastis, gladiisque horrentem valeat æmulari, vt sibi vniuersos subiici faciat. Ex quo non miror illud Amos cap. 9. *Vidi Dominum stantem super altare, & dixit. Percute cardinem, & commoueantur superliminaria, auaritia enim in capite omnium.* Nescit enim auaritia non esse in capite, sibique ostendere subiecta omnia. Vt dicat D. Ambros. lib. de Nabuth. cap. 5. *Quod natura auersatur, commendat auaritia.*

Theodor. — *Gen. 48.* — *Glossa.* — *Oseas 12.* — *Chrysost.* — *Amos 9.* — *Ambros.*

§. XV.

Mundiales largissimi sunt, vt seruiant suis cupiditatibus, non sic vt seruiant virtuti.

NVlli auro parcunt Israelitæ, dummodò idola fiant; dicit enim: *Fecit populus, quæ iusserat, deferens inaures ad Aaron.* Quid liberalius? Sanè circa idola sua, circa vanitates suas largissimi sunt omnes mundiales; auarissimi autem, & tenacissimi circa ea, quæ ad veras virtutes noscuntur spectare.

Ait

Lippom.

Ait Lippom. in præsenti. *In constituendis falsis deorum cultibus liberalissimi sunt, qui alibi in instaurando, & conseruando vericula Dei sunt auarissimi, & tenacissimi. Et quotus quisque Christianorum est, qui non in voluptates carnis, in superflua, & vana, ac populi aurum captantia, non censum omnem profundat; at in pauperes Christi ne obolum quidem obolum erogare curat?* Hæc est misera mortalium hominum conditio; quod pro voluptatibus emendis, pro idolis faciendis, nulli parcant sumptui, liberalissimi sint; pro Deo acquirẽdo, pro vita æterna habenda tenacissimi inueniuntur. Iacobi filij decreuerunt fratrem suum Iosephum vendere: & inuenti sunt Ismaelitæ, qui pro illo viginti argenteos darent. Ait enim Genes. cap. 37. *Vendiderunt eum Ismaelitis viginti argenteis.* At cum impius Iudas voluit magistrum suum vendere Matth. cap. 26. inuenti sunt principes sacerdotum, qui emerent illum triginta argenteis, ait enim: *At illi constituerunt ei triginta argenteos.* Et cum Iosephi venditio vmbra esset venditionis, qua Iesu vendebatur, cur illa viginti tãtum, hæc autem triginta argenteis constabat? In Christi venditione magnum erat ementium sacrilegium, & peccatum, & ideò largiores emptores inueniebantur. Nunquam enim mundiales homines circa ea, quæ ad sua vitia spectant, non sunt largi. Ait D. Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto cap. 18. *Viginti argenteis emunt Ismaelitæ, triginta Iudas. Nec hic figura mediocris. Ad sacrilegium perfidi largiores, quam ad salutem fideles sunt.* Da hominem Christianum, qui velit salutem æternam comparare, is multo cum moderamine eleemosynarum sumptus facit, attendens semper, ne aliquid deroget familiæ, ne aliquid filiis deroget. At si aliena vxor appetenda sit, & trahenda ad adulterium, nulli parcitur sumptui, omnia dilapidantur, etiamsi inde filij cogendi sint emendicare. Lucas cap. 12. de homine diuite fatur: *Cogitabat intra se dicens. Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos? Et dixit. Hoc faciam: Destruam horrea mea, & maiora ædificabo.* Ecce tibi quot sumptus illi veniunt in mentem: nimirum, & destructio horreorum, & maiorum reædificatio. Et cur hi sumptus non magis arctant animum auarum? Sanè, qui stuperet ad oboli sumptum pro pauperibus, ingentes ædificationis sumptus pro suis cupiditatibus vorat. Pulchre illi dicit D. Ambros. lib. de Nabuthe cap. 7. *Dum liberalitatis gratiam refugis, damna ædificationis persoluis. Infœlix homo!* Sic innumeri vel minimum sumptũ pro virtute fugientes bonorum lapidationes, & dissipationes pro voluptatibus suis resoluunt. Et addit idem Ambros. ibidem cap. 5. *Sed fortassis redeas domum, cum vxore conferas, illa te hortetur, vt redimas venundatum? Imò magis hortabitur, vt mundum muliebrem conferas, vnde potest vel paruo tempore pauperem liberare. Illa tibi imponet sumptuum necessitatem, vt gemmas bibat, in ostro dormiat, in argentea sponda accumbat, &c. Smaragdos, & hyacinthos summo quæruni furore, vel si dimidium patrimonium petatur, non parcunt dispendio, dum indulgent cupiditati.* Hæc est humana conditio pro cupiditatibus amare dispendia, pro virtute nec obolum perdere.

Gen. 37. · *D. Amb.* · *Luc. 12.* · *D. Amb.* · *D. Amb.*

§. XVI.

Nulli largiores in religionis impensis, quàm veri Dei cultores.

HAbes in præsenti, quod Israelitæ inaures aureas, & annulos afferebant pro idolo efformando. Ait enim: *fecit populus, quod iusserat, deferens inaures ad Aaron.* Quanta hæc largitas in idololatris populis, pro suorum idolorum aris? Accipe, quod mirere magis. Actor. cap. 4. dicit. *Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes, afferebant pretia eorum, quæ vendebant; & ponebant ante pedes Apostolorum.* Non inaures solum, aut annulos, sed omne suorum bonorum pretium afferebant Christiani pro pauperibus Christi sustentandis. Quæ idololatrarum largitas potest cum hac comparari? Meritò hinc Tertul. in Apolog. cap. 42. pungit ethnicos, qui dicebant inutiles esse Reipublicæ Christianos, fatus: *Thura plane non emimus, si Arabia queruntur, sciant Sabæi pluris, & cariores suas merces Christianis sepeliendis profligari, quam diis fumigandis. Plus nostra misericordia insumit vicatim, quam vestra religio templatim.* Non equidem tot sumptus fuerunt effecti ab ethnicis pro templis, & aris, & cultibus idolorum, quot fiunt à Christianis pro pauperibus sustentandis. Vincunt equidem spiritus Christiani non solum idololatras, sed & Synagogam in sumptibus pro religione factis. Hinc Simplicij episcopi gloriam extollens Sidon. Apollin. lib. 8. epist. 9. fatur: *Sub Moyse quondam sicut Psalmographus ait, vt tabernaculi fœderis forma consurgeret, totus Israel in eremo ante Beseleelis pedes, oblatitij symbolum coaceruauit impendij. Salomon deinceps, vt templum ædificaret in Solymis, solidas populi vires in opus concussit. Quamuis Palæstinorum captiuas opes, & circumiectorum regum tributarias functiones australis regina Sabæis gazis cumulauerit. Hic vobis Ecclesiam iuuenis, miles, tenuis, solus, adhuc filiusfamilias, & iam pater extruxit. Nec illum à proposita deuotione suspendit, vel tenacitas senum, vel intuitus paruulorum.* En tibi homo Christiane, qui sumptibus pro religione vincat non solum ethnicos, sed Moysem, sed Salomonem; quando ij non suis solis expensis, sed totius symbolo populi aras erexerunt Domino. Ille autem solus in religionis obsequio non dubitauit sua consumere omnia. Et verè pro nulla alia re insumendi sunt thesauri hominum, nisi pro ea, quæ proficit ad veram, & æternam gloriam. Sanè qui reliquerat patriam, & cognationem suam Abrahamus, vbi vidit Saram vxorem suam mortuam Genes. cap. 23. vt agrum ad sepulturam emeret, *appendit pecuniam, quam Ephron postulauerat audientibus filiis Heth, quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ.* Et cur, qui cauit vel minimum pecuniæ consumere in aliis agris habendis, modo tantum pecuniæ prodigit pro sepulturæ agro? In hoc iam erat verissimæ cultus religionis, quæ mortuis iustis æternam mandabat gloriam; vbi autem res est veræ religionis, & æternæ gloriæ, nulli sumptui parcunt qui de spiritu pollent. Ea hoc D. Paulin. epist. ad Pammach. ait: *Abraham empto ad sepulchrum agro mortuam suam pretiosa sede composuit, docens, quid sibi iusti deberent hominis prouidere; cum is, qui ad Dei verbum de terra patria cognationis exierat, nihilque præterea de peruagatis diuersa natione spatiis comparauerat, omnis terræ aduena, solum tamen agrum sepulchro, id est, non temporalem, sed æternam possessionem non terram auaritiæ, sed quietis emisset.* Hoc habent proprium homines, qui spiritu veri Dei aguntur, qui pro sola religione, & pro iis, quæ spectant ad æternam vitam, nullis parcunt sumptibus.

Act. 4. · *Tertul.* · *Sid. Apol.* · *Gen. 23.* · *D. Paul.*

§. XVII.

Consuetudo mala animo infixa difficillima omnium est, vt frangatur.

VItulum vident Israelitæ, & vt Deum adorant, quippè dicit. *Fecit ex eis vitulum conflatilem. Dixeruntque: Hi sunt dij tui Israel. &c.* Viso vitulo, quis non magis adorationem negaret? Cur illi tam præcipitanter clamant Deum, quem vitulum noscant? Antiquitus erat illis infixus mos vitulos adorandi in Ægypto, qui vt erat animo infixus, sic & perseuerauit firmus, & infractus, & prosiliuit qualibet occasione data. Ait D. Basil. Seleuc. orat. 6. *Vitulum in deserto loco adorabant; & mare ipsorum gratia præter naturam scindebatur, cum interim populus ab impietate non rescinderetur, sed morum progressu transfugiebant in Ægyptum.* Quid pulchrius? Nulla natura inanimata non patitur aliquam scissionem ad Dei vocem, maris fluctus vel virga vita, prorsus scinduntur, vt præbeant Israelitis transitum. Mala autem consuetudo vitulum adorandi in Ægypto imbibita, nec post scissionem maris, nec post septuaginta visas palmas, nec post petræ latices, nec post manna, nec post fulmina, & tubam montis frangitur, sed morum progressu in illam totus populus transfugit. Proh miseram gentem! Nulla Ægyptiacæ impietatis consuetudo ab illis fuit eradicata. Audio Ioann. c. 2. *Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Iudæorum.* & statim mentem subeunt Iudæorum frequentissima lauacra. Toties ex legis præscripto lauabantur, vt viuo flumine egerent singuli pro lauacris. Et cur Deus in illa natione tot instituit lauacra, præcipuè cũ in Christiano populo vnum lauacrum baptismi permisit, in quo semel lauamur? Nos semel, illi millies in dies tenebantur ex lege lauari. Cur tot illis lauacra? Iudæi in Ægypto Exod. cap. 1. occupabantur *operibus luti, & lateris,* quibus hostium suorum munitas vrbes ædificabant. Adeo autem erat Ægyptius ille lateris labor eorum imbibitus labore, vt nulla eis flumina sufficerent, vt se lauarent, imò inter ipsas lotiones sic sordebant, quasi laterem lauassent. Rem pulchrè attigit D. Gaudent. tract. 9. fatus: *Non possunt parcere transitus purificationis Iudæorum immunda, lauant polluta corpora; semper lauant, semper immunda sunt. & vt dici solet, laterem lauant. Illum laterem, quem parauerunt in Ægypto Pharaoni, diabolo, exhibentes se ipsos arma iniquitatis peccato ad constructionem hostilium ciuitatis.* Frustra Iudæe laboras, si lauacrorum frequentia putas abluendas Ægyptias sordes, quas animo infixas, & inueteratas habes. Quæ inter opera luti, & lateris cõtraxisti maculas,

Basil. Sel. · *Ioan. 2.* · *Exod. 1.* · *D. Gaud.*

sempe

semper reuiuiscere inter ipsa lauacra. Vt merito dicat Tertullianus lib. de Baptismo: *Semel ergo nos lauacrum inimus, semel delicta diluuntur, quia ea iterari non oportet. Caeterum Israel quotidie lauat, quia quotidie inquinatur.* Sufficit enim nobis Christianis vnum lauacrum, quo de primi pomi maculis mundamur, Iudæis autem nec mille lauacra sufficiunt, vt lauetur iniquitas luti Ægypti, & lateris, imò quotidie immundiores apparent, quasi laterem lauasses.

Tertul.

§. XVIII.

Mulieris vel umbra, vel halitus Deum verum ex virorum cordibus exsufflat.

QVid facerent inaures fœminarum in manu Aaronis, nisi vel Dei veri memoriam penitus perdere? Ait enimque: *Quas cum ille accepisset, formauit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum. Dixeruntque; Hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Viso vitulo facto ex inauribus fœminarum penitus obliuiscuntur veri Dei, liberatoris sui; quod ego non miror, quando non solum munus fœminarum, sed & vmbra, vel halitus earum soleat memoriam veri Dei perdere. Nota est confidentia Petri, qua audita etiam negationis suæ prophetia, adhuc promittebat se futurum ab omni negatione alienum. Hunc tantum conuenit ancillula Matth. cap. 26. & ait: *Et tu cum Iesu Galilæo eras. At ille negauit coram omnibus, &c.* O humanæ confidentiæ infirmitas! Nónne facile posset Petrus, si humiliter ex Iesu petiisset, ab hac negatione abstinere? Audite Origenis responsum doctrina plenum. Ait enim homil. 35. in Matth. *Si Petrus postulasset, forsitan ab eo amotu ancilla non denegasset. Nec enim poterat fieri, vt facta interrogatione, potuisset dicere Dominum Iesum in Spiritu sancto.* Expende, qua via posset Petrus per orationem liberari, nimirum, si orante illo, ancillæ occursus amoueretur, dum autem maneret ancilla, & interrogaret, quasi impossibilem rem putat Origenes, quod interrogationis fœminæ halitu percussus Petrus posset Iesu veri Dei memoriam retinere. Quo tendunt illa: *Nec enim poterat fieri, vt facta interrogatione potuisset dicere Dominum Iesum, &c.* Adeò efficax est fœminei halitus venenum, vt in mente viri difficillime possit cum mulieris, vel vmbra Dei memoria permanere. Paruum est quodvis damnum ex fœminæ halitu, nisi Deus perdatur. Hinc Matth. c. 6. dum puella saltatrix regi Herodi placet, nefarissima Ioannis mors fabricatur. Ait enim: *Cum introisset statim cum festinatione ad Regem, petiuit dicens: Volo, vt protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ.* Miraris, quod tantus vir caput amittat in mulieris saltu? Sed quantum hoc ad fœminæ virus? Sanè hoc fuit in Ioanne mirandum, quod vel amisso capite in fœminæ saltu potuerit sibi Deum conseruare. Vt dicat D. Fulgentius ibi: *Quid agimus Ioannes? Quem non terruit vasta Eremi solitudo, terrebit muliebris ista saltatio? Caput tuum mulier potitura est. Sed melius est, inquit Dominus, vt vnum ex membris tuis abscindas; quam totum corpus tuum gehennæ ignibus tradas.* Quasi nec sanctissimus posset à mulieris veneno euadere liber; sic Ioanni gratulatur, quod in illo conflictu liber à gehennæ ignibus euadat, etiamsi necessum fuerit amittere caput. Vbi enim intercedit fœmina, præsentissimum est periculum perdendi Deum, & incidendi in inferni barathrum. Intercessit fœmina in causa Ioannis, & petit eius caput. Quid hoc? Sanè minimum est damnum, quod in fœmineo actu non Deum, sed solum amittat Ioannes caput. Nihil enim aduersus filios Dei efficacius, quam vel mulieris halitus. Nouit hoc virus ipse Ioannes, audiens fœminam lasciuam esse in Herodis aula, relicto eremo Ierosolymam aduolat Matth. 14. vbi clamat: *Non licet tibi habere vxorem Philippi fratris tui.* Sanè nefandissima alia vitia tunc temporis vigebant Ierosolymis, vbi & sacerdotia venalia erant, & nulla religio non periclitabatur turpis lucri causa. Cur relictis hypocritis, sacrilegis, Ioannes aduersus fœminam mouit arma? Instabat iam tempus diuinæ regenerationis, nouella Christi sponsa, nempe Ecclesia iam parabatur, sponsus iam aderat, vt filios Dei fieri virtutem daret. Quid ergo faceret sponsi amicus, nisi aduersus fœminam lasciuam dimicare, vt quæ notius periculum erat diuinam regenerationem damnandi. Ait Paschas. libr. 7. in Matth. *Ex eremo venit Ioannes ad regis præsentiam, vt increparet adulterium. Et quia amicus sponsi erat, incestuosos ferre non poterat.* Sanè amico sponsi, quasi intolerabilior erat illecebra fœmineæ voluptatis, vt quæ ad filios Dei irretiendos plurimi valet.

Matt. 26. Origen. Matt. 6. D. Fulg. Matt. 14. Paschas.

Exod. 32. Quod cum vidisset Aaron, ædificauit altare coram eo, & præconis voce clamauit, dicens: Cras solemnitas Domini est. Surgentesque mane, obtulerunt holocausta, & hostias pacificas, & sedit populus manducare, & bibere, surrexerunt ludere.

§. XIX.

Ambitio turpissimorum auctrix facinorum.

ECce tibi vt Aaron frater Moysis, à Deo electus in principem, & sacerdotem præceps rapitur in idololatriam. Ait enim: *Quod cum vidisset Aaron, ædificauit Altare coram eo, & præconis voce clamauit dicens; Cras solemnitas Domini est.* Et quis tantum virum adduxit in facinus adeò turpe? Sanè ambitionis affectus, ne primatum amitteret in diuinis. Vbi enim vidit idolum effectum, timuit, ne alius nouæ religionis introduceretur minister, quo ipse inter priuatos maneret, omni primatu, & dignitate exutus; quod fugiens, vt se in primatu conseruaret, non dubitauit sese idolorum obsequio addicere. Sic ait Caietanus: *Aaron primatum nolens perdere, ædificat altare coram vitulo, non expectans rogari, sed statim vt vidit vitulum, primus ædificauit illi altare ad sacrificandum. Insaniuit enim ipse longe magis quàm alij.* Heu primatus ambitio, in quæ facinora non trahis alumnos tuos! Caue homo ab hoc pessimo affectu; si enim semel cordi tuo insederit, nihil turpe, nihil fœdum, nihil nefarium non gluties. De Herode illo ambitiosissimo homine ait Matth. cap. 2. *Tunc Herodes videns quod illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, &c.* Quid turpius? Quid magis nefarium, quam quod rex mittat exercitus suos aduersus inermes infantes? Sed fecit hoc ambitio regnandi. De illo ait Origen. homil. 3. ex diuersis: *Ergo iratus Herodes factus est amens, quo nefando furore excæcatus animus eius Deum contemnit, iustitiam abigit, misericordiam spernit, pietatem relinquit. Misit impius statim, & occidit omnes pueros. Consummauit iniquitatis sua furiosa commenta, totumque quod male cogitauerat, in sui pœnam adimpleuit. Multi multas iniquitates facere festinauerunt, iste autem nequissimus Herodes in pestifere ambitus cordis sui omnium facinorum crimina supergressus est.* Expende ab illis, *in pestifere ambitu, &c.* Quippe quem ambitionis pestis inficiebat, necessum erat, vt nulli parceret facinori, sed omnium facinorum crimina supergrederetur. Quod facinus non vorat ambitio? De Athalia dicitur, 4. Reg. cap. 11. *Athalia vero mater Ochoziæ videns mortuum filium suum, surrexit, & interfecit omne semen regium.* Semen regium erant filij Ochoziæ, nepotes ipsius Athaliæ, quos omnes ferissima aura internecioni dedit, vt sibi voi reseruaret integram gloriam regni. Id quod meditans Carthusianus ait ibi: *Ecce quanta fuit crudelitas, atque ambitio impiissima Athaliæ, quæ regnandi libidine interfecit filios filij sui, cum tamen auiæ soleant valde diligere filios, ac filias filiorum, ac filiarum suarum.* Sunt equidem auiis amantissimi nepotes, ast vbi ambitio insidet cordi mortalium, omnes perdit leges charitatis, humanitatis, pietatis, & ne à regni gloria cadat, nulla non facinora vorabit. Huc trahe dicta supra 1. tom. in vetus Testament. lib. 2. cap. 5. §. 34. & 3. tom. in Euang. lib. 14. cap. 15. §. 8. & cap. 16. §. 6.

Caiet. Matt. 2. Origen. 4 Reg. 11. Carthus.

§. XX.

Quæ in Dei famulatum assuefacta sunt, periculosè aduersus Deum commouentur.

VNico verbo explicat textus ingens Israelitarum in vitulo celebrando discrimen; dicit enim: *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Et quantum hoc, quod populus ludat coram idolo? Putabam ex nefario conuiuio illos in aliquod facinus horrendum surrecturos, & solum dicuntur surrexisse ludere. Quid quod ludant? Equidem vbi ludus in canticis, & saltibus erat, inde ostendebatur piaculum ingens, quod membra assueta Dei veri prosequi nutum; modo moueantur in idolorum cultum. Ex quo sapienter Rupert. ibi ait: *Eisdem pedibus, quibus mare transierant, coram tali figura saltauerunt; & veritatem, quam cecinerunt dicentes: Cantemus Domino, gloriosè magnificatus est, in mendacium commutauerunt.*

Rupert.

mutauerunt, cantando: Hi sunt dij tui Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti. Igitur inexcusabilis est Iudæus, &c. Sanè qui membra vero Deo celebrando aut sequendo assuefacta erant, inexcusabiliter conuertuntur in Dei offensam. Multo semper cum piaculo offendit Deum illis, quibus ei seruire consueueras. Vnde monebat Ecclesiastes cap. 4. *Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei.* Itaque vbi domum Dei ingrederis, iam tibi maior custodia mandatur circa tuos pedes. Et cur post ingressum in Dei domum sunt diligentius custodiendi pedes, nisi quia piaculum est maximum, quod ea, quæ semel adsueuerunt Deo, ad nefaria, & prophana eant? Ait Olympiod. ibi: *Custodi, inquit, totum corpus tuum, à parte enim totum significauit, ne instrumentis eisdem, quibus templum Dei frequentas, theatrales adito ludos, & obscœna spectacula, & impia, & prophana loca* Hoc est maximè nobis cauendum, ne quæ Deo damus, in vitiorum, scelerumque obsequium deflectamus. Quod vel impiissimus Ieroboamus nos edocuit, etiam in illa impietate nefanda, quia populum à Deo vero separauit, & seruire fecit idolis. Factis enim vitulis aras excitauit, sacerdotes addidit. Sed quos sacerdotes? An ex tribu Leuitica? Minimè, ait textus 3. Reg. c. 12. *Fecit fana in excelsis, & sacerdotes de extremis populi, qui non erant de filiis Leui.* Cauit impius rex ex Leuitico ordine, qui Deo vero cõsecratus erat, sacerdotes idolis constituere, ne quæ Deo seruierant, malo seruirent. Ait Theod. ibi quæst. 41. *Expulit autem, & sacerdotes, quos elegit Dominus, quod quidem solum fecit conuenienter rationi. Non oportebat enim sacerdotes Dei, Deos, qui non sunt, colere* Ecce in summa impietate aliquod factum rationale, nimirum, quod qui Deo vero sacrati fuerant, cauerent illos idolis mancipare. Vtinam, vel à impiis hanc mentem imbiberemus, ne illis instrumentis malimus seruire vitiis, quibus Dei obsequio operam damus. Nam audiamus in nos contortam querelam ab Ezechiele aduersus Israelitas prolatam, dum ait c. 16. *Tulisti filios tuos, & filias tuas, quas generasti mihi: & immolasti eis ad deuorandum. Nunquid parua est fornicatio tua?* Non equidem paruum scelus est, quod Deo genita idolis tradantur, sed summum, & inexcusabile. Quod vt caueret Dominus, iubebat Israelitis adhuc peregrinantibus Exod. 20. *Altare de terra facietis mihi, & offeretis super eo holocausta* Et cur è terra petit fieri altare? Cur nõ magis ex sectis lapidibus? Cur non magis ex marmore? Cauebat Deus, ne post Israelitarum transitum maneret altare sibi dicatum, & vicinæ gentes in eo idolis sacrificarent, & ideò ex terra fieri iubebat, vt cito posset dissipari. Ait Theod. ibi qu. 44. *Cum Israelitæ quadraginta annos permanserint in deserto continenter abeuntes, & loca mutantes, ideò vetat è lapidibus fabrefactis altare construi, ne cum hi terram promissam obtinuissent, in aris illis vicini dæmonum sacrificia celebrarent.* Nunquam enim non abominatur Deus, quod sibi dicata semel, deseruiant iniquitati.

Eccles. 4. — *Olymp.* — *3. Reg. 12.* — *Theodor.* — *Ezech. 16.* — *Exod. 20.* — *Theodor.*

§. XXI.

A creaturarum cultu ibis in belluam, à Dei autem cultu in hominem ibis.

DVm Israelitæ solemnia vituli conuiuiis celebrant, ipsi pene toti abeunt in vitulos, ait enim text. *Obtulerunt holocausta, & hostias pacificas, & sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* Quæ verba memorans Clem. Alex. 1. Pædag. c. 11 sic legit: *Saturati surrexerunt ludere,* & pergit ipse: *Saturari autem est, ... quasi dicas, fœno repleti.* Et merito vitulos colentiũ conuiuia repræsentantur, quasi boum conuiuia currentium ad fœnum. Non enim aliud educimus à creaturarũ cultu, quàm quod conuertamur in belluas. Proh miseri homines, qui res creatas colitis, qui mũdi idola adoratis, honores scilicet, aurũ, voluptates! credite mihi, quot creata bona sunt, tot Circis pocula, quæ in belluas homines transformant. Vnus est verus Deus, qui vt fecit, sic valet nos reformare in homines. Ea quo placet componere duo filij Dei facinora erga homines, alterũ, quo natus est, & in præsepio sese nobis exposuit. Alterum, quo moriturus Eucharisticum epulum parauit omnibus. De primo ait Luc. c. 2. *Peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio* De secundo autem dicitur ab eodem c. 22. *Ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate.* Vt primo se exhibeat hominibus, præsepium vile quærit, ibique inter fœnum, & paleas se manifestat. Vt autem secundo se nobis dedat, cœnaculum quærit ornatum, in eoque mensam pulchris stratam tapetibus aureisque vasis plenam. Et cur ibi in præsepio, & hîc in strata, ornataque mensa? In primo res erat cum iis, qui creaturas coluerant, qui idolis seruierant, qui vt inde erant belluæ, sic illorum belluinam conuersationem designat apparens in præsepio, & inter fœnum. Secundo autem res erat cum discipulis suis, cum asseclis suis, cum iis, qui Dei conuersatione, in solius veri Dei cultum excreuerant, qui vt inde iam homines erant, ideo mensa hominibus præparata excipiendi erant. Ait Theodoret. serm. 10. de Prouid. *Natus Christus Dominus, in præsepi brutorum animalium mensa ponitur, simul hominum brutam, & ratione carentem naturam accusans, & suum erga homines amorem manifestans, quod cum ipse nutritor sit Deus, secundùm humanitatem, hominum cibus sit, qui brutali ignoratione laborabant. Nunc vero cũ brutorum ignorationem humana natura abiecerit, & rationis vsum receperit, mystica hunc excipit mensa. Cum homo in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis irrationabilibus, & similis factus est eis: præsepe diuinum illum, & spiritualem cibum suscepit: postquam vero in seipsam transiit natura, & imaginem diuinam circumiacere manifeste cognouit, tunc super rationalem mensam cibus ille transiuit.* Sic brutos homines Deum ignorãtes, post creaturas abeuntes præsepium Christi excipit; vt qui ex creaturarum cultu prorsus effecti fuerant belluini, & ad nihil prius quam ad fœnum currerent. Ex Christo autem regeneratos mensa excipit Eucharistica, vt qui iam ratione, & veri Dei agnitione valeant. Hoc spectans Ioel c. 2 fatur: *Nolite timere animalia regionis, quoniam germinauerunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum, vinea, & ficus dederunt virtutem suam. Et filij Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem iustitiæ, & descendere faciet ad vos imbrem matutinum, & serotinum, sicut in principio. Et implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino, & oleo.* Quæ verba sapienter refert D. Cyril. Alex. ad tempora Christi existentis in mundo. Tunc enim & iumenta, & homines habent cibum salutis, ad quem currunt: iumentis paratum in herbis, hominibus autem paratum in frumento, & vino, & oleo, in quibus Christi sacramenta conficiuntur. Vt enim vniuersi homines sequentes voluptates suas brutuerant, sic in primis Iesus sese campi herbis, fœno, & paleis miscet, in præsepio ponit: vt dum feruntur ad pabulum suum iumenta, capiantur à Christo. At vbi in illo doctorem iustitiæ homines nacti sunt, & sese rationabilibus assuefecerunt virtutibus, iam non fœnum, sed triticum exhibetur, & mensa rationalibus hominibus digna. Sic à vero Deo accipiuntur vt homines, qui in bestias desiuerant colentes creaturas.

Clem. Alex — *Luc. 2.* — *Theodor.* — *Ioel 2.*

§. XXII.

Conuiuiis, & compotationibus viget luxuria, suasque magis ostentat vires.

CVm audis à conuiuiis cucurrisse Israelitas ad ludos, nihil non obscœnum, & lasciuum cogita in ludis illis. Quippè ait: *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere,* ad quæ statim Rupert. ait: *Lusibus obscœnis continuo semetipsos commouere.* Et quid à largis conuiuiis citius prodiret quam obscœnitas, quam luxuria? Sanè ad flammas excitandas luxuriæ plurimi valent compotationes, & cõuiuia. Hinc Gen. 19. filiæ Loth nactæ patrem nimis delectum, ac tristem se hortabantur dicentes: *Veni, inebriemus eum vino, dormiamusque cum eo, vt seruare possimus ex patre nostro semen. Dederuntque patri suo bibere vinum nocte illa. Et ingressa est maior, dormiuitque cum patre, &c.* Quid turpius? Incestuosa ibi agebatur lasciuia: sed quomodo tam fœda luxuries trahi potuit in domum viri pijssimi? Ait Theodor. quæst. 69. in Gen. *Auxilium vini acceperunt: cumque patri sensum maiore copia vini ademissent, illum seminis authorem declarauerunt.* Expende illa, nimirum: *Auxilium vini acceperunt*; de auxilio enim vini non ouiros, quod altissimas accenderint luxuriæ pyras. Quò non perueniat luxuria de vini auxilio? Cõpone modo duas fœminas lasciuissimas Iezabelem, & Herodiã, vtraque accendebat Regis lasciuiam qua in Dei prophetas fureret. Iezabel accendebat Achabum, vt percuteret Eliam, sed nunquam tantum exarsit Achabi luxuries, quod vellet prophetam occidere. Herodias autem sic affecit Herodem, tantam in illo excitauit flammã libidinis, vt propter illam adduceretur miser in occisionem Ioannis Baptistæ. Sed vnde ista fortior fuit ad malum, quàm illa? Ait Marc. c. 6. *Cum dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui cœnam fecit principibus, & tribunis, & primis Galilææ. Cumque introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset, &c.* Non sola accessit fœmina, sed auxilium expectauit conuiuij, & de conuiuij, potusque auxilio lasciuissimum regem in mortem

Rupert. — *Gen. 19.* — *Theodor.* — *Marc. 6.*

traxit

traxit pro pugnatorit castitatis. Ait D. Chrysost. orat. in decollat. Ioannis: *Dracones, & aspides, & cerastæ Ioannem formidarunt, Herodias autem ipsum in cœna interfecit.* Expende illud, *in cœna*; nō enim adeò valeret luxuria nisi de auxilio cœnæ. Vbi cœnam, & compotationem auxiliatricem habuit, tantam in rege accēdit libidinis rabiem, vt cœlestia omnia vellet conspurcare. Cui etiam accinit D. Fulgent. fatus: *Placuit, & saltatrix. sed quid mirum, si inter dapes largas, & poculorum frequentes pocella puella lasciuiens mulceat sensus, inclinet affectum ? Vinum, & saltatio duplex incendium voluptatis.* Non equidem è poculis, & conuiuiis prophanis aliquid expectes moderatū, indè enim incēdia crescunt obscœnissimarum flammarum. Hinc Paul. monebat ad Hebr. 12. *Ne quis fornicator, aut prophanus, vt Esau.* At de Esau comessationes audimus, fornicationem nullam scimus in eius vita. Vndè ergo Paulus eum habet fornicatorem? Ait D. Isidor. Pel. lib. 1. epist. 320. *Cum illud exploratissimum habem, gulam ad libidinem, & lasciuias trahere, nihil necesse fuit, quòd ex me sciscitareris, quid sit. Ne quis fornicator, aut prophanus, vt Esau, cum scriptura eum primogenitorum iuris proditorem propter ventris ingluuiem, ac voracitatem fuisse conuincat. Nam eum cum gulæ deditum fuisse ostendit, & quoque fornicatorem fuisse satis monstrauit.* Sic ibi.

Chrysost. — Fulgent. — Ad Heb. 12. — Isid. Pelus.

§. XXIII.

Veri Dei altare solum continet homines, ne ferantur in vitia, vel inter dapes, & pocula.

NOn possum non mirari notissimum discrimen inter altare veri Dei, & altare idolorum; ab hoc enim omnia vitiorum genera prosiliunt. Dicit enim text. in præsenti: *Surgentesque mane obtulerunt holocausta, & hostias pacificas, & sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* Supra etiam Exod. 24. vbi Moyses altare fecit Domino, & immolauit pacificas, & earū sanguine aspersit populum, dicit text. *Ascenderuntque Moyses, & Aaron, & Nadab, & Abiu, & septuaginta de senioribus Israel, & viderunt Deum Israel.:: Videruntque Deum, & comederunt, ac biberunt.* Ecce vtrobique Israelitæ ab oblatione holocaustorum accedunt ad conuiuia; vtrobique est sacrificium, & altare, vtrobique conuiuium, & compotatio: verum ab illo surgunt in obscœnos ludos: ab hoc autem ad nullos ludos surgūt. Et cur ex hoc conuiuio, ex hac compotatione minime dicuntur surgere in ludos, cum ex illa compotatione, statim surgant, vt ludant, siue illudant virtuti? Sanè in iis sacrificia fiebant vero Deo, quæ valent sola continere homines in virtute, etiam inter pocula ipsa. In illis autē fiebant sacrificia idolis, ex quibus nullum non prosilit vitium. Ait Rupert. ibi: *In gloriam similitudinis vituli comedentis fœnum, comederunt, ac biberunt, & idcirco lusibus obscœnis contenuo semetipsos commouerūt, traditi in reprobum sensum, vt facerent ea, quæ non conueniunt.* Quid aliud facerent sacrificia exhibita in honorem, & gloriam vituli? Vnum equidem est, quod Deo vero exhibetur sacrificium, à quo possunt homines contineri in virtute, vel inter cōuiuia ipsa. Ait Ecclesiastes c. 10. *Beata terra, cuius Rex nobilis est, & cuius principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, & non ad luxuriam.* Vbi in rem nostram Regia translatio legit in paraphrase Chaldæa: *Bene erit tibi terra, in quo tempore regnauerit super te vir valens in lege, & magnates tui postquam obtulerint iuge sacrificium, comedent panem ex labore manuum suarum, in fortitudine legis, & præceptorum, & non in debilitate, & in cæcitate oculorum.* Expende vt post oblatum sacrificium iuge comedunt panem in fortitudine præceptorum; facit enim præmissum sacrificium veri Dei, ne quis à præceptis exorbitet, nec in vllū vitium corruat. Nec solum præmissum sacrificium veri Dei sic homines, vel inter potationes componit, sed etiam excogitatum sacrificium, & adhuc futurum potentissimum est ad componēdos humanos mores. Ait enim 1. Reg. 1. *Surrexit autē Anna postquam comederat, & biberat in Silo:.. & orauit ad Dominum flens largiter.* Expende quale tempus adsumit ad orationem, nimirum: *postquam comederat, & biberat.* Certe alienissimū est tempus prandii, & vini, vt oremus Dominum. Tēpus namque prandii potius deseruit relaxationi; aptius est, vt nos separet à Domino. Cur non potius à prandio surrexit ad ludos, quam ad orationem? Sanè ipsa oratio facienda vero Deo, & iam in animo decreta sic valuit fœminam, vel in medio conuiuio, vel in ordiis constituere compotationibus, vt inde promptissima surgeret ad Dominum. Ex quo eleganter D. Chrysost. hom. 1. de Anna, inquiens: *Hoc igitur à fœmina lucri cōsecuti sumus, vt sciamus & post conuiuium orare. Quisquis enim ad hoc præparatus fuerit, nunquam in ebrietatem, aut vinolentiam incidet, nunquā edacitate distendetur; sed quoniam expectationem orationis habet pro freno impositam animo, conuenientè mensura attinget apposita. Vbi enim precatio, & gratiarum actio, ibi sancti Spiritus aduenit gratia, abiguntur dæmones, & omnis aduersaria potestas diffugit, ac discedet. Qui se conuersurum est ad orandū, non audet quicquam absurde loqui, nec in medio quidem conuiuii.* Quid pulchrius? Sanè ea est vis orationis, & sacrificii exhibiti, aut exhibendi vero Domino, vt inde vel in mediis cōpotationibus componantur humani mores. Vndè pergens Chrysost. hoc præbet monitum: *Quod si quando surrexeris crapula, potuque grauatus, nec sic quidem abiicito consuetudinem orationis, sed quamuis habeamus grauatum caput, nihilo secius tamen orabimus. Etenim si præcedente die ad hunc erraueris modum, postridie corrigis dedecus pridie commissum.* Sic bonas confidit orationibus vero Deo factis, vt putet illas valere ad expellenda omnia absurda conuiuiorum, & compotationum.

Rupert. — Eccles. 10. — 1. Reg. 1. — Chrysost. — Chrysost.

Exod. 32. Locutus est Dominus ad Moysem dicens: Vade, descēde, peccauit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti, recesserunt cito de via, quam ostendisti eis. Feceruntque sibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atque immolantes ei hostias dixerunt: Isti sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.

§. XXIV.

Non parum Deum offendit homo, qui sub eius gratia durare nescit.

NIl prius in reprobo populo Deum offendit, quam eius præpropera impietas: ait enim Dominus: *Peccauit populus tuus, recesserūt cito de via, &c.* Hoc in primis ponderat in tanto scelere, non quod vitulū adoraret, nō quod conflatile fecisset, sed quod citissime ad tantā impietatē raperetur. Hoc enim nō paruæ est apud Deum offensæ. Sic in pessimo Achabo notabatur præpropera ad iniquitatem conceptio. Dum enim illi maximas proponit minas Elias, dū denuntiat calamitates extremas, ait text. 3. Reg. 21. *Itaque cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitque & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite.* Quid amplius in peccatore fuerat requirendum? Non tanta dicuntur de Dauide reprehenso à propheta, & Dauid iustus est, Achab autem reprobus. Et vnde Achab reprobus, qui sic ob peccata doluit, & gemuit? Parum in illo dolor permansit, sed quamprimum ad impietatē rediit. Ait enim Theod. q. 63. *Quod autem plurimū peccaret Achab propter nimiam mentis leuitatē, & facilitatem declarant, quæ sequuntur. Abiit enim inquit, rex Israel tristis, & illacrymās. Habens enim experientiam diuinarū prædictionum, intoxicatus timuit minas, sed statim rursus ad suam rediit impietatem.* Sanè non paruæ offensæ apud Deum sunt leues, & faciles animi, qui nesciunt in bono durare, sed cum vix Deo se stiterint, statim rapiuntur ad peccata. De his ait Dominus per Oseam c. 5. *Facti sunt principes Iuda quasi assumentes terminum, super eos effundam quasi aquam iram meam.* Ex Græco legitur: *Facti sunt principes Iuda, quasi transponentes terminū, &c.* Ecce tibi tota offensa principum, quæ Dei iram trahebat, nimirum: *quasi transponentes terminos,* hoc est, in nullo fixi erant, in nullo vere stabiles: sed esto, quod Deo accessérint, cum primum sese offerebat occasio ad iniquitatem se transmittebant. Quod vt longe abest à Dei asseclis, sic in reprobis, & subuersoribus facile inuenitur. Ait ibi D. Cyrill. Alex. *Moribus quippè uniformis est, qui diligit Deum, mutabilis autem, & fluctuans, & vtroque versum ire gnarus subuersor, & facile vadens, quo fors tulerit. Itaque facti sunt, inquit, principes Iuda quasi transponentes terminos.* Ecce tibi, & Dei asseclarum, & subuersorum ingenium; in Dei asseclis constantia est, perseuerantia est, in subuersoribus autē præpropera mutabilitas; qui facile vadūt, quò fors tulerit, & licèt videātur firmissime Deo adhærere, cum primum sese obtulerit occasio, nihil dubitant, sed ad impietatem redeunt. Quibus etiam eleganter succenset Ecclesiastic. cap. 6, inquiens: *Quam aspera est nimis sapientia in doctis hominibus, & non permanebit in illa excors. Quasi lapidis virtus probatio in illos, & non demorabuntur proiicere illam.* Res est scita à D. Hieronymo notata in cap. 12. Zachariæ de probationis lapide, qui frequens erat, & Græcis, & Israelitis.

3. Reg. 21. — Theod. — Osea 5. — Cyr. Alex. — Eccles. 6. — Hieron.

Israelitis. Quippè pro foribus ciuitatum visebantur lapideæ sphæræ magnitudinis non paruæ, ad quas athletæ conueniebant, antequam descenderent in certamina, easque pro varietate virium subleuabant, sustinebantve, alij vsque ad genua, alij vsque ad vmbilicum, alij ad humeros, & caput, imò supra verticem tectis suoctisque manibus immensum pondus sustentantes, magnitudinem virium demonstrabant. Qui imbecilli, & non tam plausibus, quam sibilis erant geniti, hi nec tantillum sustinebant lapidem, sed cum parum leuabant, citissimè se ab opere relaxabant proiicientes lapidem. Sic & reprobi homines, & qui æternis sibilis deputati sunt, in re virtutis, & veræ sapientiæ faciunt. Accedunt quidem ad virtutem, accedunt ad sapientiam aliquando, sed vix virtutis pondus attollunt, & non demorantur, sed citò illam proiiciunt. Ait enim: *Quasi lapidis virium probatio est in illis, & non demorabuntur proiicere illam.* Nesciunt paruam moram sustinere in virtute, sapientiaque seruanda, vt qui non ad victoriam, sed ad supplicia sint nati.

§. XXV.

Reproborum est, quod nimis citi sint in admittendis malis.

Ecce tibi reprobi populi, & à Deo reiecti signum singulare, dicit enim: *Peccauit populus tuus, recesserũt cito de via, &c.* Iam non populus Dei dicitur, sed hoc titulo priuatus, quasi à Deo reiectus, populus Moysis nominatur. Et cur in tantum deuenerunt malum? Ait ipse: *Recesserunt cito,* nec mirum, qui enim nimis citus est in recedendo à Deo, in admittendo malo reiectionis, reprobationis signum habet. Mortuo Lazaro aderat iam Christus Iesus, sorores consolabatur, spem resurrectionis suggerebat, de sepulchro interrogabat, ad illud iam proficiscebatur. Quid tunc? Iudæi, qui intererãt Iesu potentiam incipiunt calumniari dicentes Ioan. c. 11. *Non poterat hic qui aperuit oculos cæci nati, facere, vt hic non moreretur?* *Ioan. 11.* Euntem vident Iesum ad sepulchrum, & eius impotentiam criminãtur, quod non illum à morte liberarit. Cur non magis expectãt, vt Iesus accedat sepulchro? Cur non magis expectãt, vt videãt, an valeat amicũ suscitare? Sanè si suscitaret Lazarũ, non permisit illũ mori ex impotẽtia. Cur ergo antequã impotẽtię tribuant, quod desiuit illũ mori, nõ expectãt, vtrum suscitare illum valeat? Sanè tale est ingenium reproborum, quod nesciat expectare, sed festinatissimum sit in admittendis malis. Ex quo præclare D. Basil. Sel. orat. 41. fatur: *Basil. Sel.* *Fatentur aperuisse cæci oculos, & cum ob eam causam Christum suspicere debuissent, ex eadem miraculum istud ita traducunt, ac si non euenisset. Neque hac de re duntaxat, se perditos planum faciunt, sed quod antequam ad monumentum adeat, aut virtutem exprimat, non expectate eius exitu calumnias in eum iacere præfestinant.* Itaque non tam ipsa peccata, quam præfestinatio in peccatis homines prorsus reiectos, & reprobatos asserit. Expectassent paulisper, quod Iesus monumentum accederet, quod mortuum ad vitam vocaret, & minime potestatem eius vellent calumniari. At reproborum ingenium præceps est, nescit expectare, sed vel ad occasionis vmbram festinat admittere mala. Hinc reprobos Israelitas designat Psal. 106. aiens: *Psal. 106.* *Cito fecerunt, obliti sunt operum eius, & non sustinuerunt consilium eius.* Vbi Euthymius ait: *Euthym.* *Non expectauerunt exitum diuini consilij, quo mira prouidentia, ob eorum salutem auxilium à Deo foris dimittebatur.* Sic reprobi nesciunt paulisper expectare, sed citissimi feruntur in profundum iniquitatum. Huc adest Iudas ille reproborum facile princeps, de quo ait Matth. c. 27. *Matt. 27.* *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset; pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, & senioribus, dicens: Peccaui, tradens sanguinem iustum: Et proiectis argenteis in templo recessit, & abiens laqueo se suspendit.* Vtinam in illa pœnitentia, & confessione durasset vsque ad Christi orationem pro inimicis peractam; sed vt pœnituit, sic festinatissimè cucurrit ad scelus maius se ipsum strangulans, quæ festinatio salutis illi prorsus occlusit aditum. Ex quo ait D. Leo serm. 11. de Pass. *D. Leo.* *Ad Christi indulgentiam traditor Iudas peruenire non potuit: quoniam perditionis filius prius in desperationem transiit, quam sacramentum Christus generalis redemptionis impleret. Nam pro omnibus impiis mortuo Domino, potuisset etiam hic consequi remedium, si non festinasset ad laqueum.* Ecce tibi vt festinatio in scelere eripuit Iudæ remedium, quod etiam hostibus Christi in cruce parabatur.

***

§. XXVI.

Sub vno solo Iesu possumus in bono stare.

Merito non suum populum Dominus vocat, sed Moysis populum, quem videt cito labentem in peccato. Quippè ait: *Peccauit populus tuus: recesserunt cito de via, &c.* Et cur populus tuus dicitur à Deo, & non populus meus? Ibi apponit causam, dicens: *Recesserunt cito à via.* Est hoc proprium insigne populi, qui creaturarum sequitur ducatum, quod nimirum non possit diu in bono durare, sed quamprimum in perditionẽ abeat. Vnus est Deus, & filius eius Iesus, qui possit populũ in bono obfirmare. Abac. c. 3. describens Christi *Abac. 3.* triumphos ait: *Splendor eius, vt lux erit, cornua in manibus eius. Ibi abscõdita est fortitudo eius. Ante faciem eius ibit mors. Stetit & mensus est terram.* Ex Græco dicitur. *Stetit, & commota est terra.* Expende, quid Christi triumphus agat in terra, nimirũ in terrena substantia, facit enim eam stare, & ad meliora moueri. Et quãtum est, quod Christus faciat terram stare? Hoc sciet, qui humani cordis instabilitatem sub aliis creaturis perpenderit. In quo humanum terrenumque cor permansit, & nõ singulis momentis modo ad hæc, modo ad illa raptum, imò raptatum est? Sed accessit Christus, & stetit, & firmiter in bono perseuerauit. Ait D. Cyrill. Alex. l. 1. *Cyr. Alex.* *Duo hæc passa est terra, stetit namque, & commota est. Stetit igitur: Nam quasi ebria, & ad quoduis inconcessum paruo momento commota; & quasi ab omni vento circumlata stabilem de cætero, & firmam stationem nacta est, Christo ipsum firmante.* Ecce tibi humana mens terrenis immersa affectibus, quam instabilis erat, quasi ebria singulis momentis commouebatur ad quoduis inconcessum, si forte aliquãdo aliquid salubre admitteret, paruo momento ad scelus, ad voluptatem vetitam rapiebatur. Sed hæc tam varia, & instabilis firmam stationem nacta est, Christo ipsam firmante, venit Christus, & sic in nobis obfirmata eius gratia permansit; vt non cito illam à nobis expellamus, sed diu in nobis perseuerantem sustineamus. Quo respiciens monebat Nazianz. *Nazian.* orat. de Natiuit. fatus: *Nunc autem partum Iesu accipe, ac præsulta, si minus vt Ioannes ab vtero, at certe vt Dauid ob requiem arcæ.* Monemur itaque suscipere Iesu natiuitatem, & præsultare instar Dauidis ob requiem arcæ. Et quæ erat hæc requies arcæ, ob quam Dauid præsultabat? Habes 1. Reg. 5. vt Dei arca *1. Reg. 5.* à Philisthæis capta nequiuerit retineri diu in vno loco; sed recepta in vno statim ad alium circumducebatur. Sic ibi: *Responderuntque Gethæi: Circumducatur arca Dei Israel. Et circumduxerunt arcam Dei, &c.* Hoc fuit Gethæorum ingenium, ne arca Dei in vno loco diũ perseueraret, sed ab vnoquoque quamprimum migraret; donec 2. Reg. 15. reducta ad Israelem in loco ponitur, vbi permanenter sit, nec indè migratur amplius. In cuius collocationis immobilis festo Dauid coram arca saltauit. Id quod notat in hac Nazianzeni oratione, *Nazian.* eius Scholiastes Nicetas, fatus: *Saltabat autem Dauid eo tempore, cum arca ab alienigenis recuperata huc, illucque desiit circumferri, atque ad populum suum conquieuit.* Quid pulchrius ad mentem Theologi? Erat antiquitus Dei gratia inter homines, sicut arca Dei inter Allophylos; pauci erant, qui diutius illam in se paterentur morari, sed quamprimum à quolibet excludebatur, venit Christus, & ex tunc Dei gratia visa est in hominibus conquiescere, & in innumeris immobiliter perseuerare. Quid tunc? Iam nobis saltandum est cum Dauide ob requiem arcæ, nimirum perseuerantiorem gratiam nacti. Ex quo enim Iesus nobis apparuit natus, Dei gratia ad populum suum conquieuit, desiitque aliquo modo instabilitas illa antiqua, qua huc illucque ferebamur, citissime deflectentes à semitis diuinæ gratiæ.

Exod. 32. Rursusque ait Dominus ad Moysem: Cerno, quod populus iste duræ ceruicis sit. Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam. Moyses autem orabat Dominum Deum suum, dicens: Cur Domine irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti in fortitudine magna, & in manu robusta? Ne quæso dicant Ægyptij, Callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus, &c.

§. XXVII.

§. XXVII.

Maximè diuinum est, quod sustineantur, & in vita habenda facultatem alantur, etiam ob malitiam suam reprobandi.

SCiens Dominus nequissimi populi duritiem, ob quā tandem reprobandus erat, adhuc cūctatur irasci, paratus, vel vnius iusti precibus illū sustinere, & seruare in omnibus viis salutis cōparandæ. Ait enim: *Cerno, quod populus iste duræ ceruicis sit. Dimitte me, vt irascatur furor meus, &c.* Quandoquidem noscis reprobandi populi malitiam, duritiemque eius nunquam domandā, cur Domine vel à principio illum non punisecisti, vel saltem nunc non te citius à Moysis precibus expedis, vt illum damnes? Et noscis pessimum, & reprobādum, & adhuc ais: *Dimitte me,* quasi paratus sustinere, si nō dimitteris? Equidem hoc in Deo diuinissimum est, & maximè mirabile, quod sciat sustinere, & alere in vitam eum ipsum, à quo noscitur ipsa vita pessundanda. Hinc Iulianum obiicientem Deo, quod malos præscitos nō ab initio exturbet, premit D. Cyr. Alex. lib. 5. aiens: *Ea in Deo carpit, quæ ob nimiam suauitatē morum admirari debebat.* Non sanè reprehēdendum, sed admirandū est in Deo, nimiæque, & præstantissimæ suauitati tribuendum, quod & prænoscat malos, & reprobandos, & nihilominus non detrectet hos sustinere, illisque & media, & facultates comparādæ salutis ministrare. Id habes in Gen. c. 2. vbi effecto voluptatis paradiso, positoque ibi ligno vitæ, cuius fructu possit vita æternari, inter hæc, & hominē constituit. Dicit namque: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradisum voluptatis, &c.* Itaque homo ponitur in paradiso, vt de arboris vitæ fructibus possit æternum viuere. Sed sciebat Deus hominem peccaturū, & eiiciendum indè festinantissimè, & morti adiiciendum; cur ergo sustinuit talem esse in paradiso, inter tot arbores vitæ, quæ omnes illi æternam vitam propinabant, quā minimè ille erat adepturus? Cur nō magis illū extra hæc omnia reliquit? Pulchrè ait Tertull. lib. 2. in Marcion. *Et Deus tanto magis bonus inuenitur, sustinēs hominem gloriosiorem in paradisum ad licentiam decerpendæ arboris vitæ, iam de vita regressurum.* Præuiderat Deus hominem morti succubiturū, imo & post peccatum iam viderat illum succūbentē, & nihilominus cunctatur, & sustinet adhuc illum in paradiso, vbi præ manibus, & ob oculos erant arbores vitæ, de quarum fructibus edere liceret ei, qui nihil iā habebat cū vita commune, quia erat mortis mancipium. Quantum hoc? Sanè in eo Deus multo magis bonus inuenitur. Singularis enim bonitas est, & vni Deo competēs, quod præsciat impiū periturum, & nihilominus illū patiatur esse inter ipsos salutis fontes, ad licentiam resumendæ sanitatis. Id quod in proditore Iuda maxime patuit, quem in cœna vltima, & in mysteriorū celebratione assidentem videns Dominus, ait Ioan. 13. *Amen, amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me* & cum hoc dixisset, buccellā accipit, eamque intinctam Iudæ præbet. Quid agis Domine proditorem noscis iam iam strangulādum, & funditus periturum intra horas paucas, & nihilominus in ore eius non dubitas ponere vitæ pabulū? Pulchrè ait D. Chrys. de Prodit. Iudę. *O Christi misericordia! ô Iudæ dementia! Ille in triginta denariis paciscebatur, vt venderet, & Christus ei sanguinē, quem venderet, offerebat, vt haberet remissionem peccatorum, si tamen impius existere noluisset.* Hæc est Dei misericordia, quæ notum perduellem, iam iam carnificibus tradendum, adhuc patitur esse inter salutis mysteria, ad licentiam salutis decerpendam. Quod tantum abest, vt sit à Deo alienum, quod potius maxime diuinam bonitatem commendet.

Cyr. Alex. — *Gen. 2.* — *Tertul.* — *Ioan. 13.* — *Chrysost.*

§. XXVIII.

Validissimæ sunt iustorum preces, vt Deum ab ira contineant.

IN re tantæ iræ, tantique digna furoris se Deus implicatum videt, vel vnius iusti conspectu, sic enim clamat ad Moysem: *Dimitte me, vt irascatur furor meus, &c.* Quasi vnius Moysis prece non dimittatur Deus irasci in perduelles populos, in idololatrarū gentem. Sic valet vnus iustus ab ira continere Deum. Vndè Ierem. c. 5. ait Dominus: *Circuite vias Ierusalem, & aspicite, & cōsiderate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem; & propitius ero ei,* non solum iusto vni propitius erit, sed & propter vnum iustum innumeris aliis peccatoribus. Vt dicat ibi D. Cyrill. Alex. ad c. Oseæ 1. circa finē: *Intelligis ergo, quo pacto vel vnum*

iustum tuendum suscipiat Dominus, & pro tota ciuitate orantem non despiciat. Quasi nesciat Deus se expedire iustorum orationibus, vt perdat peccatores. Eduxerat Deus Abrahamū ex patria sua, vt acciperet terram promissionis destructis illius incolis. Sed non impleta est hæc promissio nisi in quarta Abrahæ generatione. Ait enim Gen. 15. *Generatione autē quarta reuertentur huc; nondum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum.* Differebatur diuina promissio de destruēdis Amorrhæis, quia nondum impletæ erant iniquitates eorum. Et vndè non essent impletæ iniquitates pessimorum hominum, nisi quia adhuc apud illos erant aliqui rari iusti, qui Dei iram detinerent? Ait Theodor. qu. 64 in Gen. *Didicit quoque rationem dilationis, ne quis suspicaretur ob numerosam incolarum multitudinem Dominum Deum non potuisse illis tradere dominium illius terræ. Dixit autem sic: Non adimpleta sunt peccata Amorrhæorum vsque nunc. Nondum, inquit, extrema digna perpetrarunt. Quod autem illis temporibus essent viri pii constat ex Melchisedech, &c.* Ecce tibi tota ratio dilatæ vindictæ de Amorrhæis, nimirum erat inter illos Melchisedech, ad cuius preces quasi nō poterat non ira Dei detineri. Hinc Israelitis fidelibus, legisque obseruatoribus aiebat Dominus Exod. 19. *Eritis mihi in peculium de cunctis populis, mea est enim omnis terra.* Sed quando tua est, Domine, omnis terra, cur despectis cūctis populis vnum tibi asseris populū Israelitarū? Sicne propter hunc reiiciēdi sunt cæteri populi? Absit, non reiicit cæteros, eo quod vnū sibi seligat, imò per hunc & cæteris prospicit, quando enim Israelitę iusti sint, ii poterūt Deum propitiū facere omni alii nationi. Sic dicit Theod. q. 35. in Exod. *Quemadmodū & Leuitas reliquis tribubus prætulit, & ad officium diuinum consecrauit, nō quod reliquas tribus negligeret, sed per hos illarum curam gereret. Sic & semen Abrahæ elegit, quia per hosce posteros eorum patefacturus erat suam potentiam, & edocturus omnes homines.* Vide vt in bonum vniuersorum seligebantur Israelitæ legis obseruatores. Quicumque sanè iustus à Deo seligitur ad peculiarem legum obseruationem, in magnum cedit totius mundi bonum, quando vnius precibus iram suam aduersus peccatores Dominus continet. Hinc Gen. 8. Abrahamus vt iram Dei auertat à nefarissimis Sodomitis, decem ibi iustos Deo obiicit, & ait Dominus: *Non delebo propter decem.* Circa quæ ait Procop. in Glossa: *Quamobrem cupit iniustos quoque seruari in hunc sensum loquitur. Pauca salis mica conseruant à putredine multam carnem; panni, & parua vincula continent magna ædificia: sic iusti conseruant iniustos.* Hæc ibi.

Gen. 15. — *Theodor.* — *Exod. 19.* — *Theodor.* — *Gen. 8.*

§. XXIX.

Absurde satis Præsules Ecclesiæ ad ditiores semper anhelant præsulatus.

COnueniant huc qui paruis præpositi Ecclesiis nullum non mouent lapidem, vt ad ditiores, splendidioresque promoueantur, & discant, si non in Christo extremam paupertatem, saltem in Moyse moderationem animi. Is audit ex Deo: *Dimitte me, vt deleam eos, faciamque te in gentem magnam.* Maior, & splendidior illi offertur à Deo præsulatus, dū paratur amittere paruum illū & nefarium, & perduellē populum. Bonus autē Dux affectus ad paruū, quia primò sibi fuerat delatus, vel audire erubescit suī promotionem, multisque illam deprecatur. Quid dignius præstanti viro? Et quid absurdius illis præsulibus, qui primas Ecclesias contemnūt, vt acquirant splendidiores, opulentioresque alias? Pulchrè D. Chrysost. hom. 12. in Ioann. fatur. *Cum Moyses à Iudæorum ingratitudine liberari posset, & alterius gentis longe maiorem accipere principatum, cum sanctus, & Dei seruus esset intimus, ne audire quidem id sustinuit, sed potius vna cum iis, qui sibi semel crediti erant, perire, quam sine illis saluus esse, & ad maiorem dignitatem assumi, prætulit. Huiusmodi esse oportet, cui animarum cura commissa est. Est namque absurdum, vt prauorum filiorum pater nolit, nisi eorum quos genuit, pater appellari. Nos autem discipulos quotidie, nunc hos, nunc illos mutamus, erga neminem unice, familiariterque affecti. Sed absit, vt de nobis vnquam hæc suspicio suboriatur.* Sapienter ponderat sanctus Prælatus absurditatem eorum præsulum, qui nulla in Ecclesia nulla in cathedra firmi, & stabiles manent, sed semper pro præstantiori alia, ditiorique suspirant. Quam pestem cupiens Dominus remouere à suis ministris monebat illos Exod. cap. 20. *Non ascendes per gradus ad altare meum, ne reueletur turpitudo tua.* Facilius aliter caueretur turpitudinis reuelatio, etiamsi per gradus ascenderent ad altare; cur ergo maluit Deus hoc iubere, ne per gradus ascenderet? Ait Lippom. in cat. *Honestas namque decet*

Chrysost. — *Exod. 20.* — *Lippom.*

maxima sacerdotes Domini virtutum, & disciplina morum perfecta sed & arrogantia, & ambitio Domino non placet. Equidem inter alia taxabatur ambitio illorum, qui perpetuas meditantur in Dei Ecclesia ascensiones, vt ad celsiores, & sublimiores semper dignitates, & præsulatus ascendere possint. In quo maxima reuelatur absurditas, & turpitudo eorum. Huc adducenda sunt dicta tom. 4. in Euang. lib. 16. c. 1. §. 2.

§. XXX.

Facinora iustorum ob oculos Dei posita peccatorum hominum errores maculasque abscondunt.

ADuersus vituli fabricatores, & adoratores irato Domino opponit Moyses Abrahami, Isaaci, & Iacobi facinora, dicens: *Recordare Abraham, Isaac, & Israel seruorum tuorum.* Et quid tunc? *Placatusque est Dominus, ne faceret malum, &c.* Adhuc idololatria feruebat, adhuc Israelitæ erant in solemniis idoli, nec à perpetrato scelere desistebant, & iam placatus erat Dominus. Vnde Dominus inter ipsa scelera placari potuit? Subiere illius memoriam facinora Abrahami, Isaaci, & Iacobi, quæ diuinis oculis opposita, obtenebrata manserunt ingentia scelera populi. Ait D. Cyrill. Alex. lib. 4. de Ador. in spiritu, fatus: *Non inutilis est cæteris hominibus ille sanctorum virorum splendor, illorum namque rebus bene gestis nostra infœliciter gesta obruuntur; & cum nobiliorum virorum animi fortitudinem attendit noster ille virtutis amator Deus, infirmioribus crimina condonat.* Ecce tibi vt miserorum crimina & obruuntur, & absconduntur inter iustorum facinora, quæ parent diuinis oculis. Dum enim diuina lumina recreantur iustorum facinoribus, nihil non suaue, & lene a Deo profertur in peccatores.

D.Cyril.

Gen. 18.

Hinc illa Dei vox Gen. 18. *Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatis, dimittam omni loco propter eos.* Et qualiter fieret, quod tanti, tamque nefarij populi crimina dimitterentur, propter quinquaginta iustos solos? Ait D. Cyril. Alex. vbi supra: *Erit autem vt vna cum sanctis viris claritatem, quæ illis ingesta, participemus, & eorum præclare gestorum socij simus, Deo ex benignitate, atque clementia nostras res infœliciter gestas cum illorum recte factis veluti confundente, ac permiscente, idque quod inchoatum est, & imperfectum, cum eo, quod est perfectum, vt gratum, acceptumque fiat, conferente.* Expende illa, nimirum: *nostras res infœliciter gestas cum illorum recte factis veluti confundente:* quippe coram Deo sic sordes nostræ cum iustorum hominum recte factis permiscentur, & confunduntur, vt pene dispereant. & illorum recte factorum ita simus participes, quasi ab omnibus perfectum sit, quidquid apparet perfectum, & illustre. Et quando non per eximium præstantissimorum gloriam etiam inertes, & pigri illustrantur? Numer. 31. vt Israeliticus populus vindicaretur de Madianitis selecti sunt milleni præliatores strenui de singulis tribubus: ait enim text. *Dederuntque millenos de singulis tribubus, id est, duodecim millia expeditorum, &c.* Et quidem penè omnis populi multitudo infecta fuerat Madianitarum labibus, cur iam pauci eliguntur pro expurgatione illarum, nisi quia paucorum strenuorum gloria vniuersos peruadat? Sic ait D. Cyril. Alex. lib. 4. de Ador. fatus: *Lecti iuuenes ad bellum gerendum conueniebant, & ii singulis tribubus quæcumque extulissent, ij gloria populo vniuerso essent, & patrie vnius nobilitas ad plenitudinem totam pertineret.* Tota populi multitudo etsi iners, etsi sordida nobilitatur, vbi pars aliqua selecta inuenitur, quæ strenue se gerat. Ad horum facinora attendens Dominus cæterorum sordes parui æstimat.

D.Cyril.

Num. 31.

D.Cyril.

CAPVT XVII.

Vindicta de culto idolo.

Textus Historiæ.

REDDIDIT quadragesimus dies Moysem cum suo Iosue popularibus; reddidit, inquã, Moysem non vacuum, sed diuitem duabus lapideis tabulis, in quibus Decalogi præcepta Dominus manu propria exarauerat. In altera, quæ Deum spectabant præcepta, tria legebantur; septem in altera, quibus proximorum consortium firmabatur. His descendentes è monte præoccupat clamor, a circumiacentium turbis exortus, in quo Iosue hostilem aliquem assultum verebatur: verius Moyses non pugnæ fortia, sed lasciuientium mollia notauit, & dedecora vinolentorum. Rem cito declararunt ludentium choreæ, accedentibus pene obuiæ factæ, & vitulus è propinquo iam radians altari. Quæ mẽs, qui dolor Moysem subit nefario sub aspectu? Confregit tabulas, nulla enim lex adeo marmorea est, quæ nõ facile inter ignauissimos homines, & ventri deditos confringatur. Vitulum rapit, in puluerem comminuit, ex quo cõfecta pocula miseros adoratores suos neci destinabãt. Bibit populus nequam, bibit & Aaron, qui solus è potione nullum signum lethiferum contraxit, satis castigatus coram Deo & verecundia sceleris, & obiurgatione minoris fratris, qui coactè fuerat ad opus nefarissimum raptus.

Interea Moyses circumspiciens multitudinem non paruam, & vestibus propter choreas nudatã, & inauribus propter vitulũ spoliatam, & percepta potione signatam; conuocat Dei veri zelatores, quibus seuerissimum imperium mandat: Ne quis filiis, aut parentibus, aut cognatis, aut amicis parcat, sed quos inuenerit reos internecioni tradat. Proh dies luctuosissimus Israelitis! Accurrunt Leuitæ fere omnes, accurrũt ex aliis tribubus non pauci, strictisque gladiis mortem inferre incipiunt reis, etiam a quibus ipsi vitã traxerint. Occisa sunt è præstantioribus tria millia, si hoc volunt Hebraica exemplaria; de omnibus viginti tria millia a nostris numerantur. Qua strage peracta Moyses validissimos occisores laudauit, reliquamque multitudinem metu perculsam docuit, vt pœnitere debeant de opere nefario, dum ipse per alios quadraginta dies apud Deum eorum causam agit.

PARS MORALIS
in textus literam.

IMPIORVM amarissima supplicia non possunt non mellitos fontes propinare iis, qui malunt ex alieno sibi prouidere damno. Quos vt teneamus fontes, præsenti textus litteram euoluamus.

Exod. 32. Reuersus est Moyses de monte, portans duas tabulas testimonij in manu sua, scriptas ex vtraque parte, & factas opere Domini. Scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis.

§. I.

Maxima Dei dignatio, quod per se ipsum hominum disciplinæ attendat.

ECce mittuntur à Deo tabulæ propria eius manu cõscriptæ populo suo, sic enim dicit text. *Reuersus est Moyses de monte, portans duas tabulas testimonij in manu sua, scriptas ex vtraque parte, & factas opere Domini.* Ipse Dominus tabulas effecit, dolauit, propriaque scripsit manu, vt eas populo daret. Quanta hæc summi Dei dignatio! In simili dignatione sic D. Ambr. epist. 16. alloquitur Augustum Gratianum. *Quid de literis recentibus loquar? Scripsiste tua totam epistolam manu, vt ipsi apices fidem tuam, pietatemque loquerentur. Sic Abraham sua manu quendã vitulũ occidit, vt hospitibus epulantibus ministraret, nec in ministerio religioso aliorum adiumenta quæsiuit. Sed ille primatus, aut Domino, & Angelis, aut Domino in Angelis deferebat, tu Imperator dignatione regali honoras infimum sacerdotem.* Sic Ambros. commẽdat dignationem regalem Imperatoris, qui manu propria scriptam epistolam sibi dederat. Et quis nõ commendaret diuinam dignationem, quando ipse Dominus omnium, & summus creaturarum Imperator non dedignatur manu propria tabulas dolare, & exarare, vt leges viuẽdi populo rudi traderet? Sanè vt ipsi apices Dei erga homines pietatem monstrarent, in quibus scripto instruendis aliorũ adiumenta non quæsiuit. Magnum hoc? Sed accipe maius per Hieremiam promissum, & nobis communicatũ. Quippe ait Hierem. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus meum: non secundum pactum, quod pepigi cum patribus vestris. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Non iam in tabulis lapideis, sed immediate in cordibus nostris lex diuina dicitur inscribenda. Et quæ lex sic immediate in cordibus nostris inscribitur?

D.Ambr.

Hier. 31.

August. Inscribitur? Ait D. Aug. lib. de spiritu, & liter. c. 21. *Quæ sunt alia leges à Deo scriptæ in cordibus, nisi ipsa præsentia Spiritus sancti?* Magna erat Dei dignatio, quod populo suo mitteret leges scriptas propria sua manu, proprio suo digito, nec Scribæ alicuius adiumẽta in hoc ministerio requireret. Sed hoc lõge maius est, & maioris dignationis indiciũ, quod non solum vitaret adiumenta scribæ ad dandas leges fidelibus suis, sed nec tabularum, nec alterius instrumenti expectauit adiutoriũ, sed ipse per se diuinus spiritus immediata præceptia sua, quod iuberet, cordibus humanis imprimeret. Quis neger hoc maioris dignationis indicium? Accipite D. Chrysost. hom. 1. in Matth. fantem. Chrysost. *Oportuerat quidem nihil nos indigere auxilio litterarum, sed tam mũdam in omnibus exhibere vitam, vt librorum vice gratia Spiritus sancti vteremur. & sicut atramento illi, ita corda nostra inscriberentur à Spiritu. Siquidem nec Apostolis scriptum aliquid Christus, sed pro literis sancti Spiritus se illis daturum gratiam repromisit. Atque vt discas, quod hoc sit illo multò melius, audi Dominum loquentem: Et disponam, inquit, vobis Testamentum nouum. Dabo leges meas in mente eorum, & in corda eorum præscribam eas, & erunt omnes docibiles Dei.* Boni cõsultum fuerat à Deo: vbi decreuit leges suas, monita sua digito proprio scribere in tabulis, quæ darentur hominibus. At illud multo melius apparuit factum nobiscum, quod nec tabulas, nec adiumenta alia similia requisiuit, sed ipse per se Dominus adstitit, seseque cordibus nostris infudit lex nobis immaculata, & viua.

§. II.

Non in scriptorum pretio, sed in exhibitione virtutum hominis præstantia consistit.

COnueniant huc, qui pulchris libris, pretiosisque scriptis conquirendis summum studium, & sumptum impendũt, & videant omnium pretiosissima scripta ad populũ Iudaicũ venire. Ait enim: *Reuersus est Moyses de monte portãs duas tabulas testimonij in manu sua, scriptas ex vtraque parte, & factas opere Domini. Scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis.* Qui liber, quod scriptum, potuit cum hoc comparari, siue in pulchritudine, siue in pretio? Quis princeps, quis imperator tales tabulas, tales mẽbranas in suis scriniis habuit? Sed quod mireris magis, accedẽs Moyses *vidit vitulum, & choros, iratusque valde proiecit de manu tabulas, & confregit eas.* Proh ingens perditio pretiosissimarũ tabularum! Cur Moyses priuas populum tanto thesauro? Merito Moyses despicit leges in tabulis scriptas, quæ minime in cordibus scriptæ apparent. Habere enim pretiosa scripta in scriniis, & vilia opera in manibus, nõ est hominis, qui prorsus auersatur nequitiam Iudaicam. Pulchre hinc pungit multos D. Chrysost. hom. 31. in Ioan. fatus: Chrysost. *Omne suum studium in membranarum tenuitate, in literarum characteribus quam pulcherrima consumunt, non vt legãt, non vt vsum aliquem inde consequãtur, sed vt diuitias, vt ambitionẽ ostentent, in his student. Quid quæso hoc lucri? Non propterea nobis scriptura data sunt, vt in libris dumtaxat habeamus, sed cordi insculpamus. Itaque hæc librorum possessio Iudaica ambitionis est, quibus in literis præcepta data sunt, nobis nõ ita, sed in tabulis cordis carneis.* Relinquatur itaque Iudæis cura de habendis pretiosis libris, pretiosis scriptis, quibus eorũ scrinia superbiant: nostra autẽ non inde sumatur præstantia, sed ex scripturæ operibus exhibitis. Non aurea pagina, & à præclaro artifice polita, sed aurea vita est, quæ homines exaltat. Merito à Iesu reprehendebantur Pharisæi, qui multi erant in pictis Decalogi membranis ostentandis. Ait enim de illis Matth. 23. Matth. 23. *Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus. Dilatant enim phylacteria sua, &c.* Monebat illos Deus, vt leges suas ob oculos haberẽt. Quid illi? In pictis pulcherrimisque membranis legem scribebant, quæ membranæ scriptæ phylacteria vocabantur, & à capite ob oculos pendebãt, quibus sese religiosos ostentabant. Quid stultius, quàm religionem in scriptis pulcherrimis papyris collocare? Sic multi in præsenti in eo se pios, & deuotos putant, si pretiosa psalmorum scripta, si aurea euangelia pulcherrimis inscripta mẽbranis, & similia habeant alia. Cunctis irridet D. Hier. in Matth. fatus: Hieron. *Pictatiola illa Decalogi, phylacteria vocãt: quod quicumque habuisset ea, quasi ob custodiam, & munimentum suum haberet, non intelligentibus Pharisæis, quod hæc in corde portanda sunt, non in corpore: alioquin & armaria, & arca habent libros & notitiam Dei non habent. Hoc apud nos superstitiosæ mulierculæ in paruulis euangeliis, & in crucis ligno, & istiusmodi rebus; quæ habent quidem zelũ Dei, sed non iuxta scientiam, vsque hodie factitãt.* Equidem & Pharisæorũ est, & muliercularum præstantiam virtutis constituere in scriptis chartulis, in pictis mẽbranis, in paruis, & politis euangeliis, psalmodiisque & similibus. Absit hoc à vero Christiano, qui non vt scrinium, aut armarium ostentat scripta pretiosa, sed vt perfectus virtutum opera ab scriptis insinuata facit. Hæc est vera præstantia hominis Christiani.

§. III.

Ab omnium creaturarum naturis potest homo rationi suæ conuenientia discere.

IN tabulis lapideis legem scriptam Moyses adducit, dicẽte scriptura, *Reuersus est Moyses de mõte, portãs duas tabulas testimonij scriptas, &c.* Sed per Ierem. c. 31. dicebat Dominus: *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribã eam.* Ibi in lapideis tabulis legẽ scribit, hic promittit illam postmodum in corde hominum scribendam. Et cur prius in lapide, quam in corde scripsit? Equidem prius scripsit legem in lapide, vt de lapidum, cæterarumque creaturarũ naturis edocti facile ad intimã hominis perfectionẽ cœlitus inspiratam deueniremus. In resurrectionis casu notabat hoc Tertul. lib. de Resur. loquens: Tertul. *Totus igitur hic ordo reuolubilis rerum testatio est resurrectionis mortuorum. Operibus Deus præscripsit eam antequam literis: viribus prædicauit antequam vocibus. Præmisit tibi naturam magistram, submissurus & prophetiam, quo facilius credas prophetiæ discipulus naturæ.* Equidẽ quod plantæ, & herbæ, & lapides, & cæteræ omnes creaturæ loquitur, facilius persuadetur hominibus, cũ à Deo dicitur. Quod videmus vel in lapidum naturis scriptum, quomodo totis nõ amplectemur viribus, cum vel lapides nos impellant in illud? Merito ergo mittimur prius ad creaturarũ naturas, vt inde postmodum ad veras deueniamus animæ disciplinas. Quo spectat illud Cant. 1. ad sponsam dictum: Theoder. *Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hædos tuos circa tabernacula pastorum.* Ecce tibi vt iubetur sponsa fieri assecla gregum, & pastorum, vt in sibi conuenientia deueniat. Sed qui greges, qui pastores inspiciendi sunt à Christi sponsa? Mirabile dictu, greges, & pastores vocat vniuersas turbas creaturarum. Aiunt tres Patres apud Theod. Cant. 1. *Greges dicũtur verũ naturæ, quoniam earum singula facta sunt digna, quas prouidẽtia sua author omnium Deus, quasi pastor gubernet, moderetur, agat. Et pasce hædos tuos in tabernaculis pastorum: exemplis videlicet rerum naturalium, desidiam malorum omnium causam in diligentiam conuertens, quæ naturalis vt formica, & apis inesse cernitur. Imprudentiam ad prudentiam exemplo serpentis traduces, vt sicut ille pro capitis defensione totum corpus offerre non dubitat, sic tu pro fide te ipsam periculis omnibus obiicias. Iracundiam item columbæ exemplo reuocans ad simplicitatem, vt eos, qui te iniuriis afficiunt, minime persequaris, quando nec columba propter pullorum suorum direptionem à diripientibus nõ recedit, &c.* Pergunt Patres alias creaturas proponere, quarum naturis inscripta sunt, quæ nobis conueniunt ad obtinendam intimam cordis virtutem, eamque obtinebimus facti creaturarum discipuli. Hinc Leuit. 11. cauebat Dominus: Leuit. 11. *Omne quod habet diuisam vngulam, & ruminat in pecoribus comedetis. Quidquid autem ruminat, & habet vngulam, sed non diuidit eam, sicut camelus, & cætera, non comedetis illud, & inter immunda reputabitur.* Itaque à mensa hominum remouentur animalia, quæ non ruminant, & admittuntur, quæ ruminant. Et cur sola ruminantia, & vngulam diuidentia hominibus proponuntur, cætera autem illis eripiuntur? Respondet Tertull. lib. de ieiunio: Tertul. *In animalibus mores depinguntur humani, & actus & voluptates. Mundi si ruminent, id est, in ore semper habeant quasi cibũ præcepta diuina; vngulam findant, si firmo gradu innocentiæ, iustitiæ, omnisque virtutis vitæ itinera conficiant.* Sunt equidem in animalibus, in omnibus creaturis adumbrati, & quasi inscripti hominum mores, quorum discipuli internam adipiscũtur munditiem. Quis homine illo mundior, qui ad ruminantium naturam aspiciens in ore versat præcepta diuina? Quis itẽ illo mundior, qui de more diuidentium vngulas, firmiter hæret in virtutis curriculo? Sic rerum naturis informantur homines, vt facilius accedant ad cordis munditiem. Sic Iosue iubente c. 6. Iosue 6. *Stetit Sol in medio cæli, & non festinauit occũbere spatio vnius diei. Non fuit antea, & postea tã longa dies.* Nec otiosa ad vocem hominis creatura Solis stetit, sed vt vel insensibilibus inscripta obedientia appareret, qua homines magis docerentur obtemperare Deo, ait D. Basil. Sel. orat. 19. Basil. Sel. *Deus diei spatia concessit, quo tã Domino parere doceret.* Vtiliter equidem fiunt homines creaturarum discipuli, vt Deo facilius præbeant obsequium.

Exod. 32. Audiens autem Iosue tumultum populi vociferantis, dixit ad Moysem: Vlulatus pugnæ auditur in castris. Qui respondit: Non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam, sed vocem cantantium ego audio.

§. IV.

Conuiuia, compotationesque hostiles nostrorum aduersariorum phalanges ad se reducunt.

TVmultus populi in vituli solemniis visus fuit Iosue bellicus tumultus; ast Moysi visa fuit, quæ erat, vox nimirum cantantium. Dixit enim Iosue ad Moysem: *Vlulatus pugnæ auditur in castris. Qui respondit: Non est clamor adhortantium ad pugnam, sed vocem cantantium ego audio.* Quæ verba sic apud Philonem leguntur lib. de Temulentia, nimirum: *Clamor pugnantium auditur in castris. Qui respondit: Clamor iste non ad pugnā, aut fugā hortator est, sed ad pocula.* Et merito: qui vere erat clamor canentium inter pocula & mensas dapibus fartas, quibus solemnia vituli celebrabant; visus est Iosue clamor pugnæ, & belli; memor enim ille Amalecitarum nuper à se fugatorum, verebatur eorum reuersionem. Et qui hostes non reuertantur super eos, qui se tradunt fartis mensis, & compotationibus? Non me tempero, quin huc afferā Cyri astum, de quo Paul. Oros. lib. 2. ait: *Cyrus itaque Scythiam ingressus procul à transmisso flumine castrametatus, insuper astu, eadem instructa vino epulisque deseruit, quasi territus refugisset. Hoc comperto regina tertiam partem copiarum, & filium adolescentulum ad persequendum Cyrum mittit. Barbari velutı ad epulas inuitati primum ebrietate vincuntur; mox reuertente Cyro, vniuersi cum adolescente obtruncantur.* Quid pulchrius in rem præsentem? Ebriorum clamor mixtus fuit cum bellico tumultu, cū hostili regressu, quo miseri epulones perimuntur. Caue tibi Christiane à mensis, caue tibi à poculis, à conuiuiis, hostis antiquus aliquando mentitur fugam, procul se à nobis ostendit, interea relinquens parata conuiuia, paratas compotationes. Quibus si assideas, in te proculdubio reuertetur vniuersi aduersariorum cunei, sub quorum percas insultu. Ecce vobis 3. Reg. 20. Benadab rex Syriæ innumero pene exercitu Israelitas hostes in Samaria concluserat, sicque ciuitatem vndique cinxerat, vt nullus inde hostis posset exire. Quid tunc? Ait text. *Benadab autem bibebat temulentus in vmbraculo suo, & reges triginta duo cum eo, qui ad auxilium eius venerant. Egressi sunt autem pueri principum prouinciarum in prima fronte. Misit itaque Benadab, qui nuntiauerunt ei dicentes: Viri egressi sunt de Samaria, &c.* Sanè omnes hostes erant cōclusi intra vrbem Samariæ, & adeo in arcto positi, vt minime in certamen possent exire. Exierūt tamen multi, & nuntiatum est Benadabo, quod hostes exiissent, & ad se venirent. Sed quando caeunt hostes, quando audent venire aduersus exercitum validissimum? Notanter posuit textus circunstantiam illam, nimirum: *Benadab autem bibebat temulentus, &c.* qui enim sobrius hostes fugauerat, & intra vrbem concluserat, vbi compotationibus cœpit indulgere, & vacare cōuiuiis, hostiles fecit turmas ad se exire, sub quibus misere periret. Et quos hostes non trahant prolata diu conuiuia? Aiebat Dauid Psalm. 22. *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.* Quibus verbis pulchre expenditur discrimen inter mēsam mundialem, & diuinam, in hac enim temperantia viget, in illa totum est armarium gulæ. Hæc hostes abigit, allicit illa. Vbi sobria mensa ex Deo parata apparet, nullus hostis, nullus malus genius non fugit: vbi autem ebriorū mensa proponitur, hostiles omnes acies, & vniuersi mali genij eo aduolare festinant. Vide D. Chrysost. hom. 57. ad popul. ait: *Hunc luxus sancit, & immodestia, illam vero philosophia, & modestia. Hic Christus venit, illuc vero diabolus; vbi siquidem ebrietas, ibi diabolus; vbi saturitas, ibi dæmones choreas agunt.* Currunt plane diabolici exercitus ad mensas, in quibus pretiosę epulę, & vina apportantur superflua. Nec vllis aliis rebus, quàm conuiuiis, & compotationibus & plures, & nocentiores trahuntur dæmonum exercitus. Iob c. 1. *Ecce alius intrauit, & dixit: Filiis tuis, & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, &c.* Mirum est, quod ventus veniens ab vna regione concutere potuerit quatuor angulos domus; qua difficultate, vt se expediat Origen. in vento illo agnoscit ingentem multitudinem dæmonum, quorum singuli properabant à diuersis partibus domum impellere. Ait enim lib. 2. in Iob: *Omnes nequissimi dæmones mox vt relaxati sunt, omnes generaliter ab omnibus partibus super domum ipsam irruerunt festinantes, atque aduersum inuicem rapientes, quis primus hanc iniquitatem inciperet. Ob hoc ergo per quatuor partes irruerunt nequissimi dæmones, tanquam leones de insidiis prorumpentes.* Et cur omnes dæmones sic efferantur in vnam illam domum? Cur vnam tot dæmones inuadunt? Erat illa conuiuij locus, vbi epulabantur fratres, nec miror, quod ad illam perdendam omnes certatim accurrant dæmones. Olympiod. in caten. Græca ait: *Ventus autem è deserta regione repente obortus est, cæteras ædes non attigit, sola ea, vbi epulabantur filij, euersa est.* Sola illa traxit ad se tot dæmonum cateruas, in illam solam, in qua epulabantur fratres, certatim aduolant omnes dæmones. Quo traho illud Isaiæ c. 5. *Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia & vinum in conuiuiis vestris: Propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absque vllo termino.* Vbi cum omni musico instrumento Israelitæ conuiuiis vacabant, infernus suum os dilatat sine termino, non solum, vt absorbeat ebrios, sed vt euomat, & emittat omnes dæmones, qui aduolant ad perdendum. Necessum est enim, vt amplissimum fiat os inferni, quando tot sunt dæmones, qui certatim volunt venire, vt domos conuiuiorum perdant.

Paul. Oros. — *3. Reg. 20.* — *Psal. 22.* — *Chrysost.* — *Iob 1.* — *Origen.* — *Olymp.* — *Isaia 5.*

Exod. 32. Cúmque appropinquasset ad castra, vidit vitulum, & choros, iratusque valde proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis. Arripiensque vitulum, quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Israel.

§. V.

Vilescunt apud Deum sanctissima quæque externa, vbi cor humanum deficit.

MIrabar, quod sanctissimas illas tabulas Dei manu conscriptas confringeret Moyses: ait enim: *Vidit vitulum, & choros, iratúsque valde proiecit de manu tabulas, & confregit eas.* Cur non magis Moyses Dei scripturam vereris? Esto quod Israelitæ peccauerint, quod à Deo defecerint, an ideò tu contemnes, quas Deus conscripsit tabulas? Nonne satius esset, quod peccantibus Israelitis, tibi saltem sanctissimæ legis tabulæ curæ essent? Cur non magis earum sanctitatem vereris? Equidē vbi Israelitæ post vitulum euntes apparuerunt, & à Deo defecerunt; prorsus legis tabulæ viluerunt. Nulla enim est similium sanctitas & religio, quæ apud Deum non vilescat, vbi humanum cor deficit, & negatur Deo. Sic 4. Reg. cap. 25. dicitur de magnifico Dei templo: *Venit Nabuzardan princeps exercitus, seruus regis Babylonis in Ierusalem. Et succendit domum Domini, & domum regis, & domos Ierusalem.* Esto, quod ob populi peccatum Deus tradiderit ciuitatem, & regiam succendendam, at sanctissimum cur non magis seruauit templum? Nihil in terra sacratius, nihil sanctius illo tēplo, cui Deus peculiariter assistebat, in quo oracula edebat, & victimas acceptabat, & monimenta suorum beneficiorum erant. Cur ergo non magis tantæ sanctitati prospexit? Ait Rupert. lib. 1. in Ierem. c. 2. *Consilij diuini est, quod pulchrum, & nobile Dei templum in toto orbe tunc temporis vnum, & solum, auro ditissimum, opere mirificum, religione inclytum, Babylonico igne conflagrari, spoliari, prophanari, occisorum sanguine compleri. Erudiendus namque erat mundus, ne putaret, quod habitator cælorum Deus auro templi manufacti delectaretur, & non potius hominum fide, & bonis operibus, quibus intus in anima templum illi præparatur, quo solo delectetur, vbi adoretur, in quo videri, & præsens agnosci dignetur, sine quo frustra foris lampadibus, vel auro templi manufacti requiratur.* Equidem omnia hæc externa augustissima, sacratissima frustanea sunt Deo, vbi longe ab illo fiunt intima humanæ mentis. Quid domus Dei, quid altare, quid vasorum sacrorum tota religio? Sanè hæc nihili æstimantur à Deo, vbi ab animis hominum excluditur. Sic Lucas cap. 21. *Quibusdam dicentibus de templo, quod pulchris lapidibus, ac donis ornatum esset, ait Iesus: Ex his, quæ videtis, venient dies, in quibus non relinquetur*

4. Reg. 25. — *Rupert.* — *Luc. 21.*

lap.

Lapis supra lapidem. Plurimi æstimabant alij templi structuram, altarium religionem; Iesus autem qui sciebat Iudæorum perfidiam, nullum verbum æstimationis circa ea profert, sed destructionis præsagium. Ait Theophyl. ibi: [Theophyl.] *Quibusdam laudantibus structuram templi, & quæ in illud oblata erant. Opinor autem illud de sculptis, & ornatis loqui, vt erant Cherubin, & similia. Hoc enim forte dona dicit. Dominus vero nihil horum miratur, sed & destructionem eorum prædicit.* Vbi adeò peruersi parebant Iudæorum animi; tota preciositas, & religiositas templi sordere Domino cœpit, & destructioni reseruari. Nihil enim horum augustum est Deo, quando illi hominum corda negantur. Hinc Psal. 77. [Psal. 77.] *Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculũ suum, vbi habitauit in hominibus.* Et cur tantum, & tam augustum tabernaculum à Deo repulsum fuit, & ruinę datum? Rationem indicant illa verba, *vbi habitauit in hominibus*, Inuenta enim erant omnia illa ad hoc, vt Deus in hominum cordibus habitaret, quandiu ergo homines tales erant, vt Deum cordi haberent, tunc templa, altaria, sanctoaria augustissima Deo erant, multoque honore afficiebantur. Eo autem ipso quod homines à Deo deficerent, sese præberent indignos tanto habitatore; illa omnia statim repellebantur. Quod acute notans Incognitus fioit: [Incogn.] *Cum ergo non essent digni, in quibus habitaret Deus: merito repulit illud, quod non propter se, sed propter illos instituerat.* Ex quo Ierem. cap. 7. [Ierem. 7.] iubetur stare in porta templi, ibique clamare ad vniuersos: *Nolite confidere in verbis mendacij dicentes, Templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* Egregium equidem mendacium est; quod dicas, vel templa, vel sanctuaria fore honori Deo, & æstimationi, vbi hominum vita defecerit à Deo. Vnde Theodor ibi monebat: [Theodor.] *Suadet igitur Dominus, ne fidat templo, sed vita legitima, quamobrem subiicit, quod & domus Dei eadem patietur.* Despiciuntur sanctissima quæque à Deo, cum homines ab illo recesserint: id quod manifestè patuit in excidio Ierosolymitano: de quo, vt mauult Hugo Thren. 4. dicit: [Thren. 4.] *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum?* Aureum illud templi decus fumo incendij contabuit, & ipsa sancta sanctorum dispersa, & combusta sunt, quando Iudæi cucurrerunt ad sacrilegium. Vt dicat Egesip. lib. 5. c. 2. [Egesipp.] *Quoties seditio? Quoties obsidio? Quoties bellum? Et nunquam illa vrbs periit, nisi quando verum templum Dei domesticis manibus crucifixerunt. Quid vero aliud nisi sacrilegium fuit cum impias manus extenderent in authorem salutis, cum lapidarent, cum verberarent, cum corriperent, cum occiderent? Tunc vero sancta eorum absumpsit ignis diuinus.* Ecce tibi cum Iudæi sacrilegi extiterunt, sanctissima eorum à Deo fuerunt despecta, & tradita incendio.

§. VI.

Hoc efficacissimum est ad conuertendos homines, si videant, quæ coluerunt idola prima dare pœnas.

Antequam idololatræ populo verbum faceret arripuit Moyses idolum, & comminuit, in puluerem que redegit. Nimirum ait: *Arripiensque vitulum, quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad puluerem.* Bonus præsul prius in Idolum desæuit, vt viderent subditi idola à se dilecta prima ire in pœnas, & confunderentur, & conuerterentur. Quis enim adeò amens est, qui non erubescat, & confundatur fidisse idolis? quæ vindictæ tempore prima in pœnas venire cernit? Hinc Exod. 7. [Exod. 7.] volens Moyses Pharaonem ad mentem sanam conuertere, dum plagas immittit, à flumine incipit, non aquis, sed sanguine illud faciens fluere. Quippè ait textus: *Percussit aquam fluminis coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in sanguinem.* Et cur prima plaga deiæuit in fluminis aquas? Ait Procop. ibi: [Procop.] *Pœna, qua primo exagitantur, prouenit ab elemento aquæ. Siquidem Ægyptij magnis, & diuinis honoribus coluerunt aquam, statuentes eam esse principium vniuersi. Proinde aqua primo affliguntur, vt discant, quam vana rei seruiant, & ad veram religionem hinc correcti proficiscantur.* Sane vt corrigantur homines, efficacissimum est, si à se culta idola primo videant in pœnis. Si splendentem pulchritudinem, quam sæpe adorauerunt, videant in tabum, saniemque conuersam. Si ambitiosam dignitatis sedem, cui inseruierunt, in cineres videant, & in fauillas redigi. Quis his visis non resipiscat, & vanitatem suorum idolorum confusus contemnat? Sic Isaias cap. 1. [Isaias 1.] *Confundentur enim ab idolis, quibus sacrificauerunt, & erubescent super hortis, quos elegerunt.* Vt erant Israelitæ idololatræ, habebant extra ciuitatem in lucis, & in arboribus hortorum idola sua: quæ, necessum erat, vt prima sentirent spicula hostium ciuitatem obsidentium. Quid tunc? Animaduertentes miseri, quantum abessent idola à protectione præstanda ciuitati, quæ prima sub hostili incursu cadebant, & confundebant, & eorũ inanitatem agnoscebant. Videat D. Cyril. Alex. ibi [D. Cyril.] *Postquam aduenissent hostes, destitutusque à diis suis extitisset Israel, in idolis suis pudefacti sunt. Illos namque ante alios vna cum hortis, lucisque exustos conspexerunt, cum delubris ipsis, & altaribus. Exciderunt igitur spe, quando Deos suos pati conspicarentur, tunc denique intelligentes dictum illud à Deo: Vbi sunt dij tui, quos ipse tibi fecisti? Num surgent, & seruabunt te afflictissimis temporibus tuis?* Nunquam equidem citius cognoscent homines idolorum suorũ inanitatem, quam vbi pressuræ tempore illa videant primo à calamitate comprehendi. Quæ tunc rei species auaris erit, cum videant aurum in cinerem verti? Quanta confusio ambitiosorum, cum aspiciant mundanas glorias ire in fumi nigredinem? Fallar, si quis nõ accipiat vesaniæ saporem, cum videat sub Dei ira humana omnia decora prima euanescere. Hinc 1. Reg. 5. [1. Reg. 5.] cum Philisthini captiuassent arcam Domini, posuerunt eam in ara iuxta idolum suum Dagon. Quid tunc? Ait text. *Altera die ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam Domini.* Insuper dixit: *Inuenerunt Dagon iacẽtem super faciem suam in terra coram arca Domini, caput autem Dagon, & duæ palmæ eius abscissæ erant super limen, porro Dagon solus truncus remanserat.* Sic Dei potentia ab arca Israelitica effulgens primum ostenditur aduersus Philisthinos in comminuendo illorum idolo. Nondum aggrauata erat manus Domini super Azotios; nondum percutiente Deo putrescebant eorum intestina, & iam Dagon Deus eorum truncus iacebat in terra. Et cur prius idolum feritur, nisi vt vel ante supplicium videntes Allophili infirmitatem sui idoli, agnoscant discrimen ingens inter idola, & verum Deum, ad quem se conuertant? Ait Theod. [Theodor.] ser. 10. de Prouid. *Propterea Dagon quoque, quem illi ceu Deum adorabant, ante arcam corruere facit, & eundem cultoribus illius spectandum exhibet, vt Allophili discrimen discerent.* Et quidem efficacissimum erat, vt docerentur verum Deum, eiusque docti vererentur potentiam, videntes idolum suum primas in pœnis, & suppliciis ferentem.

§. VII.

Honor in non merentibus lethalis.

Ab aris tollitur vitulus, & in puluerem redactus euanet, sic enim dicit: *Arripiensque vitulum, combussit, & contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit, &c.* Et miror, quod saltem aurum ex quo conflatus vitulus erat, non magis continuerit perdentis manus. Esto quod vituli forma corrumpi debeat, at materia auri cur non magis asseruatur? Aurum hoc præcipuum habet, quod ab omnibus asseruetur, mille claustris custodiatur; quod à nemine perdi sinatur. Cur modo aurum ius suum non seruat? Cur non magis se custodiri facit? Cur funditus perdi patitur? Erat aurum positum in diuino honore, cultum accipiebat longe a se distantem, proprium virtus veræ diuinitatis, nec miror, quod tantus honor perditioni irreparabili esset ipsi auro; est enim semper honor non merentibus maxime lethalis. Ex quo monebat D. Basil. Sel. orat. 9. [Basil. Sel.] *Si tibi, ò dilecte, in admirationem veniunt creatura, adora creatorem; si gaudes creatis, creatori non dedecus afferas, caue etiam, ne conditoris gloria res conditas circumfluant. Namque dignam creatore reuerentiam non admittit creatura, tantum honorem, vt pestem capitalem perhorrescit.* Pestis equidem est, & pestis capitalis, omni medicamine superior honor exuberans, qui non merentibus exhibetur. Fallar, si tantam perditionis vim imprimat hostilibus muris militare tormentum, quantam hominibus imprimit honor immeritus. Hinc Petro auertenti Iesum à voluptate patiendi, dicit Dominus Matth. 16. [Matt. 16.] *Vade post me Satana.* Iudæ autem summum proditionis facinus aggredienti & osculum præbet, & ait Matt. 26. *Amice ad quid venisti?* Petrum Satanæ nomine percutit, proditorem amici vocabulo, & osculo extollit. Cur Domine discipulum sic verberas, & proditorem amici honore excipis? Sanè asperum verbum discipulum errantem corrigebat; amici autem honor proditorem immerentem ingenti vi ad ruinam propellebat. Sic in orat. 31. D. Basil. [Basil. Sel.] Sel. fatur Iesus: *Cum agnosco discipulum, esse contumeliam duco, instruo, cũ alienos suos mores, ægritudo est insanabilis, & vnius ignorantia medeor, & alterius superbia vim affero.* Expende illud: *alterius superbia vim affero* vbi osculum præbet, & amici honorem exhibet, dicit se illius superbiæ vim afferre, nulla enim res violentior, & pestilentior homini, quam ei exhibitus fauor, & honor indebitus. Quod clarius exprimens D. Amb. [D. Amb.]

in Psalm. 39. aiebat: *Grauiori telo tanta dignationis percussus est Iudas, quam si eum fulmine percussisset.* Supra fulmina violentior est immerenti honor exhibitus. Vnde cauebat David Psalm. 130. *Neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus super me.* Primum reddit Symmachus: *Neque ambulaui in maiestatibus, neque in transcendentibus me.* Cur hoc cauebat rex maximus? Ait D. Zeno ibi: *Magni enim periculi res est, si in immodicum ambulemus.* Vbi ad meritorum mensuram, & modum non decernitur nobis honor, sed supra meritum est, in magno periculo versamur.

Psal. 130.

D. Zeno.

§. VIII.

Ad conspectum optimi Principis, subditi sibi sceleris conscij funditus eneruantur.

VNus Moyses adest, quia vitulum ab ingenti Israelitarum multitudine expetitum, & celebratum arripit, & conterit, & de tanto Israelitarum exercitu nullus mussitare audet. Sanè totus quantus erat populus adierat Aaronem, & violenter vitulum extorserat, quem in contemptu Dei, & Moysis adorabat. Sed vbi apparet Moyses etiamsi vitulum conterat, & concolcet, nullus obsistit, sed omnes timidè tacent. Et cur, qui in Aaronem furebant pro vitulo, aduersus Moysem nihil faciunt? Quid timet in vno homine bellatorum exercitus tantus? Sanè timet sibi ab optimo principe conscientia crimine polluta nefario. Quando enim nocentes animi, vel ad conspectum optimi principis non eneruantur? Multi secreto aduersus Sidonium Apollinarem rebellauerant, in Arelatensium ciuitate, cupiebantque hominem aliqua perurere infamia. Quid tunc? Rei prorsus inscius bonus Præsul venit in ciuitatem, & quid sibi acciderit narrat libr. 1. epistol. 11. *In forum de more descendo; quod vbi visum est, illico expauit, vt ille ait, nihil fortiter ausa seditio. Alij tamen mihi, plusquam deceret, ad genua prouolui, alij fugere post statuas, alij post columnas, alij tristes vultuosique iunctis mihi lateribus incedere.* Expende illa: *Illico expauit nihil fortiter ausa seditio*: quippe ad conspectum boni principis animi seditionis conscij illico expauent, & amoe cordis amittūt fortitudinem. Tale quid accidit Theodosio Imperatori, cui rebellarat ingens exercitus multitudo, & vt solum caperent, multi erant positi in insidiis. Quarum insidiarum prorsus inscius Theodosius post diuinum inuocatum auxilium rebelles prosequitur, & solus in insidiatores incidit. Quid tunc? Rem narrat, & expendit Paulus Orosius libr. 7. cap. 35. inquiens: *Signo crucis se muniens Theodosius signum prælio dedit, ac se in bellum, etiamsi nemo sequeretur, victor futurus immisit.* Prima salutis via extitit arbitrio hostilium partium comes: qui cum ignarum Imperatorem circumpositis excepisset insidiis, conuersus ad reuerentiam præsentis Augusti, non solum periculo liberauit, verum etiam instruxit auxilio. At vbi ad contigua immiscendæ pugnæ spatia peruentum est, continuo magnus ille, & ineffabilis turbo ventorum in ora hostium ruit. *Prospexit sibi humana conscientia pauor: nam continuo sese, parua suorum manu fusa victori Theodosio hostilis prostrauit exercitus.* Quid pulchrius? Ad optimi Imperatoris vultum, sic pauor nefariæ conscientiæ rebelles exercitus occupauit, vt nihil fortiter possent agere Iosephus præstantissimus dux Iudæorum strictis gladiis, à suis militibus in mortem petebatur. Quid interea? Ipse ait libr. 3. cap. 14. de bello Iudaico, fatus: *Ioseph autem cum alium nominatim vocaret, alium vultu ducis intueretur, alterius dexteram prenderet, alium precibus exoraret, varia mentis affectione distractus ferrum omnium à sua cæde prohibebat. Illorum autem qui ducem in extrema quoque calamitate venerandum putabant, debilitabantur dextræ, gladiique de manibus elabebantur, multi cum manus ei afferrent, sponte frameas dimittebant.* Sic ducis reuerentia etiam rebelles furentes afficiebat.

Paul. Oros.

§. IX.

Impietatis nec vmbra, nec vestigium ferendum.

ESto, quod vitulum arripuerit Moyses, & contriuerit, cur in puluerem redegit, & exhibuit potandum? Quippe ait: *Contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum, &c.* Cur, inquam, non contentus est contriuisse idolum, sed & in puluerem redegit, & sparsit in aquam, vt biberetur, & decoqueretur? Laborabat bonus ne vel vmbra, vel vestigium maneret impietatis. Ait Diuus Ambrosius epistol. 56. ad Romulum: *Moyses comminuit vituli caput, atque in puluerem redegit, vt omnia impietatis aboleret vestigia.* Hoc igitur semper pie viuere volentibus curandum, ne vllum vestigium, aut vmbra impietatis illorum ab oculos maneat. Id quod scientes pueri illi Hebræi Dan. 1. repudiato cibo regio aiebant: *Dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum, &c.* Poterat esse abstinentiæ, & ieiunij rigor in cibis regalibus, in delicatis panibus, in pretiosis vinis; cur ergo hi iuuenes tantopere regias dapes detrectabant, vel ipsos panes, & sola petunt sibi legumina dari? Erant in cæteris idolorum nomina, vt verbi gratia, panis diceretur Ceres, vinum Bacchus, ideò boni ad sola legumina confugerunt, vel nomina, vel vmbras fugientes impietatis. Ait Theodor. ser. 8. de Prouid. fatus: *Obsecrant, vt leguminum cibum illis largiatur, regias epulas abominati, & omnino variae illae conuiuiorum lautitias exosi. Hæ enim idolorum appellatione pollutæ videbant.* Sic sancti viri sibi ab impietate timebant, vt nec vmbram, nec nomina impietatis sibi ab oculos paterentur esse; etiamsi ob id necessum fuerit ab omni esca abstinere. De quo plura à nobis dicta sunt singulis in tomis Euangelicæ Historiæ.

D. Amb.

Dan. 1.

Theod.

Exod. 32. Dixitque ad Aaron. Quid tibi fecit hic populus, vt induceres super eum peccatum maximum? Cui ille respondit: Ne indignetur dominus meus. Tu enim nosti populum istum, quod pronus sit ad malum. Dixerunt mihi: Fac nobis Deos, qui præcedant nos, huic enim Moysi, qui eduxit nos de terra Ægypti, nescimus, quid acciderit. Quibus ego dixi: Quis vestrum habet aurum? Tulerunt, & dederunt illud mihi, & proieci illud in ignem, egressusque est hic vitulus.

§. X.

Sacerdoti, crimini dandum, quod amissa religioni superuiuat.

NOndum audierat Moyses Aaronis facinus; vt licet coactus fabricauerat vitulum, & tamen Aaronem videns illum obiurgat, dicens: *Quid tibi fecit populus hic, vt induceres super eum peccatum maximum?* Solum videns Aaronem, & adhuc eius factum ignorans, tamen quasi inductorem nefarissimi sceleris obiurgat. Cur bone sic castigas quem adhuc nescis deliquisse? Explora prius, vt se gessit Aaron, & cum videas eius crimen, tunc obiurga? Sed prudentissimus iudex vt puniat sacerdotem, solum attendit, quod explosa vera religione, verique Dei sui cultu, ipse viuat. Nunquam enim non est crimen puniendum in sacerdote, quod religioni explosæ superuiuat. Huc spectans Lippoman. in cat. inquit. *Sacerdoti impingitur populi præuaricatio in Deum, qui animam suam prodere magis debuisset, & elegisse mortem citius quàm tantum admisisse sacrilegium. Adduxisse perniciem accusatur, quod non summo conatu fuerit amolitus.* Merito vbi Dei cultus extirpatus videbatur, & sacerdos viuus; ei totum crimen attribuitur, vt qui vitæ profusione debuisset resistere facinori, & nullo modo extinctæ religioni superuiuere. Hinc Titus Imperator dum Ierosolymam expugnat, benignissimus in omnes Iudæos veniam petentes, & salutem, in solos sacerdotes fuit seuerissimus, quod superuiuere vellent templo extincto. Rem memorat Egesippus lib. 5. cap. 45. fatus: *Cum templum exureretur, Sacerdotes confecti fame, & siti vitam rogarunt. Quos Titus iussit occidi, degeneris animi esse respondens, vt templo, & muneri cuperent superuiuere.* Sic nobilis Imperator dum honorat Iudæos fugientes ab excidio, & ad se confugientes, sacerdotibus vertit crimini: quod pereunte templo, & aris veri Dei pereuntibus, malint ipsi viuere, & non prorsus cum religione perirent. Hinc 1. Reg. 4. mirabar, quod Heli permitteret filiis suis, quod ferrent Domini arcam in castra. Dicit enim textus: *Misit ergo populus in Silo, & tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum sedentis super Cherubim; erantque duo filij Heli cum arca fœderis Domini Ophni, & Phinees.* Sed quomodo permisit Heli, quod arca in prælij discriminibus esset, & quod filij arcam comitarentur? Sanè vbi cedendum fuit

Lippom.

Egesipp.

1. Reg. 4.

populo

populo petenti arcam ad certamina; consultissime pater, & filios suos eidem discrimini tradit, ne sacerdotes superuiuerent arcæ. Quippe ait Iosephus lib. 5. Ant. cap. 11. *Venit igitur arca in exercitum, & cum ea pontifices filij accepto à Patre mandato, si amissa arca viuere sustinerent, ne vnquam in conspectum sibi venirent.* Sic crimini dabatur sacerdotibus, quod post amissam religionis arcem ipsi viuere amarent, quorum est pro religione vsque ad vitæ profusionem stare. Quod fecerunt isti Heli filij, de quibus dicitur ibi: *Arca Domini capta est, duo quoque filij Heli mortui sunt Ophni, & Phinees.* Qui cùm pessimi fuerant, adeò vt vocarentur filij Belial 1. Reg. 2. *Filij Heli, filij Belial nescientes Dominum, neque officium sacerdotum*, & propterea decreta illis fuerit à Deo mors, tamen iidè creduntur omnia scelera sua expurgasse, & salutem æternam obtinuisse, quod noluerint superuiuere amissæ arcæ. Id quod docet Abul. ibi quæst. 27. quidquid enim antea fecerint, saltem in hoc se Deo adstrictos maximè præbuerunt, quod cum possent forsitan vitam fuga captare, vt fecerunt alij, noluerunt vitam sine Dei arca. Iis non absimiles illi, de quibus ait Egesipp. lib. 1. cap. 17. *Itaque conclusi vndique alij se præcipitabant, alij patria incendia comitabantur. Sacerdotes tamen vsque ad vltimum officium religionis perseuerabant, hortantes se inuicem, ne in posterioribus ponerent officium religionis, quam salutis præsidium: rectè secum agi, si pietati impenderetur, quod debebetur necessitati, pulcherrimumque si in patrio sinu sepeliri liceret. Quid autem iuuaret videre, & superstitem viuere religioni? Praeclarum potius opus muneri commori pro.* Sic ibi.

§. XI.

Qui non obnititur sceleribus, quæ ab aliis fiunt, cum illis damnatur.

NOn vidct Moyses Aaronem idolo procumbentem, nec in eius solemnus iubilantem, & tamē illum, vt reum nefarissimi sceleris arguit, aiens: *Quid tibi fecit hic populus, vt induceres super eum peccatum maximum?* Et merito, quia non cernitur obstitisse, sed magis acquieuisse Deos postulantibus, quasi reus damnatur; eadem enim pœna manet eos, qui non obsistunt, ac eos, qui perpetrant mala. Dum Herodes conuiuio exciperet omnes proceres Ierosolymitanos, iussit Ioannem interfici in carcere, Matth. 14. *Misit, & decollauit Ioannem in carcere. Et allatum est caput eius in disco, & datum est puellæ.* Quid scelestius? Quid conuiuantibus omnibus exitialius? Sanè caput illud sanctissimum in disco allatum, omnes simul discumbentes damnabat, quorum nullus ausus est obsistere morti nefariæ. Vndè Paschas. lib. 7. in Matth. sic exclamat. *O ferculum crudele! O discum refertum reipersum sanguine, sed communiter valde exitiale, quia in tanta conuiuio nemo fuit, qui prohiberet audaciam Regis, quinimò, vt scriptura ait: Propter eos, qui pariter sedebant, iussit dari. Quo factum est, vt sceleris sui facti esse consortes.* Vbi nullus obsistit, nullus repugnat operi nefario, sed omnes tacent, simul cum ingenti supplicio omnes peruadet reatus. Quæ enim crimina non curas vitare, quantum in te est, ea etsi ab aliis fiant, tibi imputantur, & acerrimas pœnas pro illis dabis. Hinc Iudæi quando Iesum repudiarunt, & Barabbam elegerunt, omnia Barabbæ homicidia sibi applicarunt, clamant enim Ioann. 18. *Non hunc, sed Barabbam.* Circa quæ D. Chrysost. ser. 3. de Pass. Iudæam affatur: *In vtraque rea teneris, & exitio mancipati, & absolutione latronis. Et quanquam sacrilegium impacto cruci omne atfas excedat, tamen & illi aduersum te iudicium id est, diem vltionis expectant, quorum Barabbas latro sanguinem fuderat, quia participasse est sceleri homicidij, veniam meruisse latroni.* Vos equidem Barabbas homicida fuerat, sed quia Iudæi homicidæ hominis libertati non repugnarunt, sed potius acquieuerūt, ideò homicidiorum pœnæ illos misere expectant. Et iuxta nefarissimum illud scelus compactæ in filium Dei crucis, adhuc non dissimulatur hoc in Iudæis, quod non obsistant libertati hominis latronis, & homicidæ, sed indè etiam petuntur ad supplicium. Vt horreamus nos pro viribus, non obsistere malignis, quando in conniuentia maximum est salutis æternæ discrimen; in resistentia autem nunquam non est gloria immarcescibilis. Habes 3. Reg. 18. de Abdia dispensatore regiæ domus Achab: *Abdias autem timebat Dominum valde. Nam cum interficeret Iezabel prophetas Domini, tulit ille centum prophetas, & abscondit eos, &c.* Ecce tibi tota Regia furebat in Dei prophetas; edicta publicabantur de illis interficiendis; Abdias autem nihil veritus contra edicta, contra Reginæ rabiem prophetas abscondebat, sustentabat. An ideò perit? An ideò aliquid mali passus est, quod Regiæ obsisteret crudelitati? Imò inde immensa fuit bona lucratus. Ait Theodor. serm. 8. de Prouidentia; *In his quidem quibus Deus oppugnabatur, nequaquam debitum officium heris suis dedit, leges vero contra vniuersalem omnium creatorem redendas putans, harum quidem authores odio habebat, & cum istud obsequium summam putaret perniciem, quos perdere iussus erat, salute dignabatur, mortem videlicet pietate iunctam vita impia honestiorem iudicans. Proinde nequaquam illi abominabilis herorum impietas nocuit.* O famuli regij præstantiam! Ipse obsequentissimus in omnibus, in iis, quæ Deo aduersabantur, obsequium summam perniciem putabat, & amabat impiis herorum potentium obluctari conatibus. Vnde nihil illi nocuerunt potentium mala. Sed accipe aliud ex Ierem. cap. 38. vbi instantibus proceribus regni, de mandato regis Sedeciæ Ieremias mittitur in lacum profundissimum, vt ibi moriatur. Quid tunc? *Et egressus est Abdemelech de domo regis, & locutus est ad regem, dicens: Domine mi rex malefecerunt viri isti omnia quæcumque perpetrarunt contra Ieremiam prophetam mittentes eum in lacum.* Ecce vnus eunuchus inuentus est in Regia, qui audeat regi obsistere, & aduersus omnes proceres pro propheta stare. Et quid indè ortum fuit? Quando rex, & optimates periere, ipse Abdemelech solus euasit. Sic Ierem. 39. *Vade, & dic Abdemelech Æthiopi, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Ecce ego inducam sermones meos super ciuitatem hanc in malum, & non in bonum, & erunt in conspectu tuo in die illa. Et liberabo te, &c.* Quid diximus? Pereunt omnes, qui mala fecerunt principes, & vnus eunuchus, qui illis obstitit, euasit liber. Ex quo Theod. serm. 8. de Prouid. *Abdemelech quidam famulus Æthiops eunuchus, nec aula regia fastum, nec regnantem in hac impietatem nec contra prophetam conceptum furorem, nec seruitutis miseram conditionem animo reputans, iniustam regis sententiam reprehendit, iniquissimum in prophetam patratum facinus accusat, aulamque iusta pœna perterret. Atque regis consiliarium ac famulus, &c.* Sic humilis, & abiectus famulus fit Regi à consiliis, summumque honorem adipiscitur, dum audet regis criminibus obsistere.

§. XII.

Ingenuis viris pudoris confusio acerbior est, quam mors ipsa.

QVi acerrimus popularium criminum vltor obuios quosque reos gladio transfigit, quem authorem criminum notat, solis verbis calligat, dixit enim ad Aaronem *Quid tibi fecit hic populus, vt induceres super eum peccatum maximum?* Sic inductorem tanti criminis solis verbis calligat, qui cæteris reis statim mortem infert. Cur non feuerior in Aaronem Moyses? Cur non maiori illum percutit vulnere? Equidem integerrimus iudex pepercit hominis verecundiæ, erroris namque pudor, & confusio acerbior est ingenuis hominibus quam vel mortis punitio. Pulchre Sidonius Apollin. lib. 4. epist. 23. monebat quemdam patrem, de filio pro peccato confuso: *Ille confusus erubuit, ad impudentis excusatione deprecatus errorem, sed ad cuncta conuictum cum redargueretem verecundiæ iunxit comites lacrymas. Rogo ergo sis clemens iam senior, & dominum sequens non habeas te iudice reum, si profitentis damnabilem, quem si inaudita genera pœnarum iubeas excipere, non potest amplius per se dolore, quam per se pudore torqueri.* Non amplius torquent virum ingenuum inaudita genera pœnarum, quam erroris verecundia, & confusio. Non sic affligitur homo ingenuus verbere, aut vulnere lethali, vt affligitur commissi confusione, & verecundia. Hinc Dominus Israelitarum peccatis offensus clamat Isaiæ cap. 1. *Audite cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est. Filios enutriui, & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me.* Contemptores vocat, tantique criminis reos accusat coram cœlo, & coram terra, & nullo illos vulnere percutit. Cur Domine non magis eos percutis, quos contemptores tui vocas? A verbere abstinet Dominus, dum eorum crimen palam coram omni creatura arguit, ratus ingenuis hominibus duriorem esse reatus confusionem ipsa morte. Ait D. Zeno lib. 3. serm. 35. *Quia apud sapientes, & honestos grauius est aliqua nota confundi, quam mori. Deus Iudaicum populum luxuria astus exuberantem corruptum publica increpatione confutat, cœlum, terramque testes citat.* Dum coram reos arguit Dominus, non miror, quod à verbere abstineat, quando honestos viros plus afficit commissi confusio, & verecundia, quam aliaquęuis grauissima corporalis pœna. Et quis nesciat verecundiæ tormentum? Fallar, si quo alio magis homines deterrentur. Quo spectat illud Cant. 1. *Equitatui meo in curribus Pharaonis*

Pharaonis assimilaui te amica mea. Pulchra sunt genæ tuæ, &c. Sic vt ex Græco: *Equæ meæ in curribus Pharaonis assimilaui te propinqua mea. Quid pulchræ factæ sunt genæ tuæ?* Quibus maximè ponderandus est transitus iste de similitudine equæ ad pulchritudinem genarum. Quid equæ genis? Si equæ assimilata est, cur profers genarum pulchritudinem? Merito vbi similem equæ sponsam meminit, ad verecundiæ confugit sedes, nempe ad genas, quasi ad validissimum frænum; nullis enim ferreis lupatis adeò comprimitur ferocitas equi, vt comprimitur mens humana verecundæ confusionis freno. Sic tres Patres apud Theodoretum: *Cum equo te similem dixerim velocissimo, in maxilla tua non indiges fræno; genæ enim tuæ sunt ornatissimæ, & fræni loco naturali pudore sunt præditæ.* Valet equidem frænum ad comprimendam ferocitatem equi, quamuis tamen anima fidelis similis sit velocissimo equo, non est illi necessarium frænum; verecundia illi sufficit pro fræno, eoius aculeis plus comprimitur, quam omni alio afflictionis fræno.

Theodor.

Exod. 32. Videns ergo populum Moyses, quod esset nudatus, spoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, & inter hostes nudum constituerat, & stans in porta castrorum ait: Si quis est Domini, iungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes filij Leui.

§. XIII.

Pauperes & nudi malè habent in iudiciis humanis.

NOn prius armatur Moyses in necem reorum, quàm illos videt nudos, omnique auro ab Aarone fuisse spoliatos. Sic enim ait textus: *Videns ergo Moyses populum, quod esset nudatus, spoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, & inter hostes nudum constituerat, & stans in porta castrorum ait: Si quis, &c.* Prius nudos videt, & spoliatos, & tunc in vindictam armatur. Prò Deus immortalis, quam misere agunt nudi, & pauperes in iudiciis humanis! Sanè ex quo Aaron homines auro spoliauit, nudosque reliquit; sic eos reliquit etiam in iudicium fratrum, quasi inter carnifices, & hostes collocaret. Quando enim nudus non male habuit apud iudicium humanum? Etsi in Moyse æquissimum. Notissima est historia Dauidis, quando abiectis aureis armis Saulis cum paupere pera, & baculo perrexit aduersus Philisthæum, quem & occidit. Tunc ait textus 1. Reg. 17. *Eo autem tempore, quo viderat Saul Dauid egredientem contra Philisthæum, ait ad Abner principem militiæ, de qua stirpe descendit hic adolescens?* Et quidem Saul optime nouerat paucis antea mensibus Dauidem, quẽ apud se retinuerat, & intime dilexerat, & à patre ipsius datis literis petierat, & armigerum suum fecerat. Cur tam cito obliuiscitur puerum sibi dilectum, vt de illius genere interroget? Non erat obliuio, sed contemptus, sed despectus pueri; nam qui antea fuerat in delitiis, tunc erat in habitu splendenti, vt cæteri aulici iuuenes, & totus aureus erat; vnde non miror, quod acceptus esset regi; modo apparebat nudatus auro, vilibus pastoris vestibus indutus, inde male habet apud regem, & patitur contemptum. Ait D. Cyril. Alex. 6. cap. 19. *Cum enim Dauid adolescens Goliam viris fortibus formidabilem strauisset, ait Saul ad Abner: Cuius est iste puer Abner? Certe armiger eius fuerat, citharam coram se crebro percusserat, & nunc quis esset interrogabat. Quasi enim non cognoscebat, in quo habitum pastoralem contemnebat.* Non potuit nuditas, & pauper vestis apud iudices humanos non pati despectum, & contumeliam. Caue homo humana iudicia, si pauper sis, si nudus sis, & tui errores eo te ducant, vt sistaris tribunalibus sæculi, pro nihilo contemneris vsque ad necem. Captiui, & spoliati erant Israelitæ apud Persas, quando Aman illos coram rege accusauit, Esther cap. 7. Quid tunc? Ait text. *Tulit ergo rex annulum, quo vtebatur de manu sua, & dedit eum Aman filio Amadathi de progenie Agag, hosti Iudæorum, dixitque ad eum: Argentum quod tu polliceris tuum sit, de populo age, quod tibi placet.* Hæc dixit rex, & statim omnium Iudæorum mors decreta est. *Statimque in Susan pependit edictum, Rege & Aman celebrante conuiuium, & cunctis Iudæis, qui in vrbe erant flentibus.* Apud Caietanum legitur: *Et ciuitas Susan fuit turbata.* Esto quod Iudæi flerent sortem suam, ciuitas cur turbabatur? Ait Carthus. *Ciuitas turbabatur, vtpote Iudæis captiuitatis compatiens.* Quibus illud maximè expendendum est, quod vbi Iudæi morti adiudicabantur, dicatur ciuitas esse, *Iudæis captiuitatis compatiens.* Cur non potius dicatur compatiens Iudæis mortis, Iudæis occisionis? Cur in re adeò lethali maluit meminisse captiuitatis Iudæorum, quam mortis iam determinatæ? Sapienter captiuitatis meminisse maluerunt, vt cui attribuenda erat durissima mortis sententia; quippe quod Iudæi captiui, & spoliati essent, ideò tam dure in iudicio habebantur, vt regis sententia ad mortem ducerentur. Trahit equidem paupertas, & nuditas super se vniuersas seueritatis & lethiferi rigoris sententias. Quo spectat illud Prouerb. 6. *Veniet tibi quasi viator egestas, & pauperias quasi vir armatus.* Chaldæus legit. *Et pauperies quasi vir tabellus*, hoc est, quasi iudex rectitudini, & ferreæ obseruantiæ legum seruiens, qui nihil rigoris nouit auferre. Nunquam enim cum paupertate, & nuditate non veniunt in hominem omnes seueritates, & rigores legum; nec est iudex, qui rectus, & iustus in pauperes nolit esse. Quo traho Diuum Basilium in capite 3. Isaiæ fatentem: *In pauperes insuper à nobis iniuria committitur merito in ius vocanda, vt cum in propria eorum peccata ipsos acriter attingimus, & palam traducimus, à nullo probri genere nobis temperantes, zelum quidem Dei in pauperes acrius ostendentes, & proinde vultus inopum confundentes.* Sic iudicij humani seueritas tota est in pauperes.

Caiet.

Carthus.

Prou. 6.

D. Basil.

§. XIV.

Nudus, & pauper homo vel ipsos fratres habet hostes, carnificesque.

NVdauit quidem Aaron plures Israelitas, quãdo spolians eos auro pro vitulo fabricando depauperauit, nudosque reliquit. Sed illud notandum, quod non solum dicantur hi nudi relicti, sed nudi relicti inter hostes. Ait enim textus. *Et inter hostes nudum constituerat.* Et quos inter hostes? Hostis nullus extrinsecus apparebat, intrinsecus omnes erant fratres ab vno Iacobo patre venientes, quoquo se quisque verteret, & cognatos, & fratres videbat. Qui ergo erant hostes? Sapienter putat noster Salianus, quod hostes dicti sunt ipsissimi fratres; vbi enim Aaron nudum auro constituit populũ, etiamsi eum constituit inter fratres, & cognatos, constituisse illum merito putatur inter hostes, inter carnifices. Quando enim homo pauper & nudus non habet hostes, & carnifices ipsos fratres? Ait Prouerb. 19. *Multi colunt personam potentis, & amici sunt dona tribuentis. Fratres hominis pauperis oderunt eum.* Non est nobis immorandum in quærendo, qui sint hostes hominis nudati, & depauperati: vbi enim sese occasio offerat, ipsi eius fratres hostiles in eum ostendent animos. Tam longe abest pauper, vt eius errores inter cognatos, & notos abscondantur, quin potius, & fratres hostes, & carnifices experiantur. Accipite Ecclesiasticum cap. 13. fatentem: *Diues commotus confirmatur ab amicis suis, humilis (hoc est pauper) autem cum ceciderit expelletur, & à notis. Diuite decepto multi recuperatores. Locutus est superba, & iustificauerunt illum. Humilis deceptus est, insuper & arguitur. Locutus est sensate, & non est datus ei locus. Diues locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius vsque ad nubes perducent: pauper locutus est, & dicunt: Quis est hic? & si offenderit, subuertent illum.* Expende hominis pauperis conditiones, vt in lapsibus expellitur etiam à notis; in deceptione arguitur; in offensione autem penitus subuertitur, quippè, *si offenderit, subuertent illum.* Ait Carth. *subuertent, id est, reprobabunt, & acriter punient.* Nulla venia datur pauperi, vel fratres erunt punitores acerrimi, vel carnifices illius.

Prou. 19.

Eccl. 13.

Carthus.

Exod. 32. Si quis est Domini, iungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes filij Leui. Quibus ait; Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ponat vir gladium super femur suum. Ite & redite de porta ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum.

§. XV.

In hoc clarissime spiritus Dei ostenditur, si affectum cognatorum Deo subiicias.

QVi Domini sunt, vocantur, vt fratres, & amicos, & proximos idololatriæ reos trucidarent. Sic enim dicit: *Si quis est Domini, iungatur mihi: & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, &c.* Durissimum est homini fratres, parentes, cognatos, & amicos perdere; ad quod munus Deo exhibendum merito vocantur, qui Domini sunt, hoc est, qui diuino aguntur spiritu. Clarissime enim ostendit in te diuinum spiritum, si affectum erga parentes, & cognatos, & amicos Deo subiicias. Hinc Philisthini cupientes experiri, an quæ agebantur percussiones ad præsentiam arcæ, venirent ex Dei spiritu, & virtute ibi commorante, sic aiunt: *Arripite, & facite plaustrum nouum vnum: & duas vaccas fœtas, quibus non est impositum iugum, iungite in plaustrum, & recludite vitulos earum domi. Tolletisque arcam Domini, & ponetis in plaustro: & dimittite eam, vt vadat. Et aspicietis: & siquidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande.* Quantum hoc, quod vaccæ irent rectà ad Bethsames, vt inde colligerent Dei spiritum, & virtutem esse in arca, à quo tot percussiones idololatrarum proficiscebantur? Equidem quod vaccæ vitulos non meminissent, nec curarent, sed spretis illis rectà contenderent referre suis arcam, id indicium erat Dei ibi assistentis, & clarissimum, & singularissimum. Sic enim ait

Theodor. Theodot. quæst. 53. *In triuio autem absque auriga demissis vaccis expectabant, vt viderent, an ad vitulorum mugitum reuertantur, an ad aliam viam declinent, relicta via, quæ fert ad Hebræos, vt si ex his quidem duobus fieret alterum, tanquam imbecillem condemnarent arcam. Sin autem vaccæ aliis viis relictis, & spretis suis vitulis, abeant ad terram Israeliticam, vere cognoscerent illas plagas fuisse à Deo immissas.* Ecce tibi vt vel cæci idololatriæ ad cognoscendam diuinam virtutem assistentem arcæ, à qua tot mala proficiscebantur, id explorant, an vaccę ferentes arcam sciant prorsus spernere suos vitulos, vt muneri suo satisfaciant. Quando autem vel filiorum affectus naturalis subiicitur muneri diuino, manifeste ostenditur inibi adesse Dei manus. Quis enim non credat Deum interesse plagis illis, inter quas inferendas videntur contemni, & despici proles à matribus? Hoc equidem proprissimum est Dei, quod despiciantur cognati, vbi diuino muneri impedimento fuerint.

Matt. 12. Hinc cum Iesus Matth. 12. moueretur de præsentia matris, cognatorumque ait: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* & mirabar, quod Iesus non agnoscat matrem, cum inde suam pietatem commendet, quod & oues suas cognoscat.

Ioan. 10. Ioan. 10. *Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas.* Oues cognoscit bonus pastor, & de matre interrogat? An quia ea mater non erat? Absit, imo inde mater ostendebatur esse, quod auocans Iesum à diuino munere veluti ignorabatur. Clarissimum enim est indicium assistentis diuinitatis, quod vbi officiunt diuino muneri cognati, spernantur. Vnde in filio Dei

Tertull. Iesu acute asserit Tertull. lib. 4. contra Marcion. *Cæterum ex hoc magis matrem, & fratres confitebatur Iesus, quod illos nolebat agnoscere.* Adeo est proprium diuini spiritus, quod cognati impedientes spernantur, contemnantur; vt si filius Dei vellet manifestare suos cognatos, nullo euidentiori signo illos videretur manifestare, quam repellendo, & quasi spernendo eos, vbi illi saluti obstarent negotiandæ. Hoc enim eorum, qui spiritu Dei gaudent, signum est singulare. Hinc

Gen. 22. Genes. 22. *Tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum, &c.* Esto, quod Deus vellet tentare Abrahamum, cur illum in re adeo noua, & naturæ ipsi repugnanti, nempe in occisione dilectissimi filij maluit tentare, nisi quia simul volebat ostendere, quantam coniunctionem, & amicitiam Abrahamus haberet cum di-

Basil. Sel. uinitate? Ait Diuus Basilius Sel. orat. 7. *Natura fluctus Deus in sursum sustollit, vt amicitia diuina nundinatorem admireris.*

Vt strictissimum amicitiæ vinculum inter Abrahamum & Deum ostenderetur, illi percussio filij mandatur, tunc enim clarissime quantum Dei habeas, videtur, cum facis, vt omnes affectus naturales erga cognatos, Deo subiaceant.

Exod. 32. Feceruntque filij Leui iuxta sermonem Moysi. Cecideruntque in die illo quasi tria millia hominum. Et ait Moyses: Consecrastis manus vestras hodie Domino, vnusquisque in filio, & in fratre suo, vt detur vobis benedictio.

§. XVI.

Quæ fortuna dicitur prophanis, iustis hominibus est diuina gratia.

NOn dubitant Leuitæ strictis gladiis aduersus innumeram multitudinem reorum insurgere; erant enim in populo illo quadringenta millia virorum, qui possent pugnare; fereque omnibus his sese obiiciunt pauci Leuitæ armati. Et quod mirere magis hostiliter tot reos insequentibus Leuitis paucis, nullus obsistit, sed cæsis passim tribus millibus incolumes, & integri cæsores manent. Ait enim: *Feceruntque filij Leui iuxta sermonem Moysi. Cecideruntque in die illo quasi tria millia, &c.* Quale fuit hoc Leuitarum decus, quod pauci sine obsistentia de tot millibus triumpharent? An euentui militari, fortunæve attribuendum, an diuinæ gratiæ? Id prophanus aliquis fortunæ, & euentui militari attribuerit, quando plenæ sunt militares historiæ similibus euentibus, at ego qui Leuitarum sanctitatem in illo facinore veneror, id diuinæ gratiæ deputo. Est enim iustis viris Dei gratia pro fortuna, & euentu. Nobilissimus quidam Macedonum dux nomine Alexander, dum pro Romanis aduersus Ierosolymitanos pugnat, sese medius inter confertissimos hostes coniecit, & multis trucidatis, ipse sine vulnere euasit. Similiter & Dauid

2. Reg. 21. 2. Reg. 21. dum pugnat aduersus Philisthæos, & in maximum deuenisset discrimen, tamen occiso Philisthæo, euasit liber rex. Ait enim textus: *Deficiente autem Dauid, Iesbibenob, qui fuit de genere Arapha, cuius ferrum hastæ trecentas vncias appendebat, & accinctus erat ense nouo nisus est percutere Dauid. Præsidioque ei fuit Abisai filius Saruiæ, & percussum Philisthæum interfecit.* Componite modo Dauidem cum Alexandro illo vterque aduersus hostem superiorem viribus pugnat; vterque liber euadit hoste interfecto. Sed quo auxilio? Sanè euasionem suam Alexander fortunæ attribuit, & militaribus euentibus, suam autem Dauid diuinæ gratiæ. Accipite Egesippum

Egesipp. lib. 5. cap. 19. de vtroque dicentem. Alexander appositis impiger scalis murum ascendit, fugatisque præsentibus, qui de muro repugnabant, solos se in vrbem deiecit. Immodicus animus, ac victoriæ auidus in hostes prosiluit, cessere agmina, sed quantos poterat solus prosternere? Per diuersas vrbis plateas circumfundebantur hostes, si in vnam partem Alexander incumberet, aliis post se circumuallandi copiam daret. Retorquebat itaque victor ingressum suum, ne a populo circumdaretur. At illi conferti inter se vigere cœperunt, inhorrescere super eum telorum vis maxima, resultabat galea tinnitu, clypeus fragore saxorum. Fuit igitur alacritatis quod murum insiluit, hostem deiecit, in vrbem solus triumphali saltu sese proripuit, impetu suo fugauit populos: fuit tamen etiam euentus, qui maxime duci necessarius est, quod tantis ingruentibus populis, tot sagittarum iaculis, tot ruentibus spiculis, nullus fuit lethali vulneri locus. Ingressi sunt Macedones prærupta porta, sic temeritas victoriam inuenit, & euentus periculum in gloriam vertit. Noster quoque Dauid cum pugnaret aduersus gigantes, inuectus in hostem, à tergo percussorem habebat, sed librantem ictus suos comes regis Abisai præuenit. *Verùm Alexandrum euentus seruauit, prophetam gratia.* Quid pulchrius? Equidè iustis hominibus Dei gratia pro fortuna est. Quidquid prophanis dat casus, & fortuitus euentus, id suis asseclis dat diuina gratia. De Ecdicio

Sid. Apoll. quodam Gallorum duce ait Sidon. Apoll. lib. 3. epist. 3. *Vix duo de viginti equitum sodalitate comitatus aliquot millia Gothorum non minus die, quam campo medio transisti. Ad nominis tui rumorem, personæque conspectum, exercitum exercitatissimum stupor obruit, ita vt præ admiratione nescirent duces partis inimicæ, quam se multi, quam te pauci comitarentur. Subducta est tota protinus acies in supercilium collis abrupti, quæ cum prius applicata esset oppugnationi, te viso non est explicata congressui. Interea tu cæsis quibuscunque optimis, quos nouissimos agminis non ignauia, sed audacia fecerat, nullis tuorum certamine in tanto desideratis,*

solus

solus planitie quam patentissima potiebatur, cum tibi non daret tot pugnæ socios, quot solet mensa communis. Sic explicat fortunatissimi ducis victoriam, qua vnus exercitatissimum exercitum perterrefecit, & cæsis hostiũ multis inuulnerabilis ipse euasit, & liber. Attamen in tam nouo, ac insitato euentu nihil meminit diuinum. E contra textus sacer dum non multum absimilem victoriam narrat à Ionatha reportatam, ait 1. Reg 14.

1. Reg. 14.

Ascendit autem Ionathas manibus, & pedibus reptans, & armiger eius post eum. Itaque cum vidissent faciem Ionathæ, alij cadebant ante Ionathan, alios armiger eius interficiebat sequens eum. Et facta est plaga prima, qua percussit Ionathas, & armiger eius quasi viginti virorum in media parte iugeri, quam par boum arare consueuit. Et factum est miraculum in castris, & per agros, sed & omnis populus stationis eorum, qui ierat ad prædandum obstupuit, & conturbata sunt castra, & accidit quasi miraculum à Deo. Compone modo Ecdicium illũ, & Ionatham, vterque paucis comitatus erat, vel potius vterque solus aggreditur hostes plurimos, ingentes exercitus. Ad vtriusque præsentiam exercitus exanimantur, obstupescunt, caduntque; & vterque occisis plurimis liber euadit. At in Ecdicio nihil diuinum notatur; in Ionatha bis dicitur illud facinus miraculum à Deo. Et cur sic curauit scriptor Ionathæ facinus attribuere miraculo Dei, cum videatur par fuisse illis, qui ab alijs ducibus fiunt? Gessit se Ionathas in hoc facinore vt fidelissimus Dei seruus, quod sapienter probat Theodor. quæst. 31. in præsenti, ideò eius facinus auxiliatrici Dei gratiæ debuit attribui, quod enim in alijs facere videtur euentus, aut fortuna, in fidelibus suis manifeste operatur Dei gratia.

§. XVII.

Impij in ipso fœlicitatis culmine solent perire.

NOtanter posuit textus: *Cecideruntque in die illo quasi tria millia, &c.* nimirum in die solemnis, festisque dicata, in die chorearum, & conuiuiorum, quando populus nihil, nisi gaudia cogitabat; tunc, & luctus, & mors adfuit. Proh impiorum misera conditio! Solent equidem impij è fœlicitatis culmine ad mortem rapi. Meritò de impio dicitur Iob c. 18.

Iob 18.

Decipula illum super semitam. Non enim in angulis & absconditis paratur laqueus capiendis impijs, sed media in via, cum planiori, feliciorique cursu fœlicitatis gaudent. Sic Nicetas in cat. Græca *Irruptiones in solitudinibus, locisque desertis fieri solent: verum impetus non in deserta regione, sed in media via comprehenduntur, hoc est in summo fortunæ splendore subitam conuersionem cogitur sustinere.* Dum maioribus fortunę delicijs fruitur: dum splendidius radiat, & firmiori gaudio exultat, patitur impius subitam conuersionem, & æternis sub tenebris absconditur. Quo etiam alludit ipse Iob cap. 36.

Iob 36.

Morietur in tempestate anima eorum, & vita eorum inter effœminatos. Quæ in rem præsentem transfert Vatablus: *Morientur, dum adhuc sunt florentes, & effœminatè viuunt.* Sanè dum minus cogitant de morte, dum maiori conamine nituntur voluptatibus, delicijsque exsatiari, imò dum sunt in ipsa voluptatum segete, metuntur ipsi subita falce mortis. Nec longe abest Oseæ cap. 13. vbi ait Dominus:

Osee 13.

Iuxta pascua sua adimpleti sunt, & saturati sunt, eleuauerunt cor suum, & obliti sunt mei. Et ego ero eis quasi leæna, sicut pardus in via Assyriorum. Expende quando minetur Deus se appariturum, quasi leænam & quasi pardum, nimirum, quando iuxta pascua sua adimpleti sunt, & saturati sunt. Cum enim impius plenior delicijs est, plenior voluptatibus, proximioresque sibi habet omnes voluptatum, bonorumque fontes, tunc diuina ira super illum, vt in perditionem ineuitabilem abijciat.

§. XVIII.

Vnum præstans facinus potens est homines in sanctitatis ordine firmare.

ECce Leuitarum sanctitas hodie apud Deum confirmata, eo quod in Dei causa, nec filio pepercerint, nec fratri, si quis reus idololatriæ apparuit. Ait enim Moyses: *Consecrastis manus vestras hodie Domino vnusquisque in filio, & fratre suo, vt detur vobis benedictio.* Sic ex vno facinore consecrati, & deputati excipiendis diuinis benedictionibus manent. Nec miror, quando vnum præstans facinus potens est hominem vel in sanctitatis ordine firmare. Quò spectant Dominus Psalm. ait:

Psalm.

Memor ero Raab, & Babylonis scientium me. Meretrix erat Raab, & idololatra fœmina, quid fecit, vt in memoria Dei æterna permaneret? Ait Paulus ad Heb. 11.

Ad Heb.

Fide Raab meretrix non perijt cum incredulis excipiens exploratores cum pace. Sanè hoc vnum facinus audio à Raab confectum, quod alacri animo pericula imminentia despiciens exploratores Israelitas suscepit hospitio, dimisit per fenestram liberos. Quo solo facinore sic Deo mansit addicta, vt inde censeatur in sanctorum numerum. Ex quo Nazianz. orat. 40. de Baptism. hortatur homines vel ad vnum facinus virtutis, inquiens:

Nazian.

Argumento est Raab meretrix, cui alioquin parum laudata hospitalitas sola iustitiæ laudem attulit, & Publicanus, quem vna tantum humilitas extulit, nullo alio nomine commendatum. Semel Raab exploratores accepit, semel Publicanus ille humi iacens, Luc. 18. percutiebat pectora sua, dicens: *Propitius esto mihi peccatori,* & ex his singularibus facinoribus sic virtuti, iustitiæque addicti reputantur, vt illos semper videas inter laudatissimos iustitiæ asseclas numerari. Est equidem vel vnum præcellens virtutis facinus potens nos in virtute firmare. Dauid 2. Reg. 24. videns sui peccati causa populum ab Angelo necari dixit:

2. Reg. 24.

Ego sum, qui peccaui, & ego inique egi, isti, qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro manus tua contra me, & contra domum patris mei. Venit autem Gad ad Dauid in die illa, & dixit ei: Ascende, & constitue altare Domino, &c. Ecce tibi vnum fecit Dauid pœnitentiæ facinus, sese exponens diuino gladio, & statim addicitur faciendo altari, vt dicat Victor. qui Diui Ambrosij nomine circumfertur, libr. de Pœnit. cap. 9.

D. Amb.

Ecce satisfactionis officio pœna pellitur, & in nomine confessionis indignatio propugnatur, vt nec in eum vlterius vindicta procederet, & erga populum quassatio cælitus effusa quiesceret, vno actu pœnitentiæ, & sibi mercatus est pietatem, & à populo suspendit vltionem. Ecce quanta fecerit vnus pœnitentiæ actus, addicens Dauidem erga Deum pietati. Huc libet etiam vocare Zachæum publicanorum principem, auaritiæ, & lucri maximè deditum; hic Iesum excipiens domo sua statim ait Luc. 19.

Luc. 19.

Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Ait Iesus ad eum. Quia hodie salus domui huic facta est, eo quod & ipse filius sit Abrahæ. Ecce vnum à Zachæo proponitur factum, & statim homo ante prophanus adscribitur generi sancto, & saluti deputatur. Sic valuit insignis eleemosynæ affectus hominem in sanctitate firmare. Rem pulchrè tractat D. Laur. Nouar. hom. 1. de Pœnit. fatus:

D. Laur.

Zachæus dum terrenam dispergit substantiam, non solum congestam molem fontibus eleemosynæ diluit, sed iam hæres regni cælestis, & filius Abrahæ esse promeruit. Eleemosyna subito conuersum hominem de peccato, non solum purificauit, sed etiam coronauit, & fecit de publicano paradisi ciuem. Semel dixit Zachæus, quod dimidium bonorum suorum pauperibus daret, & de cęteris restitueret quadruplum pro ablatis, quo facinore sic se sanctis addixit, vt subito haberetur filius Abrahę, Paradisi ciuis, & appareret iam quasi coronatus. Sic vnum præcellens facinus valet hominem in virtute firmare.

Exod. 32. Facto autem altero die locutus est Moyses ad populum: Peccastis peccatum maximum. Ascendam ad Dominum, si quomodo quiuero eum deprecari pro scelere vestro. Reuersusque ad Dominum ait: Obsecro, peccauit populus iste peccatum maximum: feceruntque sibi deos aureos. Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.

§. XIX.

Multitudo popularis non ferro, sed lenioribus corrigenda est.

QVos sigillatim ostendit nuditas reos, eos ferro interemit Moyses, perimens tria millia reorum; vbi autem ad totã multitudinem errantis populi ventum est, ferro abstinuit, & solis increpatoriis verbis vsus est. Sic *Facto altero die locutus est Moyses ad populum, Peccastis peccatum maximum, &c.* Non permisit ream multitudinem impunitam esse; sed illam puniuit, vt multitudo puniri debet, non ferro, sed verbis. Idem in peccante exercitu à Tito Imperatore factum ponderans Egesippus lib. 5. cap. 7. ait:

Egesipp.

Satis in vniuersos vindicatum est increpationis authoritate, ne quod animaduersio in singulos vsque ad factum procedere debeat, in multitudinem verbo tenus, illam vsque ad pœnam

ista u

istam vsque ad correptionem. Sape enim bonis exercitibus praliare lapsus futura virtutis causas dederunt. Huc aspiciat optimus dux, & ne omnes errores amet rescindere ferro; forsan enim particularis hominis scelus melius gladio rescinditur; at multitudinis error nullo vtilius tollitur, quàm aspero verbo, vt sic confusio nouæ virtutis proferat specimen. Hinc aliquando exercitus missi ab Imperatore aduersus ciues Antiochenos, eo quod regias statuas deiecerant, meliori consilio detenti sunt, dum Imperator parcit ciuium vitis tantum ciuitati eripiens titulum honoris, ne Metropolis diceretur. Id quod extollit in Principe D. Chrysost. hom. 17. ad populum, fatus: *Ciuitati abstulit dignitatem, nec amplius ipsam Metropolim appellare permisit. Sed quid facere oportebat? Non cernis pateos multa huiusmodi in filios suos facere? Auertuntur, & mensa prohibent. Hoc quoque rex fecit, tales imponens vltiones, nullum quidem habentes damnum, multam verò correctionem afferentes.* Sic optimi duces in castiganda multitudine spectat ea, quæ sunt correctioni, non quæ sunt internecioni. Quod sero licet agnouit crudelissimus ille Alexander Iudæorum rex, de quo ait Egesipp. lib. 1. cap. 9. *Extincta fere quinquaginta Iudaorum millia sunt, quos Alexander interemit suis, quam hostibus perniciosior, & maiore victor detrimento, quoniam regni sui vires vincendo atterebat. Vnde nec ipso iam sua victoria delectabatur, auersosque à pralio attrahebat sibi subditos, vt iam non armis premeret, sed verbis vegeret, ac solis sermonibus offensionum genera dissolueret.* Cautior subditorum ruina nequissimus princeps didicit, vt perniciosum erat regi, quod vellet ferro castigare ciuitates peccantes; sic enim non solum peccantes, sed & se ipsum mulctabat, qui solus sine viribus relinquebatur. Indè abstinuit ferro, & solis sermonibus cœpit offensiones mulctare.

Chrysost.

Egesipp.

§. XX.

Peccatorum confessio efficacissima apud Deum. Vbi pulchra de Eucharistia.

VT veniam Moyses impetret ex Deo peccatoribus, nihil prius proponit, quàm manifestam peccati confessionem, quippè ait: *Obsecro, peccauit populus iste peccatum maximum: Feceruntque sibi deos aureos. Aut dimitte eis, &c.* Nec miror, vera enim peccati confessio apud Deum, nunquam non palmam obtinet. Ad hæc locutus D. Chrysost. in cat. Lipp. ait: *Cur quaso incipit Moyses à confessione peccati? Quia in mundanis ac forensibus iudiciis, post accusationem & criminum confessionem, sequitur mors, caterum apud diuinum tribunal post accusationem, & confessionem criminum, datur corona.* Hic nihil mediat, & confiteris errores, & accipis coronã, adeò enim efficax est apud Deum confessio nostri erroris. Fœlix ille, qui suum nouit coram Deo confiteri peccatum; hoc vno poterit ad se diuinam misericordiam trahere. Matth. 26. dicit; *Vespere autem facto discumbebat Iesus cum duodecim discipulis suis. Et edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est.* Hæc dicebat Iesus: quid tunc? *Respondens autem Iudas, qui & tradidit eum dixit. Nunquid ego sum Rabbi?* Vbi D. Chrysost. hom. 1. de Pass. ait: *Iuda, cui dicis, nunquid ego sum? eam dic: Ego sum.* Ecce tibi quam promptum erat Iudæ remedium ad salutem, si, vt interrogando dicebat, nunquid ego sum? diceret confitendo, ego sum. Hæc confessio posset illum in suo constituere, quando pro placando Deo efficacissima est peccatorum confessio. Quod noscens Saluator nullum non mouet lapidem, vt faciat homines confiteri. Pro quo expendenda veniũt verba illa data: *Edentibus illis dixit; Amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est.* Non antea de proditore suo agit, quam discipulos, quorum numerum traditor implebat, salutari sua exciperat mensa. Sæpissime antea locutus fuerat cum discipulis, multaque illis dixerat de morte sua, de verberibus, de crucifixione, de resurrectione, & nunquam verbum de traditore fecit, nisi modo cum Dominicam præbet cœnã. Cur non nisi in hac diuina mensa traditores meminit? Meminit proditoris inter salutiferas dapes, quando illæ validissimæ erant, vt hominem traherent ad confessionem, publicationemque sceleris, quod esset illi efficacissimum salutis remedium, si bene illo vteretur. Quod notans D. Chrys. hom. 2. de Pass. hæc pulchra facit verba: *Cum discumberet cum duodecim discipulis suis, & manducantibus eis diceret. Amen dico vobis, quia vnus ex vobis tradet me; ascendit Christus propria deitatis tribunal, & illud conuiuium velut catastam ante se constituens, conscientia tormento confiteri compulit eum: vt eum in auditionem conceptum posset reuocare peccatum.* Expende illa nimirum: *Illud conuiuium velut catastam, &c.* Quippe reis catasta torquebantur, vt perpetrata facinora confiterentur; sic Iesus diuinissimum conuiuium protulit, quod velut catasta torqueret reum vsque ad confessionem, & manifestationem sceleris, quo remediabile videretur. Vt enim confessio peccati efficacissimum est remedium pro salute obtinenda; sic diuinæ dapes efficacissimæ sunt ad confessionem extorquendam. Vtroque respexit Dauid Ps. 41. *Transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei, in voce exultationis, & confessionis sonus epulantis.* Se in domum Dei iturum confidit in voce confessionis, sed illud notandum, quod confessionis vox dicatur sonus epulantis. Quid epulum ad confessionem habet? Ad confessionem catasta valet, tortura valet; epulum quid valet? Est quidem diuinum epulum reis pro catasta, quæ confiteri facit ad remedium peccati. Nequit enim peccatum non manifestari, vbi diuinum epulum adsit. Rem cantatissimam testatur D. Cyprian. lib. de lapsis; lactenti puellulæ insciis parentibus data fuit offa vino de idolorum aris madefacta; post aliquot dies parentes puellæ cum illa adfuerunt altari Christi, & cũ diaconus de more primitiuæ Ecclesiæ accessisset, vt poculũ diuinum etiam infantulæ præberet, illa os comprimebat, faciem auertebat, ne susciperet. Quid tunc? Ait Cypr. Perstitit tamen diaconus, & reluctanti licet, de Sacramento calicis infudit. Tunc sequitur singultus, & vomitus. In corpore, atque ore violato Eucharistia permanere non potuit. *Sanctificatus in Domini sanguine potus de pollutis visceribus erupit, tanta est potestas Domini, tanta maiestas. Secreta tenebrarum sub eius luce detecta sunt, sacerdotem Dei, nec occulta crimina fefellerunt.* Quid pulchrius? Vbi diuinus potus affuit, etiam in elingui puellula nusarij cibi secretum fuit manifestum, nec vllæ maculæ potuerunt latere.

Chrysost.

Matth. 26.

Chrysost.

Chrysost.

Psal. 41.

Cypr.

§. XXI.

Oratio non respiciens temporalia commoda, sed virtutes animi efficacissima apud Deum.

QVis neget Moysi præstantissimam artem oratoriam? Pro populo oraturus apud Deum omnia abiicat temporalia commoda, & vnam animarum virtutem spectat. Sic enim dicit: *Aut dimitte eis hanc noxã, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti:* hoc est de libro vitæ temporalis, & commodi. Non suum, non populi commodũ temporale petit, sed vnam peccati veniam expoicit, sciens illam efficacissimam esse orationem, quæ vnam virtutem animi spectat. Felix, qui sic orat Deum, efficacissimas equidem fundet preces. Genes. 24. seruus Abrahæ has pro sponsa Isaaco inuenienda preces fundebat: *Domine Deus domini mei Abraham occurre, obsecro, mihi hodie, & fac misericordiam cum domino meo Abraham. Ecce ego sto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorũ huius ciuitatis egredientur ad hauriendam aquam. Igitur puella cui ego dixero: Inclina hydriam tuã, vt bibam, & illa responderit; Bibe, quin & camelis tuis dabo potum, ipsa est, quam praparasti seruo tuo Isaac, & per hoc intelligam, quod feceris misericordiam cum domino meo. Nec dum intra se verba compleuerat, & ecce Rebecca, &c.* Quod precabatur, statim post precationem vidit adimpletum, & vnde ita efficaciter orauit, nisi quia in petitione sponsæ vnam tantum spectabat virtutem animi? Spectabat in puella eligenda nõ pulchritudinem, non diuitias; sed virtutem hospitalitatis, & charitatis, inde efficaciter peruenit ad optata. Ait Theod. serm. 8. de Prouid. *Hac enim fidelis ille famulus petebat: non formam, non corporis staturã, non genarum florem, nec oculorum venustatem, non elegantes superciliorum lineas, non generis splendorem, non diuitiarum abundãtiam: sed mentem hospitalem, mores placidos, mansuetam, & modestã facundiam, æquum & humanũ animi habitum, & herili domo dignũ. Hac petiit, hac accepit.* Quàm pulchrè dictum illud est: *Hac petiit, hac accepit;* vt enim in petitione sua, in oratione sua solas virtutes spectabat, sic quæ petiit à Deo, statim accepit. Vtinam & nos ad solas virtutes spectaremus in orationibus nostris, & quam cito exaudiremur. Hinc Malach. 1. ait Dominus: *Quis est in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meũ gratuito? Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis vsque ad occasum, magnũ est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur nomini meo oblatio mũda.* Tertul. lib. 4. in Mar. pulchra explicatione hæc vltima verba elucidat, inquiens: *In omni loco sacrificium nomini meo offertur, & sacrificium mũdum, scilicet oratio simplex de conscientia pura.* Reiicit sacrificia Iudæorum, quæ pro temporalibus bonis obtinendis fiebãt, iuxta illud *Quis est, qui incendat altare meum gratuito?* Nullus enim inueniebatur, qui sacrificia offerret, nisi pro tẽporali lucro, quibus merito præponit Deus sacrificium mundum, scilicet, orationem simplicem. Sed quæ est oratio simplex adeò grata Deo, vt sit illi acceptior

Gen. 24.

Theod.

Malac. 1.

Tertull.

D.Bern.

acceptior omnibus Iudæorum sacrificiis? Id explicat D.Bern. in Declam. ad illud. Ecce nos reliquimus omnia, &c. ioquiens: *Indignum cœlesti benedictione committetur, quæ duplici intentione petit:* quo enim oratio magis inclinat ad temporalia, eo citius declinat à simplicitate. Duplici enim intentione petit, qui in petitione sua terrena æque primo cœlestibus coniungit, simplici autem oratione vtitur, quæ sola poscit æternum duratura. Ne miremur, quod sola hæc simplex oratio præ omnibus Deo gratior existat. Ex quo ait Saluian. lib. 1. de Prouid. *Domine non prosperitatem vitæ istius petimus, nec pro bonis præsentibus supplicamus, scimus enim aures tuas his obsecrationibus clausas esse, & auditum te ad preces huiusmodi non habere, sed pro his tantummodo petimus, quæ sunt futura post mortem.* Hæc præcipuè spectanda sunt in precibus, & præ iis cætera omnia contemnenda.

Saluian.

§. XXII.

Proximi liberatio à periculis proprio periculo acceptissima Deo victima est.

Miror Moysem non ad sacrificia, sed ad preces pro populi peccato confugere. Ait enim: *Ascendam ad Dominum, si quomodo quiuero deprecari pro scelere vestro. Reuersúsque ad Dominum, ait. Obsecro: peccauit populus iste peccatum maximum. Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, &c.* Hæc orat, & nullas hostias, nullas victimas immolat. Planè Exod. 10. Pharao permittebat Moysi egressum ad sacrificandum, dum oues, & boues remanerent in Ægypto. Cui respondit Moyses: *Hostias quoque dabis nobis, quas offeramus Domino Deo nostro. Cuncti greges pergent nobiscum.* Ecce ferebat secum ouium greges, & armentorum, vt holocausta faceret Domino. Cur ergo modo vbi Deus placandus erat vniuerso populo peccatori, nullas victimas, nullas offert hostias? In præsenti abstinet ab hostiis aliis offerendis, quia se ipsum deuouet morti pro liberando populo aiens: *si non facis, dele me de libro &c.* quæ gratissima omnium victima erat apud Dominum. Ait Minutius Felix in Octau. *Igitur, qui conscientiam colit, Domino supplicat: qui iustitiam, Deo libat: qui fraudibus abstinet, propitiat Deum: qui hominem periculo surripit, opimam victimam cadit.* Hæc est apud Deum nostrũ omniũ optimissima victima, si nos deuouemus pro liberandis hominibus a periculo. Videre cupis pretiositatem huius victimæ? Accipe ex 2. Reg. 24 quando Israelitæ rabida metebantur peste, dicitur Dauid clamasse: *Ego sum, qui peccaui, & ego inique egi. isti, qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei. Venit autem Gad ad Dauid in die illa, & dixit ei. Ascende, & constitue altare Domino, &c.* Dauid liberationem populi procurabat, pro qua obtinenda seipsum deuouebat, & tunc maximè iubetur illi, quod altare construat, quod instruat aras. Cur hæc? Fallar si alias dictum fuerit Dauidi, quod altare faceret. Cur modo ad altare vocatur, nisi vt ostendatur in eo, qui se deuouet pro liberandis hominibus sacrificium esse, & victimam Deo gratam. Ex quo aiebat D. Ambros. in Apol. 1. cap. 7. *Quam vero illud etiam admirabile, quod Angelo ferienti plebem se obtulit dicens. Grex iste quid fecit? Fiat manus tua in me & in domum patris mei. Quo facto statim dignus sacrificio inductus est, cui absolutione æstimabatur indignus.* Ecce vt in Dauide affatus sacrificium, per hoc solum, quod se pro liberando populo deuouit. Est enim populi liberatio a periculis victima, & gratissima, & pretiosissima Domino. Nec solum victima est grata Deo, sed & pretiosissimis coronis redimita. Dum enim D. Chrysost. depingit, vt Monachi pauperes pro liberando populo Antiocheno à sententia mortis se deuouerẽt, tandem ait hom. 17. ad Pop. *Cum sententia diceretur, ingressi monachi multa sapientiæ verba dixere, & per literas regi supplicauere, & se sua depositiuros esse capita dixerant, ne hoc fieret, quod omni corona splendidius vestram ciuitatem exornabit. Quod tales Antiochenorũ vrbem habitant monachi, vt Apostolicam exhibeant potestatem.* Sic sapienter Chrysostomus putat multis coronis præstantiorem alacritatem, qua se quis pro liberandis proximis offert.

Min.Fel.

2.Reg.24.

D.Amb.

Chrysost.

Exod. 32. Cui respondit Dominus, qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo. Tu autem vade, & duc populum istum, quo locutus sum tibi. Angelus meus præcedet te. Ego autem in die v'tionis visitabo, & hoc peccatum eorum. Percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli, quem fecit Aaron.

§. XXIII.

Præuisio supplicij certi longanimem fecit Deum in peccatoribus sustinendis.

SCit Dominus peccatum hoc Iudæorum minime expiandum esse pœnitentia, sed diuinæ iræ submittendum; & tamen tolerat reos, illosque committit curæ Moysis, & Angeli. Sic enim ait: *Tu autem vade, & duc populum istum, quo locutus sum tibi. Angelus meus præcedet te. Ego autem in die vltionis visitabo, & hoc peccatum eorum.* Ecce videt peccatum durare vsque in diem iudicij, tuncque subiacere diuino furori, & mandat Moysi, quod ducat istum populum in terram promissam, insuper & addit Angelum ductorem. Cur Domine non magis iubes relinqui illos peccatores? Cur non magis negas illis & Angelorum ducatus & Moysis? Cur permittis quod sub talibus ductoribus læti viuant, & procedant illi ipsi, quos vides exterminandos in die vltionis? Sanè ideò longanimis illos permittit procedere, & prosperari, quia simul videt eos æternis subiacere tormentis in die vltionis. Ait Psal. 36. *Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit, quod veniet dies eius.* Cum impius lætatur, in facinoribus suis prosperatur, & de malis actis suis metit gaudens voluptates, & glorias, multosque nanciscitur patronos, tacet Dominus, & subridet: quia simul prospicit, quod veniat super eum dies vltionis, quam nullo modo euitare potest. Quis ignorat Amani fortunas & glorias? Vt exaltatus est ab Assuero, vt præualuit aduersus Iudæos, eos tradens omnes mortis sententiæ. Cui tandem dixit vxor eius Esther c. 5. *Iube parari excelsam trabem, habentem altitudinis quinquaginta cubitos: & dic mane regi, vt appendatur super eam Mardochæus, & sic ibis cum rege lætus ad conuiuium. Placuit ei consilium, & iussit excelsam parari crucem.* Mirabar hæc licuisse homini aduersus populum Dei. Sic Deus permittis vermiculum insolescere aduersus iustos? Cur non magis petimus audentem? Cur tantæ cladis Israelitarum authorem pateris lætum ire in conuiuium regis? Videbat simul Deus futurum illius supplicium; vt suspendebatur ipse, & ab alta cruce trudebatur in infernum, & inde tacet, & subridet, imò irridet eum ad mẽsam regis sedentem. Ait Iosephus lib. 11. c. 6. *Deus spem malignam Aman deridebat, & accidentia præuidens, de futuris delectabatur.* Erant Amanis futura supplicia præsentissima diuinis oculis, quorum visione delectatus Deus deridebat miserum bonis temporalibus fruentem. Quem non rideat, & ferat Dominus peccatorem felicem videns simul illius in supplicio lanienam? Zachar. 11. *Hæc dicit Dominus Deus meus: Pasce pecora occisionis.* Quæ verba referuntur ad tempus post Christi crucifixionem, vbi Deus de Iudæorum pastu, & commoditatibus maxime curabat. Sed quando Iudæi illi pessimi erant, cur pascendi dicuntur, & non magis perdendi? Cur adhuc nequissimos permittebat esse in pascuis, & non magis in carnificina? Non miror quod iubeat pasci, quæ pecora iam iam videbat occidenda. Ait enim D. Cyril. Al. ibi: *Inquit ergo: Pascite oues occisionis, hoc est, mox Romanorũ manu morituras.* Quas iam præuidebat scelerum suorum dare pœnas, non refugit permittere, vt in pascua eant, bonisque terrenis aliquantisper delectentur. Ex quo dicebat Zachar. 14. *Veniet Dominus Deus meus, omnesque sancti cum eo. Et erit in die illa, non erit lux, sed frigus, & gelu. Et erit dies vna, quæ nota est Domino. &c.* Vltionis & iudicij diem memorãt, eiusque duritiem proponẽs, simul de illa adiungit, *quæ nota est Domino.* Et sane communissimum est omnibus rebus, quod sint notæ Domino, quæ enim res, siue bona, siue mala, non est Domino nota? Quid ergo necessum fuit rem communissimam pŏderare in die vltionis, quod ipsa nota Domino sit? Equidem loquebatur de vindictæ die, vt de re longe distante, quod innuebant verba illa de futuro, nimirum, veniet Dominus, erit frigus, & gelu, voluit simul tantæ dilationis causam in medium proferre, videlicet, quod dies illa nota Domino esset. Ex quo enim dies vindictæ, & iræ nota est Deo, in qua iam nunc miseri præuidentur æternum gemere, cum flammisque luctari non extinguendis, nascitur quod longanimiter toleret Deus eos ad tempus ridere, & congaudere.

Psal. 36.

Esther 5.

Ioseph.

Zach. 11.

Cyr. Alex.

Zach. 14.

§. XXIV.

In hac vita abstinet Deus à correptionibus, quæ non possint esse profuturæ peccatoribus.

POsset statim Dominus castigare omnes idololatriæ reos; sed maluit illos commendare Moysi, auxiliisque Angelicis,

licis, & illorum vindictam in diem extremam differre. Ait enim: *Tu autem vade, & duc populum istum, quo locutus sum tibi. Angelus meus præcedet te. Ego autem in die vltionis visitabo, & hoc peccatum.* Cur in die vltionis? Cur non magis modo? Cur satagis, vt adeò rebelles peccatores fruantur ducatu Moysis, & Angelorum, & non potius quod statim puniantur pro erroribus? Merito abstinet in præsenti à punitione eorum, vt quæ non erat illis processura in bonum. Similiter Matth. 26. accedenti Iudæ dicit: *Amice ad quid venisti?* Petro autem impedienti progressum ad mortem dicit Matt. 16. *Abi post me Satana.* Petrum Satanam, Iudam amicum vocat. Petrum percutit, Iudam proditorem honorat. Cur non magis hunc percutit? Ait D. Basil. Sel. orat. 31. *Vidisti Dominum cum militibus, & armis, & fustibus inuadentē, nec dixisti: Vade post me Satana: nec verbis, nec re territus es, quin potius ait: amice ad quid venisti? Et contra Iudam talis & Petrus amoris præmium fert contumeliam? Ita, inquit, perhumanus Saluator, vbi enim vlcus est immedicabile, ibi pharmacum inutile, vbi autem curationis spes, sectionem inducit curationem.* Sapientissimus medicus Deus, & vstioni, & sectioni instat, quando vstio, & sectio profutura est curationi peccatoris: ast vbi vlcus insanabile est, nec vstio, aut sectio videtur vtilis futura, maximè abstinet ab illis. Solet equidem Deus minime correptionis stimulos adhibere, nisi vbi valent prodesse. Hinc Actor. 9. furens Paulus in discipulos cum appropinquaret Damasco: *Subitò circumfulsit eum lux de cælo. Et cadens in terram audiuit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris?: Durum est tibi contra stimulum calcitrare.* Ecce tibi prius cadit in terram, deinde vocem audit increpationis, stimulos sentit correptionis. Et cur non ante casum audit, sed post casum? Quia post casum iā increpationis stimulus eum in virtutem impellere posset. Ex quo ait Franconius Abbas tom. 12. de Gratia: *Nec prius diuinæ correptionis vocem audire meruit, quam supplantato pede superbiæ protinus in terrā corruit.* Prius in casu aliquod virtutis dedit specimen, quam illi admouerentur stimuli correptionis; solet enim Deus ab illis abstinere, vbi illi non prosunt. Hinc etiam Apostoli Actor. 8. videntes Simonem Magum velle Dei donum pecunia possidere, verbis ab inani spe hominem depellunt; at Paulus Actor. 13. Elimam magum, & asperrimis verbis, & cæcitate percutit. Quippè ait: *O plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, nō videns solem vsque ad tempus.* Et quando Apostoli Simonem non percutiunt, cur Paulus Elimam tam dure percutit? Crediderim Apostolos abstinuisse à percussione Simonis, quia nihil illi profutura erat, Paulus autem percussit Elimam, quando percussione in bonam frugem trahendus erat. Quo aspiciens D. Isidor. Pel. lib. 1. epist. 354. ait: *Impium hominem prudenti consilio Paulus coercet, intuens ipsi, admonendi causa, cæcitate, quæ etiam ipsum eò tanquam porrecta manu duxit, vt Apostolo se in disciplinam traderet. Didicit enim ex medicamenti genere incredulitatem suam cæcam, quæ etiam sanitatem adeptus est.* Sic correctionis pharmacum a sapientibus exhibetur, vbi salutis adhuc spes intercedit. Vbi autem vlcus insanabile apparet, sapienter tollitur correptionis remedium. Vndè Ierem. c. 12. aiebat de deploratis impiis: *Congrega eos quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in die occisionis.* Quid est, *sanctifica eos?* Sic illos à malorum incursibus separa, vt nullum eos malum tangat, sed omnia ad illos sint, quasi sacris pateant. Ita tractari solent, quorum ruina incurabilis videtur.

Matt. 26. — Basil. Sel. — Actor. 9. — Fran. Ab. — Actor. 13. — D. Isidor. — Ierem. 12.

CAPVT XVIII.

Secundæ tabulæ.

Textus Historia.

Vltris nititur Moyses Deum reddere populo suo placatum, iratoque numini sese in monte offert, subiecto vultu, sed mente regia. Labor fuit quadraginta dierum, quo sibi obluctans numen eò traxit, ne communibus Angelorum auxiliis permitteret populum, sed magis ipse assisteret, & inimicorum ora compesceret. Qua Dei dignatione inuitatus, sibi etiam prospiciens clarissimum diuinitatis conspectum multa deplorabat prece, sed nimia Dei sublimitat, inaccessumque lumen huius temporis oculis non submittitur. Vnus tamen erat petræ excauatæ locus in monte, quò dum se sepeliat, transeuntis diuinitatis offertur iudicium. Sed prius erant expoliendæ, perficiendæque tabulæ lapideæ, quibus ea possint scribi, quæ deleta, & confracta fuerant in primis.

Descendit itaque Moyses ad populum tanto munere functurus, & dum tabulæ scinduntur, læuigantur, congregatæ multitudini suos cum Deo congressus renunciat. Vt obluctatus fuerit irato, vt obluctātem deuicerit, & haberet pacatissimum; si tamen ipsi deposito ornatu sordido in habitu idololatriæ sordes diluerent. Videres rem miram; nullus fuit in tanta multitudine, qui vestium cultum nō despiceret, & sordide indutus diuinum contenderit placare numen. Interea Moyses, quod ipse nutu suo fecerat tabernaculum, siue sacellum sustulit, & extra populi castra constituit, quo singulis diebus, vidente populo veniebat oraturus. Nullus comitabatur, sed omnes oculis prosequebātur euntem, quem sub ostio tabernaculi excipiebat columna nubis, illumque placidè alloquens, populares cunctos compellebat ad cultum. Ibi residens Moyses lites finiebat adeuntium, & discedens indè, relinquebat Iosue, qui tabernaculum custodiret.

Iam præparatis tabulis conscendit iterum montem, petræ foramine sese abdidit; adest Deus lucidissima nube vestitus, transeunti Moyses assurgens, duritiem populi, cui Dominus maximè indignaretur, bis & ter nititur offensioni abducere. Votis respondit Dominus placidissimus multa promittens, multa mandans scribi, quæ populum in sanctitate contineant. En tibi splendidissimus legislator nouis acceptis tabulis redit ad suos; tantis fulgurans è facie radiis, vt nisi velo obductus nullum posset popularibus timentibus ius dicere. Dicebat tamen obductus, solo in colloquio diuino faciem ostentans nudam.

PARS MORALIS
in textus literam.

Redintegratis tabulis lapideis, noster etiam redintegratur stylus, vt quæ gustauit in primis, quo possit modo, exhauriat in tabulis secundis.

Exod. 33. Vade, ascende de loco isto, tu & populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti, in terram quam iuraui Abraham, Isaac, & Iacob, dicens: Semini tuo dabo eam, & mittam præcursorem tui Angelum, vt eiiciam Chananæum, &c. Non enim ascendam tecum, quia populus duræ ceruicis es, ne forte disperdam te in via.

§. I.

Ab Angelis nil non salutare hominibus solet venire.

CAuet Deus se iratum dare in ducem Israelitarum, & Angeli ducatum illis permittit dicens: *Et mittam præcursorem tui Angelum.: Non enim ascendam tecum, quia populus duræ ceruicis es, ne forte disperdam te in via.* Timet ab ira sua malum populo infirmo, & illum maluit Angelo committere. Et cur magis à se, quam ab Angelo timet? Sanè in Deo vt est patris lenitudo, sic est seueritas iudicis, & nunquam illam sine hac induit, Angelus autem vbi hominum ducatum accipit, nihil scit meditari, quod non sit salutare hominibus. Est Dei iustitia, quam peccator in Dei ducatu timeat, in Angeli ducatu salutare est homini, quidquid vides. Accipe rem ex Tobiæ c. 9. vbi Angelus Raphael sub Azariæ nomine mittitur in ciuitatem Medorum ad Gabelum, vt ex eo Tobiæ pecunias recuperet. De quo ait textus: *Tunc Raphael assumens quatuor ex seruis Raguelis, & duos camelos, in Rages ciuitatem Medorum perrexit.* Qui solus venerat, vt Tobiam in via comitaretur, vt iret ad Gabelum, quatuor Raguelis seruos accepit secum. Et ad quid accepit hos seruos? An quia sibi necessarij erant? Nonne valet ipse solus omnia perficere? Cur ergo maluit secum illos habere in via socios? Equidem illos accepit, non quia eorum auxilio egeret, sed magis vt illorum curam haberet, semper enim Angelus hominibus salutaria præstat. Ait Carthusian. ibi: *Tunc Raphael assumens quatuor ex seruis Raguelis, vt eos ædificaret, & informaret in via.* Ad quid

aliud Angelus homines secũ ducere in via vellet, nisi vt eorum saluti prouideret? Eo enim tendit ducatus Angelicus, vt homines in salutem perueniant. Et raro ab Angelis aliquid salutare in homines non venit. Accipite ex eodem cap. 6. Tobiæ, vt Raphael proficiscitur in Rages, ciuitatem Medorum, vt Gabelum Tobiæ debitorem conuenit, vt pecunias debitas exponit, vt de aduentu, & nuptiis adolescentis eum monet, vt secũ ducit hominem ad nuptias. Venit ergo cum Raphaele Gabelus ad Tobiam. Quid tunc? Ait textus: *Cúmque ingressus esset domum Raguelis, inuenit Tobiam discumbentem, & exiliens osculati sunt se inuicem, & flens Gabelus, benedixitque Deum, & dixit: Benedicat te Deus Israel, quia filius es optimi viri.* Expende modo rem insusitatam. Gabelus ille, qui Tobiæ pecuniam tacitus retinuerat, vt vidit filium creditoris sui præ lætitia flet, & in mille benedictiones exurgit. Longè aliter debitores illi fecerunt, quibus locata est vinea Matt. 21. qnin potius: *Cùm tempus fructuum appropinquasset, misit Dominus seruos suos ad agricolas, vt acciperent fructus eius. Et agricolæ apprehensis seruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidauerunt. Nouissime autem misit ad eos filium suum dicens: Verebuntur filium meum. Agricolæ autem videntes filium dixerunt intra se: Hic est hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius.* Et Gabelus, & agricolæ isti vident filium creditoris sui, qui debitum repetebat, sed agricolæ ad conspectum filij creditoris sic furunt, vt in eius mortem conueniant, Gabelus autem viso filio creditoris in eius aduolat amplexus, eique benedictiones mille impertit. Fecerunt illi, quod facerent debitores qui possent, fecit hic quod raro, aut nunquam facit debitor. Et vnde Gabelus contra debitorum mores, tam gratus filio creditoris sui pecunias repetentis extitit? Carthus. ibi: *Quid mirum, si tam deuoti loquutus est, cum quo Angelus sanctus fuit, & ambulauit tamdiu, non sine instructione salubri.* Non miror, quod etiam homo pecuniæ tenax lætis oculis filium creditoris sui adspiciat, illique benedicat, quando vnà cum Dei Angelo longam triuerat viam, Angeli enim comes, quid non salubre disceret? Sunt Angeli equidem salutares hominibus. Matth. 22 posita parabola de nuptiis filio regis factis, ait: *Intrauit autem rex, vt videret discumbentes, & vidit ibi hominẽ non vestitum veste nuptiali. Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores.* Quantus hic rigor? Non expectauit, vt vestes mutaret, vt nuptiales quæreret, sed statim tradidit eum exterioribus tenebris. Quam aliter factum est Zachariæ cap. 3. *Et Iesus,* nempe Iosedech filius, *erat indutus vestibus sordidis, & stabat ante faciem Angeli. Qui respondit, & ait ad eos qui stabant coram se dicens: Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum, Ecce abstuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatoriis.* Compone modo vtramque historiam, & quæ à Matthæo, & quæ à Zacharia narratur. In vtraque apparet quis sordidis vestitus, illum rex acerrime percutit, hunc Angelus ad meliorem frugem trahit, sordida aufert, & candida resumi facit. Et cur rex nõ fecit, quod fecit Angelus parcens sordidis, & curans hominem vestiri candidis? Vel cur Angelus non fecit quod rex, cum primum sordidum vidit, internecioni tradens? Huius rationem insinuat Theodor. in Zachariam fatus: *Angelus verò populi tutor aliis adstantibus Angelis præcepit, vt eum illis vestibus eum exuerent, &c.* Rex ius dicebat, quapropter in reum iratus, eum tortoribus tradit. Angelus autem vt tutor populi, quibus poterat modis eius salutem negotiabatur; non aspernatus sordidos, sed eos totis viribus ad vitæ candorem trahens, vt æternam mortem euadant. Huc traho illud ex Numer. 22. quando Balaam ibat cum hostibus populi Dei; ibat quidem maleficus amore lucri tractus, sed quid ei accidit? Ait textus: *Surrexit Balaam mane, & strata asina sua profectus est cum eis. Et iratus est Deus, stetitque Angelus Domini in via contra Balaam.* Ex Hebræo legunt, alij apud Diuum Augustinum lib. 4. quæst. 49. *Et iratus est animatione Deus, quia ibat ipse, & insurrexit Angelus Dei differre eum in via.* Expende, quod & Deus irascitur, & insurgit Angelus stringens coram gladium. Quid hoc fuit? An Angelus vt Deum irascentem vidit, prosiliuit illico, vt gladio feriret excitatorem diuinarum irarum? Absit: imò vt ait Augustini lectio: insurrexit Angelus Dei differre eum in via, hoc est, illum à via cœpta diuertere faciens. Equidem iratus Deus permittebat miserum ire, quo in æternam perditionem citius caderet; quam Dei iram agnoscens Angelus, statim gladio stricto sese eunti opposuit, non vt perderet, sed potius vt à perditionis certissima via deflectere faceret. Sic sunt Angeli hominibus salutares.

Tobiæ 6.
Matt. 21.
Matt. 22.
Zachar.
Theodor.
D. Aug.

§. II.

Qui nolit peccatoribus parcere, abstineat ab hominum præfectura.

A Ducatu populi Israelitici abstinet Dominus quasi timẽs illi ab ira sua, dum ait: *Non ascendam tecum, quia populus duræ ceruicis es, ne fortè disperdam te in via.* Proh Dei summam sapientiam, vnà cum hominum amore iunctam! Vbi iram suam fore inexorabilem noscit, sese eripit hominum infirmorum regimine. Adhæc ait Oleaster: *Admonentur hoc in loco biliosi homines non se immiscere quæstionibus. Similiter non debere velle præfecturam accipere, qui non potest, aut vix ferre potest peccata subditorum. Non vult Dominus populum ducere, quia tanta maiestas, & sanctitas non facile ferret eorum errores, & tu qui vix iram continere potes, audes prælaturam subire?* Discant hinc viri ardentioris naturæ quam debeant fugere prælaturas hominum, quando nesciunt zelum erga peccatores lenire. Deus enim optimus, & maximus, vbi iram non continere decreuit, maxime cauet præsidere hominibus. Et mihi crede, proprium est diuini spiritus, quod à prælatura tollatur ille, qui nequit frænare iram in percutiendis subditis etiam improbis. Hinc Ecclesiasticus cap. 48. ait: *Elias quidem in turbine tectus est.* Non enim morte dispunctus abiit, sed in turbine tectus adhuc viuus abducitur. Et quando non erat Elias morte dispungendus, cur absconditur è viuis? Cur non diutius permittitur esse in mundo? Ait D. Basil. Sel. orat. 11. *Cum hominum peccata nihil minuerentur, Deus Eliam videns iuste zelo in impios rursus inflammatum, & ferre pseudoprophetarum turbam metentem, igneo curru ex impiorum conspectu transtulit.* Hoc satagit spiritus diuinus, vt à conspectu impiorum tollantur, qui nesciunt cohibere zelum in puniendis impiis. Nónne Moyses mitissimus erat erga suos? Sed quia semel declinauit ad bilem, statim à Deo eripitur gubernatoris munere. Rem habes Num. 20. vbi cum iussum illi esset à Deo, vt aquam è petra educeret, qua extingueret populi sitim, sic dicit: *Tulit igitur Moyses virgam, quæ erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei, congregata multitudine ante petram, dixitque eis: Audite rebelles, & increduli: Num de petra hac vobis aquam poterimus eiicere? Cumque eleuasset Moyses manum percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet, & iumenta. Dixitque Dominus Moysi, & Aaron: Non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Ecce tibi vt populi ducatus Moysi eripitur, dum dicit Dei sententia: *Non introducetis hos populos, &c.* Nec est facile inuenire rationem offensæ, qua priuetur Moyses ducatu populi sui. Cur enim qui tot, tantaque fecerat pro populo, qui summa lenitudine gubernarat, tam facile modò à gubernaculo deiicitur? Nil clarius inuenies, quàm verba illa bilis plena, nimirum: *Audite rebelles, &c.* Dum animi lenitudinem seruat in subditos, & conseruatur ipse in munere, cum primum autem declinat ad bilem, statim à Deo reiicitur de munere. Ait D. Dionys. Areop. epist. 8. dicens: *Hebræorum tradit historia etiam sanctum illum Moysem eximia mansuetudinis merito, diuina amicitia, & familiaritate dignatum. At si quando ipsum diuino munere excidisse commemorant, non id ei, priusquam à mansuetudine defecerit, contigisse describunt.* Equidem audimus Dei sententiam, qua Moyses asserebatur indignus, quòd perseueret in populi ducatu, sed hæc sententia non priùs lata fuit, quàm Moyses mansuetudinis oblitus verba protulit bili plena, & seueritate. Nunquam enim bilis, & nimia seueritas non reddit hominem indignum principatu.

Oleaster.
Eccl. 48.
Basil. Sel.
D. Dion.

Exod. 33. Audiensque populus sermonem hunc pessimũ, luxit; & nullus ex more indutus est cultu suo. Dixitque Dominus ad Moysem. Loquere filiis Israel: Populus duræ ceruicis es, semel ascendam in medio tui, & delebo te. Iam nunc depone ornatum tuum, vt sciam, quid faciam tibi. Deposuerunt ergo filij Israel ornatum suum à monte Horeb.

§. III.

Durissima homini pœna est, quod Deum non habeat.

ET Moysis, & Angeli ducatum promittebat Dominus Israelitis, quo inimicos expugnarent, & terram promissio-

nis

nis acquiescerent, vnam sui peculiarem assistentiam negabat affuturam. Quid ad hæc populus? Ait textus: *Audiensque populus sermonem hunc pessimum luxit, &c.* Luxit itaque populus ad sermonem hunc pessimum de non affuturo sibi Deo. Et meritò sermo dicitur pessimus, & durus, & omni dignus luctu ille, quo Deus negat assistentiam præsentiæ suæ, licet alioquin omnia alia bona tribuat. Hoc enim quod est à Deo despici, & relinqui, superat longè omnium malorum pœnarumque duritiem. Ea quo merito Diu. Nazianzeo. orat. 3. expendens impiorum pœnas, inquit: *Quidam extremum eorum plagas, pœnasque in hoc seculo persolutas deplorant, nimirum ij, qui huius tantum vitæ rationem habent, neque ad futura supplicia mente penetrant. Mihi verò grauius est lugere subit obsequentis vitæ cruciatus, eaque quæ impios, & sceleratos manent supplicia. Nondum enim quod maximum est, dico, nempe hoc ipsum à Deo eiici, quam dura & acerba illis pœna sit.* Ea pœode ab illis: *Nondum quod maximum est dico, &c.* quippè dixerat de huius vitæ plagis, de cruciatibus futuræ, & nihilominus fatetur se minime dixisse quod maximum, & durissimum omnium pœnarum est, nimirum hoc quod est à Deo eiici, & despici. Sanè Dei peculiari assistentia carere, tormentorum omnium est homini acerbissimum. Hinc Ioann. cap. 1. de filio Dei loquutus ait: *In propria venit, & sui eum non receperunt. quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Duo hominum genera proponit, & recipientium eum, & non recipientium; cum de recipientibus loquitur, simul & eorum præmium designat, dicens: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Cum autem de non recipientibus verba facit, nullum exprimit illorum supplicium, solum dicit: *Sui eum non receperunt.* An qui accipientes munerat, non accipientes minimè castigat, nec contristat? Cur nulla eorum pœna exprimitur? Sanè magna illorum pœna est, quod non numerentur inter Dei filios, nec ad eius domesticos pertineant. Accipite D. Chrysostomum fantem hom. 9. in Ioann. *Quid non docet nobis Ioannes eorum etiam supplicium, qui eum non receperunt, sed tantum quod sui erant, & in propria veniens, à suis minimè receptus est? Quod autem ex hoc eis supplicium maneat, silentio præteriste. Quænam igitur gratia id subiunxisti? Et quodnam maius supplicium esse posset, quam sibi eorum ponatur arbitrio filios Dei fieri, & nolunt, sed sponte sua, tanta se nobilitate, tanto se honore indignos efficiant?* Hinc tace maximum supplicium est, & pœna grauissima; quod qui poteras esse inter filios Dei, sic relinquaris à Deo, sic despiciaris, quasi nullo modo ad eius curam pertineas. Hoc, inquam, supplicium est omni luctu dignum. Hinc Matth. capite 27. de crucifixione Iesu loquutus ait: *Iesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum. Et ecce velum templi scissum est in duas partes.* Equidem abiit Iesu spiritus a Synagoga Iudæos derelinquens, & despiciens, quod etiam significarunt voces post hæc in templo auditæ, de quibus Egesippus lib. 5. cap. 44 ait. *Ingredientes sacerdotes in templi interiora; vt sacrificia assueta celebrarent, audierunt repentina voce clamantum. Transeamus hinc.* Itaque post Iesu mortem recessit Deus à templo, reliquit Iudæos, & interea velum templi scissum est. Et cur in Dei discessu, hoc est, in derelictione Iudæorum velum templi scinditur? Erat apud Iudæos ingentis calamitatis, & doloris signum, quod vestes scinderentur, ideò templum ostendens malum derelictionis Iudaicæ scidit suum velum lugens miseriis in eo, quod à Deo relinquerentur. Ait Diuus Cyrillus Alexand. lib. 12. in Ioann. cap. 37. *Cum Christus expirasset, velum quasi vestem suam illico templum scidit. Quod diuinitus adeo dixerim esse factum, vt sanctum Dei templum populi casum lugere intelligeretur.* Et quos luctus non mereatur populus derelictus à Deo? Meritò templum luget vacuitatem suam, luget Iudæorum derelictionem, vt quæ sit grauissima eorum pœna, & causa grauissimarum calamitatum iam iam imminentium.

Nazian.

Ioan. 1.

Chrysost.

Matt. 27.

Egesipp.

D. Cyr.

§. IV.

Dei præsentia apud impios ex eorum supplicio ostenditur.

OBduratis, & rebellibus Israelitis ait Dominus: *Populus duræ ceruicis es, semel ascendam in medio tui, & delebo te.* Promittit se futurum in medio eorum eos delendo; non enim aliter præsentia Dei apud impios ostenditur melius, quam eos conterendo. Quò spectans Amos cap. 5. ait Dominus: *In omnibus plateis planctus, & in omnibus, quæ foris sunt, dicetur væ, væ. Et vocabunt agricolam ad luctum, & ad planctum eos, qui sciunt plangere.* Ex Græco autem sic legitur hæc in te præsentem. *In omnibus plateis planctus, in omnibus viis dicetur, væ, væ. Vocabitur agricola in luctum, & in planctum, & ad scientes lamentum. Et in omnibus viis planctus, quia veniam per medium tui, dicit Dominus.* Expende malorum omnium, luctuumque nouissimam causam, nimirum: *Quia veniam per medium tui, dicit Dominus.* Et quidem Dei aduentus salutaris solet esse hominibus, quomodo in præsenti ponitur Dei aduentus causa gemituum, lachrymarum, & omnis generis lamenti? Res erat cum sceleratis hominibus, apud quos tunc ostenditur Deus maximè præsens, cum eos suppliciis meritis flagellat. Sic ait D. Cyril. Alex. ibi: *Transibo per medium tui, inquit, intuens peccata tua, & non procul absens ab iis, quæ impietates minime ferendas designarunt. Quamdiu ergo verbis tantum castigat Deus, videtur quodammodo non adesse. Cum autem iratus sceleratos vlciscitur, tantum non præsens adest, & pœnas infligit.* Ecce tibi quando ostenditur Deus sceleratis præsentissimus, nimirum, quando eis pœnas infligit. Dum sustinet, dum dissimulat, dum verborum componit minas, quam longissimè abest Deus ab impiis; vbi autem flagellat, verbere aliquo percutit duro, iam ibi præsens intelligitur. Sub trium Angelorum figura Dominus apparuit Abraham, Gen. 19. cui dixit: *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita, vt sciam. Conuerteruntque se inde, & abierunt Sodomam, &c.* Sic Dominus à domo Abrahami conuertebat se, & abibat appropinquans Sodomæ. At Dominus vbicumque est, cur modo voluit se ostendere absentem, & Sodomam euntem? dum impune peccabant Sodomitæ, quasi abiens Dominus erat in Angelis suis, cœpit autem suam ostentare præsentiam impiis, cum cœpit illis flammantes radios immittere. Ita pene D. Cyril. Alex. vbi supra: *Sodomam venerunt Angeli, quibus incensuri scelestos, velut absentes, dum non punirent.* Tunc solùm se præsentissimum ostendebat diuinum numen impiis, cum illos affligebat suppliciis. Ex quo nata est illa sceleratorum de Deo opinio, qua dicebant Iob cap. 22. *Nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & circa cardines cœli perambulat.* Quia se videbant mediis sceleribus impunitos, putabant Deum longissime abesse. Quos sic D. Greg. lib. 16. Moral. cap. 3. pungit: *Quis de Deo ista, vel insipiens suspicetur? Qui nimirum cum sit semper omnipotens, sic intendit omnibus, vt adsit singulis, sic videri non valet, vt tamen eius præsentiam ipsa sua iudicia testentur.* Non negat, quod Deus opt. max. remotus sit ab omni sensu, iudicia tamen seueritatis circa impios exercita ipsum ostendunt illis præsentissimum esse.

Amos 5.

D. Cyril.

Gen. 19.

D. Cyril.

Iob 22.

D. Greg.

§. V.

In superbo ornatu corporis vix patet aditus saluti.

CVraturus Israelitas Dominus, nil prius docet, quàm ornatus superbi depositionem inquiens: *Iam nunc depone ornatum tuum, vt sciam quid faciam tibi.* Expende illa: *Vt sciam, quid faciam tibi*, quasi nesciat Dominus viam salutis inferendæ homini illi, qui superbo ornatu apparuit indutus. Id quod expendens Rup. lib. 4. in Oseam dicit: *Quamdiu peccator ornatus incedit, id est, in peccatis suis superbus, quamdiu pulchram ceruicem erigit complacendo sibi, lætabundus cum malefecerit, & exultans in rebus pessimis, quodammodo nescit Deus, quid faciat illi, nescit misericordia quali aditu ad illum veniat remota seueritate iudicij.* Quid grauius? Tota Dei omnipotentia quasi arctatur, & quasi nescit, quid faciat homini, qui aureo ornatu nitet, & exultat inter scelera ipsa. Miser, qui multus in sceleribus perpetrandis cum sit, interea pompaticè incedit, superbóque corporis ornatu nitet, ad hunc quasi nescit Dei misericordia quali aditu veniat, remota seueritate iudicij. Actorum cap. 12. dicit: *Statuto autem die Herodes vestitus veste regia sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini.* Quæ à nostro dicitur vestis regia, sigillatim describitur à Iosepho lib. 19. Ant. cap. 7. quod erat tota ex argento mirabili opere contexta, quæ radios orientis solis perculsa, & diuinum quemdam fulgorem emittens, venerationem cum horrore incutiebat spectantibus. Sic ambitiose vestitus Herodes dum extollitur, ab Angelo percutitur, & interit. Longe aliter Zachar. 3. vbi de filio Iosedech dicitur: *Et Iesus erat indutus vestibus sordidis, & stabat ante faciem Angeli: Qui respondit, & ait ad eos, qui stabant coram se, dicens: Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum; Ecce abstuli à te iniquitates tuas.* Componite Angelum cum Angelo; Angelum Iesu filij Iosedech cum Angelo Herodis. Illius Angelus & peccatori, & sordenti homini misericordiam facit, scelerum suorum offert remissionem,

Ruper.

Actor. 12.

Zachar. 3.

huius autem Angelus nō misericordiam offert, sed iudicij rigorem, lethaliter percutiens hominem. Cur Angele non magis parcis Herodi? Quando Iosedech filio peccatorum squallenti sordibus Angelus parcit, & illi scelerum pœnam condonat, cur eu adeò rigidus es cum Herode, vt nec minimam illi offeras misericordiam? Parceret sane Angelus, sed in homine superbo, in ornatu fulgenti nullus inuenitur locus misericordiæ, nesciunt misericordia quali aditu remota à iudicio veniret in hominē, qui sub vestibus aureis superbiens splendebat totus. Ex quo ait Drogo Cardinalis lib. de Sacramento Dominicæ Pass. *Quid veste nitida gloriaris? Subter te sternitur tinea, & operimentum vermis est. Hæc tua vestis est, illuserunt tibi, qui chlamyde coccinea induerunt. Sic Antiochus, & Herodes duo alienis vestibus depositis, in suis vestibus expirarunt.* Vestis superba fuit, quæ in Herode aditum interclusit Angelicæ misericordiæ. Et meritò dicit D. Cypr. lib. de Habitu Virg. *Sericum, & purpuram indutæ Christum induere non possunt.* Quippè Christus quasi nescit quali aditu ad illas veniet.

Drog. Card.

D. Cypr.

Exod. 33. Moyses quoque tollens tabernaculum, tetendit extra procul, vocauitque nomen eius tabernaculum fœderis. Et omnis populus, qui habebat aliquam quæstionem, egrediebatur ad tabernaculum fœderis extra castra. Cumque egrederetur Moyses ad tabernaculū, surgebat vniuersa plebs, & stabat vnusquisque in ostio papilionis sui, aspiciebantque tergum Moysis, donec ingrederetur tentorium.

§. VI.

In virtute stantibus salutaria obueniunt.

MVlta dicuntur de Moyse, nimirum, quod extra castra posuerit tabernaculum, quod ibi quæstiones popularium dirimeret, quod frequentissimus in tabernaculo esset, ibique oraret Deum. De populo autem solum dicitur, quod stans in ostiis papilionum suorum prosequeretur oculis Moysem euntem in tentorium. Sic enim dicit: *Cumque egrederetur Moyses ad tabernaculum, surgebat vniuersa plebs, & stabat vnusquisque in ostio papilionis sui, aspiciebatque tergum Moysis, donec ingrederetur tentorium.* Ecce tibi procedebat Moyses, pergebat ad tentorium, populus autem surgebat, & stabat aspiciens, quanta hæc virtus populi, quod surgeret, quod staret? Sane in populo, qui paulò ante tot exceperat clades, tot afflictiones per manum, & ora Moysis, quando Leui gladio tria millia ceciderunt, quando maiores minas audierunt, quando se omni ornatu exuerunt, & compuncti sunt vsque ad fletum, non paruum est, quod post hæc non iaceat, sed surgat populus, & in virtute stet. Iob cap. 1. post cladem gregum, armentorum, & filiorum dicitur: *Tunc surrexit Iob, &c.* circa quæ verba ait D. Chrysost. hom. 3. in Iob: *Bonum surrexit, non enim deiidit plaga, sed surrexit pietate virtute.* Equidem bonum, imò & magnum, quod qui tot lamentorum materiam viderit, in morte filiorum, & cognatorū, in ornatus spoliatione, in Dei ira, nō concidant, nō iaceant, sed surgant, & in virtute stare alacres possint. Fallar, si iis salutis non pateant fores. Mar. cap. 9. aiebat Dominus Iesus: *Amen dico vobis, quia sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, &c.* Expende benignissimi Iesu amplissimam promissionem, qua promittit mortem ab aliquibus minimè esse gustandam, ita vt eius amaritudo percipi possit. Sed qui sunt fœlices ad tantam reseruati misericordiam? Ipse ait: *Sunt quidam de hic stantibus.* Non qui consternati iacent, sed qui surgunt, & alacres in virtute stant, ij non experientur damna mortis. Ait D. Chrys. hom. 10. in Mat. *Pulchre de his, qui stant dicitur: Non gustabunt mortem. Qui enim stat, in eo, quod stat, non gustat mortem.* Nihil non salutare & dulce inuenit, vel in mortis faucibus ille, qui in virtute stare nouit. Nulla te frangat res, homo, nullis casibus concidas, sed eo specta, vt stare in virtute possis, & mille inuenies salutis ostia. Diuini enim fauores non in deiectos, & humi reptātes, sed in viriliter stantes perueniunt. Hinc Moyses Deut. cap. 10 ad Israelitas loquitur: *Ego autem steti in monte, sicut prius quadraginta diebus, ac noctibus: exaudiuitque me Dominus etiā hac vice, & te perdere noluit.* Expende quot quantaque beneficia in se à Deo profecta numeret Moyses, vt iterum fuerit exauditus, vt legem iterum acceperit in monte, vt salutem obtinuerit populi. Et quid ipse fecit, vt tanta acciperet à Domino? Ait ipse. *Ego autem steti in monte, &c.* Hoc prius proponit, quod steterit in monte; & quidem non nisi in virtute stanti tot beneficia obtingere possent. Adhæc D. Chrysost. hom. 10. in Mat. ait: *Solus stetit quadraginta diebus, & ideo meruit legem accipere. Stantibus datur, iacentibus non datur.* Quid à Deo speret, qui in virtute stare nequit? Hoc totis viribus cura, vt in virtute stes, & de Deo largitore multa expecta.

Iob 1.

Chrysost.

Mar. 9.

Chrysost.

Deut. 10.

Chrysost.

§. VII.

Lectio spiritualis efficacissima est ad virtutis progressum.

MOysem euntem ad tabernaculum Iudæi videbant, nec prosequebantur, sed immobiles in ostiis papilionum suorum hærebant. Sic ait textus: *Cum egrederetur Moyses ad tabernaculū, surgebat vniuersa plebs, & stabat vnusquisque in ostio papilionis sui, aspiciebantque tergum Moysis, donec ingrederetur tentorium.* Omnes stant, omnes hærent, nullus progreditur videns progredientem. Et cur nullus progreditur? Rationem indigitat Strabo in cat. fatus. *Moyses tenet figuram legis. Moysis ergo tergum Iudaicus populus aspiciebat, quia nihil mysticum, nihil spirituale in lege voluit intelligere, sed superficiem tantum literæ. Ideo eius facies abscondita erat.* Vt in Moyse, sic in scriptura diuina & facies est, & tergum: facies sacræ scripturæ est sensus spiritualis, & mysticus: tergum est cortex litteræ. Iudæi ergo solum ad corticem respicientes, tergum videbant, nec inde mouebantur, vt progrederentur, sed immobiles in suis hærebant. Vtinam non ad corticem, non ad tergū, sed ad faciem, ad spiritualem sensum respicerent, spiritualis enim scripturę lectio, & meditatio ad clarissimos illos adduceret virtutum progressus. Psal. 118. dicit: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati, qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum.* Ecce tibi vt in vnum conueniūt, & qui scrutantur testimonia diuina, & qui ambulant in lege Domini. Eo enim quod quis diuinas scripturas penitus scrutetur, earumque spiritualem percipiat sensum, nequit fieri, quod hæreat, quod immobilis stet, sed ad ambulādum, & progrediendum in lege Domini rapiatur. Ibi ait D. Amb. ser. 1. *Si quis ergo in via ambulat, scrutetur testimonia Domini: quoniam melius potest ambulare in via, qui scrutatur Domini testimonia.* Eo spectat scrutatio scripturarum, vt non hæreamus, sed magis ambulemus, imò & prosiliamus in virtutum progressum. Iob cap. 39. de equo loquens ait: *Vbi audierit buccinam, dicit, Vah:* Græcè legitur: *Signum dāte tuba, dicit, Euge. Procul odoratur bellum saltu & clamore.* Sic sonus tubæ non sinit quietum esse equum, sed illum in saltus cogit, vt in certamina properet. Quod spectans Diuus Ephrem in serm. de Patient., & compunct. ait: *Loco tubæ diuinas scripturas adhibe. Quemadmodum enim tuba sonans congregat milites, sic & diuina scriptura ad nos clamantes cogitationes nostras congregant ad Dei timorem. Et quemadmodum tuba belli tempore sonans strenuorum militum alacritatem in aduersarios excitat: ita & diuinæ scripturæ te promptiorem ad omne opus bonum reddunt, teque aduersus improbas passiones, ac vitia magis animant, corroborantque.* Sanè cum scripturarum sacrarum spirituali lectione is ardor gignitur in nobis, qui nō sinat nos stare otiosos, sed ad pulcherrima moueat opera. Non sic militares copiæ feruntur ad facinora, ad victorias tubarum sonitu, vt nos scripturarum meditatione ferimur, vt gloriosas victorias reportemus de hostibus. Et cur non curras, cur triumphator non insilias in hostes, quando & sacræ scripturæ scrutatio simul te reddit hostibus inaccessibilem? In transfiguratione Iesu Matth. 17. *Vestimenta eius facta sunt alba sicut nix.* Cur sicut nix? Ait D. Ansel. ibi: *Vestimenta Verbi, dicta sunt scripturarum, & in oculis alta petentium albescunt, vt nix, & refulgent sermones diuinarum lectionum. Cum autem nix ceciderit, aues cœli non habent vbi inhabitent, & latet solito tritici prouentus exuberat. Cui rei verba scripturarum apte comparantur, quæ de cœlo missa sunt in terram, & semina nostrorum pectorum arua fœcundauerunt, ac spiritibus aereis, tanquam auibus immundis locum non reliquerunt.* Ecce tibi, vt nix tritici prouentus accumulat, lucrumque, & aditum cœli auibus intercludit, ne semina absumant, sic lectio sacræ scripturæ ad nouos virtutum prouentus nos ducit, & reddit prorsus aereis spiritibus inaccessibiles.

Strabo.

Psal. 118.

D. Amb.

Iob 39.

D. Ephr.

Matt. 17.

Exod.

Exod. 33. Ingresso autem illo tabernaculum fœderis, descendebat columna nubis,& stabat ad ostiũ, loquebaturque cũ Moyse, cernentibus vniuersis,quod columna nubis staret ad ostium tabernaculi. Stabantque ipsi, & adorabant per fores tabernaculorum suorum. Loquebatur autem Dominus ad Moysem facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum. Cumque ille reuerteretur in castra, minister eius Iosue filius Nun puer,non recedebat de tabernaculo.

§. VIII.

Ministrorum suorum honori maxime consulat, qui gubernatoris optimi munus adimplet.

ACcedens Dominus in columna nubis ad ostium tabernaculi quasi cum amico loquebatur cum Moyse cernentibus id cunctis Israelitis. Quippè ait: *Descendebat columna nubis,& stabat ad ostium,loquebaturque cum Moyse cernentibus vniuersis : : Loquebatur autem Dominus ad Moysem facie ad faciem, sicut homo solet loqui ad amicum.* Et quo spectabat tanta hæc Domini dignatio, vt cum homine loqueretur tanquam cum amico in conspectu omnium? Ait sapienter Lippom. in caten. *Testabatur enim Dominus coram populo, & aspiciente tota Ecclesia dignitatem Moysis,visibili spectro se illi insinuans,quo esset auctoritate grauior.* Proh summi gubernatoris præstantiam! Ipse è millibus vnum elegit ministrum Moysem, huius autem honori maximè consulit : nihilque non facit, vt illum reddat populo honoribus conspicuum,sibique deuinctum. Vtinam sic facerent vniuersi gubernatores ministris suis, & illos sic traherent in facinora Matth. cap. 8. dicit: *Cum venisset Iesus in domum Petri, vidit socrum eius iacentem, &c.* Non sic miror, quod sacet infirmam; vt miror, quod domum Petri intret. Quid vnigenito Dei cum piscatoris tuguriolo? Cur Domine sic deiiceris, vt pauperculi hominis habitaculũ inuisas? Rationem reddit D. Chrysostom. homil. 28. in Matth. *Cuius rei gratia domum Petri Dominus petiit? Mihi quidem videtur,vt cibum assumat : non enim ignoramus discipulorum diuersorium illud esse. Nam ad Matthæum diuertit,quando eum vocauit, quod faciebat,vt hoc ab eo affecti honore diligentiores ad omnia fierent.* Bonus gubernator nullum lapidem non mouebat, vt honoraret suos ministros, quo diligentiores ad omnia fierent. Illos passim connoiebat quasi amicos, & familiares suos; vt hoc excitati honore nulli parcerent labori pro implendo munere. Quod in obscuris Ecclesiæ verbis insinuabat Chaldæus. Dicit enim Ecclesiastes cap. 5. *Excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij.* Quæ verba sic in rem præsentem elucidat Chaldæus, inquiens : *A facie Dei mittuntur viri magnifici,& robusti, vt potestatem exerceant in improbos.* Equidem sub Dei facie viri magnificantur, roborantur, vt indè missi nulli parcant difficultati, vt improbos valeant expugnare. Quomodo enim valebit improbos comprimere minister, qui non honoratur, & magnificatur à principe?

Lippom. — Matth. 8. — Chrysost. — Eccles. 5.

§. IX.

Nostra in omnibus amamus,non æquè aliena.

VT homo loquitur ad amicum,sic Dominus loquebatur ad Moysem; ait enim : *Loquebatur Dominus facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum.* Et cur tãta Dei dignatio ad Moysem? Quid in illo erat,quod sic Dei rapiebat affectum? Vt Deus nunquam comedit,nec bibit, sic videbat Moysem per integros illos dies quadraginta,nec comedentem,nec bibẽtem,in quo amabat peculiariter Deus id quod in se habebat. Ait D. Ambros. serm. 17. *Quadraginta dierum, noctiumque ieiunio Moyses sanctus meruit cum Deo colloqui, stare, & consistere, & de manu eius legis præcepta suscipere. Quamuis enim illum ab obtutibus Dei conditio humana subtraheret, ieiuniorum tamen gratia proximum illum diuinitatis consortio faciebat. Hæc enim Dei nobis virtutum portio Dei est, vt ieiunemus frequenter, quoniam semper Deus ipse ieiunat. In quocumque igitur plus operum suorum inesse perspexerit, ipsi magis familiaris, intimus, & amicus est.* Expende ab illis, *in quocumque igitur plus operum suorum inesse perspexerit,* hoc insitum est etiam diuinissimæ naturæ, vt in omnibus promptius,& prius amet sua. In quo plura sua noscit, magis ad eum afficitur. Et quis similiter non amet in omnibus sua? Matth. 20. proponuntur operarij, qui primo manè, & qui hora vndecima,& qui iam die aduesperascente iuerunt in Dei vineam,quibus dũ merces soluitur, ait paterfamilias procuratori, quod reddat mercedem *incipiens à nouissimis.* Cur à nouissimis? Cur non magis à primis? Quid habuerunt nouissimi, qui remuneratoris animum sibi magis rapuerunt? Sanè è mundi fidelibus, qui primi extiterunt, minorem Christi gratiam habuerunt, vt operarentur virtutes; nouissimi autem qui modo sunt, multo maiori gratia Christi fruuntur; quare non miror, quod numerator ad hos feratur prius, in quibus plura sua videt. Huc spectat Imperfectus homil. 34. in Matth. inquiens: *Omnes, qui ante Iesum fuerunt, quasi ex operibus suis facti sunt sancti. Grates autem ex gratia Christi; semper libentius aliquid damus iis, quibus solum propter honorem nostrum damus.* In quibus aliquid amplius nostrum est, in quo nobis consulamus, promptissimi sumus ad hos honorandos, ditandos. Nullus est, qui sic in alienis, vt in propriis velit suum impendere conatum. Hinc de Deo ædificaturo primam mulierem, ait Genes. cap. 2. *Immisit Dominus Deus soporem in Adam : cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem.* Posset equidẽ Deus aliunde Euam creare, cur illam maluit ædificare ex Adami costa? Rationem ostendit Theophilus Antiochenus lib. 2. ad Autolium, dicens: *Ne exurgerent qui dicerent. Hic Deus virum, alius format mulierem, Euam ex costa compegit.* Itaque ne putaretur alius Deus formator mulieris ab eo, qui hominem formaret, ideò ex Adami costa Eua formabatur. Sed etiam si ex Adami costa formetur mulier, posset aliquis dicere ab alio Deo formatam. Cur enim formatio ex costa primi cogeret homines credere ab eodem Deo fuisse Adamum, & Euam creatos? Planè id ipsa natura persuadet, nullus enim amat in alienis, sed in suis ædificare, ad sua quisque afficitur magis, nec esset Deus, qui ad costam Adami confugeret, vt inde pulcherrimum mulieris opus faceret, nisi & Adamum, & costam eius suum esse opus cogitaret. Ex quo pulchrè Theophilus ait ædificatam Euam ex costa Adami: *Ne exurgerent, qui dicerent: Hic Deus virum, alius format mulierem.*

D. Amb. — Imperf. — Gen. 2. — Theophil. — Theophil.

Exod 33. Præcipis, vt educam populum istum, & non indicas mihi, quem missurus es mecum, præsertim cum dixeris: Noui te ex nomine, & inuenisti gratiam coram me. Si ergo inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, vt sciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos. Respice populum tuum,gentem hanc.

§. X.

Maxima viro præstantia est, qui non sub aliorum titulis, sed per seipsum valeat apud Deum.

HOc sibi singulare Moyses attribuit, quod notus sit Deo ex nomine, ait enim: *Cum dixeris: Noui te ex nomine, & inuenisti gratiam coram me.* Et quid magis commune omni homini, quam quod cognoscatur ex nomine à Deo? Nullus adeò vilis homo est, qui à Deo non cognoscatur ex nomine, si scientiam Dei communem spectes : quod si ad scientiam approbationis confugias, qua Deus approbando cognoscit, nullus etiam iustus est, vel in minima virtutis laude constitutus, qui non sit ex nomine Deo notus. Ergo Moyses dum se Deo ex nomine notum asserit, nihil sibi singularius adscribit, quam id quod commune est iustis omnibus. Imò adscribit sibi rem grandem, quæ in paucissimis reperiri solet, nimirum in se esse talia merita, quæ per seipsa, & nota essent Deo, & valerent apud Dominum, etiamsi deficerent maiorum omnium tituli, & commendationes. Ait Caietan. in cap. *Noui te in nomine, hoc est, approbaui te nominatim, secundum propria tibi, & hoc ad differentiam populi, quem nouerat Deus, non in proprio populi nomine, sed nominibus Abraha, Isaac, & Iacob. hoc est, non propriis, sed alienis meritis. Significatur enim per hoc Moysi*

Caietan.

tanta præditus virtute, vt propriis meritis approbetur, etiamsi non esset filius Abrahæ, Isaac, & Iacob. Quid præstantius de Moyse dici potest? Ipse, ipse meritis propriis fecerat sibi nomé, quo nosceretur à Domino, absque eo, quod indigeat maiorum suorum, aliorumve titulis, & commendatione. Quod præstantissimum est, & non omnium, sed primorum hominum proprium. Matth. cap. 1. Christi Domini proponens genealogiam, ait: *Iesse autem genuit Dauid Regem. Dauid autem Rex genuit Salomonem, &c.* Vnum Dauidem Regem vocat, Salomonem autem, nec cæteros inde progenitos minimè vocat reges: & fuerat Salomon Rex longe florentior, quam Dauid, & cæteri vsque ad Iechoniam fuerunt reges. Et cur cæteros non vocat reges, Dauidem autem solum regem nominat? Quia Dauid solus notus erat ex nomine regis, vt qui illud nomé sibi fecerat meritis propriis. Salomó autem, & cæteri magis regnabant ex meritis Dauid, ab illo hæreditarium regnú habentes, non ex meritis propriis, & ideò non noscuntur à Deo ex regio nomine? quo solus Dauid in omnibus agnoscitur. Ait D. August. lib. 1. de Mirab. sacræ Scripturæ cap. 3. *Dauid autem rex genuit Salomonem, cui non additur, regem, cum Salomon patris regno teneret maius imperium. Sed ex hoc intelligitur patrem suo Dauid regnum hæreditario iure possidere, & ad Dauid honorem regis plus pertinere.* Non fecerat Salomon suis meritis nomen regium, nec alij post Salomonem fecerant, sed regnum à Dauide acceperant, & propter Dauidem tenebant, ideò apud Deum minimè noti erant ex nomine regio. Id peculiare fuit Dauidis, qui vt solus propriis meritis, sine maiorum commendatione regnum acceperat, sic solus notus erat apud Deum ex nomine regis. Similiter Matth. cap. 23. ait Dominus Pharisæis: *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus à sanguine iusti Abel vsque ad sanguinem Zachariæ, &c.* Expende, vt quando Abelum nominat, vocet Abelum iustum, ait enim, *à sanguine iusti Abel*, verum cum nominat Zachariam, non vocat iustum; & quidem Zacharias iustus erat, & à perfidis propter Deum occisus, cur ergo Zacharias non dicitur à Deo iustus, quando & Abel iustus dicitur? Abel primus fuit, qui in se omnem perfectionem delineauit iustitiæ in virginitate, in sacerdotio, in martyrio, ex quo cæteri omnes iusti, suam iustitiæ partem assumunt, illi cedentes primas, vt de cuius meritis non parum ipsi profecerint in iustitia. Ideò Abel præ omnibus notus est Deo ex nomine iusti. August. rem multis explicat lib. 1. de Mirab. cap. 3. & dicit: *Hunc Abel Dominus Iesus Christus primatum iustitiæ hominum commisit, ita inquiens. A sanguine iusti Abel, vsque ad sanguinem Zachariæ, & non addit, iusti, hæreditatem iustitiæ Abel tenere Zachariam ostendens.* Hæc fuit Abelis præstantia, quod ipse propriis suis meritis, sine maiorum titulis, aut commendatione iustitiæ accepit primatum, & ideo ex nomine iusti apud Deum vocatur, cæteri autem non hoc habent, sed ex titulis præuisis in aliis, & exempli commendatione iustitiam hæreditarunt, quo factum est, ne illis nomen iusti sit singulare, ex quo cognoscantur. Huc ergo spectent viri præstantes, vt aliquod sibi nomen singulare faciant, ne sub titulis, & commendatione aliorum viuentes ipsi, prorsus ex se Deum lateant. De iis enim ait Ecclesiastes cap. 6. *Si genuerit quispiam centum liberos, & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima illius non vtatur bonis substantiæ suæ, sepulturaque careat; de hoc ego pronuntio, quod melior illo sit abortiuus. Frustra enim venit, & pergit ad tenebras, & obliuione delebitur nomen eius.* Ecce tibi quot incommoda narret hominis istius, nimirum, quod melior illo sit abortiuus, quod frustra venerit in vitam, quod abeat ad tenebras, & sine nominis memoria sit. Et quid culpæ in illo præmittit, quæ sit causa tot incommodorum? illud culpæ affert, nimirum, *sepulturaque careat*. Et quantum hoc, quod careat sepultura homo, vt in tanta damna incidat? Sanè & multi præstantissimi viri sepultura caruerunt, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ. Morticina enim sanctorum sæpissimè iacuerunt obiecta bestiis, & alitibus. Cur ergo rem tam parui momenti in sanctis viris facit in præsenti causam tot incommodorum? Non loquitur de materiali sepultura, sed de illa, quam quisque sibi facit in sæculorum memoria egregiis comparatis virtutibus. Ait D. Hieronym. ibi: Quod sepultura careat, hoc est, *quod nihil boni fecit, & bonorum egerit, ex quo sibi queat apud posteros memoriam comparare. & non vitam silentio transire velut pecudes, cum habuerit materiam, per quam potuerit apparere, quod vixerit.* Et meritò peior est abortiuo, & frustra venit in vitam, & in tenebras sine nomine iuit; qui cum posset, nullum sui specimen in mundo reliquit, nihil virtutis fecit insigne, quo ostendat se aliquando fuisse. Huc conueniant principes, & nobiles viri, qui ditissimas, splendidissimasque domos hæreditantes, nihil ipsi faciunt virtutis, quo testentur se ad illas domos venisse. Hoc spectent prælati, qui splendidissimorum cathedras occupant, nullum dantes signum, quod ibi fuerint ipsi. Hi omnes peiores sunt abortiuis, frustra vixerunt, & sicut pecudes in grege pertransierunt, ad tenebras se receperunt, ignoti Deo, & hominibus.

Matth. 1. — *August.* — *Matth. 23.* — *August.* — *Eccl. 6.*

§. XI.

Charitas perfecta ad clarissimam Dei visionem semper impellit.

Dicebatur paulò ante, quod Dominus loquebatur cum Moyse *facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum*. Nunc autem introducitur ipse Moyses dicens: *Ostende mihi faciem tuam, vt sciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos. Respice populum tuum gentem hanc.* Si loquebaris iam facie ad faciem cum Deo, quid modo petis, vt tibi adhuc facies Dei ostendatur? Cur non magis quiescis in illo amicabili colloquio; sed adhuc impelleris, vt cupias videre clarius Dei faciem? Ardebat in Moysis pectore charitas erga Deum, & proximum, vt verba illa testantur, *inueniam gratiam ante oculos tuos. Respice populum tuum gentem hanc.* Qui autem tanta charitate madet in Deum & proximos, non miror, quod in nulla Dei visione quiescat, semper clariorem appetens. Hæc duo in Moyse contemplatur August. quæst. 151. nimirum, & desiderium clarius Deum videndi, & in Deum, & proximos charitatem. Ait enim: *Ostendit Moyses, quod nō ita videbat Deum in illa tanta familiaritate conspectum, vt desiderabat videre. Et quia in duobus præceptis, hoc est, dilectionis Dei, & proximi tota lex pendet, ideò Moyses in vtroque desiderium suum demonstrabat. In dilectione Dei, dum ait, vt sciam te, vt sim inueniens gratiam in conspectu tuo. In dilectione proximi, vbi ait, & vt sciam quia populus tuus est gens hæc.* Ecce tibi Moyses in charitate Dei, & proximi se sublimem ostendebat, & simul visione Dei præsenti non contentus ad clariorem aliam tendebat. Sic qui in sublimi charitatis constituuntur, ad Dei visionem afficiuntur. Matth. cap. 17. *Assumit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut Sol, &c.* Ostensurus Iesus gloriæ suæ faciem discipulis, illos prius fecit in montem excelsum ascendere. Et cur in montem excelsum? Vt ostenderetur charitatis virtus, quæ omnium virtutum celsissima est, necessaria vt quis aptetur videndo Deo, & sic eius videndi afficiatur desiderio, vt in nulla visione obscura conquiescat. Ait D. Damascenus orat. de transfigur. *Quid autem est, cur discipulos in montem excelsum subducat? Montes figurato sensu virtutes scriptura nominat. Omnium porro virtutum apex, ac velut arx quædam est charitas. Operæpretium est igitur, vt terrena terra relinquentes, ac supra corpus humilitatis assurgentes, atque ad sublimissimam charitatis speculam euecti, ea demum ea, quæ aspectum omnem superant, intueamur. Nam qui ad summum charitatis verticem peruenit, quodammodo à se extendens, eum, qui cerni non potest, perspicit, atque in animæ serenitate constitutus in iustitiæ solem liquidius oculos defigit, tametsi non prorsus huiusmodi spectaculo expleri queat.* Expende hæc immediata, nimirum, *huiusmodi spectaculo non prorsus expleri queat.* Quippè ab alio charitatis Deum vides, sed non expleris; nescit enim charitas in qualibet Dei cognitione quiescere; sed semper ad clariorem impellit, ex his, quæ in hac vita possunt haberi. Aiebat illa Cant. 3. *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea.* Quod si quæras, qui lectulus erat iste? adest Gillibert. Abb. serm. 2. in Cant. qui ait: *Ille sponsæ lectulus, ille dilectus. Lectulus dum infirmam suscipit; dilectus dum inflammat, & emundat.* Itaque ipsissimus Deus erat animæ lectulus, & dilectus. In illo iam quasi in lectulo recumbebat, eum manibus tenebat, & nihilominus illum quærebat. Quid quæris sponsa, quem tenes? Ipse est lectulus, & locus requiei tuæ, & quando in illo es, tanquam in lectulo, cur non quiescis? Cur adhuc eum quæris? Est simul lectulus, & dilectus, vbi amor est, vbi charitas nescit in præsenti quiescere, quantumuis Deum habeat, non reputat, quod habet, ad maiora semper clarioraque tendens. Vt pulchrè dicat Gillibert. Abbas supra: *Sancta quadam semper eget amor auaritia. Semper enim ad secretiora exæstuat, & quæ tenet non reputans, volubili se rapiat in anteriora rotatu.* Hoc est, charitatis ingenium, quod non quiescat, quamlibet habeat Dei notionem. Dei possessionem in præsenti, ad clariorem, & præstantiorem semper sese extendit.

August. — *Matt. 17.* — *D. Dam.* — *Cant. 3.* — *Gill. Abb.* — *Gill. Abb.*

§. XII.

§. XII.

A Christo venit, quod homines sese patienter subdant hominibus.

DVctor populi factus Moyses anxiè petebat Christi aduentum popolaribus indicari, quo spectant illa verba: *Ostende mihi faciem tuam*, iuxta Rup. scotentiam lib. 4. in Exod. c. 37. & 38. Petebat, inquam, iodicari popularibus suis Christum in maximum eorum bonũ, quod insinuat dicens: *Respice populũ tuum, gentem hanc.* Sed cur modo iostat, quod Deus suis popularibus cõsulat, ostẽdens illis Christi aduentum? Nunc primum Deus permittebat populum illum regimini creaturarum, regimini ipsius Moysis, quod vt patienter ferrent populares, sapicoter petit Moyses vt illis Christus ostendatur, de cuius doctrina, & halitu veoit, qnod homioes libenter hominum imperiis subiaceant. Hioc Luc. cap. 2. *Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis: Ascendit autem, & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam, ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo, & & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante. Factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies pariendi. Et peperit filium suum primogenitum, &c.* Nascitur Christus Dominus, & apparet mundo, cum primum vniuersus mundus describitur sub vnius imperio. Et cur expectat Deus ad nascendum, quod mundus sub voius potestate scribatur? Cur non antea nascitur? Durum sane erat, quod omnes vnius subirent imperium, ideò Deus tunc nascitur, vt de Christi nascentis, factique sub lege halitu, homines cum spiritum biberent, quo placide omnes vnius subiacerent imperio Ait Paul. Oros. lib. 6. cap. 17. de hac orbis descriptione locutus: *Longo aliud omnes homines viuendi genus subeunt, vt omnes humiliter placere studeant, non insolenter offendere. Sed ad tam salubrem humilitatis doctrinam magistro opus est. Itaque opportune compositis rebus, Augusti Cæsaris temporibus natus est Dominus Iesus Christus, qui cum in forma Dei esset, formam serui humiliter assumpsit, vt tunc demum aptior fieret humilitatis institutio.* Quippè ante hoc tempus & pugnæ, & bella erant inter homioes pro obtinendo rerum dominio, nullus seruire alteri volebat, sed vniuersi nitebantur imperium assumere. Temporibus Augusti, omnis pugna, omnis contentio pro domioandi iure sopitor, omnes præter vnum seruiunt, & malunt esse sub iugo. Interea nascitur Christus tantæ subiectionis magister, nisi enim de eius halitu minime possent omnes homines ad subiectionem reduci, qua placide iugum subeant. Vnde viginti & quatuor reges, qui in circuitu occisi agni erant Apoc. cap. 4. *Mittebant coronas suas ante thronum, dicentes. Dignus es domine Deus noster accipere gloriam, &c.* Sic agno occiso cedunt coronas reges, ei referentes acceptum, quod sibi homines subiogauerint. Quo spectans Andreas Cæsariensis, ait: *Tu, inquiunt, Domine victricium coronarum auctor, & largitor extitisti.* Sic Sapientes putant, nullam coronam, nullum regnum io homines posse conseruari nisi de Iesu halitu, qui vt obediens factus fuit vsque ad mortem, sic homines currentes sub principum obedientia facit.

Exod. 37. & 38. — *Luc.* 2. — *Paul. Oros.* — *Apoc.* 4. — *And. Cæs.*

Exod. 33. Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi. Et ait Moyses, Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto. In quo enim scire poterimus ego, & populus tuus inuenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaueris nobiscum, vt glorificemur ab omnibus populis, qui habitant super terram? Dixit autem Dominus ad Moysem: Et verbum istud, quod locutus es faciam. Inuenisti enim gratiam coram me, & te ipsum noui ex nomine.

§. XIII.

Id ex Deo maiori diligentia procurare debemus, quod certè scimus ab illo nobis decretum.

PRomittit Deus Moysi se iturum cum populo, inquiens: *Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi.* Cui Moyses adhuc instat, qoasi nihil promisisset, dum ait: *Si non tu ipse præcedas:* ex Hebræo: *Si non facies tua ierit, ne educas nos de loco isto. In quo ergo sciri poterimus ego, & populus tuus inuenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaueris nobiscum?* Vide & post decretum Domini, quot commiscifcatur Moyses, vt trahat Deum ad promissa. Quid ais Moyses? Iam non audisti Deum decernentem ire tecum? Cur & post certissimum hoc decretum tibi notum adhuc precibus, & orationibus instas? Nonne fidem habes Dei promissis? Absit, imò quia fidem habet promissis Dei, quia certò nouit decretum diuinum, ideò precibus, & rationibus instat, vt illud trahat ad optatum finem. Id enim maiori diligentia procorare debemus, quod scimus à Deo nobis promissum. Matth. cap. 16. Christus Dominus dixit Petro: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Quid tunc? Dormiet iam Petrus securus de Ecclesiæ prouentu, quando audiuit à Deo esse promissum? Imò quia audit promissum, ideò maiori cura, & diligentia debet solicitare illud. Ex quo D. Damascenus orat. de Traosfigurat. inquit: *Hanc Petre Ecclesiam precibus tuis ita conserua, vt ab omni perturbatione, & fluctibus immunis sit. Nam quod nunquam futurum sit, vt euertatur, aut labefactetur, aut expugnetur, plane confidimus, cum Christus id affirmauerit. At vero id ab te peto, vt tempestas sedetur, tumultus comprimatur, pax que tranquilla nobis concedatur. Hoc, inquam, à Christo supplex contende.* Sic quo securior erat de fœlici statu Ecclesiæ, à Deo promisso, eo magis solicitus est, in precibus faciendis, illasque ab ipso Petro postulat, cui facta fuerat promissio. Turpiter enim falluntur, qui promissionibus Dei securi amant in vtramque aurem dormire, cum potius tunc deberent excitari ad maiores diligentias faciendas, cum certius sciunt diuina pro se stare promissa. Audierat Rebecca diuinum oraculum de filiis suis, quod dixerat Genes. cap. 25. *Maior seruiet minori.* Quid tunc? Accipe illam Genes. cap. 27. de promouendo minori filio solicitam: *Quod cum audisset Rebecca, & ille abiisset in agrum, vt iussionem patris impleret, dixit filio suo Iacob: Audiui patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo, & dicentem ei: Affer mihi de venatione tua, & fac cibos, vt comedam, & benedicam tibi coram Domino, antequam moriar. Nunc ergo fili mi acquiesce consiliis meis, & pergens ad gregem, affer mihi duos hædos optimos, vt faciam ex eis escas patri tuo, &c.* Hæc illa cogitauit, multis periculis filio, a quo accepit hœdos, quos mirifice parauit, & eorum pellibus, & filij manus, & colli nuda contexit, vt sic patrem falleret, & maioris fratris benedictionem acciperet. Et vnde tam sollicita erat pro extollendo minore filio? Si credit oraculo dicenti maiorem illum futurum, cur non magis indè quiescit, & finie ordinario cursu res ire, certa quod Deus suum decretum deducet ad exoptatum finem? Imò quia credit oraculo, & certo nescit decretam à Deo promotionem minoris filij, non quiescit, sed omnem mouet lapidem, vt ita fiat. Pulchre ait Theodor. quæst. 78. in Genes. *Præuiderat ex Deo Rebecca, omnium authore, quod maior seruiturus esset minori. Vnde confidens illi prophetiæ, omnem mouit lapidem, vt Iacob benedictionem paternam consequeretur.* Sapiens mulier vbi filii minoris promotionem audiuit à Deo decretam, indè magis solicita fuit, & maiora, pluraque fecit pro illo promouendo. Hoc enim proprium est diuinarum promissionum, non vt dormiamus, sed vt excitemur ad negotianda ea omnibus modis, queis possint obtineri.

Matt. 16. — *D. Dam.* — *Gen.* 25. — *Theod.*

§. XIV.

Diuini spiritus est, non in parte, aut dimidiatè, sed integrè ad bona procedere.

DIcebat Deus; *Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi.* Et Moyses statim respondit: *Si non tu ipse præcedas, ne educas nos.* Quid ais bone, faciei suæ præsentiam promittit Deus, & tu instas, vt magis procedat ipse? An quando dicitur processura eius facies, non intelligitur & ipse processurus? Cur adhuc dubitas, quod ipse præcedet, quando facies eius promittitur processura? Sapienter dubitas, quod præcedet ipse, quando audit faciem processuram, in parte enim & dimidiate procedere commune est creaturis; diuini autem spiritus proprium est, quod non in parte, & dimidiate, sed totaliter procedat & integre. Ad hæc Rupert. lib. 4. in Exod. cap. 38. inquit: *Ait ergo Moyses: Si tu non ipse præcedas ne educas nos de loco isto. Quia per faciem poterat intelligi Angelus, qui ad deiiciendum Chananæum hominem sufficeret,* Equidem dum solam faciem præcessuram audit, nihil audit præcessurum,

Rupert.

quod

quod non sit commune creaturis, quarum est per partes, & dimidiare sese communicare amicis. Ideo adhuc pro Deo obtinendo instat, cuius est integre, & totaliter se dedere suis. Rem ostendo in Exod cap. 34. vbi dicitur: *Cum descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonij, & ignorabat, quod cornuta esset facies sua.* Hebraicè dicitur: *Ignorabat, quod radians esset facies sua.* Chaldæus legit *Nesciebat, quod multiplicatus esset splendor vultus eius.* Sic Moysis facies tota radiabat splendore. At Matth. c. 17. vbi Iesus ascendit cũ discipulis suis montem Thabor, ibique orationi vacat, sic coram eis transfiguratur, vt dicat textus: *Resplenduit facies eius sicut Sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* Ecce tibi in Moyse facies, in Iesu & ipsa vestimenta resplendẽt. Sic o[illegible] in Iesu splendẽt vestimenta, nisi vt ostendatur Dei, [illegible] creaturarum differẽtia in illuminãdis, & fouendis gẽtibus? Creatura enim solum in parte, & dimidiate: Deus autẽ integre, & totaliter conuenit, vt lumen suis præstet. Ait D. Ephrem serm. de Transfigur. *Hoc autem dixit: Facta sunt vestimenta eius alba, sicut nix. Etenim ostendit, quod ex toto eius corpore eius gloria scaturiuit, & ex tota eius carne resplenduit eius facies, & ex totis eius membris resplenduerunt radij. Non enim sicut Moysi, eius facies resplenduit, &c.* Proh Deus, quam alius est diuinus spiritus in illuminandis hominibus, fouendisque lumine suo, ac est spiritus humanus! Homo solum in parte; creatura dimidiatè procedit, Deus autem integre, ex toto se, ex facie, ex manibus, ex pedibus sese impendit in lucem pro hominibus. Nulli non se integrè communicat Deus amico. Sic dicebat illa Cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Non facies, non manus sola, sed totus dilectus vni sponsæ intendere dicitur, & tota sponsa vni intendit dilecto: sic enim vbi mediat diuinus spiritus, nihil dimidiatum permittit. Vt verè dicat Gillibertus Abbas serm. 11. in Cant. *Quam durum est amanti animum dimidiare tam Christo, & mundo! Quam durum est in dilectionis tuæ peregrinam admittere curas, & in lecto secretum sæcularibus assistare turbellis!* Equidem durissimum est animæ possessæ à diuino spiritu dimidiate procedere in Dei obsequio, & non integrè. Diuinæ enim charitatis in cordibus nostris diffusæ proprium est nihil dimidiatum noscere in iis, quæ Dei sunt, sed ad eum ferri ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus. Sic semper diuinus spiritus ad integritatem festinat. Quippè ait Hierem. cap. 24. *Ecce duo calathi pleni ficis, positi ante templum Domini: Calathus vnus ficus bonas habebat nimis.* Quæ ficus erant circa templum, non vtcumque erant bonæ, sed erant bonæ nimis, dum sui perfectionis integritatem implent, non enim aliter essent in conspectu diuino. Quo respiciens ait D. Hieronym. epist. ad Eustochium de acceptis munusculis: *Optemus de illis pomis fieri, quæ contra templum Dei sunt, de quibus Deus dicit: Quia bona erant valde. Nihil quippè saluator medium amat.* Non equidem Dei spiritus sibi multum complacet in his, quæ dimidiatè, & ex parte tantum bona fiunt.

Exod. 34.

Matth. 17.

D. Ephrem.

Cant. 2.

Gilibert.

Hierem. 24.

Hieron.

§. XV.

Is est diuinus spiritus, qui sui gustum etiam persequentibus tribuat.

GLoriosum Israelitarum transitum per aduersarias nationes optans Moyses enixe contendebat Dei præsentiam populo suo acquirere. Ait enim, *In quo scire poterimus ego & populus tuus inuenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaueris nobiscũ, vt glorificemur ab omnibus populis?* Ecce vt putat necessariam diuinam præsentiam Israeli, vt illum glorificent vniuersæ nationes etiam aduersariæ, etiam hostiles. Et quomodo fieri poterat etiam per Dei peculiarem præsentiam Israeli assistentem, quod populi adeo contrarij, & inimici adducerentur, vt glorificarent Israelitas? Equidem spiritus diuinus assistens Israelitis is est, vt si approximetur in suis, nequeat non præbere etiam contrariis, etiam hostibus sui gustum, vt conuersi dicant apud Iudæos esse verum Deum, veramque salutem. Ex quo aiebat D. Prosper lib. 2. de vocat. gent. cap. 15. *Ille ignis dilectionis, quem in cordibus fidelium Spiritus sanctus accenderat, nullo modo ab opprimentibus poterat extingui, cum & qui cruciabantur, vehementius inardescerent, & qui sæuiebant, eandem, quam persequebantur, flammam sæpe conciperent.* Quid pulchrius? Ipsi persecutores, ipsi hostes fidelium, qui in eis Dei spiritum persequuntur, solent ipsius diuinitatis gustum percipere, & conuersi glorificare, & extollere eos, in quibus experti sunt diuina. Proh diuinissima Dei facies, quæ fidelibus suis assistens inde persequentibus se immittit faces, quibus in salutem ardeant. Actor. cap. 6. loquutus textus de persecutoribus Stephani, dicit: *Rapuerunt eum, & adduxerunt in concilium, & statuerunt falsos testes: : Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli, &c.* Quid tunc? Ipse Dei martyr in concilio constitutus malignantium, Angelicam exhibens faciem, iis radiis contrariorum conscientias verberabat, quibus illuminati conuerterentur, vt conuersus fuit Paulus. Pro quo aiebat Euseb. Gallican. serm. de S. Steph. fatus: *Aspectu Angeli faces impiorum caduntur, & lapidantium conscientia, lapidati lumine percussa, agnitione veritatis lapidantur.* Sic de prælucente Angelica Stephani facie cereæ prosiliebant faces, quæ vel hostes in agnitionem traherent veritatis. Hinc conuersurus Dominus mundum vniuersum pauperes piscatores elegit, quibus ait Matth. cap. 10. *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum.* Oues mittit ad lupos, vt trahat ad se & lupos. Sed lupi sunt hostes ouium, illas persequentur, dilacerabunt, comedent. Cur ergo Domine vt trahas lupos, mittis eis oues? Equidem tanta est virtus mittentis, vt dum ipse adsit ouibus, vel ipsos lupos in sui gloriam conuertat. Ait D. Chrysostom. serm. de Pentecoste: *Non habentes humana solatia, habentes autem Dominum suum; Ego enim, inquit, vobiscum sum vsque ad cõsummationem sæculi, peragrarunt vniuersum orbem terrarum oues simul cum lupo. Quis vidit? Quis audiuit? Dicit, Mittam vos, vt oues in medio luporum. Quis, inquam, pastor oues mittit in medio luporum? At vero Christus oues ad lupos direxit, & vulnerata à bestiis non sunt, sed magis lupi ad ouium mansuetudinem sunt conuersi.* Vbi Christus erat cum ouibus suis, vel lupi ipsi ouium virtutes stupebant, ad illasque sese conuertebant.

D. Prosper.

Act. 6.

Euseb.

Matth. 10.

Chrysost.

Exod 33. Qui ait: Ostende mihi gloriam tuam. Respondit: Ego ostendam omne bonum tibi, & vocabor in nomine Domini coram te; & miserebor, cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit. Rursusque ait: Non poteris videre faciem meam. Non enim videbit me homo, & viuet.

§. XVI.

Regius animus est, cuius fiducia orta de corde puro non hæret in actu creaturæ, sed euolat ad Dei celsissima.

VIde regium spiritum Israelitici ducis, quippè ait ad Deum: *Ostende mihi faciem tuam.* Solent alij petere victorias de hostibus, diuitias, longitudinem vitæ. Pro hac fleuit Ezechias 4. Regum cap. 20. Salomon autem nec vitam, nec diuitias, nec victorias requirens, sapientiam ciuilem ad gubernandum postulauit. 3. Regum cap. 3. Iis regalior Moyses omnia calcans creata, diuina sibi credit posse dari, & diuina contendere audet, aiens: *Ostende mihi faciem tuam.* O regalissimam optimi ducis animam, quæ nullius maculæ conscia super omnes creaturas sciuit volare, nihilque ab illis sibi timere, nec sperare, fidens se posse habere Deitatem! Pulchrè de hac fatur D. Bern. serm. 32. in Cant. fatus: *Iam vero magni patrisfamilias, seu regiæ maiestatis schema apparere existimo, his, qui accedentes ad cor altum de maiori spiritus libertate, & puritate conscientiæ magnanimiores facti consueuerunt audere maiora, apprehendere sublimiora non modo sensuum, sed & virtutum. Hi enim pro fidei magnitudine digni inueniuntur, qui inducantur in omnem plenitudinem. Talis erat Moyses, qui audebat dicere: Ostende mihi teipsum. Talis Philippus, qui sibi, & condiscipulis patrem flagitabat ostendi. Tales itaque magna audent, quia magni sunt, & quæ audent, obtinent. Magna siquidem fides magna meretur.* Expende illud primo positum, nimirum: *Regiæ maiestatis schema,* quippè denotat in nobis animum regium, non diadema, sed fides, quæ omnes creaturarum absorbeat metus, & ea fidenter spectet, quæ intra diuinitatis clauduntur metam. Propter huius defectum castigantur à Iesu mundi principes, Apostoli electi ad subiugandam terram. Ij dum in nauicula dormit Iesus, experti sunt ingentem ventorum rebellionem, Matth. cap. 8. & iam inferiores tempestati facti currunt ad dormientem. *Domine salua nos, perimus.* Quid tunc Iesus? illorum fidei paruitatem arguit dicens: *Modicæ fidei, quare dubitastis?* Sed in quo illorum fidei paruitas apparuit? Nõne ipsi ad Deum currunt? Nõnne

4. Reg. 20.

3. Reg. 3.

D. Bern.

Matth. 8.

ab illo

ab illo salutem exposcunt? Vnde aliorum fides apparuit, nisi quia in necessitatibus suis ad Iesum confugiebant? Et quando Apostoli similiter ad Iesum confugiunt, eiusque exorant potentiam in quo paruam fidem ostendunt? Sanè parua fides erat, & minime orta ab animis regiis, quæ se submiserat creaturarum metui, & nihil supra creaturas audebat. Ad hæc *Basil. Sel.* pulchre D. Basil. Seleuc. orat. 22. *Vult Dominus fidei vim nostræ conditis esse valentiorem, & ad fidei præsentiam omnem ab anima desperationem eliminari.* Ea in regiis animis requiritur à Deo fides, quæ se supra omnes creaturas euehat, nihil sibi ab illis metuens, nihilque nõ sperans ex Deo, quantumuis magnum sit, & insuetum. Sanè hanc fidem vniuersa mala verentur. Decreta erat sententia mortis aduersus Niniuitas, tunc Rex eorũ *Ione 3.* Ionæ 3. *Clamauit, & dixit in Niniue ex ore regis, & principum eius: Homines & iumenta, & boues, & pecora non gustent quidquam, &c. Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus?* Sanè magnæ fidei clamor erat, qui post latam, denuntiatamque sententiam adhuc posse iudicem placari sperat. Bene dicitur, quod hic clamor exiuerit *ex ore regis, & principũ eius.* Solus enim regius animus tantã fidẽ posset concipere de Deo. Quid tunc? *Misertus est Deus super malitia, quam locutus fuerat.* Venerunt dies decretæ mortis, & mors minimè venit. Et cur mors non *Basil. Sel.* venit? Ait D. Basil. Seleuc. orat. 10. *Mortis sententia eorum fidem veritus inflexa est.* Vbi tam regia fides in Niniuitis apparuit, quæ vel contra Dei sententiam & sperare, & exposcere auderet, vniuersa mala illam reuerita fuerunt, & non accesserunt.

§. XVII.

Magna puritas à terrenis contagiis necessaria est, vt Deus percipiatur in vitam.

Exuat hominem, ab omni terrena grauedine alleuetur, qui Deum ad vitam percipere amat. Dicit enim Dominus: *Non videbit me homo, & viuet.* Quæ verba ponderans *Ambros.* D. Ambros. in caten. ait: *De homine dixit. Desiste hominis habere peccata, & videbis faciem meam. Esto Angelus diuini minister imperij, absoluere mandatis Domini. Cum fueris Angelus, videbis faciem Domini. Aduertis, quid à te exigatur, vt videas Deum? Emunda igitur cor tuum, vt quasi nouum creetur renouato spiritu. Omnes pollutas cogitationes de corde tuo abiice, nihil sit, quo tuus inquinetur affectus. Simplex mens, pura sinceritas sit. Talibus se Dominus, cum inuolucrum corporis deposuerint, demonstrare dignatur.* Non paret Deus terrenis hominibus, sed iis, qui corporalia, & terrena desideria attenuauerint, ad Angelicamque puritatem propiùs accesserint. Crystallo purior sit, & subtilior graui elemento, qui velit in se diuinitatem apparentem in vitam sus- *Gen. 1.* tinere. Genes. cap. 1. ait: *In principio creauit Deus cælum, & terram. Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & spiritus Domini ferebatur super aquas.* Non super terram, sed super aquas spiritus Domini visebatur. Et cur non etiam super terram? Veniebat Dei spiritus vt viuentia multa generaret, ideo caoit apparere super terram, sed super aquas apparuit. Tota namque puritas, & subtilitas aquæ necessaria erat, vt sustineret Deum vitalia operantem. Ait *Theophil.* Theophil. Antioch. lib. 2. de Autolium: *Spiritum, qui ferebatur supra aquas, largitus Deus creaturæ, vt eius opera possit producere viuentia, non secus ac homini animum attribuit, tenue tenui commiscens. Spiritus sua natura tenuis est, itidem & aqua.* Tota aquæ subtilitas, & puritas necessaria fuit, vt illi se crederet & subtilis, & purus Dei spiritus, vt sic viuentia possent produci. Quando enim spiritus Dei tenuis est, ab omnique terræ alienus crassitie; sic puram & crystallinam aquæ amauit munditiem; nulloque propius disponitur quis ad percipiendum illum, quam si à se terrena omnia ableget longissimè. *Luc. 9.* Apud Luc. cap. 9. vbi gloria transfigurationis Dominicæ describitur, dicit textus: *Et factum est, dum oraret, species vultus eius, altera: & vestitus eius albus, & refulgens. Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses, & Elias, visi in maiestate, & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem. Petrus vero, & qui cum illo erant, grauati erant somno.* Iesus in gloria fulgens diuinitatis suæ clarissima profert testimonia; & interea Apostoli dormiunt. Quid infœlicius? Possent videre Iesu gloriam, si non dormirent. Cur Domine illos permittis dormire, quando eis manifestas tuam gloriam? Cur non magis facis vigilare, vt videant tuæ diuinitatis splendorem? Meritò tali occasione permittuntur dormire, tunc enim maximè præparatur quis, vt percipiat Dei gloriam, quando ad *A. de Cret.* terrena omnia claudit oculos. Ait Andreas Cretensis serm. de Transfigurat. *O miraculum! Propter verissimam naturæ essentiam graui somno, & metu correpti, obstrictis sensibus, cum omnem intelligendi motionem, & apprehensionem omnino amisissent, ita in diuina illa caligine cum Deo versabantur, eo quod omnino non videntes, videre ipsam acquirentes.* Tunc acquirebant videre Deum, quando clausis oculis mortuorum similes nihil terrenum videbant. Alienus debet esse à terrenis, qui proximus sit percipiendo Deo. Hinc euigilans Petrus Matth. cap. 17. *Matth. 17.* clamabat: *Domine, bonum est nos hic esse.* In deserto erat, ab omni hominum consortio remotus, & putat bonum esse, ibi manere. Cur non magis petit, vt sic Dominus Hierosolymam eat? Vt sub tanta gloria sese hominum conspectibus manifestet? Sapienter hoc cauit, & mauult in deserto manere, vt qui sciat terrenorum consortium videndo Deo, impedimento esse. Ait etiam Andreas Cretensis vbi supra: *Domine bonum* *And. Cret.* *est nos hic esse. Quamobrem Petre? Vt à turbulenta, inquit, hominum vexatione liberati, & animo, & sensu per separationem à turbis purgati inexplicabili tua diuinitatis apparitione hic fruamur sine intermissione.* Meritò petebat secessum à terrenorum consortio, vt frui posset apparitione diuinitatis.

Exod. 33. Ecce, inquit, est locus apud me, & stabis supra petram, cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec transeam; tollamque manum meam, & videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.

§. XVIII.

De sola Christi mortis coniunctione habent nostra opera, quod diuinas acquirant gratias.

Sto à sententia Patris Vasquez disp. 55. in 1. part. cap. 4. nihil de apparitione diuinæ essentiæ secundum se in iis, & præcedentibus verbis suspicaritis. Plane omnia verba hæc nihil immensum, & spirituale sonant; vbi enim transitus est, & distinctio inter faciem, & posteriora, & manus obtegens speluncæ ostium; certius indicant rem corporalem. Quale absque dubio erat corpus præstantissimum assumptum à Deo, vt gloriam suam Moysi demonstraret. Quod corpus adeo fulgebat à facie, vt fulgoris magnitudine, & vehementia sensus humanos labefactaret; à tergo autem emittebat radios magis temperatos hominis captui. Huius corporis gloria nube operta admittebat Moysem ad Dei colloquium; quam gloriam Moyses videre appetit nube ablata; negat Dominus videri ex facie, ne Moyses excessu splendoris perdatur, à tergo videndum se ostendet, dum primum Moysea cauerna petræ abscondatur, cuius os à Deo obstructum sit, vsque dum tantisper Deus pertransit, vt inde non ea facie à tergo videatur. Sed cur necessum fuit ad hoc, vt Moyses in foramine petræ sepeliretur? Sanè vt aurea totum hoc gloriosum corpus tectum erat nube, & sic cum Moyse loquebatur, posset etiam à tergo solum detegi, & sic transire coram Moyse existente aperto in campo. Cur ergo quæritur foraminosa petra, in cuiusque includitur foramine Moyses, ibique tegitur, vt videat Dei posteriora, non faciem? Sanè hoc ita fit, vt ostendatur, vnde habeant iusti, quod cœlestes acquirant gratias, nimirum ea foraminosa petra Dominicæ sepulturæ, siue ex foraminosa petra Christi corporis passi: ea eo enim quod nostra opera diuinis vulnerum foraminibus iungantur, & Christo consepeliamur, habemus ad nos profectas cœlestes gratias. Iosue cap. 24. tanti ducis mors *Iosue 24.* dum exprimitur, dicit textus: *Post hæc mortuus est Iosue filius Nun, seruus Domini, centum & decem annorum: sepelieruntque eum in finibus possessionis suæ.* Quæ sic ponit D. Cyrill. Alexand. *D. Cyril.* lib. 4. in Ioann. cap. 51. *Et post hæc mortuus est Iosue filius Nun, seruus Domini centum & decem annorum: sepelieruntque eum in finibus possessionis suæ, & in sepulchro eius posuerunt cultros lapideos, quibus circumcidit filios Israel.* Ecce in ipso Iesu sepulchro conduntur cultri, quibus peracta fuerat Israelitarum circuncisio. Sed ad quid circuncisionis cultri inferuntur sepulchro? Cur tantæ religionis instrumenta non magis pro tabernaculi foribus appenduntur? Sanè sepulchro Iesu inferebantur cultri, vt ostenderetur, vnde proficeret omnis humana virtus, & religio, nimirum ex veri Iesu sepulchro. Ait pulchrè

Cyril.

pulchrè D. Cyrill. supra: *Non enim absque causa culteri eodem cum illo in loco positi sunt, verum vt nos discamus circuncisionis spiritualis gratiam, quæ bonorum cœlestium nobis est pronuba, Saluatoris morti esse affixam.* Equidem quæ virtus nobis cœlestium bonorum pronuba est, saluatoris morti est affixa, nihil enim valerent actus nostri, nisi de Iesu sepulchro reuiuiscerent. Nullus putet se de gloria cœlesti, vel gustum posse percipere, nec vllum ostendere profectum vitæ, nisi de Iesu passione potestatem accipiat. Hinc Lucæ cap. 22. dum in horto Iesus orat: *Factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Cur Domine tui sanguinis profusionem anticipas? Profundendus est cito in caluariæ loco; ad quid necessum est etiam in horto profundi? Profundit in horto, vt clarius ostendat, ex quo habeant viuere plantationes virtutum. Ait D. Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto cap. 18. *Consummaturus Iesus suscepta carnis officia, cum perfectionem in discipulis iam videret, quos verborum suorum radice fundauerat, hortum ingreditur, vt olearum nouellas in domo Domini plantaret, & iustum palmæ florentem more, vitemque fœcundam vino sui sanguinis irrigaret.* Nouit sapientissimus hortulanus nullas palmas iustorum, nullos flores virtutum, nisi de diuini sanguinis rigatione posse exsurgere.

Luc. 22.

D. Ambr.

§. XIX.

Deus in hoc sæculo quam cito se animæ conspectui subtrahit.

QVis neget iustos homines à Deo aliquando visitari? Sed illud vnum scio, quod non diu maneat Deus apud hominem in visitatione sua, dum in hac vita sumus. Venit equidem ad suos, sed adeo festine se subtrahit, vt vix liceat illum videre nisi à tergo, & iam abeuntem. Sic amicissimo Moysi dicit in præsenti: *Cum transibit gloria mea :: : videbis posteriora mea.* Sic festinanter accedit, sic festinanter se subtrahit, vt licet accurras, non videas nisi tergum, non videas nisi abeuntem. Quod forsan experta in se sponsa non satis mirata ingenium sponsi fugitiuum ait Cantic. 1. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes?* Merito quærit, vbi cubet? quando nulla est anima in hoc sæculo, quæ posset dicere, in me cubat, hoc est, in me requiescit diu. Sed vix accedit exoratus, quando & se subtrahit. Accipite D. Bern. pulchrè disserentem serm. 32. in Cant. *Desiderium cordis eius tribuetur iusto, etsi adhuc peregrinanti in corpore. Ex parte tamen, atque ad tempus, & tempus modicum. Nam cum vigiliis, & obsecrationibus, & multo labore quæsitus affuerit, subito dum teneri putatur, elabitur: & rursus lacrymanti, & insectanti occurrens comprehendi patitur, sed minime retineri, dum subito iterum quasi è manibus euolat. Ita ergo & in hoc corpore potest esse de præsentia sponsi frequens lætitia, sed non copia: quia etsi visitatio lætificat, sed molestat vicissitudo.* Quid sapientius? Satis norat sanctissimus pater Dei visitationes, sed & satis norat eius fugas citissimas. Nescit diu morari in hoc sæculo, nescit sedi hærere diutius, sed quamprimum elabitur, vt vix aliud prius videas, quam tergum abeuntis. His simile habes Cant. 5. *Vox dilecti mei pulsantis Aperi mihi soror mea.* Et statim subdit. *Pessulum ostij mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat, atque transierat.* Qui amanter aderat, qui multis pulsauerat, vt aperiretur sibi: vbi aperit sponsa, iam declinauerat, atque transierat, nec posset nisi à tergo videri. Cur hoc? Ait D. Ambros. serm. 12. in Psalm. 118. *Ergo dum aperit, transit sponsus. Vult enim semper quæri, frequentius inueniri.* Nescit diutius quiescere sponsus, sed frequentibus fugis se eripit suorum conspectui. Quo referenda sunt dicta 1. tom. in Euang. lib. 2. cap. 11. §. 1.

Cant. 1.

D. Bern.

Cant. 5.

Ambros.

Exod. 34. Ac deinceps: Præcide, ait, tibi duas tabulas lapideas instar priorum. Esto paratus mane, vt ascendas statim in montem Sinaï, stabisque mecum super verticem montis. Nullus ascendat tecum, nec videatur quispiam per totum montem, boues quoque & oues non pascantur è contra. Excidit ergo duas tabulas lapideas, quales antea fuerant, & de nocte consurgens ascendit in montem, &c.

§. XX.

Gratia amissa proprio labore, & sudore est ab homine reparanda.

PRimas acceperat Moyses tabulas factas Dei opere, vt notat Exod. cap. 32. modo vbi semel confractæ instaurandæ sunt, earum opus mandatur Moysi. Dicit namque: *Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum.* Hebraicè: *Dola tibi, &c.* quippè quod Deus per se in humanis cordibus facit, si per peccatum perdatur, nequit nisi de multo peccatoris labore, sudore reparari. Quo respiciens Caietan. ait: Et dixit Deus, Dola tibi duas tabulas. *Prima siquidem vice, ego tabulas dedi, dolans, & scripsi, tanquam ex me operans, modo autem tuis precibus operaturus, volo, vt doles tu tabulas.* Ne putes reparationis rem in solis precibus consistere; sed & precibus manus adiunge, multo enim sudore, & labore indiget, qui Dei dona amissa in se reparare studet. Nisi tu ipse labores, gratiam amissam minime reparabis. Isai. cap. 6. *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, & in medio polluta labia habentis ego habito: Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur à te iniquitas tua.* Et quidē Isaias, & pro se, & pro populo flenerat, tam sui, quàm populi attēderat maculas in labiis, quas amaris lachrymis rigabat. Cur Seraphim ad Isaiæ solius purificationem venit, & non etiam populum purificauit tantis prophetæ lachrymarum riuis eaundatum? Seraphim mundat solum, quem videt laborantem; quæ enim mūditiea post peccatum est recuperāda, propriis gemitibus & laboribus potest recuperari. Populus autem in sua immunditia mansit, quia ille per se nihil fecerat, nihil laborauerat. Ait D. Hieronym. epist. 1. ad Damasum: *Esaias, qui compunctus est, & se miserum contestatur, purgatione dignus efficitur; populus verò non solum non agens pœnitentiam, sed nec sciens quidem, quia labia habebat immunda, purgationis remedium non meretur.* In quo fuit opus & labor, in eo fuit & mūditiei reparatio; qui nihil egit, nec doluit, nec agnouit maculas, etiamsi pro se haberet prophetæ lachrymas, tamen sordidus permansit. Ex Ionæ cap. 3. habes: *Cœpit Ionas introire ciuitatem itinere vnius diei, & clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, &c.* Sic viri Niniuitæ audientes iram Dei imminentem, nihil petunt à propheta, sed confugiunt ipsi ad opera peragenda pœnitentiæ. Similem iræ sententiam sibi imminere audit Simon Magus ex Apostolis, & plenus metu ait Actor. cap. 8. *Precamini vos pro me ad Dominum, vt nihil veniat super me horum, quæ dixistis.* Compone modo Simonem hunc cum Niniuitis; vterque peccator, vterque imminentem audit pœnam; vterque timet, & curat à se malum propellere. Sed Niniuita incolumis euadit: Simon autem perit. Niniuitæ pœnitentia placauit Deum: Simonis irrita mansit pœnitentia. Vnde illi placent, hic displicet? Sane Niniuitæ audita Dei sententia, nihil à Iona petunt; sed ipsi statim ad ieiunia, ad saccos, & cinerem confugiunt: Simon autem totam rem Apostolorum precationi remittit dicens: *Precamini vos pro me,* & interea nihil facit ipse, nullum laborem pro se sumit; ideò non cauet sui ruinam. Quò spectans D. Chrysostom. homil. 18. in præsenti fatur: *Oportebat illum pœnitentiam agere, oportebat plorare.* Nō equidem res erat aliorum laboris, sed proprij; non erat res ponenda omnino in aliorum prece: sed magis propriis laboribus, propriisque sudoribus negotianda. Mirabilis in hoc Dauid, qui post peccatum videns Nathanum prophetam arguentem, & multa acerba sibi denuntiantem, 2. Reg. cap. 12. in hæc verba sola prorupit: *Peccaui Domino*: nec à propheta petit, vt Deum pro se oraret. Et quis princeps non magis prophetæ preces sollicitaret? Quis princeps peccati conuictus non contentus esset, si à propheta, seu sacerdote, seu religiosa aliqua persona peteret, vt pro se preces funderet? At sapientissimus Dauid in re gratiæ restaurandæ, non aliorum preces, sed magis proprios labores, & dolores spectauit. Ex quo pulchrè D. Ephrem serm. de Pœnit. fatur: *Exauditusque est Dauid, non per sacerdotem, ac legem, sed per pœnitentiam.*

Proprius itaque labor adhibendus est ab illo, qui velit reparare amissam gratiam.

***

Caietan.

Isaias 6.

D. Hier.

Iona 3.

Actor. 8.

Chrysost.

2. Reg. 12.

D. Ephr.

§. XXI.

§. XXI.

Vacuanda est mens temporalium curis, ut Deo impleatur.

QVi se præparabat, vt Deum caperet, ei merito dicitur: *Nullus ascendat tecum, nec videatur quispiam per totum montem, boues quoque & oues non pascantur, &c.* Sunt etenim, qui omnia temporalia habent in corde suo; nec sese Deo sistere possunt, quin & seruos, & amicos, & filios, & oues, & boues, & sata mēte voluant. Deus bone, quam difficile in hos possunt peruenire diuina! Omnium ergo curas abiiciat, nec permittat secū esse creaturam vllam, qui fructuose velit se Deo sistere. Quod monens diuinus spiritus clamat. Cant. 5. *Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea.* Tunc enim anima Deo aperitur, cum clauditur mūdo, & iis, quæ a Deo aliena sunt. Quæ verba pulcherrime ab Amb. tractantur lib. de Isaac c. 6. fante: *Aperi, inquit, mihi, sed extraneis claude, sæculo claude, neque ipsa foras ad illa materialia prodeas, neque tuum relinquas lumen, & alienū requiras. Aperi ipsum te mihi, noli coarctari, sed dilatare, & adimplebo te.* Ecce tibi, vt se prius debeat claudere mundo, & temporalia à se abiicere, vt nihil sibi temporale reseruet, qui Deo impleri cupit. Hinc ipsa de se locuta ait Cant. 5. *Surrexi vt aperirem dilecto meo; manus meæ distillauerunt myrrham.* Non aliter aperit, nisi manibus myrrham distillans, qua se ostendat sæculo defunctam. Vt dicat D. Amb. vbi supra *Talis debet esse anima, quæ Verbum est receptura, vt moriatur mundo, & consepeliatur in Christo. Sic enim Christus inuenitur, & tale sibi quærit hospitium.* Prius vacuetur homo mundiali omni affectu, nulla creaturarum memoria in illo viuat & habet Deum sibi familiarissimum. Felix ille, qui sese omni vacuauit creatura, is sanè non habet impedimentum vllum, ne Deum excipiat, eique appropinquet. Hinc Moyses Exod. 3. prohibetur à Deo accedere ad visionem rubi, quin prius calceos exuat, ait enim: *Ne appropies huc, solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est.* Sed & terra montis, ad quem sacrificaturus Abrahamus perrexerat, terra sancta erat, vt quæ proprio vocabulo dicebatur, *Dominus videbit*, & quæ erat designata futuro templo. Nihilominus non cohibetur Abrahamus illo accedere: quippè de Abrahamo, & filio ait Gen. 22. *Pergebant ergo pariter, & venerunt ad locum, quem ostenderat ei Deus. In quo ædificauit altare, & desuper ligna composuit, &c.* Ecce tibi vt terram diuinæ apparitionis ascendit Abrahamus, nec cohibētur, nec mandatum accipit de nudandis pedibus. Cur ergo cohibetur Moyses ne appropiet, & non cohibetur Abrahamus? Ibat Abrahamus omni nudus affectu carnali, sic à corde suo abiiciens creata omnia, vt nec parceret proprio filio, merito inde non cohibetur, sed admittitur, vt Deo se sistat. Ait Orig. ibi *Moyses cum venisset ad locum quem ostendit ei Deus, non permittitur ascendere, sed ante ei dicitur, solue corrigiam calceamenti de pedibus tuis. Abraham nihil horum dicitur, & Isaac, sed ascendunt, nec calceamenta deponunt. In quo illa fortassis est causa, quod Moyses quamuis esset magnus, tamen de Ægypto veniebat, & erant aliqua mortalitatis vincula pedibus eius annexa. Abraham vero, nihil horum habet, sed venit ad locum, ædificat altare, &c.* Prohibetur à Deo ille, qui secum mortalia quædam, & temporalia ducebat; ille autem qui nec filio parcit, sed omne temporale à suo corde expellit, is maxime aptatur Deo excipiendo.

Exod. 34. Cumque descendisset Dominus per nubem, stetit Moyses cum eo, inuocans nomen Domini. Quo transeunte coram eo, ait, Dominator Domine Deus, misericors, & clemens, patiens & multæ miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, & scelera, atque peccata, nullusque apud te per se innocens est. Qui reddis iniquitatem patrum filiis, ac nepotibus in tertiam, & quartam progeniem.

§. XXII.

Deus per se solus clementior ostenditur, quàm vbi cum creaturis apparet.

ECce tibi Deus apparens Moysi, totus melleus est, minimeque in eius apparitione Moyses terretur. Ait enim textus. *Cum descendisset Dominus per nubem, stetit Moyses cum eo inuocans nomē Domini. Quo transeunte coram eo, ait, Dominator Domine Deus misericors & clemens, & multæ miserationis &c.* Videt Moyses Deum, & non terretur, sed imperterritus stat obstupens eius misericordiam, & clementiam. Isaias autem cap. 6. ait: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & ea, quæ sub ipso erant, replebant templum Seraphim stabant super illud: sex alæ vni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant. Et dixi, Væ mihi, &c.* Compone Moysem, & Isaiam, vtrique apparet Deus, Moyses in illa apparitione imperterritus multus est in Dei misericordia extollenda, Isaias autem totus tremens in fletus abiit, & lamenta. Cur non timet Moyses? Cur Isaias metuit? Videt Moyses Deum solum nulla stipatum creatura, & totum experitur suauem, & melleum. Videt Isaias Deum hinc inde Seraphinis cinctum, & à Deo viso coniunctim cū creaturis terretur. Qui enim Deus per se solū suauitate manat, vbi creaturis adiungitur, terrores incutit, & metus. Mar. c. 9. post transfigurationē Dominicā coram discipulis enarratam ait: *Et apparuerunt illis Elias cum Moyse, & erant loquentes cum Iesu. Et respondens Petrus ait Iesu, Rabbi, bonum est nos hic esse: faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, & Moysi vnum, & Eliæ vnum. Non enim sciebat, quid diceret, erant enim timore exterriti.* Loquebatur Petrus videns Iesum in gloria, & loquebatur nesciens, quid diceret præ timore, quo & ipsi, & cæteri discipuli erant exterriti. Sed vnde in tanta Iesu gloria terrebantur? Cur non magis gaudent, quàm terrentur filium Dei in gloria sua agnoscentes? Videbant equidem filium Dei in gloria, quo possent gaudere; sed videbant illum cum sibi adiunctis Moyse, & Elia, & inde maximè terrētur. Ait Damasc. serm. de Transfig. *Discipuli maiore terrore obsessi sunt, Iesum saluatorem, ac dominum cum Moyse, & Elia intra nubem cōspicientes.* Vbi talibus lateronibus stipatus apparet Iesus; vbi suis circumseptus creaturis se manifestat, multo terrore discipuli videntes obsidentur. Qui enim solus melleus est, de adiunctis creaturis fit tremendus. Actor. 7. dum beatus Stephanus coram iniquo esset Iudice *intendens in cælū vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei. Et ait: Ecce video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei.* Sic fortissimus athleta suauitabatur visione Dei. At Iacob Genes. 28. *Vidit in somnis scalā stantem super terrā, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eā, & Dominū innixū scalæ. Cumque euigilasset Iacob de somno, ait: Vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Pauensque Quam terribilis est locus iste, &c.* Vterque Deum videt Iacob, & Stephanus, hic nil terroris concipit viso Deo, ille vehementissimè terretur. Et quando Stephanus non timet, sed magis confortatur; cur Iacob tanto timore tenetur? Stephanus solum dicitur vidisse Iesum, vidisse Deum; Iacob & Deum & Angelos simul videbat, & sic quasi totum iudicij apparatum vidisset, vehementer timebat. Quò forsan spectans Caiet. ait: *Timuit Iacob dominum iudicem, quemadmodum consueuimus timere nostros præsentes principes sapientes, ne aliquid sibi displicens appareat in nobis. Sic enim Iacob timuit considerando se ipsum relatiuè ad præsentiam Dei, & frequentiam Angelorum, ne imputarentur sibi defectus sui.* Expende illud: *ad præsentiam Dei & frequentiam Angelorum*; non equidem solius Dei conspectus sic perterrefacere solet homines, vt quando Deus cum creaturis videtur, stipatus Angelis suis, ministris suis septus. De terribili illa iudicij hora locutus Matth. cap. 24. ait: *Videbunt filium hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute multa, & maiestate. Et mittet Angelos suos cum tuba, &c.* Sic cœlorum virtutibus stipatus Iesus in iudicium descendet. Actor. cap. 1. immediatè post Iesu ascensionem, qui astiterunt Apostolis Angeli, dicebant: *Hic Iesus qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.* Non dicunt quod veniet cum virtutibus cœli, quod veniet Angelicis choris stipatus cum tubis, & clamoribus; sed quod veniet sic, vt ascendit; at in ascensione nihil illorum apparebat, solus Iesus ascendens cernebatur. Cur ergo sic dicitur venturus, & non magis dicitur quod veniet cum virtutibus, & ministris multis, in nubibus exaltatus? Terrorem inferre cauet, qui à Deo de adiunctis creaturis solet procedere. Ex quo ait D. Augustinus serm. 7. de Ascens. *Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum, Non veniet vobis terribilis. Sic veniet in ipso corpore, vobis in amore, impiis in terrore. Beati, quibus dicitur, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Nunquid sic veniet oculis peccatorum? Erit ipsa veritas, sed non erit ipsa suauitas. Dies erit tremendi iudicij, descensus Angelorum, resurrectio mortuorum. Descendent*

Angeli, & quodam digito tuba sonantis tangent sepulchra terra tremenis. Sic vt terrorem auferat discipulis, coram illis non meminit comitatus venientis, solus vt visus fuit ascendere, solus descendet, hoc est, non terribilis, non formidabilis prius: descendet & cum Angelis, vt inde prodeat ad impios terror. Solet equidem de adiunctis creaturis feueritas, & rigor à Deo in peccatores procedere. Hinc bonus pater Luc. 15. suscipiens filium peccatorem, cauit ministrorum conspectum, & præsentiam: *Dixit autem pater ad seruos suos, cito proferte stolam primam, & induite.* Ecce vt ablegat seruos, vt afferant vestes, maluit enim solus adesse excipiendo. Ait Chrysol. serm. 3. *A seruis ante vestiri voluit, quàm videri, vt soli patri nota esset nuditas.* Vix enim solus Deus non salutaris est homini, de adiunctis enim seruis procedere solet feueritas. Hinc Theodot. hom. 1. de Natiuit Christi, habita tom. 6. Concil. Ephes. c. 9. ponderans Iesu ad nos venientis nuditatem, & solitudinem, ait: *Accedit non in maiestate herili, non Angelorum satellitia premittens, non Archangelorum phalangis cinctus, eiusmodi enim apparatus exterritos in fugam vertissent.* Vide, vt abstinet Deus à comitatu creaturarum, ne perterrefaciat adeuntes.

Luc. 15.

Chrysol.

Theod.

§. XXIII.

Deus in nullo vniuoce communi creaturis percipi potest.

Miraris tot diuina nomina conglomerata, quando Deus sua posteriora iuxta factam promissionē ostendit Moysi: nimirū ait: *Dominator Domine Deus, misericors, & clemens, patiens, & multa miserationis, ac verax, qui custodis misericordiā. &c.* Cur tot nomina sibi affingit Dominus? Cur nō magis in vno, eoque breui vocabolo suam substātiam prodit? Sane vbi nomina compingenda erant ex Dei posterioribus, nimirum ex relatione ad creaturas, multa compinguntur: vt ostendatur, quàm infinite distet diuina substātia à creaturis omnibus, in quibus nihil potest diuinitas habere commune. Ex quo pulchre aiebat Arnob. lib. 3. contra gentes: *Tantum abest, vt nos Deo corporalia lineamenta tribuamus, vt animorum etiam decora, ipsasque virtutes, quibus eminere vix concessum est paucis, tanta rei vereamur adscribere. Quis enim Deum dixerit fortem, constantem, frugi, sapientem? Quis probum? Quis sobrium? Humanis sunt hæc bona, & ex oppositione vitiorum existimationem meruerunt habere laudabilem. Quis est autem tam obtusi pectoris, tam bruti, qui humanis bonis Deum esse dicat magnum, aut ideo nominis maiestate præcellere, quod vitiorum careat fœditate? Quidquid de Deo dixeris, quidquid tacita mentis cogitatione conceperis, in humanum transilit, & corrumpitur sensum, nec habet propria significationis notam, quod nostris dicitur verbis, atque ad negotia humana compositis. Vnus est hominis intellectus de Dei natura certissimus, si scias, & sentias nihil de illo posse mortalis oratione depromi.* Hoc vsque Arnob. sapientissime definit, quam longe superet diuinitas omnia ea nomina, quæ ex creaturarum cōflantur negotiis. Non equidē diuinæ magnitudinis esse potest, quod dicatur Deus esse id, quo dicimur homines. Hinc Gratiani Augusti fidem maxime extollens D. Ambros. lib. 5. epist. 26. ait: *Ego humilitatem tantummodo prædico in Imperatore, non nō amplius fidē, quam docet te ille, quem non negas? Quis enim alius docere te potuit, vt ei non obiicias, quam in te vides creaturam? Nil moralius, nil expressius dici potuit. Deinde, quid tam insolens, quam id eum existimare, quod nos sumus?* Equidem insolentiæ res est, & blasphemiæ, si existimaremus Deum esse id, quod nos sumus. Sufficit enim videre aliquid affine esse creaturis, vt debeamus sentire Deū infinite distare ab illo. Dicebat illa Cant. 3. *Surgam, & circuibo ciuitatem, per vicos, & plateas quæram quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni.* Ecce & potissima, & dilectissima sponsa quærit Deum, & minime illum inuenit. Sed cur non inuenit, nisi quia quærebat eum in nominibus, quæ sunt assinia creaturis? Aiunt tres Patres apud Theodor. *Exiuit ab interiori cogitatione ad sensum per naturalem contemplationem, vt inueniret sponsum, atque ita quæsiuit eū, & non inuenit. In rebus enim creatis, qui increatus est, non inuenitur. Vocaui illum, & non respondit. Eum, qui est, appellaui illum, cum ea quæ sunt, nutueris omnibus antecellat. Appellaui substantiam eum, qui est supersubstantialis. Appellaui illum vitam, qui author est vitæ, & rerum effector vniuersarum. Non respondit mihi, cum ea vocaretur, quæ ipse per essentiam, & naturam suam non est.* Supra creaturas omnes volitet, nihilque illarum cogitet, quisquis ad Dei naturam cogitandam accedere putat.

Arnob.

Ambr.

Cant. 3.

Theod.

Exod. 34. Festinusque Moyses incuruatus est pronus in terram, & adorans ait: Si inueni gratiam in conspectu tuo Domine, obsecro, vt egrediaris nobiscum, populus enim duræ ceruicis est, & vt auferas iniquitates nostras, atque peccata, nosque possideas. Respondit Dominus: Ego inibo pactum videntibus cunctis, signa faciam, quæ nunquam visa sunt super terram, &c.

§. XXIV.

Purus ab omni mundiali macula fiat, qui amat à Deo possideri.

Pulchro ordine Moyses procedit in suis precibus, primo enim petit omnes mundiales maculas à suis abstergi, deinde, vt à Deo possideantur petit. Sic ait: *Vt auferas iniquitates nostras, atque peccata, nosque possideas.* Ille enim poterit gloriari, quod sit Dei, qui purus est ab omni mundiali affectu, & defectu. Aiebat Dauid Psalm. 118. *Tuus sum ego, saluum me fac; quoniam iustificationes tuas exquisiui.* Merito inde se ad Dei possessionem asserit pertinere, quia totum se Dei iustificationibus quærendis dedit; quia à nullo mundiali non sese expedit. Quo spectans D. Ambr. ser. 12. in Psal. 118. ait: *Tuus sum ego. Facilis vox, & communis videtur, sed paucorum est. Satis rarus est enim, qui possit dicere Deo: Tuus sum ego. Ille enim dicit, qui adhæret Deo totis sensibus, qui aliud cogitare non nouit. Ille hac vtitur voce, qui potest dicere Domino. Ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Nunquid hac voce vtitur auidus pecuniæ, honoris, potestatis? Qua ratione dixit, Tuus sum, addidit, iustificationes tuas exquisiui, hoc est, nihil aliorum quæsiui, sed id solum, quod tuum est, desideraui.* Ecce vt se ab omni mundiali expurgat, qui amat Dei esse peculium, eo ipso quod Dei possessio sis, sub nullius debes esse dominatu creaturæ. Nec peccatum, nec mundus regnet in corpore tuo, & tunc poteris dicere, quod Deus te possideat, eiusque peculium sis. Aiebat sponsa Cant. 6. *Dilectus meus mihi, & ego illi,* ex Græco autem: *Meus est cognatus meus, & ipsius ego sum.* Quantum hoc, quod se dicat diuina sponsa ad Dei possessionem pertinere? Plane in hoc solum summam illius perfectionem, & perfectam puritatē agnoscit D. Nyss. homil. 15. in Cant. fatus: *Cum ait. Meus est cognatus meus, & ipsius ego sum. hæc sunt norma, ac finitio quodā omnis in virtute perfectionis. Nā ex iis discimus, nihil in nobis esse præter Deum debere, neque animā purificata vllā ad eā aliam respiciendum esse sed debere hāc ita se ab omnibus crassis tam rebus, quam cogitationibus expurgari, vt tota translata prorsus ad statum, qui omnium crassarum rerum expers est, illustrissimum ex se pulchritudinis principis simulachrū efficiat.* Huc spectet, qui amat possessio Dei fieri, & prius in se absumat, quidquid dominatū creaturarum efficit; vt ab omni mundiali purus, solum in se ostētet Dei dominium, & regnum. Hinc Gen. 12. dicebat Dominus ad Abraham: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, &c.* Sanè non sic Dauidi, nec aliis sanctissimis viris, & prophetis veteris testamenti iussit Deus omnibus mundialibus renunciare, vt iussit Abrahæ. Cui alij dixit: *Egredere de terra tua?* Sed cur præ omnibus aliis sic volebat Abrahamum purum ab omni populari contagio, liberum ab omni periculo erroris, expertem omnis affectus carnalis? Aut quid Abrahamus habebat apud Deū præ cæteris, vt præ cæteris deberet esse purior, & defæcatior? Hoc præcipuum inuenio in Abrahamo, quod futurus esset pater Leuitarū, qui ad Dei possessionem pertinebāt iuxta id Num. 3. *Ego tuli Leuitas à filiis Israel pro omni primogenito, qui aperiat vuluam in filiis Israel, eruntque Leuitæ mei.* Inde ergo fuit, quod Abrahā, qui in lumbis continebat tot Dei possessiones, quot Leuitas, fieret præ cæteris omni mundiali contagio defæcatior, ac purior. Ait D. Ambr. lib. de fuga sæculi cap. 2. *Quia Leuitæ fugitantes sunt mundi, vt placeant Deo, relinquunt parentes, filios, omnem cognationem, vt adhæreant vni Deo. Denique & Abrahæ dictum est: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. Sed forte dicas, Leuita non erat. Sed habebat in lumbis suis Leui.* Sic se ab omni mondiali expediant, qui cum Leuitis ad Dei peculium amant pertinere, Deique possessiones fieri.

Psal. 118.

Ambr.

Cant. 6.

Nyss.

Gen. 12.

Num. 3.

Ambr.

§. XXV.

§. XXV.

Humilitas efficaciam orationi præbet.

ECce tibi quam facilem se præbet Deus Moysi: vix Moyses orauit & ait Deus: *Ego inibo pactum, &c.* Cur sic te humanum Domine rebellibus præbes? Vel vnde adeo efficax fuit oratio Moysis coram Deo? Textus ait, *Festinus Moyses incuruatus est pronus in terram, & adorans ait, &c.* Vbi tanta humilitate, & abiectione sui orabat Moyses, non miror, quod efficaciter ad se Deum traheret. Dat enim semper humilitas orationi efficaciam non paruam. Compone modo duos oratores caratissimos apud Deum, Centurionem Matth. 8. & Chananæam Matth. 15. ille pro filio, seu seruo paralytico orabat, hæc pro filia à dæmonio vexata. Ille vix orat, & audit: *Ego veniam & curabo eum*; hæc multum orat, & nihil fauorabile audit, sed post multa dicitur illi: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Cur, qui ita propere Centurioni annuit, hanc tam vigorosè repellit? Cur magis fœminam distulit? Sane expectabat Dominus, vt fœmina orationi humilitatis verba coniungeret, sese vilissimo cani assimilans, cum enim ad hæc verba humilitatis peruenit, non amplius Deus se in austeritate continuit. Accipite D. Basil. Sel. orat. 19. fantem: *Quid ergo, dic mihi Domine, nō parum animi promptitudinem in te accepta est Chananæa filia, etsi per matrem deprecaretur? At illa rogans sanum locum, numeròque est; centurio prope ante supplicationem curationem reportat: herus pro famulo rogans exorator fuit, mater pro filia rogitans tulit repulsam. Sed ô sapientia fons! ideirco Chananææ supplicanti moras inserit, quò illa dilationis impatiens acclamaret. Domine & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum. Centurio verò dixerat: Domine non sum dignus, &c.* Ibi citior Dei largitor fuit, vbi manifestior apparuit rogātis humilitas: differebatur mulieri exhibenda gratia, vsque dum illa ad canis vilitatem se deiiceret. Cum primum humilitatis verba protulit, & sese vili cani assimilans Domino adblanditur, statim reportat petitionis fructus. Hoc datum est mandatum Niniuitis pene desperatis Ionæ c. 3. *Operiantur saccis homines, & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine.* Vilitates indumenti prius præcipit, vt sub vilibus saccis se peccatores deiiciant & humilient, & statim iubet clamare in fortitudine, ex humiliati enim ore validissima semper oratio prosilit. Rem in iis exprimit Victor Carten. lib. de Pœn. c. 6. *Vnus audiebatur per mœnia Niniue vlulatus disparium naturarum, & per omnia tecta vrbis flebilia resonabant lamenta plangentium. Impletum est, quod scriptum est: Oratio humiliantis se nubes penetrabit. Denique sic placauit offensum Deum, sic mitem fecit, sic demulsit iratum.* Nulla non tollitur ex Deo seueritas, vbi adest humilitas orantis. Propone tibi Deum plenum iræ aduersus perfidum Achabum, illi extremam ruinam iubet denunciari. Perterritus miser irę denunciatione in cinere, & sacco sese ad diuinos deiicit pedes. Et Deus statim 3 Reg 21. *Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius.* Quid hac humilitate efficacius? Pulchrè Victor Cartennensis vbi suprà c. 5. *Depromptum indignatione iudicium satisfactione percellitur, & comminantis intentio orationis humillima verecundia temperatur.* Nequit manere indignatio, cum accedit humilis oratio.

Matt. 8.
Matth. 15.
Basil. Sel.
Iona 3.
Vict. Cart.
3. Reg. 21.
Vict. Cart.

Exod. 34. Fuit ergo ibi cum Domino Moyses quadraginta dies, & quadraginta noctes. Panem non comedit, & aquam non bibit, & scripsit in tabulis verba fœderis decē. Cumque descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas lapideas testimonij, & ignorabat, quod cornuta esset facies sua ex cōsortio sermonis Domini. Videntes autem Aaron, & filij Israel cornutam Moysi faciem, timuerunt prope accedere.

§. XXVI.

Dei remuneratoris præsentia hominem trahit in faciniora viribus maiora.

MAgna, & supra vires fuerunt ieiunia Moysis, quadraginta enim diebus, & noctibus sic ieiunauit, vt nihil comederit. Sed erat interea sub oculis, & præsentia Dei remuneratoris, de quo nō miror, quod in facinora impelleretur viribus maiora. Sic enim ait: *Fuit ergo ibi cum Domino Moyses quadraginta dies, & quadraginta noctes. Panē non comedit, & aquam non bibit, &c.* Ecce tibi vt erat sub Dei præsentia, sub Dei oculis, ea ieiunia amplectitur, quæ erant naturæ viribus maiora, nō comedit enim, neque bibit quadraginta dies, & totidem noctes. Quid non audeat homo sub præsentia remuneratoris? Egesip. lib. 5. c. 12. sic loquitur: *Romanos Titus pudore sui, quam maxime commouebat: quod morte grauius arbitrantur nō exhibere pericula sua Cæsari, cum ipse toties pro exercitu periculis afferre se non dubitasset. Armabat eos vincendi consuetudo, & cedendi ignorantia, præcipuèque præsens vniuscuiusque virtutis arbiter Titus, à quo non remuneratio fortitudinis spectabatur, sed supra omnia fructum amplissimi erat præmij ille spectanti, quicquam strenue gessisse, quod ei non displiceret. Eo incentiuo Longinus equestris militiæ vir exercitu dissiluit equo, atque in medios se iniecit hostes.* Expende ab illis: *Præsens vniuscuiusque virtutis arbiter Titus, &c.* Quippè sic de præsentia, & conspectu principis temporalis confirmabantur milites, vt vel vnus aduersus exercitus hostiles omnes auderet pugnare. Et quando oculi, & præsentia temporalis principis hæc in militibus operabantur, quid non faciat præsentia & conspectus principis immortalis? Sub huius præsentia fallat, nisi viribus superiora facinora audeamus. Cant. 5. rogata spōsa, vt aperiret ostium dilecto suo, ait: *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illam? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Dilectus meus misit manum per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius. Surrexi, vt aperirem dilecto meo, &c.* Quæ tot obices opposuerat, quibus impedita nō poterat dilecto aperire; subito ruptis obicibus surgit, & aperit dilecto suo. Quomodo potuisti surgere, quæ nuda sine tunica iacebas? Quomodo ausa es venire, quæ pedes abloeras? Sanè præsentia sponsi omnia vicit, & vt præsentem sensit dilectum, audet etiam supra virtutem. D. Ambr. lib. de Isaac, c. 6. *Surrexit, vt illud Dei verbū videret. Et in hoc ipso processus eius significatur, quod surrexit per vigorē, atque virtutē. Præsentia enim Verbi hausit anima virtutem, sicut præsentia Mariæ, cū vtero grauis esset, erudiuit Ioannē in vtero constitutū, adeò vt exiliret in vtero, & exultaret Domini præsentiā recognoscēs.* Sic de Dei præsentia haurit homo virtutē, qua supra humanas vires possit audere. Qui enim in matris vtero constitutus non poterat moueri per se, vt creatoris sensit præsentiam, in eius oculis ausus est vsque ad exultationē progredi. Nō suam, sed potentiam Dei reducit ad sensum creatura, quæ sub Dei oculis ad opus accēditur. Hinc 3. Reg. 17. Elias ait: *Viuit Dominus, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros, & pluuia nisi iuxta oris mei verba.* Homo audet pluuiis legē ponere, & quod solius potētiæ diuinæ est submittere proprio imperio. Vnde talia audet Elias? Ipse præmiserat dicens: *Viuit Dominus, in cuius conspectu sto*, ex quo sensit se præsentissimum esse Deo, sub eiusque intuitu procedere, non veretur rem diuinæ potentiæ in mediū proferre Dicit enim Raban. in Glossa: *In conspectu Domini stat iustus modò, & stabit in futuro, modò vt conditoris potentiam ad sensum reducat, in futuro, vt veraciter vitæ coronam accipiat.* Expende illud, *vt conditoris potentiam ad sensum reducat*; quippe sub diuinitatis oculis, & præsentia iustus ea audet, quibus spectabilē faciat potentiam diuinā. Non enim quod ipse potest, sed quod potest Deus, in se ostendit, quisquis diuina præsentia fruitur. Hinc de meticulosis Israelitis locutus Moyses Exod. 19. tādem inquit: *Cumque eduxisset eos Moyses in occursum Dei de loco castrorum, steterunt ad radices montis. Totus autē mons Sinai fumabat, eo quod descendisset Dominus, &c.* Ecce tibi, qui pauefacti etiam à longe vix spectabant montem, modò accedunt vsque ad eius radices. Vnde hoc? Ait D. Cyril. Alex. lib. 3. in Ioan. c. 3. *Assistentia populi sub monte, cum enim Deus descendisset, & esset in eo, paratum mentis studium ad seruiendum Deo suo ostendit. Difficiliora enim tolerari solent, quam natura ferre posset, cum Deus adsit.* Nec miror, quod sub præsentia Dei, supra vires audeant homines.

Egesip.
Cant. 5.
Ambr.
3. Reg. 17.
Raban
Exod. c. 19.
Cyr. Alex.

§. XXVII.

Præ studio diuini Verbi excipiendi contemnitur corporalis cibus.

DVo inuenies in Moyse coniuncta, & quod à cibis abstinuit, & quod verba Dei in tabulis scripsit: quippè ait: *Panē nō comedit, & aquā nō bibit, & scripsit in tabulis verba fœderū decē.* Nec miror, quod qui intētus erat scribēdis verbis diuinis, obliuisceretur materialis cibi. Contēnitur enim in primis cibi voluptas ab iis, qui diuini Verbi substantiā gustant.

Dum diabolus afferret lapides Iesu, vt faceret panes ea illis, respondet Dominus Matth. 4. *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei.* Ecce verbum Dei obiecit Dominus tentatori pro pane humani futurum, & cur non magis diuinam potentiam obiecit, qua fames poterat non sentiri? Cur potentia prætermissa ad verbum Dei recurrit? Plane ad verbum Dei recurrit, vt quod regulariter ciborum materialium obliuionē induceret. Ait D. Ambr. lib. 3. in Luc. c. 4. *Non enim quasi Deus vtitur potestate, sed quasi homo commune sibi arcessit auxilium, vt diuina pabulo lectionis intentum famē corporis negligat, alimentū verbi cælestis acquirat. Huic intentus Moyses panem non desiderauit. Huic intentus Elias famē prolixioris non sensit ieiunij. Non enim potest, qui verbum sequitur, panem desiderare terrenum, cum substantiam panis cælestis acceptat.* Tota terreni cibi deficit gula, vbi diuini verbi quis incendit studio. Quid mirum, quod deficiat gula, omnes delectationes carnales desipiunt illis, qui diuinorū verborum prægustant succum.

Cant. 1. Dicebat veraciter illa Cant. 1. *Meliora sunt vbera tua vino.* Vocat sponsi vbera diuinas scripturas, quarū suauitate, & dulcedine sic vincuntur pretiosissima quæque vina, sic superantur mundiales omnes deliciæ, vt contēptui haberi incipiant.

Phil. Carp. Rem eleganter elucidat Phil. Carpat ibi: *Duo vbera, duo testamenta intellige, à quibus lactatur Ecclesia filij lingua, atque mente, corde, & ore, ex iis enim verba veritatis exsuguntur, qua ad vitam perfectam, alatemque augētur. Horum potio super vinū, & liquores omnes, non enim in terra scaturit, sed ex cælo deriuatur. Has potestas salutaris inest, qui diuinis rebus intenti ita mente, ac lingua sacras literas sugunt, vtque in ventrem, sic in cor exsucta conscientia. Vt enim duo vbera hinc inde pectori affixa cor ambiunt, ita & duo testamenta in Spiritu sancto spiritualem nobis potionem diuini lactis instar effundunt, nosque super delectationes omnes humanas lætificant, ac tuentur.* Quid pulchrius? Sanè, qui sacrarum Scripturarum dulcedinem exsugit, nihil æstimat cęteras delectationes carnalis vitę, quā facile valedicit, & vino, & conuiuiis.

D. Ephr. Ex quo monebat D. Ephrem serm. de compunct. & salut. animæ: *Caue igitur, ne tuam à gula animam interimi permiseris: sed nutri, ac foue illam in verbis diuinis, in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, in lectionibus sacrarum Scripturarum. Hæc, & iis similia nutrimentum sunt vitæ spiritualis.* Sic sanctus vir proponit lectionem sacræ Scripturæ pro armis ad coercendam gulam.

§. XXVIII.

In solo Iesu veritas gloriæ, in aliis pictura.

DEscendit Moyses à Deo, splendenti facie decorus, & gloriosus; quo spectant illa verba: *Quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini.* Septuag. *Gloriosus effectus esset aspectus coloris faciei sua.* Chaldæus: *Multus esset splendor gloriæ vultus eius.* Sic totus Moysi splendor in facie sola erat. Iesus autem dum in Thabor transfiguratur, non solum in facie, sed toto ex corpore refulget, ait namque

Matt. 17. Matt. 17. *Resplenduit facies eius sicut Sol, vestimenta autē eius facta sunt alba sicut nix.* Non solū à facie, sed à vestimentis, sed à toto corpore splendet Iesus. Et cur in Iesu splendor à toto corpore fit, in Moyse solum a facie? Vt ostendatur in Iesu gloria esse veritas, in Moyse autē sola pictura; suspecta enim est fictionis, quæ sola à facie splendet pulchritudo.

D. Ephr. Ait D. Ephrem serm. de Transfig. *Non enim sicut Moyses decorus fuit extrinsecus. Sed tanquam Deus fulgebat in gloria. Moyses enim faciei eius apparitione vnctus fuit decore. Iesus autem toto suo corpore tanquam Sol fuit, eadem resplenduit gloria sua diuinitatis.* Expēde illud de Moyse dictum, *vnctus fuit decore:* quando enim sola è facie fulgebat, non tam veritatem pulchritudinis, quam cerussę vnctionem sapiebat. Quæ deformes sunt fœminæ, cerussis faciem inungunt, vt de vnguenti beneficio splendorem emendicent; qui splendor in illis non verus, sed pictus est, hoc est, non à veritate naturæ, sed ab vnguenti pictura proficiscitur. Sic Moyses, sic vniuersæ creaturæ non à veritate, sed a pictura splendent.

Ezech. 23. Hinc Ezech. c. 23. de Odolla locutus ait: *Cumque vidisset viros depictos in pariete, imagines Chaldæorū expressas coloribus, & accinctos balteis renes, & tiaras tinctas in capitibus eorum, formam ducum omnium, similitudinem filiorum Babylonis, terraque Chaldæorum, in qua orti sunt, insaniuit super eos concupiscentia oculorum suorum.* Videt solas picturas, & picturas concupiscit, nihilque aliud amabile in eis ostenditur, quod non sit in pariete pictum.

Cant. 5. Longè aliter de suo dilecto dicebat Dei amatrix. Cant. 5. *Caput eius aurum optimum. Comæ eius sicut elata palmarum:: Oculi eius sicut columbæ: Genæ illius sicut areola aromatum:: Labia eius lilia:: Manus illius tornatiles aureæ:: Crura illius columnæ marmoreæ:: Species illius, vt Libani, electus vt cedri: Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis.* Post singularum partium perfectiones enumeratas, ponderatas, illud tandem definit, quod totus desiderabilis sit. Expende quam alia inueniat Odolla in dilectis suis; & quā alia inueniat sponsa Christi in suo dilecto. Illa præter picturas nihil aliud inuenit; hæc inuenit solidissimas perfectionū veritates, quibus se Christus super omnes creaturas amabiles exaltat.

Rupert. Ait pulchre Rupert. lib. 5. in Cant. *Quomodo potuit sermo descripsit Iesum amabilē, dilectum, desiderabilem. Non talis pictura hæc, qualem respexit illa Odolla, de qua scriptum est. Cum vidisset viros depictos in pariete, imagines Chaldæorum expressas coloribus, &c. Non, inquam, talis pictura hæc, verumtamen æmulamini meliora visum illum, sicut illa exhibuit oculos suos videre viros depictos in pariete, imagines Chaldæorum expressas coloribus; ita nunc exhibete oculos vestros videre dilectum, videre caput aureum eius, oculos nitentes, verecundas genas, gratiosa labia, tornatiles manus. De omnibus rectum iudicium iudicate, videlicet, quod maior sit Moyse. Nolite iudicare secundum faciem. Nam illi quidem locutus est Deus, & facies eius splenduit, sed non caput aureum, non manus tornatiles, & aureas habuit, &c.* Si sola faciem iudices, multa inuenies in creaturis splendida, sed quæ non excedant splendorem picturarum: solus namque Iesus non solum secundum faciem, sed omni ea parte est desiderabilis. Odolla, nempe terrena Ierusalem, anima carnalis nihil in suis dilectis inuenit præter picturas, præter varias colorum varietates; at spiritualis mens in dilecto suo Iesu, & aureum caput, & aureas manus, & marmorea crura, & quidquid est vere pretiosum, & pulchrum habet.

Exod. 34. Et postquam locutus est ad eos, venerunt ad eum etiam omnes filij Israel. Quibus præcepit cuncta, quæ audierat à Domino in monte Sinai. Impletisque sermonibus posuit velamen super faciem suam, &c.

§. XXIX.

Auaritia obcæcat homines, ne diuina percipiant.

TAntus erat splendor Moysi ortus à Dei colloquio, vt nisi velaret ipse faciem, minime ab Israelitis videri posset; idem dicit textus, quod *posuit velamen super faciem suam.* Et vndè tam delicati Israelitarum oculi, qui splendentem Moysi faciem sine velamine intueri non possent? Radicem attigit

Rupert. Rupert. in præsenti, fatus: *Illi propter aureum blasphemiarum suarum vitulum oculos perdiderunt, & claritatem veritatis sustinere non possunt.* Ea quo ad aurum affectu, auri adorationem exhibent, sic excæcantur, vt nihil cœleste, nihil diuinum, nihil spirituale possint videre. Habet hoc in primis auri cupiditas, vt humanos oculos perdat, ne videant cœlestia.

Luc. 9. Aiebat Dominus ad discipulos suos, Luc. cap. 9. *Dico autem vobis, verè sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei.* Ecce promittit, quod aliqui de circumstantibus visuri sunt regnum Dei, nimirum gloriam transfigurationis in Thabor. Sed cur non omnes eam videant gloriam? Etiam omnes pauci erant, quando non excedebant numerum duodecim; cur ergo non assumuntur omnes, vt videant gloriam Saluatoris? Erat inter illos Iudas, qui auri cupiditate affectus non habebat oculos, vt aliquid cœleste, aut diuinum intueri posset.

Damas. Ait D. Damas. serm. de Transfigur. *Quidnam causæ est, quamobrem quidam duntaxat, ac non omnes parem gratiam consecuti sint? An non omnes discipuli, & Apostoli? An non omnes simul, atque vocati sunt, æque secuti sunt? Cur igitur non omnes etiam hoc quoque prospectum omnem superāte spectaculo donati sunt? An non Dominus à personarum acceptione alienus est? Omnes quidem discipuli; at non omnes auaritiæ morbo laborantes. Omnes discipuli; at non omnes proditores.* Equidem quando inter illos erat, qui auaritia laborabat, necessarium erat, vt in re visionis non interesset, quia auaritia oculos perdit, ne quid cœleste possint videre.

Num. 24. Sapienter de se aiebat Balaam Magus à rege Balac conductus mercede, vt Dei populum multis maledictis percuteret. Is ergo de se ait Num. 24. *Dixit Balaam filius Beor, dixit homo cuius obturatus est oculus, dixit auditor sermonum Dei, qui visionem Omnipotentis intuitus est.* Difficilia sane verba, quæ contrarietatem videntur includere; dum idē dicitur Omnipotentis

potentis visionem intoitus.& oculos obturatos habuisse. Si Deum videbat, quomodo obturatis oculis erat? Ao quia in somnijs videbat Dei visionem? Sed hoc cómune fuit multis, & fere omnibus prophetis. Quid ergo fuit præcipuum in isto vase, quo se vocet, & obturatum oculis,& perspicacem in Dei intuitu? Sane hoc fuit & rarum, & inauditum in hoc vase,& in nullo alio visum, quod eleuaretur ad Dei visiooes, cum mentis oculos haberet obturatos,& obcæcatos amore regiæ pecuniæ. Equidem ibat miser ad regem Balac, ibat, inquam, mercedis cupiditate sic raptus, sic excæcatus. vt oec vocibus humanis ab asina prolatis animadoerteret periculum itineris. Et nihilominus à Deo eleuatur ad supetnaturalium contuitum, cum obcæcatus esset auaritia, quæ supra somnum, supra tenebras, supra ipsas mortis caligines obscurat homioem, ne diuina percipiat. Vt merito de auaritia dicat D. Chrysost. ser. contra gulam, & alia: *Habendi cupidissima temulentia hominem plane in res huiusmodi impingit, occluditque aures, excæcat oculos, mentem multa caligine obtenebrat.* Meritò ergo vt rem nouam, & minimè alias visam, proponit Balaam rem secum actam: oimirum quod cum fuerit non somno pressus, sed auaritia obcæcatus, quæ omnes caligines superat, nihilominus per Dei potentiam tractua sit, vt diuinas reuelationes videat. Quando auari omnes magis ad tenebras pertineant; vt dicat Sophon. c. 1. *Perierunt omnes inuoluti argento.* Expende illud, *inuoluti*, est enim argentum inuolucrum quoddam, seu velum, quod prorsus obtenebrat suos asseclas, ne possint cœlestia videre.

Chrysost.

Sophon.

CAPVT XIX.

Aduentus Iethro.

Textus Historiæ.

MOrsi fama pulsatus Iethro princeps Madian adornat iter. vt generum inuisat, illique & coniugem reducat, & filios, gratissimos parenti futuros. Occurrit accedenti Moyses multis stipatus Israelitarum nobilibus: quem socer videos rotus adstupet primo, deinde in Dei tot mirabilium effectoris laudes prorumpit. Multa licet antea de Deo ex Moyse acceperat, nunc in tanti populi libertate, in Ægyptiorum periculis, in victoria de Amalecitis, in cœlesti pane, in fonte de petra, in alijsque mirabilibus auditis, perspicuæ diuinitatis cultui se penitus addicit. Opimas insuper addidit Iethro Deo victimas, quarum finis regalibus epulis exhibuit initium. Fecit enim Moyses cóuiuium socero, & coniugi, & filijs, indicium reuirescentis necessitudinis: cui Aaron. & omnes proceres Israelitæ assideotes aduentum Iethro sibi præsagiebant auspicatissimum. Nec viros spes delusit: nam mane oouo, dum Moyses sedet, vt congregato populo iura diceret, adest genero Iethro; & miratus tam ingeoté multitudinem ab vnius Moysis ore pendere vel in rebus leuissimis, indignitaté rei, & molestiam inutilem genero suggerit. Deinde consulit, vt præstaotes virtute, & prudentia seligat viros, qui per gradus maiores, & minores distribuoti populares, & forenses quæstiones dirimant, quarum diuiniora, & sublimiora vni Moysi manerent integra. Annuit Moyses consulenti socero: voiuersisque populi causis principes, & tribunos, & centoriones, & quinquagenarios, ac decanos constituit. Nec detrectauit sapientissimus princeps, quæ optima nouerat, executioni mandare consilia hominis alienigenæ. Prosecutus est etiam eum cum potentibus suis post paululum regredientem io regnum suum.

PARS VNICA MORALIS in textus literam.

VIDAMVS cognati consilia probata Moysi in constituenda Republica, quæ vt oobis etiam appareant probabilia, expendenda veniunt morali libra.

Exod. 18. Cumque audisset Iethro sacerdos Madian cognatus Moysi, omnia, quæ fecerat Dominus Moysi, & Israel populo suo, & quod eduxit Dominus Israel de Ægypto, tulit Sephoram vxorem Moysi, quam remiserat, & duos filios eius, quorum vnus vocabatur Gersam, dicente patre: Aduena fui in terra aliena; alter vero Eliezer, Deus enim, ait, patris mei adiutor meus, & eruit me de gladio Pharaonis.

§. I.

Ne improperes, quod improbis adiungar, si improbi ex meo consortio corrigantur.

NOn veretur Spiritus diuinus aduentus hominis ethnici. & eius coosortium cum Moyse narrare; ait enim: *Cum audisset Iethro sacerdos Madian cognatus Moysi, &c.* Erat Iethro idololatra, imò idolorum sacerdos, cuius filiæ se matrimonio Moyses copularat. Cur hoc non magis reticetur in taota gloria Moysi? Nonne ad decus Moysi pertinebat, quod se adiunxisset impijs, quod consortio, imò & conuentu gauderet idololatrarum? Absit, quando enim impij, & idololatræ ea Moysi consortio in Dei cognitionem veniebant, moresque in melius mutabant, quod Moyses illi se adiungeret, non vitio tribuendum erat, sed laudi. Ex quo pulchrè monebat D. Basil. Seleuc. orat 40 Pharisæum oblatrantem Iesu, quod meretricis accessum non refugeret. Aiebat enim ille Luc. cap. 7. *Hic si esset propheta, sciret vtique, qua. & qualis esset mulier, qua tangit eum.* Cui sapienter respondet Basil. supra: *Cur illam Christus susceperit, dicis nempe vt ab improbitate eam absolnat, vt suam clementiam palam faciat. vt discas nullam ægrotationem esse, qua illius bonitatem vincat. Quare neu id solum consideres, quod susceperit, verum etiam illud animaduerte, quomodo mutauerit.* Hoc enim in primis animaduertendum est io præstantibus viris, qui improbis adiunguntur, quanta id improborum mutatiooe, & melioratiooe fiat. Non enim vitio, sed laudi tribuendum est, quod quis se adiungat improbis, illorumque gaudeat consortio; dum ex tali societate improbi probi fiunt. Euolaturus Dominus Iesus ad Patrem dicit latroni, & nequam homini, Luc. cap. 23. *Hodie mecum eris in paradiso.* Quis non horreret in tanti regni iogressu consortium hominis vilissimi, improbissimi? Cur Domine noo magis refugis huius latroois societatem? Quid dicent cœlestes spiritus, dum te videant latroni associatum exire de mundo? Siccine dedecorandus est triumphus tuæ vitæ? Absit: imò inde summum decus Iesu apparebit, si consideremus, non solum, quod sibi associabit latronem, sed quomodo mutauerit illum. Ad hæc D. Chrysostom. serm. in Parasceue apud Gretserum oostrum, lib. 2. de cruce, fol. 445. *In sanctam suam patriam ingressus Iesus latronem secum introducit, non inhonorans paradisum, absit, pedibus latronis, sed hoc magis honorans. Honor enim paradisi est habere talem Dominum tam potentem, & humanum, vt & latronem possit efficere dignum paradisi delicijs. Etenim quando publicanos, & meretrices, in regnum vocabat, non vtique id fecit cum regni sui dedecore, sed potius maiori cum honore. Ostendit enim se eiusmodi esse, qui etiam meretrices, & publicanos tam probatos facere queat, vt digni videantur ea, quæ ibi est gloria, & munere* Qui summam Iesu gloriam amat prospicere; non causetur, quod cum publicanis versetur, cum improbis agat vitam, & sese sceleratis adiungat. Sed illud animaduertat, quantum de illius consortio mutationem scelerati recipiant. Qui autem sic potest dealbare etiam Æthiopes, laudabilis erit etiam in societate improbissimi. Ioannes Baptista turbas fugit, deserti latebras quæsiuit; ne leui saltem maculare vitam famine posset. Iesus autem medius erat in publicanorum cóuiuijs. Cur non magis Iesus Ioannis semitam honorauit, cauens peccatorum hominum consuetudines? Pulchre D. Ambr. lib. 1. io cap. 1. Lucæ, inquit: *Magnus Ioannes, sed seruus Domino. Magnus Iesus, sed Dominus. Ioannes vinum, & siceram non bibit, hic cum publicanis, & peccatoribus manducat, & bibit. Ille abstinentia meritum colligat, cui potentia nulla natura. Christus autē cui naturaliter suppetebat delicta donare, cur eos declinaret, quos abstinentibus poterat*

Basil. Sel.

Luc. 7.

Basil.

Luc. 23.

Chrysost.

Ambros.

prestare meliores? Equidem nunquam non laudabile est cuiquam, quod non declinet ab illis, quos in meliorem facit frugem abire.

§. II.

Parentum benefactoribus plus fidendum, quam propriis.

VIde virtutem, & prudentiam Moysis, in nominando filio, Deum meminit benefactorem patris sui: *Deus enim, ait, Patris mei adiutor meus, &c.* Posset dicere, *Deus meus*, cur maluit dicere, *Deus Patris mei?* Bonus maxime fidebat beneficentiæ diuinæ probatæ iam in parente suo. Quidquid enim parentibus fuit beneficum, & amicum, hoc debet præcipue spectari à filiis. Vnde maxime damnatur ille senior filius Luc. cap. 15. qui de parente querulus aiebat: *Nunquam mihi dedisti hœdum, vt cum amicis meis epularer.* Expende illud, *cum amicis meis*; cauet enim vel meminisse amicos patris sui, quorum nihili æstimat amicitiam. Quare illum sic percutit D. Chrysolog. serm. 4. *Amicos paternos suos esse non computat: hos non amicos, sed extraneos credit à quibus videt in patris gratiam se amari.* Hoc indicium stulti, & deplorati est filij, qui suspectos habet parentibus suis beneficos, & amicos, ab illisque maxime fugit. De Roboamo Salomonis filio dicitur 2. Paralip. cap. 12. *Pugnauerruntque aduersum se Roboam, & Ieroboam cunctis diebus. Et dormiuit Roboam, &c.* Ecce nulla vnquam Roboamo pax fuit, cum esset filius regis pacatissimi. Et vnde miser ad tantam venit miseriam? Rem explicat Iosephus in Glossa adductus: *Cum splendidè principatu, & claritate rerum delectasset imperare, sub multo silentio, & timore regnauit. Mortuus est autem cum vixisset annis quinquaginta & septem, vir superbus, & fatuus, & qui nolens paternis amicis credere, perdiderat principatum.* Meritò fatuus vocatur, qui amicis paternis non credidit, ob quod incidit in tot calamitates. Et cur non fatuus, & stultus sit, qui illis fidem non habet, quorum beneuolentiam videt probatam in parente? Sane prudentes homines ad nullos fidentius recurrunt, quàm ad eos, quos iam nouerunt maioribus suis proficuos. Hinc Theodahadus rex Italiæ apud Cassiodor. 10. Var. 2. scribens Iustiniano Imperatori, inquit: *Vestram gratiam securus expecto, quam præcellentissimam dominam sororem nostram vobis pepigisse cognosco. Neque enim noua est ista dilectio: nam si decessorum nostrorum facta recolatis, agnoscetis quamdam esse necessitudinis legem cum vestro imperio amicitiam Amalos semper habuisse. Qua tanto certior, quanto vetustior: quia facile mutari non potest, quod per longa secula custoditur.* Sic iste, & cæteri homines prudentes ad illos præcipue afficiuntur, quos beneficos iam parentibus suis nouerunt & amicos.

Luc. 15. *Chrysol.* *2. Par. 12.* *Ioseph.* *Cassiod.*

Exod. 18. Venit ergo Iethro cognatus Moysi, & filij eius, & vxor eius ad Moysem in desertum, vbi erat castrametatus iuxta montem Dei. Et mandauit Moysi dicens: Ego Iethro cognatus tuus venio ad te, & vxor tua, & duo filij tui cum ea. Qui egressus in occursum cognati sui adorauit, & osculatus est eum: salutaruntque se mutuo verbis pacificis: cumque intrassent in tabernaculum, narrauit Moyses cognato suo cuncta quæ fecerat Dominus Pharaoni, &c.

§. III.

Infirmi adhuc in virtute non sunt periculis exponendi.

ECce Moysis vxor, & filij eius cum auo veniunt ad Moysem, sed tunc veniunt, quando Moyses post demersos Ægyptios, post mare superatum, post Amalecitas prostratos, castrametatus est iuxta montem Dei Horeb. Dicit enim: *Venit enim Iethro cognatus Moysi, & filij eius, & vxor eius ad Moysem in desertum, vbi erat castrametatus iuxta montem Dei.* Et merito vxor, & teneri filij non venerunt in Ægyptum, sed in mansionem iuxta montem Dei; qui enim infirmi sunt, non erant periculis exponendi, quibus soli robusti, & fortes crescunt. Ait Origen. in præsenti homil. 11. *Non poterat socer- des Madian in Ægyptum descendere: nec vxor Moysi, sed nuac ad eum venit cum filiis. Non enim poterat descendere in Ægyptum, & subire agones Ægyptiorum nisi athleta probabilis Moyses, aut a magnus, & potens athleta descendit in Ægyptum ad agones, & exercitia virtutum. Abraham, & Iacob quoque qui ipso nomine athleta est, cum descendisset in Ægyptum, factus est sicut stella cœli.* Ægyptia pericula, quæ extulerunt validissimos viros Moysem, Abrahamum, Iacobum, infirmos, & imbecilles prorsus perdidissent; quare merito cautum est, ne filij Moysis, nec vxor, nec socer eius Iethro adhuc in fide proselytus illò descenderent. Non enim sunt infirmi periculis exponendi. Hinc de Dauide fugiente ad montes, quietemque domus deserente loquutus textus. 2. Reg. 15. ait: *Dixit autem Rex ad Ethai Gethæum. Cur venis nobiscum? Reuertere, & habita cum rege: Heri venisti, & hodie compelleris nobiscum egredi. Ego autem vadam, quo iturus sum. Reuertere, & reduc tecum fratres tuos, & Dominus faciet tecum misericordiam, &c.* Et sanè Dauid in eo erat discrimine quo plurium egeret auxilio, nihilominus non patitur, quod Ethai secum veniat in discrimina. Et quando ipse rex vadit ad pericula, cur non magis retinet secum fidum amicum? Cur illum mauult domi manere extra periculum? Rationem indicant verba illa, Heri venisti, quippè recens erat in religione, & fide Israelitica, adhuc in virtute tenellus: merito ergo cauet bonus Dauid ne secum in pericula descendat. Ex quo Theodor. qu. 29. *Sequutus est Dauidem Ethai Gethæus cum sexcentis viris electis, qui nuper quidem patriam reliquerat, factus autem fuerat cū suis subiectis proselytus. Et Rex quidem conatus est persuadere, vt reuerteretur, ne simul cum eo rursus mutaret sedes. Non est æquum, inquit, vt tu qui nuper venisti, molestum laborem sustineas. Iure autem est admiranda Dauidis lenitas, qui ex cum inuaderet filius, & multo egeret auxilio, curam gessit salutis proselyti.* Sic bonus rex maluit auxilio carere, quam tenellum in fide habere socium discriminum. Quem spiritum vtinam vniuersi seruarent præsules: & tenellos, & infirmos in virtute nullis periculis crederent. Sic de Deo ductore Israelitarum dicitur Exod. c. 13. *Cum emisisset Pharao populum, non eos duxit Dominus per viā terræ Philisthiim, quæ vicina est, reputans ne forte pœniteret eum, si vidisset aduersum se bella consurgere, & reuerteretur in Ægyptum.* Ecce tibi, vt Deus recentes erutos de seruitute, & vix in plenam libertatem assertos periculis eripit, & belli discriminibus. Id quod ponderans D. Gregor. lib. 14. Moral. c. 13. vt est in Glossa, inquit: *De Ægypto ergo exeuntibus à viciniis bella subtrahuntur, quia derelinquentibus sæculum quædam prius tranquillitas ostenditur, ne in ipsa teneritudine, & inchoatione turbati ad hoc, quod reliquerant, redeant.* Expende illa, *Ne in ipsa teneritudine turbati, &c.* parcendum enim est teneritudini, & infirmitati, remotis periculis, ne ruina aliqua infirmis generetur.

Orgen. *2. Reg. 15.* *Theodor.* *Exod. 13.* *Gregor.*

§. IV.

In officiis, & obsequiis præferendum est gratiæ ministerium operibus naturæ.

VEnit Iethro ad Moysem cum vxore, & filiis Moysi ipsius, qui dicitur occurrisse socero, & adorasse, & adduxisse in tabernaculum, ibique illi Dei magnalia explanasse, ad filios autem, & vxorem nullū ostenditur verbum dixisse. Ait enim text. *Egressus in occursum cognati sui, adorauit, & osculatus est eū, salutaueruntque se mutuo verbis pacificis, cumque intrassent in tabernaculum, narrauit Moyses cognato suo cuncta, quæ fecerat Dominus, &c.* Ecce tibi erant coram Moyse, & filij, & vxor post longam absentiam reuersi, & Iethro socer eius, Moyses autē non dicitur osculatus filios, nec amplexatus vxorem, nec vllum illis verbum fecisse, sed solum dicitur osculatus socerū, illique Dei magnalia explicasse. Cur non magis afficitur ad vxorem, & filios? Nactus socerum, cui diuina suggerat, quem trahat in mirabilium Dei agnitionem, non miror, quod non reputet filios præponens gratiæ opera naturæ. Est hoc sanctis mentibus commune, quod non reputent naturam, dum inseruiendum est gratiæ diuinæ. Nota est historia viduæ illius, ad quam cōfugit Elias tempore famis 3. Reg. 17. quæ parum farinæ habebat, & adeò parum, vt vix posset implere manum vnam, & hanc farinam præparabat; vt ipsa & filius semel comederent, & postea fami succumberent. Rem notans Elias petit à muliere, vt sibi prius, quam filio præparet farinam. Quid tunc illa? Despexitne prophetam præ filio? Absit, imo ait text. *Quæ abijt & fecit iuxta verbum Eliæ*, nihil æstimauit filium, vbi prophetæ potuit inseruire, prorsus oblita naturæ, vt pietati, & religioni prospiceret. Vt dicat D. Chys. homil.

3. Reg. 17. *Chrysost.*

homil. in Petrum, & Eliam, habita tom. 6. nuper edito: *Videre licuit naturam contemptam, & hospitalitatem honoratam: licebat videre eius viscera procella, & Prophetam susceptum, cum integram filiorum multitudinem sepulchris mandauit. Quantum enim fuit in vidua proposito, omnes eius filii mortui sunt. Nescio certè quemadmodum huius viduæ laudes comprehendam, quæ seipsam, & filios contempserit, & hospitalitatis studium sequuta fuerit.* Sic præclara fœmina, vbi res erat exercenda virtutis, contempsit ipsam naturam, & docuit, vt filij, & totum genus erat postponendum diuinis. Non detrectant egregij viri, & genus proprium, & filios postponere pietati. Hinc cum Iosephus Iudæus esset iam à Romanorum parte, monebat Ierosolymitanos ciues, vt etiam ipsi sese dederent Romanis, salutemque sanctæ ciuitatis procurarent. Insuper hæc ad illos fatur apud Egesippum lib. 5. cap. 16. [*Egesipp.*] *Nouis, & ipse, quia cum vestris simul periclitatur sanctissima mihi mater, & chara vxor, haud ignobile genus, & quidam domus chara. At fortasse prop: r meos hæc me fundere arbitramini: occidite eos, & accipite meum sanguinem mercedem. libenter hanc saluam mercedem vestræ salutis, si post me sapere potestis.* Expende illam egregij viri vocem, nimirum: *Libenter hanc saluam mercedem vestræ salutis*, nimirum qui sanctæ vrbis, Israelitarumque salutem, vel filiorum, matris, & vxoris perditione compararet. Et dum saluanda esset populi sanctitas, totum suum genus perire mallet.

Exod. 18. Lætatusque est Iethro super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus Israeli, eo quod eruisset eum de manu Ægyptiorum. Et ait, Benedictus Dominus, qui liberauit vos de manu Ægyptiorum, & de manu Pharaonis, qui eruit populum suum de manu Ægypti. Nunc cognoui, quia magnus Dominus super omnes Deos, eo quod superbè egerint contra illos.

§. V.

Ille verus virtutis affectus est, qui semper recens in obsequio est.

SAnc Iethro aliqualem de Deo cognitionem ex Abrahami prosapia semper retinuerat, quam vt notat Cornelius, hauserat per Moysis consortium, quando illum generum quadraginta annis domi habuit. Ex quo plenissimè didicerat, vt Deus vnus erat omnium rerum potentissimus creator, qui ab Israelitis colebatur. Cur ergo modo dicit: *Nunc cognoui, quia magnus Dominus super omnes Deos?* Cur nunc dicit se noscere, quod illi scimus notum fuisse antea? Non negat antiquã Dei cognitionem in se esse, sed ostendit non esse antiquatam, sed ex tot Dei mirabilibus habere, quod modò renouetur, & quasi recens appareat. Et quidem nullo clarius ostenderet, qualis erga Deũ fuerit antea, quã in eo quod quasi in obsequio nouum, & recentem se conseruarit. Quò spectans Dominus Iesus Ioann. 13. aiebat: [*Ioan. 13.*] *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem.* Ecce mandatum dilectionis vocatur mandatum nouum, an quia antea nunquam exhibitum fuerat? Absit, ab initio enim dilectionis fraternæ mandatum præscriptũ fuerat, sed ideo nouum dicitur, quia tantæ virtutis est numquam ire in senium; sed sic esse, quasi modo quid recens, & nouum appareret. Ex quo Orig. homil. 9. in Num. [*Orig.*] *Dicit, mãdatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, cum vtique sciret olim datum esse mandatum in lege. Sed quoniam charitas nunquam excidit, nec mandatum charitatis aliquando veterascit, hoc quod nunquam veterascit, semper nouum esse pronuntiat. Semper enim obseruantes, & custodientes in se charitatis mandatum, nouos reddit in spiritu.* Nescit senium charitatis affectus, sed nouis semper stimulis animum exagitat, & vt in veritate Deo obsequitur, nouo recentique splendore semper apparet. Felix ille, qui se Dei amatorem ostendere satagit, verisque virtutum obsequiis ad Deum vadit. Mihi crede, longè ab hoc abest senij languor; & si per multa tempora virtuti incumbat, nouo semper lumine radiabit. Habent hoc præcipuum affectus, qui ad Deum ordinantur, qui quasi in primo flore, recentique nitore sese oculis ostendunt humanis. Hinc Angelus Apocalyp. 21. ait Ioanni: [*Apoc. 21.*] *Veni, ostendam tibi sponsam vxorem agni.* Expende illa, *Sponsam vxorem.* Sponsa est, quæ primo viro traditur, quæ adhuc est in festo, & conuiuio nuptiali, recens in pacto coniugis, recens in domo viri, recens in thalamo. Vxor dicitur, quæ iam à nuptiarum festis longè abest, quæ in matrimonio diu perseuerauit. Cur ergo Angelus vocat sponsam vxorem agni; si vxor iam est, ad quid necessum fuit illam adhuc sponsam nominare? Sane proprium est hoc animarum illarũ, quæ se immaculato adiunxerunt agno; & si diu illi hæreant, sic sunt, quasi singulis momentis nouiter illi accessissent. Ait Rupert. libr. 12. in Apocalyp. [*Rupert.*] *Quare vtrumque dixit, & sponsam, & vxorem agni? Videlicet, quia etiam illic vbi iam vxor erit, sponsa nihilominus permanebit, quia nimirum in illa beata copula semper vxor cum filio, semper sponsa erit permanentibus nuptiis, & sponsalibus festis.* Senescunt, & veterascunt, qui mundo copulantur; qui autem Deo iunguntur, ad Deumque tendunt, sic sunt etiam post multa tempora, quasi tunc primum accesserint.

Exod. 18. Obtulit ergo Iethro cognatus Moysi holocausta, & hostias Deo: Veneruntque Aaron, & omnes seniores Israel, vt comederent panem cum eo coram Domino.

§. VI.

Deus non solis verbis, sed & operibus colendus.

MVltus fuit Iethro in laudando Deo, eiusque magnalibus extollendis, dum aiebat: *Benedictus Dominus, qui liberauit vos de manu Ægyptiorum, &c.* & rursus: *Nunc cognoui, quia magnus Dominus.* At minime contentus fuit iis laudis vocibus, sed insuper addidit opera virtutis offerens holocausta. Ait enim: *Obtulit ergo Iethro cognatus Moysi holocausta, & hostias Deo.* Et merito verbis opera addidit, sine quibus non adeò placeret in voce laudis, vt adiungeretur populo Israelitarum. Iosue cap. 2. [*Iosue 2.*] inuenta fuit mulier gentilis Raab meretrix, quæ aiebat ad exploratores Israelitas: *Audiuimus, quod siccauerit Dominus aquas maris rubri ad vestrum introitum, &c.* Et post recensita Dei magnalia, hoc effecit, vt exploratores custodiret, & liberos dimitteret. Quid tunc? Iosue 6. [*Iosue 6.*] *Raab vero meretricẽ, & domum patris eius, & omnia quæ habebat, fecit Iosue viuere, & habitauerunt in medio Israel vsque in præsentem diem.* Sed & Gabaonitæ humiles venerũt ad Iosue, Dei etiam magnalia confitentes: dicunt enim Iosue 9. [*Iosue 9.*] *Venerunt serui tui in nomine Domini Dei tui. Audiuimus enim famam potentiæ eius, cuncta, quæ fecit in Ægypto.* Iis tamen tantis viris post pauca dicit Iosue: *Sub maledictione eritis, & non deficiet de stirpe vestra ligna cædens, aquasque comportans in domum Dei mei.* Compone modo meretricem Raab cum Gabaonitis; & Raab, & Gabaonitæ prædicant magnalia Dei, eiusque extollunt facinora. Raab autem inter Israelitas admittitur, repelluntur Gabaonitæ, laboriosaque plectuntur seruitute. Cur ergo, quando Raab, & meretrix, & gentilis fœmina ad populum Dei admittitur, Gabaonitæ seruitute obstringuntur? Raab, & verbis Dei laudantibus addidit opera insignia virtutis exploratores eripiens periculo; Gabaonitæ autem verbis hærentes, nullum virtutis opus efficiunt, ideò indigni habentur, qui populo Dei possint adiungi. Ait Origen. hom. 10. in Iosue: [*Origen.*] *Raab meretrix, quæ fide integra credidit, & exploratores Israelitarum plenissima deuotione suscepit, ex integro in consortium populi, societatẽque suscepta est. Gabaonitæ dicunt, quia audiuimus, quanta fecit vobis Dominus per mare rubrum, & in deserto. Et cum hæc dicerent, & audisse se, & scire de diuinis mirabilibus faterentur, nihil tamen fide dignum, nihil tantarum virtutum admiratione gesserunt. Et ideò Iesus moderationem circa illos iustissimam seruat, ne summam regni, vel libertatis acciperent, pro eo, quod fides eorum nullo operum nobilitaretur incessu.* Illa ad Dei populum accedit, quæ & Deum verbis extollit, & operibus: qui autem multa Deo profitentur, nullo autẽ opere nobilitantur, ij minime pertinent ad populum Dei, quinimò reprobi spiritus viam terunt. Quid enim magis commune reprobis spiritibus, quàm multa de Deo nosse, & prædicare, & ad nullum opus descendere? Ecce tibi vt Satanas loquebatur ad Iesum Mar. 1. [*Mar. 1.*] *Quid nobis, & tibi Iesu Nazarene? Venisti perdere nos. Scio quis sis sanctus Dei.* Sic diabolus ostentat suam de Deo scientiam, sic confitetur Deum, eiusque sanctitatem prædicat, sed quia verbis opera non adiungit, diabolus est. Ex quo monebat Diuus Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 180. [*Isid. Pel.*] aiens: *Non verborum enuntiatio, verum rerum administratio diuina*

doctrina confectatorem hominem reddit. Nam neque vetus ille rebellis, propterea quod diuina oracula memoria tenebat, ob eorum cognitionem laudem merebatur, verum contra abscindendus ac detestandus erat, quod cum sententia praditum esset, actionem infitiaretur, ac respueret. Diabolicum est diuina scire, & prædicare verbis, & longe abesse à præstandis virtutis operibus.

§. VII.

Memoria Dei efficacissima ad continendos in virtute homines.

CONuiuarum moderationem pulchris verbis explicat textus sacer fatus, *vt comederent panem cum eo coram Domino.* Vbi enim Deus coram est, maximè se continet appetitus humani, ne vltra metam saliant. Vndè monebat Ecclesiasticus cap. 14. *Beatus vir, qui in sapientia morabitur, & qui in iustitia sua meditabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem Dei.* Hoc est præstantissimum medium beatitudinis humanæ, quod præ oculis habeamus Deum circumspicientem omnia. Dum enim noster scolus Deum coram habet, ægre credam, quod à recta virtutis via exorbitabit. Quis nesciat durissimum Iosephi pro castitate certamen? Ait Gen. 39. *Post multos itaque dies iniecit domina sua oculos suos in Ioseph, &c.* Iniecit itaque fœmina oculos in Ioseph, hoc est, iniecit validissima tela, explosit globos ardentes, applicuit tormenta militaria, quæ tenerum iuuenis animum quaterent, expugnarent. At Ioseph quo se scuto muniuit, vt liber euaderet? Quatiebatur bonus extrinsecus crebris mulieris machinis, intrinsecus flammas sustinebat ætatis, omnia tamen superauit, Deum præ oculis habens. Pulchrè rem attigit D. Basil. Sel. orat. 8. *Luctatur adolescentulus, non eiusmodi, qua temperantiam prodat; seruitü humilitas, qua generosos animos deprimat; domina adulationes perpetua, qua spe varia constantiam soluerent. Taceo externas mulieris artes, fucum, verba, vestes, oculorum pellaciam, naturales corporis instructiones. Verum qui tot vndique iaculis petebatur, vnum contra omnia telum memoriam tenuit creatoris.* Memoriam, inquam, creatoris tenet, & ridet omnia tela aduersariorum. Vix enim potest exorbitare à virtutum regulis, qui Deum in omnibus habet præ oculis. Imò nullum bonum non educit inde. Quapropter Eliezer ille Abrahæ seruus postquam abiit in Mesopotamiam, vt vxorem quæreret filio Domini sui, & post hanc inuentam Gen. 24. dicebat puellæ parentibus: *Nolite me retinere, quia Dominus direxit viam meam;* fatetur viam suam in omnibus fuisse directam, in nullo declinasse, nec vllum impedimentum sensisse. Et vnde tam longi itineris difficultates tam prosperè deuicit? Ait: *Quia Dominus direxit, &c.* Nescit non agnoscere in omnibus Deum præsentissimum, quem præ oculis habens, nullum malum experitur, sed omnia bona acquirit. Ait Theodoret. serm. 8. de prouid. *Dixit; ne detineatis me, quoniam Dominus prosperam fecit viam meam. Et sermones suos vbique diuini nominis mentione exornat, & bonorum largitionem inde trahit.* Ecce tibi quo medio sibi abundantiam parat bonorum, nimirum ex diuini nominis mentione, & memoria, qua singulos exornat sermones. Nec verbum profert, cui non assuat Dei mentionem, sic mala fugat, & sibi accumulat bona. Et quæ bona non trahat, qui præ oculis habet Deum in actibus suis? Sanè Dauid canebat Psal. 95. *Tunc exultabunt omnia ligna syluarum à facie Domini, quia venit.* Quæ verba expendens D. Greg. Thaumat. putat Dauidem diminutum fuisse, dum quæ exultarunt coram Domino, vocat ligna syluæ, nempè ligna infructifera; nequit enim fieri, quod planta aliqua Dei conspectu gaudeat, & sterilis permaneat, & non multos fructus faciat. Ait Thaumaturgus serm. 1. in Annunt. fatus: *Hodie Dauidicum adimpletum est oraculum, quod dicit, Gaudebunt campi, & omnia ligna syluæ à conspectu Domini, quoniam venit. Et Dauid quidem ligna dicit: Præcursor vero Domini arbores facientes fructum dignos pœnitentiæ, imò Domini aduentu, nuncupat.* Meritò præcursor in hoc supra Dauid se extulit, vt non putaret coram Domino esse ligna sterilia, sed fructiferas arbores, quæ de Dei præsentia arcerent à se sterilitatem, & virtutum fructus facerent.

Eccl. 14. — *Gen. 39.* — *Basil. Sel.* — *Gen. 24.* — *Theodor.* — *Psal. 95.* — *Thaumat.*

Exod. 18. Altera autem die sedit Moyses, vt iudicaret populum, qui assistebat Moysi à mane vsque ad vesperam. Quod cum vidisset cognatus eius, omnia scilicet quæ agebat in populo, ait: Quid est hoc, quod agis in plebe? Cur solus sedes, & omnis populus præstolatur de mane vsque ad vesperam? Cui respondit Moyses. Venit ad me populus, quærens sententiam Dei. Cumque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me, vt iudicem inter eos, & ostendam præcepta Dei, & leges eius. At ille: Non bonam rem facis, stulto labore consumeris, &c.

§. VIII.

Lingua diuino assueta conuiuio efficacissima est ad homines trahendos in virtutum studia.

POst cœnam cum socero, & principibus peractam illucescente die, statim Moyses sedet iura dicturus populo; ait enim: *Altera autem die sedit Moyses, vt iudicaret populum, &c.* Prius explicatum fuit, vt exceperit socerum, vt cœnam struxerit, & statim subiicit, vt ceperit recrudescere gubernationis onus. A cœna itaque ventum est ad ius dicendum, vt lites componeret, & in iustitiam traheret populum. Quod notans Lippomanus in cat. fatur: *Post gaudia sancta societatis, & cœnam honestissimam, statim sanctus redit ad officium consultandi, & consulendi grauatis, dirimendi controuersias, pro fouenda charitate, & seruanda in tanto populo.* Expende quæso, vt post cœnam statim redeat ad officium pro dirimendis controuersiis, pro hominibus continendis in charitate. Est equidem cœna magna, quam fecit Deus populis suis, quam qui manducat, non miror, si multa fit in dirimendis litibus, in trahendis hominibus ad charitatem. Sanè Diuus Greg. Nazian. orat. 17. vt rigidum hominem pecuniarum regalium exactorem, ad mansuetudinem, & debitam moderationem traheret, sic fatur: *Christum tibi offero, Christique pro nobis inanitionem, & crucem, & clauos, atque adeo mensam hanc, ad quam communiter accedimus, salutisque meæ typos, quos eodem ore perago, quo hanc ad te precationem habeo.* Pondera ab illis: *quos eodem ore perago, quo hanc ad te precationem habeo:* indè sanctus extollebat efficaciam suæ orationis, quod prodiret oratio ab illo eodem ore, quod assuetum erat conuiuio saluatoris. Quis enim resistat linguæ madidæ diuino cruore? Quis non trahatur ad omnem moderationem sectandam verbis illis, quæ proferuntur ore, quod semel & bis impleuit dominicum corpus? Psal. 127. ait Dauid: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Filij tui sicut nouella oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* Ecce qui manducat laborem manuum suarum illam beatitudinem in hac etiam vita sortitur, qua non patitur filios rebelles, filios, qui velint abire in regionem longinquam, vt inscio parente substantias suas dissipent. Quinimò huius filij adeò sunt morigeri, vt semper in circuitu sint paternæ mensæ, nec aliquid petant, quod separatim manducent cum amicis suis. At qui cibus patrem adeò fœlicem in filiis fecit? Puto hoc à solo dominico cibo posse venire; vbi enim pater diuinis epulis assuescit, ab eius ore prolata verba efficacissima sunt, vt filiis persuadeat, quidquid virtutis, quidquid iustitiæ, & pietatis velit. Ait ibi Arnobius: *Labores fructuum tuorum manducabis, id est, carnem filij hominis. Et tu sicut vite proficiente in sanguine Christi, illi sicut nouella oliuarum proficient in circuitu mensa tua, vbicumque conuiuium illis verbi Dei exhibebis.* Equidem dum tu assuescas linguam tuam diuinis epulis, dum carnem filij hominis digno excipias ore, pulchris te operibus, & laboribus præparans ad illam excipiendam, vt sic in diuino cibo profeceris; similiter alumni tui, filij tui proficient, quotiescumque illis verba feceris. Præsentissimos habebis homines ad tua mandata exequenda, dum illa iniungas satur diuinis epulis.

Lippom. — *Greg. Naz.* — *Psal. 127.* — *Arnob.*

§. IX.

Vbi leges mundiales, & prophanæ maximè florent, ægre, & difficulter homines in virtute, & pietate conseruantur.

QVi populi sui virtutem, & religionem procurabat Moyses, nullas etiam in iudiciis ciuilibus leges versat, nisi leges Dei; procul arcens à tribunali suo, & leges, & placita hominum.

hominum. Quippe ait, *Venit ad me populus quærens sententiam Dei. Cumque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me, vt iudicem inter eos, & ostendam eis præcepta Dei, & leges eius.* Sanè multa erant tunc temporis sapientum placita pro litibus in Republica dirimendis, ex quibus postea Romani Imperatores ciuiles vniuersas leges condiderunt. His omnibus prætermissis, & reiectis Moyses in suo populo noluit, quod alia agitaretur lex, aut præceptum, nisi lex, & præceptum Dei. Nouit prudentissimus vir, quam difficulter, & ægrè supernaturales virtutes consenescunt inter forensium disputationum strepitus. Vbi enim humana placita de rebus terrenis potiundis agitantur, vix locus relinquitur Deo. Vbi Christus dominus fuit à perfidis comprehensus, de Petro locus ille

Matth. 26.

Matth. 26. fatur: *Petrus vero sedebat foris in atrio: & accessit ad eum vna ancilla, dicens: Et tu cum Iesu Galilæo eras. At ille negauit coram omnibus dicens: Nescio, quid dicis.* Quid maiori monstro simile? Petrus ille, qui acuto visu perceperat diuinam in Christo originem, modo ignorat Christum. Vndè tanta, tamque culpabilis ignorantia venit in tantum virum? Ait textus: *Sedebat foris in atrio*; sedebat Petrus in atrio principis, vbi forensis strepitus, vbi causæ agitabantur, vbi iurisprudentum placita ponderabantur, & statuta hominum traditionesque maxime spectabantur; nec miror, quod inter hæc Dei ignorantiam incurreret. Ait Origen. hom. 35.

Origen.

Forsitan autem quicumque est in atrio Cayphæ principis sacerdotum, non potest confiteri Dominum Iesum. Nam qui illic sunt, iudæorum traditiones, & non secundum voluntates scripturarum, sed secundum mandata hominum, & doctrinas tradunt. Heu forensibus rerum publicarum atriis, in quibus hominum placita, & statuta maxime vigent, vbi nil supra fundos terrenos cogitatur, & hoc iuxta commenta hominum! fallar, si ibi quamprimum Deus non abnegatur. Efficacissimæ sunt terrenæ istæ sapientiæ, vt homines ad terram trahant, vt nihil supra terram valeant æstimare. Quo refero illud Danielis 1. vbi de pueris Israelitis selectos aliquos tradidit Nabuchodonosor magistro; *vt doceret eos literas, & linguam Chaldæorum.* Ex quo non nemo in quæstionem vocauit, an tres Israelitæ pueri, nimirum, Ananias, Azarias, Misael ciuiles etiam Chaldæorum literas, prophanasque illorum sapientias, quæ temporalia solum spectabant, percalluerint? Cui pulcherrime, & sapienter respondet D. Isidor. Pelusiota lib. 3. epist. 139. fatus:

Isid. Pel.

Tres illi pueri, et Daniel curiosam, & superuacaneam Chaldæorum disciplinam minime didicerunt; sane id existimo: Quod autem ita sit, ex eo perspicuum est, quod regiam imaginem haud quaquam adorarant. Expende vim argumenti, vndè sanctus doctor demonstret tres illos pueros non fuisse deditos terranis Chaldæorum scientiis, studiisque; nimirum ex eo, quod non adorauerunt imaginem regiam. Quis enim ex mundi sapientibus non adoraret, vel vmbram regiam; & verum Deum passim postponeret regibus? Sanè ea est vis studiorum temporalium, quæ vt regum decretis nituntur, prudentumque hominum placitis, sic facili negotio Deum posthabent creatis.

§. X.

Diuina præcepta non humanis placitis commentanda.

VIde præclari gubernatoris normam, nimirum: *Ostendam præcepta Dei, & leges eius*; non propria placita, non proprij cerebri additiones, strictiones, aut ampliationes, sed vt sunt in se Dei præcepta, & leges, proponit popularibus: id enim certissimum ruinæ principium est, quod gubernator diuina præcepta propriis permisceat placitis. Præceperat Deus Gen. 2.

Gen. 2.

De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas. Quod præceptum referens Eua cap. 3. ait: *Præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud.* Ecce de suo addidit, *ne tangeremus*, in quo iam notabatur initium sequentis lapsus. Fieri enim vix potest, vt subditi in obseruantia contineantur, quando gubernator ex proprio cerebro strictiones diuinis præceptis addit. Ex quo ait D. Ambr. lib. de Parad. cap. 12.

D. Amb.

Quantum præsens lectio docet, discimus nihil vel cautionis gratia tangere nos debere mandato. Siquid enim vel addas, vel detrahas, præuaricatio quædam videtur esse mandati. Pura enim, & simplex mandati forma seruanda. Tangetis enim, Deus non dixerat, sed comedetis. Sed tamen lapsus incipit esse principium. Vbi mulier addidit præcepto de suo, iam ibi principium erat lapsus; quot additiones, strictionesque præceptis diuinis ponuntur, tot lapsibus occasiones dantur. Hinc Dauid Psal. 118.

Psal. 118.

Domine dissipauerunt legem tuam: Chaldæus: *Domine adduxerunt discipuli legem tuam:* quippe in idem ostenduntur recidere additio, & dissipatio. Creditur legem Dei dissipasse, qui illi de suo aliquid addit necessarium. Quo spectans Ioannes Apocal. 22. ait:

Apoc. 22.

Contestor omnes audientes verba prophetiæ libri huius, si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ. Quid seuerius? Et tamen Ioannes totam hanc seueritatem effundit in eos, qui præsumpserint aliquid addere, vel detrahere dictis in Apocalypsi. Quo D. Ambr. supra, ait: *Si Ioannes hoc iudicauit de suis scriptis, quanto nihil diuinis mandatis est detrahendum? Hinc ergo cœpit præuaricatio prima esse mandati.* Et hinc incipiunt præuaricationes mandatorum innumeræ; si nimirum, vt necessarium quid addatur præceptis diuinis.

Exod. 18. Audi verba mea, atque consilia, & erit Dominus tecum. Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, vt referas, quæ dicuntur ad Deum, ostendesque populo cæremonias, & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, & opus, quod facere debeant. Prouide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos, &c.

§. XI.

Quæ ad Deum pertinent, hæc prima, & præcipua in Republica sint.

SApienter Iethro vbi consulit Moysi rectam munerum distributionem, qua Respublica stabiliri debet; illud in primis consulit, nimirum; *Esto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, &c.* Ante tribunos, & ciuilium causarum iudices, & moderatores nominatos, hoc in primis decernit, vt omnium primus & præcipuus, nempe Moyses constituatur in iis, quæ sunt ad Deum. Sic sapiens homo etsi ethnicis disciplinis innutritus agnouit, quod primum stabilimentum Reipublicæ in eo consistit, quod prima, & principalis cura habeatur eorum, quæ sunt ad Deum. Similiter Exod. 28. cum Moyses

Exod. 28.

accipit à Deo leges, audit Deum dicentem: *Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis, vt sacerdotio fungatur mihi*; vbi etiam de sacerdotum vestibus multa dicuntur, cum interea nullum verbum faciat Dominus de rege constituendo, donec post multos annos, imò post aliqua sæcula ventum ast ad Samuelem 1. Reg. 8. vbi dicit:

1. Reg. 8.

Hoc erit ius regis, qui imperaturus est vobis, &c. Ecce tibi Dominus populum suum sine rege voluit esse plurimis annis, sine sacerdote nec vno die. Et cur Deus prius de sacerdotio instituendo quam de rege curam in populo suo, nisi vt ostenderet, quam debeant esse prima, & præcipua ea, quæ ad Deum pertinent, in Republica, quæ firmiter stabilitur? Ex quo aiebat D. Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 249.

D. Isidor.

Ex sacerdotio & regno rerum administratio conflata est, illud enim velut animus est, hoc velut corpus. Quapropter cum Iudaicæ res initium sumebant, sacerdotium, vt magis necessarium, institutum est, ac perdiu durauit. Postea quam autem cum carnis addictiores, atque crassiores essent, regnum poposcerunt: illud ipsis concessum fuit, quippè, quod vilissimum esset, atque eorum, qui sacerdotio minime parebant, peccata coerceret, ac restringeret. Sic regnum in Republica constituenda, vt quid vilius, & infirmius sacerdotio fuit postponendum. Illud enim vt primum, & præcipuum Reipublicæ stabilimentum est, quod ad Deum pertinet, sine quo nequit populus nec ad vnam diem stabilis esse. Quò spectans Daniel cap. 9. vt ex Græco legit Theodoretus:

Dan. 9.

Post hebdomadas sexaginta duas destruetur vnctio, & iudicium non erit in ea. Quibus verbis denotari euersionem Ierosolymitanæ vrbis post Christi Domini necem multis probat noster Pererius lib. 10. in Danielem. In cuius destructionis capite illud ponitur, nimirum: *Destruetur vnctio*, hoc est, iuxta Theodoreti explicationem;

Theodor.

quia ab Herode occisus est Hircanus pontifex, post quem non fuere pontifices legitimi. Et merito in populi ruina primas obtinet interemptio sacerdotum; deficientibus enim iis, qui ad Deum pertinent, nequit inde non perire populus. Ad quæ præclare D. Isidor. Pelus. vbi supra:

D. Isidor.

Exterminabitur vnctio, & iudicium non erit in ea, per vnctionem videlicet sacerdotium indicans, per iudicium autem regnum, ac ciuilem statum. At

maxime

maximè quidem per sacerdotij extinctionem, regni quoque & aliarū rerum omnium extinctionem demonstrat. Sublato enim, quod caput erat, maiorisque momenti, ne aliud quidem quicquam consistere poterat. Nam regni basis pietas erga Deum erat, quæ in Dei cultu posita censebatur. Sic ibi, & sapienter, & pulchrè, & omnino verè. Nihil enim est verius, quàm quod in Reipublicæ conseruatione primatum teneat religio. De quo sæpe alias à nobis dictum est, & in præsenti libro, & in aliis antea exhibitis.

§. XII.

Dependentia ab alio efficacissimum telum potest esse ad prosternendum iudicium.

VIde primam iudicum præclarorum basim, nimirum, quod sint viri potentes: quippè ait: *Prouide de omni plebe viros potentes:* nimirum, potentes, qui nullius egeant, sed sibi sufficientes sint, nec aliorum potentia nitantur. Est equidem præsentissimum iustitiæ exercendæ offendiculum, quòd index dependeat ab alio, eiusque indigeat iuuamine. Quis enim obsistet illi, cuius indiget brachiis, vt sibi necessaria adipiscatur? Iobo multa tela immisit diabolus, vt fortissimum Dei athletam expugnaret; oues, bouesque eius absumpsit; prædia deuastauit, filios domus ruina oppressit; afflictumque iis calamitatibus, innumeris morbis percussit, adeò vt fœtis grauis cogeretur extra vrbem, extra domum, in sterquilinio iacere, multis doloribus, multis ægritudinibus agitatus. Sed ægrotanti obiecit vxorem, quæ blasphemiam in Deum persuadeat. Quippè ait cap. 2. *Egressus Satan à facie Domini percussit Iob vlcere pessimo à planta pedis vsque ad verticem eius, qui testa saniem radebat sedens in sterquilinio. Dixit autem illi vxor sua: Adhuc tu permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere.* Expende quando introducta est vxor ad Iob, vt persuadeat blasphemiā, nimirum, cum Iob vlcere pessimo percussus miserè ægrotabat. Et cur in primis calamitatibus, in armentorum incendio, in bonorum ruina non introducitur vxor locuta istia? Cur in filiorum charissimorum morte non magis adest vxor marito flens, & plangens, eiusque exacerbans animum, & in voces blasphemas trahens? Cur inter tot calamitates tacens, in tempus ægritudinis locutura reseruatur? O nequitia diaboli! Numquam vir magis dependet à fœmina, quam dum infirmus est, tunc maximè indiget vxoris cura, & auxilio homo, quando ægrotat; ideò diabolus in illud tempus reseruat vxoris introductionem, & eius consilium nefarium, quando Iob ægrotabat; sciens quam validus sit, vel halitus illius, cuius auxilio, & fauore eges, vt in quodlibet traharis piaculum. Ad hæc aiebat D. Chrysost. hom. 5. de Iobo, fatus: *Respice malitiam diaboli. Neque enim bobus pereuntibus, hac mulieris machinatione vsus est, neque asinis, neque camelis, neque domo diruta, neque liberis macerie tumulatis. Sed tacet tandem, atque silere permittit. Cum autem vermium fons erupit, pellemque corrumpi, atque dilabi vidit excesam carnem sanie; tunc ipsam introduxit, & inquit: Quousque sustines? Benedic Deo, &c.* Cum primum Iob vlcere percussus egebat fœmineo iuuamine; tunc introducitur vxor à Diabolo, vt extorqueat piaculum. Et quid non extorqueat vox illius, à quo dependes, cuius eges auxilio, & iuuamine? Fallar, si sit telum efficacius ad deiiciendum iudicis animum, quam vel syllaba pronuntiata ab eo, cuius nititur brachiis, vt commoda sibi adipiscatur. Quid non ferat ille, qui infirmus est, in illo, cuius nititur brachiis? Iustissimus erat Dauid, vt tamen sciuit Abnerum occisum à Ioab, non ausus est occisorem plectere: sed ait 2. Reg. 4. *An ignoratis quoniam princeps & maximus cecidit hodie in Israel? Ego autem delicatus adhuc sum, & vnctus rex. Porro viri isti filij Saruia duri sunt mihi, retribuat Dominus facienti malum.* Ecce cognoscit vir iustissimus patrati à Ioab criminis magnitudinem, & nihilominus non audet illud vindicare. Cur non audet? Ait: *Ego delicatus adhuc sum, &c.* erat ipse adhuc recens in regno, viribus infirmus, Ioabi opera, & valentia egens, & ideò non audet illi non morem gerere. Ex quo Theodor. ait 3. Reg. 2. quæst. 4. *Quare Dauid non puniuit Ioab? Primum quidem cum est reueritus, vt qui fuerit laborum, & periculorum socius. Deinde etiam suspectam habuit eius audaciam.* Quem socium in periculis habuit, cuius potentia in laboribus vtebatur, vt regnum sibi assereret, veritus est contristare. Sic etiam iustissimus rex non audebat in crimina illius, à quo dependebat in regno stabiliendo, comparando. Qui ergo in throno sedet iudicaturus, nullam dependentiam habeat ab alio, nisi velit, & crimina dissimulare, & trahi in scelera maxima.

Chrysost.

2. Reg. 4.

Theod.

§. XIII.

Virtutum simulatio, & non veritas detrimentosa gubernatori, imò & omnibus.

VIde aliud certissimum gubernatoris optimi insigne, nimirum, *in quibus sit veritas:* nunquam enim veritatis despectio gubernatori potuit esse salutaris. Ex 3. Reg. 13. habes vt homo Dei, vir propheta iret in domū suam, *Qui cum abijsset, inuenit eum leo in via, & occidit.* Et mirabar, quod leo ausus esset percutere hominem Dei, quando leones famelici Danieli præstabant reuerentiam. Cur sicut in Daniele, sic & in isto propheta suam seruitutem non magis leones profitentur? Ait D. Chrys. in Psal. 3. *Peccauit Propheta mentitus, & leo eum in via inuentum morte affecit. Eum mēdacij fuligine atratum, & leo eum non cognouit. Dominus mentitus est, & seruus negauit Dominum.* Adeò detrimentosum est Dominis, Gubernatoribus, Iudicibus, quod à veritate deflectant, quod mendaciis, & simulationibus studeant. Nunquam mendacium, nunquam simulatio non lethalis erit Præsulibus. Absalon vt cœpit velle præripere sibi regnum, id agebat, vt simularet in sanctas thronorum virtutes. Quippè ait 2. Reg. 15. *Mane consurgens Absalon stabat iuxta introitum portæ in via, & omnem virum, qui habebat negotium, vt veniret ad regis iudicium, vocabat Absalon ad se, & dicebat. De qua ciuitate es tu? Qui respondens aiebat: Ex vna tribu Israel: Ego sum seruus tuus. Respondebatque ei Absalon: Videntur mihi sermones tui boni & iusti, sed non est, qui te audiat constitutus à Rege. Dicebatque Absalon. Quis me constituat iudicem super terram, vt ad me veniant omnes, qui habent negotium, & iuste iudicem?* His & aliis subdolè effictis Israelitarum animos solicitauit, in regnum deuenit, sed vix regiam coronam prendit, & ex arbore suspensus miserè animam efflauit. Et cur miser tam citò sceleris sui pœnas dabat regni simul, & vitæ perditione? Ait D. Isidor. Pelus. lib. 3. epist. 219. *Absalon quidem à diuina iustitia supplicio affectus est, quod exauthorandi patris causa, probi iudicis speciem præ se tulisset, subditosque per huiusmodi lenocinium sibi deuinxisset.* Itaque dum Absalon non veritatem, sed speciem tantum referret probi iudicis, vt sic animos populares traheret, quamprimum à diuina iustitia è regno fuit exterminatus. Eodem respiciens D. Ambr. lib. 2. officior. cap. 22. ait: *Exemplis assertiones nostras probemus, quoniam, quæ dissimulata sunt, diuturna esse non possunt, sed tanquam ad tempus virentia, citò decidunt. Absalon filius Dauid sermonibus deliniebat singulos. Conuertit in se corda omnium. Vbi autem parua processit dilatio, non potuerunt tolerare, sustinere.* Citò, mihi credite, decidit principatus illius, qui simulatis virtutibus nititur non veris. Et quando Deus non disperdit eos, qui virtutes sibi adscribunt, quas non habent? Matth. 22. in nuptiali conuiuio inter fulgentissimos discumbentes homo apparuit, qui non habebat vestem nuptialem, quem videns Deus statim ante finitas nuptias iubet hominem in tenebras exteriores præcipitari. *Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores.* Cur Domine in homine perdendo non magis cunctaris? Cur saltem non finis finiri nuptias, sed inter ipsa nuptialia festa, inter fercula conuiuij, miserum carnificibus tradis? Ait D. Amb. ser. 3. de Natiuit. *Propterea ergo sublatis manibus, & pedibus in tenebras exteriores expellitur, non solum quia peccator erat, sed quia cum peccator esset, sanctitatis sibi meritum vendicabat.* Equidem sustinet Deus diu peccatores illos, sed simulatores vix patitur. Salomoni eripitur regnum decem tribuum propter idololatriam, & datur Ieroboamo 3. Reg. 11. dicit: *Scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo.* Sed & Ieroboamus idololatra erat futurus; & omnes decem tribus idolis seruiebant. Cur ergo Reges Iuda peius audierunt propter idololatriam, quam illæ? Ait Theodor. quæst. 43. *Propheta magis accusans tribum Iuda. Etenim iussus est Oseas meretricem accipere ad arguendam apertam impietatem decem tribuum; est enim manifesta meretricis impudicitia; adulteram autem in typum Iuda, quoniam cum simul cum Deo videretur habitare per templum, clanculum seruiebat idolis.* Vt enim adultera sub vmbra viri dissimulat congressus adulteri; sic tribus Iuda sub prætextu veræ religionis dissimulabat idololatriam, in quo magis offendebat, quam decem tribus, maiorique afficiebatur supplicio.

3. Reg. 13.

Chrysost.

2. Reg. 15.

D. Isidor.

D. Amb.

Matt. 22.

D. Amb.

3. Reg. 11.

Theodor.

§. XIV.

§. XIV.

Nequis esse potentia, in quo est auaritia.

VT in iudices mandet eligi viros potentes, sic diligenter cauet, ne sit in illis auaritia: ait enim, *qui oderint auaritiã:* nequit enim fieri, quod potẽs in aliquo sit, qui tenetur amore pecuniæ. Quis Iuda fortior cum sincere sequebatur Christum? Et morbos abigebat, & dæmonia cum cæteris Apostolis expellebat. Vbi autem diabolico cœpit impleri spiritu, quid illo infirmius? Suum ipse reatum non valet sustinere, sed præ cordis imbecillitate se suspendit, & interemptus est. Vnde tanta illi potestas fuit; & vnde simul illum affecit tanta imbecillitas? Pulchrè ait D. Amb. ser. 12. in Psal. 118. *Venit, & introiuit in Iudam Satanas, & cœpit dicere: Non est tuus Iesu, sed meus est Denique ea, quæ mea sunt, cogitat: quæ mea sunt in pectore suo voluit, à te panem accepit, à me pecuniam.* Expende illa, *à te panem accepit, à me pecuniam*, quippè inde Hispani solemus seruorum imbecillitatem, & miseriam exprimere, quod à dominis suis non cibos, sed pecunias accipiunt, quæ & facile labuntur, & miseros famelicos relinquunt. Dicimus namque, *les dan la racion en dinero*, ex quo & imbecilles, & famelici exprimuntur. Hinc æstimari debent sectatores Christi, & serui diaboli; Christus namque suis panem porrigit, & adipe frumenti cibat, quo maximè confirmantur, & stabiliuntur. Dæmon autem suis non panem offert; sed pecunias, quibus in summam imbecillitatem, & infirmitatem rediguntur. Vt enim qui non cibos; sed pecunias accipit, semper famelicus, & imbecillis est, sic qui amore tenentur pecuniarum, nequit fieri, quod habeant ad aliquid potentiam, aut virtutem. Hinc 3. Reg. 21. *Locutus est Achab ad Naboth dicens: Da mihi vineam tuam: Dabo tibi pro ea, si commodius tibi putas, argenti pretium, quãto digna est. Cui respondit Naboth: Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi.* Sic bonus vel ad argenti nomen fugit malens in vineis, quam in nummis esse diues; cauensque nummorum possessionem, vt quæ magis soleat esse in perniciem. Ait enim D. Amb. lib. de Nabothe cap. 3. *Quasi quandam contagionem sui, pecuniam esse diuitis arbitratur, quasi dicat; Pecunia tua tecum sit in perditionem. Ego autem hæreditatem patrum meorum non possum vendere.* Merito cauebat pecuniam auarorum, vt quæ contagio esset similis in infirmandis cordibus.

D. Amb.

3. Reg. 21.

§. XV.

Maxima iustitiæ firmitudo in Dei amicitia fundatur.

NOn otiose in iudicibus illud Ietbro requisiuit, nimirum, *qui timeant Deum*, hoc est, qui vereantur Deum sibi inimicum, & aduersarium facere, quin potius in eius amicitia confirmari gaudeant. Quis enim sic à Dei cauet inimicitia, & eius amicitiæ retinendę studet, & non firmissimè iustitiam tuetur? Ait Psal. *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Expende vt Dei amicorum principatus nimis sit confortatus, ne ad sinistram, dexteramve labatur. Maxima enim firmitudo iustitiæ in Dei amicitia fundatur. Quocirca ait D. Isidor. Pel. lib. 1. epist. 190. *Imperiorum robur, ac firmitas Dei amicitia est. Ex quo sequitur, eum qui robusto imperium gerit, Dei amicum esse Nimis enim, dicit, honorati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum. Quocirca si Dei amicus esse cupis, fac robuste praesis, hoc est, nec muneribus, nec amicitia, verùm dignitati, ac merito tuis prabens.* Nullus, (mihi crede) robustius præsidet, quam ille, qui amicitiæ diuinæ & acquirendæ, & conseruandæ intendit. De hac enim diuina amicitia venit, quod sic confirmeris, vt nullius iniquitati cedas.

Psal.

D. Isidor.

CAPVT XX.

De electione septuaginta seniorum.

MVLTIS iuxta Horeb gestis circa tabernaculi constructionem, sacerdotum ornatum, victimarum pompam, per tubarum argentearum sonitum in Pharan expeditio paratur. Quò cum primum accesserunt; & ira Dei, & murmur populi, & Moysis ipsius pene immensus labor, retardauerunt inde profectum. Nam nunquam non querulus populus, & laboris impatiens in Deum doctorem vehementer impegit, & iræ diuinæ in se ardentissimas traxit faces. Exurebatur funditus, ni flammas restingueret Moysis oratio. Et vix à tanto recreati supplicio, in scelus aliud præcipitantur, dum & vulgus promiscuum, & multi ex Israelitis cœlestes mannæ escas nauseæ dabant, rusticis, & vilibus Ægyptiorum cibis inhiantes. Tunc prorsus Moyses desperat posse suis viribus sufficere iniquissimo populo; & oneri supra vires aucto succumbens crebris gemitibus solicitat diuinam pietatem, quæ vel pondus tollat, vel cum aliis partiatur. Annuit petenti Deus, de cuius imperio septuaginta viri è præstantissimis Israelitarum seliguntur, qui propheticis cantibus in sanctuario diuinum sibi inditum spiritum repræsentabant. Duo ex illis Eldad, & Medad nõ in sanctuario, sed adhuc versantes in castris, nihilominus propheticis vocibus cœperunt intonare. Rem indignatus Iosue puer mysterij nescius vrget Moysem, vt silentium hominibus mandet. At non is erat Moyses, qui aliorum virtutibus inuideret; imo iuuenem docet, quam ipse optet, vt vniuersi possint diuinitatis radoribus coruscare.

PARS VNICA MORALIS in textus literam.

NVNQVAM satis laborum in Moyse, nunquam satis virtutum nobis proponit, quæ vt sæpius veniunt ponderandæ calamo, vtinam intimo adhærescant animo.

Numer. 11. Interea ortum est murmur populi quasi dolentium pro labore contra Dominum. Quod cum audisset Dominus, iratus est, & accensus in eos ignis Domini deuorauit extremam castrorum partem. Cumque clamasset populus ad Moysem, orauit Moyses ad Dominum, & absorptus est ignis.

§. I.

Vbi peccatum, ibi & pœna quamprimum apparet.

ECce murmurat populus, & ecce ignis à Deo populum absumit: dicit namque: *Ortum est murmur populi quasi dolentium pro labore contra Dominum: Et accensus in eos ignis Domini, &c.* Simul & murmur, & conflagratio populi cernitur. Quid enim aliud citius ostenderet culpa, quàm pœnam, quam supplicium? Hinc cauebat lex Gen. 17. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis.* Cur vulnus tam cito decernitur infanti? Vt circumcisio dabatur pro peccato originali tollendo, sic quam primo fieri præcipiebatur, vt simul ostenderet, quam esset pœna in vicinio peccati. Quo spectans D. Zeno lib. 3. ser. 37. de Iudæis, ait: *Circumcisio mentis impuræ testimonium; tam iamque illis imminere supplicium denotati vulneris inflictu monetur.* In octiduani paruuli corpore durum circumcisionis vulnus aperte denotabat, quam vicinum erat supplicium peccantibus. Nequit enim culpa aliud citius parere quam pœnam; quam vulnus formidabile. Nota est historia Naamani Syri ex 4. Reg. 5. vt adiuit Elisæum, à quo mundaretur à lepra, vt credidit imperanti lauacrum, vt de imperio prophetæ lauit se in Iordane, & perfecte mundatus est. At dum ipse mundatur Giezi Elisæi seruus inficitur lepra. Et cur quando ille lepram exuit, hic illa afficitur? Vt ostendatur quàm sit peccato pœna annexa. Ex quo pulchrè D. Chrysost. homil. de Naaman, fatur. *Curatur Naaman, & lepra Giezi perfunditur seruus. Syro fides attulit gloriam, & seruo perfidia intulit pœnam. Ille de Syria veniens, quod desiderauit, accepit: hic de propheta exiens domo plagam sibi de perfidia acquisiuit. Alius sanus redditur sanus, alius candidu ostenditur maculatus. Alius virtutis exemplum ostendit, alius meritum fallacem ostendit. Per Naaman Deus collaudatur, per Giezi cœleste iudicium metuitur. Inde salus nascitur, hinc metus; inde gloria petitur, hinc fraudis molestia formidatur; vt exemplis & fidei pretium, & perfidia supplicium cunctis gentibus monstraretur.* Sic habet virtus vnde cognoscatur, nimirum ex gloria,

Gen. 17.

D. Zeno.

4. Reg. 5.

Chrysost.

gloria, & præmio adiuncto, sic habet etiam peccatum, vnde se ostendat hominibus, videlicet ex adiuncto supplicio. Nullo enim clarius peccatum commissum ostenditur, quàm pœnis, & calamitatibus in supplicium venientibus. Vt dicat Iob *Iob 10.* cap. 10. *Instauras testes tuos contra me.* Vbi D. August. *August.* legit: *Instauras in me tormenta mea*: & quidem quotquot tormenta instaurabantur, tot testes erant, qui ream ostendebant patientis conscientiam. Quò refero illud Numer. 31. *Num. 32.* *Sin autem, quod dicitis non feceritis, nulli dubium est, quod peccetis in Deum: & scitote quoniam peccatum vestrum apprehendet vos.* Clarius in rem præsentem Septuag. referunt hæc vltima verba dicentes: *Et cognoscetis peccatum vestrum, quando vos apprehenderint mala.* Quippè mala, & tormenta protinus aduenientia clarissimè testantur peccatum antecedens. Imò est pœna adeo inseparabilis comes peccati, vt eodem vocabulo soleant & peccatum & pœna intelligi. Sic Leuit. 20. *Leuit. 10.* apud Septuag. *Quicumque acceperit sororem suam ex patre suo, aut matre sua: & viderit turpitudinem eius, peccatum accipiet.* Vbi August. *August.* lib. 3. locutionum ex Leuit. ait: *Peccatum posuit pro pœna peccati.* Sic inuicta sunt peccatum & pœna, vt sub eodem nomine intelligi queant.

§. II.

Lingua peccata præsentissimam afferunt homini ruinam.

EXpende illa duo penè coniuncta, nimirum, *Exortum est murmur populi*: & illa: *Et accensus in eo est ignis Domini*: quippè excubat diuinus ignis præ foribus linguæ; & vbi lingua detegit malitiam suam, statim ignis adest pœnam illaturus. Prouerb. 15. *Prou. 15.* dicit: *Lingua placabilis lignum vitæ*, sed & Gen. 3. *Gen. 3.* audio vitali ligno custodiam ignis à Deo positam fuisse. Ait enim: *Collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* Quo forte spectans Dauid Psal. 140. *Psal. 140.* clamat ad Deum: *Pone Domine custodiam ori meo.* Siquidem ligno vitæ custodia posita fuit per gladium flammeum, similiter expostulat Dauid ori suo custodiam ignis, quæ ad ostium excubet linguæ. Et quid ignis custodia cum lingua? Pulchrè D. Chrysost. *Chrysost.* in Psal. dictum, ait: *Quæ autem fuerit hæc custodia, nisi ratio, & cogitatio, quæ vrget terribiliter habens pro manibus ignem eos vstiuum, qui ore suo temere vsi fuerint?* Equidem ratio ipsa est, quæ ignem præmonstrat excubantem ad oris ostium, qui quidem dicto citius exuret eos, qui effrænem ostenderint linguam suam. Eo enim ipso, quod lingua labia commouerit, vt euomat inde malitiam, nequit fieri, quod non statim adsint & ignis, & perditio, & ruina. Hinc Prouerb. 13. *Prou. 13.* inquit: *Qui custodit os suũ, custodit animam suam; qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Chaldæus hæc vltima transferi dicens: *Qui aperit labia sua, terror aut pauor imminet ei.* Ecce tibi, vbi in malum labia aperiuntur, & terror, & pauor imminet. Nusquam, mihi crede, potest esse securitas, si lingua sine fræno currat. Ex quo monebat D. Isidor. *D. Isidor.* Pelus. lib. 1. epist. 309. inquiens: *Te caducam & corruptioni obnoxiam vitam fugisse, atque ad monasticum studium cursum contendisse audio, atque interim tamen procacem, ac petulantem linguam habere, ac temere loqui. Quod quidem nihil aliud est, quam murum firmũ, atque hostibus inaccessum struere, ipsisque portam ad ingressum relinquere. Quod si & murum ab omni periculo liberum seruare cupis, atque hostibus te firmum, ac robustum ostendere, linguam quam maxime poteris, in potestate tene, à qua & celeres, & ingrates ruina contingunt.* Planè licet omnibus aliis virtutibus munitus sis, instarque fortissimi, & prorsus inaccessibilis muri te illis composueris; si linguæ morbo laboras, patentissimum ostium relinquis, per quod omnium malorum genera ad te inerent.

§. III.

Quo quis præstantior, eo in lingua circumspectior.

EXtremam exercitus partem absumpsit ignis diuinus, dicit namque: *Ignis Domini deuorauit extremam castrorum partem.* Et cur in extremam partem desæuit vindicta diuina, cur non etiã in primam? In exercitus extrema parte sunt viliores hominũ, quorum est effrænatiores habere vel in cœlũ linguas; & ideo in illis apparuit magis supplicium, quò in primis, qui vt præstãtiores, nobilioresq; se sunt, sic modestioris sunt linguæ. Præstantia enim viri in oris modestia maxime viget. Quò respiciens Ecclesiast. *Eccles.* cap. 9. ait: *In manu artificum opera laudabuntur, & princeps populi in sapientia sermonis sui.* Ecce principes, & præstantes viros sapientia sermonis designat. Semper enim intima cordis præstantia, & excellentia per linguæ compositionem visitur. Vt dicat Prouer. 16. *Prou. 16.* *Cor sapientis erudiet os eius, & labiis suis addet gratiam.* Mutuo se respiciunt & oris gratia, & cordis præstantia, nec fieri potest, vt cor præstantem aliquam excellentiam contineat, & quod se inferiorem ostendat lingua. Hinc dum sancto Romano lingua à Tyranno eripitur, & nihilominus sanctus vir loquitur diuina, ait D. Chrys. *Chrysost.* hom. 2. de illo: *Rectè itaque tibi alteram linguam vicissim Christus inseruit. Rectè linguam non carneam tibi est largitus: angelicum enim animi affectum carnea non decebat lingua.* Sic cauit Deus, ne in præstanti seruo suo lingua inferioris esset ordinis, respectu cordis ipsius. Et quando sanctus vir animum habebat Angelicum; permittitur illi eripi carnea lingua; nequid minus in lingua haberet, quam in cordis intimis.

Numer. 11. Vulgus quippè promiscuum, qui ascenderat cum eis, flagrauit desiderio, sedens, & flens iunctis sibi pariter filiis Israel, & ait: Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique & cepæ, & allia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man.

§. IV.

Qui à Deo deficiunt, nihil non luctuosum & vile complectuntur.

ECce qui Dei despiciebant mẽsam, quales sibi dapes effingunt, quæ nimirum pepones, allia, & cepas, quæ lacrymas à comedentibus eliciant. Quippè ait: *Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique & cepæ, & allia.* Sic vniuersi, qui à Deo deficiunt, nil habent, quod ex mundo metant, nisi id, per quod in lacrymas abeant, & luctus. Id quod præclare ponderans D. Greg. *D. Greg.* lib. 20. Moral. cap. 16. inquit: *Manna igitur deserentes, cum peponibus, & carnibus, porros, cepasque quæsierunt, quia peruersæ mentes dulcia gratiæ per quietam dona despiciunt, & pro carnalibus voluptatibus laboriosa huius vitæ itinera etiam lacrymis plena concupiscunt, contemnunt habere, vbi spiritualiter gaudeant, & desiderantes appetunt, vbi carnaliter gemant.* Quid pulchrius? Sic protsus se habet omnium peruersorum cupiditas: fastidit suauia omnia, quæ in Deo sunt, amat illa, quæ in mundo nihil citius pariunt quàm lacrymas, quàm gemitus, quàm suspiria. Et quid extra Deum non luctuosum & vile potest amari? Primi illi præuaricatores iam pomi esum Dei præpoluerant præcepto, & sese à Deo elongauerant. Quid tunc? Ait Genes. 3. *Gen. 3.* *Aperti sunt oculi amborum, cumque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, &c.* Expende, ex quo a Deo deficiunt, ad quid manus tendunt, nimirum ad folia ficus, & aspera, & nimis acerba. Cur non magis ad platani folia contendunt, siue ad vitis folia, quibus suauius, & lenius inducerentur? Sed ea est mens peruersorum, quæ non gaudeat nisi vilibus, & acerbis. Vt merito dicat D. Basil. *Basil. Sel.* Sel. orat. 3. *Iam seductionis fructus vindemiarunt. Consuerunt enim folia ficus.* Ioius est semper miserorum errorum vindemia, non equidem in suauibus fructibus, sed in vilibus foliis aculeorum, & acerbitatum plenis. Nec aliud metere potuit filius ille, qui à patre recessit, vt sua parte frueretur, de quo D. Lucas cap. 15. *Luc. 15.* *Congregatis omnibus adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriose . . . Et factus est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere, & abiit, & adhæsit vni ciuium regionis illius, & misit illum in villam suam, vt pasceret porcos.* Ecce tibi, qualis fuit miserè census sine patre Deo quæsitus, & possessus; fuit equidem illi non voluptatum, sed ærumnarum amplissima materies. Ex quo eleganter D. Chrys. *Chrysost.* ser. 1. *Ecce quid facit cupiditas præcepta. Ecce quemadmodum sine patre census nudauit. Quod vita, quod morum, quod libertatis, quod est gloria nihil reliquit. Ciuem peregrinum liberum mutauit in seruum, iunxit porcis, à patre pessime quem seiunxit, vt seruiret cœnoso pecori, qui pietati sanctæ parere contempsit.*

Et

Et fallar, si quis Deo separatus possit aliud habere quam id, in quo experiatur extremam amaritudinem, extremamque ruinam. Matth. 22. quidam diuinarum nuptiarum veste dimissa ausus est intrare aulæum principis, ibi eum rex vidit, & statim damnauit, dicens ministris: *Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores.* Non miror, quod illum iubeat in tenebras mitti, sed miror, quod in medio nuptiali conuiuio illum ligari pedibus, manibusque iubeat. Vbi tunc funes ad ligandum? Vnde possent laquei pro ligando reo tunc temporis requiri? Erantne prompti in regalibus nuptiis laquei? Inter tot festa erant præ regis manibus funesti funes? Absit; non erant in regis gymnæceo funes; sed in reo ipso, ex quo enim Deo nuntium remiserat, & quod Dei erat, in se exuerat, non poterant illi omnia sua non scatere funibus, quibus periret. Ait Victor Vticensis lib. 4. de Persecut. Vvandalica: *Eumtum stolam rex conspiciet nuptialem, dicetque: Non video, quod contuli, non nosco, quod dedi. Perdidisti militia chlamydem, quam in tela virgineorum membrorum decem mensibus texi, & tendiculas crucis, quas extendens aquam mundani & purpura mei sanguinis decorani, non conspiciunt oculi mei, characterem non video Trinitatis: talis interesse non poterit epulis meis, ligate eum pedibus & manibus, funiculis suis, quia se voluntarie separare voluit, &c.* Expende illud, *funiculis suis*; vbi enim à Deo defecit miser, & quæ Dei erant, à se expuit, nihil citius in suis habuit, quam laqueos, quibus pereat strangulatus.

Matt. 22. *Victor.*

§. V.

Superflua ciborum gula obliuionem generat Dei.

Receperant Israelitæ à Deo & coturnicum abundantiam in vespere, & panem cœlestem in mane, nunc benefactoris obliti clamant: *Quis dabit nobis ad vescendum carnes?* Prorsus quippe desperant se posse carnes in deserto ab aliqua potentia accipere. Et vnde tenuit tanta desperatio miseros? Cur adeò nefarie obliuiscuntur Deum, à quo iam semel acceperant in deserto coturnices? Quæ illos res tanti beneficij fecit immemores? Ipsi dicunt: *Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, cepe, & allia.* Vbi tot ciborum species in mentes illorum veniunt, gulamque hominum trahunt, non miror, quod in illis extremam Dei obliuioné faciát. Ait enim D. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 383. *Superfluum sibi sumptio, non esus est, sed saturitas & est, & appellatur. Saturitas porro contumelia, ac petulantia mater est. Quapropter, ne intemperantia demus operam, per quam Dei quoque obliuio in mentem venit.* Equidem per ciborum intemperantiam in hominum animis Dei obliuio generatur. Vnde quando Deus hominem inter paradisi escas constituit, simul cauit, ne vesceretur fructibus arboris, quæ arbor scientiæ dicebatur. Gen. 2. *De ligno scientiæ boni, & mali ne comedas.* Et cur vnius arboris escas prohibere maluit? Ne in effræni licentia vescendi omnibus, prorsus extingueretur memoria benefactoris tanti. Sic D. Basil. Sel. orat. 3. fatur: *Accipe potestatem in omnia, vno solo te abstine, vt omnia manus extendatur, & ad vnum contrahatur; vt prohibitore gustu præbitorem quoque agnoscas, & vnius priuatio recordationem extitet illius, qui dedit vniuersa, ne voluptas vndequaque circumfusa beneficij memoriam spoliet, ne per inexplebilem voracitatem in ignorantiam delaberis.* Ecce tibi vnius arboris abstinentia præscribitur, quæ creatoris Dei memoriam conseruet; si enim edendi licentia sine lege per omnes arbores curreret, abdubium, quod Dei memoria prorsus eliminaretur ab hominibus.

D. Isidor. *Gen. 2.* *Basil. Sel.*

Num. 11. Audiuit ergo Moyses populum flentem per familias, singulos per ostia tentorij sui. Iratusque est furor Domini valde, sed & Moysi intoleranda res visa est, & ait ad Dominum: Cur afflixisti seruum tuum? Quare non inuenio gratiam coram te? Et cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi: Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, &c.

§. VI.

Inde onerosi, & difficiles subditi fiunt principi, quod princeps non illos vt pater respiciat.

Sanè intolerabiles erant Israelitæ Moysi, & onerosi nimis, adeò vt merito dicat textus: *Moysi intoleranda res visa est*, & onus supra vires. Sed scire cupis, vnde oriebatur, quod adeò intolerabiles fierent suo principi? Rem ostendunt aperte verba illa: *Nunquid ego concepi hanc multitudinem, vel genui eam?* Non se illorum patrem agnoscebat, sed nec vt pater respiciebat illos, inde non miror, quod ipsi prorsus intolerabiles, & maximè onerosi fierent. Gen. 22. Abrahæ dicebatur: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli: Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Concors est Patrum sententia, per stellas intelligi mundi nationes, quæ sub principe Abrahamo fidei palmas accipient. Sed quando gentes in veritate sanguinis tam remotæ sint ab Abrahamo; vnde venit quod illi tanquam stellæ affulgeant, in eiusque familiæ censu sic numerentur, quasi clarissima eius pignora ingentem eius ostendentia claritudinem? Dantur Abrahamo nationes in filiorum numerum, vt ipse eas tanquam earum pater respiciat, vnde factum est, quod non terrenam molem, sed cœlestes virtutes in eis videat. Pulchrè aiebat D. Leo ser. 3. de Epiph. *De gentibus quondam beatissimo Abrahæ innumerabilis fuerat promissa successio, non carnis semine, sed fidei fœcunditate generanda, & ideò stellarum multitudini comparata, vt ab omnium gentium patre nō terrena, sed cœlestis progenies speraretur.* Expende ab illis, nimirum: *Ab omnium gentium patre*: quippè ex quo Abraham vt pater respicit omnes gentes, illæ non terreni ponderis, sed cœlestis virtutis, & splendoris sperantur esse. Qui pater nescit esse subditorum, ille & patitur subditos terrenos, & ponderis prope immensi; qui se vt patrem gerit, sicque respicit omnes quasi omnium pater esset; sub hoc semper spectantur subditi cœlestes, multisque virtutibus refulgentes. Hinc duritiam Ioabi non sustinens Dauid aiebat 2. Reg. 3. *Porro viri isti filij Saruiæ duri sunt mihi.* Simplicius dixisset, iste Ioab durus est mihi; cur maluit eum nominare Saruiæ filium? Intolerabilem eius duritiem ostendens maluit nominare Saruiæ filium, non illum ipse vt pater aspiciens, non enim de paterno principis amore posset oriri tam incompositus, & durus filius. Quandiu patrem agit princeps erga subditos, euidenter patent subditorum virtutes. Vnde aiebat Cassiod. lib. 2. Var. 24. de Senatoribus Romæ locutus: *Ad hoc Patres in illo principio nominari fuistis, vt quasi filiorum per vos possit vita componi. Vos enim deuotionem prouinciis, vos priuata iura decreuistis, & ad omnes iustitiæ partes subditos parere liberter docuistis.* Ecce dum Senatores Patres habebantur, nulla nō virtus, nulla non obedientia refulgebat in subditis. Semper, mihi crede, paternæ principis curæ correspondent fulgidæ subditorum virtutes. Sic dum Naaman iratus despiciebat prophetæ consilium, imò & salutem despiciebat suam, ait 4. Reg 5. *Accesserunt ad eum serui sui, & locuti sunt ei: Pater, si rem grandem dixisset tibi propheta certe facere debueras, &c.* Serui illius erant, & cum serui essent, nihilominus eum vocant patrem. Cur non potius dominum vocant? Cur serui vocare patrem audent? Erant serui, sed serui bene morati, & de domini sui salute valde soliciti; merito ergo vocant non dominum, sed patrem, ostendentes non de alio, sed de paterno domini amore venire, quod serui sint domino salutares. Ex eo enim quod dominus patrem agat erga subditos, subditi fiunt erga dominum bene morati.

Gen. 22. *D. Leo.* *2. Reg. 3.* *Cassiod.* *4. Reg 5.*

§. VII.

Valde laboriosum principi est puerilibus subditorum cupiditatibus seruire.

Semel Moyses super se susceperat populi gubernationem, illamque libenter administrarat, modo autem vehementer detrectat illam, fatus: *Cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me?* Et quod antea susceperas pondus, cur modo illud detrectas? Quid noui inuenisti in illo pondere, vt effugias illud? Sanè illud nouiter intolerabile experitur, nimirum: *Vt dicas mihi: Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum.* Putarat antea à se viros esse portandos, modo videt non viros, sed infantulos moribus, & intolerabile putat puerilibus eorum cupediis seruire. Ait Lyra in additione 4. in Glossa: *Licet Moyses acceptasset*

regimen populi sibi à Deo commissum, hoc tamen intelligebatur, in quantum essent rationi consentanei, saltem sicut homines adulti, non autem vt pueri; & ideo conquerens dicebat: Vt dicas mihi, Porta eos sicut nutrix. Licet sustinuissem pondus populi, qui se haberet vt homo adultus, non tamen possum sustinere eos, qui se habent, vt infantulus in sinu nutricis. Intolerabilis equidem res est, quod infantulorum cupediis, & fastidiis seruiat prælatus, & princeps. Validissimus omnium debet esse ille, qui negotia populi infantiles mores faciat in viam Dei currere. Hinc Exod. 15. ait: *Tulit Moyses Israel de mari.* Expende illud verbum, *Tulit*, quo significatur Moyses immensum populi totius onus suis humeris sustulisse, vt de mari egrederetur. Et quam ponderosum hoc fuit Moysi? Ait ibi Rupert. *Bene ergo dictum est, Tulit, quia grande onus super se tollit, quisquis infantiles hominum mores tollit, & secundum Deum portare intendit.* Et nescio, an sit vllus, qui tanto huic oneri non succumbat; sic enim est animo comparatum, vt nullis puerilibus subditorum querimoniis, aut cupediis mouearis, hoc alias vires requirit, quam suot, quæ communiter inueniuntur in principibus.

Exod. 15.

Rupert.

Vt dicat ipse Egesippus: *Dauid petit ex hoc corpore quasi de quodam carcere liberari. Nullus tamen sanctorum necem sibi ipsi vsurpat, nullus præcipit. Si lucrum est mors, furtum est vsurpare ante expectatum. Si bonum est viuere, sacrilegium est repudiare, antequam reposcatur.* Vnus Deus est vere Dominus vitæ, mortisque nostræ: illo tenente velle mori, furtum est abiectissimi hominis proprium, alienum prorsus ab homine magnanimo. At magnanimus, & fortis erat Saul, qui tamen sibi intulit manus, ait enim 1. Reg. 31. *Arripuitque Saul gladium suum, & irruit super eum.* Regis facinus Egesippus fatur: *Regis Saul exemplum promitur, eius certè qui aduersus voluntatem diuinam rex postulatus est, & offensam meruit Dei. Vnde etiam cum viueret, successorem accepit. Egregium exemplum viri, cui defuit Dei gratia. Saul tantum se solus peremit, non Ionathas, non quisquam alius in nostris scripturis. Quid mirum si potuit se perimere, qui potuit etiam filium occidere?* Hæc ibi, & alia, quibus manifestè conuincitur, non esse boni viri sibi inferre manus, sed mortem à Deo expectare.

Egesipp.

1.Reg.31.

Num. 11. Vnde mihi carnes, vt dem tantæ multitudini? Flent contra me dicentes: Da nobis carnes, vt comedamus. Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis mihi est. Sin aliter tibi videtur, obsecro, vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis.

§. VIII.

Bonus vir nullis calamitatibus adigi debet, vt mortem sibi inferat, sed illam à Deo expectet.

MVlto puerilis populi oneri pene succumbebat Moyses, adeò vt inter tot difficultates tæderet etiam viuere, & mortem anxie contendit a Domino fatus: *Obsecro, vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis.* Mala circumdantia impellebant Moysem in mortis cupiditatem; vt mortem à Deo postularet, sed minime vt mortem sibi inferret. Potest bonus vir, & fortis eo malorum deduci, vt mortem postulet, non vt sibi eam inferat. Quò spectant pulchra Iosephi verba datasociis persuadentibus, vt sibi inferret manus, cum esset in extremis calamitatum. Sic enim ait apud Egesippum lib. 3. cap. 17. *Inter tot mala, quid potissimum suauitatis in hac vita superesse? Tu modo omnipotens Pater, qui naturæ author, atque arbiter es, honestum largire exitum, tu rumpe naturale hoc vinculum, redde animam meam secretis suis. Extinctus sit populus, ereptum ius, libertas infracta, non præuaricabor tamen legem tuam, vt moriar iniussus. Expecto, vt iubeas, expecto, vt soluatam liberos. Multos habes executores, à te expecto imperium, ab executore mansueriam. Bonum est mori, sed moriar vt Hebræus, nõ vt latro, non vt carnifex, non vt hostis. Victus sum licet bello, manebo tamen, quod natus sum, vt Abrahæ patris hæreditatem non deseram. Non transibo in numerum hostium, vt ipse meus percussor sim.* Quid pulchrius? Sic fortes magnanimique viri mortem quandoque expetunt, illamque ex Deo accipere procurant; nullis tamen malis eò redeguntur, vt sibi manus inferant. Quis numeret malorum examina Iobum opprimentia? Erepta illi fuerunt omnia bona, filij interempti, caro ipsa à vermibus comesta; tot dolores, tot cruciatus illati, vt ipse dicat cap. 3. *Pereat dies, in qua natus sum. Quare non in vulua mortuus sum, egressus ex vtero non statim perij? Quare misero data est lux, & vita in, qui in amaritudine animæ sunt? Qui expectant mortem, & non venit, gaudentque vehementer, cum inuenerint sepulchrum.* Sic verbis inuehit in vitam malis oppressam, & mortem præfert illi, & æque facile posset manibus insurgere in vitam, illamque sibi eripere. Sed absit hoc à bono, & forti viro, cuius est amare mortem, sed minime illam præripere. Ait Egesippus supra: *Ipse Iob, qui dixit, Pereat dies, in qua natus sum: tamen in vulneribus, & doloribus constitutus vitæ huius vincula non disrumpebat, sed vt liberaretur, rogabat dicens: Vt quid datum est in amaritudine lumen, vita natam in doloribus animæ? Laudabat itaque mortem, non tamen præripiebat, sed postulabat.* Non est magnanimi igitur que viri mortem sibi præripere, sed eam a Deo postulare. Ex quo Dauid multis obtutus malis Psalm. 140. clamabat: *Educ Domine de custodia animam meam.* Sic corpus habebat, quasi animæ carcerem, nec tamen carcerem rumpere intendit, sed liberum inde regressum à principe flagitat.

Egesipp.

Iob 3.

Egesipp.

Psal. 140.

Numer. 11. Et dixit Dominus ad Moysem: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel; quos tu nosti, quod senes populi sint, ac magistri, & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, vt descendam, & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo, tradamque eis. Vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris ::: Venit igitur Moyses & narrauit populo verba Domini, &c.

§. IX.

Non hominis est, sed Dei admittere in regimine consortes.

VIde quam facile Deus remediũ apponat laboribus Moysis; laborabat ipse paulò ante sub regimine populi, aiẽs: *Non possum sustinere omnem hunc populum. Obsecro, vt interficias me:* quos cruciatus facile Deus absumit, quippè ait: *Congrega mihi septuaginta viros ::: Vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris.* Et quidem facile poterat Moyses hoc remedium per se intelligere, & præcipue cũ admonitus a Iethro, & decanos eligit, & centuriones, qui minores populi causas attenderent. Posset & tunc etiam alios eligere præstantiores, penes quos esset cura etiam maiorum causarum, & qui æque principaliter, ac Moyses prouiderent saluti populi. Cur vel onere pressus, vel querulus sub onere, adeò vt tæderet eum etiam viuere, nihilominus non deuenit in consilium, & medium adeò promptum, sed magis expectauit, vt illud præstaret Dominus? Equidem quantumuis homo prematur, & gemat sub regiminis onere, non est eius in id consilium venire, vt regiminis accipiat consortes, quis enim hos libenter accipiat, non homo est, sed Deus solus. Merito namque hoc vni Deo canebat Claudius Marius in Præfat. ad lib. Genesis, inquiens.

> *Te Dominum naturæ probat seruata caducis*
> *Partibus, & iussum seruans datus ordo fatetur.*
> *Tu dociles numeros distinguis, pondera libras,*
> *Mensuram vastas, modulos, motumque gubernas.*
> *Nec enim hoc tua gloria tantum*
> *Quod præstanda facis bonus author; sed quod & ipsa*
> *Efficere vt possint iussis præbere secunda*
> *Non dedignaris*

Hæc vnius Dei gloria est, quod ipse & faciat, & gubernet cũcta, & quod similem efficiendi, & gubernandi potestatẽ causis tribuat secundis, quas in regiminis consortium secum admittit. Hinc Psal. 18. vbi ad solis fabricam ventum est, dicit: *In Sole posuit tabernaculum suum, &c.* vbi D. Hier. in Apologet. lib. 3. legit: *Soli posuit tabernaculum in eo,* hoc est, in cœlis. Nec otiose dicitur Deus specialiter construxisse tabernaculũ soli, sed vt ostendatur à Deo venisse, quod sol non luceat semper, integrumque tẽporis haberet imperium, sed quod imperij partem Lunæ cederet. Id quod in illis verbis intelligunt

Psal. 18

Hieron.

Placidus Parmensis, & Agellius, & merito: quando enim vident temporis potestatem partitam inter solem, & Lunam, vt sol sit in præfecturas diei, & Luna in præfecturas noctis; non id tribuunt naturæ illorum, sed Deo sic disponenti; à quo vno potest venire, quod creatura admittat consortem imperij. Vnde Amalesuntha Gothorum regina naturalis, dum propinquum suum ad regni consortium eleuat, id totum attribuit Deo. Ait enim apud Cassiod. 10. var. 3. *Author ille castitatis, & misericordia singularis, qui nobis primanum subtracturus erat filium, maturi fratris reseruauit affectum. Elegimus, Deo auspice, consortem regni nostri felicissimum Theodahadum. Vt qui hactenus Rerpub. molem solitaria cogitatione pertulimus, nunc vtilitates omnium iunctis consiliis exequamur. Astra ipsa cæli mutuo reguntur auxilio, & vicario labore participata mundum suis luminibus administrant. Ipsi quoque homini duplices manus, socias aures, oculos geminos diuina tribuerunt. Referauimus itaque, Deo iuuante, palatia viro nostri generis, &c.* Sic nobilis Regina vni Deo tribuit, quod consortem regni admisit, quod Deo auspice, Deo adiuuante fecit, & de imitatione Dei, qui homini geminas manus, geminosque oculos tribuit, nec in Astris voluit imperium non esse partitum. Id quod necessum est admittat, quisquis se ad Dei naturam voluerit constituere, de quo solo venit consortem imperij admitti. Quę autem natura creata est, mordicus cōsortem dignitatis fugiat, adeo vt vel Deus ipse dum creaturis aduiuit, consortium prorsus declinet. Sic Psalm. 18. *In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam sponsus procedit de thalamo suo.* Ipse rex regum est & dominus dominantium. Cur ergo non dicitur exisse vt rex, vt princeps omnium, sed dicitur exisse vt sponsus? Sponsi ingenium illud est, vt minime alterius consortium admittat, vt ostendatur autem Deus quam alius exeat, ex quo posuit in sole tabernaculum suum & se accommodat creaturis, dicitur exisse vt sponsus, nimirum, omne consortium abiurans. Hæc est enim creaturarum natura, quæ minime in bonis consortium admittit.

Cassiod. *Psal. 18.*

§. X.

Id maxime curandum in principe, quod sit affectus erga religionem.

EXpende, quo deducantur eligendi in principes Israelitarum, nimirum dicit: *Duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, facies que ibi stare tecum, &c.* Et cur ad ostium tabernaculi stare iubentur, vt inde in principatum eleuentur; nisi vt circa tabernaculum, eiusque cultum maneant affecti? Cum enim id in primis curandum est in principe, vt religionis imbibat affectum; merito ad ostium tabernaculi eliguntur, nunquam enim non læti, & propitij respicient illa, circa quæ principatum acceperunt. Mordet Iosephus Iudæos, quod rebellarint contra Romanos eo præcipue tempore, quo Vespasianus imperabat, qui non poterat benignus in Iudæos non esse, quod in Iudæa Imperium acceperat. Sic enim ait apud Egesippum lib. 5. cap. 17. fatus: *Spreuisti Neronem, sed Vespasianus successerat, qui benignus natura, benignior tamen studio erga Iudæos esse potuit, quia in Iudæa imperiū assūpserat.* Et quis nō maneat affectus ad ea inter quæ ad principatus gloriam fuit euectus? Meritò ergo eligendi in principes Israelitarum iubentur esse circa ostium tabernaculi, vt inde euecti, erga religionem cultumque diuinum maneant affecti, quod in principibus maxime est requirendum. Ex nullo enim magis, quàm ex cultu diuino splendet honor regius. Hinc castigans Dominus Salomonem, prædicensque illi regni scissionem ait 3. Reg. 11. *Tribum vnam dabo filio tuo propter Dauid seruū meum, & Ierusalem, quam elegi.* Itaque vna tribus Iuda reseruanda erat filio Salomonis propter Dauid seruum Dei, vt in ea regnaret Dauidicum semen, sed & Ierusalem illi etiam datur, licet non ad tribum Iudæ, sed ad Beniamin pertineret. Cur ergo Regi Iuda tribuitur etiam Ierusalem, quæ minime ad Iudam pertinebat? Necessum equidem erat, vt regius splendor Iudæ permaneret, quod Ierusalem, in qua templum diuinum florebat, illi adiungeretur, vt sic Reges magis ad religionis cultum afficerentur, & firmius regnum relictum tenerent. Sapienter enim ait Lyra in Glossa: Datur Regi Iuda Ierusalem, *vt vbi vigeret cultus diuinus, ibi remaneat honor regius.* Sic semper in regibus, vt splendeant, requiritur ad diuinum cultum affectus. Quo respiciens Iob cap. 8. aiebat: *Nunquid viuere potest scirpus absque humore? Aut crescere carectum sine aqua? cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit. Sic viæ omnium, qui obliuiscuntur Deum, & spes hypocritæ peribit.* Quæ verba expendens Olympiodor. in hominis politici, siue athei confusionem fatur: *Quemadmodum fieri non potest, vt scirpus, carectum ve, aut adolescat, aut demetatur, nisi humorē ante combiberit, quin etiam omnis herba nisi irrigata fuerit, exarescit, sic & rerum florens status sine pietatis studio permanere non potest.* Hoc dixit Olympiodorus, hoc experientia docet; quando nullus rerum status diu floruit sine studio veræ religionis. De quo alibi sæpe.

Egesipp. *3. Reg. 11.* *Lyra.* *Iob 8.* *Olymp.*

Num. 11. Congregans septuaginta viros de senibus Israel, quos stare fecit circa tabernaculum. Descenditque Dominus per nubem, & locutus est ad eum, auferens de spiritu, qui erat in Moyse, & dans septuaginta viris. Cumque requieuisset in eis spiritus, prophetauerunt, nec vltra cessauerunt.

§. XI.

Magna laus hominis, cui alij debent splendorem, quo fulgent.

ELectutus Dominus septuaginta principes, Moysi remittit eorum explorationem, dum dixit: *Quos tu nosti, quod senes populi sint.* Insuper à Moyse aufert spiritum quē illis præstat. Sic modo ait: *Auferens de spiritu, qui erat in Moyse, & dans septuaginta viris.* Nihil enim principibus illis permittit, quod non veniat à Moyse, in hoc maxime extollens hominem, cui tot principes debeant, quod splendeant in populo. Sic apud Cassiodor. 10. var. 4. Rex Gothorum Theodahadus extollebat Reginam Amalesuntham, à qua ipsi regni consortium. Dicit namque: *O animi nobilitem singularis! En aquitas mirabilis, quam mundus loquatur. Explorauit conscientiam, cui erat regni traditura censuram: vt & illa domina cognosceretur esse cunctorum, & me probatum perducere dignaretur ad regnum. Quando eius muneribus, quādo soluemus tanta gratia, qua debemus? Vt qua cum paruulo filio regnauit sola, nunc mecum delegerit regnare sociata? In ipsa enim est decus regnorum omniū, in ipsa est nostra origenis flos bonorum. Quidquid fulgemus, ab eius claritate suscepimus.* Sic merito extollitur illa, cui alius debebat, quod fulgeat in throno regali. Vt hunc extollas Moysem, de cuius spiritu venit, quod septuaginta alij principes in populo Dei effulgeant. Imo ille maxime supra omnes extollatur, cuius spiritus communicatus pluribus, plures reddat virtutum muneribus conspicuos. Inde Dominus commendans præstantissimos discipulos suos ait Matth. 5. *Vos estis sal terræ.* Cur sales vocat eos, quos posset aurum, vel pretiosum aliud, & splendidum nominare? Sal, plusquam aurum facit, vt de eius virtute plura vitæ necessariissima fiant. Ait enim Cassiodor. 12. var. 24. *Potest aurum aliquis minus quærere, nemo est qui salem non desideret inuenire; merito, quando isti debet omnis cibus, quo potest esse gratissimus.* Equidem nullus est cibus adeo suauis, & gratus, qui hoc non habeat de salis beneficio. Sumendum est semper aliquid de sale, quo saporentur omnes alij cibi necessarij ad vitam; vnde honor salis crescit super aurum ipsum. Sic sancti viri, sic doctores Ecclesiæ eò honoris peruenerunt, vt de eorum spiritu vniuersi alij illustrentur, & viuant. Sic parens meus Ignatius tantus est, vt de eius spiritu pueri prima Christi elementa edisćant, adolescentes in virtute proficiant, viri præstantes Reipublicæ oneri non succumbant, peccatores in Christo reuiuiscant, iusti citius perueniāt ad columen iustitiæ. Nullus denique spiritualis cibus est, qui non debeat Ignatio, quo possit esse gratissimus, siue is sit rudimēta prima doctrinæ Christianæ, siue acer grammaticæ succus, siue Philosophiæ, siue Theologiæ nectar; omnia Ignatij spiritus suauiauit, saporauit, vt auide sumantur à cunctis. Quam gloriam promittebat Dominus Abrahamo Gen. 17. *Ponam fœdus meum in te, multiplicabo te vehementer nimis.* Sed quantum hoc quod Abrahamus multiplicetur? Sane aiebat Isaias: *Multiplicasti gentem, non multiplicasti lætitiam.* Quando ergo hominum multiplicatio non adeo læta est, cur illam Abrahamo promittit? Non promittitur multiplicatio gentis communis Abrahamo, sed illius gentis multiplicatio, quæ de spiritu, & virtute Abrahami viuat, adeò vt videantur Abrahami esse multi. Sic Procopius in Glossa inquit: *Quod multiplicans multos homines faciat Deus, minime mirandum est. Nam alia gentes præter Iudæos extitere populosa. Verum Abrahamus sic multiplicatur, quasi plurimi futuri sint Abrahami. Nam ex ipso prodituri sunt sancti, liberique imitabuntur fidem.*

Cassiod. *Matt. 5.* *Cassiod.* *Gen. 17.* *Isaias.* *Procop.*

fidem, & opera patrum. Hæc est gloria Abrahami, quod de eius fide, & virtutibus multi sumeot, quo viuant paternarum æmuli virtutum.

§. XII.

Maxima præstantia viri est, quod tanta in se vno habeat magnalia virtutum, quanta multis, vno integra populo sufficiant.

DE Moysis spiritu aufert Dominus, vt septuaginta alios duces impleat. Ait enim: *Auferens de spiritu, qui erat in Moyse, & dans septuaginta viris.* Et cur necessum fuit auferre de spiritu Moysis? An non habebat Deus aliunde spiritũ, vt impleret illos? Habebat equidem, sed voluit ostendere, quantus erat Moyses, qui in se vno habebat spiritum, qui septuaginta sufficeret. Ecce tibi Iudic. c. 15. ex vna parte integer Philisthinorum exercitus, ex parte autem aduersa vnus Samson, isque funibus ligatus. Quid tunc? Concutitur, & Samson *mandibulam asini, quæ iacebat, arripiens interfecit in ea mille viros.* Mirabar, quod vnus homo aduersus integrum exercitum iret. Vnde tanta audacia homini potuit venire? De illo ait D. Nazian. orat. 3. *In crinibus situm robur habebat integri exercitus par.* Quid potuit de homine dici maius? Tantum in illo robur fuit, quantum integro exercitui sufficeret. De vno illo poterant integri exercitus milites roborari. De Iosepho sanctissimo dicitur Matt. 2. *Consurgens accepit puerum, & matrem eius nocte & secessit in Ægyptum. & erat ibi vsque ad obitum Herodis, vt adimpleretur, quod dictum est à Domino per prophetam dicentem. Ex Ægypto vocaui filium meum.* Illud est mirabile in verbis his, quod in ingressu, & egressu Mariæ cum puero de Ægypto dicatur impletum illud Isaiæ vaticinium, o mirum, *ex Ægypto vocaui filium meum.* Quod quidem vaticinium librarum antiquitus appropriabat vniuersus populus Israeliticus. Et quidem merito, nam vbi totus Israel Deo ducente Ægyptum reliquit, aperte monstrabat in se, vt Dei primogenitus filius vocabatur a Deo. Quod ergo impletum erat in toto populo, cur notabat Euangelista similiter impleri in Maria cum Iesu filio; nisi vt extolleret gloriam Mariæ, cui vni datum est, quod toti populo Israelitico suffecisset? Ait D. Chrysost. hom. 8. in Matth. satis: *Ostendit Euangelista, quod nisi Iesus venisset in Ægyptum, non esset impletum illud. Quod quidem ipsum beatam Virginem non mediocriter clarā faciebat nobilem, quia id habuit, quod toti erat populo gloriosum, qui superbius se, atque insolentius efferebant, quod deducente Deo, de Ægypto fuissent reuersi idque ad gloriam suam esse iactabant.* Qua gloria se totus populus iactabat, ea Maria extollebatur, propter quod in immensum crescebat Mariæ gloria, vt quæ vna habebat in se, quæ sufficerent implere magnum populum.

Num. 11. Remanserant autem in castris duo viri, quorum vnus vocabatur Eldad, & alter Medad, super quos requieuit spiritus; nam & ipsi descripti fuerant, & non exierant ad tabernaculum. Cumque prophetarent in castris, cucurrit puer, & nuntiauit Moysi dicens; Eldad, & Medad prophetant in castris. Statim Iosue filius Nun, minister Moysi, & electus è pluribus ait: Domine mi Moyses prohibe eos. At ille: Quid, inquit, æmularis pro me? Quis tribuat, vt omnis populus prophetet, &c.

§. XIII.

Spiritus Sancti virtus potens est etiam de indispositis, & repugnantibus laudes diuinas educere.

QVi assumendi erant à diuino spiritu in populi principes, iubebantur in primis à popularibus seligi, deinde ad ostium tabernaculi constitui. Sed de his duo, vel quia non vocati, vel quia iuste occupati, adhuc manebant in castris inter cæteros populares, nec ad ostium tabernaculi ierant. Et nihilominus ibi a diuino spiritu arrepti, statim prophetarum voces, & cantus acquirunt. Ait enim *Remanserant autem in castris duo viri, quorum vnus vocabatur Eldad, & alter Medad, super quos requieuit spiritus; nam & ipsi descripti fuerant, & non exierant ad tabernaculum. Cumque prophetarent, &c.* Ecce tibi, & qui à popularibus non erant separati, nec ad tabernaculum iuerant, nihilominus vbi à diuino spiritu corripiuntur, in voces diuinas, & propheticas exurgunt. Sic clarius ostendebatur diuini Spiritus virtus, qui quando vult, etiam de indispositis, & repugnantibus scit diuinas laudes educere. Ierem. cap. 31. vbi noster legit: *Cognoscent me à minimo vsque ad maximũ, &c.* legit D. Chrys. *Intelligent me à paruo eorum, vsque ad magnum eorum, & omnis lingua confitebitur Deo vero:* & statim subdit remissiam, nimirum, quod Sancto Romano martyri erepta fuerit à tyranno lingua, & quod nihilominus ipse promeret cãtus diuinos. Quantum hoc? Sane virtutis diuinæ argumentum illud propheticum erat, quod *omnis lingua confitebitur Deo vero.* Romanus autem Deo confitetur etiam elinguis. Is enim est diuinus spiritus, qui vel ex indisposito, vel ex repugnanti, omni instrumento, & dispositione exclusa valeat elicere laudes diuinas. Ait D. Chrysost. hom. 2. de Sancto Romano: *Propheta quidem Ieremias linguam omnem cognitionis Dei vero concludit, nos verò hodierno die etiam elinguem oratorem pietati patrocinantem audimus: velut enim cithara quadam plectro destituta creatorē collaudat. Dicat igitur B. Romanus. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis quanam lingua? Non ea, quam ferrum eripuit, sed quam Spiritus gratia fabricata est: lingua quippè auulsa, Spiritus gratia in eius locum est suffecta.* Et vbi Spiritus sancti gratia adest, non eget instrumento vllo, dispositione vlla non indiget, sed vel repugnãtia quælibet in voces aget diuinas. Exod. 3. *Apparuit Dominus in flãmma ignis de medio rubi, & videbat, quod rubus arderet, & non combureretur.* Magnum hoc? Sed accipe fortan maius: *Vocauit eum de medio rubi, & ait, Moyses, Moyses.* Ecce tibi rubus non solum nõ comburitur sub flammis, sed etiam fit vocalis, & clara voce Moysem ad se trahit. Vnde hoc, vt rubus loquatur? Insidet illi diuini spiritus flamma, de cuius virtute non miror, quod vel rubus diuina loquatur. Ea quo eleganter Chrys. supra ait: *Rubus & ignis fuit: Apostolicæ ignis prædicationis Euangelicæ voces in rubo præsignabat, ac vocem res inanimata impertit, vt ea cum tetigerit animata instrumenta, credatur. Si enim rem inanimatam contactus ignis vocalem reddidit, nonne debuit, cum rationis præditas animas repleuisset, ex contactu carmen concinnum admodum personare?* Equidem siue inanimis, siue animata res sit, quãcumque tangit diuini spiritus flamma, non poterit non personare diuinas laudes. Hinc Actor. 2. ait: *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, &c.* Et cur necessum fuit, vt Spiritus sanctus Apostolos implens appareret illis insidens sub forma linguæ? Crediderim eo significatum superfluas esse, & otiosas omnes alias linguas, vbi spiritus diuinus creaturam implet suam, quam etsi elinguem, & mutam, ipse reddet vocalissimam. Vt merito dicat Chrysost. vbi supra: *Habebant & linguas Apostoli, sed vt operantis virtus indicaretur, lutum otiabatur, & ignis cœlestis loquebatur.* Sic ibi: otiosa enim est carnea, luteaque lingua, vbi Spiritus sancti afflat virtus, quæ de elinguis voces educit diuinas.

§. XIV.

Sancti in ciuitatibus vix sunt sine persecutione; maiori admirationi sunt, & æstimationi in solitudine.

SExaginta & sex viri à popularibus remoti, ad ostium tabernaculi constituti spiritu Dei pleni prophetabãt, & nemo illis molestus extitit, nemo de illorum spiritu disputat. Duo alij eiusdem spiritus participes prophetant in castris; media in populi multitudine, & ecce in illos Iosue insurgit. Quippè ait textus: *Cum prophetarent in castris, cucurrit puer, & nuntiauit Moysi dicens, Eldad, & Medad prophetant in castris. Statim Iosue filius Nun, minister Moysi electus è pluribus ait. Domine mi Moyses prohibe eos.* Non sic locutus fuit Iosue aduersus alios, cur loquitur aduersus hos duos? Alij in remotiori loco prophetabant, ij media in multitudine; virtus autem quæ in remotioribus est, magis colitur, magis suspicitur; quæ autem media in frequentia lucet, nunquam non contradicitur. Quo adduco illud 4. Reg. 22. vbi Iosias rex misit ad consulendum Dominum in propheta, dicit enim textus: *Ierunt itaque Helcias sacerdos, & Ahicam, & Achabor & Saphan, & Asaia ad Holdam prophetidem, &c.* Prophetabat tunc Ieremias in populo, vt multis probat Lyra, & Abul. & Ieremia relicto ad Holdam iuere omnes isti principes missi à rege Iosia. Et quod mirere magis, intereà dicebat Dominus Ierem. cap. 1. *Tu ergo accinge lũbos tuos, & surge, & loquere ad eos omnia,*

Iud. 15.
Nazian.
Matt. 2.
Chrysost.
Ierem. 31.
Chrysost.
Idem.
Exod. 3.
Chrysost.
Actor. 2.
Chrysost.
4. Reg. 22.
Ierem. 1.

omnia, quæ præcipio tibi. Ne formides à facie eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum. Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum super omnem terram regibus Iuda, principibus eius, & sacerdotibus, & populo terræ. Et bellabunt aduersum te, &c. Vide aduersus Ieremiam bellantes & principes, & sacerdotes, & populares; ij autem omnes suspicientes Holdam, ab eiusque ore pendentes sunt. Vnde Holda in tanta veneratione magnatum? Vnde Ieremias in tanta contrarietate? Erat Holda deuota Deo fœmina domi clausa, à popularibus conuentibus remota, in quo eius spiritus suspiciebatur; ad illamque confluebant vniuersi magnates. Erat autem Ieremias vir propheta medius in vrbe clamans, virtutumque cœlestium fulgurans radiis; nunquam autem virtus in medio posita contradictionem, & persecutionem non patitur. Quis & modo non videat remotas à frequentia personas, sanctasque fœminas quæri, suspici, magnoque æstimari; & conspicua virtute viros in medio positos despici, morderi, multisque maledictis prouocari? In se ipso expertus querebatur Nazianz. orat. 2. *Quidnam hoc rei est; fratres, quod tam lente, & segniter ad sermonem nostrum accedetis: tam præsertim in vi afferenda, nobisque extrahendis à solitudine ita promptis, celeresque fuistis? Et quid causæ est, cur postquam id, quod expetebatis, adepti estis, fastiditis iam atque aspernamini?* Ecce tibi dum in eremo erat sanctus vir, ad illum conueniebant vniuersi, illum magno honore prosequebantur, multisque coegebant venire in ciuitatem. Venit tandem coactus, & cum in ciuitate fuit inter omnes viuens, protinus ab omnibus derelictus est, imo omnes illum fastidierunt, & aspernati sunt, & momorderunt. Id quod etiam euidenter patet in Christo domino, & Ioanne Baptista? Christus enim medius erat inter omnes, Ioannes autem in deserto agebat ab omnibus separatus. Quid tunc? Ioann. 1. *Miserunt Iudæi ab Ierosolymis sacerdotes, & Leuitas ad Ioannẽ, vt interrogarent eũ: Tu quis es?* Vbi præclare notat Origen. *Ioannem quidem cum tanto honore interrogant: Christo autem nihil tale à Iudæis factum literis diuinis mandatum est.* Et cur qui sic honorant Ioannem, Christum potius mordent, persequuntur? Ipse Ioannes ait loquens de Christo Domino ibi: *Medius vestrum stat, quem vos nescitis.* Et quidem quia medius inter populares erat Iesus, ideo minus suscipiebant eius virtutes diuinissimas, imo magis mordebant illum. Ait D. Chrysost. hom. 15. in Ioan. *Multa Ioannis generositatem ostendebant. Vita & asperitate, & omnium hominum contemptu insignis. Siquidem veste, mensa, domo, & ipso victu contempto, eremum ab ineunte ætate incoluit. Contra Christus, cum conuersatio omnibus communis, & vestimenta nihil à vulgo differentia, & cum omnibus eandem habebat consuetudinem. Infamium hominum domum adeunt, vt eos ad meliorem frugem alliceret, quod Iudæi exprobrabant, &c.* Sanè remotam vitam Ioannis venerabantur Iudæi; mordebant autem, quia in medio erat posita, Christi vitam.

Nazian. | Ioann. 1. | Origen. | Chrysost.

§. XV.

Humana malignitas omnium honorem vni sibi vellet adscribi.

ECce vel in sanctissimo viro Iosue quid faciat humana infirmitas, vt audit duos illos prophetantes longè à magistro suo Moyse, statim vellet eorum supprimi prophetias, ait enim: *Domine mi Moyses, prohibe illos.* Non sustinebat bonus splendorem tantæ virtutis esse in aliis, quam in magistro suo. Hæc est enim malignitas infirmitatis humanæ, quæ indignè ferat ab aliis fieri virtutes, quarum honorem vni vellet sibi adscribere. Quo spectans Chrysost. hom. 3. in epist. 1. ad Timoth. inquit: *Laudatur quispiam virtute probatus, quæ ad sanam pertinent doctrinam loquens, & Ecclesiam verbo prædicationis ædificans: nos huic protinus inuidemus, quia quæ Dei sunt gerit. Dum ædificationem illam non per alios, sed per nos fieri volumus: non propter Christum, sed nostri gratia.* Quam sapienter bonus doctor percalluit infirmitatem humanæ naturæ, de qua venit, vt non patiamur honoris facinora per alios fieri. Huc etiam tendit illud Ioann. 1. vbi Ioannes Baptista magna sui admiratione rapiebat Iudæos vniuersos, illisque baptisma ministrabat, quo ad Christi lauacrum facilius disponerentur. Hunc tantum virum conueniunt aliqui missi à Pharisæis, qui illi baptismatis facinus sic obiiciunt, vt hominem ab illo deturbeant, dicunt enim: *Quare ergo baptizas?* Equidem indignè ferebant baptisma illud à Ioanne celebrari. Et cur id indignè ferebant? Ait D. Cyril. Alex. ibi: *Neminem præter se honoratum patiebantur.* Hoc illis erat durissimum, quod alius opus honoris perficeret; quod non solis ipsis cederet, quidquid honoris, quidquid splendoris esset.

Chrysost. | Ioann. 1. | Cyr. Al.

§. XVI.

Multis virtutibus conspicuus debet esse, qui aliorum facinora mordens inuidus nolit apparere.

NOn abs re venit notandum, quam honorificè textus proponat Iosue in præsenti, quippe ait: *Statim Iosue filius Nun, & electus è pluribus ait: Domine mi Moyses prohibe eos.* Expende illud: *Electus è pluribus,* sæpe enim antea nominatus fuerat Iosue, sed nunquam cum hoc elogio, quod electus è pluribus vocaretur. Cur in præsenti, sic electus vocatur? Qui in Iosue nullam volunt admittere vel leuem inuidentiam, dicunt illud elogium merito fuisse præfixum, quando ostendebatur Iosue indigne ferre alios esse prophetas; multis enim splendeat virtutibus, & singularis sit supra omnes, necessum est, qui aliorum facinora carpens inuidus nolit videri. Ex quo ait Theodor. quæst. 21. *Quod verò hac inuidia affectione careret Iosue, satis probat laus illius, sic enim ait: Et respondens Iesus filius Naue electus, qui assistebat Moysi, dixit. Domine mi Moyses prohibe illos.* Itaque ad probandum, quod Iosue non sustinens aliorum virtutes exerceri, ab omni inuidiæ labe appareret immunis, necessum fuit prænotari ingentem illam laudem viri, nimirum, quod familiaris esset Moysi, quod esset electus è pluribus. Numquam enim sine inuidia nota aliorum virtutes potest mordere, nisi forsan, qui se supra omnes alios extollat insignibus virtutibus. Hinc Ioan. 1. *Miserunt Iudæi à Ierosolymis sacerdotes, & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum. Tu quis es?* Et post Ioannis responsum addit textus: *Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. Et interrogauerunt eum, & dixerunt: Quare ergo baptizas?* Quibus duas sortes legatorũ agnoscit Origenes; alios missos à Ierosolymitanis principibus, alios missos à Pharisæis. Ierosolymitani dicuntur misisse sacerdotes & leuitas: Pharisæi vulgares alios miserunt. Sed cur à Ierosolymitanis mittuntur Sacerdotes, à Pharisæis quidam vulgares homines? Equidem Ierosolymitani nulla inuidia, nullo malo zelo explorabant Ioannis virtutes, quod vt testarentur, eos mittunt, qui sacerdotij sanctitate fulgebant. Non sic Pharisæi, qui vt agebantur malo zelo, sic nullum virtutis insigne in suis legatis prouiderunt. Quo respiciens Origen. ibi fatur: *Qui sacerdotes, & Leuitas interrogatum Ioannem miserant, cum & quis non esset, & quis esset, Ioannes intellexissent, honestissime tacent, quasi taciturnitate assentientes, & expressiones, quæ à Ioanne responsa erãt, approbare. Pharisæi autem ostendunt se non idem sentire, quod sacerdotes, & Leuitæ diuini cultus ministri sentirent, &c.* Ecce tibi, vt qui sanctiores legatos mittunt, acquiescunt Ioanni, nullum præseferentes zelum amarum. E contra Pharisæi non possunt non iniquitatem suam ostendere, dum virtutes explorant Ioannis. Vt enim à sanctitate sacerdotum distant, sic inuidentiæ clarius operam nauant.

Theodor. | Ioann. 1. | Eccles. | Origen.

CAPVT XXI.

De coturnicibus à Deo missis.

Textus Historia.

NON vacuas vulgi voces Dominus præteriuit: quæ vt pro carnibus clamabant, sic vsque ad fastidia ex Deo receperunt carnes. Tanta enim coturnicum vis delata fuit, quanta sufficeret, ingentem populum mense integro exsaturare, imo ad nauseam trahere. Saturitatem ira diuina comitabatur, quæ voracium hominum perditione, loco sepulchri nomen attulit.

PARS VNICA MORALIS in textus literam.

IN sepulchra concupiscentiæ iam vocamur, nimia enim hominum voracitas nihil prius, quam sepulchrum affert.

Num. 11.

Num. 11. Populo quoque dices; Sanctificamini: cras comedetis carnes. Ego enim audiui vos dicere: Quis dabit nobis escas carnium? Bene nobis erat in Ægypto. Vt det vobis Dominus carnes, & comedatis: non vno die, nec duobus, vel quinque, aut decem, nec viginti quidem, sed vsque ad mensem dierum, donec exeat per nares vestras, & vertatur in nauseam; eo quod repuleritis Dominum, qui in medio vestri est, & fleueritis coram eo dicentes: Quare egressi sumus, &c.

§. I.

Diuina manus nescit non præmittere beneficia etiam dum irascitur.

EXpende propositionem illam: *Vt det vobis Dominus carnes, & comedatis: eo quod repuleritis Dominum, qui in medio vestri est.* Et quidem, vt sapienter notat Barradas noster, si Dominus diceret; supplicium sumam de vobis, eo quod repuleritis, &c. nil mirum, egregia enim esset consequentia, at non ait, supplicium sumam, sed carnes dabo, eo quod repuleritis Dominum. Quid ergo, sic Deus non castigaturus est reus, sed muneraturus solum? Absit hoc à iustitia Domini; castigaturus est reos, & atrociter castigaturus, sed ea est manus Domini, quæ nesciat ad supplicium moueri, quin prius beneficia præmittat, & misericordiam. Hinc Dauid Psalm. 100. *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine.* Quæ verba ponderans D. Amb. lib. de Noe cap. 3. ait: *Principale est virtutis inchoare à beneficiis, & præseminare gratiã. Vnde Dauid ait: Misericordiam, & iudicium cãtabo tibi Domine. Præcedit beneficij gratia, sequitur cẽsura sobria disciplinæ. Diuinum est igitur, quod bona præmittuntur; nostrum, quod mutantur.* Sic Dei censura, Dei ira non moueri solet, quin prius beneficia mille, mille misericordias præmittat. Hinc cap. 6. Gen. vbi narratur Dei offensa in genus humanũ, & inductio diluuij, sic incipit: *Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant. Dixitque Deus: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. Gigantes autem erant super terram in diebus illis, postquam ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes à sæculo viri famosi. Videns autem Deus quod multa malitia hominum esset super terram, &c.* Ecce ibi vt filij Dei ingressi sunt ad hominum filias, irascitur in homines Deus, illosque reputat, & suo spiritu indignos, & vltima extermin atione dignos. Et post hæc ira Dei excitata, statim numerantur generationes illarum nuptiarum feracissimæ, & validissimæ, quibus & gigantes, & famosi viri super terram excrescunt. Quid est hoc Domine? Siquidem nuptiæ illæ displicuerunt, & ab illis ira tua in genus hominum excandescet, quod iam iam funditus perdet, cur tot illustrium virorũ examinibus illas ditas? Cur nuptiis statim subruendis potentissimorũ virorum partus præbes? Cur non magis illas steriles reddis? Sanè iratus Deus in tales nuptias, præclaros illis filios præbet, nõ quod muneret malos; sed quod nesciat sine præmissis beneficiis ad supplicia procedere. Ait D. Amb supra: *Secundo diluuio nõ debuit æstimari defuisse gratiã fœcunditatis illi generationi, quã diluuio obsorbuerunt, vt quod fuit humani generis abũdantia diuina depulsetur gratia. Sic & in posterioribus inuenies, quod secuturam Ægypti sterilitatem præcessit totidem annorum fœcunditas.* Sic Dei vindictã gratię, & beneficia præcedunt. Id quod etiam ostendunt verba illa Gen. 6. *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est, eruntque dies illius centum viginti annorum.* Ecce indignatus de hominum vita, decernensque ei imponere per diluuium finẽ, id in primis ait: *Eruntque dies illius cẽtum viginti annorum.* Centum viginti annos vitę offert, cum se ad perdendum accingit. Pulchre D. Basil. Sel. orat. 5. *Diluuium proclamat tempusque præfinit, ac pœnitudinis modũ statuit, necnon anteuertit supplicium, excogitans qua ratione videlicet pœnitudinem aliquando. Et quid ait? Non permanebit spiritus meus in homine. Hic iudicij terror est, inducitque pœnitudinis terminos dignos. Eruntque dies illius centum & viginti annorum, &c.* Expende ab illis: *Necnon antevertit supplicium, &c.* quippe hoc est Dei, quod anteuertat supplicia præmittens beneficia. Sic etiã castigaturus Adamum Gen. 3. & maledictionis gladium in illum exerens, maledictionem adscripsit terræ, dicens: *Maledicta terra in opere tuo.* Cur terram pro

Psal. 100.
Ambros.
Gen. 6.
Ambr.
Gen. 6.
Basil. Sel.
Gen. 3.

maledictionis fundamento subiicit? Erat mortali facto in terra sepulchrum, omnium laborum requies, & ideo præposuit maledictioni terram, vt vel in ea primum appareret requietis suauissimæ fundamentum. Non longe abest D. Bas. Sel. orat. 3. *Terra cultioni natis, quæ inde sudoribus esse obnoxius, & cum labore vita sua spatium emensus sepulchrum inueniet vitæ succedaneum.* Est equidem terra laborum, sudorumque peccatoribus causa, sed ante omnia sepulchrum ostendit, vbi vniuersi labores finientur, & requies succedet. Vt sic gratiæ beneficium præcedat poenas. Solet enim Deus vel ante supplicia præseminare beneficia, quæ admoneant iratum, ne funditus à se muneratum disperdat. Gen. cap. 7. notans diluuij tempus ait: *Anno centesimo vitæ Noe, mense secundo, septimodecimo die mẽsis, rupti sunt omnes fontes, &c.* mensis secundus, mẽsis nouorũ est, quo omnes cãpi vbertate replentur. Et cur expectauit camporũ vbertatem, vt diluuium inferret? Ait D. Amb. lib. de Noe cap. 14. *Veniam temporis casus promittit, quod etiam iratus admoneatur tam præcedentibus causis beneficiorum suorum, vt non penitus deleat eorum substantiam, quos ipse donauit.* Præmittit beneficia Dominus ante iram, & præmissa illa iratum admoneant misericordiæ, ne funditus perdat sibi beneficiis deuinctum hominem.

Idem.
Genes. 7.

Numer. 11. Et ait Moyses: Sexcenta millia peditum huius populi sunt, & tu dicis: Dabo eis esum carnium mense integro? Nunquid ouium, & boum multitudo cædetur, vt possit sufficere ad cibum? Vel omnes pisces maris in vnum congregabuntur, vt eos satient? Cui respondit Dominus: Numquid manus Domini inualida est? Iam nunc videbis, vtrum meus sermo opere compleatur.

§. II.

Qui cum Deo negotiatur, supra communes viuendi vias spem figat.

MInus scitè Moyses vbi sibi à Deo negotiandam populi alimoniam præuidit, ad communes viuendi vias recurrit, inquiens: *Nunquid ouium, boumque multitudo cædetur, vt possit sufficere ad cibum?* Male ad macellum respicit, qui à Deo poscit implendum promissum, non enim is est Deus, qui curtis arctatur terminis naturæ. Similis Moysi Philippus Ioann. 6. videns Iesum festinantem ad pascendas in deserto turbas ait: *Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, &c.* Minus scitè ad pecuniam recurrit, vbi Deus pastor erat futurus, qui valet supra omnes modos subueniendi tritos. Vt dicit D. Cyrill. Alexandr. ibi. *Subiecte Philippus valde, atque humiliter respondit, Nam nil virtutis, omnipotentiaque Christi sibi venit in mentem, sed trepidus ad solam pecuniarum viam refugit, nullo alio modo hanc rem peragi posse existimans nisi communi, tritoque pecuniarum modo. Sed natura ipsius terminus deitatis natura superior est, omnia facile peragens, etiam quæ mentem nostram excedunt.* Sane abiecte, humiliterque nimis procedit, qui cum Deo negotians ad solos communes, tritosque viuendi modos contendit, nec vltra hos aliud spectat. En quam iacebit semper, qui non ad altiora potestatis diuinæ spem erigit. Actor. cap. 3. locutus textus de claudo, qui ad portã templi iacebat, ait: *Is cũ vidisset Petrũ & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat, vt eleemosynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne, dixit, Respice in nos.* Expende monitum datum claudo iacenti, nimirum, *Respice in nos.* Et quo tendebat illud, *Respice in nos?* Quid quod in eos respiceret? Nimirum, sic euocabatur è tritis, & communibus modis emendicandi remedia, per quæ perpetuo iacebat. Et docetur non ad communes hos modos, sed ad altiora diuinæ potestatis oculos extendere, quo posset subito totam mendicitatem exuere. Ait D. Basil. Sel. orat. 21. *Desiderium claudum subito accumbit lucelli curam remittere. Ne, inquit, oboli modo quæsitis, gratia mendetur esto, non pecunia.* Vtinam supra pecuniam, supra communes hos viuendi modos erigamus mentem, diuinæque gratiæ nitamur potentia; fallar, nisi nobis suppetant vniuersa. Sanè fugat manum didicimus, qui tritis viuendi callibus adstrictus, non potuit supra eos ex Deo sperare quicquam. Triginta & octo annis iacentem

Ioan. 6
Cyril. Al.
Apoc.
Basil. Sel.

iacentem languidum iuxta Bethsaidam conuenit taodem Christus Domiuus Ioann. cap. 5. & dicit ei: *Vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam. Dum venio enim ego, alius ante me descendit.* Non inuenio iuterrogasse Dominum ab alio, an vellet sanari, nisi ab hoc languido. Imo Luc. cap. 7. videns adolescentem defunctum qui iam efferebatur multa comitante turba lachrymas matris, accessit Iesus, ferettum deinnit, & adolescentem reuocauit ad vitam. Ecce solo conspectu luctu nihil aliod interrogatus vitam refuodit touenit; & modo languidum triginta & octo annorum, non vult illi salutē impertire, quin prius quærat ex illo, an velit salutem? Cur Domine ab hoc solo languido rem adeo elaram inquiris? Hic solus adeo pertinax erat in procuranda salute per notos, & ordinarios modos, vt cū toties se frustratum videret, nec cogitarit aliunde posse sibi venire salutem, semper in eodem calle persistens. Cuius inscitia merito ab illo prius curari debuit, dum interrogatus adducitur eo, vt cogitet, non solum per tritos calles; sed & supra nota omnia solere à Deo venire salutem. Quo respiciens Ericus ait: *Diuturno modo tabescentem interrogat Dominus, vtrum vellet sanus fieri, vt eum ad maius sanitatis desiderium accenderet, qui nec salutem pro sua restauratione rogare nouerat. Vnde & ille causam impossibilitatis cœpit obtendere, & conqueri, quod hominem non haberet. Sed Dominus languentis miseratus insciam simplicitatem, ait illi, Surge, tolle lectum tuum, &c.* Expende illam verissimam causam diutini languoris, nimirum ab illis, *nec rogare nouerat*; quippè totus positus in homine adiutore quærendo, à quo in piscinam mitteretur, non sciuit aliud salutis medium rogare ex Deo; imo hoc medio sublato, quo videbat curari cæteros, non nisi suæ salutis impossibilitatem prætendit. Proh inscitia hominis ad sola communia respiciens! Hic vt sanetur, necessum est adduci in tantum salutis desiderium, vt illam de ipsa impossibilitate speret.

Num. 11. Ventus autem egrediens à Domino arreptans trans mare coturnices detulit, & demisit in castra itinere quantum vno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum: volabantque in aëre duobus cubitis altitudine super terram. Surgens ergo populus toto die illo, & nocte, ac die altero, congregauit coturnicum multitudinem, qui parum, decem coros, & siccauerunt eas per gyrum castrorum.

§. III.

Deus in creaturis suis, nil prius æstimat, quàm æmulationem diuinarum virtutum.

Ecce tibi, quid primum appareat in vento, qui à Deo egreditur; ait nimirum: *Ventus egrediens à Domino arreptans trans mare coturnices detulit, & demisit in castra, &c.* Non equidem à terra, nec à mari, nec à Luna ventus ille, sed à Deo peculiariter fuisse dicitur ortus, vt qui coturnices rapiens eas effusissimè detulit esurienti populo. Sic quæ à Deo sunt creaturæ, nil prius in se amant ostendere quàm profusissimæ bonitatis diuinæ æmulationes. Sic Genes. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Quid tunc? *Et ait, Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum, &c.* Cum primum ipse elementa producit, statim requirit, vt similiter fructificent elemēta. Cur non magis expectât spatium aliquod temporis, quo creaturæ à productione liberæ sint, sed magis eas vrget ad fructus edendos? Nil citius æstimat in suis creaturis, quàm quod diuinarum virtutum, diuinæ beneficentiæ sint æmulæ. Ait D. Basil. Seleuc. orat. 12. *Mox vt creata fuerunt, monet ad operationem, facitque creaturam suæ bonitatis instrumentum. Propterea hominum manibus terram iussit excoli, & mare sua terga nauigantibus submittere, aerem hominum respiratione deuorari, solem iugi agitatione moueri, & communem radium emittere, ac in vsum mortalium faces illuminatas lucere. Huius etiam suæ bonitatis imitatores homines inter se videri vult. Delectatur enim non solum hominum esse conditor, sed instructor.* Sic qui creabat omnia, simul dabat illis, quod essent, & quod operarentur, simul æstimans, quod à se prodirent, & quod diuinarum suarum operationum fierent æmulæ. Nec admittit in suos illos qui beneficentiam suam operibus non ostendunt. Hinc post destructam Iericho Iosue seruauit Raab meretricem, imo vt ait textus cap. 6. *Raab meretricem, & domum patris eius, & omnia quæ habebat, fecit Iosue viuere, & habitauerunt in medio Israel vsque in præsentem diem.* Et qui bonam meretricem numerauit inter filios Israel, illamque Dei populo aggregauit, Gabaonitas fecit suorum esse seruos, ait enim cap. 9. *Decreuitque in illo die eos esse in ministerio cunctis populi, & altaris Domini, cædentes ligna, & aquam comportantes, &c.* Cur illam populo Dei aggregans hos deputat in seruitium populi? Illa ex quo magnalia Dei percepit, vt de Ægypto liberarat Israelitas, sic commota est, vt & ipsa domi exciperet, & à Tyranno liberaret Israelitarum exploratores. Gabaonitæ autem eadem Dei magnalia percipientes eam ebiberunt mentem, vt sibi consulerent, nullum autem in alios operati sunt bonum. Vnde merito illa admissa inter Dei filios, hi exclusi, vt qui operibus non fuerint æmulati magnalia Domini. Ait Origen. homil. 10. in præsenti: *Raab meretrix, quæ ex plenissima deuotione susceperat, ex integro in consortium populi, societatemque suscepta est, & apposita est ad filios Israel. Gabaonitæ verò dicunt, quia audiuimus, quanta fecit Dominus vobis per mare rubrum, & in deserto. Et cum hæc dicerent, nihil tamen fide dignum, nihil tantarum virtutum admiratione gesserunt. Et ideo videns Iesus angustum eorum, exiguumque propositum, moderationem erga eos iustissimam seruat, &c.* Non intrant in filiorum Dei numerum, qui nouas Dei virtutes, & magnificentias propriis non æmulantur operibus; qui enim à Deo venit, qui inter Dei filios censetur, id apertissimè testatur in æmulatione diuinæ beneficentiæ. In quauis enim creatura has beneficentiæ nouas videas, puta illam maxime ad Dei pertinere peculium. Hinc cum mare scinditur Israelitis, cum manna illos implet, cum rupes aquarum riuos effundit, non errauit, qui dixerit Deum inesse iis creaturis. Sic Sedul. lib. 1. Pasch. cap. 10. inquit: *His tribus rebus tam magna sui nuntians sacramenta mysterij, Christus erat in pelago, Christus in pane, Christus in saxo.* Et nihil refertur ad Christum, quod non sit beneficentiæ virtute insignitum.

§. IV.

Ille perfectè homini prouidet, qui tam animæ quàm corporis consulit saluti.

Famescenti populo coturnices Dominus prouidit, sic enim ait: *Arreptans trans mare coturnices detulit.* Cur coturnices? Cur non magis ex quadrupedibus, quàm ex alitibus cibos obtulit? Sanè elegit alites, vt qui corpus saginarent, & animam docerent in altum tendere; ille enim perfectè homines gubernat, qui cum corporis cura, simul animæ salutis viam ostendit. Quò spectans Rabanus in Glossa ait: *Non ferarum, non quadrupedum, nec terrestrium animalium esum tribuit, sed volucrum, vt discerent superna magis desiderare, quàm terrena, spiritualia, quàm corporalia.* Sed bonus hominum prouisor, vel inter corporis escas, indigitabat animæ remedia, quibus non solum corpus, sed etiam spiritus saginaretur. Discant hoc vniuersi, qui hominum curam tenent; & sic res eorum moderentur, vt simul corpori, & animæ medela detur. Qui hoc præstat, præstantissimus est in hominibus promouendis. Propone tibi ob oculos Naamanum Syrum leprosum ad Elisæum venientem, is gentilis erat, & incurabili lepra infectus; venit è Syria in Israelem, vt curatorem tanti mali inueniat, adstat Elisæo, cuius iussu septies in Iordane lauatur. Quid tunc? Ait textus 4. Reg. c. 5. *Lauit in Iordane septies iuxta sermonem viri Dei, & restituta est caro eius, sicut caro pueri paruuli, & mundatus est. Reuersusque ad virū Dei cum vniuerso comitatu suo venit, & stetit coram eo, & ait: Vere scio, quod non sit alius Deus in vniuersa terra, nisi tantum in Israel.* Quid sanctius? Et leprosos, & gentilis venerat ad prophetam, qui illi aquas Iordanis prouidit, quæ simul corpus à lepra, & animam ab infidelitate mundarunt. Sic agit, quisquis perfectè hominum suscipit causas. Vt dicat D. Chrysostom. hom. de Naaman Syro: *Reuersus Naaman descendit in Iordanem, ascendit: ac de mundatus & facta est caro eius, quasi caro infantis pueri. Tunc miratur, tunc stupet, tunc prophetam conspicit, tunc cœlum attendit, miratur operatum Dominum, miratur se mutatum corpore, & mente. Totus homo naturæ redditur, quia perfecta virtus in sanctissimo propheta operatus.* Et quidem non potuit non esse perfecta virtus, quæ sic alumnum suum fuit moderata; vt sub eisdem aquis biberet salutem corporis, & animæ. Nec corpori prius daretur

medela,

Ioann. 5.

Ericus.

Gen. 1.

Basil. Sel.

Iosue 6.

Iosue 9.

Origen.

Sedul.

Raban.

4. Reg. 5.

Chrysost.

medela, quam ad suæ saluris fontem excitaretur anima. Hinc de præclarissimi gubernatoris Iob familia locutus rext. facet c. 1. inquit: *Et ibat filij eius, & faciebant conuiuium per domos vnusquisque in die suo, &c.* Mirabar, quod religiosissimi principis filij sic permitterentur ire in tam crebra conuiuia. Cur bone huius filios tot vacare conuiuijs? Non equidem id oscitanter faciebat Iob, sed in talia impellebat filios conuiuia, quæ corpora recrearent, & animarum tollerent, vel vmbras dissidij. Ait enim Chrysost. homil. 1. in Iob: *Continue vesci ad inuicem faciebat. Existimans quoniam si quid liuoris vicissim contraxissent, mensa, panisque appositio eos conciliaret vnanimes, intercidentemque faceret exulare malitiam.* Præstantissime gubernatoris attingens punctum, ea Iob conuiuia permittebat filiis, quæ & corporis, & animæ continerent saginam; corpus susteotantia cibis, ab animis expellentia occasiones dissidij.

Iob 1. — Chrysost.

Num. 11. Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiuscemodi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. Vocatusque est ille locus, Sepulchra concupiscentiæ, ibi enim sepelierunt populum, qui desiderauerat.

§. V.

Ille solus habetur cupiditatum, rerumque temporalium dominus, qui illas propter Deum contemnit.

SOlent equidem sepulchra eorum dici, qui defuncti intrinsecus clauduntur; sic sepulchrum dicitur Petri, vel sepulchrum Pauli: modo non dicuntur sepolchra esse eorum, quos claudunt, sed concupiscentiæ illorum dicuntur, dum ait: *Vocatus est locus, Sepulchra concupiscentia.* Et cur magis attribuuntur sepulchra concupiscentiæ, quàm illis, qui ibi clauduntur? Meritò, vt ostenderentur illi, qui sub concupiscentiis carnis serûtur, quàm se, suaque, & mortem, & vitam concupiscentiæ subdant: cuius solum dominatur ille qui eam propter Deum pessundat. Hinc Danieli dicit Angelus cap. 9. *Ego autem veni, vt indicarem tibi, quia vir desideriorum es.* Ecce Daniel vocatur vir desideriorum, an quia multa desideria habet? Minime, sed quia comprimit desideria multa. Ait enim D. Hieronym. epist. ad Eustoch. de custodia virginitatis: *Ideò desideriorum vir appellatus est Daniel, quia panem desiderij non manducauit, & vinum concupiscentia non bibit.* Indè perductus est ad desideriorum, & concupiscentiarum perfectum dominium, quia illas pro Deo reliquit. Quo enim magis à se ablegauit, quidquid concupiscentiæ erat, eò citius eius Dominus constituitur Numer. cap. 33. Israelitarum duæ mansiones ponuntur, altera vocatur, *Ressa*, id est, tentatio, altera autem immediata huic vocatur *Calatha*, id est, virga, seu dominium, ait enim: *Profecti de Ressa, castrametati sunt in Calatha*: & merito; solus enim ille, qui tentationes concupiscentiarum deuicit, ad verum illarum peruenit dominium. Sic D. Ambros. ibi inquit: *Merito post Ressa sequitur Calatha, quoniam vbi anima in Ressa tentationes superauit, ita fortis euadit, vt ascendat Calatha, hoc est, vt dominium acquirat, nedum inferiorum suarum virtutum, sed & totius mundi.* Hæc vna est via, qua citissime domineris omnibus; nimirum si in te concupiscentiarum insultus comprimas, si carnalibus desideriis inijcias frænum. Quò respiciens aiebat Dominus Genes. cap. 4. *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Te quidem dominum manifeste ostendes, cum prius appetitus tuos fortiter subijcias, vt pulchrè in præsenti dicat Ropert. *Si male egeris, statim in foribus peccatum aderit, vt quocumque te verteris, tecum sit comes in itinere, princeps in opere. Et tunc quidem super te erit, & dominabitur tui; quia videlicet omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati. Nunc autem antequam facias illud, dum adhuc est in appetitu, ipse appetitus eius subter te erit, & tu dominaberis illius. Verbi gratia, quemadmodum is, qui nondum rex creatus est, subter populum est, & populus dominatur illius, ita vt eum recipiat, si vult. At postquam rex creatus est, populus sub eo est, ipseque eius dominatur, ita vt eum regem habere cogatur, etiamsi nolit.* Quid pulchrius? Sanè dum appetitus, dum concupiscentia exardescit in anima, ibi est lucta, ibi certamē cruentissimum est de regno, ibi & appetitus, & concupiscentia homini est subiecta expectans eius assensum. Qui homo concupiscentiæ dissentitur, illamque fortiter continet, & refrænat, hic princeps est, & dominium regalissimum retinet. Qui autem concupiscentiæ assentitur, eius impetum sequens vanè gloriatur de regno, cum & ipse, & sua omnia, siue mors, siue vita concupiscentiæ seruiant; & tanquam misera mancipia sub concupiscentiis alligentur. Ex quo aiebat Oseas cap. 4. *Spiritus ligauit eum in alis suis*, quod notans D. Hieron. in Israele idololatra, ait: *Immundus spiritus idolorum ita ligauit Israelem in alis suis, vt eum liberè volitare non patiatur.* Vt enim tyrannus ligat mancipia, ne è captiuitate euolent; sic idola tenebant Israelem ligatum, sic concupiscentiæ ligant homines, quibus dominantur, ne à misera seruitute euolent.

Dan. 9. — D. Hier. — Num. 33. — D. Ambr. — Gen. 4. — Oseæ 4. — D. Hier.

CAPVT XXII.

Mariæ murmuratio.

Textus Historia.

EXTINCTIS Dei murmuratoribus, alia cœpit audiri domestica murmuratio; Maria soror Moysis fratri oblatrabat, quod Madianitidem duxisset vxorem; quæ mariti gloria nimis insolesceret super fratres. Accinuit fœmineo murmuri sacerdos Aaron in familiaritate diuina superiorem Moysem haud libenter passus. Sed Deus indignans morderi à cognatis virum nimia mansuetudine præditum, ad tabernaculum fœderis tres fratres conuenire mandat; cuius in ostio sub nube apparens, Mariam, & Aaronem vocans de Moysi excellentia multis disputat, vt sibi omnium familiarissime adstat. Post hæc dum Deus iratus recedit, murmurationis inuentrix Maria dutissimo lepræ flagello vapulat sub oculis Aaronis, satis castigati, vel conspectu imminentis supplicij, quod effugerat; ne in præsenti fœdaretur recens sacerdotij sanctitas. Accurrit tamen ad Moysem crimen fassus, & verecunde nimis contendit, vt pene à lepra depastæ fœminæ sanitatem ex Deo trahat. Non moratus benignissimus Moyses dolore plenus Deum pro sorore deprecabatur, qui dilecti famuli vocibus inclinatus post septiduum salutem miseræ parat, noluit statim, vt septidui supplicium ream cautiorem faceret, & populum in similes ruentem ausus maximè refrænaret.

PARS VNICA MORALIS in textus literam.

VLCERE in lepræ pruritu murmoratoris ingenium adumbratur, qui vt vel cognatos mordet, sic scabiei pruritu ipse depascitur.

Num. 12. Locutaque est Maria, & Aaron contra Moysem propter vxorem eius Æthiopyssam, & dixerunt, Num per solum Moysem locutus est Dominus? Nonne & nobis similiter locutus est? Quod cum audisset Dominus, iratus est. Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.

§. I.

Inferiorum ingenium est dominis oblatrare.

IN re linguæ exerendæ aduersus Moysem merito Maria ponitur prima, ait enim textus: *Locutaque est Maria, & Aaron contra Moysem, &c.* Et cur Maria prima, & principalis in murmuratione aduersus Moysem constituitur? Maria sola absolutè, & simpliciter inferior erat, & vna è subditis;

quando

quando enim populi gubernatio in diuinis ad Aaronem spectabat, in politicis ad Moysem, sola Maria pertinebat ad subditos. Et quid magis subditorum proprium, quàm quod oblatrent dominis suis? Eorum ingenium notans Seneca epist. 47. ait: *Fit, vt isti de domino loquantur, quibus coram domino loqui non licet.* Equidem quò quis magis premitur seruili silentio, ne coram dominis, senioribusque loquatur, eò citius rapitur in clandestina murmura, in detractiones pessimas, quibus dominos, senioresque percutiat. Quò spectans Ecclesiastes cap. 7. monebat: *Cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum, ne forte audias seruum tuum maledicentem tibi.* Sapienter faciunt domini, qui nō auscultant arcana suorum susurria; nil enim citius faciunt serui, faciunt subditi, quàm detrahere dominis suis. Hinc Cant. 1. Sponsæ Christi, veræ matrisfamilias dicitur: *Exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum: recti diligunt te.* Multos sub se habet filios sponsa Christi, multos subditos, cur de omnibus non dicit, vel filij, vel famuli diligunt te? Cur de solis rectis fatetur, quod diligant? Nouit sapienter, quod in subditorum ore, qui perfectissimi, rectissimique non sunt, non tam esse verba dilectionis, quàm verba detractionis erga seniores suos. Quis enim non rectus, & perfectus subditus non oblatrat dominis, & maioribus suis? Ait D. Bernard. ser. 24. in Cant. *Itaque propter murmurantes, dicitur ab his, quæ bonæ sunt; Recti diligunt te. Nec absurde, vt æstimo, cum vbique pene in choro adolescentularum tales inueniam, quæ actu sponsæ iuncte obseruent, derogandi, non imitandi causa. Torquentur in bono seniorum suorum, malis pascuntur. Videas ambulare seorsum, coniunctos sibi, & sedere pariter, moxque laxare procaces linguas in detestandum susurrium. Vna vix coniungitur, nec spiraculum incedit in eis, tanta est libido detrahendi, audiendique detrahentem. Ineunt familiaritatem ad maledicendum, concordes ad discordiam.* Quid communius? Vide hominum sæcularium conuentus, vix enim duo, vel tres miscent sermonem, qui principes, qui magistratus, qui iudices suos non mordeant. Huc spectat vehementer ingenium subditorum, vt oblatrent dominis, vt linguas exerant, quæ noxiæ sint suis maioribus. Hinc nequā spiritus quærens linguam, quæ noxia esset primis parentibus, ad serpentem accessit Genes. c. 3. *Sed & serpens erat, &c.* Cur serpentis linguam vibrauit malus in Adamum, & non magis linguam Angelorum? Erat serpens inter Adami subditos, non Angelus; & idcò malus ad subditi linguam confugit, vt quæ promptior esset ad feriendum dominum. Ait D. Basil. Seleuc. orat. 2. *Serpens erat homini subiectus vehiculo, sic enim factum est, vt linguam diabolo commodarit ad inuehendam confusionem.* In nullo citius quàm in subdito hominis inuenta est lingua, quæ virus vomeret aduersus hominē. Sic etiam vt linguam armaret in Iob, confugit malus ad eius vxorem, ait enim cap. 2. *Dixit autem illi vxor sua, Adhuc tu permanes in simplicitate tua?* Cur modo post omnia mala introducitur vxor? In alijs, vbi perimenda erant armenta, vtitur gladijs Chaldæorum, siue cœlesti igne; vbi perdendi filij, violentia vtitur ventorum: vbi autem res per linguam agenda erat, astutè ad linguam confugit vxoris, quæ vt viro subiecta erat, sic ad illum lingua percutiendum promptior. Ait enim Didymus in catena Græca: *Cum ad pietatis turrim quatiendam unus eius fuit omnis conatus, verborum contumelias, atque contemptus coniugem armat.* Ad gladios vibrandos manus qua fuit Chaldæorum, ad verborum virus iaciendum nulla aptior, quàm lingua vxoris: vt nulla aptior ad feriendos dominos, quàm lingua subiectorum.

[Marg.: Eccles. 7. — Cant. 2. — D. Bern. — Gen. 3. — Basil. Sel. — Iob 2. — Didym.]

§. II.

Singularis præstantia alicuius nunquam non in se trahit linguas inuidorum.

VBi singularis Moysi præstantia apud Deum proponebatur, non potuit, non ab inuidis etiam fratribus corrodi; aiunt enim: *Nam per solum Moysem loquutus est Dominus?* Hoc illos mordebat, quod videretur Moyses solus, & singularis in familiaritate Domini, & ob hoc contra illum loquuntur, illumque obrodunt. Cant. 1. ait sponsa: *Introduxit me rex in cellaria sua: exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum: recti diligunt te.* Cur soli recti? Cur non omnes? Ex eo enim quod sola in cellaria sponsi ingressa fuit, non potuit ab omnibus amari, non potuit, non trahere aduersus se linguas inuidorum. Ait D. Bern. serm. 24. in Cant. *Recti diligunt te: puto propter aliquas de numero ipsarum, quæ non idem saperent, licet pariter currere viderentur, quæ sua sunt quærentes, & non ambulantes simpliciter, neque sincerè, sed speciali gloriæ matris inuidentes, & captantes occasionem murmurandi aduersus eam, eo nimirum quod sola in cellaria introisset.* Vbi sola ad Dei fauores accipitur, vbi sola diuinis muneribus fulgere visitur; non potuit, non prosilire in eam inuidorum murmur. Et cui præcellenti in aliquo munere parcunt inuidorum linguæ? Sapienter post Iosephi virtutes, post Dei reuelationes ei in somnis factas, numeratas, ait textus Genes. cap. 37. *Hæc ergo causa somniorum, atque sermonum, inuidiæ & odij fomitem ministrauit.* Vbi se singularibus Dei, patrisque fauoribus ornatum Ioseph ostentabat, statim in illum fratrum inuidentium linguæ armabantur. Vt dicat Theodor. serm. 8. de Prouid. *Postquam somnia illa vidit, & audientibus fratribus, patri narrauit, mox ab inuidia oppugnatur, & conuitiorum telis, quæ illa pepererat, petitur.* Sanè derisorum, inuidorumque conuitijs exponitur percutiendus quisquis singulari aliqua supra illos excellentia floret. Vitabis forsan in gloriarum culmine tela hostium, sed minime vitabis linguas inuidorum, qui quando nihil in te inueniant, quod mordeant, quod accusent, illud ipsi confingent. Sic Genes. cap. 37. vbi noster habet, *Accusauit fratres suos apud patrem crimine pessimo,* alia litera legit: *Detulerunt Ioseph de pessimo crimine apud patrem suum Israel:* quasi non Ioseph fratres accusasset, sed fratres accusabant Iosephum, multas illi calumnias affingentes, vt author est Theodoretus. Præcellentia enim iuuenis, sic fratres inuidos vexabat, vt nefaria de illo confingerent, quæ parenti deferrent. Ait D. Chrysostom. hom. 61. in Genes. *Vide malitiam omnium eorum, etiam patris charitatem perturbare attentabant, & quæ non erant, fingunt contra fratrem, solum vt inuidia sua expleri possit.* Sic inuidorum linguæ armantur in viros præcellentes, vt vel confingant crimina in eis, si non inueniant.

[Marg.: Cant. 1. — D. Bern. — Gen. 37. — Theodor. — Genes. 37. — Chrysost.]

§. III.

Valde irascitur Dominus in eos, qui præstantissimorum hominum infirmiora respiciunt.

AVdit Dominus loquentes contra Moysem propter vxorem Æthiopissam, & in eos iratus est; nec mirior, proprium enim est diuinæ iræ aculeos suos ostendere in eos qui in præstantissimis viris infirmiora respiciunt, quæ mordeant, non quas æmulentur virtutes. Multa equidem erant in Moyse clarissima virtutum facinora, vnus forsan erat næuus vxor Æthiopissa. Illis autem relictis virtutibus, hunc vnum næuum respiciunt loquentes contra Moysem propter illum, vnde non mirandum, quod supra se trahant diuinam iram 2. Reg. cap. 6. vbi arca Dei in plaustro circumferebatur, dicit: *Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam. Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum.* Vnde tantam Dei iram super se traxit Oza? In eo quod acutus fuit in perspicienda vel diuinæ arcæ parua declinatione, ostendebat eos, qui sunt acutissimi in perspiciendis, vel minimis erroribus virorum præstantissimorum. Qui quidem ex hac perspicacia nihil citius supra se trahunt, quàm vehementem Dei indignationem. Quo respiciens Ruper. lib. 2. cap. 18. ait: *Per hanc similitudinem vehementius commonemur, ne quando nos otiosi, aut vacui cum simus, humiles arcæ Dei portitores, si quando excesserint, veluti boues calcitrantes, temere iudicemus. Iratus est enim Dominus contra Ozam, indignatione, & percussit eum super temeritate, quia videlicet, qui sanctorum infirma respiciunt, & non potius, quia conuuluerunt de infirmitate, & fortes sunt in bello, sibi contra se ipsos diuinum prouocant iudicium.* Maxime diuinum iudicium in se prouocat, quisquis præstantissimorum hominum relictis virtutibus infirma humanæ fragilitatis magis corrodit, & cum possit vt apis floridos virtutum campos exsurgere, mauult, vt musca infirmitatis humanæ inhærere putori. Hinc male audierunt apud Deum amici Iob, qui sedentes cum illo in sterquilinio pene hominis obliti clarissimas virtutes, hoc satagunt, vt eius notent errores, quibus ærumnas tribuant. Dicit autem cap. 42. *Postquam locutus est Dominus verba hæc ad Iob, dixit ad Eliphaz Themanitem: Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coram me rectum:: Iob seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia.* Septuag. transferunt hæc vltima: *Nam nisi propter ipsum perdidissem vtique vos.* Quid acrius? Quid acerbius potuit dici? Sed vndè viri isti tantam merebantur acerbitatem diuinæ iustitiæ? Nonne illi pro Deo stabant? Nonne eorum verba maximam in Deum pietatem, & reuerentiam ostendebant; quam & nitebantur Iobo persuadere?

[Marg.: 2. Reg. 6. — Rupert. — Iob 42.]

dere? Vndè ergo adeò pij homines sic Deum offendebant, sic diuinam iram in se sollicitabant? Equidem habebant præ oculis Iobum notissimarum virtutum simulachrum; habebant ante se hominem clarissimis virtutibus facinoribusque radiantem, nullaque eius virtute prædicata, in hoc erant maximè intenti, vt vel verbulum eius infirmitatum vi extortum accusarent; quid mirum, quod indè traherent aduersum se ingentem diuinarum irarum segetem. Pulchrè ad hæc ait Olympiodor. in caten. *Quantum demum honoris sanctis Dominus impertitur? Nam & illud capitale esse pronuntiat, iustis detrahere. Nec non illud attende. Quamuis ij pietatis erga Deum studio ad loquendum adducti esse videantur, esse tamen reprehensos, tanquam nihil veri dixissent, tametsi religione erga Deum incitati, oratione vsi fuerint; nam profectò veniam illis Deus non tribuisset. Hinc ergo intelligimus, haud leuiter peccare eum, qui iustorum hominum nomini crimen infert, illósve accusat.* Crede mihi, nullo pietatis, nullo religionis prætextu in claris virtute viris impunè spectas, quod accuses; imò inde maximam in te excitas Dei iram.

Olympiod.

Num. 12. Statim locutus est Dominus ad eum, & ad Aaron, & Mariam: Egredimini vos tantum tres ad tabernaculum fœderis. Cumque fuissent egressi, descendit Dominus in columna nubis, & stetit in introitu tabernaculi, vocans Aaron, & Mariam. Qui cum issent, dixit ad eos, &c.

§. IV.

Solet Deus inter irascendum prouidere miserendi occasiones.

IRatus Dominus in murmuratores, eos vocat, & cum Moyse vocat, & ad tabernaculum fœderis vocat, quippe ait: *Statim locutus est Dominus ad eum, & ad Aaron, & ad Mariam. Egredimini vos tantum tres ad tabernaculum fœderis, &c.* Et cur castigaturus reos cum eis etiam Moysem vocat, & ad tabernaculum fœderis vocat? Benignissimus Dominus inter irascendum, & castigandum simul prouidebat Moysem deprecatorem, & fœderis locum, vndè eius misericordia excitata parcere reis posset. Sic Deus facere solet, qui inter ipsas iras, occasiones prouidet, vndè parcat peccatoribus. Matth. c. 26. post cœnam cum discipulis à Iesu factam, dicit. *Hymno dicto, exierunt in montem Oliueti. Tunc dicit illis Iesus. Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim. Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis.* Ecce tibi vbi exitur in montem Oliueti, discipulorum fuga, & scandalum commemoratur. Et cur in Oliueti monte tanto digna supplicio res ostenditur, nisi vt videas, quam inter ipsas supplicij acerbitates præparetur reis euadendi occasio? Ait Origen homil. 35. in Matth. *Quam apte monte misericordiæ est electus, vbi prænuntiaturus fuerat scandalum infirmitatis discipulorum suorum: quia non optabat, vt fieret, sed prænuntiabat, quod erat futurum, tamen præparatus, non vt repelleret discipulos discedentes, sed vt reciperet conuertentes.* Equidem in monte Oliueti, in monte misericordiæ memorabat Apostolorum fugas, & scandala, vt iam vel ea loco inter ipsas iracundiæ res ostenderentur Apostoli minimè perituri sub scandalo, sed ad Dei gratiam reuocandi. Ex Isaia afferebat Ioannes cap. 12. *Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos.* Expende ingens Dei supplicium Iudæis illatum, nimirum excæcauit oculos eorum, ne Iesum saluatorem mundi in medio existentem agnoscerent, sed ignoratum repellerent. At illud maximè notandum, quod iuxta D. Augustini mentem, hoc ingens cæcitatis, & ignorantiæ supplicium Iudæis inferebat, pro quibus sanandis venerat. Quando ergo Domine venis quærere Iudæos, cur eorum oculos excæcas, ne te videant, ne te agnoscant? Cur tam seuerè miseros castigas, illos tui ignoratione replens? Sanè illos ignoratione, & cæcitate castigas, vt ipsa ignoratio, & cæcitas miserendi occasionem præbeant, ait enim: *Excæcauit oculos eorum: & conuertantur, & sanem eos.* Simul durissimum cæcitatis supplicium infert, & in ipso supplicio occasionem firmat miserendi, quia ignorantes fecerunt. Ait D. Bern. ser. 4. in Hebdom. Pœnos. *Pauci reuelauit scripturo, vt essent, qui crederent; a aliquos autem absconditum est. Quia si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Ad hoc etiam illi singulari peccato ignorantiam copulauit, vt sub aliqua iustitiæ vmbra ignorantibus posset ignosci.* Ecce tibi vt simul rem summæ districtionis agebat, Iudæos excæcando, ne Saluatorem agnoscerent, sed fontem salutis ignorarent, & in illo ipso ignorantiæ supplicio viam firmabat, qua aliquo modo posset erga illos misericordia solicitari, quia nimirum fecerant ignorantes. Sic solet Deus inter ipsas iracundiæ res prouidere occasiones, ex quibus parcat. A Iona supplicium Niniuitis prædicabatur, dum ait cap. 3. iuxta lectionem Septuag. *Adhuc tres dies sunt, & Niniue subuertetur.* Subuersio miseris denuntiatur sub trium dierum spatio. Et cur tres dies præmittuntur miseris subuertendis? Dixerat aliquando Dominus Ioann. cap. 2. *Soluite templum istud, & in tribus diebus suscitabo ipsum.* Erat quidem triduum dicatum suscitationi, ideò præmisit Dominus triduum subuertendis, vt & in ipsis iræ verbis spem salutis firmaret. Ex quo pulchrè D. Ephrem serm. de Pœnit. *Oppone sermonem sermoni, ac verbum verbo, & in Christo comperies aplicata pœnitentia verba. Ille suscitare promittebat, hic subuersionem comminabatur. Non minus terruisset, nisi futurum esset, vt sanarentur.* Equidem in ipsis minis, in ipsis verbis irarum, ostendebantur quæ ad salutem facerent, quasi nesciret Deus portendere mala, quin viam prouideat sanitati.

Matt. 26. Origen. Isai. 12. D. Bern. Iona 3. Ioann. 2. D. Ephrem.

§. V.

Consortium mala præsentes solent tangere.

TRes fratres iussit Dominus in tabernaculum fœderis venire, qui cum iam adessent, ex tribus duos tantum ad se vocauit, dicit namque: *Cum fuissent ingressi, descendit Dominus in columnam nubis, & stetit in introitu tabernaculi, vocans Aaron, & Mariam, &c.* Aaronem, & Mariam solus ad se vocat, vt accederent sine Moyse. Cur non & Moyses vocatur, siquidem cum illis iussus erat venire? Pœna infligenda erat duobus, ideò meritò Moyses dimittitur, ne duorum supplicium illum præsentem concuteret. Solent enim consortium mala præsentes socios opprimere. Irruerunt Romani aliquando in ciuitatem Iudæorum, quam Gamalam dicunt. Irrupti muri sunt, confractæ portæ, & dum victor exercitus Romanus omnia implet, miserorum domos intrant milites, vt spolient, quæ intro euntium multitudine grauatæ concidunt, suaque ruina multos Romanos opprimunt, cæterosque tanto pauore replent, vt passim interficerentur à pueris, & fœminis. Quid luctuosius? Quid tristius? Tanta clade confractos Romanos, & confusos, vt erigeret nobilis Imperator Vespasianus, sic ad illos loquitur teste Egesippo. lib. 4. cap. 2. *Neque quicquam est, quod argui possit, nisi inconsultus impetus, atque incredibilis. Etenim dum ad superiora vrbis illos secuti fuistis, atque irruistis in domos eorum, ipsi vos periculis implicauistis. Quarum suscepistis hospitia, suscepistis pericula.* Habebat nobilis Imperator gentem Iudæorum obnoxiam diuinæ iræ, à quorum consortio & laribus confugiendum erat illi, qui cauere volebat extremam ruinam. Vnde non mirum quod Romani viri ad victoriam nati, victoriam perdant Gamalæ, & inueniant ruinam, quando Iudæorum domos intrant. Susceperunt necessariò pericula eorum, quorum susceperunt consortium, & hospitium. Fuge homo vel consortium illorum, qui expositi sunt diuinæ iræ, nisi velis cum illis feriri. Hinc Iudas volens moriturum Iesum designare, ait Matth. cap. 26. *Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.* Expende quale signum dederit miser, nimirum osculi signum. Et cur in osculi signo ponitur comprehensio, imò & mors inferenda Christo? Equidem vt in osculo ostendebatur consortium osculati, & osculantis, nullo clarius potuit ostendi opprimendus Iesus, quàm vbi adhæret per osculum Iudæ. Vt dicat D. Chrysostom. serm. 1. in Fer. 5. Pass. *Hoc signum Iuda tu dedisti, hoc pactum in tua iniquitate posuisti, vt cum qua faceres pacem, ipse raperetur ad crudelissimam passionem.* Et quidem qui consortium, & pacem saltem externam habebat cum Iuda, iam inde deputabatur morti non absimili, deputabatur arbori crucis.

Egesip. Matt. 26. Chrysost.

Num. 12. Iratusque contra eos abiit: nubes quoque recessit, quæ erat super tabernaculum: & ecce Maria apparuit candens lepra sicut nix.

§. VI.

§. VI.

Recedente Deo plurima nos occupant mala.

HÆc est vera ira Dei, quod abeat, quod accedat à peccatoribus: felix peccator cui Deus adest, etsi terribilis, etsi multa clamans; tunc namque vera infelicitas oritur, cum Deus abest. Compone modo Adamum peccantem, & hanc Mariam etiam pecc... iratus Dominus contra hanc abiit, iratus contr... damum, conuenit hominem; ambulansque ad auram post meridiem ad illum accedit Genes. cap. 3. & vocat fugitiuum, dicens: *Adam vbi es?* Et cur, qui ad peccantem Adamum accedit, ab hac fœmina peccante recedit? In hac volebat se adeò iratum ostendere, vt aditum videretur occludere misericordiæ, & ideò ab illa abiit, & lepræ infert plagam. In Adamo volebat ita se iratum ostendere, vt misericordiæ locum daret, & ideò ad illum accedit, præsentia enim Dei, licet irati, non potest, non misericordiæ præbere aditum. Vt dicat D. Basil. Seleuc. orat. 3. *Misertus erroris Deus ad corrigendum currebat. Currebat autem non mutatione loci, sed imagine quadam terribili præsentiam contestatus.* Itaque & terribilem se, & præsentem ostendebat peccatori; terribilem, vt ostenderet iratum; præsentem, vt se propitium daret. Vbi enim præsens est Deus, etsi terribilis, etsi maximè iratus videatur, non potest non misericordiæ recordari. Caue tibi, ne Deus absit, ne à te abeat, hæc enim est ira magna, ex qua maiora exurgunt aduersus peccatores damna. Quò spectans Isaias cap. 64. ait: *Abscondisti faciem tuam à nobis, & allisisti nos in manu iniquitatis nostræ.* Ecce tibi, vt Deus sese à nobis abscondit, nulla timetur calamitas, quæ nos non inuadat. Ibi Procopius: *Si Deus à nobis propter iniquitates auertitur, maius in nobis malum innascitur.* Nequit non maius malum innasci nobis, si Deus à nobis se abscondat, à nobis abeat; parum dixi, maius malum innasci, multa enim & maxima nos mala occupabunt. Sic D. Cyril. Alex. lib. 5. tom. 6. in Isaiam fatus: *Auertisti faciem tuam à nobis, & tradidisti nos propter peccata nostra. Non enim beati esse poterant à Deo reiecti, at in omnia mala incidere omnino necessum est.* Nullum malum adeo atrox est, quod peccatorem non inuadat, quo tempore Deus ab illo offensus abeat. Ecce tibi Luc. cap. 23. ait: *Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram vsque in horam nonam. Et obscuratus est Sol, & velum templi scissum est medium. Et clamans voce magna Iesus ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens expirauit.* Expende quot mala terram diuexarunt, vbi diuinus Iesu spiritus abiit, quæ mala tunc non ausa sunt in mundum? Pulchrè D. Chrysostom. serm. 3. de Pass. ait: *Importunæ tenebræ aliena tempora peruaserunt: moriente vero die, nouum dies sensit occasum.* Non amplius tenebræ intra carceres suos contineri potuerunt, vbi Christi spiritus abiit è mundo, sed statim mundum occupauerunt; vt discas, quàm nulla se contineant mala, quin diuexent miseros, à quibus Deus separat præsentiam suam. Quo reuoco dicta 1. tom. in Euang. lib. 1. cap. 5 §. 1. & alibi.

Gen. 3. — Basil. Sel. — Isai. 64. — Procop. — D. Cyril. — Luc. 23. — Chrysost.

§. VII.

Malitia interna mentis foras educta miserè peccatores castigat.

MOrdacem fœminam lepra misere comest, ait enim: *Ecce Maria apparuit candens lepra*, & statim subiicit: *Ecce dimidium carnis eius deuoratum est à lepra.* Quid mirum, quod à lepra voretur fœmina murmuratrix? Spiritus equidem detractoris mordacitas venit ad corpus, & tam mordaci morbo miseram castigat. Caue homo, ne vitiorum internorum malitia foris erumpat, sub illa ingens sustinebis supplicium. Sic Actor. c. 13. dum Elimas magus sese prædicationi Euangelij opponeret, ait illi Paulus: *O plene omni dolo & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere vias Domini rectas. Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns solem vsque ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo, & tenebræ.* Paulus dixit, & dicto citius oppresserunt eum. Vnde tam prompta venit caligo supra miserum? Equidem ex illo ipso; caligo namque, quæ excæcabat mentem illius, ne videret veritatis lucem, foras prodiit, & miserum afflixit. Ait Arator lib. 2. in Acta:

Tunc nubila vultum
Cærula suffusit noctis, & pectoris atri
Venit in ora color.

Quid pulchrius? Quæ afficiebant intrinsecus animam caligines, foras prodeuntes, miserum cæcauerunt, & castigauerunt. Væ nobis, si animarum nostrarum malitiæ foras prodirent, illæ ipsæ per se solas nos atrociter perimerent. Si mentis caligo, sub qua æterna non cernimus, prodiret extrinsecus, quam cæci, & miserè maneremus sine sole, & luce! Si mordacitas animæ, qua proximos corrodimus, in corpus veniret, quam mordaci scabie vorarentur! Et quidem solet Deus id efficere, vt in externo supplicio pateat interni vitij malitia. Num. 15. inuentus fuit homo, qui ligna die Sabbathi colligebat, hunc tanquam legis transgressorem in carcerem mittunt, consulunt Deum, & ait oraculum diuinum: *Obruat eum lapidibus omnis turba extra castra.* Sic miser periit obrutus lapidibus. Et cur lapidibus obruitur pro supplicio? Ait D. Cyril. lib. 4. in Ioann. cap. 51. *Ideo qui ligna colligebat in Sabbatho lapidibus obruebatur, quoniam veritatë in figura violauit. Non intelligens ex amentia, quæ obumbrata illa continebant, atque ideò inanimis lapidibus tanquam insensatus obruebatur, vt in supplicio suo morum quasi qualitatem ostenderet.* Sic insensatus eius animus circa diuina extrinsecus ostendebatur in insensatis lapidibus, quibus obruebatur. Sic & in cæteris peccatoribus solet Deus facere, vt internæ malitiæ qualitas extrinsecus aliquo in malo appareat, sub quo miseri peccatores vehementissimè affligantur.

Arator. — Num. 15. — D. Cyril.

Numer. 12. Cumque respexisset eam Aaron, & vidisset perfusam lepra, ait ad Moysem: Obsecro Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod stultè commisimus, ne fiat hæc quasi mortua, & vt abortiuum, quod proiicitur de vulua matris suæ. Ecce iam medium carnis suæ deuoratum est à lepra, &c.

§. VIII.

Metus calamitatis plus solet affligere, quàm ipsa calamitas.

LEpræ malo confecta Maria, Aaron liber à lepra mansit, sed non à supplicio, quando vehementissimè in ipsa Mariæ lepra fuit ipse castigatus. Sapienter enim, inquit Saluianus lib. 1. de Prouid. *Aaronem Domini castigatio flagellauit, nec solum in hoc, sed in pœna, quam Maria patitur, Aaron etiam quasi culpæ particeps torquetur. Maria enim supplicio afficitur, vt Aaron confusione mulctetur.* Ecce tibi lepra afficiens Mariam, simul Aaronem & forte vehementiori dolore ferit, adeò vt tacente Maria sub lepra, eius conspectu solo Aaron sic afficiatur, vt multus sit in quærendo remedio. Quippè ait textus: *Cum conspexisset eam Aaron, & vidisset perfusam lepra, ait ad Moysem: Obsecro Domine mi, &c.* Maria sub malo lepræ tacet, nec vllam facit diligentiam, qua liberetur; Aaron autem illam videns clamat ad Moysem, multas fundit preces, humiliter, verecundeque & obnixè sanitatem contendit. Sanè acrius mordetur conspectu lepræ, qui tantus est in remedijs quærendis. Nec mirum, sæpe enim super calamitatem ipsam affligit calamitatis metus. Rem explico pulchro exemplo ex Egesippo lib. 4. cap. 9. Erant rebelles homines clausi Ierosolymitano in templo, qui vt ciues possent perdere, vocarunt ad se Idumæos. Adsunt viginti millia Idumæorum, qui ingredi ciuitatem conabantur, sed ciues animosè resistebant clausis firmissimè portis. Interea dum Idumæi sub dio essent, ingens tempestas exorta est, cuius vis tanta fuit, vt ciues Ierosolymitani intra domos suas consistentes animo caderent, adeóque sui obliti existerent, vt exeuntes è templo perduelles portas ciuitatis aperirent, Idumæos exciperent, ciuitatem perderent. Quid mirabilius? Qui sub dio erant, totamque vim tempestatis excipiebant, nec consternantur, nec infirmantur; qui autem intra domos erant à tempestate protecti, ad solum illius conspectum prorsus eneruantur, & pereunt. Vnde hoc, nisi quia supra calamitatem ipsam est ipse calamitatis metus? Pulchrè Egesipp. ait: *Subito nocte oritur procella intolerabilis, tempestas atra, fremunt venti, cælum imbre effusum, vis imbrium multa infunditur, terribiles coruscationes, tonitrua immania, terrarum mugitus, vt solui mundus æstimaretur. Quis crederet plus nocuisse istud intra vrbem positis, quam extra vrbem degentibus?*

Salutan. — Egesip.

gentibus? Cum vtique hi tectis muniti forent, illi obiecti ad imbres; sed amplius terruit iniuria metus, quam ipsa iniuria. Equidem tam atrox temporis iniuria non sic affecit patientes, vt illius solus metus affecit eos, qui liberi, securi, & protecti erant. Sic sæpe calamitatis metus atrocior carnifex est humani cordis, quam ipsa calamitas veniens. Ne miremur, quod Maria sub lepræ malo taceat; Aaron amplius illius mordeatur cōspectu. Quod supplicium, vel ante supplicium datum fuit Absaloni, & quidem omni supplicio acerbius. Cum enim totus eius exercitus periret, fugam ipse meditatus mulum conscendit, & fugiens per condensam quercū implicatis ad arborem capillis suspensus hæsit. Ait text. 2. Reg. 18. *Adhæsit caput eius quercui, & illo suspenso inter cœlum, & terram, mulus, cui insederat, pertransiuit.* Itaque Absalon suspensus mansit ab arbore lōgas inducias habens, quibus posset, vel mediis multis, vel saltem precibus salutem comparare. Nō sic factum est cum Core, sed vt ait Num. 16. *Disrupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis, &c.* Core cum suis factionariis, vbi loquuntur contra Moysem, subito à terra vorantur; Absalon autem, qui aduersum patrem rebellat, illique bellum infert, non à terra voratur, sed viuus tenetur ab arbore. Cur non magis perimitur? Cur adhuc rebellis tantus viuere permittitur? non equidem lenius agitur cum Absalon, dum reliquis rebellibus subito pereuntibus, ipse diu viuus demonstratur, sed maiori sic conscientiæ flagello traditur videntis iam iam peccatorum messem appropinquare, & se sub illius metu cruciantis. Ait Chrysost. in Psal. 7. *Longo tempore pependit Absalon à conscientia deinceps flagellatus.* Sane duriori carnifici traditur, nimirum conscientiæ propriæ videnti flagitium, & metuenti flagitij damnum. Et quod mirere magis, Core simul cum omnibus factionariis repēte absorptus fuit, cum Absalon longè aliter factum est, prius sunt occisi factionarij eius, prius ipse vidit interfectos milites suæ coniurationis socios, & hos cæsos videns salutem suam fuga procurabat. Et cur cum Core simul absorbentur factionarij, Absalomo autem incolumi, & viuo factionis socij interfecti ostendebantur? Vt Absalomus nocentior fuit, sic atrocius cum illo agebatur, vt in sociis suis videret sibi debitam calamitatem, & sub illius metu, & cōfusione magis affligatur. Ait D. Chrysost. hom. de Absalomo. *Igitur commisso bello prosternūtur aduersarij David, deseritur parricida, iam suam in suis conspicit pœnam, iam supplicium debitum sibi in suorum interitu recognoscit. Iā timet, iam formidat, &c.* Sic nocentiori atrocius supplicium datur, vt suam pœnam in suis videns sub metu affligatur cladis, vt qui soleat plus torquere, quam ipsa clades. Quò adducenda sunt dicta tom. 3. in Euang. lib. 13. cap. 1. §. 3. & tom. 4. lib. 16. cap. 8. §. 4.

[marg.: 2. Reg. 18. — Num. 16. — Chrysost. — Chrysost.]

Num. 12. Clamauit Moyses ad Dominum, dicens Deus obsecro, sana eam. Cui respondit Dominus. Si pater eius spuisset in faciem illius, nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi? Separetur septem diebus extra castra, & postea reuocabitur. Exclusa est itaque Maria extra castra septem diebus: & populus non est motus de loco illo, donec reuocata est Maria.

§. IX.

Mala in peccatorum pœnam venientia, non depelluntur nisi diuturni temporis diligentiis.

Septem dierum rubor, & confusio requiritur ab eo, qui vel verbulo nouit infirmitates curare, vt lepram Mariæ tollat, ait enim: *Separetur septem diebus, &c.* Cur non statim tollit illam, vt sæpe alias fecit in infirmis aliis? Venerat pœna illa à summo parente Deo in murmurationis supplicium, quod autem malum est supplicium peccati non tollitur nisi virtutibus multiplicatis, nisi diuturni temporis diligentiis peractis. Sic venienti ad se Naamano leproso ait Elisæus 4. Reg. 5. *Vade, & lauare septies in Iordane.* Esto, quod mittatur ad Iordanis lauacrū, cur septies lauari iubet? Sanè Iesus, in cuius virtute Elisæus operabatur, misit cæcū ad lauacrum, sed tantum ait Ioan. 9. *Vade, laua in natatoria Siloe.* Non dixit, laua septies, sed tantum laua, vt vel vno lauacro posset mundari. Cur ergo maluit Naamanum septies, cæcum autem semel tantum lauari? Quæstionem soluit Dominus dicēs de cæco, *Neque hic peccauit, neque parentes eius, vt cæcus nasceretur.* Non equidem venerat cæcitas in pœnam peccati, & ideò nō mirum, quod facile illam Dominus velit curare. Lepra autem Naamani saltem typus erat pœnarum, quæ in peccatis fundantur, & ideò pluribus debuit curari. Ait enim Tertul. lib. 4. in Mar. *Syro fortiius emundato, significat per nationes emundationes in Christo, quæ septem maculis delictorum capitalium inhærent. Quapropter septies, quasi per singulos titulos in Iordane lauit.* Itaque vbi significatur sanatio malorum, quæ fundantur in peccatis, non vnum, sed multiplex mandatur lauacrum, non enim nisi multiplici diligentia virtutum homo ab iis conualet infirmitatibus. Hinc Ionas c. 3. ingrediens Niniuen clamabat: *Adhuc quadraginta dies sunt, & Niniue subuertetur.* Extremam ciuitatis subuersionem post quadraginta dies futuram proponit. Non sic cum Babylone factum est, de qua dicit Apoc. 18 *In vna die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, &c.* Huic vna tantum dies datur induciarum, illi quadraginta dantur, sed vtraque peccatrix erat, vtraque sceleribus abundabat, vtrique calamitas veniebat ob peccata. Cur vna tantum dies induciarum datur Babyloni, & quadraginta Niniue designantur? Dantur Niniue dies, quibus regulariter possit à se depellere peccatorum suorum merita mala, & ideò illi quadraginta dies dantur, non enim vna, aut altera, sed diuturni temporis diligentiis regulariter solent propelli mala, quæ in peccatis fundantur. Ait D. August. in glossa ad 3. Ionæ caput: *De Niniuitis apud Ionam prophetam scriptum perhibent: Quadraginta dies, & Niniue subuertetur, vt per tot dies, accommodatos humiliationi pœnitentium, intelligatur in ieiuniis sua defleuisse peccata, & impetrasse misericordiam Dei.* Non otiose plures dies Niniuitis dantur, sed vt ostēdatur, non nisi pluribus virtutibus, pluribus diuturni temporis vigiliis potuisse à peccati debita calamitate liberari. Sic ægrotanti Ezechiæ 4 Reg. 20. adest Propheta Isaias, promittit post triduum sanitatem, quam vt conferat, ait: *Afferte massam ficorum*, hancque ægroto adhibuit, quæ, teste Lyra, potius aggrauaret infirmitatem. Aliter cum Iobo factum est, ipse enim mille tacebat tortus infirmitatibus, cui sic iacenti Deus adest c. 40. & hæc verba dixit iuxta Septuag. *Putas me aliter respondisse tibi, quam vt appareas iustus?* Hæc dixit Dominus, & illico Iob apparuit sanus. Compone modo sanitatem Iobi, & Ezechiæ sanitatem, hic vt sanaretur, triduum expectatur, massa ficorum illi apponitur, quæ dolores exacerbaret; ille autē subito ad Dei verbum sanatur. Cur tantis curatur Ezechias, cum Iob nullo remedio adhibito, nec vllo die expectato appareat curatus? Ezechiæ morbus venerat propter tumorem superbiæ, vt ait Glycas, & Cyrill in Glossa, imo & venit propter aliqualē ingratitudinem, vt August. ibi etiam fatur. Morbi autem Iobi non venerant propter peccata, sed propter eius iustitiam manifestandam, quod vt Deus dixit, subito eliminantur Ait Theophan. epist. 5. de Patientia: *Post tolerantiam tentationum Iob dignus habitus est, qui Deum videret, audiretque illud diuinum præconium dicens illi, Putasne me aliam ob causam alloquutū te esse, nisi vt iustus appareas? Oratio hæc immarcescibilis fuit corona certaminum athletæ; hoc brauium fuit agonis ipsius, hoc patientiæ præmium Oratio hæc morbum illum doloribus plenum illico dissoluit.* Equidem quando constituit morbos non venisse ob peccata, sed ob iustitiam monstrandam, illicò sine remedio alio morbi sunt curati. Qui tunc multis vigiliis, multis remediis, multis virtutibus exercitis, multis admissis vitiorum contrariis debent curari, cum venerunt ob peccata. Ex quo latro clamabat Luc. 23. *Memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Cur sic differt remedium suum? Cur non magis postulat, vt statim memoria eius habeatur? Sciebat crimina sua, & pœnā qua dignus erat, ideo nisi post multa exantlata non audet petere sanitatem. D. Aug. ser. 144. *Attendens merita sua, non dixit. Memento mei, vt liberes me hodie; sed cum veneris in regnum tuum, tunc memor mei esto. si mihi tormenta debentur, vel quousque veneris in regnum tuum.* Prudens latro debita sua attendens non putabat nisi longi temporis pœnis debere sanari.

[marg.: 4. Reg. 5. — Ioann. 9. — Tertul. — Ionas 3. — Apoc. 18. — D. Aug. — 4. Reg. 20. — Septuag. — Theophan. — Luc. 23. — D. Aug.]

§. X.

Qualibet calamitas temporalis pro minimo à Deo habetur.

Illud mirabile, quod lepram mordacissimam, à qua pene consumpta erat Maria, comparet Deus sputo paterno. Quippe ait: *Si pater eius spuisset in faciem eius, &c.* Quid lepræ, & sputo? Quantumuis enim sputum verecundum sit, tamen leue quid est, & parui, aut nullius nocumenti, lepra autem

mordacissima

mordacissima lues est, magnumque infert homini nocumentum. Cur ergo de illa sic agit Deus, quasi de sputo leui? Equidem apud Deum nulla calamitas temporalis magna est, sed leuis, sed parui momenti. Similiter vbi mundi Imperatoris ruinam voluit ostendere Dan. c. 4 obiicit Nabuchodonosor dormienti arborem, de qua vigil clamabat, *succidite arborem, excutite folia eius.* Maximum imperatorem perdit, & arborem vocat; Imperium mundi excutit, & folium dicit. Nec miror, sic enim sunt apud Deum regnorũ clades, quasi clades vilissimorum foliorum essent. Quò spectat illa historia narrata à D. Greg. Turonensi lib. 5. historiæ Francorum: *In Turonico vero, eo anno, sonitus tanquam diruentis arborem, per totam terram illam auditus est; quod ideo nõ est de arbore æstimatum, quod in quinquaginta, aut amplius milliaria est auditum. Ipso anno grauiter vrbs Burdegalensis à terra motu concussa est, &c.* Ecce tibi in sonitu cadẽtis arboris excidiũ Burdegalense prusignatur, nec apud Deum maior est clades vrbis, quam clades arboris. Sic æstimat Deus perditionem quamlibet temporalem, quasi esset perditio vnius arboris, seu vnius folij, quod vento rapitur. Parua enim est in Dei cõspectu quælibet calamitas temporalis. Hinc Dominus tradens amicum suum Iob furori diabolico, vt omni ægritudinum genere conficiatur, ait c. 1. *Ecce vniuersa, quæ habet, in manu tua sunt.* Vbi Chrysost. in cat. ait: *In manu tua dormitat quæcumque sunt illi. In manu, inquit, tua pusilla.* Et quæ est in diabolo pusilla manus, nisi quæ perdit, & torquet temporaliter? Reputat semper Deus pusillum malum, quod vltra temporis limitem non salit.

Dan. 4.

D. Greg.

Chrysost.

CAPVT XXIII.

Exploratores missi.

Textus Historiæ.

PERVANTVM erat Cadesbarne, qui situs, & Pharan terminat, & regionis promissæ limina indigitabat; ad quem ducente Deo, tot superatis difficultatum monstris vocabantur. Hæsit tamen populus, minime vlterius progredi ausus, nisi præmissis prudentibus viris, qui terræ situm, feracitatem, munitiones prouiderent, renuntiarent. Singuli è singulis eliguntur tribubus, inter quos & Caleb, & Iosue numerantur, quorum robur cæteris maius, & fides præstantior. Ij mirati regionis feracitatem, botrum è vite decerpunt, qui pendens ab hasta, oneri fuit duobus portantibus, admirationi vniuersis popularibus. Botri aspectus animos dum dilatat; eos in angustum deducit incolarum fortitudinis repræsentatio. Dicebantur regionis incolæ gigantæo semine sati, munitissimæ vrbes, & fere inexpugnabiles; inter quæ dicta multis nititur Caleb contribules erigere, vt arma capiant, potius validissimorum hominum substantius. Econtra alij pectora vulgi consodiunt, quasi vel à terra essent statim vorandi, quæ minime cultoribus suis parcit.

PARS VNICA MORALIS in textus literam.

NON hasta, sed stylo venit nobis botrus portandus, in quo mentis diuitias, virtutumque feracitatem possimus explorare.

Deut. 1. Cum venissemus in Cadesbarne, dixi vobis. Venistis ad mõtem Amorrhæi, quem Dominus Deus noster daturus est nobis. Vide terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi, ascende, & posside eam, sicut locutus est Dominus Deus noster patribus nostris, noli timere, nec quicquam paueas. Et accessistis ad me omnes, atque dixistis. Mittamus viros, qui considerent terram, & renuntient, per quod iter debeamus ascendere, & ad quas pergere ciuitates.

§. I.

In diuinorum executione ille triumphat, qui omnem à se excusit timorem humanum.

IN promissionis terræ limine constitutis Israelitis illud salutare consilium prælibatur, nimirum: *Noli timere, nec quicquam paueas.* Ille namque in promissis diuinis triumphabit, qui ad illa festinans mediis etiam insuperabilibus difficultatibus nihil pauet, omnique humano timore liberatur. Sciebat Isaac diuinas sibi repromissiones factas, vt pater futurus erat multarum gentium, vt progeniturus mundi salutem. Interea antequam sponsæ ingereretur, videt se ex Dei præscripto ad mortem ligari, quippe ait Gen. 22. *Cumque alligasset filium suum, posuit eum in altari super struem lignorum. Extenditque manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum.* Quid tunc Isaac? Timuitne sibi datis promissionibus? Videns se ligatum, & substricto gladio timorem habuit, ne præcox mors spes in se collatas absumeret? Accipite D. Zenonem sanctum serm. 6. *Nec puerum mors vicina contristat, ne trepidatio fidem prodat infirmam. Sub hac denique immolantis, immolatique constantia absolui meruit, dum humanum ex se deponit timorem.* Non equidem potuit non victor euadere, & ad diuinas promissiones peruenire, qui tanto sub periculo omnem à se dimisit timorem humanum. Huius etiam nepos Ioseph, dum oracula capit in somniis de regno super fratres habendo, venditus a fratribus seruus factus est, in Ægyptum ducitur, vbi maiori seruitutis vinculo astringitur, tandem ob falsè impositum sibi adulterium conicitur plectendus in carcerem. Quid seruitus, quid carcer, quid vincula cum regno? Sed tamen per seruitutem, per carcerem, per vincula ad regnum transit. Ait enim Gen. 41. *Dixitque rursus Pharao ad Ioseph: Ecce constitui te super vniuersam terram Ægypti, &c.* Et quomodo ad regnum promissum per tot regno contraria potuit peruenire? Ait Theodor. serm. 8. de Prouid. *Omnia aduersa Ioseph generoso animo sustinuit. Nam assidua illa, & alternis se vicibus excipiens variarum calamitatum tempestas, nec animæ institutum abstulit, nec fortitudinẽ eius in timiditatem conuertit.* Ex quo in tot contrariis pene insuperabilibus nullum humano timori locum dedit, non miror, quod perueniret ad promissa sibi à Deo. Hinc Luc. 1. Angelus promissurus filium, quem senectus, & sterilitas negarat, inquit: *Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, & vxor tua Elizabeth pariet tibi filium, &c.* Vt Angeli cõspectus metum incutiebat Zachariæ; sic nil prius curat Angelus, quam metum excutere, quod plurimum faciebat, vt promissa reciperet. Ait enim Chrysol. serm. 88. *Angelus antequam mandata pandat, dona tradat, metum discutit, fugat timorem, confortat animos ancipiti cogitatione turbatos, vt mens, quo migrauerat à se nimio pauoris excessu, in semetipsam reuersa beneficiorum tantam sentiret, & caperet largitatem.* Proh quàm vicinus sit promissis diuinis excipiendis, qui à se prorsus timorem abigit humanum! Petro post resurrectionem apparens Dominus, vt quod promiserat, Pontificium traderet, ait illi Ioan. 21. *Simon Ioannis diligis me plus his? Etiam Domine, tu scis, quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Ioannis diligis me? Ait ille, etiam Domine, tu scis, quia amo te, &c.* Et cur in tradendo promisso pastoris munere, tam anxius Dominus quærit in Petro suum amorem? Viderat illum in passione turbarum timore, & præ timore promissis renuntiasse; & ideo modò & timorem excutit, excussóque timore amorem firmat, quo promissum munus custodiendarum ouium possit capere. Quò respiciens D. Augustinus sermone 24. de sanctis ait: *Nunquid non, quando negauit Petrus Christum, occide timuit? Hoc timuit pati, quod passus est Christus. Resurgendo Christus abstulit mortis timorem, & quoniam abstulerat mortis timorem, merito interrogabat Petri amorem, &c.* Nil non agit Dominus, vt ostendat à Petro abesse malum timoris, quando ad promissum munus recipiendum sese componit.

Gen. 22.

D. Zen.

Gen. 41.

Theodor.

Luc. 1.

Chrysol.

Ioan. 21.

D. Aug.

§. II.

Non sine piaculo post Deum pollicentem, aspicis creaturam.

NOn paruum crimen obiicitur Israelitis à Moyse, cum ait ab illis exploratores petitos: *Accessistis*, inquit, *ad me, atque*

atque dixistis: Mittamus viros, qui considerent terram, & renuntient, &c. Equidem iam Deus renuntiauerat terram esse lacte, & melle manantem, incolas prorsus superandos, ciuitates expugnandas; item & Angelus in columna nubis viam monstrabat, qua aggrediendum erat. Post hæc, qui adhuc ad exploratores alios aspiceret, fallar, si euadat absque supplicio. Angelus à dextris altaris apparens nuntiauit Zachariæ sterilitatis solutionem, generationem filij concessam à Deo eius orationibus & vigilijs. Res sanè difficilis senibus parentibus, & sterilibus. Quid tunc? Luc. 1. *Dixit Zacharias ad Angelum: Vnde hoc sciam? Ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis. Et respondens Angelus dixit ei: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi euangelizare. Et ecce eris tacens, & non poteris loqui.* Ecce tibi Zachariæ petenti signum Angelus respondit iratus, illique infert statim supplicium dicens: *Non poteris loqui.* Et cur sic bonus ab Angelo percutitur, nisi quia post Deum pollicentem, post Angelum nuntiantem, adhuc aliud requirit, dicens: *Vnde hoc sciam?* Pulchre ad hæc ait D. Chrysol. ser. 9. *De supplicio fidei perficit documentum, dicendo: Eris tacens, & non poteris loqui. Egit ergo Angelus, vt tali documento eruditus, non amplius dicat: Vnde hoc sciam? Qui totius creaturæ iudicio potuit approbare, quod Deus cælum, terram, mare ex nihilo fecerat subsistisse, credere debuit, quod potuit ex aliquo facere, quod vult; & desperato reddere, quod promittit.* Vbi Deus promittit, Angelus adstipulatur, damnabiliter errat, qui aliud expectat, cui fidem adhibeat. Adamus vt se excusaret, dicebat Gen. 3. *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Quam excusationẽ merito putat D. Chrysost. non posse esse immunem à supplicio. Et cur non erit sine supplicio excusatio ista? Dixerat Deus, ne comedas, quia morte morieris; dixit vxor, comede, non enim comedentes moriuntur. Ipse post Dei verba, adhuc attendit ad verba creaturæ, qualiter ergo poterit liberari à supplicio? Ait Chrysost. hom. de patient. Iob: *Illi respondent Deo, inquit: Mulier dedit mihi, & comedi. O responsum indulgentiam non habens! Illa inquit, Comede. Deus dixit, Ne comedas, quare ergo mulieri obsecundas, & Deum spernis?* Sanè post Dei ostensam, & agnitam voluntatem, quod te creaturis submittas, vt earum placitisguberneris, id solum faciendum proponens, quod volunt illæ, piaculum est dignum supplicio. Numer. c. 22. venit Dominus ad Balaam, dixitque illi, vt minime iret cum legatis Madianitis ad maledicendum Israelitas, annuit ipse, dimittit legatos, & minime voluit ire cum illis. Iterũ legati redeunt, & petunt enixè, vt veniat Balaam secum. Quid tunc? Ait Balaam: *Obsecro, vt hic maneatis etiã hac nocte, & scire queam, quid mihi rursus respondeat Dominus. Venit ergo Deus ad Balaam nocte, & ait ei: Si vocare te venerint homines isti, surge & vade cum eis, ita duntaxat, vt quod tibi præcepero facias. Surrexit Balaam mane, & strata asina sua profectus est cum eis. Et iratus est Deus. Stetitque Angelus Domini in via contra Balaam.* Et quando Deus præceperat ire vatem cum legatis, cur irascitur illi? Cur Angelum percussorem obijcit in via? Quid fecit iste, quo tantam iram mereretur? Ait ipse: *Obsecro, vt hic maneatis etiam hac nocte, & scire queam, quid rursus respondeat Dominus,* quibus verbis ostendit homo veneficus se illa nocte rediturum ad artes suas, dæmonesque dominos suos euocaturum, vt sciat ex eis, an ire debeat, quod non potuit esse, non illi ad supplicium, quando hæc faciebat post verum Deum auditum negantem viam. Quis enim post Deum auditum, euocat creaturas, quarum sequatur nutũ, & erit à supplicio liber? Ait Orig. hom. 13. in Num. *Molestus est Balaam Deo, & extorquet propemodum permitti sibi, vt eat maledicere filiis Israel, & vt inuocet dæmones, ad quos iam venerat Deus. Petenti ergo ire cõceditur, in via conteritur ab asina, &c.* Expende illud, *Vt inuocet dæmones, ad quem iam venerat Deus.* Post Deum auditum, post Dei verba voluntatemque perceptam, adhuc euocat familiares suos, ab illisque responsum expectat, secuturus illorũ nutum, non miror, quod pericula mortis incurrat, quod sentiat diuina spicula.

Luc. 1. — *Chrysol.* — *Gen. 3.* — *Chrysost.* — *Num. 22.* — *Origen.*

Num. 13. Locutus est Dominus ad Moysem, dicens: Mitte viros, qui considerent terram Chanaam, quam daturus sum filiis Israel, singulos de singulis tribubus, ex principibus. Fecit Moyses quod Dominus imperauerat, de deserto Pharan mittens viros, quorum ista sunt nomina. De tribu Ruben, Sammua, &c. Misit ergo eos Moyses ad considerandam terram Chanaam.

§. III.

Errones homines vni acquiescunt, qui eorum respondet desideriis.

DEum habuerunt Israelitæ promittentem terram manantem lacte, & melle, qualem esse dicebat Chananæorum terram; insuper Angelum deductorem in columna nubis habebant. Nec Deo bonitatem terræ asserenti acquiescunt, nec ductui Angelico, sed petunt adhuc mitti exploratores, qui renuntient terræ bonitatem, & viam accedendi ostendant. Rem deducit Moyses ad Deum, qui annuit populo petenti, & de Dei ordine selegit Moyses viros præcipuos, quos mittit exploraturos terram. Ait enim: *Misit ergo eos Moyses ad considerandam terram, &c.* Nec est, qui Moysi resistat, nec qui oblatret abeuntibus exploratoribus. Et cur sic quieti accipiunt exploratores homines, qui non quieti erant cum Angelo deductore? Nonne Angelus melius sciret vias accedendi ad promissam terram? Nonne ab Angelo melius discerent, qua securiùs procederent? Nonne Angelus certius & verius pericula, & euadendi loca moneret? Cur ergo habentes Angelũ, non quiescunt, & homines petunt, quos vbi accipiunt, & quiescunt, & totam illis procedendi rem credunt? Errones homines, in hoc, & immorigeri monstrabantur, vt ait Procop. qui vni illi acquiescunt, non qui certa, & vera, & vtilia dicit, sed qui respondet eorum desideriis. Non acquiescunt miseri Deo asserenti terræ bonitatem, nec præmittenti Angelum suum ante illos, & acquiescunt Deo mittenti viros exploratores, quia ij respondebant desideriis eorum, qui petierant eos. Sic miseri errones non spectant vtilia sibi, sed respondentia propriis desideriis. Similiter Num. 22. vocatus Balaam à rege Balac, vt malediceret Israelem, accepit diuinum responsum, quippè ait textus: *Dixitque Deus ad Balaam: Noli ire cum eis, nec maledicas populo.* Accepit Balaam hoc diuinum responsum & noluit ire cum legatis. Qui denuo accedentes orabant eum, vt veniret secum. Tunc Balaam respondit: *Obsecro, vt hic maneatis etiã hac nocte, & scire queam, quid mihi rursus respondeat Dominus. Venit ergo Dominus ad Balaam nocte, & ait ei: Si vocare te venerint homines isti, surge, & vade cum eis, ita duntaxat, vt quod tibi præcepero facias. Surrexit Balaam mane, & strata asina sua profectus est cum eis.* Cum Deus vetauerat profectionem in prima apparitione, non quietus fuit Balaam; sed iterum cõsuluit, iterum quærit, an iret cum legatis. Cum autem annuit Deus, & profectionem mandat, statim rem aggreditur, & sternit asinam, & proficiscitur. Cur modo non iterum consulis? Cur non obsecras, vt vel altera nocte expectent legati? Cur nullo alio expectato responso statim post hoc proficisceris? Proh erronei hominis ingenium! Nunc responsum consonabat desiderio, & cupiditati eius, & ideò illud festinanter arripit. Pulchre ad hæc aiebat D. Chrysol. ser. 131. fatus: *Quod vult, non quod est, audet semper, qui decreuit errare.* Erroneus animus nihil aliud respicit, nisi quod eius respondet cupiditati, & si illi proponantur vtilissima, non quiescit, nec acquiescit, donec proponantur, quæ ipse cupit, quæ propriis respondeant optatis. Sic dixerat Deus homini Genes. 2. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Non multum post accessit serpẽs, & ait: *Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij, scientes bonum & malum. Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, &c.* Ecce tibi contraria Deo asserenti serpenti sine dilatione creditur. Et cur iam facile creditur serpenti contraria asserenti? Ait textus: *Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, &c.* Cœperunt in muliere exurgere desideria, & vt serpentis assertum cœpit desideriis consonare, absque vlla dubitatione illud homines fuerunt amplexati. Pro quo ait Sixtus Pontif. epist. de malis doctoribus: *O humanæ peruersitatis vitium, fidem illis facile semper accommodans, quos cum desideriorum suorum concordare perspexerit voluntate, nec deliberare quidem solita est, nec vlla forsitan crudelitatis occasio, quæ desideriis fraudulenter arridet, saluti contraria, &c.* Hoc est mentis erroneæ ingenium ad illius sententiam aduolare, qui respondet optatis, non qui respondet sana: huic non acquiescunt, illi pertinacius sine dubio, sine hæsitatione adhærescunt.

Num. 22. — *Chrysol.* — *Gen. 2.* — *Sixt. Pont.*

***

§. IV.

§. IV.

Erronea mentis est, in muneribus distribuendis, non virtutes animi, sed externam nobilitatem aspicere.

SApienter putant Doctores prædicta verba non esse præceptiua, sed permissiua, quibus Deus permittit errare Israelitas, dicens: *Mitte viros, qui considerent terram, singulos è singulis tribubus, ex principibus.* Aliter enim dicebat Num. 11. *Et dixit Dominus ad Moysem: Congrega mihi septuaginta viros de senioribus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sunt, ac magistri, &c.* In hac electione morum spectatur canities, illi mandantur eligi, quorũ virtus & præstantia nota sit; in illa autẽ electione solũ spectatur nobilitas. Solum enim ait, quod electi sint *ex principibus*, & cur hic sola nobilitas spectatur, ibi autẽ animi virtus? Sanè vbi spectatur animi virtus, ostenditur, quid debet facere bonus princeps, in eligẽdis ministris, quod nimirum eos eligat, quos animi valor, & virtus commendat. Vbi autẽ sola spectatur nobilitas, ostenditur, quid Deus permittat malis principibus, nimirũ quod nihili æstiment animi virtutem, sed solum attendãt ad nobilitatis externæ insigne. Hoc sanè erroneæ mẽtis proprium est, quod sic permittatur cæcutire, vt in ministris eligendis solum externum nobilitatis splendorem aspiciat, nõ animi strenuitatem ad peragenda munera. Quo respiciens Ecclesiastes c. 10. aiebat: *Est malum, quod vidi sub Sole, quasi per errorem egrediens à facie principis. Positum stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum.* Diuites in præsenti non dicuntur, qui temporalibus diuitiis fulgent, sed qui sapientia, & dexteritate sunt præditi. Sic Campensis: *Qui ad res gerendas vehementer idonei sunt, in humilitate sedent.* Ecce tibi de erronei principis ingenio, quid oriatur, nimirum quod idoneus ad res gerẽdas lateat in humilitate, & stultus euolet ad sublimia. Particularius Chaldæus Complutensis ait: *Datus est Edom impius, & stultus, vt sit in sydere bono, & exercitus eius superbi & magni & populus domus Israel subiiciuntur sub eo.* Edom idem est, ac Esau frater maior Iacob, erronea ergo mens, quæ labi à Deo sinitur, externam solum nobilitatẽ aspicit, & eo quod Edom nempe Esau nobilior, maiorque fratre sit, ad omnia strenua munera illum eligit, siue exercitus ducendus sit, siue gubernandæ tribus; quo fit, vt stultus, & ineptus habeat splẽdida munera, & qui ad res gerendas idoneus sit, delitescat in humilitate sua. Quod cauens D. Synes. monebat Imperatorem suum lib. de regno, prope finem: *Tu vero fac, virtutis aliquid in pretio habeatur, quamuis sit cum egestate coniunctum, nec te prudentia lateat hominis, aut iustitia, reliquaque animi bonorũ multitudo sub vili, abiectaque veste delitescens, quin potius in medium producas, dignumque censeas, qui virtutẽ omnium oculis subiiciat, quam quidem domi segnem contineri nefas sit, sed sub dio agere, atque inter certamina versari oportet.* Huc aspiciat princeps, qui errorẽ fugit, ne soli nobilitatis splendori externo credat munera Reipublicæ, nec sinat in abiectis hominibus delitescere magnitudinẽ virtutũ. Quæratur in primis dexteritas in muneribus tractãdis, animi virtus, & constantia in peragẽndis negotiis, hæ siue in abiecto, siue in conspicuo viro inueniantur, debẽt spectari in promouẽdis à principe. Sanè Ioseph dum seruit Putiphari coniectus est in carcerem; vinculis adstrictus est in Ægypto, qui solus posset a ruina famis eripere Aegyptũ. De carcere eductus adhuc seruos Pharaoni sistitur, de cuius sapientia Pharao ait Gen. 41. *Placuit Pharaoni cõsilium Ioseph, & cunctis ministris suis locutus est ad eos: Num inuenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Ioseph: Tu eris super domũ meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet.* Quid magis regium? Eligendus erat saluator Aegypti, erant coram rege nobilissimi quique Aegyptiorum, erat & homũcio alienigena, & seruitutis nota, & carceris vinculis obscuratus. Rex autem spretis nobilibus seruum elegit. Quid facis rex? quẽ dedecorat seruitus, & vincula, eleuas in saluatorem Aegypti? Pulchrè D. Ambr. lib. de Ioseph c. 7. *Iniuria illata est prius, quam Ioseph cognosceretur à rege, gratia relata, vbi rege est cognitus. Itaque rex vitat culpa, quia & id, quod excepit vir sanctus iniuria, alienũ fuit, & id quod recepit gratia, eiuſ fuit propriũ.* Expende hoc vltimũ, nimirum, *id quod recepit gratia, eiuſ fuit proprium*, quippè regis regalissimi propriũ est, quod ad gratias, & munera sublimia eligãtur idonei, etiamsi ij extrahendi sint de ergastulo seruitutis, siue de carceris vinculis. Sic Dominus 1. Reg. 16 dicit ad Samuelẽ: *Veni, mittam te ad Isai Bethlehemitem: prouidi enim in filiis eius mihi regem.* Et cum nobilior, & maior in medio positus sit: *Dixit Dominus ad Samuelem: Non respicias vultum eius, nec staturam altitudinis eius.* Ecce tibi, vbi summus Deus eligere suę potestatis ministrum satagit, hoc in primis cauet, ne respiciatur externus splẽdor, imò maioribus, & nobilioribus spretis, minor, & abiectior de caprarũ caulis extrahitur, & adducitur, & eligitur. Cur Domine non nobiliores, sed despectum eligis? Ait ipse: *Non iuxta intuitum hominis ego iudico, homo enim videt ea, quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Homines erronei ducuntur externis splendoribus; qui verus Dominus est, cordis virtutes inspicit. Quam vbi inuenit, nil aliud requirit, vt dicat D. Basil. Sel. orat. 15. *Cognita animi mente minime erubescit artem.* Nulla vilitas officit, vbi animi virtus cognoscitur, vt hæc vel de sentina promoueatur ad puppim.

Margin notes: Num. 11. — Eccl. 10. — Chald. — D. Synes. — Gen. 41. — D. Amb. — 1. Reg. 16. — Basil. Sel.

Num. 13. Et dixit ad eos. Ascendite per meridianam plagam. Cumque veneritis ad montes, considerate terram, qualis sit: & populum, qui habitator est eius, vtrum fortis sit, an infirmus, pauci numero, an plures: ipsa terra bona, an mala; vrbes quales, muratæ, an absque muris: humus pinguis, an sterilis, nemorosa, an absque arboribus. Confortamini, & afferte nobis de fructibus terræ. Erat autem tempus quando iam præcoquæ vuæ vesci possunt.

§. V.

Terrena substantia consideratio nos cumulatissimè docet viam salutis.

PEtierant Israelitæ exploratores, vt docerentur, qua via accedere facilius possent ad terram promissam. Sic enim Deuter. 1. *Mittamus viros, qui considerent terram, & renuntient per quod iter debeamus ascendere, & ad quas pergere ciuitates.* Hac præcipue intendebant populares, vt per exploratores sciretur facilior via adeundi, & quæ prius posset capi ciuitas. Moyses autem eum in præsenti exploratores mittit, nihil de via adeundi, nihil de prima ciuitate capienda sibi renunciari petit. Solum ait: *Considerate terram, qualis sit, & populum qui habitator est eius, vtrum fortis sit, an infirmus, pauci numero, an plures; ipsa terra bona, an mala; vrbes quales, muratæ, an absque muris; humus pinguis, an sterilis, nemorosa, an absque arboribus. Afferte nobis de fructibus.* Ecce tibi cum tot petat ad terræ considerationem spectantia, de via ineunda, de ciuitate prima adeunda nihil postulat renunciari sibi. Et cur Moyses oblitus est ea, quæ maximè populus scire curabat? Cur cũ fructus afferri iubet, & alia multa notari, quæ populus non curauit, de ineunda via, de ciuitate prius adeunda nihil prorsus dixit? Sanè diuinus spiritus, qui Moysem implebat, non id frustra prætermisit, sed instruens homines ad consecutionem æternæ salutis, iussit considerare terram, inquiens: *considerate terram*, de via ineunda, & ciuitate adeunda prorsus reticuit, quia vna terrenæ substantiæ consideratio sufficienter nos doceret, qua via ad salutem sumus peruenturi. Hinc Adamus à paradiso exclusus terræ colendæ traditur, dicit enim Genes. 3. *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* Sic occluditur illi paradisi via, & mandatur misero terræ cultura. Cur Domine sic hominem deprimis ad terram? Cur quem eiicis à paradiso iubes, vt terram pro alimento quærendo semper respiciat? Misericordiæ ratio ea fuit, quæ viam occludens ad paradisum, dedit homini terram aspicere, quo doceri posset ad paradisum redire. Ait Theophyl. Antiochen. epist. 2. ad Autolium: *Hominem eiicit Paradiso, solum vertere iubens, vt statuto tempore peccatum excluens, & probe omnia edoctus, & institutus postrema reuocaretur.* Expende illa, nimirum, *& probe omnia edoctus, & institutus*; quippe vna illi paratur terræ colendæ schola, vnum opus, vnum illi exercitium iniungitur, quod solum vertat, quod terram colendam sibi consideret, & inde omnia probe edoctus, & institutus dicitur reuocandus ad paradisum. Sufficit, mihi crede, terrenæ substantiæ consideratio, & inspectio, vt nos edoceat abstrusissimam viam salutis, & ad illam deducat. Et quæ salutis via adeò abstrusa est, quæ non pateat consideranti substantiam suam infimam, terream? Aiebat

Margin notes: Gen. 3. — Theophyl.

Psal. 118. David Psal. 118. *In quo corrigit adolescentior viam suam?* Difficilis sanè inuentu est via salutis adolescentibus, cui difficultati insolubilem pene addit nodum Prouerb. 30. *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cælo, viam colubri super petram, viam nauis in medio maris, & viam viri in adolescētia.* Ecce tibi Spiritus sanctus asserit viam adolescentis ad salutem penitus ignorari, & David, quasi possit sciri, illam quærit. Quid David quæris rectam salutis viam in adolescentia, quam Spiritus sanctus posse sciri negat? Nonne verum est, quod ait diuinus spiritus, quod penitus ignoratur via viri in adolescentia? Cur tu quæris inuenire, quod Spiritus sanctus nescit? Equidē Spiritus sanctus asserit ignorari a se viam salutis in adolescente, sed in adolescente, qui totus hæret vicinus tribus illis primis viis, nimirum Aquilæ in aere, colubri in petra, nauis in mari. Non autem ignoratur à Spiritu sancto via salutis in adolescente, qui dimissis illis viis, non aëreos ambitionis volatus stupet, nec saxeā diritiem versat in pectore, nec marinis cupiditatum fluctibus immergitur, sed attentus infirmæ, terreæque suæ substātiæ se agnoscit, suamque fragilitatem considerat, & perpendit.

D. Ambr. Huic via salutis clarissima est, & euidens. Ex quo ait D. Ambr. in Psal. 118. ser. 2. *Ergo sciat se iuuenior, vt corrigat viam suam. Illa via viri in iuuentute non cognoscuntur, quæ sunt sicut viæ serpentis in petra, & sicut semitæ nauis fluctuantis, & vestigia volantis aquilæ, quæ supra nubes volat, in aere errat.* Sanè, qui iuuenis serpentis, aquilæ, aut nauis vias sectatur, in petræ obduratione, in cupiditatum fluctibus, in aereis ambitionis volatibus, huic nulla via salutis patet, nulla semita est, ob quam ad bona obrepat. Sciat ergo se iuuenis, consideret terream suam fragilitatem, mortalitatem suam agnoscat, & sic videbit amplissimam viam directam, qua ad salutem tendat.

Num. 13. Cumque ascendissent, explorauerunt terram à deserto Sin, vsque ad Rohob intrantibus Emath. Ascenderūt ad meridiem, & venerunt in Hebron, vbi erant Achimam, & Sisai, & Tholmai filij Enac: nam Hebron septem annis ante Tanim vrbem Ægypti condita est. Pergentesque vsque ad torrentem botri, absciderunt palmitem cum vua sua, quem portauerunt in vecte duo viri. De malis quoque granatis, &c.

§. VI.

Chariora homini sunt bona, quæ non solum parta, sed innata videntur.

Miraris, quod tam intrepide exploratores Israelitæ de Chananæorum bonis eripiant, vt referant suis. Non clā, & absconditè; sed manifestè eum botrum abscindunt, quem in vecte pendentem duo viri portare necesse habebant. Et quidem merito, non enim furtiua, sed propria ex auorū, atauorumque iure habita mercebant. Sed esto, quod propria illa bona erant, & adnata cum auitis hæreditatibus, quid necessum fuit tam cito, & immature illa, vt propria capere, & publicè ferre. Sanè hoc pertinebat ad Israelitarū præstantiam; vt cum post bella, & deuictos Chananæos bona illa acquirerent, non viderentur parta denuo, sed adnata illis esse. Similiter Matth. 17. *Assumpsit Iesus Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut Sol, & vestimenta eius facta sunt alba sicut nix.* Et quo spectauit antelocana hæc gloriæ visibilis demonstratio? Venerat Iesus, vt per passionem, & ignominiam crucis tyrannidem mortis, & inferni prosterneret. Cur, qui serui ignominiis, tot opprobriis deuouerat, modo sese sub tanta gloria corā discipulis ostenrat? Curabat Dominus, ne gloria illa, sub qua post deuictos hostes, post mortem superatam rediuiuus videndus erat, denuo parta videretur, sed sibi adnata esse. Huc spectans D.

D. Ephr. Ephrem orat. de Transfig. inquit: *Suum eis ostendit gloriam ante suā resurrectionē, vt quando resurrexerit à mortuis in gloria natiua sua diuina, sciant eum non accepisse tanquam mercedem sui laboris gloriam, vt qui ea indigeret; sed eum illam iam olim habuisse ab æterno cum patre, & cum spiritu eius.* Hoc maxime Dominus cauebat, ne gloria post resurrectionem, post deuictam mortem videretur merces, sed hæreditas, non ab aliis rapta, vel accepta, sed antiquitus cum patre, & ex patre habita. Decorat namque maxime hominem, quod non videatur quasi mercenarius ad honores accedere, sed in illis cum auotum iure natum esse. Hac gloria rapti Alexander, & Aristobulus indigne ferebant, quod pater Herodes ad regnum vocaret Antipatrum genitum ante regnum. De quo ait Egesip. lib. 1.

Egesip. c. 38. *Antipatrum Dosidis filium Herodes præferre fratribus, atque ad sui gratiam vberiore cœpit affectu lacessere; ardere maioribus odiis aula regia, & certamine fratrum concuti: dum illi indignantur, quod priuatæ mulieris filius sibi in regno ortis præferebatur.* Et quidem Antipater æque erat legitimus Herodis filius, ac illi, & ætate primus; nihilominus Alexander, & Aristobulus fratres ætate minores illum despiciebant, se maxime extollebant, quod illi è natiuitate priuata ad aulam regiam accessit, ipsi autem nati sunt in ipso iam habito à Patre regno.

§. VII.

Laborantibus nil sic placet, quam vel resurrectionis vmbra.

De fructibus promissæ terræ aliquot allaturis, merito vuarum botrus eligitur: quippè: *Absciderunt palmitē cum vua sua, quem portauerunt in vecte duo viri.* Qui fructus expectatæ telluris, & dulcior, & lætior afferri potuit, quam botrus, cuius succo rediuiua nostræ mortalitatis terra vehemēter exultat? Ait enim sponsa Cant. 1. *Botrus Cypri dilectus*

Cant. 1. D. Bern. *meus in vineis Engaddi:* circa quæ D. Bern. serm. 44. in Cant. *Ergo Dominus meus Iesus myrrha mihi in morte, botrus in resurrectione.* Et equidem botrus promissę immortalitatis gloriosę terræ præclarissimus index, nec vllo alio melius laborantium, gementiumque recrearentur obtutus, quam gloriosa resurrectionis præuisis triumphis. Iob omnibus spoliatus bonis, orbatus filiis, ingenti plaga percussus sedens in sterquilinio cap. 2. *Testa saniem radebat.* Cur testa saniem

Iob 2. abstergit? Nonne vel sterquilinium suppeditaret laceros aliquos pannos, qui tali muneri suauiùs deseruirent? Cur magis testam elegit? Ait D. Hier. ad Pammachium: *Testa radens putrida*

D. Hieron. *carnis saniem, miserias suas resurrectionis spe, & veritate solatur.* Præuidebat in testa aliquod indicium resurgentium status, quapropter, dimissis omnibus, testam arripuit, qua abstergeret saniem, in nullo erat, quam in resurrectionis spe firmius, lætiusve laborum, ærumnarumque solamen. Cur non ferat labores? Cur timeat pericula imminentia, qui præsentit resurrecturi glorias? Pulchre Isaias cap. 26. *Expergiscimini,*

Isai. 26. *& laudate, qui habitatis in puluere, quia ros lucis, ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam.* Qui adhuc in arena sunt, qui belli puluerem nondum excutiunt, ad laudandum vocantur, tunc etiam cum adhuc gigantes imminent nocituri. Et quando belli puluis, & gigantum arma misertos premunt, quomodo ad laudandum exurgent? Ait ipse, *quia ros lucis, ros tuus*, est Iesus, qui irroret puluerem nostrum, & de mortis vmbris erigat in vitæ lucē, sub cuius odore, nec puluis belli sentitur, nec gigantum arma possunt officere. Nil laboris, nil sudoris, nil gemitus relinquitur, vbi nobis resurrectionis radios affulget. De Petro currente cum Ioanne ad Domini-

Ioan. 20. cum sepulchrum, ait Ioan. c. 20. *Venit ergo Simon Petrus sequēs Ioannem, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina posita, & sudarium, quod fuerat super caput eius, &c.* Itaque abeunte Iesu è sepulchro per resurrectionem, linteamina, & sudarium reliquit, quæ & videri, & seruari à discipulis suis possent. Sed cur nō magis absumpsit quæcumque erant mortis? Cur resurgens ipse, & abiens a mortalium oculis, maluit, vt linteamina, & sudarium manerent nobis? Præclare serm. 6. de

Chrysost. Resurrect. D. Chrysost. ait: *Linteamina Christus reliquit, vnde extergas lachrymas luctus tui, & sudorem refrigeres desiderij tui.* Et quid prius relinqueret nobis resurgens Christus, quàm & laborum, & sudorum leuamentum, & lachrymarum? Sanè in resurrectionis fide habemus, vndè omnes sudores, & lachrymæ abstergantur, vndè recreemur in quacumque calamitate.

§. VIII.

Christus crucifixus index bonorum iustos expectantium.

Palmitem cum botro abscissum deferunt exploratores, vt terræ bona suis popularibus pandant: ait enim: *Absciderunt palmitē cū vua sua, &c.* In quo euidentissime Christi mysterium adumbrabatur: suspēsus enim in cruce diuinissimus

botrus Iesus, & abscissus à terra viuentium bonorum in æternitate iustos expectantium gustum prælibabat. Vt sapienter dicat D.Paulin.epist. 3. ad Seuerũ: *D. Paulin.* *Fuit nobis idem Dominus dulcis ille botrus, qui nobis in crucis vecte suspensus, de terra repromissionis, & fructum ostendit, & gustum dedit, vt non iam sectemur vilia rura inculti gramina.* Non otiosus agit in cruce Iesus, ibi feracissimus fructus amaræ arboris, dulcissimus botrus pretiosi sanguinis sui succo madidus gustum nos facit sentire bonorum permanentium in vitam, & ab iis ablactat caducis, & vilibus. Sunt, sunt in botro hoc suauissimo pendenti à cruce bonorum, quæ nos manent, clarissima indicia. Hinc post mortem deuictam, post euacuatum sepulchrum, post Iesum gloria, & honore vestitum ait Angelus mulieribus Marc.c.16. *Marc. 16.* *Iesum quæritis Nazarenum crucifixum, surrexit, &c.* Resurgentis glorias proponit, & adhuc vocat crucifixũ. Quid crux cum resurgentis vita? Si gloriosam eius vitam ob oculos ponis, quid necessũ est crucifixi meminisse? Ait Vict. Antioch. ibi: *Vict. Ant.* *Non erubescit crucifixi nomen: hoc vno enim nomine, & re omnium bonorum nostrorum summa continetur.* Quidquid boni nos manet in æterna vita, est tanquam in summa, & indice in Iesu crucifixo. Et tot bona præ se fert crucifixus Iesus, vt illa ad se mũdum trahere sufficiant. Hinc Luc. 14. *Luc. 14.* cum rex diuinus occisis altilibus conuiuium parasset, ait seruis suis: *Exi in vias, & sepes, & compelle intrare, vt impleatur domus mea.* Verum cum crucem erigit, vt trahat mundum, ait Mar. 8. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucẽ suã, &c.* Ad nuptiarum conuiuia præparata compelli mandat nolentes, & vel de compulsis, & coactis impleri mensam procurat; ad crucem autem solum vult voluntarios venire, clamans, *si quis vult.* Cur non magis mandat cõpelli homines ad crucem, quam ad cõuiuium? Equidem tot bona sunt in crucifixo, vt ad illa voluntarij homines, sine vlla coactione debeant currere. Ait Ioan. Xiphilin. Patriarch. Constantin. orat. de adorat. Crucis habita apud nostrum Gretserum tom. 2. *Ioan. Xip.* *Videte, quemadmodum neminem cogat. Si quis vult, quasi diceret: Non vim affero, non cogo. Ad bona enim voco, nõ ad mala, & odiosa, non ad castigationem, & pœnam, vt etiam oporteat cogere. Siquidem ipsa res natura potis est attrahere. Ideo dixit: Si quis vult. Magna enim, inquit, sunt, quæ vobis offero bona, ac talia, vt volentes, libentesque ad se conuertant.* Eiusmodi sunt bona crucis, ad quę inuitamur, talia præ se fert bona crucifixus Dominus, cùm expansis manibus nos ad suam sequelam vocat, vt ipsa per se possint nos attrahere, nec vllo modo coacti, sed libentes ad Dominum crucifixum euolemus.

§. IX.

Christus crucifixus maximo in honore habendus à nobilibus præcipuè.

DVo viri dicuntur portasse botrum à terra promissionis decerptum, dicit enim: *quem portauerunt in vecte duo viri*, quos putat D. Ambr. serm. 70. fuisse Iosue, & Caleb, quippè ait: *D. Amb.* *Ipse plane botrus est, quem duo exploratores illi, hoc est, Iesus Naue, & Caleb filius Iephone in phalanga ad filios Israel propriis humeris detulerunt.* Vt enim botrus in figura, erat Iesus à cruce suspensus, sic à præstantissimorum ducum humeris portabatur, est enim semper crucifixo Iesu summus honor habendus. Huc debent præcipue populorum principes, & viri præcellentes intendere, vt maximus honor crucifixi seruetur. Nemo est de Patribus, qui in Mose, cum eleuabat manus Exod. 17. vt Amalecita vinceretur, vim salutiferæ crucis ibi non animaduertat: & ait text. *Aaron autem, & Hur sustentabant manus eius.* Itaque dum manus Moysis in figuram crucis eleuarentur, hinc inde erant Aaron, & Hur, vterque ex nobilissimis, & præstantissimis Israelitarum, qui manus sustineret. Vt ea tunc ostenderetur, quod præstantissimi viri eo debebant esse intenti, vt crucis mysteria in honore essent. Quo spectans Timoth. Antioch. orat. de Transfig. & cruce, inquit: *Tim. Ant.* *Constituerunt duos viros, qui manus Mosis fulcirent Aaronem, & Hur: Aaronem de Israelitico magistratu: Hur de regio. Sciebant Crucem sacerdotio, & regno conseruari.* Nil magis & sacerdotia, & regna debent prouidere, quam vt crucifixi honor conseruetur. Post crucifixum Dominum dicitur Marc. 15. *Marc. 15.* *Venit Ioseph ab Arimathæa nobilis decurio, qui & ipse erat expectans regnum Dei, & audacter introiuit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu, &c.* Ecce tibi hic homo dum Iesus viueret, metuebat videri discipulus illius, nec illi publice honorem magistri reddere audebat; vt autem illum vidit crucifixum, non tulit quod esset sine honore sepulturæ, quem honorem illi exhibere audacter procurabat. Et cur qui meticulosus adeo fuit ad honorandum viuum, sic audacter se gessit in colendo honorandoque crucifixo? Ait text. *nobilis erat decurio*: vbi D. Thomas in cat. ait: *Decurio vocatur, quod sit de ordine curiæ, & officium curiæ ministraret.* Erat bonus hic ex nobilissimis, cultissimisque viris, qui ad curiam pertinent, vnde nõ miror, quod meticulosus aliàs, in crucifixo Domino honorando & festinus, & audax ostendatur. Ad nobilissimos enim præcipue spectat, quod honor crucifixo habeatur. Vnde D. Ambr. orat. *D. Ambr.* de obitu Theodosij, narrans vt Helena Imperatrix misit clauum, quo Christus Dominus suffixus fuit cruci, vt illo construeretur diadema Constantini ait: *Sapienter Helena egit, quæ crucẽ in capite regum leuauit, & locauit, vt crux Christi in regibus adoretur. Bonus itaque clauus Romani Imperatoris, qui totum regit orbem, ac vestit principum frontem, vt sint prædicatores, qui persecutores esse consueuerunt.* Sic regia mundi nobilitas eo intendere debet, vt Christo crucifixo honorem possit negotiari.

Num. 13. Reuersique exploratores terræ post quadraginta dies omni regione circuita venerunt ad Moysem, & Aaronem, & omnem cœtũ filiorum Israel in desertum Pharan, quod est in Cades. Locutique eis, & omni multitudini, ostenderunt fructus terræ, & narrauerũt, dicentes. Venimus in terram, ad quam misisti nos, quæ reuera fluit lacte, & melle, vt iis fructibus cognosci potest: sed cultores fortissimos habet, & vrbes grandes, atque muratas. Stirpem Enac vidimus ibi, &c.

§. X.

Meticulosis hominibus omnia videntur horrenda, & mortis plena.

NIhil mediocre viderunt exploratores isti in aduersariis, sed omnia illis apparebant terribilia in summo, & immania; quippè aiunt, *Cultores fortissimos habet, & vrbes grandes, atque muratas*; imò de vrbibus dicebant Deuter. 1. *Deut. 1.* *Vrbes magnæ ad cœlum vsque muratæ*, homines ex solo aspectu non fortes, sed *fortissimos* dicebant, & cum ad summum tres gigantes in tota regione essent, sic de illis loquebantur, quasi passim gigantes existerent: *Stirpem Enac vidimus ibi*, imò expressius: *Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati quasi locustæ videbamur.* Equidem omnia hæc mitiora erant, nec ciuitatum muri ad cœlum vsque leuabantur, nec habitatores erant omnium fortissimi, nec tantæ staturæ, cui comparati essent Israelitæ locustæ. Sed meticulosis, pusillanimisque hominibus quæ mediocria erant, in summo apparebant immania, & horribiliora, ineuitabilibusque plena periculis. Hos pulchre describebat Sapiens cap. 17. dicens: *Sap. 17.* *Cum sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis, semper enim præsumit sæua perturbata conscientia. Nihil enim est timor, nisi præsumptionis adiutorium, proditio cogitationis auxiliorum. Et dum ab intus minor est expectatio, maiorem putat potentiam eius causæ, de qua tormentum præstat.* Hoc est commune nequissimis meticulosis, quod semper vel in mitioribus præsumant sæua, & immania. Quorum præsumptionem adauget timor mentis pusillanimæ perdens omnem auxiliorum cogitationem. Quo fit, vt quo minora auxilia expectantur à timido, eo maiora illi appareant discrimina, nec quid videat, quod non putet ineuitabilis mortis plenum. Quo refero historiam Balaami Numer. 22. *Num. 22.* qui dũ vectus asina iret ad Madianitas, quibus vocabatur, vt malediceret Israeli, inter vinearũ angustum hæsit asina, nullisque stimulis impelli potuit, vt progrederetur. Frustra Balaamus fuste vrgebat asinam, qua recalcitrante, & de periculo monente; *Protinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit Angelum stantem in via, euaginato gladio, adorauitque eum pronus in terra.* Vnde Angelus adduxit gladium, quem Balaamo ostenderet? Sanè in cœlestibus gladij nõ sunt, nec ad Angelorũ arma iurã gladij pertinent. Vnde ergo hic Angelus gladiũ confecit, quẽ Balaamus videret? Sanè sufficienter posset Angelus illũ gladium facere apparere ex Balaami metu, timida enim nequitia vel in arborum foliis gladios, lanceasve cernit. Ait ibi

Procop. Procop. in glossa: *Quod spectatur, speciem quandam rerum habet; re vera tamen nihil est, non enim gladius Angelus est, nec ferrum in cœlo, omnia vere plena sunt terroris ei, qui metu indiget.* Hoc vnū docetur, quod quis indigeat timori subiici; dum enim illius dominetur timor, etiam ab hortis nasci spicula, gladios, tormenta militaria videt. Huc spectat illud Iob cap. 15. *Sonitus terroris semper in auribus illius, & cum pax sit, ille semper insidias suspicatur. Non credit, quod reuerti possit de tenebris ad lucem circumspectans vndique gladium.* *Iob 15.* Ecce quæ sit timida nequitia, etiam in tranquillissimis pacatissimisque locis tumultus præsentit hostiles, & quas suspicatur, videt insidias; omnique auxilio desperato, vndique gladios circumspectat; vndique, inquam, ex vacuo aere, ex hortis, ex floribus ipsis spicula credit lethalia prosilire. Quod si quid appareat difficile, illud immane, insuperabileque æstimat periculum. Vt dicatur eodem 15. cap. Iob. *Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum, sicut rex, qui præparatur ad prælium.* *Iob 15.* Sic legunt hæc vltima Pagninus, Regia, Caietan. Vatablus, & alij. Equidem quæuis angustiæ oborta animo æquam, & timido, erit illi rex ingenti exercitu cinctus, sub cuius cadat spiculis.

Num. 13. Inter hæc Caleb compescens murmur populi, qui oriebatur contra Moysem, ait: Ascendamus, & possideamus terram, quoniam poterimus obtinere eam, &c.

§. XI.

Christi passi consortium gignit animos non seductores, sed auxiliatores.

Ecce tibi de exploratoribus decem vanis terroribus populum seducunt aduersus Moysem; vnus Caleb pro Moyse stat, & pro veritate aduersus seductores. Dicit namque: *Inter has Caleb compescens murmur, &c.* Et quis Caleb, qui sic audet stare pro veritate, & Moyse? Caleb, vt vidimus supra, §. 9. ex D. Ambr. est vnus è duobus, qui humeris suis portauit botrum in vecte ad populum. Et quidem de diuinissimi botri à crucis vecte pendentis latere non potuit exire seductor, sed auxiliator Moysis, & populi. De obdormientis in paradiso Adami latere fabricatur et sponsa Gen. 2. *Gen. 2.* *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem.* Quid tunc? Ipse Adam clamat Gen. 3 *Gen. 3.* *Mulier, quam dedisti mihi, dedit de ligno, & comedi*, quasi diceret, quam ex latere accepi adiutricem, inueni seductricem. Inde nouus Adam Iesus dum dormit, dum soporatur in cruce ex percusso latere emittit aquam, & sanguinem, quibus ædificatur sponsa Ecclesia, vt concors est omnium Patrum sententia. Cur cœlestis Adame non magis tibi caues a sponsa ex latere orta? Equidem ex latere dormientis in paradiso orta sponsa potuit esse seductrix, at quæ ex latere Iesu dormientis in cruce oritur, nō seductrix, sed adiutrix est omnium. Ad hæc Pantaleon Presbyter orat. in Exaltationem Crucis apud Gretser. tom. 2. ait: *Pantal.* *Rursus exaltatur crux, rursus Adamus resurgit, rursus ex latere mater viuentium adest, auxiliatrix vera, non insidiatrix.* Nō posset prodire ex crucifixi Iesu latere, nisi quæ auxilium præstaret. Quò spectans Dauid Psalm. 44. ait: *Psal. 44.* *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumamicta varietate.* Non sedere conspicitur bona regina, sed adstare à dextris sponsi sui; adstantis enim habitus est signum adiuuantis, nec miror, quod vbi ad tanti sponsi latus accedit, sese adiutricem ostendat, innumerosque filios in tuto asserat. Vt dicat Pantaleon Presbyter vbi supra: *Pantal.* *Suasor peccati non amplius incitat matrem omnium. Aspicit autem eam, quam prius deceperat ligno vitæ cum voluptate fruentem. Aspicit assistentem à dextris vt reginam. Videt regali sceptro firmatam. Videt liberos suos magna, & elata voce conuocantem ad adorationem crucis, horretque obsequendi studium, & alacritatem admiratur, & multitudinem obstupescit.* Sic de crucifixi dextra ebibit nobilis regina, quod mundo opituletur, & plures ad salutem conuertat. Et quis crucifixo vicinus fuit mente, qui non amet auxiliari vniuersis? Ioann. 19. dicit: *Stabat autem iuxta crucem Iesu mater eius, &c.* Quod notans D. Ambros. lib. 10 in Luc. ait: *D. Amb.* *Nec Maria minor, quam vt matrem Christi decebat, fugientibus Apostolis ante crucem stabat. Fortasse, quia cognouerat per filij mortem mundi redemptionem, aula regalis putabat se, & sua morte publico muneri aliquid additurum.* Non potuit sanctus Doctor non putare in Mariæ iuxta crucem stante esse eam mentem, qua niteretur saluti hominum opitulari. Quò spectat illud Cant. 8. *Cant. 8.* *Dixi: Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius, & erunt vbera tua sicut botri vineæ.* Ecce tibi vbi diuinus sponsus in palmam crucis ascendit, eiusque fructus, nimirum mundi redemptionem percepit, quid statim sequatur in matre, nimirum: *erunt vbera tua sicut botri vineæ.* Incipient distillare dulcedinē. Quid materna vbera stillantia cum Christo crucifixo in palmam crucis ascendente? Sanè ad Christum recens natum data sunt Mariæ vbera de cœlo plena: at ad Christum crucifixum, quid conducūt Mariæ vbera? Non equidem ad crucifixum conducunt, sed ad regeneratos per illum filios spirituales Mariæ, ex quo enim crucifixo filio adstitit, non potuit Maria continere vbera spiritualia, quibus aleret, & curaret omnes redemptos à Christo. Ad hæc ait Guillelmus Abb. apud Delrium ex ore Christi: *Guill.* *Cum ascendissem palmam, tu ô pia mater, stabas iuxta palmam; stabas iuxta crucem Iesu tui, & per affectum maternum pariter crucifigebaris. Porro cum iam apprehendissem fructus palmæ, vbera tua de cætero assimilata sunt botris: Non de illis corporalibus pia matris vberibus dico, quæ Dei filium corporaliter aluerunt, quia lac illi, non vinum dederunt. Habet autem pia mater, & spiritualia vbera, quibus datum est illi adoptiuos fratres filij sui nutrire. De iis ergo dictum est pia matri, erunt vbera tua sicut botri. Plane illa quotidie parturiens infirmiora membra filij sui, neminem à sua pietatis sinu repellit, sed potius inuitat, & trahit vniuersos.* Quid pulchrius? Idem est Mariæ stare iuxta crucē, & ad omnes homines extendere misericordiæ vbera. Facit hoc crucifixi vicinitas, quæ enim affectum indit propinquis suis, quo velint cæteris esse auxilio. Hinc Luc. 23. cum duo latrones crucifixi essent iuxta Iesum, alter blasphemabat eum; *Luc. 23.* *Respondens autem alter increpabat eum dicens: Neque tu times Deum, &c.* Ecce tibi quid primum ebibat latro è fontibus crucifixi, nimirū spiritum, quo velit blasphemantem ad rectam viam reducere. Ait D. Aug. ser. 130. de temp. *D. Aug.* *Quis non admiretur, & compungatur? Non solum enim, quod in ipse erat, sed & ea, quæ circa ipsum erant, derelinquens de altero curam gerebat in cruce, doctor effectus, & corripiens, & dicens: Neque times Dominum tuum.* Hoc primum de crucifixi vicinio bibitur, quod velimus aliis nostrum præstare auxilium.

§. XII.

Tenacius, & ardentius afficimur ad rem, pro qua laborauimus.

Post fructus terræ narratos, imò ostensos, tot difficultates propositæ sunt, vt decem exploratores cum populo cōtemnerent fructus, nec æstimarent præstantiam illorum, præ difficultatibus. *Inter hæc Caleb compescens murmur populi, ait: ascēdamus, & possideamus, &c.* Vnus Caleb pro veritate stat, & murmurantium ora obtundit, & tantorum fructuum possessionē obtinere procurat. Nec miror, ipse enim solus cum Iosue, vt dixi supra, portauerat botrum propriis humeris. Semper autem humanum ingenium multis defendit rē, pro qua laborauit, tenaciusque animū circa illā figit. Hinc Iesus Dominus post pastos homines, qui erant in solitudine, & numerum quinque millium attigerant, præter paruulos & fœminas, ait discipulis suis Ioann. c. 6. *Ioan. 6.* *Colligite, quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerūt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum.* Non solum operi addicuntur, sed in cophinorū numero ostenditur, nullum mansisse Apostolū qui suum cophinū non impleuisset. Et cur curauit Dominus, ve nullus esset Apostolus, qui cophinū non implesset, & illum tulisset, vt seruaretur? Procurabat Dominus, vt rem tanti miraculi tenacius Apostoli perciperent, pro illaque ardentius starent; ideo fecit, vt laborarent in colligendis minutis. Ait D. Basil. Seleuc. orat. 33. *Basil. Sel.* *Pari cum Apostolis numero suas cophinos, vt singuli singulos baiulando laborem miraculi testem subeant, humerisque dum teritur, rei gestæ sensum ingerat.* Integerrimus sanè, nullaque arte frangendus testis rei præstantiæ est labor, qui pro illa subitur, & nunquam cessat commendare illam multisque affectum rapere ad illam. Dumque sub labore terimur pro aliqua re, sensum, & æstimationem illius sic bibimos, vt nihil æstimemus difficultates præ illa. Et quis laborauit in re, qui pro illa nō stet? Similiter, vt Dominus suscitaret Lazarū Ioan. 11. dicit circūstantibus: *Tollite lapidem.* *Ioan. 11.* Equidem posset ipse eadem voce, & lapidem tollere, & mortuū extrahere à sepulchro. Cur ergo iubet, vt circūstantes lapidē tollant, nisi vt illi post illum laborem ardentius testarentur rem, & starent pro illa aduersus murmuratores? Ait enim

Theophylactus:

Theophylactus: *Etenim cum moueret mortuum corpus voce, & confirmatum animaduerit, multo magis lapidem mouere potuisset voce. Tollite, autem dicit, lapidem, vt illi testes fiant miraculi. Nam & adesse in loco, & tollere lapidem suis manibus, sufficientia erant ad obturanda ingratorum ora, qui testes signi facti erant.* Sanè manus tollentes lapidem, sub eius onere grauatæ & murmurantium ora obturabant, & testimonium certissimum præbebant miraculi, pro illoque defendendo stabant. Sic semper labor addicit homines rei pro qua laborarunt. Quo spectant dicta *tom. 1. in Euang. lib. 4. cap. 5* §. 57.

CAPVT XXIV.

Supplicium post exploratores.

Textus Historia.

GRAVIS interea seditio inter populares Iudæos incessit, populo respuente exploratam iam promissionis terram, meditanteque ad Ægyptios regressum, renitentibus Moyse, & Aarone, Iosue, & Calebo. Iacebant humi Moyses, & Aaron vel miserando aspectu populi ferociam mollientes, vel numen exorantes, vt tantæ insaniæ medelam afferret. Alacriores Caleb, & Iosue sese multitudini opponunt, multisque conantur ostendere inanem metum Israelitarum, facilem Chananæorum expulsionem annuente Deo, cuius auxilium nefas esset diffidentia propulsare. Dixissentque multa, ni populus efferatus acceptis lapidibus in eos irrueret adeò atrociter, vt compulsi fuerint, sese recipere ad tabernaculum. Nec mora, vix tabernaculi limen attingunt fideles viri, & è culmine fulgurat diuinæ gloriæ splendidissimus radius. Hæret ad gloriæ aspectum quantus erat populos timore turbatus, immanesque sui sceleris pœnas animo præsagiebat. Et merito, nam funditus absumpsisset vniuersos Dei ira, (sic enim perspicuis verbis ea alio minabatur,) ni Moyses largis precibus veniam solicitaret. Non tamen impune peccauerunt, erepti enim sunt improuisa morte decem exploratores, qui populum in tantam diffidentiam traxerant. Insuper & populus iussus est regredi versus Ægyptum acturus in solitudine quadraginta annos, donec defunctis omnibus qui a vigesimo egressi murmurauerant, meliores nati sibi terram promissam compararent.

PARS VNICA MORALIS in textus literam.

QVos fecerant progressus Israelitæ duobus annis, vnica die amittunt, & merito in solitudine coguntur perire, qui Deo sociati noluerunt terram promissionis intrare.

Num. 14. Igitur vociferans omnis turba fleuit nocte illa, & murmurati sunt contra Moysem, & Aaron cuncti filij Israel dicentes: Vtinam mortui essemus in Ægypto, & non in hac vasta solitudine! Vtinam pereamus, & non inducat nos Dominus in terram istam, ne cadamus gladio, & vxores, ac liberi nostri ducantur captiui. Nónne melius est reuerti in Ægyptum? Dixeruntque alter ad alterum: Constituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum.

§. I.

Nunquam maiora mala in homines veniunt, quam per ea, per quæ humana libido, & consilium incolumitatem sibi promittebant.

ECce quid attulerint exploratores populo, nimirum lacrymas, fletus, quibus sollicitarent iram diuinam, & prope in manibus habitam terram amitterent, & perirent in deserto. Sic textus narrans omnia hæc mala ait: *Igitur vociferans omnis turba fleuit nocte illa, &c.* Nunquam in tot lacrymas, in tot mala inciderunt Israelitæ, quàm nunc post audita exploratorum verba. Quid mirum? Ipsi non attendentes ad ductum Angeli per nubis columnam, nec ad Dei voces toties testificantes bonitatem terræ, nihilominus voluerunt, vt per fratres suos exploraretur terra, & tutius iter ostenderetur; inde quos sine necessitate, sed ob suam solum libidinem exploratores elegerant, eos ingentium malorum causas habuerunt. Sic semper maiora mala in homines veniunt per ea, per quæ libido humana sibi incolumitatem curat asserere. Quis numeret clades Israelitarum sub regibus suis? tandem 4. Reg. 25. *Venit Nabuchodonosor rex Babylonis, & omnis exercitus eius in Ierusalem, & circumdederunt eam ::: Et interrupta est ciuitas, & omnes viri bellatores nocte fugerunt ::: Et persecutus est exercitus Chaldæorum regem, comprehenditque eum ::: Filios autem eius occidit coram eo, & oculos eius effodit, vinxitque eum catenis ::: Venit Nabuzardam princeps exercitus, seruus regis Babylonis, in Ierusalem. Et succendit domum Domini, & domum regis, & domos Ierusalem, omnemque domum combussit ::: Reliquum vulgus transtulit, &c.* Recole à Iosue tempore omnes Israelis iudices, eorumque tempora; & nullam cladem inuenies, quæ possit comparari huic, quam passi sunt Israelitæ sub Sedeciæ regis tempore, quando & occisi, & combusti sunt; & reliqui captiui ducti in Chaldæorum terram. Et cur ad tot luctus, ad tantam captiuitatem, venerunt tempore Regum? Id quod notans Lactantius lib. 4. cap. 10. aiebat: *Iudæi sub iudicibus, prauis religionibus suscepti, sæpe subacti ab hostibus, sæpeque sunt liberati. Sub regibus autem, finitimorum bella ob delicta vexati, postremum capti, abductique Babylonem pœnas impietatis sua graui seruitio pependerunt.* Sed cur qui sub iudicibus suis cito a cladibus liberabantur, vbi sub regibus fuerunt, eas susceperunt clades, à quibus ægre, & difficulter, & via per longum tēpus potuerunt liberari? Causam pulchrè attigit D. Basil. in cap. 1. Isaiæ fatus: *Regum institutio, propria illorum temeritate, & consilij prudentia inopia successit.* Dum sub iudicibus agerent Israelitæ, propria illorum libido, & temeritas eos impulit, vt Regem postularent, sub cuius protectione viuerent, & ad bella procederent, sic se futuros securiores credebant. Ideo factum est, vt cum sub expetitis regibus essent, in atrociores calamitates venerint. Nec vnquam humana libido, & temeritas alios fructus metet, quàm maiores lacrymas, maiores gemitus. Id quod ostenditur magis in particulari 1. Reg. vbi Israelitæ conueniunt Samuelem, dixeruntque ei: *Ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant in vijs tuis: constitue nobis regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes. Displicuitque sermo in oculis Samuelis, eo quod dixissent: Da nobis regem.* Non attendebant ad Dei præscriptum ordinem, quo suscitabat illis saluatores, & iudices, sed alio tracti à proprio consilio petierunt sibi dari regem. Quod statim displicuit prophetæ Samueli. Sed cur id displicuit tanto prophetæ? Oriebatur hæc petitio à proprio illorum consilio, abiecto consilio Dei, quod non potuit illis valde perniciosum non esse. Vt dicat Diuus Cyrillus Alexan. in cap. 5. Michææ: *Itaque Saulem sibi regem petiit Israel. Nequaquam vero istud profuisse illis, sed acerbum, & detrimentosum, & exitiosum potius fuisse, ipsa experientia docuit, nam ob hoc in tetra, & inexcusabilia incommoda inciderunt.* Et in quæ non incidissent mala, qui proprijs consilijs magis, quam Deo fidebant? Hinc Luc. 23. dum haberent optionem, vt eligerent sibi Iudæi Barabbam, vel Iesum: statim dixerunt proprio ducti consilio: *Tolle hunc, dimitte nobis Barabbam. Qui erat propter seditionem quandam factam in ciuitate, & homicidium missus in carcerem.* Ex quo nullas non seditiones, & latrocinia miseri pertulere. Rem pulchrè ponderans Egesipp lib. 5. cap. 2. ait: *Petisti necari vitæ arbitrum, concedi tibi Barabbam, qui propter seditionem factam in ciuitate missus fuerat in carcerem. Ideo salus abs te abscessit, pax abiit, quia desiit, data est tibi seditio, datum excidium. Ideo inter hodie regnat seditio, pax sepulta est, vt crudelius à tuis pereas, quàm si ab alienis perires.* Crede mihi, quocumque

Egesip.

D. Basil.

1. Reg. 8.

Cyril.

Luc. 23.

Lactant.

que seuertat humanum consilium, sine Deo maiores calamitatum segetes metet. Quò spectans Ierem. c. 4. dicebat: *Ecce auditum est in Ierusalem custodes venire de terra longinqua, & dare super ciuitates Iuda vocem suam.* Custodes vocat hostes crudelissimos, quos explicatius Chaldæus vocat *Exercitum populorum venientes instar vindemiatorum.* Et quid tanta peperit mala? Ait ipse: *Via tua, & cogitationes tua fecerunt hac tibi.* Equidem nulla res tot mala trahit, quam propria excogitatio hominis, & proprium consilium, quod non Deo nititur. Huc reuoco dicta 1. *tom. in Euang. lib. 3. cap. 4. §. 22. & alibi.*

Ierem. 4.

Chald.

§. II.

Nunquam non aliqualis nota est in fuga difficultatum.

FOrtitudinem bellatorum habitantium in terra promissionis vt audiunt Israelitæ, melius putant illorum congressum fugere, & ad pristinas seruitutis Ægyptiacæ sedes remeare. Dicunt enim: *Nonne melius est reuerti in Ægyptum?* Fugam, & reuersionem in Ægyptum meditabantur pleni timore; & tamen non audent illam fugam meliorem asserere; sed sub dubio aiunt: *Nonne melius est reuerti?* Cur quod decernitis facere, illud non assertiuè melius pronuntiatis? Etsi vilea, & miseri etrones, merito non audent asserere meliorem esse fugam meditatam, nunquam enim in fuga difficultatum non est nota aliqualis. Nunquam fugitiuus non male audit ex aliqua fugæ parte. Hinc cum exirent de Ægypto Hebræi, & essent circa litora maris; à tergo insequebatur eos ingens Ægyptiorum exercitus; & iam iam appropinquabat, vt inermes caperet, trucidaret. Quid tunc? Ait Exod. 14. *Cum extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus, flante vento vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in siccum, diuisaque est aqua. Et ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris.* Magna equidem fuit hęc Israelis liberatio, vt fugerent Ægyptiorum exercitus per medium diuisi maris. Sed quando Israelitæ liberandi erant per miraculum, cur non potius liberantur resistentes Pharaoni, eiusque exercitum vel manibus trucidantes? Posset equidem Deus facere, quod homines inermes conculcarent armatos; vt inermis Samson in mãdibula asini percussit armatos octingentos. Sic diuinus Spiritus posset Israelitas omnes implere, & confirmare, vt sese opponerent Pharaoni, stantesque in ordine suo, & loco suo armatum exercitum trucidarent. Cur non illis præstitit; sed maluit, vt cederent loco, & fugerent armatos per medium diuisi maris? Voluit Deus, vt in hac liberatione Deo gloriosa mulctaretur etiam Israelitarum pusillanimitas, & diffidentia; & ideò maluit illos fugientes liberare, vt, liberatori manente integra gloria, liberatos inureret nota aliqualis infamiæ, quæ nunquam a fugitiuis abest. Hinc Titus Imperator Romanus componens transitum hunc Iudæorum per siccum mare, cum expeditione Romana ad Britannos fatur apud Egesip. lib. 5. cap. 46. *Vidit vos Iudæi mare, & fugit, vt clausi ab hoste effugeretis, quem perrumpere hostem non poteratis, nec sustinere. Nobis fuga Oceani damno fuisset, si fugisset. Gessimus ante bellum cum fluctibus, insanum mare ante superauimus, quam ad hostem perueniremus, cepit nos Britannia iam victores elementorum. Aerium cunctis aperuimus iter, aquarum vobis non inuidemus, dummodo illud triumphantium fuerit, hoc fugientium.* Sic bonus Imperator detrahit Iudæis etiam in maxima ostensione virtutis diuinæ cum illis: maximum enim virtutis diuinæ argumentum fuit, quod inermes homines liberarentur de armatis per diuisionem maris: at quod liberarentur per fugam, non potuit non esse timiditatis fugitiuorum ignominia. Quos enim amat Deus, nulla nota confundit, nô per fugam, sed per victoriam periculorum liberat. Apud Luc. cap. 22. dicebat Iesus Simoni Petro: *Ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, &c.* Petebat Satanas Petrum, vt sibi permitteretur: Iesus autem orabat, ne Petrus in Satanæ manus veniret, sed potius eas fugeret. Similiter petit Satanas sibi permitti Iobum, & ait Dominus Iob cap. 2. *Ecce in manu tua est.* Iob permittitur Satanæ. Petrus non permittitur: Iob triumphat vndique à Satana petitus, mediisque periculis: Petrus triumphos agit, sed fugiens Satanæ spicula. Et cur qui maluit Petrum liberare per fugam à Satana, sic tradit Iobum Satanæ insidiis? Nouerat inde Petri imperfectio, in qua tunc erat: Iobi autem perfectio præstantissima, vt enim imperfectorum, & imbecillium nota est, quod fugiant, sic præstantissimorum est prædicatio, quod aggressi pericula triumphent. Ex quo ait D. Chrysost. hom. de Iob, & Abraham: *Deus permisit diabolo, vt abraderet Iobi facultates, quo comprobaretur perpetuo vigens eius gratiarum actio. Vide autem Dei prouidentiam. Imperfectum petit diabolus, sed non obtinet. Vnde Saluator Simoni dicit: Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: Ego autem oraui pro te. Quamdiu imperfecti sumus, nobis parcitur: vbi autem perfectiores facti sumus, perfectorum certamina etiam suscipimus.* Sic Deus quos perfectionis gloria illustrat, eos per certamina ducit: quibus notam imperfectionis inurit, eos saluat per certaminum fugam.

Exod. 14.

Egesipp.

Luc. 22.

Iob 2.

Chrysost.

§. III.

Fuga ad eadem pericula maxime Deo odibilis.

MEditantur fugam Israelitæ deterriti filiorum captiuitate apud Chananæos: sic enim dicunt: *Vtinam periissemus, & non induceret nos Dominus in terram istam, ne cadamus gladio, & vxores, ac liberi nostri ducantur captiui. Nonne melius est reuerti in Ægyptum?* Ecce deploratam hominum miseriam, & extremam nequitiam. In Ægypto etiam captiui futuri erant, vt antea fuerant, & durissimo seruitutis iugo constringendi, illo ipso die, quo ad Ægyptum peruenirent, & insuper vt fugitiui serui fustibus, & gladiis excipiendi. Quid ergo miseri fugitis Chananæorum seruitutem, & amplexamini Ægyptiam totidem comparandam periculis? Merito de hac tentatione, vt de omnium pessima locutus Ruper. inquit lib. 5. in Numer. cap. 36. *Hæc tentatio decima, cæterarum tentationum pessima, causa fuit maxima, cur omnium illorum, qui numerati fuerant à viginti annis, & supra præter duos, iam dictos, nemo in illam terram promissionis ingrederetur, sed eorum corpora in deserto prosternerentur.* Sed vnde hæc tentatio, hæc meditata fuga fuit pessima omnium, & prorsus irremissibilis? Nonne, & sæpe aliàs in Ægyptum volebant reuertere? Cur ergo in hac decreta reuersione magis offendunt? Sanè in cæteris tentationibus mouebantur ob aliquod incommodum, quo carebant in Ægypto, mouebantur enim ob defectum aquæ, ob defectum cibi, ob defectum obsoniorum; quibus omnibus abundarent apud Aegyptios, etsi ibi seruirent. In hac autem tentatione mouentur propter incommodum, quod longe maius erat in Aegypto, mouentur enim, vt fugiant filiorum, vxorumve captiuitatem apud Chananæos, quam duriorem experturi erant apud Aegyptios, vtpote fugitiui serui illorum. Hinc hæc fugæ meditatio omnium pessima est, & inexorabilem Dei iram meretur, vt quæ ad eadem, & sane maiora pericula ferat. Quæ enim fuga non euadit pericula, execrabilis est Deo, illa placet, quæ pericula euadens ingentes commodorum metit segetes. Matth. 14. locutus Dominus de tempore periculis pleno monet: *Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant in montes: : Væ autem prægnantibus, & nutrientibus illis diebus. Orate autem, vt non fiat fuga vestra in hyeme, vel Sabbatho.* Fugere mandat, & lamentatur illos, qui hyeme, vel Sabbatho fugiunt, vel cum habeant lactentes pueros in brachiis fugam meditantur. Et cur istorum fugam lamẽtatur, quando omnibus fugam mandat? Qui infantes nutriunt, qui in hyeme sunt, aut Sabbatho, non possunt eam fugam arripere, quę pericula euadat, aliquidve perfectum adipiscatur. Fuga autem quæ pericula non euadit, nec aliquid perfectionis, lucrique habet, execrabilis Deo est, cui solum placet fuga, quæ ingentes commodorum fructus capit. Huc accedit D. Ambr. lib. de Fuga sæculi cap. 6. aiens: *Qui fugit, velociter fugiat, ne comprehendatur. Qui parturit, pariat; & fugiat non quasi lactentem ferens, sed quasi expeditũ non paruulum gestans, sed perfectum in Christo exhibens: fugiat non quasi feriatus in Sabbatho, sed tanquam operarius in negotio, nec tanquam sterilis in frigore, sed tanquam opimus in messe. Fuga hæc nescit frigus timoris, tremorem mortis, contractionem solicitudinis, dissolutionem otium: sed vita cælestis requirit impigrum viatorem, regnis superioris competitorem strenuum, doctum agricolam, qui fructus cogat.* Et quidem graphice descripsit, qualis sit fuga quę deceat perfectissimos quosque, nimirum ea fuga est, quæ non puerilea motus, sed perfectum in Christo exhibeat robur; quę non ab inertia, & otio, sed à negotio, & studio oriatur; & quæ sit maxime fructuosa. Quæ exhibilet & pericula, & timores, sed eo spectet, vt messem faciat fructuum præstantissimorum. Hæc fuga athletas præstantissimos decet; quæ sine fructu est, & eisdem periculis se inuoluit, fuga est miserorum reproborum. De quibus Isaias dicebat cap. 30. *Væ filij desertores, dicit Dominus, vt faceretis consilium, & non ex me: & ordiremini telam, & non per Spiritum meum vt adderetis peccatum super peccatum. Qui ambulatis, vt descendatis in Ægyptum.* Et quantum malum erat, quod fugientes hostes confugerent ad Aegyptum? Ait D. Ambros. epistol. 36. *Iudæi propter flagitia sua cœperunt*

Ruper.

Mat. 14.

D. Amb.

Isaiæ 30.

D. Amb.

vinci

vinci ab aduersariis suis, conferre se volebant ad Ægyptios, vt sibi essent præsidio aduersum Assyrios, quis rediret magis ad fidem, si bonos consuluerant, debuissent. Iratus Dominus significat vanam illos spem gerere, qui offensam Domini putarunt maiore peccato leuandam, cum illi ipsi vincendi forent, in quorum auxilium populus Iudæorum confiderent. Cur non incurrant iram Dei, qui captiuitatem à Deo decretam fugiebant, ad Aegyptios confugientes, cum quibus captiuandi erant?

Num. 14. Quo audito Moyses, & Aaron, ceciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorum Israel. At verò Iosue filius Nun, & Caleb filius Iephone, qui & ipsi lustrauerant terram, sciderunt vestimenta sua, & ad omnem multitudinem filiorum Israel locuti sunt. Terra, quam circuiuimus, valde bona est: si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, & tradet humum lacte, & melle manantem. Nolite rebelles esse contra Dominum, neque timeatis populum terræ huius, quia sicut panem, ita eos possumus deuorare: recessit ab eis omne præsidium: Dominus nobiscum est, nolite metuere. Cumque clamaret omnis multitudo, & lapidibus eos vellet opprimere, &c.

§. IV.

Silentium humile frangit rabidissimas aduersariorum iras.

FVrenti multitudini sese opponunt Caleb, & Iosue, multisque illam ad sanum sensum nituntur reducere; Moyses autem & Aaron nec verbum loquuntur, nec mutiunt, sed tacentes se in terrà deiiciunt, ponuntque in puluere os suum. Ait enim: *Moyses, & Aaron ceciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorum Israel.* Cur non magis cum Calebo, & Iosue steterunt, & obstiterunt populorum furori? Sapientiores viri sapientius inierunt consilium in sui custodiam, vt in puluere ponerent os suum: nihil enim sic valet hostiles furores confringere, vt silentium humile. Hac dexteritate, vel tauri exagitati furor deluditur; vbi enim taurus furiosius currit, vt hominem decerpat, & iam iam pene cornibus vrget fugientem, ipse humi deiicitur, ibique halitu intercluso iacet, tanquam mortuus. Tunc hæret taurus, iacentem circumdat, & dum nec anhelantem experitur, furoris oblitus aliò diuertit, nullum damnum iacenti infert, qui occurrentem perimeret. Sic sub multitudinis furore periclitantur Caleb, & Iosue, dum illi occurrunt, nullum subeunt periculum Moyses, & Aaron, qui humi iacentes nec mutiunt, nec anhelant quidem. Huc spectat Psal. 21. in quo Dominus ferociam suorum inimicorum, & patientiam, & humilitatem suam, qua excepit illam, depingit inquiens: *Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me. Aperuerunt super me os suum sicut leo rapiens, & rugiens. Sicut aqua effusus sum: & dispersa sunt omnia ossa mea. Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis, & in puluerem mortis deduxisti me.* Lege Lorinum, qui pulchre iis verbis intelligit & furorem Iudæorum taurorum furori similem, & modum, quem tenuit Iesus in excipiendo illum, nimirum sese ad terram vt aquam effundens, sic deiectus, sic tacens, quasi abiecta testa, & insensibilis, in nulloque à mortuis dissimilis. Et cur sic deiicitur Iesus, sic solo æquatur, sic obmutescit? Ait ipse: *Tauri pingues obsederunt me:* Chaldæus: *Populi similes tauris cornupetis, &c.* Res erat illi cum tauris furentibus, & ideo se ad terram deiicit, & silet, humile namque silentium potens est vel furorem taurorum reprimere. Quem astum exercebat ille in suis persecutionibus, de quo ait Ierem. Threnor. 3. *Ponet in puluere os suum, si forte sit spes. Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* Constitutus inter furentes aduersarios, qui & vulnera infligant, & probra, contumeliasque iaciant, si spem euadendi nutriturus est, illud faciet in primis, nimirum: *Ponet in puluere os suum*, siue vt alij legunt, *Dabit in sepultura fossuram os suum:* se

[*Psal. 21.*] [*Chald.*] [*Ierem. 3.*]

vsque ad terram deiiciet, prosterneique, & sic silebit, ac si in nullo à mortuo, sepultoque dissimilis esset. Ad hæc D. Amb. serm. 10. in Psal. 118. *Dabit percutienti maxillam suam, vt non se subducat iniuria, nec declinet cadis dolorem, sed percutienti maxillam offerat. Quod autem ait: Dabit in sepulturam os suum, ostendit quandam supra modum patientia taciturnitatem, vt tanquam sepeliat os proprium, ne loquatur, nec vocem doloris emittat; tantum pondus afferens patientia, quam spes fouiat, vt vocem ipsam velut busto quodam, ac tumulo sepeliat, ac includat, quam nulla exterquere, nulla extitare possit iniuria.* Quid pulchrius? Quisquis aduersantibus, persequentibus, eam patientiam, virtutemque velit exhibere, quæ foueatur spe lucri, spe euasionis, in puluere os suum ponat, sicque illud sepeliat, vt in nullo à mortuo differat, non verbum, non halitum emittat; & sileat, nisi triumphet de periculis. Sic faciebat Dauid Psal. 38. inquiens: *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator aduersum me. Obmutui, & humiliatus sum.* Ecce tibi, quid bellicosissimus rex opponat furenti aduersario, nimirum taciturnitatem, humiliationem. Vbi D. Chrys. *Hanc semper tanquam muro continent, maxime quando mihi resistebat Semei. Tunc enim valde obmutui, & humiliatus sum.* Itaque taciturnitatem, & humiliationem tanquam muro continebat; sic dum continet taciturnitatem muro, & murum exhibet hostibus inaccessibilem. Idem enim est murum facere, vt contineas in ciuitate homines, & mutum habere, quo arceas inimicos. Addit D. Amb. ibi: *Obmutuit, ne ipsa litigiosa cum obmurmurantibus contentione perstreperet: humiliatus est, vt timerem dexterent superborum.* Nil salubrius, quam humilem taciturnitatem potuit opponere superbientium furori.

[*D. Amb.*] [*Psal. 38.*] [*Chrysost.*] [*D. Amb.*]

§. V.

Qui in minimis temporalibus malis timendi sunt, temerarij & audaces solent esse ad vorandi salutis pericula maiora.

QVi ad notitiam Chananæorum fortitudinis pauidi flebant, & fugam meditabantur, non audentes contra illos; modo vbi deterrentur Dei offensa, cuius manus sæpe fuerant experti, nihil timent, sed lapidibus armantur, vt perimant præclaros consultores. Sic enim Caleb, & Iosue monebant inter alia: *Nolite rebelles esse contra Dominum:* & subditur statim: *Cumque clamaret omnis multitudo, & lapidibus eos vellet opprimere, &c.* Quando inuasio futura erat aduersus Chananæos homines, timidi sunt, nec manum audent mouere; sed fletibus, & gemitibus nauant operā, multa timentes paruulis suis, multa timentes sibi, & vxoribus. Quando autem rebellio proponitur aduersus Dominum, locus ibi nullus timori, sed audaces & temerarij ad arma currunt, lapides arripiunt, vt illis Calebum, & Iosue opprimant. Cur non magis timent rebellare in Deum, qui timent adeò insurgere in infirmos homines? Vndè habent manus, vt lapides arripiant aduersus duces, qui in lacrymas soluebantur ad hostium vmbram? Sanè hoc est impietatis humanæ ingenium, quod in minimis temporalibus malis vehementer timet sibi, & pauet, vel ad vmbram folij; in re salutis æternæ nulla non pericula, & damna audacissime vorat. Ioan. 18. de Iuda dicitur: *Iudas ergo cum accepisset cohortem, & à principibus, & pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, & facibus & armis.* Ecce tibi integra cohors arma capit aduersus Iesum, vt illum tradat crudelibus inimicis. Sed & illud notandum, quod, & faces, & laternas affert, ad quid laternæ, ad quid faces? Erat nox, & cauentes, ne offenderent ad lapides viarum, & percuterent pedes suos, afferunt faces, & laternas; sic homines impij timent sibi à lapillis viarum, quando audacissime insurgunt aduersus lapidem angularem Christum, sub quo debebant misere confringi. Pulchrè D. Cyril. Alex. ibi. *Laternis, & facibus aduersus Christum proficiscebantur, timebant forsan, ne, vt in tenebris fieri solet, aut in foueam caderent, aut pedes lapidibus offenderent, nec videbant se in lapidem illidere, de quo à Deo dicitur: Ecce ponam in Sion lapidem offensionis, & petram scandali. Et paruam foueam formidantes in profundum abyssi delapsi sunt, & illius noctis tenebras depellentes facibus, de noctis æternæ tenebris nihil cueant.* Timebant miseri pedibus suis à viarum lapillis, & non timebant vitæ suæ à lapide prægrandi Christo, in quem temerarij ruunt, & sub quo irreparabiliter comprimuntur. Sic vniuersi impij pauidi spectant corporis minima pericula, nullumque non lapidem mouent, vt illa effugiant; certiora autem, & grauiora mala, quæ ex Deo timeri debeant, audacissime glutiunt. Similiter de principibus Ierosolymitanis dicitur Ioan. 18. *Adduxerunt*

[*Ioan. 18.*] [*Cyr. Alex.*] [*Ioan. 18.*]

ergo Iesum à Caypha in prætorium. Erat autem mane, & ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur. Erat equidem legalis quædam contaminatio religiosis Iudæis, si alienigenarum atria intrarent; quam contaminationem isti timebant. Interea tamen videntes Pilatum se excusantem à diuini sanguinis profusione, clamabant ipsi Mat. 27. *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Vbi Euthym. *O scelestam vocem! O extremam audaciam!* Metuunt attingere prætorium, ne contaminentur, & audent sanguine innocenti aspergi sine contaminationis metu. Pulchrè D. Aug. tract. 114. in Ioan. *O impia, & stulta cæcitas! Alienigenæ iudicis prætorio contaminari timebant, & sanguinem innocentem fundere non timebant.* Audaces ad voranda magna pericula, timidi in minimis, & parui momenti. Leones ad contemnenda diuina, & æterna, cerui ad minima temporalia mala imminentia. Quid magis impium? Quid magis scelestum?

Matt. 27. *D. Aug.*

Num. 14. Apparuit gloria Domini super tectum fœderis cunctis videntibus filiis Israel. Et dixit Dominus ad Moysem: Vsquequò detrahet mihi populus iste? Quousque non credent mihi in omnibus signis, quæ feci coram eis? Feriam igitur eos pestilentia, atque consumam: te autem faciam principem super gentem magnam, & fortiorem, quàm hæc est.

§. VI.

Afflictis pro Deo hominibus adest Dei illustris protectio.

Lapidibus appetuntur strenui duces Caleb, & Iosue vsque in tabernaculum fœderis, & ecce tibi à tabernaculi culmine apparet Dei gloria illos defendens. Ait enim: *Apparuit gloria Domini super tectum, &c.* Vbi Interlinealis explicatius ait: *Manifestè Dominus texit eos in nubibus cœli.* Splenduit ab ipso culmine nubes, quæ Dei præsentiam testaretur, suos afflictos protegens, & à persecutoribus gloriosè defendens. Quam protectionem, & defensionem clarissime nubes portendebat. Sic Matt. 17. vbi coram discipulis transfiguratus Dominus est, dicit etiam: *Ecce nubes lucida obumbrauit eos. Et ecce vox de nube, &c.* Vbi Dei gloria discipulis ostenditur, cur ibi nubes apparet? Cur non magis soles, & sydera multiplicantur? Ad quid nubes in gloriæ ostensione? Ait Orig. hom. 3. in Matt. *Lucida nubes obumbrans eos, demonstrabat & splendidiorem retributionem exemplo suo demonstrabat eis futurum, quæ protegeret eos, & illuminaret.* Itaque in nube præmonstrabat illustrem protectionem, quam præstiturus erat eis, cum in arena mundi pro Dei nomine persecutionem passi fuerint. Non enim sub tyrannorum tabie, sub carnificum furore prorsus cadent, sed in ipsis persecutionum nubilis, Deo protegente tranquillum etiam videbunt, & serenum. Sic cum Iob in se dæmonium, malorum omnium, & amicorum etiam phalanges concitatas cerneret; vt hinc à dæmone, hinc à morborum doloribus, illinc ab vxoris insipientia, à falso amicorum zelo morderetur, eò angustiæ deuenerat, vt vix vllus euadendi locus superesset. Quid tunc? Ait cap. 38. *Respondens autem Dominus Iob de turbine dixit.* Græcè autem legitur: *Dixit Dominus Iob per procellam, & nubes.* Omnia creata erant Iobo procellosa, & turbulenta, ex hostibus & amicis, & vxore procellæ ortæ iustum maxime diuexabant. Cur Domine afflicto addis afflictionem? Cur adhuc in illum nubila conglomeras? Cur non magis luce tua suffundis ærumnosum? Equidem præmittit Dominus nubem, vt iam præsentem afferat protectionem, & tranquillum, serenumque aduenientem. Ait D. Method. in cat. Græca. *Vt Iobe res à tempestate ad serenam tranquillitatem ostenderet demigrasse, per nubes etiam Dominus loquitur.* Afflicto suo Iobo, mediis persecutionum fluctibus iactato nubem præmittit Dominus, quæ serenam tranquillitatem offerat, illustremque & claram Dei protectionem.

Interlin. *Matt. 17.* *Origen.* *D. Meth.*

§. VII.

Perpetrata peccata nil priùs ostendunt quàm Deum vltorem.

Adhuc lapides in manus habebant rebelles Iudæi, quibus petebant duces suos vtilia monentes, & ecce gloria Dei apparet, pronuntians supplicium illorum. Dicit namque: *Apparuit gloria Domini super tectum fœderis, videntibus filiis Israel. Et dixit Dominus ad Moysem: Feriam igitur eos pestilentia, &c.* Expende illud: *Videntibus illis,* quippè ipsi rebelles videbant, & audiebant Deum decernentem supplicia eorum. Nec miror, peccata enim perpetrata nil prius faciunt, quam ostendere Deum vltorem. Sic Iudæi post perpetratum facinus in Iesum, postquam illum viderunt in cruce mortuum; imò postquam sciuerunt in sepulcro fuisse depositum, anxiè curant sepulchro adhibere custodes. Ait enim D. Mat. c. 27. *Illi autem abeuntes munierunt sepulchrum, signantes lapidē cum custodibus.* Quid times Iudæe de mortuo, quamuis resurgat? An times ne à rediuiuo veritatem docearis, quam repulisti toto corde? Cur ergo tam anxiè sepulchrum custodis? Pulchrè ait D. Maxim. serm. 3. de Pasch. *Custodiebant ergo eum solicitè in sepulchro, quem necesse illis erat eum iam non doctorem timere, sed iudicem.* Equidem perpetratum scelus in Dei filio vnam docebat timendam peccatorum vltionem. Tota illorum cura erat, vt sepulchrum custodiretur; nec id faciebant, quod timerent indè resurrecturum gentium doctorem, magistrum veritatis, mundi saluatorem, sed scelerum iudicem, & vindicatorem. Hoc vnum in illo cogitabant, & metuebant, quod iudex esset, & vltor peccatorum; nec aliud prius in Deo ostendunt scelera hominum. Primum hominum peccatum dum explicatur Genes. 3. ait: *Qui comedit, & aperti sunt oculi amborum.* Habebant antea, & oculos apertos, qualiter post peccatum dicuntur aperti oculi? Nempè dicuntur aperti, quia peccatum fecit, vt viderent, quæ antea non viderant, nimirum, irascentem Deum, & supplicium sumentem de peccatoribus. Ait Rup. lib. 3. in Gen. c. 10. *Aperti sunt oculi amborum, verus vtrobique gemitus, Deus iratus, diabolus risu dilatatus, vterque sexus ignominia percussus: & inter hæc omnia, reorum, & animi torquebantur, & oculi confundebantur.* Sic scelus admissum statim aperuit oculos, illis Deum iratum proponens, ridentem, tortorem, flagellum ignominiç; nec aliud prius peccatum ponit ob oculos peccatoris. Similiter Genes. 4. *Consurrexit Cain aduersus Abel fratrem suum, & interfecit eum. Et ait Dominus ad Cain: Vbi est Abel frater tuus?* Mirabar, quod post inhumanum facinus dignaretur Dominus miscere sermonea cum Caino. Cur Domine sic immediatè ad cædem factam verba facis tanto reo? Cur non magis ab illo te abscondis? Cur tam cito illi ades, & interrogas de fratre? Spectat sanè ad iudicis officium illa interrogatio, ideò non differtur, sed statim auditur post peccatum, cuius est nil prius facere sentiri, quam Deum vindicem iniquitatis. Ait enim Eucherius: *Non interrogat Cain Dominus tanquam ignarus, sed tanquam iudex, qui reum punit.* Ecce tibi post peccatum immediatè auditur interrogatio, quæ Deum iudicem exhibeat, & punitorem peccati. Vt dicat D. Basil. Sel. orat. 4. *Cæde fratris aduersarium constituisti tibi immortalem.* Hoc primum facit peccatum, vt Deus aduersarius, & vltor iniquitatis sentiatur.

Matt. 27. *D. Max.* *Gen. 3.* *Rupert.* *Gen. 4.* *Eucher.* *Basil.*

§. VIII.

Præclari gubernatoris est optimis ministris non minorare dignitates.

Non prius cogitat Dominus de Israelitarum perditione, quàm de Moysis cogitet exaltatione. Quippè simul ait: *Feriam eos pestilentia, atque consumam, te autem faciam principem super gentem magnam, & fortiorem, &c.* Et quid consequentiæ est, quod perditis Israelitis debeat Moyses in principem maioris, & præstantioris populi cooptari? Nónne liberum erat Deo perdere Israelitas, quin teneretur alium populum præstantiorem Moysi parare? Cur ergo sine hoc, minime illud decernit? Pertinebat hoc ad præclari gubernatoris munus, ne immerenti ministro imminueret dignitatem. Quando enim Deus Optimus Maximus fecerat Moysem principem Israelitarum, & ipse non factus fuerat indignus tanto principatu; non deceret, quod ereptis subditis, esset à munere deturbatus. Quod notans Oleaster, ait: *Considera etiam iuste,* *Olea.*

quod

quod nunquam tibi Dominus munus,quod dedit,auferret : nisi te ad aliquod maius seruaret. Hoc est diuinissimi,& perfectissimi gubernatoris, optimorum ministrorum dignitates potius augere, quàm minorare. Hinc vbi rebellante Absalone in patrem vniuersus Israel etiam rebellauit, commissum prælium est:& Absalon dedit perfidiæ suę pœnas suspensus ab arbore. Quid tunc? Ait textus 2.Reg. 18. *Cecinit autem Ioab buccina, & retinuit populum, ne persequeretur fugientem Israel, volens parcere multitudini.* Ecce,vt mortuo tyranno,multitudinis Israelitiæ consulitur incolumitati. Sed cur Deus,qui adeò atrox facinus in Absalone vindicauit,non similiter fecit in Israelitis omnibus, qui cum illo rebellauerant? Cauit in hoc diuinus gubernator, ne percussis Israelitis Dauidis immerentis regnum minoraret, illumque relinqueret regia dignitate priuatum. Merito enim dicit Diuus Isidorus Pelus. libro tertio,epistola 219. *Absalon à diuina iustitia supplicio affectus est: Qui autem eius partibus sese adiunxerunt, pœnam non statim persoluerunt. Mœrorem enim concepisset Dauid subditis,imò, vt rectius loquar, regia dignitate orbatus.* Multum minueretur dignitas regia Dauidi à Deo data, si Israelitæ rebelles perirent; ideò optimus gubernator Deus,cauet eo deducere Dauidem immerentem,vt esset subditis orbatus,nec rem,sed nomen tantum haberet dignitatis. Spectat enim ad optimum gubernatorem, non minuere, sed augere ministrorum dignitates, quandiu ipsi omnia præclara faciunt.

2.Reg.18. — *Isid.Pel.*

Num. 14. Et ait Moyses ad Dominum: Vt audiant Ægyptij, de quorum medio eduxisti populum istum, & habitatores terræ huius, qui audierunt, quod tu Domine in populo isto sis, & facie videaris ad faciem, & nubes tua protegat illos, & in columna nubis præcedas eos per diem, & in columna nubis per noctem: quod occideris tantam multitudinem, quasi vnum hominem, & dicant: potuit introducere populum in terram, pro qua iurauerat; idcirco occidit eos in solitudine. Magnificetur ergo fortitudo Domini, sicut iurasti dicens: Domine patiens, & multæ misericordiæ, &c.

§. IX.

Præstantis Præsulis est minimè ad promotionem inhiare?

OMnibus his dictis nititur Moyses se in Israelitici populi principatu confirmare, nec transire ad aliud Imperium præstantius. Quippè cum Deus vellet Israelem perdere,& Moysem promouere,vt populum,& præstantiorem,& maiorem habeat, fatus: *Faciam te in gentem magnam;* multa allegat Moyses, vt Deum in mentem magis Israelitis propitiam trahat. Quippe ait: *Vt audiant Ægyptij,&c.* quibus proponit ea tali decreto proditura mala, nimirum, quod male apud Ethnicos oleret, apud quos periclitaretur diuina fama, quod multa perderentur beneficia antiquitus Israeli collata. Sed cur Moyses tantus est in pacificando Deo, quando,si non pacificaretur,posset ipse habere gloriosiorem principatum? Equidem præstantis animi vir semel præpositus Israeli,nihil supra hoc amat, nullam promotionem æstimat, sed inter primas oues mauult commorari. Ex quo D. Chrys. hom. 12.in Ioan.fatur: *Etenim Moyses eum à Iudæorum ingratitudine liberari posset,& alterius gentis potentiorem, longeque maiorem accipere principatum. Cum sanctus, & Dei seruus esset intimus, ne audire quidem id sustinuit, sed potius vna cum eis, quę sibi semel tradita erant,perire,quam sine illis saluus esse, & ad maiorem dignitatem assumi pratulit. Huiusmodi esse oportet, cui animarum cura commissa est. Est namque absurdum, vt prauorum filiorum pater nolit nisi eorum, quos genuit pater appellari. Nos autem discipulos quotidie nunc hos, nunc illos mutemus.* Est hoc insitum parentibus naturalibus,quod nolint primos filios dimittere, vt accipiant alios. Similiter, & debet esse intimum præstantibus prælatis,qui nolint oues semel acceptas pro ditioribus mutari. Et sanè in hoc maximè distinguuntur nobiles prælati à seruilibus,qui aguntur vitiorum tyrannide,ij enim in hoc intenti sunt, vt acceptam dignitatem dimittant,& aspirent ad accipiendam aliam. Quos mirificè exprimebant Israelitæ, cum sub Ægyptia seruitute operibus luti addicebantur. Ait enim Exod. 1. *Oderantque filios Israel Ægyptij, & affligebant illudentes eis, & inuidentes, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti, & lateris.* Expende quæso, quæ opera vocentur à diuino spiritu opera dura,nimirum, opera adhibita conficiendo luteo lateri, quibus operibus maximè Israelitæ premebantur. Et quidem si Israelitæ addicti essent marmoribus excauandis,contundendo chalybi,non mirarer quod dicerentur oppressi operibus duris; at quando luteis lateribus conficiendis instant, cur in iis duritiem operum adeò diuinus spiritus exaggerat? Innuebat diuinus spiritus in iis duritiem vitæ,qua misere premuntur homines sub ambitu dignitatum, qui apprimè exprimitur in forma lutea lateris. Proponitur enim in medio lignea forma, quæ luto impletur,& impleta non finitur sic esse,sed protinus vacuatur, vt rursus ab alio luto impleatur. Quid similius ambientibus dignitates propter lucra temporalia? Nunquam miseri quiescunt, sed cum primùm vt latericia forma luto nouis dignitatis implentur, statim festinant vacuari, & alia impleri: quod quidem durissimum est vitæ genus. De quo Diuus Gregorius Nyssenus in vita Moysis, ait: *Quemadmodum laterum fictor aliud,atque aliud lutum formæ, qua lateres figurat, imponit, adeò vt forma plena semper, & vacua semper luti dici possit, quoniam cum hoc receperit,atque firmauerit,nullum amplius receptum ad hoc est,sed ad aliud,ad quod vacua est. Sic appetitus... si quis eam his terrenis cupiditatibus replere studeat, & si quod cupit, assequatur, eoque se repleat,vacua tamen semper est,cum ea quę habuit,refluat, & in aliud,atque aliud continuò feratur. Nec finis miseriarum ... esse potest,nisi quis carnalem vitam repellat.* Sic tunc affliguntur sub ambitionis tyrannide, qui operibus luti dant operam, qui terrenis, & caducis inhiant bonis; nunquam quiescunt, sed vt laterum forma in perpetuo sunt motu, vt & vacuari, & impleri semper possint.

Exod.1. — *Chrysost.* — *Greg.Nyss.*

§. X.

Præstantissima, & prorsus insuperabilis fortitudo in benefaciendo consistit.

DVm Moyses petit à Deo,vt ab ira, & vindicta sceleratorum abstineat,meritò addit,vt suam potentiam, & fortitudinem magnificet,hoc est,magnam, & præstantem ostendat. Sed qualiter Deus suam ostēdet magnam fortitudinem, nisi à vindictæ ferocia abstinendo,& mansuetudinem ostendendo? Sic enim ait: *Magnificetur ergo fortitudo Domini, sicut iurasti dicens; Dominus patiens,& multæ misericordiæ,&c.* Itaque dum Dominus parcit reis, misericordiamque & bonitatem, & mansuetudinem prætendit, tunc magnam, & præstantem ostendit potentiam suam. Non enim in perdendo,sed in benefaciendo maxima, & præstantissima fortitudo, & potestas consistit. Quod notans Psalm.79.ait: *Excita Domine potentiam tuam,& veni,vt saluos facias nos.* quasi enim iacet,& dormit diuina potentia, dum in aliis occupatur, quam in hominibus saluandis. Hieronym. legit: *Suscita fortitudinem tuam.* Chaldæus Maronitarum habet: *Ostende præstantiam tuam &c.* Quæ pulchre explicans Theodor. ait: *Omnem tuam, inquit, potentiam moue,nostram salutem tractans.* In perdendis sceleratis satis est,quod digitus Dei appareat,vel quod manus diuina extendatur: at in benefaciendo necessum est, vt omnis Dei potentia moueatur. Nullo enim sic tota Dei potentia ostenditur, quam vbi perdere nescia, solum intendit benefacere. Quis neget martyrum laureatam fortitudinem? Sed huic par est fortitudo,quæ occupatur in liberandis etiam iniuriantibus. Hinc dum mortem oppetit fortissimus Christi athleta Stephanus Actor.7.inter lethales imbres lapidum: *Positis genibus orabat dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Cur in tam arduo conflictu, in quo res erat martyri cum morte,vacauit bona hostibus suis precari? Sanè ostendebatur ab eadem fortitudine venire, & mortem conculcare, & hostibus veniam dare. Ait Eusebius Gallicanus hom. de Stephano: *Dum pro impiis Deo plenus exorat,etiam de alieno peccato meritum suam cumulat, & coronam suam perfecta Christi humilitate multiplicat. Notum per istas fit, quia partem, & opera martyrii suscipit, qui odium mali debitum generositer dum benignitate calcauerit.* Eiusdem roboris facinora sunt, quod mortem calces, & quod abstineas à vindicta. Ille enim validissimus est, & fortissimis æquiparandus,qui nouit,nullum perdere, sed omnibus benefacere. Dauid paucis cum sociis delitescebat in spelunca, vbi

Psal.79. — *Chald.* — *Theod.* — *Act.7.* — *Euseb.*

vbi infensissimum sibi hostem Saulem nactus, socios in eum irruentes detinuit, fecitque vt inimico parcerent. Ait enim 1. Reg. 24. *Confregit Dauid viros suos sermonibus, & non permisit eos, vt consurgerent in Saulem.* Expende illud, nimirum, *confregit viros suos, &c.* Sufficeret enim dixisse, quod illos non permisit illis perdere Saulem, cur maluit addere, quod illos prius sermonibus confregit? Ostendebat sane, & fortitudinem esse in benefaciendo, & in perdendo fragilitatem; quando, qui necem amabant, confracti sunt sermonibus eius, qui beneficentiam, benignitatemque spirabat. Ait enim Chrysostomus homil. 2. in Dauidem, & Saul. Cum commemorasset verba, quibus Dauid abhortuit à cæde, subiecit: *Non permisit illos vt surgerent, & occiderent Saul: simul & illorum animos ad eodem promptos, & hunc fortitudinem demonstrare volens.* Equidem in eo fragiles monstrabantur illi, & vel comminuendi halitu, quod ad cædem prompti erant, & ad inferenda mala, & monstrabatur Dauid fortis, & validus, dum nullum permittit inferri malum, sed ad benefaciendum paratur. Non est, mihi crede, in perdendo, sed in benefica mansuetudine fortitudo maxima. Quo spectans Prouerb. 25. ait: *Lingua mollis confringet duritiã.* Alij ex Græco: *Sermo mollis confringit ossa.* Ex quo Diuus Chrysostomus homil. 3. de Dauide & Saule monet: *Et tu igitur, si quando hostis inciderit in manus tuas, ne illud specta, quomodo illum vlciscaris, innumerisque omnibus conspersum emittas, sed quemodo fanes, atque prius desistas omnia tum facere, tum pati donec tua mansuetudine superes illius truculentiam. Nihil enim humanitate potentius, quo illud declarauit dicens. Sermo mollis confringit ossa.* In sola mansuetudine, & lenitate, & beneficentia est vera fortitudo, & potentia. Hinc 2. Reg. 23. *Hæc nomina fortium Dauid,* & cum fortissimi Dauidis duces nominatim ponantur, cur nulla Ioabi præstantissimi ducis fit mentio? Et cur Ioab cantatissimus dux inter Dauidis fortes non ponitur? Erat hic homo durus, immisericors, promptus ad effusionem sanguinis etiam innoxij, quo meritò à catalogo fortium expellitur. Ait Rupert. lib. 2. in libr. Regul. cap. 37. *Porro Ioab interfecerat duos viros iustos, meliores que se, Abner filium Ner principẽ militiæ Israel, & Amasa principem exercitus Iuda, & effuderat sanguinem belli in pace. Rectè ergo in numero fortium Dauid non scriptus est.* Non pertinet ad fortitudinis censum, qui animo duro, & sanguinario est. Vnde Paulus Orosius libro quinto, capite 23. post enumeratos plurimos tyrannos, qui varias prouincias vexarunt, sic finit: *Tamen fortis fide ac viribus Hispania tum optimos, inuictissimosque reges Reipublicæ dederit, nullum vnquam tyrannorum ab initio vsque in hodiernum diem, vel de se genitum misit, vel in se extrinsecus irruentem vinum, potentimve dimisit.* Hæc duo dotant in Hispania, & gloriam fortitudinis, & oppositionem cum tyrannis: vt enim quis fortis est, sic alienus est ab animo sanguinario, & truci. Non aliter Titus apud Egesippum libro quinto, capite 46. *Misit pater Vespasianus, qui in imparatos vos, Iudæi, posset se effundere? Galilæam circuibat, longinqua exercebat, vt vos deponeretis insolentiam, veniam postularetis. Ostendit virtutem & cum vniuersos clausos teneret. Ægyptum petit, vt induttas respiscendi daret. Tam fortis in prælio fuit, vt per illum Nero hostibus videretur formidabilis.* Hoc mirum, quod Nero crudelissimus homo natus ad perdenda omnia potuerit victoriis gloriari, potuerit hostibus esse formidabilis. Sed non hæc illi acciderunt per fortitudinem suam, quæ nulla potest esse in animis sanguinariis, sed per Vespasianum, qui homo ad parcendum, & benefaciendum erat paratior. Hic tantus in mansuetudine erga hostes, tam fortis fuit, vt per illum potuisset Nero fortis reputari.

Num. 14. Dimitte obsecro peccatum populi tui huius secundum magnitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto vsque ad locum istum. Dixitque Dominus: Dimisi iuxta verbum tuum. Viuo ego: & implebitur gloria mea vniuersa terra.

§. XI.

Beneficia præstita benefactorem trahunt in alia noua.

SApientes Moyses irato Deo opponit beneficia ab ipso profecta in populum, ex quo eductus fuerat à seruitute Ægyptiorum. Quippe ait: *Dimitte, obsecro, peccatum populi huius sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto vsque ad locum istum.* Beneficiorum præstitorum machinam opponit, vt Deum emolliat, & quidem validissima machinaest, quæ de beneficiis datis fit, vt trahat benefactorem in alia noua. Dauid post multa præstita Sauli obsequia, inuenit tandem ingratissimum hominum solum in spelunca valde obscura, quem cum impune percutere posset, maluit parcere, laciniã tamẽ chlamydis abscidit, qua sumpta post regem egredirur, & à tergo clamans testabatur misericordiam, quam fecerat. Ad hæc Saul attonitus, ait 1. Reg. 24. *Nunquid vox hæc est fili Dauid?* Vbi tantam sibi misericordiam factam tunc temporis audit, agnoscit vocem Dauidis esse. Et cur agnoscit esse vocem Dauidis, quæ sibi infensissimo hosti vitam denuo datam asserebat? Sapienter equidem in nouo hoc beneficio agnoscitur Dauidis vox; non enim posset esse vox adeò benefica, nisi illa quæ ab innumeris ante datis beneficiis in hoc traheretur. Sola enim beneficia ante præstita potuissent facere, vt hoc tantum denuo exhiberetur. Vnde D. Chrysost. hom. 3. de Dauide & Saule ait: *Agnoscens Saul vocem Dauidis, ait Vox tua ista fili Dauid. Quanam ista? Qua Goliath deiecit, qua tunc tantum periculis eripuit, qua cunctos in seruitutis, & mortis periculo constitutos in libertatem restituit, & in tuto constituit, qua Saulis furorem sedaret at, qua multa, magnaque beneficia in eum contulerat.* Et plane, nisi quæ de tot beneficiis ante collatis veniret vox, non posset denuo in immerentem, & iniurium hominem sic benefica existere. Solent enim de primis beneficiis oriri secunda. Hinc Ioan. 9. vt Iesus vidit cæcum à natiuitate, *expuit in terrã, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius.* Nec cæcus petit visum, vt alij solebant, nec alius aliquis intercessor affuit, sed ipse Dominus ex se manus luto faciendo adhibuit. Vnde autem motæ sunt manus diuinæ, vt se immiscerent luso ad præstãdum homini visum? Iam antea idem præstiterant beneficium formado homini, ne miremur, quod de primo præstito veniant ad secundum. Ait D. Irenæus lib. 5. cap. 15. *Et qui cæcus fuerat à natiuitate, iam non per sermonem, sed per operationem præstitit visum; vt ostenderet manum Dei, eam qua ab initio plasmauit hominem, vt manifestarentur opera Dei.* Et nullo clarius ostenderetur diuina manus primi auctrix beneficij in formando homine, quam dum accedit ad secundum. Semper enim beneficiis animus de primis venie ad præstanda secunda. Hinc Dauid Psal. 118. aiebat: *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me: da mihi intellectum, vt discam mandata tua.* Haus proponit, vt vitam, & substantiam acceperit à Deo, & statim subiecit: *Da mihi intellectum, &c.* ex eo enim quod fecit me, & ter iam dederit Dominus, pro certo habet, quod & dabit denuo. Ait ibi Diuus Ambr. ser. 10. *Magno commendationis exordio vsus est, vt opus Dei esse se diceret, quo facilius circa operis sui gratiam fauor inclinaretur auctoris. Grandis enim prærogatiua est in rebus humanis, vt aliquis operibus, & beneficijs fauens suis, ne videatur abrogare, quod ipse donauit.* Nullus amat beneficia sua perdi, sed illa souere, quoad potest, contendit, etiamsi ad hoc noua præstare necessum fuerit. Quo adduco dicta rom. 2. in Euangel. lib. 6. cap. 3. §. 20. Adeo enim morale est, quod prima dona nouis debeat fouere, vt de contrario, quasi de re insolita queratur Iob cap. 10. *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totũ in circuitu, & sic repente præcipitas me?* Non equidem visum, nec auditum, quod manus assuetæ benefacere, sic primis operibus negent, imo ex quo iam cœperunt præstare, semper præstabunt. Vt io similem sententiam dicat D. Amb. vbi supra: *In adiumentum accingere, quo accendisti, & veteraret.* Petunt prima beneficia sequentia, & nequit manus assueta benefacere, cessare. Vbi noster dicit Isaiæ c. 63. *Angelus faciei eius saluauit eos, in dilectione sua, & in indulgentia sua ipse redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cunctis diebus sæculi.* Septuaginta in rem præsentem expressius posuerunt: *Non legatus neque Angelus, sed ipso Dominus saluauit eos: eo quod diligeret eos, & parceret eis ipse redemit eos, suscepit, euexit.* Expende ab illis: *Eo quod, &c.* quippe eo quod semel illis se gratiosum exhibuit, quasi inde non potuit non illos redimere à malis, non illos portare brachiis, nouisque beneficiis cumulare.

§. XII.

Super omnes externas glorias est illa, quam acquiris, hostibus tuis parcens.

ADhuc indigni, adhuc nullum pœnitentiæ signum ediderant rebelles, & iam Dominus à pœna illis decreta abstinet, *Dimisi iuxta verbum tuum.* Cur Domine non magis

magis cohibes tuam benignitatem? Cur non expectas, vt ipsi se agnoscant, vt pœnitentiam agant? Cur immerentibus, & impœnitentibus iam parcis? Ipse ait: *Viuo ego, & implebitur gloria mea vniuersa terra.* Parcit immerentibus sua gloria vniuersas mundi glorias euacuans, nil enim est tam gloriosum, vt si hostibus tuis, inimicis tuis parcas. Dauid nactus Saulem sibi infensissimum hostem inermem in spelunca, eius vitæ pepercit, solam chlamydis partem scidit, qua sumpta post Saulem de spelunca exiuit. Ait enim textus 1. Reg. 24. *Porrò Saul exurgens de spelunca, pergebat cœpto itinere. Surrexit autem Dauid post eum, & egressus de spelunca clamauit post tergum Saul, dicens: Domine rex.* Qui antea nec mutire audebat, sed longe a Saule fugiebat, modo audet clamare. Cur Dauid sic coram potentissimo rege tibi aduersario clamas? Prostrato Philisthæo, & adducto Sauli capite, non diceris clamorem vllum emisisse, imò nec aperuisse labia, & modo audes clamare? Quid magnum peregisti, quod possit tantos tibi spiritus ministrare? Victo eos à deuicto Philisthæo tacet Dauid: egressus autem modo ab spelunca clamat, vt, qui hostis vitæ parcens gloriosiorem triumphum reportarat. Ait Diuus Chrys. hom. 3. de Dauide, & Saule: *Egressus est post Saulem Dauid, liberis deinceps oculis cœlum intuens, ac tunc temporis magis exultans, quam cum Goliath deiecisset, aut barbari caput amputasset. Siquidem hæc illa magnificentior erat victoria, hæc magnificentiora spolia, hæc præda illustrior, hoc gloriosius trophæum.* Equidem post veniam datam hosti, non arctatur Dauid in spelunca, nec eius lingua hæret palato, sed in omnem terram exiuit eius sonus, vt qui vna hac gloria vniuersas mundiales superaret. Hinc Dauidis facinoribus in parcendo numeratis, post Saulis mortem, post ipsius Dauidis planctum, ait textus 2. Reg. cap. 2. *Igitur post hæc consuluit Dauid Dominum dicens: Num ascendam in vnam de ciuitatibus Iuda? Et ait Dominus ad eum, Ascende. Dixitque Dauid, Quo ascendam? Et respondit ei: In Hebron. Ascendit ergo Dauid: Veneruntque viri Iuda & vnxerunt ibi Dauid, vt regnaret super domum Iuda, &c.* Expende illud: *Igitur post hæc, &c.* nimirum, postquam Saul occubuit, cui toties Dauid pepercerat, postquam ipse Dauid hostis sui funus lacrymis prosecutus fuerat, ascendit in Hebron, ibique vnctus fuit in regem. Et quando de illius ascensione ad regnum locuturus erat, cur necessum fuit annotare quæ antecesserant in Dauide respectu Saulis? Nullis potuisset clarius eius gloriæ affigere argumentum, quam dum ostenderet, quod de tanta misericordia in hostes ad regnum ascendisset. Ex quo D. Chrysost. vbi supra in fine ait: *En hic noster Dauid, etiam regnum adeptus est, nec tamen inquinauit cæde manum, sed dextram habens puram, sic corona redimitus est, sic ad thronum ascendit, honesti nominis argumentum gestans purpura, ac diademate magnificentius, videlicet, quod hosti pepercisset, quod eundem extinctum luxisset.* Sane magnificentius regno argumentum honesti nominis, gloriosæ famæ est, quod quis in hostes etiam potuit esse beneficus.

1. Reg. 24.

Chrysost.

2. Reg. 2.

Chrysost.

Num. 14. Attamen omnes homines, qui viderunt maiestatem meam, & signa, quæ feci in Ægypto, & in solitudine, & tentauerunt me iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua iuraui patribus eorum, nec quisquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam. Seruum meũ Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc, quam circuiuit, &c.

§. XIII.

In malis filiis adhuc suus honor bonis parentibus manet.

DVm filios pessimos damnat Dominus, simul & honorifice meminit eorum patres dicens: *Non videbunt terram, pro qua iuraui patribus eorum.* Quid necessum fuit meminisse in præsenti obligationem, qua se iuramento obstrinxerat patribus? Cur negans promissa filiis malis, non magis dissimulat, quod patribus eorum iurauerat? Imò tunc magis se patribus obstrictum fatetur, cum filios damnat, mauult enim ostendere, quam semper suus honor maneat bonis parentibus, etiam dum filij pessimi vapulant. De Iesu Domino ait Ioan. cap. 4. *Reliquit Iudæam, & abiit iterum in Galilæam. Oportebat autem eum transire per Samariam. Venit ergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, iuxta prædium, quod dedit Iacob filio suo Ioseph. Erat autem ibi fons Iacob. Iesus autem fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem.* Ecce tibi vt abiiciens Iesus sibi infensissimam Iudæorum nationem, & pergens ad gentes, adhuc sedet supra fontem Iacob in Samaria positum. Cur Domine, & cum Iudæis non simul abiicis Iacob patrem eorum? Cur non tibi caues à parente eorum, qui adeò erant tibi suspecti, & inuisi? Erant sanè Iudæi pessimi, & inuisi Deo; sed eorum pater Iacob erat optimus; ideo illos despiciens Dominus, huius prædium honorat, ostendens, quam maneat honor parentibus bonis, etiam in filiis non bonis. Ait D. Cyril. Alex. lib. 2. in Ioan. cap. 78. *Cum à terminis Iudæorum exiuerit, alienigenarum regionem ingressus Iesus super fontem Iacob sedebat: vt significaret, quamuis Iudæorũ genere relicto, in gentes abiturus sit verbum, non tamen honor, & dignitas patrum decidet, sed crescet potius, quasi irriguis aquis Christi irrigata.* In summo supplicio, & abiectione pessimorum Iudæorum, non decidet, non obscurabitur gloria patrum eorum, sed potius crescet. Is enim est Deus, qui faciat, vt etiam in malis filiis suus honor, & gloria bonis parentibus maneat. Hinc narrans scriptura Gen. 6. initium corruptelæ humanæ, proponensque primos naturæ corruptores ait: *Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores, &c.* Scio filios sanctissimi Sethi filios Dei vocari, sed illud mihi facit quæstionem nõ paruam, cur nunc præcipuè libidinosi, cum voluptatum cœno sese tradunt, adhuc filij Dei vocantur? Ait D. Chrysost. apud Lippom. *Vocati sunt filij Dei in scriptura, eo quod eorum parentes Dei virtutes imitati sunt.* Et quidem vocabantur hi filij Dei, vt ex tali nomine parentum eorum fulgeret gratia, qua diuinas virtutes fuerant æmulati. Ne miremur, quod vel delapsi in ipsam vitiorum sentinam, adhoc retineant vocabulum, quo eorum parentum gloria coruscabat. Semper enim bonorum parentum gloria incorrupta manet, etiam in filiis sceleratis. Pro quo illud etiam est notandum, quod textus addit Gen. 6. satus: *Gigantes erant super terram in diebus illis. Postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes à sæculo, viri famosi.* Ecce tibi ex nefario concubitu filiorum Seth cum filiabus Caini, nascuntur Gigantes, hoc est, viri corporis magnitudine, & præstantia ceteros superantes, qui horrendis facinoribus suis extremam orbi ruinam accelerarunt. Sed cur Deus hominibus iis adeo feris, adeo malis, subdit tantam corporis præstantiam, nisi vt illa mediis criminibus suis auitã virtutem, sanctitatemque omnibus ostentarent? Aiebat enim Diuus Cæsarius Nazianzeni frater alio datus dialog. 1. *Rectè filij Sethi, & Enos, filij Dei intelligendi sunt, qui per libidinem capti ad filias Caini ingressi sunt, ex quorum mutua contaminatione nuptiali editi sunt gigantes propter iustitiam quidem Sethi robusti, propter Cainum mali.* Itaque vt malũ auum Cainum nepotum mores notabant, sic illorum corporis præstantia bonum auum Sethum prædicabat. In pessimorumque hominum corpore erat excellens aliquid, quo Deus optimos illorum auos honorabat.

Ioan. 4.

D. Cyril.

Gen. 6.

Chrysost.

Gen. 6.

Nazian.

§. XIV.

Timor Dei non sinit esse alios timores.

E Tot millibus vnus Caleb in præsenti dicitur introducendus in terram promissam, introducẽdus, inquam, dicitur, quia meticulosis aliis exploratoribus non assentitus est, sed plenus alio spiritu sequutus est Deum. Quippè ait: *Seruum meum Caleb, qui plenus alio spiritu sequutus est me, inducam, &c.* Non explicat, quo spiritu sit plenus Caleb, sed tantum ait plenum fuisse alio spiritu. Quo alio spiritu? Nimirum alio timoris spiritu, sic enim pulchra comparatione illum à timidis exploratoribus discernit. Et hos, & hunc spiritus timoris tenebat. Sed longe alius erat timor Calebi, à timore exploratorum: timor enim Calebi erat timor Dei, qui sic humana corda replet, vt omnes alios timores expellat. Cui explicationi fauet Chaldæus Complutensis fatus, *Seruum autem meum Calebum, eo quod fuit cum eo alius spiritus, & perfectè sequutus est timorem meum, introducam, &c.* Equidem illi timore seruili & humano omnia metuebant, præter Deum; at Caleb perfectè sequutus timorem Dei illo plenus, nihil aliorum timorum admittebat, nihil quod sperari posset, requirebat. Sic enim replet corda humana timor Dei. Hinc Psalm. 13. *Contritio, & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt: non est timor Dei ante oculos eorum.* Quibus non erat timor Dei ob oculos, in nulla via pacem videbant, vbique bella timebant, & contritionem, & infelicissimos euentus. E contra Isaias cap. 11. *Requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ,*

Chald.

Psal. 13.

Isaias 11.

& pietatis. & replebit eam spiritus timoris Domini. Alij spiritus requiescunt in homine, sed spiritus timoris sic hominem replet, vt nihil contrarij admittat. Ex quo pulchrè Origenes lib. 3. in cap. 3. Epistolæ ad Romanos, inquit: *Opus ergo grande est, & magnificum semper habere ante oculos cordis timorē Dei: illum timorem, qui repleuit virgam, quæ surrexit de radice Iesse, & florem, qui de radice eius surrexit. In tantum autem perfectam reddit Dei timor, vt cui sit, nihil desit, vt Propheta dicat: Quia nihil deest timentibus Deum.* Tanto timoris diuini spiritu repleti nihil requirunt, quo possint egere; nihil admittunt, quo possint metuere. Qui enim Dei timore munitur, facilè à se omnes alios timores expellit. Ait enim Ioan. 1. epist. 4. *Perfecta charitas mittit timorem, quoniam timor pœnam habet.* Sed quando timoris spiritus à Deo veniat, vt animam prorsus repleat, quomodo dicitur timor per charitatem expelli? Est timor seruilis, qui temporalia damna metuit; & est timor filialis, qui Deum vt amantissimum parentem solum nouit timere. Hic timor charitatis est perfectio, & hic sic animam replet, vt molestos omnes alios timores expellat. Quò spectans Cassianus collat. 11. cap. 13. ait: *Dixerat, Replebit eum spiritus timoris Domini. Tanta enim vbertatis eius est magnitudo, vt quem semel sua virtute possederit, non partem, sed totam eius occupet mentem. Nec immeritò, ille enim, qui nunquam excidit cohærens charitati; non solùm replet, sed etiam perpetua, & inseparabili eum possidet iugitate, nullis oblectationibus imminutus.* Sic ibi timor occupat mentem, vt nullum relinquat locum alijs molestijs. Hinc Paulus 1. Corinth. 2. *Ego in infirmitate, & timore, & tremore fui apud vos.* Nec credideris Paulum seruili cruciari timore, sed filiali impleri. At cur hunc exhibebat timorem? Ait Diuus Ambrosius Psalm. 118. serm. 11. *In infirmitate veniebat, vt alios saluos faceret; & fortiores in timore, & tremore: vt timentes nihil metuerent, nisi Dominum, &c.* Expende illa: *Vt timentes nihil metuerent.* timor enim filialis Dei omnes alios excludit timores.

Orig. — Ionas 1. — Cassian. — D. Amb. Ps. 118.

Num. 14. Cras mouete castra, & reuertimini in solitudinem per viam maris rubri. Loquutúsque est Dominus ad Moysem, & Aaron dicens: Vsquequò multitudo hæc pessima murmurat contra me? Querelas filiorum Israël audiui. Dic ergo eis: Viuo ego: sicut loquuti estis audiente me, sic faciam vobis. In solitudine hac iacebunt cadauera vestra. Omnes qui numerati estis à viginti annis, & supra, & murmurastis contra me, non intrabitis terram præter Caleb filium Iephone, & Iosuë filium Nun::: Paruulos autem vestros, de quibus dixistis, quòd prædæ hostibus forent, introducam, &c.

§. XV.

Caue, ne erroribus assuescas, qui te, vel progredientem ad virtutes regredi facient, & perire.

QVi prope terram lacte, & melle manantem erant, mouere castra mandantur, & reuertere in sterilem solitudinem; sic ait: *Cras mouete castra, & reuertimini in solitudinem.* Hoc timendum est omnibus, qui sese assuescunt vitiis, vt licèt aliquantò proficiant ad virtutum fructus, tandem per consuetudinem pristinam non liceat ad finem venire, sed cogantur regredi in vitia, ibique omni priuati fructu perire. Egressus fuerat Loth e Sodomis cum vxore, & filiabus, tamque Loth, quam vxor flammantis supplicij immunes progrediebantur in salutis via. Prope erat Segor ciuitas assignata illorum refugio. Quid tunc? Ait Gen. 19 *Respiciens vxor post se versa est in statuam salis.* Non Loth respexit, nec virgines filiæ, sed vxor respexit, & in sterilē, infrugiferamque salis statuam conuersa non peruenit ad vrbem, mansit in via. Et cur non Loth, sed vxor & respicit post se, & sterilescit? Ait Elias Cretensis in orationem 1. Nazianzen. aduersus Iulianum: *Mulier imbecillem, & ignauam mentem designat, corpúsque voluptatibus fractum & debilitatum: quod etsi quandoque ab iis abscedere potuerit, tamen per seditam ad vitium prorsus inutile videtur.* Sic pectus per varias voluptates, & vitia fractum, & lōga illarū consuetudine debilitatum cū fuerit, nō multo æstimandum, quod aliquando à vitiis abscedat, progressus in virtute faciat, hinc enim facile solet ad pristina reuocari, infrugiferumque ibi, & sterilem reddere animum. Dicebat Dominus Ioann. 8. *Qui facit peccatum, seruus est peccati. Seruus autem non manet in domo in æternum, filius manet in æternum.* Vide notionem serui peccati, seruorum est ad domum peruenire, in domo manere aliquandiu; sed in domo æternum permanere, id minime est seruis datum, sed filiis. Similiter, seruus peccati ad domum Dei appropinquat, in ea versatur, at minime in ea æternum manet, sed tandem ab ea exire cogitur, & ad sua remeare. At quis est iste seruus peccati, qui a Domo Dei, in qua erat, remeat ad sua? Seruus est peccati quicumque facit peccatum. Sed speciali titulo seruus est qui longa consuetudine sese voluptatibus, vitiisque tradit, is adeò addictus seruituti vitiorum, etsi in domo Dei esse videatur, non putes, quod ibi maneat, sed quamprimum ad sua remeabit. Ait Diuus Cyrillus Alexandrin. libro 6. in Ioann. capite 1. *Porrò non æstimet quisquam seruum peccati hominem appellari, qui peccat, (non enim est homo, qui non peccet, & septies in die cadit iustus) sed qui permanet in peccato, & ex inueterata peccandi consuetudine, funibus peccatorum suorum constringitur, quibus ad finem vsque vitæ perseuerat irretitus. Et in nulla Dei domo seruus peccati manere comprobatur, &c.* Non quicunque peccat, est hoc speciali iure seruus peccati, sed qui peccat consuetudine vitiorum larga; is ergo peccati seruus, quantumuis in ea progressus faciat, non ibi manet, sed inde funibus peccatorum extrahitur, quibus perpetuò irretitus hæret in salebra.

Gen. 19. — Nazian. — Ioan. 8. — D. Cyr.

§. XVI.

Ille in Domino gloriosè triumphat, qui multitudinis nouit contemnere verba.

E Tot millibus populorum duo tantum reseruantur ingressuri in terram promissam; dicit enim: *Omnes qui numerati estis, à viginti annis, & supra, & murmurastis contra me, non intrabitis in terram super quam leuaui manum meam, vt habitare vos facerem, præter Caleb filium Iephone, & Iosue filium Nun.* Soli Caleb, & Iosue terram promissam tenent; non alij innumeri principes, non populares, & quod mireris magis, non Moyses, non Aaron. Sic enim dicebat Moyses ipse Deuter. 1. *Non videbit quisquam de hominibus generationis huius pessimæ terram bonam:: præter Caleb filium Iephone: Nec miranda indignatio in populum, cum mihi quoque iratus Dominus propter vos dixerit: Neque tu ingredieris illuc.* Et cur dimissis tot hominibus, dimisso Moyse, & Aaron, vnus Caleb, vnus Iosue admittitur in terram promissam? Quid fecerunt ij, plusquam Moyses, plusquam Aaron, propter quod mereantur gloriosè detriumphatis hostibus terram introire? Post multitudinis murmur relatum dicebat textus supra. *Quo audito Moyses, & Aaron ceciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorum Israel. At vero Iosue filius Nun, & Caleb filius Iephone, sciderunt vestimenta sua, & ad omnem multitudinem filiorum Israel loquuti sunt. Terra quam circuiuimus, valde bona est, &c.* Non mutiunt Moyses, & Aaron coram murmurante multitudine; sed caduot coram illa; at Caleb, & Iosue nihili facientes multitudinis murmur, imperterriti prædicant bonitatem terræ promissæ. Ne miremur, quod ij qui nihili faciunt multitudinis murmur, præ omnibus aliis apud Deum triumphent. Sanè & Latroni secū crucifixo dicebat Dominus Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiso.* Nil tale Petrus audiuit sibi dictū; & Petrus qui tanta ardebat charitate in magistrum. Et cur quod non datur Petro, vt tunc in paradisum intret, latroni vni conceditur? Ait Diuus Chrysostomus sermone de latrone: *Petrus discipulus puellæ vilissimæ minas tolerare non potuit: & latro suspensus, vndique populum circumstantem despiciens oculis fidei cælorum Dominum pura mente cognouit, &c.* Expende illud: *populum circumstantem despiciens:* erat quippè tota populi multitudo circumfusa iuxta crucem Domini, illi illudens, probraque multa, & maledicta congerens in illum: at latro contra multitudinis voces eas despiciens, ac pro nihilo ducens, veras crucifixi æstimabat diuitias, ad easque coruis ibat. Quid mirum, si datur paradisus tunc latroni, & non Petro; quādo Petrus vnius voces puellæ non tulit, latro autem se se opposuit vocibus multitudinis pro crucifixo? Talis est præstantissimus ille Onager, de quo ait Iob cap. 30. *Quis dimisit Onagrū liberū, & vincula eius quis soluit? Cui dedit in solitudine domū, & tabernacula eius in terra salsuginis. Contemnit multitudinē ciuitatis, clamorē exactoris non audit. Circumspicit montes pascuæ suæ, & virentia*

Deut. 1. — Luc. 23. — Iob 30.

quæque

quaque perquiris, Ecce tibi onager; sed homo, qui spiritu viuit, vt maiunt Olympiodorus, & Nilus in cat. Græca; cui sanè in promptu sunt cœlestia pascua, terra viuentium, florida æternitatis prata. Sed quid pro tantis bonis egit? Ait textus: *Contemnit multitudinem ciuitatis.* Vbi Diuus Gregorius libro 30. Moral. capite duodecimo. *(Greg.)* *Cum paucis namque ingredi angustam portam desiderat, non cum multis lata itinera appetit, quæ ad interitum ducunt. Et recta consideratione accepta imaginis, sequi vulgi multitudinem dedignatur.* Sic qui vero spiritu viuit, cui æterna pascua adscribuntur, quem vocat terra viuentium, is nihili facit, quod multitudo dicat, imo eius inhærere vestigiis maximè cauit. Et cur non caueat hærere multitudinis vestigiis, quando audit Cant. 1. *(Cant. 1.)* *Si ignoras te, ô pulcherrima mulierum, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hœdos tuos, &c.* Sic ignoranti animæ datur, quod vestigiis multitudinis hæreat, ex quo illud habet, quòd non agnos, sed bœdos reprobationis pascat. Ait D. Greg. supra. *(Gregor.)* *Egressa abit post vestigia gregum: quia sua interna deserens, sequitur exempla populorum. Nec iam agnos, sed bœdos pascit, quem innitere prauos motus carnis intendit.* Sic hæret, qui nescit contemnere multitudinem.

§. XVII.

Scelerum castigationem sequitur innocentia & simplicitas infantilis.

DVo asserit in præsenti Dominus, quod sceleratos adultos morte puniet, & quod paruulos eorum in terram promissionis introducet. Sic enim dicit: *Paruulos autem vestros introducam, vt videant terram, &c.* Et cur post sceleratorum supplicia paruuli introducantur, qui terræ promissæ possessionem videant? Equidem ostendebatur, quod post castigationem culparum, infantilis innocentia debeat requiri, quæ regnum cœlorum possit pertingere. Quo spectans Procopius in Glossa ait: *(Procop.)* *Suum interitum prædixerunt dicentes; vtinam in deserto hoc essemus mortui; quorum filij imago sunt eius, quod dictum est. Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli isti, non ingrediemini in regnum cælorum.* Equidem post denuntiatam mortem sceleratorum, restabant filij eorum paruuli, qui ad terram promissionis peruenirent, iam tunc prænuntiantes, quod post conuersionem, & culparum castigationem, debeat infantilis innocentia requiri, quæ regnum cœlorum obtineat. Nascente Iesu audio Angelos cantantes Luc. 1. *(Luc. 5.)* *In terra pax hominibus*, nec dubium est natum esse Iesum cũ pace frueretur imperium Romanum obseratis Iani portis, quã similem pacem requirebat Isaias post Iesu mortem, & in cœlos ascensionem, ait enim cap. 57. *(Isaiæ 57.)* *Veniat pax, requiescat in cubili suo, &c.* Et cur post ascensionem Domini in cœlos veniret iterum pax, quæ fuerat in eius natiuitate? Post ascensionem Christi incepta est Iudæorum sceleratorum vindicta, quæ quadragesimo anno consummata destructis Iudæis per Vespasianum, & Titum ostendit iterum pacem, Iani obseratis valuis; vt vindicta sceleratorum correspondens honori Dominicæ natiuitatis, moneat omnes, quam post culparum castigationem debeat vita hominis respondere innocentiæ infantili, & simplicitati. Accipite Paulum Orosium lib. 7. cap. 9. *(Paul. Oros.)* fantem de Tito, & Vespasiano: *Qui continuo finito bello, omnibus bellis, ac tumultibus domi, forisue compressis, pacem totius orbis prænuntiauerunt, & Ianum geminum obseratis cohiberi claustris, sexto demum ipsi post vrbem conditam censuerunt. Iure enim idem honor vltione passionis Domini impensus est, qui etiam natiuitatis fuerat attributus.* Ecce tibi vltio sceleratorum & natiuitas Saluatoris sibi correspondent, & assimilantur in honore pacis, vt discas post culparum castigationẽ, quam debeas assimilari infantiæ saluatoris, & esse sicut paruulus ille, quo possis obtinere regna cœlorum. Quò respiciens Petrus dicebat Actor. 2. *(Actor. 2.)* peccatoribus: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum, &c.* Monebat ptrus castigationem scelerum, & deinde renascentiam ex aqua, & spiritu sancto, vt sic infantilem assumerent innocentiam, vt nihil de pristinis babeant vetustatibus. In quo erit hominis fœlicitas, & beatitudo humana, vt dicat D. Zeno serm. 26. post baptismum: *Beatus est semper, qui meminet fuisse antè, quam renatus sit; beatissimus, qui infantiam suam prouentu temporis non mutauerit.* Tota fœlicitas est hominis adulti, quod post castigatas pœnitentia culpas, etiam infantis innocentiam induat, quam non exuat temporis diuturnitate.

Num. 14. Quadraginta annis recipietis iniquitates vestras, & scietis vltionem meam, quoniam sicut locutus sum, ita faciam omni multitudini huic pessimæ, quæ consurrexit aduersum me: in solitudine hac deficiet, & morietur. Igitur omnes viri, quos miserat Moyses, ad contemplandam terram, & qui reuersi murmurare fecerunt contra eum omnem multitudinem, detrahentes terræ, quòd esset mala, mortui sunt atque percussi in conspectu Domini. Iosue autem filius Nun, & Caleb filius Iephone vixerunt ex omnibus, &c.

§. XVIII.

Calamitosis hominibus grauior pœna accumulatur ex vnius seruata salute.

MAgna erat Israelitarum calamitas, quòd omnes adulti in solitudine perirent, quod exploratores statim morti occumberent, perfidiæ pœnas dantes. Sed accipite aliud in calamitate maius, nimirum, quod pereuntibus cunctis Iosue vnus, & vnus Caleb vixerunt. Quippe habes: *Iosue autem filius Nun, & Caleb filius Iephone vixerunt ex omnibus, &c.* De tot millibus extinctis vnus, aut duo euadunt, qui calamitosis dolorem augeant. Paulus enim Orosius lib. 2. capite 5. bellum infelix Romanorum cum Veientibus tractans ait: *(Oros.)* *Cum Fabij viri clarissima lumina Romani sinus speciale sibi aduersus Veientes decerne bellum expetiuissent, spem temerè sumpta expeditionis primis successibus firmauerunt: dein inducti in insidias, circumuentique ab hostibus, omnes ibidem trucidati sunt, vno tantum ad annuntiandam cladem reseruato, vt miseriam audiret patria perditos, quam perdidisset.* Reseruabatur vnus è tot trucidatis, qui cladem testatus miseriam augeret, & calamitatem. Nunquam enim vnus reseruatus aliud facit, quam calamitosis dolorem addere; vt quoties auditur, quoties conspicitur, acerbissimè renouetur totius tragœdiæ repræsentatio. Dicebat ille nuntius Iob capite 1. *(Iob 1.)* *Filiis tuis, & filiabus vescentibus, & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repente ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt; & effugi ego solus, vt nuntiarem tibi.* Sanè posset nuntius iste esse de extraneis, qui videns è tuto cladem, eam nuntiabat, sed non eligitur nisi domesticus, qui in eodem periculo extitisset, & sub eodem tecto fuisset, ex cuius tamen ruina solus euaderet. Et cur eligitur non extraneus, sed domesticus, sed eiusdem periculi particeps, qui cladem euaserat? Faciebat hoc ad maximum augmentum calamitatis, vt vnus seruatus illam renuntiaret. Ait D. Chrysost. in cat. Græca: *(Chrysost.)* *Illud enim, seruatus sum ego, in alius quidem quidpiam fortassis valeat ad obtundendam animi ægritudinem: hic autem augeat malis magis. Quandoquidem decem dentibus liberis solus qui nuntium afferret, superauit.* Solet equidem cum alius extraneus nuntiat, non ita pungere animum; at cum is nuntiat, qui cum calamitosis fuerit, eorumque hæserit lateri, qui nihilominus vnus euasit, tunc in eius verbis, & conspectu vehementer augentur calamitates. Nec solum augetur calamitas, sed fit longe magis conspicua, & notabilis cunctis. Quò spectans Dominus sic minabatur Iudæis Isaiæ capite 30. *(Isai. 30.)* *Mille homines à facie terroris vnius, & à facie terroris quinque fugietis, donec relinquamini, quasi malus nauis in vertice montis.* Vbi Theodor. apud Castrum ait: *(Theod.)* *Sicut in montis vertice vnus intutum pinus, aut cupressus sit residua, valde conspicua est, & insignis prætereuntibus. Sic vos pauci relinquemini, ex innumerabilibus myriadibus, vt toto orbe vestra mala sint notabilissima.* Hæc ibi.

§. XIX.

Tunc maximè Dei potestas radiat, cum multis aduersantibus, in vno, aut alio sua nomine promissa implere.

ECce duæ columnæ erectæ in gloriam diuinæ potentiæ, nimirum: *Iosue autem filius Nun, & Caleb filius Iephone*

vixerunt ex omnibus, &c. Repugnantibus Israelitarum myriadibus, & coties contradicentibus Deo, ob quod vniuersi perierunt, in Iosue, & Caleb sua promissa Deus impleuit. Quid ad diuinæ potestatis ostentationem euidentius? Aiebat Isaias cap. 30. *Fugietis, donec relinquamini, quasi malus nauis in vertice montis.* Sic Dei rebelles cadebant, sic ab hostibus periti ruebant, vt de illis vix vnus, aut alter remaneret. Sicut confractis nauibus malus aliquis in vicino colle ponitur, qui cladem testetur: sic pereuntibus Iudæis, eo res deueniebat, vt vnus, aut duo remanerent. Et cur vnus remaneat, & non potius vniuersi funditus pereant? An non posset Deus permittere, vt omnes perirent? Posset, sed tunc maxime ostentantur opera diuinæ potentiæ, cum repugnantibus cunctis, & sibi perniciem afferentibus vel in vno sua promissa Deus deducit ad effectum. Quo spectans D. Hieron. ibi fatur: *Quomodo si fracta nauis sola arbor, qua malus dicitur, remaneat, & pro signo in summitate montis. Sic pro signo, atque vestigio, vix vnus, & alter residens ad Dei potentiam demonstrandam.* Franguntur, & funditus pereunt potestates mundiales in multitudine aduersantium, in multitudine rebellium, non sic potestas diuina, quæ tunc maxime ostenditur, quando aduersantibus cunctis, in vno, aut alio totam suam efficaciam conseruat. Iob cap. 38. commendans Dei potentiam in mari componendo ait: *Et dixi. Vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Hoc sane fuit diuinæ curæ, vt mare crearetur, quod diuinis præceptis subiectum esset, cur ergo necessum fuit, vt tumentes, imo furentes fluctus haberet? Cur non magis fuit creatum tranquillum, & mansuetum? Sapienter D. Chrysost. in cat. Græca ait: *Hac de causa Deus mare, nec tranquillum, nec mite passus est, vt cum diuino imperio pugnante natura, diuinoque iussu semper vincente, esset Dei potestas prædicabilis. Etenim si foret aqua pacata, ordinis concinnitatem, atque moderationem naturæ aquæ plerique adscriberent: nunc verò conturbata, verberata intrinsecus, protusa cum suis finibus excedere nequeat, Dei prædicat potestatem.* Sic cum inter furentes fluctus, sese inuicem comprimentes, confringentes Dei integra dispositio seruetur; ibi est diuina potestas manifesta. Ita eodem modo, inter multitudines rebellium, contradicentium, pereuntium deducens Deus sua consilia ad effectum, se omnipotentem ostendit.

Isa. 30. *Hieron.* *Chrysost.*

CAPVT XXV.

De Seditione Core.

Textus Historia.

MOrsas interea ductabat populum, & Aaron sacerdotio fungebatur; quod indigne ferens vtriusque patruelis Core nomine, filius Isaar, de Rubenitarum tribu præstantes viros Dathan, & Abiron, atque Hon spe melioris ad regnum conditionis cœpit sollicitare. Exarsit subito sæuissimæ æmulationis flamma, qua ij accendentes alios ducentos & quinquaginta post se, ad Moysem interfantur: Eò vsque super populum eleuamini? Cur ad insulas curritis, quando vniuersus populus sacer est? Nonne thronus Dei apud nos, cuius nutui paremus? Nonne exonerauit Dominus populum suum iugo humano? Cur super nos homines feramus, qui habemus Deum? Tunc Moyses paulisper humi sternitur precaturus Deum, deinde leuatus Corebo, & reliquis factionariis mandat, vt thuribula parent in crastinum, offerantque singuli incensum coram altari, & similiter Aaron: ostensurus enim Deus erat, quem sibi ad sacerdotium designaret.

Dixerat, quo in summa populi spectatione oportebat Corebum ire ad tabernaculum; & vocati Dathan, & Abiron à Moyse venire noluerunt, hominis audaciam ridentes, qui post fallacissima promissa non vereretur tanti populi clauum vsurpare. Processerat ergo Core in tabernaculum cum sociis suis, processerat & Moyses, & Aaron, quibus appropinquantibus Deus adest, iubetque longe fieri populum à Dathan, & Abiron, & Core vicinitate. Separabatur populus, ridebant illi manentes singuli ad ostium proprij tabernaculi, cum tremefacta terra ingentem aperit hiatum, quo absorbens miseros, simul extitit illis & sepulchrũ, & carnifex. Nec mora exurgens etiam flamma ducẽtos & quinquaginta alios factionarios lambit, quorum thuribula in laminas efformata iubente Moyse, affiguntur altari, vt omnibus testentur rebellium cladem. Proh duritiem humanam? Vix pereuntium voces audiri desierunt, & in nouos ausus exurgit vesania popularis persequens Moysem, & Aaron vsque ad altare. In quo tumultu funditus vniuersi periissent, nisi Aaron arrepto thuribulo se se opposuisset flammis rebelles vorantibus.

PARS VNICA MORALIS in textus literam.

ET terram, & ignem experimur in populum rebellem concitatos, vt nos ad diuinum Spiritum confugiamus, qui rote suo & flammas temperet, & terram paret, vt vitæ fructos inde capiamus.

Num. 16. Ecce autem Core filius Isaar, filij Caath, filij Leui, & Dathan, atque Abiron filij Eliab, Hon quoque filius Phaleth de filiis Ruben, surrexerunt contra Moysem, aliique filiorum Israel ducenti quinquaginta viri proceres Synagogæ, & qui tempore concilij per nomina vocabantur. Cumque stetissent aduersum Moysem, & Aaron dixerunt: Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus, cur eleuamini super populum Domini?

§. I.

Qui se à debita vnitate separat populus, multas in se scissiones patiatur, necessum est.

VIdimus capitibus præcedentibus populum exploratorũ vocibus deterritum, fidem diuinis vocibus abnegantem, promissa eius respuentem, regressum ad Ægyptum meditantem, quo se à Deo, & Moyse diuidebant & separabant. Quid tunc? Continuo assuitur Core seditiosus, & factionarius, qui partem populi sibi rapiat. Dicit namque: *Ecce autem Core, & Dathan, & Abiron. Hon quoque surrexerunt contra Moysem, aliique filiorum Israel ducenti.* Et quidem hoc necessum est, accidat; vbi enim populus se à debita vnitate separat, nequit fieri, quin in se multas diuisiones, multas seditiones patiatur. Ahias Salonites Dei spiritu plenus prophetabat Ieroboamo, vt accepturus erat Israelis regnum. Et quomodo prophetabat? Ait text. 3. Reg. cap. 11. *Apprehendens Ahias pallium suum nouum, quo coopertus erat, scidit in duodecim partes. Et ait ad Ieroboam: Tolle tibi decem scissuras, hæc enim dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus.* Quod totum vt significaretur, videtur suffecisse, quod pallium in duas tantum partes diuideretur, paruam alteram, & alteram magnam; & quod magna pars diuisi pallij traderetur Ieroboamo. Cur necessum fuit, quod illi nõ integra magna pars, sed decem scissuræ traderentur? Etenim innuebatur, quod populus, & regnum diuisum à debita vnitate non posset manere nisi in continuis scissuris, & diuisionibus, & seditionibus. Rem sic tractat Rup. lib. 5. in libros Reg. cap. 4. fatus. *Cur tot scissuras propheta fecit, cur pallium suum in duodecim partes scidit? Nempe si nihil aliud, quam regni vnius diuisionem in duo regna significare volebat, poterat vnum pallium scindere in duas partes. Quare ergo spiritui Domini sic magis placuit, & tot scissuras fecit? Plane, & in hoc vera rationis constantia est. Scissum nempe à domo Dauid illud regnum Israel, deinceps aduersus seipsum diuisum fuit, decies, & ita demum desolatum est, vt domus supra domũ caderet.* Nequit vnitatem in se habere, qui à debita vnitate desciuit. Qui quam debebat suo principi, suo præsuli, vnionem nõ tenuit, nunquam in rebus suis vnionem habebit, sed seditiones & scissiones frequentissimas tolerabit. Hinc Christo Domino crucifixo à Iudæis ait Matth. 28. quod inter portenta alia, & illud accidit, nimirum, *Petræ scissæ sunt.* Et cur in Iudæorum facinore petræ scissæ apparent? Pulchrè Diuus Chrysost. hom. de cruce, & latrone: *Hodie apud Iudæos, qui mente audaci contra Deũ vadunt, petræ scissæ sunt.* Vbi te à tuo capite sciderıs, siue Deo, siue homine, etiam in tuis firmissimis scissiones, &

3. Reg. 11. *Rupert.* *Matt. 28.* *Chrysost.*

diuisiones

diuisiones cogeris pati. Semper equidem scissionem scissio sequitur; vt si quis homo debitam cum alio vnionem scindat, cogatur in suis crebras scissiones perpeti. Fallar, si quis domi plures filiorum rebelliones, & tumultus passus est, quam Herodes ille, qui primus alienigena in Iudæorum regnum venit. Is quot filios habuit, tot rebelles, & seditiosos metuit; occidit tandem Antigonum, & Alexandrum fratris Antipatri insidiis petitos, deinde & Antipatrum morti dedit sese maiestatis reum. Et vnde tot filij & seditiosi & proditionis suspecti fuerunt Regi parenti? Causam indigitat Egesipp. lib. 1. cap. 35. inquiens: *Habuerat Herodes in consortium Dosidem Ierosolymitanam fœminam priuato sibi ante sociatam, quæ gratior ei esse debebat, quo fuerat felix marito, cum qua regale fuerat adeptus fastigium. Verum immemor gratiæ proiecit Dosidem, sociat Mariamnem Aristobuli neptem, Alexandri filiam. Itaque dum sequitur nobilitatem, in perturbationem incidit, quam sibi domus propria non concineret.* Itaque vt se malus disiunxit à Doside vxore, non potuit domi videre conuenientiam, sed innumeras seditiones, & tumultus filiorum fuit perpessus. Sequitur enim scissionem scissio; vt qui debitam vnionem frangere non veretur, nunquam sit sine tumultibus, & seditionibus quietus.

Egesipp.

§. II.

Honoris verba in ore non possunt non reddere animum pacatum.

HOc primum rebellionis telum est, quod rebelles, & perfidi ab honoris verbis erga Moysem, & Aaronem abstinét; solum enim aiunt: *Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est:: Cur eleuamini supra populum Domini?* Expende illa: *Sufficiat vobis.* & illa: *Cur eleuamini?* Sic subditi sine vlla præfatione honorifica, sine vllo honoris titulo, aut nomine ad suos præsules fantur. Nec quicquam magis hostiles animi cauent, quam honoris vocabula, hæc enim in ore posita nequeunt non reddere animum pacatum, vel erga ipsos aduersarios. Nota est omnibus simultas, & hostilitas Saulis erga Dauidem 1. Reg. 20. erat Saul ad mensam secunda die calendarum festiuarum, & videns locum Dauidis vacuum ait: *Cur non venit filius Isai nec heri, nec hodie ad vescendum?* Longe aliter 1. Reg. 24. postquàm Dauid in spelunca pepercerat Sauli, ait textus: *Surrexit autem Dauid post eum, & egressus de spelunca clamauit post tergum Saul dicens: Domine mi Rex.* Compone modo verba Saulis, & verba Dauidis. Saul nullum honoris verbum promit, nec nomen proprium in ore sumit, quia hoc honori esset Dauidi, si eũ nomine proprio Rex cõpellaret. Et ideò vel hoc hostilis Saulis animus cauit. Verùm Dauid nulli honorifico titulo parcit, vt hostem suum compellaret, aiens: *Domine mi rex.* Et cur quando Saul sic cauet ab honorifica compellatione Dauidis, ipse Dauid sic studet Saulem honorificis titulis appellare? Saul animi bilem retinere conatus, cauet ab honorificis appellationibus hominis sibi infensi: Dauid, vt volebat ab animo omnem hostilitatem, & acerbitatem effugare, sic verba honoris in hostem tractat, quæ efficacissima sunt, vt reddant pacatum. Ait pulchre D. Chrysost. hom. 2. de Dauide & Saule: *Saul dicebat, vbi est filius Iesse? Partim odio proprij nominis, partim sperans fore, vt hoc pacto iusti fama contaminaretur. At nõ itidem fecit beatus Dauid. Neque nudo simplicique nomine designauit, sed dignitatis, & principatus titulo, vsque adeo purum ab omni maleuolentia gerebat animum. Proinde tu illud disce, ne vnquam inimicum famosis nominibus, sed honorificis appelles. Etenim si os assueuerit eum, qui læsit, honoris, obsequiique nominibus appellare, & animus hæc audiens à lingua didicit, non refugiet cum illo redire in gratiam. Nam ipsa verba remedium erunt optimum vlceris in corde intumescentis.* Non miror, quod fugiant honoris verba erga hostes, qui amant retinere animos implacabiles: verba enim honorifica efficacissima sunt ad tollendam omnem animi acerbitatem. Quò refero illud Prouerb. 15. *Lingua placabilis lignum vitæ; quæ autem immoderata est, conteret spiritum.* Quæ in rem nostram clarius ex Hebræo redduntur. *Medicina linguæ lignum vitarum, & peruersitas in ea, contritio spiritus.* Est equidem in lingua optima medicina ad vlcus tumescens in corde curandum, & animi acerbitatem, & rigorem excludendum, quoties in illa honoris verba vel erga ipsos aduersarios esse videntur.

1. Reg. 20.

1. Reg. 24.

Chrysost.

Prou. 15.

Num. 16. Quod cum audisset Moyses, cecidit pronus in faciem; locutusque ad Core, & ad omnem multitudinem: Mane, inquit, notum faciet Dominus, qui ad se pertineant, & sanctos applicabit sibi, & quos elegerit, appropinquabunt ei.

§. III.

Vbi opera rem testificantur, nullis verbis in contrarium attendas.

ACcusabatur Moyses, quod se supra populum erigeret, quasi ipse solus sanctus esset, cum non solum ipse, sed & vniuersa multitudo eisdem sanctitatis notis fulsisset. Quid ad hæc Moyses? Ait textus. *Quod cum audisset Moyses, cecidit pronus in terram: locutusque ad Core, & ad omnem multitudinem: Mane, inquit, notum faciet Dominus, &c.* Non verbis, sed operibus testatur causam suam, sese humi sternens, non enim se super omnes erigere curat, qui sic se deiicit ad terram, nec sibi arrogat sanctitatem, cuius probationem Dei brachio remittit. Quis credat attribuentibus eleuationem illi, qui se ad terram vsque prosternit? Quis neget sanctum, quem à Dei manu electum videt? Equidem præclare Moyses eludit contrariorum dicta, nihil ipse dicens, sed opera exhibens sui animi clarissima indicia. Vbi enim opera proponuntur, quis attendat aduersariorum dictis? Hinc Dauid nactus Saulem inermem in spelunca, non solum pepercit ipse, sed & à percussoribus defendit ipsum, minimam chlamydis partem solam abscidit, quam exhibens pro rei signo 1. Reg. 24. *Dixit ad Saul: Quare audis verba hominum loquentium; Dauid quærit malum aduersum te? Ecce hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca: & cogitaui, vt occiderem te, sed pepercit tibi oculus meus.* Non verbis accusantium calumnias depellit, sed præsens exhibet opus, opereque salutis præstitæ exhibito, sapienter queritur, quod rex audiat accusantium verba. Huc stat D. Chrys. homil. 2. de Saule, & Dauide dicens: *Illi quidem, inquit, verbis calumniantur, at ego re ipsa me purgo, ipsisque factis depello crimen. Nihil, nihil opus est verbis, cum ipso rerum euentu quauis oratione clarius possis te docere.* Sapienter Dauid, vt repellat verba, non verba, sed opera exhibet, opera, inquam, recentia, quæ impræsentiarum erant, quæ ab omnibus possent videri. Vbi autem talia erant opera, quis verbis attenderet? Matth. 26. de Iesu Domino adducto ad Caiphæ tribunal dicitur: *Et surgens princeps sacerdotum, ait illi: Nil respondes ad ea, quæ isti contra te testificantur? Iesus autẽ tacebat.* Tacet itaque Iesus aduersus calumnias, & testimonia falsa contra se dicta, nec vllum verbũ respõdit eis. Sed Psal. 118. aliter se gesturum aiebat: *Et respondebo exprobrantibus mihi verbum.* Quando ergo se responsurum exprobrantibus promittebat, cur tacet in tanta Iudæorum exprobratione? Cur non respondet? An oblitus est promissionis suę? Absit, imo tunc adimplet, quæ promiserat, abstinet namque a verbis habens opera. Descensurus enim vsque ad mortem crucis, indeque ostensurus creaturarum mœrorem, & tristitiam in morte sua, merito à verbis abstinuit, qui talia opera exhibuit. Ait Simon de Cassia lib. 13. cap. 64. *Non respondebat tunc Christus exprobrantibus sibi verbum, quod dixerat, aut exprobrantibus vitam eius, atque sermones, verbum non respondebat. Responsum est per creaturam, quæ de ipso mœrentes testatæ sunt, per insolitas, & horribiles actiones.* Vbi tot erant opera exhibenda tam noua, tam inusitata, non aliam responsionem in verbis quæras. Quæ enim sunt verba, quæ audiri possunt inter opera tantæ virtutis plena? Nunquam non abstinendum à verbis, vbi opera sunt in testimonium exhibenda. Ioan. cap. 11. dicebat Dominus: *Lazarus amicus noster dormit, sed vado, vt à somno suscitem eum.* Sic de somno Lazari cum suis discipulis agebat, à quo illum excitandum promittebat, & loquebatur de excitatione facienda à somno, quo amicus dormiebat. Post quæ seueriùs ait: *Lazarus mortuus est*, nec addit, vado, vt suscitem eum. Et cur cum illum dormientem proponit, agit de eius excitatione, & de ea loquitur; cum autem mortuum dicit, nec verbum facit de suscitatione? Vbi dormientem dicit, solum ludebat verbis discipulorum intelligentiam, at vbi mortuum designat, iam se se ad clarissimum resurrectionis opus propiùs accingebat, tantumque opus præstiturus merito abstinet à verbis. Ait Basil. Ser. 40. *Cum dicit, dormit, addit, Vado, vt à somno suscitem eum: cum vero dicit, Mortuus est, non id adiecit: Vado, vt exsuscitem: quæ enim re comprobaturus erat, verbis ante dicere noluit.* Cauit a verbis, vbi opera adeo illustria exhibeat: & merito verborum probatio contemnitur, quando opera sunt, quæ animi virtutes testentur.

1. Reg. 24.

Chrysost.

Matt. 26.

Psal. 118.

Cassia.

Ioan. 11.

Basil. Sel.

Num. 16. Hoc igitur facite. Tollat vnusquisque thuribula sua, tu Core, & omne concilium tuum; & hausto cras igne ponite desuper thymiama coram Domino: & quemcumque elegerit, ipse erit sanctus. Multum erigimini filij Leui. Dixitque rursus ad Core. Audite filij Leui. Numquid parum vobis est, quod separauit vos Deus ab omni populo, & iunxit sibi::: vt vobis etiam sacerdotium vendicetis, & omnis globus tuus stet contra Dominum, &c.

§. VI.

Contentionibus de primatu vnus Deus potest mederi.

COntendentibus pro primatu sapienter non obstitit Moyses, sed vnum petit, vt causa deferatur ad Deum, ait enim: *Hausto cras igne ponite desuper thymiama coram Domino, & quemcumque elegerit, ipse erit sanctus.* Et meritò hæc res ad Deum refertur, qui solis iis contentionibus valet apponere efficacem medelam. Similis contensio inceperat inter discipulos Domini Matth. 20. disputantes: *Quis eorum videretur esse maior?* qua consopita ne post dominicam resurrectionem recrudesceret, nihil prius Dominus illis offert quàm pacem. Dicit Ioan. cap. 20. *Venit Iesus, & stetit in medio, & dicit eis, Pax vobis. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus. Gauisi sunt ergo discipuli viso Domino. Dixit ergo eis iterum, Pax vobis.* Ecce tibi, vt semel, & iterum illis pacem mandat. Et cur tantus est ipse in pace commendanda discipulis? Cur hoc munus mãdandæ pacis non Angelis permittit, qui annuntiauerant resurrectionem eius? Sanè Angeli, qui natiuitatem nuntiauerant, simul & hominibus pacem nuntiauerunt, dicentes Luc. 2. *Et in terra pax omnibus, &c.* Cur similiter Angeli nuntiantes resurrectionem, non pacem renuntiant, imò Angelis de pace tacentibus, solus Iesus per seipsum illam semel, & iterum commendat? Post natiuitatem Saluatoris, & eius prędicationem, inceperat inter discipulos de primatu contentio; iis autem contentionibus (ne serpant) pax, & medela, nisi a solo Deo, minime venit. Ex quo aiebat D. Chrysol. ser. 84. *Quid repetita pacis largitas ista manifestat, nisi quia quietem vult inter eos repetita pacis donatione seruari? Vt & arrogantiæ iactantiam, tumoremque resecaret, & eius, qui infirmus fuerat, sanaret, & excluderet passiones, imperio pacis sua bella nascitura compressit. Petrus negat. Ioannes fugit, Thomas dubitat, cuncti relinquunt. quibus nisi pacem suam Christus dedisset: & Petrus, qui primus est omnium, putaretur inferior, & sequens indebite forsitan extolleretur aduersus primum.* Expende ab illis, nimirum, *nisi pacem suam Christus dedisset, &c.* quippe solus Christus Dei filius pacem eam posset dare, quæ insurrectiones, & contentiones de primatu componeret, temperaret. Semel in cœlis seditio oborta fuit pro sede primaria, dicit enim Apocal. 12. *Et factum est prælium magnum in cælo, Michael & angeli eius prœliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & Angeli eius, & non valuerunt, &c.* Erat sane hoc prælium de primatu, pro prima sede obtinenda, vt ex Isaiæ cap. 14. colligunt communiter interpretes. Pugnabat equidem draco, vt vniuersos angelos traheret in primatus affectum, vt nullus inter angelos maneret, qui de sede primaria non contenderet: at minime potuit ingerere hanc mentem exercitui Michaelis. Dum fureret draco, contentionesque excitaret de primatu, totus quantus erat exercitus Michaelis in summa pace, & concordia inter se erat. Et vnde tanta pax angelicis spiritibus esse potuit, eo præcipue tempore, quo tanta erat inter alios de primatu dissensio? Id nulli alij tribuit Theologus Nazianzen. nisi Deo; ait enim orat. 1. de Pace: *Ex Angelis is, qui seditionem concitare, ac supra dignitatem suam se se efferre, & supra nubes sedem sibi excogitare ausus est, dignas arrogantia sua pœnas dedit, reliqui verò in sua dignitate persistant, eorum primum illud est, quod pacati sint, atque dissidij expertes, quippe qui à sancta, & laudanda Trinitate hoc acceperint, vt vnum sint, quemadmodum & ab eadem illuminationem acceperunt.* Habet hoc lumen, & honor, qui à Deo venit, vt simul vnitatem inseminet, qua prorsus tollatur omnis de primatu contentio. Sic post draconis seditionem in cœlis, vt Angeli à Deo trina illuminari, illustrarique cœperunt, sic & eis vnitatem ebiberunt, qua sunt omnis dissidij, omnis contentionis expertes. Vnus enim est Deus, qui hunc primatus contentionum affectum valet a suis prorsus euellere.

§. V.

Sic peccatoribus condescendendum est, vt simul admoneantur de pœna imminenti.

NOn obluctatur Moyses seditiosis, sed illis permittit diligentiam facere pro primatu sacerdotij obtinendo, ait enim: *Hoc igitur facite. Tollat vnusquisque thuribula sua, &c.* Sacerdotum erat hostias immolare, thura adolere, & panes propositionis apponere coram Deo, cur Moyses maluit iis seditiosis permittere thuribula incẽsi, quàm hostiarum oblationes, aut panum appositionem? Erat in thuribulis memoria Nadab, & Abiu filiorum Aaron, qui propter thuribula igne alieno plena consumpti sunt à flamma ab altari veniente. Quando ergo condescendebat Moyses seditiosis, illisque munus sacerdotale permittebat, thuribulorum munus maluit permittere, in quo possent simul de supplicio admoneri. Quo spectans Abul. quæst. 6. ait: *Voluit Moyses facere experimentum, quod factum est in Nadab, & Abiu, ipsi enim cum intulissent in thuribulis ignem alienum, à Domino combusti sunt.* Condescendebat bonus princeps peccatoribus, & rebellibus, appetitum munus illis permittendo; sed simul voluit, vt in tali condescendentia experimentum darent suæ perfidiæ, permittens illis thuribulorum munus, quod adeo noxium ostẽderat in Nadab, & Abiu ipsa experientia. Qui ergo principes condescendendum putant flagitiosis, discant quomodo fructuose condescendant. Condescendendum quippe est, ita vt in condescendentia, vel supplicij terrore illorum audaciam frænent. Reluctanti Thomæ, & non credenti dicentibus Christi resurrectionem, nisi prius sibi passionis signa monstrarentur, misericordissime Dominus condescendit. Ait enim Ioann. 20. *Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis: Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit, Pax vobis. Deinde dicit Thomæ. Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* Quis non miretur Dei in hominem condescendentiam? Incredulus Thomas petebat sibi vulnera ostendi palpanda, & Deus vulnera incredulo palpanda ostendit. Sed vt sic condescendit hominis incredulitati, simul & indignationis addit illa verba, *Noli esse incredulus,* vt in condescendentia, quid debeat in posterum cauere, præsentiat. Ait D. Chrysost. hom. 86. in Ioannem: *Ipse Iesus primum Thomæ satisfecit desiderio, ostendens superioribus ad discipulos verbis assuisse, eisdem enim vsus est, & acrius castigando, & ad futura erudiendo. Nam dixit: infer digitum tuum huc, &c. & noli esse incredulus.* Sic bonus magister increduli discipuli condescendit desiderio, permittens illi, vt vulnera diuina scrutentur, sed in condescensu castigationis apponit verba, vt caueat in posterum incredulorum pœnam.

§. VI.

Numquam sine magnis periculis, & criminibus se quis super alios amat erigere.

HOc vnum obiicit Moyses Corebi factionariis, nimirum, quod multum ament se super alios leuare, ait enim: *Multum erigimini filij Leui, &c.* Et cur non magis obiicit eis temeritatem, audaciam cito puniendam, aliaque innumera mala, quæ hac rebellione sibi causabant? Cur omissis tot malis vnum illis obiicit, quod non se contineant in sua dignitate, sed & hoc curent, vt super alios erigantur? Equidem vbi notantur, quod in vna non quiescant dignitate, sed super alios se erigere curent, in eo solum quælibet alia mala in illis venire persuadet, nũquam enim se quis super alios erigit, quin multis diris, & criminibus subiaceat. Quo spectans Ecclesiastes monebat c. 5. *Si videris calumnias egenorum, & violenta iudicia, & subuerti iustitiam in prouincia, nõ mireris super hoc negotio: quia excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij.* Ecce tibi, quia multi sunt gradus celsitudinum, & dignitatum, alij aliis celsiores, & eminentiores; non mirandũ dicit, quod calumniæ sint, & iniustitiæ, & mala multa, quæ perditionem trahant. Et cur tot mala nascuntur ex eo quod sint in Republica multi dignitatum gradus alij celsiores aliis? Equidem vbi sunt gradus celsiores aliis, necessum est, quod sint, qui nõ quiescãt in primis, sed in toto conatu ad eminẽtiores aduolent,

aduolent, pro quibus obtinendis (si res petat) nulla non crimina vorabunt, ob quæ & in præs[illegible], & in futuro vapulent. Iuxta quem sensum monebat ibi D. Gregorius Thaumat aiens: *Cauendum porrò est, ne nos, qui potentia præstant, maiores esse videamur. Nam etiam si hoc acciderit, tamen ex horrendis cruciatibus, in quos incidemus, nequaquam nos improbitas ipsa liberabit.* Hoc cauendum maximè cuique est, ne curet videri maior potentibus aliis, & super illos se erigere, licet enim hoc illi accidat iuxta animi sui sententiam, tamen non fiet absque multis iniquitatibus voratis, quibus ad immensos cruciatus debeat mancipari. Et quis se super alios erexit, qui nō admisit nefaria, & extremam ruinam cauit? Petro dicebat Dominus Luc. c. 22. *Ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum; ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Sane machinæ diabolicæ ad omnes Apostolos dirigebantur, vt fidem abnegarent, cur Iesus preces suas non omnibus, sed Petro tuendo applicat? Vt Petrus se super omnes voluerat erigere, cum dixit Matth. 25. *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor,* sic in maiori erat periculo, ne voraret perfidiam, & in æternum periret, & ideo liberando illi magis Dominus incubuit. Ait D. Chrysostom. hom. 83. in Matth. *Ego, inquit, deprecatus sum pro te, ne deficiat fides tua, hoc enim, vt vehementius eum tangeret, dicebat; significans eius ruinam multo peiorem aliorum causa discipulorum, atque ideo maiori etiam patrocinio indigere. Duplex enim crimen erat, tum quia repugnauit, tum quia cæteris se ipsum proposuit.* Et quidem qui se cæteris præponit, multo peior est aliis, vt maxima etiam perfidiæ voret crimina, & se æterna inuoluat perditione.

[Greg. Thau.] [Luc. 22.] [Matth. 25.] [Chrysost.]

Num. 16. Misit ergo Moyses, vt vocaret Dathan & Abiron filios Eliab. Qui responderunt: Non venimus. Numquid parum est tibi, quod eduxisti nos de terra quæ lacte, & melle manabat, vt occideres in deserto, nisi & dominatus fueris nostri? Re vera induxisti nos in terram, quæ fluit riuis lactis, & mellis, & dedisti nobis possessiones agrorum, & vinearum? An & oculos nostros vis eruere? Non venimus. Iratusque Moyses valde, ait ad Dominum. Ne respicias sacrificia eorum, &c.

§. VII.

Malitia ab aliis deriuata in sectatoribus magis crescit, & augetur.

Duriores in Moysem Dathan, & Abiron inueniuntur, quam Core; is enim nullum malum verbum fecit Moysi, imo illius verbis acquieuit, vt se sisteret cum thuribulis Deo, at illi vocati à Moyse, impetium vocantis contemnunt, insuper & eum duris verbis petunt. Sic enim habes: *Qui responderunt: Non venimus. Nunquid parum est tibi, quod eduxisti nos de terra, quæ lacte, & melle manabat, vt occideres in deserto, &c.* Et vnde hi acriores in Moysem, quàm Core? Nonne Core primus fuit, qui rebellauit? Nōne de eius malitia venit, quod Dathan, & Abiron incitarentur? Sane de Core malitia venit, quod isti concitarentur, & ideo peiores ipsi fiunt in Moysem, & Deum; malitia enim ab aliis deriuata in sectatoribus solet grandescere. Nefarius ille malitiæ inuentor Matth. c. 4. *assumpsit Iesum, & statuit eum super pinnaculum templi, & dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum, &c.* Hoc dicebat diabolus, at Iudæi Luc. 4. *Surrexerunt, & eiecerunt Iesum extra ciuitatem, & duxerunt illum vsque ad supercilium montis, super quem ciuitas eorum erat ædificata, vt præcipitarent eum.* Non verbis petunt, vt ipse se præcipitet, sed rem aggrediuntur, & facto impetu illum ipsi præcipitare volebant. Plus audaces in Iesum, quàm diabolus fuerunt; & cur plus audaces, nisi quia ad illos audacia illa de diaboli malitia venerat, quæ in sectatoribus maiori creuit augmento? Ex quo pulchre D. Ambros. lib. 4. in Luc ait: *In hoc apparet diaboli nequitia, & improbitas, quod ita populo Iudæorum, vesana cæcitatem mentis offudit, vt populus neget, quem dæmones confitentur. O peior magistro discipulorum hæredum! Ille verbo Dominum tētat, hi facto. Ille dicit, Mitte te, isti aderiuntur, vt mittant.* Sic fiebant peiores magistro discipuli: sic malitia de alio veniens augetur in sectatoribus suis. Genes. 4. dicebat: *Adam verò cognouit vxorem suam Euam, quæ concepit, & peperit Cain:* peperit, inquam, Cain parricidam illum, qui primus Dei misericordiam à se depulit. Vt merito dicat D. Ambros. lib. 1. de Abel, cap. 1. *Illa penes authores non stetit culpa, sed quod peius est, deteriorem inuenit hæredem.* Non mansit in authoribus suis prima hominum culpa, sed vt inde ad alium transcendit, illum primis illis longe deteriorem ostendit. Crescit semper malitia, & lethalior fit, si ab alio in alium descendat. Ecce tibi Genes. 6. ait: *Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant. Dixit autem Deus, non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est::: Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra:* & post pauca: *Cumque vidisset Deus terram esse corruptam, omnis quippe caro corruperat viam suam, &c.* Dū Caini genus separatim multiplicabatur in terra, homines erant terreni & pessimi, sed non dicitur multa malitia fuisse in terra. Vbi autem filij Dei, nimirum iusti homines cœperūt Caini filias ducere, seseque peccatorum generi commiscerè, eorumque impietates ebibere, statim multa malitia cœpit videri, quæ sic in sectatoribus crescebat, vt malum prorsus irremediabile appareret. Ait Caietan. ibi apud Lippoman. *Perpende progressum peccati, primum fuit declinatio filiorum Dei ex concupiscentia, deinde multa malitia hominis, & demum corrupta est terra. Vsque ad corruptionem animorum progressa describitur malitia hominum, vt omnino irreparabiles mali mores describantur.* Nullus notatur in scriptura peccati progressus, dum separatum erat Caini genus; ex quo autem Sethi filij cœperunt Cainitis fœminis commisceri, illico exarsit concupiscentia, illico multa malitia visa est, illico irreparabilis viguit omnium animorum corruptela. Sic quæ addiscitur malitia, progreditur semper in peius. Nec adeò rara est in authoribus suis, quæ non multum in eorum sectatoribus crescat. Quò respiciens Dominus Matth. 23. ait: *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare, & aridam, vt faciatis vnum proselytum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo, quam vos.* Itaque Pharisæi multis conabantur trahere gentes ad Dei agnitionem: quod si quem trahebant, tam longè aberat, vt iustus fieret, quod & ipsis Pharisæis scelerarior esset. Sed vnde fiebat Proselytus scelerarior, nisi quia magistrorum malitia imbutus, in illa crescebat? Ait Euthymius ibi: *In duplo autem dixit. Quisquis enim præceptorem habet prauum, non illius sistit malitia, sed eius vitiis exemplo, solet vlterius procedere.* Numquam enim vnius malitia in sectatoribus non crescit.

[Ambr.] [Gen. 4.] [Ambr] [Gen. 6.] [Caiet.] [Matt. 23] [Euthym.] [Matt. 4.] [Luc. 4.]

§. VIII.

Conuitiorum verba durissima sunt ingenuo viro.

In duriori conflictu Moyses positus, minimè iratus dicitur, vt modo dicitur, nimirum: *iratusque Moyses valde, &c.* At supra cap. 14. rebellans pene vniuersa multitudo dicebat: *Constituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum. Quo audito Moyses, & Aaron ceciderunt proni in terram, &c.* Ad tantam rebellionem non mutit Moyses, nec vllam ostendit iram, sed tacitus se sternit humi: modo autem ad rebellionem paucorum, sic ira excandescit, vt valde iratus dicatur fuisse. Quæ huius commotionis causa? In illa rebellione, nullis petebatur iniuriosis verbis, sed re ipsa deserebatur à cunctis, modo multis petitur verborum conuitiis; dicunt enim: *Nunquid parum est tibi, quod eduxisti nos::: vt occideres in deserto, & dominatus fueris nobis? An & oculos nostros vis eruere?* Nec miror, quod horum conuitiorum certamen plus commoueat iusti hominis bilem. Post verbera, post crucem, post clauos erat Dominus Iesus sublatus in cruce iam morti vicinus, tunc ait Matth. cap. 27. *Prætereuntes blasphemabant eum::: Similiter, & principes sacerdotum illudentes, &c. Id ipsum autem, & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Tot dolorum tormenta sustinenti, & iam sub illis agenti animam cur hæc conuitia parantur? Equidem vt omni alio tormento maius hoc conuitiorum tormentum in posterum reseruaretur. Quippè ait Theophylactus orat. de Cruce apud Gretherum tom. 2. *Ad extremum ita traduxit, vt maledictus haberetur, quippè pendens in ligno; quin, & improborum more omne genus blasphemia, maledicentia, & iniuria in ipsum exprompsit. Hanc ego tentationem positam in verbis duris, & asperis superatu tantò difficiliorem arbitror, quàm priorem, quantò difficilius est tristia, omnisque iucunditatis experti a tolerare. Quod ipse tentator planum facit, non enim hanc in postremum locum reseruasset, nisi potentiorem esse probè nouisset.* Et equidem quæ per opprobria, & contumelias

[Matt. 27.] [Theoph.]

 fit tentatio,

fit tentatio, omnium validissima ad commouendos ingenuorum animos. Hinc qui vermes corrodentes vocabat fratres, ad amicos contumeliosos ait Iob cap. 19. *Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini?* Planè vermes eius carne saturabantur, amici isti nullum illi inferebant malum, sed illum iniustum, & peccatorem vocabant; & horum tentationem adeò magnam æstimabat Iob, vt putaret contoriam ab omnipotenti Dei manu pro contundendis eius carnibus, quando tentationem à vermibus corrodentibus ortam putabat venire à fraternis brachiis. Valent enim probrosa verba, plusquam vermes ad homines cruciandos. Ait Author Cat. Græcæ in præsenti: *De carnibus, inquit, meis saturamini, præsertim cum probrosi sermones ad depascendos artus satis per se valeant. Itaque contumelias ipsi vereri debemus, cum illis fratres nostros verberari intelligamus.* Semper opprobria, & contumeliæ solent maximè homines ingenuos vexare. De quo vide supra.

Iob 19. — *Cat. Græc.*

§. IX.

Diuisio à fratribus orationes facit Deo exosas.

NOn ruinam, non mortem rebellibus suis petit Moyses ex Deo: vnum hoc postular, nimirum, *Ne respicias sacrificia eorum:* quibus non tam petit, quam ostendit pœnam decretam iis, qui faciunt inter fratres diuisionem. Horū enim oratio semper Deo est inuisa, & exosa. Ait Dominus Isaiæ cap. 1. *Neomeniam, & Sabbathum, & festiuitates vestras non feram: iniqui sunt cœtus vestri: calendas vestras, & solemnitates vestras odiuit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens.* Vide, vt Iudæorum festa, & sacrificia Deo odiosa erant, & inuisa. Et vnde tot sacrificia sic Deo displicebāt? Causam indigitant illa verba: *Iniqui sunt cœtus vestri:* quippè non nisi factionū cœtus inter illos videbantur, quibus diuisi se se mutuo impetebant. Ex quo eleganter D. Gaudent. tract. 11. ait: *Sabbatha, inquit, vestra, non mea; non enim sunt mea, quæ geritis. Mea Sabbatha, meum ieiunium, ieiunare iubent à vitiis, cessare ab operibus malis, & bonis actionibus inhærere. At è contrario vestra Sabbatha, vestraque ieiunia litibus inquieta sunt.* Quid mirum, si odiosa sint Deo sacrificia à dissentientibus inter se profecta? Ride Christiane sacra, quæ sunt ab animo litibus, & contentionibus pleno. Caue tibi, si fœdis contentionibus animum inquietes, orationes sic, & preces fundere Deo, procuIdubio repudiaberis, contemneris. Sponsa vocans Sponsum Cantic. 1. ait: *Lectulus noster floridus. Tigna domorum nostrarum cedrina, &c.* Nec audet precari ad se aduentum Sponsi, quin diuisionis fœdæ odorem prorsus excludat à suo pectore. Quæ verba expendens D. Bernardus serm. 46. in Cantic. fatur: *Miror valde impudentiam aliquorum, qui inter nos sunt, qui cum omnes nos sua singularitate turbauerint, sua impatientia irritauerint, sua contumacia, & rebellione contempserint, sua inobedientia coinquinauerint, audent nihilominus ad eam fœdum lectulum omni orationum instantia totius puritatis Dominum inuitare. At cum extenderitis, ait, manus vestras, auertam oculos meos, & cum multiplicaueritis orationes, non exaudiam. Quid enim? Lectulus non est floridus, magis autem, & putidus est. & tu illuc regem gloriæ trahis?* Sanè rebellium, contumacium, seditiosorum pectus non floridum est, sed putidum, sed fœtidum, ad quod nullis precibus puritatis amator trahitur, imo impudentia est, quod dum dissensionibus operam nauas, sacrificia Deo offerre audeas.

Isai. 1. — *Gaud.* — *Cant. 1.* — *Bernard.*

Num. 16. Tu scis, quia nec asellum quidem vnquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum. Dixitque ad Core: Tu & omnis congregatio tua state seorsum coram Domino, &c.

§. X.

Præstantis principis signum illud est, quod alienus sit ab acceptione munerum.

ADuersus rebelles hoc vnico se munit Moyses clypeo, quod alienus sit ab omni acceptione munerū, ait enim ad Deum: *Tu scis, quia nec asellum quidem vnquam acceperim ab eis.* Tam alienus fuit à munerum acceptione, vt nec asellos subditorum commodatos petierit, vt eorum vteretur labore. Quid præstantius in Principe? Ait Prouerb. 15. *Conturbat domum suam, qui sectatur auaritiam, qui autem odit munera, viuet.* Septuag. legunt: *Perdit seipsum acceptor munerum: qui autem odit munerum acceptiones, saluatur.* Ecce tibi & salus, & perditio principum in quo consistant, nimirum si munera petant, si accipiant, perdunt domum suam, perdunt seipsos: si oderint acceptiones munerum, & suam præstātiam ostendunt, & maximam sibi faciunt salutem. Notissimi sunt duo reges vncti à Samuele, alter perdendus in regno, alter maximè confirmandus, is erat Dauid, ille Saul. De hoc ait text. 1. Reg. 8. *Cum aspexisset Samuel Saulem, Dominus dixit ei. Ecce vir, quem dixeram tibi, iste dominabitur populo meo.* De illo autem ait cap. 16. *Directus est spiritus Domini à die illo in Dauid.* Itaque rex perdendus Saul, rex autem confirmandus Dauid vocatur, nec sine ministerio, sed vt in nominibus ipsis, & perditionis, & salutis innueretur causa, Saul enim idem est ac *petitio*, Dauid autem *manu fortis* explicatur. Nec miror, quod qui adeò manibus fortis est, vt ad nulla munera accipienda emolliatur, is in regno stabiliatur; ille verò corruat, qui totus in petendo esse monstrarat. Ait Rupertus lib. 2. in lib. Reg. cap. 21. *Mysterium hoc iam in promptu est, quod dæmoniacus rex Saul sui ipsum peccati regnum, Dauid autem pacatum iustitiæ regnum significet, primum nominibus, deinde rebus. Saul namque petitio, Dauid autem manu fortis interpretatur.* Itaque nomina horum regum, & destruendum regnum peccati, & stabiliendum pace iustitiæ regnum significabant. Qui enim *petitio* dicebatur, nihil non ominosum, & sibi, & regnis præmonstrabat, quando princeps multus in petendo, & accipiendo, vix fieri potest, quod cum principatu suo non cadat. Ille fortiter in solio confirmatur, qui adeò manu fortis est, vt fœmineam munerum accipiendorum mollitiem minimè captet. Crede mihi, nullus fortis stat in principatu administrando, qui patulas prætendit ad recipiendum manus. Hinc de vero, & æterno rege Iesu ait Matth. 7. *Erat enim docens eos sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ eorum, & Pharisæi.* Et in quo ostendebatur potestatem habens, & non sicut Scribæ, & Pharisæi? Isti manus habebant patulas ad accipienda munera, ex quo nec fortitudinem, nec potentiam habere poterant in principatu. Iesus autem ab omni acceptione munerum abstinebat, ideo in omnibus ostendebat suam indefectibilem potestatem. Ait Rupert. de Operibus Trinit. lib. 1. in Euang. c. 19. *Potestate se priuant, qui cum quippiam ab aliquo acceperint, illum censent militem bonum; qui autem non dederint aliquid in ore eorum, sanctificant super eos bellum. Hoc non iste non faciebat, ideirco sic dictum erat: Erat enim docens eos, sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ, & Pharisæi, id est, non sua quærenda contemptibilem faciebat docendi authoritatem, quemadmodum illi.* Quæ authoritas contemptibilior eâ, quæ tota est in petendo, & accipiendo? Fallor sic hæc diutius possit conseruari, quin rideatur, & contemnatur.

Prou. 15. — *1. Reg. 8.* — *Rupert.* — *Matt. 7.* — *Rupert.*

Numer. 16. Locutusque Dominus ad Moysem, & Aaron, ait: Separamini de medio congregationis huius, vt eos repente disperdam. Qui ceciderunt proni in faciem, atque dixerunt, Fortissime Deus spirituum vniuersæ carnis, num vno peccante, contra omnes ira tua desæuiet? Ait Dominus ad Moysem: Præcipe vniuerso populo, vt separetur à tabernaculis, Core, & Dathan, & Abiron.

§. XI.

Ira Dei à mansuetudine, & misericordia probatur.

IRato Deo, perditionemque rebellium tractanti sese opponunt Moyses, & Aaron, dum procidentes aiunt; *Fortissime Deus spirituum vniuersæ carnis, num vno peccante contra omnes ira tua desæuiet?* Sic Deum iratum mansuefaciunt, laborantes ne in die vindictæ mansuetudinis, & misericordiæ obliuiscatur. Cur non potius magis eius iram exacuunt in rebelles? Cur non magis crimina eorum turbant, exaggerant, potius quam minuant dicentes, *vno peccante*, cum multi peccarant? Equidem in hoc sese ostendebant esse à Dei parte, quod de mansuetudine, & misericordia etiam in rebelles tractabant. Aiebat de se Nazianzen. orat. 32. *Verum nos pro*

Nazianz.

Chriſto

Christo bellum gerere hoc argumento planum facimus, quod secundù Christum, qui mitis, ac pacatus est, atque infirmitates nostras portauit, dimicamus. Ecce tibi argumentum clarissimum, quo ostendemus nos rem Dei agere, ab eiusque parte stare, nimirum, quod nihil rigidum, nihil seuerum, sed omnia mitia, & mansueta curemus monstrare. Hoc debet esse primum propositum eius, qui Dei agit partes, vt mansuetudo, & misericordia eius clareat. Semel & bis mulier Chananæa experta fuerat Iesum inexorabilem, imò & semel iam ab illo repulsa fuerat vt vilis canis. Quid tunc? Ait Matth. cap. 15. *Et accedentes discipuli eius rogabant eum dicentes: Dimitte eam, &c.* Rogabant, inquam, vt eam dimitteret non vacuam, sed plenam salute optata: sed mulier nihil ab Apostolis petierat, vndè ergo illi rogatores fiunt apud Iesum pro illa, quod non legitur ab illis factum in aliis? Viderant mortuum hospitem suum Lazarum, & non rogant pro illo, cur modo rogant pro hac fœmina? Veri Christi amatores tunc rogant, quando vident seuerum, & rigidum verentes, ne cui Dominus seuerus videatur, sed magis eius misericordia clareat. Ait Paschasius lib. 7. in Matth. fatus: *Discipuli pro hac Dominum interpellant, pro amore piissimi magistri, ne quasi cuipiam durus videretur, imò, vt misericors fieret, exorabāt.* Quasi Dei causa periclitaretur, vbi durities sola exhibebatur, sic Dei amatores accurrunt, precibus suis exorantes, vt misericordia, & benignitas pateat. Nullo enim magis Dei spiritus, quam à misericordia commendatur. Non qui seruiunt diuinæ iræ, sed qui misericordiæ diuinæ extorquendæ seruiunt, ij sunt ex parte Dei. Accipite huius rei luculentissimum testem D. Synesium, qui epist. 57. sic fatur: *Non enim calamitatum instrumenta molitur Deus, sed sua sponte, & natura ad hoc accommodatas in promptu habet. Et quoniam eu ad id idoneus es, hoc est, quod te à Deo penitus abscindit: Ita vas aliud inhoneratum, aliud pretiosum est. Abrahamum humanitas Dei conniuatorem fecit, flagellum detestandum, ita enim minister est Pœnarum vero administra natura à Deo sunt prorsus auersa. Etenim quod destruendi vim habet, conditori haud dubiè repugnat.* Pulchrè sanctus doctor differit de vasorum differentia in armariis Dei; vt alia sunt in honorem, alia in contumeliam; in honorem sunt vasa illa, quæ semper misericordiam propinant, quæ nihil aliud præstant quam benignitatis, & humanitatis ministeria, vt Abrahamus solicitus semper pro humanitate exhibenda, pro iustitia vel de Sodomis repellenda. Is tam pretiosum vas fuit, vt potuerit seruire conniuanti Deo. Quid pretiosius? Sanè semper se à parte Dei misericordia tenet. Vas autem in contumeliam illud est, quod iræ deseruit, quod à Deo maximè alienum est, nec vllo magis quis se à Deo abscissum ostendit, quam si semper inueniatur promptus non ad aliud, quam ad pœnam inferendam. Meritò enim dicit: *Pœnarum administra natura à Deo sunt prorsus auersa. Etenim quod destruendi vim habet, conditori haud dubiè repugnat.* Hinc Dauid infensissimum sibi, & Deo hostem nactus, nimirum Saulem, cui debitam inferre poterat mortem, sociis ad id impellentibus fortiter restitit aiens, 1. Reg. 24. *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo.* Quod meditatus D. Basil. Seleuc. orat. 16. ait: *Animus Dauidis ibi haud superari potuit. O generosum pectus, & soli gratiæ seruire gnarum!* Expende vnde generositatem, & pretiositatem Dauidis ponderet, nimirum, quod soli gratiæ, non iræ, non rigori iustitiæ seruire gnarus fuerit. Equidem erat vas ad honorem electum, vbicumque res Dei fuerit, quæ ex misericordia commendetur.

Matth. 15. — *Paschas.* — *D. Synes.* — *1. Reg. 24.* — *Bas. Sel.*

§. XII.

Spiritus Dei est cunctari ad pœnam.

INflicturus pœnam rebellibus Deus, prius præcepit separari ab illis populum reliquum, ait enim: *Præcipe vniuerso populo, vt separetur à tabernaculis Core, &c.* Cur necessaria fuit hæc populi separatio? Nonne posset, & rebelles perdere, quin ab illis cæteri separarentur? Posset equidem Deus nullis separatis perdere rebelles, sed cunctabatur in perdendis illis, & dilationes quærebat, antequam pœnam inferret. Sic Genes. 6. deleturus homines diluuio ait ad Noe: *Finis vniuersæ carnis venit coram me, repleta est terra iniquitate à facie eorum, & ego disperdam eos cum terra: Fac tibi arcam, &c.* Posset Deus Noemum, & sine arca saluum facere, vt de facto sine arca saluum fecit Enoch, ne diluuio absorberetur. Ad quid ergo maluit in arca saluare Noemum? Bonus dilationes pœnæ inferendæ quærebat. Ait D. Basil. Sel. orat. 5. *Erat enim facilè, vel absque ligno Noemum saluare. Sed ipsum primum constituit lentum arcæ ædificatorem, vt vel ex visis concepta formidine, inuentes ad pœnitentiam attraherentur. Erat & hoc diuinum in hominum gratiam commentum, inuitamentum ad pœnitentiam.* Is est Deus, qui semper soleat tardare, & dilationes quærere, antequam inferat pœnam, vt det locum resipiscentiæ, & veniæ obtinendæ. Similiter Exod. 7. mittens Moysem, vt Israelem educat à seruitute ait: *Ego indurabo cor Pharaonis, & multiplicabo signa, & ostenta mea, &c.* Et quidem sic multiplicauit signa, vt decem plagas immitteret, antequam Ægyptios cum Pharaone funditus perderet. Et cur in prima resistentia regis illum non perdidit, sed toties expectauit, vt egressus populo impediretur? Ait D. Basil. Sel. orat. 9. *Talis erat hominum cum Deo contentio. Impediri se tantisper ab hominibus patiebatur, & promissionis sua de Israele liberando animaduertens iniuriam obiici, ferebat, pœnitentiæ spe supplicium differens, procrastinansque punitionem, vt sensum, notitiamque sui daret Ægyptiis.* Sic bonus procrastinabat pœnam inferre, qua penitus Ægyptij delerentur, vt spatium haberent pœnitendi. Nihil enim magis proprium Dei est, quam impedimenta pati, & dilationes, ne miseri peccatores subito ad pœnam trahantur. Sic Luc. 16. *Homo quidam erat diues, & habebat villicum & hic diffamatus est apud eum, quod dissipasset substantiam eius, & vocauit eum, & ait illi: Quid hoc audio de te?* Et quidem sciebat Dominus delicta illius, non tamen dicit illi, ego scio de te; sed placuit dicere, *quid hoc audio?* Et cur potius audita profert, quam scita, nisi vt dilationem admittat iudicij? Ait Chrysol. serm. 126. *Cognita velut audita imputat, quia in reum non vult accelerare sententiam, & conuictum penes se, vel accusatum contenere, quo iudicium gessit venia sic prærie.* Qui posset conuictum ostendere reum, maluit accusatum ostendere, ne citius finiretur, sed tempus dilationis esset, quo reus sibi caueret.

Gen. 6. — *Bas. Sel.* — *Exod. 7.* — *Bas. Sel.* — *Luc. 16.* — *Chrysol.*

Numer. 16. Surrexitque Moyses, & abiit ad Dathan, & Abiron, & sequentibus eum senioribus Israel, dixit ad turbam: Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum. Cúmque recessissent à tentoriis eorum per circuitum, Dathan, & Abiron egressi stabant in introitu papilionum suorum, cum vxoribus, & liberis, omnique frequentia.

§. XIII.

Inter perditorum turbas nemo non perditus inuenitur.

NOn otiosè dum iubet fugere à tabernaculis impiorum, eo verbo vtitur, nimirum: *Ne inuoluamini in peccatis eorum*, vt enim res quæ multis est linteolis inuoluta, non apparet, non inuenitur etiam requisita, sic quisquis est inter perditorum turbas, adeo obscuratur, & inuoluitur inter eorum errores, vt ad salutem ferè inueniri non possit. Quo respiciens sponsa Cant. 1. iuxta Septuag. lectionem ait: *Annuntia mihi, quem dilexit anima mea, vbi pascas, vbi iubes in meridie, ne forte efficiar sicut adoperta super greges sodalium tuorum.* Equidem quæ inter greges errantium, vt exponit Orig. August. & alij, ambulabat, in periculo erat, ne sic palliis inuolueretur, amiciretur, vt nequaquam posset inueniri. Quo spectans Diuus Augustinus epist. 48. legebat: *Ne forte fiam velut operta, id est, occulta, & ignorata.* Et Nissen homil. 2. in Cant. *Ne quando fiam tanquam amicta in gregibus sodalium tuorum.* Et quid est amiciri, operiri, ignotari? Ipse explicat, *Ne forte congreger cum gregibus alienis à tuis ouibus.* Ex quo enim subeat alienorum consortium, illud accidet, quod sic inuoluatur, amiciatur, operiatur, vt inueniri minimè valeat. Hinc Gen. 19. postquam Loth clauso ostio familiam suam à Sodomitis diuisit, audit ab Angelis: *Surge, tolle vxorem tuam, & duas filias, quas habes.* Iuxta Hebræum legitur: *Et duas filias, quæ inueniuntur.* Et quæ filiæ non inueniuntur à parentibus? Erant fortè Loth aliæ filiæ traditæ viris, & factæ extra eius domum; vel saltem erant cognati, & propinqui aliquo affinitatis genere, qui foris manebant inter perditorum turbas, respectu quorum dicuntur filiæ, domi existentes inuentæ. quando quisquis agit inter perditorum turbas, perditus censetur funditus. Ait Caiet. *Iuxta Caiet Hebræum habetur, duas filias inuentas, siue quæ inueniuntur. Ad*

differentiam

Cant. 1. — *D. Aug.* — *Gen. 19.*

differentiam aliorum, pertinentium ad Loth quocunque affinitatis, vel consanguinitatis vinculo, qui non erant domi, tanquam & illæ filiæ relictæ fuissent, nisi inuentæ fuissent cum Loth. Equidem quæ domi erant cum patre iusto inuentæ nominantur ad differentiam aliorum, qui foris essent inter perditorum turbas, qui nullo modo inuenirentur ad salutem, sed in extremam perditionem irent. In quantum hæ domi erant cum patre, merito inuentæ dicuntur, si extra fuissent, inter impios, & ipsæ deperditæ fuissent. Quis enim in consortio perditorum non sentiat perditionis periculum? Isaias cap. 6. clamat: *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Sibi væ annuntiat tantus propheta tribus de causis, nimirum, quia tacuerat, & quia polluta habebat labia, tertio quia inter pollutos habitabat. Ex quo sapienter monet D. Hieronymus epist. 1. ad Damasum: *Prouidendum igitur sub hoc exemplo, non solum vt ipsi simus iusti, sed ne cum peccatoribus moremur, quia & hoc in peccatis, ac miseriæ parte ducit propheta.* Plane non modica miseriæ, ac perditionis pars est; quod moreris inter errantes; quando vel sanctissimus propheta inde traxit, quod plangat.

Isai. 6.

D. Hier.

§. XIV.

Non sic commoda temporalia, vt incommoda disponunt humanas mentes, vt Deo pareant.

Mirabar, quod Dathan, & Abiron post tot supplicia visa tam rebelles, & contumaces, vident etiam Moysem separantem populos impauidi. Cur in hac separatione non magis flectuntur, vt Deo parcant? Cur imminentis supplicij timor homines Moysi obedire non facit? Ecce causam: *Dathan, & Abiron egressi stabant in introitu papilionum suorum, cum vxoribus, & liberis, omnique frequentia.* Dum in bonis suis sunt, inter vxorum, filiorumque suauitates, inter frequentiam obsequentium, ministrantium, vel audita denuntiatione supplicij, vel visa aliorum separatione non flectuntur, vt Deo pareant. Non enim commoda hæc temporalia ad obediendum Deo disponunt humanos animos, vt illos disponunt incommoda, & mala. Adamus in paradiso peccauit, & audiens diuini iudicis vocem, non compungitur, ait enim textus Gen. 3. *Vocauit Dominus Deus Adam, & dixit ei, Vbi es? Qui ait. Vocem tuam audiui in paradiso, & timui, eo quod nudus essem, & abscondi me.* Fatetur se iudicis vocem audiuisse, & timore correptum fuisse, & latebras quæsiuisse propter nuditatem, at de peccato de quo quærebatur, nullum facit verbum, nec vllum responsum dat, quo se ostendat velle satisfacere Deo. Longe aliter aiebat Iob cap. 13. vbi sic: *Voca me, & ego respondebo tibi.* Vel ad minimam Dei vocationem promittit se statim responsurum. Et quando Adam inter iudicis voces nihil salutare respondit, vnde hic respondit animo promptissimo? Innuebatur in Iob Iesus positus in cathedra crucis; homo enim Deus in cruce constitutus optimè respondit, & correspondit mandatis diuinis, ad quæ minimè respondebat homo existens in paradiso, licet perciperet voces incorrupti iudicis. Pro quo aiebat Rupertus lib. 1. de Sapient. cap. 15. *Ille primus homo, qui vocabatur, abscondit se à facie Domini Dei in medio ligni paradisi, & nihil boni respondit. Hic secundus homo vocatus adstabat ante faciem Dei in medio ligni crucis, & respondebat perfectam, atque omnimodam obedientiam patri.* Qui in paradiso erat homo etiam audiens iudicis aduentum, nihil cogitat, nihil respondit salutare, nec à paradisi deliciis habet, quod se subdat Deo; at qui in crucis tormentis agebat, ipse sic se composuit, vt perfectissimè responderet diuinæ voluntati, omnimodamque exhiberet obedientiam patri. Non equidem à paradisi bonis, sed à crucis malis perfecta hominis ad Deum obedientia claruit. Et quando à commodis temporalibus non oriuntur perditionis causæ? Post immensos bellorum labores quieuit Dauid, & vt ait 2. Reg. 11. *Accidit quadam die, vt surgeret Dauid de strato suo post meridiem, & deambularet in solario domus regiæ. Viditque mulierem se lauantem, &c.* Multas sæpe alias fœminas, & valdè pulchras viderat; cum prostrato gigante veniebat, Israelitas puellas cantantes suas laudes audit, & nihil humanum passus est totus intentus diuinis mandatis, nunc vt vidit fœminam, insaniuit, à voluptate raptatur. Cur hoc? Ait textus. *Cum deambularet in solario domus regiæ, &c.* quippè vbi inter domus regiæ delicias erat, non miror, quod quauis data occasione contemneret diuina mandata. Ait D. Augustinus homil. 21. ex 50. citatus in Glossa: *Adulterium simul, & homicidium non fecit Dauid, cum persequutorem Saulem patiebatur: cum per diuersa loca fugiebat, non cupiuit alienam. Erat in infirmitate tribulationis tanto in Domino misericordia intentior, quanto miserior videbatur.* Sic de incommodis Dauid discebat Deo obtemperare, cuius mandata contempsit inter commoda domus regalis. Ipse dum sibi inimicum Saulē inermem, & solum inueniret in speluncā, etiam a suis incitatus vt eum percuteret, clamat 1. Reg. 24. *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo Christo Domini, vt mittam manum meam in eum.* Verum nactus fidelem militem Vriam 2. Reg. 11. scripsit ad Ioab per manum Vriæ: *Ponite Vriam ex aduerso belli, vbi fortissimum est prælium; & derelinquite eum, vt percussus intereat.* Compone modo prima cum secundis; antea hosti parcebat, modo nec parcit fideli amico. Vnde? Antea delitescebat in spelunca, modo sedet in regalibus deliciis. Ait D. Chrysostomus homil. 54. ad popul. *Tunc quidem cum in tribulatione foret, & inimicis parcebat; post hoc verò nec amicis, nec his, qui nullam intulerant iniuriam.* Proh commoda temporalia quam imparatos facitis humanos animos, vt admittant salutaria!

Gen. 3.

Iob 13.

Rupert.

2. Reg. 11.

D. Aug.

1. Reg. 24.

Chrysost.

Num 16. Et ait Moyses: In hoc scietis, quod Dominus miserit me, vt facerem vniuersa, quæ cernitis: Si consueta hominum morte interierint, & visitauerit eos plaga, qua & cæteri visitari solent: non misit me Dominus, &c. Confestim igitur, vt cessauit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis & vniuersa substantia eorum, descenderuntque viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis.

§. XV.

Sic castigantur rebelles peccatores, vt viui sæpe in contraria veniant eorum, quæ male appetierunt.

NOn miror, quod ij miseri castigentur à Deo, sed illud stupeo, quod adeò inusitato more castigētur, nimirum descendentes viui in infernum. Ait enim textus: *Descenderuntque viui in infernum*, siue quod viui vsque ad ipsam gehennam peruenerint, siue quod per longum voraginis spatium cadentes viui adhuc in profunda fouea se viderent, donec tandem morerentur humo operti. Sed cur voluit Deus, vt ita vorarentur à terra, vt viui vsque ad profundissimum fundum voraginis raperentur? Ambierant ipsi supra suum statum ascendere, seseque supra omnes alios constituere; sicque factum est, vt eo supplicio afficerentur, quo ad eum profundum viui deiicerentur, ad quem nullus alius homo viuus potest deiici. Hæc est propria rebellium peccatorum pœna, qua se videant in contrariis eorum, quæ ambierunt. Similiter Ozias rex ambiuit ipse sacerdotale munus, & incensum Domino offerre. Quid tunc? Ait 2. Paralipomenon cap. 26. *Iratusque Ozias, & tenens in manu thuribulum, vt adoleret incensum, minabatur sacerdotibus. Statimque orta est lepra in fronte eius: Cumque respexisset eum Azarias pontifex, & omnes reliqui Sacerdotes: festinato expulerunt eum: Fuit igitur Ozias rex leprosus vsque ad diem mortis suæ, & habitauit in domo separata.* Expende ausum, & pondera pœnam: cum rex esset, audet ambire aliquid supra regnum, nimirum sacerdotale decus; & qui male ambiuit aliquid supra regnum, eo deuenit, vt exclusus à regia in domo separata degeret destitutus ab omni humano conuentu. Rem pulchrè ponderat D. Chrysostom. homil. 5. in præsenti fatus: *Ingressus Ozias, vt sacerdotium vsurparet, & regnum perdidit. Ingressus est, vt esset venerabilior, & factus est execrabilior. Nam quouis homine priuato post lepram erat execrabilior.* Ecce qui se male supra ipsam dignitatem regiam extexerat, à Deo castigatus eo deuenit, vt priuato quouis homine inferior esset. Et qui ob sacerdotale munus venerabilior ambiuit esse, id supplicium incurrit, dum lepra exeditur, quo execrabilior omnibus fieret. Iustissima enim est peccatorum pœna, qua se videant in contrariis eorum, quæ male appetierunt. Similia inuenies in Nabuchodonosor, de quo Daniel, cap. 4. Responditque rex, & ait: *Nonne hæc Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Cumque sermo adhuc esset in ore*

2. Par. 26.

Chrysost.

Dan. 4

reg-

regis; vox de cœlo ruit: Tibi dicitur: Nabuchodonosor rex; Regnum tuum transibit à te, & ab hominibus eiicient te, & cum bestijs, atque feris erit habitatio tua, fœnum quasi bos comedes, &c. Gloriabatur miser de ciuitate magna, & hominum frequentissima, quam sibi pro domo construxerat; & rapitur ad ferarum, bestiarumque conuictum, & cubilia. Et qui regem sese esfinxerat gloriosissimum, fit bos comedens fœnum cum brutis. Vt merito dicat de illo D. Gregorius lib. 5. Moral. cap. 6. citatus in Glossa: *Qui elatione cogitationis se super homines extulit, ipsum quem cum hominibus communem habuit sensum, amisit.* Et Theodoret. etiam in præsenti dicit: *Quia non satis ei fuere ædes regiæ in terris deorsum, sed simul etiam superiores domenter appetiit, iis etiam priuatur, quas deorsum obtinebat, & qui cœlum rapere voluerat, à terra quoque expellitur.* Sic ipse qui sese supra homines extulerat, vidit se viuum numerari inter feras, in nullo differens ab eis. Quid de pessimo Antiocho memorem? De illo ait 2. Machab. 9. *Superbia repletus ignem spirans animo in Iudæos, & præcipiens accelerari negotium, contigit illum impetu euntem de curru cadere, & graui corporis collisione membra vexari. Isque qui sibi videbatur fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbia repletus, & montium altitudines in statera appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans. Ita ut de corpore impij vermes scaturirent, ac viuentes in doloribus carnes eius effluerent, odore etiam illius, & fœtore exercitus grauaretur. Et qui paulò ante sydera cœli contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare.* Quanta hæc deiectio superbissimo regi? Sed illud expende, nimirum, *viuentes in doloribus carnes eius effluerent.* Viuens, viuens ipse videbat se humi tanto fœtore putrescere, quo à nemine sustineretur. Vt dicat Gorionides de illo lib. 3. cap. 12. *Addidit Dominus plagam super plagam, vt inciperet totum corpus eius fœtere, instar cadaueris proiecti tempore æstatis in superficiem campi. Subleuantes autem eum paululum in humeros suos, rursum abiecerunt eum in terram, & fugerunt ab eo; quoniam nemo poterat accedere ad eum propter intolerabilem fœtorem huius scelesti viri, ac hostis Dei.* Sic qui imperium elementorum, & astrorum habenas à se teneri putabat, viuus humi iacebat tanquam cadauer proiectum, cuius fœtorem, & spurcitiam nemo sustineret. Merito de iis scelestis Dei hostibus ait Ierem. Thren. 4. *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Facit enim sæpe iustitia Dei, vt isti antequam è viuis excedant, videant sibi euenire contraria eorum quæ prosequuti fuerant.

D. Greg. — Theod. — 2. Mac. 9. — Gorion. — Ier. Thren. 4.

§. XVI.

Partialitates, & diuisiones qui amant, eas metuant perpeti in creaturis, sub quibus pereant.

COre, Dathan, & Abiron sese à Moyse diuiserant, imò & populi vnionem dirupetant, sibi partem præripientes; nec miror, quod sub illorum pedibus sese terra abrumpat, vt eos deuoret. Dicit enim textus: *Disrupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos, &c.* Et cur non disrumpatur terra aduersus eos, qui populi vnitatem disrumpunt, in factionesque varias diuidunt? Mirum erit, si partiarij non similia inueniant in creaturis, vt pereant ipsi. Ionas cum missus esset prædicare gentibus, detrectabat munus suo populo nimis addictus illi soli bona cupiens. Ascendit igitur nauim, vt fugiat à munere, vela pandit, sed vix se fluctibus committit, cap. 1. *Et facta est tempestas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri.* Et quod mirere magis, illud supponitur à multis sacris expositoribus; quod tempestas solam Ionæ nauem impetebat, manentibus multis aliis nauibus in tranquillo. Sed cur tempestas vnam solam nauim Ionæ persequebatur relictis aliis tranquillis? Cur non æqualiter in omnes sæuiebat? Equidem, vt Ionas partialis erat, adeò suis addictus, vt nationum cōmoda fugeret, ita decuit, vt etiam partiales experiretur fluctus, qui cæteris nauibus non nocentes funditus perderent Ionæ nauiculam. Pulchre ait D. Basil. Seleuc. orat. 12. *Quid igitur hinc discomus? Quod partiaria fuerit, vti videtur, maris fluctuatio, quodque procella hanc vnam versaret nauem, fluctusque nauis impingerentur vndique, & quod aliis pacatum mare aduersus hos duntaxat armaretur, neenon quod alios placide transmitteret, cum his verò concurrens tempestas fugacem Ionam inuestigaret.* Expende illud: *Quod partiaria fuerit, &c.* quippe cum homine partiario, qui pro suis solis stabat popularibus, volent vt in gratiis, & fauoribus manerent ab aliis diuisi, qui aliis inuidebat fortunam, & gratiam Dei; non miror, quod & fluctus, & ventus, & mare partiarij existant, vt faciant illum perire.

Iona 1. — Basil. Sel.

Numer. 26. Et factum est grande miraculum, quod Core pereunte, filij eius non perirent.

Numer. 16. At vero omnis Israel, qui stabat per gyrum, fugit à clamore pereuntium, dicens: Ne forte, & nos terra deglutiat. Sed & ignis egressus à Domino interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum.

§. XVII.

Valde monstruosum esset, & contra naturam, quod filij non adsint parentibus in ipsis periculorum articulis.

POterat Deus populares suos saluare, etiamsi pereuntibus rebellibus immisti fuissent, sed ne id miraculo fieret, præcepit prius ab illis separationem. Qui enim per solam separationem à rebellibus saluari possent, non erat decens vt per miraculum saluarentur, vt D. August. sapienter notat quæst. 27. in Num. Sed etiam filij Core sine miraculo saluari poterant, per hoc solum quod tempestiuè à parente separarentur; voluit tamen Deus hos per miraculum saluare. Ait enim: *Factum est grande miraculum, quod Core pereunte, filij eius non perirent.* Quippè, dum Core vorabatur à terra, filij eius in aere manserunt, donec rursus terræ partes, quæ ad vorādos reos dehiscerent, coniungerentur. Sed cur Deus tanto miraculo maluit liberare filios Core, quos sine vllo miraculo per solam indictam separationem liberare posset, vt liberauit reliquum populum? Nonne æque facile, & æque benè filij separari potuissent à Core, ac se separauit populus? Absit, imò, & monstruosum valde esset, & prorsus contra naturam, quod filij separarentur à patre eo præcipue tempore cum pater esset in periculis perditionis, iam denuntiatæ à Moyse. Hinc Deus in seruandis popularibus abstinuit à miraculo, quia æque bene saluari poterant per solam à reis separationem; in filiis autem Core seruandis, maluit miraculo vti, ne contra naturam accideret, quod filij non adhæsissent parenti in ipso periculo mortis. Non enim à Deo, sed à malo solet venire, quod tempore periculi à charissimorum latere seiungamur. Quo aspiciens aiebat D. Synesius epist. 126 Asclepiadoto data: *Necesse erat vehementiorem esse his in male impetum. Atque ob id, Dæmon ille, cui cura est, meis vt rebus noceat, ante hoc praeadit, vt ne tu quidem amicissimum mihi caput adesses.* Merito dæmonis agnoscit facinus, quo potuerit quis ab amico separari tempore calamitatis instantis. Vnius enim diaboli commento factum est, vt filij præriperentur Iobo venturo in ægritudinum calamitatem. Cui enim filio diuina virtus adsit, monstruosum duceret piaculum parentibus non assistere laborantibus. Hinc de Moyse ait Paul. ad Hebræos cap. 11. *Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis; magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem.* Qui in aula erat, filius habitus tyrāni, vbi patres suos & fratres suos vidit esse in afflictione, & calamitate, ad eos euolauit; adoptiuorum parentum bona, vt ait Philo, etsi splendida, adulterina iudicans, è diuerso naturalium parentum, etsi ad tempus viliora, vera tamen, & propria. Sed illud est ponderandum, quod affligi cum populo, & gēte sua maluit, quam *peccati habere iucunditatem.* Et quod peccatum haberet, si ad gentem suam afflictam non aduolaret? Pulchre Oecumenius ait: *Peccatum vocauit non collaborare, aut simul ærumnas pati cum populo Dei.* Bonus filius, vt vidit in periculis, & ærumnis parentes suos, fratres suos, peccatum putabat, si ad illos non aduolabat, eorumque hærebat lateri. Quod attigit D. Basil. homil. 1. in Examer. fatus: *Denique Moyses tyrannidis fastum perosus, ad sua gentis contribules recurrit, praelegit calamitates cum Dei populo experiri, quam se obnoxium reddere peccato.* Sic non paruum piaculum fugiens relicta aulæ securitate parentibus, fratribusque laborantibus adstitit. Non absimilis Ioseph erat, de quo ait Genes. 37. *Israel enim diligebat Ioseph, eo quod in senectate genuisset eum.* Sed maiori in senectute genuerat Beniaminum, quem ideo non dicitur dilexisse. Vnde ergo senectus patris maiorem amorem Iosepho conciliabat? Non tam equidem

D. Aug. — D. Synes. — Heb. 11. — D. Basil. — Gen. 37.

equidem amabatur Ioseph, quod in senectute genitus esset, quam quod genitus esset in senectutem, hoc est, quia bonus filius adhærebat leni, & laboranti patri, nec ab eius recedebat latere, vt eius labores alleuiaret. Ait D. Basil. Seleuc. orat. 8. *Quod si Beniaminus filiorum Iacobi postremus, & senectate vicinus erat, & patiendi sinu quomodo Iosephus insuper filium senectutis appellatur? At senectutis filius est, qui senectutem acuit, & ætatis patris laborem inita alleuat.* Hinc se Ioseph super omnes extollebat fratres, quod inseparabiliter laboranti adhærebat patri, senectutisque extremæ infirmitatem alleuabat.

Basil. Sel.

§. XVIII.

Magna Dei misericordia est, quod sic peccatores obdurati pereant, vt aliis proficiant.

NOtanter textus pereuntium clamorem posuit pro causa salutaris fugæ, ait enim: *Omnis Israel, qui stabat per gyrũ, fugit à clamore pereuntiũ.* Sic enim in ipso iustitiæ articulo Deus miserationum suarum recordabatur, faciens, quod sic scelerati perirent, vt clamoribus suis cæteros fugarent ad tuta, illisque proficerent. Quo etiam Psal. 9. respiciebat dicens: *Inimici defecerunt framea in finem, & ciuitates eorum destruxisti. Periit memoria eorum cum sonitu.* Non enim in silentio peribant a Deo percussi, sed cum ingenti clamorum sonitu. Et cur non magis in silentio peribant? Erat hoc beneficentissimæ Dei prouidentiæ, vt pereuntium peccatorum voces aliis essent causæ salutis. Ait D. Chrysost. ibi: *Quid est cum sonitu? Porro autem hoc est etiam Dei prouidentia, quod non facit hoc latenter. Vt aliorum calamitatibus alij reddantur meliores.* Scit prouidentissimus suorum Deus etiam a pereuntibus sceleratis eas voces, & clamores educere, quæ saltem aliis ad salutem proficiant. De sceleratissimo Antiocho inter sæuissima supplicia cõstituto, ait 2. Machab. 9. *Per momenta singulis doloribus suis augmenta capientibus, & cum nec ipse iam fœtorem suum ferre posset, ita ait: Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire. Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* Et quando iam miser in perditione sua deploratus erat, cur tormentis ab illo hæ pietatis voces extorquebantur, nisi vt à clamore pereuntis discerent alij impietatem fugere? Sic iste inter atrocia tormenta cogebatur multa pia dicere, vota offerre, Deum agnoscere, epistolas fidelibus Iudæis mittere, vt vel clamoribus suis patefaceret aliis salutis viam. Quam Dei prouidentiam noscens Claudius Hermilianus nihil magis curabat, quam tegere silentio perditionem suam. De illo enim ait Tertul. lib. ad Scapulam cap. 3. *Claudius Hermilianus in Cappadocia, cum indigne ferens vxorem suam ad hanc sectam transiisse, Christianos crudeliter tractasset, solusque in prætorio suo vastatus peste, cum viuus vermibus ebullisset: Nemo sciat, aiebat, ne se gaudeant Christiani.* Sic miser in perditione sua quærebat silentium, ne aliis clamor pereuntis proficuus fuisset. Et sane quid aliud cuperet fidelium homicida, nisi quod à Deo raro solet in homines venire durissimum, nimirum, quod silenter, & sine sonitu sceleratorum supplicia fiant? Quod timens Habacuc ait cap. 1. *Quare respicis contemptores, & taces, conculcante impio iustiorem se? Et facies homines sicut pisces maris?* Quantum hoc erat, quod homines fierent a Deo, gubernarentur à Deo vt pisces maris, ad hoc quod propheta illud deprecaretur? Quid enim timebat mundo ex eo quod homines tractarentur vt pisces? Sane pisces vt muti sunt, sic eorum ruina, qua se mutuo percutiunt, & miserabilior, & ineuitabilior, & translata ad homines omnium est miserabilissima, quando pereuntibus nullus clamor, nulla vox permittitur, quæ saltem aliis possit ad cautelam proficere. Hæc, inquam, ruina maxima est, & vix à Deo permissa, nisi quando imperium dæmonibus permittitur. Ait enim Theophylactus apud Delrium in Adagiis tom. 1. *Contemptores dicti sunt dæmones, ad quos conticescit Deus, temporibus nondum dispensati euangelij faciebat homines prorsus piscium instar viuere, ab omni ratione alienissimos, maxime brutos, & omni voce destitutos, ac plane mutos. Ne enim in eis pietatis erat sermo, neque honorificentia vox ad Deum, sed mutua inter se cæde alius ergu alium grassantes, &c.* Ecce tibi species imperij ante Euangelium dæmonibus permissi; faciebat enim Deus homines alios aliorum carnifices, vt sese mutuo conficerent, & vorarẽt vt pisces maris, absque eo quod a pereuntibus vllus clamor, aut vox vlla prodiret, quæ aliis esset proficua. Quod malum extremum minabatur Amos cap. 8. aiens: *Multi morientur, & in omni loco proiicietur silentium.* Quod ad inferni supplicia merito solet referri, vbi iustitia sine proximi vtilitate exercetur. Quò allusit etiam Samuelis mater, 1. Reg. 2. aiens: *Impij in tenebris conticescent.* Sane nullus ibi clamor, nec vox, quæ pietatis vias ostendat assidentibus.

Psal. 9.

Chrysost.

2. Mach. 9.

Tertul.

Habac. 1.

Theophyl.

Amos 8.

1. Reg. 2.

Numer. 16. Locutus est Dominus ad Moysem dicens: Præcipe Eleazaro filio Aaron sacerdoti, vt tollat thuribula, quæ iacent in incendio, & ignem huc, illucque dispergat, quoniam sanctificata sunt in mortibus peccatorum: producatque ea in laminas, & affigat altari, eo quod oblatum sit in eis incensum Domino, & sanctificata sint, vt cernant ea pro signo, & monumento filij Israel. Tulit ergo thuribula, &c.

§. XIX.

Nullo suauius deterrentur peccatores, quàm monumentis punitorum.

VT acer extitit Dominus in hos Core asseclas, sic suauis apparet erga venturos Israelitas iubens horum thuribula deduci in laminas, & affigi altari in cautelæ signum venturis. Ait enim: *Præcipe Eleazaro filio Aaron, vt tollat thuribula, quæ iacent in incendio:: producatque ea in laminas, & affigat altari, vt cernant ea pro signo, & monumento filij Israel.* Quid ergo venturis suauius? Solis punitorum monumentis altari affixis frænabantur. Equidem nunquam suauius cohibetur peccator, quam in memoria suppliciorum aliis illatorum. Rex Ozias ausus post multa tempora fuit, sacerdotium vsurpare, & incensum Domino offerre, cui sic fatur Azarias sacerdos. 2. Paral. 26. *Non est tui officij Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, &c.* Sufficeret, quod dixisset, non esse officij regalis offerre incensum, sed sacerdotum, cur maluit illud explicatius addere, nimirum, filiorum Aaron? Volebat, quo suauiori modo posset regem ab illo ausu reuocare, ideò Aaronis meminit, in quo tota Core, & sociorum tragœdia suggerebatur, qua sacerdotij præsumptores castigabantur. Hinc D. Chrysost. hom. 5. in verba Isaiæ extollit Azariæ suauitatem aiens: *Ipsa breuiloquentia declarat vnde eius humanitatem. Quod si cupis videre, vbi ferrum occultarit, audi. Non licet, inquit, tibi adolere incensum Domino, sed solis filiis Aaron. Hinc infixit vulnus, eo quod non simpliciter dixit, sacerdotibus, sed addidit, Aaron. Is primus fuit sacerdos, similique facinus eius temporibus quidam ausi sunt, sed alios quidem terra dehiscens absorbuit, alios vero cælitus emissus ignis exussit. Huius ergo historiæ volens illum commonefacere, mentionem fecit Aaron, vt ad calamitatem eorum, qui fecerant iniuriam, huius mentem transmutaret.* Expende illud: *Vbi ferrum occultauit, &c.* quippè Azarias nolens regem offendere, volens tamen ipsum reprimere, sub humanissimis verbis, & comitate plenis ferrũ occultat, nõ stricto ferro percutit, sed occulto vtitur, commemorans Aaronis tempora, rebelliúmque tunc temporis suppliciũ, vt de præsumptis thuribulis ignis exiliens eos combussit, quo commemorato, suauissime ab ausu simili retrahebatur Ozias. Nullus enim suauius corrigitur, quam qui de monumentis alienorum periculorũ corrigitur. Hinc Matth. cap. 22. Rex magnus mittebat seruos, qui peccatores traherent in bonam frugem aiens: *Dicite inuitatis. Ecce prandium meum paraui; tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata, venite ad nuptias.* Sed à sententia eorum, qui huius prandij mensam putant esse diuinam scripturam, quæ plena est mortibus, & occisionibus antiquorum, in tauris, in altilibus occisis designatorum. Sed illud mirandum, quod vbi tot mortes, tot occisiones peractæ in antiquis ob oculos ponuntur, ad id vocemur tanquam ad nuptiale conuiuium. Cur conuiuium paratum vocat scripturam, in qua & mortes, & percussiones hominum nostri similium proponuntur? Equidem nihil deficit à suauissimo conuiuio monitio illa, quæ in aliorum periculis docet homines cauere sua. Ait Imperfect. hom. 41. in Matth. *Quidquid quæritur ad salutem, totum iam adimpletum est in scripturis. Qui contumax est, & peccatet, inuenies illa iudicij flagella, quæ timeat. Vt quid ibi scriptum est: Achan propter furtum lapidatus, nisi vt habeant fures, quod timeant? Vt quid, filij Israel, qui fornicati sunt cum filiabus Moab, percussi ceciderunt, nisi vt habeant fornicatores, quod perhorrescant? Vt quid concupi-*

2. Par. 26.

Chrysost.

Matth. 22.

tori.

tores carnis castigati sunt in deserto, nisi vt nemo delictum educapiscat? Quorum omnium interfectiones multum spiritualium gaudiorum opulum præbuerant, & nuptias Christi adornarunt. Nihil ergo minus est in hoc conuiuio, quam quod necessarium habet salem nomina. Sanè quod conuiuium suauitatibus plenum facit, vt homo lætus viuat, nihil minus præstat scriptura, dum antiquorũ mortes proponit peccatoribus similibus, quorum memoria suauissimè cauet sibi, nulloque suauiori poculo reformantur in salutem, quàm reformantur ad æternam vitam peccatores visu aliorum in simili periculo. Mihi crede, monumentum calamitatis alienæ nunquam te non faciet suauissime sapere. Nec res est parui sauoris, quod non in tuis, sed in alienis periculis sapias. Quo traho dicta 4. tom. in Euang. lib. 16. cap. 21. §. 30.

§. XX.

Delinquentibus consentientes durissimum supplicium caueant.

De ducentis & quinquaginta hominibus, qui Core partes sequuti fuerant, & absumpti à flammis inueniebãtur, iubentur thuribula tolli, & deducta in laminas, affigi altari in monumentũ cladis. Sic enim dicit: *Tollat thuribula, quæ iacent in incendio, producatque ea in laminas, & affigat altari, vt cernant ea pro signo, & monumento filij Israel.* Et quidem, qui incendio absumpti sunt, nõ ipsi rebellionis, neque præsumptionis authores fuerunt, sed solũ rebellanti Core assenserunt. Cur ergo Core, qui princeps, qui author fuerat, sic absorbetur à terra, vt nec thuribulum eius remaneat in testimonium cladis: illi autẽ ducenti, & quinquaginta sic absumuntur, vt thuribula eorum remaneant, quæ affixa altari nunquã non prædicent eorum calamitatem? Merito non authoris thuribulum, sed thuribula assecularum affiguntur in testimonium cladis; ne sibi blandiantur de futura impunitate, qui authores malorum non sunt, quando flagitium exitiale apparet omnibus participãtibus. Matt. 14. dũ Herodes rex celebrat natalitium cõuiuium cũ principibus Ierosolymitanis cò adductus est, vt iuberet vitã eripere Ioanni Baptistæ, ait enim text. *Propter iuramẽtum autem, & eos, qui pariter recumbebant, misit, & decollauit Ioannem in carcere. Et allatũ est caput eius in disco.* Sed esto, quod occiderit sanctũ, quid necessum fuit adduci caput eius abscissum in disco ad ipsum conuiuium, in quo tot principes eius natalitia regalia celebrabant? Inter fercula suauissima discũbentibus allata, hoc etiam ferculum feralis lanienæ illis apponitur, vt non solũ Herodi, sed & omnibus illis, qui vel tacitè assenserunt, tanti facinoris crimẽ pœnã denuntiaret. Pulchrè ad hæc Paschas. lib. 7. in Matt. fatus. *Misera feralis aula regis, & infelix rabies, quæ in pastum suum suscepit caput martyris, & in potum ebibit liquorem sacri sanguinis fitienfque mortem prophetæ aspexit. O ferculũ crudele! O discum rosis respersum sanguinis, sed conuiuantibus valde exitiabilis, quia in tanto conuiuio nemo fuit, qui prohiberet audaciam Regis, quinimò, vt scriptura ait, propter eos, qui pariter discumbebant, iussit dari. Quo facto omnes sceleris sui facti esse cõsortes.* Planè non solũ Herodi facinoris authori exitiabilis discus ille erat, sed omnibus etiã simul conuiuantibus; quando nullus eorũ restitit, sed taciti feralissimæ sententiæ addiderunt suffragia. Ne tibi blandiaris de immunitate, quod flagitio nõ dederis initiũ, si enim præsens es flagitiosis, & nõ obstitis, nec refragaris, sed potius suffragia addis, proculdubio extremas pœnas dabis. Sanè Absaló rebellauit in Dauidem patrẽ suum, multisque populum solicitauit, vt veniret in suas partes, quod & factum est. Commisso prælio rebellis occubuit, & populares reuersi sunt omnes ad Dauid. Quid tũc? Ait 2. Reg. 24. *Et addidit furor Domini irasci contra Israel, commouitque Dauid in eis dicentem. Vade, numera Israel, & Iudam.* Ob quod ablata sunt peste septuaginta milliũ virorũ spatio dimidij diei. Dum Absalon in patrem rebellat, & populũ seducit, non dicitur Deus iratus in illum, nũc autem cũ populus quietus esset, sub Dauide furor Dei exurgit, eaque in rege permittit, quæ trahãt in populum pestis luem. Cur hoc? Debebant dare pœnas, qui authori rebellionis nõ restiterant, sed subscripserant, non enim soli authores, sed & qui sequuntur, supplicio afficiuntur. Ait Theodoret. in præsenti quæst. 37. *Populus luit pœnas suæ iniquitatis. Relicto enim rege pio, militauit sub impio tyranno. Eũ, qui innumerabilia bona eis conciliauerat, non solũ reliquerunt, sed etiã aduersus eum in acie steterunt, crudelique ac scelerato filio auxilia tulerũt. Propter hæc ergo iustus Deus de iis pœnam sumpsit.* Sciant hoc, qui malorum authores sequuntur, quod durissima tolerabunt ab eo supplicia: etiamsi aliquando creatorũ tum manus effugiant.

Matt. 14.

Paschas.

2. Reg. 24.

Theodor.

§. XXI.

Sacrificium, seu oratio ad Deum maximè proficit ex consideratione mortis.

Non otiose mortuorum thuribula iubentur affigi altari, dum dicitur: *Producatque ea in laminas, & affigat altari, vt cernant ea pro signo, & monumento filij Israel.* Sed hoc factum est, ne cui liceat accedere ad altare vel sacrificaturus, vel oraturus, quin præ oculis habeat monumenta mortis, de cuius consideratione, ni fallar, nisi multum proficiamus in spirituali vita. Sic Rex ille, qui inuitabat homines ad nuptiale cõuiuium, ait Matth. 22. *Prandium meum paraui, tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata, venite, &c.* Solet diuina Scriptura lautissimi etiam conuiuij escas solo panis nomine exprimere; vt Matth. 14. *Cum intraret Iesus in domũ cuiusdã principis Pharisæorum Sabbatho manducare panem*, ibi de scripturæ more panis ponitur pro cæteris etiam obsoniis, quæ ornant principum conuiuia. Cur ergo rex ille non solius panis meminit, sed taurorum, altiliumque occisorum plenam mensam proposuit? Erat mensa parata à rege illo non conuiuij temporalis, sed æterni, quod non spectabat ad carnalem, sed ad spiritualem vitam, ideo illa mortuorum commemoratione farciuit, de qua humanos solet saginari spiritus. Quò spectans Aymon ibi ait: *Tauri mei, & altilia mea occisa sunt, ac si diceret. Patrum præcedentium mortes aspicite, & remedia vitæ vestra cogitate.* In eo ponit efficacissima remedia vitæ, quod nec ad mysticam mensam, oblaturi, aut oraturi accedant, quin mortem antiquorum imminentem hominibus aspiciant. Solet hoc procurare spiritus diuinus, vt vel in sacris mortis commemorationem habeamus præsentissimam. Hinc Exod. 28. *Deorsum vero ad pedes eiusdem tunicæ per circuitum, quasi mala punica facies ex hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto mistis in medio tintinnabulis, ita vt tintinnabulum sit aureum. Et vestietur eo Aaron in officio ministerij, vt audiatur sonitus, quando ingreditur, &c.* Itaque sic vestit Deus pontificem suum, vt in extrema tunicæ parte iubeat appendi tintinnabula circa pedes, quæ sonitu suo designent ingredientem ad sacrificia. Sed cur sacrificantis tintinnabula in extrema vestis parte ponuntur, nisi vt ostendantur, quam debeant extrema vitæ assonare sacrificaturis, qui velint è sacris proficere in vitam? Ait Origen. homil. 9. in Exod. *Habeat per indumenti circuitum tintinnabula, quæ semper sonare debent, vt ingrediens sancta det sonitum, & non intret cum silentio. Et hæc tintinnabula in extremo vestimenti sunt posita, vt de extremis temporibus, & fine mundi nunquam sileas, sed inde semper sones, &c.* Habeat hoc quicumque sacrificaturus, vel oraturus ad Deum accedit, quod de mortis memoria non sileat, sed adstet Deo in perpetua commemoratione eius.

Matt. 22.

Matt. 14.

Aymon

Exod. 28.

Origen.

Num. 16. Murmurauit autem omnis multitudo filiorum Israel sequenti die contra Moysem, & Aaron, dicens. Vos interfecistis populum Domini. Cumque oriretur seditio, & tumultus incresceret: Moyses & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis. Quod postquam ingressi sunt, operuit nubes, & apparuit gloria Dei. Dixitque Dominus ad Moysem: Recedite de medio, etiam nunc delebo eos.

§. XXII.

Nullum promptius, & certius refugium in tribulatione, quam si ad Deum recurramus.

Aduersus tumultuantem multitudinem, vide quale parent refugium sibi Moyses, & Aarõ, nimirum dicit text. *Fugerunt ad tabernaculum fœderis.* Et quantum erat tabernaculum fœderis, vt in illo sese duo inermes homines tuarentur aduersus multitudinem ingentem? Cur non potius prærupta montium eligerent, vel aliquam inaccessibilem refugij petrã? Crede mihi, vel in tabernaculi diuini vmbra, vel in Dei memoria, qua cõfugias ad Deum, omniũ promptissimũ, & certissimũ refugium inuenies aduersus tribulationes vniuersas. Sanè Dauid multis cinctus tribulationibus, à validissimo hoste petitus nulla non refugia fuit expertus. siue per

abruprorum mõtium cauernas delitescens, siue altissima perra munitus, siue militari manu stipatus; Post horum autem esperientiam, quale præsert refugium? Ipse ait Psal. 76. *In die tribulationis meæ Deum exquisiui, manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus: Memor fui Dei, & delectatus sum.* Quæ verba dulciter, & eleganter tractans D. Nazianz. orat. 17. sic ad Dauidis scholam vocat vniuersos, qui tribulationibus suis promptum, & certum refugium parare velint. Quippè ait: *Audi, quid Dauid respondeat, magnus ille medicus, ac malos etiam spiritus per spiritum in se habitantem incantans. Ad quem confugiat ex me scire cupis? Nihil, inquit, structa atie tibi opus est, non armis, non sagittariis, non equitibus, non consultoribus, non amicis, nihil externo subsidio. Auxiliares copias in te ipso habes, quæ & tibi, & mihi, & cunctis in promptu sunt. Memor fui Dei, inquit, & delectatus sum. Quid memoria paratius? O facilem, & parabilem medicinam! O celerem curandi rationem! O ingentem beneficij magnitudinem!* Equidem non sic exercitu cinctus, non sic armis munitus mala effugies, vt illa fugis eo solum, quo Deum recorderis, Deoque te sistas. Vt ad Deum oculos vertis, habes, quo te espedias ab omni malorum cõcursu. Vnum hoc aiebat Isai. c. 26. *Domine in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis.* Expressius in rem nostram legunt Græci primam partẽ dicentes. *Domine in afflictione recordati sumus te.* Dicunt se recordatos Dei fuisse in afflictione, & non exprimũt, quo lucro sese ad Deum tribulati verterunt. At in eo solum quod Dei recordarentur, tribulati ostenduntur nullis malis potuisse deuinci. Ex quo aiebat Euseb. in cat. Græca: *Quando tempus erat, ô Domine, nos euntes per viam angustam, & afflictionis plenam, proprietate pugnabamus; atque in afflictione illa ubi eramus tui immemores, sed ab eadẽ tua memoria corroborati, viriliter sustinebamus, adeò vt diceremur afflicti, sed non angustiati persequutione patientes, sed non pereuntes.* Ecce tibi, quid homines consequantur ex Dei memoria in tribulationibus: licet hinc inde mille tribulationes exurgant, & te premant, imò ferè opprimant, dũ saltem memoria ad Deum confugias, habes, quo te munias, quo omnibus resistas, & inuulnerabilis perdures. Equidẽ præclarè aiebat Paul. ad Rom. 5. *Spes non confundit.* loquitur enim de spe, qua homo in Deo ponit auxilium suum, dum tribulatur in mundo, hæc enim minimè sinit hominem in malis confundi, imò præsentissimum remedium est aduersus omnes conflictus. Vt dicat Elias Cret. in orat. 2. Nazian. *In rerum acerbitatibus pharmacum ad propulsandos dolores accommodatum sibi constituebant. Neque enim animo in dolore versanti quicquam æque mederi potest, vt spes in Deum.* Non bellicæ munitiones, non creatæ potestates sic hominem eripiunt periculis inuulnerabilem, vt si ad Dei confugiat tutamen.

Psal. 76. — *Nazian.* — *Isai. 26.* — *Euseb.* — *Ad Rom. 5.* — *Cretens.*

§. XXIII.

Non qui sese periculis peccandi offerunt, sed qui effugiunt illa, diuinam protectionem habent.

MOysem, & Aaron fugitiuos Dei gloria operit, & tuetur. Sic enim dicit. *Fugerũt ad tabernaculum fœderis. Quod postquam ingressi sunt, operuit nubes, & apparuit gloria Dei.* Quid magis nouũ, & inauditum, quàm quod qui fugæ se dedunt, sub imperatoris sui gloria lateãt? Bone Deus gloria paratur strenue pugnantibus, & destruentibus hostiles acies: fugitiuis dedecus, & ignominia est. Cur gloriæ tuæ refugium, & protectionem offers illis, qui trepidi fugiunt, qui non audent contra inimicos stare? Non fugiunt Moyses, & Aaron vt degeneres, sed vt generosi, qui doceant, vt fugiendum est à vitiorum hostilitate. Vt enim in mundiali duello gloria est in eo quod hostem aggrediaris, sic in bello spirituali è contrario, qui pericula fugit, ille diuinæ gloriæ accipit protectionem & tutamen. Ex quo monebat Amb. lib. de Fuga sæculi c. 4. *Non ergo erubescamus fugere. Gloriosa enim hæc fuga est fugere à facie peccati.* Ille gloriosam inuenit securitatem & protectionem, qui nouit fugere à vitiorum facie. Cum Iudæi venissent, vt comprehenderent Iesum Matt. 26. *Ecce vnus ex his, qui erant cum Iesu, extendens manum exemit gladium suum: & percutiens seruum principis sacerdotum, amputauit auriculam eius. Tunc ait illi Iesus: Conuerte gladium tuum in locum suum, omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Ecce tibi qui valebat gladio, hostem aggreditur, illumque percutit, sed Domini reprehensionem incurrit. Aliter de alio adolescente Marcus notat in eodem conflictu, ait enim cap. 14. *Adolescens autem quidam sequebatur Iesum amictus sindone super nudo; & tenuerunt eum. At ille reiecta sindone nudus profugit ab eis.* Compone modo armatum illum cum isto nudo; illum aggredientem cum isto fugiente. Petrus gladio armatus, dum hostem aggreditur, reprehensionẽ incurrit; hic adolescens nudus dum fugit per medios hostes, liber ab omni vulnere, ab omni reprehensione inuenitur. Equidem in spirituali conflictu, non qui aggreditur pericula, sed qui fugit, protectionem diuinam acquirit. Hinc pulchre Nazianzen. orat. 25. monet: *Si Zelo inflammatus Malchi aurem gladio praecideris, indigne Dominus feret, eamque loco suo restituet, si quis sindone amictus* (relicta illa) *profugiat, eum conteget.* Non in inconsiderata aggressione periculorum, sed in fuga protectio Dei est secura. Licet mille munitus armis pericula aggrediaris, nõ exibis irreprehẽsibilis, licet autem omni nudatus auxilio alio sis, dum tamẽ pericula fugias, paratam inuenies protectionem diuinam. Nemo nescit historiam Ionæ mirandam, vt proiectus in mare, à bellua marina voratur, vt voratus in ventre ceti orationem ad Deum facit, ibique Dei protectione seruatur, donec euomitus à bellua incolumis apparet. Vnde in tali conflictu talem protectionem accipit? Dicebat textus cap. 1. *Surrexit Ionas, vt fugeret in Tharsis.* Vbi autem D. Ambros. audit, quod fugit Ionas, hinc illi attribuit diuinam in periculis protectionem. Quippè ait lib. de Fuga sæculi c. 4. *Fuga erat trames innocentiæ, virtutis via, pietatis assumptio. Audeo dicere, sic fugit Ionas in Tharsis, non corporis fuga, sed mentis ascensione. Nam si se non fugisset, nunquam de ventre ceti esset auditus.* Non enim nisi qui fugit vitiorum pericula, habet certam, & promptam protectionem diuinam. Vane euadere speret, qui se inconsiderate coniicit in pericula, quando fugientes magis abeunt in tutum.

Amb. — *Matt. 26.* — *Marc. 14.* — *Nazian.* — *D. Amb.*

Num. 16. Cumque iacerent in terra, dixit Moyses ad Aaron: Tolle thuribulum, & hausto igne de altari mitte incensum desuper, pergens cito ad populum, vt roges pro eis, iam enim egressa est ira à Domino, & plaga desæuit. Quod cum fecisset Aaron, & cucurrisset ad mediam multitudinem, quam iam vastabat incendium, obtulit thymiama, & stans inter mortuos & viuentes pro populo deprecatus est, & plaga cessauit. Fuerunt autem qui percussi sunt, quatuordecim millia, &c.

§. XXIV.

Crebra reincidentia in peccata rarò non lethalis.

QVi seditiosos fugiebat Moyses, vt se Deo sistit, iram diuinam in illos prodire videt, ait enim: *Iam enim egressa est ira à Domino, & plaga desæuit.* Nec miror, quod qui toties rebellãt, qui toties murmurãt contra Moysem, & Deum, sic ira vindice pereant. De crebra enim peccatorũ repetitione nil citius oritur, quam plaga desæuiens. Pulchrè enim ait D. Nazian. orat. 17 *Graue, ac periculosum est, ignoscendi assiduitate clementiam exhaurire.* Et quando clementia ad certã mensuram definita est, nunquam nõ graue, & periculosum est, quod illam ignoscendi assiduitate exhaurias; necessum enim est, vt post hæc sæuientem iram prosilire facias. Ait Deus Exod. 20. *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Quibus non solum Dei seueritas, sed & clemẽtia in peccatores ostenditur, quos nouit espectare, per tertiam, & quartam generationẽ, at vbi bis & ter, & quater in eisdem sceleribus perstant, tunc exhauriatur decreta clementia, ignoscendi assiduitate, necessum est, vt ira absumat peccantes. Vt dicat Diodor. apud Lippoman. in caten. *Post tot beneficia in eisdem peccatis persistentes, instar pœnas exoluetis.* Equidem vbi tot beneficia extorquentur parcendi assiduitate, illud remanet, quod ira desæuiat, & peccatores absumantur. Hinc Tobias Senior moribundus dicebat filio, nepotibusque suis cap. 14. *Prope erit interitus Niniue: Nunc ergo filij audite me, & nolite manere hic, sed quacumque die sepelieritis matrem vestram circa me in vno sepulchro, ex eo dirigite gressus vestros, vt exeatis hinc. Video enim quia iniquitas eius finem dabit ei.* Sanè sciebat Tobias Niniuitas per pœnitentiam quondam ereptos esse furori Domini denunciato per Ionam; & nihilominus modo certò asserit esse euertendos. Vnde scit modo infallibiliter euertendos illos præcipue homines, qui iam semel

effugerant

D. Nazian. — *Exod. 20.* — *Diodor.*

effugerant itã Domini? Ait ipse: *Video enim, quia iniquitas eius finem dabit eis.* Quæ sic explicat Carthus. *Veterum enim congeries requirot, vt destruatur.* Equidem vbi peccatis adduntur peccata, & iam dimissis noua quotidie apponuntor, nequit vix fieri, quod diuina vindicta non extorqueatur. Quo spectans ait D.Hier. in prologo ad Ionam: *Ad Iona prædicationem acta pœnitentia Niniuita veniam consecuti sunt, postea vero in pristinis vitiis perseuerantes, Dei in se prouocant sententiam.* Eo tandem deuenit crebra reincidentia in peccata; raro enim fit, quod irã Dei non trahat. Quo spectans Amos c.1. ait: *Super tribus sceleribus Damasci: & super quatuor, non conuertam eum: & mittam ignem in domũ Azael, & deuorabit domus Benadab.* Quid est, super tribus; & super quatuor non conuertam? Ait Theodor. *Quando multa delicta Damasci diutissimè passus sum, non amplius patiar.* Hoc credant peccatores, quod post multa eorum peccata tolerata à Deo tandem si in eis persistant, durissimã sustinebunt viodictam, non enim is est Deus, qui patientiã suâ velit, vt scelerati sic glorientur quasi iusti. Ait enim Nahum c. 1. *Dominus patiens, & magnus non faciet innocentem.* Et quomodo non faciet innocentem? Imò innumeri sunt, qui vitæ innocentia floreant, qui quidem nulli, nisi Deo acceptam referunt innocentiam suam. Quomodo ergo vere dici potest, quod Dominus innocentem non faciet? Expende verba illa: *Dominus patiens, &c.* quippè sunt innocentes non veri, sed apparentes; nimirum illi, qui etsi multa peccata committãt, nil inde incommodi capiunt, sed ac si innocẽtes essent, viuunt. Et quando Deus patiens est, multi possent sic innocentes videri ex defectu supplicij: at, vt cauet propheta, nõ sic patiens erit Deus, vt tandẽ non ostendat nocentes acerbitate supplicij. Ait D.Hier. ibi: *Deus quidem patiens fuit, & magnanimitatis sua fortitudine iniquitates peccatorum sustinuit, prouocans eos ad pœnitentiam, sed quia contemptu bonitatis Dei thesaurizauerunt sibi iram in die iræ, qui ante patiens fuit, nequaquam eos, tanquam mundos, & innocentes inultos abire patietur.* Non ea erit Dei patientia, vt eius occasione, qui peccatis peccata accumulauerint, sic expertes supplicij appareant, ac si innocentes essent, qui potius atrociter punientur. Vide supra c.6.§.18. & alibi.

Hieron. — Amos 1. — Theodor. — Nahum 1. — D.Hier.

§. XXV.

Peccata publica citam vindictam solent trahere.

IN ipso seditionis rigore iã Moyses videbat à Deo prodire vindictam, quippè ait: *Iam enim egressa est ira à Domino, & plaga desæuit.* Sic Israelitæ errones mulctabantur, in ipso feruore peccati, statim diuini furoris spicula in se contorta sensere. Et cur non magis longanimis Deus ostendebatur in suorum erroribus sustinendis? Erant hæc peccata publicitus commissa, sine vllo timore, ac metu, & ideo properatam vindictam extorquebant. Apud Luc.c.16. pulchra huius rei parabola effingitur. Dicit enim: *Homo quidã erat diues, & habebat villicũ: & hic diffamatus est apud illum, quod dissipasset substantiam eius, & vocauit eum.* Et miror, quod vbi Deus sub nomine huius diuitis habentis villicũ intelligitur, dicatur villicum tunc vocasse cum villicus diffamatus est ante ipsum. Quid fama ad Deum? An eget Deus doceri clamoribus famæ, vt errores suorum videat? Nonne, & antequam fama exiret, ipse videbat serui delicta? Videbat sane, & ante famam delicta, sed dissimulabat; fama autem scelerum disseminata publicitus, nõ facit, quod Deus illa sciat, sed facit quod Deus acceleret viodictam. Pulchrè D.Chrysol. ser. 125. inquit. *Hic diffamatus est ante illum? Ergo Deus famæ credidit? Fama nũtiante cognouit? Absit: sed quia illa quæ nouerat, quæ pietate velauerat, quærere tunc cœpit, quando accusabat terra: Vox sanguinis fratris tui clamat de terra: clamabat terra, clamabat cœlum, dolebant Angeli, quando iam toto sæculo fama loquebatur.* Equidem tũc Deus solet frequẽtius peccata dissimulare, quando hæc ignota sunt famæ, quando in tenebris latent; at vbi in lucem prodeunt, nec verentur oculos humanos, sed coram fiunt, vt famæ possint commendari, tunc maxime à Deo illorum vindicta accelleratur. Id quod etiam in præsenti expressius patet; vocato enim villico statim sententiam dicit Dominus: *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, iam non poteris villicare.* Rationem petit villicationis, & ante redditam rationem, sententiam damnationis pronunciat, aiens: *Iam non poteris villicare.* Cur non magis expectas Domine, quod ille rationem reddat, quod ille promat sua peccata? Quando ante rationis redditæ spatium consueuisti perdere sceleratos? Non miror, quod non expectetur, quod ratio reddatur, vbi enim peccata publicè, & impudenter patrantur, non tẽpus iudicij expectatur, sed immature, & subito miser ad pœnam rapitur. Ait D.Chrysol. supra ser. 125. *Non peruenit ad statutum terminum vitæ, qui villicationis amisit tempus, quem sonaris credita dissipasse. Hinc est immaturus exitus, hinc est ante diem mors, hinc est vocatio amara, &c.* Expende illud: *Quem sonaris credita dissipasse*: non enim iam dissipatio, quam eius sonus, quam publica eius fama celerem, & repentinam vindictam trahit. Qui enim publicum non verentur peccatores, non perueniunt ad statutum terminum vitæ, sed immaturè abripiuntur, & tormentis dantur.

Luc.16. — Chrysol. — Chrysol.

CAPVT XXVI.

De virga Aaron frondenti.

Textus Historia.

PERAVNTEVM rebellium emollitus clamoribus suauiora medicamenta cœpit Dominus animo versari, quibus prorsus deberet occludi ora murmurantium. Quot tribus Israelitarum erant, tot adducuntur virgæ amygdalinæ, quæ principum nomina sibi affixa seruabant. Media inter duodecim virga de tribu Leui Aaronis nomine inscripta ponitur, & sic ex omnibus fasciculus efformatus Moysi manu Deo offertur, & coram eo sinitur tota nocte in tabernaculo. Sequens diei lux ostendit populo, quantum Dei oculi valeant in eos, quos placide aspicit. Eorum sub aspectu vnius noctis spatio virga Aaronis sicca simul flores, & fructus protulit, qui non proferuntur ab arbore spatio totius anni. Sufficiunt diuini oculi, vel siccis stirpibus pro vligine terræ, pro cortice, pro humore, pro radicibus, pro ramis. Cum duodecim virgis manent in populo amaritudinum fontes exsiccari, & cum florenti virga Aaronis floret, & viget in sæcula sacerdotij principatus.

PARS VNICA MORALIS in textus literam.

NVNC sterilis stylus meus amat, quod scilicet Dei oculis placeat, de hoc enim solo Aaronicæ virgæ æmulationem capiet, in flores, fructusque virtutum exhibendos nouiter fœcundatus.

Numer. 17. Loquutus est Dominus ad Moysem dicens: Loquere ad filios Israel, & accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas, à cunctis principibus tribuum, virgas duodecim, & vniuscuiusque nomen superscribes virgæ suæ. Nomen autem Aaron erit in tribu Leui, & vna virga cunctas eorum familias continebit.

§. I.

Ille præstans in omnibus artifex, qui mala reiicit, antequam bona ædificet.

POst voratos à terra, post absumptos flamma, post plaga consumptos rebelles, petit Deus virgas nominibus Israelitarũ principum inscriptas, quæ floribus, & fructibus designent sacerdotij principatum. Ait enim: *Accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas, &c.* Sed cur nõ antea ad hoc accessit opus, vt virgas germinaturas postularet ad sacerdotiũ cõfirmandũ? Cur nõ in primis ante supplicia vsus est florentis virgæ miraculo? Sanè nunquã fœliciùs florũ, fructuumque diuitiæ fundãtur, quàm vbi prius malitiæ abscinditur radix.

Sic ostenditur artificia cuiusuis præstantia, si prius insistat in malis deturbandis, eradicandis, quam in bonis ostendendis, fundandis. Quò respiciens Dominus Ier. 1. ait: *Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna; vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Conueniant huc boni promotores, & discant, quam multi debeant esse prius in deturbando malo antequam veniant, vel ad prima boni fundamina. De malo loquit, *vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes*; de bono; *vt ædifices, & plantes*: quater enim debet prius malo deturbando instare, antequam semel, aut bis accedat ad bona confirmanda, quisquis præstantis artificis gloriam amat adipisci. Adamo creato in paradisi deliciis, cum primũ mundiales deliciæ creabantur, datum est dominium omne mundiale. Sic enim ait Gen. 1. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subiicite eam, & dominamini piscibus maris, &c.* Nõ longè aliter post diluuium immissum, post submersum orbẽ, datur Noemo dominium mũdi, quippè ait Gen. 9. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram. Et terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia, &c.* Ecce tibi & Adamus, & Noemus cõstituuntur mũdi Domini; & non est dubiũ quod fœlicius fuerit dominium Noemo datũ. Sed vnde maiorẽ fœlicitatẽ, & præstantiã in dominatu habuit Noemus? Sanè Adamo solũ mandatũ est, quod flores, fructusque paradisi coleret, delicias orbis promoueret, seruaret; at Noemo prius mandatum est, vt diluuium denuntiaret, vt fabricata arca in ea suam familiã cũ electis animalibus incarceraret, reliqua omnia perditioni relinqueret, post hæc illi etiam noui orbis stabiliendi cura mandatur. Qui ergo non antea accessit ad bona orbis promouenda, quã mala vniuersa eradicaret, dissiparet, proculdubio præstantior dominus, & fœlicior est, quã ille qui nihil mali eradicans solis bonis promouẽdis instabat? Huic excogitationi adstipulatur D. Basil. Sel. orat. 5 fatus: *O Noeme hominũ progenitor Adamo antoferende! O qui finis, vnaque principium naturæ fuisti! O sanctum humanitatis confinio! O qui tutor diuinæ bonitatis fideiussor illuxisti!* Expende radicem fœlicitatis Noemi super Adamũ in dominatu, nimirum: *O qui finis, vnaque principium naturæ fuisti*, quippè Adamus principium fuit creaturæ, ante quod nulli finẽ attulit, nullius finis extiterat, cum accessit, vt floridissimum suum imperium inchoaret. At Noemus, & finis fuerat peruersorum, & principium in vitã electorum, prius finem denuntiauit peccatoribus, illosque vidit a mundo exterminatos, & inde venit, vt nouum mũdo principium daret. Et quidem ille præstantior, & fœlicior est artifex, qui incipit ab exterminatione mali. Pulchre de Nerone iam iã capiendo ab hostibus ait Egesip. lib. 4. c. 30. *Maganum quoddã sibi parauit de ligno, & manibus cõtosuit suis, quo se necaret. Et ad libertos conuersus, qualis, inquit, artifex moritur?* Et quidem nunquam præstantior artifex imperij apparuit, quam vbi se omnium malorum nequissimum trucidauit; quando ille, & fœlicissimus, & præstantissimus Reipublicæ artifex est, qui incipit ab exterminatione mali.

Ierem. 1.

Gen. 9.

Basil. Sel.

Egesip.

§. II.

Tota humana potestas non circa res veras præstandas, sed circa nomina, & titulos rerum versatur.

Vide, quid mandetur Moysi Israelitarũ principi, nimirum: *Accipe ab eis virgas singulas per cognationes suas, à cũctis principibus tribuum virgas duodecim, & vniuscuiusque nomẽ subscribes virgæ suæ, &c.* Huc se extendit potestas validissimi Israelitarũ moderatoris, vt nimirũ virgis principum nomina imprimat. Non quod virgis virtutem fructificandi indat, hoc enim sibi reseruat Deus, sed quod illas nominibus insigniat. Nec aliud potest omnis humana potestas, quæ ad summum vacat titulis principũ confingendis, vel apponendis nominibus. Hinc quando datũ est Adamo dominium mũdi illis verbis, Gen. 1. *Dominamini piscibus, &c.* simul ait Gen. 2. *Formatis igitur Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea. Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomẽ eius.* Itaque in primis Deus creauit animantia, dedit eis vitã, & fecit quod crescerent, quod conseruarentur; deinde illa ad Adamum principẽ suum adduxit, à quo nomen acciperent. Sed qui dederat vitam, non melius, & nomina inderet? Cur maluit, vt à se recepta vita, ab Adamo nomina reciperent? Volebat iã ostendere Deus, quo se porrigerent humanæ potestates, quarũ solum erat, non res, sed nomina indere. Ait D. Basil. Sel. orat. 2. *Adduxit, inquit, Deus cũcta terræ animantia ad Adam, vt videret, quid vocaret ea. Esto Adam nominum artifex, quando rerum esse non potes. Formentur à me, nominentur à te, quia procreata partiamur*

Gen. 2.

Basil. Sel.

fictricis huius solertiæ gloriam, me cognoscant artificem naturæ lege, te Dominum intelligant appellationis nomine, inde nomẽ, quibus ego essentiam. Ecce tibi fines potestatis diuinæ, & potestatis humanæ; potestas diuina est, quæ dat substantiam, quæ dat vitã, quæ facit, vt res verè sint; potestas autem humana non id potest, sed circa titulos, & nomina confingenda versatur. Quod viuas, quod floreas, ex Deo solo habes; quod dux voceris, quod nominibus insigniaris magnatũ, etiam ex principe recipis humano. Huc spectat illud Psalm. 36. *Spera in Domino, & fac bonitatẽ, inhabita terram, & pasceris in diuitiis eius.* Alij legũt: *Et pascere veritatem.* Longè aliter monet Psal. 145. *Nolite cõfidere in principibus, in quibus non est salus.* Itaque qui in Domino fidit, inde habet veras res, veras diuitias, quas pascatur. Verũ si fidat in principibus mundialibus, in iis nihil solidum, nihil verũ habet, non est in illis salus, non est res, non est substantia, sed sola nomina, & tituli ab illis dantur. Ex quo Psalm. 4. *Filij hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem?* Burgensis ex Hebræo: *Filij viri, filij virtutum*, quippè qui magni, & potẽtes estis, cur vanitatem amatis? Cur sic gloriamini de vanitate? Sed scire cupis, quæ sit ista vanitas, in qua nituntur potestates mũdiales. Ait ibi Nicephor. in cat. Barbari: *Vanum est, quod subsistere non potest, cuius nomen est, res minimè.* Itaque mundi potestates in hac fundantur vanitate; quod minime res, sed nomina mera spectent. Et quid aliud præstent, ijquàm nomina? Apoc. 11. *In illa hora factus est terræmotus magnus, & decima pars ciuitatis cecidit, & occisa sunt in terræmotu nomina hominum septem millia.* Loquitur de Antichristi asseclis, & ministris, quorum septem millia peribunt in terræmotu illo, quando Enoch, & Elias rediuiui recipientur in cœlum. Sed illud notandum, quod de Antichristi asseclis loquutus, dicat periisse non septem millia hominũ, sed septem millia nominum. Cur periisse dicit solũ nomina? Principum mũdialium asseclæ nihil aliud ab illis habent, quam nomina, nec principes nouerũt suos nisi nominibus exaltare. Ex quo Plin. aiebat in suo Panegyr. *Sunt in honore hominum, deinde in honore famæ magna nomina ex tenebris obliuionis, indulgentia Cæsaris.* Expende, quid dicantur Cæsares suis indulgere, nimirum, magna nomina, & præter hæc nihil.

Psal. 36.

Psal. 145.

Psal. 4.

Nicephor.

Apoc. 11.

Plinius.

Num. 17. Ponésque eas in tabernaculo fœderis coram testimonio, vbi loquar ad te. Quem ex his elegero, germinabit virga eius, & cohibebo à me querimonias filiorum Israel, quibus contra vos murmurant. Loquutusque est Moyses ad filios Israel: & dederunt ei omnes principes virgas per singulas tribus: fueruntque virgæ duodecim absque virga Aaron.

§. III.

Non sic iræ monumenta, vt mansuetudinis exhibitio solet homines frænare.

Vide quid promittat in præsenti Dominus, ait enim: *Cohibebo à me querimonias filiorum Israel, quibus contra vos murmurant.* Post absorptos a terra Core, Dathan, & Abiron; post combustos illorũ ducentos, & quinquaginta asseclas, & horum thuribula affixa altari in memoriam cladis, sequenti die immediatè, vt ait Num. 16. *Murmurauit omnis multitudo filiorũ Israel sequẽti die contra Moysem.* Et modò cũ nullum suppliciũ exhibetur, sed solũ germinante virga sacerdos designatur, asserit Dominus cohibendos esse murmuratores. Sic enim ait: *Quẽ ex his elegero, germinabit virga eius, & cohibebo à me querimonias filiorũ Israel, quibus contra vos murmurant.* Quid ais Domine, quod florẽte virga cohibebis murmura? An virgæ flores, & folia efficaciora sunt ad frænãdos homines, quã terræ cœlique clades? Cũ flãmas iacis in rebelles, & eos percutis, eorum monumenta cladiũ ob oculos proponis, nõ scitis illos cohibuisse, sed perditis aliis insurgũt plures alij & modo in sola ostẽtatione virgæ germinãtis dicis illos prorsus cohibẽdos? Cur magis nõ cohibitis sũt visa clade similiũ, quã visis virgæ floribus? Credite mihi, non sic suppliciorũ magnitudo valet ad frænãdos homines, vt aliquãdo mansuetudo valet. Nemo ignorat suppliciũ factũ in pessima Iezabele 4 Reg. 9. vt præcipitata fuit a fenestra, vt à canibus vorata, ita vt volẽtes illã sepelire, *non inuenerint nisi caluariã, & pedes, & summas manuum.*

Num. 16.

4. Reg. 9.

Et

Et quantum hoc supplicium ad frænandas mulieres impias? Pulchrè ait D.Naziana.orat.48.

D.Naz.

Vna Iezabel erat aduersus Domini prophetas cædem anhelans, eamque diuinitus inspirata scriptura proscindit, credo, vt petulantis, & impudentis mulierculæ commemoratione, quisquis postea venas, erudiatur. Tot igitur Iezabels illi similes, velut ecruta quadam è terra subito pullularunt, eam de qua modo loquutus sum, flagitia magnitudine superantes. Non eradicantur scelera suppliciis, nec iræ monumenta frænát mentes sceleratas, quin imo pro vno vindicis falce demesso repullulant mille nequiores alij. Quis nesciat hominum diluuio deletorũ vitia? Ait text. Gen.6.

Gen.6.

Omnis caro corruperat viam suam. Quæ vt delerentur à terra, immisit Deus diluuiũ, quod perderet mundum. Et quid post tam durum supplicium factum? An inde homines frænatiores? Imo qui antea corruperant terram carnalibus vitiis; post diluuium mundum vniuersum corruperũt idololatria, & pro interemptis illis, qui ibant post desideria carnis, insurrexerunt, qui post idola irẽt, Deum verum abnegantes. Sic supplicij terror inefficax solet esse, vt homines in virtute cõtineantur. Ait inde D.Chrysol. ser. 147.

Chrysol.

Cuncta cõcusserat terror, in terra tonitrua, & fulmina corda mortalium quassabant. Sic nimius pauor homines traxit ad idola, mundũ erroribus occupauit. Non sic supplicia frænant homines, vt illos frænat exhibitio charitatis, & mãsuetudinis. Sustulit à virga Dominus ferrum, & posuit flores, & fructus, & sic feralissimos quosque à vitiis fecit cohiberi. Huc stat Isai.c.11.

Isai.11.

Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Et post pauca: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos: vitulus & lupus pascentur simul, &c.* Ecce tibi ex quo ferrea cuspis ablata fuit à virga, & illi flos appositus apparuit, & vt ait D.Hilar.in Psal.2.

D.Hilar.

Virga feueritatem floris suauitate temperans, nõ mansit fera, quæ morderet, sed feralissima quæque innocue cum mansuetis habitabant. Equidem non tam seueritas, quam lenitas, quam mansuetudo potens est, vel feras domare. Christus Dominus ad reducendum mundũ efferatum mittens Apostolos ait Matt. 10.

Matt.10.

Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Quod expendens Chrysost.in Psal. 150. fatur:

Chrysost.

Quid est oue mansuetius? Quid verò lupo agrestius? Ille tamẽ ab hac superabitur. Nihil enim mansuetudine potentius, nihil lenitate validius, ac firmius. Nullo fortius armaret Dominus suos quam mansuetudine, quam suauitate, vt feralissimum mundum expugnarent. Non sic si fulmina contorquerent, si pestes immitterent, hostiles animos concuterent, sedarent. De hoc plura supra tom.1 in vet.Test.lib.2.c.2.§.17.& tom 4.in Euang.lib.16.cap 8.§.3.& cap.9.§.8.& cap.15.§.33. & sæpe alias.

§. IV.

Dignitas à Deo accepta pulcherrimis virtutum fructibus innotescit.

ECce signum clarissimum acceptæ à Deo dignitatis, nimirum. *Quem ex his elegero, germinabit virga eius.* Non sterilis est, nec turpis iacet dignitatis virga ex Deo habita, quin potius pulcherrimis virtutum fructibus manifestatur. Vt vel hinc euidẽtissimè pateat, si Deus, vel diabolus dederit dignitatem, quod vel sterilis, & turpis iaceat, vel multis virtutum operibus cõspicua clarea. Abraham peregrinus erat in Hebrõ, vbi amisit vxorem suam, quam vt mandaret sepulchris, agrum petiit à filiis Heth, cui illi dicunt Genes. 23.

Gen.23.

Audi nos domine. Princeps Dei es apud nos, &c. Alij legunt: *scimus, quod à Deo venit nobis rex.* Et miraris, quod regia dignitas Abrahamidis à Deo mandata sic in peregrino Abrahamo alienigenis innotescat. Vnde sic innotescebat regia dignitas à Deo in Abrahamum profecta? Iam Abrahamus cum paucis seruis quinque validissimos reges expugnauerat, captiuos Sodomitas redemerat, decimas Melchisedecho soluerat, fœdera cum Abimelecho inierat, multasque alias virtutes omnibus conspicuas effecerat. Ex tot eius virtutum operibus euidẽter eius dignitas innotescebat, quod ex Deo esset. Ait D.Chrysost.in Psal.4.

Chrysost.

Scimus, quod à Deo venit nobis rex. Vnde scitis? Ex victoria, ex triumphis, ex bellis Accedãt huc, qui noscere amãt, à quo habent magistratus Reipublicæ, principes, magnates dignitates suas, à diabolo, an à Deo. Si ab iis nihil virtutis cernitur, nullus fructus vtilitatis, nullus triumphus, sed indigna mulierculatum seruitus, omnis turpitudo, notissimus vitiorum fœtor. Horum dignitates non à Deo venerunt; at si in eis appareant bella pro virtute, victoriæ, triumphi, res præclare gestæ, euidentissime patet, quod eorum principatus à Deo veniant. Habent hoc dignitates, quæ à Deo in homines peculiari electione sunt profectæ, vt eos ad opera virtutum, vel quasi cogant, vel excitent. Notissima est Dauidis historia, vt puer de post fœtantes ereptus designatus fuerit à Deo rex. Quid tunc? Ait 1.Reg.c.16.

1.Reg.16.

Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrum eius. Et directus est spiritus Domini à die illa in Dauid, &c. Et simul ei dignitatem adscripsit regiam, & directus est in eum spiritus Domini. Et quo signo in illo erat Deus? Ait Hier.lib.de Tradition.Hebr.

Hieron

Ideo directus in Dauidem spiritus Domini dicitur, eo quod tunc Psalmos canere cœperit. Imò quod mirere magis, ait Procop.in Glossa: *Cultus Dei, qui per instrumenta musica exercetur, non quidem à Deo traditus, sed à Dauide religiose excogitatus est. Diuino enim ardore inflãmatus, ea, quæ homines ad lasciuiam, & libidinẽ accendunt, ad pietatem traduxit.* Quid pulchrius? Quod euidentius signum principis facti à Deo, qui cum primum notam dignitatis accepit, statim operam nauauit, vt quæ seruiebant libidini, seruirent Deo? Sic vel dignitatis nota non sedebat, non iacebat sterilis, vel in paruulo oues pascente. Insuper cap. 17. cum audisset Saulis, imò totius populi metum à Philisthæo bellatore maximo incussum; post multa obiecta, quæ vel validissimum terraherent, ipse aiebat: *Num vadam, & auferam opprobrium populi, &c.* Vnde puer inexercitatus audet in tam periculosum certamen progredi? Sanè illum à Deo data dignitas ad insignia opera cogebat. Ait D. Chrysostomus homil.1.de Dauid:

Chrysost.

Nihil istic humanum inuenies, nihil quod hominis viribus conficiat, aut potentia bellatoris exerceat. Adest Dominus, adest, inquam, qui me in prælium cogit procedere. Equidem cum dignitate à Deo profecta is Dei spiritus venit, qui cogat ministrum suum, nullis non se pro honestate periculis credere. Hinc magni Athanasij electionem ad Episcoparum ponderans D. Nazianzenus orat.21.ait:

Nazian.

Non enim simul atque ad thronum peruenit, statim ob saturitatem in petulantiam prorupit. Hoc enim adulterinorum, & ascriptitiorum Præsulum est, qui cum nihil prius ad sacerdotium attulerint, nullas arumnas virtutis causa pertulerint, discipuli simul, magistrique pietatis creantur, aliosque ante purgant, quam ipsi purgati fuerint, heri prophani, hodie sacrorũ antistites, veteres vitio, pietate rudes, & recentes. Quod gratia, ac fauoris humani, non spiritus opus est. Vide quam alios principes vel fauor humanus, vel spiritus Dei creent. Ille eos creat, in quibus dignitas sordeat, sterilescat, vitiis turpetur, nullis pro virtute laboribus nobilitetur. Hic autem quos creat, insignibus facit statim operibus fulgere.

§. V.

Non nuda nomina, sed fructus, & opera requirit Deus in suis.

SIngulis virgis singulorum principum nomina affixa erãt; sed illa eligitur, quæ præterea germinaret, ait enim: *Quem elegero, germinabit virga eius.* Relictis, & reiectis aliis, solus eligitur ille, cuius virga, cuius dignitas fructum daret. Nunquam enim non eligit Deus fructus, & opera, reiicitque sola nomina dignitatum. Ait Sophonias 1.

Sophon.1.

Disperdam de loco hoc reliquias Baal, & nomina ædituorum cum sacerdotibus. Septuag. *Et nomina sacerdotum cum sacerdotibus.* Expende, quæ perdat in primis Deus, nimirum nomina ædituorum, & nomina sacerdotum. Vbi enim de perdendis aliquibus cogitat diuina ira, in eos præcipue reodit, in quibus nomina mera sunt, non opera dignitatis. Ait D.Hieron.in præsenti:

D.Hier.

Auferet Dominus nomina sacerdotum cum sacerdotibus: qui frustra sibi applaudunt in episcopali nomine, & in presbyterij dignitate & non in opere. Vnde signanter non ait; Et opera sacerdotum cum sacerdotibus, sed nomina, qui tantummodo falsa nomina præferunt dignitatum, & malis operibus sua nomina destruunt Non dignitatum nomina, sed dignitatum opera placent Deo; imò si quis nomen habet, & caret operibus, hic certissimam sibi ruinam putet imminere. Quò respiciens Paul. Actor. 23. ad Ananiam principem sacerdotum ait:

Actor.23.

Percutiet te Deus paries dealbate. Diuinam percussionem minatur, & nullum aliud in particulari crimen obiicit, quàm quod paries dealbatus sit. Cur non magis scelestum vocat, siue sacrilegum, quando illi proponit diuinam iram? Ad promerendam diuinam iram, sufficit id, quod sub parietis dealbati nomine intelligitur, nimirum, quod de pontificia dignitate non habeat aliud, quã externum nominis splendorẽ. Vbi enim quia sine dignitatis fructu cũ solo nomine inuenitur, merito possumus putare illi imminere iã diuinã iram. Ait D. Aug.lib.1.in ser. Domini in monte c.32.

August.

Paulus cũ ait: Percutiet te Dominus, paries dealbate; intelligẽtibus prophetia est. Paries quippè dealbatus, simulatio est sacerdotalem

præferens dignitatem, & sub hoc nomine tanquam candido tegumento interiorem quasi luteam turpitudinem occultans. Et quis non prophetet imminentem ruinam, & certo venturam iis, qui sub nomine dignitatis, nullum exhibent dignitatis fructum? Crede mihi homo, quisquis es in dignitate constitutus, tunc places Deo, cum fructum dignitatis exhibes, vbi autem dignitatem sine fructu habere incipis, & non de operibus eius, sed de nomine solo gaudes, seuerissimam in te solicitas diuinam iram, quæ à munere te deturbet.

Num. 17. Quas cum posuisset Moyses coram Domino in tabernaculo testimonij; sequenti die regressus inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui; & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt. Protulit ergo Moyses omnes virgas de conspectu Domini ad cunctos filios Israel: videruntque, & receperunt singuli virgas suas. Dixitque Dominus ad Moysem: Refer virgã Aaron in tabernaculum testimonij, vt seruetur ibi, &c.

§. VI.

Beneficentia, & charitas in hostes, & persecutores floridos reddit fidelium animos.

EX duodecim virgis coram Deo positis sola Aaronis virga in germen, & flores abiit. Dicit namque textus: *Inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores.* Ecce tibi in flores erumpit virga Aaronis, nimirum Aaronis illius, qui vna cum Moyse paulò ante c. 16. prostratus humi orauit pro iis, à quibus petebatur iniuriis, imo sese flammis obiecit, vt eas depelleret a suis persecutoribus. Et cur non totus floridus vadat, qui sic beneficus, & humanus extitit erga suos hostes? Ideò clamabat illa Cantic. 2. *Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. Fulcite me floribus, stipate me malis, &c.* [*Cant. 2.*] Vbi in se charitatem ordinatam videt, pro florido accubitu clamat. Sed qualis est hic charitatis ordo, ex quo sponsa impellitur ad flores captandos? Ait Guillel. Abb. apud Delrium: [*Guill. Abb.*] *Ordinauit in me charitatẽ; docuit eam, quomodo in primis Deum diligere debeat, proximum vt se ipsam, denique & hostem, eatenus vt malum malo non rependatur, sed cum iniuria beneficium commutetur.* Vbi hanc doctrinam ebibit de hostibus diligendis, non miror, quod tota florida velit esse. Vt enim quis charitate in hostes fertur, sic floribus se totum aspergit. Act. 7 de Diuo Stephano ait text. [*Act. 7.*] *Positis autem genibus clamauit voce magna, dicens: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset, obdormiuit in Domino.* Ecce tibi præstantissimus Dei athleta medio in mortis conflictu pro hostibus suis Deum exorat, & vix fundit orationẽ pro hostibus, cum statim dicitur sic occubuisse, quasi in lecto obdormisset florido. Pulchrè enim D. Nyssen. homil. in præsenti fatur: [*D. Nyssen.*] *Magnus Stephanus velatus teneris floribus, vel rore quodã leui circumfusus in dulcem simul, ac beatum somnum delatus est.* Vt inter teneros flores accubantẽ prehẽdit suauissimus somnus; sic nobilis Christi athleta dũ precatur pro hostibus, florenti rapitur mortis somno. Nec mireris, quod sub floribus accombat, qui hostibus suis benefacere nouit, quãdo qui hac viget virtute, in nullo appareat distinctus à floribus. Ait Cant. 2. [*Cant. 2.*] *Sicut liliũ inter spinas, sic amica mea inter filias.* Lilium ab spinis punctionẽ accipit, quibus ipsum reddit suę pulchritudinis honorẽ. Et illud præclarum est, quod lilium vndique videatur spinis cõpunctum; & spinæ pungentes illustrentur sub lilij candore. Sic sane, qui persequentibus se benefacit, nihil differt à lilio, quod pungentes spinas adhuc honorat. Induisti homo hunc affectum, quo lenem & mansuetum, imò beneficum te exhibeas hostibus? Ergo lilium es, eorumque florum induisti honorem. Ait ad hæc D. Bern. ser. 48 in Cant. [*D. Bern.*] *Non mediocris titulus virtutis inter prauos viuere bonum, & inter malignantes innocentiæ retinere candorem; magis autem si his, qui oderunt pacem, pacificum, & amicum ipsis te exhibeas inimicis. Id plane tibi similitudinem de lilio vindicabit, quod ipsas vsque pungentes se spinas candore proprio illustrare non cessat. An non lilium tibi videtur implere perfectionem euãgelij, quo orare iubemur pro calũniantibus, & persequentibus nos? Ergo & tu fac similiter, & erit anima tua amica Domini, & laudabit te dicens: quia sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Habes homo, vnde floridus fias, imò vnde vt flos, & lilium in Dei paradiso existas: lilium es, si pro hostilibus puncturis te beneficum exhibeas: & vt flos inter flores occumbes, quando sciueris parcere inimicis.

§. VII.

Dignitatis recepta locus nunquam non exhibeat principem suauem, & mitem.

ILlud notare libet, quod ait: *Inuenit germinasse virgam Aaron in domo Leui: & turgentibus gemmis eruperant flores, &c.* Iã virga Aaronis in flores, & dulces efformatur fructus, quæ olim in serpentem efformata coram Pharaone ibat. Ait enim Exod. 7. [*Exod. 7.*] *Tulit Aaron virgam coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in colubrum.* Tunc virga in colubrum vertitur, quem rebelles timeant; modò ea ipsa virga in tabernaculo posita, ibique relicta, non in colubrum, sed in flores, sed in fructus abit suauissimos. Et cur, quæ coluber fuerat rebellibus, in tabernaculo posita & flores, & suauitates emittit, vt etiam rebelles conuincat? Sanè iuxta tabernaculi ostium acceperat primo Aaron dignitatis insigne. Habe enim Leuit. 8. [*Leuit. 8.*] *Congregataque omni turba ante fores tabernaculi, ait Moyses, iste est sermo, quem iussit Dominus fieri. Statimque obtulit Aaron, & filios eius, &c.* Vnde non miror, quod dignitatis acceptæ in tabernaculo virga, dum in eodem tabernaculo ponitur, non in duritiem, sed in suauitatem, & dulcedinem efformetur. Nequit enim fieri, quod vel ad memoriam loci dignitatis acceptæ principis animus non tenerescat. Hinc Ioseph. apud Egesip. lib. 5. cap. 16. conueniebat Iudæos, quod deberent expectare benignitatem ex Cæsare: ait enim: [*Egesip.*] *Spreuistis Neronem, sed Vespasianus successerat: qui benignus natura, benignior tamẽ etiã studio esse potuit, quia in Iudæa imperium assumpserat.* Et sapienter putabat, omnia Iudææ debere esse ad benignitatem principis extorquendam, qui in Iudęa principatum acceperat. Circa Iesu Domini natiuitatem Romæ fons olei scaturiuit, qui eius vnctionem regiam præmonstraret, ait enim Paul. Oros. lib. 6. c. 20. [*Paul. Oros.*] *Fons olei largissimus de taberna meritoria fluxit. Quo signo quid euidentius, quam in diebus Cæsaris toto orbe regnantis futura Christi natiuitas est? Christus enim vnctus interpretatur.* Cuius in fontis loco postea templum Beatæ Mariæ dicatum est, in eoque templo antiquitus Pœnitentiariæ sedes fuit posita. Et merito, quando in loco, in quo vnctionis suæ regiæ Dominus primo adumbrabat imaginem, decebat, vt veniæ, & misericordiæ ostenderentur effectus. Quo respiciebant duo versiculi affixi loci parieti, nimirum:

Hinc oleum fluxit, cum Christus virgine luxit,
Hic & donatur venia, quodcumque rogatur.

Sic locis, à quibus principes suæ dignitatis acceperunt auspicia, æquum est, vt maior eorum suauitatis, & benignitatis appareat exhibitio. Vt in quibus quasi efformati sunt principes, efformentur semper & suaues, & benigni.

§. VIII.

Fructus sacerdotalis muneris in humilitate vera fundatur, qua nil sibi quis attribuit virtutis.

EXscissa à sua arbore, à sua radice virga Aaronis inducta est & flores, & fructus protulisse; *& turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Et cur Deus in sacerdotis electi testimonium virgam ab arbore scissam & à radice separatam fecit abire in flores, & in fructus? Ne quis sacerdotalis dignitatis fructus, & splendores alij, quam Deo attribuat, sed in perfecta humilitate fundandos putet. Quo respiciens D. Ambros. epist. 81. inquit: [*D. Ambr.*] *Virga autem illa, quid aliud ostendit, nisi quod nunquam sacerdotalis marcescat gratia, & in summa humilitate habeat in suo munere commissa sibi florem potestatis?* Expende in quo habeatur & flos, & fructus sacerdotalis dignitatis, nimirum, *in summa humilitate:* quippe qui nihil sibi arrogat sacerdos, nihil, aut sibi, aut suis attribuit, sed omnia bona Deo accepta refert, is & fructuosum, & floridum conseruabit perpetuo suum munus. Hinc & sacerdotum, & Apostolorum princeps post sanatum claudum iuxta templi portam speciosam, nil magis curat, quam ne quid in eo facto videatur suum. Actorum cap. 3. [*Act. 3.*] *Videns autem Petrus respondit ad populum: Viri*

Israelitæ,

Israelita, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute, aut potate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus patrum nostrorum glorificauit filium suum, &c. Ecce totus Petri conatus in eo erat, vt nihil sibi attribueretur de tanto miraculo. Et cur in eo tantus erat Petrus? Nullo magis sacerdotis gloria, & fructus conseruatur, quam si à se depellat omnem suspicionem gloriæ vanæ, & Dei gloriam extollere gaudeat. Ait ibi D. Chrysost. hom. 9. in Acta;

Chrysost.

Nihil enim ita prodest, & adducit auditores, vt si non solum nihil magnum de se dicat differens, sed etiam superbiæ suspicionem damnat. Sic tamen contempta gloria magis seipsos glorificabant, interim monstrando, non humanum, sed diuinum esse, quod acciderat. Tunc magis auditores quis capit, illisque vtilior est, quando nihil magnum sibi arrogat, quando à se omnem vel suspicionem vanitatis abradit. Vis homines capere, vis fructuosum, imò gloriosum munus sacerdotij tenere? Hoc toto conatu satage, vt nihil tibi attribuas, omnia Deo refer, & floridos, & fecundissimos fructus sacerdotij habes, imo tibi assistentem habes diuinam integram potestatem ad capiendos omnium animos. Hinc Matth. 4.

Matt. 4.

Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius mittentes rete in mare, erant enim piscatores: & ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum. Sic viles, & despectos homines eligis ad hominum animos expiscandos? Cur, Domine, hos potius, quam potentes operibus, & sermone tibi assumis, vt fructum afferant circa salutem animarum? Illi eliguntur, qui minus sibi possint arrogare: quo enim quis minus sibi attribuit, magis integram seruat in se diuinam potestatem, qua fructus faciet. Ait D. Basil. Sel. orat. 30.

Basil. Sel.

Fas mihi fuit, regibus vti ministris, (ait Dominus) *fas mihi fuit Rhetorum linguas doctrina administras trahere, potui Angelorum ordinibus prædicandi munus credere, sed tunc famulantium splendor gloriã meam ad se raperet. De tuis enim existimatione, qui rem gerit, famulorum potentia quiddam detrahit. Vos ego competo fidos miraculorum meorum custodes. Quibus enim nullum humanum præsidium præsens est, apud hos Dei potestas retinetur in integro.* Sanè in nullis integrior Dei potestas & efficacior, quam in illis, qui nihil sibi possunt arrogare, qui ita se reputant totius boni expertes, vt nihil sibi attribuant, sed omnia Deo habeant relata. Ex his omnis potestas lucrandi animas nascitur, quæ minus habent, vnde alij, quam Deo, facinus tribuatur. Hinc de Iesu reclinato in præsepio locutus Theodoretus tom. 6. Concil. Ephes. Append. 5. cap. 5. hom. de Natiuic. ait:

Theodor.

In terris nascitur pradio, agrum incertum ad natiuitatem eligens, pauperculâ patitur virgine, per omnia paupera graditur, vt per eiusmodi ad salutem hominem venaretur. Ecce tibi, vt omnia paupera, & humilia præmittit Dominus, quibus homines venetur, & trahat captiuos, est equidem in humilitate hamus, est rete, quo homines maxime trahuntur.

§. IX.

Præcoci virtutum flore, qui iuuenescit, copiosam cœlestis panis messem speret.

ECce tibi sacerdotij Aaronici stemma, virga est amygdalina reflorescens, & amygdalarum nuces germinans: quippè ait: *Gemmis turgentibus eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Et cur sacerdotij Aaronici virga amygdalina eligitur, quæ floribus, nucumque suarum fructibus ditescat? Iam ibi ostendebatur diuini panis copiosissima messis, quæ à Deo sacerdotibus, temporibus Christianis, erat metenda, florens enim & germinans fœliciter amygdalus superuenturas denotat copiosas frumenti messes. Quò refero præcellentissimum Poetam Virgilium, agriculturæ sapientem, hic enim de amygdalinis arboribus locutus ait:

Virgil.

Contemplator item, cum se nux plurima syluis
Induet in florem, & ramos curuabit olentes.
Si superant fœtus, pariter frumenta sequentur,
Magnaque cum magno veniet tritura calore.

Equidem copia florum, germinisque, quæ se in amygdalis ostendit, simul denotat cum crescenti calore venturam copiosissimam frumenti messem. Vt iam discat Aaron in floribus suæ virgæ, quales diuini panis messes populis parentur, vbi diuinus calor humana corda possederit. Et simul discat homo, quibus se ad supernas dapes præparet, nimirum si præcocibus virtutum floribus iuuenescat. Amat equidem cœleste epulum reflorescentes animos, præcocibusque virtutum germinibus iuuenescentes sequi. Similiter Exod. 12.

Exod. 12.

dum agni epulum à Deo paratur populo suo, cauet in primis, vt epulum fiat mense anni primo, qui est Nisan, ait enim: *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni: Decima die mensis huius tollat vnusquisque agnum, &c.* Vbi Rabanus ait;

Raban.

Mensem primum vocat Nisan, & sic vniuersi expositores. Et quando Nisan correspondat Martio, & Aprili nostro, cur agni epulum non alio mense permittitur; nisi vt telluris exemplo discat homo, quam debeat reflorescere, & iuuenescere, qui se se diuino excipiendo epulo parat? Pulchrè ait Rup. lib. 2. cap. 5. in Exod.

Rupert.

Ipsa mensis Nisan, id est Aprilis verna tempestas, cum tellus reflorescit, totusque post hyemem, quasi post senium, rursum iuuenescit orbis, nonne hominem docet, quatenus renouatus spiritu mentis suæ, fide viridis, spe lætus, charitate floridus epulo agni paschalis intersit? Plane reflorescens homo, multisque virtutum germinibus iuuenescens se se maxime præparat, vt capere possit ditissimas diuinæ mensæ epulas. Et quis gratiæ segetem metat, qui in se primo non iuuenescat, & reflorescat? Ait Isaias cap. 64.

Isaias 64.

Facti sumus vt immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ, & cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Non est, qui inuocet nomen tuum. Non erat, qui os aperiret, vt saltem inuocaret nomen Domini. Et vnde tanta ariditas, & sterilitas in ore? Ipse ait: *Cecidimus quasi folium,* vt arbores adueniente hyeme senescentia dimittunt folia, sic illi erant in homines vetustate decidentes; ne miremur, quod minime aptentur diuinæ gratiæ excipiendæ, quæ reflorescentes, & iuuenescentes animos sequitur. Vnde ait D. Cyril. Alexand. lib. 5. in Isaiam tom. 6.

D. Cyril.

Cecidimus tanquam folia de arbore. Nec quisquam eorum est, qui germanè, ac genuinè sciat Deum inuocare, aut qui meminerit coniunctionem, quæ cum ipso est, apprehendendam, & amplectendam prompte, & quasi iuueniliter. Ne mireris, quod decidant, quod Deum non apprehendant, quando non iuueniliter apprehendunt, non in nouitate vitæ, nec quasi in reflorescenti iuuentute ad Deum accedunt. Qui sic non nouellatur, fallar, si ore penitus non arescat. Nouisti Zachariã Ioannis patrem, vt propter incredulitatem sic ore cœpit arescere, vt mutus maneret. At post natum filium Luc. 1.

Luc. 1.

Repletus Spiritu sancto prophetauit dicens. Benedictus Dominus Deus Israel, &c. Et qui mutus erat, vnde prophetat? Ait D. Irenæus lib. 3. cap. 2.

Iren.

Zacharias desinens mutus esse, quod propter infidelitatem passus fuerat, nouello spiritu adimpletus nouè benedicebat, &c. Expende illud *nouello spiritu,* quippè non antequam interius iuuenesceret, os suum benedictionibus impleuit. Simul nouitas in animo, & benedictiones diuinæ in ore refulserunt.

§. X.

Summa nobis vigilantia opus est.

NOn otiose virga Aaron amygdalina ostenditur ex fructu, vbi ait: *Eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas efformati sunt.* Cur amygdalina? Ait D. Cyril. Alex. in cat. Græca:

D. Cyril.

Gerit talis arbor symbolum vigilantiæ. Nec immerito sacerdos vigilantiæ admonetur; nullus enim virtutis flos est, qui vigilantia maximæ non indigeat. Aiebat sponsus Cant. 2.

Cant. 2.

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Ecce vt erat lilium, sic vndique imminebant spinæ, nisi attendat sibi, nisi vigilet. Ex quo D. Ber. serm. 48. in Cant.

D. Ber.

O candens lilium, ô tener, & delicate flos, increduli, & subuersores sunt tecum, vide quomodo caute ambules inter spinas. Equidem qui virtutibus flores, nisi videas, nisi vigilantibus oculis maxime attendas, nequit fieri, quod mille in mortes non recidas. Cum Ierosolyma obsideretur, Iudæus quidam Castor nomine vocabat Romanos è muro, vt se ad illos reciperent fugientem. Quid tunc? Ait Egesipp. lib. 5. cap. 3.

Egesipp.

Æneas tamen propius murum successit, & vt aduenientem susciperet, occurrit. Cui Castor vociferans, vt sinum aperiret, aurum exciperet, saxum demisit. Ille oculis vigilantibus lapidem præuidit, celerique corporis saltu lapsum euasit: alium tamen prope adstantem saxi inuoluit immanis ruina. Expende illud, *oculis vigilantibus saxum præuidit;* saxa sunt, quæcumque ex mundo nos circundant: quæ hostes nostri sic colorant, quasi aurum sint, quasi nostris vsibus accommoda. Horum damna ille solus non sentit, qui vigilat, qui vigilantibus oculis lapidem in ipsis deliciis præuidet, qui hoc non attendit, immanibus ruinis inuoluetur. Et quando non vigilare non fuit periculosum? Ait Matth. cap. 8.

Matt. 8.

Et ascendente Iesu in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius; & ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipse vero dormiebat. Vix nauicula se fluctibus commendat, & commoti fluctus aduersus nauiculam feruntur, eiusque latera acriter verberant, & pene iam trementem submergunt. Et vnde tam sæua tempestas? Vnde iam pe-

periculosa ventorum certamina surrexerunt? Ait textus: *Ipse verò dormiebat*, dormiebat Iesus, & ostendebat, quot minime vigilantes pericula petant. Dormiebat, inquam, Iesus non inertia, sed studio, vt doceret, quam debeat vigilare, qui in mari huius mundi periculis liberum iter agere velit. Ex quo ait D. Basil. orat. 22. *Aduersus discipulos cum talis tempestas depræliaretur, Dominus dormiebat. Ecquod hoc tantum nauigantibus prælium? Somnus. O somnum quo fidem dormitantem in media maris tempestate Dominus excitare parabat!* Vt dormitantis fidei damna præmonstret Dominus, dormiebat ipse oculis corporis. Quid tunc? Videres furere ventos, sæuire fluctus, nauiculam submergi, quorum discriminum causa vnus somnus erat. Crede mihi, si dormiat in te fides, si non vigilas animo, summis passim perditionis periculis inuolueris.

D. Basil.

§. XI.

Sub Christi passi signo omnes de principatu contentiones vt debent quiescere.

FLorida Aaronis virga iubetur in sanctuario asseruari, vt sit in signum rebellibus, & de principatu contentio conquiescat. Dicit enim: *Refer virgam Aaron in tabernaculum testimonij, vt seruetur ibi in signum rebellium filiorum Israel, & quiescant querelæ eorum à me.* Supra cap. 16. similiter iusserat Dominus, vt combustorum thuribula in laminas extensa affigerentur altari in testimonium populo. Sic enim habes: *Tollat thuribula quæ iacent in incendio, producatque ea in laminas, & affigat altari: vt cernant ea pro signo, & monumento filij Israel.* Non tamen addit, *& quiescant querelæ*, & cur cum thuribula combustorum appenduntur in signum rebellibus, non additur, vt quiescant querelæ; cum autem virga Aaronis in signum asseruatur, statim additur illud, vt quiescant querelæ? Vnde sola virga florens, & germinans censetur efficacior ad sedandas querelas, & contentiones de primatu, quàm thuribula repræsentantia mortes ducentorum & quinquaginta rebellium? De virga Aaronis agebat D. Aug. serm. 99. de Temp. *Vnus solus est pontifex Aaron, cuius virga germinauit: verum quoniam verus pontifex Christus est, ipse solus est, cuius virga crucis, non solum germinauit, sed & floruit, & omnes hos credentium populorum attulit fructus.* Itaque virga Aaron repræsentabat non rebellium mortes, sed Iesu patibulum sub qua repræsentatione non miror, quod quiescant omnes de primatu contentiones. Non sic ad conspectum innumerabilium morte affectorum, vt ad conspectum Dominicæ crucis contentio de primatu conquiescere potest. Dum Iesus apparuit in cruce suspensus ait Luc. cap. 23. *Tenebræ factæ sunt in vniuersam terram vsque in horam nonam. Et obscuratus est Sol.* Antiquitus diuisum erat & diei, & noctis imperium, adeo vt Sol diei imperans non pateretur secum tenebras noctis, sed eas quamprimùm à sua ditione expellebat. Modo autem Sol in ditione sua noctis tenebras admittit, nec eis repugnat, nescit enim in conspectu Crucifixi de iurisdictione contendere. Pulchre enim ait D. Chrysost. serm. 3. de Pass. *Adhæsit quietum corpus Christi stipiti, & immobile lignum inconcussa membra portauit. Minatur esse proprio mundus excidio, & rerum natura insolito pauore terretur. Sol abscondit radios suos, & orbem globus luminis obscurauit, atque incubatricem noctem dissimulato iure contradictionis admisit.* Expende illa, *noctem, dissimulato iure contradictionis*. quippe in conspectu Christi crucifixi nulla creatura est, quæ non cedat iuri suo. Et quis contendat pro loco priuatio, pro iurisdictione coram Dei filio cruci suffixo? Efficacissima est eius passio vt contentiones ambientium comprimat. Pulchrè notauit Lucas passionis Dominicæ processus scribens cap. 23. *Et facti sunt amici Herodes, & Pilatus ipsa die. nam antea inimici erant ad inuicem* In causa autem inimicitiarum erat contentio de iurisdictione, & primatu, quæ solet frequens esse inter vicinos principes. Id insinuat ex Theophylacto, D. Thom. in cat. aureus: *Fit amicitia communis exordium, quasi Pilato non vsurpante sibi subditos ditionis Herodis.* & quando amicitia inde incepit, quod videretur Pilatus non vsurpare Herodis iurisdictionem, sane primæ contentiones, & rixæ pro iurisdictione, & dominatus priuilegijs erant. Hæ tamen prorsus cessauerunt, vbi Christus Dominus morte damnandus sistitur iis principibus. Ille enim solus potens est similes contentiones sistere. Et decuit, vt hęc Iesu patientis potestas prius ostenderetur in suis iudicibus. Ait D. Cyril. Ierosol. Catech. 13. *Decebat enim, qui mundum erat pacificaturus, vt prius etiam ipsos iudices suos pacificaret. Et erat ipse Dominus [illegible] corda [illegible] terra.* Equidē principū corda ambientiū principatus præcellentias, de contendentiū vnus Iesus patiens valet cōponere & sua efficacia, & suo exemplo.

Luc. 23.

Chrysost.

Luc. 23.

D. Thom.

D. Cyril.

CAPVT XXVII.

De contradictionis aqua.

Textus Historia.

FLVXERANT, ex quo egressi sunt ex Ægypto Israelitæ, anni triginta & nouem; quorum duos primos impleuerunt, quæ vsque huc dicta sunt: cæteros omnes pax clausit, & scripturæ silentium. Vix autem quadragesimus annus incepit, & primo eius mense eripitur è viuis soror Moysis Maria. Nec credam tantæ fœminæ defuisse & fratrum, & totius populi fletus: quos forsan scriptura non meminit, dicturæ Moysis, Aaronisque offensam longe maiori dignam lamento. Ij post tot annorum quietem noua populi seditione ob aquæ penuriam exagitati, à Deo viuidas aquarum venas aperiri contendunt. Iubet Deus aquas à saxo peti. Non omnino persuadentur fratres velle Deum sic mederi siti rebellium: & Moyses sublata virga bis silicem percutit, & virga voce duriori seditiosorum animos ferit, quasi incertus si velit Dominus fauere. Insidum senem conuicit copiosissimum aquæ fluentum, à percussa rupe profectum, & grauius conuicit Dei sententia, quæ familiarissimo antiquitus sibi viro abnegat promissæ terræ ingressum. Quid miret? Tot infidelium subditorum turmæ tandem in erroris & pœnæ aliqualem societatem suum principem rapuerunt. Vnde aquæ tanto miraculo extortæ infaustum contradictionis nomen acceperunt.

PARS VNICA MORALIS in textus literam.

ITERVM rupes aquas vomit, ne stylus noster arescat, sed miraculoso fluento recreatus ad nouas virtutum euolet faciendas messes.

Numer. 20. Venerunt filij Israel & omnis multitudo in desertum Sin, mense primo, & mansit populus in Cades. Mortuaque est ibi Maria, & sepulta eodem loco. Cumque indigeret aqua populus, conuenerunt aduersum Moysem, & Aaron; & versi in seditionem dixerunt: Vtinam periissemus inter fratres nostros coram Domino! Cur induxistis nos in solitudinem, vt nos, & iumenta nostra moriamur? &c.

§. I.

Ambitio funerum & sepulchrorum taxatur.

TAnta illa fœmina & matris Dei nomine, & virginitatis professione insignis moritur in deserto, & inibi sepelitur. Sed qua ambitione, & pompa peractum fuit illius funus? Vnum hoc dicit textus: *Mortua est ibi Maria, & sepulta eodem loco*; nihil de impensis, & pompa funeris, nec de ambitione sepulchri dicit; nec decerer, quod Moyses, & Aaron Israeliticæ Reipublicæ moderatores, & fundatores permitterent vanissimos, & ambitiosissimos funerum sumptus in sororis funere, & sepulchro. Et vtinam discamus à sanctissimis iis, & sapientissimis principibus abstinere a vanis sepulturæ sumptibus. Sanè Iesus Dominus plenus aromatibus, pretiosisque linteaminibus positus erat in sepulchro, vbi autem resurrexit, ingressus Ioannes in monumentum cap. 20. *Vidit linteamina,*

Ioann. 20.

teamina, & sudarium, quod fuerat super caput eius, &c. Et quidem vt fidem resurrectionis faceret, vulnerum cicatrices reseruauit, quas & ostendit discipulis, linteamina autem aromatibus plena reliquit in sepulchro. Cur non magis & cum cicatricibus vulnerum, & linteamina seruauit, illaque secum tulit, vt illis obiectis testaretur etiam discipulis se resurrexisse? Cur hæc maluit in sepulchro relinqui, nisi vt ostenderet hominibus parui æstimari, quæ conducunt ad solos funerum sumptus? Ex quo monebat D. Chrysost. 84. in Ioann. *Consolatus est Ioannes videndo linteamina posita, & sudarium separatum reuolutum. Tu autem cum audieris nudum Dominum resurrexisse, cessa, quæso, ab insana funeris impensa. Quid sibi hoc superfluum vult, & inutile dispendium, quod ipsis, qui faciunt, plurimum affert detrimenti, mortuo autem vtilitatem nullam?* Et quis amicorum funera, & sepulchra illis impensis impleat, quæ despicienda sunt à resurrecturis? Crede mihi, non Deo placent, non defuncto vana dispendia in pompis funerum, & in sepulchris. Adeo, vt cum inter misericordiæ opera ponatur, quod proximorum curemus sepulturas, & hoc in opere sanctissimi floruerunt viri. Cum tamen in iudicio hominibus accepta referi, misericordiæ, minime sepulturæ meminit. Ait Matth. 25. *Esuriui, & dedistis mihi manducare. Sitiui, & dedistis mihi bibere. Hospes eram, & collegistis me. Nudus, & operuistis me. Infirmus, & visitastis me. In carcere eram, & venistis ad me.* Ecce tibi, quam minutatim numerat opera misericordiæ exhibita circa cibum & potum, & vestitum, & hospitium, & leuamen ægritudinis, de sepultura autem nec verbum dicit. Cur nõ ait: Mortuus fui, & sepeliistis me? An non placet illi officium sepulturæ? Absit; sed voluit sic traducere vanos sepulcrorum, funerumque sumptus. Ait D. Chrysost. vbi supra: *Vt intelligas nihil curæ hæc Christo esse ait: Esurientem me vidistis, & dedistis mihi manducare. Sitientem, & dedistis mihi bibere. Nudum & induistis me, non autem mortuum, & sepeliistis me. Quod eo, non vt sepulturam tollam, dico, absit; sed luxuriam, & superfluam ambitionem.* Hunc spiritum ebiberunt omnes sancti, & prudentes viri, quo abominabantur superfluam ambitionem funerum. De sapientissimo senatore Pãmachio in vxoris funere ait D. Paulinus epist. 35. *Quam non vacuam fletibus, neque vane pomparum inanium honore comitatus est, sed remediis salutaribus, sed viuis operibus eleemosynarum prosecutus, debito ordine primo charo funeri iusta persoluens, piis lacrymis, & largo charitatis rore perfusum religiosis exequiis honorasti.* Hic est verus honor, & proficuus defunctis, qui viuis operibus charitatis exhibetur; non qui inanibus pomparum sumptibus ostentatur.

Chrysost.

Matt. 25.

Chrysost.

Paulin.

§. II.

Carnales homines nil aliud æstimant nisi saturitatem, & abundantiam.

Ecce tibi vt penuria aquarum incepit sentiri, & seditio exoritur, & rebellatio in Deum, & Moysem, & vilipendium vitæ, & salutis. Ait enim: *Cumque indigeret aqua populus, conuenerunt aduersus Moysem & Aaron, & versi in seditionem dixerunt: Vtinam periissemus inter fratres nostros coram Domino, &c.* Sic carnales homines, vbi penuria laborant aquarum, nihili æstimant, quod euaserint tot pestes, tot mortis pericula, imo nihili æstimant Deum, neque Moysem, quos solum suspiciunt, cum ex Deo habent saturitatem. Ioann. cap. 6. fecit Dominus multitudinem ingentem Iudæorum discumbere in terra, insuper famelicos hos & piscibus, & panibus saturauit. Quid tunc? *Illi ergo homines cum vidissent, quod Iesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum.* Multa alia viderant miracula super iis, qui infirmabantur, propter quæ & illum in desertum sequebantur. At nunquam alias confessi dicuntur Iesum esse verè prophetam à patribus expectatum. Cur modo hanc tantam confessionem faciunt? An quia fideliores facti sunt? Minime, sed quia sunt exsaturati. Saturitas est, quo reguntur carnales, clauus. Dum illos saturas, habeberis ab illis propheta, habeberis sanctus, imò non dubito quin Deus habearis. Verum vbi primum penuria intrauerit, te exspuent, te abnegabunt. Ait D. Chrysostom. hom. 41. in Ioannem: *O gula incredibilem auiditatem! Maiora iis miracula, & quidem innumera operatus est Iesus, neque hoc vnquam confessi sunt, nisi nunc exsaturati.* Videbant plura miracula à Iesu facta, & nunquam illum confessi sunt Prophetam speratum, nunc autem iam illum prophetam clamant, & Deum clamabunt, dum nulla penuria laborant, sed sunt saturati. Nec in acclamatione prophetæ quiescunt; dicit enim Ioan. 6. *Iesus ergo cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem, &c.* Quis ignoret antehac Iudæorum calumnias? Vt Iesu insidiabantur, vt Sabbathi transgressorem habebant, vt male de eius obseruantia suspicabantur. Modo nihil horum ponderant, imo nihil horum recordantur, sed illi cupiunt regnum tradere. Et qualis res tantam in eorum animis mutationem causauit? Vna fuit saturatio, dum se vident saturatos nihili æstimant alia, contenti sunt, & affecti ergo saturantem. Id quod notans D. Chrysost. supra ait: *Proh quanta gula vis, quam mutabilis sententia! Iam non amplius calumniantur, nec Sabbathi transgressionem curant, neque Dei zelo mouentur, omnes has curas pleno ventre absterserunt, propheta erat, regem volebant: Christus autem fugit.* Vna est gula, quæ homines carnales quietos, aut inquietos habet. Dum gula saturata quiescit, quiescunt ipsi, contentiones, & seditiones vel pro Deo abominantur. Si gula laborat penuria, tunc nulli parcunt, neminem verentur, vel aduersus Deum murmurabunt.

Ioann. 6.

Chrysost.

Ioann. 6.

Chrysost.

Numer. 20. Ingressusque est Moyses, & Aaron dimissa multitudine in tabernaculum fœderis, corruerunt proni in terram, clamaueruntque ad Dominum, atque dixerunt: Domine Deus audi clamorem huius populi, & aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ viuæ, vt satiati cesset murmuratio eorum. Et apparuit gloria Domini super eos. Locutusque est Dominus ad Moysem dicens: Tolle virgam, & congrega populum tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram, coram eis, & illa dabit aquas, &c.

§. III.

A Dei cultu humanitas in proximos venit.

Seditiosorum fugiunt factionem Moyses, & Aaron, & tabernaculum ingrediuntur, ibique multis nituntur a Deo commoda suis rebellibus extorquere. Sic ait textus: *Ingressusque est Moyses, & Aaron in tabernaculum fœderis, corruerunt proni in terram, clamaueruntque ad Dominum, atque dixerunt: Domine Deus audi clamorem huius populi, &c.* Cur non magis petunt vindictam contra rebelles? Cur nõ magis solicitant diuinam iram aduersus eos, qui sibi existunt molesti? Fateor sanctos hos multum irritari a rebellibus, cum coguntur fugere ab eis, sed vbi ad Dei tabernaculum perueniunt, vbi se sistunt Deo, non possunt non tenerescere in ipsis rebelles, eorumque malis dolere, & a Deo postulare remedium. Habet enim hoc præcipuum Deus verus, vt non æstimet cultum eorum, qui humanitate in proximos non tenentur. Merito Ionas a ceto voratus, & in ventre eius orans dicebat cap. 2. *Ego dixi, Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum, veruntamen rursus videbo templum sanctum tuum.* Et cur tantus propheta sic repellebatur à Dei conspectu? Cur à Dei oculis se agnouit reiectum? Nihil aliud in eo inuenies, nisi inhumanitatem in peccatores; mittebatur in Niniuitas, vt illis denuntiaret imminentem pœnam; ille autem cauens, ne ex sua denuntiatione tracti ad pœnitẽtiam supplicium euaderent, legationem detrectat, vt miseri suorum criminum luant pœnas. Ob hoc traditur vorandus belluæ, ab oculis Dei reiicitur, nec permittitur videre sanctum Dei templum, donec mansuetior in peccatores efformetur. Ex quo aiebat D. Basil. Sel. orat. 12. *Homines, qui nullo alieni mali sensu tanguntur, in diuersum Deus agit, & neque propheto parcit veniam flagitiosis dare nolenti, neque eorum veneretur iustitiam, qui inhumanitate laborant.* Multis licet virtutibus corusces aliis, si in proximos inhumanus es, si non molliris fratrum miseriis, nec ad misericordiam illis habendam inclinaris, nullus apud Deum es, nec ille vllum tuis virtutibus respectum habet. Hinc primo se se ostendit cultus Deo placitus, si adiunctam humanitatem in proximos habeat. Imò hinc discernitur, qui colit Deum, ab eo qui creaturis famulatur. Ait enim Dominus Ezech. cap. 11. *Spiritum nouum tribuam in visceribus eorum: & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum.* Magnum hoc, quod Deus suis cultoribus promittit, nimirum quod auferet ab eis, ipsi-

Ionas 2.

Basil. Sel.

Ezech. 11.

dea corda. Sed illud valde est mirandum, quod corda lapidea haberent homines carnei. Vnde hominibus tantum obueuit malum, quod circa præcordia lapidescerent? Vnde sic obriguerunt humana corda, vt essent instar lapidum? Ait D. Cyr. Alex. in cap. 14. Zachar. *Cum creaturæ potius seruirent, quam creatori, velut lapideum cor, durumque & inflexibile, & in morem petrarum nullos fructus afferentium habebant.* Ecce tibi discrimen euidens eorum qui creaturis, aut Deo famulantur. Ex creatorarum famulatu hoc habes, vt tibi cor lapidescat, nihilque molle, nihil blandum, nihil suaue in proximos tractet. Ex cultu Dei totus sis suauis, & blandus, vt condolere possis fratrum infirmitatibus. Nec est, qui ad Deum oculos vertat, quin statim fiat ipsa suauitas vel in aduersarios. Act. 7. aiebat Stephanus: *Ecce video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei.* Ex quo raptus ad mortem, dum inter aduersariorum lapides iactos animam agit: *Positis genibus clamauit voce magna dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Quid magis connexum? Filium Dei vidit, & in hostes manauit suauitate. Ait D. Nissen. orat. de Sancto Stephano: *Sit is, qui Christum cernit, aduersus hostes se gerere nouit. Quoniam enim laudatus præceptorem videbat, recordatus est legum ab eo latarum, inimicos diligere iubentium, & benefacere odio prosequentibus, & pro hostibus facientibus orare.* Sic de Dei conspectu homo suauiatur vel erga molestissimos sibi contrarios.

Cyr. Alex. — *Act. 7.* — *Nyssen.*

§. IV.

Qui Deo nititur, dum solum loquatur, omnia sibi suppeditari faciet.

HOc petit Dominus à sibi fidis ministris, vt loquantur, quo solo omnia suppeditari sibi facient. Sic modo ait: *Loquimini ad petram, & illa dabit aquas.* Non alia maiori diligentia eget Moyses, vt vel de aridis saxis extrahat riuos aquarum, quam quod loquatur ad saxa. Sola enim Moysis vox potens erat ingenti populo omnia ministrare necessaria. Ait D. Basil. orat. 26. *Comprehensa virga Moyses elementis imperabat, & consermi vox lata pascebat Israel.* Sic qui Deo nititur, qui Dei ministerium peragit, virgam habet, quam vniuersæ creaturæ verentur, & eius vox sola facit omnia, vel in arenti solo abundare. Siue e rupibus aquæ eruendæ, siue ex aere trahendæ carnes, siue panes de cœlo, loquebatur Moyses, & eius vox lata ingentem populum pascebat. Et quid non posset vox hominis in Deo fidentis? Inermis, & inexercitatus puerulus Dauid introducitur, 1. Reg. 17. aduersus armatum Philisthæum, & ecce tibi qualia imprimis arma exerat puerulus: *Dixit Dauid ad Philisthæum. Tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti hodie, & dabit te Dominus in manu mea, &c.* Expende vocem, & non miraberis trophæum, ait enim confidens: *Dabit te Dominus in manu mea,* hæc dixit, hæc accepit. Id quod ponderans D. Chrysostom. hom. 3. de Dauide, & Saule ait: *Hæc vox lapidem veluti manu direxit in Goliath, hæc pauorem incussit barbaro, hæc hostis confidentiam fregit. Et quid miraris, si vox iusti, & furorem mitigat, & hostes deiicit, cum impios quoque spiritus expellat? Loquebantur tantum Apostoli, & fugiebant aduersariæ potestates. Vox sanctorum frequenter, & elementis sluere fecit, & potestates illorum immutauit. Locutus est tantum Iesus Naue & constitit Sol, & Luna. Sic Moyses, &c.* Plane eius, qui Deo fidit, vox validissima est, vt faciat sibi seruire omnia elementa, vt faciat, quod sibi vel à rupibus bonorum flumina veniant. Ingeritur potestas Dei hominis sui voci, & sic nullos non deliciarum fluuios facit parturire, vel in solo arenti. Quò Ioannes respiciens Ioan. 1. ait: *Ego vox clamantis in deserto.* Nullas alias vires, nullam aliam substantiam, nec potentiam sibi voluit attribuere, nisi substantiam vocis clamantis in deserto. Et quando se vocem dicebat, miror, quod non potius dicat se esse vocem clamantis in platearum frequentia, in hortis deliciarum, inter paradisi fruteta. Ad hanc vocem multi currerent; ad vocem autem clamantis in deserto, quis non vereatur accedere? Quis non timeat sibi à fame, & sterilitate deserti? Cur ergo non magis cauet, se vocare vocem clamantis in deserto? Vbi dicit vocem clamantis, vocem Dei intelligit, qui suorum voci insertus, eam illi indit potentiam, qua faciat vel ab arenti deserto & sites, & fames humanas expleri. Eò aspiciebat Origen. ibi fatus: *Ait se vocem esse non clamantem in deserto, sed clamantis in deserto, stantis, & vociferantis, si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Non te moueat, quod vox Ioannis sonet in deserto; ea enim vox nititur Deo, vbique clamanti, & potum offerenti sitienti. Qui neminem sitire permittit, sed vel arentia saxa deserti in vasa conuertet, quæ dulcissimo latice tuam sitim expleant.

Basil. Sel. — *1. Reg. 17.* — *Chrysost.* — *Ioann. 1.* — *Origen.*

§. V.

Fidei vis supra omnes creaturas sit.

CVm aquas petunt, ad petram aridissimam mittuntur, vt inde illas accipiant; ait enim: *Loquimini ad petram, & illa dabit aquas.* Cur non magis ad nubes, vel ad cœlum roscidum, vel ad solum humidum mittuntur? Quid petræ ariditas cum aquis? Sed mauult Deus, vt fidei nostræ vis maior sit omni obsistenti natura. Matt. 8. *Ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus, ipse vero dormiebat. Et accesserunt ad eum, & excitauerunt eum dicentes; Domine salua nos, perimus. Et dicit eis: Quid timidi estis modicæ fidei?* Modicam, & contemptibilem fidem eorum mordet, quod timuerint sæuientem maris tempestatem. Et cur in tam iusto timore eorum modicam fidem damnat, nisi quia in suis eam fidei magnitudinem requirat, quæ superior sit omnibus incursibus creaturarum? Ait D. Basil. Sel. orat. 22. *O dignas Domino voces! Vult fidei vim rebus conditis esse valentiorem, & ad fidei præsentiam omnem ab anima desperationem eliminari.* Nulla natura debet esse adeo fortis in repugnando, quæ per fidei vim non vincatur. Hæc valentior omnibus debet esse, nullumque aditum relinquere in anima, vel dubitationi, vel timiditati. Ex quo extollit Abrahamum Paulus ad Rom. 4. aiens: *Qui contra spem, in spem credidit: vt fieret pater multarum gentium. Et non infirmatus est in fide, nec considerauit corpus suum emortuum, cum ferè centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ. In repromissione etiam Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide.* Chrysostomus legit: *Roboratus est fide,* quando quidquid naturæ erat, obsistebat, & repugnabat promissioni, tale robur fidei adiecit Abrahamus, quæ superaret vniuersas naturæ leges, omnemque hæsitationem ab anima expelleret. Crede mihi, nulla debet esse naturæ potentia, supra quam fides non se maxime efferat, Matth. 14. *Descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquas, vt veniret ad Iesum.* Vnde hoc? Ait D. Cyril. Ierosol. Catech. 5. *Credens ambulauit super aquas, omni fundamento firmiorem super aquas habens fidem.* Fœlix Petrus eam habens fidem, respectu cuius vniuersa creata sunt infirma.

Matt. 8. — *Basil. Sel.* — *Rom. 4.* — *Chrysost.* — *Matt. 14.* — *Cyr. Ier.*

§. VI.

Fidei opus præstantissimi, magnique animi opus est.

AD saxum aridum mittitur Moyses, vt inde copiosas aquas eliciat, cum ait: *Loquimini ad petram, & illa dabit aquas.* Et cur ad petram pro eruenda aqua mittitur Moyses, nisi vt fidelissimi viri magnitudo animi in credendo ostenderetur? Quando enim in petra nihil erat ad dandam aquam nisi sola promissio Dei, magni sanè, & præstantissimi animi opus est, vni Deo dicenti credere. Pro quo elegantissime stat Philo lib. Quis rerum diuinarum sit hæres, in hæc verba. *Dicat fortasse aliquis: Qui Deo loquenti, pollicentique fidem non adhibeat, etiamsi esset impius, & omnium mortalium iniustissimus? Caue, ò præclare vir, ne temere sapientem fraudes suis laudibus. Nam si penitus scrutari rem volueris, comperies, quam difficile sit credere soli Deo absque vllo testimonio, propter cognationem, quam habemus cum rebus mortalibus, quæ nobis persuadent, vt credamus, fidamusque gloriæ, principatui, amicis, sanitati, roboríque corporis, & cæteris pluribus. Has persuasiones eluere, & diffidere creaturæ per se infidissimæ ac soli Deo fidere, qui solus vere fidus est, rei est animi magni, cælestisque, non inescati rebus nostratibus.* Sane quando nostra natura tota sensibilibus rapitur, doctaque est à sensibus fidere visibilibus iis, nimirum gloriæ, principatui, viribus corporis, magno, & præcellenti, & ab omni re caduca defæcato indiget animo, vt nudæ promissioni diuinæ fidem habeat. Vbi nihil ex parte rei visibilis apparet, sed nuda Dei promissio ostenditur, grandis, cœlestisque animi opus est, quod credere ames. De Abrahamo ait Paul. ad Rom. 4. *Qui contra spem in spem credidit, vt fieret pater multarum gentium: Et non infirmatus est fide, nec considerauit corpus suum emortuum, cum ferè centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ. Sed confortatus est fide, &c.* Mortua erant omnia humana, quæ generationis spem possent alere, & nihilominus vir fidelis contra emortuam spem hominis, nudæ spe promissionis decertabat. Et quantæ virtutis opus erat? Merito ait: *Confortatus est fide,* siue roboratus, ingentis enim roboris, animique prorsus virtute confirmati,

Philo. — *Ad Rom. 4.*

&

& roborati, si nudæ Dei promissioni fidem habeat. Quo spectans Oecumenius ait: *Multa quidem imbecilla manet, & qua fidem illius imbecillem efficerent, verum ad nihil horum infirmatus est generosus animus. Sed roboratus est in fide. Dicens, Roboratus est, ostendit multo labore, ac virtute animi fidem dirigi.* Non putet homo, quod facile possit Deo credere in iis, quibus visibilia omnia refragantur. In iis enim Deo soli credere sine visibilium testimonio, ingentis roboris opus est, animique maximæ præstantis.

Oecum.

§. VII.

Præstantis virtutis opus est, quod sermone emollias duritiem humani cordis.

VT aqua educatur ex petra, vnum hoc petit Dominus, vt ad illam loquatur Moyses, dicit enim: *Loquimini ad petram, & ipsa dabit aquas.* Et cur non magis petit, vt virga illam percutiat? Equidem volebat ostendi præstantem virtutem hominis, quæ in eo ostenditur, quod vel sermone possit emollire lapidescentia humana corda. Postquam Dauid in spelunca se cohibuerat ab interfectione Saulis, egressus post eum clamauit, & multa dixit, quæ suam ostenderent beneuolentiam in regem. Quid tunc? Ait textus 1. Reg. 24. *Cum autem compleßet Dauid loquens sermones huiuscemodi ad Saul, dixit Saul: Numquid vox hæc tua est, fili mi Dauid? Et leuauit Saul vocem suam, & fleuit.* Qui obduratus erat Dauidis odio, modò in lacrymas soluitur, vt audit vocem Dauid, ex quo Dauidicæ virtutis præstantiam ponderans D. Chrysostom ait hom. 3. de Dauide & Saule. *Quid esse posset hoc propheta beatius, qui breui temporis momento sic hostem è furore ad sobrietatem composuit? Non perinde miror Moysem, quod è saxo prærupto fontes eliciuit aquarum, vt admiror Dauidem, quod ex oculis lapideis fontes eduxerit lacrymarum. Siquidem ille quidem vicit naturam, at hic vicit animi demotam: ille virga percußit lapidem, hic sermone pepulit cor, vt puram, mansuetamque redderet. Equidem non tanto admirationis est, quod lapides virga percußi emittant aquas, vt est, quod lapidea corda, & in malo obdurata verborum sola efficacia emolliantur.* Hinc maxime commendatur diuina potestas, quod vel sermone in sensum pietatis trahat durissimas hominum mentes. Matth. 3. dum Baptista extollit diuinam potentiam, ait: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Quæ verba mirabilia sunt, si referantur ad vires diuinæ omnipotentiæ operatiuæ; sed longe mirabiliora, si non ad vires diuinæ operatiuæ referantur potentiæ, sed ad efficaciam diuini sermonis, quando tantum est mellis, lactisque sub lingua eius, vt vel linguæ sono lapides durissimos emolliat, & nutriat in filios Dei. Quo respiciens Clemens Alexandr. in Exhortat. ad gentes ait: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ, qui miseratus multam cordis duritiem eorum, qui lapiduerunt aduersus veritatem, excitauit semen pietatum Deum. Rursus autem quosdam virulentos impostores, appellauit genimina viperarum. Sed horum quoque si quis pœnitentia ductus fuerit, homo Dei efficitur. Has ergo omnes immanißimas feras, & tales lapides ipse cœlestis cantus in mansuetos homines transformauit. Vide quantum potuerit nouum canticum, homines ex lapidibus, & homines fecit ex feris.* Hoc sane maior virtutis præstantia est, quod verbo homines facias ex feris, & ex petris, quam si virtute totum mundum conuertas.

1. Reg. 24. *Matt. 3.* *Clem. Al.*

§. VIII.

Efficacissimus sermo est ad euincenda difficillima, cui præcedunt virtutum facinora.

NOn ante mittitur Moyses locuturus ad petram, quàm secum perferat virgam. Sic enim dicit: *Tolle virgam, & congrega populum tu, & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram, &c.* Itaque sic ad loquendum cum petra dirigitur, vt prius, & tollere, & secum deferre debeat virgam. Sed ad quid virga deferenda erat? Quando iuxta Dei mandatum res agenda erat per vocem, per solam locutionem, ad quid defertur virga? Erat virga illa, qua Moyses tot patrarat facinora, & merito præsentia eius requiritur, quando cum petra locuturus est Moyses; cum enim præmonstrantur virtutum facinora, tunc adeo efficax sermo procedit, vt conficere valeat quæque difficillima. Act. 3. postquam Petrus, & Ioannes hominem claudum reddiderant saluti, ait text. *Et vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum. Cognoscebant autem illum, quod ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi, & impleti sunt stupore, & extasi in eo, quod contigerat illi. Cum teneret autem, & Petrum, & Ioannem, concurrit omnis populus ad eos: Videns autem Petrus respondit ad populum: Viri Israelitæ, &c.* Expende, quo tempore Petrus aperiat os suum vt loquatur ad durissimum, & prorsus lapideum populum, nimirum quando coram se habet hominem, quem sanarat, & animo, & corpore. Præmisso enim tanto virtutis facinore, non mirer, si vel lapidea corda trahat sermone in sagenam Domini. Ait D. Basil. Sel. orat. 30. *Claudus quidam erat ante portam Speciosam, cui pedum itionem cum forte natura ademisset, gratia tradidit pro arbitratu reddendam Petrus, & vnco fidei postquam hunc deuinxerat, populum vniuersum lingua cepit.* Ecce tibi diuinæ piscationis progressum, prius benefacit Petrus claudo; prius opera salutis exercet, & pauperem claudum sanitati reddit; post hoc linguæ permittit rem, & lingua rapit ad se vniuersum. Et quid non faciant verba, quæ de facinoribus peractis veniunt? Pulchre ait Elias Cret. in orat. 19. Nazianzen. *Nihil enim verbis, qua operibus confirmantur, ad persuadendum firmius, ac valentius:* adeo vt sermones, qui nõ prodeant de virtutum facinoribus, via habeantur sermones. Quo respiciens D. Paul. 1. ad Corint. 4. aiebat: *Non in sermone regnum Dei est, sed in virtute.* Et mirabar quod tantus doctor sermonem à regno Dei prorsus excluderet, quando fides ex auditu est, & nequeat tradi sine sermone. Cur ergo Paulus à Dei regno excludit sermonem? Merito Paulus non agnoscit sermonem, qui ex virtutum non procedit opere; quando solus, qui in virtutibus fundatur, potens est implere regnum cœlorum. Ait D. Ambr. in Psal. 118 serm. 11. *Ait Paulus, quia non in sermone regnum est Dei, sed in virtute. Scriptum non nego, sed in quo sermone, cognosce. Nempe quem inflatus effuderit, qui sine ostensione est spiritus, neque virtutis, hunc sermonem Paulus non dignatur cognoscere.* Non censetur sermo esse, qui non procedit de virtutis ostensione, qui enim de virtutibus peractis oritur, ille cepit orbem, & triumphauit de inanibus aliis sermonibus. Vnde Psalm. 67. *Dabit Dominus verbum euangelizantibus virtute multa.* Supponit, quod euangelizabant virtute multa, hoc est, teste D. Aug. exercentes multas virtutum mirabilium operationes; & iis sic euangelizantibus dat Dominus verbum, cedit fidei suæ sermones. Et cur nisi in virtutum operibus euangelizanti cedit Deus suos sermones? Ait Theodor. *Quoniam piscatores erant, & publicani, & coriarii. Electi sunt autem præceptores Philosophorum, & Sophistarum, & Rhetorum, & eorum, qui ob dicendi facultatem se ipsos efferebant, merito edocet, vnde haurientes doctrinæ flumina irrigationem afferunt.* Nisi enim de multa virtutum operatione accederent ad verbi Dei prædicationem, non potuissent capere tot superbos homines.

Act. 3. *Basil. Sel.* *Elias Cret.* *1. ad Corint.* *Ambr.* *Psal. 67.* *D. Aug.*

Numer. 20. Tulit igitur Moyses virgam, quæ erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei, congregata multitudine ante petram, dixitque eis; Audite rebelles, & increduli. Num de petra hac vobis aquam poterimus eiicere? Cúmque eleuasset Moyses manum percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet, & iumenta.

§. IX.

Maximus dolor est, quod percutiaris ab iis, quibus benefeceris.

FErè nusquam aliàs in mansuetissimi Moysis ore verba indignationis, & contumeliæ apparuerunt, vt nunc apparent. Dixit namque modò: *Audite rebelles, & increduli, &c.* Cur mansuetudinis speculum sic modo exasperatur? Quæ illum causa in vocem tantæ indignationis coegit? Dixerat supra textus: *Cum indigeret aqua populus, conuenerunt aduersus Moysem;* populus, inquam, ille, in quem tot beneficia à Moyse venerant, aduersus benefactorẽ suum propter aquæ penuriam insurrexerat; quo non miror, quod Moyses exacerbaretur, res enim maximi doloris est, quod apud eos malè habeas, quos multis beneficiis impleuisti. Dauid delitescens in spelunca nactus est Saulem inimicum suum: & cum sollicitaretur à seruis suis, vt eum interficeret, respondit 1. Reg. 24. *Propitius*

1. Reg. 24.

pitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo Christo Domini, &c. Circa quæ verba multus est D. Chrysost. in ponderanda Dauidis comitate, & humanitate, qua infensissimum sibi hostem honorificis titulis exornat, illum dominum suum vocans, & Christum Domini. Sed ipse Dauid locutus cum Ionatha Saulis filio 1. Reg. 20. ait: *Quid feci? Quæ est iniquitas mea, & quod peccatum meum in patrem tuum, quia quærit animam meam?* Non ait dominum meum, Christum Domini, sed solum ait in patrem tuum, nullis illum honoris titulis exornans. Quid minus vrbanum? Qui cum propriis seruis loquutus de Saule, illum dominum suum vocabat, cum ipsius Saulis filio agens de eodem Saule nec dominum vocat, nec vllo illum ornat titulo honoris. Cur non magis coram filio patrem honorat? Cum Ionatha locutus etsi subobscurè reminiscebatur bona à se in Saulem profecta, & mala sibi ab illo relata, quod non poterat non afficere eius animum ingenti dolore. Ait enim D. Basil. Sel. orat. 16. *Quos feliciter ab eo, quem non raro seruauit, ad necem circumuenitur, beneficentia sua recordatione attonitus, quod per eam in aerumnosam se coniiciarit aduersarium, intolerabili dolore sauciatur, ita Dauid aduersis vndequaque obruentibus obruebatur.* Non mireris, quod Dauid malis obrutus appareat, regem non multum honorant aliquando, cui cum multis in casibus dedisset salutem, persecutionem, mortemque accipiebat præmium vitæ datæ. Res enim est intolerabilis doloris, quod ab illo affligaris, quem multis obsequiis tibi obligaueras. Quò respicit illud vulgare Psalm. 54. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique. Tu vero homo vnanimis meus, dux meus & notus meus. Qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu.* De inimico maledicente asserit, quod illum sustineret mansuetissime, at de homine amico, & beneficiis, consuetudineque obligato ad maledicendum accedente nil exprimit, quasi in eo dicat id prorsus intolerabile futurum. Ait enim D. Ambr. lib. 3. officior. cap. vlt. *Tu vero homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui semper mecum dulces capiebas cibos: hoc est, non potest sustineri istud, quia vnanimis appetisti eum, qui tibi donauerat gratiam.* Superatur vel extrema sostinentia ab eo, qui beneficus acceptis mala reddat benefactori suo. Quæ non obruatur mansuetudo in re adeo intolerabili, quod videas aduersum te militare beneficia tua, gratias tuas? Sanè mansuetissimus dicebat Psal. 108. *Posuerunt aduersum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. Constitue super eum peccatorem & diabolus stet à dextris eius,* & innumera alia mala, atque grauissima imprecatur illi. Ecce tibi, vt vno hoc proposito quod mala pro bonis rependebant, & odia pro beneficiis, statim in metuendas maledictiones exurgit mansuetissimus spiritus. Quis enim sustineat rem adeò atrocem, quod mala recipias ab eo, in quem contulisti beneficia? Elias imperterritus vir postquam pluuiam largissimam populo immisit, qua extremam famem excluderet, audit Iezabelis aduersus se minas. Quid tunc? Ait 3. Reg. 19. *Timuit Elias & surgens abiit quocunque eum ferebat voluntas.* Et quod malum potuit tantum prophetam sic concutere, vt fugeret? Quis eum sic meticulosum reddidit? Ait D. Chrysost. hom. de Ioan. decol. *Iezabel autem ipsum post beneficium persequebatur ad mortem.* Non miror quod tantus vir concutiatur videns se peti ad mortem ab illa, cui beneficium pluuiæ recens contulerat.

§. X.

Ad Christi crucifixi signum supra suas vires operatur creatura.

NOn ad primam, sed ad secundam percussionem virgæ petra aquas effudit. Ait enim: *Percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, &c.* Et cur non ad primum, sed ad geminatum ictum petra aquas emisit? Ait D. Macar. Philadelphiensis orat. de Exaltat. Crucis apud Gretherum tom. 2. *Cum virtus crucis efformanda esset, ea de causa semel, & iterũ percussit, non quidem eadem figura ictu illato, sed in speciem crucis, primo ictu directè librato, secundo obliquè, & transuersim. Quod signum petra sanctificata, regiamque imaginem sibi impendere, contueta, ea quæ supra suam naturam erant, præstitit; & quæ non habebat, præbuit.* Quid pulchrius? In geminato ictu crux Christi adumbrata fuit, cuius vel signum petra contuita, quæ supra vires, & naturam suam erant, continuò præstitit. Sic enim afficitur creatura ad conspectum Crucifixi, vt se supra se erigat, & præstet ea, quæ prorsus excedunt propriæ naturæ fines. Cant. 1. aiebat Sponsa: *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Se vnam trahi petit, & promittit multas cursuras in vnguentorum odorem. Ait: si vna est, si vna trahi postulat, quomodo dicit, *curremus?* An fieri potest, quod vna fiat multæ? Equidem dum in odorem currat illorum vnguentorum, quibus Christus factus est ad sepulturam, sic se eriget anima, vt vna cum sit, multarum excedat vires. Nequit ad Crucifixi signum anima, non supra se exurgere, & præstare quod est supra suam naturam. Quo spectans D. Bern. serm. 4. de Ascens. monet: *Sequere Dominum ascendentem crucem, exaltatum à terra, vt non solum super te, sed super omnem quoque mundum mentis fastigio colloceris.* Non fieri potest, quod maneat in naturæ suæ infirmitate, & pusillitate quæuis anima, quæ intendit in Crucifixum. Imo vel eius contuita signum, se supra se eriget, & supra omnem mundi machinam constituta præstabit ea, quæ sunt supra propriam naturam. Hinc vadente Iesu in Bethaniam, vt Lazarum suscitaret Ioan. 11. ait Thomas: *Eamus & nos, & moriamur cum illo.* Quæ verba putantur profecta ab infirmitate Thomæ, & timore metuentis sibi mortem, & ruinam in eo, quod Bethaniam iret. Sed hic ipse Thomas, qui mortem, & leones sibi afingebat in via Bethaniæ, postquam crucem vidit, eas regiones impauidus aggressus est, quæ viderentur homini Europæo prorsus inaccessibiles. Rem meditabatur D. Basil. Sel. orat. 40. inquiens: *Vox illa pauoris est. Post ea tamen omnibus fortior euasit, & inuictus. Hoc enim mirabile est, quod ante crucem tam infirmum, post Christi passionem fidemque acceptam de resurrectione cælestiorem omnibus videamus. Tanta est Christi vis! Nam qui cum Christo Bethaniam comitari ausus non erat, hic Christo iam oculis subtracto, solus orbem percursat vniuersum, ac in mediis versatur populis cædem anhelantibus.* Sic ad passionis signum incaluit, sic roboratus est, vt extremas mũdi regiones non vereretur peragrare, & ipsius solis inuisere cunabula. Adeò potens est conspectus Crucifixi, vt homines se supra suam naturam faciat eleuare. Mat. 15. vbi Iesus crucifigebatur, dicit: *Erant autem mulieres de longe aspicientes: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, &c.* Id quod etiam testatur Lucas c. 23. aiens: *Stabant autem omnes noti eius à longè, & mulieres, &c.* Sed Ioan. c. 19. videtur rem aliter narrasse, ait enim: *Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene.* Ecce tibi alij Euangelistæ asserunt mulieres a longe stare cum notis, Ioannes autem absolute affirmat illas iuxta crucem esse. Quare ergo verum erit, quod a lõge essent, & iuxta crucem? Crediderim mulieres à longe stetisse, dum Iesus cruci suffigebatur, ad terram deiectæ, tunc enim fœminæ carnificum metu non audebant accedere, sed à longè stabant. Vbi autem crux in altum fuit erecta, oculisque apparuit crucifixus Iesus, ad tantæ virtutis conspectum mulieres supra naturam audentes properarunt accedere, nactæ securitatem, vbi antea tot pericula metuebat. Ait Euthymius ibi: *Stabant vero iuxta crucem, tunc nactæ securitatem, primum enim omnes discipuli timentes conspiciebant, veluti ceteri docuerunt Euangelistæ.* Expende illud, *tunc*, o mirum cum Iesus apparuit in cruce, tunc fœminæ inter carnifices securitatem reserebant. Sic supra rei naturam se erigit homo ad Dei crucifixi conspectum. Vt merito dicat D. Amadæus hom. 5. de Martyrio Virg. *Pro nati morte, ineffabili dolore gloriosa Virginis pectus vrebatur, hausit poculum amarius ipsa morte, & quod hominum genus ferre non posset, adiuto diuino munere fœmina valuit sustinere. Vicit hominem, & passa est vltra humanitatem.* Nec miror, quod tanta virgo ad Crucifixi conspectum supra se, & supra naturam, & supra hominum genus in patiendo eleuaretur.

§. XI.

Deus per se solum homines sufficit satiando.

VT populorum sitim expleat Dominus, proponit Moysi & nudum, & aridum lapidem, qui percussus virga emittit largissimas aquas. *Percussione*, inquit, *bis silicem egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet.* Longe aliter Babylon illa magna poculum hominibus parabat. Apocal. 17. *Et mulier erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis habens poculum aureum in manu sua, &c.* Ecce tibi Deus, & mulier parantes pocula mortalibus, Deus nudum lapidem proponit, mulier aureum, pretiosissimumque vas. Et cur quando Deus solum aridum exerit lapidem, mulier requirit vas aureum? Equidem quæ à creaturarum proficiscuntur manu, & auri, & multorum splendorum requirunt suffragia, vt placeant, vt satisfaciant; Deus autem per se solum sine aliorum suffragio potest suos homines satiare. Ait Ambrosius in Psalm. 1. *Calicem aureum Babylonis eructantes: vt*

qua

quia potius placere non poterat, aut pretium illiceret ad bibendum. Propinauit de vino suo, aut metalli suffragia requisiuit. At vero Dominus Iesus aquam de petra effudit, & omnes biberunt, &c. Non est Deus is, qui aliorum suffragia requirat, vel inter ardentes silices, vel inter saxa durissima habet, vnde placeat populo suo; creatura quærat aliorum suffragia, vt homines alliciat, Deus per se solum sufficit illis. Hinc Deus omnia à se ablegat creaturarum suffragia, vt solus homini sufficere videatur. Matth. 13. dicebant Iudæi de illo: *Nonne hic est fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus, & Ioseph, & Simon, & Iudas?* Et vere vxor fabri erat mater illius, qui cum posset Reginæ filius nasci, maluit mulieris pauperis haberi filius. Et cur non magis voluit esse filius Reginæ? Ait D. Theodotus tom. 6. in Concil. Ephes. in Appendice 5. cap. 2. homil. de Nat. Christi: *Si filius esset imperantis, potestati vtilitatem adscriberent: si legislatoris fuditus fuisset filius; præceptis vtilitatem adscriberent. Sed quid fecit? Omnia paupera, & vilia elegit, omnia mediocria, & plurimum obscura, vt diuinitas sola cognosceretur, orbem transformasse terrarum.* Non enim alius, quam Deus per se solum, exclusis omnibus creaturarum adminiculis, homini trahendo sufficeret, hominumque satisfaceret siti. Crede mihi, tunc clarius ostenditur diuinitas interesse, quando in defectu ipso rerum, homo cumulatur beneficiis. Et quidem nunquam Dei filius nudior, quam dum cruci suffigitur; ibi omni splendore externo spoliatus apparuit, clauisque transfixus, fecit tamen, vt homo nequam, & rudis inter hæc eius acclamaret imperium. Ait enim Latro Luc. 23. *Domine memento mei dum veneris in regnum tuum.* Et cur media tanta abiectione, & desolatione huius latronis acclamationem Dominus requisiuit? Equidem sic manifestabatur apertius eius diuinitas, sufficiens per se sola sine externis adminiculis homini trahendo, qui ad bonorum fontem curreret. Ait D. Chrysostomus serm. de Latrone: *Non enim illo in tempore mortuum aliquem reddidit lucis, nec mare à suo tumore compescuit, nec expulit dæmones, sed cruci suspensus, clauis affixus, omnibus subiugatus, dedecoris succumbens infamia, insultantium derisione delusus: Latronis auersam mentem valuit commutare, vt ex omni parte eius diuinitas sentiretur.* Tunc magis Iesu sentiebatur diuinitas, quando nudus in cruce, omni externo splendore destituens, adhuc suffecit ipse per se solum sic hominis mentem implere, vt ad se curreret.

Matth. 13. — *Theod.* — *Luc. 23.* — *Chrysost.*

Num. 20. Dixitque Dominus ad Moysem & Aaron: Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. Hæc est aqua contradictionis, vbi iurgati sunt filij Israel contra Dominum, & sanctificatus est in eis.

§. XII.

Ille ad Dei promissa certissime venit, qui Dei honorem vbique sollicitat.

ECce sanctissimus alioqnin Moyses, & Aaron à promissionis terræ ingressu irremediabiliter excluduntur, quia in educenda aqua de petra, diuini honoris rationem non habuerint. Ait enim Dominus. *Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam ego dabo eis.* Et sane ea fuit culpa Moysis, qua exclusus est à terra promissa; accipiens enim virgam, stans coram vniuersa multitudine, vt ea petra aquam educat, nullam mentionem fecit nominis diuini, nec Deum meminit; sed solum ait: *Audite rebelles, & increduli. Num de petra hac vobis aquam poterimus eiicere? Cumque eleuasset, &c.* Et loquitur ad populum, & extendit virgam, & semel & bis lapidem percutit, & aquas educit; & inter hæc nec semel Dei meminit, nec eius potestati acceptum refert quicquam. Vnde non miror, vt prorsus excludatur ab obtinendis diuinis promissis, quæ ille securissimè obtinet, qui Dei gloriæ extollendæ semper incumbit. Eliezer Abrahæ seruus, dum pergit quærens sponsam filio domini sui, nihil magis præ oculis habuit, quam Deo omnia sua adscribere. Inuenit tandem sponsam, quam optauerat, & dum à puellæ parentibus cogitur differre profectionem, ait Genes. 24. *Nolite me*

Gen. 24.

retinere; quia Dominus direxit viam meam. Græcè dicitur: *Quia Dominus prosperum fecit viam meam.* Bonus vir nec verbum facit, quod non diuini nominis commendatione effulgeat, & inde trahit fœlicitatem suam. Ait Theodor. de Prouid. serm. 8. *Sermones suos vbique diuini nominis mentione exornat, & bonorum largitionem inde trahit.* Non miror, quod non erret, quod non deuiet à fœlicitatis curriculo, qui nusquam non meminit Deum, eiusque nomen, & prouidentiam, & potentiam commendat singulis. Qui sub hac cura viuit, certissime deueniet ad promissiones diuinas. Promissum erat regnum sanctissimo Iosepho, qui interea seruus efficitur, ducitur in Ægyptum, imò in carcerem detruditur. Inibi erat, cum vidit seruum Regis Pharaonis eisdem vinculis constrictum, & solito tristiorem esse quadam die. Et noscens tristitiæ causam esse somnium, quod nocte præcedenti viderat, statim ait Gen. 40. *Nunquid non Dei est interpretatio? Referte mihi, quid videritis, &c.* Ecce tibi vir strenuus ante omnia illis Dei veri ingerit notitiam, cui tescit, & prædicat propriam omnium arcanorum cognitionem. Hoc fuit primum verbum Ioseph ad seruos regis, & ex hoc ocyssime euolauit ad regnum sibi promissum. Pulchrè Theodor. serm. 10. de Prouid. ait: *Ioseph vnum Deum pincernæ prædicat, deinde ipsi regi eamdem illam doctrinam offert. Inde rerum gubernationem suscipiens, totam auxit sapientes regis.* Et coram pincerna, & coram rege reuelaturus somnia primum verbum profert in commendationem nominis diuini, & inde certissime deuenit ad promissum fastigium. Non aliter Dauid, dum adhuc in regem vnctus lateret, & sese Philisthæo opponit, & in illum insurrecturus, ait 1. Reg. 17. *Ego venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel, quibus exprobrasti hodie, & dabit te Dominus in manu mea, percutiam te, &c.* Vide, vt nec verbum proferat sine commemoratione Dei, cui authori totam rem committit, nihilque sine illo sibi appropriat. Sic se dignum ostendebat regni promissione. Quæ notans D. Basil. Sel. orat. 15. exclamat: *O plenum amoris diuini voces, vel ante victoriam pietas victoria? O qui palam fecisti fidem ad pugnam armis non indigere! O qui in te ipso palam fecisti fidei vim! Tales animum legere nouit gratia: quare & cura gregis distentum vocauit ad regnum.* Inde Dauid & vocatur ad regnum, & peruenit ad regnum, quod nunquam non Dei honorificè meminit, quod nullum aggressus inueniatur facinus, quin Deo rem acceptam referat.

Theodor. — *Gen. 40.* — *Theodor.* — *1. Reg. 17.* — *Basil. Sel.*

§. XIII.

Non parua pœna est, quod laborum tuorum priueris fructu.

TOta decreta Moysi pœna in eo erat, quod terram promissam non erat intraturus, dicit enim solum: *Non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Sed & de Abrahamo, Isaaco, & Iacobo, qui nihil peccauerant, dictum est ab Apostolo ad Hebræos cap. 11. *Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed à longè eas aspicientes, & confitentes, quia peregrini, & hospites sunt super terram, &c.* Sanctissimi, & perfectissimi viri hoc etiam habuerunt, quod non acceperint repromissiones terrenas in se; qualis ergo est hæc pœna peccatori Moysi, quæ etiam sanctis non peccantibus exhibetur? Sane non parua pœna erat hæc Moysi; cæteri enim sancti non laborauerant pro illa terra obtinenda, & ideo non illis fuit molestum illa carere. Moyses autem, & in Ægypto apud Pharaonem, & in exitu, & in quadraginta annorum mansionibus multum laborauit, vt perueniret cum populo ad promissam terram. Ideo, & illi grauissimum erat, & res maximæ pœnæ, quod terra, pro qua adeo laborauerat, tandem priuaretur. Et quis non grauissimè ferat, quod labores subeat, & ad laborum fructum non perueniat? Ioan. 6. post satiata quinque millia hominum, dixit Iesus discipulis suis: *Colligite, quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos, &c.* Quot erant Apostoli, tot cophinos fragmentorum collegerunt. Sed cur Deus hoc munus commisit discipulis suis? Cur non magis illud commisit illis ipsis hominibus, qui comederant? Si conuiuæ erant indigni ministerio, etiam inter Apostolos erat Iudas omnium indignissimus. Cur ergo maluit Apostolos cũ Iuda laborare in ministerio panis colligendi? Sane in hoc bonos discipulos erudiebat, vt quos miraculorũ fructus manebat; & Iudam maxime damnabat, qui laboraret in miraculis, ad quorum fructum minime peruenturus erat. Ait D. Chrysost.

Hebr. 11. — *Ioann. 6.* — *Chrysost. hom.*

hom. 41. in Ioannem: *Quanam gratia non dedit turba, vt ferrent, sed discipulis? Quoniam hos maga erudire volebat, qui totius orbis magistri erant futuri. Et plurimam consecuti sunt vtilitatem. Erat autem & hoc non parum ad Iuda damnationem, qui cophinum portabat.* Equidem non parua est peccatoris damnatio, quod laboris cophinum portet, & priuetur fructu. Hic sane labor est infelicium, quod multi sint in cophinis portandis, quibus fatientur alij, & ipsi maneant omnis fructus expertes. Quo refero illud Ecclesiastæ cap. 6. *Vir cui dedit Deus diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ, ex omnibus, quæ desiderat, nec tribuit ei potestatem Deus, vt comedat ex eo; sed homo extraneus vorabit illud: hoc vanitas, & miseria magna est.* Quis ignoret hanc esse magnam miseriam, quod quis laboret sub diuitiis augendis, multosque honorum titulos habeat, & tamen neget illi Deus potestatem fruendi? Hæc miseria est debita peccatoribus. Sic enim explicabat Chaldæus: *Non dedit ei Deus potestatem ob peccatum suum, vt gustaret ex eis.* Et sapienter Nazianzenus explicat: *Hac vna calamitate diminutus est. Ita tenetur, quod earum fructu careat.* Nunquam non calamitas est, quod occuperis totus bonis acquirendis, tenendis, ad quorum fructum gustandum nunquam accedas. Quam calamitatem minabatur Sophonias cap. 1. *Ædificabunt domos, & non habitabunt; & plantabunt vineas, & non bibent vinum earum.* Et similia pessimis Israelitis precabatur Deuteron. 28. *Domum ædifices, & non habites in ea. Plantes vineam, & non vindemies eam.* Sic inter graues peccatorum pœnas censetur, quod quis suorum laborum fructibus priuetur. Quod maxime in spiritualibus est timendum; ne qui cophinos cœlestis panis aliis ministramus, qui diuitias, splendoremque doctrinæ possidemus, vt alios ducamus ad vitam æternam, cui commonstrandæ insudamus; tandem ob peccata horum fructu priuemur. Et ædificatis labore nostro mansionibus cœlestibus, nos excludamur, & alij introducantur in eas. De talibus ait Hugo Victor. hom. 19. in Ecclesiastem: *Multi in sapientia laborant, & dant opera, & student multa scire, & dicere plurima, & scripto sensa sua commendant, vt ad posteros transmittant, nec capiunt fructum ex iis omnibus, vt melius sit ipsis, sed manet remanent à veritate, & à dulcedine sapientiæ vacui, &c.* Hæc est miseria summa.

Eccles. 6.

Chald.

Nazianz.

Sophon. 1.

Deut. 28.

Hug. Vict.

CAPVT XXVIII.

De morte Aaron.

Textus Historia.

LATAM in duos fratres sententiam non diu Dominus distulit; sed cum primum a Cades in montem Hor ventum est, mors indicitur Aaroni. Ea sic accidit ex præscripto Domini. Pontificiis vestibus effulgens Aaron è tabernaculo exiuit, & cultu eximius, qui sacerdotem deceret, se conspiciendum dedit multitudini. Adstabat Eleazarus eius natu maior filius, cui Moyses ab Aarone exutas per ordinem cœpit sacras vestes induere. Lætabatur pater videns sacerdotium residere in filio. Nec mora, exutus Aaron filij, fratrisque recumbens vlnis apparuit extinctus. Quis optimi sacerdotis mortem non inuideat? Simul populus vidit Eleazari lumina, & Aaronis cineres, quos solemni luctu celebrant lacrymarum triginta dies.

PARS VNICA MORALIS in textus literam.

POST petram manantem veniunt magni Sacerdotis cineres, qui non minus existent fœcundi, vt mortalium vitas faciant exundare virtutibus.

Numer. 20. Venerunt in montem Hor, qui est in finibus terræ Edon: vbi locutus est Dominus ad Moysem: Pergat, inquit, Aaron ad populos suos; non enim intrabit terram, quam dedi filiis Israel, eo quod incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis.

§. I.

Non differt à fæce plebis quisquis peccat, quantumuis alioquin illustris, & conspicuus sit.

SVmmus sacerdos, & pontifex Aaron ad populos suos ire iubetur, quasi in nullo a popularibus distinguendus, ex quo Deo extitit incredulus. Sic enim habes: *Pergat Aaron ad populos suos: non enim intrabit terram quam dedi filiis Israel, eo quod incredulus fuerit, &c.* Non sic populariter optabat mori Iob, qui dicebat cap. 3. *Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem. Cum regibus, & consulibus terræ, &c.* Io fine vitæ egregium quid, & excellens cogitabat, quod & sibi volebat. Quando ergo etiam in morte regum principumque consortium appetebat, & sibi affingebat Iob; cur Aaroni datur solum consortium popularium? Cur non magis dicitur illi, quod pergat ad principes populorum, quam quod pergat ad populos suos? Sic inter populares numerandus summus sacerdos? Sane hæc est conditio peccatorum, qui licet summi sint honoribus sæculi, tamen coram Deo censentur inter plebeiorum vilitates. Solus supra plebem est, qui liber est à vitiorum fœditate. Hinc de Ismaele dicitur Genes. 14. *Deficiens mortuus est, & appositus est ad populum suum.* At de sanctissimo Isaaco iuxta D. Ambros. lectionem non dicitur, quod appositus sit populo, sed generi suo. Quippe ait hæc lectio: *Appositus est ad genus suum.* Et cur ille apponitur populo, Isaac autem non populo, sed generi dicitur appositus? Peccaotium est annumerari popularium vilitati, at præstantissimus, sanctissimusque Isaac non plebeiis, sed præstantissimis annumeratur. Ait D. Amb. lib. 1. de Abel, cap. 2. *Pulchrè ad genus ait, non ad populum. Nam legimus aliis locis appositos esse ad populum suum. Sed isti non tam præstantes; præstantia autem quæ paucorum similis fuerit, & non plurimorum. Ita vt in Isaac non vulgaris, popularisque gratia, sed specialis prærogatiua præcelleret, sicut lectio docet.* Est hæc prærogatiua præstantissimorum hominum, qui puri sunt à scelerum maculis, ne plebeiis inuoluantur, sed ornamento fulgeant speciali: qui autem peccatis succumbunt, eo ipso decidunt a singulari præstantia, & plebeiorum inuoluuntur vilitati. Ex quo Leuit. 4. ait: *Si sacerdos, qui vnctus est, peccauerit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino.* Sic ibi de sacerdote canet, pergit insuper aiens: *Quod si omnis turba Israel ignorauerit, & per imperitiam fecerit, quod contra mandatum Domini est, & postea intellexerit peccatum suum, offeret pro peccato suo vitulum.* Ecce tibi à peccante plebe vitulum petit Dominus, & similiter vitulum petit ea sacerdote peccante, vt ostendat, quam inuoluatur plebeiis in omnibus etiam sacerdotio insignis, vbi se tradiderit peccato. Quo spectans Procopius in Glossa fatur: *Notandum quod eisdem hostiis litant sacerdos, & populus, si culpa se onerauerint.* Nullus sacerdotij splendor, nulla præstantia principatus, te à vilissima plebe distinctum facit, si peccatoruoi obscureris maculis.

Iob 3.

Genes. 14.

Ambr.

Leuit. 4.

Procop.

§. II.

Nihil nobis assumendum est in sæculo, nisi quod in cœlis possumus habere.

MErito soli attribuuntur Aaroni populi, qui posthac in cœlis nos expectant. Dicit namque: *Pergat Aaron ad populos suos:* hoc est, ab hac vita decedat. Sed expressius dixisset, Relinquat Aaron populum suum, quando à suis recedendum illi erat. Cur ergo non meminit, vt relinquebat Aaron populum suum, sed vt ibat ad populos suos? Equidem vir iustus nihil suum amat esse, nisi id quod potest habere in cœlestibus. Ex quo venturus Dei filius in mundum præmisit

Angelum

Angelum, qui sibi locum pararet in Virginis visceribus, eius solicitans assensum. Ait enim Lucas cap. 1. *Missus est Angelus Gabriel à Deo, in ciuitatem Galilaæ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, &c.* Virgo eligitur, ex qua sola, absque vllo virili semine, nascatur filius Dei in terra. Sed cur sic Deus cauit de terra sibi patrem assumere, vt matrem accepit? Posset equidem si vellet filius Dei de sanctissimis nuptiis nasci, vt de virgine natus est. Cur ergo virginem solam elegit, & viri concubitum fugit? Exclusit in terrena generatione, quod minime in cœlesti poterat nec adumbrate habere. In cœlesti namque generatione id habebat, quod ab vno solum progigneretur, sic maluit in terra ab vna etiam sola generari, vt sic non aliud sibi appropriaret in sæculo, nisi id, quod habebat in cœlestibus. Huc acutè aspexit D. Damas. orat. de Trans.

Lucæ 1.

Damas.

Deus enim vere, atque homo est: non Petri, non Pauli, non Iosephi, nec cuiusquam alius patris, filius extitit, sed hominis. Nec enim patrem in terra habuit, cui mater in cælo non fuit. Equidem non decebat tantum Dominum, vt in terrena generatione assumeret à duobus nasci, quando id repugnabat habere in cœlesti. Non pater, & mater duo erant in cœlo, à quibus nasceretur, ideo nec in terra duos progenitores debuit habere; præstantissimę enim mentis est, nihil sibi appropriare velle in sæculo præter ea, quæ potest habere in cœlestibus. Sic de Abraham patriarcha ait Paul. ad Hebr. 11. *Fide demoratus est in terra repromissionis, tanquam in aliena, in casulis habitando, &c.* Ecce tibi cum repromissionis terram haberet, nihil in ea sibi appropriabat, sed omnia tanquam aliena æstimabat. Et cur aliena à se putabat omnia terrena, nisi quia ea sola sibi propria æstimabat, quibus posset florere in æterna patria? D. illo enim dicit D. Chrysost. hom. 25 in præsent. *Primatum alius sedebat, in prouincia seipsum dabat, decem millia mala patiebatur, non domos construebat illinc, non deliciabatur, nec circa vestimenta diligens erat, quæ omnia in hac vita esse solent, sed cuncta, quæ ad superiorem pertinent ciuitatem gerebat, hospitalitatem exhibebat, fraternam dilectionem, eleemosynas, patientiam, contemptum pecuniarum, contemptum præsentis gloriæ, &c.* Ecce tibi sanctus vir sola, quæ ad supernam pertinent ciuitatem, gerebat; cætera vt sibi aliena despiciebat; nil sibi appropriaos, nil æstimans, nisi quod in cœlestibus possit habere.

Ad Heb. 11.

Chrysost.

Numer. 20. Tolle Aaron, & filium eius cum eo & duces eos in montem Hor. Cúmque nudaueris patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium eius, & Aaron colligetur, & morietur ibi. Fecit Moyses, vt præceperat Dominus, & ascenderunt in montem Hor coram omni multitudine.

§. III.

Mors sacerdotum efficacissima omnium ad commouendos animos.

Vide quam aliter disponitur Aaronis mors, ac postmodû Moysis mors disponetur. De Aarone dicitur: *Tolle Aaron, & filium eius cum eo, & duces eos in montem Hor, &c.* Non permittitur Aaron solus ascendere in montem, ibi moriturus; sed simul adest filius, successor sacerdotij, & Moyses, vt morienti intersint. De Moyse autem dicitur Deuteron. 34. *Ascendit ergo Moyses de campestribus Moab super montem Nebo, in verticem Phasga contra Iericho: : : Mortuusque est ibi Moyses seruus Domini, &c.* Solus ascendit Moyses in montem, solus ibi moritur, sine teste, sine spectatore. Et quando nec successor eius Iosue, alioquin inseparabilis comes eius permittitur adesse, & videre morientem Moysem; cur Aaroni morienti prouidetur successor, qui adsit, vt ipse, & Moyses videant discedêtem è viuis summum sacerdotem? Erat Moyses princeps populi in politicis, Aaron vero summus sacerdos erat circa diuina; ideo Deus maximè curat, quod morientis Aaronis adsint spectatores, non Moysis, quia sacerdotum mortes efficaciores sunt ad commouendos, componendosque animos spectatorum, quam principum sæcularium mortes. Ab hac sententia stat Petrus Damianus lib. 1. epist. 17. vbi reddens rationem, cur Pontificum mortes sint frequentiores, quam Regum, Imperatorumve, & sic dispositum sit à Domino, ait: *Cum mors cuiuslibet regis non magnopere sit terrori: quoniam sæculares principes, qui turbis popularibus*

Deut. 34.

præsunt, sæpe gladiis perimuntur: : Sæculares ergo principes, quia diuersa mortis casibus exponuntur, cor audientium, eorum exitus non atterritur: Papa verò vitæ, quia solis naturalis obitus lege concluditur, eiusque hac vita transitus, sine grandi formidine non auditur. Equidem sæculares principes vt in bellis continuis sunt, vt inter aduersariorum arma frequenter degunt, sic eorum mortes non tanto terrori sunt, nec adeò mentes audientium immutant. Pontificis autem pacifici viri, & Deo sacrati, diuinoque dediti muneri mors, vt per se in sola fundatur lege naturæ, sic maiori debet esse formidini, efficaciorque est, vt audientium, videntiumque animos in virtute contineat. Quò crediderim spectasse illud Iosue cap. 20. vbi post assignatas ciuitates refugij, ad quas confugiant inuoluntarij homicidæ, & secure viuant; assignans etiam tempus, quo debeant manere ibi, ait: *Et habitabit in ciuitate illa, donec stet ante iudicium causam reddens facti sui, & moriatur sacerdos magnus, qui fuerit illo tempore.* Et cur tunc solum permittitur exire homicida ille inuoluntarius ab asylo, cum mortuus fuerit summus sacerdos? Plures huius rei rationes addocet noster Serarius ibi quæst. 5. & valde pulchras, liceat tamen mihi addere aliam ea præsenti excogitatione petitam. Ea est, quia leo volens sic liberare peccatores, vt correcti viuant; homicidas illos non ante in libertatem emittit, quam summi sacerdotis mortem videant; sola enim sacerdotis mors efficaciter potest continere in virtute eos, qui inter gladios cadere homines videre assueti sunt. Hinc supra Num. 16. vbi rebelles mulctantur, & Dathan, & Abiron viui à terra degluttiuntur, & ducenti & quinquaginta alij Core partiales igne diuino absumuntur, ait Dominus: *Præcipe Eleazaro filio Aaron Sacerdoti, vt tollat thuribula, quæ iacent in incendio: : producatque ea in laminas, & affigat altari . . . vt cernant ea pro signo. & monumento filij Israel.* De Dathan & Abiron voratis à terra nihil Deus permittit relinqui, quod in cladis monimentum seruetur. De combustis autem, thuribula relinquuntur inter fauillas, quæ iubentur assumi, & poni pro signo Israelitis. Et quare horum potius memoriam curat Deus permanere in monumentis, quàm illorum? Erant Dathan, & Abiron de tribu Ruben, ad quam ratione primogenituræ pertinebat regnum politicum. Erant isti combusti de tribu Leui, quibus sacerdotale ministerium erat commissum. Ideò Dominus principum sæcularium cladem non multum curat in monumentum redigere, vt enim illis frequentiores sunt clades, & sub illarum discrimine semper viuunt, sic minus animos audientium immutant. Sacerdotum autem clades ob oculos proponit, & iubet perpetuo earum asseruari signa, vt quæ efficacissima sint, ad concutiendos animos spectantium, illosque continendos in virtute.

Iosue 20.

Num. 16.

§. IV.

Qui morti appropinquat, nil temporale curet, sed magis attendat diuinis.

Ascendentibus in montem Aarone, Moyse, & Eleazaro Aaronis filio, iubet Dominus Moysi: *Cumque nudaueris patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium eius, & Aaron colligetur, & morietur ibi.* Et quod Aaron nudetur sacerdotali stola, & illa induatur Eleazarus eius filius, vni Moysi committitur. Cur non magis mandatur ipsi Aaron, quòd se nudet, & quòd induat filium? Cur id munus Moysi mandatur, & minime Aaroni permittitur? Erat sacerdotium Aaronicum temporale, & ideò cum Aaron morti appropinquat, & iam iam stat moriturus, minimè permittitur quod circa temporalia occupetur, sed totus vacet æternis, & diuinis. Huc perueniant innumeri, qui etiam inter ipsum extremum spiritum toti sunt occupati circa temporalium bonorum dispositionem, vt illa relinquant, & mandent vel filiis, & propinquis. Toti in eo sunt, vt statuant, qualem vestem, quale prædium donent filio, & vix parum temporis impendunt diuinis. Sanè ij longe absunt à morte, quam Deus disponit amicis suis, quibus non permittitur occupari in temporalium bonorum dispositione etiam erga filios, sed quod præcipuè intendant diuinis. Hinc moribundus Iacob Gen. 49. ait ad filios suos, *Congregamini, vt annuntiem, quæ ventura sunt vobis in diebus nouissimis.* Quæ verba ponderans D. Amb. lib. 2. de Iacob, cap. 9. ait: *Præsentibus se rebus subduxerat, & nouissimis diebus futura mistebantur aciti.* Nihil de præsentibus dicit, nihil mente voluit, quod non pertineat ad ea, quæ æterna manent

Gen. 49.

D. Amb.

filiis

filiis in sæculo futuro. Et cur non etiam aliquid de præsentibus, & temporalibus commoniscitur? Equidem vt iam moriturus erat, sic sola curat bona, quæ ad æternitatem pertineât. Ait D. Chrysost. hom. 66. in Gen. *Quia moriturus erat, benedictione sua firmat pueros, maximas hos facultates relinquens, & diuitias, quæ nunquam absumi poterant.* Bonus pater, dum viuebat, etiam pro curauit filiis diuitias temporales; at vbi se se vidit morti vicinum, vbi iam erat moriturus, omnes temporalium bonorum abiecit curas, & vel filiis relinquere tractat eas diuitias, quæ non temporaliter, sed æternum durent. Cur enim vir sanctus memoret temporalia iam morti vicinus? De illo etiã habes Gen. 48. *Benedixitque singulis benedictionibus propriis. Et præcepit eis dicens: En congregor ad populum meum: sepelite me cum patribus meis.* Dum moritur, dicitur benedixisse filiis benedictionibus propriis singulorum, vt aliis benedictiones regni, aliis benedictiones agriculturæ, & sic singulis singulas attribuat. Sed illud valde notandum est, quod cum in Leui tribu maxime fulgeret sacerdotij benedictio, & dignitas, de tali sacerdotio, nec verbum vnum pretulerit. Et cur bonus, & sanctus pater iam moriturus non magis meminit sacerdotium inter filios affulsurum? Erat sacerdotium illud temporale, nec peruenturum vsque ad dies nouissimos, adeò bonus moriturus non meminit illud, qui tali tempore sola spectabat æternum duratura. Ait Rupert. lib. 9. in Gen. cap. 40. *Hoc ergo quæritur, quare illud sacerdotium in benedictionibus suis pater omiserit, nullúmque Leuitici prædicauerit laudem ministerij? Ad quod dicendum, quia de nouissimis diebus se annuntiare professus est, illud autem sacerdotium, siue Leuiticus ordo ad istos nouissimos dies, ad istos fines sæculorum non pertinet.* Et meritò moriturus Iacob cauet vel nominare rem, quæ non erat æternum duratura. Quid enim morituro cum caducis, quando ad æterna festinat?

Chrysost. — *Gen. 48.* — *Rupert.*

§. V.

Moriturus nulli prius, quàm sibi consulat.

NOn permittitur Aaron, quod ipse filium sacerdotalibus induat, sed Moysi mãdatur illud officium, cui dicitur: *Cum nudaueris patrem veste sua, indues eis Eleazarum filium, &c.* Et cur Moysi tale mandatur officium, & non potius Aaron patri induendi? Sane maximè amaret pater manibus suis ornare, & induere filium. Cur hoc illi non permittitur? Insinuant rationem verba illa: *Et Aaron colligetur, & morietur ibi.* Sanè vbi Aaron moriturus stabat, meritò nulla alia illi permittitur cura, nisi vt vni consulat sibi. Vane, & misere homo moribundus dat operam aliis induendis, etiamsi filij sint, tunc enim vnum hoc præstat, quod homo consulat sibi. Ægrotabat ad mortem senex Iacob, quem cum inuiseret Ioseph filius vnà cum duobus eius nepotibus Gen 48. *Dictum est seni: Ecce filius tuus Ioseph venit ad te. Qui confortatus sedit in lectulo. Et ingresso ad se Ioseph, ait: Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, &c.* Ingredienti filio nihil pater dicit, sed prius confortatus in lectulo, quæ ad se à Deo venerant, memorat beneficia. Sed cur non magis alloquitur filium, illique verbum salutatorium facit? Cur non magis aliqualem exhibet reuerentiam regiæ dignitati filij? Vt bonus erat moriturus, nulli prius voluit prospicere, quàm sibi. Pulchre aiebat D. Amb. lib. de Iacob 2. cap. 9. *Assurrexit in se, & longe ab aliis, atque intra semetipsum se se colligens, præsentibus se rebus subduxerat, & nouissimis diebus futura miscebatur ætati.* Expende illa: *Assurrexit in se, & lõge ab aliis*, & insuper illa, *intra semetipsum se se colligens, &c.* quippè bonus iam morti vicinus ob aliis omnibus se alienabat etiam filiis, & vni attendebat sibi. Hinc maximè dignoscitur, qui pertinet ad æternam vitam, si in mortis vicinio, vni sciat attendere sibi. Cum Dei filius erat in cruce, multi è pessimorum turba clamabãt Matt. 27. *Salua temetipsum. Si filius Dei es, descende de cruce.* Totus horum clamor eò spectabat, vt Iesus sua effugeret pericula, de propria autem ipsorum salute nec verbum dicunt. Interea latro pendens in cruce, & iam iam moriturus clamabat Luc. 23. *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* hoc maximè curabat, vt sibi salutem acquireret. In hoc latro & illos deuicit, & Deum sibi deuinxit. Ait enim D. Amb. ser. 45. *Iudæis dicentibus Libera temetipsum latro certus de diuinitate, & securus de voluntate, se magis postulat liberari.* Illa est reproborum Iudæorum vox, quæ tota est in aliis liberandis, in aliis ornandis, & ditandis, & nullam sui habet curam. Hæc est vox electorum, qui in mortis periculis constituti, magis postulant liberari, magis de se, suaque æterna salute sunt soliciti, quàm de eo, quod alij viuant.

Gen. 48. — *D. Amb.* — *Matt. 27.* — *Luc. 23.* — *D. Amb.*

Numer. 20. Cumque Aaron spoliasset vestibus suis, induit eis Eleazarum filium eius. Illo mortuo in montis supercilio, descendit cum Eleazaro. Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron fleuit super eum triginta diebus per cunctas familias suas.

§. VI.

Ad summum parentis gaudium spectat promotio filiorum.

VIde, quali gaudio tollitur patris in morte tristitia, nimirum, quod in eius honore ostenditur esse filius. Ait enim: *Cum Aaron spoliasset vestibus suis, induit eis Eleazarum filium eius.* Nec veretur Moyses spoliare Aaron sacerdotali stola, vt filium eius induat, imò in eo putat multum de mortis tristitia Aaroni eripi, quod videat filium suum fulgere in sacerdotali insigni. Quod docebat Ecclesiasticus cap. 30. inquiens: *Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus, similem enim reliquit sibi post se. In vita sua vidit, & lætatus est in illo, in obitu suo non est contristatus.* Tristitiam mortis dimittit pater, qui in vita sua videt filium dignitate, paternisque bonis sublimem. Hinc Dauid morti vicinus, vt vidit Salomonem filium reuertentem ab inauguratione regni 3. Reg. 1. *Adorauit rex in lectulo suo, insuper & hæc locutus est. Benedictus Dominus Deus Israel, qui dedit hodie sedentem in solio meo, videntibus oculis meis.* Regni sui decorem in filio miratus, & Deo gratias immensas agit, & summo perfunditur gaudio. Vt dicat Abul. quæst. 42. in præsenti: *Reputauit Dauid ad magnum beneficium, quod ipso viuente regnaret aliquis de filiis eius, & sic saltem esset certus, quod aliquis de posteris suis succederet ei: & istud erat magnum gaudium.* Et seni, & moribundo, & iam animam agenti beneficium contulit Deus ad magnum eius solatium, & mortis leuamen, vt filium in sua dignitate fulgentem spectaret. Et quantum hoc moribundo patri solatium? Ait Gen. 46. de Iacob vidente filium in regni splendore: *Dixitque pater ad Ioseph: Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo.* Quæ sic explicat D. Chrysost. hom. 65. in Gen. *Vidi, quem desiderabam, & sufficit mihi ad omnem lætitiam, vidisse quod tu adhuc viuis.* Equidem sufficit parenti ad omnem lætitiam, quod filius in dignitatu viuat; etiamsi pater se ad sepulchrum appropinquare videat, si iam teneatur mortis ægritudine, ad omnem ei lætitiam sufficit, quod in dignitate filium præfulgentem videat. In dignitate enim, & in visa nunquam patres non amant superari à filiis. Quod scientes Ierosolymitani principes dicunt ad Dauidem. 3. Reg. 1. *Amplificet Deus nomen Salomonis super nomen tuum, & magnificet thronum eius supra thronum tuum.* Et quis hæc auderet regi dicere, nisi certus, quod parentes gaudeant in bonis vinci à filiis? Ex quo Theodoret. ibi quæst. 3. ait: *Sciebant hi principes, quod nemo, qui paternam habet dilectionem æmulatione prosequitur filios. & quod est proprium patrum velle videre filios se clariores. Arrius enim & eius filij soli hac laborant amentia. Dauid autem adeò lætatus est his, quæ dicta fuerant à principibus, vt etiam cum senectus vetaret, ne surgeret, inclinatus Deum adorarit.* De errore Arrianorum venit, quod patres putentur inuidere filiis: at qui sapiunt, indè parentes sibi deuincire cupiunt, quod honorem, & maximum honorem eorum filiis attribuant. Hinc D. Ambr. epist. 26. extollit Gratianum Augustum: *Quàm pium autem illud, quàm admirabile, quod in Deo non veretur inuidiam, de patre remunerationem pro filij amore præsumis. & laudando filium, non ei te posse aliquid addere confiteris, sed velle, vt etiam patri te filij prædicatione commendes.* Equidem nulla est in patre inuidia de gloria filij, imò inde summo parentes gaudio afficiuntur, si vniuersam gloriam suam videant translatam in filios.

Eccl. 30. — *3. Reg. 1.* — *Abul.* — *Gen. 46.* — *Chrysost.* — *3. Reg. 1.* — *Theod.* — *D. Amb.*

§. VII.

Filius præclarus viuo parente, nec manum habet, quam ad paterna bona extendat.

DE exuendo Aarone, & induendo Eleazaro filio eius vnus Moyses accipit curam. Ait namque de Moyse: *Cumque Aaron*

Aaron spoliasset vestibus suis, induit eis Eleazarum filium eius. Moyses vnus dicitur induisse Eleazarum vestibus ab Aarone sumptis. Sed cur non magis Eleazarus induebat se ipsum? Cur non ipse Eleazarus, & vestes sumebat, & eas induebat, sed id munus totum permittebat Moysi? Sanè cum illa fierent, adhuc viuo parente Aarone, non miror, quod nihil in iis faciat Eleazarus per seipsum; bonus enim filius viuo patre, non habet manus, quas extendat, vt paterna bona accipiat. Viuo Dauide dicitur de maiori natu eius filio Adonia 3. Reg. 1. *Adonias autem filius Haggith eleuabatur dicens: Ego regnabo. Fecitque sibi currus, & equites, &c.* Cum autem res delata esset ad senem Dauid, ipse vocauit præcipuos ex principibus suis, & ait illis: *Tollite vobiscum seruos domini vestri, & imponite Salomonem filium meum super mulam meam, & ducite eum in Gion. & vngat eum ibi Sadoch sacerdos & Nathan propheta in regem Israel, &c.* Quid tunc? Pergit textus: *Et imposuerunt Salomonem super mulam regiam, &c.* In quibus illud maxime notandum venit in rem præsentem, quod cum & Adonias & Salomon essent æque filij Dauidis, & in vtroque regni signa ponerentur, Adonias tamen non dicatur ibi filius Dauid, sed filius Haggith, Salomon autem filius Dauid nominetur, ait enim, *imponite Salomonem filium meum.* Et cur magis vocatur Salomon filius Dauid, quam Adonias, cum hic maior natu esset? Adonias viuo patre manus extendebat ad regnum, dicebatque: *Ego regnabo. Fecitque sibi currus, &c.* Salomon nec vocem, nec manus habebat, quibus aliquid sibi assumeret regium viuo parente; imo de illo dicitur: *Imposuerunt Salomonem supra mulã regiam,* non ipse se imposuit, nõ ipse accepit, sed sic se gerebat, quasi nec manus haberet, nec mentem, vt regnum accipiat viuo parente. O clarissimum indicium filij regis, ad quem regnum pertinebat! Non equidem filius est, qui viuo parente manus habet, quas extendat ad bona paterna: ille vere filius est, & filius præclarus, & certissimus paternæ dignitatis hæres, qui nec manus habet, vt viuo parente, bona accipiat paterna. Ex quo merito D. Ambros. in Apol. 1. cap. 6. ait: *Ideo eo vsque peccauit, vt cum Adoniam filium regnum sibi vsurpare comperisset, non eum, qui præripere gestiebat, sed eum, qui expectaret, eligeret.* Merito non ille agnoscitur hæres, neque filius, qui manus habebat, vt præriperet regnum, vt viuo patre, eius regiam acciperet, sed ille agnoscitur & filius, & hæres, qui dum patrem videbat viuum, prorsus erat alienus ab omni conatu, quo paterna perciperet. Non equidem filij optimi est, sed filij nequam, & funditus perituri, quod viuo patre habeat manus, vt bona eius præripiat. Hinc in pessimi Absalonis clade, non immerito fit mentio tituli, quem sibi erexerat viuus. Etenim post eius interfectionem descriptam, post ostensum eius cadauer obrutum lapidibus, consequenter dicitur 2. Reg. 18. *Porrò Absalon erexerat sibi, cũ adhuc viueret, titulum. Vocauitque titulum nomine suo, & appellatur, Manus Absalon.* Et cur necessum fuit ingerere memoriam huius tituli, quando texebatur clades hominis immanissima? Erat equidem cladi maximè conueniens titulus, ex eo enim quod filij ostendebatur manus, quæ bona paterna posset præripere, in tam miseram ruinam debuit deuenire. Ait enim D. Chrysostom. hom. de Absal. *Perdidit Absalon scelestissimus mentem, perdidit sensum, amisit consilium, insectatur patrem, vsurpat imperium, potestatem arripit. Non vt cum patre societatem regni iniret, sed vt totum regnum patris sanguine possideret. Perdidit, inquam, Absalon consilium, dum parricidio curat mercari imperium. Festinat, properat occidere innocentem reus, patre superstite moriturus.* Digna pœna, quod moriatur patre superstite filius qui bona paterna præripiebat patri viuo. Huc trahe dicta 1. tom. in vet. Test. lib. 2. cap. 2. §. 5.

3. Reg. 1. — *Ambros.* — *2. Reg. 18.* — *Chrysost.*

§. VIII.

Gloriosus finis illius principis, qui adhuc viuus voluit principatum exuere, illumque cedere filio.

ECce tibi viuus Aaron principato spoliatur, vt ille transferatur ad filium, sic enim dicit: *Cumque Aaron spoliasset vestibus suis, induit eis Eleazarum filium eius.* Et cur necessum fuit, quod Aaron adhuc viuus sacerdotali stola nudaretur, vt ea filio daretur? Cur non magis expectatur, quod Aaron excedat è viuis? Sane post hæc prius pater moriebatur, & deinde in sacerdotium introibat filius. Cur modo non seruatur ordo ipse, vt antea moriatur Aaron, quam sacerdos fiat filius? Statuit hoc Deus ad maiorem gloriam sacerdotis sui, principis sui, qui inde gloriosiorem habebat finem, quod adhuc viuus, & dignitatem, & sacerdotium tradebat filio. Ex quo commendat Theodosium Imperatorem D. Ambros. in eius orat. funebri inquiens: *Nil gloriosius exitus tanti principis habuit, qui omnia iam filiis tradidisset, regnum, potestatem, nomen Augusti. Nihil, inquam, speciosius ei in morte seruatum est, &c.* Bonus & præstantissimus princeps non expectauit nudari in morte regalibus insignibus, sed omnia ipse sibi viuus exuerat, & tradiderat filiis. Nec solam regiam purpuram, sed & regni potestatem, & ipsum nomen Augusti à se in filios transtulerat. Id quod lego etiam factũ à Samuele, ait enim 1. Reg. 8. *Factum est autem, cum senuisset Samuel, posuit filios suos iudices Israel.* Iam senex, & morti vicinus principatum exuit, vt Carthus. & Iosephus notant, illumque in filios transtulit, vt sic quietior vita defungeretur, à principatus strepitu alienus. Quorum principum finis, vt gloriosus, sic amabatur à Iob cap. 3. cum dicebat: *Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem. Cum Regibus, & consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines.* Mirabar, quod sanctissimus vir, quiete, & tranquillitate plenam mortem, & placido non absimilem somno sibi affingens, eam diceret communem Regibus, & Consulibus terræ. Quid Reges, Principesve cum placida, & somno simili morte? Imò ipse Iob cap. 21. ait: *Vbi est domus principis? Et vbi tabernacula impiorum? Interrogate quemlibet de viatoribus, & hæc eadem illum intelligere cognoscetis. Quia in diem perditionis seruatur malus, & ad diem furoris ducetur. Quis arguet coram eo viam eius? Et quæ fecit, quis reddet illi? Ipse ad sepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit.* Tantum enim abest, quod principis mors similis sit placido somno, vt potius molestissimis vigiliis assimiletur. Ait enim: *In congerie mortuorum vigilabit.* Quando ergo principum mors similis est molestis vigiliis, cur Iob supra componens sibi mortem quietam, placidissimi somni æmulam, illam simul attribuit, & Regibus, & Consulibus terræ? Sunt equidem etiam Reges, & Consules, qui placidum finem, & suauem dulcedineque plenam mortem possunt obtinere, nimirum Reges illi, *qui ædificant sibi solitudines,* qui propinqui morti cum principatus infulis dimittunt à se forenses strepitus; qui exuentes dignitatum munera, illaque successoribus cedentes, sibi solis viuere tentant. Ij sanè gloriosissimo fine decedunt, & eam mortem habent, quæ possit à sanctissimis inuideri, vt quæ minime à suauissimo somno videatur differre. Compone modo principum, & principum mortem. Mors principum, qui sibi has solitudines ædificant, qui cum dignitatibus ablegant à se strepitus, & frequentias negotiorum; suauissima est, placidissimi, suauissimique somni æmula, vt merito dicat Iob: *Nunc dormiens silerem, & somno meo requiescerem. Cum Regibus, & consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines.* Mors autem principum, qui nec ad momentum exui dignitatibus queunt, turbulentissima est, molestissimis vigiliis plena, vt merito dicatur: *In congerie mortuorum vigilabit.* Ambitionis enim suæ vigiliis, & sollicitudinibus, & anxietatibus in ipsis mortis articulis angentur.

1. Reg. 8. — *Iob 3.* — *Iob 21.* — *Iob.*

§. IX.

Summi principes plusquam genus, plusquam parentes debent æstimare commoda Reipublicæ.

STatim vt mortuus est Aaron, dicitur Eleazarus eius filius relicto patris cadauere ad populum descendisse. Sic enim dicit: *Illo mortuo in montis supercilio, descendit cum Eleazaro.* Sed cur Eleazarus non magis affectus ostenditur ad patris reliquias? Cur non hæsit diu paterno cadaueri? Sanè & Moyses frater, & Eleazarus filius debuissent aliquantisper comitari defuncti cineres. Cur ergo à tam charo corpore tam facile, tamque cito potuerunt disiungi, vt cum primùm mortuum viderunt, & sepelirent, & ad populum redirent? Erant populi principes, quorum absentia ne damno esset, cito se liberant ab obsequiis defuncti: debent enim summi principes & genus, & parentes obliuisci, vt Reipublicæ prospiciant. Rem ponderat D. Amb. orat. de obitu Theodosij in eius filio Honorio Augusto, qui cum patris cadauer ab Italia deferretur Constantinopolim, non comitatus est patris reliquias. Ait enim: *Plus etiam Imperator Auguste quod non vsque Constantinopolim venerandas reliquias ipse prosequeris. Nec hostibus laboriosum, nisi te teneret Respublica, quam boni imperatores, & parentibus, & filiis prætulerunt. Denique ideò te Imperatorem pater fecit, Dominus confirmauit, vt non solum militares patri, sed omnibus*

D. Amb.

imperares. Hæc vniuersi Imperatores, vniuersi principes intelligant, quod non tales fiant, vt militent parentibus, filiis, propinquis, sed vt imperent omnibus, & Rempublicam præponant proprio generi. Et cur Rempublicam non præponant proprio generi, qui & illi tenentur postponere propriã vitam? Ait Dominus Ioan. 10. *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.* Quæ verba expendens D. Chrysost. in Psal. 113. inquit: *Hoc maximè ostendit principem, quod scilicet suorum curam gerat, eisque prouideat, ac prospiciat. Ideò dicebat Christus. Pastor bonus non degit, honoratur, & colitur, sed animam suam ponit pro ouibus suis. Hoc est principatum, hoc est, pascendi scientia, sua negligere, & eorum, quos regit, curam gerere.* Nihil suum non negligit bonus princeps, vt Republicæ attendat; & genus suum, & cognationem suam, & vitam suam despicit: huic vni inuigilat, numinum Reipublicæ custodiendæ. Sic de Moyse excipiente socerum, & vxorem, & filios, dicitur Exod. 18. *Altera autem die sedit Moyses iudicare populum, &c.* Vnam tantum diem dedit bonus princeps filiis, & socero excipiendo, honorandoque, & statim die sequenti illis dimissis se se populo reddidit. Sapienter enim dicitur apud Valer. Max. lib. 3. cap. 2. *Publica instituta priuata pietate potiora iudico.* Quod iudicium debet omnium insidere animis.

Ioan. 10. Chrysost. Exod. 18. Val. Max.

§. X.

Defuncto præclare rependitur amicitia in eius dilectis.

IN dilectissimi fratris occubitu nihil aliud legitur fecisse Moyses, quam fratrem spoliasse pontificali stola, & illa ornasse filium, cum quo ad populos descêdebat. Ait enim: *Cum Aaron spoliasset vestibus suis, induit eis Eleazarum filium eius. Illo mortuo in montis supercilio descendit cum Eleazaro, &c.* Vbi planctus Mosis in tanti fratris funere? Quibus lachrymis ostendit amorem erga ipsum? Et quibus officiis se se gratum ostendit defuncto? Crediderim Mosis officia erga fratrem in eo maxime fuisse ostensa, quod cum Eleazaro filio defuncti descenderet, illumque propriis manibus stola pontificia induisset, præclarissime enim rependitur amicitia defunctis in defunctis charissimis. Pro quo scribebat Arnulphus Lexouiensis Antistes epist. ad Rader. inquiens: *Duobus modis defuncto amicitiam iudico rependendam, vt primo scilicet pro apud Deum intercessionibus adiuuetur, secundo hi, quos ipse dilexerat, dilectione vicaria diligantur. Inde est, quod amor noster ab illo in te, quasi quadam hæreditaria successionis iure transfusus est, vt iam te non simplici, sed duplicato complectatur affectu. Tibi enim præ cæteris hæc est deferenda successio, quem ille præ cæteris diligebat, tibique eam quasi quodam testamento specialis amicitiæ prærogatiua designat.* Ecce tibi vt amicitia rependatur defuncto, nimirum si in eius dilectos transfundatur. Nullo melius defuncti satisfacies & desiderio, & debito, quam si in eius charissimos transfundas tuũ affectum. Sic Mariæ matri Iesu dictum est occumbente filio, & ostenso Ioanne, Ioan. 19. *Ecce filius tuus.* Datur namque loco filij ille, qui erat filio dilectus; vt in eo aliquo modo satisfaceret filij desiderio. Ait enim Guarricus Abb. serm. 4. de Assump. *Decebat, vt matri Domini non alius obsequeretur quam dilectus filij, quatenus & mater semper suspirans filium in dilectum filij suauius respiraret.* Bene Mariæ adiungitur Iesu dilectus Ioannes, vt in dilectissimi filij occubitu mater respiraret in eius dilectum, & sic falleret aliquo modo filij desiderium, & eius debito amori satisfaceret in dilecto.

Arnulp. Guar. Ab.

CAPVT XXIX.

De serpente æneo.

Textus Historia.

POST iusta Aaroni soluta rapuerunt populum non parua longissimæ peregrinationis tædia, & de cœlesti pabulo nauseam sibi ipsi faciebant. Percussit nauseantes miseros ignitum serpentum venenum, vt qui non cessabant ductorem suum mordere, ardentium bestiarum morsibus necarentur. Perirent omnes atrocitate dolorum, nisi Moyses à benignissimo Deo precibus extorqueret remedium. Conflatur enim ex ære serpens, qui elatus stipite possit à popularibus videri, eo Dei fœdere, quod in salutem irent, quicumque aspicerent æreum serpentem. Voluit etiam Deus antiquitus hominum salutem à stipite pendere.

PARS VNICA MORALIS in textus literam.

EBNNATS nos vocant serpentes, qui morsibus suis faciens, vt eum aspiciamus, à quo in nostros animos salus descendat.

Numer. 21. Tædere cœpit populum itineris, ac laboris; locutusque contra Dominum, & Moysem, ait. Cur eduxisti nos de Ægypto, vt moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ; anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo.

§. I.

Non tædio dissolui, sed instanter orare debet, qui amat ex Deo impetrare bona.

QVod repulsã patiatur populus circa terræ promissionis ingressum, non miror, quando cum tædio, & fastidio respicit, quidquid ad ingressum illum conducere posset. Ait enim text. *Tædere cœpit populum itineris, ac laboris;* & paulò post aiunt ipsi: *Anima nostra nauseat super cibo isto leuissimo.* Siue itineris labor, siue epulæ fastidio, & tædio erant populo, ne miremur, quod non pertingat terram promissionis. Non enim fastidiosi, sed qui alacriter contendunt, & iugiter orant, deueniunt ad cœlestia bona. Dicebat Dominus Luc. 4. *Multi leprosi erant in Israel sub Elisæo propheta: & nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus.* Et cur Israelitæ leprosi temporibus Elisæi longe a salute fuerunt, quam obtinuit alienigena Naaman leprosus? Sane Naaman, vt audiuit se posse ab Elisæo mundari, nullo pepercit labori, nec pertæsum est illi longam arripere viam, & venire ad prophetam, ab illoque discedere, & sub eius nutu in Iordanem progredi. At Israelitæ leprosi nullam pro salute pararunt profectionem, sed laboris tædio, & fastidio pleni manebant domi. Vndè merito iis repulsis ille eligitur ad curationem. Ex quo sapienter monet D. Amb. in Lucam: *Disce rogare quod cupias impetrare. fastidiosos viros cœlestium profectus munerum non sequuntur.* Non tædia, non fastidia laboris, sed impigra diligentia, & instans oratio salutem ea Deo extorquent. Et quid a tædio, & fastidio venias, nisi perditio? Ait 4. Esdr. 9. *Qui fastidierunt legem meam, cum adhuc erant habentes libertatem, & cum adhuc esset eis apertus pœnitentiæ locus, non intellexerunt, sed spreuerunt, hos oportet post mortem in cruciamento cognoscere.* Caue homo tædium, caue fastidium, quæ te in perditionem impellent; quorum damna tunc cognosces, cum ab omni deturbatus bono, te in malorum videas congerie. Rarò enim cum tædio non venit iuncta perditio extrema. Vbi enim dicebat Iob cap. 10. *Tædet animam meam vitæ meæ,* legunt Pagninus, & Vatab. *Excisa est anima mea in vita mea:* hoc est, iuxta Tigurinæ sensum: *Actum est de vita mea.* Nihil iam cum vita se habere commune, sed cum pœna, cum dolore extremo putet, qui cœpit occupari fastidio, & tædio. Vt merito dicat Sapiens cap. 11. *Absentes, & præsentes similiter torquebantur. Duplex enim illos acceperat tædium.* Expende illud: *Absentes, & præsentes similiter torquebantur,* hæc enim est propriissima fastidiosi hominis pœna. Fastidium enim & tædium facit ne homo in vno aliquo quiescat, sed præsentia omnia fastidiat, & alia potiora meditetur, pro quibus adipiscendis abeat, relinquens semper, quæ sunt præsentia. At vel præsens, vel absens semper eodem modo torquetur, nullum enim bonum percipit, sed tormentum. Quo alludens Hug. Vict. lib. de Medit. ait: *Qui semper, quod non facit, appetit, fastidit: nec præsentibus fruitur, nec futuris satiatur.* Sanè nec

Luc. 4. D. Amb. 4. Esd. 9. Iob 10. Victor.

præsens,

præsens, nec absens habet requiem, sed pœnam, qui ducitur fastidio, & tædio. Ex quo monebat D. Ephrem in Ascetico de timore Dei ad imitationem Prouerb. *Si spiritus tædij te inuaserit, domum tuam ne derelinquas, at per patientiam te sistas. Ne tibi cogitatio persuadeat, dicens: Transfer te ex vno loco ad alium; nam si cogitationi isti consenseris, nunquam tolerabis.* Intolerabilia incurres mala, si tædio dederis manus. Vnde diabolus Luc. c. 4. victus in vna tentatione ad aliam festinat, & post hanc ad tertiam. Et cur non magis victus obmutescit? D. Ambros. lib. 4. in Luc. ait: *Non vnum solum diabolus habet, frequentat spicula, vt aut præmio vincat, aut tædio.* Non enim paruit ducit tentationem tædij.

D. Ephr. — *D. Ambr.*

§. II.

Temporalis lucri amor cœlestibus donis priuat hominem.

NVnquam Iudæis defuerat cœlestis panis, ex quo fuit illis cœlitus datus, vt sapienter notabat Caietanus, quo modo ergo in præsenti queribundi dicunt: *Deest panis, non sunt aquæ, &c.* Non loquuntur de pane, qui à cœlo veniebat omnibus æqualiter, sed de pane, qui demissus à terra in horreis clauditur, consequenter ad illa cap. 21. *Adduxistis in locum istum pessimum, qui seri non potest.* Huc horum querela spectabat, vt horrea haberent, in quibus conderent panem. Ne miremur, quod diuinis vacnantur, dum hac habendi cupiditate flagrant. Et quando vel à Dei consortio non homines detraxit lucri temporalis amor? Rebellium, perditorumque stemma erexit Absalon, dum sibi titulum præfixit. Ait enim 2. Reg. 18. *Vocauit titulum nomine suo, & appellatur Manus Absalon.* Exprimebatur in Absalone luctuosissimus ille casus, quo futuris temporibus Iudas à Christi consortio erat deturbandus. Exprimebatur, vt ille, qui inter Iesu discipulos, imo filios charissimos adscriptus erat, aduersus patrem & magistrum insurrecturus erat, indeque misere damnandus; Quæ vt futura exprimerentur, vnus hic titulus præfigitur, nimirum *Manus Absalonis.* Sed cur nomine manus, potius quam capitis, aut alterius membri tantum facinus designatur? Ostendebatur tunc defectio à Deo, proditio, & miserrimus casus ex manibus venisse extensis ad lucra temporalia. Pulchrè D. Athanas. homil. de semente, ait: *Quasi negotio manu gesto, per vocabulum manus Absalonis, id quod futurum erat, obliquè significauit.* Futuras proditiones Iudæ, & aliorum, futura scelera, futuras clades hoc vno stemmate manus significabat. omnia enim facinora, & clades præcipue debent timeri à manibus, si ad lucra temporalia extendantur. Cum manu hac stat, & facinus, & perditio, diuinum autem beneficium via potest stare. Ideò Numer. 21. de Israele pugnaturo, & expugnaturo Chananæos, dicitur: *At Israel voto se Domino obligans ait: Si tradideris populum istum in manu mea, delebo vrbes eius. Exaudiuitque Dominus preces Israel, &c.* Prius se voto obstringit, quod nihil sumpturus sit de ciuitatibus, & ex tunc à Deo auditur, & adiuuatur; sic enim diuina beneficia trahit, cum facit, vt à se discedat habendi amor. Ait Procopius in Glossa: *Quod voti fiunt compotes, factum est, eo quod impios solum vincere vellent, lucrumque non captarent.* Sic vt diuina habeas, debes imprimis à corde tuo lucri temporalis abiicere cupiditatem. Illoque testatum facies tibi Deum adesse, si minime lucri cupiditate capiaris. Elisæus 4. Reg. 5. Naamani curationem à Deo trahens, eius munera prorsus recusauit, dicens: *Viuit Dominus, ante quem sto, quia non accipiam. Cumque vim faceret, penitus non acquieuit.* Id quod notans D. Ambros. ad cap. 4. D. Luc. ait: *Disce congrua præcepta virtutis; probauit fidem, qui præmia recusauit.* Equidem non esset cœlestis virtutis specimen, in quo esset temporalis lucri amor. Vt merito dicat D. Leo ser. 9. de Pass. *Amore pecuniæ volui est omnis affectio, & animus lucri cupida, etiam pro exiguo perire non metuit. Nullumque est in illo corde iustitiæ vestigium, in quo sibi auaritia fecit habitaculum.* Sic ibi. Quippè excludenda est habendi cupiditas ab eo, qui diuina amat tenere beneficia. Zachæus Luc. 19. vbi Iesum in domo sua accepit, statim ait: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, &c.* Circa quæ ait D. Ambros. lib. de Abel cap. 4. *Excipiendo Christum exclusit auaritiam, renunciauit fraudibus. Aliter enim non ingreditur Christus; nisi vt vitia excludat, quæ non cohabitat erroribus. Denique de templo eiiciebat nummularios, quia ipse volebat habitare.* Non stat Deus cum amore lucri.

2. Reg. 18. — *D. Athan.* — *Num. 21.* — *Procop.* — *4. Reg. 5.* — *D. Ambr.* — *D. Leo.* — *Luc. 19.* — *D. Ambr.*

§. III.

Cor nequam nunquam non fallacias meditatur.

EGregiè mentiuntur Israelitæ isti, dum negant sibi adesse panem, & aquam. Aiunt enim: *Deest panis, non sunt aquæ, &c.* Sapienter enim illos de mendacio conuincit Caietanus, quando nunquam illis defuit cœlestis panis, & in præsenti mansione abundabant optimis aquis. De quo videndus est noster Cornelius à Lapide. Cur ergo nequissimi homines non magis verentur clara effutire mendacia? Pertinebat hoc ad insignem eorum nequitiam, quæ nunquam nescit impudentissimas non texere fallacias. De pessimis reprobis locutus Dominus Matth. 7. ait: *Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos, discedite à me qui operamini iniquitatem.* In nomine Domini aliquid facere, est, ob diuini nominis amorem, & reuerentiam aliquid operari: at pessimi isti non ignorabant à se nihil factum ob diuini nominis amorem. Cur ergo audent coram oculatissimo iudice sic mentiri, quod fecissent virtutes ob amorem diuinitatis? Ea est impudentia nequissimorum hominum, quæ nunquam abstineat à fallaciis, & vel in ipso iudicij articulo oculatissimum iudicem nitatur fallere. Ait D. Chrysost. in Matt. hom. 19. *Numquid nesciebant ipsi apud se, quia nunquam nec dilexerant Christum, nec fecerant voluntatem eius? Sed putant se, sicut in hoc sæculo homines deceperunt, sic & ibi etiam Deum fallere posse. Ideo non dicit illis Discedite à me, qui operati estis iniquitatem, sed qui operamini. Quia iniqui nec post mortem desinunt esse iniqui, &c.* Ecce tibi, vt impudentissimi homines, nunquam sciunt desistere à fallaciis, & vel in iudicij articulo nitantur mendaciis obruere veritatem, & ipsum Deum fallere.

Matth. 7. — *Chrysost.*

§. IV.

Temporalium bonorum amatoribus proprium est mendacium.

ABundantes cœlesti pane, & aquis dulcissimis, vt vidimus paragr. præcedenti, nihilominus illud promunt mendacium clarissimum, nimirum: *Deest panis, non sunt aquæ.* Est hæc vox temporalium bonorum amatoribus frequentissima, quorum in ore nunquam non sunt mendacia simillima. Quis enim auarus diues, nimiusque diuitiarum amator, non hæc passim mentiatur, dicens: *Non est panis, non sunt aquæ?* Fallar, si quando à mundialium bonorum amatoribus mendacia deficiant. Michæas cap. 6. ait: *Diuites eius repleti sunt iniquitate, & habitantes in ea loquebantur mendacium, & lingua eorum fraudulenta in ore eorum.* Vide, quæ comitentur diuites mundiales, nimirum mendacia, fraudes. Non dabis mihi vnum de millibus, ex iis, qui lucrorum tenentur cupiditatibus, qui sciant loqui veritatem, qui non cuomant fraudes, & mendacia. Ait ibi D. Cyrill. Alex. *Semper à turpi quæstu, amoreque lucri subactos studium mentiendi comitatur.* Semper, ait, nullum excipit tempus, sed quandiu sub lucrorum temporalium fueris cupiditate, tamdiu te studium mentiendi comitabitur. De hoc habes multa tom. 4. in Euang. lib. 26. cap. 12. §. 15.

Mich. 6. — *D. Cyril.*

§. V.

Solida virtutum esca non fuit, nisi post Christi in carnem aduentum.

MErito vel inter mannæ abundantias putant isti nihil sibi esse cibi substantialis, quo possent in veram, solidamque vitam roborari. Dicunt enim: *Deest panis, non sunt aquæ, anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo.* Aut non est esca, aut leuissima, & nullius momenti est, quæ inueniebatur ante Christi aduentum in carnem. Dum Christus venisse non apparuit, nil potuit esse substantiæ, quæ humana corda roboraret. Hinc Luc. 12. monebat Dominus: *Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptiis.* Et serui sunt, qui dominum expectare solent venientem ad nuptias, & serui, qui expectant à nuptiis reuertentem. Dominus autem nos similes esse dicit expectantibus, non ad nuptias venientem, sed à nuptiis reuertentem. Cur ergo non

Luc. 12.

magis amat, vt simus similes expectantibus dominum ad nuptias venientem? Cur mauult nos assimilari eis, qui dominum à nuptiis reuertentem nouerunt expectare? Per nuptias intelligit Christi aduentum in carnem: vt enim ante nuptias non est conuiuium nuptiale, cuius reliquias sustinent famuli; sic ante Christi aduentum, nullum erat conuiuium, nullus cibus poterat homines confirmare. Verùm sicut post nuptias iam conuiuium celebratum est, de cuius mensa multæ superauerunt dapes, sic post Christi aduentum nō possunt de cœlesti mensa non esse multi præstantissimi cibi, quibus famelici homines impleamur. Quo spectans D. Bern. serm. 17. in Cant. fatur: *Tales denique quasi & similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptiis: quia vtique ab illa superna mensa deliciis copiosis vacua nunquam reuertitur manu.* Ex quo enim post Christi aduentum, nuptiæ celebratæ sunt inter Deum, & naturam humanam in vtero virginali, & cœlestis conuiuij nuptialis mēsa apparuit, non potest dari vltra vacuum, non inde ad nos venit Deus vacua manu, sed plena supersubstantiali cibo, qui nos impleat, & saturet. Luc. 5. ait: *Post hoc exiit, & vidit publicanum nomine Leui sedentem ad telonium. & ait illi: Sequere me. Et relictis omnibus surgens secutus est eum, & fecit ei conuiuium magnum, &c.* Itaque publicanus iste vt vocatur à Iesu, statim omnia relinquit, imò & in domo sua excepit Iesum, magnumque illi parat conuiuium. Sed cur Deus permisit magnum parari sibi conuiuium in domo eius, quem ad omnia mundialia abiicienda trahebat? Pulchrè rem explicat D. Ambros. ibi fatus: *Conuiuiū quoque maximè exhibet apparatum. Qui enim domicilio Christum recepit interno, maximis delectationibus exuberantium pascitur voluptatum. Simul ostenditur, quantum intersit inter animas legis, & gratiæ quod illi, qui legem sequuntur, aeterna mentis famem patiantur æternam; qui verò verbum in interioribus animæ receperunt, alimenti cœlestis, & fontis vbertate recreati esurire, & sitire non possunt.* Accede huc homo, qui legem mundi, leges appetituum sequeris. Crede mihi, vbi Christus abest, necessum est, vt fames inhabitet, & extrema penuria rerum. Ieiunæ sunt forsitan etiam mundialium mensæ, quando in eis, nihil est, quod tollat famem æternam, nihil est, quod humana impleat pectora; nihil est, quod vires hominis sic confirmet, vt non cedant aduersis. Felix ille, cui Christus manet in domo pectoris, eainde esurire, & sitire non poterit cœlestibus recreatus alimentis. Quò spectans Isaias cap. 49. ait: *Non esurient, neque sitient, & non percutiet eos æstus, & Sol: quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarū potabit eos.* Ex quo miserator noster ad nos venit, nostrasque curam suscepit, omni abundamus vero & solido alimento. Ait enim ibi D. Cyril. Alex. lib. 4 orat. 4. *Cum à Deo misericordiam consecuti fuimus, spiritualia bona deinceps affatim suppeditabantur, & cibum, qui animos iuuat, habuerunt: panem de cœlo ederunt, aquam viuentem biberunt, de qua ipse Christus dixit ad Samaritanam. Quisquis ex hac aqua bibit, iterum sitiet. At qui bibet de aqua illa, quam ego dabo ei, fiet ei fons aquæ salientis in vitam æternam.* Ex quo benignitas, & humanitas saluatoris apparuit, spontèque naturam humanam accepit, & simul mensa apparuit, & fontes, ne amplius sitiant, qui illi seruiunt.

D. Bern. Luc. 5. D. Ambr. Isai. 49. D. Cyril.

§. VI.

Vt Eucharisticus panis fieret nobis cibus substantialis, necessaria fuerunt transubstantiationis miracula.

Leuissimus cibus habebatur manna ab antiquis Iudæis, cum dicunt: *Nauseat anima nostra super cibo isto leuissimo,* & quidem respectu Eucharistici nostri panis ille leuissimus erat. Leui enim virtute ab Angelis conficiebatur, & leuem effectum in hominibus causabat. Eucharistia autem opus est non leuis, sed ingentis virtutis, & efficaciæ. Conficitur enim hic diuinissimus panis per miraculosam transubstantiationem, qua substantia panis desinit esse, & incipit ibi esse ipsa Christi Domini vera substantia. Et cur necessum fuit tantum virtutis, fortitudinis, & omnipotentiæ opus, vt conficiatur nobis panis salutaris? Nonne sufficeret, vt ibi vel vmbra Iesu esset, quæ nos sanaret? Quando Petri vmbra Actor. 5. attingens vel vnum infirmum, omnes sanabat; cur similiter non factum est, vt sola Iesu vmbra in Eucharistia existens nos sanaret? Cur magis placuit per totam miraculosam, & potentem panis in verum Christi corpus conuersionem hoc cœleste conuiuium nobis parari? Decuit sanè non leuiter, sed potenter fieri panem, qui fiebat, vt humanas infirmitates roboraret. Quæstio etiam fuerat antiquitus, cur necessum fuerit, quod Iesus nasceretur non de coniugata, sed de virgine, eius incorrupta virginitate seruata? Ad quid sub tantæ potestatis opere Dominus voluit nasci? Cui quæstioni pulchrè 10 rem præsentem ex D. Augustino satisfacit Algerus lib. 1. de sacramento cap. 2. fatus. *Omnia quidem cæterorum miracula superat, quod est natus ex virgine, matrisque integritatem saluo potuit, nec conceptus violare nec natus. Vt autem sic nasceretur Deus, aliquem decuit, nobis profuit: vt mundus natus nos mundaret, potenter natus infirmos roboraret.* Expende illa: *Potenter natus infirmos roboraret;* quas potentias exterius præmittebat Dominus, eas addiscebat humanis animis saluandis. Ideò in natiuitate virginea, potētissimum miraculorum opus adiunxit, vt potenter natus, nullum infirmum non roboraret. Quid pulchrius? Accipe dictum simile in nostro casu. Validissima miracula in conuertendo pane in corpus suum fuit operatus, vt potenter factus cibus supersubstantialis esset ad humanas vires in virtutibus roborandas. Hinc minabatur Dominus Iudæis Isaiæ cap. 3. *Auferet à Ierusalem, & à Iuda validum, & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ.* Vbi notat D. Cyril. Alex. *Non dixit simpliciter tolli à Iudæis panem, & aquam, sed robur panis & aquæ;* vt nimirum maneat panis, & aqua sine vllo robore, sed quasi leuissimæ res, & penitus euanidæ. Ad hoc autem quod sic panis maneat euanidus, & leuis, illud sapientissimè præmittitur, *Auferet validum, & fortem.* Dum enim nulla valentia, & fortitudo extraordinaria exercetur circa panem Eucharisticum conficiendum; vt non fit potenter, sic non corroborat infirmos comedentes. Necessum est, vt præcedat summa valentia in conficiendo pane cœlesti, & sic in illo infirmi roboremur. Ex quo Eusebius Emiss. hom. 5. de Pasc. apud Algerum lib. 1. de sacram. cap. 10. ait: *Ad agnoscendum, & percipiendum sacrificium veri corporis, ipsa te roboret potentia consecrantis. Qui tunc latuit præfiguratus in manna, fit tibi manifestus in gratia.* Expende illa, nimirum: *Ipsa te roboret potentia, &c.* ex eo enim quod non leuiter, sed potenter conficitur hic cœlestis panis, habemus nos illius roborari substantia, & impleri gratiarum abundantia.

D. August. Isaia 3. D. Cyril. Euseb.

§. VII.

Validissima ad omnes sunt necessaria fercula pro omnibus liberandis.

Si verum Christi attendas panem, non miror, quod vilescant tibi antiquæ Iudæorum dapes, de suo Manna dixerunt illi. *Nauseat anima nostra super cibo isto leuissimo.* Et quando panis ille cœlestis erat, Angelorum curis ministratus, quid potuit habere in se condemnandæ leuitatis? Id reprobandæ leuitatis erat, quod acquiret ad alia loca, nec ad aliud tempus transportari, sed in loco, & in die, quo colligebatur, comedebatur. Quæ leuior substantia, quam quæ breui loco, & tempori est alligata? Proinde non miror, quod mannę panis leuis habeatur, & alius substantialior, & communior requiratur; quæ enim pro omnibus roborandis esca datur, non vni, aut alteri, sed omnibus debet communicari, & necessum est, quod pro omnibus valeat. Hinc condens Dominus viuificum Eucharistiæ poculum Matth. 26. dicebat: *Bibite ex eo omnes.* Cur Domine sic omnibus commune tuum poculum facis? Memini ex Gen. 3. pomum vetiti arboris ab vno Adamo, & Eua fuisse gustatū, & inde cæteros omnes homines veneno eius affici. Cur non similiter viuificum cibum statuis pro vno, aut duobus præcellētibus, & virtutum plenis, a quibus solis dum manducetur, & bibatur, cæteri omnes eius participent sanitatem? Cur non statuis, vt tu ipse solus, aut purissima mater tua comedat Eucharisticum panem, & vinum bibat, & per id soli nos omnes viuamus? Absit. esset enim hoc proprium leuissimi cibi, & non valentis omnes saturare, si eius gustus non posset omnibus communicari; qui autem omnibus sufficiat, tantus debet esse, tam fortis, tam validus, vt vbique locorum possit inueniri, & omnibus possit dari. Ex quo dicebat D. Ambros. in Psalm. 1. Dauidis: *Vide quemadmodum Dominus artibus diaboli pro suis formulis obuiauerit. Ille cibo fraudis decepit vnum, vt in vno omnes circumueniret: Iesus autem cibo salutis omnes redemit, vt in omnibus, & illum, qui deceptus fuerat, reformaret.* Longe aliter constituitur salutis esca, quam nociua, & lethalis. Quæ lethalis fuit, vni communicata, omnes quassauit: quæ salutaris est, necesse est, vt valeat omnibus communicari, si omnes debeat saluos facere. Sic Iesus vt omnium mederetur infirmitatibus, tam validum, & substantialem cibum condidit, qui posset, & vbique & omnibus præstari. Nisi enim omnibus communicari posset,

Matth. 26. D. Ambr.

Malac. 1.

posset, minime omnes liberaret. Quo spectans Malach. cap. 1. ait: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Quibus verbis explicari mensam Eucharisticam præter multos Rabbinos docent Clemens Roman. Iustin. Mar. Irenæus, Euseb. Cæsar. Chrysost. Theodor. Damas. Martial. Tertul. Cyprian. August. Hieron. Remig. Isidor. Beda, & alij suo ordine citati à Glossa. Non placent ergo Domino munera, quæ in paruo populo Ierosolymitano offerebantur, & comedebantur à sacerdotibus. Hoc autem munus, hæc oblatio munda, quæ ab ortu solis vsque ad occasum, in omni loco ab omnibus fidelibus offertur, & comeditur, hæc, inquam, placet Domino. Sed quando mensa illa antiqua panum propositionum solum erat in amplissimo Ierosolymorum templo, & à sacerdotibus tractabatur; cur similiter non placuit Eucharisticam mensam in vnico, & præstantissimo loco mundi collocari, ibique à præstantissimis suscipi, sed maluit vbique locorum omnibus etiam infimis patere? Sanè ordinabatur hæc mensa ad mundi remedium, & ideò talis debuit esse, quod omnibus in promptu esset. Vt sapienter dicat Damas. lib. 4. de Fide cap. 14. *Oportebat porrò non primitias tantum nostra natura, sed & quemlibet hominem in participationem summi illius boni venire, & denuo nasci, nouoque alimento, ac natiuitati consentaneo vesci, sicque ad plenam, ac perfectam mensuram peruenire.* Et quidem vt non solum naturæ nostræ primitiæ, & præstantissimi viri, sed & quilibet homo vocabatur ad summum bonum participandum, sic non solum pro primitiis naturæ, hoc est, pro præstantissimis, sed pro omnibus & quibuslibet ordinabatur regeneratio, & Eucharistici cibi alimentum, quo omnes suam perfectionem, & integram salutem consequerentur.

Damasc.

Num. 21. Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, ad quorum plagas, & mortes plurimorum, venerunt ad Moysem, atque dixerunt: Peccauimus, quia locuti sumus contra Dominum, & te: ora, vt tollat à nobis serpentes.

§. VIII.

Detractio magis odiosa Deo apparet, quam lethale telum.

LOquebantur isti contra Dcom & Moysem, & Deus statim in illos misit ignitos lerpenies. *Quamobrem*, ait, *misit Dominus in populum ignitos serpentes.* Sed & ipsi Iudæi post tempora multa in Deum insurrexerunt, manusque illi iniecerunt, & post verbera, post spinas, crudelibus clauis ipsius Dei manus & pedes cruci affixerunt, & quadraginta post annos ei supplicium inuexit. Cum cæditur, cum crucifigitur, longanimem se Dominus exhibet, & quadraginta annorum spatio sustinet interfectores suos; cum autem obloquentes, detrahentesque videt, statim immittit serpentes, qui eos perdant. An detractio intolerabilior est Deo, quam mors humanitatis suæ, quam sui corporis interfectio? Equidem intolerabilior videtur. Vnde Psal. 108. quetibûdus Dominus de Iudæis aiebat: *Pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam.* Multa alia fecerant homines pessimi, verberauerant, percusserant, occiderant, & iis omnibus prætermissis vnam detractionem Dominus meminit, quasi hæc morte intolerabilior illi esset. Ait ibi D. August. *Nec parum aliquid putari debet, quia non ait, pro eo, vt diligerent me, interficiebant me, sed detrahebant mihi. Et ideo potius hoc dixit, vt ostenderet, magis eos nocere, qui Christo detrahunt, & per hoc animas interficiunt, quam qui eius mortalem carnem, mox præsertim resurrecturam, sumenda peremerunt.* Planè intolerabiliora censentur apud Deum spicula linguæ detrahentis, quam spicula ferrea, quæ latus transfodiunt, & carnem perimunt. Prius obliuiscetur & vulnera corporis sui, & mortem peracerbam, & exquisita tormentorum genera, quam obliuiscatur linguas detrahentes. In aliis facinoribus, vel in morte sua longanimis est Deus, at in detractoribus puniendis quasi nimis citus videtur. Aiebat enim Psalm. 100. *Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar. Superbo oculo, insatiabili corde, cum hoc non edebam.* Expende quam aliter se gerat cum superbis, raptoribus auaris, ac cum detractoribus. A superbis, à raptoribus auaris abstinebat, illorumque conuictum fugiebat, at detrahentem persequebatur. Qui inter superbos, & raptores, & interfectores ipsos agens, hoc solum faciebat, vt eorum conuictus caueret, cum detractoribus sic ostendebatur, quasi non se posset continere, quin illis malum inferret. Proh detrahentis lingua durior Deo quam ferrum! Merito ait D. Bern. serm. de triplici custodia: *Nec vere eiusmodi linguam ipso etiam mucrone, quo dominicũ latus confossum est, crudeliorem dicere verear. Fodit enim hæc quoque Christi corpus, & membrum de membro, nec iam exanime fodit, sed facit exanime. Ipsis quoque nocentior est spinis, quas illi tam sublimi capiti furor militum imposuit, seu etiam clauis ferreis, quos sanctissimis illis manibus, & pedibus consummatio Iudaica iniquitatis infixit.* Ne miremur, quod properet Deus in supplicium inferendum detrahentibus; quando horum lingua & passionis flagellis, & spinis, & clauis, & lancea est acerbior, & intolerabilior. Hinc cum Iob innumeris affectum doloribus, à vermibus pene exesum, filiis orbatum, omnibus spoliatum bonis videret amicus eius Eliphas Themanites, ait illi cap. 4. iuxta Septuag. lectionem. *Num sæpe tibi sermo est habitus in molestia?* Causam tanti mali, tam improuisi, & repentini quærens, nullam prius suspicatur quam molestos sermones, si molestus fuerit aliis eos verbis corrodens. Id quod acute notans D. Chrysostom. in cat. ait: *Nec vere dicit: Nunquid gestum tibi est, sed nunquid sermo est habitus tibi? Quamuis enim tuæ actiones præclaræ sunt, & honestæ, id etiam accidit, vt peccetur in verbis.* Ecce tibi pro tantorum malorum, tamque inopinatorum causa non recurritur ad opera mala, ad latrocinia, ad homicidia; nec de gestis quæritur, sed verbis, sola enim verba molesta proximis potuissent ingentem illum calamitatum cumulum afferre. Et quidem verba detrahentis festinatissimi sunt causa lethi. Vnde amicis Iobum corrodentibus ait Dominus cap. 42. *Iob autem seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia.* Ex Græco autem sic: *Si enim non propter eum perdidissent vos.* Circa quæ Olympiodorus in cat. ait: *Illud capitale esse pronuntiat, sanctis detrahere.* Sic ibi.

Psal. 108.

D. Aug.

Psal. 100.

D. Bern.

Chrysost.

Iob 42.

Olympiod.

§. IX.

Detractor detractorum etiam experietur rabiem.

VIde quales carnifices Dominus in murmuratorem populum immittat, dicit namque: *Quamobrem misit Dominus in populum ignitos serpentes, &c.* Merito enim serpentinum murmurationis, detractionisve malum à serpentibus vapulat, vt ostendatur, quam experietur detractor aliorum detractorum rabiem, & vt ipse mordet, similiter mordetur ab aliis. Illum sanè spectabat Iobi cap. 20. vbi ait: *Caput aspidum suget, occidet eum lingua viperæ.* Expẽde verba, quibus pulchre delineatur detractor, nempe: *Caput aspidum suget*; nunquam enim non aliorum venena, aliorum peccata lambit, & in ore habet. Quid inde? *Occidet eum lingua viperæ.* Septuag. *Interficiet eum lingua colubri.* Lectio Græca maluit ponere. *Lingua serpentis.* Et serpens percutiet miserum? Ait Nicetas in cat. Græca: *Lingua autem serpentis est, sicut improbi contraria loquentis.* Veniet equidem detractor in linguas aliorum æque improborum, à quibus acerrime lacerabitur. Quo spectans Ecclesiasticus cap. 5. monebat. *Non appelleris susurro, & lingua tua ne capiaris, & confundaris. Super furem enim est confusio, & pœnitentia, & denotatio pessima super bilinguem; susurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia.* Vbi noster posuit: *Denotatio pessima super bilinguem, &c.* Alij legunt apud Hugonem Cardinalem, *Deuoratio pessima super bilinguem*, eo enim ipso, quod quis suæ linguæ non parcat, sed bilinguis instar serpentis appareat, venenaque diffundat, & proximorum rodat vbique famam; illi etiam & odium, & inimicitia, & contumeliosa verba molestiam inferent; imò & deuoratio pessima super illum: minime enim effugiet rabidissimos aliorum dentes, qui proximorum rodit vitas.

Iob 20.

Eccles. 5.

Num. 21. Orauitque Moyses pro populo, & locutus est Dominus ad eum: Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, viuet. Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo, quem cum percussi aspicerent, sanabantur.

§. X.

Oratio pro aliis exhibita efficacissima est.

NEc mora, orat Moyses pro populo afflicto, & statim Dominus ostendit illi medium salutis; quippè ait: *Orauitque Moyses pro populo, & locutus est Dominus ad eum: Fac serpentem, &c.* Sic est efficax ad impetrandum, quam pro aliis orationem fundis. Iob cap. 42. dicit: *Dominus quoque conuersus est ad pœnitentiam Iob, cum ille oraret pro amicis suis.* Qui tot mala in Iob venire permisit, tandem reuocauit sententiam suam, vt Iob liberaretur omni ægritudine, & pristinum prosperitatis statum reciperet. Et quando Iob hanc mutationem obtinuit? Ait textus: *Cum ille oraret pro amicis suis.* Quam pro aliis orationem fudit; sic efficacem in eo fecit, vt statim fructum perciperet. Ait Carthus. ibi: *Conuersus est ad pœnitentiam Iob, quando orando pro amicis simul pro seipso orauit, ideirco & ei magis benignus effectus est Deus. Nam & tanto citius exauditus est pro seipso, quanto deuotius intercessit pro aliis.* Sic oratio pro aliis exhibita, statim apparuit diues, & plena fructibus. Potuit forsan quis pro se orans sine effectu orationis manere, at vbi in pectore orantis sic charitas aucta est, vt excederetur ad hoc, vt pro aliis oraret, non potuit, non ingentes fructus sibi trahere. Psalm. 34. *Retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ. Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio, humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio mea in sinu meo conuertetur.* Inter molestias aduersariorum sterilis Dauid aliquando inueniebatur, tunc ille humi cubans in sacco, & cinere pro illis orabat, & oratio eius in sinum eius conuertebatur. Cur oratio in sinum, & non magis in os, vnde exiuerat, conuertitur? Oratio, quæ pro aliis fiebat, sic plena fructibus reuertebatur, vt sinus latissimos quæreret, quos illis faceret redundare. Ait Euthym. ibi: *Ita conuertitur oratio, vt orantis sinum petitis rebus impletura sit.* Nescit esse sterilis oratio, quæ exhibetur pro aliis, nec permittet orantem esse fructibus vacuum. Hinc Abimelechum regem monebat Dominus Genes. 20. *Redde vxorem viro; & orabit pro te, quia propheta est, & viues.* Non ait: *orabis pro te*, sed maluit dicere, *orabit pro te*, vt orationem efficaciorem ostenderet, quæ est, dum quis pro aliis preces suas fundit. Vt enim ait Lippoman. in cap. 18. Genes. *Delectat Dominum, & fidelem decet oratio pro salute proximorum interposita.* Et Oleaster in præsenti fatur: *Hac de causa orationes Christi fuerunt efficacissima, quoniam à nobis iniuriam passus, pro nobis orauit.* Sic ibi ostenditur, vnde oriatur orationis efficacia, nimirum ex eo, quod charitas sic augeatur, vt pro aliis faciat orare.

Iob 42. — Carthus. — Psal. 34. — Euthym. — Gen. 20. — Lippom.

§. XI.

Quo prius quis peccat, eò prius solet spicula sentire peccati.

NOn otiose serpens æneus suspensus à ligno antiquitus ostendebatur, quippè ait: *Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo, &c.* Quando enim peccatores omnes in Christo erant crucifigendi, merito crucifixus serpens apparuit, vt qui primus peccauit, primus etiam sentiat pœnam peccati. Aiebat D. Ambros. serm. 55. de cruce: *Serpens igitur primus crucifigitur. Rectè plane, vt quia primus apud Deum peccauerat diabolus, primus crucis sententia feriretur. Deinde post serpentem in salua: ore homo ipse crucifigitur, scilicet, vt post authorem puniatur & sutinus. Per primam crucem vindicatum est in serpentem, per secundam in vinctum serpentis.* Sic iustitiæ lex petit, sic vsus ipse consueuit monstrare, vt qui primi ad peccata volarūt, primi etiam ad supplicia rapiantur, & primi peccati experiantur acerbitatem. Huc spectabat mors decreta tribus fratribus Mariæ, Moysi, & Aaron; Maria enim Numer. 20. moritur, deinde post hanc Aaron eodem anno moritur, tandem Moyses defunctus est in eiusdem anni fine. Quorum mortes sic expendit Procop. in Glossa ad cap. 20. Numer. inquiens: *Iudicij vero stantem, tempus quoque cadit, cuius ratione pro dignitate cuiusque mors est immutata, primò quidem Maria, secundò vero Aaronis, tertio denique Moysi, siquidem dierum quoque longitudo præmium virtutis in lege est constituta. Primo igitur satis defungitur ea, qua plus reprehensionis habuerat, ea quòd cōtra Moysem quiddam ausa fuerat, &c.* Hoc lex iustitiæ petebat, vt ratio haberetur temporis in supplicio, ad quod raperentur primi, qui primi, & principaliores fuerant in delicto. Quo spectabat illa Dei sententia per Ezechiel. cap. 9. *Transite per ciuitatem sequentes eum, & percutite, non parcat oculus vester, neque misereamini. Senem, adolescentulum, & virginem, paruulos, & mulieres interficite vsque ad internecionem à sanctuario meo incipite. Cœperunt ergo à viris senioribus, &c.* Ecce tibi seniores sanctuarij ministri primi dant pœnas, primi spicula sentiunt lethalia, non aliam ob causam, nisi quia primi erant in peccatis, aliis præbentes ducatum. Ait Carthus. *Primo occidit ministros templi, sacerdotes, & principales, qui aliis causa peccandi fuerunt.* Vt primi erant in peccatis, sic non mirum est, quod primi spicula peccati experiantur.

D. Ambr. — Procop. — Ezech. 9. — Carthus.

§. XII.

Christus Dominus omnia peccatorum venena perdidit.

MIraris, quod Dei filius sub serpentis nomine, & typo ostenditur à Moyse, dicit enim: *Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo, &c.* Et non ignobiles Patres in hoc serpente Christum intelligunt. Sed cur serpens Christus? Serpens ferocissimus est, hostis generis humani, plenus veneno lethali, instrumentum diaboli ad perdendos homines. Vndè ergo Iesus humanissimus, dulcissimus, ipsissima salus hominum serpens habeatur? Vnde Christus serpens? Sanè à serpente deuastato, à vacuato omni veneno peccati meritissime nobilis triumphator Iesus serpēs nominatur. Quo spectans D. Ambros. lib. 1. Apol. Dauid cap. 3. ait: *Æneus serpens tanquam confixus cruci, quia verus serpens crucifigendus generi annuntiabatur humano, qui serpentis diaboli venena vacuaret, qui totius mundi maledicta deleret.* Et cur non serpens dicatur, qui sic de serpente triumphauit, qui nullum venenum peccati non deuastauit? Sic de zizania superseminata locutus Dominus Matth. 13. ait: *Inimicus homo hoc fecit*, & per hunc inimicum hominem intelligit diabolum. Et vndè diabolus homo dicatur nisi ab homine deuastato? Ait Hugo Card. *Diabolus dicitur homo ab homine deuicto, sicut Scipio Africanus ab Africa deuicta.* Ne miremur, quod nobilissimus Iesus serpens dicatur, vt omnium serpentum venenosissimorum deuastator. Quod peccati venenum à Iesu non perditum? Qui serpens antiquus à mundo non exsibilatus? Exod. 7. vt Aaronis virga versa fuit in colubrum, similiter & virgæ Maleficorum Ægyptiorum in colubros versæ fuerunt, adeò, vt omnia serpentibus essent plena. Quid tunc? *Proiecerunt singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones, sed deuorauit virga Aaron virgas eorum.* Magna profectò res, præclarum facinus, quo vna virga facta coluber tot dracones, tot serpentes voraret, terramque venenosis bestiis mundaret. Vnde tanta fuit virtus huic colubro ex Aaronica virga facto, qui tot dracones, tot venena voraret? Erat in hac virga figura Christi Domini, de cuius virtute venit, quod dispereant venena, quod serpentes vniuersi vincantur. Ait D. Ambros. lib. de Salom. cap. 2. *Ipse Moyses virgam proiecit in terram, quæ in similitudinem est conuersa serpentis, quæ quia, & ipsa imago erat corporis Christi, & tanta virtutis in se typum gerebat, omnium Ægyptiorum potestatem absorbuit.* Nulla serpentis potestas mansit in terra, quæ à Christi Domini virtute non absorpta fuerit. Hinc Christi Domini triumphatricem virtutem miratus sapiens Prouerb. 30. ait: *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cælo.* Ecce triumphatrix virtus Christi Domini in aquila volante depingitur. Et cur in aquila, nisi vt triumphator dicatur omnium serpentum? Ait D. Ambros. supra. *Sicut aues ista inimica serpentum est. Et vt aquila serpentes deuorat, & eorum venena calore coquit interno; ita & Christus Dominus noster percussit draconem, id est, diabolo lacerato, dum humanum sibi corpus assumit, peccatum illud, quod hominem tenebat obnoxium, tanquam peruiscosum virus extinxit.* Cur non serpentem dicam nobilem illum triumphatorem, qui tot antiqui serpentis venena deuicit?

D. Ambr. — Hug. Card. — D. Ambr. — Prou. 30. — D. Ambr.

§. XIII.

Christi Domini vel vmbra vitam halat hominibus.

ÆNeum serpentem in stipite eleuat Moyses, ex quo percussi à serpentibus hauriant salutem. *Fecit*, loquit, *Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo, quem cum percussi aspicerent, sanabantur.* Dabat equidem serpens suspensus à ligno salutem infirmis, quia ea figura adumbrabat Christum Dominum, cuius vel vmbra vitam halat hominibus. Deuter. 28. aiebat Moyses serpentis huius commoditeos: *Videbitis vitam*

Deut. 28.

vitam vestram pendentem ante oculos vestros. At qui pendet, non vita est, sed mortuus iacet, siue Christus sit, siue serpens pendens à ligno. Quomodo ergo in mortuo, in insensibili videant vitam? Notanter dixit *vitam vestram*. licet enim qui pendet, non sit in se viuus, sed vmbra sit & figura viuentis Christi, inde habet halare hominibus vitam. Ait German. Patriarcha Constant. orat. in adorat. Crucis: *Moysis dictum: Videbitis vitam vestram pendentem ante oculos vestros. hunc serpentem innuere videtur, non quod virtute aliqua serpentis imago prodita fuerit, sed quia typum Christi gerebat. Hinc discere potes, imaginum hostis, & oppugnator, magnarum rerum figuras honore afficiendas esse. Si enim serpentina hæc imago tam tunsa, & odiosa, ob erectionem in ligno, quæ Dei & hominis in cruce suspensionem præsignificabat, adeo vitam largiebatur iis, quos mors amara perdiderat, quantum proderit, & quam non ministrabit viuificationem opposita Dei, & hominis figura?* Sapientissime quidem bonus pater philosophatur, vt conuincat vitam halari à figura Christi Dei, & hominis, quando serpens æneus, eo solo quòd Crucifixũ adumbrabat, sic erat omnibus aspicientibus vitalis. Et quidē nullus nō experitur, quã vitalis sit quælibet Iesu vel vmbra, vel imago. Hine sponsa Cant. 2. *Sub vmbra illius, quē desideraueram, sedi:* & Hier. Thren. 4 *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus, in vmbra tua viuemus in gentibus.* Mortuus est Iesus noster, è mundo eliminatus: at dum eius saltem vmbra maneat ob oculos nostros, ex illa vitam hauriemus. Vt dicat D. Ambros. lib. 15 in Lucam: *Nos autem, quibus Spiritus ante faciem Christus est Dominus, in vmbra viuimus Christi. Et ideo dicit Ecclesia: In vmbra eius concupiui, & sedi.* Ex quo possumus habere vel Christi vmbram, ibi habemus vndè viuamus, vnde ab omni discrimine liberemur, & nihil nobis ab aduersariis timeamus. Quid magis aduersarium ligno, quam flamma? Sed Exod. 3. *videbat quod rubus arderet, & non combureretur.* Rubus erat inter ardentissimas flammas, & nullum damnum patiebatur. Et vnde ligno tanta virtus aduersus flammas? Adumbrabatur ibi Christi cõceptio in vtero virginali, de cuius vmbra non poterat non exire virtus ad frænanda quælibet contraria. Ait supra German Patriarch. Constantinop. *Neque rubus inconsumptus, & illæsus sua vi in igne perdurauit, sed propter Mariam, quæ in mortali, & ad corruptionem prona natura ignem Deitatis portauit.* Sic de Christi mysteriis vmbra frænat potestates aduersarias.

Cant. 2. — Hier. Thren. — Ambros. — Exod. 3. — German.

§. XIV.

Diabolus inter calamitosos homines quasi mortuus iacet.

BIs serpentem audio apud homines, & in præsenti, & in Genes. cap. 3 In præsenti: *Fecit Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo, &c.* Insensibilis serpens, & exanimis ex ære factus constituitur supra lignum à populo conspiciendus. In Genes. autem non exanimis serpens, sed viuus, sed astutia plenus, sed veneno abundans, paradisi arboribus insertus mulieri verba facit, quæ illam in mortem trahunt. Ait enim: *Dixit autem serpens ad mulierem &c.* Ecce tibi in paradiso voluptatis, inter deliciarum abundantias, vt serpens antiquus viuidus, vt loquax apparet, at in sicco stipite inter percussorum gemitus, non viuidus serpens est, sed insensibilis, sed æneus, sed mutus. Ait enim: *Fecit Moyses serpentem æneum. &c.* Et cur, qui in paradiso viuidus, hic æneus apparet? Sanè, qui de deliciarum, voluptatumque consortio viuidus diabolus est, & efficax ad perdendum, inter ærumnas, & calamitates gelidus iacet, & exanimis, & quasi mortuus vix nocere valet. Apud Luc. cap. 8. *Occurrit Iesu vir quidam, qui habebat dæmonium iam temporibus multis, & vestimento non induebatur, nec in domo manebat, sed in monumentis. Is vt vidit Iesum, procidit ante illum. &c.* Sic malus dæmon in homine existens ad Iesu procidit pedes, multoque conamine precabatur, vt quando ab illo homine exire cogeretur, liceret sibi ingredi in porcorum gregem, qui iuxta pascebat. Permittit Dominus malo, vt intret in gregem. Quid tunc? *Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos, & impetu abiit grex per præceps in stagnum, & suffocatus est.* Mirabar, quod in vno homine tot essent dæmonia multis temporibus, nec illum præcipitabant in mare, aut alio modo perdebant; quæ semel ingressa in porcos, statim vniuersos præcipitauerunt, perdiderunt. Et cur qui sic porcos præcipitarunt, non magis hominem offendebant? Erat homo ille miser, nudus, omni spoliatus temporali commodo, parum distans à mortuis, habitans in monumentis. Inter tot ærumnas, & calamitates torpebant dæmonia, & sic erant, quasi non possent nocere, nec funditus perdere, quin potius facili negotio ad salutis fontem Iesum traherentur. Porci autem vitam voluptuosam referebant; de voluptatum autem deliciarumque consortio dæmon reuiuiscit, omnesque suas vires nocendi exerit. Ait Euthym. cap. 15. in Matth. *Ingrediuntur dæmones porcos, eos videlicet, qui irrationabiliter conuersantur, & in cæno voluptatum volutantur, ac illos in perditionem præcipitant.* Faxit Deus, ne dæmon accedat ad voluptuosos homines, dum voluptatibus saginantur, dum deliciarum pascuis abundant. In iis enim viuida est dæmonis potestas ad perdendum, totumque suum virus euomet; at vbi, non voluptas, non deliciæ, sed gemitus, sed lamenta, sed ærumnæ incumbunt, prorsus torpet dæmon, & æneus est, faciliusque inde salus, quam perditio patebit. In nudo homine, & agente in monumentis tota legio dæmonum erat, sed sic erat legio, quasi mortui dæmones essent, nec in effectu cernerentur. In voluptuosis gregibus statim reuixerunt, & integrum virus ostenderunt. De Iesu Domino ait Matth. 4. *Tunc Iesus ductus est in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo.* Et est valde mirandum, quod necessum sit, vt Christus eat, excitans præsentia sua diabolum ad inferendas tentationes. Quando enim iuxta D. Petri notissimum assertum, diabolus *tanquam leo rugiens circuit quærens, quem deuoret*; cur in deserto adeo erat deses, adeo languebat, vt necessum fuerit, quod Iesus ad illum iret, illumque prouocaret ad duellum. Deerant in deserto cuncta deliciarum blandimenta, aderat horror vastæ solitudinis, durities famis, & alia plura, quæ gemitum mouerent, inter quæ non mirum, quod diabolus langueret, vt vilem, atque inefficacem congressionem moliretur. Id quod ponderans D. Ambros. serm. 35. ait: *O misera satanæ & extrema congressio, diabolus in deserto tentationis solida arma non inuenit, deest illi de paradiso amœnitas arborum, deest illi consiliatrix Eua, deest illi pomorum speciosa deceptio.* Misere languet diabolus, vbi non suppetunt voluptatum irritamenta, sed magis abundant ærumnæ, & gemitus. Semper enim labor diaboli tentamenta minufacit.

Euthym. — Matt. 4. — Ambros.

§. XV.

Ex quo temporalia mala Iesum impleuere, non possunt in suis cum damno durare.

NOn diabolum, sed Iesum agnoscunt sub serpentis ænei forma plures patres. Præ se tulit enim bonus Iesus serpentis formam, vt significaret salutem percussis à serpentibus dandam. Quippe: *Fecit Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo. &c.* Et quid forma serpentis cum signo sanitatis? Quando à serpentibus percossi moriebantur, cur illis proponitur serpens visendus pro signo sanitatis? Innuebatur Dei filius sub illa serpentis forma, & sic serpentinum virus funditus credebatur euacuandum: ex quo enim Deus in malis temporalibus apparuit, nequeunt illa penitus non extirpari. Dum Iob multis opprimeretur malis, multosque in illis gemitus daret, Dominus sese illi in turbine, sub procellæ specie monstrauit. Ait enim cap. 38. *Respondens autem Dominus Iob de turbine dixit, &c.* Sed cum Deus afflicto, multisque dolorum fluctibus, & turbinibus agitato vellet adesse, cur etiam in turbine apparet? Cur procellosam refert faciem illi, qui ingentibus dolorum procellis premebatur? Præmonstrabat Deus alumno suo finem malorum iam instare, non possunt enim diu durare tempestates, sub quibus ipse Dominus apparet. Quo spectans D. Methodius in caten. fatur: *Quoniam turbo tempestatis est auctor, nec Iobi fides in tempestate malorum vllum naufragium fecit, sed multo magis eluxit: idcirco, qui ei oracula edit, ad superioris ærumnæ procellam significandam, procellam item, dum loquitur, sumit. Atque vt Iobi res à tempestate ad serenam tranquillitatem ostenderet demigrasse, non solum per procellam, sed per nubes etiam loquitur.* Sub nubium, procellarumque specie Dominus Iobo apparet, vt ostendat nihil iam in Iobo nubilum, nihil procellosum iam posse durare, sed magis tranquillitatem, serenitatemque exinde plaudere. Et cur non demigret tempestas in serenum, quando sub eadem tempestate Deus apparet? Matth. 8. sub eadem tempestate erãt & discipuli vigilantes, & Iesus dormiens, quem illi clamoribus excitarunt, vt serenum faceret. At Iesus illos arguens ait: *Modicæ fidei, quid timidi estis?* Circa quæ verba merito sibi obiicit D. Chrysostomus, quod modicæ fidei damnentur illi discipuli, eo præcipue tempore, quo clamabant: *Domine salua nos, perimus.* Si ad eum confugiunt, si salutem ex eo petunt, in quo ostenduntur esse modicæ fidei? Sanè modicæ fidei erant, quia eo ipso, quod videbant Deum sub

Iob 38. — D. Method. — Matth. 8. — Chrysost.

eadem

eadem esse tempestate, non certo credebant illam statim desituram in tranquillitatem, sed adhuc clamabant, quasi posset durare sibi, & authori communẽ tempestatem. Ait Chrysol. ser. 51. *Modica eos credulitatis apparet esse, qui non modo in se tantum, sed in ipsum authorem credunt posse elementa consurgere.* Sanè modica est fides illorum qui timent sibi à malis, sub quorum specie apparet ipse author eorum. Nunquam enim certius quis debet credere mala esse extirpanda, quam vbi sub illis videt esse Dominum. Vnde sapienter aiebat D. Amb. ser. 56. *Auferens per crucem Dominus humani generis iniurias, omnes eas in sua passione consumpsit, vt vlterius non esset hominis quod noceret.* Ex quo enim Deus sub nostris apparuit poenis, iam illæ vix possunt homini nocumentum afferre, sed magis occasionem meriti.

Chrysol.

D. Ambr.

§. XVI.

Non oculis, sed manibus committat salutem, qui velit in tuto esse ante aduenientia mala.

PErcussos iam, & doloribus gementes sanabat visu serpentis ænei: minime autem faciebat, quod non percuterentur. Sic enim habet: *Quem cum percussi aspicerent, sanabantur.* Et cur non magis faciebat, vt etiam sani aspicientes percussionem vitarent? Magnum hoc esset, & quod obtineretur, si non oculis tantum, sed manibus salutem tractarent. Multum erit, si post mala, post dolores, post ærumnas habitas nutu oculorum salutem nanciscaris; at si manibus rem agas, vel ante aduentum malorum in tuto collocaberis. Monet Isai. c. 58. *Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam, cum videris nudũ operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, &c.* Græcè legitur: *Tunc erumpet matutina lux tua*, & pro *matutina* est Græcè: *Proimon, &c.* quod Latine est *præcox*, ex quo enim quis manus pauperi aperuerit, operaque pietatis exercuerit, non solum sanitatem, sed præcocem sanitatem obtinebit. Hoc est sic celer, sic festina ad illum sanitas veniet, quod vniuersos incursus malos præueniat. Pulchre ait D. Chrysost. orat. Ne erubescamus confiteri venerandam crucem, apud Grethserum tom. 2. *Quid vero Proimon significat? Dominum non tunc tantum sibi affuturum, postquam in mala fuerit, nec post malorum accessum, sed antequam existant, & ingruant. Quemadmodum enim ex fructibus illum appellamus Proimon, (Præcocem), qui ante præstitum tempus ad maturitatem peruenit, ita & hic eam celeritatem denotare vellet, proimon, seu præcocis vocem vsurpauit.* Ea est fœlicitas porrigentis manus pauperibus, operapietatis exercentis, qua non solum post malorum ærumnas existentes, sed ante quam mala ingruant, liberetur. Ea, mihi crede, sunt opera misericordiæ, quæ te iam tutum ostendant ante, quam mala veniant. Quò spectans Matth. 7 ait: *Nolite iudicare, vt non iudicemini, in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini, & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Itaque in manu nostra ponitur, quidquid postea nobis eueniet, possumus operibus nostris nobis præparare remedia, antequam discrimina veniant. Ex quo monebat D. Chrysol. serm. 139 fatens: *Remitte peccanti, remitte pœnitenti, vt cum tu peccaueris, repræsentetur tibi venia, nõ donetur. Bona semper venia, sed tunc dulcissima, cum debetur. Vicat pœnam, iudicem præuenit, euasit iudicium, qui remittendo, ante sibi veniam, quam delinqueret, iam prouidet.* Quid pulchrius? antequam delinquas, iam tibi habes promissam veniam, qui illam alteri modo præstas, & ante ægritudinem, iam habes in promptu remedium.

Isai. 58.

Chrysost.

Matth. 7.

Chrysol.

CAPVT XXX.

De Madianitarum scandalo in Israelem.

Textus Historiæ.

TErrebat iam Moabitas, Madianitasque timor appropinquãtium Israelitarum: aduersus quos veneficii Balaami consilio non Mauortem, nec Palladem, sed Venerem vocant in certamen. Fuit enim omnium turpissimis parentibus gratum de populo Israelitico mercari triumphum pudicitiæ filiarum, pro qua tutanda non æstimant ingenui homines se morti dare. Nec mora, parentibus gratificaturæ puellæ, & nobiles, & plebeiæ prodeunt in aciem; quæ formæ lenocinio, appositis mensis epularum, congressus facilitate, validissimum Israelis exercitum sic exarmarunt, vt maior eius pars, abiecto ferro, amori, & libidini maluerit militare. Auide vacuant epulis Idolorum aras, quas thure implent, vt iacra faciant Priapo, nunquam enim cæca iuuentus non rapitur, vt suis libidinibus sacra faciat. Sic totus, quantus erat populus in luxuriem effusus, Idolis applaudens, veri numinis iras excitauit; qui, voce ad Moysem data, iudicum concilium cogi mandat, quorum sententia deprehensi ei in conspectu omnium suspendantur. Necnon & fori moras pertæsa diuina ira pestiferis auris cœpit ferire non paruam populi partem, cuius seniores cum Moyse diuino hærebant tabernaculo, profluis lachrymis, multoque gemitu diuinam iram deprecantes.

Interea Zambri dux de cognatione Simeonis singulari impudentia nobilem Madianitem puellam Cosbi nomine deducebat in proprium tabernaculum; quod dum vertit in lupanar, diuino exagitatus zelo Phinees filius Eleazari aduolat, strictoque pugione miseros transfodit inter ipsas ardentis lasciuiæ flammas. Vere sacerdotis filius brutorum effudit sanguinem, Dei indignationem placans, sæuissimam auertit plagam, quæ viginti quatuor hominum millia fuerat depasta, & sibi ea Deo pacatissimum sacerdotium æternabat.

PARS VNICA MORALIS in textus literam.

QVOD potuit Phinees gladio Israelis lasciuiam extirpare; vtinam & nos calamo tantam luem eliminemus à populo Christiano.

Num. 25. Morabatur autem eo tempore Israel in Setim, & fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt, & adorauerũt Deos earum. Initiatusque est Israel Beelphegor.

§. I.

Vbi fœminea vox intonat, ibi certissima hominis perditio.

VIde extremæ perditionis initium, *Quæ vocauerunt, ait, eos ad sacrificia, &c.* Vbi puellæ mittuntur, quæ vocent Israelitas, quæ alliciant, iam ibi eorum apparebat certa perditio. Crede mihi, imo crede Deo, crede experientiæ, ille locus aptus est humanæ negotiandæ saluti, qui fœminas habet nullas, in quo vel vna est, caue homo perditionem tuam. Matth. 4. *Tunc Iesus ductus est à spiritu, vt tentaretur à diabolo.* Cur necessum fuit duci in desertum, vt diabolum tentatorem inueniret? In paradiso fuerat Adamus, & ibi diaboli tentationem incurrit. Cur modo Iesus non in paradisum, sed in desertum, vt tentaretur, ducitur? Monstrabat Dominus locum, non in quo tentationes inueniret, sed in quo tentationes inueniret, quas vinceret. Vincẽdis autem tentationibus non erat aptus locus paradisus, in quo erat mulier; sed necessarius nobis videbatur desertus, in quo fœmina esset nulla. Ait D. Ambros. serm. 37. *In deserto Saluator implet mandatum Dei, vt ibi Adam saluaret errantem, vbi fuerat de paradiso proiectus. In deserto ergo homini salus refunditur, vbi non sunt epulæ, vbi desunt deliciæ, vbi (quæ est malorum omnium causa) deest mulier. Potuerat enim Adam inter illas paradisi indeuictus stare delicias, si Euam eidem cum diabolicis illecebris non fuisset. Conueniens ergo est desertum salutis, vbi non est Eua, quæ persuadet; non est mulier, quæ blanditur. Videte enim miram, in paradiso cum Adam diabolus dimicat, vbique insidiatur homini, vbique congreditur; sed vbi mulierem inuenit, vincit, vbi mulierem non videt, victus abscedit.* Nil pulchrius dici potuit in rem præsentem. Sane vbi diabolus, vbi hostis mulierem inuenit, ibi iam se putat de hominibus victorem: vbi autem mulierem non inuenit, ibi necessum est se victum doleat. Vincuntur homines, vbi mulier sonat. Hinc diabolus congressus cum Iob illi bona omnia eripiens, &

Matt. 4.

D. Ambr.

Iob 2. *Chryſoſt.*

ipſam ſanitatem corporis; vnam vxoris eius reliquit vocem, ait enim c. 2. *Dixit autem illi vxor ſua, &c.* Circa quæ ſapienter ait D. Chryſoſt. hom. 3. in Iob: *Omnia, vt breuibus vtar verbis, auferuntur: ſola mulier relinquitur, antiquum diaboli organum, ſcilicet ſibi ipſi vetulam ſeruans.* Expende illa, nimirum, *ſibi ipſi vetulam ſeruans,* quippe tam præſens perditio hominis eſt fœmina, vt in aggreſſionibus ſuis caueat diabolus, ne ſibi deſit fœmina, licet vetula ſit; habens enim vel vetulam, habet quo integros populos perdat. Nunquam non perditio eſt, & ruina, vbi eſt fœmina. Exemplum eſto fortiſſimus ille Samſon, cui tot de hoſtibus victoriæ ceſſerunt; hic tantus acceſſit ad fœminam Iudic. 16. Quid tunc? *At illa dormire eum fecit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput. Vocauitque tonſorem, & raſit ſeptem crines eius. Quem cum apprehendiſſent Philiſthiim, ſtatim eruerunt oculos eius, &c.* Ecce tibi vt victor ille hoſtilis exercitus, modo victus iacet, & cæcus. Proculdubio vincebat, vbi mulier non erat; vbi autem mulier interfuit, victus cecidit. Rem pulchre tractat D. Ephrem in Parænesi de Iud. & Retrib. aiens: *Qui percuſſerunt mille viros in maxilla aſini; poſtquam concupiuit eum vipera habitare; illico capilli Nazaræi defluxere, oculiſque ſuis priuatus, miſerabilis, atque ridiculus omnibus ſubito eſt demonſtratus.* Sic illi victoria erat, vbi aberat à muliere: vbi autem cum muliere fuit, ſtatim perditio venit. Et vtinam perditio ſola temporalis eſſet, quæ venit à muliere; at non quieſcit mulier, niſi & in æternum perdat. Bona omnia temporalia, filios, ſalutem corporis Iobus perdiderat, interea tamen ait illi vxor c. 2. *Benedic Deo, & morere.* Vbi eleganter D. Ephrem aduerſus improbas mulieres ait: *O gratiam muliebrem! O fomentum dolorum efficax! O amicitiam coniugalem. Neque ſatis erat ei temporaneus hic dolor, quin & æternum ipſi ſupplicium per blaſphemiam conciliare cupit.* Non quieſcebat peſſima niſi damnum æternum viro inferret.

Mendicant: *Iud. 16.* *D. Ephr.* *Iob 2.* *D. Ephrem.*

§. II.

In conuictu fœminarum miraculum erit, ſi non recedas à Deo.

Matt 26. *Origen.*

VIde, vt ex conuictu fœminarum perdunt Deum, ait enim: *At illi comederunt, & adorauerunt Deos earum, &c.* Illarum menſis accubuerunt, ne miremur, quod ad idololatriam dilapſi fuerunt. Nequit enim moraliter fieri, quod à conuictu fœminarum, in veri Dei gratia perſeueres. Cum Petrus audiſſet à Ieſu Domino Matth. 26 ſe negaturum illum, protinus ait: *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Sane peſſime ſe geſſit Petrus in hac promiſſione eo præcipue tempore cum à Ieſu negaturus aſſerebatur. Deberet magis rogare Dominum pro ſe, vt liberaretur à tanto malo. Quod ſi rogaret, quid à Deo obtineret? An obtineret, quod manentibus omnibus circumſtantiis, nimirum quod interrogatus ab ancilla, non negaret? Difficile id creditu eſt; non enim Dei ordinaria gratia futurum videtur, vt interrogatus Petrus ab ancilla non Ieſum negaret. Ait Orig. hom. 35 in Matth. *Debuerat, poſtquam audiuit, quia omnes vos ſcandalum patiemini in hac nocte, poſtulaſſe Dominum, & dixiſſe: Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te, eſto in me, vt non ego ſcandalizer, & dona mihi præcipue gratiam hanc, vt in tempore quo omnes diſcipuli tui fuerint ſcandalum paſſi, ego in denegationem non cadam. Si enim poſtulaſſet, forſitan amotis ab eo ancillis, ceteriſque miniſtris non denegaſſet.* Expende pulcherrima illa: *Forſitan amotis ab eo ancillis non denegaſſet;* quippe inde ſolum Petrum non denegaturum ſtatuit, ſi prius Deus faceret, quod ancillæ amouerentur, nec illi verba facerent, amotis enim iis, forſitan Petrus precibus obtineret, ne Dominum ſuum negaret. At non amotis ancillis, ſed perſeuerantibus, & cum Petro colloquia miſcentibus, non quælibet obtenta gratia, ſed noua, & extraordinaria neceſſaria erat, vt Petrus in Domini confeſſione ſtaret. Et quis ſtaret fœminæ percuſſus halitu, quando Apoſtolus Dei ante gratiæ confirmationem minime ſtare valuit? Vt dicat D. Amb. ſer. 45. *Tantam trepidationem diſcipulis intulit paſſio ſaluatoris, vt quod Apoſtolo Chriſtus ante prædixerat, ancillæ adſtrueret, & magis præualeret oſtiaria ad perfidiam, quam Apoſtolus ad cautelam.* Compone ex vna parte Apoſtolum cum gratia Apoſtolatus ante confirmationem, & ex altera parte ancillulam oſtiariam. Apoſtolusne, an oſtiaria fortior? Equidem fortior apparuit oſtiaria ad perdendum Apoſtolum in illo caſu, quam Apoſtolus vt caueret virus oſtiariæ. Felix, qui toto conatu fugit conuictum illarum, ille diſcrimina negandi Deum euadet. De quo multa dixi in tom. Euangelicæ hiſtoriæ.

D. Ambr.

§. II.

Fœmina ante admiſſum ſtuprum validior eſt, vt quidlibet perſuadeat viro.

Lyra. *Gen. 3.* *Chryſol.*

VLtimum Iſraelitarum facinus ponit textus in principio aiens: *Fornicatus eſt populus cum filiabus Moab.* Et ſtatim docens ordinem, quo deuentum eſt ad nefariam libidinem, inquit: *Vocauerunt eos ad ſacrificia. At illi manducauerunt, & adorauerunt Deos earum, &c.* Itaque puellæ alliciebant ad conuiuia, & ſacrificia Idoli propoſita mercede extremæ luxuriæ; nec antea ſtuprum admittebant, quàm viderent iuuenes Idolis thura poſuiſſe. Sic cautum fuiſſe per Balaami conſilium docet Lyra; & inſinuat Apocalypſ. 2. dicens: *Tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filiis Iſrael, edere, & fornicari.* Prius cogebantur comedere de Idolothytis, & poſtea ad ſtuprum admittebantur. Quod vno dempto Abulenſi multi docent alij, & ratio id perſuadet, fœmina enim ante ſtuprum admiſſum longe validior eſt, vt quodlibet viro perſuadeat, quæ poſt admiſſum facinus, multum vileſcit, multumque amittit efficaciæ. Nouerat id ſerpens antiquus, qui ſtatim vt condita fuit Eua, illam adiit Geneſ. 3. *Qui dixit ad mulierem, &c.* Et cur aſtutiſſima bellua ſic feſtinat fœminam occupare? Cur non magis expectat nuptiales amplexus, vt ſic illa plus apud maritum deliciarum expertum valeat? Abſit, imo aſtutiſſimus ſerpens feſtinat rem agere ante congreſſum nuptialem, vt qui nouerat, quam poſt ſtuprum admiſſum infirmetur erga viros efficacia puellarum, quæ tunc integrum ſuum robur habet, cum integra in ſe fœmina manet. Ex quo notanter dicebat D. Chryſol. ſer. 148. *Diabolus virginem Euam, vt vetitum deguſtaret pomum indixit, inducta virgo induxit virginem maritum.* Conſummaſſet vel ſemel nuptias Adamus, fallar, ſi adeò vereretur vxorem ſuam contriſtare denegatione eſus noxialis. Quod præcauens ſerpens virginem inducit, vt comedat, & vt virgo adhuc, viro porrigat, certus quod inexpertum deliciarum virum trahet. Quo ſpectabat illud Geneſ 2. *Propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ.* Expende ordinem, antequam adhæreſcat homo vxori ſuæ, relinquet patrem & matrem propter illam: poſtquã enim adhæſit vxori, forſan nihil relinquet propter illam. Non enim viri ſic ſe ſpoliari ſinunt a fœminis, quas iam habent ſub poteſtate ſua. Hinc Iudic. c. 16. Dalila illa Philiſthæa habens in ſinu ſuo recumbentem, & dormientem Samſonem, *Vocauit tonſorem, & raſit ſeptem crines eius, &c.* Quod non paruam quæſtionem facit Abulenſi; cur ipſa per ſe non raſit crines mariti, ſed vocauit tonſorem, qui raderet? Et certe, vbi antea ligandus erat Samſon, illa ſola ligabat hominem, talem nemo ad tale munus vocatus legitur. Cur modo tonſorem vocat, vt præſtet, quod ipſa poſſet præſtare? Spoliabatur modo Samſon, & religione Nazaræatus, & crinibus ſacratis Deo, & viribus corporis, ad quam ſpoliationem faciendam non mirror, quod vxor multi temporis ſe inualidam reputet, & auxilium artificis emendicet. Ante nuptiales amplexus, ante ſtuprum admiſſum, ipſa ſola valeret virum & religione, & Nazaræatu, & crinibus exuere; poſt inueteratas nuptias, poſt nuptiales voluptates perceptas, nec ſe validam putat, vt vel capillum tollat de capite eius. Eripitur fœminis ars detriumphandi viros, cum eis eripitur virgineus pudor; neceſſum inde habent emendicare aliunde artem, ſi virum ſpoliare velint.

Gen. 2. *Iud. 16.*

§. IV.

Muliebre ingenium diuina omnia poſtponit regia cupiditati.

Origen.

MIraris Madianitas puellas ſic pudorem ſuum proſtituere alienigenis, & ignotis viris, dicit enim: *Fornicatus eſt populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad ſacrificia ſua.* Vnde puellæ virgines adeo impudentes, adeo procaces extiterunt, vt ipſæ vocarent viros, alloſque ad turpitudinem allicerent? Morem in eo gerebant Regi ſuo Balaaco, de cuius imperio facinus illud, & verecundum ſibi, & infame parentibus aggrediuntur; neſcit enim muliebre ingenium vlli piaculo parcere, quo morem gerat regi. Ad hæc ait Orig hom. 20. in Numer. *Hæc fuerunt conſilia Balaam, quibus acceptis rex Balac parat continuo exercitum, non armis virilibus, ſed fœmineo*

 vultore

uxore tempestiuum, non furore bellico, sed libidinis flamma succensum. Nullam refrenat pudor, nullam prohibet verecundia. Proh nefas, quid sceleris non perpetret, vbi fauore suo placituram se mulier regi crediderit? Nullum facinus erit adeo immane, nullum sceleris genus, quod non perpetretur à fœmineo ingenio, si in eo se credat regi posse placere. In natali Herodis conuiuio saltatrix puella Baptistæ caput petit à Rege, dicit enim Mar. 6. *Volo, vt protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ.* Ecce quod impiissimus rex verebatur facere, id petit fœmina, & non veretur, quod tantum facinus executioni mandetur. Sed cur non magis sibi cauet à sanguinis effusione delicata puella? Cur non metuit perdere hominem in tanta veneratione habitum à populo? Ait D. Fulgent. serm. 1. in præsenti: *Mollis puella gressu procedit in medium, homicidium petitura, & adultero placitura.* Vbi mulier regi nequam, & adultero placitura erat, nō miror, quod sanctissimi viri homicidium petat, quod voret omne nefas. Et quando fœminea impietas non postponat virtutem, Deumque cupiditati regis? Impia Iezabel, vt vidit Achab regem pro vinea Naboth sollicitum. 3. Reg. c. 21. sumpto calamo scripsit iudicibus ciuitatis: *Prædicate ieiunium, & sedere facite Naboth inter primos populi, & submittite duos viros filios Belial contra eum, & falsum testimonium dicant. Benedixit Deum, & regem: & educite eum, & lapidate, sicque moriatur.* Vbi homicidium, & falsa testimonia mandabantur, cur necessum fuit, præmitti ieiunium? Ad quid opus hoc virtutis tot facinoribus immisceretur? Morem gerebat impia fœmina regi, cuius cupiditati non solum temporalia, sed & diuina subiiciebat. Ait enim Carthus. ibi: *Voluit impia fœmina illa, vt magis timerent regem mortalem, quàm Deum omnipotentem.* Est quidem muliebri in corde placere regibus mortalibus etiam per omne nefas, quorum potestas regia maiori illis timori est, quàm Dei potestas æterna.

Marc. 6.

Fulgent.

3. Reg. 21.

Carthus.

Num. 25. Et iratus Dominus ait ad Moysem: Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis: vt auertatur furor meus ab Israele. Dixitque Moyses ad iudices Israel: Occidat vnusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor.

§. V.

Peccantium capita eò debent supplicio affici, cuius terror maneat.

TOlli cunctos principes, & suspendi iubet Dominus fatus: *Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem;* nec solum suspendi principes iubet, sed contra solem suspendi, hoc est, media in luce, vt omnibus eorum suspendium pateat. Sed Moyses supplicij executionem iudicibus mandat, dicit enim: *Dixitque Dominus ad iudices Israel, Occidat vnusquisque proximos suos, &c.* Quæ verba non paruam quæstionem animaduertentibus faciunt, quando enim cuncti principes erant suspendendi, qui iudices remanebant, qui rē executioni mandarent? Nonne & iudices populi principes erant? Quomodo ergo iudices remanebant, si cuncti principes suspendebantur? Crediderim, quod, cum principes cunctos suspendi iubet, non ageret de principibus, qui erant Reipublicæ capita, sed de principibus, qui principes, & capita fuerunt populi ruentis in peccatum. Horum enim supplicium in primis debet proponi, vt terrorem inferat. Sic supra Numer. 16. dum Dathan, & Abiron narrat supplicium, dicit: *Disrupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis... At vero Israel, qui stabat per gyrū fugit à clamore pereuntium, &c.* Et continuo ait: *Sed & ignis egressus à Domino interfecit ducentos quinquaginta viros, &c.* Expende, vt qui absorbentur à terra, cum tanto clamore pereant, quantus sufficeret ad fugandos populos; dicit enim: *Israel fugit à clamore pereuntium,* qui autem ducenti, & quinquaginta flammis absumuntur, nullo clamore pereunt, qui circumiacentes fuget. Et cur in primis ea perditio fuit adeò clamorosa, vt fugaret præsentes, in secūdis sic tacita ruina fuit, vt fugaret nullum? Primi illi, qui à terra vorantur, erant defectionis capita, qui cæteros impulerant, & ideo debuit sic clamorosum esse eorum supplicium, vt terrorem incuteret. Cum autem de capitibus supplicium sumptum terrori sit, de cæteris nihil interest. Hinc Psalm. 78. de strage Ægyptiorum facta à Deo in mari ait: *Contribulasti capita draconum in aquis. Tu confregisti capita draconis; dedisti eum escam populis Æthiopum.* Sola meminit confracta capita, & cum vniuersus exercitus fuerit suffocatus, hoc vnum scriptis mandat, quod duces & præfecti malorum mactantur. Ait enim Theodor. ibi: *Dracones Ægyptios vocat, capita vero draconum eorum duces, & centuriones, & præfectos. Draconem Pharaonem nominat. Hos verò omnes, inquit, demersisti, & vndis illos obruisti.* Non multitudinis, sed eorum qui in flagitio duces fuerunt, supplicium meminit, vt quod efficacius sit ad deterrendum. Quo spectans etiam Habacuc cap. 3 ait: *Percussisti caput de domo impij, denudasti fundamentum vsque ad collum. Maledixisti sceptris eius capiti bellatorum eius.* Et quidem impiorum domus, & familiæ funditus solent à Deo perdi, vt dicat Psalm. *Transiui, & ecce non erat, nec est inuentus locus eius:* Nihilominus amat Deus vt in ruinis impiorum, prætermissis cæteris, tectisque silentio, publicetur, & sciatur, vt capita, nimirum, qui in flagitiis duces fuerunt, atroces dederunt pœnas. Et quas pœnas non dabunt impiorum duces? Actor. 5. Ananias defraudans pretium agri, posuit partem ad pedes Apostolorum, cui statim Petrus ait: *Anania cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto?.. Non es mentitus homini, sed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba cecidit, & expirauit.* Post trium horarum spatium venit Ananiæ vxor nil sciens de morte mariti. Cui Petrus: *Dic mihi mulier, si tanti agrum vendidistis?* Maritum non interrogat de pretio, sed statim verba increpationis, & lethi in illum mittit. Fœminam autem prius interrogat de pretio, antequam illi durum quid loquatur. Et cur magis festinat seueritatem ostendere Ananiæ, quam vxori? Ait Chrysost. homil. 15. in Acta. *Hanc volebat seruare. Ille enim dux erat peccati, & propter hoc huic dat fortasse potestatem defensionis.* Sic bonus seueriorem se ostendit in ducem, & caput peccati.

Num. 16.

Psal. 78.

Theodor.

Habac. 3.

Act. 5.

Chrysost.

§. VI.

Debent iudices curare, vt dum plectuntur rei, occumbant, Deum agnoscentes suorum scelerum vindicatorem.

VBi decreto iudicum mandat Deus suspendi eos, simul aduertit quod suspendantur contra Solem, sic enim ait: *Tolle cunctos principes populi,* nimirum conuoca vniuersas populi potestates, *& suspende eos,* nimirum reos suspende illorum decreto, *cōtra Solem.* Et quo spectat hæc cura suspēdendi reos contra Solem? Contra Solem iubentur suspendi, nō tam vt eorum pateat supplicium, quam vt ipsi inter ipsa tormenta mortis videntes pulcherrimam creaturam Solis, odorentur omnium creaturarum authorem, sub eiusque occūbant cognitione. Ait Apollinar. in cat. Græca: suspende eos in patibulis contra Solem. *Id verò non tantum vt occulta facinora proderentur, quam vt per solem, qui symbolum gerit ipsius patris totius naturæ, Deum agnoscerent omnia intuentem, quem nec cogitationes quidem nostræ mentis fallere possunt, quem quidem non pigeat occultum esse testem nostrorum operum.* Ecce tibi qualem curam iudicibus suis mandat Dominus circa reos, qui damnantur morte; nimirum, vt sic eos internecioni tradant, vt ob oculos habeant symbola Dei amantissimi patris naturæ humanæ, & omnium scelerum vindicatoris, sub hacque agnitione melius dispositi è viuis abeant. Sic Act. 5. nefarium facinus Ananiæ prænoscens Petrus morte mulctandum ait illi: *Anania, cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus sed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit.* Ecce tibi in paucis verbis, bis Dei facit mentionem; imo in toto facinore vnum meminit, quod contra Deum esset: Ait enim: *Non es mentitus hominibus, sed Deo,* inter quæ verba ille expirauit, nimirum, inter verba Deum vindicem referentia. Quippe ait: *Audiens Ananias hæc verba expirauit,* quæ verba? Nimirum, quod esset mentitus Deo, quod esset mentitus Spiritui sancto. Sed cur Petrus verbis interfecturus reum, sola verba protulit, quæ Deum offensum referrent? Paul Act 13. Magum feriens ait: *Eris tacens, non videns solem.* Cur similiter Petrus, non ait, Morieris, & non viues, sed solum dicit, Non est mentitus hominibus, sed Deo? Sane Petrus in mortis supplicio hoc intendebat, vt reus meminisset Deum vltorem; sub eiusque cognitione pœnitens discederet. Hoc procurabat in reo Petrus, & hoc obtinuit, ait enim Carthus. *Sperare potest, quod Petrus sua prece transgressori huic gratiam pœnitendi obtinuit, quem foris tam districtè correxit.* Equidem quem tam seuere foris feriebat, in corpore, non derelinquebat, sed & precibus,

Apollin.

Act. 5.

Act. 13.

Carthus.

& multis

& multis aliis illius procurabat salutem mentis, vt agnoscens Deum vindicem suorum scelerum, & pœniteret, & saluaretur.

§. VII.

Proximus non damnandus sine accurata examinatione criminis.

CVnctos principes vocari Deus mandat, vt inquirant de reis, qui suspendendi sunt. Sic dicit: *Tolle cunctos principes populi, & suspende eos.* Illud, *eos*, non refert principes, sed eos, qui à vocatis principibus inuenti fuerint rei. Vt dicat: Voca cunctos principes populi, vt inquirant de reis, & qui sic inquisiti, inuenti fuerint, suspende eos. Sic Salianus noster, sic Cornelius cum multis aliis, imò cum Chaldæo dicente: *Conuoca omnes principes populi, & iudica, atque occide eum, qui reus est.* & cum Ierosolymitana paraphrasi etiam dicente: *Tolle omnia capita populi, & statue iudices eos coram Domino, & suspendatur, quicumque reus est mortis.* Sic Deus vbi reorum supplicium committit Moysi, nequit, vt res sine iudicio fiat, in quo iudices constituantur, qui diligenti examine inquirant de reo. Nunquam non diuini spiritus est, quod diligenter examines rem, antequam proximum condemnes. Hinc Iesus videns Pharisæos, qui mulierem deprehensam in adulterio proponebant Ioann. 8. *Inclinans se deorsum digito scribebat in terra.* Cur euidentissimo proposito mulieris crimine, & à grauissimis principibus testificato Iesus se ad terram inclinat, & digito incipit scribere in terra? Ait D. Cyril. Alexand. lib. 5. in Ioann. cap. 16. *Inclinauit se & digito scribebat in terra, quo nobis ostendat, quod antequam iudicium feramus de proximo, ad veritatis inuestigationem condescendere, & animum inclinare debemus, & discretionis digito singula ad rem propositam attinentia prius discutere: alioquin rectè iudicare non possumus. si prætermissa indagatione veritatis, & examine diligenti proximum in publico iudicio, aut absoluimus, aut damnamus.* Hoc habemus à Dei spiritu acceptum, quod non moueamur facie accusatorum ad damnandum proximum, sine eo quod descendamus ad diligentem rei indagationem, & inquisitioné. Aiebat Dominus Genes. 18. *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis; descendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint.* Ecce descensurum se Deus dicit, vt clamoris veritatem cernat, non quod ipse non cernat illam è cœlis, sed vt ostendat, quam necessum sit homini descendere, & examinare veritatem facti, antequam proximum condemnet. Ait D. Cyrill. vbi supra: *Cognouit vtique Deus Sodomitas, & Gomorrhæos tanti criminis esse reos, cuius oculis absconditum est nihil. Descensurum tamen se, & visurum rei veritatem dixit quo nobis ostendat exactè criminis prius discutiendam esse causam, quam feratur sententia in aliquem.* Nunquam Deus docuit posse aliquem de proximo iudicare, quin prius diligenti trutina, & examine procuret videre, & ponderare impositi criminis fundamina. Dicebat Festus Actor. 25. *Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.* Quæ verba premens noster Lorinus sapienter addit: Nec vero soli Romani talem consuetudinem habent, verum etiam cunctæ gentes, & quotquot rationis ductum, ac dictamen sequuntur. Sic sapiens pater ex omnium gentium consensu, irrationale & brutum putat, quod iudex timeat iustitiæ à defensione accusati, & ideò defensionis rationes nullas audiat. Ex quo Herodis in filios mordet tyrannidem Egesip. lib. 1. c. 41. fatus: Dignum est neque eum silere, qui Euriclis tempore, in Iudæam transmissus erat fidissimus amicorum Alexandri, quem rex quasi conscium tentamentorum illius, ius interrogandum putauit: verumne congruerent, quæ Spartiates de adolescentibus nuntiasset. Verû ille nihil se de illis quicquam eiusmodi cognouisse sacramento interposito fidê fecit: sed adolescentibus nihil profuit. *A se quæstionem depulit rex, ne minueret delationis inuidiam, si seuerius interrogatus negaret. Quasi indignus igitur, cui crederetur ab Herode, excluditur. Bonus pater accusari filios libenter audiebat, non sinebat defendi. Delectabatur, cum opprimerentur; offendebatur, si purgarentur.* Sic bonus mordet patris ingenium, qui audiens delationes, quibus filij accusabantur, cauebat audire, & videre testimonia, quibus aut minueretur, aut prorsus euanesceret accusatio. Sed verebatur, ne verum crimen defensionibus adeò obnubilaretur, vt nocentes euaderent? Quid inde? Maius damnum esset, & vt maius sic toto conamine à Republica excludendum est, quod falsum crimen indefensum probetur, & innocentes supplicio afficiantur. Vt enim dicitur l. Absentem. D. de pœn. l. Absentem, C. de accusat. l. 1. de requir. reis, D. si quondam, C. de adult. *Satius est nocentem absoluere, quam innocentem condemnare.* A quo nullus dissentiet, qui rationis ductum sequatur.

Chald. *Ierosol.* *Ioan. 8.* *D. Cyril.* *Gen. 18.* *D. Cyril.* *Actor. 25.* *Egesip.*

§. VIII.

Tunc proximos amas, cum seueritatem à Deo decretam in illos exerces.

LAta à Deo lex de suspendendis lasciuis idololatris intimatur per Moysem iudicibus populi, dum ait: *Occidat vnusquisque proximos suos!* Res mira, quisque iudicum iubetur suos charissimos propinquos, & cognatos percutere. Et cur iudicibus tanta seueritas erga cognatos mandatur? Cur non magis illis dicitur, quod quisque sic deseuiat erga sibi extraneos? Meritò non erga extraneos, sed cuique erga dilectos cognatos seueritas mandatur, ab amore enim & beneuolentia erga proximos debet venire, quod in illos seueritates à Deo decretas exequaris. Accipe ex Genes. cap. 21. *Cum vidisset Sara filium Agar Ægyptia ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: Eiice ancillam hanc & filium eius. Dure accepit hoc Abraham pro filio suo. Cui dixit Deus: Non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua, omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius. Surrexit itaque Abraham mane, & tollens panem, & vtrem aquæ imposuit scapulæ eius, tradiditque puerum, & dimisit eam.* Ecce vt Sara expulsionem Ismaelis mandabat Abrahamo, ille filij sui amator, rem durissimam detestabatur. Vt autem hæc eadem expulsio mandata fuit à Deo, statim Abraham filium cum matre dimisit. Cur hoc facis Abrahame? Cur erga filium tantam seueritatem exerces, vt illum cogas exulare à domo paterna? An amorem, beneuolentiamque, qua illum prosequebaris oblitus es? Absit, tunc se pueri amatorem ostendit, cum in illum exercet seueritatem à Deo decretam. Ait Theodor. quæst. 71. in Genes. *Cum Sara dixisset: Eiice ancillam, & filium eius, morem illi non gessit. Vbi vero iussit Deus, statim verbis opus suppeditauit, & hac beneuolentia quadam ductus erga Ismaelem.* Quod Abraham abiiciat filium, non fuit res odij, sed res amoris, & beneuolentiæ, quando id Deus iusserat. Et nunquam non amoris est, illas seueritates in amatos exercere, quas imperat Deus. Si quis alius, sanè Ioseph seuerissimè tractabat fratres Gen. 42. Dicit enim illis: *Vos autē eritis in vinculis, donec probentur, quæ dixistis, vtrū vera, an falsa sint, alioquin per salutem Pharaonis, exploratores estis. Tradidit ergo illos custodiæ tribus diebus, &c.* Est post hæc: *Tollensque Simeon, & ligans illo præsentibus.* Quanta hæc seueritas in fratres? An odiosos illos habebat propter iniurias acceptas? An memor iniuriarum illos percutiebat? Absit, imò, qui amabat eos, ipse amor has extorquebat seueritates, quibus Deo fiebat satis. Ait D. Gregor. PP. hom. 21. in Ezech. *Seuerus ad fratres reuertitur, vt cruciatu eorum animas à culpa liberaret. O tormenta misericordiæ! Crucias, & amas.* Amor est, qui cruciat, qui ferit amatos, vt Deo satisfaciant.

Gen. 21. *Theod.* *Gen. 42.* *D. Gregor.*

Numer. 25. **Et ecce vnus de filiis Israel intrauit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, vidente Moyse, & omni turba filiorum Israel, qui flebant ante fores tabernaculi.**

§. IX.

Piis viris maximè condolendum de aliorum damnatione, & spirituali ruina.

DVm alij impudentissime ferebantur in turpissima scelera, pij viri iuxta ostium tabernaculi eorum vicem lamentabantur; de quibus ait: *Qui flebant ante fores tabernaculi.* Et merito Oleaster ibi dicit: *Hoc enim debet esse munus piorum, cum peccata viderint, flere scilicet pro peccatoribus.* Debent hoc pij viri deploratis peccatoribus, vt magis afficiantur erga illos miseratione, quā ira. Vt non prosequantur ira, sed defleant eorū miseram conditionem. Act. 20. Paulus aiebat: *Vos scitis, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, seruiens Domino cum omni humilitate, & lachrymis, & tentationibus, quæ mihi acciderunt*

Act. 20.

acciderunt ex insidiis Iudæorum. At Paulus tantus vir, tam validus, & fortis illacrymabatur, cum peteretur insidiis Iudæorum. Illachrymabatur sanè, non propter suum malum, sed propter ipsam Iudæorum damnationem. Ait in præsenti Oecumeo. *Hoc loco signum doctrinæ demonstrat, nempe inuidia, fastuque carere, ac condolescere. Patiebatur namque, & pro pereuntibus, & pro iis, qui perdebant.* Hoc signum veræ doctrinæ, veræque religionis, quod patiaris dolorem, & in lachrymas eas, pro omnibus illis, qui sese lethalibus peccatorum vulneribus transfodiunt, æternamque incurrunt damnationem. Hinc de B. Virgine Maria ait D. Amedeus homil. 5. *Quis explicet, quibus premebatur angustiis Beata Virgo, cum prophetico oculo cerneret stirpis suæ magna quadam ex parte condemnationem gentis attritionem, casum populi? Nec vero quisquam opponat Iudæos exosos Dei genitrici, eo quod filium suum morte turpissima condemnarunt. Quos enim morti æternæ appropinquare videbat, nequaquam odiis suæ dignos existimauit, sed affectu plurimo, sed lachrymis multis, & magna miseratione.* Vt æternam damnationem suorum videbat pia Virgo, non poterat non effundere fluuios lachrymarum, suaque obliuisci mala temporalia. Est enim & ornatus, & præstantia iustorum singularis, quod mirifice compatiantur in proximorum malis. De pulcherrima Christi sponsa ait Cant. 1. *Pulchra sunt genæ tuæ sicut turturis, collum tuum sicut monilia.* Mirabar, quod in commendatione pulchritudinis tantæ sponsæ, non meminerit oculorum, nec oris, sed post genas ad collum statim transeat. Cur non prius dicis de oculis sponsæ? Cur in collo monilis imitatis proprietatem? In monili spectabat flexibilitatem colli, qua se demittebat sponsa vt proximorum compateretur infirmitatibus, quæ virtus multum extollit pulchritudinem piarum animarum. Id quod ponderabant tres Patres apud Theodoretum sentes: *Collum item pulchrum effectum est sicut monile. Nec enim tibi ferreum est collum, vt flecti nequeat, sed facile verti possit, vt monilia ex auro elaborata. Quemadmodum enim monile rectâ figura prius ab artifice conflatur, deinde in circulum accommodate ad vsum circumflectitur: sic homo virtute perfectus, cum absoluta vitæ moderatione rectus sit, cæteris compatiendo flectitur, atque demittitur.* Sunt duri homines, ferreum habentes collum, quod minime flectitur, etiamsi videant proximos in perditionem ire. A qua duritie longe sit anima, quæ appetit Dei nuptias; quin potius hæc vt se omni exornat virtute, sic & aureum collum habet, quod facile flectatur, & se dimittat, vt compatiatur, & lugeat, proximorum suorum spectans ruinas. Hinc Iob se ab amicorum moribus alienans ait cap. 16. *Vtinam esset anima vestra pro anima mea. Consolarer ego vos sermonibus, & mouerem caput meum super vos.* Illi videntes extremam ruinam Iobi adeò erant ferrei, vt minime flecterentur, sed illum magis verbis feriebant. Non sic esset ferreus Iob, si illos in simili calamitate videret, imò totus aureus facile flecteretur, & caput inclinaret, vt sensum in se tantæ calamitatis ostenderet. Sic Chrysost. in cat. in tertia expositione loci. *Si mecum ipsi malis vrgeremini, profecto alio verborum genere vobiscum essem congressus, capitisque motu vestrum ad me dolorem pertinuisse declararem.* Quid mirum? Vt Iob erat iustus, sic iustus in compassione pereuntium ostenderetur. Comitatur enim iustitiam, & sanctitatem compassio, qua in malis proximorum tenerescimus. In quo talis compassio est, fallar nisi longe sit ab occasionibus lapendi. Marc. 6. ait Herodias: *Volo, vt des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ. Et contristatus est rex. Et propter iusiurandum, & simul discumbentes noluit eam contristare: sed misso speculatore, &c.* Quomodo potuit stare, quod rex daret caput Ioannis cum eo, quod contristatus fuit ad petitionem nefariam? Contristatus fuit parum, aut simulate; si enim sic doleret nefarium facinus, vt fleret illud, nunquam illi annueret. Ait Andreas Ierosol. ibi: *Oportebat enim vocem fletum emittendo vehementer deplorare, & flebiliter eiulare. Facillime enim pœnam iurisiurandi abiurasses, & illata negatione depulisses periculum.* Lachrymæ de tanto facinore conceptæ non sinerent perdi regem.

Oecum. — *D. Amed.* — *Cant. 1.* — *Theodor.* — *Iob 16.* — *Chrysost.* — *Marc. 6.* — *Andr. Ierosf.*

Numer. 25. Quod cum vidisset Phinees filius Eleazari filij Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione ingressus est post virum Israelitam in lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet, & mulierem in locis genitalibus. Cessauitque plaga à filiis Israel, & occisi sunt viginti quatuor millia hominum.

§. X.

Lasciuiæ turpitudo, quantum est ex se, necem sine misericordia trahit.

VIx misera luxuriæ mancipia sese suis voluptatibus effuderant, & ecce tibi & gladius, & mors super illa. Quippe ait: *Quod cum videret Phinees filius Eleazari filij Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione perfodit ambos simul, &c.* Proh sacerdotis iram! Cur sic confodis miseros? Cur non magis miseraris eorum animas, & locum illis præbes acquirendæ salutis? Sanè non fuit sacerdotis sic irremissibiliter perimere, sed turpissimum luxuriæ facinus hoc habet proprium sibi, vt quantum est ex se, memoriam misericordiæ fuget, & sibi gladios afferat velocissimos. De lasciuo amore locutus D. Zeno serm. de Fide, Spe, & Charitate, inquit: *Est & alius amor saluti nostræ contrarius, cui recte figura hominis tribuitur, quia temporalis, & fragilis esse cognoscitur. Ideò pennatus depingitur, quia in quemcumque conceperit, velociter ruit; ideò telis, facibusque constructus, quia illicitis amoribus semper iunctus est gladius.* Expende assertum illud sanctissimi viri, nimirum: *Illicitis amoribus semper iunctus est gladius.* Quid certius visitur in theatro mundi? Quod vitium frequentius sub gladio apparet? Pereunt raro latrones, homicidæ: lasciui nunquam non inter ipsos gladios degunt, illosque sibi trahunt vndique, vt pereant irremissibiliter. Oseas cap. 1. ait Dominus: *Vade, sume tibi vxorem fornicationum, & fac filios fornicationum.* Et vt in filiorum nominibus appareat lasciuorum discrimen, pergit dicens: *Et accepit Gomer filiam Debelaim, & concepit, & peperit ei filium. Et dixit Dominus ad eum: voca nomen eius Iezrael: Et concepit adhuc, & peperit filiam. Et dixit ei: Voca nomen eius, Absque misericordia, quia non addam vltra misereri Israel, &c.* Expende, quæso, qualis sit secundus partus vxoris fornicationum, nimirum vocatur *Absque misericordia*, vt inde nomen habeat lasciuia, quo cognosci debeat, nimirum, quod ad se gladios affert, & misericordiam fugat. Ait enim D. Damas. orat. 1. de Natiuit. Mariæ: *Quia vniuersa in fœdissimam libidinem sese proluerat: At Domini populus fornicationis spiritu abstractus à Domino Deo suo aberrauerat, factusque fuerat populus Domini non populus ipsius, & qui misericordiam consecutus non misericordiam consecutus, &c.* Hoc traxit mundus ex lasciuia, ex luxuriæ turpitudine, vt misericordiam non consequatur, quantum enim est ex parte lasciuiæ, hoc habet præcipuum, vt misericordiam fuget, & irremissibiliter in lethum currat. Aiebat Prouerb. 9. *Mulier stulta, & clamosa, plenaque illecebris, & nihil omnino sciens sedit in foribus domus suæ, &c.* Quæ verba sic reddit Andræas Ierosolymit. *Mulier insipiens nescit pudorem, sed occurrit ad petram inferni.* Nulla alia in sede quiescit lasciua anima, nisi vbi nulla est redemptio. Ex quo ait Andreas Ierosolymit. in Decollat. Baptist. *Libidinosa saltatrix vna cum matre sua nullam hinc aliam adepta est vtilitatem, nisi flammam gehennæ. Hunc fructum dat libido suis amatoribus: hæc præmia largitur impudicis vehemens voluptatum intemperantia:* nimirum, quod irremissibiliter pereant. Habes Iudicum cap. 16. Samsonem dormientem in sinu amantissimæ sibi fœminæ; Samsonem, inquam, illum, cuius caput nullum attigerat ferrum; sed vbi in sinum incidit fœminæ, statim ferrum ad caput eius, & *rasit septem crines eius*, quinimò, *statim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt.* Nec inter tot vnus inuentus est, qui tanti ducis misereretur? Sanè magni duces capti misericordiam in hostibus inuenerunt, Samson autem amicæ insidiis capitur, & nullam misericordiam inuenit, sed extremam calamitatem, & miseriam. Cur hæc? Ait Germanus Constantinop. in adorat. Crucis apud Gretheser. tom. 2. *Tentatus est Samson illusionibus, & à Manade illa furiosa Dalila, oculis excæcatus, alienigenis in secum, & ludibrium expositus. Sic enim voluptatis affectio suos amatores honorat.* Nullum alium honorem à luxuria recipies, quàm extremam contumeliam, & ruinam.

D. Zeno. — *Oseas 1.* — *Damas.* — *Prou. 9.* — *And. Ier.* — *German.*

§. XI.

Qui inter aliorum virtutes peccat, vt deploratus censetur.

NOn præmonet Phinees miseros, sed *Arrepto pugione perfodit ambos simul, &c.* Cur non antea verbis correxit? Cur

Cur monitis non tentauit prius reuocare à flagitio homines? Sanè qui Moysem, & principes stantes ad ostium tabernaculi, ibique Deum lachrymis solicitantes, non est reueritus, sed tantas virtutes contempsit, meritò deploratus habetur, & vt deploratus tollitur de medio. Aiebat Procopius in Glossa. *Hic scortator impudicitia suo atrocitate ad iustam iram prouocauit Phinees. Quod videlicet in conspectu Moysis, & principum libidinem exercuit, nihil etiam reueritus ipsarum lachrymas, quas ante tentorium effuderunt.* Quando tabernaculum frequentabatur à principibus populi, quando ij ad ostium tabernaculi procumbebant, lachrymasque coram Deo fundebat, & preces, nihil iodè veritus iste magis ad libidinē currebat, meritò antea trucidari quàm admoneri debebat. Quid enim prodesset admonitio inter tantas virtutes furētis? Act. 5. Ananias vendiderat agrum, vt pretium iuxta perfectionis normam, Apostolis afferret; attulit tandem, sed defraudatum, quod vt cognouit Petrus, ait: *Quare posuisti in corde tuo rem hanc? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Audiens autē Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit.* Quid seuerius? Vbi primum fraudem fecit Ananias, internecioni traditur à Petro. Potuisset Petrus magis morosè, & lentè ad supplicium ire, & placidis verbis reum monere, vt resipisceret, & culpam confiteretur. Sic Iosue cap. 7. reum furti monebat: *Fili mi da gloriam Domino Deo Israel, & confitere, atque indica mihi, quid feceris, ne abscondas. Responditque Achan Iosue, & dixit ei: Vere ego peccaui Domino, &c. & post hæc fuit interfectus.* Vide, lenitudo Iosue, quàm profuit reo, vt facinus suum agnosceret, & confiteretur. Cur similiter Petrus non fecit cum Anania? Cur placide illum, non monuit, vt fraudem detegeret, vt se peccasse fateretur, & meliorem resumeret mentem? Peccarat Ananias eò tempore, quo fideles ardentissime Deo seruiebant, diù noctùque orationi vacabant, Apostoli signis, & prodigiis fidem confirmabant, sudore, & lachrymis peccatores ad pœnitentiam trahebant. Qui autem inter tantas virtutes nihil veritus fraudibus se dedit, meritò deploratus censetur, & superuacaneum putauit Petrus talem admonere. Ait D. Chrysost. hom. 12. in acta: *At oportebat, inquis, istum corrigi. Sed non correctus esset. Nam qui talia viderat, nullumque lucrum inde fecerat, multo magis, nec alia ratione lucrifieri poterat. Non oportebat igitur quod fiebat omnino contemni, sed vt putrefactionem quandam scindi.* Vbi tot virtutum conspectus hominem non frænauerat, inutilis esset quæuis alia admonitio, ac correctio, vndè satius duxit Petrus talem tradere neci. Expectat sanè improuisa Dei ira maximè illos, qui inter virtutes aliorum se vitus tradere non detrectant.

Procop.

Actor. 5.

Iosue 7.

Chrysost.

§. XII.

Sacerdotes spectat lasciuientium vindicta.

QVi aduersus lasciuos insurrexit, eosque confodit, meritò notatur fuisse sacerdotum filius, de genere, & familia sacerdotali. Ait enim: *Quod cum vidisset Phinees, filius Eleazari, filij Aaron sacerdotis insurrexit, &c.* Nunquam non lasciuientium vindicta rapit animum sacerdotalem. Nota est historia Sichem principis ea cap. 34. Genes. vt rapuit formosissimam Dinam Iacobi filiam, vt constuprauit virginem, tristemque blanditiis deliniuit, & habens eam, petiuit à Iacob sibi dari in vxorem, quod vt facilius obtineret, vnà cum populo suo circumcisionem passus est. Quid tunc? Ait text. *Ecce die tertio quando grauissimus vulnerum dolor est, arreptis, duo filij Iacob Simeon, & Leui fratres Dinæ, gladiis, ingressi sunt vrbem confidenter, interfectisque omnibus masculis, Hemor, & Sichem pariter necauerunt, tollentes Dinam, &c.* Plures alij erant Iacobi filij, qui potuissent sororis stuprum vindicare; qui prorsus tacuerunt, soli Simeon, & Leui armantur in vindictam, soli gladios stringunt, & ingrediuntur ciuitatem, & confodiunt stupratorem principem. Et cur ij soli magis in vindictā tanti facinoris exardent? Ab iis solis deriuabatur linea sacerdotalis, & meritò magis in vindictam libidinis armantur, qui erant sacerdotum patres. Ait D. Ambr. lib. de Bened. Patriarchar. cap. 3. *Ideò & fortasse isti duo vltores prædatoris, quia Scribarum, & sacerdotum authores sunt. Nulli enim magis quam sapientes, & sacerdotes debent castimoniam vindicare.* Equidem sacerdotum est prosilire in vindictam lasciuientium. Quis ignoret Ioannis aduersus luxuriantes Reges constantiam? Eremum reliquit, vt regem adulterum sermone in dies percuteret, clamans iuxta Marc. 7. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* De hoc ergo diuinissimæ castitatis propugnatore, luxuriæ nefandæ insectatore agens Luc. cap. 1. eius parentes proponit dicens: *Fuit in diebus Herodis regis Iudææ, sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia: & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elizabeth.* Et cum esset insuetum sacris Scriptoribus in generationibus fœminas meminisse, in generatione Ioannis non solum meminit eius matrem, sed insuper notat illam esse de filiabus Aaron. Et cur necessum fuit illam vocare Aaronis filiam? Ait Chrysolog. serm. 89. *Prætermissis omnibus Aaronis filia dicitur, quia in se protulit sanctitatem, quam tanti generis custos gloriosissime transfudit in filium.* Meritò notabatur sacerdotalis generis integra sanctitas transfundi in eum filium, qui pro castitate tuenda occumberet, & qui luxuriæ mancipia erat acriter insectaturus. Quid magis sacerdotio correspondens quam lasciuorum persecutio? Dauidi lasciuiæ flammis adusto mittit Dominus Prophetam, qui eū corripiat, Nathā nomine. 2. Reg. 12. *Misit ergo Dominus Nathan ad Dauid, &c.* At sese efferenti Dauidi de populi numero alius propheta mittitur nomine Gad, ait enim cap. 24. *Sermo Domini factus est ad Gad prophetam Dauid, &c.* Cur pro numerati populi peccato Gad mittitur, qui Dauidem puniat, pro adulterio autem commisso non Gad, sed Nathan adducitur, qui regem acri reprehensione percutiat? Inueni D. Ambrosium asserentem lib. de Bened. Patriar. cap. 3. Nathan esse de sacerdotali prosapia, ex quo non miror, quod rex castigandi adulterum, non committatur nisi sacerdotum filio. Sacerdotalis enim virtutis est, contra luxuriæ asseclas prosilire.

Gen. 34.

D. Ambr.

Marc. 7.

Luc. 1.

Chrysol.

2. Reg. 12.

§. XIII.

Dei benignitas nunquam non supplicium minuit.

QVæ in omnem populum precantem excitata erat Dei ira, vbi zelum Phinees vidit, statim quieuit, nec vltra voluit progredi in supplicio. Dicit namque: *Cessauitque plaga à filiis Israel, & occisi sunt viginti quatuor millia hominum.* Quocirca Procopius ait: *Vide benignitatem maximam, quo supplicio paucorum quod omnes meruerant, est contenta.* Omnes sese effuderant in lasciuiam, & idololatriā, & omnes meruerant supplicium; at diuina benignitas paucorum morte contenta est, vt quæ semper nouerit minuere supplicia. Pestilentiam trium dierum acceptauerat Dauid à Domino 2. Reg. 24. in effectu autem: *Immisit Dominus pestilentiam in Israel de mane vsque ad tempus constitutum, & mortui sunt ex populo à Dan vsque ad Bersabee septuaginta millia virorum. Cumque extendisset manum suam Angelus Domini super Ierusalem, vt disperderet eam, misertus est Dominus, &c.* D. Cyril. Alexand. lib. 3. de iustificat. in Christo, ait: *Immisit Dominus pestilentiam in Israel à mane vsque ad horam prandij, &c.* Vbi Deus vidit pestem sæuire in populum, non sustinuit illam durare tribus diebus, vt minatus fuerat, sed cum primum accessit hora prandij primi diei percutientis Angeli manum cohibuit. Quanta hæc Dei benignitas? Ait Theodor. quæst. 37. *Trium dierum mortem Deus minabatur, sex autem horarum solum mortem intulit. Si dies autem numeretur cum noctibus, inuenitur pars solum duodecima minarum illata esse populo. Ita Deus benignus, & clemens maioribus quidem vsus est minis, minus autem longe minora infert supplicia.* Semper Dei benignitas eo spectat, vt minuatur supplicium. Quo etiam accedit Ambros. in Psalm. 37. inquiens: *Qui proposuerat mortem triduo exercere in terra, ne vnum quidem diem passus est præterire, sed ad horam prandij libenter indulsit. Quia plus minatur, & minus exigit, qui in remuneratione promiorum sua promissa custodit, in exactione pœnarum proscriptam remordet. Cum irascitur in reum, differt; cum miseretur, properat, vt absoluat.* Quid pulchrius potuit dici de Dei benignitate? Non ea est, quæ patiatur iræ calicem effundi totum. Psalm. 74. *Calix in manu Domini vini meri plenus misto, & inclinauit ex hoc in hoc, veruntamen fæx eius non est exinanita.* Sanè plenus est calix furoris Domini aduersus peccatores, aduersus quos sæpissime inclinari incipit, vt se super illos effundat. Verum fæx eius non exinanitur, non totum cadit, quod est in calice furoris diuini. Ait D. Ambr. supra: *Ad terrendum plenus est calix, ad feriendum non est exinanitus.* Nunquam effundi totus solet, aut euacuari calix iræ, vt miseros in hac vita percutiat.

2. Reg. 24.

Cyr. Alex.

Theod.

D. Ambr.

Psal. 74.

D. Ambr.

§. XIV.

Decet præstantes gubernatores, & seuerissimas leges indicere, & de seueritate legum in suppliciis remittere.

CVnctos principes iusserat Deus suspendi propter idololatriam, & fornicationem cum Madianitis, & cum primum Phinees vnum principem de tribu Simeon lethaliter percussit, statim remittitur diuina ira. *Cessauit,* inquit, *plaga à filiis Israel.* Et vbi est seueritas illa edicti diuini promulgati contra cunctos principes? Ad quid necessum fuit tantam seueritatem ostendere in edicto, si tanta erat pietate temperanda executio? Equidem decet hoc præstantes gubernatores, qui condant leges seuerissimas, quibus frænentur reis in executione autem suppliciorum agant benignius. Ad hæc monet D. Ambr. Psal. 37. *Imitamini ergo Imperatores exemplum diuinum, vt sitis in statuendis legibus seueriores, in exigendis suppliciis misericordes. Seueritas legum insolentem restinguat audaciam, misericordia principum reos subtrahat pœnæ.* Hic sanè est præstantissimus gubernationis modus, quando in legibus seueritas est, in corde principis benignitas, quæ seueritatem temperet in executione iudicij. Hinc quando lex tota iustos homines, & principes prorsus requirat, nihilominus Ecclesiastes c. 7. monet: *Noli esse iustus multum.* Quod non paruam quæstionē faciebat D. Augustino, qualiter posset stare iustitia à legibus requisita, cum hoc asserto diuini spiritus? An spiritus diuinus contrarius est legibus flagitantibus iustitiam? Absit, sed temperat illa in executione supplicij. Quippè ait quæst. 15. ex vet. Testam. *Cum iustum lex praedicet, quomodo contra Salomon: Noli, inquit, esse iustus multum? Nimia iustitia incurrit peccatum, temperata facit perfectos. Non enim sine malitia est, qui multum est iustus, quia peccantibus ad singula si respondeas, non deerit, vbi pereas. denique Dei temperata iustitia est. Peccantibus enim aliquando ignoscit, aliquando irascitur, aliquando reddit, non quantum digni sunt. Lex enim, quia seipsam mollire non potest, à nobis mitiganda est, vt possit prodesse.* Itaque vt ex parte legis stat seueritas, ex parte principis benignitas stare debet, quæ emolliat executionem. Quo respiciens Theodoricus rex apud Cassiod. 4. var. 40. aiebat: *Districtius aliqua iuberi compellimur amore iustitiæ, dum circa minores fortunas mitiora sunt nostri pectoris instituta.* Sic bonus Princeps, & districtionem in edictis ponebat, & mitiora seruabat in pectore, quibus prospiceret infœlicioribus. Hic dum Iudæi proponerent coram Iesu mulierem de adulterio conuictam, vt doceret, an iuxta legis præscriptum lapidarent eam? Respondit Dominus Ioan. 8. *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* Qualis hæc responsio ad principes populi? Quando lex clarissimum disponebat supplicium adulteræ, quid necessum erat, quod legum executores respicerent peccata sua, nisi vt inde misericordiam discerent, qua legum seueritatem in executione erga proximos mollirent? Ait D. August. epist. 54. *Respondit eis: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Ita nec legem improbauit, quæ huiusmodi ream iussit occidi, & illos terrendo ad misericordiam reuocauit.* Non deflectit à iustitia princeps, qui seueritate legū perspecta adhuc in misericordiam inclinat. Matth. 2. *Ioseph cum esset iustus, & nollet eam traducere,* &c. Iustitiæ lex petebat, vt traduceretur adultera. Ioseph autem quam suspicabatur ream, nolebat traducere, & in hoc iustus erat. Ait August. supra: *Cum eam comperisset praegnantem, & ob hoc nil aliud, quam adulteram credidisset, puniri tamen eam noluit, nec approbator flagitij fuit. Nam hæc voluntas etiam iustitiæ deputatur. Ita quippè de illo scriptum est Et cùm esset iustus, & nollet eam traducere,* &c. Sic opus iustitiæ est seueritatem legis in effectu mollire.

D. Ambr. — Eccl. 7. — Cassiod. — Ioan. 8. — D. Aug. — Matt. 1. — Aug. 4.

Num. 25. Phinees filius Eleazari filij Aaron sacerdotis auertit iram meam à filiis Israel: quia zelo meo commotus est contra eos, vt non ipse delerem filios Israel in zelo meo. Idcirco loquere ad eum: Ecce do tibi pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quàm semini eius pactum sacerdotij sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo, & expiauit scelus filiorum Israel.

§. XV.

Præstantissimum Dei donum est pax, nulloque pretio non emendum.

PRæclaro sceleratorum vindici donum à Deo datur, quod in pace viuat, ait enim: *Ecce do ei pacem fœderis mei,* &c. Do ei, inquit, solius enim Dei donum pax est, qua ipse nouit honorare, & extollere suos athletas. Ait Philo in caten. Græca: *Cum lustrato exercitu quæreret Moyses, quo honore Phineem prosequeretur, ante venit Deus suo oraculo. In primisque iuuenem magno affecit honore pacis, quod nullus vnquam mortalium affatim prabuit.* Expende illud: *Magno affecit honore pacis;* quippe magnum Dei donum pax est, quod à solo Deo habetur, nulloque pretio non emendum. Solent equidem pacifica Regna grauari tributis, & exactionibus adeò, vt non prius pax rutilet, quam tributorum impensæ. Quò spectabat illud D. Luc. cap. 2. de tempore pacifico Dominicæ natiuitatis, vbi ait: *Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis,* &c. Cum primum Romanus orbis in pace fuit, statim auditæ voces exactorum tributa pro capitibus exigentium, ad quæ præstanda describebantur singulæ cognationes. Sed tantus est pacis honor, vt vel ingentibus tributorum comparatus pensionibus homines reddat fœliciores. De quo eleganter disserens Paulus Orosius lib. 5. cap. 1. ait: *Maiores nostri bella gesserunt; bellis fatigati, pacem petentes, tributa obtulerunt. Tributum pretium pacis est. Nos tributa dependimus, ne bella patiamur: ac per hoc in portu, ad quem illi tandem pro euadendis malorum tempestatibus confugerunt, nos consistimus, & manemus. Igitur nostra tempora videremus, vtrum fœlicia. Certè fœliciora illis ducimus, quia quod illi vltimo delegerunt, nos continue possidemus. Inquietudo enim bellorum, qua illi attriti sunt, nobis ignota est. In otio autem quod illi post imperium Cæsaris, natiuitatemque Christi tenuiter gustauerunt, nos nascimur, & senescimus: quod illis erat debita pensio seruitutis, nobis est libera collatio defensionis.* Quid pulchrius? Quid sapientius? Quibuscumque pensionibus, quibuscumque tributis comparetur pax, ab hominibus debet coli vt Dei donum, quod sapientissimi quique & experti bellorum mala omnibus aliis temporalibus bonis prætulerunt. Et quod bonum est, vbi pax non est, vbi inquieta, & turbida sunt tempora? Sanè ille solus aliquid habet; ille solus aliquid fecit, qui sibi tranquillitatem operatus est. Aiebat Psal. 106. *Qui descendunt mare in nauibus facientes operationem in aquis multis. Ipsi viderunt opera Dei, & mirabilia eius in profundo.* Ecce tibi quibus opera Dei, & mirabilia eius pateant, nimirum iis qui faciunt operationem in aquis multis. Sed qui sunt ij, qui talem operationem faciunt, cui annexa sint Dei mirabilia? Ait D. Isid. Pelus. lib. 1. epist. 183. *Qui hoc mundi mare tranquillum reddiderunt, in aquis multis operationem fecisse dicti sunt.* Et meritò putaotor operationem fecisse Dei mirabilibus dignam, qui tranquillitatem, & pacem fecerunt in mundo. Vbi enim tranquillum non habes, pacem non habes; nihil te fecisse puta.

Philo. — Luc. 2. — Paul. Oros. — Psal. 106. — D. Isidor.

§. XVI.

Falsæ religionis hominum internecione pax regnorum firmatur.

QVi impudentem idololatram Israelitam cum Madianitide concumbentem transfodit, meritò donatus est pace. Ait enim Dominus: *Ecce do ei pacem fœderis mei.* Illis enim principibus, illis regnis pax à Deo mandatur, quæ falsæ religionis homines acriter insectantur, lethaliter feriunt. Maximè fuit controuersum temporibus D. Augustini, an falsarum sectarum lues ferro erant radendæ? Negauit aliquando sanctus doctor, sed post animaduertens pacem exsibilari à Republica per eos, qui à fide deficiebant, duabus epistolis eruditissimis late probauit, vt debebant Imperatores leges ferre de perdendis Hæreticis, si vellent in regnis pacem videre. Et tandem epist. 50. rem conficit iis aureis verbis: *Sed si aliter non meruit pacem domus Dauid, nisi Absalon filius eius in bello, quod contra patrem gerebat, fuisset extinctus, quamuis magna cura mandauerat suis, vt eum viuum, saluumque seruarent, quid ei restitit, nisi perditum flere, & sui regni pace acquisita suam mœstitiam consolari? Sic ergo catholica mater bellantibus aduersus eam filiis facit, si aliquorum perditione, cæteros tam multos colligit, dolorem materni pectoris lenit, & sanat tantorum*

D. Aug.

liberatione populorum. Quorum videm in Christi pace lætitiam, &c. Sic sapientissimus pater rem Dauidis cum Absalon ex 2. Reg. 18. componit cum re catholicorum regnorum. Quippè Dauid deficiente filio, non potuit obtinere pacem, nisi cum Absalon Ioabi ferro de medio fuit sublatus. Amabat rex filium, & eius interitum detestabatur, imò ducibus imperabat, ne quis in illum mitteret manum, sed potius viuum seruarent. Quod minime illi fecerunt, sed rebellem peremerunt, quo perempto statim pax in domo Dauidis apparuit, & de pace acquisita leniuit Dauid animum, quem filij acerba mors exasperauerat. Sic prorsus catholica regna, vbi deficientes à vera religione subditos sunt passa, tamdiu durant in bello, in seditionibus, quandiu illis parcût; vbi autem horum perditione cæteros cohibent, tunc in pace, & tranquillitate viuunt. Nunquam pax, & tranquillitas erunt Reipublicæ, quæ veræ religionis hostes minime puniat. Aiebat Egesipp. lib. 2. cap. 11. *Erat immane latrocinium inter Iudæos, ac Syros, cum spes nulla salutis esset, nisi ut inuicem se præuenirent. Quæ enim ciuitas, quæ non Iudæos simul & Syros permixtos haberet? Dies in sanguine, noctes in formidine transigebantur, nec odiis, nec auaritia modus vllus. Nam propter sectarum, & cultus diuersitatem, quæ in malum publicum eruperat, vt è diuerso se perditos vellent, &c.* Ciuitates admittebant simul permixtos Iudæos & Syros, inter quos vt erat diuersitas religionis, & cultus, sic tumultus frequentes, immania latrocinia, bella intestina quotidie excitabantur, quæ miseras ciuitates sanguine opplerent, & ruinis. Merito extollitur illud Philippi secundi Hispaniarum regis dictum, nimirum Hispaniarum regna triginta sacerdotum beneficio in pace, & tranquillitate consistere: totidem enim tunc erant Quæsitores Fidei, qui Hæreticos homines tradebant igni. Nisi enim ij extinguantur, nequit esse in Republica tranquillitas. Ex quo sanctissime Magnus Constantinus Imperator epistola data Alexandro & Ario, quæ habetur lib. 1. Concilij Nicæni; post Arij defectionem ortatam ait: *Date igitur mihi dies tranquillos, & noctes curo, ac molestiarum expertes, vt voluptas, quæ tunc ex syncera concordia luce, tunc ex vita quieta capi solet, mihi integra in posterum conseruetur. Quod quidem si minus contingat, necesse est ingemiscere nos, & vt potest, vt vitæ cursum de reliquo tranquille, & sedate transigam. Nam quando Dei populus, eum dico, qui communis meum erga Deum obsequio fungitur, tam iniqua, perniciosaque contentione abs se mutuo dissides, quomodo fieri potest, vt ipse animo tranquillo consistam?* Sanctissime maximus Imperator sibi tranquillitatem, & pacem posse esse negat, vbi viuant in populo dissensiones circa fidem.

Egesipp.

Alex.

§. XVII.

Nulla ars sic hominem ad dignitates extollit, in illisque firmat, vt obsequium Deo exhibitum.

VIde, vt sacerdotij dignitas in Phineæ familia, & stabilitur, & confirmatur; dicit enim Dominus: *Erit tam ipsi, quam semini eius pactum sacerdotij sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo.* Quis sic firmam dignitatem in homine faceret, nisi diuini obsequij studium? Conueniant huc, qui multis artibus curāt sibi dignitates acquirere, illasque in suis æternare, & fallar, si aliunde id consequantur certius, quam ex obsequio diuinis exhibito. D. August. componit duos homines Ethnicum, & fidelem, Apuleium & Dauidem, illum natalibus clarum, magicis potentem artibus; hūc de post fœtantes vocatum, & Deo semper deuotum. At enim Psal. 77. *De post fœtantes accepit eum.* At vter horum euasit clarior? Rem definit Aug. epist. 5. *Apuleius, qui nobis Afris Afer est notior, non dico ad regnum, sed neque ad aliquam quidem iudiciariam Reipublicæ potestatem, cum omnibus suis magicis artibus potuit peruenire, honesto patria sua loco natus, & liberaliter educatus, magnaque præditus eloquentia. Et videant Dauid nostrum sine vllis talibus artibus ex pastore ouium peruenisse ad regiam dignitatem, cuius & peccata, & merita fidelis scriptura non tacuit, vt sciremus, & quibus modis non offenderetur Deus, & quibus modis placaretur offensus.* Sanè tota magicarum artium efficacia non comparauit homini, vel iudicaturam vnius ciuitatis, & homini natalibus, & eloquentia claro; at obsequia Deo exhibita, Dauidi, & paruulo, & pascēti oues imperium compararunt, imò in eius domo illud æternarunt. Nulla equidem ars sic in nobis valet dignitates æternare, vt obsequia, quæ Deo præstamus. Quod in ipsa etiam domo Dauidis clare patuit: opus enim iustitiæ regnum firmabat in Dauide, in Roboamo autem nato in regno iniustitia regnum labefactauit. Post narratam eius stultissimam responsionem, ait textus, 3. Reg. 12. *Misit ergo rex Roboam Aduram, qui erat super tributa, & lapidauit eum omnis populus, & mortuus est. Porrò rex Roboam festinus ascendit currum, & fugit in Ierusalem, recessitque Israel à domo Dauid vsque in præsentem diem.* Ecce tibi, quod pascenti oues regnum acquisiuit virtus, in regnis nato eripuit iniquitas. Vt merito dicat D. Amb. lib. 2. officior. cap. 18. *Egregie itaque viros alicui præsidemos muneri commendat iustitia, è contra iniquitas destituit, atque impugnat. Itaque desertus Roboam à populo, ac destitutus, vix duarum tribuum propter Dauid meritum habere potuit societatem. Claret ergo, quoniam & æquitas imperia cōfirmet, & iniustitia dissoluat. Nam quomodo potest malitia regnum possidere, quæ ne vnam quidem priuatam potest regere familiam?* Equidem si desint opera iustitiæ, quantumuis vniuersæ aliæ artes assistant, nec priuatæ domus regimen tenebis diu. Sola enim iustitiæ opera, dignitates, & regna stabiliunt in familiis fidelium. Ieroboamus ille Salomonis seruus prophetæ voce vocatus in regnum est, quod cum teneret 3. Reg. 12. conseruandi in suis regni *excogitato consilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite vltra ascendere in Ierusalem: Ecce dij tui Israel.* Vide quale consilium, quam astutum assumpsit iste, vt in se regnū conseruaret, tollens occasionem Israelitis abeundi Ierosolymam, videndique ibi Dauidis domum. Sed quamdiù ista nefaria arte conseruauit regnum? Sanè & ipse, & familia tota periit. Vt dicat Theodor. quæst. 41. in præsenti: *Sed miser, & ter infelix iste, accepta potestate aggressus est eam habere humanis, & impiis artibus.* Indè infelicitas, & extrema hominis venit miseria, quod humanis, & impiis artibus conatus regnum tenere, quando bonorum diuturnitas ab operibus iustitiæ venit. Et quæ alia consilia, vel quæ artes non potius perditiones creent? Sidon. Apol. lib. 8. epist. 12. post laudatissimam præstantis cuiusdam vitam commendatam sic ait: *Illud sanè non solum culpabile in viro fuit, sed peremptorium: quod mathematicos quondam de vita sua fine consuluit: qui constellatione percunctantis inspecta, pariter annum, mensem, diemque dixerunt, quos climactericos esse habituros. Et hunc nostrum temerarium futurorum scitatorem, & diu frustra terginersantem tempus, & qualitatem prædicta mortis sanxerunt. Nam domi pressus, strangulatusque seruorum manibus periit. Atque vtinam hunc finem, dum inconsulte fides vana consultat, non meruisset excipere. Nam quisquis præsumpserit interdicta secreta vetita rimari, verior huiusmodi à Catholico fidei regulis exorbitaturum, & effici dignum, cuius respondeantur aduersa, dum requiruntur illicita.* Hæc dixi, vt videas, quò deducant malæ artes, malaque consilia alumnos suos.

D. Aug.

3. Reg. 12.

D. Amb

3. Reg. 12.

Theodor.

Sid. Apol.

§. XVIII.

Tantum potest esse præcellentis alicuius virtus, quæ ingentia populi scelera obtegat.

MAgnus virtute extitit Phinees, de quo dicit: *Et expiauit scelus filiorum Israel.* Vnus erat ipse, & vnus cum esset, potuit magnitudine virtutis suæ ingentia obnubilare crimina populi. Quò spectans Philo in cat. Græca ait: *Admonet locus, quanta sit apud Deum vnius viri iustitia, pietasque, qui plagam populi auertere potest, & obliuionem inducere eius delicti, cuius expiatio tantum præconium promeruit.* Magnum fuerat populi delictum; quo pene vniuersi expositi erant iræ diuinæ. Sed Phinees virtus sic creuit, sic apud Deum conualuit, vt potuerit totum populi delictum in obliuionem adducere. Sic vnius præstantis hominis virtus valet obtegere totius populi crimina. Matth. 15. *Ecce mulier Chananæa à finibus illis egressa clamauit dicens ei: Miserere mei Domine, &c.* Sanè Chananæorum generatio pessima erat, ingentibus criminibus obuoluta, propter quæ nationem reprobauerat Dominus. Et tamen hæc mulier audet prouolui ad Christi pedes, ab illoque misericordiam contendere, imò audit ex Deo: *O mulier magna est fides tua: fiat tibi sicut vis.* Quid ais Domine, mulierem vocas illam, quæ Chananæorum vitiis canis apparebat? Cur non magis in illa Chananæorum reprobationem spectas? Tanta fuit mulieris virtus, quæ nationis suæ crimina, & offensiones apud Deum obtegeret. Ait D. Basil. orat. 20. *Mulier Chananæa, sed animi probitate genus refutauit, naturam vicit fides. Nemo Chananæos accuset, soluit mulier maiores suos ab impietatis crimine.* Vnius præstantis mulieris virtus obnubilare potuit totius nationis crimina.

Philo.

Matth. 15.

Basil. Sel.

FFf 4 Num. 25.

Numer. 25. Erat autem nomen viri Israelitæ, qui occisus est cum Madianitide Zambri filius Salu, dux de cognatione, & tribu Simeonis. Porrò mulier Madianitis, quæ pariter interfecta est, vocabatur Cozbi filia Sur, principis nobilissimi Madianitarum. Locutusque est Dominus ad Moysem dicens, Hostes vos sentiant Madianitæ, & percutite eos, &c.

§. XIX.

Parentum, antecessorumque virtutes maximè suos posteros protegere solent.

NOn Madianitæ soli, sed præcipue Moabitæ fuerunt, qui Israelitis parârunt scandalum, & nihilominus Deus bellum aduersus Madianitas mandat, non aduersus Moab. Ait enim: *Hostes vos sentiant Madianitæ, & percutite eos, &c.* Cur non magis percutiant Moabitas? Sane Moab præcipue fecerat scandalum illud, ipse vocauerat Balaam veneficum, & ab illo de prostituendis puellis consilium acceperat, & executioni mandauerat, dicitur enim suprà: *Et fornicatus est populus cum filiabus Moab.* Quare ergo non magis debellentur, & pereant Moabitæ, vt scandali authores, quam Madianitæ? Erant Moabitæ posteri Loth, cuius intuitu Deus illos deleri non fuit passus, plurimum enim valent maiorum virtutes, vt eorum posteri malis eripiantur. Id quod ponderat, & expendit Abulen. quæst. 14. in præsenti. *(Abul.)* Statuens Deus omnes primæuos homines diluuio submergere, quia, *Omnis caro corruperat viam suam.* Gen. 6. *(Gen. 6.)* nihilominus integram familiam Noemi voluit reseruare. Huic autem dicebat Gen. 7. *(Gen. 7.)* *Ingredere tu & omnis domus tua in arcam.* Et quamuis Noe iustus erat, & perfectus, difficile fuisset, quod aliquis de familia eius non æque mereretur submergi, ac alij, qui submergebantur. Cur ergo integra domus Noemi sic à Deo protegitur, ne inuoluatur cum cæteris, & in culpis, & in pœnis? Duæ tunc erant generationes in mundo ab Adamo descendentes, nimirum generatio, quæ ab Adamo per Cain genus ducebat, & generatio, quæ per Sethum sanctissimum descendebat. Et licet Sethi filij commixti cum Cainitis æqualia committerent scelera, tamen tanti maioris, parentisque virtute muniti eam protectionem habuerunt, qua non funditus perderentur, sed eorum reseruaretur semen, vt seruatum est in filiis Noemi. Tantum enim valent virtutes maiorum ad posteros protegendos. Pulchre rem attigit D. Basil. Sel. orat. 3. fatus: *(Basil. Sel.)* *Sethi filij generis sanguine purgabantur. Caini vero posteri, neque purgandis diluuium apparabatur.* Fateor Sethi filios peccasse, dum ad Caini filias excurrerunt, & diluuium ex Deo solicitasse, verum ne funditus perirent ij, sed reseruarentur in familia Noe, quando nullus Caini generis non peribat, habuerunt ex virtute sanctissimi parentis Sethi, cuius generis sanguine purgabantur, protegebantur, ne diluuio absorberentur. Vt videas, quam felix ille sit, qui pro se habet virtutes parentum. Hinc Salomoni Idololatræ prædicitur regnum eripiendum; sed addit Dominus, 3. Reg. 11. *(3. Reg. 11.)* *De manu filij tui scindam illud.* Et sic factum accidit, vt Roboamo Salomonis filio decem tribus regni eriperentur. Sed Salomon longe nequior fuit, & longe nequiora fecit coram Deo, quam filius eius. Ille enim per mulierum delicias apostatauit à Deo, coluit illarum Deos, adoleuit in montibus Idolis incensum. Cur magis huic regnum non eripitur, quam filio eius, qui talia scelera non fecit? Ait Theodor. quæst. 35. in præsenti: *(Theodor.)* *In diebus tuis, inquit, non faciam hæc propter Dauid seruum meum, è manibus filij tui accipiam illud. Nam tu quidem habes patrem in auxilium; ille autem fuit priuatus paterno auxilio.* Non miror, quod in erroribus suis pereant, quibus paternarum virtutum auxilium defecit, illi autem quibus maiores fauent, propter illorum virtutes protectionem recipiunt ex Deo. Audio 4. Reg. 23. *(4. Reg. 23.)* Iosiam sanctissimum regem occisum à Nechao; *Abiit Iosias rex in occursum eius, & occisus est in Mageddo,* sed & Asa, qui clarissimum regnandi initium habuit, obscurum finem accepit. Vnde ij reges altoquin præstantissimi in calamitates deuenêrunt, nisi quia illis non fauebant virtutes paternæ? Ex quo D. Amb. orat. de Obitu Theodosij, *(D. Amb.)* huius imperatoris filios extollens ait: *Quis ergo dubitabit filiis Theodosij maximum præsidium fore apud Deum? Sed Iosia & Asa parentes Abias, & Amos ambo infideles, Theodosius vero plenus timoris Dei, plenus misericordia, speramus, quod liberis suis apud Christum præsul assistat, si Dominus propitius sit rebus humanis.* Sic de parentis virtutibus non parua Dei protectio filiis adnascitur. Huc trahe dicta tom. 4. in Euang. lib. 16. capit. 11. §. 1.

§. XX.

Puritas Mariæ, & exemptio à peccato originali adstruitur.

SVb eodem reatu erant Moabitæ, & Madianitæ, vt §. præcedenti vidimus, nihilominus de solis Madianitis dicit Dominus: *Hostes vos sentiant Madianitæ, percutite eos.* Et cur sub hac lege non comprehenduntur Moabitæ? De illorum semine venturus erat Christus, iuxta illud Isaiæ cap. 16. *(Isaia 16.)* *Emitte agnum Domine dominatorem terræ de petra deserti, &c.* Vbi communiter doctores in petra deserti intelligunt Ruth Moabitem, quæ fuit auia Dauidis, à quo Christus. De quorum ergo semine Christus Dominus erat nasciturus, non miror, quod ij non comprehendantur in communi ruina. Id quod tradebat Abul. q. 14. in resolutione quæstionis. Ne videatur incredibile, quod Maria Virgo, vt quæ immediatius seruiuit sanguine suo conceptioni Christi, non comprehendatur communi peccati originalis ruina. Qui non permisit Moabitas subesse diuinæ iræ, quia de illorum semine erat nasciturus; permitteret matrem suam, cuius intrauit viscera, esse vel ad momentum filiam iræ? Absit hoc à tanto Domino, non id permitteret & filius, & frater, & sponsus Mariæ, ne videretur vel à longe nocere carni suæ. Aiebat ille Cant. 4 *(Cant. 4.)* *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa* matrem suam dilectam sororem vocat, & sponsam, ne parcat vllo dilectionis titulo, in amanda illa. Sed cur sponsa dicitur? Vt sic omnigena sanctitas & perfectio ostendatur fuisse in Maria ab ipso conceptionis puncto, mater enim extitit à decimo quinto ætatis anno, sponsa autem semper fuit, vel in instanti primo, ne posset esse sub infectione originis. Aiebat D. Greg. Nazian. *(Greg. Naz.)* orat. 11. de Sancta Gorgonia sorore sua: *Cum vnam hoc ad omnia accedere cuperet, vt maritus quoque perficeretur, & sic toto corpore consecraretur ipsa, ac non dimidia tantum ex parte initiata discederet, ipsiusque aliquid imperfectum relinqueret, hoc quoque precibus impetrauit.* Itaque sancta fœmina marito in infidelitate iacente, sic afficiebatur, quasi ipsa non tota, sed dimidiata initiata esset fide, & ad Deum properaret, quapropter vehementer orabat, vt Deus maritum traheret ad fidem, vt sic integro corpore ipsa se Deo sisteret, quod & impetrauit. Et credam Mariam relictam in peccato à sponso suo diuino? An non magis horreret Iesus relicta in peccato sponsa, non integro corpore, sed dimidia ex parte videri sanctissimus? Absit, quod Iesus aliquid sui imperfectum relinqueret, permittens sponsam, & coniugem amantissimam iacere in originali culpa.

CAPVT XXXI.

Iosue designatur Moysis successor.

Textus Historia.

INSTABANT expectati dies, quibus feracissimam Chananæorum regionem Israelitæ transmisso Iordane calcarent. Et Moyses miro desiderio affectus videndi lacteos illos fluctus, quos toties populis propinarat, enixe contendit ex Deo, vt sibi liceat paulisper animum in Chananæorum campis amœnare. Respuit Deus orantem, quin illi ostendit iam iam mortem esse in ianuis, quam sibi ante possessionem promissæ terræ, apud contradictionis aquas fecerat festinare. Denuntiatione mortis non elanguit validissimus Moysis animus, sed statim filios, & cognatos, & amicos habens pro chroni successore Dei consuluit placitum. Erat illi fidissimus latero Iosue, tunc temporis nonaginta tribus annis natus, vnus de Ioseph posteris, Ioseph, inquam, qui de vniuersis Israelitis bene-

meritus

meritus in Ægypro conceſſerat fatis. Hic igitur tantus vir & propria virtute, & officus patris deſigoarus a Den, præſente Sacerdote ſummo Eleazaro, & vniuerſa multitudine per Moyſem rite in principem populi enoptatur. Sic ſanctum eſt, maiorum officia in promouendis meritis filiis ſpectare.

PARS VNICA MORALIS in textus literam.

IOsva in præſenti leui tranſcurritur calamo, ve qui integra ſpectet commcotaria, præleutia eosm Moyſis vıcutibus dantur.

Deuter. 3. Precatus ſum tempore illo dicens, Domine Deus, tu cœpiſti oſtēdere ſeruo tuo magnitudinem tuam, manumque fortiſſimam:: Tranſibo igitur, & videbo terram hanc optimam trans Iordanem, & montem egregium, & Libanum. Iratuſque eſt Dominus mihi propter vos, nec exaudiuit me, ſed dixit mihi, Sufficit, &c.

§. I.

Humilis, & verecundus exterior habitus orandi prabet orationi efficaciam.

OStendens Moyſes qualiter pro iogreſſu terræ promiſſioois nrauerit in præſeoti ait: *Precatus ſum tempore illo dicens: Domine Deus, tu cœpiſti oſtendere ſeruo tuo magnitudinem tuam, &c.* Nihil eaprimit de externo corporis habitu, quo nrauit; ar Exod. 16. vbi depingitur nrans Moyſes, nil prius dicitur, quàm: *Cecidit pronus in faciem, &c.* & ſic ſæpe alias cadens in faciem orabat. Cur ergo, cum toties oraturus in faciem prius cadebat, quaſi præ verecundia nnn audens oculos leuare, modo non dicitor cecidiſſe in faciem precatus? Modo oſteodebatur ineffieax eius oratio; in aliis autem efficaciſſima erat, & ideò commendabatur a verecundo externi habitus geſtu, qui non minimam tribuit orationi efficaciam. Id quod teſtabatur Macedonius iudex Cæſarius in epiſt. quam dedit D. Auguſtino; & eſt inter epiſtolas 55. [D. Aug.] Quippe ait: *Miro modo afficior ſapientia tua, & in illis, qua edidiſti, & in iis, qua interueniens pro ſolicitis mittere non grauaris. Nam & illa tantum habent acuminis, ſcientia, ſanctitatis, vt nihil ſupra ſit. Et hac tantum verecundia, vt niſi faciam, quo mandas, culpam penes me remanere, non in negotio eſſe exiſtimem. Non enim inſtas, vt quacumque ſolicitus voluoris, oatoeqneas, ſed quod tibi à iudice petibile viſum fuerit, admones ſubſeruiente verecundia, quo maxima difficilium inter bonos efficacia eſt.* Orabat iudicem Auguſtious, & ea verecundiæ ſpecie orabat, cui oiſi annueret iudex, ingenue fateatur ſe eſſe in culpa, & ſapienter addit illud de oratione verecunda: *Qua maxima difficilium inter bonos efficatia eſt.* Cur enim bono non vim inſerat demiſſus & verecundus orantis habitus? Cum huc peruenio, non poſſum negare oraotis publicani exemplum, quo Dominus perſuadebat osationis habitum efficacis. Ait Luc. c. 18. *Publicanus à longe ſtans nolebat nec oculos ad cœlum leuare, ſed percutiebat pectus ſuum dicens, Domine propitius eſto mihi peccatori.* Ecce tibi habitus efficaciſſime orantis, non audebat oculos leuare, ſed [D. Zeno.] percutiebat pectus ſuum, vbi D. Zeno ſer. 5. ait: *Pectus crebro percuſſione, quodammodo cor ſuum manu verecunda caſtigat.* Percuſſio pectoris oſtenſio erat verecundiæ poſtulantis, ex qua non miror, quod optata efficaciter conſequatur. Ait enim D. [D. Amb.] Amb. lib. 1. de Abel, cap. 9. *Publicanus autem predicatus eſt, quia à longe ſtans nolebat oculos leuare in cœlum, ſed percutiebat pectus, & ideò diuina eum protulit ſententia.* Imò expreſſius lib. 1. Officior. cap. 58. ait: *In ipſa quoque oratione noſtra multum verecundia placet, multum conciliat gratia apud Deum noſtrum. Nonne hac pretulit publicanum, qui nec oculos audebat ad cœlum leuare? Ideò iuſtificatus magis Domini iudicio.* Nec miror, quod io Dei iudicio orator verecundus gratiam extorqueat, efficaciſſima [Dan. 13.] enim eſt verecundia, vt trahat Deum. Daniel. 13. nefarij iudices adduci ſibi Suſanoam fecerunt, vt perderent eam. *Et venit, inquit, cum parentibus, & filiis, & vniuerſis cognatis ſuis. Porrò Suſanna erat delicata nimis, & pulchra ſpecie. At iniqui illi iuſſerunt, vt diſcooperiretur, (erat enim cooperta) vt vel ſic ſatiarentur decore eius. Flebant autem ſui & omnes, qui nouerant eam. Conſurgentes autem duo presbyteri in medio populi poſuerunt manus ſuas ſuper caput eius. Qua flens ſuſpexit ad cœlum, &c.* Ecce tibi vocatur Suſanna à peſſimis iudicibus, venit illa inter cognatos, & filios, cooperit ſe velamento, ſiſtitur iudicio, velamento nudatur, patitur impias maous iudicum ſuper caput, & interea nec verbum facit, nec vocem emittit, quæ nefarios perterrefaciat, nec fulmen petit à Deo, ſed tantum flens ſuſpicit ad cœlum. Cur non magis clamas? Cur rem deteſtabilem non publicas? Cur non fundis preces ad Deum veritatis teſtes? Sanè non inefficaces fundit preces, quæ verecundiæ conſulens eligit tacere. Pulchrè enim ait D. Amb. lib. 1. officior. 18. [D. Amb.] *Tacebat in periculis Suſanna, & grauius verecundia damnum eſſe putabat, nec arbitrabatur periculo pudoris tuendam ſalutem. Deo ſoli loquebatur, cui poterat caſta verecundia eloqui.* Equidem dum rem ad Deum refert, efficaciſſimum elegit medium, nimirum verecundiæ vitam poſthabere. Verecundam ſe oſteodit Deo, qui nnuit verecundiæ linguis perſuaderi.

Numer. 27. Dixit quoque Dominus ad Moyſem: Aſcende in moutem iſtum Abarim, & contemplare inde terram, quam daturus ſum filiis Iſrael. Cumque videris eam, ibis ad populum tuum, ſicut iuit frater tuus Aaron, quia offendiſtis me in deſerto Sin, in contradictione multitudinis, &c.

§. II.

Non paruum Deus beneficium confert homini, cui cauſas oſtendit ſuorum iudiciorum.

COmpone denuntiationem mortis Aaron; vterque iubetur ire in mootem. Moyſi eoim dicitur: *Aſcende in montem Abarim*; de Aaron dicebat ſupra cap. 20. *Duces eum in montem Hor.* Sed & de eodem dicit: *Morietur ibi.* De Moyſe autem, *ibis ad populum tuum, ſicut iuit frater tuus Aaron.* Inſuper & cauſam mortis addit aiens: *Quia offendiſtis me in deſerto Sin.* At dum de Aaronis morte loquitur, ſolum dicit: *Morietur ibi.* nullam cauſam oſtendit ei tantæ ſententiæ, Moyſi autem & mortem, & cauſam eius annuntiat. Cur ergo potius Moyſi, quam Aarooi mortis cauſam explicat? Inde ſanè Procopius Moyſem magis commendat, vt qui in eo [Procop.] potior exiſtat, quod Deus illi & iudicium mortis oſtenderat, & cauſam ſimul iudicij reddiderit. *Potior Aarone Moyſes, ac proinde terram videt, & cauſam, propter quam indignus habitus, vt ingrederetur, comperit. Sicut Paulus quoque cauſam didicit, cur gratiam non in remedium ſtimuli ſit adeptus.* Et quidem quod abſolutiſſimus Dominus ſic familiariter agat cum ſeruo ſuo, vt illi ſuorum iudiciorum ſiue in boourn, ſiue in malum, cauſas oſtendat, magnum eſt beneficium, & quod ſolum conſectatur potioribus viris. Sic Moyſi mortem denuntiat, & cauſam reuelat, nimirum purgationem alicuius delicti; ſic Paulo ſtimulum carnis permittit, quo colaphizetur, & cauſam ſimul aperit, vt perficeatur eius virtus. Quis enim pro magno beneficio non habeat, quod diuinis iudicij in ſe exerciti cauſæ ſibi à Deo expliceotur? Hinc poſt dolorum, tormentorumque tempeſtates, poſt amicorum aculeata verba Dominus Iobo apparens cap. 40. illi ſuarum ærumnarum cauſas dicit. [Iob 40.] Aiunt enim Septuag. *Putas autem me aliter tibi reſpondiſſe, quam vt appareas iuſtus?* Ecce tota cauſa laborum Iob explicatur fuiſſe, vt appareret iuſtus. Quid tunc? In hoc ſolo quod cauſa luctæ ei reueletur, non paruum putant plurimi eſſe præmium ipſius luctæ. Ait Nazianzen. orat. 21. in laudem Athanaſij: [Nazian.] *In fine certaminis illuſtri pracone athletam ſuum victorem pronuntiat, atque afflictionis arcanum aperuit. Num hoc credis, inquit, me aliam ob cauſam in te decreuiſſe, quam vt iuſtitia tua illuſteſcat? Hoc vulnerum medicina, hac certaminis corona, hoc patientia pramium.* Et quidem quod tantæ tempeſtatis arcana cauſa oſtendatur Iobo, non paroum præmium fuit patientiæ illius. Hæc enim vna cauſa reuelata vniuerſos malorum

Chryſoſt. rum dolores ſopiuit. Vt dicat D. Chryſoſt. hom. 5. in Iob: *Cum dignatus eſt amator hominum Deus dicere et certamina huiuſmodi tanſiſſe, quod vts iuſtus appareas, contra te hæc permiſſa ſunt, ſic reſpirauit, quaſi ex illis malis nihil triſte ſenſiſſet.* Lenit enim mirum in modum mala omnia Dei benignitas, qua ſic ſe deiiciet erga ſuos, vt illis iudiciorum ſuorum cauſas communicet.

§. III.

Maximè implet hominem, quod videat oculis laborum ſuorum fructus.

PEtenti Moyſi ingreſſum in terram promiſſionis iam vicinam, concedit Dominus, non vt ingrediatur, ſed vt claro intuitu cernat illam. Ait enim: *Aſcende in montem iſtum Abarim, & contemplare inde terram, quam daturus ſum filiis Iſrael.* Fecit enim Deus ſupernaturali ſua virtute, teſte Abulenſi in præſenti, vt poſitus Moyſes in cacumine montis illius, clare, & diſtinctè cerneret terram promiſſam, fertilitatemque & amœnitatem illius. Et quantum fuit hoc ad Moyſem, quod ſolum videat terram illam? Equidem maximum illi ex temporalibus bonum fuit, vt eſt maximum bonum, & quod maximè homines implet, quod videant oculis laborum ſuorum fructus. Multum diuque laborauerat Moyſes pro acquirenda terra illa ſuis Iſraelitis, quam vt vidit iam in vicinio, ſimul vidit completionem laborum ſuorum, ex quo ſic gauiſus, quaſi illam iam percepiſſet. Exod. 24. *Aſcenderunt Moyſes, & Aaron, Nadab, Abiu, & ſeptuaginta de ſenioribus Iſrael, & viderunt Deum Iſraël. Sub pedibus eius quaſi opus lapidis ſapphirini, & quaſi cœlum, cum ſerenum eſt. Videruntque Deum, & comederunt, & biberunt. &c.* Itaque vocati ad montis cacumen ſeniores iſti, aſcenderunt alacriter, ibique hoſtiis cæſis ſacra peregerunt, & ſtatim ſe ſe illis oſtendit thronus diuinus, ſuper quem Deus apparuit. Viderunt illi, & thronum & Deum, *& comederunt, & biberunt.* Quis non putet abſurdum, quod inter videndum Deum in throno ſuo meminerint potus, & cibi? An qui tanto ſpectaculo fruebantur, potuerunt vacare conuiuiis? Non dicuntur comediſſe, eo quod realiter comederint, ſed videntes ſuorum ſacrificiorum fructum in oſtentatione illa throni diuini, ſic impleti ſunt, quaſi comediſſent, & bibiſſent. Ait Chaldæus ibi: *Et gauiſi ſunt in ſacrificiis, quæ accepta fuerunt, quaſi comediſſent, & bibiſſent.* Sic implentur homines ex eo quod videant ſuorum laborum fructus. Quo ſpectans Ierem. cap. 23. ait: *Factus ſum quaſi vir ebrius, & quaſi homo madidus à vino à facie Domini, & à facie verborum ſanctorum eius.* Videbat equidem propheta verba Dei à ſe in malos, & impios prolata executioni mandari, qua impij puniebantur, & bonorum impedimenta tollebantur, qui vt erat prophetiæ ſuæ, laboris ſui fructus; ſic implebat hominem eius viſio, quaſi multum vini bibiſſet. Vel ſi mauis, Septuaginta legunt: *Factus ſum quaſi homo captus à vino à facie Domini, & à facie gloriæ decoris eius.* Vt ipſe multis laboribus gloriam Dei quærebat, videns hanc Dei gloriam in mundo coaleſcere, & ſuis laboribus excitari, ſic inde afficiebatur, quaſi in cellaria cœleſtia introductus eſſet. Sic implentur homines de viſo fructu laborum ſuorum. Quod etiam in temporariis hominibus apparet. De quibus locutus Eccleſiaſtes cap. 5. ait: *Vbi multa ſunt opes, multi & comedunt eas. Et quid prodeſt poſſeſſori, niſi quod cernit diuitias oculis ſuis?* Quę ita leguntur ab Olympiodoro: *Multitudine bonorum multiplicatæ ſunt, qui comedunt ea. Et quæ virtus ac fortitudo poſſidentis bona? Principatus eſt illi, vt videat oculis ſuis.* Hinc ſe principem reputat, regalibuſque menſis aſſidentem, ſi tantum videat fructus bonorum ſibi augeri. Ait enim Olympiod. ibi: *Qui ſic impudenter auari ſunt, hoc ſibi tanquam bonum ſummum proponunt, vt inter pocula patinaſque verſentur, vt ſpectaculo fruantur, quas congeſſere, pecuniarum. In multitudine ergo bonorum, hoc eſt in affluentia pecuniarum, quæ illis aſſiduè multiplicantur, geſtiunt non ſecus, ac ſi bonis illis, potu, eſuque veſcantur.* Non egent alio, quam quod ſpectaculo bonorum authorum fruantur; ſi ab induſtria, & labore ſuo videant parturiri pecunias, ſic hac viſione geſtiunt, quaſi regalibus eſcis impleti ſint. Ne mireris, quod & bonos impleant laborum ſuorum viſi fructus.

Exod. 24.

Chald.

Ierem. 23.

Septuag.

Eccleſ. 5.

Olymp.

Olymp.

Numer. 27. Cui reſpondit Moyſes: Prouideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis, hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc, & poſſit exire, & intrare ante nos, & deducere eos, vel introducere: ne ſit populus Domini ſicut oues abſque paſtore.

§. IV.

Suſpectus eſt de carnali affectu, qui multus eſt in promouendis cognatis, & amicis.

QVærens throni ſucceſſorem Moyſes ex Deo, illum peculiari compellat & nouo vocabulo, nimirum Deum ſpirituum omnis carnis. Ait enim: *Prouideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis, hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc, &c.* Nunquam aliàs Moyſes Deum ſic appellauit; appellabat enim Deum patris mei Abraham, vel fortiſſimum Deum, vel aliter; nunc autem dimittens illa omnia nomina, nouum quoddam affingit vocans Dominum Deum carnis. Cur modo Deum inuocat ſub hoc inuſitato nomine, vt dicatur Dominus Deus ſpirituum? Agens de throni ſucceſſore, nec memorans amicum vllum, aut cognatum, merito compellat Deum ſpirituum, vt teſtetur quam liber procedat ab omni affectu carnali. Ille enim ſolus gloriari poteſt ſe ſub domino Deo ſpirituum agere, liber ab omni affectu carnali qui amicis, cognatiſque promouendis operam non nauat. Pulchre huc aſpiciebat Philo in præſenti fatus: *Erat Moyſi amicus, & familiaris pene à puero Ieſus nomine, non vulgaribus conciliatus artibus, ſed amore integro cœleſtique, ex quo omnes virtutes proueniunt. Is etiam conniſſor, contubernalis propheta fuit. Idem adminiſtrationis Reipublicæ particeps, & tantum non princeps vicarius. Attamen quum ſciret hunc eſſe diu ſpectatæ probitatis hominem, dictiſ factiſque honeſtatem eius expertus, nec ſic quidem auſus eſt ei principatum committere. Itaque nec ſibi ipſi credens ſupplex inuocauit Deum, qui ſolus inuiſibilem animam introſpicit, Sublatiſque ad cœlum puris & virgineæ, vt ita loquar, caſtitatis manibus ſic precatus eſt, &c.* Quid ſapientius? Expende illa: *Sublata ad cœlum puris, & virgineæ caſtitatis manibus*; tunc cum in munere dando, non memorat alumnum, & amicum fideliſſimum, ſummæ & expertæ præſtantiæ hominem, dicitur puras, & virgineæ caſtitatis manus in cœlum ſuſtuliſſe. Solus enim ille debet cenſeri purus, & virgineæ caſtitatis homo, qui in muneribus diſtribuendis ſcit obliuiſci amicos. In quo enim non carnalis, ſed ſpiritualis, & purus dominatur amor, non præualet cæteris affectus amicorum. Ioan. cap. 13. audet, & dicit: *Erat ergo recumbens vnus ex diſcipulis eius in ſinu Ieſu, quem diligebat Ieſus.* Amabatur enim Ioannes à Ieſu, multaque dilectionis teneritudine in ſinum recumbens excipiebatur. Et hic tam amatus, tam tenere dilectus præ cæteris, quid apud Ieſum præ cæteris habebat? Ait D. Chryſoſt. hom. 32. in Ioan. *Quin eximie Ioannes à Chriſto diligeretur, ambigit nemo, non tamen neque loquendo, neque rogando præcipuam quandam apud Ieſum authoritatem habuiſſe apparet, vt ſæpenumero Petrus, vt Philippus, vt Iudas, vt Thomas, niſi ſemel tantum cum obſequi condiſcipulo voluit; nam cum ipſorum princeps ei innuit, tunc Ieſum, quis illum eſſet traditurus, rogauit.* Sic valent amici apud eum, in quo carnalis amor eſſe non poteſt; vt vel eximie dilecti nullam præcipuam authoritatem aut loquendo, aut rogando præ cæteris habeant, nec dominationem. Vt tu colligas, qualis ſit illorum affectus, qui ſic ſubiiciuntur amicis, vt nihil ſciant velle, nec cogitare, quod non faciat ad prælationem eorum.

Philo.

Ioan. 13.

Chryſoſt.

§. V.

Cauendus eſt omnis carnalis reſpectus in deſignandis iis, qui regant homines præſtantes virtutibus.

MErito ad ſucceſſoris electionem vocat Moyſes Deum, vt author eſt ſpirituum, ait enim: *Prouideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis hominem, &c.* In eo enim qui eligit rectorem hominum virtute inſignium, nullus debet apparere carnalis reſpectus, quaſi ſolus in eo, & ab eo poſſit apparere ſpiritus. Hinc interrogatus Moyſes, cur ipſe, non eligat ſucceſſorem,

fuccessorem, sed rem ad Deum spirituum authorem remittat. Respondet ad Philonem: *Absurdum fuerit arbitratu meo successorem eligere, ne hominum quidem expectatu suffragio: praesertim cum agatur de regimine gentis non vulgaris, professa rem maximam, cultum eius, qui pater conditorque rerum omnium.* Merito, & se, & quemcunque alium hominem excludit in eligendo eo, qui regat gentem non vulgarem, sed deditam cultui & religioni omnipotentis Dei. Qui enim hunc eligat, omni debet purus esse affectu carnali, quasi totus spiritus factus. Similiter Apostoli post Christi Ascensionem, ante aduentum Spiritus Sancti Actor. 1. vbi agunt de eligendo Iudæ successore in Apostolatu: *Statuerunt duos; Ioseph, qui vocatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus: & Mathiam. Et orantes dixerunt, Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum ministerij huius, & apostolatus, de quo præuaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum. Et dederunt sortes eis, &c.* Possent equidem Apostoli eligere illum, at maluerunt rem vni Deo committere? At cum postea ipsi per impositionem manuum multos alios episcopos, & presbyteros designarent, cur modo cauent designare successorem in Iudæ Apostolatu? Modo nondum venerat Spiritus sanctus super illos, nondum erant omnino transformati in spiritum, ideò merito cauent eligere hominem, qui recturus sit gentes sanctissimas, quales inueniebantur in Ecclesia primitiua. Ait D. Chrysost. hom. 3. ibi: *Quoniam non erat Spiritus, sortibus rem peragunt::: Nondum iudicarunt sese ipsi idoneos, vt ipsi ex se facerent electionem.* Res mira! Apostoli illi Christi commensales, qui per Christi insufflationem, spiritum ante ascensionem eius acceperant, quia nondum venerat sanctus Spiritus, quo penitus quasi spiritus fierent, non se putant idoneos, vt eligant hominem, qui dicatas Deo gentes regat. Et est homo, qui plenus carnalium affectuum, qui nihil respiciens nisi carnem, & sanguinem, Prælatos, & sacerdotes eligat ad regimen Ecclesiæ? Sanè talium electio non vllo carnali respectu, sed magno spiritu hausto ex Deo facienda est. Hinc de ipso Iesu Dei filio ait Luc. cap. 6. *Factum est autem illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Et cum dies factus esset, vocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex illis, quos & Apostolos nominauit.* Sanè ipse Dei filius non priùs ad electionem venit Apostolorum, quam ad montem ascendat, ibique pernoctet in oratione Dei, quasi spiritum trahens è cœlis. Non equidem ipse hoc egebat, sed docebat ex tunc, à quibus & qualiter erant electiones spiritualium munerum faciendæ. Ait enim Theophyl. ibi: *Post orationem autem elegit discipulos, vt doceat etiam nos, quādo quempiam in spirituale ministerium sumus ordinaturi, cum precibus hoc faciamus, vt doctis à Deo, & ab illo potentibus reuelet, quis idoneus sit.* Quidquid hominis est, quidquid carnis est, seponi debet, & de solo Dei spiritu per orationem hausto producere debent, qui personas eligunt, quæ dicatas Deo mentes vtiliter regant.

Philo. — Actor. 1. — Chrysost. — Luc. 6. — Theoph.

Numer. 27. Dixitque Dominus ad eum: Tolle Iosue filium Nun, virum in quo est spiritus Dei, & pone manum tuam super eum. Qui stabit coram Eleazaro sacerdote, & omni multitudine, & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, vt audiat eum omnis Synagoga filiorum Israel:: Fecit Moyses, vt præceperat Dominus, &c.

§. VI.

Manus diuina largissima super omnes creaturas ad beneficia præstanda.

Expende, quod dicitur Moysi, nimirum: *Dabis ei præcepta, & partem gloriæ tuæ.* & similiter expende, quid petebat Elisæus ex suo antecessore Elia abeunte 4. Reg. 1. videlicet: *Fiat in me duplex spiritus iste tuus.* Elisæus non est contentus, si accipiat totum spiritum Eliæ; sed insuper duplicatum petit; & Iosue pars solum gloriæ Moysis præcipitur dari. Et cur Iosue pars sola mandatur, & Elisæo duplicatus spiritus speratur? Differentia veniebat ex manu dantis, dicitur enim Moysi: *Dabis partem gloriæ tuæ*, hoc est, tu ipse, manu tua propria dabis, ne miremur, quod de manu hominis, de manu creaturæ nil plenum habeatur. Quod cauens Elisæus in petitione sua nil prius cauit quam Eliæ manum, non enim dicit: Da mihi, vel, fac mihi, sed, fiat in me, vt fugiens creaturæ manum, de Deo possit non solum integra, sed & duplicata bona sperare. Et quando Dei manus non est largissima in donis præstandis? Ioan. 2. nuptiali conuiuio accumbit Iesus, defecit vinum. *Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas, aut ternas. Dicit eis Iesus. Implete hydrias aqua, &c.* Sanè & vasa vini vacuata erant, quæ minora erant; cur Dominus vinum daturus non magis iubet impleri aquis minora illa vasa, quæ pro vino excipiendo aderant? Cur minoribus iis dimissis hydrias illas sex ingentes impleri mandat? Vt Deus ipse erat, dabat: sic id ostendi voluit in superabundantia. Aiebat Sedul. lib. 3. Paschali cap. 1.

Ioan. 2.

Mensasque per omnes
Dulcia non nato rubuerunt pocula vino.
Implenit sex ergo lacus hoc nectare Christus.
Quippè ferax, qui vitis erat, virtute colona
Omnia fructificans.

Expende illam feracissimæ abundantiæ causam, videlicet: *Quippè ferax, qui vitis erat.* Vbi enim vitis erat Christus, non poterat non largissimos præbere fructus? Quid est ad Dei manus, quod vas porrigat, nisi & lacus, & cellaria impleat, quibus ditetur mundus? Quo spectans sponsa ait Cant. 1. *Introduxit me rex in cellam vinariam.* Non enim est Deus, qui de hominum more poculum vini propinet; sed integram cellam, apothecam integram communicat. Nescit parum dare manus diuina. Dauid Psal. 1. aiebat de iusto homine: *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Hoc præstantissimum habet homo iustus, quod tempore suo det fructus. At Ezech. cap. 47. aiebat *Et super torrentem orietur in ripis eius ex vtraque parte lignum pomiferum, non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius, per singulos menses afferet primitiua, quia aquæ eius de sanctuario egredientur.* Vide quam differant lignum, & lignum, lignum Dauidis, & lignum Ezechielis. Vtrumque dat fructum, sed Dauidis lignum dat fructum tempore suo, non per totum annum, sed est pars anni, quæ ferat eius fructum, & est pars sine vllo fructu, & maior est pars sine fructu, quam cum fructu. At lignum Ezechielis per singulos menses affert primitiua, per integrum annum est cum fructu, nescitque in aliquo tempore non præstare fructus abundantissimos. Et vnde tam ferax fructuum istud lignum est? Ait ipse vates, *quia aquæ eius de sanctuario egredientur*, vbi de sanctuario, in quo principaliter adest diuinitas, viuit, non multum est, quod per integrum annum suos communicet fructus. Nescit enim diuinitas dona partita, vt alibi diximus.

Cant. 1. — Psal. 1. — Ezech. 47.

§. VII.

In solis bonis spiritualibus æstimanda copia.

Mirabar, quod sola pars gloriæ Moysis detur Iosue, dum ait: *Et dabis ei partem gloriæ tuæ:* quando Elisæus nec tota gloria Eliæ fuit contentus. Sed postulabat duplo maiorem 4. Reg. 5. *Fiat in me duplex spiritus iste tuus.* Et cur Elisæus duplicem petat, quando Iosue non datur tota, sed pars magistri gloriæ? Cur Iosue in parua parte contentus, & Elisæus non nisi in duplo maioribus? Quæstionem conficit Galfridos apud Tilmanum: *Prudens discipulus Elisæus, qui non nisi spiritum postulabat.* Res erat cum Moyse de temporali principatus honore, vt docet Abul. ibi; ideò non miror, quod de temporalibus sufficiat Iosue parua portio. Cum Elia autem agebat Elisæus de spiritualibus bonis, & vt sola spiritualia respicit, sic in illis æstimat copiam. Prudentibus enim viris tantula temporalium debet sufficere portio, qui in solis spiritualibus abundare volunt. Hinc Luc cap. 1. dicit: *Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth.* Erat ciuitas parua hæc, & est valde notandum, quod veniens Deus in mundum eligat sibi patriam, & paruam, & ignobilem, cum potuerit assumere Ierosolymam. Cur Deus, qui cœlum amplissimum fabricasti pro habitaculo, modo eligis adeò paruam habitationem? Sanè diuinæ menti, vt pro æternis non placuit nisi amplissimum quodque, sic pro temporalibus paruam æstimauit portionem. Quo respiciens D. Ber. serm. 3. in Annunt. ait: *Miraris, quod Nazareth parua ciuitas, & tanti regis nuntio illustretur, & tanto? Sed magnus latet in hac parua ciuitate thesaurus. Nouit cælum vnigenitus Dei patris. Sed nouit cælum, nouit & Nazareth. Cælum ex patre, Nazareth ex matre*

4. Reg. 5. — Tilman. — Luc. 1. — D. Ber.

fibi

sibi vindicauit. Ex patre, inqoam, ex quo æterna habebat, non paruum, sed amplissimum, & fere immensum cœli sibi vendicauit spatium; ex matre autem, ex qua temporalia spectabat, non magnum sed paruum elegit habitaculum. Impleoe diuinas mentes de temporalibus parua, de spiritualibus autem minime illis nisi copia placet. Sic Dei amatrix clamabat Cant. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* Septuag. posuere: *Osculetur me ab osculis oris sui.* Vt enim Dei spiritum quærebat, qui per osculum sanctum communicatur, sic minime in vno quiescit, sed plura flagitat. Ait enim D. Amb. lib. 1. de Isaac cap. 3. *Quæ enim diligit Deum, non est vnius osculi parcitate contenta, sed plura exigit, plura vindicat. Denique illa in Euangelio sic probata est, quia non cessauit, inquit, osculari pedes meos.* Et quidem nulli sapienti spiritus diuini recipiendi debet placere parcitas, quæ si placeat, vix potest esse nisi à malo. Nequam ille diues Luc. 16. clamat ad Abrahamum: *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam.* Vide quam paucis, de cœlestibus bonis, contentus sit malus, & ideò malus, quia sibi putabat sufficere vel guttulam vitæ spiritualis. Ex quo feliciores monebat D. Nazianz. orat. 9. aiens: *Nec tum Lazaro agamus, vt flagrantem nostram linguam extremo digito refrigeret, ac ne id quidem impetremus.* Non equidem est hominis fœlicis, quod tam paucis bonorum spiritualium guttulis contentus appareat, de quibus quo maior copia, eo salutarior. Sed misera temporalitatis mancipia eo contenta sunt, si pro spiritualibus, aquæ benedictæ guttula aspergantur. Ee morti appropinquant, & cætera fastidiunt, & in hoc sibi blandiuntur de salute, si lectum irrorat benedicta aqua.

Cant. 1. — *D. Amb.* — *Luc. 16.* — *D. Naz.*

§. VIII.

Quidquid honoris, vel substantiæ egentibus datur ex Dei charitate, non deperditur.

ADhuc viuenti Moysi mandatur, quod de sua gloria præstet Iosue, ait enim: *Et dabis ei partem gloriæ tuæ.* Cur Deus vis, quod viuente adhuc Moyse, eius gloria minuatur? Vel cur tu Domine, non magis istam partem gloriæ Moysi aufers, & illam Iosue tradis? Electurus Dominus alios iudices Numer. 11. aiebat Moysi: *Auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum populi onus.* Ecce nunc dicit, quod ipse auferet de Moysis spiritu, & ipse tradet aliis, at in præsenti, nec ipse aufert, nec tradit, sed dicit Moysi, vt det. Et cur Moyses det, & non magis Deus? Non sufficit, quod pars gloriæ Moysi eripiatur; sed insuper additur, quod ipse illam sibi auferat, & det aliis propria sua manu? Absit, vt Moysi nec pars gloriæ eripiatur, quin potius vt tota illi integra maneat, petitur ex illo, vt partem eius tribuat Iosue; quidquid enim aut gloriæ, aut honoris, aut substantiæ datur egenti, minime perditur, sed totum integrum manet tribuenti. Quod tibi gloria integra maneat, quam aliis communicas, ostendit illud Ieremiæ cap. 7. vbi carpens Idololatriam Iudæorum ait: *Mulieres conspergunt adipem, vt faciant placentas Reginæ cœli.* Nimirum, vt faciant placentas Lunæ, iuxta D. Hier & D. Thomam, iuxta quorum sententiam eam in præsenti, quam alias sæpe Luna vocatur hoc regio nomine, Regina cœli. Et mirandum est, quod Sol, qui lucidior longe est, non dicatur in scriptura Rex cœli, & sola Luna hanc adepta sit appellationem. Cur Reginæ appellatio sic Lunam extollit, quando Soli non datur regis nomen? Sol nullum admittit ad sui splendoris communionem, nulli concedit, vt secum lucere possit, & sic dum solus lucet, non potest esse rex sine populo. Luna autem vt dat multis aliis syderibus, quod secum luceant, secumque appareant in proportionali gloria, tantum abest, vt inde sibi aliquid detrahat, quod potius inde sibi integrum seruet regni honorem. Nunquam enim non cedit in gloriam principis, quod ipse aliis concedat esse in honore. Vnde Iudæis per Antiochum priuatis regno, & honore sacerdotij, Romani vtrumque restituerunt, petita sola tributi alicuius pensione. Quod memorans Titus Imperator apud Egesip. lib. 5. cap. 46. ait: *Quid Antiochi regnum memorem, qui vos grauibus suppliciis affecit? Ius quoque ipsum ereptum religionis, nos ipsi vobis refudimus, gloriosius arbitrantes imperare regibus, quam regnum tollere.* Potuerant Romani Iudæorum regnum ab Antiocho vastatum sibi assumere, radentes memoriam Dauidicæ, Zorobabelisque domus. At id minime voluerunt, sed Iudæis regnare secum permiserunt, quod putabant pertinere ad integrum Imperij sui decorem. Tunc enim cum aliis communicatur, manet integra cuique sua gloria. Quid de substantia dicam? Ea sanè talis est, quæ si egentibus detur, perdi non possit. Habes ex Matth. 26. vt mulier accipiens alabastrum vnguenti pretiosi illud effudit supra caput Christi Domini, quare commoti discipuli non cœperunt dicere ore, *Vt quid perditio hæc? Potuit enim istud venundari multo, & dari pauperibus.* Felix vnguentum, cuius perditioni resistunt omnes Apostoli; nullus est in choro Apostolico, qui non stet pro isto vnguento, ne perdatur. Sed cur adeò cauetur ab Apostolis perditio huius vnguenti? Videbant in illo, vt egentibus communicari posset; vnguentum autem quod ex charitate in Deum, illis pietatis seruit operibus, quæ egenis ministrant bona, longissime abest à perditione. Ait D. Ber. serm. 12. in Cant. *Videsne, quam sit præferendum cæteris istud pietatis vnguentum, de quo solo permissum non est perditionem fieri? In tantum de ipso perditio non fit, vt nec aqua frigida munus irremuneratum maneat.* Sic quod datur egeno perdi nequit; sed integrum manet illud tribuenti.

Num. 11. — *Ierem. 7.* — *Egesip.* — *Matt. 26.* — *D. Bern.*

§. IX.

Illud regalissimum in principe est, quod sic vni tribuat, vt nulli alij officiat.

VIde regale documentum datum Moysi, nimirum: *Dabis ei partem gloriæ tuæ.* Quando promouere debebat Iosue, & honoribus illustrare coram populo; hoc illi iniungitur, vt de suo honoret, ne aliis eripiat, aut gloriam, aut honorem, quem tribuat Iosue; sed ipse de sua gloria partem illi præbeat non modicam. Quod vt regalissimum est, sic suo imperatori attribuit Plinius in Panegyr. Traiani, aiens: *Quocirca nihil magis in tota tua liberalitate laudauerim, quam quod congiarium das de tuo, alimenta de tuo: neque à te liberi ciuium, vt ferarum catuli sanguine, & cædibus nutriuntur. quodque gratissimum est accipientibus, sciunt dari sibi, quod nemini est ereptum.* Hoc præstantissimum in principibus est, quod de suo tribuant, quod nemini eripiant, quæ alij tradant, quod non necessum sit alium detrudere, vt vnum exalteot. Vt transirent Israelitæ diuisum est mare; ait enim Exod. 14. *Cum extendisset Moyses manus super mare, abstulit illud Dominus, & vertit in siccum, & diuisa est aqua. Et ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris.* Longe aliter in Euangelio Ioannis cap. 6. *Vident Iesum ambulantem super mare, &c.* Illis scinditur mare, & loco cedit, vt transeant; Iesu non scinditur mare, non loco cedit elementi, sed manentibus in suo loco, & natura aquis, ipse super illas ambulat. Sed cur Iesu, vt Israelitis non scinditur mare? Vel cur Israelitæ, vt Iesus, non ambulant super aquas? Illi erant serui, hic vere Dominus, illi subditi, hic princeps; cuius est, nullum à loco deturbare, vt alij benefaciat. Ait D. Chrys. hom. 42. in Ioan. *Transierunt duce Moyse mare rubrum Iudæi, sed magna differentia. ille tanquam seruus supplicando, Iesus propria, & absoluta potestate mare transiuit. Illis Austro tunc spirante paruit aqua, & aridum præbuit transeuntibus, Iesum nil à sua natura motum mare, vt Dominum admirabilius pertulit.* Expende hæc vltima, nimirum: *Iesum nihil à natura sua motum mare vt Dominum admirabilius pertulit:* quippe hoc maius erat, & mirabilius, & vero Domino dignius; quod vt suis faueret Iesus, sic pergeret, vt nulli damnum permitteret, nec cogeret loco cedere elementum. Vt seruilis erat status Iudæorum, sic seruiliter, non regaliter agitur cum illis, vt salutem accipiant de rupto mari, de damno fluctuum. Vt autem dominum, & regem agebat Iesus meus, sic cauit commodum afferre suis de damno alicuius naturæ. Non enim est principis, sed tyranni, de alterius damno procurare honorem alicui. Hinc post Iesum, & duos latrones crucifixos ait Ioan. cap. 19. *Iudæi ergo (quoniam Parasceue erat,) vt non remanerent in cruce corpora Sabbatho, (erat enim magnus dies ille Sabbathi) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur.* Quale hoc facinus Iudæorum, vt honorarent Sabbathum, dolorum acerbitatem augere contendunt crucifixis? Sanè hæc gratia cum tanto damno miserorum, à solis Iudæis pessimis, & deploratis tyrannis posset deuenire. Ait D. Cyril. Alex. lib. 12. in Ioan cap. 38. *Honorant magnum illius Sabbathi diem, qui magni diei Dominum crucifixerunt. Itaque gratiam à Pilato impetrarunt sibi solis conuenientem. Crura enim eorum fregerunt, vt magnitudine doloris, citius morerentur.* Expende illa: *Gratiam à Pilato impetrarunt sibi solis conuenientem;* quippè vt Pilatus Princeps erat non illi conueniebat gratiam dare pro honore Sabbathi, cum tanto miserorum discrimine: solis equidem Iudæis perfidis, & peccati mancipiis poterat hæc gratia conuenire, vt honor dici præstaretur de Iesu innocentissimi supplicio. Hæc enim gratia facinorosorú est, non principum. Quo spectans Theodoricus

Plin. — *Exod. 14.* — *Chrysost.* — *Ioan. 19.* — *D. Cyril.* — *Theodor.*

Cassiod. ricus apud Cassiodorum 2. var. 17. inquit: *Magnificentiam nostram nullis volumus extare damnosam, ne quod alteri tribuimus, alterius dispendiis applicetur.* Sic etiam decernunt Principes, l. 40. ff. de admit. & peric. vbi aiunt: *Nec in cuiusquam iniuriam beneficia tribuere moris nostri est.* Vt merito querantur Auernorum populi apud Sidon. Apollinar. lib. 7. epist. 7. (Sid. Apol.) *Facta est seruitus nostra pretium securitatis alienæ:* quasi hanc iustam haberent de suis principibus querelam, quod eorum damno commoda alijs deferrent.

CAPVT XXXII.

Madianitarum castigatio.

Textus Historiæ.

INAVGVRATI Principis Iosue virtutes ardentius colerentur à popularibus, si in eius recenti purpura properantem Moysis discessum non cogitarent. Interea venit Dei imperium ad Moysem, vt lectis iuuenibus æternam Madianitarum ruinam adoriatur, qua miseri luant pœnas de præmisso Israelitis scandalo. Nec mora; quot tribus, tot lectissimorum virorum millia virtute, & armis præstantia prosiliunt in certamen. Aderat illis Phinees pro instituendis in exercitu sacris, sed dux erat Iosue, cuius nota virtus, dum ageret inter priuatos, properabat specimen præbere principatus. Vicisse fuit prima congressio pugnantium; trucidatisque Madianitis viris, spoliatis vrbibus, captiuatis fœminis, & gloriosam, & diuitem victoriam reportarũt. Quinque reges perhibentur occisi, & veneficus Balaam, quem sua cõsilia traxerunt in Israelitarum gladios, vt in eorum scandala traxerant. Vnum fuit in tanto triumpho, quod paulisper moueret Moysis animum; videbat enim fœminas ereptas morti, quæ tot suorum animas iugulauerant. In has iubet denuo armari milites, qui solis virginibus parcant, ne assuetæ vitijs fœminæ nouam inurant Israelitis maculam. Ventum est ad diuitias prædæ, quæ populosissimam nationem distributæ ditarunt. Sed illud inter duces castissimum splenduit facinus, qui mirati victoriam sine vllo suorum partam sanguine, quidquid auri prædari potuerunt, id totum destinarunt sanctuario.

PARS VNICA MORALIS in textus literam.

VT ingentes diuitias Israël rapuit de ruina Madianitarum, sic nos indè etiam spiritualibus bonis virtutum curemus ditari.

Num. 31. Locutusque est Dominus ad Moysem dicens; Vlciscere prius filios Israël de Madianitis, & sic colligeris ad populum tuum. Statimque Moyses: Armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam, qui possint vltionem Domini expetere de Madianitis. Mille viri de singulis tribubus eligantur ex Israel, qui mittantur ad bellum.

§. I.

E mundialibus, nil tam cordi debet esse principi morituro, quam publica officia.

DVo mandantur morituro Moysi; primum vidimus capite præcedenti, nimirum vt Iosue eligeret in principem, Iosue inquam, qui à Ioseph genus ducit, vt quam gratiam per illum Patriarcham receperat Israel in Ægypto, referret eius nepoti, dum illi principatum adscribit, vt notat ibi noster Salianus. Secundum mandatur in præsenti, vt Madianitarum ausus in populum castiget. Ait enim: *Vlciscere prius filios Israel de Madianitis, & sic colligeris ad populum tuum.* Hæc sola cura mandatur morituro principi, quæ sit in gratia habenda beneficijs, & in castigandis maleuolis Reipublicæ. Cur non magis morituro mandatur filiorum cognatorumque cura? Vt filijs, nepotibus, cognatisque diligenter prospiciat? Sanè principibus morituris non alia debet inferri cura, quam ea, quæ spectat publica officia. Hinc D. Amb. extollebat Theodosium suum, cuius in testamento nulla filiorum memoria, sed tantum disponebantur, quæ prodessent Reipublicæ. Ait enim orat. de eius obitu: *Gloriosius quoque in eo Theodosius, qui non communi iure testatus est. De filijs enim nihil habebat nouum, quod conderet, quibus totum dederat. De subditis filijs, & commissis testari debuit, vt legata demitteret, fideicommissa signaret, &c.* Commune testamentorum ius sic disponitur, vt parentes præcipue attendant filijs, & cognatis, & omnia disponant in primis, quæ circa hos sunt. Non sic testamentum suum condidit magnus Theodosius, quin gloriosius quid, & principe morituro dignius effecit, nihil pro filijs habuit, quod conderet, nullam illorum in testamento habuit curam; totum testamentum, vt erat morituri principis signum, sic ordinauit ad publica officia, testatus quæ debebat Reipublicæ. Huc affero etiam Dauidem regem, de quo ait 3. Reg. 2. *Appropinquauerunt dies Dauid, vt moreretur, præcepitque Salomoni filio suo dicens, &c.* (3. Reg. 2.) Audis Dauidem morti propinquum præcipientem Salomoni Regi futuro. Et quæ illi Dauid moriens præcipiebat? Multos relinquebat Dauid filios, & filias, & cognatos multos, & vxores multas: forsan pro illis solicitus, quæ tot filijs, & vxoribus essent commoda disponebat. Nonne hoc curant moribundi Patresfamilias? Dauid autem moriturus hæc mandat: *Tu quoque nosti, quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus Israel, Abner filio Ner, & Amasæ filio Iether, quos occidit. Facies ergo iuxta sapientiam tuam, & non deduces canitiem eius pacifice ad inferos. Sed & filijs Berzellai Galaaditis reddes gratiam, eruntque comedentes in mensa tua. occurrerunt enim mihi quando fugiebam à facie Absalom fratris tui. Habes quoque apud te Semei. deduces canos eius cum sanguine ad inferos. Dormiuit igitur Dauid cum patribus suis, &c.* Ecce tibi, regi habenti filios plurimos, habenti vxores, habenti cognatos, quæ fuerit extrema cura; non equidem filios meminit, non vxores; hoc satagit, vt gratiæ referantur probis subditis, vt supplicia reddantur malignis. Sic bono principi morituro, nil tam erat cordi, quam publicum officium. Vt dicat Iosephus lib. 7. cap. 12. (Ioseph.) *Hæc mandans filio de Republica, & amicis, & ijs, quos puniri volebat, expirauit exactis septuaginta annis.* Nulla cura moribundo fuit de filijs, aut vxoribus; hæc sola tunc mandabat, quæ circa Rempublicam erant, in remunerandis bonis, & malis castigandis. In hac sola cura bonus rex animam exhalauit.

§. II.

Exuat primo sibi scelera, qui in alijs ea castigare velit.

TAndem aliquando Dominus vocat Israelitas, vt castigent Madianitas pro filiarum prostitutione, qua Israelem in idololatriam traxerunt. Ait enim Dominus: *Vlciscere prius filios Israel de Madianitis.* Sed cur vltio hæc non sumpta fuit, cum primum Madianitæ facinus peregerunt? Sanè tunc qui ex Israelitis peccarunt, statim pœnas dederunt, dicente Moyse Num. 25. *Occidat vnusquisque proximos suos.* (Num. 25.) Cur & statim non etiam indicitur Madianitis bellũ, & mora illis infertur? Cur necessum fuit magis expectare occasionem in iis perimendis? Sapienter dilata est Madianitarum vltio, donec prius vltores à peccatis expiarentur. Cum enim Israelitæ in peccato, & scelere essent, prius ipsi castigari, & mundari debuerunt, vt sic mundati ad vindictam procederent, quo certius Madianitas prosternerent. Habes Iud. cap. 20. vt Israelitæ procedunt in campum vindicaturi (Iud 20.) nefarissimum scelus Gabaonitarum, quo vxorem Leuitæ cuiusdam stuprauerant. Semel & bis manus conserunt, & in nullo pessimos scortatores lædunt, quin ipsi vehementissime læduntur. Tandem iterum procedunt in aciem: *Ingrauatumque est bellum contra filios Beniamin: & non intellexerunt, quod ex omni*

omni parte illis instaret interitus. Percussitque eos Dominus in conspectu filiorum Israel, &c. Ecce tibi vsque ad tertium congressum differt Dominus auxilium suum, quo Israelitæ nefarissimos scortatores perdāt. Et cur non magis in primo congressu fauet Dominus vltoribus tanti sceleris? Erant ipsi vltores in eodem, aut simili scelere: quare expectatum est, vt ipsi purgarentur, & mundarentur prius, & vt ipsi purgati sunt, statim cum omni prosperitate alios castigauerunt. Ait D. Isidor. Pelus. lib. 1. epist. 82. *Qui peiores actiones habebant, ac multo grauiores eâ, quæ tunc contigerat, tanquam insontes ad Beniaminitarum fratrum cædem communi animorum consensu ascendebant. Quamobrem adulteri, quoniam adulterium minime committendum esse prædicabant, rebus ipsis conuicti, ipsi quidem meritam pœnam in bello pependerunt: qui autem scortationis criminibus minime affines erant, quod nullum eiusmodi in se idolum haberent, præclaram victoriam adepti sunt.* Prius equidem eliminandi erant à populo Israelitico, qui similibus inficiebantur sceleribus, & sic mundatus populus cum tandem ad vindictam processit, victoriam de sceleratis est adeptus. Immature enim alios castigare prætendit, qui prius in se non tollit eadem scelera. Pharisæis adducentibus mulierem in adulterio deprehensam aiebat Dominus Ioan. 8. *Qui sine peccato est vestrum, primus in illum lapidem mittat:* in tantum differens adulteræ supplicium, in quantum appareret vltor, qui sine peccato esset. Quocirca Diuus Augustinus tractat. 33. in Ioann. ait: *Hæc vox iustitiæ est, puniatur peccatrix, sed non à peccatoribus: impleatur lex, sed non à præuaricatoribus legis.* Mauult equidem Deus, vt vindicta sceleratorum suspendatur, donec sese mundent à sceleribus. Proinde ad primam huius fœminæ accusationem Ioan. 8. Dominus *Inclinans se deorsum digito scribebat in terra.* Et quid scribebat in terra? Scribebat Pharisæorum peccata, quæ ipsi legentes deterrerentur à vindicta sumenda, & confusi prius illa in se castigare intenderent. Ait Diuus Cyril. Alex. libr. 5. in Ioann. cap. 16. *Non desunt qui affirment hac secunda inclinatione notas quasdam terræ inscripsisse, quibus quisque accusantium suis oculis coram conspiciebat peccata, & mentis obiecta cernebat. Vnde rubore suffusi, & pudore affecti, facile cognoscebant, se non peccati immunem vitam agere, & ad discendum potius, quam ad acriter inquirendum ex hoc incitatos esse.* Sic vltores iniquitatum compellebantur à Deo prius sua delicta videre, & corrigere, quàm ad aliorum castigationem procedere.

D. Isidor. — Ioan. 8. — D. Aug. — D. Cyril.

§. III.

Non multitudo in militibus, sed animi virtus spectanda est.

PEtit Moyses deligi milites, qui possint totam Madianitarum regionem expugnare, & simul designat eorum numerum, qui sint mille ex singulis tribubus. Ait enim: *Armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam, qui possint vltionem Domini expetere de Madianitis. Mille viri de singulis tribubus, &c.* Et quando eos petit, qui possint expugnare Madian, cur tantum mille designat de singulis tribubus? Erat Madian regio quinque potentissimis regibus distributa plena bellatoribus viris; ad quam expugnandam multum erat, si totus quatotus erat populus Israel sufficeret. Cur ergo Moyses totum populum nō armat? Cur contentus est adeò paucis? Etiam in hoc Imperatorem sapientissimum Moyses agit, de quo ait Philo lib. de Fortitudine: *Cum habetur delectus militum, non oportet vniuersam iuuentutem euocari, sed sit exemptio ob causas immunitatis idoneas.* Non equidem indiscriminatim vniuersa multitudo vocanda est ad bellum, præclari enim Imperatores hoc sibi pro certo habent non esse rem victoriæ in multitudine, sed in virtute animi. Quàm sæpe vel vnius militis virtus de innumeris copiis triumphauit? Rem testatam facit vnus Eleazarus 1. Machab. 6. qui exercitum Antiochi regis prope infinitum, & potentissimum elephantis turritis, & armatis, mirme vectitus, eminentiorem elephantum aggressus: *Et iuit sub pedes elephanti, & supposuit se ei, & occidit eum: & cecidit in terram super ipsum, & mortuus est illic.* Quid tunc? Totus ille infinitus exercitus sic obstupuit vnius hominis animum, vt nollet iam pugnare, sed peteret pacem. Pulchrè ibi Diuus Ambrosius lib. 1. officior. cap. 4. *Quanta ista virtus animi? Primo, vt mortem non timeret, deinde vt circumfusus legionibus inimicorū inconfertas raperetur hostes, mediam penetraret agmen, & contempta morte ferocior, abiecto clypeo vtraque manu vulnerato molem bestiæ subiret, ac sustineret, post ipsam succederet, quo plenioré feriret ictu, cuius ruina inclusus magis, quàm oppressus suo est sepultus triumpho. Nec fefellit opinio virum, quamuis regius fefellerit habitus. Tanto enim virtutis specta-culo defixi hostes inermem, occupatum incursare non ausi, post casum ruentis belli sic trepidauere, vt impares se omnes vnius virtuti arbitrarentur.* Ecce tibi ingentem exercitum multis elephantum turribus armatum, nihilominus pauentem vnius militis animi fortitudine spectata. Et quid fortè videntes pares numero exercitus aggrederentur; vnum solum tanta virtute munitum spectantes, & iam defunctum aspicientes pacem rogabant. Semper autem res bellica circa paucos strenuos versatur. Vt dicat Titus Maximus Imperator apud Egesippum libr. 3. cap. 24. *Non tam numerus plurimum conficit pugnam, quam virtus paucorum. Multitudo enim disciplinæ insolens ipsa sibi est impedimento in prosperis ad victoriam, in aduersis ad fugam. Virtus vero patiens, & in secundis viuescit, nec vsque ad finem labitur in aduersis. Maiores nostri magnas hostium copias parua manu frequentes fuderunt.* Hæc Titus de Romano exercitu dicit, id quod & in Israelitica Republica fuit euidentissimum; quorum sæpe pauci ingentes fuderunt hostium turmas. Necnon, & in Hispanica politia, imò in omni regno, in quo aliqui magna animi fortitudine præditi conuenerunt, ij licèt pauci gloriosos obtinuerunt triumphos.

Philo. — 1. Mac. 6. — D. Amb. — Egesip.

§. IV.

Præstantes gubernatores, vel ipsam vitam debent postponere commodis Reipublicæ.

AVdit Moyses post bellum illatum Madianitis se moriturum, & nihilominus festinat bellum inferre. Quippè ait textus: *Statimque Moyses: Armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam, &c.* Expende illud, *Statim*, nimirum, post auditam mortem suam finito bello euenturam, non moratur, non cunctatur, sed statim festinat exercitum producere. Id quod extollens Abul. ait: *Immediate post præceptum Domini Moyses disposuit viros ad bellum. In quo apparet perfectio maxima pastoris, magis enim populi salutem, quam propriam diligebat. Quia mors sua dilatabatur vsque ad consummationem belli: si autem salutem suam nimis dilexisset, dilatasset illam pugnam, vt diutius viueret.* Erat in eius potestate dilatare vitam suam, dum dilataretur belli dispositio, & Israelitarum triumphus reportandus ex Madianitis. Quid tunc faceret strenuus populi dux? Legi sæpe apud ineptos illos homines, qui totam status rationem, siue, (vt melius loquar) astutiā in eo constituunt, quod quis sua temporalia commoda cæteris omnibus virtutibus præficiat, laudatos duces, qui vt diutius dignitatibus pollerent, gratóque principum vterentur vultu, certamina lentabant, victorias ipsas differebant, imò sic temperabant illas, ne vnquam bellorum esset finis. Hæc astutia est mercenariorum, viliumque hominum; non est ratio optimi pastoris, optimi ducis, qui commoda temporalia sua, imò & vitam suam debet postponere, & Reipublicæ, & virtuti. Is erat Moyses regalissimus princeps, non instar mercenarij medici propter maius lucellum acquirendum dilatantis curationem infirmi, sed etiam cum dispendio vitæ festinabat cōmoda populi sibi commissi. Ingens Philisthinorum exercitus venit contra Israelem 1. Reg. 28. quem videns Saul in maximā incidit solicitudinem, consulit Samuelem defunctū, à quo audit, se postera die manibus hostium interficiendum, ait enim: *Dabit Dominus etiam Israel tecum in manus Philisthiim: cras autem tu, & filij tui mecū eritis.* Hæc audit Saul cū suis satellitibus, *qui cum comedissent, surrexerunt, & ambulauerunt per totam noctem illam,* videlicet, vt in locum certaminis deuenirent. Audit se moriturū eo certamine, & sic festinat illò ire, vt non expectet, quod illucescat dies, sed media intempesta nocte iter arripiat. Cur non magis moratur in loco secreto, & minimè peruio hostibus? Quàtum ibi moratum necteret, tantum vitæ differret suę, sed bonus in eo princeps maluit adesse populi periculis, quam suæ vitæ prospicere, & se suaque commoda postposuit vtilitati Reipublicæ. Id quod in eo extollit Iosephus lib. 6. cap. 15. aiens: *Saul licet de obitu suo præmonitus à propheta, noluit tamen eum vitare, & ob vitæ cupiditatem exercitum hosti prodere, atque hoc modo regiam maiestatem dehonestare: sed cum liberis, teraque familia periculo se obiiciens, pulchrum existimauit in prælio pro subditis pugnando cadere, &c.* Maximè dehonestaretur, & turparetur regalis animus, si vitæ suæ amore paulisper tardaret adesse suis pugnantibus, quorum vtilitatem præponi etiam vitæ pulcherrimum facinus est, & dignum regalibus animis. Sic etiam de Valentiniano Imperatore ait Diuus Ambrosius orat. in eius funere: *Cum audiret Alpes Italiæ hoste Barbaro infestari, maluit periclitari se, si Gallias derelinqueret, quam nostro deesse periculo. Magnum discrimen agnoscimus imperatoris, quod*

Abul. — 1. Reg. 28. — Ioseph. — D. Amb.

Romano

Romano subuenire noluit imperio. Hæc causa mortis, quæ plena laudis. Et securus, & quietus erat Valentinianus in Gallia, cùm audit Italiæ aditum ab hostibus infestari, festinat illo ire, vbi mors expectabat, sed maluit ipse periclitari, quàm suorum deesse periculis, in quo etsi mortem inuenit, acquisiuit æternam laudem, quæ principes consequuntur postponentes vitam suorum vtilitati.

§. V.

Præstantissimum est pro Dei amore in periculis, pugnisque huius vitæ morari velle.

Video Moysem festinantem imponere finem bello laboris sui vltimo, post quod relicta peregrinatione, euolet ad populum suum dilectissimum. Sic ait: *Vlciscere prius filios Israel de Madianitis, & sic colligeris ad populum tuum. Statimque Moyses: Armate, inquit, ex vobis viros, &c.* Vt audit finiendam peregrinationem post bellum, sibique eundum ad populum suum dilectum, statim nulla interposita mora festinat bellum finire. Sed iuuat huic tam præstanti affectui Moysis opponere alium affectum D. Martini Turonensis Episcopi, imò alium D. Ignatij parentis mei dulcissimi. (D. Mart. D. Ignat.) Aiebat enim Martinus, cum iam iam in exoptatam patriã esset euolaturus: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem.* Aiebat Ignatius se æternam beatitudinem posthabiturum periculis huius vitæ, si in iis aliquod magnum obsequium Deo præstare potuisset. Compone modo horum facinus cum Moysis facinore: hic festinabat certamen absoluere, vt in requiem iret, illi autem requiem differebant, vt immorarentur periculis. Vter præstantius agit? Rem pro Martino sic absoluit D. Bern. serm. de illo: *O vere sanctissimam animam, ô inæstimabilem charitatem, ô inobedientiam singularem! Bonum certamen certasti, cursum consummasti, de reliquo superest tibi corona iustitiæ, & adhuc dicis, Non recuso laborem. Obtulisti plane Isaac, & nouum illum, quem diligis, quod in te est, iugulasti: immolasti singulare gaudium tuum paratus videre iterum in periculo, continuare certamina, prolongare tentationem, atque in huius mortalitatis miserias ab ipsa gloria introitu reuocari. postremo (quod maximum est) à Christo tuo peregrinari diutius, si modo ipse voluisset.* Hoc autem præstantissimum facinus in Moyse non legitur, inuenitur autem in populo Christiano, in Martino, Ignatio, & aliis. Et quid mirum quod in Moyse non inueniatur, quod vix, & ægre inueniretur in Angelis? (Tob. 12.) Raphael Angelus dum cum Tobia viatorem agit, ait capit. 12. *Cum essem vobiscum, per voluntatem Dei eram: videbar quidem vobiscum manducare, & bibere, sed ego cibo inuisibili, & potu, & qui ab hominibus videri non potest, vtor.* Cibum inuisibilem vocat ipsum Deum clare visum, quo fruebatur, à cuius supersubstantiali mensa non separatur, etiam cum in terris cum Tobia peregrinationem faceret. Ecce tibi inuentus Angelus est, qui hominis fiat latero, illique conuiuat peregrinanti; at qui interea abstineat à mensa illa cœlesti, nondum inuentus fuit aliquis. Et quo Diuus Bernard. supra ait: (D. Ber.) *Magna quidem obedientia vestra Angeli sancti, sed quod dicere audeam pace vestra, nescio an inueniatur in vobis quisque paratus in tale obsequium aliquando mitti, in quo necesse habeat non videre faciem Patris.* Ecce tibi Bernardus nescit iaciam esse Angelorum virtutem, quæ parata sit Deo aliquandiu carere, vt hominibus benefaciat, & hæc virtus sine dubio inuenitur in Martino, & Ignatio. (Philip. 1.) Huc spectans Paul. ad Philipp. ait: *Coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius; permanere autem in carne, necessarium propter vos.* In ancipiti erat Paulus, an vellet abire ad Christum, an vellet manere cum hominibus; illud sibi dulcius, hoc hominibus magis necessarium, & ex iis quod eligat ignorat. Non hæsitat Ignatius, non hæsitat Martinus in electione, vt incumbat necessitati proximorum. Pro quo Diuus Bernard. supra loquitur: (D. Ber.) *Paratum cor tuum Martine, paratum cor tuum, siue manere in corpore, siue dissolui, & esse cum Christo. Et magna quidem in horrenda morte securitas: magna in visione Christi singulariter desideranda perfectio reperitur: sed id quidem longè amplius, quod qui mori non metuis, imò qui tanto desiderio præsentiam Domini concupiscis, viuere quoque non renuis, & expectatione molestissima fatigari.* Hoc magnum, hoc præstantissimum facinus descendens etiam ab amore Christi, quod ament aliquandiu carere illo, vt illi in huius vitæ periculis aliquod obsequium exhibeant.

* * *

Numer. 31. Dederuntque millenos de singulis tribubus, id est, duodecim millia expeditorum ad pugnam, quos misit Moyses cum Phinees filio Eleazari sacerdotis, vasaque sancta, & tubas ad clangendum tradidit ei.

§. VI.

Ille Dei pugnas feliciter peragit, qui non partito corde graditur cum Deo, & mundo.

Vbi noster posuit: *Dederuntque millenos, &c.* legit Oleaster; *Traditi sunt ex millibus*, & Hebraice est verbum, *Masar*, quod vt ipse Oleaster notat ex Rabbi Dauid, est tradere se toto corde, & ponere se ipsum in potestate alterius, vt innuant quam ex toto animo & corde ij milites se dederint militiæ contra Madianitas. Et quidem illi sub Dei signis fœliciter dimicant, qui non partito corde, sed animo, & corpore integro descendunt in pugnam. Hinc iubet Dominus Deuter. 20. (Deut. 20.) *Appropinquante iam prælio, stabit sacerdos ante aciem, & sic loquetur ad populum: Duces quoque per singulas turmas audiente exercitu proclamabunt. Quis est homo, qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam? Vadat, & reuertatur: Quis est homo, qui plantauit vineam, & necdum fecit eam esse communem, de qua vesci omnibus liceat? Vadat, & reuertatur: Quis est homo, qui despondit vxorem, & non accepit eam? Vadat, & reuertatur.* Sic omnes isti excluduntur, vt minime apti, qui possint feliciter agere in bellis Domini. Et cur, qui domum ædificauit, nec habitauit, & qui vineam plantauit, nec comedit ex ea, & qui sponsam duxit, nec eam accepit, excludi debent, ne in bellis Dei sint? Nam fieri nequit, vt hic non maneant mente in rebus illis, quas tanto labore quæsierunt, nec dum illis potiti fuerunt, & ita solum dimidiate in bellum procedant. Ait Philo (Philo.) lib. de Fortitud. post numeratos hos exclusos. *Altera exclusionis causa, ne præsentes corpore in exercitu, absint animo. Necesse enim est mente illo tendere, quo desiderio trahitur. Nam quemadmodum esurientes ad conspectum cibum accurrunt, vt auiditatem expleant, ad eundemmodum, qui legitimam vxorem, aut domum, aut prædium parauerunt sibi, ægre ferant speratum fructum sibi intercipi; vt quamuis versentur inter socios, meliore tamen sui parte absint animo, quo solo res fortiter geritur. Hos igitur in delectu militum prætereundos legislator existimat, & asciscendos alios integros, &c.* Et merito integros vocat illos, qui & simul corpore, & animo in Dei certamina veniunt. Qui enim absunt animo, licet præsentes corpore sint, non integri, sed semihomines censentur, qui nequeant rem aliquam fortiter gerere. Quo spectans 1. Machab. 2. explicans milites congregatos a Machabæis ait: (1. Mac. 2.) *Tunc congregata est ad eos Synagoga Assidæorum fortis viribus ex Israel, omnis voluntarius in lege.* Quid est, *omnis voluntarius in lege?* Nimirum omnis, qui ex animo, & corde sub signis militabat legis, vt integer corpore & spiritu pugnaret pro tuenda lege. Vnde D. Chrysost. in Psal. 43. loquens de electione militum facta per Machabæos ait: (Chrysost.) *Collegerunt quotquot inuenerunt adhuc sanos, & integros, & multos etiam qui laborabant, & corrupti erant, in statum pristinum redegerunt, eis persuadentes redire ad leges patrias.* Expende illud, *integros*, loquitur enim de iis, qui minime mente corrupti erant, sed & mentis, & corporis integritatem Deo seruabant, vt enim corpore, sic mente & animo aderant pro Deo, & lege. Alioquin in exercitu Dei non admitterentur, si animo sæcularibus dato, corpore solo adessent. Hinc monebat Paul. 1. Thessal. 5. inquiens. (1. Thes. 5.) *Ipse enim Deus pacis sanctificet vos per omnia: vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur.* Seruetur, inquam, integer spiritus, nec se partiatur cum mundo, & Deo, qui amat inueniri proximus Deo. Id quod cupiens sponsa Cant. 3. aiebat: (Cant. 3.) *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Cur in cubiculum? Nonne & sufficeret, si vel in agris habuerit illum? Fugit sponsa agros, fugit foris esse, ne cogatur animum cum sæcularibus partiri, sed se sponso integram sistat. Gillib. Abb. serm. 11. in Cant. inquit: (Gil. Abb.) *Nouit illa dilectum suum non posse foris secure possideri, nec integre quidem. Et quam durum est amanti animum dimidiare cum Christo & mundo? Quam durum est, inquam, in dilectionis iura peregrinas admittere curas, & cœleste secretum sæcularibus infestare turbelis?* Equidem qui Christum diligit, hoc sibi æstimat durissimum, si cogatur partiri animum cum mundo, & Christo.

§. VII.

§. VII.

Non sic in militari potentia, vt in Dei auxilio fidat, qui vincere cupit.

TRibus Israelitæ dederunt millenos milites ad pugnam, quibus Moyses & sacerdotem, & sacra vasa tribuit. Dicit enim: *Quos misit Moyses cum Phinees filio Eleazari sacerdotis, vasaque sancta, &c.* Ecce quibus armis muniat bonus princeps suos milites, nimirum vasis sacris, sacrisque tubis. Et quidem milites pauci erant ad expugnandam regionem quinque regum; non enim excedebant duodecim millium numerum, & inde pluribus armis egebant. Quando ergo princeps tam paucos eligit milites, cur non magis curat de armorum numine? Cur non faciens mentionem de armis; totus est in eo, quod & sacerdotes, & vasa sacra secum accipiant? Docebat clare fortunas principum non tam consistere in multitudine militum, quam in solicitando diuino auxilio. Nunquam enim non vitio vertitur principi, quod nimis fidat exercitus multitudini, & virtuti. Dauid 2. Reg. 24. iussit numerari suos milites, & vix accepit ingentem eorum summam, & ecce tibi diuinum supplicium, *Aut septem annis veniet tibi fames in terra tua; aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos & illi te persequentur: aut certe tribus diebus erit pestilentia in terra tua.* Nullum horum non erat ingens supplicium pro numeratione populi, & militum. Sed qualis fuit Dauidis error in numerandis militibus? Ait Victor Cartanensis, qui inter D. Amb. opera circumfertur, lib. de Pœniten. cap. 9. *Dauid populum numerare mandauerat, & voluerat nosse cuncti exercitus quantitatem. Obsecundatum est voluntati regali, & renuntiata est totius agminis dinumerata collectio, atque inclyte cœpit ferre, quod nocuit: felicitatem suam popularibus extulit incrementis, & lucra multiplicati exercitus inter principalia gaudia numerauit.* Ecce tibi regis culpam, cui aut fames, aut infausta bella, aut pestilentia mandatur, nimirum; *Lucra multiplicati exercitus inter præcipua gaudia numerauit.* & insuper illud: *Felicitatem suam popularibus extulit incrementis.* Discant principes felicitatem suam non in multiplici exercitu, in multitudine populi constituere, sed in Dei auxilio, de cuius solo fauore venit, quod principes triumphent. Felix ille princeps erit, qui potius Deum, quam exercitus potentiam prospiciat. Cantatissimus ille Ezechias 4. Reg. 19. potentissimo Babyloniorum exercitu cinctus erat, aduersus quem quot armauit milites? Ait textus ibi: *Quæ cum audisset Ezechias rex, scidit vestimenta sua, & opertus est sacco. Ingressusque est domum Domini, & misit Eliacim præpositum domus :: ad Isaiam, &c.* Mirabar, quod rex tanto exercitu cinctus, & pene expugnandus, non militum phalangas conuocet, non instruat duces, non de armis agat, sed in templum se recipiat, ibi cum sacerdotibus agat, & vocet prophetam Isaiam. Cur non magis vocat armatos duces? An non illi erant exercitus? Ait Nazianzen. orat. 4. *Hæc Ezechias ille, magna alioquin potentia cinctus, ille, inquam, rex magnæ Ierusalem, qui suis met quoque fortasse viribus hostem propulsasset, ac propulisset.* Erat equidem Ezechiæ exercitus validissimus, plenus militibus, plenus ducibus, qui hostem propulsassent. Sed erat illi maior in Deum pietas, qua non tam fidebat multitudini exercitus, quam Dei auxilio; ideò promptior ad sacerdotes, & ad sacra aduolat quam ad duces armatos, & sibi clarissimam victoriam acquisiuit. Hinc maximo Imperatori Constantino mater Helena clauum crucis dominicæ misit, quo armatus in prælium iret. Ex quo D. Amb. orat. in obitu Theodosij, ait. *Beatus Constantinus tali parente, quæ imperanti filio diuini muneris quæsiuit auxilium, quo inter prælia quoque tutus assisteret, & periculum non timeret. Magna fœmina, quæ multo amplius inuenit, quod imperatori conferret, quàm quod ab imperatore acciperet.* Imperatori quidem nil maius conferri potuit, quam vas sacrum, cui annexum erat diuinum auxilium.

2. Reg. 24. — D. Amb. — 4. Reg. 19. — Nazian. — D. Amb.

Numer. 31. Cumque pugnassent contra Madianitas, atque vicissent, omnes mares occiderunt, & Reges eorum Eui, & Recem, & Sur, & Hur, & Rebe, quinque principes gentis; Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio. Ceperuntque mulieres eorum, & paruulos, omniaque pecora, & cunctam supellectilem: quidquid habere potuerant, depopulati sunt, &c.

§. VIII.

Hoc est signum felicis principis, quod pessimi consiliarij apud eum non euadant supplicium.

ACcitus fuerat Balaam à rege Moab, vt Israëli malediceret Numer. 22. à quo tandem discessit; & in præsenti inuenitur cum regibus Madianitarum venisse, cum quibus simul occubuit. Sic enim ait. *Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio.* Sed qui vocatus a Balac Moabita, imò muneratus ab eo, noluit permanere cum illo, sed abiuit in domum suam, quomodo cum Madianitis regibus inuenitur? Sanè author pessimi consilij, non miror, quod inueniatur cum regibus perituris; is enim non potest viuere sine supplicio apud regem, qui reseruatur ad vitam. Quo spectabat ipsius Balaami dictum ad regem Moabitam, cum enim iuxta eius imperium Israeli maledicere non posset, ait illi Num. 25. *Pergens ad populum meum dabo tibi consilium, quid populus tuus faciat populo huic.* Ecce tibi quando promittat à se dandum regi consilium, nimirum quando ab aula discedat, & pergat ad populum suum. *Pergens* (ait) *ad populum meum dabo tibi consilium.* Cur non magis statim dat illud, cum regi præsens est? Cur expectat profectionis tempus, vt suum consilium præbeat? Astutissimus homo vaferrimusque, vt nouit consilij sui malitiam, non audet consilium tale dare regi, dum in aula commoratur ipse, sciens apud regem, qui reseruatur ad vitam, non posse esse malum consiliarium sine ingenti supplicio, ideò expectat profectionis tempus, per solam discessionem à rege pessimi consilij impunitatem nanciscens. Et apud quem felicem regem non dent pœnas authores mali consilij? Assuero Persarum regi consilium dedit Aman de perdendo Iudæorum populo, vt augeret inde regias diuitias. Quid tunc? Non diu post pœnas dedit dati consilij suspensus per regis imperium in patibulo. Esther c. 7. *Suspensus est itaque Aman in patibulo.* Quocirca D. Amb. lib. 3. Officior. cap. 15. inquit: *Ipse quoque rex Persarum ferox, atque tumido corde, tamen decorum iudicauit indicij insidiarum gratiam repræsentare, populumque liberum à seruitute eripere, nec parcere neci eius, qui tam indecora suasisset. Denique quem secundum à se, ac præcipuum inter omnes amicos haberet, cruci tradidit, quod dehonestatum se eius fraudulentis consiliis animaduertisset.* Animaduertit rex bonus gloriæ suæ iniustam maculam fraudulentis consiliis, & in consiliarium commotus, etsi amicum, etsi inter familiares præcipuum, non dubitauit illum cruci suffigere. Hoc expectent munus mali consiliarij apud felices principes: apud infelices, cum illis simul peribunt, apud felices autem, perspicientur tandem mala consilia, & misere damnabuntur.

Num. 22. — Num. 25. — Esth. 7. — D. Amb.

§. IX.

Ille de luxuria triumphat, qui cunctos carnis sensus mortificat.

ECce vobis quæ ad triumphum procedant, cui luxuriam Madianitidam vindicant; dicit enim; *Omnes mares occiderunt, & Reges eorum Eui, & Recem, & Sur, & Hur, & Rebe, quinque principes gentis.* Crede mihi, quinque sunt principes lascinientium, nimirum, quinque corporis sensus, quos nisi iugules, nisi mortifices, nunquam triumphum ages de luxuria. Iosue cap. 10 post deuastatos funditus Chananæos, adeò, vt nec canis eorum mutiret; soli quinque eorum reges permanebant, latentes in spelunca. Tunc Iosue ait. *Aperite os speluncæ, & adducite ad me quinque reges, qui in ea latitant :: Percussitque Iosue, & interfecit eos, atque suspendit supra quinque stipites.* Et quando omnes hostes erant iam interfecti, cur necessum fuit istos interficere? Cur non magis affectus est ad regios vultus? Galfridus apud Tilmannum ait: *Quinque reges in spelunca sunt quinque sensus in carne humana. Qui merito reges dicuntur, quia non nisi per illos ipsa caro regitur.* Merito ergo nobilis triumphator, etiam post deuictos hostiles exercitus, iis regibus minime parcendum duxit, quia de mortificatione sensuum castitatis stabilitur triomphus. Dicit etiã Rich. Vict. *Vnde sensualitas exterius per carnẽ atteritur, inde ad puritatẽ cordis affectio preparatur.* In vanum enim sibi de puritate, & castitate blanditur, qui carnaliũ sensuum in se appetitus, & vinere, & regnare permittit. Tunc habes vnde ad triumphos castitatis accedas,

Iosue. 10. — Galfridus. — Richard.

accedas, eum de mortuis carnis sensibus, quasi totus spiritus appareas. Quò spectans Psalm. 41. inquit: *Effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis.* Quid est, *effudi in me animam meam?* Hoc est, feci, quod anima quasi exterius penderet, & sic se super omnia repræsentaret, quasi si mortuis sensibus carnis, nihil in me remaneret præter animam. Ea quo acutè & eleganter Diuus Ambrosius libr. de fuga sæculi cap. 9. ait: *Fons est Deus. Quo hunc fontem desiderat, effundat supra se animam suam, ut nihil passioni carnis relinquat, sed vbique anima superemineat. Pulchrè eam effudit Susanna, vt euaporare in eam posset incendia corporis. Effusa super ipsam anima omne restinxit carnale desiderium, seculare fundam.* Sic se componat homo, vt nihil carnalis sensus in se permittat, sed totus anima, & spiritus appareat; cum autem sic anima superauerit sensus corporis, vt quasi ipsa se solam exhibeat, haud dubium quin omnia incendia extrinseca extinguantur, & triumphus clarissimus rutilet. Quod minime fiet, si vel minimus carnalis sensus permittatur viuere. Dicebat enim Paul. ad Philipp. 4. *Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, &c.* Expende illud: *Quæ exuperat omnem sensum;* nisi enim de superato, & deuicto omni sensu non potest nobis dari victoria secura. Vt dicat Diuus Basilius in cap. 1. Isaiæ aliò datus: *Nisi pax nobis ab alto affulsisset, quæ exuperat omnem sensum, singuli quique à propria rebellione, & hoste inhabitante consumpti fuissemus.* Non equidem de intrinseco carnis hoste aget triumphum perfectum, nisi ille, cui data prius fuerit gratia, quæ omnem sensum exuperet. Dum enim quiuis viget sensus, non est securitas, sed timor. Dicebat namque Paulus 2. ad Corinth. 11. *Despondi enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo. Timeo autem ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri, &c.* Ecce tibi, vbi Paulus agit de virginitate Ecclesiæ stabilienda, confirmanda, in timore est, & solicitudine. Sed quid timet? *Ne corrumpantur sensus,* vt fuerunt in Eua per serpentis suggestionem corrupti. Et quidem in re castitatis non abest timor, dum sensus vigent, qui possint corrumpi.

Psal. 41.
D. Amb.
Ad Phil. 4.
D. Basil.
2. Cor. 11.

§. X.

Expiata per pœnitentiam peccata præcipuum decorem afferunt.

NOn otiose scriptura sacra tanta est in enumerandis, & percensendis regibus interfectis ab Israelitis, ait enim: *Omnes mares occiderunt, & reges eorum Eui, & Recem, &c.* Vt enim antea propter peccata sic Israelitas Dominus dehonestabat, vt vel principes eorum, quasi vilia mancipia suspendio tolleret, sic modo post expiatum peccatum, & pœnitentiam factam eos honorat, & extollit, vt quinorum regum nomina, & capita eorum affigat stemmatibus. Ecce tibi, qui viluerant Deo in furca peccantes, modo pœnitentes regum à se deuictorum sanguine purpurascunt. Sic turpissima quæque peccata, per pœnitentiam solent nobilitari. Infirmantibus Philisthinis propter arcam captam hoc a sapientibus consilium datur, 1. Regum, 6. *Si dimittis arcam Dei Israel, nolite dimittere eam vacuam, sed quod debetis, reddite ei pro peccato, & tunc curabimini. Qui dixerunt; Quid est, quod pro delicto reddere debemus ei? Responderuntque illis. Iuxta numerum prouinciarum Philisthinorum, quinque anos aureos facietis, facietis & quinque mures aureos, &c.* Sic illi protinus effecerunt, pœnitentes enim de peccato perpetrato, pro eius expiatione anos, & mures aureos dolauerunt, quos in plaustro posuerunt iuxta arcam, & sic eam ad Israelitas reduci curarunt. Sed memorans statim textus factum ait: *Tolletis arcam Domini, & ponetis in plaustro. & vasa aurea, quæ exsoluistis ei pro delicto, &c.* Expende, vt quos antea mandabant fieri mures aureos, quibus peccatum expiaretur, postquam oblatis illis arcæ diuinæ peccatum mansit expiatum, iam honestiori vocabulo vasa aurea dicuntur. Et cur vasa aurea vocat, quos mures vocabat? Sanè quæ vilia, & turpia sunt in peccatis, & in pœnis eorum, post peccatorum satisfactionem, & pœnitentiam sic decorantur, vt nihil quod ad decorem non pertineat, habeant. Ait D. Greg. PP. lib. 3 in lib Reg. cap. 6. *Quid est, quod superius anorum, muriumque similitudines esse perhibuit, nunc vasa aurea appellauit? Quid ergo est, quod res ista eadem honestiori vocabulo exprimuntur, nisi quia peccata, quæ pœnitentiæ fletibus tersa non sunt, in deformitate sua attentius videnda, atque lugenda sunt; ea verò, quæ iam sunt diluta magnis fletibus, non attentius, neque in deformitate sua respicienda, sed æstimatione cogitanda? Quasi enim in mente pœnitentis similitudo murium est, quando peccati massam videt. Sed quando magnis fletibus quodammodo de peccatorum suorum remissione securus, ad supernam patriam tendit, quasi aurea iam vasa conspicit, &c.* Sic homo, qui in peccatis turpis, & vilis est, per pœnitentiam aureus, & pretiosus exsurgit. Nihil enim est vel in ipsa peccatorum turpitudine, quod si pœnitentiæ decoquatur lachrymis, & suspiriis, non in aurum conuertendum festinet. Vtinam hanc artem Chimici discerent, fallax, nisi citius ex pœnitentiæ lachrymis, quam ex cupro, & sulphure aurum eliciant. Sanè prodigus ille dissipator substantiæ, qui apud porcos agebat vacuus vel siliquis, vbi pœnitere cœpit, & clamare apud patrem suum Luc. 15. statim audit: *Afferte illi stolam primam, & date annulum in manu eius.* Et annulo & veste aureus micat. Quò spectans Isaiæ cap. 60. ait: *Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum.* Vbi Diuus Hieronymus. *Bruti quondam & insensibiles homines pro augmento virtutum in aurum, argentumve mutabuntur, vt nequaquam vilitatis dumtaxat speciem, sed pretium quoque habeant, ut decorem.* Sic brutorum turpitudines pœnitentia decoquuntur, vt aurum fiant. De hoc plura *in tomo in Euang.*

D. Greg.
Luc. 15.

Numer. 31. Iratusque Moyses principibus exercitus, tribunis, & centurionibus, qui venerant de bello, ait: Cur fœminas reseruastis? Nonne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israel, & præuaricari vos fecerunt in Dominum supra peccatum Phogor, vnde & percussus est populus? Ergo cunctos interficite, quidquid est generis masculini etiam in paruulis, & mulieres, quæ nouerunt viros in coitu, iugulate; puellas autem, & omnes fœminas virgines reseruate vobis, &c.

§. XI.

In re voluptuosa vel minimum cauendum, vt quod soleat parere exitium.

VIctoriosi milites Israelitæ interficientes omnes Madianitas viros, mulieres reseruarunt, ea solum comitate, qua viri ingenui erga fœminas afficiuntur. Quod noscens Moyses in eos irascitur: dicit enim: *Iratusque Moyses principibus exercitus, qui venerant de bello, ait: Cur fœminas reseruastis?* Sapienter increpat eos, qui vel ingenua comitate afficiuntur ad fœminas, præcipuè iam semel sibi noxias, in voluptate enim noxia, vel minimus affectus sufficit, vt extremam ruinam afferat. De virginibus expectantibus sponsum ait Diuus Matth. cap. 25. *Dormitauerunt omnes, & dormierunt,* & post somnum quinque illarum manserunt exclusæ ab æternis ianuis. Expende principium, nimirum; *Dormitauerunt;* non enim multum erat, quod in longis vigiliis puellæ paululum dormitassent, sed vbi vel leui dormitatiunculæ acquieuerunt, in altum soporem sunt delapsæ, & quinque illarum æternam luetunt infamiam. Ea quo prudentissime monebat D. Isidor. Pelus. lib. 1. epist 57. *Neque committite, vt vos vllus voluptatis somnus deprimat, qui socordes, ac somnolentas extra thalami fores retinet.* In re voluptatis, non debemus permittere, vt vllo somno deprimamur, quantumcumque enim paruus sit, vel minimus, dum tamen somnus sit, in lethalem somnum impellet, quo pereamus. Quid enim in hac re adeò minimum fuit, quod extremam ruinam non pariat? Mar. 6. dicit: *Cum introisset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi:: Petiuit, dicens: Volo, vt protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ: & præcepit afferri caput eius, &c.* Puellæ tantum saltatio Regi placuit, quæ sanè complacentia minima censeretur in re voluptuaria, sed regem in summum præcipitium traxit. Vt meritò indè moneat Diuus Fulgent. serm. de Decoll. Ioan. Bapt. *Quocumque pacto persequitur mulier, si placeat, iugulat.* Quasi nihil agnoscat bonus in muliere non lethale: si vel tantillum placeat vel in re minima, iugulum para, vix enim fieri potest, vt indè non veniat aliquid lethale. Nota est Moysis historia supra expensa, vt fugitiuus ab Ægypto venit ad Madianitas, inuenitque pastores, à quibus expellebantur puellæ filiæ sacerdotis, ne adaquarent greges. Quid tunc? Ait text. Exod. 2. *Surrexit Moyses, & defensis puellis adaquauit greges earum. Quæ cum reuertissent ad Raguelem patrem suum, &c.*

Matt. 25.
Isid. Pel.
Mar. 6.
D. Fulg.
Exod. 2.

Ecce & Moyses defendit puellas à rustica pastorum feritate, & puellæ beneficium accipiunt; nullum tamen verbum officiosum, nullum vrbanitatis comitatisque obsequium inter Moysem, & puellas intercedunt. Cur bonæ puellæ defensorem vestrum non salutatis comiter, sed accepto beneficio, insalutato defensore abitis ad patrem vestrum? Timentur inter castos, vel vrbanæ salutationis obsequia, vt quæ possent lethales flammas accendere. Hoc respiciebat Athenagoras apud Iustinum Martyrem relatus à Patre Salazar in cap. 5. Prouerb. ver. 4. aiens: *Iam accurate ergo temperare osculum, seu potius adorationem salutationis debemus, nam si quomodo pauxillum mens polluta fuerit, ab æterna nos vita proscribit Verbum.* Quid prudentia? Vel ab ipsa salutationis vrbanæ obsequio nos facit timere, vt quæ possit occasio esse, qua præcipitati excidamus à vita æterna.

Salazar.

§. XII.

Magisterium luxuriæ, & magisterium apostasiæ germanissima.

DVo mala orta à Madianitis fœminis memorat Moyses, quæ vix possunt ab inuicem separari; aliud est, quod forma deceptos traxerint ad libidinem, alterum quod fecerint illos vsque ad idololatriam descendere. Ait enim: *Ista sunt, quæ deceperunt filios Israel, & præuaricari vos fecerunt in Dominum super peccatum Phogor.* Coniunctissimæ sunt fœmineæ illecebræ defectioni à vero Deo. Quid enim magis germanum idololatriæ, quam libidinosus affectus? Fuit Herodes rex luxuriæ deditus. Mat. 6. qui vel in puellarum choreis infomeret dimidium regni, qui à luxuriis adductus eò peruenit, vt Ioannem Baptistam interficeret, nihil veritus tantum prophetã, vt satisfaceret mulieri petenti. Sed & fuerat Achab rex coniux Iezabelis Reginæ, cuius rapiebatur affectibus 3. Regum, 16. qui tamen inter luxurias suas verebatur Eliam prophetam. Vtrumque regem componit Andreas Ierosol. & miratur, quod Herodes non æmularetur Achabi reuerentiam in prophetam, quando in aliis omnibus pares essent. Quippè ait orat. in Decoll. Ioann. Baptist. *Ne illum quidem Achab alterum mulieris mancipium est imitatus Herodes, qui tunc habebat Iezabel magistram multorum Deorum cultus sicut nunc hic Herodiadem libidinis, & intemperantiæ.* Vt erant in mulieribus pares, sic deberent esse pares in prophetæ reuerentia, quod minime fuerunt. Sed quomodo erant in mulieribus pares? Vterque mancipium erat fœminæ, vterque fœminæ patiebatur magisterium, vt enim Achab Iezabelem magistram habebat idololatriæ, sic Herodes libidinis, & intemperantiæ magistram Herodiadem habebat. Sic bonus pater magisterium idololatriæ germanissimum putat esse magisterio libidinis, & prorsus æquales putat, & similes eos, qui in quolibet eorum exercentur, nec enim luxuria ab idololatria longè distat, nec idololatria abest ab eo, qui se luxuriæ dedit. Ex quo Paul. 1. ad Cor. 10 dicebat: *Neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis, quemadmodum scriptum est. Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Neque fornicemur &c.* Sic iunxit duo amica quasi inseparabilia, nimirum fornicationem, & idololatriam: vt enim ibi ait D. Ambr. *Hæc luxuria est, qua semper oblectati in Dei rebus infideles inuenti sunt. Ideòque infirmi, ne in hanc diffidentiam per affectum libidinis incidamus.* Quando enim luxuria non trahat hominem in perfidiam? Ait pulchrè D. Amb lib. 6. epist. 36. *Nemo se luxui committit, nisi qui recedit à præcepto Dei veri. Vbi autem cœperit quis luxuriare, incipit deuiare à fide vera. Ita duo committit maxima crimina, opprobria carnis, & mentis sacrilegia. Ergo qui non sequitur Dominum Deum suum, ingurgitat se luxuriæ, ac libidini, pestiferis corporis passionibus. Qui autem se ingurgitauerit, atque immerserit huiusmodi volutabris, perfidiæ laqueos incurrit.* Sic coniuncta sunt hæc duo vitia, idololatria, & luxuria, vt qui se luxuriæ dedat, facili negotio in apostasiam deueniat, ac perfidiam. Leuit. 19. monebat Dominus: *Ne prostituas filiam tuam, ne contaminetur terra.* Vbi Onkelos ait: *Vt non idolis seruiat terra.* Sic putat luxuriæ idololatriam coniunctam, & conterminam.

3. Reg. 16.

1. Cor. 10.

D. Ambr.

D. Ambr.

Leuit. 19.

§. XIII.

Virorum vita vxorum qualitatem designat.

A Viris cognitæ fœminæ, omnes morti adiudicantur, dum dicit: *Et mulieres, quæ nouerunt viros in coitu iugulare, puellas, & virgines reseruate vobis.* Cur potius illas, quam has morti destinat? Vt enim viros omnes reos mortis putauit, sic in eadem damnatione credit esse omnes fœminas iunctas viris, nequit enim vix fieri, quod vxor viri sui non ebibat virus, eique non inueniatur prorsus similis. Quò spectans Theod. quæst. 49. ait citatus in Glossa: *Iussit legislator mulieres interfici, quæ virum cognouerant, eo quod impietatis dogmata didicissent, &c.* Merito vt ad viros, sic ad vxores seuerus ostenditur Moyses, nihil enim impium, & morte dignum in viris putat esse, quod non credatur ad vxorem transmissum. Ea vita enim viri satis clare censetur vxoris vita. Virgo erat purissima Maria mater Iesu, sed quia simul erat vxor, & sub potestate degebat viri, eius innocentiam testatam volens marito, ait Angelus Matth. 1. *Ioseph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Expende, quæ præmisit verba, vt animum de Mariæ pudicitia suspectum, ad tranquillitatem reduceret: nimirum: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Cur coniugem meminit, antequam prægnantis miraculum euulget? Præueniens dixit cõiugem tuam: ex eo enim, quod Iosephi ostendebatur coniux, satis clare ostendebatur eius sanctitas, & pudicitia. Ait Euthym. ibi: *Vxorem quoque tuam dixit, vt inde certiorem eum faceret, quod à nullo cognita esset viro.* Hinc demonstratur, qualis sit vxoris vita, si inspiciatur vita mariti. Scio nefariissimis viris sæpe vxores sanctissimas, & pudicissimas obtingere; attamen hoc regulariter credant mariti, quod ipsi suis moribus mores suarum vxorum effingant, & quales ipsi, tales illæ existẽt. Aiebat Ecclesiasticus cap. 25. *Commorari draconi, & leoni placebit, quam habitare cum muliere nequam.* Putat homo sociam sibi acquirere, & acquirit leone, & dracone ferociorem, & pestilentiorem mulierem. Sed vndè tantum malum homini obuenit? In eodem cap. ex lect. D. Chrysost. hom. de Decollat. Ioan Bapt. dicit: *Mulieris mala, & iniqua portio dabitur pro operibus malis.* Mali virorum mores faciunt, quod sibi obtingant mulieres pessimæ sic quo dicebat D. Chrysost. in Psal. 5. *Res quidem valde molesta, quod auxiliatrix aduersaria facta est, at ipsum tamen examina, nunquid in iuuentute in mulierem noui quid attentaueris, & quod mulieri à te vulnus inflictum est, curetur per mulierem, & alienum vlcus propria vxor Chirurgi officio fungens medicatur, & quamuis quæ facit, ignorat, nouit tamen Deus medicus. Ipse enim ea tanquam ferro aduersus te vsus est.* Sic prauis tuis moribus respondet praua fœmina, cuius malitiam permittit Deus, & illa tanquam ferro vtitur, vt tuis medeatur sceleribus.

Theodor.

Matt. 1.

Euthym.

Eccl. 25.

Chrysost.

Chrysost.

Numer. 31. Eleazar quoque sacerdos ad viros exercitus, qui pugnauerant, sic locutus est: Hoc est præceptum legis, quod mandauit Dominus Moysi: Aurum, & argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & stannum, & omne, quod potest transire per flammas, igne purgabitur; quidquid autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur, &c.

§. XIV.

Magnæ perturbationes non nisi fortissimis adhibendæ.

VIde prudentiam censuræ diuinæ; fortissimis metallis purgandis ignem adhibet, leuioribus naturis solum concedit, quod per aquam purgentur. Dicit enim: *Aurum, & argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & stannum, & omne quod potest transire per flammas, igne purgabitur. quidquid autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur.* Non equidem vel ad sanctificationem permittit igni naturam infirmam, sed aurum, sed ferrum, sed quodcumque fortitudinem in se tantam habet, quæ minime flammis cedat, id solum permittendum est à cordato gubernatore magnis tentationum, probationumque incendiis. Aiebat Dominus Petro Luc. 22. *Ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum. ego autem rogaui pro te, &c.* Sed Iob cap. 1. non semel Satanas expetiuit Iobum, vt illum contunderet perditione omnium bonorum, morte filiorum, imò & exquisitis ægritudinum tormentis, & amicorum contumeliis. Et Dominus non cunctatur, sed vt Satanas Iobum expetiit, illi Iobum concedit. Ait enim Dominus cap. 2. *Ecce in manu tua est, verumtamen animam eius serua.* Petenti Apostolos minime eos illi tunc permittit Dominus; petenti autem Iobum, statim

Luc. 22.

Deus

Deus illum sine cunctatione concedit. Et cur qui cauit Apostolos diabolo vexandos concedere, tam largiter eidem Iobum concedit? An quia minus Iobi consuleret saluti? Absit, sed quia cum expetebantur Apostoli, adhuc erant infirmi, & imperfecti, ideò illos Dominus cauit tradere probationibus magnis; Iobum autem vt nouerat validissimum, sic ineunctanter illum durissimis dæmonum manibus tradidit. Ait D. Chrysostom. serm. de Iobo, & Abrahamo: *Verum Deus sciens cui confidebat, permisit diabolo, vt abraderet beati facultates. Vide autem Dei prouidentiam. Imperfectum petit diabolus, sed non obtinet. Vnde Saluator Simoni dicit: Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum. Ego autem oraui pro te, ne deficiat fides tua. Quandiu imperfecti sumus, nobis parcitur; quandiu lactamur, paterne fouemur; vbi autem perfectiores facti sumus, perfectorum certamina etiam suscipimus.* Non omnibus paranda sunt eadem certamina; sed metiendæ sunt cuiuscumque vires, vt qui debilis est, & infirmus, in minoribus exerceatur, minimeque duris, nec asperis affligatur, qui autem robustus est, is ad maiora discrimina impellatur. Sic ipse Paulus Actor. 26. cum vinctus adesset coram rege Agrippa, ait illi: *Opto apud Deum, & in modico, & in magno, non tantum te, sed etiam omnes, qui audiunt me, hodie fieri tales, qualis & ego sum, exceptis vinculis his.* Optabat omnes in eadem disciplina, in eadem fide secum esse, non in eisdem vinculis. Sed quando vincula pro Deo pretiosissima sunt, & vel ab Angelis inuidenda, cur & omnes illos præsentes non optat etiam in vinculis pro Deo esse? Pretiosa sunt vincula pro Deo iis, qui fortes sunt ad illa sustinenda, at non omnium est vinculorum certamen, & ideò cauit Paulus illud optare imperfectis. Vndè aiebat D. Chrysostom. ibi homil. 52. *Vide, quo gloriatur vinculis, quæ profert illa sicut catenam auream, sed ea nunc deprecatur. Et ne mireris: infirmiores adhuc erant, & attemperabat illis sermonem.* Nouit prudentissimus magister discipulorum differentiam, nactus enim validos, & perfectos viros, catenas, & vincula, fames, & sites, & mortes ipsas extollit, vt per quæ fortes gloriosis triumphis decorentur: at nactus infirmos, & imbecilles, quidquid durum est, amouet, sese infirmis audientium viribus attemperans. Prudentia est magistri nihil durum permittere, nisi prius inspectis suscipientis viribus, si possint perpeti illud. Quo spectans Dauid Psalm. 25. clamabat: *Proba me Domine, & tenta me: vre renes meos, & cor meum.* Expende quod fundamentum tentationum mittendarum præmittat, nimirum, *Proba me*, hoc est, vires meas examina. Sic ibi D. Gregor. PP. lib. 2. in Iob cap. 7. *Prius vires inspice, & tunc vt ferre valeam, tentari permitte.* Imprudentiæ opus est materiam purgandam flammis dare, antequam scias, an aurea sit, an lanea, lanea enim flammis comburitur, aurea præstantior fit.

Chrysost. — *Act. 26.* — *Chrysost.* — *Psal. 25.* — *Iob 7.*

§. XV.

Lasciuientium, vel tactus pestiferi.

Madianitarum aurum, argentumve sine purgatione per ignem facta non admittitur in populum Israeliticum, nec in Dei sacrarium. Ait enim: *Aurum, argentum, & æs, & plumbum, & stannum igne purgabitur, &c.* Sed Iosue cap. 6. video ex vrbe Iericho aurum assumi, & nullam ibi purgationis mentionem video. Quippè ait solum: *Quidquid autem auri, & argenti fuerit, & vasorum æneorum, ac ferri Domino consecretur, repositum in thesauris eius.* Nulla hic mentio de purgatione antè facienda, & cur magis in Madianitarum spoliis præcepta, intimataque expressè inuenitur purgatio rerum, quam in Iericho spoliis? In Madianitis luxuria gentis castigabatur, qua nisi fuerant Israelitas penitus extirpare, & ideò luxuriantis gentis spolia non miror, quod magis caueantur, fugianturque, & purgationi destinentur per flammas: pestiferum enim est, quidquid vel tactum sustinuit lasciuæ manus. Hinc Ioseph ille Genes. 39. videns pallium suum teneri à fœmina lasciua, relicto pallio fugit, ait enim: *Qui relicto pallio in manu eius fugit, & egressus est foras.* Cur pallium reliquit? Cur non magis pallium extorsit, & sic cum suo pallio fugit? Tanta erat pestis in veste posita à manu fœminæ lasciuæ, vt periclitaretur Ioseph, nisi & ipsam vestem fugeret. Ait D. Ambros. lib. 7. epist. 44. *Iuuenem mulier aggreditur, veste apprehensa ad cubile trahens, complexum offerens, & pene ceperat, nisi exuisset Ioseph vestem, qua tenebatur.* Expende illud singulare dictum: *Et pene ceperat*, ingens enim periculũ subiret lapsus, si tardaret vestes depellere, quæ lasciuæ manu tangebantur. Miraris? Sed accipe aliud, quod mirere magis. De Greg. VII. Pontifice Maximo dicit Paulus Berniendensis in eius vita: *Cum maxima detineretur corporis infirmitate, quædam neptis sua ad eum visitandi gratia venerat, & vt nepti super ægritudine sua animum leuigaret, monilia eiusdem manu tenens, an vnde vellet, requisiuit. Post recepta sanitate, compunctionis gratiam perdidit: dein igitur mœsto animo reuoluens, quo delicto Deum offendisset; completisque duarum hebdomadarum vigiliis, ieiunio, & corporali disciplina: Beata Dei genitrix cuidam innocenti, ac simplici viro apparuit, dicens. Hæc dices Gregorio, quod cum ego eum in choro virginum elegerim, ipse contra grauitatem institutionis nostræ monilia tractauit neptis suæ, ideirco gratiam, quam habuit, amisit.* Expende, vnde virus contraxit sanctissimus Pontifex, nimirum, *Monilia tractauit neptis suæ*, non manum, non caput fœminæ tetigit, sed aurea monilia à collo fœminæ pendentia, vt retigit, inde id virus prosiliuit, quod à sancto fugaret fauores diuinos. Vt hinc discas, qualis pestis imprimatur à tactu fœminæ lasciuo vel ipsis rebus insensibilibus, & quam debeas fugere ea, quæ fuerunt sub eius dominio.

Gen. 39. — *D. Ambr.* — *Paul Ber.*

§. XVI.

Lucra temporalia adorantur ab hominibus temporalibus.

Ex Madianitis spolia capta omnia velut immunda, & polluta per legem Moysis habentur, & indigent igne, vel aqua purgari, & mundari. Sic enim ait: *Hoc est præceptum legis, quod mandauit Dominus Moysi. Aurum, & argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & stannum igne purgabitur, &c.* Sed cur lex diuina purgationis necessitatem indixit spoliis de hostibus captis? Ne temporalissimi Iudæi adorarent spolia, & lucra, quæ immunda, & polluta videbantur adeo, vt purgatione indigerent. Simili modo Genes. 7. dum ostendit Dominus animalia, quæ in arca Noe debebant asseruari, ait: *Ex omnibus animantibus mundis tolles septena, & septena, masculum, & fœminam, de animantibus verò immundis duo, & duo, &c.* Iam inde præueniebat legem, quæ animalia quodam immunditiæ feriebat vocabulo. Et cur animalia per legem immunda habebantur, nisi vt vel fœditatis titulo homines auocarent, ne illis struerent aras? Ait D. Basil. Seleuc. orat. 6. *Quædam appellauit Munda: quædam vocauit Immunda, vt hæc tanquam impura abominati, illa velut munda existentes, per vtraque superstitione abstinerent, euaderentque legis adductum animæ medicamentum. Fertque Deus creaturarum inuestigatam nomine tenus, vt hominum morbum sanet, vt impediat idololatriam, quæ vsque ad animalia progreditur. Et immundorum nomenclationem fert in creaturis, vt purum ab impietate custodiat hominum propositum.* Immunditiæ vocabulo animalia affecit Dominus, vt ab illorum adoratione homines arceret. Et similiter spolia de hostibus parta fecit purgatione egere, ne temporalissimi homines lucra sua pro diis colerent. Quando enim temporales homines lucris suis adorationem non exhibent? De temporali homine dicebat Abacuc cap. 1. *Propterea immolauit sagenæ suæ, & sacrificauit reti suo.* Sagenam, & rete, quibus lucra faciebat, in diis habebat. Ex quo ait Theophilus Antiochen. lib. 2. ad Autol. *Mihi per quam ridiculum videtur, lapicidas, fictores fingere, sculpere, fundere Deosque parare, quos vbi elaborauerint, ipsi vilipendunt primi, & ne flocci quidem faciunt. Vbi autem dij illi ære fuerint redempti, & in templo collocati, non dubitant in eorum honorem victimas cædere emptores, & artifices, & accedunt pariter exquisito studio, vt eos adorent.* Ecce tibi ex quo incipiat studiũ adorationis ardere circa idola, nimirũ ait: *Vbi autẽ dij illi ære fuerint redempti, &c.* Ex quo emptio, & venditio datis, & acceptis pecuniis fuerint cœptæ, vt & emptores, & vẽditores sua lucra in idolis videant, ardent studio adorandi illa. Ante emptionis, & venditionis lucra nihili pendebant idola eorum artifices, in domorum angulis aranearum telis squalentia habebãt illa, post vẽdita, post acceptas pecunias statim illis sacrificant. Et quidem sola temporalia lucra sunt, quæ per se, & ex corde temporales homines spectant, cætera omnia quantumuis vera, quantumuis religiosa, quãtumuis diuina, quasi res accidentariæ respiciuntur. Exod. 32. Israelitæ dantes aureas inaures vxorum suarum Aaroni dicebant illi: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Multa idola colebantur tunc temporis à nationibus sub variis formis, & figuris: ij autem nullum determinatum, nec particulare petunt, sed tantum in communi flagitant sibi numen aliquod constitui. Cur non magis petunt determinatè sibi fieri aut Venerem, aut Iouem, aut Martem, aut Osirim? Vere homines temporales nullum æstimant in particulari numen siue verum, siue falsum: vnum respiciunt aurum per se, & dum hoc præ oculis, & præ manibus habeant, libenter spectant recepturi quod-

Gen. 7. — *Basil. Sel.* — *Abac. 1.* — *Theophil.* — *Exod. 32.*

cumque aliud sese obtulerit numen, nec multum laborant, quod sit hoc, vel illud. Sapienter horũ ingenium depingit D. Damas. orat. 3. de Imag. inquiens: *Ebrij facti sunt vino, atque errore, & præ stultitia dixerũt: Hi sunt dij tui Israel. Vides eos pro diis simulacra coluisse? Neque enim Iouis, aut huius, illiusve certa cuiuspiam rei simulacrũ, vt fieret, aurũ dederũt, sed quidquid forte contigisset: atque ita exiit effigies bouis.* Temporalissimi homines hoc curarunt, quod aurum illis obiiceretur ad cultum; hoc supposito de particulari aliquo idolo nihil curarunt, adoraturi quidquid forte contigisset. Sic huius temporis politici homines, toti temporalitati submersi, vnum spectant, vt temporalia bona sibi acquirant; circa Deum autem, & religionem non multum laborant, adoraturi quidquid forte contingat iuxta placitum principum.

D. Dam.

Num. 31. Dixit quoque Dominus ad Moysem: Tollite summam eorum, quæ capta sunt ab homine vsque ad pecus, tu & Eleazar sacerdos, & principes vulgi: diuidesque ex æquo prædam inter eos, qui pugnauerunt, egressique sunt ad bellum, & inter omnem reliquam multitudinem, & separabis partem Domino ab iis, qui pugnauerunt, & fuerunt in bello, vnam animam de quingentis, &c.

§. XVII.

Dominus adest præsentissimus his, qui & ipsi pugnant pro salute obtinenda.

NOtanter dictum est illud: *Et separabis partem Domino ab iis, qui pugnauerunt, & fuerunt in bello, vnam animam de quingentis.* Quando spolia fuerant diuisa inter pugnatores, & reliquam multitudinem; de bellatorum parte dicitur, quod Domino aliquid reseruetur, nimirum, vnum de quingentis. De multitudinis autem parte dicitur, quod aliquid detur Leuitis, sed non dicitur, quod detur Domino. Et cur magis de eorum parte, qui in bello fuerunt, & pugnarunt contra hostes, reseruatur pars Domino? Iure exigitur pars Domino de parte pugnatorum, vt qui cum illis pugnauerit, præsentissimusque fuerit pugnantibus contra hostes. Nunquam enim, qui contra hostes pugnant pro salute obtinenda, non habent Deum pugnæ socium, & commilitonem. Hinc Deuteron. 20. *Si exieris ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatus, & currus, & maiorem, quam tu habeas, aduersarij exercitus multitudinem, non timebis eos, quia Dominus Deus tuus tecum est.* Septuaginta legunt: *Quia Dominus Deus vester, qui præcedet vobiscum, simul debellabit vobiscum inimicos vestros, & saluos faciet vos.* Expende illud: *simul debellabit vobiscum, &c.* Non dormientibus, & quiescentibus vobis ipse solus debellabit hostes, sed pugnantibus vobis ipse simul pugnabit, & erit socius laboris, vt impertiatur coronam. Ex quo D. Augustinus ibi quæst. 30. *Recte quemadmodum, & in spiritualibus conflictibus sperandum, & petendum est adiutorium Dei, nõ vt nihil faciamus, sed vt adiuti cooperemur. Ait enim: Debellabit vobiscum, vt ipsos acturos ostenderet.* Ne totum negotium coronæ sic Deo credas, vt te committas otio, sed magis in certamen prodi, & viriliter pugna pro illa obtinenda, certus quod tunc non pugnabis solus, sed habebis Deum commilitonem, qui tecum deuincat hostes, & mereatur stipendium bellatorum. Nec aliter Iosue cap. 5. dicitur: *Cum esset Iosue in agro vrbis Iericho, leuauit oculos, & vidit virum stantem contra se, euaginatum tenentem gladium, &c.* Hunc virum stricto fulgentem gladio putant aliqui fuisse Iesum filium Dei, teste Theodoreto ibi. Quem vidit Iosue armatum, quasi socium pugnæ, sed non antea vidit illum, quam in agro Iericho esset, nimirum, quam dum esset iam pro capienda Iericho pugnaturus. Ait enim Clemens Roman. lib. 5. Constitut. citatus in Glossa ibi: *Christum Dei filium iudicem viuorum, & mortuorum vidit Iesus Naue dux exercitus Domini armatum simul pugnantem ad Iericho, quem procidens adorauit, vti famulus dominum.* Expende illud: *simul pugnantem*: est enim mos diuinus non totum, sed partem nostri certaminis assumere, vt non dormientibus, sed pugnantibus nobis, nobiscum ipse pugnet, & vincat. Hic sane dignus æterno præconio est, qui gaudet in pugnis Deo commilitone; qui autem sic amat otiari, vt Deo credat totũ pugnæ negotium, is nescio, an magis dignus sit irrisione. Ierusalem cingebatur validissimo exercitu Assyriorum 4. Reg. 19. Quid tunc? *Factum est igitur in nocte illa venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.* Sic dum Israelitæ quiescunt, dum in lectis suis indulgent somno, Dei Angelus solus perimit ingentem exercitum Assyriorum. Magna hæc victoria, & gloriosa fuit, sed Deo, non Israelitis, imò ex illa sic Israelitas confundit Titus Imperator Romanus apud Egesippum lib. 5. cap. 46. fatus. *Neque verò necessarium fuit, vt hostes nostri, sicut Assyrij vestri, dormitãtes extinguerentur, sed præliantes. Non enim in somnus victoria quæritur, sed in prælio, nõ virtutis adorea est, vbi fortuita est gratia.* Etenim quod totum Deus peragat, dormientibusque nobis ipse de triumphet hostes, diuinæ potestatis est, & misericordiæ, non autem virtutis nostræ. Rideremur merito ab aduersariis, si gloriaremur de eo, quod confecit Dominus dormientibus nobis, illud magis gloriosum homini, quod pugnantibus nobis Deus nobiscum pugnet, & det hostes destrui à nobis.

Deut. 20.

Septuag.

D. Aug.

Iosue 5.

Rom 5.

4. Reg. 19.

Egesip.

§. XVIII.

In eo quis se clarius omnibus superiorem ostendit, quod minus detrectat sua prærogatiua consortes habere.

PRædæ diuisionem non solus Moyses facit, sed & Eleazarum, & principes vulgi secum admittit, vt simul omnes illam distribuant. Dicitur enim illi: *Tollite summam eorum, quæ capta sunt ab homine vsque ad pecus: Tu & Eleazar sacerdos, & principes vulgi, &c.* Et quando Moyses summus erat omnium princeps, cur illi soli non committitur munus diuisionis? Nonne multum derogabat Moyses authoritati suæ, habens secum ex æquo alios diuisores? Absit, imò inde sese omnibus superiorem ostendebat, qui nolebat in prærogatiuis esse solus, nec detrectabat admittere muneris sui socios. Dicebat Paul. 1. Corinth. 7. *Volo autem omnes homines esse sicut meipsum.* Sic bonus cum maximus esset in Dei donis, & prærogatiuis, tantum aberat, vt velit esse in illis solus, quod vehemẽter optaret sibi pares existere vniuersos homines. Et inde derogaret aliquid præstantiæ suæ? Imò se in eo euidentius ostẽdebat omnibus superiorem. Ait D. Aug. tract. 8. in Epist. Ioan. *Audi Apostolũ dicentẽ de visceribus charitatis: Vellem omnes homines esse sicut meipsum? Quomodo volebat omnes esse æquales? Ideò erat omnibus superior, quia charitate optabat omnes æquales.* Accedãt huc, qui in donis solitudinẽ amant, offenduntur cõmunitate, sane ij, vt amãt præire omnibus, magis subsunt omnibus. Nulla via securior est, qua quis se ostẽdat omnibus superiorem, quã si in eo sit animo, quod sibi æquari amet omnes. Qui enim eo tendunt, vt sint soli, maximè timere possunt, ne eò deueniant, vt sint nulli, & fiant contemptibiles omnibus. Spõsæ suæ dicebat Dominus Cant. 4. *Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis.* Per duos hos hinnulos repræsentabat duos populos, duos filios Ecclesiæ, nimirum, populum gentium, & populum Iudæorum, qui de vberibus Ecclesiæ sugunt, quo viuere possint. Sed illud mirandum est, quod hos duos filios vocet gemellos: quando Iudæorum populus longè antiquior est, & diu fuit in matris gremio solus. Cur ergo sic eius antiquitati derogatur, vt dicatur gemellus cum populo nationum? Imò gemellus dicitur, vt ostendatur, in quo se ostendere posset maiorem, nimirum si alterum secum æqualiter admitteret: at quia hoc renuit, & amabat esse in prærogatiuis solum, eò deuenit, vt nullus fieret, & exclusus sit à gratiæ donis. Ex quo Gillib. Abb. ser. 27. in Cant. ait: *Affectabant Iudæi esse in gratia soli, aut summi, nolentes habere compares, quos non poterãt non habere participes. Gentes autẽ fecit Deus cum Israele concorporales, & cõparticipes testamentorũ, & in nullo discreuit fide mundans corda eorum. Ideò dicuntur gemelli, quia fides nullis gradibus separat, quos æquè regenerat. Alioquin qui nesciunt esse gemelli, effecti sunt nulli, & in conuiuio locum occupantes primum, iam nec habent nouissimum. Quæ causa non inter illos tantum vertitur, sed se dilatat ad omnes, vt nemo vlli in gratia, quocumque in gradu fuerit, aut participium, aut parilitatem inuideat.* Nunquam non minoraberis, si aliorum parilitatem respuas, si consortium in honore fugias. Quanto enim maior sis, & sublimior, procura plures habere consortes, & pares gloriæ tuæ, & sic te euidentius superiorem omnibus efficies.

1. Cor. 7.

D. Aug.

Cant. 4.

Gil. Abb.

* * *

Num 31. Feceruntque Moyses,& Eleazar,sicut præceperat Dominus. Fuit autem præda, quam exercitus ceperat,ouium sexcenta septuaginta quinque millia, boum septuaginta duo millia, asinorum sexaginta millia, & mille;animæ hominum sexus fœminei, quæ non cognouerant viros, triginta duo millia. Dataque est media pars his , qui in prælio fuerant,&c.

§. XIX.

Præstantissimus gubernator ille, qui non solum iussis, sed & operum executione ipse per se instat.

VIde præstantissimi gubernatoris insigne,nimirum : *Feceruntque Moyses & Eleazar,&c.* Non iusserunt ministris,vt fieret, sed ipsi per se efficiunt, & executioni mandant , quæ oportet fieri.Discant hoc,qui gubernandi gloriam ambiunt acquirere,non solis vtantur iussis,sed & ipsi labores executionis aliquo modo participent, si velint subditis proficere. Genes.2.*Tulit ergo Dominus Deus hominem,& posuit eum in paradisum voluptatis,vt operaretur, & custodiret illum. Præcepitque ei dicens:Ex omni ligno paradisi comede,&c* Quid tunc?Perdidit homo & paradisum,& fœlicitatem suam. Sed dum perdere Deus vult mundum diluuio, arcam fieri mandat , in qua semina noui orbis reseruentur. Et Genes.7.dicit : *Masculus & fœmina ex omni carne introierunt,sicut præceperat ei Deus, & inclusit eum Dominus deforis.* Et sic medio in diluuio conseruata sunt vitæ semina. Sed cur mediis tempestatibus conseruantur innouata semina vitæ,quæ in paradiso perierunt?In paradiso vbi positus fuit homo,ibi Dei præceptis fuit institutus, illi dominus præcepta posuit , & operari iussit , ipse autem manum operi non adhibuit. At in arca vbi conditus homo fuit,& Deus manum operi adhibuit claudens à foris arcam, in quo vt se præstantissimum gubernatorem exhibuit, sic & se vtiliorem præbuit subditis. Ait D. Chrysolog. serm. 147. *Noe noui sæculi vocat parentem , blando sermone compellat Dominus , & eum non iussis, sed participato labore, vna in arca claudit.* Expende illud, *Et eam non iussis,sed participato labore* ; quippè in paradiso,solis iussis agebat dominus,præcepta imponens, iubens operari,sed ipse non operabatur.ideò non adeò felix ex parte effectus extitit illa gubernatio. In arca autem non solis iussis,sed participato labore rem aggreditur gubernandi , claudens à foris arcam , dum intrinsecus Noe pascebat clausos, & sic fœlicissimus euentus accidit. Nunquam non præstantissimus erit in fœlicitate ille gubernator , qui non solis iussis,sed partito labore Rempublicam moderetur. Ecclesiastes cap 2.dicebat:*Quis est homo,vt sequi possit Regem factorem suum?* Quibus suam ipsius Salomon excellentiam super alios explicabat , se vocans Regem factorem, vt malunt omnes hebraizantes.ex quo adeò sibi blanditur,vt putet neminem posse ad suam gloriam accedere , quando ipse non solum erat rex , sed erat rex factor , qui non solis iussis , sed partito labore regebat alios. Ad quam gloriam inuitabat omnes Imperatores D. Synesius lib. de Regno aiens : *Vnde paulatim nostra procedens oratio regem è palatio eductum post amicos militibus conciliat , atque in campum descendere iubet. Ibi & cum equite equitabit,& cum pedite decurret,& cum armato armatus incedet , & cum cetrato cetra exercebitur , & cum leuis armaturæ militibus iaculabitur, vnumquemque operum communione in vnam societatem,amicitiamque polliciens.* Vtinam omnes principes hanc ebiberent mentem , ne res virtutis solis iussis agant,sed & simul illas aggrediantur,& partito labore operumque communione ad se subditorum animos pelliciant: fallar, nisi ij & præstantia, & fœlicitate superarent cunctos. Hoc insinuabat Samuel,cùm vncturus Saulem in regem, illi prius armum arietis comedendum apposuit,1.Reg 9. *Leuauitque cocus armum,& apposuit Sauli.* Vbi sapienter D. Greg. PP.ait : *Quid in armo pectoris,nisi fortitudo signatur actionis? Hæc autem in quouis rege,& maxime in Saule requirebatur.* Nil prius in rege requiritur, quam actio, nimirum vt ipse faciat.

Gen.2. — Gen.7. — Chrysol. — Eccles.2. — D.Synes. — 1.Reg.9.

§. XX.

Virginitas tollit noxæ suspicionem.

QVanta est virginitatis excellentia ! Qui vel à bona muliere corrupta erroris damnum timet exercitus,à multis millibus virginum nihil timet.Post occisionem enim vxorum Madianitarum recensentur virgines , quæ seruantur Israelitis, & ait textus, quod fuerunt *animæ hominum sexus fœminei , quæ non cognouerant viros , triginta duo millia.* Et inter triginta duo millia virginum , nil habet Moyses , quod timeat. Tanta est virginitatis virtus,nullum in illa Moyses inuenit aditum periculis. Liber in præsenti componere Iobum,& Christum Dominum ; vt vterque fuit tentatus à Satana,vterque tentationes excepit inimici,in vtrumque perfidus hostis armat exercitus suos,& procurat immittere cadendi pericula.Iobo immittit rerum perditionem,Iesu proponit regna mundi ; Iobo fœminam coniunctam adiungit, sed Iesu nullum tale instrumentum mali applicuit. Et cur Iesu non curauit adesse fœminam,saltem matrem suam,quę famelico porrigeret cibos, & adduceret , vt frangeret ieiunium? Erat Iesu mater purissima Virgo,quæ noxæ suspicionem omnem eriperet. Rem pulchre ponderat D. Ambros. lib.4 in Luc.loquiens: *Diabolus Iobum muneris tentat, Iesum præmiis. Ad illum ingruit nuntius super nuntium,congeminant vulnera,nec fortis athleta turbatur.Adhibetur mulier prima fraudis illecebra: Iesus per virginem natus errori obnoxium non habebat.* Quid pulchrius?Expende illa:*Per virginem natus errori obnoxium non habebat* : quippè qui non nisi virginitatem elegerat , & sola cum virgine matre conuersabatur , non habebat vnde vel suspicio erroris illaberetur. Apud quem erat vxor, inuenit hostis aditum,vnde posset nocere,apud quem erat purissima Virgo , & virginitatis specimen , non inuenit serpens vnde obreperet.A virginitatis cultura omnia putantur bona,adeò vt bonum esset inueniri, & dici,vbi illa cessat. Dum Deus formabat dies,in singulis bonum inueniebat. Genes.1. *Vidit Deus lucem,quod esset bona,& diuisit lucem à tenebris. Appellauitque lucem diem,& tenebras noctem,factumque est vespere & mane dies vnus.* Similiter de tertio die locutus ait : *Et vidit Deus, quod esset bonum. Et factum est vespere,& mane dies tertius:*& sic de reliquis. Solum de die secundo,quo duo dies constituebantur,non dicitur,quod in eo viderit Deus, quod esset bonum. Quippe solum dicit : *Vocauitque Deus firmamentum cœlum, & factum est vespere, & mane dies secundus.* Et quando in aliis diebus præmittebat illud , nimirum , vidit Deus, quod esset bonum,cur in hoc secundo die,non id præmisit?Constituebantur ibi duo dies,in quo adumbrabatur coniugium, ideò cauit Deus ibi asserere absolute,& simpliciter esse bonum,quando in sola virginitate absumitur omnis temporalis mali suspicio. Ait D.Hieron.lib.1.aduersus Iouinian. *Cum scriptura in primo,& tertio,& quarto, & quinto,& sexto die expletis operibus singulorum dixerit. Et vidit Deus,quia bonum est,in secundo die hoc omnino subtraxit : nobis intelligentiam derelinquens, non esse bonum duplicem numerum, qui ab vnione diuidat, & præfiguret fœdera nuptiarum.* Et quidem vbi est vel vmbra coniugij , non potest abesse suspicio mali, nimirum , pœnalitatis temporalis, laboris multi,ærumnosæ solicitudinis, periculi insidiosi,quorum malorũ suspiciones tollit virginitas. Proh quam nihil timendum in virginitate appareat ! Ezech. cap. 24.ait:*Mortua est vxor mea vespere,fecitque mane,sicut præceperat mihi Dominus.* Quæ verba expendens D.Hieronym ait supra: *Moritur vxor,& coniugale vinculum soluitur, & absque vlla trepidatione semper in officio prophetali est.* Et trepidationis, & metus occasio deficit , vbi tollitur vxor. & splendet status virgineus. Hinc Luc. cap. 1. *Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth , ad virginem.* Non enim nisi per virginem voluit Deus ad nos venire. Et cur non nisi per virginem ? Ait D. Ambrosius lib. 10. epist. 89. *Dominus noster Iesus Christus iudicauit homines magis beneficiis alligari posse , quam metu , plusque charitate proficere , quam formidine ad correctionem. Itaque præmisit gratiam veniens per virginis partum , &c.* Ecce tibi , vbi metus , formidoque erant abolenda , gratiæ , & beneficia ostentanda , venit Dominus per virginis partum ; non enim in virginitate est , quod formides , sed multum, quod speres,quod ames.

D.Ambr. — Gen.1. — D.Hier. — Ezech.24. — D.Hier. — Luc.1. — D.Ambr.

Num. 31. Cumque accessissent principes exercitus ad Moysem, & tribuni, centurionésque, dixerunt: Nos serui tui recensuimus numerum pugnatorum, quos habuimus sub manu nostra; & ne vnus quidem defuit. Ob hanc causam offerimus in donariis Domini, singuli, quod in præda auri potuimus inuenire, periscelides, & armillas, annulos, & dextralia, ac murænulas, vt depreceris pro nobis Dominum.

§. XXI.

Gratitudo nunquam non lucrosa.

SApienter exercitus principes muneribus aureis testantur gratitudinem suam ob victoriam partam, dicunt enim: *Recensuimus numerum pugnatorum, quos habuimus sub manu nostra, & ne vnus quidem defuit. Ob hanc causam offerimus in donariis Domini, singuli, quod in præda auri potuimus inuenire.* Ob tantum beneficium acceptum offerunt aurum prædæ domino in gratiarum actionem, quo non auri perditionem, sed maius sibi lucrum reponunt. Nunquam enim gratitudo in Deum non est lucrosa. *Exod. 13.* Exod. 13. cauebat Dominus: *Cum introduxerit te Deus in terram Chananæi, sicut iurauit tibi, & patribus tuis, & dederit eam tibi, separabis omne, quod aperit vuluam, Domino.* Pro dato beneficio exigit Dominus primogenita sibi, an vt depauperetur populus spoliatus primogenitis gregum suorum? Absit, sed vt magis ditetur, quando gratitudinis testatio in aliquo dono, nunquam non recipit maiora. *Lippom.* Ait Lippoman. in caten. *Deus exigit primogenita, non quod Deus indigeat hoc cultu, sed vt homines hac oblatione testentur gratitudinem suam. Testari autem gratitudinem opus est acceptissimum Deo, & inuitat Deum ad maiorem liberalitatem. Quare, qui ex fide obtulerunt primogenita, consecuti sunt paruo sumptu magna Dei beneficia.* Nescit sterile esse gratitudo, sed quo magis exhibet gratiarum munus, eò paratior est, vt maiora accipiat. Hinc *Psal. 115.* Psalm. 115. *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Simul & retribuere cogitat, & manus tendit, vt noua accipiat, nequit enim gratiarum retributio non parare maiora beneficia. *D. Aug.* Ait D. August. serm. 151 de Tempore: *Circumspiciens vndique, quid retribuat, quasi inuenit. Quid inuenit? Calicem salutaris accipiam. Retribuere cogitabat, adhuc accipere quærebat.* Eo ipso quod retribuere cogitas, accipere quæris, nemo enim retribuit gratiam Deo pro beneficiis, qui maiora non acceperit. *Matth. 6.* Matt. 6. monebat Dominus: *Cum ieiunaueris, vnge caput tuum.* Quæ verba tropologice accipiuntur à D. Bern. quasi per illa iubeamur, vt caput nostrum Christum vngamus. Sed quid præstabit nostra vnctio Christo Domino? Sane Christo nihil præstabit: at nobis multum, quidquid enim pro beneficiis in nos collatis retribuimus, non potest nobis non esse valde vtile. *D. Bern.* Ait D. Bern. serm. 1. de Quadrages. *Vnctum à patre est caput nostrum, & nihilominus vngi petit à nobis. Cum ieiunaueris, inquit, vnge caput tuum. Itane aquam petit à riuulo fons indeficiens? Petit sine dubio, aut certo repetit magis. Ad fontem enim vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant. Non vero vt minus habens, quod dederat Christus, repetet, sed ne tibi pereat, quidquid ad eum referre volueris. Siquidem etiam flumina aqua si stare cœperit, & ipsa putrescet. Sic plane, sic gratiarum cessat decursus, vbi recursus non fuerit, nec modo nihil augetur ingrato, sed & quod acceperat, vertitur ei in perniciem.* Nunquam non pernicies accidit ingrato, sed qui gratus est, vix nouit ruinam, quin magna lucra experitur, quando illi beneficiorum fontes non exhauriuntur. Seruus ille Abrahæ profectus Mesopotamiam, vt quæreret sponsam filio domini sui, dum Rebeccam offendit respondentem votis suis, nil prius agit, quam gratiarum actiones Deo, dicit enim *Gen. 24.* Gen. 24. *Inclinauit se homo, & adorauit Dominum, dicens: Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, &c.* Quod ponderans *Theodor.* Theodor. serm. 8. de Prouidentia, multis extollit eius gratitudinem, vt fontem tantorum beneficiorum inquiens. *Postquam vero signa, quæ petierat, vidit omnia, nec tunc quidem ante gratiarum actionem desponsationis symbola dedit, nec voluptate victus largitoris oblitus est. Sed donum totum videns, se donatorem quoque largitorem videre credidit, & prius pro viribus ipsum collaudauit, deinde hoc modo munus oblatum suscepit. Postquam enim plura, quam postulauerat, accepit, quantum potuit laudibus beneficij huius authori gratias retulit, & diuinis promissionibus veritatis testimonium tulit. Benedictus enim, inquit, Dominus Deus domini mei, &c.* Ecce tibi vt homini prompto referre gratias Deo omnia illi eueniunt fortunatissima, & maiora, pluraque recipit, quam optauerat ipse.

§. XXII.

Præstantissima victoria est, & quæ à solo Deo venire potest, quæ nullus victricis partis occumbit.

VIde nouam, & inusitatam victoriam nullius sanguine emptam, dicunt enim: *Recensuimus numerum pugnatorum, quos habuimus sub manu nostra, & ne vnus quidem defuit.* Mira res, præstantissima victoria, & quam merito Deo acceptam referunt exhibitis donis, à solo enim Deo potest venire victoria, quæ nullo comparetur sanguine victoris. Vide 4. Reg. 6. ingentem Syrorum exercitum aduersus Elisæum venire; *4. Reg. 6.* *Porrò Elisæus orauit ad Dominum, dicens: Percute, obsecro, gentem hanc cæcitate. Percussitque eos Dominus, ne viderent iuxta verbum Elisæi. Dixit autem ad eos Elisæus: Non est hæc via, neque ista est ciuitas: sequimini me, & ostendam vobis virum, quem quæritis. Duxit ergo eos in Samariam, dixit Elisæus: Domine, aperi oculos istorum, vt videant. Aperuitque Dominus oculos eorum, & viderunt se esse in medio Samariæ.* Ecce tibi vnus Elisæus cum Deo agens ingentem hostium exercitum concludit, & securus ipse omnes periculo mortis exponit. Quis vnquam regum talem victoriam obtinuit? Sane hæc est præstantissima, & quæ non venit virtute militum, sed beneficio Domini annuentis suorum votis. Ex quo sapienter D. Ambros. serm. 1 de Elisæo, *Ambros.* ait: *Vbi sunt, qui dicunt, plus quam preces sanctorum hominum arma posse? Ecce vna oratio Elisæi totum exercitum vulnerauit, & vnius prophetæ meritis omnis est hostium numerus captiuatus. Quæ caterua regum, quæ turba militum talem victoriam perpetrarunt, vt sic hostes prosternerent, vt de illis nullus occumberet? Hæc est vera, hæc incruenta victoria, vbi sic aduersarius vincitur, vt de vincentibus nemo lædatur.* Hoc victoriæ genus præstantissimum nullus negabit, sed neque inueniet vllus, nisi in iis, qui perspicue Dei vtuntur auxilio. Dauid 1. Reg. 30. cum paucis sociis non dubitabit persequi ingentem Amalecitarum exercitum, *1. Reg. 30.* qui & prædatus fuerat, & populatus oppidum Siceleg, & tandem vniuersos percutiens præter quadringentos, qui fugerunt, incolumis cum suis rediens, inimicorum spolia præmittebat in signum triumphi. Quem extollebant voces militum dicentium, *Hæc est præda Dauid.* Vbi Carthusian. *Carthus.* ait: *Hæc est præda Dauid, quasi dicant, tam præclaram copiosamque prædam decuit Dauid diuina virtute acquirere.* Et merito sanctus vir tam incruentam victoriam non ab alio, quam à diuina virtute putat venisse. Similiter 1. Reg. 14. vbi Ionathas Saulis filius cum solo socio armigero ausus est in numerosissimum *1. Reg. 14.* exercitum insurgere, ipse incolumis cum socio suo interfectos omnes Philisthæos vidit. Quod notans textus ait: *Et accidit quasi miraculum à Deo.* Solus enim Deus potens est tales seruis suis præstare triumphos. Non aliter Iudic. 7. Gedeon *Iudic. 7.* cum solis trecentis immensas Madianitarum copias fudit, sed quia vt ait textus: *Immisit Dominus gladium in omnibus castris, &c.* De Dei manu pugnante venit, quod pauci incolumes innumeros hostes ante se interfectos videant. Quod & factum est 2. Paralipom. 20. nec vsquam simile fuit visum, *2. Par. 20.* nisi pugnante Deo cum populo suo. Hinc post numerata vniuersa bella ab orbe condito commissa, tandem deuenit Paulus Orosius ad tempora Theodosij Imperatoris Christianissimi. Cuius incruentas victorias dum numerat, vt Maximum tyrannum trucidauit nullo suorum sanguine fuso; vt alia etiam prælia finiuit, vt pene solus cantatissimum triumphum ageret de rebellibus apud Alpes, quin vel paruum militem amitteret. Tandem finit Paul. Oros. lib. 7. cap. 35. *Paul. Oros.* *Non insulto obtrectatoribus nostris. Vnum aliquod ab initio Vrbis conditæ bellum proferant, tam pia necessitate susceptum, tam diuina fælicitate confectum, tam clementi benignitate sopitum, vt neque pugna grauem cladem, neque victoria cruentam exegerit vltionem: & fortasse concedam, vt non hæc fidei Christiani ducis concessa videantur.* Confidenter loquitur eruditissimus Christi miles, qui vt omnia mundi bella vsque ad sua tempora nouerat, sic audet putare, non nisi apud fideles duces inueniri esse victorias nullo vincentium sanguine fuso.

§. XXIII.

§. XXIII.

Præstantissimi Christi bellatores à concordia & vnanimitate elucent.

MAgna fuit Israelitarum victoria, quod nullus in prælio occubuit. Quippè ait: *Recensuimus numerum pugnatorum, & nec vnus quidem defuit.* Sed illud maius, quod ostēdit in præsenti Græca lectio Origenis dicens: *Collegimus summam virorum bellatorum nostrorum, & non dissensit ex nobis quisquam.* Magnum erat, quod nemo in bello caderet, sed illud maius, quod nec in bello, nec in victoria, nec in partitione spoliorum vnus ab alio discordaret, dissentiret. Hoc non inuenitur in vulgaribus bellatoribus, sed in præstantissimis. Accipite Origenem homil. 26. in præsenti pulchrè hac de re disserentem: *Denique non est dictum de communi numero bellatorum, quod nemo in eis dissensit: sed de iis dictum est, qui summa bellatorum nominati sunt. In istis enim qui tales sunt, nulla dissensio, nulla discordia. Ipsi enim sunt isti, de quibus dictum est. Erat autem credentium cor, & anima vna, nec quisquam eorum aliquid proprium dicebat, sed erant illis omnia communia. Isti sunt ergo summa bellatorū, in quibus nemo dissensit.* Fallar, si quod signum clarius præstantissimorum bellatorum Dei possit inueniri, quam hoc, quod nemo dissensit in eis, quod non dissensiones foueant, nec admittant. Vane enim sibi blanditur quis de strenuè nauata opera Dei militiæ, si dissensiones nutriuit, si proximorum vnanimitatem disrupit. Dicebat Ioan. 1. epist. 4. *Deus dilectio est, & qui manet in dilectione, in Deo manet, & Deus in illo manet.* Quæ verba premens D. Cyprian. de vnitate Ecclesiæ inquit: *Cum Deo manere non possunt, qui esse in Ecclesia Dei vnanimes noluerunt, ardeant licet flammis, & ignibus traditi, vel obiectis bestiis animam suam ponant, non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ, nec religiosæ virtutis exitus gloriosus, sed desperationis interitus. Occidi talis potest, coronari non potest.* Sanè inter Christi milites, illos strenuos, & præstantissimos putamus, qui cum flammis, cum bestiis, cum morte pro fide, & religione pugnant. Sed vide vnde per hæc durissima prælia adhuc quis præstantis Christi militis non attingat insigne, nimirum si in Ecclesia cum aliis vnanimis esse nolit, sed magis in dissensionibus, & discordiis sit. Is licet in arenam descendat imperterritus, licet flammas vincat tolerantia, licet per medias mortes currat, Christiani bellatoris decora non attinget. Illi summum Christiani belli culmen pertingunt, qui nesciunt dissensiones vllas. Hinc est, quod 2. Reg. 23 vbi ponitur catalogus fortium Dauid, Ioab, & Amasa totius Israeliticæ militiæ principes non ibi recensentur, dicit enim: *Hæc nomina fortium Dauid:: Post hunc Eleazar: Post hunc Semma, &c.* Sic fortissimorum Dauidis ducum nomina ponens, eos præterit, quos omnium principes ex scriptura nouimus, nimirum Ioab, & Amasam. Et cur hos à nomine fortiorum excludit? Ait Carthusianus ibi: *Porrò Ioab non exprimitur hic inter fortes, quia inter fortes demeruit nominari, propter turpia facta sua, quibus proditoriè, & iniquè occidit strenuissimos viros Abner, & Amasam. Quocirca mirum apparet, quod strenuissimus ille Amasa inter fortes non ponitur, quod forsan contigit, quia adhæsit Absaloni aduersus regem Dauidem.* Et meritò licet ij adeo erant fortes, vt principes essent totius Israeliticæ militiæ, tamen quia fouerunt discordias, & diuisiones, & non seruarunt vnanimitatem, exclusi sunt à numero, & re virorum fortium. Minime enim fortis honorem accipit in regno Christi, qui percutit fratrem, & charitatem scindit propter lucra propria, & qui adhæret pacis, & vnitatis turbatoribus. Ille fortis, ille se strenuè in præliis Domini gerit, qui nouit vnanimitatem, & concordiam retinere. Apocal. 12. *Factum est prælium magnum in cœlo, Michael, & Angeli eius præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli eius, & non valuerunt, &c.* Ecce tibi inualida, & infirma pars draconis inuenta est in prælio; pars autem Michaelis & Angelorum eius fortis, & strenua. Et vnde tanta illi infirmitas, & huic tam singularis fortitudo? Ait D. Nazianzenus orat. 12. *Ex Angelis autem is, qui seditionem concitare ausus est, dignam arrogantia sua pœnas dedit, reliqui verò in sua dignitate perstant, cuius primum illud est, quod pacati sunt, ac dissidij expertes, quippè qui à sancta, & laudanda Trinitate hoc acceperūt, vt vnum sint.* Expende, in quo sit tota cœlestis exercitus valentia, nimirum: *Quod pacati sunt, ac dissidij expertes,* quando ipsi in se nullam dissensionem nouerunt, nullusque eorum ab altero dissensit, inde fortissimorum pugnatorum glorias tenuerunt. Ad triumphatorum partes accesserunt, qui dissidia exsibilarunt, periere discordiarum seminatores. Et quæ domus non pereat, in qua discordia cernitur? Genes. 37. *Israel autem diligebat Ioseph super omnes filios:: fecitque ei tunicam polymitam. Videntes autem fratres eius, quod à patre plus cunctis filiis amaretur, oderunt eum, &c.* Vtinam non tunicam discordiæ causam filio dedisset, sed magis fratrum gratiam illi acquireret, & non tot mala passus esset. Ex quo monet D. Ambros. lib. de Ioseph cap. 2. *Plus acquiritur filio, cui fratrum amor acquiritur. Hæc præclarior munificentia patrum, hæc ditior hæreditas filiorum. Iungat liberos æqualis gratia, quos iunxit æqualis natura.* Equidem nunquam filius præstantiorem acquirit hæreditatem, quàm eam, cum qua à fratribus non dissentit.

(Margin: Origen. — Ioan. 1. Cyprian. — 2. Reg. 23. — Carthus. — Apoc. 12. — Nazien. — Gen. 37. — D. Ambr.)

§. XXIV.

Ille præclarum Deo munus offert, qui ab omni discordia, & dissensione liber est.

VIde vnde in hanc mentem veniant, vt Deo offerant aureum munus. Dicunt enim: *Recensuimus numerum pugnatorum, & ne vnus quidem defuit. Ob hanc causam offerimus in donarium Domini, &c.* Quæ sic ex Græco apud Origenem sonant: *Collegimus summam virorum bellatorum nostrorum, & non dissensit ex nobis quisquam, & obtulimus munus Domino, &c.* Vbi nullus dissensit, nullus fuit, qui dissensiones nutriret, in eam veniunt mentem, vt munus offerant Deo pro acceptis. Nec enim Deo gratum munus posset offerri, nisi à non dissentientibus. Ait ibi Orig. hom. 26. *Quidquid in intellectibus, quidquid in operibus habēt, Deo offerunt. Sciunt enim, quia munera eius, data eius sunt, & ideo non dissentit in eis nec vnus. Neque enim possunt munera offerre Deo positi in dissensione.* Hoc primum efficiant, qui Deo & præclarum; & gratum munus offerre volunt, tollant à se omnem dissensionis suspicionem, absint prorsus ab omni discordia, non enim à discordibus, à dissentientibus, sed ab iis, qui maxime concordes, & vnanimes sunt, possunt venire munera, quæ placeant Domino. Hinc Psalm. 150. *Laudate eum secundùm multitudinem magnitudinis eius. Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in psalterio, & cithara. Laudate eum in tympano, & choro; laudate eum in chordis, & organo.* Petit ex vno capite, quod illæ dentur Deo laudes, quæ optimæ eius magnitudini correspondeant, & ex alio capite nullam aliam vocem requirit, nisi quæ veniat ab instrumentis musicorum. Cur bone non magis petis voces humani cordis? Cur non magis requiris pretiosos animæ affectus? Quid si cithara, si psalterium, si organum, si tuba resonent, & taceant corda? Cur ergo præteris vocem cordis, & sola meministi instrumenta musicorum? Non otiosè meminit instrumēta musica, sed vt innuat, vnde placere Deo possunt etiam munera cordis, nimirum ex concordia; vt enim tota musicæ præstantia in concordia sita est, vt vel si quodlibet instrumentum dissentias, dissones, vehementes offendat musica auditores. Sic qui Deo laudando, munerandove accedit, ita debet esse compositus, vt nec minimam præseferat dissensionem. Ait Origen. hom. 26. in Num. *Discenda igitur magnopere nobis est consonantiæ disciplina, quia tanquam in musicis, si harmonia chordarum fuerit consonanter aptata, sonum suauis modulati carminis reddit: si verò sit aliqua in fidibus dissonantia, ingratissimus sonus additur, & carminis dulcedo corrumpitur, ita & ij, qui Deo militant, si dissensiones, & discordias inter se habeant, ingrata erunt omnia, & nihil acceptum Deo videbitur, etiamsi multa bella conficiant, etiamsi spolia multa deferant, & munera offerant Deo.* Multus sis licet in virtutibus, in laboribus, in muneribus offerendis Domino, si discordia laboras, si minime concordem fratribus tuis animum referas Domino, nihil illi refers gratiosum, cui in primis grata est concordantium animorum harmonia. Illud enim & præclarum & Deo gratum munus est, quod venit à concordibus. Hinc Dauid nactus Saulem in spelunca solum, 1. Reg. 24. cum audiret commilitonum voces multum discrepantes ab eius animo; ipse enim parcere volebat hosti, illi è contra petebant, vt interficeret Saulem: *Confregit viros suos sermonibus, & non permisit eos, vt insurgerent in Saul.* Duo præstantissima fecit in sociis suis, alterum, quod non permisit illis, quod nocerent hosti, alterum, quod illos confregit sermonibus, hoc est, illos traxit bonis verbis in suam sententiam de seruando hoste. Sed quando pro Saule seruando sufficeret, vt Dauid non permitteret suis illi manus inferre, quantumuis ipsi dissentirent ab illa clementia, cur insuper maluit eos verbis adducere in eam mentem, vt secum vellent parcere hosti? Equidem hinc sacrificium suum omni ex parte gratum faciebat Domino,

(Margin: Origen. — Origen. — Psal. 150. — Origen. — 1. Reg. 24.)

quando

quando ex concordi voluntate suorum parcebat hosti. Ad hæc ait D. Chrysostomus homil. de Dauide, & Saule: *Non absque Dei præsidio valuisset Dauid illos furentes deuincere, sed hoc erat Dei gratia, quæ veluti funditam quandam addebat propheta verbis. Tametsi non leue momentum Dauid huc attulit, qui quoniam illos superiore tempore sic instituebat, idcirco in articulo certaminis eos paratos, & meriginos inuenit. Non enim aliter atque aliquis Episcopi munus sortitus ad illos concionem habebat, ac peracta hac concione sacrificium obtulit.* Non equidem putauit sacrificium gratum offerendum, priusquam concionem faceret, qua suos traheret in eandem animi sententiam, vt de harmonia concordium quid gratum resultaret, quod posset offerri Deo.

Chrysost.

§. XXV.

Ibi solum vnanimitas, & concordia potest esse, vbi lucrum contemnitur.

Miranda mihi venit lectio Origenis, quæ in præsenti dicit: *Collegimus summam virorum bellatorum nostrorum, & non dissensit ex nobis quisquam, & obtulimus munus Domino vnusquisque vir, quodcunque inuenit, vas aureum, &c.* Mirum sanè est, quod in exercitu bellatorum, in pugna, & in victoria, & in præda nullus inuentus fuerit, qui ab alio dissentiret. Ait enim. *Nullus dissensit è nobis;* & vnde orta fuit tam inaudita conformitas, & vnanimitas militum. Ait text. *Obtulimus munus Domino, vnusquisque vir, quodcumque inuenit; vas aureum.* Sic circa spolia fuerunt dispositi, vt quæcumque pretiosa fuissent, ea Deo obtulerint; in iis autem, qui pretiosa lucra despiciebant, non miror, quod potuerit tanta inueniri vnanimitas, quæ solum vbi aurum contemnitur, inuenitur. De primis fidelibus dicitur Actor. 4. *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna, neque quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat:: Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.* Quis non miretur in tanta multitudine credentium tantam vnanimitatem, qua videretur illis esse & cor vnum, & anima vna? Et quomodo in illis cõseruabatur tanta vnanimitas? Et aurum, & opes contemnebant, nihil sibi reseruantes, sed omnia pedibus Apostolorum sistunt. Ait D. Chrysost. in illud Pauli dictum: Oportet hæreses esse. ex 1. ad Cor. 11. *Quamprimum Apostoli verbum veritatis seminare cœperunt, annumerati sunt eis statim tria millia, & iterum quinque millia, eratque ipsorum omnium cor & anima vna. Et quis tantæ concordiæ author? Quod illud charitatis vinculum? Quodnam animarum illud philtrum? Opum contemptus. Nullus enim ipsorum dicebat suum aliquid esse, &c.* Ecce ibi vnus opum contemptus, qui eos adducebat, vt pretiosa quæque venderent, & Deo offerrent, homines adeo vnanimes, & concordes tenebat, vt viderentur habere, & cor vnum, & animam vnam. Quæ vnanimitas necessario soluitur, vbi diuitiæ non spernuntur, sed quæruntur. Hinc crescentibus diuitiis Lothi, ait illi Abraham Genes. 13. *Ne quæso sit iurgium inter me, & te, & inter pastores meos, & pastores tuos, fratres enim sumus. Ecce vniuersa terra coram te est. Recede à me, obsecro.* Vbi D. Chrysostom. *Aucta sunt armenta, affluxerunt diuitiæ multæ, & statim scinditur concordia. Antea erat pax, & charitatis vinculum, nunc rixa & contentio. Ex operibus monstrat Abraham, quod non facit diuisionem sua sponte, neque separare vult, sed ob contentionis necessitatem, vt ne in domo sit perpetuum bellum.* Putabat merito sanctus vir cum diuitiis, & lucri amore, non posse in domo deficere & cõtentiones, & bella. Persuadeant hoc sibi vniuersi homines, quod eisdem pedibus, quibus ad diuitias cucurrerint, in bella, & dissensiones cruentissimas venient. Loth enim lucra eligens, diuitiis Sodomitarum campi raptus vbertate illo contendit. Et quid inuenit nisi bella? Genes. 14. *Egressi sunt Rex Sodomorum, & rex Gomorrhæ, rexque Adamæ, & rex Seboim, necnon & rex Bale:: quatuor reges aduersus quinque:: Tulerunt autem omnem substantiam Sodomorum:: Necnon & Loth, & substantiam eius.* Id quod ponderans D. Ambr. lib. 1. de Abraham, c. 3. ait: *Loth amœnam elegit, quæ cito prædonum oculos incurrit. Hinc bellum inter Reges, aduersariorum victoria, incolarum captiuitas.* Hæc inseparabilia sunt ab humanis, & temporalibus lucris, adeò vt nec vel vna veste ditesis, quin inde dissensiones insurgant. Genes. 38. *Israel autem diligebat Ioseph:: feceratque ei tunicam polymitam. Videntes autem fratres, quod à patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum.* Vbi data Iosepho fuit tunica polymita, statim fratres eius præcellentiam in patris amore viderunt, & eum oderunt. Ex quo D. Ambros. lib. de Ioseph cap. 2. *Lucrum pietas nescit pecunia, in quo pietatis dispendium est. Quid miraris, si propter fundum, aut domum oriuntur inter fratres iurgia, quando propter tunicam inter filios Iacob sancti arsit inuidia?* Nec vnius tunicæ acquisitio potuit vitare fratrum dissensiones, & iurgia.

Act. 4. — *Chrysost.* — *Gen. 13.* — *Chrysost.* — *Gen. 14.* — *D. Ambr.* — *Gen. 38.* — *D. Ambr.*

Numer. 31. Susceperuntque Moyses, & Eleazar sacerdos omne aurum in diuersis speciebus, pondo sedecim millia, & septingentos quinquaginta siclos à tribunis, & centurionibus. Vnusquisque enim quod in præda rapuerat, suum erat. Et susceptum intulerunt in tabernaculum testimonij, in monumentum filiorum Israel coram Domino.

§. XXVI.

Vltronei, & voluntarij in Dei obsequio præstantissimum obtinent locum in domo Domini.

Ecce ubi aurum à principibus oblatum accipiunt Moyses, & Eleazar, & in tabernaculo illud reponunt. Dicit namque: *Susceptum intulerunt in tabernaculum testimonij, in monumentum, &c.* Sed dona ex vniuersis multitudinis hominibus data, non sic accepta fuerunt, nec sic in tabernaculo reposita. Solum enim dicitur de illis: *Tradiditque Moyses numerum primitiarum Domini Eleazaro sacerdoti ex media parte filiorum Israel: De media vero parte, quæ contigerat multitudini:: tulit Dominum quinquagesimum caput, & dedit Leuitis.* De iis dicitur, quod data sunt, sed explicatur, vt accepta fuere, vt reposita; de illis autem totum id explicatur, & quod accepta, & quod reposita fuerunt in tabernaculo testimonij. Sed cur hæc magis reponuntur in tabernaculo, quam illa? Illa extorta fuerant præcepto Domini, hęc autem offerebant principes omnino voluntarie, ex propria, & vltronea deuotione, nullius coacti præcepto superioris; hinc & acceptiora Deo, & digna præstantissimo tabernaculi reponi loco. Felix qui sic voluntarius, & vltroneus est in oblatione, quia præstantissimum in domo Dei tenebit locum. Psal. 44. celebrans voluntariæ virginitatis vota sic ait: *Adducentur regi virgines post eam: proximæ eius afferentur tibi. Afferentur in lætitia, & exultatione, adducentur in templum regis.* Expende, quo perueniant tandem qui virginitate florent, nimirum peruenient vsque ad templum diuinissimi regis, vt præstantem in domo Dei locum tenere possint. Sed quæ virgines tantam adipiscentur gloriam? Sanè non omnes, sed quæ voluntariæ fuerint in virginitatis cultu & vltroneæ. Accipite D. Basilius fantem ibi: *Hæ porrò virgines in lætitia, & exultatione adducentur in templum regis. Non quæ virginitatis voto se substrauerunt vt adactæ; non item quæ ex tristitia, aut necessitate vitæ virginalis sanctimoniam susceperunt, sed quæ in lætitia, & exultatione gaudent, & se exhilarant tali officio perficiendo virtutis addictæ: hæ demum adducentur regi, & adducentur, non in vnum plebeiam, & vulgarem locum, sed in templum regis.* Itaque è virginibus, quæ inueniuntur dicatæ Deo, illæ solæ afferentur Deo, illæ solæ præstãtem diuinæ domus occupant sedem, quæ non coactè, sed voluntariè, & spontaneè virginitatis suæ domum offerunt Deo. Nihil enim non spontaneum admittitur in Dei templo. Dicebat 3. Reg. 6. *Domus autem cum ædificaretur, de lapidibus dolatis, atque perfectis ædificata est: & malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo cum ædificaretur.* Hoc mirandum valde, quod cum Dei templum ædificaretur lapidibus perfectè dolatis, nullo malleo, nec ferro, nec ictu dolarentur. Et cur tãto miraculo vsus est Deus in lapidibus dolandis ad fabricam templi? Non placet Deo illa perfectio, quæ coactè ferro, & vi statuitur, sed quod spontaneè venit, ideo omnia violẽtiæ instrumenta ablegauit à suo templo, & prouidit, quod lapides sponte sua dolati nascerentur. Ait Theodor. 3. Reg. qu. 21. *Ipsum quidem templum ædificauit ex lapidibus minime cæsis securibus, cum diuina voluisset prouidentia, vt inuenirentur eiusmodi sua sponte nati lapides, adeo, vt ad eos compingendos nullo ferro opus fuerit, sed absque vlla arte ædificandi inter se apte contangerentur.* Expende, qui lapides admittebantur in Dei templum, non quidem qui ferro, & vi perfectas figuras, & formas induebant, sed qui tales sponte sua nascebantur. Solus enim qui spontaneus est in diuino obsequio præcipuum locum obtinet in Dei templo. Hinc postquam filij Leui sponte sua ad Moysem accessissent.

D. Ambr. — *Psal. 44.* — *D. Basil.* — *3. Reg. 6.* — *3. Reg. 55.*

fissent,vt adoratores vituli perderent, & post trucidatos ab illis idololatras,ait Moyses Exod.32. *Consecrastis manus vestras hodie Domino,vnusquisque in filio,& fratre suo,vt detur vobis benedictio.* Quibus verbis illos deputabat in id munus,vt ministrarent Domino. Ex quo Philo lib.2.de vita Moysis,ait: *Dum Moses laudatis publice horum fortitudine, honorem eis decreuit perpetuum, conuenientem facinori praeclarissimo. Decebat enim vt qui in honorem Dei vltro arma sumpserant, & impios momento debellauerant, praemium acciperent ipsius cultum ac caerimonias.* Sic qui vltro decertant pro virtute, inter praestantissimos cooptantur Dei ministros.

Exod.32. Philo.

§. XXVII.

Regalis animi est Deum muneribus honorare.

QVi pro beneficiis acceptis vltra debitum aliqua Deo offerant,principes exercitus sunt,nō populares:cum dicat text. *Susceperuntque Moyses,& Eleazar omne aurum à tribunis,& centurionibus.* Semper enim est regalis animi,quod velit Deum suis muneribus honorare. Idquod monebat Oleaster in praesenti, fatus. *Debent duces, & maiores peculiarem ostendere Domino gratitudinem, & gratias agere,si Dominus suos incolumes seruet. Et vide ingratitudinem populi. Qui seruantur,nihil Domino offerunt,sed duces,quibus seruati sunt,gratias Domino referunt.* Nō equidem à gregalibus militibus,sed a ducibus,sed à principibus veniunt munera Deo pro actione gratiarum. In nullo enim clarius ostenditur regalis cuiusque animus, quam si in omnibus acceptis meminerit Deum munerari Num.c.21. *Et ex eo loco apparuit puteus, super quo locutus est Dominus ad Moysem. Congrega populum,& dabo ei aquam. Tunc cecinit Israel carmen istud: Ascendat puteus. Concinebant, Puteus, quem foderunt principes,& parauerunt duces multitudinis in datore legis,& in baculis suis. Profectique sunt de solitudine Mathana, &c.* Ecce tibi proficiscentibus Israelitis per solitudinem apparuit puteus, apud quem cecinerūt prae gaudio,& biberunt de eius aquis, & profecti inde venerunt in Mathana,Mathana vero significat munera ipsorum. Et quid est,quod vbi biberunt de puteo à principibus ducibusque effosso, statim accedunt ad locū, qui de eorum muneribus nomen habeat? Planè id eueniet,vt gustatis aquis regalissimi putei eos imbibat homo animos, quod munera Deo velit praesentare. Quo spectabat Origen. hom.12.in Numaiens: *Profecti,inquit, à puteo veniunt in Mathanaim. Interpretatur enim Mathanaim,munera ipsorum. Vide ergo, quia si quis de puteo hoc biberit,quem foderunt reges, & principes,statim proficit ad hoc,vt habeat munera,quae offerat Deo.* Adeo regale est, Deum muneribus colere,vt si vel de regali puteo bibas aquas, statim eo perfectionis deuenias, vt ad munerandum Deum prae manibus munera habeas.

Oleaster. Num.21. Origen.

§. XXVIII.

Sacerdotum auaritia aliis perniciosa.

ACcipiunt Moyses & Eleazar aurū, & illud in sanctuario reponunt,vt alliciāt inde Israelitas ad simile offerēdum Domino. Quippe dicit text. *Et susceptum aurum intulerunt in tabernaculum testimonij,in monumentum filiorum Israel coram Domino.* Suscepit quondam etiam Aaron aurum à populo,quod misit in conflatorio,ex quo exiuit vitulus aureus,qui rapuit populum in sui adorationem. Habes Exod.32. *Fecitque populus,quae iusserat, deferens inaures ad Aaron. Quas cum ille accepisset,formauit opere fusorio,& fecit ex eis vitulum conflatilem. Dixeruntque: Hi sunt dij tui,&c.* Et Eleazar aurum accepit a populo,& Aaron similiter aureas inaures accepit,sed ille reponit aurum in sanctuario,vnde commonefaciebat populū similis cultus exhibendi Domino, hic autem mittit aurum in conflatoria, vnde trahit populum in vituli aurei adorationem. Et cur quod aurum in Eleazari manibus sanctum,& salutare fuit populo, in Aaronis manibus adeò perniciosum fuit, vt missum in conflatoria in sui adorationē traxerit populum? Eleazar habuit aurum in manibus, quod ipse minime petierat,nec expetiuerat;cōtra Aaron aurum habuit,quod expetierat à populo,ait enim ibi: *Tollite inaures aureas,& afferte ad me,* in quo ostendebatur animus auari sacerdotis. Vbi autem sacerdos auarus est,& auri amator,nō miror;quod populus aurum adoret. Rem pulchre expendit, & deflet Galfrid.Abb. in Allegoriis Tilmanni fatus:Mira res,si tamen vera, quod huius author idololatriae sacerdos extiterit. Audi ergo sacerdos auare. Aurum tibi datum est. Non enim ex tuo illud habes, vel patrimonio, vel labore, sed ex oblatione

Exod.32. Galfrid.

fidelium. *Sed acceptum in ignem aurum mittere,est in ipsius concupiscentia corda hominum inflammare. Ignis enim auaritiae signat ardorem. Et in hunc ignem ab eis aurum mittitur,quorum maxime exemplis agitur,vt ardenter ametur. Quae enim est subuersio maxima populorum? Nonne auaritia sacerdotum? Inde studium hoc vehementius terrena colendi, non in solis conscientiis oritur, sed foris etiam manifesta operatione profertur.* Planè ex quo aurū exquirunt sacerdotes, cui incubent, maximum auaritiae ardorem inferunt multitudinis cordibus; nullus est, qui aurum non adoret,si illud videat à sacerdotibus coli. Tunc enim solum sacerdotum vox non nociua, sed salutaris populis, cum ipsi ab omni lucri amore,ab omni terrena cupiditate sunt liberi. Dicebat namque Psalm.70. *Vox tonitrui tui in rota,* tonitruum vocabat vocē euangelicae praedicationis sacerdotibus commissam; quae tunc in suo splendore est,quando è rota auditur. Sed quid est? vocem doctrinae euangelicae è rota audiri, nisi de sacerdotibus vix terrena attingentibus venire? Quò spectans D. Basil.ser.in Psal.28.inquit. *Quod autem tonitrus sit Euangelium,ostendunt discipuli à Domino per metaphoram filij tonitrui appellati. Quamobrem non cuilibet vox tonitrui talis competit,sed si quis dignus fuerit,rota nominari,vt conuenit,ait enim. Vox tonitrui tui in rota,si quis fuerit ad anteriora contendens velut rota, modica sui parte terram attingens.* Equidem tonitrus est euangelica doctrina,quae non cuilibet ministro committenda est,vt salutaris sit,sed illi,qui instar rotae perfectae via terrena contingat. Vbi aute minister euangelij totum se immerserit lucris temporalibus,fallat,nisi penitus inficiat populares. Huc trahe dicta tom.3.in Euang.lib.16.c.23.§.30.

Psal.70. D.Basil.

CAPVT VLTIMVM.

De Moysis morte.

Textus Historiae.

POst datos Madianitas internecioni,facta in castris militū,& reliqui populi congregatione,de obitu Moysis indicium est factū: processit ipse,qui popularibus suis fidissimus amator vsque ad extremū adhaeserat,collaudat Deum omnium moderaturē.& populū admonet trāquillitatis,aperitque citū discessum suum, simul precatus vt post illū Omnipotēti Deo fidos se exhiberēt,& gratos. Et ad principes tribuū cōuersus singulis tribubus fortunas recitat,quę expectabant. Dein assumptis secum Iosue,& Eleazaro montē Nebo conscendit,cuius è cacumine terrā vniuersam ab Israelitis incolendā conspicatus,quasi placidissimo sopore correptus ad regionē viuorū euolauit. Post haec Angelicis officiis funus curatur; nihil requireres, quod pertineret ad pompae funebris celebritatē,corpus Angelicis in humeris miro splendore adornatum,purpureus illi color erat in labiis,roseus splendor sic genas implebat, vt viuentem putares. Praeibat agmen. Michael Archangelus, repugnantem Satanam deturbans, mortalibus oculis inaccessum sepulchrum in valle Moab contra Phogor tanto viro parauit. Ibi situs fuit Moyses centesimo vicesimo aetatis suae anno, vnde fuit Satanas eliminatus;nunquam enim virtuti non cedit potestas contraria.

PARS VNICA MORALIS in textus literam.

QVi cū viuente Moyse luctati sumus,vt proficiscētibus ad perfectionē,possemus viā ostēdere regalē,nūc de eiusdē mortui ore necessum est, vt eos fauos extrahamus,quibus illuminemur, & reficiamur in vitā spiritualē.

Deut. 34. Ascēdit ergo Moyses de campestribus Moab super montē Nebo in vertice Phasga cōtra Iericho: Ostenditque ei Dominus omnē terrā Galaad vsque Dan,& vniuersū Nephthali,terramque Ephraim,& Manasse, & omnem terram vsque ad mare nouissimum, & australem partem, & latitudinem campi Iericho ciuitatis palmarum vsque Segor.

§. I.

Electis viris intus adest diuinus halitus, quo nihil arduum non superant.

ECce tibi Moyses vt in mõtem intrepidus ascẽdit, in quo scit mortem imminere sibi, dixerat enim Dominus Numer. 27. *Ascende in montem istum Abarim, & contemplare terram, quam daturus sum filiis Israel: cumque videris eam, ibis & tu ad populum tuum, sicut iuit frater tuus Aaron.* Hoc Dei præceptũ accepit Moyses, & nullis populi clamoribus, nullis filiorum, amicorumque fletibus retardatus, statim omnino imperterritus vadit in mõtem. Dicit enim Deut. 34. *Ascendit ergo Moyses de campestribus Moab super montem Nebo*, qui erat pars montis Abarim. Sed vnde diuina vox tantum valuit in homine, quod spretis filiis, amicis, cognatis imperterrite, & ioeunctanter vadat ad mortem? Multi alij Dei voces audiunt, sed si difficilia iubeant, surdescunt prorsus: Moyses autem iussus difficillimum omnium subire in monte, nihil dubitat, nihil cunctatur, sed imperterritus ascendit in montem. Vnde hoc prouenit? Non tribuam tãtum facinus efficaciæ vocis externæ, qua corporaliter extrinsecus Deus sua mandata proponit, sed tribuam illud efficaciæ spiritualis, & internæ vocis, qua intrinsecus electi viri moti trahuntur à Domino. Quorum enim internis auribus hęc spiritualis Dei vox sonat, nulla illos difficultas retardat, quin omnia ardua, & lethalia vincent. Aiebat Paul. Act. 20. *Ecce alligatus ego spiritu vado in Ierusalem, quæ in ea ventura sunt mihi ignorans, nisi quod Spiritus sanctus per omnes ciuitates mihi protestatur, dicens, quia vincula, & tribulationes Ierosolymis me manent. Sed nihil horum vereor.* Ecce tibi in Paulo omnes tormentorum, & mortis timores superati: non sic superatus fuit in Caino affectus iræ, imò de illo ait Gen. 4. *Iratus est Cain vehementer, & concidit vultus eius. Dixitque Dominus ad eum. Quare iratus es? & cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris, recipies, sin autem male, statim in foribus peccatum tuum aderit? Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius, & cætera.* Apparet Deus Caino, multisque illum hortatur, vt fratris honorem ferat, nec potuit Cainus ferre honorẽ fratris. Paulus in seipso fere catenas, vincula, & mortes, ad quæ intrepidus aduolat, Cainus post Dei visitationem, post Dei voces, & exhortationes non vult ferre honorem in fratre. Vnde hæc differentia? Paulo vt electo vox spiritualis intrinsecus intonabat, & faciebat contemptorem omnium difficilium, ait enim: *Alligatus ego spiritu vado, &c.* Caino autem omnia erant extrinseca, & externa, & ideò nec gradum in virtute facit. Ait D. August. lib. 15 de Ciuitat. cap. 7. citatus à Lippomano in Cat. Genesis: *In electis Spiritus sanctus operatur intrinsecus, vt valeat aliquid medicina, quæ adhibetur extrinsecus. Alioquin etiamsi Deus ipse vtens creatura sibi subdita, in aliqua specie humana sensus alloquatur humanos, siue istos corporis, siue illos, quos istis simillimos habemus in somnis, nec interiore gratia mentem regat, nihil prodest homini omnis prædicatio veritatis. Facit autem hoc Deus à vasis misericordiæ iræ vasa discernens, dispensatione, qua ipse nouit, multum occulta, sed tamen iusta. Nam hoc ipso, quod Deus loquutus est ad Cain, eo modo, quo primis hominibus, per creaturam subiectam velut eorum socius forma congrua loquebatur, quid ei profuit? Nonne conceptum scelus in necando fratre etiam post verbum diuinæ admonitionis impleuit?* Totus ille Dei extrinsecus loquentis, & se ostendentis apparatus nihil profecit in Caino, vt ille mentem auerteret à carnalibus desideriis, nec à malitia mente concepta. At vox spiritus intrinsece resonans in electis viris, eos sic afficit, sic mouet, vt in terrenorum trahat despectum, & in ardua quæque faciat audere. Crede mihi, omnia euanent temporalia allectamenta, & præualent æterna; vbi vox diuini spiritus intus in electorum animis sonuerit. Actor. 2. *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum.* Mirabar arma à Deo suis militibus immissa pro expugnando orbe, ea erant dispertitæ linguæ tanquam ignis. Erat in primis tota illa templi Ierosolymitani maiestas, Aaronicum sacerdotium, legalia sacrificia, quæ eliminanda erant per Apostolorum prædicationem. Et ad hoc tantum facinus patrandum diuinus spiritus se in linguarum specie communicat Apostolis, nullo enim citius euanent temporalia omnia, quam si diuini spiritus lingua intrinsecus in electorum animis sonet. Ex quo pulchre dicebat Egesip. lib. 5. c. 2. *Quoties excisa domus Dei, quoties seditio, quoties obsidio, quoties bellum? Et nunquam illa vrbs periit, nisi quando verum Dei templum crucifixerant. Tunc verè sancta eorum absumpsit ignis diuinus: nam & exusta à Babyloniis reparata, postea destructa à Pompeio reformata iterum; sed penitus exusta, vbi Iesus venit, & spiritus diuini calores euanuerunt.* Nullæ potestates extrinsecus venientes valuerunt decora Ierosolymitana funditus à mortalium cordibus eliminare; sed vt destruebantur, citissime reparabantur, at ex quo, nato, & emortuo Iesu, in electorum cordibus cœpit lingua diuini spiritus intus sonare, protinus euanuere omnia illa temporalia, intrepidè ad æterna hominibus festinantibus. Et quæ difficultas non superetur, vbi sonat Dei vox intrinsecus electorum animis? Sapienter dicebat D. August. quæst. 167. in Exod. *Factum est homini facile in nouo Testamento, quod in veteri difficile fuit, habenti fidem, quæ per dilectionem operatur, atque illo digito Dei, hoc est, spiritu Dei intus eam in corde scribente, non foris in lapide.* Fallar nisi Magdalenæ hæc vox intrinsecus sonabat, quæ oblita temporalium omnium audebat ad Deum etiam in domo aliena properare Luc. 7. de qua ait D. Basil. Sel. orat. 36. *Meretrix vitam mutauit: vt facta verba Iesu, facta vita commutatio, coma, animæque retia soluuntur.* Sic efficacia sunt Dei verba, vbi intus in electorum animis resonant.

Deut. 34. — Act. 20. — Gen. 4. — D. Aug. — Act. 2. — Egesip. — D. Aug. — Basil. Sel.

§. II.

E nobilioribus, ac præstantioribus hominibus rarus est, qui non trepidet ad temporale periculum.

REm summæ præstantiæ verbis exprimit textus simplicissimis, dum ait: *Ascendit ergo Moyses de cãpestribus Moab super montem Nebo*, super mõtem, inquam, in quo iussum fuerat à Deo, vt Moyses occumberet. Quid simplicius dictum? Quid præstantius factum? Quod homo intrepidus eat eò quo sibi mortem imminere scit, res est præstantissimæ virtutis. Cur ergo tantum facinus non magis extollitur, & ponderatur à scriptore diuino? Cur contentus est dicere Moysem ascendisse in montem Nebo, nec amplius addit ponderatiuum tanti facinoris? Loquebatur scriptor cum iis, qui noscebant Moysem principem nobilissimum populi, ideò sufficienter facinus exaggerabat, per hoc solũ, quod diceret Moysem ascendisse in montem, vbi erat moriturus, quando rarissimum est, & singularissimum in potentioribus, & nobilioribus viris, quod non magis timeant temporalia pericula. Memini Ioannem Euangelistam vocari dilectum Christi, & adeò à Christo Domino diligi, vt commendaret illi è cruce matrem suam Ioan. 19. *Mulier ecce filius tuus.* Et si quæras ob quam præstantiam Ioannes deuenit eò, vt sic amaretur à Iesu? Ait D. Hier. epist. ad Principiam de Marcellæ Epitaphio, inquiens: *Vnde & Iesus Ioannem Euangelistam amabat plurimum; qui propter generis nobilitatem erat notus pontifici, & Iudæorum insidias non timebat, in tantum vt Petrum introduceret in atrium, & staret solus Apostolorum ante crucem.* Hoc sanè maxime sustulit Ioannem, fecitque illum plurimum amari à Christo Domino, quod cum generis nobilitate fuisset insignis adeò, vt propter illam esset notus Pontifici, nihilominus in re tanti periculi aduersus Christi discipulos, nihil timuit, sed imperterritus intrauit in atrium plenum carnificibus, & stetit ante ipsam crucem. Rara, & singularis prærogatina Ioannis, quod nobilis esset, & non timeret adeò atrocia temporalis vitæ pericula. Nunquam enim nobiliores non meticulosiores sunt in temporalibus periculis. Hinc Matt. 2. dum Magi Ierosolymis prædicant natiuitatem Christi; *Turbatus est Herodes, & omnis Ierosolyma cum illo.* Cur potentissimus rex turbatur in recentiori puerulo regis futuri? Ait Paschasius ibi: *Turbatus Herodes, quia Cæsar Augustus, & senatus decreuerant; ne quis Rex, aut Deus diceretur sine ipsorum consilio. Idcirco forsan audito regis nomine, facere mouetur, ne in se si vulgatum esset, senatus decreta violasse, discriminis sententia verteretur.* Ecce tibi in re temporalis discriminis vt primi reges, & principes timore, & turbatione soluuntur. Via est temporalis discriminis odor, & primi qui terrentur, sunt & nobiliores, & potentiores sæculi, qui vt temporalibus magis immersi sunt; sic ad quodlibet eorum damnum maiori timore mouentur.

Ioan. 19. — D. Hier. — Matt. 2. — Paschas.

§. III.

De solis perfectis virtutum operibus imperterrite ad mortem itur.

NOn otiose designatur locus, ex quo Moyses in montem moriturus ascendit, dicit enim: *Ascendit ergo Moyses*

de

de campestribus Moab, &c. In campestribus Moab Moyses Israelitas luxuriosos morti dederat, inde misit exercitum, qui Madianitarum scandala vindicauit, nec antea destitit, quam perfecta fuerit vindicta de sceleribus admissis contra Deum. Ne miremur, quod de campo, in quo peccata vindicauit, omnia Dei mandata perfecit, imperterritus ad montem ascendat, vbi est illi moriendum. Tunc enim solum quis imperterritus potest ad mortem accedere, cum perfectam vindictam de peccatis fecit, cum virtutum opera ad amussim perfecit. Væ autem illi, qui nulla sumpta vindicta peccatorum, nullum virtutis propositum deducens ad perfectum, ad mortem accedit. Matthæi 24. dum de extremo hominis fine fit sermo, dicitur: *Væ autem prægnantibus, & nutrientibus illis diebus.* Sic ostendit Dominus, quantum periculum immineat prægnantibus, cum finis aduenerit. Sed cur prægnantes, & nutrientes tempore finis in maiori periculo damnationis erunt, vt illis væ dicatur? Non loquitur de prægnantibus corporalibus respectu damnationis æternæ, sed de spiritualibus prægnantibus, nimirum de iis, qui bona desideria, & propositum bonum de tollendis peccatis, & virtutibus acquirendis conceperunt, sed nunquam fuit illis virtus pariendi, nec opere compleuerunt, quod sibi ad salutem necessarium intellexerunt, vel si quid effecerunt, nunquam id adoleuit, q; sanè si in eo statu sunt morte adueniente, non mirum est, si pereant. Ait enim D. Ambros. lib. 10. in Lucam: *Nec illæ prægnantes condemnationis exortes sunt, quæ in bonorum actuum molimine constitutæ, needum aliquos bonorum operum dederunt processus. Sunt, quæ de Dei timore concipiunt, sed non omnes pariunt, non omnes perfectè, non omnes possunt dicere: Peperimus spiritum salutis in terra. Non omnes Mariæ, quæ de Spiritu sancto Christum concipiant, verbum pariant. Sunt quæ abortiuum verbum excludant, antequam pariant. Sunt, quæ in vtero Christū habeant, sed eum nondum formauerunt.* Ecce tibi iuxta Ambrosium prægnantes vocantur, quæ sunt in molimine virtutum, in molimine pœnitentiæ, sed nunquam ad effectum perueniunt. Hæ prægnantes non sunt damnationis exortes in vitæ fine. Quæ ex Dei timore concipiunt bonum propositum, bonum desiderium, sed non pariunt illud, & si pariunt, non adolescere sinunt, cum sic perueniant ad mortem, ad extremū iudicium, magnum damnationis periculum subeunt. Duæ erant fœminæ, 3. Reg 3. quæ pepererant filios, sed dum adhuc lactantes habent, altera suum dormiens oppressit, & tacitè alteri viuum surripuit, & apposuit defunctum. Hinc ortæ inter illas rixæ sunt, dum vnaquæque vocaret suum puerulum viuum, & defunctum alteri adscriberet. Quid tunc? Noua & extraordinaria sapientia Salomonis fuit necessaria, ne vera mater viui pueruli caderet in iudicio. Proh duram conditionem illorum, qui mentis filios adhuc lactantes habent, nec adolescere sinūt, omni Dei sapientia opus habent, vt discrimina fugiant extremi iudicij! Ait pulchrè D. Amb. supra: *De nutrientibus docuit me illud Salomonis sublime iudicium, & illa duarum contentio fœminarum, quod etiamsi iam partus dolore sint absolutæ, adhuc autem cōfirmandorum pignorum metu anxiæ, ne cui per temulentiam nutrientis somnus obrepat, paruulum mater opprimat. Sed & illa, quæ filium non perdidit, periclitatur sui, quia iudicij hæret incerta. Ergo & nos, ne quasi imperfectorum parentes operum aut iudicij dies, aut mortis inueniat, paruulos nostros ablactare properemus.* Sanè hoc debet maximè cauere, qui vult diem mortis, iudiciique extremi subire intrepidus, ne tunc inueniatur, vel habens adhuc in vtero, vel lactentes solum habens animi fœtus. Ille enim solus in morte non habet, quod timeat, qui perfectam de sceleribus egit pœnitentiam, qua in virtutibus adoleuit.

Matt. 24.

D. Ambr.

3. Reg. 3.

D. Ambr.

§. IV.

Æterna spectans facilè temporalia contemnit.

MIgraturo à vita Moysi Dominus terras Israelitis promissas ostendit, ait enim; *Ostenditque ei Dominus omnem terram Galaad vsque Dan, &c.* Morituro terras, earumque diuitias, & delicias ostendit Dominus; quod mihi magnam facit admirationem, quando sapientes homines hoc curent maximè, ne morituros aliqua subeat memoria terræ. Quid terra, eiusque deliciæ ad morituros afferat nisi dolorem, & pœnam? Quot terrena decora, tot hami prendentes abeuntis animum, ne sine dolore discedat. Prenduntur equidem terrenorum affectu infirmi animi, at qui viuida fide contemplantur æterna, facili negotio à terrenis se expediunt. Securè ergo Moysi morituro terrena ostenduntur, vt qui ad æterna festinans, terrena etsi præstantissima contemneret. De illo aiebat Paulus ad Hebræos cap. 11. *Fide Moyses grandis factus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem.: Aspiciebat enim in remunerationem*, nimirum cœlestem, & æternam. Erat Moyses adoptatus filius Reginæ Ægypti, amplissimique illius imperij hæres, quod quasi in manibus iam tenebat, in aula educatus inter delicias, & diuitias regias. Tamen vbi viuida fide oculos ad cœlestem remunerationem coniecit, sponte sua omnia a suo affectu terrena imperia abiecit. Ex quo D. Chrysost ibi hom. 26. ait: *Nullus dimisit aulam regiam, amplam, & claram, neque tales thesauros, neque cum posset filius regis esse, contempsit, sicut Moyses. Qui non simpliciter dimisit, sed abnegauit, hoc est, horruit. Cœlo quippè proposito, superfluum erat aulam admirari Ægyptiaci regni.* Quid terrena imperia omnia ad Moysem, cuius ob oculos erat cœlum, & æternitas? Facilè despicit hæc temporalia animus, qui properat ad æterna. Cant. 8. *Quæ habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam. Fuge dilecte mi, assimilare capreæ, hinnuloque ceruorum, &c.* Quæ verba aptant multi expositores sponsæ locutæ cum sponso inuento in hortis huius mundi, & legunt ex Græco: *Qui habitas in hortis, &c.* Et est mirandum, quod sponsa nacta sponsum suum in hortis floriferis, & amœnis, vbi eius conspectum, & vocem amœnissimè percipere posset, vix illum inuenit, & statim clamat, vt fugiat, ait enim: *Fuge dilecte mi, &c.* Cur non magis petit, vt maneat in deliciis hortorum? Cur non magis amat ibi commorari? Ex quo de æternis bonis vocem audit, nihil æstimat manere inter hæc temporalia, sed æterna festinat capere. Ait D. Ambros. lib. de bono mortis cap. 5. *Ingreditur in hortos, & inueniens ibi sponsum sedentem, & disputantem cum amicis, ait: Qui sedes in hortis, vocē tuam insinua mihi. Mihi, inquit, non amicis. Fuge frater meus. Hortatur, vt fugiat sponsus, quia iam sequi potest etiam ipsa terrena fugientem. Dicit autem, vt similis sit damulæ, quæ inuadit de retibus. Vult enim & ipsa fugere, & euolare supra mundum.* Sic ad primam sponsi vocem de æternis afficitur, vt amet sequi temporalia omnia fugientem; nec æstimat temporalia despicere, dum festinet euolare ad æterna.

Ad Heb. 11.

D. Chrys.

Cant. 8.

D. Ambr.

Deut. 34. Dixitque Dominus ad eum: Hæc est terra, pro qua iuraui Abraham, Isaac, & Iacob, dicens: Semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam. Mortuusque est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab iubente Domino, & sepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor, & non cognouit homo sepulchrum eius vsque in præsentem diem.

§. V.

Spiritualis homo caueat ad temporalia descendere.

SApienter cauet Deus, ne Moyses terram promissam pertingat, ait enim: *Vidisti eam oculis tuis, non transibis ad illam.* Et quid cum terra vir totus factus spiritus? De illo aiebat Philo in fine lib. 3. *Postremo migraturus Moyses ad superos, & exuta mortalitate ad immortalitatem transferendus, vocante patre, vt eum è duplici corporis animæque natura trāsformaret in simplicem, iam dum propè totus versus in animum erat, & quidem illustrissimum.* Nec miror, quod vbi Moyses in spiritum versus erat, non permittatur ad terrenas promissiones ire, nunquam enim sine periculo ad terrena descendit, qui in vita spirituali constituitur. Quo spectabat Matth. cap. 24. inquiens: *Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto: qui legit, intelligat. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua.* Tempore abominationis stantis in loco sancto monentur fugere ad montes, quicumque in Iudæa fuerint, sed & illi, qui in tecto extiterint, vetantur ad inferiora descendere, vt aliquid inde sumant. Et meritò, qui enim in alto spiritualis vitæ constitutus fuerit, nunquam sine periculo ad terrena sumenda descendet. Ait Imperfectus homil. 49 in Matth. *Quicumque in tempore ille fuerit super tectum, id est, in rebus spiritualibus viuens, quæ sunt aut in capite, aut in corde, quæ tecta dicuntur corporis nostri, & fastigia prima, non descendat ad inferiores sui*

Philo.

Matt. 24.

Imperfect.

corporis partes, vnde aliquid tollat, id est, non descendat ad aliquas res carnales, vt desideret aliquid, quod est corporale. Alioquin comprehendet eum abominatio desolationis. Ecce tibi quantum periculum imminet iis, qui vitam spiritualem profitentur, si inde descendant tollere aliquid de bonis carnalibus, aut terrenis. Non mirarer, si ij in extremam desolationem veniant. Quod in primitiuis illis Christianis lugebat D. Cyprian. lib. de Lapsis aiens: *Dissimulandum, fratres, veritas non est, nec vulneris nostri materia, & causa reticenda. Decepit multos patrimonij sui amor cæcus, nec ad recedendum parati, aut expediti esse potuerunt, quos facultates suæ velut compedes ligauerunt. Illa fuerunt remanentibus vincula, illa catenæ, quibus & virtus retardata est, & fides pressa, & mens vincta, & animus praeclusus, vt serpenti terram secundum Dei sententiam deuoranti, præda & cibus fierent, qui terrestribus cupiditatibus inhærerent.* Dum illi qui ad spiritualia vocabantur, sese ad terrena conuertebant, illisque adhærescebant, factum est, vt inter draconis pabula iouenti à dracone vorarentur. Hinc monebat Dominus Aaronem Numer. 18. *In terra eorum nihil possidebitis, neque habebitis partem inter eos, ego pars, & hæreditas tua.* Sic multis cauet, ne Aaronis filij partem habeant terræ. Et cur non habeant hi terram, nisi quia ad perfectionem spiritualis vitæ vocati erant? Ait D. Ambros. in ea-hortat. ad Virg. *Moyses Leuitis non dedit terram, quorum non erat terrenus, sed superior incolatus.* Cauit Moyses terram dare illis, qui supra terram erant, qui addicti prorsus erant spiritualibus, quibus non poterat non officere, si quid terrenum spectarent.

D. Cypr. — *Num. 18.* — *D. Ambr.*

§. VI.

Magna præstantia hominis, qui mala vel natura, vel culpa scit conuertere in virtutum facinora.

NOn paruam Moysis commendationem affert Epitaphium hoc in præsenti subscriptum, nimirum, *Mortuus est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab, iubente Domino.* Expende, quod dicitur mortuus Moyses *iubente Domino*, cum magis deberet dicere puniente Domino, quando mors hæc decreta illi fuit, in erroris supplicium. Ait enim Numer. 27. *Dixit Dominus ad Moysem, Ascende in montem istum Abarim, & contemplare inde terram, quam daturus sum filiis Israel, cumque videris eam, ibis & tu ad populum tuum, sicut iuit frater tuus Aaron, quia offendistis me in deserto Sin, &c.* Itaque propter offensam Deo illatam ad aquas contradictionis Deus ante promissæ terræ possessionem facit, vt Moyses migret è vita. Cur ergo non magis dicitur mortuus Moyses puniente Domino, quam iubente Domino? Magna ibi ostenditur præstantia Moysis, qui sciuit, quod erat offensæ pœnale supplicium conuertere in carissimi obedientiæ insigne. Huc traho Iephte historiam & decretum de occidenda filia pro habita victoria de inimicis: Iud. c. 11. Audit filia decretum patris, petit duorum mensium inducias, vt in montibus fleret virginitatem suam, quibus transactis, cum in montibus versaretur, venit in domum, parenti se sistit, expectans illius manu feriri. Ait enim textus, *Expletisque duobus mensibus reuersa est ad patrem suum, & fecit ei sicut vouerat.* Ipsa reuersa ea se dicitur, non tracta vi a patris ministris, ex quo eius extollens gloriam ait D. Ambros. lib. 3. officior. c. 15. *Rediit ad patrem, quasi ad votum rediret, & voluntate propria cunctantem impulit, fecitque arbitratu spontaneo, vt quod erat impietatis fortuitum, fieret pietatis sacrificium.* Mors, quæ naturale, & necessarium malum homini est, accidit huic puellæ per patris culpam, ipsa tamen sic se in tanto malo gessit, vt illud verteret in carissimum pietatis, & obedientiæ patri debitæ sacrificium. Quanta hæc præstantia puellæ! Accipite aliud præstantiæ similis exemplum. Latro quidem suorum scelerum dabat pœnas crucifixus cum Iesu, & cum esset in tormentis, audiuit alterum blasphemantem Iesu, sic ille Luc. 23. *Increpabat eum dicens: Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es? Et nos quidem iuste, nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali gessit. Et dicebat ad Iesum, Domine memento mei, &c.* Quid præstantius? Latro is erat, & pœnas scelerum dabat, sed quod erat supplicij, in eas virtutes conuertit, quæ regna cœlestia traherent. Vt moneat D. August. ser. 130. de Temp. *Vidisti fiduciam latronis, vidisti liberam voluntatem in cruce. Audisti philosophiam in tribulatione, & reuerentiam diuini timoris in supplicio. Subito in ictu oculi de cruce in cœlum transiliuit.* De tormentis, de cruce, de scelerum suorum suppliciis fecit scholam virtutum, quibus in regnum transiret. Apertius D. Cyprian serm. de Pass. Christi. *In cruce latro confitens non tantum indulgentiam meruit, sed Christi familiaris effectus, præcessit est in paradisum, & factus est particeps regni, per confessionem factus collega martyrij.* Quid præstantius? Valuit supplicium conuertere in martyrium. Nunquam negabo hoc ad summam præstantiam, & fœlicitatem hominis conducere, quod sciat mala & pœnæ, & culpæ vertere in facinora virtutum, vt est summa miseria, & infœlicitas, quod in malis, & suppliciis peiora semper acquiras. De infœlicissimo omnium mortalium Iuda ait Matth. cap. 27. *Proiectis argenteis in templo recessit, & abiens laqueo se suspendit.* Id quod notans D. Leo ait serm. 11. de Pass. *Impius traditor insurrexit in semetipsum, non iudicio pœnitentis, sed furore pereuntis, vt qui vitæ auctorem interfectoribus vendidisset, in augmentum damnationis suæ, etiam moriendo peccaret.* Quid infœlicius? Per ipsum mortis tormentum venit ad culpam, quæ morte duriora acquisiuit supplicia. Heu misera nequissimorum hominum conditio, in ipsis malis, in mortibus ipsis sic peccant, vt ad maiora mala currant!

Num. 27. — *D. Ambr.* — *Luc. 23.* — *D. August.* — *D. Cypr.* — *Matt. 27.*

§. VII.

Vnus Deus homini salutaris, mundiales omnes affectus lethiferi.

IN mortem deuenit tandem Moyses, sed in morte inuenit sibi magnificentissimas manus diuinas. Ait enim textus. *Mortuus est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab, iubente Domino, & sepeliuit eum, & non cognouit homo sepulchrum eius, &c.* Quibus apprime ostenditur, quid Moyses ex proprio affectu habuerit, & quid ex obsequio Deo exhibito fuerit nactus. Ex propriis enim habuit, quod *mortuus est*, sic error ad contradictionis aquas illum in mortem traxit. Ex obsequio Deo præstito, seruus Dei moriens Deum sepulchri curatorē habuit, & vitæ largitorem immortalis. Vt pulchre dicat D. Nyss. ibi: *Hinc discere licet, quot quantisque virtutibus hoc sacro nomine dignus homo efficitur, vt Dei seruus, appelletur? Hoc autem ipsi virtuosæ vitæ huius sæculi finem affert, verbo Dei consummatum, signum dico viuum, cui non succedat sepultura, cui non addatur tumulus, qui nullam oculis caliginem, nullam faciei corruptionem inducat.* Ecce tibi, quid habeat affectionum suarum mancipium, vel domini seruitus. Si affectionibus mundialibus seruis, illæ proculdubio te in mortem conijcient, si Deo exhibes seruitutem, nil non lætum, non gloriosum, & valde honoratum dabit ipse. Luc 23. e duobus latronibus crucifixis cum Iesu alter dicebat: *Nos quidem iuste, nam digna factis recipimus: hic vero nil mali gessit. Et dicebat ad Iesum. Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Dum suis affectibus seruit, hoc habuit, quod morte damnaretur crucis; dum autem ipse reuersus sese Iesu offert, statim accipit paradisum. Quod pulchre expendens D. Leo serm. 4. de Pass. ait: *Inter indicantis anima dura tormenta, hærens patibulo transijt ad Christum; & cui propria impietas intulit pœnam, Christi gratia dat coronam.* Expende, quæ munera præbeat error humanus, & quæ præbeat Christus, quippe mundiales errores pœnas inferunt, in mortem & tormenta conijciunt sectatores suos; sed Christus dat coronas, quasi nesciat nihil non salutare suis impertiri. Habes 4. Reg. 13. *Latrunculi de Moab venerunt in terram eo anno. Quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, & proiecerunt cadauer in sepulchrum Elisæi. Quod cum tetigisset ossa Elisæi, reuixit homo, &c.* Putat autem Iosephus apud Glossam mortuum illum fuisse occisum à latrunculis illis, qui vbi illatus sepulchro Elisæi eius attigit ossa, statim rediit in vitam. Sed cur à latronibus occisus à contactu Elisæi reuiuiscit? Adumbrabatur in latronibus illis mundus iste: in Elisæo autem Christus. Vt videas, quid à mundialibus affectibus habeas, & quid à Christo. Quæ mundi sunt, tibi mortem inferunt, vnus est Deus, qui tibi indat salutem. Ait Euseb. Gallicanus homil. de Pasch. 2. *Quod legimus beatum Elisæum sepulchro conditum, ingesto à latrunculis cadauere intra tumulum suum corpus extincti tactu sacri corporis suscitasse. Quis hic alius præfigurabatur, nisi Dominus noster Iesus Christus, qui vitam sepultus operatur? In latronibus mundum, in propheta virtutibus Christum Dominum recognosce.* Plane in latronibus interfectoribus recognoscendus est mundus, qui nihil aliud nouit præstare quam mortem, in defuncto autem Elisæo agnoscendus est Dei filius, à quo in homines venit vita. Nil aliud de mundi, affectionumque humanarum manibus accipies quàm mortem, à Deo autem, & salutem, & vitam.

D. Nyss. — *Luc. 23.* — *D. Leo.* — *4. Reg. 13.* — *Eusib.*

***

§. VIII.

§. VIII.

Seruorum Dei afflictiones, & mortes pene non sunt respectu afflictionum peccatorum.

MOrtuus est Moyses seruus Domini, sed non apparet eius sepulchrum, nec in ore eius visitur aliquod corruptionis signum. Dicit enim: *Mortuus est ibi Moyses seruus Domini: & sepeliuit eum, & non cognouit homo sepulchrum eius, &c.* Sic facit Dominus, vt Moyses moriatur, & sepulchrum abscondit, nec vllum signum relinquit eius corruptionis. Et cur sic eius sepulchrum absconditur, sic cauetur, vt nullum signum appareat demortui? Ait textus: *Mortuus est Moyses seruus Domini*, qui seruus Dei moriebatur, etiam in morte nihil exhibebat mortis: sic enim sunt afflictiones, & mortes seruorum Dei, quasi non sint, si peccatorum mortibus comparentur. Quo spectans D. Nyssen. in præsenti aiebat: *Hinc discere licet, quot quantisque virtutibus hoc sacro nomine dignus homo efficitur, vt Dei seruus appelletur. Hoc autem ipsi virtuosa vita saculi finem affert verbo Dei consummatum, finem dico viuum, cui non succedat sepulcrum, &c.* Hoc tibi dat diuina seruitus, qua Dei seruus appellaris, nimirum quod finem habeas, quod mortem incurras, quæ vita sit, quæ nihil mortis habeat, quæ in specie mors appareat, in re autem & veritate vita censetur. Hinc contra serpẽtes, quorum veneno peribant Israelitę, erectus fuit serpens æneus in cruce Num. 21. *Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo: Qui percussus aspexerit eum, viuet.* Poterat eadem facilitate serpentem verum, siue mortuum, siue viuum in ligno constituere, quem aspicientes sanarentur. Cur ergo maluit non verum serpentem, sed fictum crucifigere pro signo? Exprimebatur ibi mors Christi, vt à peccato introductam mortem delebat, ideò sola serpentis assumitur figura, nam mors Christi crucifixi, etsi durissima, & horribilissima videretur in specie, tamen in re solum erat vmbratilis quædã figura mortis, respectu illius, quæ fuerat per peccatum inducta. Ex quo aiebat D. Amb. lib. de Salom. c. 3. *Christus percusso dracone, id est, diabolo lacerato, perniciosum peccati virus extinxit; & sicut Apostolus ait, in similitudine carnis peccati, de peccato damnauit peccatũ in carne sua. Ad hoc Moyses serpentem nõ verum, sed æneum in eremo suspendit in ligno, qui propemodum erat typus corporis Christi.* Ecce tibi, vt quidquid serpentini veneni in crucifixo Iesu apparuit, non verum fuit, sed fictum, sed adumbratum, & quidem mors, & dolor, & pœna partes erant serpentini veneni, sed hæc in Iesu, etsi maxima apparebant, vel non erant, vel tantum erant vmbræ quædam ad mortem, & dolores, & pœnas peccatorum comparata. Semper enim iustorum afflictiones, & mortes fictæ sunt, si comparentur cum iis, quæ in se habent totum venenũ peccati. Iud. c. 11. Iephte temerarie vouit votum Domino, & magis temerarie illud impleт filiam vnigenitam inter maximos animi dolores sacrificans, ait enim textus: *Reuersa est ad patrem suum, & fecit ei sicut vouerat.* Longe aliter Abraham iussus à Deo immolabat filium, puerum ligat, in altari locat, gladium stringit, vnigeniti collum feriturus. Tunc Genes. 22. clamat Deus: *Ne extendas manum tuam super puerum, &c.* & inter tot illos mortis apparatus Isaac euadit viuus. Cur non sic accidit Iephte filiæ? Cur in illo sacrificio mors desæuit, in hoc autem soli apparatus mortis visi sunt, in re autem euasit vita? In illo peccatorum pœnæ erant: in hoc iustorum afflictiones monstrabantur, quæ comparatæ ad illas, non veræ sunt, sed fictæ. Ait D. Ambros. lib. 1. de Abraham cap. 8. *Hæc quidem exempla docemur, quia iustus tentatur compositum, & fictu.* Ficta sunt, composita sunt tentamenta, & tormenta iustorum, si comparentur cum iis, quæ in se habent peccati virus.

D. Nyss. — *Num. 21.* — *D. Ambr.* — *Iudic. 11.* — *Gen. 22.* — *D. Ambr.*

§. IX.

Diuinus halitus expellit noxia cuncta. Deus enim dilectissimos osculis, alios igne purificat.

MAgnum erat illud de Moyse dictum, nimirum: *Mortuus est ibi Moyses seruus Domini:* sed illud maius, quod ex lectione Hebræa elicitur, legunt enim alij: *Mortuus est ibi Moyses ad osculum Domini, siue in osculo Domini.* Quid illustrius? Merito ex tam fœlici morte multi putant sic obiisse Moysem in tanta puritate, vt non pateretur Purgatorium ignem. Et sanè, qui in osculo Domini vitam finit, de diuinissimi oris halitu hoc habet, vt se ab omni sordis vel vmbra purificet.

Hoc Dei sponsa clamabat Cantic. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* Hoc vnum petit, & expetit, nimirum si Dei ori appropinquet, certa quod de eius halitu nihil nõ purum retineat. Ex quo dicebat D. Nyssen. hom. 1. in Cant. *Anima vult Dei ori vitam haurienti os admouere dicens: Osculetur me osculo oris sui. Et qui omnibus scaturire facit vitam, & vult omnes esse saluos, neminem vult eorum, qui salui fiunt, esse expertem huius osculi, est enim eius osculum purgamentum omnis sordis.* Nulla equidem est iustorum anima, quæ tandem ad Dei osculũm non admittatur egrediens è vita, sed aliquæ prius purgatorio igne purificantur; aliquæ autem omnium fœlicissimæ in ipso recessu à corpore ad tantum osculum admittuntur, quod nullas in illis sordes permittit, sed ostendit candidissimas, purissimas. Luc. cap. 7. dum Iesus discumbebat ad mensam Simonis Leprosi, accessit nobilis peccatrix retro, quæ eã osculans pedes Christi peccatorum omnium ablutionem obtinet ab illo. Mirabar, quod Simon ille, tanti conuiuij sumptu non negotietur peccatorum purificationem, quam negotiabatur mulier in domo illius. Et cur ille adeò infœlix mansit in sumptu suo, cum hæc inde egreditur fœlicissima? Ait Dominus ibi ad Simonem: *Osculum mihi non dedisti, hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos. Propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ecce tibi, quæ ad oscula admissa est, purificationem peccatorum obtinuit; ille vt non dignus extitit osculis diuinis, sic mansit in peccatorum ægritudinibus indigens purgatione ignis. Ait D. Nyssenus supra. *Quamobrem mihi videtur Dominus hoc exprobrare Simoni lepreso: Osculum mihi non dedisti. Reuera enim fuisset mundatus ab ægritudine, si ore attraxisset puritatem. Sed ille quidem merito id non est expertus.* Merito non expertus fuit puritatem, qui ad diuinum osculum non fuit admissus, sed mansit in suis peccatorum ægritudinibus. Quæ autem in dilectissimorum partem admittebatur, osculis diuinæ plantæ impressis, sic omnia purificauit peccata, vt posset apparere inter spiritus candidissimos.

Cant. 1. — *D. Nyss.* — *Luc. 7.* — *D. Nyss.*

Deut. vltim. Moyses centum & viginti annorum erat, quando mortuus est, non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti sunt. Fleueruntque illum filij Israel in campestribus Moab triginta diebus, & finiti sunt dies planctus lugentium Moysem. Iosue verò filius Nun repletus est spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas, &c.

§. X.

Laudandis hominibus mors non potest obesse.

STo à sententia nostri Saliani, qui non solum de sene Moyse, sed & de mortuo putat dicta illa; *Non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti sunt.* Septuages. posuere: *Neque corrupta sunt labia illius.* Alij legunt: *Nec aufugit vigor eius.* Chaldæus autem dicit: *Neque mutatus est splendor gloriæ vultus eius.* Et mortuus erat, & quasi nihil in illo potuisset mors, sic idem in illo mansit vultus vigor, & gratia, & splendor. Id quod de sanctissimo Archiepiscopo Malachia ponderabat D. Bern. in eius vita inquiens: *Fœliciter obdormiuit in Domino. Et vere obdormiuit. Vultus placidus placidi exitus indicium fuit. Mortuus viuere, & viuens mortuus putabatur, adeo nihil intercidit, quod alterutrum discerminaret. Eadem vivacitas vultus, serenitas eadem qualis apparere solet in dormiente. Diceres mortem nihil horum tulisse, magis auxisse plurimum. Non est mutatus, sed ipse mutauit omnes.* Sic mors sanctissimi viri nihil in illo tulit, nihil fœdauit, quod simile in laudatis hominibus facit. Vix enim aliquid potest facere mors in corpore eorum, quorum laudabilibus virtutibus implentur animi. De mortis anteambulone peccato dicebat Paulus ad Romanos 7. *Habitat in me peccatum,* in aliis regnabat peccatum, in Paulo non regnabat, sed habitabat; erat enim in eo non tanquam in regno agens, sed tanquam domi incarceratum. Similiter de morte philosophandum puto, quæ in peccatoribus regnat, in laudandis habitat, hoc est, ita in eis inuenitur, quasi nihil efficere, aut officere valeat. Ait D. Bern. serm. in transitu Sancti Malachiæ, *Peccatum licet simul cũ Christo, cruci ipsius non dubitetur affixum,*

Septuag. — *D. Bern.* — *Rom. 7.* — *D. Bern.*

adhuc tamen interim non regnare quidem, sed habitare etiam in ipso, dum viueret Apostolo permittebatur. Mentior, si non ipse ait: Iam non ego operor, sed quod habitat in me peccatum. Sic & mors ipsa minime quidem adhuc abesse cogitur, sed cogitur non obesse. Ecce & peccati fomes, & mors comparantur, vt sunt in viris Apostolicis; erat equidem in Paulo fomes peccati, non quidem regnans, vt hominem raperet, sed quasi domi clausus, ibique incarceratus, ne sua inferat damna. Sic mors in laudandis hominibus est quidem, sed quasi alligata, & coacta, ne suum effundat horrorẽ, suamque turpitudinẽ corruptionis statuat. Cantic. 5. dicitur: *Genæ illius sicut areolæ aromatum consita à pigmentariis. Labia eius lilia distillantia myrrham primam.*

Cant. 5.

Quæ verba ab aliquibus de Ecclesia Christi putantur dicta. Sed cur in labiis Ecclesiæ myrrha constituitur? Nonne satius dicuntur alibi Ecclesiæ labia vitta coccinea? Quid myrrha cum labiis formosissimæ? Modo depingitur Ecclesia in luctu pro sanctissimis viris, qui a morte abripiuntur, quorum frequentat ore suo virtutes. Vnde factum est, vt sancti, qui ab Ecclesia celebrantur defuncti, toties vnguẽtis, pigmentisque mortis effugiant turpitudinem, quoties ostendant laudatissimam vitam suam. Ex quo D. Ambros. in orat. de obitu Valentiniani, inquit, *Genæ eius sicut phiala aromatis germinans vnguentaria, labia eius sicut lilia distillantia myrrham plenam, mystica Ecclesiæ gratia de fletu accipitur, quæ in obitu Valentiniani bonum doloris sui effudit vnguẽtum, & vitam eius prædicando concelebrauit. Cui mors obesse non potuit, eo quod odor prædicationis vnguentorum eius celebrabilis fœtorem omnem mortis aboleuit.* Expende ab illis: *Cui mors obesse non potuit, &c.* Cuius enim talis erat vita, quæ celebraretur omnium ore, in eo mors cogitur non obesse, eiusque ibi mortis fœtor, & turpitudo vel tollitur, vel absconditur. Quod faciunt pigmenta, & myrrha, vt aboleant turpitudinem, & fœditatem mortis, id efficacius præstat, quæ ab Ecclesia prædicatur vita Sanctorum.

D. Ambr.

§. XI.

Mansuetudo in principe prope æternum facit eius principatum.

Miror in diuturnissimi principis obitu omnium esse popularium lachrymas. Dicit enim: *Moyses centum & viginti annorum erat, quando mortuus est: Fleueruntque eum filij Israel, &c.* Vbi Philo lib. 3. addit: *Luxit vniuersa gens lachrymis defluens per mensem integrum.* Et Iosephus ait: *Triginta diebus illum luxit populus, cui nunquam quicquam tristius accidit.* Longe aliter accidere solet in populis aliis, rari enim sunt, quos non tædeat diuturni alicuius principatus. Samuel in imperio durauit, vsque ad populi satietatem, 1. Reg. 8. *Congregati vniuersi maiores natu Israel venerunt ad Samuelem in Ramatha. Dixeruntque ei: Ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant in viis tuis, constitue nobis regem, &c.* Sic fastidierunt in Samuele imperij longæuitatem at in Moyse, cum ab octogesimo anno vsque ad centesimum cum vigesimo imperium protulisset, tantum abfuit, quod satiarentur eius imperio, quin potius eius mortem largissimis prosequerentur lachrymis. Nec miror, ea erat Moyses mansuetudine erga suos ornatus, quæ illum in imperio æternaret. Aiebat D. Hieronymus epist. ad Theophilum aduersus Ioannem Ierosolymit. *Dux ille Israelitici exercitus, qui decem plagis afflixerat Ægyptum, & ad cuius imperium cælum, & terra, & maria seruiebant, inter cunctos homines, quos tunc terra generauit, mansuetissimus prædicatur. Et ideò per quadraginta annos obtinuit principatum, quia potestatis superbiam lenitate, & mansuetudine temperabat. Lapidabatur à populo, & pro lapidantibus rogabat, quia potius deleri ipse vult de libro Dei: ne commissus sibi grex pereat.* Expende in quo fundet diuturnitatem Mosaici principatus, nimirum in eo, quod mitissimus erat, quod superbiam throni lenitate, & mansuetudine temperabat. Simile quid inuenio in Dauide, qui cum in regno senuisset, adeò vt pene deficeret in bello, nihilominus Israelitæ non locuti sunt de alio, quin potius dixerunt regi, 2. Reg. 21. *Iam non egredieris nobiscum in bello, ne extinguas lucernam Israel.* & cum domi resideret pene senio confectus; nil magis cogitant, quam quomodo eius vitam æternent. Cur non magis fastidiunt senem regem? Mansuetissimus ad suos erat. Ait D. Ambros. lib. 2. officior. cap. 7. *David rex cum omnibus æquabat suam militiam, partiebatur laborem, fortis in prælio, mansuetus in imperio, ferre magis promptus quam referre iniurias. Ideò tam charus erat omnibus, vt iuuenis ad regnum etiam inuitus peteretur, & resistens cogeretur, senex ne prælio interesset à suis rogaretur, quod mallent omnes pro ipso periclitari, quam illum pro omnibus.*

1. Reg. 8.

D. Hier.

2. Reg. 21.

D. Ambr.

Sic mansuetudo principis facit, quod nunquam eius imperio quantumuis diuturniori subditi satientur. Quin imo illis imperturbabilem terræ dominatum attribuit Dominus Matth. 5. aiens: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Quæ meritò D. Chrysostom. & Theophyl. referunt ad temporales principatus, in quibus mansueti fortissime radicantur. Sine mansuetudine enim via potest principatus durare. Roboam dicebat ad subditos, 3. Reg. 12. *Pater meus cecidit vos flagellis, ego cædam vos scorpionibus:* sed diu in imperio non valuit consistere, vt dicat D. Hieronym. vbi supra: *Qui scorpionibus cædit, cito regnum mansueti Dauidis dissipat.* Mirum erit, quod citò non euertetur imperium eius, qui caret humanitate, & mansuetudine.

Matt. 5.

3. Reg. 12.

§. XII.

Magna præstantia viri, quod primas iuuentutis gratias, vel in extrema senectute, vel in morte retineat.

Ad magnam Moysis commendationem dicitur, quod viginti supra centum annis mortuus cum sit: *Non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti sunt.* Siue vt alij: *Nec aufugit vigor eius:* Vel vt Chaldæus: *Non est mutatus splendor gloriæ vultus eius.* Quem vigorem & splendorem à primo siue in corpore, siue in animo accepit, eundem in extrema senectute, in morte ipsa retinuit. Quid præstantius dici potest ille viro tam longam agente vitam? Hanc præstantissimam benedictionem promittebat ipse Moyses Asseritis Deut. 33. inquiẽs: *Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & senectus tua.* Est hæc summa hominis præstantia, quod nihil virtutis, nihil decoris à primis captum vnguiculis perueniẽs ad vltimam senectutem amittat, sed cum iuuenilibus gratiis spiritum emittat. Dum magnus gẽtium doctor Paulus a carnifice percutitur, loco sanguinis lac prosiliuit è vulnere. Cur lac prosiliuit? Aiebat Petrus, 1. epist. 2. ad initiandos Christi baptismate: *Quasi modò geniti infantes lac concupiscite.* Ex quo mirifice extollit Paulum D. Aug. quod in senectute extrema, & in morte ipsa adhuc suppetebat lac Christiani baptismatis semel sumpti. Ait enim ser. 26. de Sanctis: *De Pauli vero ceruice, cum eam persecutor gladio percussisset, dicitur fluxisse lactis magis vnda quàm sanguinis, & mirum in modum sanctum Apostolum baptismi gratia in ipsa nece fecit splendidum potius, quam cruentum.* Splendere fecit Paulum in morte baptismi gratia eo vsque seruata, nunquam enim gratiæ primæuæ vsque ad extremum prouectæ halitum, non splendidum hominẽ faciunt. Et quæ mors splẽdidior, quam quæ de ipsis infantilibus virtutibus, & gratiis adhuc candet? Id quod de externis etiam effectibus in Christi Domini morte commendabat D. Leo serm. 7. de Epiph. fatus: *Tota victoria saluatoris, qua & diabolum superauit, & mundum, humilitate est concepta, humilitate est confecta. Dispositos dies sub persecutione inchoauit, & sub persecutione finiuit, nec puero tolerantia passionis, nec passuro defuit mansuetudo puerilis.* Ecce tibi, vt magister omniũ quas semel induit pueritiæ etiam externas virtutes, easdẽ vel moriẽs repræsentauit; vt doceret, quam diuinè ille moritur, cui nulla deficit gratia ex iis, quas à prima pueritiæ annis habuit. Quo spectans Psalm. 91. ait, *Exaltabitur sicut vnicornis cornu meum, & senectus mea in misericordia vberi.* Chaldæus: *In oleo recenti frondentis oliuæ.* quasi in eo ponat totam exaltationem senectutis præstantissimæ, quod de oleo, siue de gratia, & virtute primæua fulgeat, nihilque in ea appareat fœdum, aut cõsumptum. Ex quo monebat D. Aug. *Qui bene senescit ordine suo, quærit illi aliquando in capite suo capillum nigrum, & non inuenit: sic cum fuerit vita nostra talis, vt quæratur nigritudo peccatorum, & non inueniatur, senectus tua iuuenilis est, senectus ista viridis est, semper virebit.* Fœlix ille, cuius vita talis est, in quà nihil lethalis peccati nigricet; huius senectus, & mors & exaltabitur, & splendescet iuuenilibus, & virentibus floribus virtutum.

Deut. 33.

1. Pet. 2.

D. Leo.

Psal. 91.

D. Aug.

§. XIII.

In morte se quis facit agnosci.

Illud notandum maximè est in Moysis morte, quod dicit: *Moyses centum & viginti annorum erat, quando mortuus est, nec caligauit oculus eius, &c.* Siue vt Chaldæus ait: *Nec mutatus est splendor gloriæ vultus eius.* Spectat ad gloriam vultus Moysis, de qua Paulus 2. ad Corinth. 3. dicit: *Non possent intendere filij Israel in faciem Moysi propter gloriam.* Tanta erat gloria, & splendor vultus Moysi, vt non posset videri à filiis

2. Cor. 3.

Israel

Israel eius facies, sed maneret illis abscondita. Ad hanc ergo gloriam respiciens Chaldæus putat illam nec in morte mortuam, sed & demortui faciem sic fulgere, vt minime possit attendi, nec agnosci à filiis Israelis. Et cur in morte adhuc ignorabatur vultus eius propter gloriam, sicut cum à monte cum tabulis descenderet? Sic erat mortuus Moyses, vt nihil mortis in se exhiberet, ideo non miror, quod nec tunc agnosceretur; solet enim tūc maxime agnosci homo insignis, cum sub mortis vmbris se ostendit. Dicebatur supra de Moyse. *Et non cognouit homo sepulchrum eius vsque in præsentem diem.* Similiter dicit Paulus 2. ad Corinth. 3. *Vsque in hodiernum diem, dum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.* Expende, quam simul perseuerent hæc duo vsque in hodiernum diem; nimirum, quod sepulchrum Moysis non videatur, & quod sub velamine sit ipse, dum legitur, ne agnoscatur. Imò propterea ipse non agnoscitur, quia sepulchrum eius non patet, quando in sepulchro, & morte nullus sit, qui se agnosci non faciat. Ait Drogo Hostiensis ser. de Sacramento Passion. *Propterea vsque hodie, dum legitur Moyses, velatam habet faciem, quia ab hominibus mortalis sepulchrum eius non inuenitur.* Ecce tota causa, quod Moyses adhuc ignoretur, adhuc non plene sciatur, vt fuerit Iesu Domini imago, quia nimirum sepulchrum eius à nemine videtur mortalium. Si enim se se in sepulchro, & morte ostenderet, forsan non sic posset ignorari. Dominus Iesus post resurrectionē suam discipulis euntibus in Emaus apparuit, sed non agnoscebatur, in tantumque fuit illis incognitus, in quantum non ventum est ad fractionem panis. Vbi autem discumbens cum illis panem accepit, fregit. Luc. 24 *Statim cognouerunt eum in fractione panis.* Cur, qui ignorabatur in via comitatu, in confabulatione, in explicatione scripturarum, statim fecit se agnosci in fractione panis? Ait Drogo supra: *Vbi tandem agnouerunt eum? In fractione panis, & vere nō cognoscetur Dominus nisi in fractione panis: quum enim tuo est, fregisti manibus tuis corpus tuum, quo potestatem habebas ponendi animam tuam. fregisti corpus, quod foris apparebat, & ostendisti medullam, quæ intus latebat, nisi enim passus, non cognosceris.* Tunc Iesus se facit cognosci, cum in morte quasi confractum ostendit. Nullibi enim clarius apparet, qualis quis sit, quam dum sub vmbris mortis fuerit. Hinc latro ille simul crucifixus cum Iesu, dum inter ipsas mortis anxietates loquitur, statim agnoscitur à Deo, qui ait illi Luc. 23. *Hodie mecum eris in paradiso.* Quocirca D. Aug ser. 144. ait: *Qualem fructum Christus de arido ligno percepit? Quid enim Domino dixerat: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso? Tu differs te: Ego agnosco te.* Non potuit iam bonus tempore mortis non agnosci.

2. Corinth. 3. — Drog. — Luc. 24. — Drogo. — Luc. 23. — August.

Deut. 34. Non surrexit propheta vltra in Israel sicut Moyses, quem nosset Dominus faciem ad faciem, in omnibus signis, atque portentis, quæ misit per eum, vt faceret in terra Ægypti Pharaoni, & omnibus seruis eius, vniuersæque terræ illius, & cunctam manum robustam, magnaque mirabilia, quæ fecit Moyses coram vniuerso Israel.

§. XIV.

Summam hominis perfectionem attigit, qui & Deo est familiaris, & hominibus salutaris.

EX duobus maxime extollitur in præscnti Moyses, nimirum, ex eo quod Deo familiaris fuerit, & hominibus salutaris. Sic enim: *Non surrexit propheta vltra in Israel, sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem.* Ecce summam hominis cum Deo familiaritatem. Insuper addit: *In omnibus signis, atque portentis, quæ misit per eum, vt faceret in terra Ægypti . . . & cunctam manum robustam, magnaque mirabilia, quæ fecit Moyses coram vniuerso Israel.* Nonne his maxime ostenditur Israeli salutaris in mirabilibus factis, in hostibus deuastatis? Non ergo necessum fuit, aliud de Moyse dici, quam quod sic fuit Deo familiaris, vt loqueretur cum illo facie ad faciem, & hominibus sic etiam fuit salutaris, vt pro Israele liberando multa patraret; vt sic ostenderetur peruenisse ad summam perfectionem humanam. Ad hæc D. Nyssenus in præsenti, fatur: *Quod autem perfectionem homini possibilem Moyses assecutus est, diuina vocis testimonio perhibetur. Cognoui te, ex omnibus, præter omnes. Accedit, quod amicus Dei ab ipso Deo nuncupatus est. Præterea cum peccatis populi Deus iratus delere voluerit omnes, cūctisque Moyses vna cum populo perire maluerit, quam absque populo viuere, tunc Deus vt amico morem gereret, placatus est, quæ omnia ostendunt, ad humanæ perfectionis apicem illum peruenisse.*

Nyssen.

Expende illud, *quæ omnia*; duo enim tantum dixerat, nimirum quod haberetur Moyses à Deo vt amicus, & quod saluti populi sui postponeret propriam vitam. Et hæc sunt omnia, quæ in Moyse ostendunt summam hominis perfectionem. Planè ista sunt, perfectissimus enim homo est, qui in Dei præcellenti familiaritate constitutus, pro hominum salute desudat. Hinc legis naturæ duo lumina, nimirum Enos, & Enoch, de summa cum Deo familiaritate extolluntur, de altero enim dicit Gen. 4 *Sed & Seth natus est filius quem vocauit Enos: iste cœpit inuocare nomen Domini.* De altero autem nempè Enoch asserit Gen. 5. *Ambulauit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus.* Ad eam familiaritatem peruenit cum Deo, vt raperetur à Deo, & in isto raptu vsque nunc viuus perseueret. Quid perfectius? Nihilominus iis Dei familiarissimis viris sanctus Basilius præfertur à D. Nazianzeno, quod præter ea, quæ ad diuinam familiaritatem pertinent, pro hominum salute desudabat in arena. Sic enim ait sapientissimus, & Theologissimus Doctor, orat. 20. *Enos primus ipse adductus est, vt Dominum inuocaret, Basilium autem non solum inuocauit, sed quod inuocatione multo præstantius est, aliis quoque prædicauit. Enoch translatus est, exiguum pietatis præmium (fides enim adhuc in vmbris erat,) hac translatione consecutus, vitaque sequentis periculum effugit, huius autem vita omnis nihil est aliud, quam translatio, quippe qui perfecte in vita perfecta probatus, & exploratus fuerit.* Expende illud: *Quod inuocatione multo præstantius est.* quippe qui inuocatione, & Dei familiaritate gaudens, præterea erat in arena pro salute animarum, multo sudore, & prædicatione, & exhortatione curans homines ad salutem trahere, is profectò in perfectione hominis præstantius quid agebat, quam qui ab arena remoti perpetuo erant sub diuino raptu. Quod prænoscens sponsa Cantic. 5 ait: *Surrexi, vt aperirem dilecto meo.* Et quando Maria secus pedes Domini sedens meliorem partem tenebat, mirabar, quod sponsa inde surgeret, vt vel dilecto aperiret. Cur non magis sedet sponsa, vt que meliorem partem potius? Non est equidem in sola familiari sessione melior pars absolute, & simpliciter, sed respectiue, respectu merè actiuæ vitæ. Absoluta enim perfectio in eo est, quod vtrumque coniungas, vt sis Deo familiaris per sessionem, & per negotium salutaris hominibus. Ex quo dicebat D. Greg. PP. ibi: *Sponsa obediens ad laborem se præparat, vt sicut in quiete familiaris sponsa, sic & in labore deuota seruitus appareat. Ideo subdit: Surrexi, vt aperirē dilecto. quia dum spiritum diuinæ contemplationis amplius solito accipit, mox de ædificatione proximi cogitat, vt apertis cordibus sponsus ad inhabitandas proximos veniens ordinem inueniendi inueniat.* Sic sponsa vt in quiete erat Deo familiaris, sic in officio erat salutaris hominibus, in quo supremum perfectionis attigit punctum.

Gen. 4. — Gen. 5. — Naz. — Cant. 5. — D. Greg.

§. Vlt.

Quo quis maior, & præstantior, eo beneficentior in plures.

EXinde vodè extollat textus Moysē super omnes alios prophetas, nimirum, quod fecerit virtutes coram vniuerso Israel: dicit enim: *Quæ fecit Moyses coram vniuerso Israel.* Bonus princeps non in vnum, sed in omnes contulit sua beneficia: ex quo se super omnes sustulit: quo enim quis præstantior est, & altior, eo sua beneficia extendit ad plures. De Iesu ait Paul. ad Ephes. 4 propter quod dicit: *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Ex quibus præclare colligit Chrysost. vt ex multis aliis Iesu præstantiam infinite distantem à præstantia Eliæ. Ait enim ser. 5. de Ascens. *Elias quidem ascendens, pallium reliquit Elisæo: Iesus autem ascendens gratiarum dona in discipulos demisit, quæ non vnum prophetam, sed infinites Elisæos efficerunt, atque multo, quam ille erat illustriores, & clariores.* Elias ad vnum contulit pallij sui beneficia; qui autem maior illo erat Iesus, non ad vnum, sed ad plures, eosque præcellentes, & præstantissimos extendit sua. Vix enim aliunde clarius perspicitur manus Dominica, quam ex eo, quod beneficentior sit in plures. Hinc Paul. 1. ad Corinthios 11. ait: *Iam non est Dominicam cœnam manducare. Vnusquisque præsumit suam cœnam ad manducandum.* Quando vnusquisque cœnam habebat ad manducandum; negat Paulus Dominicam cœnam minime manducari. Et cur non essent dominicæ cœnæ, quæ manducabantur à singulis? Pulchrè

Ephes. 4. — 1. Cor. 11.

D. Anselm.

rationem insinuat Diuus Anselmus, ibi dicens: *Non est manducare Dominicam cœnam. Quia vnusquisque vestrum præsumit in Ecclesia manducare seorsum cœnam suam, cum Dominica cœna communis debent esse omnibus Christianis, sicut Christus cum suis discipulis communiter cœnauit.* Itaque sapientes non habetur cœna Dominica, quę non extenditur ad plures, sed eum vno aliquo consumitur. Supremi enim Domini hoc est clarissimum signum, quod se suáque pluribus communicet. Ideo

Ioan. 9.

Iesus Ioann. cap. 9. asserebat: *Amen dico vobis, non Moyses dedit vobis manna.* Multa alia fecerat diuinitus Moyses, quæ possent similiter dici minime à Moyse facta, de omnibus tacet Dominus, vnum manna prædicat à Moyse minime descendisse. Et cur solum manna negauit esse à Moyse? Erat in manna repræsentatiue panis ille viuus, qui offerendus erat pro vniuerso mundo. Qui autem ante faciem tot populorum parabatur, sapienter ostenditur non esse à Moyse, sed à supremo omnino Domino, & creatore, cuius est ad plures sua beneficia porrigere. Ait D. Cyril. Alex. lib. 3. in Ioann. cap. 34. in fine.

Cyr. Alex.

Oportebat enim omnino illos ministrum solummodo fuisse Moysem non ignorare. res enim ipsa non poterat hominis opus esse, Dei ergo fuerat munus, quo cœlestis panis non vnius gentis, sed totius mundi vita significabatur. Expende ab illis, *Non vnius gentis, &c.* vbi panis non vnius erat, sed plurium, sed omnium, communiter non nisi ab omnium Domino poterat proficisci. Sane dominici, diuinique spiritus est, vt nos reddamus, & salutares, & proficuos plurimos Rem sic definit Nazianz. orat. 8. inquiens:

Nazianz.

Spiritus, vt in medium prodeam, hortatur, publicaque vtilitati consulam, neque alios iuuando me ipsum iuuem, diuinumque splendorem in publicum proferam, eximinique populum ad Deum adducam, gentem sanctam, regium sacerdotium, atque imaginem in pluribus perpurgatam. Vt enim hortus præstantior est, quam stirpe vna, & cœlum vniuersum cum suis ornamentis, quam vnica stella, & corpus quam vnicum membrum: ita præstabiliorem esse totam Ecclesiam recte compositam vno homine, officio suo probe fungente: atque etiam oportere, nō suo quemque dumtaxat cōmoda spectare, sed aliorum rationem habere. Nam ipse quoque Christus, &c. Piaculum duxi, aliquid demere, vt de sapientissimi Theologi mente discas te cōmuni pluriū saluti acquirendæ dedere. In quo imitaberis creatorem cœli, qui minime in vna stella hæsit, nec elaborato sole fuit contentus, sed ad multitudinem stellarum suam extendit dexteram. Nec qui placere cupit hortulanus, vnius floris, aut stirpis cura tenetur, sed ploribus implet hortum, vt ampliorem accipiat mercedem. Ex quo supra Moysem extollens Iesum Diuus Zeno serm. 10. de Exod. ait:

D. Zeno.

Iudæi maiores suos Pharaonis, exercitusque eius, graui seruitutis iugo depressos de Ægypto prædicant liberatos. A diaboli rabie, idolorumque turba violenta non tantum, non maiorem, sed omnis Christiana progenies de vera Ægypto, id est, de isto mundo momentis omnibus liberatur. Quantus Iesus supra Moysem, à quo non solum maiores, sed & minimi omni tempore ad salutem ducuntur? Ad horum ergo normam etiam ego mea studia componam, & ne videar in vno, etiam præcellentissimo viro Moyse prorsus hærere, me iam accingo ad alios delineandos veteris testamenti heroes. Interea lector, quod in Moyse miraris, eæde diuinissimi Domini mei Iesu vestigia esse; quæ ego auidissime lambo etiam de fumosis, puluerulentisque imaginibus veterum. Ipsi laus, ipsi gloria in sæculum sæculi.

Laus Deo, Virginique Matri, & Parenti Ignatio.

INDEX

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,

QVÆ IN HIS DVOBVS TOMIS ENVCLEANTVR.

Prior numerus paginam, posterior paragraphum designat.

EX VETERI TESTAMENTO.

Ex Genesi.

Fecit

Index locorum

Cap. 40.

Ex Exodo.

Ex Leuitico.

Ex Numeris.

Statim

Cap. 8.

Ex 2. Regum.

Ex 3. Regum.

Ex 1. Paralipomenon.

Ex 2. Paralipomenon.

Ex 1. Esdræ.

Ex 2. Esdræ.

Ex 3. Esdræ.

Ex 4. Esdræ.

Ex Tobia.

Ex Iudith.

Ex Esther.

Accinge

Ex Psalmis.

Qui

Ex Prouerbiis Salomonis.

Ex Ecclesiaste.

Ex Cantico Canticorum.

Cap 2.

Ex Sapientia.

Ex Ecclesiastico.

Ex Isaia.

Ex Ieremia.

Ex Threnis.

Ex Baruch.

Ex Ezechiele.

Cap. 36.

Ex Daniele.

Ex Osea.

Ex Ioële.

Ex Iona.

Ex Amos.

Ex Michea.

Ex Nahum.

Ex Habacuc.

Ex Sophonia.

Ex Zacharia.

Ex Malachia.

Ex 1. Machabæorum.

Ex 2. Machab.

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Mattheo.

N

Ex Marco.

Ex Luca.

Ex Actis Apoſtolorum.

Ex Epistola Pauli ad Romanos.

Ex Pauli prima ad Corinthios.

Ex 2. ad Corinthios.

Ex Paulo ad Galatas.

Ex Paulo ad Ephesios.

Index locorum

Cap. 8.

FINIS INDICIS LOCORVM ſacræ Scripturæ.

INDEX RERVM, ET VERBORVM,

QVÆ IN HOC LIBRO CONTINENTVR.

Prior numerus paginam, posterior paragraphum indigitat.

A

Abnegatio.

Afflictio

Index Rerum,& Verborum.

Clam. 62.

Christus

Index Rerum,

Conser-uatum.

Index Rerum,

D

Felicitas

Index Rerum,

G

H

Index Rerum,

L

Labores

M

Index Rerum,

Pretiosa

Index Rerum,

Supplicium

Virtutis

F I N I S.